



Isidorus Mercator
94.95. 441.442.

ILLUSTRISSIMI VIRI

PETRI DE MARCA

ARCHIEPISCOPI PARISIENSIS

DISSERTATIONUM

DE CONCORDIA

SACERDOTII ET IMPERII,

SEU

DE LIBERTATIBUS

ECCLESIÆ GALLICANÆ,

Libri Octo.

QUIBUS ACCESSERUNT EJUSDEM AUCTORIS

DISSERTATIONES ECCLESIASTICÆ

VARII ARGUMENTI.




ROBORETI,

SUMPTIBUS SOCIETATIS.

ANNO MDCCXLII.

Superiorum Permissu, ac Privilegiis.

VIRO SUPERILLUSTRI PETRO SEGUIERIO GALLIARUM CANCELLARIO.




ROVIDENTIA DEI, factum arbitror, ILLUSTRISSIME DOMINE, ut edendorum librorum de Concordia Sacerdotii & Imperii a viro pacis amantissimo compositorum captum consilium fuerit eodem ferme tempore, quo dissociata est concordia Summi Pontificis & Regis Christianissimi, quæ nuper interrupta fuit fato concordiæ raro sempiternæ. Arduum enim est eodem loco potentiam & concordiam esse. Quapropter bene cum rebus humanis agitur, quoties mortalium aliquis ita compositus & temperatus invenitur, ut pacem quam bellum malit, & rationem inire non recuset retinendæ concordiæ inter Principes; procul a turbulentis veterum Britannorum moribus, qui pacis incommoda differentes, æque discordiam præpositorum, æque concordiam subjectis exitiosam esse ajebant. Immensum a seditiosa illa persuasione abfuit interpres hic pacis & concordiæ, cujus dissertationes de Concordia Sacerdotii & Imperii sub felicibus tui nominis auspiciis in lucem nunc emittuntur, VIR ILLUSTRISSIME. Hic enim, cum intelligeret, breve esse confinium pacis & belli, ac vitari vix posse, quin Sacerdotii & Imperii Concordia interdum dissolvatur, arctissimis licet vinculis adstricta, ex eaque discordia necessario oriri perniciem cum magna reipublicæ calamitate conjunctam, omne studium omnemque industriam suam in id convertit, ut modum commonstraret, quo res ad concordiam adducerentur, si cœco casu & volubilitate fortunæ regnum & sacerdotium inter se committerentur; vel si statim revocari concordia non posset, rempublicam summa dignitate defendere liceret, ac tamen interim debita sedi apostolicæ reverentia non omitteretur. In quo argumento adeo feliciter versatus est, ut facile deinceps futurum sit occurrere discordiis, habiturusque sit orbis Christianus remedia ante malorum experimentum. Cum autem decrevissem in publicum emit-

tere hos libros, secundum quod ipse supremis sermonibus mandaverat, investigaremque sub quibus auspiciis eos prodire juberem, tu in primis occurristi, VIR SUMME, pluribus de causis, ac inter alias, quod illustrissimum Archiepiscopum Parisiensem, eorum auctorem, summa semper benevolentia prosecutus sis viventem, memoriamque extincti sanctissime conserves. Sane non institui heic laudare pietatem tuam, CANCELLARIE ILLUSTRISSIME, ac singularem tuam reverentiam in sedem apostolicam, obsequium in Principem, aut fidem in rempublicam: quæ omnia in te adeo clara & illustria sunt, ut prorsus inutile futurum sit, si his diutius immorer, aut encomium tuum heic enarrare contendam. Illud tantum dicam, nemini potius dedicari posse hos libros, quam viro harum rerum peritissimo, & cui ingenium sit natum ad alendam Concordiam Sacerdotii & Imperii, atque adeo tibi eo quoque nomine in primis deberi. Neminem enim arbitror adeo peregrinum esse in historia nostri temporis, ut nesciat, magnam a te curam semper adhibitam, ne quid de sacrorum religione minueretur, constantemque omnino fuisse adversus eorum audaciam, qui Romani Pontificis auctoritatem deprimere tentarunt in variis occasionibus. Idem tamen libertatis Ecclesiæ Gallicanæ, ut decebat summum Galliarum Cancellarium, propugnatorem accerrimum te semper præstitisti, mirabili temperamento inter invictam contradicendi libidinem & projectam adulationem, adeo, ut quidam LIBERTATIS SACERDOS dici possis. Accipe igitur, VIR AMPLISSIME, munus hoc meum ea, qua soles, benevolentia; meque ingentium tuarum virtutum veneratorem cultoremque esse patere, qui nemini mortalium concedo in ea obsequii gloria.

Lutetiæ Parisiorum Kalendis Junii, anno MDCLXIII.

STEPH. BALUZIUS.

STE-



STEPHANI BALUZII TUTELENSIS
PRÆFATIO AD LECTOREM.



RÆCLARE Germanicus apud Tacitum in ſecundo annalium libro, *Non hoc præcipuum amicorum munus eſt*, inquit, *proſequi defunctum ignavo queſtu, ſed quæ voluerit meminiſſe, quæ mandaverit exequi*. Defleo equidem illuſtriſsimum virum ac ſempiterna memoria dignum Petrum de Marca, Archiepiſcopum Pariſienſem, optimum Mæcenatem ac patronum meum; ac tamenetſi lamenta & lacrymas fortaſse aliquando deponam, nam hactenus non depoſuiſse me, vere dicere poſsum, dolorem tamen ac triſtitiam ponere non velim, ſemperque meminero mandatorum ejus. Mandavit autem ille ſupremis ſermonibus, ut curam ſuſciperem lucubrationum ejus, ſive earum, quæ jam editæ fuerant, ſive etiam illarum, quæ nondum prodierant in lucem. Sciebam, deſtinaſse illum nova editione donare diſsertationes de Concordia Sacerdotii & Imperii, ſi diutius in vita fuiſset, illiſque addere libros, qui promiſsi ab eo in præfatione fuerant, pulchro ſane & utili conſilio. Ea de cauſa cum illo mortuo relegerem ſchedas ejus, putavi debere me ab illarum diſsertationum editione incipere in exequendis mandatis ejus. Acceſsit deinde auctoritas illuſtriſsimi viri, Franciſci Boſqueti, Epiſcopi Monſpelienſis, virtutum & literarum antiſtitis: qui pro veteri amicitia, quæ illi cum Marca fuit, & pro eximia quadam in me propenſione, me ſtatim verbis amantiſsimis & honorificentiſsimis hortatus eſt, ut quamprimum me accingerem ad novam earum editionem, cujus adornandæ conſilium ab auctore non ita pridem captum fuiſse noverat. Et ut vehementius me, licet ad id ſponte currentem & mandato Mæcenatis adſtrictum, incitaret, additionem quandam poſtea miſit, quæ edita eſt in capite primo libri ſecundi, cujuſque ſcribendæ occaſionem deprehendere poteris, lector, in epiſtola, quam vir illuſtriſsimus ad me pro ſua humanitate tum ſcripſit, quæ edita eſt inter elogia. Multi præterea amicorum me crebro monuerunt, ut libros iſtos editionis honore donarem nihil poſse me præclarius aut pulchrius efficere pro Gallicanæ Eccleſiæ & iſtius florentiſsimi regni gloria, debere me etiam iſtud memoriæ illuſtriſsimi Archiepiſcopi, ne paterer intercidere opus tot annorum & tam eruditarum vigiliarum. His de cauſis manum operi admovens, priores quatuor libros recenſui, emendavi, aliquot additionibus ab auctore ipſo compoſitis auxi, denique notis illuſtravi, ubi occaſio tulit. Addidi deinde tomum ſecundum integrum, nunquam antehac editum; in quo edendo præcipue opus fuit mea cura & diligentia. Nam præterquam, quod libri iſto tomo comprehenſi deſcribendi fuerunt ex autographo viri illuſtriſsimi, ſextus liber itemque ſeptimus Gallice tantum extabant, ideoque vertendi fuerunt in linguam Latinam, quod etiam contigit in ultimis duodecim capitibus libri octavi. Nam nihil moror, operam, quæ conlocata eſt in conficiendis capitum breviariis.

Cum editio iſthæc vulgata fuiſset, ita publica omnium ordinum Galliæ gratulatione ſuſcepta eſt, ut vix quiſquam fuerit eorum, qui hæc ſtudia amant, qui librum illum ſtatim non legerit, nemo, qui non admiraretur conſilium & induſtriam operis. Itaque omnes ſummum virum ferre laudibus, quod tam acer ultor violatæ diſciplinæ eccleſiaſticæ fuiſset & libertatum Eccleſiæ Gallicanæ propugnator & ſtudioſiſsimus & fortiſsimus. Videre erat eruditos & iſtarum rerum curioſos venire feſtinos ad typographum, tanquam vererentur, ne non brevi ſupereſset exemplar venale. Neque vero intra Galliam ſubſtitit hic ardor. Perrupit etiam clauſtra oceani ac maris mediterranei, monteſque ac flumina ſuperavit. Nam præter Italos, Hiſpanos, Anglos, Belgas, Batavos, Germanos, qui vicini nobis ſunt, quique librum illum ad ſe mitti e Gallia poſtularunt, delatus eſt etiam uſque ad ultimos fere Pannoniarum fines. Unde in univerſum æſtimanti, affirmare licet, vix unquam emerſiſse librum, qui tanto favore generis humani exceptus ſit, & cui tam præſto tamque conſtanter adſuerit eruditorum hominum approbatio.

Sed adverſus hæc reclamant ranæ quædam & cyniphes & muſcæ morituræ, (ut Vincentii Lirinenſis verbis utamur) dicentes, tomum ſecundum iſtius operis eſſe imperfectum, lucubrationes porro, quæ a doctis viris componuntur, pro infectis habendas eſſe, ſi non ultimam manum illis admoverint, iſtas editas fuiſſe ex apographo Gallico nullius auctoritatis, ex eoque verſas fuiſſe in linguam Latinam, eum porro multa ex opinionibus ſuis circa

potestatem ecclesiasticam, mutasse postquam factus est Episcopus. Satis audacter, ut opinor. Unde enim habent, Marcam non admovisse ultimam manum his dissertationibus? Immo ego certus sum, admotam ab illo fuisse paulo ante quam moreretur, id est, initio anni millesimi sexcentesimi sexagesimi primi. Quod qua ratione evenerit, paucis exponam. Res enim est magni momenti. Agebatur tum de judicandis Episcopis, qui formulæ adversus quinque propositiones e Jansenio excerptas subscribere recusarent. Cum ea res a conventu Ecclesiæ Gallicanæ, qui tum Parisiis habebatur, delegata Marcæ fuisset una cum nonnullis aliis Episcopis & secundi ordinis clericis, jussit ille, ut sibi traderem dissertationes de Conciliis provincialibus & nationalibus Galliæ & de judiciis canonicis Episcoporum. Illas ergo relegit diligenter; & tandem, cum eas mihi rursum commisisset servandas, his omnino verbis usus est: *Hæc tu mihi serva diligenter. Quo tempore scribebam dissertationes istas, totum illud negotium mihi, ut video, valde perspectum erat. Dissertatio præsertim de judiciis canonicis Episcoporum est plurimi facienda. Nihil a me unquam elaboratum est tam accurate.* Ita de se loquebatur vir modestissimus, non dicturus, si putasset, dissertationes illas ad incudem revocandas esse.

Ajunt deinde, illas editas ex Gallico exemplari nullius auctoritatis, & in Latinam linguam versas, a Baluzio nimirum. Atqui Baluzius descripsit ex autographo viri illustrissimi, non ex apographo quodam mutilo aut imperfecto; ut vere scriptum ab illo sit, eas ex autographo editas fuisse. Necessarium autem fuit, illas verti Latine, quia reliquæ partes operis Latinæ erant. Id vero fecit Baluzius ea fide & ea diligentia, ut ne æmuli quidem ejus ausi hactenus sint eum arguere malæ fidei, facturi haud dubie, si qua lux mendacii & imposturæ affulsisset. Ubinam igitur est crimen, quod severi illi alienorum factorum dictorumque censores imputant Baluzio?

Quod vero ajunt, Marcam multa ex opinionibus suis circa potestatem ecclesiasticam mutasse, postquam factus est Episcopus, nescio quid intelligant verbis illis generalibus. Nam si de fide agitur, ille semper docuit, damnationem hæreseon ad Ecclesiam pertinere, & in hujuscemodi rebus Principes sequi debere, non præcedere; neque puto, illos, qui ista scribunt, velle dicere, ipsum sententiam in hoc suam mutasse. Quod si disciplinæ ratio attenditur, non diffiteor, quin illi contingere interdum potuerit, quod istarum rerum curiosis contingere sæpe solet, nimirum, ut post multas vigilias, postquam causas maturius ac diligentius examinarunt, abjectis primis cogitationibus suis, vera pro falsis amplectantur. Regula enim ac lege fidei, quæ una omnino est, ut Tertullianus ait, sola immobili & irreformabili manente, cetera admittunt novitatem correctionis. Attamen illud est magnificum ad gloriam istorum librorum, quod Illustrissimus Archiepiscopus nihil in illis censuit esse mutandum. Cur enim, si mutavit sententiam, non igni abolevit istas dissertationes, ne quid ex veteribus opinionibus suis superesse posset? Atqui ita non damnandas esse arbitrabatur, ut etiam sub finem vitæ eas se dignas esse pronunciaret, ut supra diximus. Eant ergo ridicula hominum figmenta. Maneat suus libris istis honor & sua reverentia.

Reliquum est, ut heic nonnulla dicamus ad commendandam istam editionem, non sane captandæ hinc gloriæ causa, sed ut sciant lectores, quantum utilitatis ex ea derivari possit in publicum. Ea quippe prima mihi semper cura fuit. Igitur admonendus est lector, novam istam editionem multo emendatiorem esse, quam ceteras, tum adnotatum fere ubique esse in margine, si quando de eadem materia tractatur in diversis totius operis locis, laudatos plerosque scriptores in margine, qui consuli possunt ab eo, qui causam quampiam accurate cognoscere voluerit, reddita Latine loca quædam, quæ Gallice tantum extabant in fine libri sexti, denique nihil omissum esse, ut hæc editio prodiret emendatissima, adeo, ut affirmare liceat, mendas non admodum multas remansisse in tam vasto opere.

Deinde, cum liber quintus, in quo tractatur de dignitate & auctoritate Legatorum sedis apostolicæ, imperfectus esset, tum mea sponte, tum amicorum hortatu hanc in me curam suscepi, ut eum supplerem, non sine magno labore. In illo autem supplemento fuse disserui de vicariatu Episcoporum Thessalonicensium & Arelatensium, de frequentia legationum, de cupiditate, avaritia, fastu, & luxu Legatorum, de procurationibus eorum, de facultatum examine, ante quam munere suo fungantur. Hæc sunt præcipua capita illius supplementi.

Occasio postulat, ut quoniam mentio incidit libri quinti, qui gravissima errandi causa Fageto fuit, heic nobile illius mendacium detegam. Ex qua cura nostra illum maximum fructum percipient eruditi, quod facile intelligent, quam parva ei fides habenda sit in rebus magni momenti, cum in istis levissimis immensum aberret a vero. Ait ille, dissertationem de Legatis Latine scriptam a Marca esse Anno MDCXL. ante quam liber Optati Galli, cujus occasione scriptus est liber de concordia, prodiisset in publicum, illamque manu scriptam Cardinali Richelio & Cancellario traditam a Marca esse *de publico nil cogitante*. Hæc sunt enim Fageti verba. Quis vero de re ista dubitare posset post testimonium reverendi illius viri, qui tum adeo assiduus auctori erat, ut priores quatuor libri de concordia ante manu ejus descripti sint, postquam eos Marca elucubraverat, quam typographo traderentur? Aliter tamen se res habet. Nam tractatus iste de Legatis scriptus tantum fuit post quatuor libros de concordia; editusque simul cum aliis statim fuisset hic quintus liber, nisi præcipitata fuisset editio operis cura eminentissimi Cardinalis Richelii, ut dixi olim in præfatione mea ad libros de concordia. Adhuc tamen illud ipsum probabo manifestissimis argumentis. Heic vero mihi lucem commodissime præferet ipse reverendus Fagetus; qui quo tempore dissertationes istæ componebantur ab illustrissimo viro, eas, ut toties dictum est, manu sua describebat; ubi vero ventum est ad librum

quintum,

quintum, cujus editione superſederi placuit, operam ſuam interrupit, poſtquam aliquot tantum paginas deſcripſiſſet, quæ ſunt in poteſtate mea. Initium itaque iſtius tractatus, quale manu Fageti deſcriptum habeo, tale eſt: *Liber V. cap. I. Poſt aſſertam ſuperiore libro conſervandarum libertatum Eccleſiæ Gallicanæ auctoritatem, Legatorum a latere dignitas & claritudo priorem locum ſibi vindicat in his diſſertationibus.* Reſpicit itaque ad librum quartum operis de concordia, in quo agitur de appellationibus tanquam ab abuſu. Rurſum diſſertationem iſtam ſcriptam eſſe poſt alios libros de concordia, evincit vel iſte locus ex capite XIV. hujus libri V. §. V. *Cur autem in Concilio Francofordienſi hæc ſynodus admiſſa non fuerit, diximus libro II. cap. XVII.* Librum porro iſtum ab auctore ſcriptum eſſe, ut ederetur ſimul cum quatuor prioribus, probant ſequentia verba ex cap. X. §. I. *Sed reſtitutionem iſtam Theodoreti accurate diſcutimus tomo ſecundo in exercitatione de judiciis canonicis Epiſcoporum.* Ita nos hunc locum edidimus in prima editione. Unde interim colliget lector fidem meam in edendis his libris. Cum vero poſtea animadverterem, hunc tractatum a primo tomo, cui deſtinatus erat, tranſiſſe in ſecundum, voces illas *tomo ſecundo* jugulavi, ut inutiles & ſuperfluas.

Cogitaſſe porro Marcam de edenda diſſertatione illa de Legatis, colligitur etiam ex diſſertatione de epiſtola Vigilii, in qua §. XII. ita ſcribit: *Prima enim ſemper fuit in ſynodis œcumenicis ſententia Romani Pontificis, qua non expectata, nihil decerni moris erat; quemadmodum ſervari ſolebat in ſenatuſconſultis ad orationem Principum factis, ut dicam tomo ſecundo de concordia ſacerdotii & imperii.* Reſpiciebat enim ad caput ſeptimum & octavum libri quinti de concordia.

Probant hæc, ut ego quidem arbitror, diſſertationem de Legatis ſcriptam eſſe poſt ſuſceptum conſilium ſcribendi operis de concordia, Marcam porro de publico cogitaſſe, cum illam ſcriberet, contra quam aſſerit Fagetus. Sed quod addit idem reverendus vir, Marcam diſſertationem iſtam manu ſcriptam dediſſe Richelio & Cancellario, omnino ridiculum eſt. Nam ea perfecta nunquam fuit, ob præcipitationem, quam diximus, Cardinalis Richelii, & vix ad quartam partem pervenit rerum, quas in libro illo ponere deſtinaverat auctor; ut planum eſt ex præfatione ejus, in qua rationem conſilii ſui exponit. Daturus autem non fuit ille pro ſua prudentia opus imperfectum, præſertim ſummis viris. Si quid heic memoriæ habuiſſet Fagetus, ſi librum illum vidiſſet, quo tempore iſta ſcribi conſentiebat, non incidiſſet in hunc pudendum errorem. Sed, ut video, non tractavit editionem libri de concordia, quam ego procuravi; & tranſverſum præterea illum egit impotens libido deſtruendi, quæ a me ſcripta erant, tum etiam deforme obſequium, quod auctoribus ſuis præſtitit in ſcribenda vita illuſtriſſimi Archiepiſcopi. Simile mendacium de libro de Primatibus nos nuper deteximus in præfatione noſtra ad tres diſſertationes illuſtriſſimi Archiepiſcopi.

Poſt conſtitutum tempus, quo liber quintus ſcriptus eſt, neceſſarium videtur nonnulla dicere de tempore, quo tres libri ſequentes elucubrati ſunt. Sextus & ſeptimus compoſiti Gallice ſunt anno MDCXL. traditique tum manu ſcripti Cardinali Richelio. Libri octavi ſexdecim priora capita confecta Latine ſunt anno MDCLII. poſt reditum Marcæ ab Hiſpania citeriori. Duodecim vero ultima ejuſdem libri capita, quæ continent ſatis uberem diſſertationem de inveſtituris & de jure regaliæ, anno MDCXL. Gallice conſcripta fuerunt. Quod ideo viſum eſt admonere, ut eatur obviam audaciæ quorundam quidvis calumniantium.

Edidi in calce harum diſſertationum duo opuſcula Hrabani Archiepiſcopi Moguntini, quæ nondum in lucem prodierant. Cujus autem momenti ſint hæc opuſcula, docet præfatio noſtra cum illis excuſa.

Denique addidi notas meas, interdum uberes, ſicubi occaſio tulit, interdum breves, itemque nonnullas eccleſiaſticæ antiquitatis illuſtria monumenta, quæ hactenus latuerant.

Conſtitueram olim refellere per tranſennam ea, quæ adverſus varia iſtarum diſſertationum loca ſunt objecta a Joanne Davide, Chriſtiano Lupo, & aliis quibuſdam recentioribus ſcriptoribus. Verum cum animadvertiſſem bonas horas poſſe melius collocari, cum præſertim intelligerem, ea eſſe leviuſcula, quam ut aliquam curam meam mereantur, abjeci inſtitutum illud, & paucis contentus, quæ vel tenuiſsima ſunt, reliqua omiſi. Certe difficile non erat, ea omnia argumenta diluere. Sed multum temporis in iſta vana diſputatione conſumendum erat in nullum reipublicæ literariæ uſum.

Illud quoque, quamvis non ſit magnum operæ pretium, data occaſione addam, oſtendiſſe me in præfatione ad opuſcula illuſtriſsimi viri, falſa eſſe, quæ de illo & de Cardinale Richelio ſcripſit Joannes Gerbaſius in tractatu de cauſis majoribus, illum vero propterea vehementer adverſum me commotum ſtatim poſt evulgatam illam præfationem meam, cum deſtinaſſet mihi facere contumeliam publicam, typographorum opera, ut aſſolet, uſum eſſe, ut in eo loco, ubi me nominaverat, adderet, me eſſe hominem leviculum & egregie maledicum. Et tamen ego nullis eum injuriis laceſsiveram, nullo contumeliæ genere affeceram. Tantum verbis modeſtiſsimis tuitus eram famam illuſtriſsimi Archiepiſcopi, quam ille laceraverat. Poſſem, ſi vellem, ejus memoriæ juſtiſsima & æquiſsima de cauſa inſultare. Illud unum mihi ſufficiet, monere lectores, ut conſulant Ægidium de Bellamera, qui in Gloſſa ad cap. *Afros.* diſt. 98. levitatem impingit Guidoni de Baiſio, qui Gallos vocaverat ſtolidos & leves.

Vale, lector; & cum leges iſtas diſſertationes, mihi bene precare, qui illas ab interitu vindicavi.

ELOGIA,

EX LIBRO, CUI TITULUS,

ESTAT DES COURS ECCLESIASTIQUES,

Auctore Joanne Bordenave Canonico & Officiali Lascurrensi apud Benearnos, edito Parisiis, anno MDCXXV.

LOQUENS hic auctor in cap. XII. de Joanne de Marca, Vicario generali & Canonico Lascurrensi, qui officium Consiliarii in Consilio ordinario & suprema Palensi curia impetraverat, ait: *Mais quelque temps aprés il resigna sa charge à Messire* PIERRE DE MARCA *son neveu; lequel par ses rares qualitez & vertus hereditaires a merité que* LOUIS LE JUSTE, *sçachant qu'il estoit le restaurateur & tutelaire de la religion catholique en ces quartiers, la colomne de l'Eglise, le protecteur des Ecclesiastiques, le Mecenas de ses fideles sujets, le refuge des gens de bien, l'astre brillant du pais, l'Encyclopedie ou l'intelligence parfaite de toutes sciences, fit de son propre mouvement l'erection d'une charge extraordinaire de President au Parlement de Pau, dont il l'a gratifié en reconnoissance de ses bon services, & l'a pris pour son Conseil auprés de ses Gouverneurs & Lieutenans generaux de Bearn & de Navarre. Ces mots tres-veritables couchez à l'honneur de ce grand & devot personnage, qui n'ayant encore atteint l'aage de trente ans surpasse en merveilles tout ce que nous sçaurions apostropher de luy, soient dits par occasion & comme en passant.*

Vir clarissimus Joannes Samblancatus in confutatione Parænetici ad Gallos de schismate cavendo, pag. 15.

AT enim multis honorum insignibus empta est opera & manus ad facinus, quod comparatur, & ad jura & auctoritatem Patriarchæ diligenter perscribenda, ut eum nascentem velut pretiosi panni & ornamenta excipiant. Quænam hæc tua, Optate, vanitas & inconstantia? Consiste alicubi, & apud te statue, qualem fingere velis Patriarcham. Si nullo jure, nullo privilegio, ne calatis quidem totius Galliæ comitiis creari potest, cur perturbaris? Quid est, quod unum hominem ingenio validum tanto partui suffecturum timeas? Si causa est aliqua & arcana potestas, quibus hæc dignitas non minus apud Gallos quam in aliis gentibus possit institui, ò stultitiam timoris tui! Incautos admones, & abscondenda profiteris. Arcessis quæ metuis; irritas cupiditatem, non coerces licentiam; magister es flagitii, non hostis. Sed ut cominus configam, vir ille eruditus majora habuit aulæ invitamenta, & admirabili sapientia, studio in rempubl. pene singulari, & incredibili rerum cognitione, in sanctiore Concilio locum obtinuit, & summa cum gravitate & dignitate tuetur. Ea autem est disciplina & fidei in Deum integritate, ut aliis studiis, quibus mirifice præstat, nullum pene ad laudem locum relinquat. Quumque in mediis impietatis & rebellionis fluctibus versaretur, parsque maxima popularium à Deo, alii à Rege deficerent, in rempubl. & religionem pari fide extitit, & tanto ante quam de schismate sermones moverentur, Præsidis infulas, constantis & pii animi præmia, quæ dari poterant, amplissima accepit. Quæ quum ita sint, quæ vis à consuetudine prioris vitæ, à diuturna possessione innocentiæ momento temporis abduxit? Quæ causa mores & naturam ipsam repente mutavit? Neque enim inveterata virtus tam subito in pravum deflecti potest, ut idem nunc in cœtu catholicorum sanctissimo, in celeberrimo religionis domicilio, Rege Christianissimo audiente, belli adversus auctoritatem summi Pontificis suscipiendi lituus sit, quem ætatis cursus sancte & innocenter usque ad hoc tempus explicatus non tantum extra suspiciones perversæ & nefariæ disjunctionis, sed etiam procul à sermonibus debuit collocare. Sed de tanto viro non sunt plura disputanda.

Epistola clarissimi viri, Joannis Ludovici Guezii Balzacii, ad Illustrissimum virum PETRUM DE MARCA, *qua illi grates agit ob missum librum De Concordia Sacerdotii & Imperii.*

A Monsieur de Marca, Conseiller du Roy en ses Conseils d'Estat & Privé.

MONSIEUR,

APres vous avoir dit que j'ay receu avec beaucoup de ressentiment l'honneur que vous m'avez fait, il faut que je vous die de plus que je prens part à l'honneur que vous faites à nostre siecle, & qu'il me fascheroit bien de mourir sans avoir veu vostre travail en sa derniere perfection. Ce travail, Monsieur, ne sera pas une vaine montre de science, ny un simple ornement des Bibliotheques. Ce sera une piece necessaire à l'ordre des choses, & qui manquoit à la gloire de la France. Il embellira tout ensemble le Public, & fortifiera l'Estat. Les Rois le conteront parmy leur Domaine, ou le mettront au nombre de leurs tresors. Et si dans une profonde doctrine vous n'aviez une plus profonde humilité, vous me permettriez de le preferer aux Boucliers tombez du Ciel, aux Images estimées fatales, & aux autres Gages sacrez de la grandeur & de l'eternité des Empires. Mais vous ne voulez pas qu'on aille si haut pour l'amour de vous, & vous n'avez garde de vous presenter vous-mesme avec tant de pompe. Le titre que vous avez donné à vostre beau livre est moins superbe & moins figuré. Il ne menace pas le Monde par une insolente metaphore, quoy que sa modestie promette pourtant ce qu'il n'y a qu'une parfaite intelligence qui puisse tenir. Vous entreprenez, Monsieur, le plus grand accommodement dont on ait oüy parler depuis qu'il y a des querelles sur la terre: Et bien que la Prestrise & la Royauté soient deux Puissances naturellement amies, voire deux filles d'un mesme pere, elles sont si souvent brouillées ensemble par les interests de leurs domestiques qu'il seroit difficile à l'Equité mesme de reussir en cette reconciliation. Il est besoin pour ce la degarder un temperament dont la chaleur Françoise n'est guerre capable, & beau-

beaucoup moins le faste Romain. Il ne faut ny un esprit d'esclave, ny un esprit d'ennemy. Il faut une ame remplie de lumiere & vuide de passion. Il faut reconnoistre le pouvoir du Roy, & deferer à l'authorité du Pape; mais il faut dépendre absolument de la verité, qui est la superieure du Pape & du Roy, & la plus forte des choses du monde. Quelle gloire vous sera-ce si on croit que c'est elle seule que vous avez eü dessein d'obliger, & si on dit que vous avez defendu ses droits comme si vous estiez à ses gages & que vous eussiez receu d'elle le commandement d'escrire des livres. La belle chose, Monsieur, que d'estre appellé un jour L'HOMME DE LA VERITE'. Ie n'ay rien apperceu en vos Escrits qui puisse nuire là-dessus à vos esperances & à une si noble pretension, si vous l'avez eüe en escrivant. Rien n'y sent le lasche ny le rebelle. Et quoy que je n'aye encore consideré que les dehors de l'Ouvrage & deux ou trois pieces de l'Entrée, je n'ay pas laissé d'en comprendre la merite en gros. I'ay veu d'abord que vostre science est sage, que vostre liberté est discrete, & que vostre zele n'est pas aveugle. La pluspart des livres sont remarquables par le defaut de ces qualitez; & la pluspart des lecteurs se passent aisément de ces qualitez, quand ils ne les trouvent pas dans les livres. Pour moy, je ne cherche plus autre chose, depuis que mes cheveux gris m'ont adverty de chercher le solide & le serieux. Mais particulierement, Monsieur, j'estime si fort cette sagesse sçavante que sans elle je ne sçaurois estimer ny tout le Latin de Baronius, quand il y en auroit des montagnes, ny tout le Grec de Causaubon, quand il seroit plus Attique qu'Athenes mesmes, ny tout l'Hebreu & l'Arabe de Scaliger, quand il en sçauroit plus que les Rabins & que le Muphty. Par cét appas du bon sens & de la raison, si bien preparé, vous emportez mon esprit, apres avoir gagné mon cœur par un autre charme; & je ne suis pas moins en cecy vostre partisan que d'ailleurs je suis obligé d'estre.

MONSIEUR,

Vostre, &c.

Le 6. Aoust 1641.

Ex libro Gallico, cui titulus *Traité de l'Abus*, auctore Carolo Fevret.

EX PRÆFATIONE.

LOQUENS hic auctor de colloquio quodam inter ipsum & Serenissimum Principem Henricum Borbonium Condæum, qui Fevretum interrogaverat, an aliquis fuisset, qui de appellationibus tanquam ab abusu tractasset ex professo, ait: *Et adjoustay qu'un des grands hommes de ce siecle, autant en doctrine qu'en experience, avoit entrepris un Ouvrage qu'il avoit intitulé* DE CONCORDIA SACERDOTII ET IMPERII *oü il remontoit jusques aux sources, pour dans la suite des siecles reehercher curieusement les plus insignes contentions qui se fussent meuës entre les Puissances spirituelles & temporelles, & par la verité puisée dans l'histoire des Conciles & des Aucteurs plus celebres qui vivoient & qui avoient écrit au temps mesme que ces controverses s'estoient agitées, fait voir en quoy l'une des jurisdictions avoit envahy & usurpé les droits de l'autre; mais que ce grand Personnage avoit laissé l'Oeuvre imparfait, le quel (s'il eust esté conduit à sa fin) pouvoit donner un grand acheminement, tant à la connoissance des entreprises, que des remedes convenables pour les arrester. Alors ce Prince, apres avoir beaucoup estimé la personne & le merite de l'Aucteur, fit deux ou trois tours; puis en un moment retournant à moy: Tenez pour tout asseuré (me dit-il) que pour parler de l'Abus certainement, il suffiroit &c.*

Epistola celeberrimi & eruditissimi viri Hieronymi Bignonii, regii in Parlamento Parisiensi Advocati, scripta ad illustrissimum virum Petrum de Marca, Archiepiscopum Tolosanum, die XIV. Aprilis MDCLV.

MONSIEUR,

IE repute à singuliere faveur, comme certes j'en ay eu grand'joye, de voir qu'il vous ait pleu avoir mon advis de chose qui vous touche & vostre dignité. C'est un tèmoignage d'estime que je ne merite point, & une preuve asseurée de l'honneur de vostre amitié & d'une parfaite confiance. Ie recois cettecy en grace, & vous supplie de me la continuer. Mais l'autre me donne tant de confusion que je m'en plains à vous de vous-mesme, au lieu de vous en remercier. Et s'il m'est permis de passer plus outre sans blesser par trop de familiarité le respect que je vous ay voüé, je vous dirois volontiers, que vous vous raillez, quand vous vous feignez demander conseil à une personne telle que je suis, vous, dis-je, qui estes un fonds inespuisable de tout ce qui se peut sçavoir, & qui enseignerez toute la posterité par vos doctes écrits. Pour le mieux & plus doucement interpreter, je croy que voulant me conserver l'honneur de vos bonnes graces, & m'en donner de nouvelles asseurances, vous avez pris cette occasion, pour ne me faire pas un simple compliment, mais vous servir de cette maniere de mystere ou de figure, comme dans les choses sacrées, pour representer vostre disposition interieure, & servir de gage de vostre amitié. C'est de ce chef, que je vous remercie tres-humblement, comme de chose dont je fais capital, & que je souhaite avec plus de passion, & j'ose dire avec ambition; parce que je vous confesse que je feray tousjours vanité d'estre creu aimé de vous; & ne refuser ay jamais pour mon advant age les témoignages, que vous en rendez, quoy qu'ils soient plus charitables que veritables. Mais de plus, je souhaiterois, que vous y fussiez trompé le premier, par ce principe de charité, qui croit tout, afin d'estre tousjours mieux aimé. Apres cela, j'ose vous dire que je me resioüis de vous voir en cette disposition de paix & d'accommodement, comme une personne, qui soustient cour ageusement sa dignite, mais par necessité de charge, sans chercher noise, ny s'amuser à toutes ces puntilles de ceremonies, qui divisent les corps & aigrissent les esprits. Au fonds, je tiens vostre pretention toute bonne, &c.

Mais revenons au proverbe: Sus Minervam, *pour me renfermer dans le neant de mon ignorance, & en mesme temps dans ce profond respect, qui me fait estre & dire pour jamais.*

MONSIEUR,

Vostre tres-humble & tres-obeissant serviteur & ancien confrere

H. BIGNON.

R. P. Lu-

R. P. Ludovicus Cellotius in appendice Concilii Duziacensis.

NOvam litis veteris memoriam refricant acta ejus integra, quæ debemus ego tuque humanitati illustrissimi & reverendissimi D. Petri de Marca, Archiepiscopi Tolosani, cujus virtute seculum nostrum fruitur, doctrinam sequentia prædicabunt.

Vir clarissimus, Franciscus de Roye, Antecessor Andegavensis, in Vindicatione epochæ Vercellensis Concilii adversus Berengarium.

CUm non ita pridem editionis honore donassem vitam, hæresim & pœnitentiam Berengarii Andegavensis Archidiaconi, videbar omne tulisse punctum, quod in illud opusculum incidisset MAGNUS ILLE TOLOSANUS ARCHIEPISCOPUS. Immo & etiam favente invidia felix, quod huic meæ paginæ publicum ψήφισμα tanti viri accessisset, eoque vindice nec Probum timebam.

Vir clarissimus Henricus Valesius in præfatione ad Eusebium.

CEterum ad invitandos lectores in ipso operis vestibulo doctissimam epistolam collocavi, quam illustrissimus ac reverendissimus Archiepiscopus Tolosanus, Petrus de Marca, vir divinarum humanarumque rerum scientia instructissimus, ad me scripsit de prima evangelii prædicatione in Gallia. Quicquid igitur tædii ac molestiæ ex lucubrationum mearum lectione contraxerint studiosi, id hujus epistolæ eruditione & amœnitate facile detergent.

R. P. Philippus Labbæus in pag. 78. tomi primi amplissimæ collectionis Conciliorum omnium.

NE vero leviter tantum ac dicis causa videamur meminisse illustrissimi ac reverendissimi PETRI DE MARCA, Parisiensis Archiepiscopi, omnium juris pontificii, consultorum eruditissimi, placet hic in observationis nostræ subsidium & veritatis canonicæ adversus quosdam scriptores firmamentum intexere integrum caput quintum libri tertii admirandi prorsus operis de concordia sacerdotii & imperii: *Antiquo juri, &c.*

Idem pag. 192. ejusdem tomi primi Conciliorum.

UNum hic tantummodo subjungam, me libros illos octo (constitutionum apostolicarum, quæ tribuuntur Apostolis ac sancto Clementi) à peregrino solo, cujus extremæ margini jacent insiti plerisque incogniti, avulsos erutosque in proprium nativumque locum transtulisse, cum mea sponte incitatum, tum clarissimorum virorum consilio atque auctoritate fretum, præsertim vero illustrissimi ac reverendissimi PETRI DE MARCA, Archiepiscopi Tolosani, à Christianissimo Rege ad archiepiscopatum Parisiensem die XXVI. Februarii hujusce anni MDCLXII. nominati, & à summo Pontifice die V. Junii, cum maxima meritorum ejus commendatione translati: quem, si hæc studia præcipue spectaveris, eruditorum nostri seculi principem appellasse, nunquam pigebit. Sed heu! dum ista typis parantur die XXIX. Junii, ejusdem anni ad superos abiit, bonis eruditisque omnibus inconsolabiliter lugentibus.

Illustrissimi Episcopi Monspeliensis Epistola ad Stephanum Baluzium.

FRANCISCUS Episcopus Montispessulani Baluzio suo S. P. Gratas accepi literas tuas; gratissimas dicerem, nisi de amicissimi mihi viri morte luctum renovarent. Antiquam enim necessitudinem, quæ nobiscum intercedebat, morte dissolutam non lugere nequeo. Meministi earum lacrymarum, quas inter amplexus mutuos, dum vale ultimum apud Fontem-Belliaudi diceremus, præsagus futuri illius amor expressit, quibusque me totum perfudit; easque dum in memoriam revoco, vix ipse à lacrymis & gemitibus abstineo. Fatebor tamen, mi Baluzi, primas, quas misisti, ejus epistolæ chartas, quam de vita tanti viri ad nostrum Sorberium scribis, renovando dolorem, aliquantulum illum levasse. Nam ejus animi imaginem elegantiori stilo verius depingis, quam ille tuus pictor Batavus vultum ejus & habitum corporis, ea in tabula, quam mihi discessuro, Marca noster dedit, meam vicissim accipiens, penicillo suo delineavit. Doleo tamen semper non tam defuncti sortem quam nostram. Etenim ille, ut spero, vivit felix inter beatas mentes; & nos adhuc inter syrtes & scopulos in hoc pelago navigamus, incerti, quo navis nostra appulsura sit. Beatum etiam illum prædico, quod licet in omnium animis vivere debeat, industria tua & scriptis tuis apud posteros semper victurus sit. Perge itaque, & ex iniquis epistolæ spatiis egrediens, dignum tanto viro opus aggredere, ac per latum virtutum ejus campum liberiori stilo decurre. Ne defraudes expectationem publicam dissertationum earum fructu, quas olim edidit, quasque apud te illum morientem deposuisse intelligo. Si ad secundam, quam meditabatur, libri de concordia sacerdotii & imperii editionem animum appellis, mitto tibi additamentum, quod autographum ejus habeo; cujus rationem tibi reddere non me piget. Cum commentario de veteris Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus, ut loquimur, ejusdem Ecclesiæ comitiorum jussu incumberem, incidi in locum ejus scriptoris anonymi, qui ementito Gallicanæ libertatis propugnandæ titulo, librum nota censoria jam olim adustum, regia sanctione proscriptum, ac perpetuis tenebris damnandum, in lucem edere ausus est. Illo falsam thesim, scilicet laicorum æque ac clericorum cœtum Ecclesiam Gallicanam componere, ejusque communi decreto publica ejus Ecclesiæ negotia decidi, & non solum Episcoporum judicio, ad quos propositionem de difficilibus negotiis, quæ ad ipsorum vocationem spectant, tantum pertinere scribit, & auctoritate amici nostri fulcire nititur. Quamvis fraudem scriptoris facillime detegerem, & delusam ejus mentem in æquivoco, ut loquuntur logici, cum libertatis tum Ecclesiæ nomine adverterem. Alia est enim significatio Ecclesiæ, dum fideles omnes complectitur, ut & libertatis, qua singulos fonte baptismatis renatos Christus donavit; alia Ecclesiæ, quæ etiam apud antiquos scriptores solum clericalem ordinem, ut & libertatis, quæ jus & facultatem seu potestatem universam regendi Ecclesiam sacerdotali ordini, in primis Petri Apostolorum Coryphæi successoribus divina constitutione tradita, comprehendit. Quam non solum fallaciam, sed illam etiam, quam idem scriptor cœtus universi

Vid. lib. 2. cap. 1. § 1.

populi

populi Gallicani, quos Statuum regni comitia vulgo nominamus, cum Episcoporum Conciliis permiscens, eo colore, quod synodi nomine uterque cœtus nuncupetur a scriptoribus ejus ætatis, qua secundæ & tertiæ stirpis regiæ Principes imperium habuerunt, invictis argumentis, cum ex ipsius anonymi laciniis, tum ex probatæ auctoritatis scriptoribus, in amplis meis commentariis manifestam omnibus fecisse mihi persuadeo. Adivi tamen amicum nostrum; & ostenso fuco obscuri hominis illius, qui, ne pœnas criminis lueret, & majori securitate in Christi sponsæ dotem præcipuam, scilicet libertatem, impie debaccharetur, fictitium titulum operi suo affixerat, rogavi amicum, ut ipsemet doctrinæ suæ vindex esset. Annuit libenter, ad viri deliramenta subridens; & postridie dedit mihi chartam, cujus pariculum tibi mitto. Eo itaque, mi Baluzi, utere; & si placet, vel vitæ historiæ, vel operi de concordia insere. Plura de tanto viro scriberem, quæ ex longa necessitudine mihi soli, ut reor, nota sunt; sed ea majoris otii sunt, & tuæ suavissimæ literæ me inter natalis Domini solemnia tam in missis quam in concionibus ad populum adeo occupatum deprehenderunt, ut vix amanuensi, quem probe cognoscis, in effigiem amici nostri magis oculis intentus, quam animo his dictandis attentus hasce lineas dictare possim. Me ergo ama semper, & vale. Montispessulani, sexto Kalend. Januarii, anno MDCLXII.

EPISTOLA EMINENTISSIMI CARDINALIS CORRADI AD STEPHANUM BALUZIUM.

Perillustri & admodum Reverendo Domino, D. Stephano Baluzio, Canonico Remensi.

PERILLUSTRIS ET ADMODUM REVERENDE DOMINE.

ACceptæ profecto mihi fuerunt litteræ tuæ, Baluzi erudite! Nam hominis recti studiosi, atque ejus, qui præclaræ memoriæ PETRI DE MARCA, istius civitatis Archiepiscopi, summa mecum, dum in humanis agebat, amicitia juncti discipulus extitit, sinceræ humanitatis officia præ se ferunt. Quod autem epistolam miseris a te conscriptam, qua doctissimi ac piissimi illius Prælati mores vivendique rationem ac res gestas scriptisque mandatas enarras, hoc gratissimum omnino fuit. Quippe veram præ oculis meis exhibet tanti viri effigiem: cujus quoniam viventis amplexibus ac suavissima perfrui consuetudine magna locorum distantia vetuit, nunc vita functi illustria monumenta virtutis assidue contemplari licebit. Nam illius vitam probatissimam optimo cuique exemplar & memoriam omnibus seculis recolendam merito dixerim. Agamus itaque, mi Baluzi, ut, quæ vir præstantissimus scriptis suis edocuit, & quæ a cæteris scribenda ipse fecit, nos quoque pro viribus imitemur; ut vinculis demum hujus humanitatis soluti, vita cum eo (ut sperare fas est) fruamur æterna. Quod faxit D.O.M. a quo veram precor tibi felicitatem. Romæ VII. Kal. Aprilis MDCLXIII.

D. V.

Ad officia paratissimus
I. Cardinalis CORRADUS.

CLARISSIMI VIRI JOACHIMI PASTORII, HISTORIOGRAPHI Serenissimi Regis Poloniæ Casimiri, epistola ad clarissimum virum Antonium Baluzium Varsaviæ regio lateri assistentem.

Generosissime Baluzi, Domine & amice honoratissime.

VITAM magni viri Petri de Marca Archiepiscopi Parisiensis descriptam a plurimum reverendo agnato tuo Stephano Baluzio Canonico Remensi cum gratiis remitto tibi, postquam illam non sine magna animi voluptate perlegi. Quippe qui singulari & quodammodo insita inclinatione feror ad hoc genus monumentorum, quod insignium virorum virtuti actionibusque donat præmium immortalitatis, cæteris vero mortalibus exemplum ponit, quod imitentur, ac veluti face prævia ducantur in similem veræ gloriæ tramitem. Si quis autem hominum sacra dignitate illustrium, Petrus utique ille hanc docti penicilli operam meritus est; cui de civilium honorum statione in ecclesiasticam transgresso vitæ color non unus, nunquam tamen nisi pulcherrimus fuit. Utique enim is experrectæ indolis vigorem, suavem ad devinciendos animos genium, indefessam ad res laudatissimas industriam, doctrinam, prudentiam, dexteritatemque in agendo, perpetuum denique in augendo virtutis & sapientiæ regno studium ostendit. Certe, ut ex agnati tui elegantissima epistola, vera nimirum tanti viri effigie, intelligi potest, nunquam ille quievit, sed semper & faciendo magna & scribendo utilem se orbi juxtaque admirabilem reddidit, amator juxta cultorque omnium, qui aut facerent aut scriberent æternitate digna. Video de Rege suo, video de republ. sacra, literaria, civili optime meritum. Video rebus præsentibus ita intentum fuisse, ut simul multa egregia in abysso vetustatis morientia aut jamjam moritura erueret de tenebris, venerandisque adeo priscorum temporum ruderibus & suum seculum & futura instrueret ornaretque, eo ipso profecto dignissimus immortalitate, quod quicquid immortalitate dignum crederet, id, quantum in se erat, non pateretur mori, & ideo immortalitatis magistros, etsi ipsos mortales, diligeret foveretque ipse eorum & dux indefessus & exemplar consummatum. Utinam plures ei similes in omnibus regnis reperiantur aut fiant lectis tanti viri vestigiis, quæ agnatus tuus & descripsit epistola sua, & majori opere, quod promittit, descripturus est. Aut fallimur vehementer, aut melius longe efflorescent res humanæ, ac seculum, quod totum ferreum aut luteum est, ad aureum propius accedet. Prorsus aureum enim propter adultam & prævalidam hominum pravitatem vix in his terris promittere nobis audemus. Vale, magne amice, atque hunc ineuntem annum auspicato incipe & decurre. Dat. Varsaviæ, Cal. Januarii, anno MDCLXVII.

Tuæ generositati addictissimus Joach. de Hirteuberg.
Past. Reg. Maj. Secret. & Historicus.

VITA
ILLUSTRISSIMI VIRI
PETRI DE MARCA
ARCHIEPISCOPI PARISIENSIS,
SCRIPTORE STEPHANO BALUZIO TUTELENSI.

NTER multiplices rerum humanarum casus, quibus hæc vita nostra obnoxia est, nihil nobis gravius accidere posse certum est, quam eorum, qui nobis cari fuerunt, exitus, quantumvis maturi & felices videri possint ob longam ætatem, gestos honores, genus, divitias, patriam incolumem, & cetera felicium argumenta. Sed tamen superstitibus magni solatii loco est suavissima magnorum virorum memoria; quæ & statim post eorum abitionem sacrosancta est, & in æternitate temporum vivet, posteritatem non reformidans. Cum vero ad omnes pertinere possit istud solatii genus, tum præcipue eorum est, qui, cum familiaritate conjuncti fuissent cum magnis viris, eorum gesta moresque posteris tradere instituunt. Mihi certe vitam illustrissimi ac celeberrimi viri & omnium seculorum memoria digni Petri de Marca Archiepiscopi Parisiensis ante hos quadraginta annos scribenti mira quædam suavitas & delectatio aderat, in recenti quamvis dolore, cum irem per tot illustria facinora ab eo patrata & per memoriam ingentium ejus virtutum. Grande deinde mihi solatium accessit ex ea, quæ hunc meum librum secuta est, virorum clarissimorum approbatione; quorum etiam plerique mihi gratias egerunt, optare se interim significantes, ut, quæ delineata tantum erant in hoc opere, fuse in altera editione explicarentur. Quo loco exultandum mihi in primis esse video ob præclarum testimonium mihi redditum ab eo, qui nuper Romanam Ecclesiam sanctissime ac sapientissime rexit Clemente Papa IX. ad quem, tum Cardinalem Rospigliosium nuncupatum, cum libri istius mei exemplum misissem, ut ad virum, quem Marca plurimi semper fecerat, ille pro sua singulari humanitate conatum illum meum approbavit, simulque hortatus est, ut idem argumentum fusiore stylo pertractarem. Lubet heic integram hominis excellenti ingenio præditi & multa rerum ac bonarum literarum cognitione imbuti epistolam describere, quam ad me tum scripsit.

PERILLUSTRIS & admodum reverende Domine. Non diffiteor illustrissimi viri Petri de Marca Parisiensis Archiepiscopi mortem acerbam mihi & luctuosam fuisse, cum nefas esset, non dolere Præsulem religione & doctrina eximium, apostolicæ sedis observantissimum, & in magno auctoritatis gradu positum, alienissimo Christianæ reipublicæ tempore nobis ereptum. Gaudeo nunc, eum a dominatione tua tam vivis eloquii coloribus egregie depictum, & prope ab interitu vindicatum, dum sapientissimi Præsulis vitam eximia elegantia tam affabre delineasti. Quod autem non minori humanitate meo de illius virtutibus testimonio tantum tribuere volueris, ingentes tibi habeo gratias, eruditissime vir. Reliquum est, ut fusiore stylo, quemadmodum facturum te spondes, idem argumentum pertractes ad jugem posteritatis memoriam & Gallicanæ Ecclesiæ laudem. Ceterum benevolentiæ tuæ significationibus tam propensa voluntate respondeo, ut nihil prætermissurus unquam sim, quod in ipsius commoda proficisci a me possit, & dominationi tuæ cuncta fausta ac felicia ex animo deprecor. Romæ V. Martii MDCLXIII.

Studiosissimus dominationis tuæ
I. Cardinalis ROSPIGLIOSIUS.

TANTI Pontificis imperio fretus, tum doctissimorum hominum adhortationibus incitatus, considerata etiam malignitate ultimorum temporum, quibus bonæ illustrissimi Archiepiscopi famæ periculum imminet a domesticis & propinquis, rursum, quasi a calce ad carceres revocatus, decurrere spatium institui, necessario videlicet argumento. Hactenus enim ejus famam externa maledicentia verborum contumeliis laceraverat; a nullo hactenus familiari inimico, qua peste nulla ad nocendum efficacior esse potest, a nullo hoste domestico fuerat impetita. (Boet. lib. 3. de consolat. philos.) Exortus est subito vir reverendus Paulus Fagetus Presbyter Benearnensis, apud Marcam, cujus erat consanguineus, a prima statim pueritia altus & educatus, ac studiis literarum ab eo admotus, credente viro optimo posse doctorum ac præceptorum ope mitigari etiam infelicissima ingenia, hebetes enim & indociles, ut Quintilianus ait, (Quintil. lib. 1. c. 1.) non magis secundum naturam homines edi, quam prodigiosa corpora & monstris insignia. Exortus est, inquam, subito Paulus Fagetus, ætate quidem senex, sed novus ac novitius omnino scriptor: qui cum anno demum ætatis suæ sexagesimo animum a cura faciendæ rei transtulerit ad scribendum, edito nuper in publicum libro de vita illustrissimi Archiepiscopi nihil prius aut antiquius habuit, quam ut famam ejus omni crudelitate laceraret; ingratus & impius, si prudens ac voluntarius fecit; imprudentissimus vero, si tum maxime laudari a se Marcam existimavit, cum maxime conviciis proscinditur & impostura vexatur. Illam inconsideratissimam ac dementissimam improbitatem retundere animus est, non odio aut invidia adversus Fagetum, sed ut gloriam excellentissimi viri tutam præstem ab istius temeritate. Sentio enim atque intelligo, hanc mihi curam incumbere, ut ulciscar injurias mei Archiepiscopi, cui, quicquid hoc est bonarum literarum, quod in me est, totum debeo; quippe qui cum me unice diligeret, multum operæ posuit, ut ego bonis studiis atque artibus expolirer; denique qui mihi famam suam visus est commendare moriens, cum mihi dono dedit schedas ac lucubrationes suas, earumque editionem mei arbitrii esse voluit. Parcant ergo mihi manes tanti viri, si in necessaria eaque justissima defensione asperius interdum ac vehementius in consanguineum ejus insurgere ac invehi videbor. Vellem equidem omnem verborum asperitatem fugere. Sed ipse me cogit acrem esse ac vehementem, qui hominem de universa Ecclesia, de florentissimo hoc regno, de Fageto ipso, & de me quoque optime meritum per summam vel audaciam vel imprudentiam traducit.

Constituto semel istius libri consilio & ratione, antequam destinata componam, illud quoque admonendos esse putavi lectores, non imitaturum me reverendum illum virum, qui & vagitus infan-

tis

tis memorat & crepundia, incredibilem librorum aviditatem in eo commendans, qui adhuc in cunis attinebatur. Omittam quoque narrationem ludorum, quibus puerilis ætas oblectabatur, sive aucupium illud coturnicum erat, sive alius generis. Sit hæc diligentia hominis otio suo abutentis. Nobis enim, qui præclara tantum magni viri facinora, & ex quorum commemoratione aliquid utilitatis in publicum redundare potest, enarrare instituimus, ista pro vanis habentur & indignis, quæ in hanc historiam referantur. Hominis vitam scribimus, non infantis, non pueri, hominis autem non vulgaris, sed primarum in republica partium, denique talis, qualem demonstrat Tacitus in vita Agricolæ. Hic enim, cum soceri sui viri clarissimi vitam scribere destinasset, transcursus raptim pueritiæ & adolescentiæ ac juventutis annis, cito se ad illustria viri facta dictaque convertit, ratus inutilem ac superfluam esse omnem aliam diligentiam.

Scio argumentum istud a me susceptum tantæ esse dignitatis, ut scriptorem desideret eloquentissimum simul & eruditissimum, adeoque ausum esse me multum supra vires meas. Sint hæc sane vera. Sed quoniam historia quoquo modo scripta delectat, nemoque hodie est, cui tam bene notus fuerit Marca, quam mihi, præsertim in his, quæ spectant ad studia literarum, putavi debere me hanc curam sanctæ illius memoriæ, & laudaturos propterea æquos lectores hunc meum honestissimum conatum. *Quid enim honestius est*, ut magni viri verbis utamur, *quam eorum excitare memoriam, qui omni doctrina exculti & ornati aliquando vixerint*? Eum enim virum, ut ad Athanasium Athanasii, Episcopi Ancyrani, patrem scribebat Basilius magnus, qui scientiarum disciplinæ plurimum operæ navavit, gentiumque & urbium principatus gubernavit, & ad magnam progenitorum virtutem zelo quodam ferebatur, etiam quod ad vitam attinet, exemplum virtutis proponi posse puto.

Cujacius lib. I. Observ. cap. 9.

S. Basil. epist. 54.

Quod si cuipiam jejunia nimis videatur tota ista narratio, tuebor me exemplo sancti Hieronymi: qui, Nepotiani vitam scribens, his omnino verbis alloquitur lectorem: *Et sicut hi, qui in brevi tabella terrarum situs pingunt, ita in parvo isto volumine cernas adumbrata non expressa signa virtutum, suscipiasque a nobis non vires sed voluntatem.* His ita præfatis, descendamus nunc ad rem ipsam.

I. Montes Pyrenæos, qua Gallias ab Arragonibus Navarrisque disterminant, accolunt Benearni, Gallica gens, sed quæ tamen aliquid admixtum habet Hispanici moris. Vetus illic & illustris est familia Marcarum; in qua sexcentis ferme abhinc annis militari fama claruit Garsias Marca Præfectus equitum Gastonis Benearnorum Principis, quum is anno MCXVIII. Cæsaraugustam Arragonum civitatem obsedit cepitque; ut ex archivo Ecclesiæ beatæ Mariæ Columnensis (vulgo *Nuestra Señora del Pilar*) apud Cæsaraugustam collegit Melchior Solerius, Abbas Canigonensis, auctor Hispanus. Posteri ejus, ut ex monumentorum fide constat, militaribus & ipsi studiis inclaruerunt, avitæ erga Principes suos fidei & reverentiæ retinentissimi, & memores Garsiæ gentis auctoris, donec alternantibus rerum humanarum vicibus inter togatos haberi cœpere circa annum millesimum quadringentesimum quadragesimum. Ea enim tempestate præclarus in primis fuit Petrus de Marca, vir in jure consultissimus: qui negotiorum procurationi generali in universis Principis sui ditionibus admotus est, & ad præsidentiam consiliorum ejus tandem evectus. Non immorabor in recensendis Petri posteris, ne nunc longius incœpto abierim. Memorabuntur autem in tempore, quum opus istud meum de vita illustrissimi Archiepiscopi fusiori stylo tractabitur. Hunc interim libellum honori ejus destinatum, tametsi incondito sermone scriptum, professione pietatis excusatum iri spero.

II. Ex ea igitur generis claritate in Benearnis ortus est Petrus de Marca, in oppido Gantensi, haud procul urbe Palensi, IX. Kalendas Februarias, anno MDXCIV. patre Jacobo, matre Catharina Larteta, singularis exempli fœmina. Septimo mense editus, cum in imbecillo tenuique corpusculo vires ad sugendum non adessent, lactis in os immissione primum vitæ mensem transegit. Dein accessere ad mammas labella, suetoque infantium more nutrimentum hausit. Verum cum ipse vix quadrimestris esset, nutrix gravida effecta, puero mammam præbere prohibita est: quem cum a se divelli eo prætextu ægre pateretur, lac caprinum muliebri melius esse dictitans, quo utentes rusticorum pueri ad eam, qua vigere solent, corporis firmitudinem perveniunt, eo traxit parentes, ut finerent eum lacte caprino per reliquum infantiæ tempus educari. Ea tempestate Calvinismus fœde grassabatur in Benearno, ubi catholicæ religionis publica professio jam ab anno MDLXIX. publico edicto vetita erat; expulsis insuper sacerdotibus Dei, atque omni ritu sacrorum in exilium acto, ne quid usquam priscæ religionis occurreret. Et cum intelligerent pauci, qui supererant, catholici, unum esse in Ecclesia baptisma, quod rite quoque ab hæreticis usurparetur, liberos suos, ob penuriam sacerdotum, ministris hæreticorum tingendos offerebant, pessimo exemplo. At non Jacobus filium suum citra conscientiam Presbyteri voluit baptizari; sed extra fines patrios deferri curavit, in diœcesim videlicet Tarbiensem, ubi Romana sacra publice colebantur nullo contradicente. In monasterio igitur sancti Petri Generensis a monacho Benedictino, qui tum ex usu prisco parochi officium illic implebat, baptizatus, Petri nomine donatus est. Sed haud dubie prætermitti non debet, bonum illum monachum in modum oraculi addidisse baptismi ceremoniis celebrem illam Jesu Christi sententiam: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Sciant, quibus moris est fortuita aspernari, inesse illis interdum aliquid fatidicum, quod neque tolli neque mutari fas est. Nam secundum imprudens monachi effatum sic Marca per omnem vitam, etiam matrimonii curis illigatus, studuit fidei catholicæ adversus hæreticos stabiliendæ rebusque Ecclesiæ conservandis, ut jam anno MDCXXV. haud multum triginta annos egressus, restaurator tamen & tutelaris catholicæ religionis in Benearno, columna Ecclesiæ, personarumque ecclesiasticarum protector, publico elogio dictus sit a clarissimo viro Joanne Bordanova Canonico Lascurrensi in libro tunc Parisiis edito de statu tribunalium ecclesiasticorum, qui in omnium manibus versatur, cujusque nova dein editio ante hos quinquaginta annos prodiit. Neque destitit postea, quum post mortem amantissimæ uxoris ex Parlamento Palensi, ubi Præsidis munere fungebatur, in sacrum consistorium adlectus est, quin res & personas ecclesiasticas suo semper favore præsidioque confoveret, quod & majori pondere confecit, postquam beneficio piissimorum Regum ad Consoranensem primum, dein ad Tolosanam ac Parisiensem cathedras evectus, & a summis Pontificibus approbatus, intellexit locum esse virtutibus patefactum. Nunc ad incœpta redeo.

III. Admodum adolescentulus sedem ac magistram studiorum habuit civitatem Auscorum, qui Aquitanorum clarissimi dicuntur a Pomponio Mela vetusto scriptore; ubi literas humaniores didicit apud Patres Societatis Jesu, qui animum ejus postea philosophiæ præceptis imbuerunt in collegio Tolosano. Deinde per tres continuos annos in academia Tolosana, quæ tum in Jure docendo cæteras Europæ facillime anteibat, jus civile & canonicum audivit, usus magnis doctoribus, Guillelmo Marano, Jacobo Cadano Scoto, Vincentio Chabotio, & Jano a Costa, qui tum publice jus utrumque in ea civitate profitebantur. Sed in primis secutus est Cadanum tunc interpretantem

Novel-

Novellam constitutionem CXXIII. Imperatoris Justiniani, virum, ut ipse ajebat, in utroque jure consultissimum, sed qui canonicum calleret ad miraculum, bonasque literas legum ac canonum cognitioni addidisset; eorumque tarditatem deplorabat, qui obscuritatem in Cadano deprehenderent. Memoria teneo solitum ipsum narrare optimam methodum studendi juri canonico sibi ab eo viro traditam, atque illum addidisse stimulos juvenili animo, dum diligentiam ejus ac sagacitatem natumque ad literas ingenium laudibus identidem extolleret. Ea nimirum fuere præclara initia magnarum rerum, quæ postea secutæ sunt & fundamenta singularis eruditionis, quam sequens ætas in Marca est admirata, quamque nos omnium intime agnovimus ex assiduo convictu. Struebat videlicet jam fortuna magnum virum, celeberrimum in utraque toga mox futurum. Nam paulo post, anno nimirum MDCXV. in supremum Benearni Consilium cooptatus, sapientissimi senatoris & amantissimi patriæ civis munus summa cum omnium laude exercuit; licet tenera ætas ei oneri sufficere posse haud videretur. Sed non ultra progrediar, quin te heic paulisper detineam, lector, ut tecum admirer arcana divinæ providentiæ; quæ juvenem nullis rerum experimentis edoctum noscere ingenia hominum, rudem adhuc insidiarum seculi, versutiis tamen hæreticorum exposuit, talique in tempore capessendæ reipublicæ iter ingredi voluit. Solus enim in illo Consilio catholicus fuit, dum collegæ ejus omnes Calvinianis erroribus impliciti erant. Impatienter id procul dubio ferebat Marca. Itaque nunquam cessavit a conquirendis remediis adversus tam ingens malum, donec ejus precibus & votis exoratus Deus huc flexit corda Christianissimorum Regum, ut neminem in eo senatu esse paterentur alterius religionis professorem quam catholicæ. Vidit optimus vir redditam penatibus avorum religionem priscam iis postea leges dantem, quibus per tot annos subjecti fuerant catholici, cum sævientibus edictis proscriberentur, non aliam ob causam, quam quod gliscenti perfidiæ Calvinistarum acrius, quam temporibus illis permissum erat, se opponerent.

IV. At Marca, egregiæ tum spei juvenis, Margaritam Forguesiam, splendidis natalibus ortam, quippe e nobili & vetusta apud Aquitanos Levitanensium Vicecomitum familia prognatam, sibi ea tempestate junxit: quam postea defunctam anno MDCXXXII. doluit vehementer, licet plures liberos in solatium marito reliquerit. Ea fuit causa non repetendi matrimonii. Narrabat ipse primum annum, qui optimæ & amantissimæ conjugis mortem secutus est, citra ostentationem transactum a se esse in luctu, quod desiderium extinctæ non posset pati, cum qua vixerat mira concordia per tot annos, nec unquam oblitus est.

V. Incidit in ea tempora gravis occasio in causa fidei apud Benearnos, quæ latere Marcam non sineret. Rex quippe Ludovicus XIIII. vestigia patris Henrici relegens, (quem compertum habebat animo destinasse rem catholicam in ea regione prorsus restituere, ni morte præventus fuisset) decreto sacri consistorii lato apud Fontem-Blaudi, oppidum diœceseos Senonensis palatio regio nobilitatum, VII. Kalend. Julii, anni MDCXVII. statuit, ut libera bonorum omnium ad Ecclesias & personas ecclesiasticas in Benearno pertinentium possessio ipsis permitteretur, sive illa decimæ essent, sive alterius conditionis. Atque ut promptior esset illius decreti executio, sacra Principis epistola commeavit ad Ecclesias Benearnenses, quæ se reformatas dicunt, qua jubebantur delegatos ad comitatum mittere, queis coram restitutio illa fieret. Eam ob rem ministris hæreticorum atque aliis quampluribus ejusdem sectæ hominibus apud Orthesium (Benearnensium id oppidum est ad Gabarum fluvium in diœcesi Aquensi) convenientibus A. D. XIII. Kalend. Augusti, una omnium vox fuit vitam ante amissuros, quam restitutioni ei consentirent, qua pessumdari statum religionis ac reipublicæ in Benearno manifestum erat. Quæ vox altius penetrabat, quam, ut oporteat oblivisci. Missus itaque Joannes Paulus Lescunius, Senator Palensis, nihil intentatum reliquit, quo regis animum a proposito dimoveret. Sed efficere non potuit, quin mense Septembri edictum exiret a Principe, quo Catholici ritus in universas Benearni parochias revocabantur, ac decretum mense Junio latum confirmabatur. Sequenti tum anno Renardus libellorum supplicum in regia magister in Benearnum missus, cum amplissima potestate, ut edicti executionem urgeret, cum Palum pervenisset A. D. VII. Iduum Juniarum, sequentibus dein diebus plurimum operæ posuit in tam laudabili negotio. Verum obstinatorum nimis pertinax ingenium eo usque processit audaciæ, ut habito senatu amplissimo decretum ab iis præscriptum sit III. Kal. Julii, anni MDCXVIII. eorum sententiæ, ut fit, accedente Marca, licet inter deliberandum contradixisset, quo palam pronunciarunt actis inferi non posse regium illud edictum, quod supra retuli, neque etiam decretum, quod processerat, quinimo postulandum esse a Ludovico, ut res in eodem statu, in quo tunc antea erant, esse sineret, si salvam rempublicam suorumque subjectorum incolumitati prospectum vellet. Senatusconsulti hujus exemplum cum sua ad Principem relatione misit confestim Renardus, ac postridie Kalendas Julias Palo excessit. Discessum ejus secuta sunt varia & multiplicia cœlo terraque prodigia. Etenim, ne singula commemorem, V. Nonas terra bis tremuit in unico Benearno, adnotatum quippe, tum non alibi contigisse illum terræ motum; Lascurrensis Ecclesiæ tintinnabulum sponte signum dedit, nulla mortali manu tactum; pluit demum sanguine; eoque infectæ arbores & spicæ segetum ac frumentorum. Sepulcra quoque operta sanguine haud procul Olorone civitate. Crucem quin etiam rubeam in aere visam discurerre quidam tradidere. Atque hæc facilitate credentium vulgata cum plerique more humani ingenii interpretarentur, ut futurorum præsagia, alii, ut diversa sunt hominum ingenia, iræ numinis adscriberent, quidam tamen ab utrisque dissentientes ad solos naturalium causarum nexus referebant, quod propius vero crediderim. Neque multo post, VIII. nimirum Kalendas Augusti, e sacro Regis consistorio scribuntur ad senatum Palensem literæ nomine Principis, ut fit: quibus jubebatur quantocyus edictum anni superioris in acta curiæ referre, ejusque executionem maturare & cetera, quæ ad rem quoquomodo pertinerent, sedulo agere, sciturus Regem ea auctoritate adversus rebelles usurum, quam pietati ejus ad coercendam talium temeritatem commisit Deus. Incredibilem profecto rem, quæque vix fidem apud posteros habitura sit, dicturus sum. Cum optimos illos Calvinistas, qui tum negotiis publicis præerant apud Benearnos, quique se sapientissimos rerum existimabant esse, latere nequaquam posset Christianissimi Regis consilium de restaurando catholicæ religionis exercitio in ea regione, tamen, quæ fuit illorum temeritas, post intellectam ex frequentibus rescriptis voluntatem regiam ultimis ejus literis apertissime testatam, ausi sunt dicere in os ejus, quum in Aquitania degeret, mandatum illud postremum, de quo supra memoravi, non sine ambagibus esse, neque ipsis liberum fuisse regiis jussis obsequi. Actum erat prorsus de religionis negotio, ac præclarum sanctumque Ludovici consilium infectum remanebat, ni suadente ac urgente Jacobo Marca, qui ad comitatum ea de causa venerat, Rex iter Benearnicum arripuisset anno MDCXX. licet contra tendente Lescunio, qui sectæ suæ ruinam in eo positam esse intelligebat. Memoratur Luynii vox, qui tum præcipua apud Principem gratia vigebat, quum Jacobo dixit, quan-

Estat des Egli-ses Cathedrales & Collegiales de Bordenave page 849. 852. 865.

quandoquidem ita ipſe ſuaderet, iturum Ludovicum in Benearnum, ſed eventum Jacobo haud dubie imputandum iri, ſi res ſecus, quam dicta ſit, caderet, quippe Principi cauta potius conſilia cum ratione, quam proſpera ex caſu placere. Pollicebatur enim Jacobus cuncta advenienti Ludovico ceſſura. Porro heic ſe Petro obtulit occaſio ſtrenue laborandi pro religione avita, cujus reſtituendæ modum & arcana conſiliorum, in quibus omnis hæc ratio ſita eſt, & Regi ipſi & participibus ſecretorum ejus aperuit. Quo factum eſt, ut, cum anno MDCXXI. ſapientiſſimus Princeps Conſilium Palenſe in Parlamentum more Francico mutaret, memor operæ ingentis, quam in fidei negotio poſuerat Petrus, ejus merita rependit nova Præſidis dignitate, quam in eum gratis contulit, indulta etiam prolixa ætatis venia. Meminit ipſe hujus rei in libello Barcinonæ edito anno MDCXLVI. pro defenſione libri de Concordia Sacerdotii & Imperii. Referam autem ipſa verba: *Sed uno avulſo non defuit alter, qui rem Chriſtianam promoveret, felicis memoriæ Jacobus pater quondam meus; cujus laboribus, adjuncta quoque ſollicitudine & induſtria mea, id effectum eſt, ut edicti regii pro reſtauranda per univerſas Benearni parœcias religione boniſque eccleſiaſticis reſtituendis lati executio, cavillationibus hæreticorum per longi temporis moras eluſa, ab ipſo glorioſiſſimæ & immortalis memoriæ Rege Ludovico XIII. perpetraretur.*

Poſt aliquot exinde annos, cum & Anglorum in Ream inſulam irruptio & Rupellenſium civium temeritas coegiſſent Regem ei urbi bellum indicere atque inferre, maximumque propterea & fortiſſimum exercitum in ea loca duxiſſet, Marca eo ſe contulit, neſcio quam ob cauſam, & interim tum Rupellæ obſidio in longius trahebatur, menſe Junio profectus eſt Fontenayum in Pictonibus ad Joannem Beſlyum, apud quem manſit per biduum, quod inſumptum eſt præcipue in colloquiis literarum. Id ego legi in epiſtola, quam die XXVI. Junii Beſlyus ſcripſit ad Andream Ducheſnium.

VI. Hactenus res domi geſtas placuit perſtringere. Nunc major rerum mihi naſcitur ordo, ex quo abductus a patria, & in ſacrum conſiſtorium evocatus, quod anno MDCXXXIX. contigit, quamplurimas proferendi ingenii illuſtres occaſiones nactus eſt, quod qua ratione actum ſit, paucis expediam. Forte iis diebus Rex Ludovicus XIII. cauſa exciderat in ſacro conſiſtorio. Exiſtimabat ipſe injuſte fuiſſe judicatum. Itaque de ea re conqueſtus apud virum ſuperilluſtrem, Petrum Seguierium, Galliarum Cancellarium, ei coram eminentiſſimo Cardinale Richelio præcepit, ut duos viros eruditione ac pietate præſtantes deligeret in illud conſiſtorium admittendos; neque ſe curare Pariſienſeſne forent, aut ex provinciis, modo tanto muneri pares reperirentur. Tum temporis Marca, qui a Parlamento Palenſi delegatus in comitatu degebat, Cancellario innotuerat. Igitur Seguierius (fuit enim ſemper illi viro mira erga eruditos omnes ac literatos benevolentia, ut non injuria ſeculi noſtri Mecænas dictus ſit) clariſſimum virum, Petrum Puteanum, bibliothecæ regiæ præfectum, in ſuas ædes evocat, oratque, ut pro ea, quæ illi cum Marca erat amicitia, ei perſuadeat rem ipſi honorificam, reipubl. utilem, ac Principi gratam facturum, ſi ſepoſito tantiſper repetendæ patriæ deſiderio, Lutetiæ cum dignitate vellet habitare; cæteros magnis ambitionibus expetere, ut in numerum conſiſtorianorum admittantur, ipſi illud in primis beatum contingere, quod a Principe expeteretur. Recepit lubens Puteanus ſe facturum. Ad Marcam ergo ſpecie viſentis ingreſſus deſtinata in longum jaciens, exquirit, quod ei conſilium eſſet poſt peracta negotia, quorum cauſa heic attinebatur, velitne reviſere patrios lares, an vero Lutetiæ commorari, ubi eminentes virtutes aliquo in pretio ſunt? Ad quæ Marca modeſte, ut aſſolet, reſpondit, ſi alicujus gratia ſtatueret vitam degere Pariſiis, id hauddubie facturum, ut Puteani amicitia frueretur; ſed præterquam, quod nullum ſibi in urbe negotium erat, nullæ occupationes, cupere ſe in patriam redire; ubi, procul urbis illecebris, cum dignitate licebat vivere. Tum Puteanus, non ultra differendum ratus, rem ordine, ut ſeſe habebat, exponens, Neque tibi, inquit, deerit dignitas, neque occupationes. Velis tantummodo. Quid moror diutius? Marca ad Cancellariam deductus, & honorifice ab eo acceptus, ac paucis poſt diebus apud Ruellum Cardinali Richelio monſtratus, demum Regi indicatus, mirabili utriuſque approbatione in ſacrum conſiſtorium adlectus eſt, adeo, ut aſſeveraverit Ludovicus, ſe, ſi Marca ſibi tunc in mentem veniſſet, Cancellarium fuiſſe liberaturum onere conquirendi hominem, quod ſibi probe cognitus eſſet, amicum etiam ſuum eſſe Marcam dictitans. Inutile fuerit referre, quam ſancte jus ſuum cuique tribuerit, quamdiu inter conſiſtorianos ſedit. Id unum adnotaſſe ſufficiat, omnium in ſe ora vultuſque convertiſſe, dum quotidie in eo collegæ ejus deprehenderent admirabilem quandam ſapientiam cum magna eruditione conjunctam. Creſcit enim, (ut recte ſcriptum eſt ab auctore dialogi de claris oratoribus) cum amplitudine rerum vis ingenii, nec quiſquam claram & illuſtrem orationem efficere poteſt, niſi qui cauſam parem invenit. Quæ porro tam magnæ menti ſeſe offerre poterat cauſa in Parlamento Benearnenſi, quæ non infra magnitudinem ejus jaceret?

VII. Anno MDCXL. hiſtoriam Benearni & circumjacentium populorum, antea ipſis quoque indigenis aut prorſus incognitam, aut fabularum admixtione fœde laceratam, ac depravatam, Marca edidit ſumma cura & diligentia, ejuſque fidem probavit auctoritate veterum hiſtoriarum & Geographiæ ſcriptorum, ac etiam actorum veterum ex variis archivis & manuſcriptis codicibus deſcriptorum, quæ publici item juris facta ſunt. Dicata autem a Marca fuit illuſtriſſimo Seguierio, velut æternum obſervantiæ in eum ſuæ monumentum.

VIII. Sequens menſis Martius materiam præbuit novis ſermonibus ob editionem libelli parænetici ad antiſtites regni de cavendo ſchiſmate, quod præ foribus adeſſe nunciabat Optatus Gallus. Sub eo namque nomine latere voluit auctor, ſatis alioqui cognitus, ſi larvam illi detrahere liberet. Occaſionem turbandi ſumebat ex editione voluminum de libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ, quæ anno ſuperiore prodierant cura clariſſimi viri, Petri Puteani, atque item ex rumore vulgi differentis eam Cardinali Richelio mentem eſſe, ut, omiſſo Epiſcopo Romano, Patriarcha in Galliis conſtituatur. Ajebat præterea magnum virum in partes tractum promiſſis ingentibus, qui ſcripto defenderet, quæ pro ea cauſa Cardinalis facturus erat, neque dubitatur, quin Marcam intelligeret. Cum invidia hæc gravaret Cardinalem, eodemque telo Rex peti videretur, ad quem cuncta Richelii conſilia referri omnes noverant, Marcæ per Archiepiſcopum Burdegalenſem Regis nomine imperatur, ut adverſus hunc libellum ſcribat, ſed ea methodo, ne libertates Eccleſiæ Gallicanæ, quas per latus non occulte petebat Optatus, aliquam paterentur injuriam; quinimo id ſedulo ageret, ut omnes intelligerent, libertates illas nihil detrahere de reverentia, quæ debetur Romanæ ſedi, quam præ cunctis ſemper nationibus Galli conſtantiſſime retinuerunt. Suſcepit curam libens. Neque enim fas erat repugnare Principi, cui ſe chariſſimum eſſe ſciebat, præſertim juſta imperanti; non Cardinali Richelio, cui omnia Regis conſilia innitebantur, quique Marcam plurimi hauddubie faciebat. Itaque anno MDCXLI. editis diſſertationibus DE CONCORDIA SACERDOTII ET IMPERII, *ſive* DE LIBERTATIBUS ECCLESIÆ GALLICANÆ, (hanc enim interpretationem apponi in limine efflagitavit typographus, quod ex eo librum exiſtimaret vendi-

vendibiliorem futurum; sic scriptionem suam temperavit, ut relicta discussione juris, quod utrique potestati competit, ad solam facti inquisitionem, quæ fines veterum possessorum demonstrare posset, se contulerit, ut ipse præfatur in admonitione ad lectorem. Porro, quod spectat ad reverentiam, quæ sedi Romanæ debetur, tanta eam testimoniorum ex antiquitate petitorum nube asseruit, ac tam diserte, ut fas sit existimare, neminem unquam, non dicam Gallum, sed nec Hispanum etiam aut Italum, qui modo intra limites æqui constiterit, auctoritatem Romani Pontificis in altiori fastigio conlocasse. Offendit tamen (quis crederet?) hic liber Romana ingenia, nullam aliam ob causam, ut Marca existimabat, quam quod in fronte operis admoneret heic agi de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ. Unde Romanis (*quorum aures teneritudine quadam plus trahuntur*, ut ait Auxiliaris Præfectus apud antiquum scriptorem vitæ sancti Hilarii, Episcopi Arelatensis,) promptum fuit sibi persuadere, illum libertati ecclesiasticæ adversari, qui de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ (proh nefas!) agebat ex professo.

IX. Heic sese mihi castigandus offert Fagetus, non levem ob causam, sed ob gravissimum admissum flagitium erga memoriam illustrissimi Archiepiscopi, quem defectorem ac proditorem facit libertatum Ecclesiæ Gallicanæ. Ait enim, illum, *statim atque hujuscemodi operis* (id est, libri de Concordia Sacerdotii & Imperii) *folia, quibus res ad apostolicæ sedis auctoritatem pertinentes tractabantur, lucubrasset, ea coram clarissimo & doctissimo Theologo, amico suo, qui stipendiis Romanis pro juribus summi Pontificis fidissime militare audiebat, & brevi post ab eodem summo Pontifice cathedrali cuidam Ecclesiæ præfectus est intra fines Galliæ, perlegere solitum esse; ut si quid ei forsan occurreret sedis Romanæ juribus contrarium, libenter & amice moneret. Probavit equidem ille me teste, quæcunque ad hanc materiam spectabant; vel si quid minus placuisset, confestim vidit ipse emendatum. Fuit enim Marca sedis apostolicæ semper religiosissimus cultor, & ad vitam ecclesiasticam, ut diximus, propensus, ideoque aditum & ecclesiasticas dignitates sibi præcludi nullo pacto volebat.* Video, Fagetum heic suum testimonium multum commendare, acta ista se præsente identidem heic & alibi repetens, quo major sit istius narrationis auctoritas. At contra nimia illa diligentia & affectatio mihi suspecta est; omninoque puto illum ista posuisse, ut illorum desideriis obsequeretur, quorum ingenio styloque usus est in scribenda vita illustrissimi Archiepiscopi. Nam quamvis multoties Marcam audiverim differentem de his, quæ occasione libri de concordia acciderunt, altum semper silentium de re ista, nullæ de Theologo illo, cujus fide ac potius perfidia deceptus esset, querelæ. Probabile autem non est, illum hanc gravissimam querelam omissurum fuisse in dolore suo, si quam conquerendi causam habuisset. Sed quod jugulum petit, si ista vera sunt, cur in tot epistolis, quas Romam scripsit occasione libri de concordia, cur in schedulis & libellis propterea oblatis Romanæ curiæ, nullam Theologi illius mentionem fecit? Nam vel hac unica ratione tueri se facile poterat, nihil scripsisse se in eo opere, quod approbatum antea non fuisset a doctissimo Theologo Romanæ sedi addictissimo, & qui stipendiis Romanis pro juribus summi Pontificis fidissime militare audiebat, nihil egisse se improbe neque imprudenter, cuncta communicasse, & si quid minus placuisset illi Theologo, confestim emendasse. Omnino purgatio illa erat optima, nihilque habuisset Romana curia, quod reponeret adversus hanc argumentationem. Nihil tamen istiusmodi uspiam legitur in epistolis, quas Marca tum scripsit Romam, quamvis illæ & multæ sint, & ut plurimum satis prolixæ. Itaque probabile est, ista addita ab auctore vitæ, Fageto non repugnante, quod is ea ratione imminutum iri putaret nimiam auctoritatem libri de Concordia Sacerdotii & Imperii.

X. Addit Fagetus, fuisse Marcam sedis Apostolicæ semper religiosissimum cultorem & ad vitam ecclesiasticam propensum; *ideoque*, inquit, *aditum ad ecclesiasticas dignitates sibi præcludi nullo pacto volebat*. Scio, Marcam valde cupiisse, ut nominationem de se factam ad episcopatum Consoranensem sequeretur confirmatio summi Pontificis, multaque pro illa obtinenda egisse ac scripsisse. At non inde colligi potest, illum sese ob eam causam accommodasse ad mores & instituta ingeniorum transalpinorum, quod nollet aditum ad ecclesiasticas dignitates sibi præcludi. Immo certus sum, illum potius renunciaturum fuisse juri, quod illi quæsitum erat ad episcopatum Consoranensem, quam quicquam ageret adversus veritatem. Atque id exemplis probandum est ex ipsius scriptis petitis.

XI. Anno MDCXLIV. Franciscus Cardinalis Barberinus ad eum scribens IV. Idus Martias, ita demum illi collatum iri episcopatum Consoranensem significavit, si aliquo inchoati operis specimine paginas editas quantocyus transmitteret, ex quibus appareret, hallucinationes libri de concordia non tam ejus fuisse commissas arbitrio, quam importuno alienæ ambitionis imperio expressas. Si Marca talis fuisset, qualem eum depingit Fagetus, nihil facilius, quam ut aditum sibi patefaceret ad cathedram Consoranorum. Fecit igitur, quod suadebat Barberinus? Non ita sane. Sed sueta animi magnitudine & constantia adversus pertinaciam Romanæ curiæ recusavit istam conditionem, ut duram, alienam ab ingenuo viro, ac proinde impossibilem. *Alterum scribendi modum*, inquit, *nisi sum immodestus, plane mihi repudiandum duco. Dura enim alienaque ab ingenuo viro ac proinde impossibilis conditio mihi imponitur, scilicet, ut Blondelli confutationi proludens aperte profitear, vel saltem suspicioso dicendi genere significem, mihi vim illatam, ut veritati fucum facerem.* Epistola illa edita est inter Prolegomena, pag. 30.

XII. Anno dein MDCXLVII. scribens ad amplissimum virum Petrum Seguierium, Galliarum Cancellarium, IV. Idus Junii, ait, expectare se ultimum responsum curiæ Romanæ pro episcopatu Consoranensi, de quo bene sperare illum jubebant ultimæ literæ; conditiones porro, quæ sibi ob eam causam imponerentur, non accepturum se, si nimis duræ essent, ac potius renunciaturum omni juri suo, quam eas susciperet. *J'attens la derniere resolution de la Cour de Rome, que l'on me fait esperer devoir estre favorable. Les conditions que l'on m'imposeroit pourroient estre si dures que je me porterois plustost à renoncer à toutes mes pretentions que non pas de les executer.*

XIII. Quoniam mentio incidit episcopatus Consoranensis, cujus causa valde conjuncta olim fuit cum libro de concordia, res postulare videtur, ut celeberrimi negotii originem & initia repetamus. Quinto Kalendas Januarii anni MDCXLII. Rex Ludovicus XIII. ad episcopatum Consoranorum, cui tunc ob paralysim renunciaverat Bruno Ruada, eorum Episcopus, Marcam animo lubentissimo nominavit ac gaudenti. Fas enim sit audita loqui. Sane credi vix potest, quantum ea res placuerit omnibus iis, quibus aliqua honesti cura erat. Nuncius certe apostolicus, qui tum Parisiis degebat, Hieronymus Grimaldus, Archiepiscopus Seleuciensis, viri laudes insigni elogio prosecutus est in epistola scripta Kal. Julii anni MDCXLIII. ad eminentissimum Cardinalem Antonium Barberinum, Urbani octavi summi Pontificis fratris filium; qua eum ultro flagrantissime rogavit, ut suffragatione sua apud Pontificem juvaret Marcam, dignum haud dubie, ut scribit, qui Consoranensi Ecclesiæ præficiatur. Cardinalis vero ille, ubi semel ei Marca innotuit, sic eum in suam recepit amicitiam, sic negotia ejus in diversis occasionibus procuravit, etiam ante quam rogaretur, ut Marcæ prorsus persuasum fuerit, neminem dili-

diligentius aut flagrantius amari ab illo Cardinale. Ipſe vero fratris ejus eminentiſſimi Cardinalis Franciſci Barberini, cujus quoque dein ſingularem benevolentiam & humanitatem expertus eſt in omnibus ſuis negotiis, auctoritatem & auxilium imploravit, ut approbato Principis de ſe judicio, Conſoranenſis Eccleſia utilem deinceps habere poſſet Epiſcopum. Reſpondit his humaniſſime, ſuo more, operam Marcæ ſuam non defuturam apud Pontificem, ſed quædam in libro de Concordia Sacerdotii & Imperii ſcripta eſſe, quæ molliri oporteat, ut delicatis quorundam ingeniis ſatisfiat; id vero, ſi ſemel præſtitum ſit, ſperari poſſe, ut quamprimum Marca voti compos evadat. Interim a Pontifice delegatur Epiſcopo Marinoneo, Lucæ Holſtenio, atque aliis quibuſdam miniſterium, ut librum illum ſerio perlegant, adnotentque, ſi quid contra debitam Romanæ ſedi reverentiam exciderit auctori. Et Holſtenius quidem quamplurima in eo contineri retulit, quæ explicatione indigerent, quædam etiam eſſe, quæ Romana jura violent, ſed in occulto; tanto quippe ac tam ſingulari artificio librum hunc eſſe perfectum, ut diſtingui vix poſſit, quæ pars ejus Eccleſiæ Romanæ faveat, quæve noceat. At Marinonæus, vir apud Italos ſingularis eruditionis fama celebris, ſcripto prompſit ſententiam, pro Marca honorificam, & Romanis haud ſpernendam. Aſſeveravit enim, nihil in eo opere contineri, quod nota inurendum ſit, neque permittendum eſſe librorum cenſoribus, ut in illud ſæviant, quinimo tam docte ac erudite novaque methodo auctoritatem Romani Pontificis per Gallias & ceteras occidentis & orientis provincias illic aſſeri, ut vel ob hoc ipſum auctori ejus deberi exiſtimat majus aliquod præmium, quam ſit Conſoranenſis epiſcopatus, grates, quin etiam agendas. Scilicet tanta eſt vis veritatis, ut etiam ab iis maxime colatur, quos ei maxime adverſari velis. Manſit tamen occultatum hoc clariſſimi & eruditiſſimi viri teſtimonium de viri ampliſſimi lucubratione, tantaque cautione proviſum eſt, ne vulgaretur, ut nulla Marcæ induſtria, nulla ars efficere potuerit, ut exemplum ejus in Galliam mitteretur. Ceterum poſt relationem a delegatis factam coram ſummo Pontifice Cardinalis Barberinus Marcæ ſignificavit, cupere ſe, ut ſententiam ſuam de cura Principum in rebus eccleſiaſticis liquido promeret, eoſque legibus Eccleſiæ ſubjectos eſſe in iis rebus, non vero præeſſe doceret. Quod ille, ut erat minime contumax, abunde effecerat. Sed quæ tum temporis accidit Urbani Pontificis mors luctuoſa novam morarum ſeriem introduxit.

XIV. Meliore tamen fato, quamquam eadem prorſus diligentia, ſub ſucceſſore ejus Innocentio X. rebus Marcæ proſpectum eſt, adnitente in primis Cardinale Bichio, viro ſapientiſſimo, qui in ſacro conſiſtorio, quod IV. Idus Decembris, anni MDCXLIV. habitum eſt, coram ſummo Pontifice, & tanti viri virtutes ingentibus laudibus eſt proſecutus, & ut epiſcopatus Conſoranorum in eum conferretur, maxima contentione egit. Verum intercedente Franciſco Cardinale Albicio, tum Aſſeſſori ſancti officii, (ſic vocant tribunal Inquiſitionis) qui in memoriam Pontificis & Cardinalium importune revocavit querelas adverſus librum de Concordia Sacerdotii & Imperii olim excitatas, magnaſque & juſtas de eo conquerendi cauſas eſſe affirmabat, Innocentius, natura cunctator, & qui per imprudentiam nihil eorum prætermitti volebat, quæ ad dignitatem & auctoritatem ſedis apoſtolicæ pertinere exiſtimabat, librum hunc examinandum de integro commiſit Cardinalibus Barberino, Spadæ, Pancirolo & Rapaciolo; ad quos ea de cauſa extant aliquot illuſtriſſimi Archiepiſcopi epiſtolæ, quibus eos orat, ut finis tandem aliquis imponatur his rebus. Relatio porro negotii demandata eſt Cardinali Barberino; qui eo ipſo, ut ita dixerim, momento, quo de eo actu-

rus erat in congregatione Cardinalium delegatorum, in Galliam ſe contulit; ubi aliquandiu manſit.

Antequam de iis, quæ poſt hanc novam delegationem ſecuta ſunt, diſſeram, puto, prætermittendum non eſſe teſtimonium Burgetii, Doctoris theologi Pariſienſis, qui tum Romæ erat. Is ergo in hiſtoria cauſæ Janſenianæ narrat, ſe fuiſſe cum Albicio in ædibus ejus, eo ipſo tempore, quo Gueſferius, qui Romæ negotia Regis Chriſtianiſſimi gerebat, ad eum venit, ut ei commendaret cauſam epiſcopatus Conſoranenſis. Tum vero ait magnam inter eos propterea fuiſſe contentionem, Gueſſerio inſtante atque urgente ſummo cum ſtudio, ut Marca, quem virum magnum & doctiſſimum eſſe ajebat, tandem aliquando fieret Eccleſiæ illius Epiſcopus, Albicio contra magnis animis tendente & per inconſiderantiam eo uſque progreſſo, ut diceret, Marcam eſſe manifeſte hæreticum nullumque unquam hæreticorum fuiſſe magis iniquum adverſus Eccleſiam, porro ſummum Pontifiem nunquam conſenſurum, ut ille fiat Epiſcopus: nam ſi id faceret, idem eſſet, ac ſi lupum mitteret in ovile, *ſarebbe mettere il lupo tra le mandre*. Teſtimonium iſtius Theologi in iſta concernatione præſentis oſtendit Albicium valde averſo a Marca animo fuiſse. Nunc redeamus ad inſtitutum noſtrum.

XV. Quia nova iſthæc pontificia delegatio negotium deinceps protractura erat in longum tempus, Marca prævertendum ratus, & ut omnem ſcrupulum ex animis judicum delegatorum evelleret, libellum Barcinonæ edidit anno MDCXLVI. XIV. Kalendas Aprilis, *quo editionis librorum de Concordia Sacerdotii & Imperii conſilium exponit*, *opus apoſtolicæ ſedis cenſuræ ſubmittit*, *& Reges canonum cuſtodes*, *non vero auctores eſſe docet*. Hic eſt enim libelli hujus titulus; quem integrum heic adſcribere placuit. Eum porro, A. D. VII. Kal. inſequentis menſis Octobris Romam ad Innocentium miſit cum elegantiſſima epiſtola, quæ edita eſt inter Prolegomena, novæ iſtius editionis libri de Concordia. Quod autem libelli hujus fatum fuerit, malo diſcas ex epiſtola ejus ad Cardinalem Pancirolum ſcripta, cujus ea ſunt verba: *Tandem ex præſcripto gravium virorum libello publicato, offenſiones, quæ ex prioris libri editione, unde dilationis occaſio, contractæ erant, delere curavi. Hunc libellum ab eminentia tua lectum atque recenſitum, & beatitudini Innocentii X. Pontificis Maximi oblatum, cum approbationis ſuæ ſuffragio, docuerunt me amicorum literæ, quantumque eo nomine tibi deberem. Nunc reſtat, ut in delegatorum eminentiſſimorum Cardinalium cœtu libello comprehenſa ſententiæ meæ profeſſio expendatur, ut eorum relatione ſanctiſſimus pater de meo in eccleſiaſticam libertatem ſtudio certior factus, epiſcopatus petiti gratiam mihi faciat. Sed novas in diem necti moras in habenda congregatione non ſine gravi animi ſenſu nuper accepi. Indixerat diem eminentiſſimus Cardinalis Spada. Interceſſit reverendiſſimus Aſſeſſor ſancti officii, cauſatus abſentiam eminentiſſimi Cardinalis Barberini, unius ex judicibus delegatis; de qua monendus eſſet ſummus Pontifex, ut abſentis loco alium forte pro ſuo arbitrio ſubſtitueret. Non conqueror de dubio moto, ſed de mora, quæ inde ſequitur.*

XVI. Recte quidem Marca metuebat tarditatem Romanorum moramque rerum, ſed eo magis, quod ſciret legatum Philippi IV. Regis Hiſpaniarum eo ſecreta molitione tendere, ne dignitas epiſcopalis ei adderetur, cujus nimia jam auctoritas erat apud Catalanos, gentem religioſiſſimam, quæque nominis epiſcopalis mirum in modum cultrix eſt. Annus tamen MDCXLVIII. finem negotio Eccleſiæ Conſoranenſis attulit; cui tandem aliquando Marca præfectus eſt Idibus Januarii, quinto demum anno poſtquam ab immortalis memoriæ Ludovico XIII. ei cathedra iſthæc deſtinata fuerat. Supererat ordinatio; quæ ante fieri non poterat, quam Marca ad Presbyteri honorem perveniſſet.

Clericus quippe factus a Joanne, Episcopo Lascurrensi anno MDCVIII. XVI. Kalend. Octobris, non ultra progressus erat. Itaque anno MDCXLVIII. IV. Nonas Aprilis, Presbyter ab illustrissimo Episcopo Babylonico, Bernardo a sancta Theresia consecratur apud Barcinonem: in qua urbe ordinatum quoque Presbyterum fuisse, licet resistentem, sanctum Paulinum Nolanum, dein Episcopum, notius est, quam ut Marcam latere posset. Quam ob rem inter ordinationis solennia ejus opem & auxilium imploravit pro recta Ecclesiæ sibi commissæ administratione; ut me ex eo memini sæpe audivisse, & paucis ante obitum diebus, cum a me admonitus esset in ea tempora incidere festum diem illius sancti, rogavit Presbyterum, qui eum in hoc morbo visere solebat, ut eo die sui meminisset in Missæ sacrificio, commemorans tempus ordinationis suæ apud Barcinonem peractæ. Dein A. D. XIX. Kalendarum Novembrium ejusdem anni Barcinone digressus, Narbonem petiit. Illic ab Archiepiscopo Narbonensi, Claudio Rebeo, Conforanorum Episcopus est ordinatus in cathedrali Ecclesia sanctorum Justi & Pastoris, præsentibus & Archiepiscopo assistentibus, Clemente Bonzio, Episcopo Biterrensi, & Nicolao Pavillone Alectensi, item Episcopo suffraganeis Ecclesiæ Narbonensis. Ab iisdem Episcopis paulo post, nempe XIII. Kalend. Januarii, in eadem Ecclesia Narbonensi consecratus est vir illustrissimus ac sapientissimus, mihique (quamvis enim audacia sit in verbo, dicetur tamen) amicissimus, Franciscus Bosquetus, Lodovensis Episcopus, qui nuper Ecclesiæ Monspeliensi præerat, vir huic nostro Archiepiscopo ab adolescentia sine fuco & fallaciis amicus; cum quo adeo conjuncte vixit, ut ad extremam ætatem amicitia eorum creverit, permanseritque usque ad extremum vitæ diem. Neque aliam amicitiæ hujus causam fuisse crediderim, quam eam, quam adfert Cicero in oratione pro A. Cluentio, *Jam hoc fere scitis omnes*, inquit, *quantam vim habeat ad conjungendas amicitias studiorum ac naturæ similitudo*. Erat enim ille eruditissimus & humanissimus. Sed de tanti viri virtutibus disserere, neque hujus loci est, & multi retulere. Unum addiderim, nihil esse tam excelsum, quod illæ non mereantur. Haud inutile porro fuit, hæc eo loci observare, quandoquidem & ipsi Narbonenses (ut me audivisse memini, quum in ea civitate essem anno MDCLIX.) cum aliqua lætitiæ voluptate memorant illustre hoc amicorum par eodem anno & ab iisdem Episcopis Episcopos fuisse consecratos. Neque illud omittendum hoc loci, Innocentium Pontificem, cui malitia quorundam hominum Marcæ virtutibus invidentium persuaserat eum, sic averso a Romana sede animo esse, ut nulla Pontificum benevolentia nullaque gratia ad ejus auctoritatem extollendam trahi unquam posse videretur, ad tentandum eum, quadam opportunissima occasione usum esse paulo ante quam in cathedra Conforanorum conlocaret. Mota erat temporibus illis gravis quæstio de duplici capite in Ecclesia, plerisque unicum tantum caput, videlicet beatum Petrum, in ea constituentibus, quibusdam vero censentibus Paulum quoque Ecclesiæ caput cum Petro fuisse. Cum hæc quæstio distraheret in partes ingenia hominum eruditorum, atque interim dignitas Romanæ sedis tentari videretur, Innocentius, qui apprime noverat Marcam in primis ecclesiasticæ antiquitatis peritum esse, ratus præterea evenisse occasionem, qua ejus animum erga sedem Romanam experiretur, aperire sententiam jubet. Ille nihil cunctatus exercitationem Barcinone V. Kalendas Junii, anno MDCXLVII. scripsit *de singulari primatu Petri:* quam Innocentio, ad quem statim missa est, valde placuisse ex eo intellectum est, quod eam publice legi jussit, ac singularem quandam de Marcæ in sedem Romanam propensione accepit opinionem. Cæterum hæc, quæ supra dicta sunt, quamquam plures per annos gesta, conjunxi; ne si secus actum fuisset, series narrationis interrumperetur. Nunc ad temporum ordinem redeo.

Vide lib. 6. de concordia cap. 6. §. 5.

XVII. Initio anni MDCXLII. Marca domestico vulnere, & eo gravi, ictus, Jacobum patrem amisit, fato interceptum apud Benearnos, quum ipse Lutetiæ commoraretur, quæ absentia hauddubie animum ejus valde afflixit. Neque tamen casum illum, ut plerique solent, per lamenta ac mœrorem muliebriter tulit; sed post justa paterno funeri persoluta revolutus ad studia & ad negotiorum tractationem, haudquaquam sibi otium lugendi reservavit, negotia videlicet pro solatiis accipiens. Ea quippe tempestate inventam a se in bibliotheca regia Vigilii Romani Pontificis epistolam decretalem pro confirmatione quintæ synodi œcunicæ, quæ Constantinopoli habita est, hactenus ineditam & omnibus doctis incognitam publici juris fecit; addita etiam elegantissima dissertatione, qua Vigilii institutum in perplexa trium capitulorum disputatione asseruit, ut ipse loquitur. Edidit quoque ad calcem hujus dissertationis epistolam Eutychii ad Vigilium, itemque aliam Vigilii ad Eutychium, utramque Græce, cum Latine tantum extarent, nec non etiam anathematismos XIV. editos ab eadem synodo, qui Latine tantum habebantur excusi, Græca lingua evulgavit ex eodem codice regio. Quid vero de hac editione postea ipse senserit, accipe ex libello ejus Barcinone edito anno MDCXLVI. cujus supra mentionem feci: *Sane explicari non potest, quantum hujus epistolæ publicatio profuerit ad firmandam apostolicæ sedis auctoritatem erga Concilia generalia, quæ apud Gallicanos academiarum magistros majorum suorum decretis inhærentes valde nutabat*. Porro dissertatio hæc edita tum fuit in ingentibus illis Conciliorum tomis, qui e typographia regia prodierunt; in quos etiam conjecta est altera Marcæ dissertatio *de Primatu Lugdunensi & cæteris Primatibus*, cum Notis ad canones aliquot Concilii Claromontani sub Urbano secundo celebrati. Hanc ultimam dissertationem longe auctiorem edere rursum instituerat, si diutius in vita fuisset. Nihil tamen, quod alicujus momenti sit, addidit, aliis occupationibus præpeditus.

Vide præfationem nostram ad tres dissertationes Petri de Marca.

XVIII. Tum temporis Catalonia, nobilis Hispaniarum provincia, libertatis amore, & odio adversus dominantes, a quibus atrocia se perferre querebatur acrius, quam ut nulla justa conquerendi causa esset, in fidem se ac clientelam Christianissimi Regis contulerat, misso ob eam rem ad Ludovicum XIII. nobilissimo ac sapientissimo viro Josepho Margarito, quem in villa, cui Valli-Spinosæ nomen est, residentem prope Tarraconem, ac nihil minus cogitantem, quam ut consensu gentis in bellum traheretur, Catalani ex decreto omnium ordinum provinciæ sibi ducem ob nobilitatem ejus & virtutem præposuerant, vi etiam acturos minitantes, si cunctaretur. Neque nobilitas diutius demonstranda est. Quippe antiquum in citeriori Hispania Margaritorum genus, fœcundum illustrium virorum. Itaque gratiis sibi a Rege actis, filiisque duobus apud eum obsidibus ultro relictis, in Cataloniam remeans, gubernatoris etiam provinciæ dignitate postea auctus, & Hispanis ostendit, quantum belli artibus valeret, & fidem suam Regibus nostris multoties approbavit clarissimis argumentis. Sed præterea opus hauddubie erat prudenti Visitatore, (summi id magistratus nomen est, splendidæ in primis administrationis) qui provinciales judices egredi terminos fori prohiberet, audentes pœnis coerceret, ac si id e republica esse existimaret, loco moveret, provinciamque inquietam recenter ad nos versam legumque municipalium amantissimam consilio magis quam vi in officio contineret, imperioque Francico parere assuefaceret. Igitur Marcam deligi placuit, virum, in quo multa civilis prudentia, singularis in omnes comitas, ac facilitas pene incredibilis inerant

cum

cum severitate & gravitate conjunctæ, præter admirabilem rerum divinarum humanarumque intelligentiam. Acta hæc anno MDCXLIV. quo ipse Barcinonem pervenit A. D. VII. Kalend. Maji. Et Marcæ quidem, præter auctoritatem ab Hispanis olim Visitatori generali Cataloniæ tribui suetam, concessa est etiam a Ludovico Rege in milites & copiarum ductores jurisdictio & mandata ærarii cura. Quod si libuisset commodis propriis utilitatique servire, remque familiarem augere ex pecunia publica, nihil facilius. Nam & provincia dives & parata peccantibus, & Princeps ad retinendam Cataloniam & ad propagandos imperii fines tum maxime intentus, eam illuc pecuniam mittebat, quæ perpetuos sumptus suppeditaret, nec solum necessarios, sed etiam liberales; & præfecti ærario in omnem aviditatem proni quantalibet facilitate redempturi erant mutuam dissimulationem mali. Sed horum neutro corruptus est. Quinimo, cum intelligeret, neminem adeo abstinentem & integrum in hoc munere esse, quin suspicionibus avaritiæ pateat, nolletque sibi in posterum imputari posse, quod Cataloniam avare habuisset, curam hanc a se removeri enixe efflagitavit, exemplum videlicet Datiani Patricii secutus, qui gratia quapiam donatus ab Imperatore Constantino, *auferri sibi id cum tanta instantia depoposcit, cum quanta alii poscere consuerunt*, ut ait ipse Constantinus in Codice Theodosiano. Neque tamen Marca statim obtinuit, quod petebat. Verum, cum nihil ex ea petitione remitteret, pertinaciterque in dies regiam majestatem urgeret, ut administrationem illam in alium transferret, tandem impetravit. Itaque liber & solutus ab hac cura, posthac totus ad bene gerendam rempublicam intentus, primum omnes Catalanos blande complecti, deinde singulos comiter appellare, postremo linguam eorum & mores addiscere; quo sic instructus, facilius dein in eorum se amicitiam insinuaret, auctoritatemque sibi apud ipsos conciliaret. Neque profecto spes eum sua frustrata est. Nam hinc factum, ut ei omnes Catalani, superba alioquin & gloriosa gens, & adversus potestatem contumax, honores, quos possent, publice haberent, felicesque se esse existimarent, quod tam boni viri familiaritate uterentur. Quippe sic se Barcinone gerebat in privatis congressibus, ut deposita potestatis persona, communis infimis, par principibus videretur, comitate & alloquiis officia provocans singulorum. In negotiis vero publicis, severitatis semper & auctoritatis retinens, sæpius tamen minitando, ut monuit Apollonius Tyaneus, quam puniendo vim imperii solidavit; diversus nimirum a moribus Galbæ Imperatoris, quem Svetonius tradit per octo annos varie & inæquabiliter Hispaniam Tarraconensem rexisse, ac primo quidem acrem, vehementem, & in coercendis quidem delictis vel immodicum fuisse. At Marca, ut dixi, lenis quam vehemens ac severus videri maluit, ratus haud dubie dari ea ratione per provinciam documentum Francorum dominationem haud procul a libertate abesse, sed istius modum placere. His artibus provinciam difficilem & inquietam, annonæ, vini & olei fœcundam, inimicitiis & licentia discordem ac mobilem, rerumque novarum avidam, septem per annos in officio continuit, & Regi firmavit adversus Hispanorum artes & conatus.

[margin: ...I. De annona & tributis.]

[margin: Philostr. in vita Apollon. lib. 5.]

XIX. Scilicet Marca iis dotibus iisque virtutibus erat ornatus & instructus, quas, uti paulo post videbimus, Serenissimus Princeps, Ludovicus Borbonius Condeus, in eo magistratu requirebat, qui Cataloniam teneret, si modo pacatam provinciam habere vellet. Gnarum id Annæ Austriacæ, Francorum Reginæ, quæ tum sub Rege puero negotiorum publicorum administrationi præerat. Etenim Marcam mittens in Cataloniam, splendidissima illum dignitate summaque auctoritate præditum esse voluit; omnibusque, quos sequentibus temporibus in Cataloniam misit, in primis mandavit, uti ne quippiam agerent Marca inconsulto. Quo loco commemoranda mihi occurrunt mandata, quæ XV. Kalend. Februarii anni MDCXLV. data sunt Henrico Lotharingico Comiti Harcuriano, cum ad regendam vice Regis Cataloniam destinaretur. Juvat heic ipsa mandatorum verba describere, digna profecto, quæ in hanc historiam referantur: *Le Sieur de Marca, qui a esté envoyé Visiteur general en Catalogne avec ordre de prendre connoissance des affaires de la Justice, Police, & Finances, & de toutes autres selon le pouvoir de cette Charge, estant homme de grande capacité & de science, & d'une probité singuliere, appellé à la dignité d'Evesque, & particulierement estimé de la Reyne, Elle recommande à Monsieur le Comte d'Harcourt de le consiverer particulierement. Et comme il a ordre de luy rendre toute la deference qu'il doit à sa qualité & à ses charges, & de luy donner compte de l'estat de toutes choses, aussi l'intention de sa Majesté est qu'il le traite avec tout honneur & prenne ses avis sur toutes affaires & occurences, & ait en luy une confiance entiere. Que ledit Sieur de Marca ayant eu ordre de sa Majesté, à son départ d'auprés d'elle, de demeurer ordinairement à Barcelone, pour en l'absence du Viceroy, & pendant qu'il est à la campagne, avoir soin des affaires de la Ville & de celles du Pays, comme aussi de ce qui s'y peut offrir pour le service de sa Majesté & le secours de l'armée, avec charge d'agir tousiours sous l'auctorité du Viceroy, l'intention de sa Majesté est que ledit Sieur Comte d'Harcourt se repose sur luy, lors qu'il ira commander l'armée, de ce qui sera à faire du costé de Barcelonne, & que lors qu'il en partira il le faisse ainsi connoistre à tous, & quelle est la creance qu'il prend en luy, a fin que toutes choses reüssissent en ses mains ainsi qu'il est convenable.*

XX. Integrum locum referre visum est duabus de causis, nimirum, ut ostenderem, quanta & quam magnifica esset Annæ Augustæ opinio de Marca, & ut refellerem ineptam observationem reverendi illius viri, qui nuper vitam ejus emisit in publicum. Hic enim tractans istud ipsum argumentum, ait novum Cataloniæ Proregem Comitem Harcurtium pervenisse Barcinonem principio anni MDCXLV. *cum peculiari mandato, ut in omnibus, quæ ad provinciæ, EXCEPTIS ARMIS, administrationem pertinerent, Visitatoris consiliis uteretur*. Istud vero a veritate alienissimum esse, ostendit locus supra descriptus ex mandatis, quæ Comiti Harcuriano data sunt; in quibus sic ille cuncta jubetur communicare cum Marca, sic in omnibus negotiis & occasionibus uti ejus consiliis, ut nihil omnino excipiatur. Unde manifestæ vanitatis & mendacii arguuntur, quæ de hac causa scripsit Fagetus.

Accipe nunc Danaum insidias, & crimine ab uno
Disce omnes. [margin: Virgil. lib. 2. Æneid.]

Lubet enim illi reddere sua verba.

XXI. Tanta autem dignatio ejus erat, ut, cum mense Augusto anni MDCXLVII. apud Barcinonem atroci morbo laboraret, certatim omnes ad templa, quæ propter hunc morbum noctu & interdiu cunctis patebant, concurrerent, cœlestem pro eo opem imploraturi & serenissimus Princeps Condæus, qui tum Cataloniam vice Regis obtinebat, ad visendum eum e castris, quamvis procul dissitis, in urbem veniret pridie Nonas Septembris; cum antea de valetudine ejus sollicitus crebro per nuncios invisisset, quo nihil honorificentius Marcæ contingere poterat.

XXII. Operæ pretium est referre in hoc loco, ad laudem & gloriam magni viri, quis fuerit serenissimi Principis dolor ob istum morbum, quæ opinio de Marca, qui metus ex morte ejus. Primum enim, misso eam ob causam veredario ad Cardinalem Mazarinum e castris ad Verdunum III. Non. Septembris, ei significavit necessariam sibi

visam fuisse hanc curam, ut eum admoneret Marcam in extremo vitæ periculo versari, magnamque esse hanc jacturam, mittendum esse quamprimum in Cataloniam alium quempiam virum probum, capacem, & qui aliqua negotiorum provinciæ cognitione imbutus sit, denique, qui plurimum comitatis habeat & firmitudinis, hauddubie his verbis innuens mittendum esse virum, si inveniri posset, qui iisdem dotibus esset ornatus, quibus Marca; quod si istiusmodi homo non reperiretur, futurum, ut Mazarinus, Aquensis Archiepiscopus, qui in Cataloniam non ita multo post venturus erat, eam provinciam recturus vice Regis, incursurus esset quotidie in magnas difficultates; vitandum id esse, ire se interim Barcinonem, ut tumultibus occurrat, qui occasione mortis istius excitari possent. Præstat autem ipsa Principis verba referre. *I'ay creu vous devoir envoyer ce courrier en toute diligence pour vous avertir de l'extremité de Monsieur de Marca. C'est une perte pour le service du Roy tres-considerable. Ie croy qu'il est absolument necessaire d'y en renvoyer promptement un autre qui aye la capacité, la reputation, & en general la connaissance des affaires, qui soit doux & ferme pour s'accommoder à l'humeur des Catalans; faute dequoy Monsieur vostre frere se trouveroit tous les jours obligé à se commettre avec les Consistoires. Ce qu'il est bon d'éviter, ayant quelqu'un par qui on fasse faire & recevoir les propositions delicates. Cela m'oblige d'aller en toute diligence à Barcelonne pour empescher les desordres que cette mort-là pourroit apporter.* Ad ea Mazarinus respondit XVI. Kalend. Octobr. angi se atque dolere vehementer ob miserabilem statum valetudinis Marcæ, multum tamen bonæ spei hinc sumere, quod post acceptum a Principe nuncium de morbo ejus, nullas deinde literas ejus habuerit; hinc colligere se, Marcam melius habere, hauddubie hanc jacturam, si eveniret, magnam fore; præcipuum autem futurum in dolore locum suum, tum propter amorem & reverentiam, quæ viro debetur tot insignibus virtutibus prædito, sed maxime, quia omnino persuasum habebat, neminem esse, qui tanto cum fructu personam sustinere posset, quam is in Catalonia sustinebat, præterea eum esse Marcam, quem ipse plurimi semper fecisset. *Ie suis toujours en grande inquietude du pauvre Monsieur de Marca, & concois neantmoins beaucoup d'esperance de ce que depuis l'avis que vous m'avez donné de sa maladie je n'ay plus eu de vos nouvelles, inferant de là qu'il se porte mieux. Certainement ce seroit une grande perte que nous ferions, & qui me toucheroit sensiblement, tant pour l'affection & l'estime que chacun doit avoir pour une personne de si grand merite que pour la connoissance que j'ay qu'aucun autre ne sçauroit si bien servir le Roy que luy dans l'employ qu'il a en Catalogne. Outre qu'en mon particulier j'en ay toujiors fait grand estat.*

XXIII. Eodem tempore Mareschallus Gramontius, qui in eam provinciam missus erat cum serenissimo Principe Condeo, scribens ad Cardinalem Mazarinum, ajebat existimare se multum dolorem accepturum illum audita misera valetudine Marcæ; neque id injuria; quippe difficillimum esset inveniri successorem illi parem in administranda Catalonia, quærendum tamen quantocyus aliquem, cui hæc provincia demandari possit, ut eatur obviam difficultatibus, quæ Archiepiscopo Aquensi occurrerent in initiis novæ dignitatis, si non adesset aliquis Marcæ non impar, qui eum consiliis suis juvaret. Hæc sunt ipsa Gramontii verba ex iisdem castris ad Verdunum postridie Kalendarum Septembris: *L'extremité en laquelle est reduit Monsieur de Marca causera bien assurement du desplaisir a vostre Eminence, & avec grande raison, estant assez difficile qu'un autre soit en sa place qui l'occupe aussi avantageusement que luy pour le service du Roy. Surquoy je prendray la liberté de dire à V. E. qu'il est temps d'y songer de bonne heure; puisque si Dieu vient à disposer de luy, Monsieur vostre frere se trouveroit assez embarrassé dans ces commencemens, s'il n'estoit assisté d'une personne intelligente qui peut faire les mesmes fonctions dudit Sieur de Marca.* Rescribens autem Mazarinus ad Mareschallum, his omnino verbis usus est: *Ie suis en grande inquietude de la maladie de Monsieur de Marca. Ie reconnois avec vous qu'il seroit bien mal-aisé de remplir cette place d'une personne qui réussit aussi bien parmy ces peuples-là, & que si mon frere à son arrivée estoit privé des lumieres & des assistances qu'il peut luy donner, ce seroit une grande disgrace pour luy.*

XXIV. Patebant, ut dixi, templa noctu & interdiu Barcinone propter hunc morbum, ad eaque certatim omnes sponte conveniebant, cœlestem pro eo opem imploraturi. Eximium sane erat illud amoris eorum argumentum. Sed ea erat Barcinonensium pietas & charitas in Marcam, ut ambitu urbis coerceri non posset. Atque adeo ex ea egressi quamplures ad templum Monserratense, inclytum per indigenas advenasque, vetusta fama ac præcipuo cultu beatissimæ Mariæ virginis celebre, quod XXX. M. P. hoc est, iter unius diei, abest ab urbe Barcinonensi, pedibus accesserunt, vota pro incolumitate ejus nuncupaturi. Publice quin etiam civitas universa votum fecit; ac Consulum cura factum est, ut duodecim Capucini, quo hominum genere nescio, an aliquid sit aut melius aut sanctius, nudis pedibus, sandaliis etiam depositis, nomine civitatis ad Montemferratum proficiscerentur, additis duodecim puellis, quæ vestibus albis usque ad talos demissis indutæ, ac crinibus fluxis, nudis quoque prorsus pedibus in illa ætatis teneritate iter illud confecerunt, ut votum civitatis ad illam ipsam ædem persolverent. Et ne soli Barcinonenses eum diligere viderentur, preces quoque ad Deum publice per totam provinciam pro eadem causa ultro fundebantur a populis aliarum urbium ac pagorum Cataloniæ, Barcinonensis civitatis exemplum secutis. Neque enim quisquam jubebat. Certe in universum æstimanti, affirmare licet neminem unquam advenam apud Catalanos tam flagranti desiderio fuisse celebratum. Marca vero, qui se tot religiosissimorum hominum votis a morte revocatum esse judicabat, grates Deo pro restituta quondam valetudine acturus, & ne insalutata beatissima virgine Cataloniam relinqueret, ad Montemferratum, & ipse pervenit anno MDCLI. dissertationemque illic IV. Idus Aprilis elucubravit *de origine ac progressu cultus beatæ Mariæ virginis in Monteserrato*; quæ manu ejus scripta, in archivo monasterii posita est. Testatur id ipse in epistola data ad clarissimum virum, Petrum Valerium Diazium, Jurisconsultum Hispanum quem postea Rex Hispaniæ constituit Præsidem rationum in regno Neapolitano & summum Justitiarium Arragoniæ, qui tum apud Brescone haud procul Agatha captus detinebatur jure belli: *Nunc superest, Vir clarissime, ut quam à me literis tuis exigis, reddam de Joannis Guarini olim Montisferrati cultoris ætate sententiam meam: quæ sic temperata est intra limites veri & falsi, ut, hoc repudiato illud asserat. Ea de re dissertationem peculiarem illo in monasterio olim scripsi, post veteres illius chartas accurate discussas, cum anno MDCLI. illic deprecationis causa consisterem: quæ dissertatio mea manu exarata reposita est in archivis ejusdem domus à pio viro Battle tunc conventus Abbate.* Ceterum, cum ea dissertatio fato quodam deperdita esset, de quo apud Marcam conquestus est R. P. Franciscus Crespus, Bagiarum Abbas & sanctæ theologiæ Professor regius in academia Ilerdensi, qui tum historiam monasterii Monserratensis scribebat, ejus exemplum ad hunc Abbatem missum est, quum Perpiniani ageremus,

remus. Marca vero ſic ad eum reſcripſit, præfatus aliqua, in initio epiſtolæ, de cultu, qui debetur beatiſſimæ virgini: *Sed præſentem quam ſupplicibus votis ad ædem Montiſſerrati conceptis opem præſtare ſolet, ego duobus iiſque graviſſimis morbis, cum Barcinone degerem, fere confectus, experimento didici, ejus patrocinio, velut ex ipſis mortis faucibus ereptus. Quare gratias hujus beneficii publicas acturus, ſuperatis montis jugis, ad ſacram ædem vetuſtæ illius imaginis cuſtodem cum acceſſiſſem, vice tabulæ a naufragis appendi ſolitæ & montis deſcriptionem & conſeriptam de oratorii atque imaginis vetuſtate lucubrationem dicavi: quæ in archivis domus tunc recondita, cum hodie non extet, ejus exemplum ad te tranſmitto.* Tum paucis agit de antiquitate loci, admonetque Creſpum, ne in ea hiſtoria ſcribenda falſis, ut Hiſpani ſolent, teſtimoniis utatur; *quæ Gallis*, inquit, *fabularum iſtiuſmodi detegendarum peritiſſimis ludibrium debent, & reliquæ narrationi, licet alioqui veræ, auctoritatem demunt.* Ceterum narrationem rerum a Marca in Tarraconenſi Hiſpania geſtarum, quæ commentarium integrum poſtularet, majori operi reſervo. Interim his fruere.

XXV. Sed ante quam ab hoc loco diſcedam, res poſtulare videtur, ut rurſum nonnulla dicamus de libro de Concordia Sacerdotii & Imperii. Exegerant Romani a Marca ſæpiſſime, ut condemnaret, quæ in eo libro ſcripta erant adverſa moribus Italorum. Ille vero conſtanter recuſaverat, ut ſupra vidimus. Denique hoc anno MDCXLVII. multa ſcripta actaque ſunt in hac cauſa, quæ ſilentio tranſmittenda non ſunt. Toto illo anno multis modis tentatus eſt Marcæ animus. Et is quidem ita conſtitutus erat, quamdiu ſanus fuit, ut decreverit nihil remittere ex privilegiis Eccleſiæ Gallicanæ, quantumcumque urgeretur, ac potius renuntiaturum omni juri, quod habebat ad Eccleſiam Conſoranorum; at ſi quippiam valde ridiculum ſibi offerretur ſubſcribendum, non repugnaturum quidem, ſed ſtatim evulgaturum ſibi dictum fuiſſe, hoc eſſe novum jus curiæ Romanæ, nihil tamen facturum, quo Gallicanæ Eccleſiæ privilegia damnare videretur; niſi ſi eodem tempore legatus regius aut Cardinalis Protector publice proteſtarentur, ſchedulam, quæ ab ipſo ſubſcribenda exigeretur, nihil detrimenti afferre noſtris privilegiis. Hanc illi tum mentem fuiſſe patet ex laudata ſuperius epiſtola ad Cancellarium ſcripta, in qua hæc leguntur: *Les conditions que l'on m'imposeroit pourroient eſtre ſi dures que je me porterois pluſtoſt à renoncer à toutes mes pretentions que non pas de les executer; comme j'ay fait entendre à Monſieur le Cardinal d'Eſte par la lettre du dont la copie eſt cy-jointe. Si l'on me propoſe des articles à ſigner, encore qu'ils ſoient ridicules, je n'y fer ay point de difficulté, parce qu'ils en ſeront reſponſables, & je publieray que ces Officiers m'ont enſeigné que c'eſtoit le nouveau droit de la Cour Romaine. Ie ne pourrois pas conſentir à ſigner quelque clauſe qui condamnat les Privileges de l'Egliſe Gallicane. Au contraire je deſiire que l'on conſerve dans ma declaration la reſerve que j'y ay appoſee de ces Privileges, ou bien que Monſieur l'Ambaſſadeur ou le Protecteur des affaires de France proteſtent que la declaration qui me ſera preſentée s'entend ſans prejudicier aux Priviliges de la France.*

XXVI. Ita conſtitutus erat Marca die decima Junii, cum ſanus adhuc eſſet. Incidit paulo poſt occaſio Romanæ curiæ admodum favorabilis, morbus videlicet, quo Marca laboravit ſequenti menſe Auguſto. Hac pulcherrima occaſione uſus Vincentius Candiotus, qui tum in Catalonia morabatur, ut nomine Pontificis caperet ſpolia Epiſcoporum decedentium, & ut reditibus epiſcopatuum frueretur ſede vacante, & aliquandiu poſt factus eſt Epiſcopus Balneoregenſis, ſchedulam ægroto ſubſcribendam obtulit pridie Idus Auguſti, prorſus contrariam deſtinatis Marcæ, dum ſanus erat. Sed bene habet, quod in actis publicis tum apud Barcinonem confectis adnotatum eſt, ita contigiſſe, quo tempore Marca jacebat in lecto infirmitatis cauſa. Præſtat autem integra acta deſcribere.

Marca de Conc. Sacerd. & Imp.

Hoc eſt exemplum bene & fideliter Barcinonæ ſumptum a quodam publico & authentico papyreo inſtrumento declarationis ſano & integro ac fide digno tenoris ſequentis. Ego infraſcriptus Petrus de Marca profiteor, me in omnibus ſequi & amplecti eam doctrinam de juriſdictione ac immunitate eccleſiaſtica ceteriſque rebus & cauſis eccleſiaſticis, quam docet Romana Eccleſia, eique firmiter adhærere. Quæcunque vero huic doctrinæ contraria ſcripſi in libro de Concordia Sacerdotii & Imperii, & in epiſtola Hyacintho Meſſades Archidiacono Empuritano Eccleſiæ Gerunſis directa, a me editis, quæ poſtea decretis ſacræ congregationis indicis damnata ſunt, ea quoque & nunc damno, & in altera illius libri editione me emendaturum ſpondeo, eandemque Romanæ Eccleſiæ doctrinam etiam in reliqua operis parte a me edenda me ſequuturum promitto. Profiteorque, ſingularia illa jura, quibus in negotiis eccleſiaſticis Rex Chriſtianiſſimus utitur, nonniſi ex privilegio apoſtolico poſſe exerceri. Alioquin legitime non uſurparentur. (PETRUS DE MARCA.) *In Dei nomine. Noverint univerſi, quod anno a nativitate Domini milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo ſeptimo, die vero Mercurii decima quarta menſis Auguſti ejuſdem anni intitulata, in mei Notarii infraſcripti & Pauli Faget ſanctæ Fidei Prioris ac Doctoris, Petri Pont & Franciſci Matheu Artium & Medicinæ Doctoris civis Barcinonæ, teſtium præſentia, illuſtriſſimus & reverendiſſimus Petrus de Marca, in ſupremo Navarræ ſenatu Præſes, ſacri Regis Chriſtianiſſimi conſiſtorii Conſiliarius, conſtitutus perſonaliter intra quandam manſionem domorum ſuæ propriæ habitationis, quam fovet in platea nuncupata divæ Annæ, in lecto jacens infirmitatis cauſa, habens præ manibus ſupraſcriptum folium papyreum ſeu confeſſionem & promiſſionem reſpective narratorum ſupra, perlecta ipſa ſcriptura ſubmiſſa voce, ſuum nomen in fine propria manu ſubſcripſit & firmavit. De quibus omnibus & ſingulis, ſicut prædicitur, actis, dictis, geſtis & ſecutis, in continenti dictus illuſtriſſimus Dominus Petrus de Marca petiit & requiſivit inſtrumentum confici, & ſibi ac aliis cuja interſit tradi & liberari, prout de mandato illius illuſtriſſimo Domino Vincentio Candiotto, Collectori apoſtolico acceptanti tradidi per me dictum & infraſcriptum Notarium. Quæ fuerunt acta Barcinonæ ſub anno, die, menſe & loco, ac teſtibus præſentibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & aſſumptis atque rogatis, prout ſuperius continetur.*

XXVII. Hujus rei mentio etiam extat in ea vita illuſtriſſimi Archiepiſcopi, quæ a Fageto edita eſt, itemque in obſervationibus, quæ circumferuntur, eminentiſſimi Cardinalis Albicii ad librum meum de vita Marcæ. Hæc ſunt ejus verba. *Deus autem optimus maximus, qui opera Petri Marcæ in eccleſiaſticis functionibus uti volebat, dum Barcinonæ commorabatur, exitiali morbo illum corripuit. In ea infirmitate ad cor reverſus proteſtationem & revocationem, quæ ſequitur, in manibus Epiſcopi Balneoregenſis, in Catalonia tunc temporis ſpoliorum Epiſcoporum Collectoris, emiſit. Ego infraſcriptus Petrus de Marca, &c.*

XXVIII. Anno MDCLI. quum peſtilentia Barcinonem invaſiſſet, Marca menſe Martio ſe contulit in monaſterium ſancti Hieronymi Murtenſis, quo ſingulis æſtatibus ſecedere conſueverat; ibique aliquandiu commoratus, dein ad Granollerium accedens, & ad Olſtaricum, demum iter Galliarum ingreſſus eſt menſe Julio. Haud ſane alias triſtior fuit Barcino; ac diem abitionis ejus ſic univerſa

civitas prosecuta est, ut lacrymis desiderii futuri dolorem indicaret. Celebratur adhuc eorum vaticinatio, qui longam malorum seriem provinciæ imminere prædixerunt, quandoquidem eam Marca deserebat. Neque tamen is omnem ejus curam abjecit. Nam Margarito, quem ex urbe ad alteram fluminis Bisaucii ripam, Moncadam inter & Gruam, X. M. P. a Barcinone distantem evocaverat prid. Idus Julii, Catalanorum salutem & negoria commendavit; profusisque utrinque lacrymis, tanquam non amplius visuri, discedere, Margaritus ad tuendam urbem, quam paulo post Hispanorum copiæ obsederunt, Marca vero in Galliam. Fuit sane semper magna inter eos amicitia, ac tanta conspiratio consensusque virtutum, ut Marca plurimi faceret Margaritum, eumque valde amaret, hic vero Marcam in primis coleret & observaret, ac velut alterum parentem diligeret. Catalanos porro omnes, a quibus se plurimum amari Marca nosset, ipse quoque peculiari quodam semper amore prosecutus est, ut omnibus notum est, qui Marcam noverant, & ab eo scriptum est in quadam epistola, data ad eminentissimum virum, Jacobum Cardinalem Corradum, cui perpetua & constans cum Marca fuit amicitia & præcipua in eum inclinatio. Ac postquam in Galliam remeaverat, lætabatur supra modum, quum occasiones nanciscebatur ad gratificandum hominibus illius generis; id quod non raro accidit. Ceterum peragrata Catalonia & Gallia Narbonensi, ad Consoranos tandem perveniens, qui in Pyrenæis Aquitanicis siti sunt, eorum civitatem solenni pompa ingressus est III. Non. Augusti. Quamquam animus ejus modicis contentus & inanium contemptor facile transmissurus erat hunc triumphalem apparatum, nisi id Consorani efflagitassent non mediocri studio, quo suam in eum observantiam publice testarentur.

XXIX. Undecimo dein Kalendas Septembris Karolus de Montchal, Archiepiscopus Tolosanus, vir sane pius & doctus, excessit e vita apud Carcassonem, ubi tum conventus Galliæ Narbonensis habebatur; cujus corpus initio mensis sequentis Tolosam delatum, supremo officio mandatum est in Ecclesia cathedrali. Inter Episcopos vero, qui funus curarunt, adfuit & Marca; cui vetus cum Karolo fuerat familiaritas ob similitudinem morum, & quia eruditionis fama conglutinat amicitias insignium virorum. Memoria teneo, adstantium oculos in Marcam, quem mihi tum primum videre contigit, præcipue fuisse conjectos, comitante jam fama, archiepiscopatum Tolosanum ei destinari. Neque reticebo, tam magnum virum Karolo visum fuisse Marcam, ut cupiverit imaginem ejus in tabella depictam habere, quo eam in bibliotheca sua, quæ magna & locuples erat, collocaret inter illustrium virorum imagines, quibus illa erat ornata. Ceterum ipse Tolosa paulo post digrediens, Regem adiit, ut juramentum fidelitatis, quod vocant, pro episcopatu Consoranensi præstaret præsens præsenti ex antiquo & recepto apud Gallos more, nisi Princeps remittat. Præstitit autem VII. Kalend. Februarii anni MDCLII.

XXX. Actum dehinc de archiepiscopatu Tolosano: quem cum plures Episcopi cuperent peterentque, Marca, licet Regis animum nulla prece tentasset, ad eum nominatus est VI. Kalend. Junii: Operæ pretium est edere in hoc loco fragmentum ex epistola, quæ a sapientissimo viro ea de causa ad Innocentium X. Pontificem Romanum scripta est. *Non me latet*, inquit, *quantopere huic oneri ferendo vires meæ sint impares: quarum tenuitatis apprime conscius, ne dignitatem illam exambirem plane sum deterritus. Attamen tanti Principis de me judicium fecit, ne illam nec petenti oblatam detrectarem, ex mero debiti obsequii officio divinæ opitulationis certissima præsidia expectans, si sanctitatis vestræ, quæ Christi Domini vices gerit in terris, consensus accedat & auctoritas, quæ a priori Ecclesia exsolvere & alteri præponere sedis apostolicæ privilegio sola potest. Ego sane polliceri nolim, immensis & insolitis Ecclesiam Tolosanam utilitatibus ex mea translatione auctam iri; sed industriæ qualiscunque meæ probandæ latiorem campum in ejus regimine apertum iri, quam in Ecclesiæ Consoranensis angustis finibus inficiari non debeo. O me felicem, quando veteris illius atque sanctissimi sacerdotis Exuperii exemplo (qui ex præsidatu in Hispaniis acto cathedram illam suscipiens, eam deinde rexit juxta pium atque prudens Innocentii primi ad ejus consulta responsum) licebit per Innocentii decimi decretum, post gestos magistratus regios in Gallia & Hispania, episcopatus quoque curis functo mihi, Tolosanæ sedis administrationem capessere!* Sciebat sane vir eruditissimus, diversum ab Exuperio, Episcopo Tolosano, fuisse Exuperium illum, qui præsidatum in Hispaniis egit. Quis enim ignorat? Verum cum argumentum esset accommodatissimum ad rem, quam tractabat, sciretque præterea, Principum aures ita esse formatas, ut nihil nisi jucundum lætumque accipere velint, vim aliquam inferre veritati non abnuit, ut Pontificem alioqui difficilem ac morosum, sibi faventem ac propitium habere posset. Quod ideo retuli, ut eatur obviam scrupulosæ cujusdam scriptoris diligentiæ, qui in adversariis suis adnotavit lapsum heic esse Marcam. De quo admonitus a me vir optimus paucis ante obitum mensibus risit hominis supinitatem, qui non animadverteret, cujusmodi argumentum in ea epistola tractaretur. Neque enim historia scribebatur. Non displicet profecto hominibus eruditis, quod oratores veri limites nonnunquam excedunt in compositione verborum, ut auditorum aures aliqua voluptate permulceant & alliciant. Ceterum quoniam propter hanc observationem meam contigit inimicos illustrissimi Archiepiscopi in memoriam ejus insultare, ac si gravissimum flagitium admissum ab eo fuisset, cum tamen illa veri dissimulatio, in re alioqui levissima neque fidem læderet, neque bonos mores, & isto modo deliniret Pontificis animum, cum alioqui prudentissima illa οἰκονομίας ab illo toties inculcatæ regula permittat interdum συγκαταθέσει, ut ajunt Græci δουλεύειν, ostendendum est illum non erravisse sic agendo, aut si erravit, auctoritate & exemplo sancti Cypriani, Episcopi Carthaginensis, fecisse. Habet enim, ut Cicero ait, ut in ætatibus auctoritatem senectus, sic in exemplis antiquitas. Adnotat autem vir clarissimus, Nicolaus Rigaltius ad epistolam LXVII. sancti Cypriani, eam non esse tam invidiosam Papæ Stephano, nec tantum illi tribuere, quantum Baronius existimavit, alias enim esse passim Romanis Episcopis multo faventiores. *Adeoque*, inquit, *semel hic notabimus, quod ubique fere observabitur, Carthaginiensem pro Romano dicere, quæ ad propositum dicentis maxime faciant, sic quandoque magis quandoque minus intendere, quandoque parcius, quandoque liberalius concedere, prout expedit œconomiæ Christianæ propitium habere Romanum.*

XXXI. Ex iis, quæ hactenus dicta sunt de gente & adolescentia illustrissimi Archiepiscopi, facile est colligere, vana falsaque esse ea omnia, quæ de illo leguntur in epistola quadam Guidonis Patini, nimirum illum fuisse infimæ sortis hominem, natum & educatum in secta Calvinistarum, eaque derelicta, arripuisse institutum Jesuitarum, eorum odia propterea promeritum, uxorem postea duxisse, tum Consiliarium & præsidem fuisse factum in Parlamento Palensi, dein Comitem consistorianum favore Petri Sequierii, Galliarum Cancellarii, missum deinde in Cataloniam, donatum episcopatu Consoranensi; Jesuitas expertum esse gravissimos adversarios in curia Romana, qui ægre ferebant, se a Marca fuisse derelictos, & bullas episcopatus Consoranensis tum demum obtinuisse a Papa, postquam cum illis rediit in gratiam, denique

denique archiepiſcopatum Toloſanum emiſſe a Cardinale Mazarino centum quinquaginta millium librarum pretio. Si quis iſta comparaverit cum iis, quæ vere a nobis dicta ſunt ſupra, is profecto eas falſas narrationes reponet inter tricas & apinas, & ſi quid vilius iſtis.

XXXII. Sed illud incommodum in primis Marcæ accidit, quod inter tumultus domeſticos ad archiepiſcopatum Toloſanum nominatus, rurſum moram rerum experiri neceſſe habuit, variis de cauſis, ac inter alias, quod Janſeniſmi apud Innocentium accuſatus cum fuiſſet a malevolo quodam, cujus nomen edere nunc non libet, purgationis occaſio expectanda fuit. Nam originem & cauſas morarum, & qui earum auctores fuerint, alio in tempore memorabo, poſtquam locus non erit invidiæ, neque periculum ex veritate; quæ, ut ait poeta comicus Afer, plerumque odium parit. Quod niſi Pontifex conſtitutionem ſuam adverſus doctrinam Janſenii tum temporis edidiſſet, futurum erat, ut Marca ſententiam Romanorum expectaret ultra biennium. Bene igitur habet, quod tandem in Conſiſtorio habito X. Kalendas Aprileis anni MDCLIV. placuit purpuratis patribus & eorum patri Innocentio, ut vir ſummus Eccleſiæ Toloſanæ poſt longi temporis moras præficeretur. Datum id hauddubie ingentibus ejus in Eccleſiam & apoſtolicam ſedem meritis, & votis populorum, ac præterea urgentiſſimis Regis Chriſtianiſſimi literis, cui Romanorum mora & tergiverſatio in re tanti momenti jamdiu diſplicebat. Sexto Kalend. Julii ejuſdem anni Pariſiis in capella Borbonia nunc diruta, quæ haud procul caſtro Luparæ viſebatur, Marca juramentum fidelitatis, ut moris eſſe adnotavi ſupra, Regi Ludovico XIV. præſtitit pro archiepiſcopatu Toloſano. Et quia vetere inſtituto Romanus Pontifex conſuevit Metropolitanis dare pallium de corpore beati Petri ſumptum, *plenitudinem videlicet pontificalis officii*, ut loquuntur veteres & novæ formulæ, quo in ordinationibus & certis tantum feſtis anni diebus in provincia uti eis licet, illud nomine Innocentii decimi Pontificis Maximi III. Nonas Julii, Archiepiſcopo noſtro conceſſit Dominicus Seguierius, Epiſcopus Meldenſis, qui Petri Galliarum Cancellarii, frater erat. Ceterum paulo ante interfuerat conſecrationi Ludovici XIV. Regis Chriſtianiſſimi in Eccleſia Remenſi.

XXXIII. Sequenti tum menſe Novembri Marca profectus in Galliam Narbonenſem, in cujus conventibus Archiepiſcopus Toloſanus habet jus primæ ſententiæ, Idibus Decembris advenit in urbem Monſpelienſem; ubi conventus illius anni agebatur a ſereniſſimo Principe Contio tum e Catalonia reduce. Suum hoc iter verſibus ipſe expoſuit anno ætatis ſuæ ſexageſimo. Ut inde appareat, vires illas mentis, quæ juventam quaſi divino quodam ſpiritu ac furore afflant, ſeni non defuiſſe, vividamque illi ac viridem ſenectam obtigiſſe. In poſtremis ſic habetur:

Monſpelium advehimur, quo nos tractoria Regis
Legitimis promptos evocat obſequiis.
Conventus Occitanæ tunc gentis habebat
Contius Hiſpano victor ab hoſte redux.

XXXIV. Habito tandem conventu, Toloſam ad ſedem ſuam pervenit Idibus Martii, anno MDCLV. abſque pompa: quam ut evitaret, dixit adventum in urbem ſuum in ea incidere tempora, quæ Pontificem prohiberent agere diem feſtum atque ſolennem, quippe dies illa fuit ſequenti die poſt Dominicam Paſſionis. Perſtititque poſtea ſecretis ac publicis ſermonibus ſolennia hæc recuſare; adeo, ut, quum conventui Narbonenſi præſideret anno MDCLIX. ac civitas Toloſana eum per legatos ac frequentes literas oraret, ut pateretur honores ſibi haberi publice, qui omnium ordinum conſenſu decreti erant, nunquam ad id animus ejus flecti potuerit. Certe poſteritas ad eximium quondam decus & laudem hujus civitatis hauddubie referet, quod viro optimo & præſtantiſſimo ampliſſimos & maximos honores habuerit, ac ſumma obſervantia viventem coluerit. Neque ſua laude fraudabuntur Canonici metropolitanæ Eccleſiæ ſancti Stephani. Etenim Pontificem ſuum Marcam ſic per omnem vitam reveriti ſunt, ut filii ſolent parentes, a quibus ſe plurimum diligi ſciunt. Dederunt profecto poſteris magnum ſapientiæ ac virtutis exemplum, quando ſubortis aliquoties diſſidiorum inter ipſos & Marcam occaſionibus, eum omnium ſuarum controverſiarum judicem & arbitrum eſſe non ſemel ſcripto rogaverunt; nec unquam lis inter eos conteſtata eſt; id, quod opinor, nemini ante Marcam contigerat antiſtiti. Non pœnituit illos iſtius obſequii, nec eſt, cur pœnitere debeat; atque utinam tales in futurum nanciſcantur Archiepiſcopos, qui Marcam aliquo modo referre poſſint. Sed revoco me, ut ad id revertar, unde digredi me coegit pietas & optimi viri ſancta memoria.

Marca de Conc. Sacerd. & Imp.

XXXV. Haud multo poſt adventum ejus habitus eſt Toloſæ conventus Epiſcoporum provinciæ Toloſanæ: in quo, cum agendum eſſet de mittendis delegatis ad comitia generalia cleri Gallicani, Marcam in primis eligi placuit; iſque Lutetiam menſe Auguſto ea de cauſa profectus eſt. Verum vix illuc pervenerat, quum ex præcepto Principis in Galliam Narbonenſem remeans, conventui ejus præfuit apud Pedenatium, locum amœniſſimum in diœceſi Agathenſi ſitum. Interim cleri Gallicani comitia Pariſiis habebantur. Illuc itaque Marca ſe conferens anno MDCLVI. perhonorifice in eo cœtu ſuſceptus XIII. Kal. Aprileis; deinceps in plurimis occaſionibus oſtendit, quanta ingenii vi polleret, & quam præclara eruditione ac doctrina præditus eſſet. Nam auctoritatem Romani Pontificis, quam per ſummum nefas aliqui deprimere conabantur, fortiter & ſtrenue vindicavit adverſus æmulos. Gnarum id in Alexandro ſeptimo, qui poſt abſoluta demum comitia honorificas ad Marcam literas die XXII. Novembris anni MDCLVII. ſcripſit; quibus ei grates egit ob aſſertam ſedis apoſtolicæ dignitatem, &, ut deinceps pergeret in eadem reverentia, verbis amantiſſimis hortatus eſt. Scripſit tum temporis hiſtoriam ſive *Relationem* (ſic enim ipſe vocavit Gallico vocabulo, cum Gallice ſcripta ſit) rerum in Gallia geſtarum in cauſa quinque propoſitionum ex libro Cornelii Janſenii excerptarum; quæ in commentariis cleri Gallicani deſcripta, ſeorſim dein edita eſt. In ea originem & progreſſum mali, pertinaciam eorum, qui doctrinam Janſenii tuebantur, ſummorum Pontificum decreta adverſus illam, catholicæ Eccleſiæ conſenſum, & cetera, quæ interim contigere, apertiſſima & dilucida admodum narratione explicavit, nemine prorſus adjuvante. Id autem ea de cauſa viſum eſt adnotare, quod in epiſtolam quandam a cœtu illo ad Regem ſcriptam Kalendis Septembris anni MDCLVI. irrepſerit, relationem illam fuiſſe confectam ab Archiepiſcopo Toloſano & ab Epiſcopo Montiſalbani. Tanta autem erat Epiſcoporum Gallicanorum de Marca opinio, ut, cum ſcribendæ erant literæ de re quapiam gravi, hoc ei onus ſummo conſenſu imponerent, ut pro omnibus ipſe ſcriberet, ſecuti videlicet exemplum Epiſcoporum Africanorum, qui Aurelium Carthaginis Epiſcopum eo munere fungi voluerunt in Concilio Carthaginenſi, & Epiſcoporum item Africanorum apud Sardiniam magno numero exulantium juſſu Regis Traſamundi, qui Fulgentio Ruſpenſium Epiſcopo utebantur in pari cauſa. *Propterea*, inquit Ferrandus, Diaconus Carthaginenſis in libro, quem ſcripſit de vita ejus, *quandocunque reſcribebant conſulentibus, Epiſcoporum nomina cunctorum dicebantur in titulo, ſed ſolius beati Fulgentii ſermo tenebatur in ſtylo.* Extant ſane novem epiſtolæ ad ſanctiſſimos Eccleſiæ Romanæ antiſtites a Marca ſcriptæ nomine Epiſcoporum

Codex Canon. Eccleſiæ Afric. c. 89. Ferrandus in vita Fulgentii c. 20.

rum Gallicanorum, quarum pleræque sunt editæ: quæ licet aliorum Episcoporum nomina contineant, ab uno tamen Marca dictatæ sunt. Extant præterea quamplures epistolæ ad diversos scriptæ ab Episcopis Gallicanis, quarum auctorem esse Marcam satis compertum est.

XXXVI. Nondum finis impositus erat comitiis cleri Gallicani, quæ anno demum MDCLVII. A. D. X. Kalendarum Junii dimissa sunt, quum derepente infaustis auspiciis prodiit libellus famosus sub titulo epistolæ ad illustrissimum Dominum de Marca Archiepiscopum Tolosanum, quo ejus fama atrociter proscindebatur, & auctoritas Romanæ sedis per summam audaciam aperte violabatur. Libellum hunc secutus est alius haud moderatior, & ipse, ut prior, absque auctoris nomine. Censebant plerique amicorum præclare facturum Marcam, si nebulonum istorum improbitatem retunderet, ut universi agnoscerent putidas eorum calumnias, & ut eos suæ puderet impudentiæ. Alii contra inferius dignitate & gravitate ejus rati, si quicquam reponeret, præsertim, cum impostorum nomina ignorarentur, suadebant, ne sibi hunc laborem asciseeret, neve luctaretur cum umbris. Ipse, utrum respondendum esset, meditationi suæ reliquit; ac tandem abstinendum censuit, contemnendos existimans, ut ipse ajebat, latentes post columnas mali nominis debitores. Itaque is honor audacibus illis scriptoribus non obtigit, ut in eos styli mucronem Marca stringeret. At Romæ & Lutetiæ libri eorum publicis edictis prohibiti sunt & cremati; ut illic quoque esset concordia sacerdotii & imperii, quemadmodum ipse scriptum reliquit in quadam epistola.

XXXVII. Anno MDCLVIII. VII. Idus Aprilis incidit in gravem morbum, quem pleuritim medici vocant a dolore laterum, quo tantum non periit; ac viaticum, ut nos Christiani vocamus, tanquam discessurus, accepit, tribuente, ut optaverat ægrotus, illustrissimo Appamiarum Episcopo, Stephano Cauleto, suffraganeo Ecclesiæ Tolosanæ, qui tum forte Lutetiæ aderat. Convaluit tamen ex eo morbo; ac mense Majo, ex medicorum sententia, in villam Issiacum in agro Parisiensi sitam, quæ IV. M. P. abest ab urbe, se contulit, vitandi caloris causa, & ut procul urbis impedimentis valetudini daret operam. In hac solitudine, si tamen solitudo vocandus est locus, in quo tantus vir degebat, respirare paululum cœpit, & privati viri vitam aliquantisper egit. Invisebant eum amicorum intimi, non ob aliud, quam ut lætos cum eo dies agerent, & sic valetudini ejus consulerent. Igitur confirmatus a morbo & a novis tentationibus cogitavit de profectione in suam diœcesim, a qua eum abduxerat rerum publicarum necessitas; eamque ob rem libros suos, schedas, supellectilem denique omnem Tolosam præmisit mense Augusto.

XXXVIII. Sed cum ad profectionem se diligenter præpararet, cui necti posse moras non providebat, præter expectationem ac desiderium suum Lutetiæ retentus est jussu Principis. Et quia ipse, quo licentiam abeundi facilius impetraret, ajebat, sibi decorum non esse, ut absque ulla causa aut privata aut publica abesset a sua diœcesi, inventa est ratio, qua scrupulus omnis ex animo ejus evelleretur, adlecto videlicet eo in numerum Ministrorum status. Ita vocant eos, quos Princeps secretis suis propius admovet, & quorum consiliis utitur in republica administranda. Diploma tamen statim datum non est ob subitum Regis discessum & præcipitem profectionem ad urbem Lugdunensem; ac in Burgundia demum confectum est, apud Divionem, XVII. Kalendas Decembris. Haud pigebit compendio referre verba hujus diplomatis: in quo Princeps ait, se, quum intimum Consilium crearet, statuisse unum etiam antistitem in illud admittere, quo suam in clerum Gallicanum inclinationem ac propensionem indicaret, & quia agnoverit neminem Episcoporum Gallicanorum hoc honoris gradu digniorem esse, quam Marcam, ob singularem intelligentiam ejus & probatam longa experientia in negotiis publicis industriam, tum etiam ob magna ejus in rem Gallicam domumque regnatricem merita, quibus omnibus rebus bonam de se existimationem, magnam famam & benevolentiam regiam populorumque promeritus sit, cum sapientiam consiliorum ejus consecuti semper sint eventus felices, his videlicet de causis sibi visum esse, ut vir ille, cujus præterea majores magnam reipublicæ operam navaverint in iis rebus, quæ ad religionem catholicam stabiliendam & ad prosperum regni statum conservandum pertinuerunt, ad dignitatem Ministri status vocaretur, ut deinceps in omnibus regiis consiliis haberet jus sententiæ. Neque profecto Princeps sapientissimus silentio transmisit res ab eo præclare gestas domi forisque. Summis enim laudibus extollens sapientiam judiciorum ejus, quamdiu senator & præses fuit in Parlamento Palensi, ac dein postquam inter consistorianos admissus est, flectens postea ad prudentiam ejus in exercendo munere Visitatoris generalis Cataloniæ, ait, administrationem ejus, quæ septem per annos duraverit, eo majori dignam præconio, quod in difficillima tempora inciderit, planeque opus fuisse prudentia ejus & charitate in rem publicam, ut regia auctoritas in ea provincia retineretur.

XXXIX. At Marca jussus Principem sequi, Parisiis discedens III. Nonas Novembris, Lugdunum pervenit XVII. Kal. Decembris; quo paulo post advenere etiam Dux & Ducissa Sabaudiæ ac sorores Ducis, ut Regem Ludovicum XIV. matremque ejus, Annam Austriacam, & Philippum Ducem Andegavensem illic agentes inviserent. Vidimus autem in ea urbe eminentissimum Cardinalem, Hieronymum Grimaldum, Aquarum Sextiarum Archiepiscopum, quem suis apud Antonium Cardinalem Barberinum officiis adjuvisse Marcam supra retuli, quum sedis apostolicæ Nuncium ageret apud Ludovicum Regem, anno millesimo sexcentesimo quadragesimo tertio. Neque silebitur in tempore, quam non vulgari amicitia Marcam ea tempestate honestaverit. Vidimus etiam illic illustrissimum virum, Josephum Mariam Suaresium Episcopum Vasionensem, cui magna cum Marca intercedebat amicitiæ necessitudo, quique me aliqua sua benevolentia prosecutus est, & quibusdam memoriis ornavit usui futuris in libris meis de vita rebusque virorum illustrium Lemovicensium. Marca porro Lugduni commoratus usque ad Idus Januarii anni insequentis, ea die, Rege Lutetiam redeunte, ipse ex præcepto ejus Narbonem petiit, Conventum Galliæ Narbonensis illic habiturus. Igitur Ararem navigio ingressi propter Athanacum, ubi quondam Augusti aram fuisse conlocatam, docuit Marca in libro de Primatu Lugdunensi, in Rhodanum mox delabimur; ac Viennam, Valentiam, Avenionem, Tarasconem, Belliquadrumque prætervecti, Arelatem demum pervenimus A. D. XVII. Kalendarum Februarii: ubi ab illustrissimo viro Francisco Grignano civitatis illius Archiepiscopo, & ipso intimo haud dubie Marcæ amico, splendide ac peramanter hospitio accepti sumus. Postridie transgressi in Galliam Narbonensem, proxima nocte diversati in oppido sancti Ægidii, ac sequenti die in Montepessulano, dein XIII. Kalend. transito Araure fluvio, propter quem olim situs erat vetus Cessero, Biterras pervenimus. Narbo nos deinde hospites habuit XII. Kalendarum Februarii.

XL. Illic agendo conventui maxime intentus Marca, intervallis tamen negotiorum utebatur ad noscendas antiquitates urbis. Aderat illustrissimus Bosquetus, Episcopus Monspeliensis; lætabaturque quod vir sibi amicissimus tantam curam Narbonis, unde ipse ortus erat, haberet; ac simul loca circumjacentia invisebant, scrutantes secreta maris,

maris, & vasta stagnorum spatia dinumerantes; stupendamque veterum Romanorum industriam & audaciam mirati sunt, qui alveum, rupto etiam aliquot in locis saxo, Ataci flumini ædificaverunt in medio stagno per immensum spatium. Instituerat equidem Marca, peculiarem librum edere, quo singillatim de his omnibus rebus dissereret. Erant enim quamplurima notatu digna; sed quæ tamen eruditum scriptorem desiderarent, ut obscura fabulis & a veritate ab utero aberrantia in viam reducerentur. Verum omisit hoc consilium, postquam anno sequenti nactus occasionem de iis agendi, nihil eorum prætermisit in libris, quos scripsit de limitibus Galliæ Narbonensis & Hispaniæ Tarraconensis. Ceterum eum illic agentem atrox casus perculit, mors videlicet Archiepiscopi Narbonensis, a quo ordinatum esse Marcam supra retuli: qui vita excedens apud Narbonem XVII. Kalend. Aprilis, quatriduo post ingenti luctu provinciæ sepultus est in Ecclesia cathedrali, sacra funeris peragente Marca. Tum vero peracto conventu Narbone excedens pridie Kalend. Aprilis, III. Nonas Tolosæ se reddidit.

XLI. Tum temporis eminentissimus Cardinalis Mazarinus in extremos Galliarum limites profectus, apud vicum sancti Joannis Luziensis ad oceanum constitit in diœcesi Bajonensi, quo eum accedere compulerat desiderium revocandæ pacis inter potentissimos Galliarum & Hispaniarum Reges jamdiu de gloria magis, quam de imperio certantes. Illuc Mazarinum assecutus Marca, & ab eo comiter ac benigne acceptus, ac secretorum ejus aliquoties particeps factus, non ante recessit, quam ab ipso admonitus est Regem brevi Tolosæ adfuturum, ubi conventus Occitaniæ habendus insuper erat. Intellexit Marca aperiri sibi viam reditus in suam diœcesim. Itaque ea protinus arrepta, in Benearnum denuo pergens, (nam antea illic quoque fuerat mense Julio) dein ad vicum Aquensem, quem ob aquarum salubrium copiam vulgato vocabulo Vasconico Bagnerias nuncupant, demum Tolosam se retulit VII. Kal. Octobris.

XLII. Haud multo post aperiuntur comitia Occitaniæ apud Augustinianos; atque interim Rex Ludovicus, Philippus frater, & amborum mater, Anna Austriaca, Tolosam advenere pridie Idus Octobris, cum amplissimo totius aulæ comitatu. Advenientes Marca excepit in introitu Ecclesiæ cathedralis, vestibus pontificalibus, ut fieri solet, indutus; habita quoque brevi ad Principem oratione, qua testaretur lætitiam apud eas gentes conceptam ob pacem factam & ob adventum ejus in hanc urbem. Dein supplicationes Deo actæ. Ceterum ea fuit Marcæ felicitas in his comitiis, in quibus præsedit, ut & privilegiorum provinciæ conservandorum rationem invenerit, (quod illi maximam apud populos gloriam peperit, eorumque in eum amorem mirifice auxit) & Regi insuper fidem suam probaverit. Sane post actum conventum, ipse, comitantibus omnium ordinum in comitiis consistentium viris, ad palatium archiepiscopale, ubi Rex cum tota familia regia habitabat, progressus, ut moris est, munera provinciæ majestati ejus obtulit VI. Kal. Januarii, habita quoque oratione plena dignitatis & eruditionis accommodatæ auribus Principis.

XLIII. Anno MDCLX. mense Januario habitus fuit conventus Episcoporum provinciæ Tolosanæ: in quo, ut in superiore, actum fuit de mittendis delegatis ad comitia generalia cleri Gallicani, ac præterea de eligendo Agente generali in rebus cleri, cujus electio eo anno pertinebat ad Episcopos Tolosanos. Piget referre historiam hujus conventus, nimium profecto cognitam ex sermonibus hominum, & ob pertinaciam contendentium de administratione illa. Neque aliud a vobis, [illegible] lectores, exegerim, quam ne refricetis [illegible], neve traducere velitis eos, [illegible] sunt. Satis illi pœnarum [illegible].

XLIV. Jam antea Mazarinus, cum facta pace Tolosam venisset, Marcæ significaverat, Regem in eum conjecisse oculos, ut una cum illustrissimo viro Hyacintho Serronio, Episcopo Arausicano, qui Perpiniani apud Ruscinones morabatur, & cum iis viris, quos Hispaniarum Rex ob eandem causam missurus erat in eas regiones, expenderet, qui fuerint olim limites Galliæ Narbonensis & Hispaniæ Tarraconensis in ea Pyrenæorum montium parte; hanc enim esse conditionem pacis, ut Gallia coerceatur intra suos limites antiquos, qua Cataloniam attingit. Igitur Tolosa digressi A. D. XI. Kalendarum Martii, ad Carcassonem cito. Deinde Livianam, Narbonem, Leucatam ac Salsulas, nota priscis scriptoribus nomina, pervenientes, postremo Perpinianum ingressi sumus V. Kalendas: ubi Marca habitavit in ædibus Josephi Margariti, veteris amici. Advenientes porro nos splendide accepit Arausicanus Episcopus, obviam etiam progressus usque ad Salsulas, quæ X. M. P. absunt a Perpiniano. Quin & urbs Perpinianensis, quasi convulsa sedibus suis, prorsus quasi migrare putaretur, ut Hieronymi verbis utamur, ad excipiendum spectandumque Marcam effusa, obviam quoque ei processit usque ad aliquot milliaria. Ipse vero inter venerantes gratantesque aspiciebatur, eo lætior, quod durare viros in amicitia & abesse adulationem intelligeret, ac præterea apud eos valere memoriam veteris sui erga eos amoris & rerum ab eo præclare gestarum in his regionibus. Intererat videlicet jam tum, quod est pulcherrimum, posteritati suæ. Vidimus Perpiniani venientes apud eum Catalanos, non ob aliud, quam ut sui in eum amoris abundantiam illi ostenderent; viri boni, si se amari intelligant; asperi & duri, si se contemni noverint.

Hier. in epist. de muliere septies icta.

XLV. Expectabantur interim Hispanici delegati; quos rumor erat statim adfuturos ac Marca pervenisset ad Ruscinones; eam solam esse causam morarum. Intelleximus postea commentum id fuisse, quum vidimus eos adeo lente festinare, ut non ante loco se moverint, quam nostri ad Mortaram tum Cataloniam loco Regis Hispani tenentem misissent clarissimum virum, Petrum a Ponte, Abbatem Arulanum in diœcesi Helenensi, qui fuerat olim in familia Marcæ, rogaturum, ut eorum profectionem urgeret, & ut cum eo consultaret de loco, ubi commode tractari posset limitum utriusque regni definitio. Tandem igitur advenerunt Ceretum XIII. Kalendas Aprilis: quo se quatriduo ante contulerant Marca & Serronius, ne illis mora ullo pacto imputari posset, cum ex Abbate audivissent de eo loco inter ipsum & Mortaram convenisse, & delegatos brevi adventuros. Ceretum porro oppidulum est satis amœnum haud procul Teco flumine, XVI. M. P. a Perpiniano, in extremis ferme comitatus Ruscinonensis finibus. Nam ad quartum ab eo milliarium spectatur castrum Bellaguardiæ; infra quod visebantur olim trophæa Pompeji in summo Pyrenæo posita, quæ, ut docet Strabo, Hispaniam & Galliam distermінant; isque locus hodie est in confinio Galliarum & Hispaniarum.

XLVI. Accidit autem, ut, quum Ceretum pervenissemus, Serronius pro imperio edixerit, ut rustici illarum partium gratis paleam alendis delegatorum equis subministrarent. Sueta hæc ut plurimum in his regionibus equorum pabula; ne videlicet animal suapte natura superbum nimia lascivia insolesceret, si fœno tantum, quod ibi pinguissimum nascitur, aleretur. Æquissimum porro videbatur, ut illos privatim quisque de suo juvaret, qui rei publicæ causa relictis sedibus suis in eas regiones venerant non sine magnis sumptibus. Itaque edictum illud prompto obsequio amplexi sunt populi; videbanturque quotidie erumpentes e montibus rustici, paleam, ut jussi erant, deferentes. Marca tamen nihil earum rerum, quæ venales erant, accepit sine pretio, gnarus videlicet tempo-

temporum, quibus Cataloniam & adjacentes regiones mirabili abstinentia & integritate administraverat, adeoque hunc vitæ ordinem non deferendum. Has hominis virtutes sponte celebrabant indigenæ, publice reputantes moderationem ejus, & quod toto vitæ tempore æquabilis esset, nulli gravis, & in neminem contumeliosus.

XLVII. Duo illi viri, quos Rex Hispanus cum Marca & Serronio committere voluit, erant Catalani, atque ideo rei, quæ tractanda erat, propiores, viri sane graves, & huic negotio non prorsus impares. Qui primas tenebat in hac delegatione Eques erat ordinis D. Jacobi, vocabaturque Michael Salba, vir severus & tristis, vultusque ad gravitatem compositi. Alteri, qui Catholici Regis Consiliarius erat in senatu Cataloniæ, nomen fuit Josepho Romeo, ingeniosissimo viro & festivo, utpote Dertosensi; & salutaverat Musas. Cum his Marca apud Ceretum expendit veterum loca, quæ Ruscinonensem tractum ac circumjacentes populos Galliis assignant, initio ducto a promontorio Aphrodisio, in quo templum Veneris, & Cervaria loco, qui Galliæ finis dicitur a Mela. Tum Melæ locus explicatus nova ratione, adductis auctoritatibus ex auctoribus finium regundorum. Rejecta & explosa Ferdinandi Nonii, hominis Hispani, editio: qui absque ulla vetusti codicis auctoritate, & contra constantem omnium editionum ac librorum fidem, vim etiam apertam inferens bonæ menti, textum Melæ audacissime, ne quid gravius dicam, corrupit, ut Hispanis suis gratificaretur. Disputatum, an monasterium sancti Petri Rodensis, ultra quod aliqui ajebant templum Veneris fuisse situm in altera promontorii parte, intra Gallias retineri deberet; tametsi a longo tempore fuerit in regione Emporitana, quæ dubio procul Hispaniarum portio semper fuit. In disputationem quoque venit comitatus Confluentinus, asserentibus Hispanis eum olim pertinuisse ad comitatum Ceretaniæ ac distingui debere a Ruscinonensi; contra affirmante Marca eum semper fuisse in diœcesi Helenensi, & partem quondam Ruscinonensis comitatus. Capsirium etiam, (quis crederet?) exiguus terræ angulus, ubi Atax fluvius Gallicus oritur, in controversiam deductum est; licet olim fuerit in diœcesi Narbonensi, & nunc sit in diœcesi Alectensi, quæ a Narbonensi resecta fuit auctoritate Joannis XXII. Pontificis Romani. Quæsitum postea, an Ceretani, ut hodie intelliguntur, fuerint olim intra terminos Galliarum, an vero Hispaniarum portio. Atque heic a Marca obiter emendata est vulgata Strabonis versio a Guillelmo Xylandro confecta, quæ Ceretanos ait esse gentem Hispanicam; ostensumque est, Græcum Strabonis textum nihil aliud docere, quam Ceretanos esse maximam partem Hispanicæ gentis, atque adeo aliquam Ceretaniæ partem Galliis attribuendam. Itum dein ad Urgellenses & vicinos illis populos; quos ea de causa, inter ceteras, ad Gallos pertinere debere ajebat Marca, quod in Pyrenæi jugo positi sint, ut docent Eginhartus & Poeta Saxonicus, & quod Ecclesia Urgellensis a Karolo Calvo, Francorum Rege, cujus præceptum authenticum vidimus ex archivo illius Ecclesiæ ad Marcam delatum, inter ceteras Septimaniæ, quæ Galliæ pars est, posita esse videatur. Addidit totum Urgellensem tractum eo tempore in Septimania fuisse, quandoquidem Ludovicus Pius Imperator in præcepto suo, quod idem authenticum vidimus ex archivo ejusdem Ecclesiæ allatum, monasterium sanctæ Gratæ, quod erat in diœcesi Urgellensi, vult frui eadem libertate & iisdem privilegiis, quibus cetera monasteria intra Septimaniam posita fruebantur. Intellexerunt Hispani, sibi rem esse cum magno viro & antiquitatis peritissimo. Itaque, cum non viderent vias exeundi ex his difficultatibus, ac tamen nollent sibi quicquam imputari posse, totum negotium de industria conturbarunt specie reverentiæ erga duos Administros regios, missis demum ad eos codicillis apud Ruscinones in prioratu beatæ Mariæ de campo confectis VIII. Kalend. Maji, in quibus continebantur diversæ eorum sententiæ circa limites in Pyrenæo figendos. Ceterum hæc, quæ dicta sunt, quamquam interfuerim omnibus testis oculatus, tamen ex relatione uberrima, quam de iis rebus Marca scripsit, quæque ab eo missa est ad amplissimum virum, Michaelem Tellierium amicum suum, bona fide excepi, quod non usque adeo credere velim meæ memoriæ, ut, si quæ scripto tradita sunt, non existimem consulenda.

XLVIII. Discedens autem Marca Perpiniano, ubi graviter ægrotavit, dissertationem reliquit de theca reliquiarum sancti Joannis Baptistæ, quæ servatur in Ecclesia Dominicanorum Perpinianensium, a se compositam per intervalla febris, ac Patribus illis traditam VI. Nonas Maji. Qua die iter ingressi sumus, Tolosam redituri. Eo cum perventum esset postridie Nonas, neque satis virium Marca haberet ad conficiendam viam usque ad vicum sancti Joannis Luziensis, ut illic Regi ac Cardinali Mazarino, pacis arbitro, rationem redderet rerum a se apud Ruscinones gestarum, sententiamque suam coram promeret, quæ apta videbatur ad finiendam controversiam de limitibus Cataloniæ & Galliæ Narbonensis, mihi, quo ipse amanuensi in his omnibusque aliis rebus utebatur, onus imposuit deferendi illuc comprehensam scripto sententiam suam manu propria subscriptam. Haud dubie adventus meus Hispanorum consilia turbavit spe jam & opinione Ceretaniam omnem devorantium; adeo, ut Administri regii in diversum abierint, dum Ceretaniam uterque Regi suo vindicare studet. Celebratam tum memini Philippi quarti, potentissimi Regis Hispaniarum, vocem, ipsi honestam, pro Marca honorificam. Agebatur, ut dixi, de Ceretania. Et quia Princeps ille intelligebat, res in eo statu positas esse, ut aut redeundum esset ad bellum, aut Ceretania dimittenda, optabat, ut Marca præsens heic adesset; conquieturam enim statim controversiam, quæ sapientia viri facile componeretur. Et ingens afflictis Hispaniæ rebus solatium videbatur Ceretaniæ imperium amittere judicio tanti viri, cujus magna per Europam fama & auctoritas erat. Sed tandem eo ventum est industria ac sapientia Mazarini, qui consiliis & eruditioni Marcæ plurimum tribuebat, ut relictis prorsus intra Gallias comitatibus Ruscinonis & Confluentis, Capsirioque & valle Querolii, magna etiam Ceretaniæ pars nostris finibus accederet, juxta novam Strabonis interpretationem. Tum vero redux ego apud Tolosam, convalescentem ex recenti morbo Marcam reperi: qui paulo post ad castrum archiepiscopale, cui Balmario nomen est, secundo ab urbe lapide secedens, illic operam dedit explicandæ huic nobili controversiæ de limitibus regnorum, de quo libro, quoniam occasio tulit, pauca isthic olim differui; ut interim, dum editio ejus adornari posset, scirent curiosi antiquitatis, quid in eo contineretur.

XLIX. Instituerat olim Marca, qua erat in Cataloniam ac Catalanos propensione, historiam illius gentis scribere; quam magna ex parte confecerat in secessu Murtensi, haud procul Barcinone, ubi duos libros composuit ex quatuor, quos meditabatur. Titulus autem eorum erat, CATALONIA ILLUSTRATA. Mutandæ inscriptionis occasio & causa fuit delegatio regia ad investigandos veteres regnorum limites. Quippe cum legendo deprehendisset totum illum tractum, de quo controvertebatur, ab Eginharto aliisque illius ævi annalium scriptoribus aliquando vocari *Marcam Hispanicam*, interdum vero *Limitem Hispanicum*, usus est opportunitate materiæ, ut libro titulum faceret de suo nomine. Itaque sic inscriptus est: MARCA HISPANICA, *sive* LIMES HISPANICUS. In libro primo proponit geographicam descri-

scriptionem comitatuum Ruscinonis, Confluentis & Ceretaniæ, dein tractus Urgellensis & circumjacentium populorum, Capsiriique, & Querolii, & si quæ aliæ regiones in quæstionem veniebant. Causas dubitandi in utramque partem adfert, & rationes decidendi, emendatis per occasionem aut illustratis veterum scriptorum locis, quibus in hac operis parte utitur. Tum conquisita origine Atacis fluminis, quem Polybius Narbonem nominat, digreditur paulisper ad antiquitates urbis Narbonensis, cujus mœnia priscis temporibus alluisse Atacem manifeste probat contra recentiorum quorundam opinionem. Capitolium Narbonis ac thermæ ubi fuerint, indicat. Septimaniæ vocabulum recens & sero repertum, nimirum post pulsos a Gothis Romanos, unde a Sidonio effictum sit, nove prorsus ac dilucide explicat, deducens videlicet originem ejus, non a Biterra Septimanorum, ut plerique, sed ab ea septem provinciarum Galliæ portione, quæ Gothis cesserat jure belli, quam Sidonius vocat Septimaniam Gothorum. Investigat ubinam hodie sit Illiberis, magnæ quondam urbis & magnarum opum tenue vestigium, utrum sit ipsa civitas Helenensis, an vero Caucoliberis ac pro Helena definitum. Titi Livii locus de Illiberi explicatus & illustratus. Ostenditur hallucinatio eorum, qui Concilium Eliberitanum apud Caucoliberim celebratum fuisse volunt, decepti affinitate nominis. Generales dein regulas ad disterminandas regiones proponit petitas ex verticibus montium, divergiis aquarum, & finibus diœceseon. In secundo libro agit de vetustis populis Cataloniæ seu Hispaniæ Tarraconensis, & quam provinciæ illius partem quisque eorum occupaverit. Non prætermittuntur nova nomina, & inventæ dein urbes aut oppida. Habet insuper egregiam & elegantem Montisferrati descriptionem. In tertio demum describit historiam illarum partium a temporibus Pipini Francorum Regis usque ad Hugonem Capetum, *præcipue incumbens*, ut ipse ad Valerium Diazium scribit, *rebus ecclesiasticis explicandis, videlicet descriptioni bellorum adversus inimicos crucis Christi gestorum, sive Sarraceni sive alio quolibet nomine appellentur;* non omissis Ecclesiarum constructionibus monasteriorumque & aliorum piorum locorum fundationibus. *Nec invideo*, inquit ipse in epistola ad Lucam Holstenium, *Regum nostrorum gloriæ, quorum opera, à temporibus Pipini usque ad Hugonem, religio in illis partibus restaurata est*. Vanum ergo est, quod ait Fagetus, illustrissimum Archiepiscopum libris Marcæ Hispanicæ, quorum duos jam olim composuerat apud Barcinonem, duos alios addidisse occasione controversiæ de limitibus regnorum in Pyrenæo figendis. Etenim unicus tantum liber additus est. Quod si reverendus ille vir mihi credere non vult, qui assiduus auctori fui, quum ista scriberet, qui meam ipsi operam in hoc commodabam, denique, qui opus illud penes me habeo, non video, quibus illum testimoniis convincere possim. Satis tamen erit ostendisse, illum graviter errasse in ista re narranda, adeoque mirum non esse, si in rebus gravioris momenti fidem & diligentiam ejus desiderare cogimur.

L. Perfecto demum opere, postquam caniculæ furentis æstus deferbuerat, Marca cogitavit de profectione in urbem regiam. Ergo Tolosam relinquentes pridie Nonas Septembris, Burdegalam advenimus VII. Idus; ubi vir illustrissimus, Henricus Bethunius, Burdegalensis Archiepiscopus, qui semper constans in amicitia Marcæ fuit, eum detinuit per biduum; ut suum in eum amorem illi ostenderet. Dein per Santones & Engolismenses Pictonesque transeuntes ceterosque regiæ illius viæ populos, Lutetiam demum pervenimus IX. Kalendas Octobris.

LI. Septimo dein Idus Martii MDCLXI. vita concessit eminentissimus Cardinalis Mazarinus, inedia, purgationibus, & vi ipsius morbi, qui diuturnus fuit, consumptus. Morte ejus distracta est Ludovici domus. Nam quæ unius animo regebantur, separari deinceps ac dividi cœpere; Principe tamen summam rerum in se trahente, ac vigentem se & parem ingentibus negotiis ostendente. Igitur assignato cuique munere suo a Principe, rebus ecclesiasticis cum majestate ejus tractandis admotus est Marca; cumque eo illustrissimus vir, Harduinus Perefixa, Ruthenorum Episcopus, & R. P. Franciscus Annatus, Presbyter e societate Jesu, qui conscientiam Principis regere solebat ea tempestate. Constituta hæc XVI. Kalend. Aprileis. Illud autem singulare eo die accidit, quod, cum electio de viris illis a Rege facta nota ubique esset, & apud omnes pervulgata, unus tamen Marca, fortunæ suæ ignarus erat, donec jussu Ludovici adveniens in ædes ejus Perefixa, qui eo demum mortuo ad archiepiscopatum Parisiensem nominatus est, hunc illi nuncium attulit ex insperato. Octavo post die additus his est vir illustrissimus Henricus Lamotha Hodencurius, Rhedonensis olim Episcopus, nunc vero Auscorum Archiepiscopus. Ea porro insecuta sunt tempora, quæ latere Marcam non sinerent, industriamque ejus ac doctrinam, ob magna, quæ suborta sunt negotia, desiderarent. Animus non est ea persequi, tum quia de omnibus longum esset dicere, tum etiam, quod quædam omittere in præsens juvat ob recentem invidiam, cui imparem me esse agnosco; quæ tamen dato tempore non reticebo, cum vitam optimi viri paulo uberius describere aggrediar.

LII. Kalendis dein Novembris, post confecta feliciter negotia, quorum causa ex Fonte-Blaudi Lutetiam jussu Regis Marca venerat una cum illustrissimo viro Cœlio Picolomineo Nuncio apostolico, graviter ægrotare cœpit, ac tam atroci morbo, ut licet ex eo emerserit, satisque firma valetudine uti visus sit per aliquot menses, nunquam tamen prorsus convaluerit. Composuit illa tempestate Gallica lingua dissertationem de infallibilitate Papæ, quam ego ab ore dictantis excepi. Ea fuit postrema lucubrationum ejus.

LIII. Extremo anno eminentissimus Cardinalis Retzius, Archiepiscopus Parisiensis, in gratiam reduci cupiens cum Rege, a qua jamdiu exciderat, ejus animum per amicos tentavit; ac Princeps optimus passus est frangi severitatem suam, ut longi exilii tædium tolerantem in gratiam recipiens magnum clementiæ suæ exemplum daret. Cœptum inde quæri in civitate rerum novarum avida, quisnam Ecclesiæ Parisiensi præficeretur, quod statim dictum ac statim vulgatum sit Cardinalem illum archiepiscopatu cessurum. Plures itaque erant in ore vulgi multos, ut solet, destinantis, dum unus eligatur. Sed Marca præcipue celebrabatur, nullis in hoc suis sermonibus, sed quia, cum par videretur, Princeps quoque in eum inclinare credebatur. Igitur omni civitate finem hujus negotii impatienter expectante, IV. Kalend. Martii anno MDCLXII. Ducissa Retzii ad Regem detulit chirographum Cardinalis apud Commerciacum in diœcesi Tullensi confectum XV. Kalendas Martii, quo pura & simplex cessio, ut vocant, archiepiscopatus Parisiensis continebatur. Quo factum est, ut Marcam Rex ad se statim accerseret, nihil minus cogitantem, quam ut de archiepiscopatu Parisiensi illo die ageretur. Neque enim sciebat, quid accidisset. In cubiculum itaque interius, ubi Princeps solus erat, introductus, & ab eo comiter acceptus, ex ipsius ore brevi intellexit, liberum majestati ejus deinceps esse, quem liberet Ecclesiæ Parisiensi præficere, quod in manu haberet chirographum Cardinalis Retzii sponte eam deferentis. Addidit, nihil hac Ecclesia illustrius esse inter Gallias, nec ullum esse sacerdotium, quantumvis amplissimum, quod cum Parisiensi possit comparari. Illud autem se Marcæ eo lubentius donare, quod existimaverit, virtutes ejus tantas esse, ut facile primum ille locum obtineat inter Episcopos Gallicanos, sciretque præ-

præterea fidem ejus in familiam regnatricem longa experientia probatam esse. Proinde acciperet, quantum Princeps tribuere amico posset & amicus a Principe accipere. His dictis, chirographum Marcæ tradidit. Ille vero grates agens, memoriam beneficii hujus sempiternam fore pollicetur, quandiu vita suppeteret, archiepiscopatusque Parisiensis donum sibi datum eo magis æstimandum esse dixit, quod regale esset, ac præterea, quod in eum ultro conlatum, qui, ne paulo humanius de propriis virtutibus sentire videretur, illum petere noluerat. Quia tamen Princeps sapientissimus, quem ipse velut Dei interpretem in hoc negotio intuebatur, quandoquidem Ecclesia in eum contulerat jus nominandi Episcopos, existimaverit ipsum tam illustri beneficio dignum esse, nolle se muneribus ejus obniti, neque altius scrutari, quibus de causis ipsum supra omnes collegas suos extolleret; satis sibi esse, quod a Principe & a tali Principe eligeretur. Fidem dein suam in Regem perpetuam fore affirmavit; ac tamen eam augeri non posse, cum tanta foret, ut nec recenti beneficio obligatus, eoque maximo, majorem præstare possit; sed agniturum Regem, quanta sit, quoties mandata ejus ad se perferrentur. Reposuit Ludovicus, nihil addubitare se de fide promissorum ejus, ceterum ei facillimum hauddubie futurum regiis jussis obsequi, quæ semper intra limites æqui consisterent. Insigne visum est earum literarum initium, quas eo die Princeps ad Alexandrum septimum Pontificem Romanum scripsit, ut eum consilii sui certiorem faceret; in quibus ait ingentes virtutes intelligentiamque & singularem pietatem Marcæ, ac magnam & amplissimam operam ab eo in multis arduis negotiis navatam Ecclesiæ, sibi, & reipublicæ, ejus apud se ponderis fuisse, ut ipsi Parisiensem archiepiscopatum ob hoc donaverit, quo tantis virtutibus gratificaretur, præmiumque illis debitum tribueret.

Tres saint Pere, Les grandes qualitez, la suffisance, & la singuliere pieté de Messire Pierre de Marca Archevesque de Toulouse, & les grands & recommandables services qu'il a rendus à l'Eglise, à Nous, & à cet Estat dans les affaires les plus importantes, nous convians de plus en plus à le gratifier, Nous luy avons accordé & fait don de l'Archevesché de Paris vacant par la demission pure & simple que nostre tres-cher & tres-amé Cousin le Cardinal de Retz dernier titulaire & possesseur d'iceluy en a faite par acte du XV. du present mois. Ce que nous avons bien voulu faire sçavoir à vostre sainteté, & la supplier & requerir autant que nous pouvons à ce que son bon plaisir soit à nostre nomination, priere, & requeste de pourvoir ledit sieur de Marca dudit Archevesché de Paris, luy octroyant & fai sant expedier les Bulles & provisions apostoliques necessaires suivant les memoires & instructions qui en seront presentées à vostre sainteté, laquelle nous prions Dieu, Tres-saint Pere, vouloir longuement maintenir & garder pour le bien & utilité de son Eglise. Escrit à Paris le XXVI. jour de Fevrier 1662.

Vostre devot fils le Roy de France & de Navarre

LOVIS.

Ceterum vulgato Principis facto, manifestum fuit, quæ lætitia hujus civitatis, quæ omnium alacritas fuerit, ex eo æstimantium, quantus Princeps futurus esset Ludovicus, qui admodum juvenis tam sapienter eligeret, & ad æternam ejus gloriam pertinere facinus illud asseverantium, eoque laudes ejus illustrari. Ipse vero boni facti sibi conscius, tacere non poterat; sed apud omnes prædicabat, velut sententiam singulorum exquirens; lætabaturque hauddubie vehementer, cum accedere intelligeret universorum consensum, procul ab adulatione.

LIV. Sed præclare scriptum est, nihil infra lunam esse, nisi mortale & caducum. Venio enim ad fatalem illum & acerbum diem, quo vir optimus nobis post magnum & diuturnum morbum ereptus est. Falluntur profecto, qui existimant diem adimere ægritudinem hominibus, & dolores, quantumvis magnos, vetustate mitigari. Dies enim non modo non levat luctum hunc meum, sed etiam quotidie auget magis, adeo, ut non sperem, unquam adimi posse, quamdiu durabit recordatio viri illustrissimi, quæ non perpetua esse non potest. Ira numinis in res nostras fuit hic casus & debita sceleribus nostris pœna; atque utinam lentiori gradu ad vindictam sui divina ira processisset. Sed finem facio querelarum, ne non tam calamitatem nostram deplorare, quam Deum incusare videar, & veniam ad id, unde me affectus meus abstraxit.

LV. Quinto Idus Maji, quæ dies Jovis dicebatur, Marca satis diu in horto suo post prandium ambulavit, lætus, & nulla ægritudinis signa præferens. In cubiculum tamen postea secedens, lassitudinis mentionem forte injecit; quam morbi indicium esse quis credidisset post longam ambulationem? Hora dein quarta decubuit, requiem defatigato corpori concessurus, ut ipse ajebat, sed re vera ex vi morbi. Quippe jam tum febre laborabat, quamvis leviter. Certe is initio morbus fuit, ut & ipse & medici eum contempserint, licet nihil interim omitterent eorum, quæ ad restituendam valetudinem ejus necessaria & opportuna esse existimabant; adeo, ut septimum post diem visus sit melius se habere, credereturque prorsus convaluisse. Sed subito tanta vis morbi prorupit VII. Kalend. Junii, ut de vita ejus metuere & medici cœperint, licet metus suos fateri nollent. Scio enim uni ex ipsis, qui eo die ad visendum eum bene mane venerat, lacrymas excidisse abeunti; quamvis alacritatem vultu præ se ferens, bono nos animo esse juberet. Ita quippe comparati sunt medici, ut, quamquam sæpe intelligant, tamen nunquam ægris, aut iis, quibus illorum salutem curæ cordique esse norunt, illo morbo dicant eos esse morituros; ne utrisque molestiam exhibere videantur, neve mœrorem illis accersant ante tempus. Tum primum vero Marca, quasi fatalem ac supremum diem imminere præsentiret, desperare de vita cœpit, sciens videlicet gravius ægrotare eos, qui, cum levati morbo videntur, in eum de integro incidunt. Itaque licet Vicario sancti Sulpitii (nam in ea parrochia ægrotabat) initio morbi peccata sua confessus esset, iterum tamen V. Kalendas eo munere perfunctus est diligenter; ac postridie viaticum publice accepit cum magna reverentia, ut decebat tantum virum. Meminisse possunt, qui aderant, quis fuerit tum vultus ejus, quæ modestia totius corporis, quamque reverenter ac demisse venientem ad se Christum acceperit, prolocutus coram omnibus oratione brevi, sed docta & religiosa, sententiam suam de præsentia corporis Domini nostri Jesu Christi, in sanctissimo Eucharistiæ sacramento, dicens confidere se in meritis Jesu Christi, qui pro omnibus hominibus pretiosissimum sanguinem suum in ara crucis effuderat. His ita dictis, componens se rursum in omnem reverentiam, deprecatusque errores suos & graves in Deum offensiones, ac pluries repetens indignum se esse, ut Dominus apud eum ingrederetur, Viatico se instruxit, arbitrio divino, quod reliquum erat, ex animo prorsus permittens. Excussit profecto nobis omnibus lacrymas, tametsi lætitiam imitari coram pro virili quisque nostra studeremus, ne intelligere videremur, eum in magno vitæ periculo versari. Nihilo tamen melius ipse de se existimabat, vanas esse & inanes spes nostras dictitans; adeo, ut cum aliquot post diebus recreatus quodammodo videretur e morbo, nihilque deinceps metuendum esse medici pronunciassent, ipse dixerit, illos triumphum canere ante victoriam. Recruduit enim statim morbus atrocius. Itaque Marca parum spei ponebat in remediis humanis: sed preces continuo ad Deum

apud

apud ſe fundens, facile abſtinebat ab omni ſermone, niſi quando medici aderant, aut Vicarius ſancti Sulpitii. Reliquo ferme temporis neminem ſuorum admittebat præter neceſſarios, niſi quum ipſe alios vocari jubebat. Nam externorum nemo in cubiculum ejus introducebatur. Attamen quando dolor intervalla dabat, animumque relaxabat, me lubenter audiebat legentem aliquod caput ex novo teſtamento, vel ex libro de amore Dei, quem ſanctus Franciſcus Saleſius, Gebennenſium Epiſcopus, compoſuit. Horum enim librorum lectione valde capiebatur, ſive ſanus eſſet, ſive ægrotus. Memoria teneo, ipſum medicis, qui taciturnitatem illam in eo accuſantes ſuadebant, ut aliquorum familiarium colloquia apud lectum ſuum ſuſtineret, hactenus reſpondiſſe, auditurum ſe lectionem alicujus libri, ut morem illis gereret. Adeo pertinax fuit ſilentii propoſitum, ut temperamentum quæreret, quo medicorum monitis obtemperaret, ac tamen nihil ex obſtinato ſilentio remitteret. At Vicario interrogante, cui præcipue meditationi inſiſteret in tam diuturno ſilentio, dixit multas menti ſuæ cogitationes obverſari, ſed præcipue cogitare de diſceſſu ex hac vita, ideoque a ſe rationem anteactæ vitæ ſerio exigere, Deique miſericordiam crebro implorare, quo veniam delictorum ſibi tribuere dignaretur. Addidit, ſe memoria repetere, quæ ſibi ex obſervationibus ſuis in novum teſtamentum & in pſalmos Davidis in mentem tunc veniebant, qui animum divinis alimentis paſceret.

LVI. Tanta autem magnitudo animi in eo fuit, ut, licet morbi longinquitas omnes patientiæ terminos excedere ſuaderet, ac vis ipſa morbi abſque dolore eſſe non poſſet, nunquam tamen impatientiæ aut doloris ſignum dederit, niſi quum dormiebat. Scilicet robuſtus & excelſus animus inferius dignitate ſua exiſtimabat, ſi dolere videretur; cohibuiſſetque impetum naturæ dolores ſuos confitentis, ſi tam in poteſtate noſtra eſſet moderari affectibus dormientium quam vigilantium. Sed habent nimirum fortaſſis animus & corpus viciſſitudines ſuas. Ac ſicut vigilantes animi imperio, corporis ſervitio magis utimur, ut Salluſtius dixit, ita corpore in libertatem vindicato per ſomnum, animus ei ſervire cogitur & ſenſus ejus palam promere. Unde dubitare cogor, verane ſit Zenonis ſententia, qui contrahi animum & quaſi labi ac concidere exiſtimavit, dum homo dormit; an contra, manentibus aliorum ſententiis, animi quidem firmitudo ſemper eadem ſit, ac tamen corpori nonnihil concedi debere intelligat, ut concordia inter utrumque perſeveret.

LVII. Initio menſis Junii, diem non memini, Marca viſus eſt mortalitatem explere; intercepto videlicet pulſu venarum & frigore jam occupante extrema corporis; oculis quin etiam conturbatis, eoque in ſtatu permanſit ad aliquot horas. Intelleximus nos, ea eſſe funeſta mortis præludia, quæ quater aut quinquies ante obitum ejus contigere non ſine magno metu ac ſtupore noſtri, quoties evenirent. Nec ipſe, quamvis non ignoraret, cujuſmodi præſagium eſſet abſceſſio illa pulſus in ægroto, ſignum aliquod mœroris vultu aut voce dedit: ſed eodem vitæ ordine relinquendas eſſe terras arbitratus, abjecit omnem vivendi ſpem; ac tamen ſe totum medicis permiſit, ne de benignitate Dei deſperare videretur. Memoriæ interim ſuæ incurioſus non fuit; quando etiam ſapientibus, ut ait alicubi Tacitus, cupido gloriæ noviſſima exuitur. Etenim cum nollet perire lucubrationes ſuas, perſuaſumque in animo haberet, id quod ſanus ac bonæ mentis pluries dixerat, illas mihi uni notas eſſe, neque ab alio legi facile poſſe ob frequentes lituras, & quia nemo alius cogitationum ejus peritus erat, vocari me quadam nocte juſſit ſub initium, ſi bene memini, menſis Junii; cumque mandata quædam verbo dediſſet, ad extremum relinquere ſe mihi dixit omnes ſchedas ac lucubrationes ſuas, ut mea cura emitterentur in publicum. Hauddubie nihil mihi præclarius contingere poterat, quam ut vir ſummus nominis tali me honore dignaretur, haſque ultimas voces pectori meo relinqueret. Sed quoniam reverendus ille vir, cujus in initio iſtius libri fecimus mentionem, auſus eſt nuper ſcribere, falſa me pro veris ſuppoſuiſſe, quamquam non ſit operæ pretium, excutienda tamen eſt illa hominis temeritas, & graviſſimis argumentis docendum, vanam & ſtolidam eſſe narrationem ejus. Ante quam vero ad eam materiam deſcendam, neceſſarium arbitror de me aliqua dicere, cum ex his etiam, quæ dicturus de me ſum, colligi poſſit vanitas iſtius Fageticæ ſcriptionis. Quippe ex favorabili præſtantiſſimi viri de me judicio, tum ex ſingulari ejus in me bonitate profectum eſt, ut is extremum illud mandatum mihi dederit, de quo nunc conqueritur Paulus Fagetus. Defendendi cauſa hæc, non gloriandi, loquor; tametſi probe ſciam, mihi vitio aut inſolentiæ verti non poſſe, ſi gloriarer in eo, quod vitam meam multum exornat, actam nimirum meliorem ætatis meæ partem cum ſummo viro, amatum me ab eo fuiſſe, ſic enim gloriari poſſum, denique illum bonam de moribus & ſtudiis meis opinionem habuiſſe, nullo ſane merito meo, ſed tamen habuiſſe. Si iſta gloriarer, quis reprehenſione dignum putare poſſet? Ad me igitur venio, narraturus, quo pacto in domum magni viri admiſſus ſim, quibus gradibus venerim in familiaritatem ejus, quæ fuerit illius de me opinio ex præcipuo ejus in me amore deſcendens.

LVIII. Habitabam Tutelæ Lemovicum in ædibus clariſſimi viri, & de quo plura dicerem, niſi pater meus eſſet, Joannis Karoli Baluzii, quum Marca, qui antea quoque pro ſua ſingulari humanitate & occulta quadam in ignotum hominem inclinatione ſuo tempore eruptura, plures ad me literas familiares manu ſua dederat, Joanni Baluzio, fratri meo, qui tum Lutetiæ morabatur & ad viſendum eum venerat, epiſtolam ad me mittendam tradidit prid. Kal. Junii, anni MDCLVI. qua me, nondum illi de facie notum, verbis honorificentiſſimis & amantiſſimis Lutetiam evocabat, ut apud eum eſſem, & ut de ſtudiis noſtris inter nos (quidni enim ejus verba referam?) communicaremus. Dubitatum non eſt, quin mihi rebuſque meis conduceret iſthæc occaſio. Itaque Tutela diſcedens A. D. XVIII. Kalend. Julii, cum deinde Lutetiam perveniſſem, habitare apud Marcam cœpi III. Kalend. Julii, quæ dies Jovis dicebatur, hora fere undecima aut non multo ſecus. O felicem illum diem & æterna memoria dignum, niſi is ipſe poſt ſexennium rediens, tam atrox animo meo vulnus inflixiſſet, ut lætitia illius diei nequaquam comparanda ſit cum dolore, qui ex morte ejus ſecutus eſt. Quippe ſexennio poſt, eadem die III. Kalend. Julii, Jovis quoque dicta, eodem ferme momento illum amiſi, quo cœperam ejus contubernio frui. Sed ad rerum ordinem. Igitur ex illo die aſſiduus ei comes, ita, ut quoad poſſem ab ejus latere nunquam diſcederem, ſive in urbe eſſet, ſive peregre proficiſcebatur, didici, quantum homo homini præſtet, & doctus indocto. Neque enim unquam ad eum accedebam in tot annorum ſpatio, & in tam frequentibus interrogandi audiendive occaſionibus, quin abirem doctior. Erat namque tantus ejus in me amor, ut me nihil celaret ſuarum obſervationum; eaque me familiaritate apud ipſum uti conceſſit, ut libere interrogarem, ſi quid inter ſtudendum occurriſſet, quod aſſequi facile non poſſem. Jam ea erat in illo bonitas, ut perſæpe anteverteret quæſtiones meas, mecumque liberaliſſime ac lubentiſſime communicaret, quod ipſe recenter adnotaverat. In libris autem componendis hauddubie nemine alio ſtudiorum ſocio & adjutore utebatur, quam me ipſo; id quod vir optimus non tacebat, ubi occaſio tuliſſet. Nam & apud

amicos & ſcriptis etiam literis hoc, quicquid in me eſt, ingenii & bonarum literarum laudibus abunde proſequebatur, ut omnes intelligerent, me ab eo non mediocriter amari & aliquo apud eum in pretio eſſe. Quo factum eſt, ut dixi, ut, cum cogitaret de lucubrationibus ſuis, eas mihi volens lubenſque reliquerit, nullis in hoc precibus meis, quicquid importune garriat graculus ille Fageticus. Quod ſi factum fuiſſet, diſſimulaturus non eram, ut nec alia diſſimulavi, quæ non erant tanti momenti. Nam & glorioſum hoc quoque mihi fuiſſet, habitam a ſummo viro fuiſſe rationem petitionis meæ.

LIX. Iſta cum ego ſcripſiſſem ſtatim ferme ab obitu illuſtriſſimi Archiepiſcopi, pervulgatuſque fuiſſet hic meus liber, nemo tamen toto illo intervallo, quod excurrit ab editione uſque ad annum MDCLXVIII. quicquam adverſus hanc meam narrationem repoſuit. Tandem vir reverendus Paulus Fagetus emerſit e tenebris; & accepto peſſimo conſilio, cum inſtituiſſet in publicum edere diſſertationes quaſdam, quas ipſe ait eſſe illuſtriſſimi Archiepiſcopi, vitam quoque ejus ſcribere aggreſſus eſt; in qua cum permulta dixerit contraria veritati, tum præfracte contendit illuſtriſſimum Archiepiſcopum mihi non ſolum non donaſſe ſchedas ſuas, ſed diſertis verbis juſſiſſe, ut eas traderem ejus filio Galactorio de Marca, id quod me feciſſe aſſeverat. Tum in furioſis illis ac dementibus ſatyris, quas adverſum me vulgavit, & quibus nomen meum famamque obſcurare ſe poſſe credidit, cum illas dictaret, acriter in me inſurgit ac debacchatur, ac rurſum clamitat Marcam juſſiſſe, ut ſchedas illas Galactorio reſtituerem, repudiatamque a ſummo viro fuiſſe petitionem meam, cujus ea fuerat temeritas, ut earum editionem mihi commendari poſtulaverim. Primum admiror hominis impudentiam, qui rem, quam ipſe ſcit eſſe falſiſſimam, perfricta fronte mordicus contendit eſſe veram. Si quid in me criminis fuit, ſtatim arguendum erat, nec ſexennii ſilentio prætereundum. Ea argumentatio, ut ego quidem arbitror, plurimum momenti habet in hac cauſa. Sed tamen Fageti narrationem eſſe falſam, oſtendam etiam argumentis. Deinde aperiam originem hujus mali, & quibus furiis agitatus Fagetus iſta adverſum me meditatus ſit.

LX. Primum illud obſervandum eſt hoc loco, agnoſcere Fagetum & confiteri, verſatum eſſe me *accurate* in deſcribendis his, quæ acta dictaque fuerunt per morbum illuſtriſſimi Archiepiſcopi, atque ob eam cauſam prætermiſſum ab illo eſſe iſtud argumentum. Deinde illud quoque ab æquis lectoribus poſtulo, ut etiam ex hac reverendi illius viri confeſſione colligant, habendam mihi eſſe fidem in narratione rerum, quas ægrotante Marca contigiſſe adnotavi, eo tempore, quo divinare non poteram futurum aliquando, ut Fagetus evaderet ſcriptor vitæ ejus. Nam ex his duabus obſervationibus patebit manifeſte vanitas iſtius Fageticæ fabulæ. Itaque ſcripſi initium iſtius morbi incidiſſe in diem V. Idus Maji, ægrotum melius ſe habuiſſe poſt ſeptimum diem, ita, ut crederetur prorſus convaluiſſe, ſed ſubito tantam vim morbi prorupiſſe VII. Kal. Junii, ut de vita ejus metuere & medici cœperint. Unde ſequitur evidenter eum cogitare non potuiſſe de ſtatu lucubrationum ſuarum a die ſeptima morbi uſque ad decimam ſextam. Et tamen Fagetus ait illum *undecimo circiter morbi die* imperaſſe Baluzio, ut lucubrationes ſuas redderet *perilluſtri Præſidi de Marca, ejus filio, quamprimum ex urbe Pali Lutetiam Pariſiorum venturo*, huicque illum præcepto ſe *gnaviter* obtemperaturum reſpondiſſe. At ſi iſta contigere, poſtquam Marca deſperavit de valetudine recuperanda, ut patet ex ſerie narrationis Fageticæ, omnino conſtantiſſimum eſt, non contigiſſe undecimo circiter morbi die. Nam eo tempore ita ſe bene habebat Marca, ſaltem in ſpeciem, ut amotus nobis eſſet tum omnis metus, & ipſe de nulla alia re magis cogitaret, quam de valetudine recuperanda. Eo autem ſalvo, ſalvæ quoque erant lucubrationes ejus; quæ, eo vivente, penes ipſum eſſe debebant, adeoque penes Baluzium; neque opus erat, ut earum editionem iſte ſibi committi poſtularet, quam curaturus eſſet ille, quem tunc victurum eſſe, & ipſe & nos omnino credebamus. Sed hinc quoque narratio Fageti deſtruitur, quod ait iſta mandata Baluzio eſſe, quo tempore Præſes expectabatur. Quippe is undecimo circiter morbi die nondum ſciebat patrem ægrotare, adeoque rumor nondum eſſe poterat illum Lutetiam quamprimum adventurum. Nam & illud certum eſt, captum a Præſide non fuiſſe conſilium veniendi Lutetiam, niſi poſtquam intellexit, patrem in extremo vitæ periculo verſari, & Palo digreſſum non eſſe ante medium menſem Junium, id eſt, ante trigeſimam ſeptimam circiter morbi diem. Itaque Lutetiam advenit V. Nonas Julii, id eſt, ſecundo & quadrageſimo die poſt diem undecimam morbi, & quinquageſimo quarto ab initio morbi, quinto autem a morte patris.

LXI. Huc uſque (ut cum Hieronymo loquar) de criminibus meis, immo pro criminibus meis, quæ in me quondam ſubdolus laudator ingeſſit, non ut debui, ſed ut potui, moderato dolore reſpondi. *Hieron. lib. 1 adverſ. Ruffinum.* Supereſt, ut quæ de ſchedis illis ac lucubrationibus olim dixi, ea nunc repetam, non in averſione, ut, tum factum eſt, ſed eo ordine, quo peracta ſunt. Statuit ergo Marca de lucubrationibus ſuis, poſtquam deſperare de vita cœpit, id eſt, poſt diem VII. Kal. Junii. Tum me vero ad ſe vocavit, ut dixi, ac præſente reverendo illo viro mandata quædam dedit in aurem; dein palam ac voce quantum licebat elata mihi dono dedit ſchedas ac lucubrationes ſuas, earum editionem mihi verbis minime ambiguis commendans. Referam enim ipſa ejus verba. *Quoad vero ſchedas ac lucubrationes meas*, inquit, *eas tibi habeto, tibique illas commendo. Noſti conſilia cogitationeſque meas*. His dictis, avertit oculos, & in altera ſponda recubuit. Ego vero ad Fagetum, qui in cubiculo ægroti aderat, & ad domeſticos quoſdam converſus, *Audiſtis*, inquam, *ultima verba illuſtriſſimi Archiepiſcopi?* Heic omnes uno conſenſu affirmare, ſe nihil audiviſſe, quod receſſiſſent in angulum cubiculi, cum viderant Marcam jubentem, ut aurem meam admoverem ori ejus. Tum ego: *Dedit ille mihi ſchedas ac lucubrationes ſuas, earumque editionem mihi commendavit*. Illi rurſum affirmare ſe nihil audiviſſe. Teſtis eſt mihi Deus, quia non mentior, & quod rem, ita ut geſta eſt, expoſui, ſumma fide & eximia erga defunctum reverentia.

LXII. Res poſcere videtur, ut poſtea quam a me repuli iſtius maledicentiæ vim, originem ejus cauſamque ediſſeram, ut etiam hinc colligere poſſit lector, quam nulla fides habenda ſit reverendo illi viro adverſum me ſcribenti. Meminerat Fagetus veteris temporis, quomodo a prima ſtatim pueritia in domum Marcæ translatus fuerat, quomodo vir ſummus ita deſcendiſſet olim ad ejus curam, ac crudo ingenio cruſtulis ita blanditus eſſet, ut etiam primis literarum elementis imbuendum ſuſciperet, mox ad grammaticam & cetera impuliſſet, ac ſuccedente tempore cum illo ſtudia ſua liberaliſſime communicaſſet, illoque amanuenſi per multa tempora uſus eſſet, ut etiam iſtis pulcherrimarum rerum illecebris ineſcaret juvenilem animum. Ex eo profectum meminerat, ut ei vir illuſtriſſimus olim commiſerit cuſtodiam ſchedarum ſuarum, quas ille per multos annos ſervavit, donec Marca, qui meæ fidei mandaverat ſchedas, quæ apud ipſum erant Lutetiæ, dein, cum Toloſam veniſſemus, permulta, quæ in poteſtate Fageti erant, mihi tradi juſſit. Tum ille, quamquam his rebus non utebatur, primum tergiverſari, poſtremo fremere & indignari, quod theſaurus ille avaro incubatori auferretur. Ea fuerunt initia diſſidii diſſenſioniſque noſtræ, quæ deinde in apertam diſcor-

diſcordiam erupit. Etenim, cum poſtea illuſtriſſimus Archiepiſcopus veniſſet Lutetiam, & Fagetus in ædibus ejus habitans videret omnia ad me translata eſſe, nullam porro negotiorum aut ſtudiorum cognitionem ſibi dari, graviter & iniquo animo tulit illum contemptum, & in me, tanquam hujus mali cauſa eſſem, qui ſibi potius imputare debebat, omnes machinas movit, ut me ab ea poſſeſſione dimoveret. Denique eo res evaſit, ut & nullum inter nos commercium eſſet, quamvis intra eoſdem parietes habitaremus, quamvis communis nobis menſa eſſet; idque ſciente Marca; cui mores & ingenia Fageti jamdiu diſplicebant, quique ſatis intelligebat, unde profectum erat odium ejus adverſum me. Sed ad illud odium, velut cumulus, acceſſit morbus illuſtriſſimi Archiepiſcopi. Ferre non potuit Fagetus, ſe præſentem præteritum ab eo fuiſſe, cum de ſtatu lucubrationum ſuarum decerneret, ſe inquam, qui ſe gloriatur non averſo a Muſis animo eſſe, & magnam de ſumma ſua eruditione concepit opinionem. Hinc illæ lacrumæ. Hanc ille ob cauſam commoto & exulcerato adverſum me animo eſt. Putavit enim, hæc poſtrema mandata mihi dari non potuiſſe a ſummo viro, quin inde ſtatim colligi deberet, parvam fuiſſe Marcæ de Fageto opinionem, quandoquidem de re cogitans præclariſſima, conſanguineum ſuum præteribat, ut curam hanc imponeret homini extraneo. Hunc dolorem ſuum frequenter patefacit reverendus ille vir in ſatyris adverſum me ſcriptis, in quibus identidem clamitat, neceſſario deſcendiſſe ſe ad iſtud argumentum, injurias ſuas ulturum, & famæ ſuæ conſulturum, quam tentari ac peſſumdari vociferatur ex hac narratione mea. Sed his omiſſis, ad rerum ordinem redeo.

LXIII. Tertio Idus Junii, cum appropinquare ſe ſupremis Marca crederet, nihilque omiſſum vellet ex officio boni Chriſtiani, iterum ſacri corporis dominici pignus accepit, ſecreto tamen, neque ut viaticum; ac toto ferme illo tempore, quo Miſſæ ſacrificium in cubiculo ejus faciebat Presbyter domeſticus, intecto capite eſſe voluit, quo reverentius ſe erga Deum haberet; removitque manum meam, qui caput ejus operire tentaveram.

LXIV. Graveſcere interim cœpit valetudo ejus & in extremum diſcrimen adduci, adeo, ut & medici ipſi, omiſſa diſſimulatione, an quod antea bene ſperaverant, aliquot poſt diebus monuerint vix ullam eſſe ſpem vitæ. Octavo Kalend. Julii, urgente febre, & recedente rurſum motu venarum, dubitarunt, tanta vis morbi erat, an poſtridie reperturi eſſent vivum. Ergo media fere nocte accitus Vicarius impertiit ei extremam unctionem; præbebatque ſe ipſe ungendum, ad omnia intentus, & loquenti interdum reſpondens. Rediere dein vires, velut ad novos conatus, mirantibus medicis ſenem diuturno & acerbo morbo vexatum tamdiu vivere.

LXV. Poſtera dies levamentum aliquod dolori ejus attulit, perlatis Alexandri ſeptimi literis, quibus eum faciebat certiorem de tranſlatione ejus ab Eccleſia Toloſana ad Pariſienſem. Eas ipſe legi juſſit, attentiſſimeque audiit. Neque dubitavit aſſerere Archiepiſcopum ſe Pariſienſem prorſus eſſe, & eccleſiam urbis regiæ deinceps, ſe vivo, paſtore orbatam dici non poſſe, poſtquam nominationem Principis Romana ſedes approbaverat. Præſtat autem eas hoc loco referre.

Venerabili fratri, Petro, Archiepiſcopo Pariſienſi.

ALEXANDER PP. VII.

V*Enerabilis frater, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. In conſiſtorio ſecreto, quod hac mane habuimus, fraternitatem tuam ad Eccleſiam Pariſienſem ex Toloſana tranſtulimus: nec dubitamus, quin zelus, virtus & auctoritas tua rebus omnibus archiepiſcopatus iſtius, & præſertim Janſeniſmi zizaniis, uti ſcribis, diuturna præſulis abſentia ſuccreſcentibus evellendis omnino ſalutaris futura ſit. In quo ſane pietatis aliarumque virtutum tuarum injuria foret, ſi eas adeo præclare ſpectateque tanto cum bonorum omnium plauſu currentes adhortari vellemus. Porro ſacrum collegium venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium cum promeritis tuis, tum paternæ charitati erga te noſtræ tribuit, ut expenſarum pro expeditione facilitatem eam, quæ pro temporis rerumque circumſtantiis fieri maxime potuit, libenter indulſerit. Omnipotentem Deum piis conatibus tuis in iſta paſtorali vigilia propitium faventemque precamur, apoſtolicam benedictionem fraternitati tuæ peramanter impertientes. Datum Romæ apud ſanctam Mariam majorem ſub annulo Piſcatoris die V. Junii MDCLXII. pontificatus noſtri anno octavo.*

LXVI. Jam antea Canonici Pariſienſes, quo dolorem ſuum univerſis teſtatum facerent, pro valetudine Marcæ, quem ſummopere optabant ex eo morbo convaleſcere, preces ad Deum quotidie fundebant in ſacrificio Miſſæ; eoque exemplo idem factitatum eſt eorum juſſu in parochialibus Eccleſiis & in monaſteriis. At viſis tunc Alexandri literis, quas a me ad eos perferri Marca juſſit, ſolemnes in cathedrali Eccleſia preces, ut mos eſt in magnis Pontificum Pariſienſium periculis, fieri decreverunt; expoſito videlicet ad adorandum ſacratiſſimo corpore Domini noſtri Jeſu Chriſti IV. Kal. Julii, ut fideles populi ad matrem Eccleſiarum Pariſienſium ſupplices accederent, Dei miſericordiam pro eo ægrotante imploraturi. Par cura fuit ſereniſſimi Principis, Henrici Borbonii, Abbatis monaſterii ſancti Germani Pratenſis apud Lutetiam, qui III. Kalend. preces quoque ſolennes, expoſito item ſanctiſſimo corpore Domini noſtri Jeſu Chriſti, pro eadem cauſa fieri imperavit in Baſilica ſancti Germani; anxiis quoque ob eam rem & valde ſollicitis monachis Benedictinis Congregationis ſancti Mauri in illo monaſterio habitantibus, quorum fuit magna erga viventem reverentia, quoſque vir optimus haud vulgari amore perſequebatur. In ceteras quoque regni urbes & provincias manavit hic populorum ardor & charitas in Marcam; adeo, ut in quamplurimis Galliarum monaſteriis & Eccleſiis aſſidue ejus ſanitas a Deo flagrantiſſime poſtularetur, ut ex multorum ſermonibus & literis intellectum eſt. Sed quo Toloſanos piaculo taceam? qui cum viventem Marcam plurimum amaverint, non paſſi certe ſunt ei deſieri vota ſua in lamentabili hoc caſu. Conſtat ſane tanta ac tam religioſa fuiſſe populorum vota, ut ni aliter divina providentia jam ab initio morbi ſtatuiſſet, hauddubie ægrotus a morte revocari debuerit. Sed venerat noviſſima ejus hora & ultima periodus calamitatum noſtrarum. Horret animus commemorare tempus illud, quum ex horto optimi viri, ubi forte ambulabam, propere accitus ſum, ut extremum ejus ſpiritum exciperem. Itaque ſtatim in cubiculum ejus feſtinavi, metuens videlicet, ne abſente me moreretur. Spirantem ſane adhuc inveni, ſed ita ſpirantem, ut plane jam exanimis dici potuerit. Quippe ſic eum ſubito vis morbi oppreſſit, ut nullus corporis illius ſenſus officio ſuo fungeretur. Neque multo poſt extinguitur inter amplexus & lacrymas ſuorum. Paucioribus tamen lacrymis compoſitus eſt; & noviſſima in luce deſideravere aliquid oculi ejus, cariſſimum videlicet filium, quem unicum habebat, Galactorium de Marca, patris in munere Præſidis Palenſis ſucceſſorem & Abbatem monaſterii ſancti Albini Andegavenſis, qui quinto demum Nonas Julii huc advenit.

LXVII. Deceſſit Marca ad III. Kalendas Julii, quæ dies divo Petro Apoſtolo ſacra erat, hora fere undecima matutina, aut non multo ſecus, nono & ſexageſimo ætatis anno nondum exacto, cum novem & quadraginta dies eum ſæva vis morbi atti-

attinuisset in lecto. Parvum forsitan & leve memoratu videbitur, quod dicturus sum. Dicam tamen. Cum eum nos, qui domestici ejus eramus, quotidie ad mortem tendere cerneremus, spemque omnem abjecissemus, optabamus sane, ut, si vita concessurus erat ex hoc morbo, abiret saltem in die festo divi Petri, cujus nomen ipse ferebat. Audiit preces nostras Deus, nostrumque luctum exiguo hoc solatio levare voluit; utinamque eadem facilitate apertas aures habuisset ad vota, quæ concipiebamus pro valetudine ejus.

LXVIII. Hactenus res vivo Marca gestas memoravi, & quæ ægrotante eo ac moriente contigerunt. Nunc, quoniam fortuna nos ei superstites esse voluit, reliqua persequar, ne supremum officium mortuo negare videar. Inter medicos nihil convenerat de morbi genere, neque causam invenerant; licet artem suam optime callerent, & in id omni studio incumberent, ne fallerent, neve fallerentur; nam & amici erant. Occultam vim morbi esse affirmabant, quantum arte assequi poterant. Quippe febris interdum remissior, sæpe ex nullis causis apparentibus augebatur, & medicamenta, quæ frequenter suggerebantur, singulares omnino effectus consequebantur & ægroto utiles. Decies prosecta vena est. Decies bene cessit; ac ægrotus toties visus est melius habere. Pertinacia tamen morbi semper eadem; & ipse crebro querebatur, se ex visceribus laborare, manumque jecori identidem admovebat; unde conjiciebant medici, ac ex aliis etiam indiciis, intestinum illud esse læsum & affectum. Abscessum quoque suspicabantur alicubi inesse: quem tametsi manifeste deprehendas, quod est difficillimum, quomodo medicinam adhibebis? Igitur, eo mortuo, postularunt, ut exanimati corporis anatomia fieret, tum ut morbi genus deprehenderent, tum etiam, quod dicerent utile domui ejus futurum. Aperto itaque cadavere pridie Kal. Julii, viscera omnia integra & admodum sana apparuerunt; jecore tamen ac pulmone exceptis, in quibus vis morbi residebat. Illud utcunque livescens, & præ ardore febrili friabile, manibus vel leviter compressum, totum facile discerpebatur, & in exilia abibat frustula. At major pulmoni impressa labes. Nam præterquam, quod totus utrinque extima sui parte pleuræ firmius adhærescebat, fere totus insuper lobus dexter abscessu prævio suppuratum passus, in frustula crassiuscula ex mero pure compacta concreverat. Mox, recedentibus medicis, corpus lotum more Christianorum, & vestibus pontificalibus, ut fieri solet, convestitum, Pallio quoque archiepiscopali ornatum, in sarcophago plumbeo conditum est, cui juncta fuit ænea lamina, in qua hæc scripta fuerunt: HIC. JACET. CORPUS. ILLUSTRISSIMI. AC. REVERENDISSIMI. D.D. PETRI. DE. MARCA. ARCHIEPISCOPI. PARISIENSIS. ET TOLOSANI. QUI. OBIIT. III. KALEND. JULII. ANNO. DOMINI. M. DC. LXII. ÆTATIS. SUÆ. LXVIII. MENSE. V. DIE. VI. ANIMA. CUJUS. REQUIESCAT. IN. PACE. AMEN.

LXIX. A prandio sepultura peracta est a Canonicis ceterisque Presbyteris & clericis cathedralis Ecclesiæ Parisiensis, hora fere nona, funeris sacra peragente Decano; corpusque Marcæ, ut ipse vivens optaverat, humatum est in choro illius Ecclesiæ, infra cathedram Archiepiscoporum. Suprema hæc ei persoluta pridie Kalend. Julii. Fuere, qui publici funeris pompam requirerent, compararentqne, quæ in superiorum Pontificum Parisiensium mortibus honora & magnifica facta fuerant. Unum occurrit, quod respondeam, decessisse illum in loco non suo, adeo, ut difficillimum fuerit omnia observare solemnia, quæ in prædecessorum ejus funeribus observata fuisse memorabant; festinatam quin etiam sepulturam ob diuturnum morbum, & ne filius ejus, qui propediem adventurus erat, reperiret corpus insepultum.

LXX. Reliquit Marca præclaras lucubrationes multas, præter eas, de quibus supra memoravi, dignas profecto, quæ manibus eruditorum hominum terantur. Psalmorum enim Davidis LXXXII. priorum atque idem LXXXIII. sensum, literalem & perpetuum exposuit juxta mentem LXX. Interpretum ac editionis ejus, quam vulgatam vocamus; additis glossis, ut ipse vocat, sive annotationibus ad locos difficiliores, & indicatis etiam interdum eruditorum virorum diversis ac discrepantibus sententiis: perfecissetque hoc opus, si longiorem illi vitam Deus tribuisset. Instituerat præterea componere integrum opus de veteribus canonum collectionibus, præsertim Romanæ Ecclesiæ; non omissis interim canonibus Africanis, in quibus multa persæpe occurrunt, quæ lectorum diligentiam morantur, quæque viri docti manum hauddubie desiderant, ut difficultates complanentur. Nec tamen omnino periit hoc opus; supersuntque ex eo fragmenta aliquot magno usui futura eruditis. De exemptionibus quoque monasteriorum edere destinaverat aliquot dissertationes. Illud tamen admoneri in primis convenit, illas nunquam fuisse elucubratas ab illustrissimo viro.

LXXI. Sed in primis deplorandum est, Marcæ per valetudinem ejus non licuisse epistolam scribere, quam ultro promiserat se scripturum ad clarissimum & eruditissimum virum, Philippum Labbeum, Presbyterum e societate Jesu: in qua Honorium Romanum Episcopum, quem seculi nostri malignitas in concilio sexto œcumenico damnatum esse contendit ut Monothelitam, ab ea labe prorsus immunem reddidisset, ostendissetque, nihil aliud in eo damnatum esse, præter negligentiam, & quia varie se gesserat. Primum enim probare decreverat evidentissimis argumentis, germana esse acta illius Concilii, neque a Græcis corrupta, contra quam visum est nonnullis viris eruditissimis. Deinde probasset, Honorium illic fuisse damnatum, non quia Concilium putarit illum docuisse hæresim, ut quidam existimant, sed quia Sergii Patriarchæ CP. & Cyri Alexandrini consultationem ambiguis responsis eluserat, neque statim damnaverat hæresim tunc recens emergentem. Unde data populis orientis occasio credendi Monothelitarum opinionem non esse hæreticam, quandoquidem eam prima sedes non feriebat anathemate. Scilicet Honorius eo deceptus est, quod Patriarchæ illi pollicerentur, orientem universum, ubi Nestorii & Eutychetis errores vigebant, ad unitatem Ecclesiæ catholicæ rediturum, Conciliique Chalcedonensis decretum de duabus naturis in Christo unitis amplexurum, si concedi aliquo modo posset, unicam in Christo voluntatem fuisse. Et cum nova hæc opinio, ut sunt omnia ferme nova, interpretationi tum obnoxia esset, quando videlicet nondum damnata erat ab Ecclesia, Honorius, quo facilius orientem a vetustis erroribus revocaret, οἰκονομικῶς & per dispensationem a summo jure recessit, ut Marcæ verba ad hunc locum traham. Hæc tamen dispensatio infeliciter illi cessit; ut jamptidem observatum est in libro tertio de concordia cap. XIII. §. IX. Nam hinc factum, ut damnationis sententiam in eum pronunciaverit sexta synodus, persuasumque fuerit orbi universo illum insanam unius voluntatis opinionem fovisse, quam incipientem extinguere debuerat. Adferam heic loca veterum, quibus sententiam suam fulcire Marca destinaverat, ut epistolæ illius jacturam aliqua mea diligentia resarciam. Agmen ducet Leo, secundus Pontifex Romanus; qui de Honorio in synodo sexta damnato loquens, hæc ad Hispanos Episcopos scribit: *Qui flammam hæretici dogmatis non, ut decuit apostolicam auctoritatem, incipientem extinxit, sed negligendo confovit.* Sui similis est idem Leo in epistola ad Imperatorem Constantinum Pogonatum; cujus verba in contextu quidem Latino subobscura sunt,

sunt, sed in Græco mire conveniunt cum verbis epistolæ ad Hispanos. Ὅστις ταύτην, inquit, τὴν ἀποστολικὴν ἐκκλησίαν οὐκ ἐπεχείρησε διδασκαλίᾳ τῆς ἀποστολικῆς παραδόσεως ἁγνίσαι, ἀλλὰ τῇ βεβήλῳ προδοσίᾳ μιανθῆναι τὴν ἄσπιλον παρεχώρησε. Quæ sic rectius exprimi censebat Marca: *Qui hanc apostolicam Ecclesiam non est conatus lustrare doctrina apostolicæ traditionis, sed prophana proditione puram maculari permisit.* Imperator Constantinus manifeste docet, Honorium in hac fidei causa se varie gessisse: *Ad hæc & Honorius*, inquit ille in edicto suo, *qui fuit antiquæ Romæ Papa, hujusmodi hæreseos confirmator, qui etiam sui extitit oppugnator*: ὁ τῆς αἱρέσεως βεβαιωτὴς, καὶ αὐτὸς ἑαυτῷ προσμαχόμενος. *Significat*, inquit Marca, *pugnantia inter se scripsisse Honorium, atque hoc pacto hæreseos fuisse confirmatorem. Quæ in eandem cum Leone sententiam recidunt.* Hæc vero loca congesserat Marca, antequam discederet Parisiis, ad Fontem-Blaudi accessurus, anno millesimo sexcentesimo sexagesimo primo. Quibus addere volebat locum quendam ex Diurno Pontificum a Labbeo indicatum, ubi scriptum est, Honorium pravis Monothelitarum dogmatibus fomentum impendisse. Existimabat enim Marca negligentiam Episcopi in causa fidei crimen esse, quod depositionis pœna plecti deberet. In cujus sententiæ probationem adferebat rescriptum Imperatorum Honorii & Theodosii ad Aurelium Episcopum Carthaginensem, datum V. Idus Junias, Ravennæ, Monaxio & Plinta Coss. *Comminatur enim Princeps secundum canones*, ut Marca scribit, *episcopatus amissionem iis, qui segniter se gesserint adversus Pelagianos, & præter expulsionem a civitatibus, quæ pœna secularis est, interdictam quoque in perpetuum communionem.* Addunt Imperatores: *Una enim eademque culpa est eorum, qui aut dissimulando convenientiam, aut non damnando favorem noxium præstiterint.* Idipsum docent, ut Marca adnotatum reliquit, Leo primus & Innocentius tertius in Concilio Lateranensi. Unde colligebat ipse, potuisse Honorium a sexta synodo damnari, non quod docuisset hæresim, aut quod Monothelitis consensisset, sed ob negligentiam in damnando eorum errore; cum eadem sit culpa, ut inquiunt Imperatores, eorum, qui aut dissimulando convenientiam, aut non damnando favorem noxium præstiterint. Nam *inferiorum ordinum culpæ* (ut ait sanctus Leo in epistola tertia) *ad nullos magis referendæ sunt, quam ad desides negligentesque rectores: qui multam sæpe nutriunt pestilentiam, dum necessariam dissimulant adhibere medicinam.* Primum enim Honorii silentium, aut, ut cum Augustis loquar, dissimulatio ex epistolis Papæ Leonis secundi deprehenditur; qui eum redarguit, quod Monothelitarum hæresim negligendo confoverit, & quod proditione sua apostolicam Ecclesiam, quæ pura erat, maculari permiserit. Eædem Leonis epistolæ docent, eum favorem noxium præstitisse huic pestiferæ doctrinæ, quam non, ut docuit, apostolicam auctoritatem incipientem extinxit, sed negligendo confovit. Constantinus quin etiam Imperator hoc sensu dixit, Honorium fuisse hujus hæreseos confirmatorem. Sed præterea extant ipsæ Honorii epistolæ ad Sergium Patriarcham scriptæ, & in synodo sexta recitatæ, ob quas synodus illa, cum agnovisset eum aliquo modo tergiversatum esse in causa fidei, sententiam damnationis in eum protulit, ut negligentem; quod negligentia Episcopi in causa fidei crimen sit atrocissimum, cui omnem veniæ spem præcidunt iidem Augusti. Nam quod ad Honorii doctrinam attinet, jam alii probaverunt, eum prorsus aversum fuisse ab errore Monothelitarum, neque illis unquam consensisse; ut inutilis omnino futura sit mea opera, si velim hanc partem suscipere probandam. Dispensatio mera fuit, & quoddam velut obsequii genus, quo populos orientis demereri studebat, ut eos dein facilius ad unitatem Ecclesiæ catholicæ reduceret. Habes heic, erudite lector, delineationem quandam rudem epistolæ ejus, quam vir eruditissimus scribere decreverat: quæ si ab eo confecta fuisset, dubium non est, quin singulari beneficio sibi devincturus fuerit apostolicam sedem.

LXXII. Manent præterea adhuc quamplurimæ dissertationes ecclesiasticæ, a me separatim editæ, nimirum.

De stemmate Christi.

De tempore adventus Magorum: Et an Reges fuerint?

De patria Vigilantii.

De tempore Synodi Sirmiensis plenariæ: Et de Valentis & Ursacii venia.

De canone quinto synodi Constantinopolitanæ.

De synodica epistola synodi Illyricianæ habitæ decreto Valentiniani senioris, quæ extat apud Theodoretum, libro 4. histor. eccles. cap. 9.

De forma regiminis à Christo instituta in Ecclesia: Et de discrimine clericorum & laicorum ex jure divino.

In cap. Clericos. 3. q. 4. *de clericis brachio seculari tradendis.*

LXXIII. Præter ea opuscula illustrissimi viri, habentur quamplurimæ ejus epistolæ Latinæ ad diversos scriptæ: quæ si referrentur in volumen, magnum procul dubio facerent. Extant enim scriptæ ejus nomine, quamquam & aliquoties alieno, ut supra monui, epistolæ ad summos Pontifices, Cardinales, Episcopos & alios viros, dignitate aut eruditione præstantes: quarum nonnullæ, ut dicam, quod res est, continent tantum familiare literarum inter magnos viros commercium multo urbanitatis sale aspersarum; at ceteræ, quæ magno in numero sunt, tractant de multis ingentibus negotiis publicis ac privatis, aut de rebus ad rem literariam illustrandam spectantibus. Extant etiam quamplurima Gallice scripta opuscula, quæ recensere longum esset: quorum quædam tantum heic adnotabo, ut gustum reliquorum præbeam. Nam omitto de industria magnam molem narrationum sive relationum, codicillorum sive memoriarum, (Gallice *Memoires.*) & epistolarum, quas Gallice scripsit occasione diversorum ingentium negotiorum, quæ & ipsæ magno volumini sufficere possunt.

Quæstions notables de l'Histoire de France.

Traitè du Sacre des Roys de France.

De la publication du Concile de Trente.

Des Indulgences.

Des resignations volontaires des Eveschez.

De l'information des vie & mœurs des Evesques nommez.

Des reparations des Eglises ordonées par les Bulles aux Evesques.

Du droit de visite qu'ont les Evesques aux Eglises des Reguliers.

Traité de l'approbation des Reguliers pour confesser.

Du droit des Coadjuteurs.

LXXIV. Lubet heic in fine hujus libri, aliquantisper excurrere per laudes & memoriam magni viri, inita nimirum pulcherrima comparatione inter illum & Agricolam Taciti socerum. Uterque enim gradatim ad summos honores pervenit, quibus in republica quisque sua functus est. Agricola Britanniam provinciam tenuit ultra septem annos; Marca vero Cataloniam tantundem temporis administravit. Ambo illustri genere nati, speciosas opes habuere, non tamen nimias. Neuter fortunas suas auxit ex pecunia publica, neque ex bonis provincialium. Prudentia in utroque par, & humanitas prope singularis. Vis enim tibi compendio describam illustrissimum Archiepiscopum? Audi Tacitum de Agricola loquentem: *Quod si habitum quoque ejus posteri noscere velint, decentior quam sublimior fuit; nihil metus in vultu: gratia oris supererat. Bonum virum facile crede-*

Marca de Conc. Sacerd. & Imp.

crederes, magnum libenter. Nihil dicas interesse inter eos; nisi quod Marca felicior Agricola, bonos Principes nactus est, longioremque ac tranquilliorem vitam vixit.

LXXV. Rursum operæ pretium puto heic describere versus aliquot Terentii, quod eos huic meo instituto mirifice convenire arbitrer, malimque elegantissimi poetæ verbis uti quam meis, ut animi mei sensa exprimam.

Sic vita erat, facile omnes perferre ac pati
Cum quibus erat, cumque una, his se dedere,
Eorum obsequi studiis, adversus nemini,
Nunquam præponens se illis.

Magnam esse facilitatem ejus & comitatem omnis ordinis, homines ultro confitebantur ac prædicabant; quæ tanta fuit, ut vel humillimæ sortis homines facile admitteret, comiterque exciperet, quoties ejus ope indigebant, neminem contemnens, & in neminem contumeliosus. Attamen ejus facilitas non sine gravitate erat, neque comitas sine severitate; adeo, ut cum viri auctoritate gravis honorem nusquam corrumpi per familiaritatem sineret, difficile intellectu esset, utrum eum amici magis vererentur, an amarent. Nam, quod est rarissimum, (recurrit enim Agricola) nec facilitas illi auctoritatem, nec severitas amorem deminuit. Viros vero literatos ac studiis doctrinisque deditos non referrem in familiaritatem ejus admissos, cum id satis superque notum sit, nisi me ita agere moneret versus ille Terentianus: *Nunquam præponens se illis*. Etenim quamvis literatos, qui ad eum frequenter tanquam ad omnis eruditionis parentem ac magistrum veniebant, eruditione superaret, nunquam tamen se supra illos extollebat; adeo, ut si cui modestia ejus nota non fuisset, quæsiturus famam fuerit; atque in hunc modum eruditionis gloriam, ut de Nepotiano ait Hieronymus, declinando, eruditissimus habebatur. Nempe moderabatur eruditioni suæ, ne cui se præponere videretur. Nam vincere, velut Agricola, inglorium arbitrabatur. Nemini adversus fuit, nisi malis; nec inimicitias cum aliquo exercuit, nisi coactus, ac semper remisit; quamquam & magnæ interdum causæ erant, ob quas suscipere inimicitias cogeretur, nisi erectum & sublime ingenium cohibendos existimasset motus iracundiæ. Christianum in primis ac religiosum pectus habuit, offensionum immemor, & moris majorum summus imitator. Quippe sedem apostolicam summo semper studio prosecutus est; ejusque dignitatem & jura sæpissime vindicavit adversus eos, qui coercendam clamitant intra certos limites Romani Pontificis auctoritatem, quamvis persæpe non intelligant, quid veneranda antiquitas præceperit custodiri. Neque tamen temperamenti egebat; nec, ut plerique solent, deformi obsequio excessit limites veri, constans in primis adversus vim externam, quoties aliqua tentabantur contra priscum morem aut contra jura Regum Christianissimorum. Erat enim ille unus ex omnibus maxime aptus ad fovendam Concordiam Sacerdotii & Imperii, cum pari auctoritate & gratia apud summos Pontifices & Reges Francorum viguerit, dum utrorumque jura, quod est difficillimum, fortiter ubique propugnaret, absque alterutrius injuria aut offensione.

LXXVI. Postquam defuncti sumus narratione vitæ illustrissimi Archiepiscopi, cum jam ad finem operis perventum sit, operæ pretium est, heic referre, quantus sanctissimi D. N. Clementis Papæ IX. dolor fuerit audita morte ejus; ut in eo desinat hic liber, a quo incepit. Is ergo, tum Cardinalis Rospigliosius, ita scripsit ad clarissimum virum Samuelem Sorberium die XXXI. Julii anni MDCLXII.

Perillustris Domine, Quanto mœrore me affecerit luctuosus obitus illustrissimi & sapientissimi Præsulis Petri de Marca, vel ex propria animi ægritudine colligere dominatio tua abunde potest. Neque enim te latet, qualiter singulari ipsius humanitati me profitebar obstrictum, quantumque insignibus ejusdem meritis tribuebam: quo sublato, plurimam in Christiana republica factam esse jacturam intelligunt & dolent omnes. Vitæ tamen innocentia & assiduum religionis studium cum illi aditum ad cœlorum præmia patefecisse non dubie existimentur, nostras etiam lacrymas abstergere & dolorem temperare possunt, sperata tanti viri felicitate. Haud mediocre etiam exhibebunt mihi solatium occasiones omnes, quibus paratissimam erga dominationem tuam voluntatem aliqua ratione declarandi, quemadmodum impense cupio, opportunitas præbeatur, cui prosperos rerum omnium eventus a Deo enixe precor. Romæ XXXI. Julii MDCLXII.

Studiosissimus dominationis tuæ
I. Cardinalis ROSPIGLIOSIUS.

LXXVII. Eant nunc, qui famam illustrissimi viri dehonestare conati sunt maledicentissimis satyris suis. Pudeat illos suæ temeritatis post tantum tamque illustre maximi Pontificis testimonium de Marca. Nam præterea quæcunque ira & odio adversus eum vel dicta vel scripta sunt, ea omnia intercident, nihilque horum veniet ad posteritatem. Sola rerum præclare ab eo dictarum, scriptarum, factarum memoria æterna erit. Et sicut pia posteritas, quæ suam cuique gloriam sine adulatione & invidia rependit, eos laudabit, qui Marcam vel honoribus vel laudibus prosecuti fuerint, sic in eos vehementer insurget, qui & viventis virtutes allatrare soliti erant, & in mortuum dein insultarunt. Mihi quoque aliquando defuncto gratias, ut spero, agent posteri, quod magni viri vitam moresque descripserim, & quod operum ejus editionem procuraverim. Existimo autem etiam laudem suam apud posteros habituram constantissimam fidem & reverentiam meam erga memoriam ejus.

Lutetiæ Parisiorum anno MDCCIV.



ARMAN-

ARMANDO-JOANNI EMINENTISSIMO CARDINALI, DUCI DE RICHELIEU, FRANCIÆ PARI.



EM arduam aggredior, Eminentissime Cardinalis, sacerdotii & imperii Concordiam; quæ ab aliquot seculis adeo vexata est partium studiis, ut excitatæ ob violatos jurisdictionis ecclesiasticæ & regiæ terminos controversiæ in aperta quandoque bella eruperint, quæ funestissimis dissidiis Ecclesiæ corpus lacerarunt. Civilius quidem agitur hodie; ita tamen, ut frequentes & pene quotidianæ in actu rerum positis occurrant contentiones, quæ secundum varias causarum figuras, ob dignitatem læsam, vel imminutam auctoritatem, accenduntur, & Christianæ Reipublicæ Principes inter se committunt. Enimvero, quoniam non natura, sed hominum vitio factum, ut ambæ illæ potestates, quæ amico fœdere conjungi debuerant, in dedecus Christiani nominis aliquando divellantur ab invicem, utriusque dignitatis in te uno facta consensio certissimum est argumentum, posse Eminentiæ tuæ opera atque industria res ita componi, ut, quæ dissidere videntur, in eam concordiam mutuo conspirent, quæ a divino numine utriusque potestatis auctore decreta est. Dignum sane facinus summa illa virtute tua, qua id assecutus es, ut orbis Christiani fata temperes ea auctoritate, quam pietati erga se tuæ Princeps gloriosissimus contulit. In cæteris quidem administrationis tuæ momentis omnia supra fidem & fere ad miraculum patrata sunt; seu quis provincias regni pacatas atque compositas, perduelles domitos, sanctitatem altaribus restitutam inspiciat, quam profana factiosorum scelera polluerant; seu quis recreatos socios atque fœderatos, prostratos hostes potentissimos, & ad implorandam pacem propemodum adactos contempletur. Quare in hac, quam arduam dixi, Sacerdotii & Imperii Concordia omnia supra votum cessura te auspice & auctore probi omnes sibi pollicentur, vel eo præcipue nomine, quod ardua sint & fere conclamata. Ceterorum mortalium circumscripta virtus rerum mole subsidit, difficultatibus frangitur; sed divinæ menti tuæ, quam merito prudentiæ & fortitudinis veluti familiarem genium appellare licet, concessum est inexpectata perficere, ut seculum nostrum & posteros immortalibus beneficiis cumules. Tibi namque Deus optimus maximus, ut daret aliquod potentiæ suæ & bonitatis specimen, adimplenda reservavit, quæ denegavit ceteris, ut nos imbecillitatis humanæ admoneret. Ego quidem, Eminentissime Cardinalis, utriusque potestatis consensionem, quam in ipsis rerum argumentis violatam aliquando perspiciebam, studiose optavi, efflagitavi. Et quia hoc tuæ Eminentiæ propositum esse intellexi, ut ratio quædam iniretur ad conciliandam alendamque Sacerdotii & Imperii societatem, aliquot dissertationibus elucubratis in eam operam incubui. Ingens profecto ad placendum eruditis quibusque & piis hominibus illecebra, quod illæ optatam a te concordiam attingunt. Sed operis dignitas ingenii mei tenuitate atque penuria eruditionis deteritur. Hoc quidem censuræ obnoxium, quam non exoro. Eam tantisper sustineri peto, donec Eminentiæ tuæ judicio hæ qualescunque exercitationes vel stent vel cadant. Periclitarentur sane apud eruditissimum pectus tuum, nisi humanitatis esset æque ac totius divini humanique juris sacrarium. Illam itaque comitatem, qua unumquemque in summo illo dignitatis fastigio demereris, enixe obtestor, ut hunc quoque conatum meum blande excipias, vel ex eo capite, quod tuo instituto aliqua ex parte obsequitur. Satis huic operi decoris accedet, si patiaris sub augusti nominis tui auspicio his dissertationibus publicari consilia tua de concordia potestatum fovenda: quarum altera purpuræ suæ te fecit participem, altera suæ administrationis summam in te deposuit. Mihi vero ad optatæ felicitatis incrementum nihil deerit, si hoc quoque beneficium a te impetravero, ut mihi devotissimo tui cultori liceat, exemplo veterum, qui Principes viros imaginibus ex decreto collatis ornabant, hoc monumentum, velut propositi tui quandam imaginem, Eminentiæ tuæ ponere.

P. DE MARCA.

ILLUSTRISSIMI VIRI
PETRI DE MARCA
ADMONITIO AD LECTOREM;
Quæ & PRIMA PRÆFATIO dici poteſt,
EDITA ANNO MDCXLI.



Umma divini numinis benignitate duobus maximis præſidiis inſtructa eſt humani generis ſocietas ad felicitatem conſequendam, Sacerdotio, & Imperio: quorum alterum divinis miniſteriis ſe impendit, alterum componit reipublicæ ſtatum, & humanæ vitæ tranquillitatem procurat; ita, ut ex utriuſque concordia Chriſtiana Reſpublica cumulatiſſimis incrementis augeatur. Utraque poteſtatum ſuis limitibus eſt circumſcripta, & in diſſitis omnino negotiis exercetur; cum illa ſpiritualibus addicatur, hæc publicis occupata ſit: ſed, ita ferente rerum conſtitutione, adeo vicinæ ſunt ambæ, ut difficile ſit, etiam prudentiſſimo cuique, fines controverſos dirimere. Certæ quidem regulæ in genere aſſignari poſſunt, quibus invicem diſterminentur; ſed multa accidunt in ſpecie propoſita, quæ peritiſſimos arbitros fallant, vetentque, ne fines, ut par eſt, inter eas poteſtates regere poſſint. Quæ locum habent non in controverſiis fidei, quæ longo intervallo remotæ ſunt a cognitione Principum; nec in rerum publicarum adminiſtrationibus, quæ alienæ ſunt a cura paſcendi gregis; ſed in quamplurimis diſciplinæ capitibus, quæ perſonas aut res ipſas reſpiciunt, atque adeo ab utraque poteſtate valde probabili utrinque ratione vindicari poſſunt. Itaque inſtituti mei non eſt his diſſertationibus Sacerdotii & Imperii jura metiri, & fines dirimere, vel adjudicationibus portionem cuique ſuam aſſignare. Huic enim diſputationi, quæ dominii quæſtionem attingit, quæque divini & humani juris callentiſſimum tractatorem expectat, fateor me omnino viribus imparem. Nec fortaſſe exercitatiſſimo theologiæ & juris anteceſſori res iſta feliciter cederet, quippe verendum eſſet, ne cum ex unius ſcientiæ regulis poteſtatis hujus fines metiretur, inconſulto alteram læderet. Quod ipſo rerum experimento quotidie diſcimus & dolemus, cum factionibus potius furentis circi quam modeſtis academiæ exercitationibus, diſtractos videamus ab invicem magiſtrorum animos, qui vel eccleſiaſticæ auctoritati, vel regiæ, prout impetus tulerit, ſe præcipites addicunt. Sane ſi verum profiteri liceat, eorum contentionibus prope effectum eſt, ut ſinceram cognitionem iſtiuſmodi negotiorum amiſerimus, & a concordia & ſocietate illa pene exciderimus, ad quam fovendam juſſu divini numinis adſtringimur. Diſcedendum eſt igitur a diſputationibus & diſſidiis opinionum, ſi quis conſenſionem ambarum poteſtatum retinere aut reſarcire velit.

Novel. Juſt. 6. Ἱερωσύνη τε καὶ Βασιλεία συμφωνία τις ἀγαθὴ πᾶν εἴ τι χρηστὸν τῷ ἀνθρωπίνῳ χαριζομένη γένει. Gregor. VII. l. 1. ep. 19. an. 1073. *Status imperii glorioſius regitur, & ſanctæ Eccleſiæ vigor ſolidatur, cum Sacerdotium & Imperium in unitate concordiæ conjunguntur.*

II. Relicta diſcuſſione juris, tutior eſt plane facti inquiſitio, quæ fines veterum poſſeſſorum demonſtrare poſſit: cujus cognitionem aſſequemur, ſi antiqua monumenta revolventes, quid utriuſque poteſtatis Principes in re controverſa aliquando egerint, accurate expendamus. Attamen diſſimulandum non eſt, viam iſtam publicam multis inſidiis & veluti latronum prætenturis expoſitam eſſe: quia ſcilicet in expanſa illa ſeculorum ſerie varia occurrunt exempla hinc & inde uſurpatæ juriſdictionis, quæ ancipitem animum ad deſperationem inveniendæ veritatis adigant. Sed generoſa mens his difficultatibus terreri non debet, quin ſaltem *pro modulo ſuo* ad tam grande bonum pervenire conetur. Enimvero plerique eruditiſſimi viri in hac diſcuſſione induſtriam ſuam collocare recuſant, calumniæ metu; quæ infeſtiſſima ſemper iis fuit, qui hanc operam ingreſſi ſunt, pietatis erga Eccleſiam aut Reges læſæ crimine impoſito, & aliquando fatis adeo iniquis, ut ab utraque parte deſerti vel etiam repudiati ſint. Semper tamen præ me tuli non ita deſtitutas eſſe res humanas, quin modus quidam non omnino Principibus ingratus ſuperſit de utriuſque poteſtatis concordia diſſerendi, qui verſatur in iiſdem rationibus, quas ipſi ſequuntur ad mutuam ſocietatem inter ſe conſervandam. Quotidie incidunt de uſurpatione juriſdictionis controverſiæ, quæ prudentia quadam ita temperantur, ut in bellum apertum non erumpant. Quid vetat eadem veſtigia premere ſcribendo, quæ Principes agendo? Pacem autem & conſenſionem retinent illi, mollitis, non exaſperatis rerum emergentium articulis. Quemadmodum in placitis Stoicorum multa remittebant tetricæ illius doctrinæ magiſtri ὑποθετικῶς, ut ſe ſe reliquorum hominum opinionibus accommodarent, ita Chriſtianæ politiæ antiſtites οἰκονομικῶς a ſummo jure recedebant, ut concordiæ litarent. Videbant enim, ſi pertinaci ſtudio Sacerdotium vel Imperium jura ſua intemerata retinere niteretur, eam eſſe negotii conditionem, quæ funeſto diſſidio Pontifices & Reges a ſocietate avulſos infauſtis digladiationibus inter ſe collideret. Attamen, cum remiſſio illa, niſi certis limitibus concludatur, in abjectionis vitium deſciſcat, neceſſariæ ſunt regulæ quædam, intra quas prudentia, quæ omnino in his negotiis adhiberi debet, ſe contineat. Porro regulæ illæ in eorum axiomatum cognitione conſtitutæ ſunt, quæ communi utriuſque Reipublicæ ſuffragio ſunt recepta, vel quæ frequentioribus theologorum & juriſconſultorum ſententiis comprobantur. Deinde ſincere ſeparanda ſunt a certis & receptis ſententiis ea, quæ in controverſiam adducunt inter partes. Cum autem quæſtiones iſtæ non in theoria tantum & in mera veri indagatione verſentur, ſed præcipue in actu rerum ſe quotidie exerant, non adeo ſolliciti eſſe debemus de ſubtili argumentorum collectione, quam ſolerter expendere geſta Pontificum & Regum, quorum pietas commendatur; ut perſpiciatur, quid in hujuſmodi contentionibus ſecuti fuerint, jura ſua retinendo, vel remittendo, quidve Sacerdotium & Imperium inter ſe dimicantia aliquando commiſerit. Non me latet, eandem controverſiam diverſis ſeculis varie temperatam pro moribus Principum & utilitatibus Reipublicæ, idemque jus varie diſceptatum, toleratis uno ſeculo, quæ altero damnata ſunt iterumque repoſita. Unde colligere licet, diſceptationes iſtas non omnino juxta exquiſiti juris rationes componi ſolitas, ſed ex æquo & bono, unitatis & concordiæ alendæ ſtudio, ex utraque parte quamplurima remiſſa fuiſſe. Quare ea mente in explorandis veterum exemplis verſabimur, ut inde non inferamus juris, quod alterutri poteſtatum competit certiſſimam probationem, ſed indulgentiæ & remiſſionis uſum in ſimili ſpecie.

III. Infinitum eſſet omnia perſequi, quæ vigente imperio in orbe Chriſtiano acciderunt, vel in ſingulorum Regum Chriſtianorum provinciis. Itaque diſſer-

dissertationes istas imperii Gallici finibus conclusi, eo consilio, ut inquirerem in eam rationem, quam majores nostri amplexi sunt, ut Sacerdotii & Imperii pacem inviolatam servarent, eamque cum illa compararem, cujus est usus in foro quotidianus. Quas exercitationes ita institui, ut in quæstione veteri *nove* omnia potius quam *nova* concinnarem. Etsi enim plerique nostrum has controversias attigerint, res ipsas potius breviter significasse, quam ex professo tractasse dici possunt; ea ingenii indulgentia usi, ut omnia in unum fascem congesserint, aut digressionibus ab instituto alienis propositum non impleverint, vel si qui felicius versati sint in hoc negotio, solam fori trituram amplectentes, historiæ ecclesiasticæ & canonum antiquorum cognitionem neglexerint. Quam suppellectilem ad exornandas dissertationes istas adhibendam & veteris memoriæ tempora mihi repetenda esse putavi, quæ novis observationibus subinde in hoc opere illustrantur. Sed lectorem monitum velim, ne litem meam me fecisse existimet, si qua illi inter legendum Pontificum vel Principum acta parum accepta fuerint, cum alienum factum ipse præstare non debeam, neque ejus mentionem faciam ad constituenda jura alterutrius potestatis, ut ante dixi, sed ad muniendos veterum exemplis mores, qui hodie vigent cum summa Sacerdotii & Imperii concordia. Eam toto isthoc opere fovere conabor, resignatis hujus disciplinæ arcanis; cum sinceritas hujus consensionis omnem simulationem aversetur, teste Gregorio septimo. In quam rem præcipue incumbendum est, quod ut idem auctor loquitur, *sicut duobus oculis humanum corpus temporali lumine regitur, ita his duabus dignitatibus in pura religione concordantibus, corpus Ecclesiæ spirituali lumine regi & illuminari probatur*. Institui itaque omnia jurisdictionis ecclesiasticæ & regiæ capita explicare, quæ in confinio utriusque potestatis posita sunt. Quo in opere eum ordinem tenebo, ut uniuscujusque controversiæ originem & progressum, & varias juris factique mutationes aperiam, easque componam cum moribus, quibus hodie utimur, quasque vulgo *Libertates Ecclesiæ Gallicanæ* appellamus. Consuetudinis forensis probatio non aliunde melius instrui potest, quam ex actis publicis, quæ in collectionem summa fide & diligentia retulit auctor syntagmatis, quod *Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ* nomine inscribitur. Eas libertates cum anonymus quidam scriptor libello famoso læsisset, harum dissertationum edendarum occasionem præbuit, ut monui capite primo libri primi. Ubi quantopere proficiat accurata harum controversiarum cognitio, adductis, quæ ex istiusmodi contentionibus in oriente & occidente olim emerserunt exemplis, abunde ostendi.

Greg. VII. l. 1. ep. 19. *Concordiam istam sacerdotii & imperii nihil fictum, nihil nisi purum decet habere.*

P. Puteanus.

IV. Porro quam his dissertationibus elucubrandis operam navavi, non omnino male mihi collocasse videbor, si saltem illud obtinuero, ut magistratus, quibus legum publicarum executio concredita est, lineas a majoribus præscriptas non egrediantur, nec putent ex præjudiciis rerum judicatarum ex ambiguo, ut fit plerumque, jure regulas novæ disciplinæ ecclesiasticæ constituendas, sed potius ex receptis & veris majorum regulis judicia componenda. Alioqui nisi limes aliquis in hoc controversiarum genere defigatur, non leve jurisdictioni ecclesiasticæ periculum immineret, quod aliter averti non poterit, quam si tyronum, qui ad gerendos magistratus erudiuntur in scholis, fervida ingenia præceptis quibusdam mature sufflaminentur. In eam rem dissertationes istæ forsan usui esse poterunt; quæ saltem id assequentur, ut novo vulnere, si quod antea illatum est, Ecclesiæ jurisdictio externa non petatur, & ut regii magistratus auctoritate sibi delegata cum summo sedis apostolicæ cultu & reverentia in litibus judicandis & regni juribus custodiendis, utantur.

V. Exposito consilio meo, superest, ut breviter totius operis delineationem proponam. De libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ disserturo tria mihi præstanda videntur. Fundamenta quibus earum moles innititur indagare; tum in quibus libertates illæ versentur constituere; deinde per singulos libertatum articulos ita decurrere, ut hodierno fori usu Concordia Sacerdotii & Imperii procurari demonstretur. Pars ista, quæ singula capita rimatur, operis utramque fere paginam faciet; cum tamen duæ aliæ prætermittendæ non fuerint, ne rudes & imparati ad propositam materiam accederemus. Duo libertatum fundamenta constituo. Primum versatur in suprema Romani Pontificis per Gallias auctoritate. Secundum in supremo Christianissimi Regis imperio. Ac primum quidem exequitur liber primus; quo necessitas communionis cum apostolica sede asseritur, tum ex eo quod Romanus Pontifex sit caput universalis Ecclesiæ, tum ex eo, quod specialiter constitutus sit occidentis Patriarcha. De hoc patriarchatu occidentis copiose disputatur, canonis Nicæni sexti explicatio nova proponitur, & Ruffini vexatissimus locus *De Ecclesiis suburbicariis* nova interpretatione illustratur. Auctoritas Romanæ sedis per occidentem ipsasque Gallias expenditur; quæ illi integra vindicatur, tum in legibus ferendis ad repellendas novitates, sanciendamque disciplinam, tum in judiciis sine provocatione reddendis; ad cujus auctoritatis illustrationem nova per relationes & consultationes ratio aperitur. Deinde docetur immunem esse Romanum Pontificem ab inferiorum judicio. Eam sedis apostolicæ dignitatem Gallos suis officiis semper excoluisse, adeo, ut tuitio Romanæ Ecclesiæ hæreditario jure in Reges Francorum transmissa sit; quam præ ceteris Regibus gloriosissimus Princeps Ludovicus XIII. præstitit, opera & consilio Eminentissimi Cardinalis Ducis Richelii. Quæ omnia comprehensa sunt libro primo.

VI. Secundus liber secundum Ecclesiæ Gallicanæ fundamentum explicat, nempe supremum Regis imperium. Ac primo quidem constituta Ecclesiæ Gallicanæ significatione, quæ ecclesiasticam & civilem potestatem complectitur, de discrimine utriusque potestatis disputatur ex mente veterum. Deinde suprema Regis Christianissimi auctoritas *in temporalibus* asseritur variis testimoniis Romanorum Pontificum, quæ illustrantur. Inquiritur etiam, ob quam rationem Rex Francorum *Imperator in regno* appellatus fuerit. Tum disputatur, an Principibus liceat res ecclesiasticas attingere. Qua in quæstione discrimen Regum Judææ & nostrorum accuratissime demonstratur. Deinde controversia divisionibus aliquot solvitur, quæ Reges vetant, ne fidei negotia, sacramenta, ritus & disciplinam cleri, imo & episcopatuum institutionem suis legibus constituant; quæ omnia ab auctoritate ecclesiastica pendent, ubi etiam ostenditur, quem modum servaverit olim Ecclesia, si Principes hac in parte peccarent. Attamen tuitio canonum & decretorum apostolicæ sedis Principibus jure divino & specialiter Regibus Francorum concredita est, ut eorum executionem legibus suis muniant; quod probatur aliquot exemplis, quæ disputationem uberrimam de Chorepiscopis extorserunt. Docetur autem eas leges ecclesiasticas præsidio regio muniri, quæ promulgatæ in Gallia & receptæ sint. De quo disputatur copiose.

VII. Tertio libro, quid sit libertas Ecclesiæ Gallicanæ, ejusque differentia cum privilegio, inquiritur. Tum libertas illa constituitur in usu canonum & decretorum, tam veterum quam mediæ ætatis & recentiorum; ubi de variis collectionibus canonum disseritur. Deinde refellitur opinio viri eruditi, qui libertatem in sola veterum canonum usurpatione constituebat, & in ea sententia, quæ summum Pontificem Concilio generali subjicit. Romanam sedem perpetuum canonum suorumque decretorum consuetudinumque receptarum robur polliceri; quod idem est, ac libertates Galli-

canas inviolatas spondere. Quatenus canonibus & decretis derogari soleret olim, & posterioribus seculis, tractatur accurate; doceturque eximia fuisse in eo genere auctoritatis Romanæ sedis potestas. Quæ vires dispensationum, & quis earum modus hodie in Gallia; ubi de scandalo, quod novitates sequitur. Tum de jure antiquo & recentiori privilegiorum a sede apostolica indultorum una cum regio consensu.

VIII. Deinceps aggredienda est explicatio singulorum capitum, in quibus libertates Ecclesiæ Gallicanæ versantur. Ac primo quidem de appellationibus, quæ vulgo *ab abusu* dicuntur, differitur libro quarto. Quæ tractatio ceteras antecedere debet: quia tuitio regia otiosa esset, & reliqui libertatum articuli facile labefactarentur, nisi connecterentur hoc uno vinculo. Harum appellationum formula quidem novitia est; sed res ipsa, id est, tuitionis regiæ imploratio, cum disciplina Ecclesiæ infringitur, una cum imperio Christiano coaluit; quo præsidio usi sunt Pontifices Romani, & ipsa Concilia œcumenica; cum præcipue id Principibus incumbat, ut canones sua etiam auctoritate confirmatos & legibus publicis adscriptos se invitis contra utilitatem publicam conculcari non patiantur. Quem modum tenuerint Galli nostri in secunda & tertia Regum dynastia, cum sedis apostolicæ decretis contra canones receptos vel contra regni jura premerentur, vel cum ab Episcopis similia tentarentur in utroque illo casu, relatis controversiarum argumentis, docetur. Et tandem appellationis hodiernæ usus cum superioribus componitur, & in quibus articulis locum obtineat, ostenditur. His quatuor libris absolvitur tomus primus.

IX. *Tomo secundo*, de Legatis Romani Pontificis ad Regem missis tractatur. Hujus tractationis occasione variæ Legatorum species & munera explicantur, eorum præcipue, qui ad synodos œcumenicas missi vices Romani Pontificis gerebant. Ubi de sedis apostolicæ dignitate & auctoritate in illis Conciliis ex mente veterum adversus Novatores hujus sæculi disputatur. Deinde agitur de Apocrisiariis ad Principes missis, & de Vicariis Romanæ sedis per varias Diœceses, & de Pallio, quo Vicarii illi ornabantur. Gradu postea facto ad mediæ ætatis usum, quibus mandatis instructi Legati ad synodos provinciales accederent, discutitur. Eorum frequentia, & tandem desuetudo. De facultatum examine in curia, antequam munere suo fungantur. Tum de annatis dissertatio instituitur; ubi de earum origine, & de controversiis, quæ ex ea occasione Ecclesiam vexarunt. Disputatur, an majores nostri recte earum exactionem in simoniæ censum retulerint. Et tandem concluditur, eas a simoniæ labe abesse; verum in Gallia non præstari ratione debiti, sed titulo subsidii, cujus modus immutari non possit invitis Regibus nostris & Ecclesia Gallicana.

X. Altero libro agetur de conciliis provincialibus & generalibus totius Diœceseos Gallicanæ, quæ vulgo *Nationalia* vocantur. Inquiretur diligenter in provincias hujus Diœceseos, earumque jura investigabuntur. Deinde disputabitur de Regum & synodorum auctoritate, quam in constituenda disciplina exercebant.

XI. Tum De *judiciis canonicis Episcoporum*. In qua dissertatione explicatur, quis ordo servatus fuerit a primis Ecclesiæ temporibus usque ad Concordati publicam pactionem in deponendis Episcopis, non solum in Gallia, sed etiam per universas orientis & occidentis provincias. Ubi nova ratione genuinus sensus Concilii Sardicensis & Africani, & controversiarum Athanasii, Chrysostomi, Flaviani, Theodoreti, Acacii, aperte constituitur adversus novatores & detortas aliorum interpretationes.

XII. Hanc excipiet altera dissertatio *De judiciis clericorum*. Quid Episcopis antiqui canones, medii, & recentiores tribuerint; quid Principes sibi reservaverint, variis temporibus, nunc remissiores, nunc retinentiores. Hic agitur *De delictis communibus & privilegiatis*. Hanc partem executus est (*) vir eruditus; sed in Justiniano hæsit, mille annorum serie prætermissa, quæ tamen variis hac de re concertationibus famosa extitit.

(*) Benignus Milletot divionensis.

XIII. *Judicia canonica in laicos* persequar exercitatione speciali; quæ in crimina illa inquiret, quæ censuræ canonicæ subderentur olim; quis ordo judiciorum; quæ deinde accessio medio jure facta fuerit; ubi de veterum excommunicatione & de ritibus pœnitentiæ multa dicentur ad illustrandam canonum vetustatem, quorum cognitio desuetudine ipsa vere obliterata est. De immutatione, quæ in toto illo genere inducta est, unde originem habuerit; & quo jure utamur hodie in his articulis.

XIV. *Privilegia Capitulis & monasteriis concessa* frequentissimas contentiones in Ecclesia excitarunt; quæ flagrabant initio, quando Episcopi jure suo dejiciebantur; sed usu ipso familiaria reddita cum essent, multitudine exemptorum & novitate animos Episcoporum accenderunt. Quæ composita in speciem, recrudescere incipient, nisi remediis opportunis prospiciatur. De quibus agitur diatriba unica.

XV. Concludam tomum secundum dissertatione *De matrimoniis*. Ubi expendetur, quid Ecclesia, quid Principes in hanc usque ætatem in hoc negotio egerint: quod ita temperabitur, ut nulli relinquatur offensionis occasio.

XVI. *Tomus tertius* differit *De bonis ecclesiasticis*. Ubi de oblationibus & agris eorumque bonorum proprietate & usu vel usufructu, quatenus jurisdictioni regiæ illa subjaceant, & pœnis ecclesiasticis muniantur. De tributorum pensitationibus & immunitate. Tum invasio bonorum ecclesiasticorum a Carolo Martello & cæteris Principibus facta discutietur, una cum sententiis latis adversus invasores. Hoc in loco latus se aperit campus agendi de decimis, id est, de earum origine, distributione inter Episcopum & clerum, & de laicorum possessione. Deinde agitur de immobilium acquisitione sine venia Principis, vel cum ejus gratia, quæ apud nos *Amortisatio* dicitur. De feudis Ecclesiæ concessis sub conditione fidei & obsequii. Quæ sit apud nos *regalium* origo, nova ratione inquiritur. Tum de advocatione & defensione Comitum, quæ olim in plerisque provinciis viguit, differitur. Accedit disputatio de contributionibus, quæ Regi a clero penduntur, & cujus decreto alienatio bonorum ecclesiasticorum fieri debeat. Has dissertationes claudunt excerpta quædam selecta de beneficiorum origine, deque hodierno illorum statu.

XVII. Sed quia disceptatio antiquitatis canonicæ, a foro remota, tirones ab ea indaganda deterret, adjungitur *Epitome practica* controversiarum, quibus tribunalia publica quotidie fervent, cum rebus judicatis; quæ aut jure veteri aut medio vel novo niti docentur, ut pax & Concordia Sacerdotii & Imperii semper retineatur.

XVIII. Promissa harum dissertationum in tres tomos distributarum editione, non me latet, quibus me nominibus obstringam, ob quæ locupletior aliquis vadimonium desereret. Sed mecum civili more acturos omnes existimo, qui conatum in magnis rebus laudandum norunt, & neminem ex liberalitate conveniendum vel saltem ab eo non exigendum, nisi in quantum facere potest. Si quis vero morosus obtorto collo me in jus vocandum putet atque mecum stricto jure velut ex stipulatu agendum, illa mihi saltem exceptio supererit, verborum obligatione neminem teneri, nisi juxta verborum conceptionem. Atqui jam initio monui, quemque *pro modulo suo* tantum ad negotii hujus discussionem invitari; adeoque illud, quantulumcunque sit, quod pro viribus

meis

meis in hanc rem contulero, me ſponſione pleniſſime liberabit. Satis ſit intendiſſe digitum ad fontes & nova methodo rebus alioquin obſcuris lucem aliquam intuliſſe; ne cæteris induſtriæ ſuæ in eodem campo probandæ occaſionem præripuiſſe videar. Interim vero, quæ in hujus generis lucubrationibus contingere ſolent, hallucinationes & *παροράματα* ab æquis lectoribus mihi condonari poſtulo. Et ſupplex utriuſque Reipublicæ Principes obteſtor, ne quid a me ſcriptum eo animo interpretentur, ac ſi alterum alterius injuria augere vellem, vel de mutuis amborum juribus tranſigere. Nihil in definitionibus arbitrio meo aſſero, ſed narro. Nihil novi in regulis conſtituo, ſed ne quid invitis partibus innovetur moneo, ut ſit perpetua Sacerdotii & Imperii Concordia.

SECUNDA PRÆFATIO
ILLUSTRISSIMI VIRI
PETRI DE MARCA
EDITA ANNO MDCXLI.



AFFECTUM erat, & omni ex parte typis excuſum opus iſtud, cum eruditiſſimi theologiæ magiſtri illius recenſendi laborem in ſe ſuſceperunt, veriti ſcilicet, ne quid mihi vel incogitanti excideret alienum a Theologiæ regulis, quod propoſitæ a me concordiæ aliquo pacto officere poſſet. Ingenti ſane beneficio me ipſum atque lectores æquiſſimos affecerunt, quo retractatis diligentiſſime his noſtris diſſertationibus capita quædam adnotarunt, quæ illis viſa ſunt indigere uberiori interpretatione. Quare, ut eorum conſiliis morem geram, non expungam ſententiam meam, ſed explicabo; eadem facilitate deleturus, ſi quid incautius huic chartæ illitum monuiſſent, qua interpretationem aggredior, quam illi utilem fore cenſuerunt.

I. Ac primo quidem exiſtimant, pleriſque viſum iri mollius, quam par ſit, a me perſtringi tomos libertatum Eccleſiæ Gallicanæ, decreto ſacri Conſiſtorii & ſententiis Epiſcoporum prædamnatos, cum lib. I. cap. I. §. II. his verbis utor: *cruda quædam & minus decocta verba ſcriptoribus illis exciderant*. Sed ſi quis numerum integrum perlegat, deprehendet ſententias tomo primo contentas ſeparari a ſcriptorum perſona, qui eas protulerunt. Ac illas quidem diſertiſſime *impias ſententias & profanas vocum novitates* eſſe ſcripſi. Quod autem attinet ad auctorum nomina, eorum memoriæ parcendum cenſui, & ne quis ſuſpicionem hæreſeos illis injiceret, incautius locutos dixi, & ſtudio erga Principem elatos, in verba quædam *cruda minus decocta* erupiſſe. Ergo ſententiæ quidem impiæ, quas eodem numero deſcripſi; ſed mens ſcriptorum pura ab hæreſi, etſi æſtu quodam immoderato abrepta deſciverit ab officio.

II. Notant a me ſcriptum lib. II. cap. III. §. VII. *in criminibus ſecularibus poteſtatem eccleſiaſticam monita tantum & conſilia adhibere poſſe, non autem laicos peccantes coercere pœnis*. Hoc quidem a me ſcriptum; ſed ut Joannis Pariſienſis ſenſum verbis meis exprimerem, loco ejus laudato. Inſtituitur ibi quæſtio, an ratione peccati Eccleſia ſecularium negotiorum cognitionem publicam ad ſe trahere poſſit. Refero veterum Pariſienſium theologorum opinionem, quæ in forum inducta eſt; nempe, ſolam fori interioris in pœnitentiæ ſacramento auctoritatem ad pœnas canonicas & ſatisfactiones indicendas reſervatam Eccleſiæ, quæ cenſuris crimina ſecularia, ut cædes, & latrocinia a laicis patrata, coercere non poſſit, ſed monitis tantum homines a criminibus avertere. Ceterum quid ipſe in hac diſputatione ſentiam, tomo II. in exercitatione *De judiciis canonicis in laicos* me dicturum ſpopondi; & in anteceſſum obſervavi, in manifeſtis ſceleribus olim locum fuiſſe cenſuris, quarum uſus deinde ab aliquot ſeculis pene abolevit, conniventibus Epiſcopis; exceptis certis quibuſdam caſibus, quos in illa diſſertatione exequemur.

III. Timendum ajunt, ne videatur ſuſpicioſis hominibus ſequi, ex eo, quod regibus Judæorum ceremonias ſacraque conſtituendi auctoritatem ratione unctionis vindico, me jus aliquod eximium ea in parte Regibus noſtris tribuere velle ex privilegio regiæ unctionis. Sed meo quidem judicio nullus ſupereſt conjecturæ locus, ubi conceptis & apertis verbis Reges omnes Chriſtianos ab eorum jurium communione ſubmoveo. Etenim c. IV. & V. lib. II. comparationem Regum Chriſtianæ Reip. cum Regibus Judaicis a pragmaticis noſtris inſtitutam, quo veterum illorum Regum jura in noſtros transſcribant, accurate expendo, ut conſtet unicuique, aliam eſſe Chriſtianorum Regum cauſam, quibus integrum non eſt res eccleſiaſticas tractare. Itaque ſtatum regni Judaici juxta mentem Maimonidis deſcribo, tributa Regi belli gerendi & judiciorum aliquot extraordinariorum poteſtate, & aſſignato ſummo Pontifici ſacrificiorum miniſterio. Ceterum ſummam judiciorum, ſeu civilium, ſeu religioſorum, quæ majoris eſſent momenti, penes ſynedrium a Moſe inſtitutum ex Pontificibus atque laicis conflatum reſidere docui, & in illud collegium jure proprio adſcitum fuiſſe ſummum Pontificem, ſenatorum ſuffragiis, niſi aliquo vitio aliunde prohiberetur. Itaque juriſdictio apud Judæos *mixta* erat; quæ ex præcepto Domini apud Chriſtianos eſt omnino *diſtincta*. Quare permiſcere iterum vices & a mandatis Chriſti reſilire Regibus noſtris non licet unctionis illius prætextu, qua tempore inaugurationis delibuti fuerunt. Regiæ enim unctionis effectus hic eſt apud noſtros, quem ex ſolemnium precationum formulis colligere licet, nempe ut religioſior majeſtatis veneratio Regibus concilietur, & gratiæ ſpiritualis unctio illis a Deo conferatur, qua ſpiritu ſapientiæ & diſciplinæ imbuti, & regere ſe ipſos valeant, atque clerum populumque ſibi ſubditum, victoriamque de hoſtibus *viſibilibus & inviſibilibus* reportare, ut patet ex formula ab Hincmaro pronunciata in coronatione Caroli Calvi. Non me latet a ſynodo Conſtantinopolitana habita ſub Polieucho Patriarcha anno DCCCCLXX. definitum, eam eſſe vim & efficaciam unctionis imperatoriæ, ut peccata deleat æque ac tinctio baptiſmi. Unde Joannem Zimiſcen Imperatorem Eccleſiæ aditu expulſum ob cædem Nicephori Phocæ deceſſoris ſui Polieuchus iterum communione reſtituit, nulla pœnitentia indicta, eo prætextu, quod unctione imperatoria crimen abolitum fuiſſet. Quod pertinere potuit ad excuſationem ſubeundæ pœnitentiæ canonicæ; ſed ad criminis veniam porrigi non debuit abſque fœdæ adulationis blaſphemia. Ex eodem

In Capite Caroli Calvi T. 35. anno 869. & in Coronat. Ludovici II. an. 877.
Balſam. in can. 12. Ancyr. Balſamo in ſupplemento ad p. 774.

Idem in Meditato de Privil. Patriarch.

eodem quoque adulationis fonte hauserunt Græci, docendi munus æque Imperatori competere ac Patriarchæ, ob vim unctionis, διὰ τ̃ τ̃ ἁγίου χρίσματος δύναμιν, ut loquitur Balsamo. Quod alienum est ab instituto Domini & ab Ecclesiæ sensu, quæ unctionem adhibuit ad procurandam Regibus reverentiam, ut dixi, & subsidia divinæ gratiæ impetranda. Ceterum cum apud Judæos sola sanctitas exterior solemnibus Mosaicorum rituum conciliaretur, Reges Judaici ad decernendum de religiosis ejusce generis unctione externa consecrari poterant; præcipue cum ex eodem unguento conficeretur, quod Moses ad ungendos Pontifices & vasa sacra altariaque concinnaverat, & ea tempestate, ut dixi, confusæ & permixtæ essent jurisdictionum functiones: adeo, ut majora quæque Pontificis & reliqui synedrii consilio a Rege peragerentur, ut monui ex Josepho.

IV. Ajunt colligi posse ex iis, quæ scripta sunt lib. II. cap. X. §. VIII. nempe *Decreta de fide lata non indigere Principis imperio, ut adstringant Christianos*, idem jus constituendum non esse, quod attinet ad decreta de disciplina. Sed eodem loco aperte docui, *executionem publicam & forensem* decretorum a Principibus permitti, id est, eam quæ in publica fori cognitione versatur. Quæstionem vero illam consulto omisi, quæ disceptari potest, an conscientiam obligent ea decreta, quæ disciplinam exteriorem respiciunt, id est, eam, quæ non in sacrificiis & ritibus sacrorum occupatur, sed in jurisdictionis functione. Hæc enim theologis reliqui tractanda; qui more suo expendent, an leges minus solemniter promulgatæ subditos in foro interiori adstringant, vel aliis modis sibi perspectis difficultatem expedient. Ceterum lib. II. cap. XVII. §. V. usum, qui servatur in Gallia, antiquorum patrum præjudicio firmatum videri dixi, qui rerum a synodis definitarum confirmationem a Principibus petebant. Cujus argumenti vis in eo sita est, ut dicam ex ordine a Conciliis servato cordatos homines facile sibi persuasuros ad Regum nostrorum injuriam aliquo pacto pertinere, si in specie simili iisdem quoque officiis non excolantur, adeo, ut decretorum de disciplina latorum executio publica non urgeatur, donec eorum consensus intercesserit.

V. Observavi lib. II. cap. XI. §. IX. Gregorium magnum *auctoritate delegata* legem a Mauritio latam publicasse & secundi capitis executionem suspendisse. Unde inferri posset apostolicæ sedis dignitati quandam injuriam fieri; cum e contra ex eo S. Gregorii facto eruditissimi viri collegerint, legem illam a Principe in religionis detrimentum editam, a summo Pontifice jure proprio rescissam fuisse. Scio, quid illis hac in re placuerit, quod eo loco non omnino dissimulavi. Sed tantum ab eorum opinione absum, ut in apostolicæ sedis dedecus hoc cessurum existimem, si jure suo & primatus vi aliquid in eo negotio egisse dicatur S. Gregorius, ac non potius auctoritate sibi tanquam Patriarchæ a Mauritio mandata. Constitutionem Mauritius ediderat, qua vetabat, ne illi, qui actibus publicis essent implicati, adsciscerentur in clerum, ne milites in monasteriis ad conversionem susciperentur. Quia vero Principibus tunc solemne erat, exemplo Justiniani, leges de rebus ecclesiasticis latas non solum Præfectis prætorio publicandas committere, sed etiam Patriarchis, ut eas Metropolitis ederent, hi vero Episcopis, Mauritius sancto Gregorio hanc novam legem promulgandam mandavit. Ille vero non quibuslibet Episcopis eam transmisit, sed (ut par erat agere Patriarcham, juxta præscripta legum) Metropolitis occidentalis patriarchatus, quorum provinciæ solidæ, vel earum pars aliqua imperio orientis parebant. Attamen, quia Præfectis prætorio, ad quos leges dabantur, liberum erat, ex Novella Justiniani, si quid utilitati publicæ adversaretur, ad Principem referre, atque interim executionem suspendere, eadem auctoritate usum fuisse Gregorium dixi in temperanda Mauritii lege: cujus primum caput observari jussit, secundum vero, quod milites a monastica vita amplectenda arcebat, epistola sua ad Metropolitanos data suspendit; quod Imperatori gratissimum esse significat. Ex facti serie constat eadem epistola, proindeque eadem auctoritate, legis partem unam publicatam, alteram vero suspensam fuisse. Atqui Gregorius ipse Mauritio rescripsit, se *jussioni subjectum esse*, *Imperatori obedientiam præbuisse missa constitutione per diversas terrarum partes*. Sane apostolicæ sedis principatus ad eam servitutem demitti non potest, ut jussioni Principis subjectus dicatur, eique obedientiam exhibere. Quare vel hinc patet, alio titulo, quam summi pontificatus publicandæ legis curam suscepisse Gregorium. Nullis enim præceptis, iterum dico, vel delegationibus submitti potest summæ illius auctoritatis & dignitatis apex. Quod exemplo suo docuerat olim Constantinus Augustus, qui judicium Donatistarum non Melchiadi Papæ, sed Gallicanis & Italis aliquot Episcopis mandavit, ut summo Pontifici adsiderent, excepto a delegationis formula Melchiade; quemadmodum alibi monui ex Eusebio, Optato & Augustino. Qui jure primatus egisse volunt Gregorium epistola illa ad Metropolitanos scripta, qua secundum legis caput suspendit, incauti sectariis latus aperiunt, qui ex eodem facto colligunt, ratione primatus Gregorium subjectum fuisse præceptis Mauritii. Deinde non advertunt, suspensam tantum fuisse legis executionem, sed ultimum legis temperamentum aut immutationem a Principe Gregorium expectasse: *Aut temperando*, inquit, *pietas vestra, aut immutando vigorem ejusdem legis inflectat*. Satius ergo mihi videtur totum istud negotium ad mores ejus seculi accommodare, asserendo publicandam legem Gregorio, ut Patriarchæ demandatam, qui delegationis auctoritate usus executionem suspenderit, & quid sibi videretur ad Mauritium retulerit, ut deinde Princeps legem mutaret vel temperaret. Si quis autem penitius indagare velit, quænam esset mens S. Gregorii in hujus negotii articulo, reperiet nihil eum tantopere curasse, quam ne quid egisse videretur in hac causa summo jure pontificio. Itaque licet in epistola ad Metropolitanos data reipsa Patriarcham agat, nec aliquid contrarium huic cogitationi literis suis significet, attamen in epistola ad Mauricium suggestionem a se fieri scribit, jure privato, non autem, ut ab Episcopo, vel servo; jure Reipublicæ. *Ego autem*, inquit, *indignus pietatis vestræ famulus in hac suggestione, neque ut Episcopus, neque ut servus, jure Reipublicæ, sed jure privato loquor: quia, serenissime Domine, ex illo jam tempore dominus meus fuisti, quando adhuc dominus omnium non eras*. Quibus verbis eleganter ostendit, sibi liberum quidem fuisse ex jure publico, & juxta Reipublicæ constitutiones, vel ut Episcopum, id est, Patriarcham, vel ut servum, id est, imperii obsequio addictum, suggerere Principi, quæ utilitati publicæ contraria essent, sed malle hoc agere jure privato & veluti familiari collocutione. Hinc factum, ut suggestionis epistolam noluerit a Responsali Romanæ sedis publice porrigi, sed secrete a Theodoro Mauricii medico. Ceterum ex hujus facti specie constat, quod eodem loco adnotavi, summos Pontifices olim rescripta Principum, etsi a canonibus aliena, non rescidisse contrariis rescriptis. Attamen, ne quis suspicaretur, in gratiam Principum illud a me dictum ambitiose, duo veteris disciplinæ certissima axiomata protuli. Primum est, constitutiones Principum canonibus & decretis receptis contrarias nullas esse ipso jure. Alterum, quod ex primo sequitur, executioni non esse mandandas, & ab earum observatione Episcopos abstinuisse, quantum fieri poterat absque dissidio. Consulto autem ab ea quæstione indaganda temperavi, an Pontifici liberum esset summo jure re-
gias

Greg. lib. 7. ep. XI.

Idem l. 2. p. 61.

Lib. 4. cap. 3. §. 1.

Idem l. 3. ep. 64.

gias conſtitutiones, quæ diſciplinam affligerent, ſuo decreto in irritum mittere. Præterquam, quod enim alienæ ſunt ab inſtituto meo juris diſceptationes, generaliter dici poteſt, non abeſſe a periculo præfractam, ſi qua promeretur, hujus controverſiæ deciſionem; quæ fortaſſe in univerſum pronunciari non poteſt. Etſi enim de jure non dubitetur, quandoquidem, ut dixi, certa eſt regula, non ſubſiſtere leges canonibus contrarias, ſupereſt diſcuſſio in ſpecie & hypotheſi propoſita, an lex illa ſpeciales canones violet; unde contentiones graviſſimæ accendi poſſunt, quæ tractandæ ſunt adhibita prudentia illa & remiſſione quam veteres
Vide lib. III. cap. XIII. *οἰκονομίαν* & diſpenſationem appellarunt; de qua variis in locis ſcripſi. De fidei vero & rituum quæſtionibus, quas alienas eſſe a munere regio dixi, ſi forte leges a Principibus ferrentur adverſæ ſummorum Pontificum vel Conciliorum definitionibus, nulla ratio dubitare ſinit, quin anathemate publico damnari poſſint a ſummis Pontificibus; ut Henoticum Zenonis a Felice III. Typus Conſtantis a Martino I. & Ecthesis Leonis Iſaurici a Gregorio II.

VI. Obſervant, durius videri, quod lib. II. cap. XVI. §. VI. *verum dominatum eſſe penes Reges, non autem penes ſacerdotes*, ſcripſi; & §. VII. *in legibus eccleſiaſticis locum non habere ſummum imperium, in quo ordo imperandi & parendi id exigit, ut ſubditi dominorum mandatis cedant, quemadmodum Apoſtoli diſertiſſime docuerunt.* Itaque, ne quis me in crimen vocet, ac ſi auctoritatem omnem eccleſiaſticis decretis abrogare vellem, expendenda ſunt, quæ illo loco tradidi; ſcilicet hanc eſſe certiſſimam theologorum & juriſconſultorum ſententiam, nec legibus eccleſiaſticis nec ſecularibus ſeu publicis ſubditos obſtringi, donec tacito vel expreſſo conſenſu receptæ fuerint, ad eum vero conſenſum adhibendum ſubditos ex officio teneri juxta præſcriptum juris divini, niſi leges eorum commodis aperte officiant. Ab hac regula nunquam diſcedo, quando de legibus eccleſiaſticis agitur. Enimvero manifeſti criminis reum me futurum exiſtimavi, ſi eandem, quam plerique theologorum viam terunt, ipſe quoque juris ſtudioſus inſiſterem, nihilque eximium in Principum auctoritate conſtituerem; præſertim, cum Dominus eccleſiaſticam poteſtatem & regiam componendo, Apoſtolos allocutus hæc verba protulerit: *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non ſic.* Quod diſcrimen, ut apertius fieret, jus privatum penes Reges eſſe dixi, quo privatorum commodis conſulunt, legibus populorum tacito ſuffragio firmatis controverſias ambigui juris temperantes. Jus quoque publicum, quod in negotiis publicis verſatur, ita Regibus commiſſum ſcripſi, ut conſtitutiones & mandata, quæ hanc partem imperii attingunt, ab eorum nutu pendeant, nec indigeant ullo civium conſenſu. Itaque pacis & belli ſummum atque liberum arbitrium, & ſubſidiorum, quæ ad utriuſque temporis rationes neceſſaria ſunt, ad ſolum Principem ſpectat, ob dominium illud *ὑπερέχον* ſive ſupereminens, quemadmodum Ariſtoteles loquitur, quod provinciarum diſpendio totius Reipublicæ ſalutem procurare permittit. In hac imperii parte verum & merum dominatum conſtituo: qui longe abeſt ab eccleſiæ auctoritate, quæ ita ſingulorum ſaluti eſt addicta, ut neminem perdere poſſit ad ſervandos ceteros. Quare hoc ſenſu verum dominatum Regibus, non autem ſacerdotibus, vindicavi, exemplo Bernardi, qui apoſtolatum Eugenio tribuit, ſed abdicat dominatum. Quod tamen non impedit, quin ſumma auctoritas & imperium in Eccleſia conſtituatur, imo vero & Monarchia in Romano Pontifice. Sed ſummum imperium, quod deſpoticum vocant, ab Eccleſia amovetur: cujus adminiſtratio ariſtocratico regimine temperata eſt, ex ſententia omnium theologorum. Nulla ergo in parte poteſtati eccleſiaſticæ derogo; ſed Principibus ſaltem noſtris merum jus imperandi aſſero; adeo, ut duris quoque & acerbis Principum *dyſcolorum* mandatis, ſi cui forte temporum neceſſitas extorſerit, cedendum ſit; quod tamen obſequii genus adeo diſtricte a Chriſtianis Eccleſiæ benignitas non exigit.

VII. Dubium videri aiunt, quid ipſe ſentiam de Concilii Florentini decreto; quod ita expreſſiſſe videor in cap. VIII. §. V. libri III. ut ſummam poteſtatem a Chriſto Pontifici Romano traditam Concilium definiviſſe dicatur ea lege, ut illa Pontifex utatur juxta modum, qui & in actis Conciliorum œcumenicorum & in canonibus continetur. Itaque, ut nullam carpendæ ſententiæ meæ occaſionem relinquam, ajo Græcos abſque ullo diſſidio in id conſpiraſſe cum Latinis, ut Romanum Pontificem ſucceſſorem Petri Apoſtoli & Chriſti Vicarium profiterentur, eique in Petro plenam & ſummam adminiſtrandæ Eccleſiæ poteſtatem a Chriſto collatam. Ceterum de modo poteſtatis illius exercendæ gravem controverſiam motam fuiſſe inter partes, Græcis contendentibus id fieri debere *juxta canones*, Latinis vero juxta *dicta ſanctorum*. Tandem formula decreti conſcripta eſt Græcis & Latinis verbis; ita tamen, ut aliquod diſcrimen intercedat inter contextum Græcum & Latinum, prout hodie concipitur. Verborum Græcorum hæc eſt ſignificatio. Summam quidem eſſe Pontificis auctoritatem, eamque illi a Chriſto collatam fuiſſe, ſed quatenus quove modo exerceri debeat ad communionem Eccleſiæ fovendam, exemplum petendum eſſe non ſolum ex canonibus, ſed etiam ex actis Conciliorum œcumenicorum, functionemque hujus auctoritatis ita diſponendam, ut privilegia Patriarcharum maneant intemerata. Hæc interpretatio nihil demit de auctoritate ſedis apoſtolicæ; quippe quæ nihil aliud contineat, quam vulgatum illud & receptum ab omnibus theologis axioma, nempe monarchicum Eccleſiæ ſtatum adminiſtratione ariſtocratica temperari, ita tamen, ut Epiſcopi omnes Romano Pontifici, tanquam capiti, jure divino ſubjiciantur. Neque enim decretum Florentinum decernit Pontifici ſubeundas eſſe leges omnes, quas illi Concilia præſcribere voluerint, ſed modum illum adhibendum eſſe in ſummæ auctoritatis functione, quem ipſi Pontifices in Conciliis œcumenicis ſecuti ſunt, quemadmodum & actis Conciliorum & canonibus exprimitur. Quibus verbis etſi canonum ratio habeatur, nullo pacto tamen dignitas apoſtolicæ ſedis læditur: quin potius ſummopere commendatur apud peritos antiquitatis eccleſiaſticæ, cum ſplendidiora teſtimonia ad vindicandam ſummam Romani Pontificis auctoritatem ex actis octo Conciliorum œcumenicorum petantur. Qua de re uberrime diſputo in diſſertatione *De Legatis* tomo ſecundo, ubi demonſtratur, Romanos Pontifices in illis conciliis imperatoria auctoritate potitos fuiſſe. Ceterum ex contextu Latino aſſertio poteſtatis colligitur potius quam modus functionis; etſi privilegia quoque Patriarcharum inibi conſerventur; quod eodem fere recidit. Neceſſaria tamen viſa eſt ad pervicaciam Græcorum infringendam & conjunctionem Eccleſiæ procurandam hæc prudens diſpenſatio; quæ nihil de rei ipſius momento demit, etſi verbis ſubblandiatur. Si cui tamen videatur nullum eſſe diſcrimen contextus Græci & Latini in verborum ſignificatione, per me licet, ut judicio ſuo fruatur.

VIII. Privilegium ob merita conceſſum tranſire in naturam contractus, & ideo revocari non poſſe, ſcripſi lib. III. cap. X. §. II. Quod a me per tranſennam dictum eſt, non diſcuſſa quæſtione (nec enim locus id exigebat) quæ a magiſtris diſputatur cum omnibus diviſionibus; quos, ſi cui vacat, liberum erit conſulere & ab iis addiſcere, ratione abuſus, & ob cauſam publicæ utilitatis, privilegium quoque ejus generis aliquando revocari poſse.

IX. Juriſdictionem ſynodis olim prorogatam fuiſse

Prin-

Principum rescriptis dixi libro IV. cap. III. §. III. Quæ disceptatio in quæstione facti versatur. Consulto enim a quæstione juris abstinui, an scilicet ea delegatio, quam Episcopi ea tempestate suscipiebant, ratione aliqua niteretur. Imo vero initio libri IV. disertis verbis lectorem monui, quæcunque ab antiquis Imperatoribus in causa disciplinæ ecclesiasticæ gesta essent, hodie a Regibus usurpari non posse.

X. Imaginum confractores de hæresi damnatos dixi eodem libro IV. cap. VIII. §. IV. licet de capite disciplinæ ageretur. Quænam vero sit mea sententia, loci laudati integra lectio demonstrabit. Usum imaginum distinguendum scripsi a contumacia, quæ respuit definitionem Ecclesiæ usum illum legitimum esse constituentis. Usus imaginum inter capita disciplinæ referri debet; quemadmodum Paschatis celebratio die dominico peragenda, non autem decima quarta Luna. Qui ob has controversias secedebant ab Ecclesiæ communione schisma conflabant. Sed ob contumaciam adversus decretum Ecclesiæ, quæ Paschatis celebrationem diei dominicæ affigit, quæque utilem esse imaginum usum & ab idololatria alienum decernit, ob contumaciam inquam illam hæreticis accensentur ii omnes, qui definitionem Ecclesiæ non amplectentes, dissidio pertinaciter immorantur. Quæstio juris hæresim respicit. Quæstio vero facti, unde orta est contentio, est disciplinæ caput, & materia schismatis. Eo tendit oratio mea in loco laudato; quæ ad patrum & canonum antiquorum illustrationem, in hoc hæreseos & schismatis discrimine, valde conducit, & arcanum quoddam aperit ad retinendam jurisdictionis ecclesiasticæ dignitatem.

XI. In controversia, quæ temporibus Ludovici Regis VI. emersit, ob clericos inopes a Præpositis regiis prætextu salariorum vexatos, animadversionem ad Regem pertinere scripsi eodem lib. IV. cap. XIII. §. II. nec fuisse locum excommunicationi, quam a Paschali II. clerici elicere conabantur. Quod ex sententia Ludovici & curiæ regni dixi; quæ hodie quoque cogitationes illas non deposuit, in simili specie abusivam excommunicationis promulgationem decreturа. Attamen nec summo Pontifici nec Episcopis inde potestas excommunicandi adimitur, de qua uberius tomo II. in exercitatione *De judiciis canonicis in laicos*.

XII. Fines diœceseon & reditus Ecclesiarum regiæ jurisdictioni subesse dixi eodem capite §. tertio. Quod petitum est ex usu Galliæ: ubi quæ de bonorum ecclesiasticorum possessione, fructibus, & plerumque etiam de proprietate oriuntur lites, apud magistratus seculares disceptantur. Ejus consuetudinis originem copiose explicabo tomo tertio.

XIII. Rebuffi opinionem iniquiorem erga appellationes ab abusu in disputationibus canonicis scripsi lib. IV. cap. XIX. §. VI. quod eas coerceat casibus in jure expressis, vel in quibus Reges habent jurisdictionem a Papa delegatam. Scilicet ejus auctoris propositum fuit de Papæ delegatione conceptis verbis scripta loqui; cum tamen apud nos obtineat, ex delegatione quoque tacita seu conniventia & tolerantia summi Pontificis plerasque harum controversiarum in foro disceptari, ut monui capite superiori ejusdem libri quarti.

XIV. Libro III. ostendi, summam remittendorum canonum auctoritatem esse penes summum Pontificem; qui veniam facere potest non solum decretorum Romanæ sedis, sed etiam canonum a Conciliis œcumenicis editorum. Itaque si aliquando accidit, ut derogationum vel dispensationum ratio non habeatur, observavi difficultatem non proficisci ex eo, quod Galli existiment derogandi vel dispensandi potestatem non competere summo Pontifici, si de generalibus Conciliis agatur; quamvis hoc veluti axioma a pragmaticis Gallicanis usurpatum hucusque fuerit. Id vero tribuendum ostendi prudentiæ & cautioni, quam Galli adhibere soliti sunt, ne quid novi in disciplinam inducatur. Quod probari posse scripsi ex eo, quod dispensationes, quæ aliquo exemplo nituntur, etsi alias arduæ & difficiles, admissæ sunt a majoribus nostris, eo solo prætextu, quod vitium novitatis abesset. Novum sane hoc theorema visum est eruditissimis viris, qui quotidie in foro versantur, existimantibus hac ratione quidem sedis apostolicæ dignitatem coli, cujus suprema dispensandi auctoritas etiam in decretis Conciliorum generalium asseratur, sed fortasse minus prospici libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, quæ mutato veteri axiomate convelli posse videntur. Attamen, si maturius verba mea perpendantur, nullum discrimen inde creari potest consuetudinibus & disciplinæ receptæ in regno; cum id quærendum relinquam, an nova rescripta derogationum vel dispensationum novitate laborent, quæ in scandalum desciscere possit, adversus sententiam summorum Pontificum. Ceterum, ut morosioribus hac in parte satisfaciam, splendido testimonio utar, ex quo constabit, apud majores nostros in novis dispensationibus id unum vel maxime discussum fuisse, an aliquod exemplum novæ dispensationis reperiri posset.

Martinus V. anno MCDXXVI. Joannem *de Rochetaillée* Archiepiscopum Rotomagensem dignitate Cardinalitia ornavit, & ab Ecclesiæ Rotomagensis vinculo absolvit. Enimvero quia non infrequenter acciderat, ut promoti cardinalatum recusare mallent, quam Ecclesias suas deserere inde *juxta varietatem temporum & opportunitatem emergentium casuum introductum fuisse* observat Martinus in literis suis datis octavo Calendas Junii, *quod aliquibus de Ecclesiis, quibus praerant, evocatis ad statum cardinalatus, ex hujusmodi causa eadem Ecclesiæ sunt dimissæ, per illos, sicut antea in spiritualibus & temporalibus gubernandæ; & hoc sæpius expertum est Ecclesiis talibus non mediocriter profuisse.* Quapropter idem Summus Pontifex eodem beneficio Joannem prosequi constituit, ut iis sumptibus par esset, quos ad tuendam cardinalatus dignitatem expendere oportebat. Declarat itaque, suæ mentis non fuisse, ut Joannem, nisi de ejus consensu, ab Ecclesia Rotomagensi absolveret, neque, ut absolutione illa administrationem ejusdem Ecclesiæ in spiritualibus & temporalibus illi adimeret, sed velle, ut dictæ Ecclesiæ curam gerat *ad beneplacitum apostolicæ sedis*. Ea tempestate Henricus Angliæ Rex, & sub ejus auspiciis Joannes Dux Betfordiæ patruus Henrici, urbem Parisiorum & omnes cis Ligerim regiones injusta dominatione premebat, afflicto Caroli VII. Regis imperio. Ducis itaque Betfordiensis commendatione & beneficio Archiepiscopus auctus cardinalatu testatus est publico scripto, se nolle huic provectioni assentiri, nisi ad illam & ad Ecclesiæ retentionem Henrici & Ducis consensus accederet. Quare rescripto Principis die XXVII. Junii dato illi concessum est, ut novam cardinalatus dignitatem susciperet, Ecclesiæque Rotomagensis curam & usumfructum retineret in vim prioris vel alterius tituli (administrationis scilicet, vel commendæ) sibi concedendi; ea conditione adjecta, ut, si quæ hac occasione Regi deberentur obventiones, eas præstaret & novum, si res ita ferret, fidei & obsequii sacramentum. Aliis quoque literis regaliorum fructus, si qui fortasse ob vacationem Ecclesiæ Rotomagensis debiti essent, Joanni concessit. Eas literas, pontificias & regias, Joannes Cameræ Computorum Parisiensi (ubi aderant Joannes Lucemburgius Episcopus Tarvanensis Franciæ Cancellarius, Episcopus Belvacensis, Primus Præses curiæ Parlamenti, & insigniores aliquot viri) cum libello supplici porrexit, protestatus Ecclesiam non vacare, quia aliter summus Pontifex statuerat, cujus auctoritati derogaretur, si quid in contrarium fieret, ac proinde non esse locum nec novo sacramento fidei nec regaliorum perceptioni, attamen

E regesto Cameræ Comput. Paris.

men ne graves inde contentiones orirentur, ſe rem omnem arbitrio Cancellarii temperandam ultro committere.

Negotio diſceptato, hæc fuit ſententia Conſilii, a Joanne exigendum, ut doceret, an Eccleſia Rothomagenſis vel alia archiepiſcopalis a Cardinalibus retenta fuiſſet, & regio quoque nomine indagandum eſſe, quid in ſimili ſpecie geſtum olim fuiſſet, ut eadem quoque gratia in illum conferretur. Cum autem Joannes prolatis duobus reſcriptis demonſtraſſet, Humbertum Delphinum Viennenſem cum Patriarchatu Alexandriæ Remenſis quoque archiepiſcopatus adminiſtrationem retinuiſſe, decretum fuit, ut beneficio Pontificis & conſenſu Regis Joannes quoque archiepiſcopatu una cum dignitate Cardinalitia potiretur. Hæc ſunt verba Decreti; quæ hic tranſcribenda duxi, quia in aliis capitibus uſui quoque eſſe poterunt.

In ſuperioribus editionibus hujus præfationis addita eſt in hoc loco pars rerum in cauſa tunc actarum. Verum ut integrum iſtud negotium facilius innoteſcat lectoribus, viſum eſt iſthic ipſa acta integra referre ex eo ipſo codice, ex quo Marca ſumpſerat hæc fragmenta.

Le Lundy XIX. jour d'Aouſt l'an MCCCCXXVI. preſens au burel les Seigneurs dont les noms enſuivent,

M. Loys de Lucemborc Chancellier de la France,
L'Eveſque de Beauvais,
M. le Premier Preſident de Parlement,
M. l'Abbé du Mont S. Michel,

	M. de Chaſtillon M. de Courcelles M. de S. Pierre M. de Clamecy	Chevalliers.
Maiſtres Clers	M. de Dangeul Le Treſorier de Reins L'Arcediacre de Thieraſche A. Courtenache	des Comptes.
Maiſtres Lays	M. de Lalier P. de Canteleu Treſorier I. Guerin B. Le Couteiller R. Doriac	des Comptes.
	M. Raoul Rouſſel. M. Philippe de Ruilly M. R. Maſſue	Maiſtres des Requeſtes de l'Oſtel du Roy.

De la partie de Tres Reverend Pere en Dieu Monſieur Jean de Rochetaillée Arceveſque de Rouen furent præſentées & leües les lettres apoſtoliques & royaulx, avec une requeſte, dont les teneurs enſuivent. Et premierement la teneur des letres apoſtoliques.

TENOR BULLÆ APOSTOLICÆ.

MARTINUS Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Johanni, aſſumpto in Presbyterum S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalem ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Romani Pontificis providentia circumſpecta univerſis orbis Eccleſiis, præſertim metropolitanis, ut feliciter in ſpiritualibus & temporalibus gubernentur, proſpicit diligenter, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, ut expenſarum onera, quæ ipſos oportet de neceſſitate ſubire, commodius ſupportare valeant, libenter, prout eſt decens & congruum, de ſubventionis auxilio providet opportuno. Cum itaque nos de diverſis regnis atque Provinciis aliquos Prælatos & alios litteratos magnique conſilii & experientiæ viros elegerimus, & ad impertiendum nobiſcum onera univerſalis eccleſiæ ad ſtatum Cardinalatus vocaverimus & aſſumpſerimus, teque cujus virtutes & merita nobis etiam familiari experientia nota ſunt, a vinculo, quo Eccleſiæ Rothomagenſi tenebaris, de fratrum noſtrorum conſilio & apoſtolicæ dignitatis plenitudine abſolventes, te cum certis aliis hodie in generali conſiſtorio publicaverimus Presbyterum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem, nos, ne a quoquam hæſitari valeat, an propter hoc ab eodem vinculo, te forſan non conſentiente, ita abſolviſſe intenderimus, ut præfatæ Rothomagenſi Eccleſiæ præſidere non poſſis, & propterea te velle difficilem reddere aſſumptioni & publicationi hujuſmodi aſſentiri, ſicut in caſu ſimili reperitur per nonnullos aliis temporibus factum eſſe & aliquos penitus recuſaſſe, ac juxta varietatem temporum & opportunitatem emergentium caſuum introductum eſt, quod aliquibus de Eccleſiis, quibus præerant, evocatis ad ſtatum Cardinalatus, ex hujuſmodi cauſa eædem Eccleſiæ ſunt dimiſſæ, per illos ſicut antea in ſpiritualibus & temporalibus gubernandæ, & hoc ſæpius expertum eſt Eccleſiis talibus non mediocriter profuiſſe, ſuper his ſalubriter providere volentes, ac attendentes ſingularia dona virtutum, quibus te altiſſimus inſignivit, quodque tu eandem Rothomagenſem Eccleſiam hactenus ita laudabiliter in ſpiritualibus & temporalibus rexiſti & gubernaſti, prout gubernas & regis etiam de præſenti, ſicut fide digna teſtimonia nos informant, ut non indigne merearis, quod cum dignitate cardinalatus ipſam Rothomagenſem Eccleſiam, ſicut prius, retineas & gubernes, ex præmiſſis & aliis rationabilibus cauſis ad hoc animum noſtrum moventibus, & ne ad ſubeundum expenſarum onera, quæ pro ſtatu tuo decentius tenendo ſubire oportebit, reditibus careas opportunis, auctoritate apoſtolica ex certa noſtra ſcientia tenore præſentium declaramus, noſtræ mentis & intentionis fuiſſe & eſſe, ſic & non aliter, niſi de tuo conſenſu te ab eodem vinculo abſolviſſe & in ejuſdem Romanæ Eccleſiæ Cardinalem publicaſſe ac ad ſtatum cardinalatus aſſumpſiſſe, quod per abſolutionem, publicationem & aſſumptionem hujuſmodi dictæ Rothomagenſi Eccleſiæ, cui hactenus laudabiliter præfuiſti, uſque ad beneplacitum noſtrum & ſedis apoſtolicæ præeſſe non deſinas ſicut prius, ſed illam, quam per hujuſmodi abſolutionem, publicationem & aſſumptionem nequaquam vacare decernimus, in ſpiritualibus & temporalibus, ejus continuando adminiſtrationem, gubernationem & curam, hujuſmodi durante beneplacito regas, dirigas & gubernes, ita, quod ipſa Rothomagenſis Eccleſia tuæ curæ & adminiſtrationi commiſſa per tuæ diligentiæ ſtudium fructuoſum, quamdiu illi præfueris, felicia in eiſdem ſpiritua-

ſpiritualibus & temporalibus ſuſcipiat incrementa, prædicta abſolutione, ac conſtitutionibus apoſtolicis, ceteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ declarationis & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum VIII. Kalend. Junii, pontificatus noſtri anno nono. Et ſub plica ſic ſcriptum erat: R. de Montepoliciano. Et ſuper plicam ſic: Gratis de mandato Domini noſtri Papæ. Jo. de Vado.

Fol. 60. HENRICUS Dei gratia Francorum & Angliæ Rex univerſis præſentes litteras inſpecturis ſalutem. Laudabilia ſervitia, quæ univerſali Eccleſiæ nobiſque ac rei publicæ regni noſtri Franciæ dilectus & fidelis Conſiliarius noſter Johannes Archiepiſcopus Rothomagenſis, retroactis temporibus multipliciter impendit & de die in diem impendere non deſinit inceſſanter, nos inducunt, ut propterea eidem Conſiliario noſtro nos reddamus liberales. Quamobrem certificati quod chariſſimus patruus noſter Johannes regnum noſtrum Franciæ regens, protector & defenſor noſtri Angliæ regni, & Dux Bedfordiæ, ſub nomine noſtro & dicti Regni noſtri Franciæ ad generale Concilium, quod tunc in Senis ſedebat, & ad ſummum Pontificem nonnullos deſtinavit ambaxiatores ad inſtandum inter cetera apud eundem ſummum Pontificem pro aſſumptione & promotione ad cardinalatum quorundam Prælatorum ejuſdem noſtri Franciæ regni, nomina eidem exprimendo, inter quos ſic promovendos dictus Conſiliarius noſter, ut audivimus, fuerat ex parte dicti patrui noſtri primo nominatus, & deinde præfatus ſummus Pontifex hæc in ſua gerens memoria præfatum Conſiliarium noſtrum una cum aliis in hujuſmodi ſtatu cardinalatus per eum aſſumptis in quatuor temporibus ultimo tranſactis Cardinalem pronunciaverit, prout fertur; quibus ad ipſius Conſiliarii noſtri notitiam deductis, proteſtatus eſt de non præbendo ſuum dictæ promotioni conſenſum ſine noſtro & dicti patrui noſtri beneplacito ac etiam voluntate, hoc idem a nobis humiliter expoſcendo, & etiam quod in dicto ſtatu cardinalatus præfatam Eccleſiam Rothomagenſem cum emolumentis ejuſdem, ſicut prius retinere valeat & pacifice poſſidere. Notum igitur facimus, quod nos præmiſſa attendentes, & ex præteritorum conjectura firma ſpe tenentes, quod ipſe Conſiliarius noſter univerſali Eccleſiæ nobiſque & regnis noſtris utilem quamplurimum & fructuoſum ſe exhibebit, & ne in augmentum ſublimioris ſtatus & honoris debita careat proviſione aut ea fruſtretur, eidem Conſiliario noſtro, matura dicti patrui noſtri deliberatione præhabita, annuimus & concedimus, ut dictæ promotioni, quam gratam habuimus & habemus, ſuum præbeat aſſenſum pariter & conſenſum, & quod eam proſequatur, etiam quæ talis ſtatus requirit faciendo & implendo; volentes ulterius & dicto Conſiliario noſtro de noſtra gratia ſpeciali præmiſſorum conſideratione concedentes, ut dictam Eccleſiam Rothomagenſem cum illa integritate honorum & emolumentorum, cum quibus eam de præſenti tenet & poſſidet, & hactenus tenuit & poſſedit, juxta titulum ſibi datum & conceſſum dandumve ſeu concedendum retinere, continuare & poſſidere, ac eis uti pacifice valeat & gaudere; ordinationibus, ſtatutis aut mandatis contrariis factis aut faciendis non obſtantibus quibuſcumque; eo tamen ſalvo, quod ſi aliqua jura aut deveria nobis propter hoc debeantur, illa dictus Conſiliarius noſter ſolvere & facere, ac etiam, ſi ſit opus, debitum nobis de novo præſtare tenebitur juramentum. Noſtræ autem una cum his intentionis exiſtit, ut ſi pro aliqua noſtra regnorumque noſtrorum vel alterius eorundem utilitate aut alia rationabili cauſa de curia Romana vel aliunde ad nos ſive ad dictum regnum noſtrum Franciæ præfatum Conſiliarium noſtrum vocari contingeret, infra annum a die notificationis auctoritate noſtra ſibi factæ perſonaliter venire teneatur, niſi aliud infra dictum tempus a nobis habuerit in mandatis, & inſuper intendimus, quod licet noſtra præſens conceſſio poſt deceſſum dicti Conſiliarii noſtri, vel ſi contingat eum hujuſmodi archiepiſcopatum dimittere, nullum poſſit inferre præjudicium ordinationibus aut ſtatutis in favorem dictæ Eccleſiæ vel alias editis, quin plenariam ſui roboris, ut antea obtineant firmitatem. Quocirca dilectis & fidelibus Conſiliariis noſtris Parlamentum noſtrum Pariſiis tenentibus, & per quos in futurum Parlamenta noſtra nec non ſcacarium noſtrum Normanniæ tenebuntur, gentibus etiam Cameræ compotorum noſtrorum Pariſiis, ac Theſauriis Franciæ gubernatoribus financiarum noſtrarum, nec non univerſis Baillivis & aliis Juſtitiariis noſtris, aut eorum loca tenentibus, & eorum cuilibet, prout ad eum pertinuerit, tenore præſentium præcipimus & mandamus, quatenus dictum Conſiliarium noſtrum ac ipſius gentes, officiarios & procuratores pro eo noſtra præſenti gratia, conceſſione, & voluntate uti & gaudere plenarie faciant & permittant, omni impedimento ceſſante; quod ſi fuerit appoſitum, amoveant totaliter aut faciant amoveri. In cujus rei teſtimonium præſentibus literis noſtrum fecimus apponi ſigillum. Datum Londoniis die XXVII. Junii anno Domini MCCCCXXVI. Ainſi ſigné. Per regem ad relationem Domini Regentis Regnum Franciæ, Protectoris regni Angliæ, Ducis Bedfordiæ. I. Milet. Et deſſous le ploy deſdites letres eſtoit eſcrit. Johan.

HENRY par la grace de Dien Roy de France & d'Angleterre à nos amez & feaulx les gens de nos Comptes à Paris, & aux Treſoriers generaux gouverneurs de toutes nos finances de France & de Normandie, ſalut & dilection. De la partie de noſtre amé & feal Conſeiller Jehan Arceveſque de Rouen nous a eſté expoſé que combien que pour contemplation de nous & à la requeſte de noſtre tres cher & tres amé oncle Jehan Regent noſtre royaume de France, Protecteur & défenſeur de noſtre royaume d'Angleterre, & Duc de Bedford, icellui noſtre Conſeiller ait eſté pronuncié Cardinal par noſtre Saint Pere le Pape, lequel lui ait laiſſié ledit arceveſchié en continuant le premier tiltre, neantmoins noſtre dit Conſeiller doubte que aucuns veüillent dire, s'il acceptoit ledit eſtat & dignité de Cardinal, avoir ſoubs umbre de ce vocation ou dit arceveſchié & icellui cheoir en Regale, qui feroit en ſon tres grand grief, dommaige & prejudice, ſe ſur ce ne lui eſtoit pourveu de remede convenable, en nous requerant humblement icellui. Pour ce eſt il que nous conſiderans les grans & notables ſervices que noſtredit Conſeiller nous a faits & fait continuelment ez affaires de nous & de noſtredit royaume de France, attendu auſſi que par nos autres letres & pour certaines cauſes & conſiderations nous mouvans avons à noſtredit Conſeiller ottroyé que oudit cas de Cardinal il puit avoir & retenir ledit arceveſchié, enſemble les fruits & emolumens qui y appartiennent, à icelluy noſtre Conſeiller avons par l'advis de noſtredit oncle donné & ottroyé, & par ces preſentes donnons & ottroyons dez maintenant de grace eſpecial tout le droit de Regale qui ou temporel de ladite Egliſe & arceveſchié de Rouen nous puet ou pourra competer & appartenir, ſe le cas advient que il accepte ledit eſtat de Cardinal. Et poſé ores que le nom ou tiltre ſoit mué, ou que ladite Egliſe & arceveſchié lui ſoit baillié en commande, en adminiſtration perpetuelle, ou autrement, voulons & à icellui noſtre conſeiller de noſtredite grace & par l'advis que deſſus avons

ottroyé

ottroyé & ottroyons que durant le temps de ladite Regale, se elle y eschiet, il ait, preigne, & parçoyve les fruits, prouffis, & revenus de ladite Eglise & arceveschié de Rouen tout ainsi que nous ferions ou que nos Officiers pourroient faire & debvroient le temps de regale durant. Si vous mandons, commandons, & expressement enjoignons que nostredit Conseiller, ses gens & officiers pour lui vous faites, souffrez, & laissez joir & user de nostredite grace, don, & ottroy, sans le souffrir traveiller, molester, ou empescher en aucune maniere au contraire. Et par rapportant ces presentes & recognoissance ou certification de nostredit Conseiller que luy ses ou officiers pour luy auront eu & receu le droit qui a cause de ladite Regale, se elle y escheoit, nous pourroit appartenir, nous voulons & mandons nostre Vicomte de Rouen & tous autres qu'il appartiendra en estre & demourer quittes & deschargiez par vous nosdites gens des Comptes & par tout ailleurs sans aucun contredit ou difficulté, nonobstans quelxconques mandemens ou defenses a ce contraires. Donne a Londres le XXVII. jour de Juing, l'an de grace MCCCC. vingt & six, & de nostre regne le IV. Ainsi signé. Par le Roy à la relation de Monsieur le Regent le royaume de France, Protecteur du royaume d'Angleterre, Duc de Bedford. I. Milet.

Fol. 41. A NOSSEIGNEURS & gens de la Chambre des Comptes du Roy nostre Sire residens a Paris. Pour la partie de Messire Jean Arcevesque de Rouen se dit & propose que comme pour contemplation de nostre Sire & au pourchas de tres excellent Prince Monsieur le Regent le royaume de France, Jehan Duc de Bedford nostre Saint Pere le Pape és quatre temps de Penthecouste derreniers passez ait prononcié Cardinal avec plusieurs autres, & celui mesmes jour ait dit & declairé non avoir esté ne estre de son entencion d'avoir voulu pour ce oster ne amouoir ledit Evesque de son arceveschié ne de son Eglise de Rouen, se ce n'estoit de sa voulenté & consentement, mais lui laissoit & laisse regir & gouverner comme devant, sans lui donner titre nouveau ne riens immuer au premier, fors que en accumulant l'estat & honneur de Cardinal, ainsi comme par la teneur de ses letres apostoliques audit Arcevesque sur ce addrecées puet plus plainement apparoir, & depuis venue à sa cognoissance ladite prononciation en la presence de Reverend Pere en Dieu Monsieur Loys Evesque de Therouenne Chancellier de France accompagné lors de Messieurs les Evesques de Beauvais & de Noyon & de plusieurs autres notables personnes du grant Conseil du Roy nostre Sire & autres protesta solennellement que il n'entendoit ne vouloit accepter l'estat de Cardinal ne le acceptoit pour quelque acte ne chose qu'il feist ne deist sans le bon plaisir du Roy nostre Sire & de consentement & de Monsieur le Regent, & sans ce que son Eglise de Rouen lui demourast avecques les fruits & emolumens; ainsi comme par instrument sur ce fait puet plus plainement apparoir. Et ces choses exposées au Roy nostre Sire, par l'advis & deliberation de Monsieur le Regent, aians agreable ladite promotion dudit Arcevesque à l'estat de Cardinal à voulu & mande que ledit Arcevesque accepte ledit estat de Cardinal, & y donne son consentement & pour suive les choses appartenantes à icellui estat, & en outre que son Eglise de Rouen avec tous ses prouffis & emolumens lui demeure comme devant, avec del titre comme nostre Saint Pere le Pape lui à baillé ou baillera, soit en continuant le premier, ou par maniere de commande ou administration perpetuelle, ainsi comme par ses letres patentes à vous presentées puet plus plainement apparoir, & encores lui a donné & ottroié, se droit de Regale y avoit, tout tel droit avec les prouffis & emolumens qui pourroient estre escheus ou escherroient pour ceste fois à lui appartenans, ainsi comme par la teneur de ses certaines autres letres à vous semblablement presentées puet apparoir. Et pour ce que, selon la consideracion d'aucuns, par la presentation à vous faite desdites letres & la requeste faite d'avoir vos letres attachées au vidimus, d'icelles, il sembleroit qu'il acceptast l'estat & dignité de Cardinal, il dit, propose, & proteste, & fait dire & protester que par ce ou par autre acte qu'il ait fait ou face ne qu'il die, il n'entend accepter ledit estat & dignité de Cardinal senon qu'il soit premierement asseurez de povoir retenir son Eglise, qui ne seroit pas pour avoir vos attaches, ne il ne les demande pas fors selon la teneur des letres du Roy nostre sire, c'est assavoir pour lui valoir si & quant il accepteroit ledit estat. Et aussi il n'est point de necessité de ce determiner encores. Car nostre Saint Pere ne lui à point envoié encores *insignia cardinalatus*. Et oultre dit & fait dire que pour ce qu'il escript es lettres royaulx, que ou cas qu'il acceptera ledit estat, qu'il face serement de nouvel, se il le doit faire, ou s'il est expedient, que combien qu'il soit tenu de defendre & soustenir les droits du Roy nostre sire & les prerogatives & preeminences de sa couronne de France, & le veuille bien faire, sy n'est il pas qu'il ne plaise bien au Roy, & semblablement à Monf. le Regent, & à vous Nosseigneurs ses Conseillers en sa Chambre desdits Comptes, qu'il allegue & propose ses raisons, qui lui semblent convenables à ses defenses. Et pour ce il dit & fait dire que il ne treuve pas par son conseil qu'il doive prester ne faire nouveau serement, pour ce qu'il l'a fait une foys, & quant il n'y a point de nouvelle vocation ne mutacion de tiltre. Car le Pape le veult estre Cardinal par telle maniere qu'il ne laisse point d'estre Arcevesque, & accumule le tiltre de Cardinal à la dignite arciepiscopal. Autrement sembleroit que le Pape ne le peust faire, & seroit trop grandement derogué à la puissance & autorité de l'Eglise, & aussi pourroit prejudicier audit Arcevesque & aussi à son Eglise de Rouen, & par plusieurs autres raisons que l'en pourroit dire & alleguer. Neant moins pour ferer tousjours au Roy nostre sire & lui rendre honneur & reverence deües, aussi pour eviter plusieurs altercations qui pour occasion de ce se pourroient eslever & mettre sus, & par la grant confiance qu'il a de la haulte circonspection dudit Monsieur de Therouenne Chancellier de France & de sa prudence, il est prest de s'en soubsmettre & s'en soubsmet à son dit, prononciation, ou ordonnance, c'est assavoir que se il dist, prononce, ou ordonne que ledit Arcevesque par maniere d'expedient ou de renouvellement du premier serement out autrement qu'il le face, il le fera & prestera. Et semblablement se soubsmeit à son dit, prononciation, ou ordonnance en semblables cas ou autres dependens, pourveu que à lui & à vous nos autres Seigneurs plaise vous de recevoir & admettre la protestation dudit Arcevesque, laquelle il fait & proteste que il ne lui puisse ne doive prejudicier en autres cas, ne pour ce en autres cas ne puisse estre dit ne prouvé que il y ait eu ne ait nouvelle vacation ne mutacion de tiltre, mais qu'il demeure tout entier de povoir tenir & defendre au contraire comme paravant, avec les autres protestations requestes & conclusions en tel cas & semblables deües ou appartenans.

APRES la lecture desquelles letres & supplication, pource que la matiere sembla estre bien dificile, furent toutes lesdites letres & requestes baillées par l'ordonnance de la court à l'un des dessus nommez du Conseil, pour tout veoir & rapporter le lendemain, & ce pendent on voiroit ez comptes des Regales se on touveroit riens qui servist à la matiere, & si appelleroit on aucuns de la court de Parlement.

Et le-

Et ledit lendemain, presents encores avec les dessus nommez ceulx qui ensuivent, c'est assavoir, Me I. Aguen President en Parlement, Mes. P. de Marigni des Requestes de l'ostel, Ia. Branlart, G. Perriere, T. Cotin, Gaillart, Iayer, Longueul le jeune, B. Le Viste, G. Le Duc, tous de Parlement, apres le rapport fait du contenu esdites supplication & letres, la matiere ouverte d'un costé & d'autre, pour ce que on n'avoit pas assez trouvé es comptes, fu dit que on retourneroit le lendemain, & que chacun pensast à la matiere.

Et le Mercredy ensuivant XXI. dudit mois, pource que par lesdits comptes ne fu aucunement trouvé que autrefois l'arcevesché de Rouen eut esté en la main d'aucun Cardinal, & mesmement que la dignité d'Arcevesque estoit metropolitaine, qui avoit sous soy moult de suffragans, lesquels & aussi les singuliers supposts de l'Eeglise avoient & avoir devoient en moult de cas recours a leur Souverain Metropolitain, lequel recours toutesvoyes ils ne pourroient bonnement avoir se ledit Metropolitain estoit Cardinal & resident en court de Rome, comme la dignité de Cardinal le requiert, fu dit & conclut que len parleroit encores audit Monf. l'Arcevesque pour savoir se il sauroit monstrer que ledit Arcevesché de Rouen ou autre archevesché eussent onques esté en main de Cardinal, & aussi se informeroit on sur ce du costé du Roy, & se on trouvoit que autresfois eust esté fait en cas semblable, on le pourroit aussi bien faire audit Monf. l'Arcevesque, tout consideré, en faisant le serement de feaulte & tout ce qu'il devroit faire.

Item le Lundy XXVI. dudit moins, presens tous les dessus nommez, de la partie dudit Monsieur l'Archevesque de Rouen furent produites dux letres, par lesquelles apparoit que autrefois le viels Dalphin Humbert fu Patriarche d'Alexandrie & administrateur perpetuel de l'Eglise de Reims. Apres la lecture desquelles letres, sembla au Conseil que puisque autrefois l'arcevesché de Reims, que l'en tenoit estre moult notable & autant que l'arcevesché de Rouen, avoit este ez mains d'un Patriarche, on povoit aussi bien consentir que ledit Monsieur l'Arcevesque de Rouen, oudit estat de Cardinal, pour aucun temps, jusques à ce que pourveu lui fust autrement, peust tenir ledit arcevesché, mesmement attendus les grans services qu'il avoit fait au Roy nostre Sire & à Mons. le Regent à grant peine & travail de son corps, & qu'il estoit tres notable Seigneur, de grant reputation entre tous les Cardinaux, & povoit moult bien servir le Roy & ses royaumes de France & d'Angleterre & autrement, attendues les divisions qui sont en ce royaulme; & si le vouloit le Roy ainsi estre fait par ses letres cy-dessus transcriptes, & pour les causes contenues en icelles. Et pour les raisons dessus touchées & autres qui longues seroient à escripre, fu conclut & appointé que si tost comme ledit Monf. l'Arcevesque de Rouen aura declaré sa voulente estre tele, c'est assavoir qu'il accepte ledit estat de Cardinal, Monf. le Chancellier devra donner letres pour prendre & mettre le temporel dudit arcevesché de Rouen en la main du Roy nostre Sire pour cause de Regale, & pour icelui gouverner, commettra gens & Officiers de par le Roy. Et apres ce, se ledit Monf. l'Arcevesque requiert l'enterinement des premieres letres royaulx cy-dessus transcriptes apres la bulle du Pape, par lesquelles le Roy lui ottroye que oudit estat de Cardinal il puisse tenir ledit arcevesché de Rouen &c. icelles letres, rejettées premierement & avant tout œuvre toutes les protestations par lui faites & contenues en sa requeste cy-dessus transcripte au dos de ce present feuillet, lui seront enterinées en faisant par lui
Fol. 43. premierement & avant tout œuvre & de nouvel le serement de feaulté és mains dudit Monsieur le Chancellier pour le Roy. Et si promettra que se le Roy pour aucunes causes touchans lui, sesdits royaulmes, ou l'un d'eulx, ou pour autre juste cause le mande à venir de court de Rome ou d'ailleurs pardevres lui, il y venra en personne dedans ung an à compter du jour que on lui aura ce notifié de par le Roy; seu toutesvoyes dedens ledit temps le Roy ne lui mande autre chose. Et de ce baillera ledit Monsieur l'Arcevesque ses letres patentes.

Et ce fait, ledit Monsieur le Chancellier pour le Roy lui baillera letres patentes en la forme accoustumée, addreçans aux gens des Comptes & Tresoriers, aux Bailli & Viconte de Rouen &c. par lesquelles il leur signifiera que ledit Monsieur l'Arcevesque de Rouen Cardinal aura de nouvel fait le serement accoustumé & la promesse devant dite. Lesquelles letres lui seront enterinées par lesdites gens des Comptes, en faisant & payant les droits & debvoirs pour ce deubs & accoustumez. Et avec ce seront lors par lesdites gens des Comptes & Tresories enterinées les autres letres royaulx cy-dessus transcriptes, par lesquelles le Roy donne audit Monsieur l'Arcevesque de Rouen tous les profiz & emolumens du temporel dudit arcevesché, qui lui pourroient appartenir à cause de Regale.

Et teles furent les deliberation & conclusion du Conseil sur le contenu ez letres de nostre Saint Pere, royaulx & requeste presentées par le dit Monsieur l'Arcevesque de Rouen.

Cy apres s'ensuit ce que depuis a esté fait en ceste matiere. Et premierement est à savoir que le XXV. jour de Fevrir ensuivant ledit Monsieur l'Arcevesque en la presence de Monsieur le Chancellier & autres du Conseil accepta ladite dignité de Cardinal. Et pour ce Monsieur le Chancellier en fournissant le premier point de la conclusion du Conseil prinse en ceste matiere, laquelle est cydessus escripte en la fin du feuillet precedent & commencement de cestui, bailla letres royaulx pour prendre en la main du Roy le temporel dudit arcevesché pour cause de Regale; dont la teneur est telle.

Henry par la grace de Dieu Roy de France & d'Angleterre à nos amez & feaulx Conseillers les gens de nos Comptes, Tresorier & general gouverneur de toutes nos finances en France, salut & dilection. Comme nostre amé & feal Conseiller Jehan de Rochdetaillée Arcevesque de Rouen ait puis certain tempus ença par nostre Saint Pere le Pape & les Gardinaulx du Saint Siege & colleige de Rome esté appellé à la dignite de Cardinal, & en signe de ce lui ait esté envoié le chappel d'icelle dignité, lesquelx dignité de Cardinal & Chappel ycelluy nostre Conseiller ait aujourd'hui en la presence de nostre amé & feal cousin l'Evesque de Therouenne Chancellier de France & des gens de nostre grant Conseil acceptez, par quoy la temporalité dudit Arcevesché de Rouen soit venu en nostre main par Regale, nous vous mandons & enjoignons que ledit temporel & jurisdiction seculiere dudit arcevesché de Rouen vous prenez & mettez ou faites prendre & mettre par ceux qu'il appartiendra en nostre main, & tous les fruis, prouffis, revenües, & emolumens quelxconques d'icellui arcevesché durant ladite Regale faites par nos Officiers, à qui il appartiendra lever, recevoir, exploicter, & gouverner comme il est accoustumé de faire en tel cas. Car ainsi nous plaist il estre fait. Donné à Paris le XXV. jour de Fevrier l'an de grace mil CCCC. vint & six, & de nostre regne le quint. Ainsi signé. Par le Roy à la relation du grant Conseil. L. Calot.

Item s'ensuit l'expedition de la Chambre des Comptes faite sur ycelles letres Royaulx.

Les gens des Comptes du Roy nostre Sire à Paris, & le Tresorier & gouverneur general de toutes les finances dudit Seigneur, aux Prevost

& Re-

& Receveur de Paris, au Bailli de Rouen, & tous les Vicontes dudit Bailliage, & à tous les autres Justiciers & Officiers du Roy nostredit Seigneur, ou à leurs Lieuxtenans, salut. Par vertu des letres royaulx ausquelles ces presentes sont attachées sous l'un de nos signetz, nous vous mandons & enjoignons & à chascun de vous, si comme à lui appartiendra, que le temporel & juridicion seculiere de l'arcevesché de Rouen de nouvel venu en Regale par la promotion de Messire Jehan de Rochetaillée à la dignite de Cardinal, vous tantost ces letres veües prenez & mettez ou faites prendre & mettre en la main du Roy nostredit Seigneur, & tous les fruits, prouffiz, revenües, & esmolumens dudit temporel, durant icellui Regale, vous Receveur & Vicontes rendez chascun en droit soy en vos comptes, en accomplissant icelles letres royaux, selon leur forme & teneur. Donné à Paris
Fol. 47. le XXVI. jour de Fevrier l'an mil CCCCXXVI.

Item le Mercredy de relevée XXVI. jour de Fevrier mil CCCCXXVI. presens au burel Monseigneur de Noyon President, Messieurs M. Dangeul, le Tresorier de Reims, l'Arcediacre de Thierasche, A. Courthevache, M. de Lalier, I. Guerin, B. le Cousteiller, R. Doriac, de la partie de tres Reverend Pere en Dieu Monseigneur Jehan de Rochetaillée Cardinal aiant le gouvernement de l'arceveschié de Rouen furent presentées certaines letres royaulx pour avoir delivrance du temporel dudit arceveschié; lesquelles lui furent enterinées comme il s'ensuit. Et premierement la teneur desdites letres royaulx.

Henry par la grace de Dieu Roy de France & d'Angleterre à nos amez & feaulx Conseillers les gens de nos Comptes à Paris, & le Tresorier & general gouverneur de toutes nos Finances en France, salut & dilection. Comme par nos autres letres patentes données le XXV. jour de ce present mois de Fevrier vous aions mandé que à cause de ce que nostre amé & feal Conseiller Jehan de Rochetaillée Arcevesque de Rouen avoit esté puis certain temps ença prononcié au Saint Siege de Romme Cardinal, en signe de laquelle dignité lui eust esté envoié le chappel rouge, & que en la presence de nostre amé & feal cousin l'Evesque de Therouenne Chancellier de France & des gens de nostre grant Conseil se soit deliberé ledit XXV. jour de accepter lesdites dignité & chappel, lesquelles il a aujourd'hui solempnelement acceptées en l'Eglise de Paris, parquoy les temporel & jurisdicion laye dudit arceveschié sont venus en nostre main par Regale, vous lesdits temporel & jurisdicion meissiez & feissiez mettre par ceulx qu'il appartiendra en nostre main & sous icelle gouverner comme en Regale, & il soit ainsi que nostredit Conseiller Cardinal ait aujourd'hui fait le serement de feaulté ez mains de nostre amé & feal cousin l'Evesque de Therouenne Chancellier de France, lequel serement pour l'absence de nous en France & de nostre tres cher & tres amé oncle Jehan Regent icelui nostre royaume de France nous avons à ce commis & lequel serement il estoit tenu de faire à cause de ce que dit est, nous vous mandons & à chacun de vous, si comme à lui appartendra que à cause dudit serement de feaulté non fait vous ne empeschez ou souffrez estre empesché en aucune maniere nostredit Conseiller esdites temporalité & jurisdicion d'icellui arceveschié de Rouen, ains nostre main mise & tout autre empeschement fait & donné esdites temporalité & jurisdicion à cause de ladite Regale ostez & levez ou faites oster & lever & mettre à plaine delivrance; laquelle main mise & tout autre empeschement en avons osté & levé, ostons & levons par ces presentes. Et voulons que par icelles rapportant, avec certification de nostredit Conseiller, par laquelle il appere que nostredit Conseiller joisse paisiblement desdites temporalité & jurisdicion d'icelle arceveschié, nous voulons tous ceulx qu'il appartiendra en demourer quittes & deschargez par vous nosdites gens des Comptes. Car ainsi nous plaist-il estre fait. Donné à Paris le XXVI. jour de Fevrier l'an de grace mil CCCC. vint & six, & de nostre regne le quint. Ainsi signé. Par le Roy à la relation du grant Conseil, les Evesques de Beauvais & de Noyon, le Seigneur de Saint Pierre, Maistre Pierre Canteleu, & autres presents. L. Calot.

Item ensuit la teneur de l'expedition sur icelles.

Les gens des Comptes du Roy nostre Sire à Paris, & le Tresorier & gouverneur general de toutes les finances dudit Seigneur, aux Bailli & Viconte de Rouens, & à tous les autres Justiciers & Officiers du Roy nostredit Seigneur, ou à leurs Lieuxtenans, salut. Il nous est apparu par letres du Roy nostredit Seigneur données à Paris le XXVI. jour de Fevrier mil CCCCXXVI. que Monsieur l'Arcevesque de Rouen, à present Cardinal, a fait le serement de feaulté ez mains de Monsieur le Chancellier de France à ce commis pour & au nom de Roy nostredit Seigneur, lequel serement de feaulté il estoit tenu de faire, à cause de ladite cardinalité pour le temporel dudit arceveschié; desquelles letres royaulx nous vous envoyons le vidimus attaché a ces presentes sous l'un de nos signetz. Si vous mandons & enjoignons par ces presentes & à chascun de vous, si comme à lui appartendra, que vous faites, souffrez, & laissez joir & user plainement & paisiblement par ledit Monf. le Cardinal Arcevesque des fruiz, prouffiz, revenües, & esmolumens appartenans à ladite arceveschié, sans lui faire mettre ou donner aucun destourbier ou empeschement en icelle par deffaulte dudit serement de feaulte non fait, en paiant à vous Viconte les droiz & devoirs, s'aucuns en sont pour ce deubs au Roy nostredit Seigneur, se payez ne lez a; pourveu toutes voyes qu'il n'y ait autre cause raisonnable d'empeschement pourquoy faire le doyez, laquelle, où cas qu'elle y seroit, nous reservez à fin deue. Donné à Paris le XXVI. jour de Fevrier l'an mil CCCC. vint & six.

Apres ces choses ainsi faites Maistre Nicole Loiseleur ou nom & comme Procureur de l'Eglise de Rouen comparu en ladite Chambre ledit jour de relevée, disant qu'il se opposoit à ce que on ne procedast à faire à Monsieur de Rouen aucune deslivrance du temporel de l'Eglise de Rouen, requerant ceste opposition estre enregistrée & jour lui estre assigné pour dire les causes de son opposition. Et apres ce que ledit Procureur ot fait exhibition de ses letres de procuration données le premier jour de ce present mois de Fevrier mil CCCCXXVI. lesquelles font mention de certain accort fait entre ledit Monf. de Rouen Cardinal & lesdits de l'Eglise de Rouen, ou quel est faite mention que lesdits de Rouen se pourroient opposer & ledit Monsieur de Rouen protester au contraire, & neantmoins les choses demourroient en estat jusques à trois ans en esperance d'accort, dit à esté audit Maistre Nicole que les expeditions des letres dudit Monf. de Rouen avoient ja esté commandées, mais neantmoins ceste presente opposition seroit enregistrée; & lui a esté jour assigné à ung mois pour venir dire les causes de sadite opposition. Et avec ce a esté commandé à moy Jehan le Begue Greffier de la Chambre de faire savoir audit Monsieur de Rouen ceste presente opposition & assignation de jour pour venir dire ce qu'il lui plaira à l'encontre de ladite opposition, non mie que la Chambre en veuille entreprendre la cognoissance, mais lors elle advisera ce que elle aura à faire en ceste matiere. Laquelle chose fu incontinent par moy Greffier dessus nommé signifié & dite audit Monsieur le Cardinal; lequel respondi qu'il en estoit content.

Item s'ensuivent les letres que ledit Monsieur le Cardinal

Cardinal a baillez pour enteriner les letres royaulx cy-dessus derriere escriptes.

In nomine Domini Amen. Per hoc præsens publicum instrumentum cunctis pateat evidenter & fiat manifestum, quod anno ejusdem Domini millesimo CCCCXXVI. more Gallicano, indictione quinta, die vero mensis Februarii XXVII. Pontificatus sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri, Domini Martini, divina providentia Papæ quinti, anno decimo, in mei Notarii publici testiumque infrascriptorum ad hæc vocatorum præsentia personaliter constitutus Reverendissimus in Christo Pater & Dominus, Dominus Johannes, miseratione divina Tituli sancti Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Archiepiscopus Rothomagensis, sive Ecclesiæ Rothomagensi præsidens, de & super eo, quod Dominus noster Rex suas concessit literas sub data Londoniis XXVII. Junii anno currente, per quas placuit sibi & placebat, quod cum dignitate & titulo cardinalatus retinere posset Ecclesiam suam Rothomagensem juxta formam & tenorem litterarum apostolicarum super hoc sibi concessarum in curia compotorum præfati Domini nostri Regis pro parte ejusdem Domini Cardinalis, ut dicebat, exhibitarum & deinde in libris ejusdem registratarum, in quibus quidem literis regiis inter cetera cavebatur, quod intentionis regiæ serenitas existebat, ut si pro aliqua sua regnorumque suorum vel alterius eorundem utilitate aut alia rationabili causa de curia Romana vel aliunde ad suam majestatem regiam, sive ad dictum regnum Franciæ ipsum Dominum Cardinalem Consiliarium suum vocari contingeret, infra annum à die notificationis auctoritate sua regia sibi factæ personaliter venire teneatur, nisi aliud infra dictum tempus a sua regia serenitate habuerit in mandatis, prout in eisdem literis regiis hæc & quædam alia plenius continentur, quodque venerabile Consilium Cameræ compotorum in deliberando concordandoque & concedendo verificationem ipsarum literarum regiarum deliberaverant & ordinaverant habere literas & instrumentum, per quas se obliget & appareat, eum remanere alligatum, debere ad vocationem regiam venire & comparere, ut præfertur, & etiam, quod omnia & singula alia contenta in eisdem literis, prout ad ipsum pertinebat, adimpleverat & perfecerat, ut dicebat, ex sua certa scientia & deliberato proposito gerens in affectione & voluntate velle obedire Domino nostro Regi Dominoque Regenti & eorum mandatis juxta possibilitatem suam, recognovit & recognoscit & etiam confitetur debere ac teneri ad vocationem Domini nostri Regis seu Domini Regentis, ejus durante regentia, quotiens eum vocari contigerit seu vocabitur, juxta efficaciam & tenorem dictarum litterarum regiarum & deliberatorum in dicta camera compotorum, & quoad hoc etiam obedire, quod facere vult, & bona fide promittit & intendit. De quibus omnibus & singulis præfatus Dominus Cardinalis petiit & voluit per me Notarium subscriptum sibi fieri instrumentum publicum. Actum & datum Parisiis sub sigillo ejusdem Domini Cardinalis Archiepiscopi Rothomagensis anno, indictione, mense, die & pontificatu prædictis, præsentibus ibidem venerabilibus & discretis viris Dominis & Magistris Roberto de Saava Canonico Lexoviensi, Jacobo Croiseti Rectore Ecclesiæ parrochialis Montis rubei Parisiensis diœcesis, & nobili viro Johanne de Montefalcone scutifero, testibus ad præmissa astantibus. Et ego Petrus Salomonis, Clericus Suessionensis diœcesis, in artibus Magister, & in Decretis Licentiatus, publicusque auctoritate apostolica Notarius, quia præmissis omnibus & singulis, dum sic ut præmittitur per dictum Dominum Cardinalem, Archiepiscopum Rothomagensem recognoscerentur agerenturque & fierent, una cum prænominatis testibus præsens fui, eaque sic fieri vidi & audivi, idcirco his præsentibus literis sive publico instrumento sigillo ipsius Domini Cardinalis roborato signum meum solitum hic me subscribens apposui in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum. Sic signatum. P. Salomonis.

Et est assavoir que combien que ledit XXV. jour de Fevrier icelui Monf. l'Arvesque eust declairé en la presence dudit Monf. le Chancellier & gens du grant Conseil du Roy que il estoit deliberé de accepter & eust accepté ladite dignité de Cardinal, toutesvoies le lendemain XXVI. jour dudit Fevrier fu chantée en l'Eglise de Paris uné Messe sollennelle de Nostre Dame, en laquelle fu ledit Monf. l'Arcevesque, Messieurs les Chancellier, Prelats, & autres gens du grant Conseil du Roy. Et fu ledit Monf. l'Arcevesque à l'offrande, & nul autre. Et la Messe archevée, se tirerent lesdits Messieurs l'Arcevesque, Chancellier, Prelats &c. au grant (*) hostel. Et illec ledit Arcevesque estant à genoux, ledit Monsieur le Chancellier print le chappel de rouge, qui durant ladite Messe avoit esté sur ledit grant hostel, & lequel chappel avoit passé à deux ou trois mois esté par nostre Saint Pere envoié audit Monsieur de Rouen, qui recevoir ne l'avoit lors voulu, & pour ce avoir esté mis en depost en ladite Eglise de Paris. Et apres aucunes paroles dites par ledit Monsieur le Chancellier audit grant hostel, il leva ledit chappel, & le mist & assist sur la teste dudit Monf. le Cardinal. Et ce fait, monterent à Cheval, & alerent disner sur ledit Monf. le Chancellier.

(*) Aurel.



ILLU-

ILLUSTRISSIMI VIRI
PETRI DE MARCA
RESPONSIO AD NOTAS LUCÆ HOLSTENII
In Tomum primum de Concordia Sacerdotii & Imperii.
EDITA ANNO MDCLXIII.



TRaditæ mihi cum essent superioribus diebus ab eminentissimo Cardinali Grimaldo, Nuncio apostolico in Gallia, singularis prudentiæ & immobilis erga sedem apostolicam fidei viro Notæ eruditissimi cujusdam viri in libros nostros dissertationum de Concordia Sacerdotii & Imperii, quos Romæ amica manu recensuit, ad officium meum pertinere putavi, ut animadversionibus ab eo factis, explicata instituti mei ratione, satisfacerem.

I. Sunt autem tria præcipue, quæ desiderata video in dissertationibus nostris. Primum est, in rebus historicis: quas a me ita temperavi vel explicari cuperet, quemadmodum a viris celeberrimis Bellarmino, Baronio, Perronio Cardinalibus, aliisque factum est, ne sedi apostolicæ contumeliosæ videantur. Stupui, fateor, in ejus notationis lectione. Nihil enim tam alienum a mente mea fuit, quam, ut vel levi suspicione sedis apostolicæ dignitatem læsisse viderer. Quin potius eam omnibus officiis semper colui, & iisdem dissertationibus adversus æmulos ejus majestatem non irrito, ut opinor, conatu vindicavi. Scio quidem, adversus nova, quæ ex intima vetustate protuli argumenta apud Hollandos volumen excudi, quod novæ victoriæ materiam rei Romanæ studiosis præbebit. Interim æquum est, ut eam offensionem diluam, quæ viri eruditi & amici animum in dissertationibus nostris pupugit.

II. Exempla profert, quibus pietatem Ecclesiæ debitam a me violatam existimat. Scilicet lib. I. cap. I. §. IV. occasionem schismatis orientalium in usurpatas ab iis Diœceses ita contuli & Henrici Imperatoris adversus Gregorium VII. in episcopatuum investituras, ac si privatis commodis ducti summi Pontifices eas discordias excitassent; cum tamen constet Græcorum schisma ex dissidiis de religione motis profluxisse, & adversus Henrici contentiones, ob simoniacam pravitatem, & duram servitutem, qua Ecclesias premebat.

III. Quod attinet ad orientales, non diffiteor equidem, quin novis observationibus historiam illam illustraverim, ut Græcos ambitus, perfidiæ, & ingrati animi vitio, fœdo schismati & professæ hæresi prolusisse demonstrarem. Diœceses Illyricianæ, Calabria, Sicilia, & reliquæ provinciæ usque ad Thraciam distractæ sunt a Romano patriarchatu per vim & tyrannidem Leonis Isauri, in odium vindicatarum imaginum. Restituta Ecclesiæ pace, eas Diœceses tandem repetit Hadrianus I. minaturque abstentionem jurisdictionis ecclesiasticæ & tot provinciarum invasoribus. Quid alienum a canonibus? Detrectant Græci. Quid iniquius? Iterum restituto Ignatio in sedem Constantinopolitanam, Hadriani II. Legati Diœceses avulsas repetunt. Spondent Græci; dein tergiversantur, & consuetis ludificationibus a rebus promissis discedunt. Summo beneficio Joannes VIII. Photium communioni ecclesiasticæ & sedi CP. post obitum Ignatii reddit. Promissam Diœceseon restitutionem urget. Renuit versipellis homo, scelus meditatur; atque, ut possessionem retineat, causæ conjectionem in aliud caput transfert; de summa religionis litigat; de processione sancti Spiritus, de violato fidei symbolo, de sabbatho, aliisque articulis controversiam movet, & a communione sedis apostolicæ recedit. Quis non damnet Photii impietatem? Quis non faveat Romanorum Pontificum causæ? Res suas repetunt, juxta canones. Recusat invasor, & schismate lacerat Ecclesiam. Hæc est summa narrationis, quam illo capite institui: in qua, quid sit apostolicæ sedi injuriosum plane non video.

IV. In Henrici Imp. dissidio, de investituris episcopatuum per virgam & annulum disceptatum dixi; quod verum est, & in eo erat causæ jugulus. Ante consecrationem annulo & virga pontificia a se donandos vel investiendos Episcopos contendebat Henricus ex antiquo more. E contrario disputabat Gregorius, rei spiritualis investituram a laico Principe conferri non posse. Addebat hinc sequi deplorandam Ecclesiæ servitutem, abuti eo privilegio Principem, sacerdotia pecuniis redimi, & cetera id genus. His vitiis remedium adhiberi potuisset. Sed origo mali tollenda erat. Itaque in synodo Romana sub Gregorio VII. dein in aliis quoque Conciliis habitis ab Urbano II. & Paschali II. laicorum investituræ per annulum & virgam damnatæ sunt; quibusdam hæresi, aliis vero schismati eas accensentibus. Peculiarem hac de re nec sane inelegantem dissertationem, a me in præfatione libri promissam propediem in lucem dabo. Quid autem a me in hoc capite peccatum sit, ignoro. Asserebat libertatem Ecclesiæ adversus investituras Gregorius. Recte; idque tandem obtinuit. Contra nitebatur Henricus. Male; & ab eo usu tandem cessatum est. Nihilominus tamen de his capitibus disceptatum fuit acerbissime. Unde colligi posse dixi, quemadmodum etiam ex schismate Græcorum, excitatis de jurisdictione contentionibus litigantium animos ita plerumque accendi, ut ab officio suo discedant. Privati vero commodi causa Pontifices discordias aut excitasse aut fovisse nusquam dixi, vel saltem suspicioso scribendi genere insinuavi.

V. Notat quasi per transennam vir eruditus, me pleraque historiæ ecclesiasticæ capita ex damnata M. Antonii de Dominis Republica desumpsisse. Doleo, fateor, meam vicem: qui pro auctoritate sedis apostolicæ integro primo & tertio libro dissertationum atque alibi passim ex historia ecclesiastica pugnans, ab ejus adversario argumenta petivisse dicor. Imo vero profiteri non dubito, eorum maximam partem industriæ meæ deberi, utpote quorum nemo ex proceribus nostris hucusque meminerit. Sane Spalatensis lectioni aliquoties incubui; sed, ut cum eo dimicarem, ejusque argutias retunderem. Quod aperte a me factum in disceptatione gravi de episcopatuum institutione, quam ille Principibus permittit; in alia quoque, de canonibus Antiocheni Concilii: & in tractatu de dispensationibus, libro tertio. Alibi quoque, tacito auctoris nomine, strictim hominis versutias carpo, novisque solutionibus rem totam conficio. Eminentissimorum Cardinalium Bellarmini, Baronii, Perronii nominibus assurgo, eorum commentationes veneror; sed meas observationes illis intactas, in rem communem confero; id unum præ

præ me ferens, novatorum causam tam nostris telis peti, quam ceterorum rationibus est concussa & labefactata. Ceterum, ut ad Spalatensem redeam, nihil ab eo haurire potui, quod ad tractationem meam conferret, eo quod liber ille, quo de judiciis ecclesiasticis disputabat, undarum fluctibus periit, qui forte flammis periisse debuerat.

VI. Secundo notat vir eruditus, me in eo gravissime peccare, quod prolatis virorum gravium exemplis, quibus vulnus aliquod inferri videtur jurisdictioni ecclesiasticæ, a decisione quæstionis abstineam, neque de mollienda facti specie, ut præstiterunt eruditi viri, ullo pacto curem, eo scilicet animo, ut dubia & suspensa mens lectoris eo vergat, quo tanto præjudicio depressa fertur; quam artem secutus videor in tractatu de appellationibus ab abusu, quas usurpatas olim in Ecclesia, exemplo Athanasii & perduellis Nestorii, doceo; non addita sententia mea, an ejus rei usus sit legitimus, nec ne; cum tamen vestigia Baronii secutus, potuissem totum id negotium ad vim Principum referre, qui gravi servitute Ecclesiam vexabant. Gravis sane accusatio, si juris disputationem in rebus controversis promisissem: a qua tamen de industria me recessurum dixi, ne de finibus utriusque jurisdictionis ego privatus homo transfigere viderer. Facti disceptationem in me suscepi; ut pateret, quid gestum in expansa annorum serie, sine ullo animorum dissidio, vel cum acerrimis contentionibus, ut ex eo viri prudentes colligerent, quid in simili specie sequendum vel fugiendum foret. Attamen id præ me fero, in eximiis & nobilioribus controversiis, quæ inciderunt in quatuor dissertationum libros, me in alterutram partem disertissime pronunciasse, & ubique jurisdictioni ecclesiasticæ, quantum res patiebatur, imo & sæpissime præter instituti mei rationem, favisse. Conferantur, si placet, celeberrimorum in foro Gallicano jurisconsultorum positiones contumeliosæ in sedem apostolicam & ecclesiasticam jurisdictionem cum iis definitionibus, quas ego primus inter tot magistratus, imo & inter theologos, (quia res istas, licet gravissimi momenti, non attingunt) conceptis verbis asserui. Et tunc causa cadam, nisi palam constet, me bonæ causæ firmissimum esse vindicem.

Hæ sunt meæ definitiones.

I. Supremam in rebus ecclesiasticis auctoritatem per Gallias exercuisse Romanum Pontificem, judiciis ad relationes & appellationes redditis, ab eo tempore, quo fides Christiana in Galliis floruit ad hanc usque ætatem.

II. Papam jure divino esse universalis Ecclesiæ caput, atque adeo Gallicanæ, quæ illius est membrum.

III. Generalia decreta a Romanis Pontificibus in Gallias æque ac in reliquas provincias missa: quæ magno applausu ab Imperatoribus Romanis, deinde a Francorum Regibus post constitutum regnum usque ad hanc ætatem suscepta sunt.

IV. Nullum esse crimen, cujus ratione Papa deponi possit excepta hæreseos publicæ professæ causa. Quod verum esse testimoniis veterum docetur; & præterea hanc esse antiquam Ecclesiæ Gallicanæ definitionem demonstratur.

V. Papam solvere posse & dispensare valide & licite a canonibus Conciliorum generalium, etiam sine causa: dummodo hæc dispensatio non tendat ad labefactandum Ecclesiæ statum. Ubi nova plane ratione de toto hoc negotio disseritur juxta juris antiqui regulas atque præsentem usum.

VI. Libertates Ecclesiæ Gallicanæ consistere in usu & praxi canonum atque decretalium tam veterum quam recentiorum, easque non pendere a sola praxi antiquorum canonum. Ubi ostenditur necessitate cogente Pontifices variis temporibus, pro bono publico Ecclesiæ, ad novas leges condendas progressos.

VII. Papam, præter eum primatum, quo universæ Ecclesiæ præest, solum esse & immediatum occidentis Patriarcham. Regibus vero non competere jus aliquod episcopatum vel metropolim instituendi, multo minus patriarchatum.

VIII. Appellationum ab abusu ob canones violatos cognitionem saltem restringendam esse & terminandam eo fine, ut ob scandalum emergens executionem interim impediat ejus judicati, quod a judice ecclesiastico latum erit adversus constitutiones ecclesiasticas. Attamen hoc prætextu curiis supremis non licere de negotio principali, quod est mere ecclesiasticum, pronunciare, usumque contrarium alienum esse a mente & a praxi veterum Principum & Regum Christianissimorum.

Adversariorum contrariæ positiones.

I. Pontificem Romanum nullam auctoritatem in Galliis exercuisse ante sextum seculum.

II. Toto illo sexcentorum annorum intervallo Regem solum Ecclesiæ Gallicanæ ut caput præfuisse, non autem Papam.

III. Non competere Papæ, ut leges ecclesiasticas condat, quæ Gallos obligent.

IV. Papam a dignitate & sede sua dejici posse, si gravissimum scandalum Ecclesiæ inferat.

V. Nullo in casu vel specie licere Pontifici aliquid statuere vel dispensare adversus canones generalium Conciliorum.

VI. Libertates Ecclesiæ Gallicanæ consistere in usu antiqui juris comprehensi canonibus veteris Ecclesiæ, & ad Curias supremas pertinere, ut eum usum suis senatusconsultis seu arrestis restituant.

VII. Gallis competere jus eligendi & constituendi supremum aliquem Patriarcham, si Pontifex regiis rationibus sese non accommodet.

VIII. Regi liberum esse, ut constitutiones ferat in rebus ecclesiasticis, quæ sint ejusdem roboris ac leges de rebus secularibus latæ.

IX. Curiis supremis jus competere in dirimendis appellationibus ab abusu, de principali negotio ecclesiastico decernendi: quemadmodum sæpissime usurpatur in foro.

His addi possunt capita libertatis Gallicanæ a Massono proposita in opusculis Agobardi; quæ tamen, ut aliena a cultu sanctæ sedi debito diserte refelli, objurgatis etiam antiquis Episcopis Gallicanis, lib. IV. cap. XI.

VII. Quoniam autem in jus vocor ob appellationes ab abusu, necesse est, ut pauca, sed necessaria, ea de re verba faciam. Rei substantiam a novitio & nupero nomine distinguendam dixi. Quod ad rem attinet, imploratum fuisse omnibus seculis Principum præsidium adversus vim, quæ prætextu judiciorum ecclesiasticorum inferretur. Attamen eam cautionem adhibuisse Principes Romanos, ut de re canonica judicium non ferrent, sed judices darent, evocatis ad synodum Episcopis, juxta canonem Concilii Milevitani; aliquando tamen ultra quam par esset evagatos, translato ab una in alteram provinciam judicio, & prorogata jurisdictione, pœnisque suspensionis a sacrorum administratione & depositionis indictis; quas pœnas a Principibus hodie irrogari non posse diserte scripsi lib. IV. cap. I. §. VI. & cap. XVIII. §. II. explicato Theodosii rescripto, & obiter castigato Justiniano. Generaliter vero lectorem monui lib. IV. c. I. §. I. his verbis: *Quæcunque apud veteres Principes in his causis olim viguerunt, locum apud nos habere non possunt: nec immutata aliquantisper disciplina antiquum illum ordinem ullo pacto admittere potest.*

VIII. Sane Athanasii exemplo usus sum, ut docerem tuitionem Principis ab eo viro expetitam. In quo referendo & explicando duo præstiti. Mortono, Ivello & aliis Anglicanis scriptoribus, licet eorum nomine omisso, respondi, qui ex hac appellatione Athanasii ad Constantinum judicia

canonica

canonica Principibus subjiciunt; quorum opera & interpretationibus pragmatici quidam e nostris sæpissime utuntur. Deinde vero limites certos figere volui appellationibus ab abusu in tritura fori Gallicani. Quatuor vitia seu nullitates synodi Tyriæ ostendi. Athanasium appellasse ob dolum, insidias & vim hostium potius quam judicum. Constantinum vero cognitionem suscepisse, ut de tumultu & de vi illata coram se ageretur; ut docui ex ipsis rescripti verbis lib. IV. cap. II. §. VII. Unde cap. XX. §. III. collegi, si contra omnem judiciorum ordinem per dolum, machinationem, & circumventionem judicio ecclesiastico Episcopi vel clerici opprimerentur, vel etiam, si offensionis publicæ periculum immineret ob apertissimam canonum violationem, Principum tuitione subsidium peti posse, necessitate cogente, ex sententia quoque hujus ævi theologorum Cajetani, Victoriæ, Suaris & Covarruviæ, ut interim mandatorum injustorum executio impediatur. Statimque subjunxi hæc verba: *Si quis ad hanc necessitatem coercere velit patrocinium regium, usus fori quotidianus periclitari videbitur, quo ab ipsis interlocutionibus Episcoporum appellatur, tanquam ab abusu, non expectato ultimo judicio; multo minus expectata Metropolitani vel summi Pontificis cognitione, qui res contra canones ab Episcopis judicatas emendare potuisset. Sane praxis illa & fori tritura sola remedii celeritate niti potest.* Deinde constitutionem regiam propediem edendam dixi, quæ his morbis medeatur. Non potui liquidius sententiam meam de toto isto negotio significare, de qua sane plerique magistratus conquesti sunt, eo præcipue nomine, quod cleri Gallicani expostulationibus numquam adeo apertæ appellationes istæ petitæ fuissent.

IX. Sed Nestorii factum adhibuisse dicor. Imo vero & discussi, ut sedis apostolicæ auctoritatem tuerer adversus novatorum impetum, qui Theodosii rescripto eam valde lædi putant, quo rei judicatæ a Cælestino contra Nestorium executio suspenditur. Dupliciter respondi; sed strictim, meo more. Primo factum Theodosii vix sustineri posse. Secundo suspensionem illam tribuendam, non regiæ auctoritati, sed juri ipsi, quo decernitur appellatione vel restitutione in integrum pendente nihil innovandum; Nestorium conquestum, quod inauditus damnaretur; synodum generalem petivisse, quæ concessa fuit a Theodosio. Nolui autem ad locum illum communem confugere, de vi Principum & Ecclesiæ servitute. Excipiunt enim rescriptum illud Principis a synodo Ephesina probatum & actis insertum. Quare non levem operam mihi navasse videor in detegenda, ex ipsis Cælestini verbis, Concilii a Nestorio facta petitione, quæ omnes scriptores huc usque fugerat; unde retusus est mucro argumenti, quod adversus jurisdictionem pontificiam ex suspensione a Theodosio indicta parabatur. De appellationibus autem ad futurum Concilium, quæ apud nostros utramque paginam faciunt, ea cautione adhibita dixi lib. IV. cap. XVII. ut summam sedis apostolicæ auctoritatem semper tuitus sim; alia plane ratione in ea disputatione versatus, quam theologi quidam scholastici, quorum commentarii ea de re editi passim apud magistratus & pragmaticos, ut inepti traducuntur.

X. Tandem eas definitiones juris civilis amplecti insimulor, quæ jurisdictioni ecclesiasticæ officiunt. Verbis istis generalibus instituta accusatio dilui non potest, nisi exceptione generali; qua profiteor omnino alienum a sententia mea fuisse ut jurisdictionem ecclesiasticam læderem, quam integram præstari debere toto opere disertissime testatus sum. Sed testimonium Guillelmi Okami laudavi ex Dialogo Militis & Clerici, qui fuit Ecclesiæ infensissimus hostis. Probe quidem novi, Okamum favisse Ludovico Bavaro atque pro ejus partibus dimicasse adversus Joannem vigesimum secundum. Sed nihil ex ejus scriptis hausi; quippe, qui ex antiquorum penu Okamo intacta deprompsi, quæ meis commentationibus conferre posse videbantur. Laudavi sane locum quendam ex Dialogo Militis, quem recte Notator Okamo tribuendum monuit; sed, ut sententiam theologorum illius ætatis, scilicet Joannis Parisiensis & aliorum, expenderem, de excommunicationibus ob crimina secularia inflictis. Quantum vero illi dialogo tribuerim, docent verba mea lib. II. cap. III. §. VII. nempe defuisse auctori cognitionem antiquæ disciplinæ, ne rem ipsam omnino assequeretur. De ipso autem excommunicationum usu secundum veteres speciali exercitatione me acturum ibidem spopondi; ne quis existimet, eorum me sententiam amplecti, de quorum ignoratione tacere non potui.

ILLUSTRISSIMI VIRI
PETRI DE MARCA
LITURA CENSURÆ ROMANÆ,
EDITA ANNO MDCLXIII.

BSCURÆ sunt omnibus causæ, ob quas Romæ censura lata est adversus librum dissertationum de Concordia Sacerdotii & Imperii. Etenim in universum asseri potest, auctoris animum quam longissime abfuisse ab omni consilio lædendi jura sedis apostolicæ vel ecclesiasticæ jurisdictionis. Quin potius indubitatum est omnes ejus rationes & consilia ad restaurandam Ecclesiæ auctoritatem spectasse & impugnandas novas regulas, quæ in curias seculares ab iis, qui harum rerum minus periti sunt, paulatim inducuntur. Eam in rem multum confert auctoris a munere regio, quo est ornatus, profecta dignitas: qui omnibus honoribus in curia suprema apud suos functus, hodieque in Consistorio regio adsidens, nulla apud supremarum curiarum senatores suspicione laborare potest. Contra quam accidit, cum theologis, tum canonistis, quorum lectioni vix alicui senatorum vacare libet, & quibus solemnia illa quotidie objiciuntur, scilicet eos in sua causa loqui, atque de materia sibi omnino incomperta tractare. Deinde vero longe diversa ab ea, qua scholastici utuntur, methodo de rebus propositis disputat, quæ Gallorum liberalibus ingeniis est accommodata. Scholastici enim subtilium argumentorum acumina sectantur ad propositi sui probationem, vel in recentiori decretalium aut sane hujus vel superioris

seculi scriptorum allegatione utplurimum immorantur. Auctor autem iste res ipsas ab origine repetens, argumenta momentaque rationum, historiæ ecclesiasticæ & canonum legumque auctoritati conjungit, ut ecclesiasticam jurisdictionem suis fundamentis stabiliat, ipsoque usu Principibus & populis accepto confirmet. Hac tractandi ratione in falsis illis regulis impugnandis versatur, quibus libertates Ecclesiæ Gallicanæ inniti pragmatici nostri hucusque docuerunt. Etenim auctores, qui hac de re egerunt, has atque alias sedi apostolicæ contumeliosas positiones protulerunt. Nempe:

I. PONtificem Romanum nullam auctoritatem in Galliis exercuisse ante sextum seculum.

II. Toto illo sexcentorum annorum intervallo, Regem solum Ecclesiæ Gallicanæ ut caput præfuisse non autem Papam.

III. Non competere Papæ, ut leges ecclesiasticas condat, quæ Gallos obligent.

IV. Papam a dignitate & sede sua dejici posse, si gravissimum scandalum Ecclesiæ inferat.

V. Nullo in casu vel specie licere Pontifici aliquid statuere vel dispensare adversus canones generalium Conciliorum.

VI. Libertates Ecclesiæ Gallicanæ consistere in usu antiqui juris comprehensi canonibus veteris Ecclesiæ & ad curias supremas pertinere, ut eum usum suis senatusconsultis seu arrestis restituant.

VII. Gallis competere jus eligendi & constituendi supremum aliquem Patriarcham, si Pontifex regiis rationibus sese non accommodet.

VIII. Regi liberum esse, ut constitutiones ferat in rebus ecclesiasticis; quæ sint ejusdem roboris ac leges de rebus secularibus latæ.

IX. Curiis supremis jus competere in dirimendis appellationibus ab abusu, de principali negotio ecclesiastico decernendi; quemadmodum sæpissime usurpatur in foro.

Definitiones illæ copiosissime & robustissime refutatæ sunt ab auctore, adeo felici eventu, ut plerisque magistratuum fere jam persuasum sit eas ab imperitis aut Ecclesiæ iniquis hominibus positas fuisse. Quoniam vero de rebus istis accurate vix disceptari potest, quin necesse sit in hæreticos hujus temporis, qui sedis apostolicæ auctoritatem convellunt, incidere, quæ illi ex antiquitate petunt testimonia sincere & absque cavillationibus explicantur. Qui conatus iis, qui apud eos illustriores sunt, & magnam nominis famam obtinent, adeo gratus fuit, ut eorum ingenia ad severiorem informationem suscipiendam paraverit. Itaque docuit auctor;

I. SUpremam in rebus ecclesiasticis auctoritatem per Gallias exercuisse Romanum Pontificem, judiciis ad relationes & appellationes redditis, ab eo tempore, quo fides Christiana in Galliis floruit ad hanc usque ætatem.

II. Papam jure divino esse universalis Ecclesiæ caput, atque adeo Gallicanæ, quæ illius est membrum.

III. Generalia decreta a Romanis Pontificibus in Gallias, æque ac in reliquas provincias, missa: quæ magno applausu ab Imperatoribus Romanis, deinde a Francorum Regibus post constitutum regnum usque ad hanc ætatem suscepta sunt.

IV. Nullum esse crimen, cujus ratione Papa deponi possit, excepta hæreseos publicæ professæ causa. Quod verum esse testimoniis veterum docetur; & præterea hanc esse antiquam Ecclesiæ Gallicanæ definitionem demonstratur.

V. Papam solvere posse & dispensare valide & licite a canonibus Conciliorum generalium, etiam sine causa, dummodo hæc dispensatio non tendat ad labefactandum Ecclesiæ statum. Ubi nova plane ratione de toto hoc negotio disseritur juxta juris antiqui regulas atque præsentem usum.

VI. Libertates Ecclesiæ Gallicanæ consistere in usu & praxi canonum atque Decretalium tam veterum quam recentiorum, easque non pendere a sola praxi antiquorum canonum. Ubi ostenditur necessitate cogente Pontifices variis temporibus, pro bono publico Ecclesiæ, ad novas leges condendas progressos.

VII. Papam, præter eum primatum, quo universæ Ecclesiæ præest, solum esse & immediatum occidentis & Galliarum Patriarcham. Regibus vero non competere jus aliquod episcopatum vel metropolim instituendi, multo minus patriarchatum.

VIII. Appellationum ab abusu ob canones violatos cognitionem saltem restringendam esse & terminandam eo fine, ut ob scandalum emergens executionem interim impediat ejus judicati, quod a judice ecclesiastico latum erit adversus constitutiones ecclesiasticas. Attamen hoc prætextu curiis supremis non licere de negotio principali, quod est mere ecclesiasticum, pronunciare, usumque contrarium alienum esse a mente & praxi veterum Principum & Regum Christianissimorum.

IX. Quid vero auctor sentiat de legibus regiis in causis ecclesiasticis statim dicetur.

Quamplurimis aliis regulis libri corpus passim refertum est, quæ cleri utilitatibus valde conducunt, variisque observationibus illustratur, quæ non solum secularium, sed etiam hæreticorum argumentationibus refellendis sunt apprime utiles.

Id unum crimen imputari potest auctori, quod usurpatum in regno Galliæ a Rege ejusque supremis curiis usum patefecerit. Sed expendendum est magistratum regium, cui ea de re scribendi cura injuncta est, impositum sibi munus detrectare non debuisse; præcipue, cum ita se gesserit, ut summopere coluerit sedis apostolicæ & Ecclesiæ majestatem, atque gravi stylo quamplurimas definitiones falsas proscripserit, quæ utriusque auctoritatem labefactabant, præterea vero eam cautionem adhibuerit, ut in neutram partem deciderit, an usurpatus a Regibus usus in variis negotiorum figuris legitimus esset vel e contra, id tantum monuerit, eum usum ab Ecclesia tolerari, atque mutua tolerantia pacem & concordiam potestatum cum ecclesiasticæ tum secularis foveri.

In iis vero regulis generalibus, quas posuit pro Regum suorum auctoritate, intra sententias communi Doctorum suffragio receptas se continuit. De suo vero distinctiones, observationes, probationesque novas adjunxit, quæ definitiones illas evertunt, quæ in gratiam potestatis secularis a plerisque invehuntur. Asserit ergo

I. REges a Deo potestatem suam immediate trahere.

II. Tuitionem Ecclesiæ illis a Deo commissam, tam ratione personarum & rerum, quam ipsius disciplinæ.

III. Nullum illis jus competere ad leges suo arbitratu condendas in iis, quæ fidem aut disciplinam ecclesiasticam respiciunt; sed ad eorum munus pertinere, ut edictis suis canonum & decretalium executionem urgeant.

IV. Constitutiones ecclesiasticas in provinciis publicandas esse, & tacito consensu recipiendas, æque ac constitutiones regias.

V. Concordatis initis inter sedem apostolicam & Regnum Francorum confirmatam esse Regibus nostris auctoritatem recipiendarum in regno legum ecclesiasticarum. Ostenditur vero, eos ita se gerere in ea receptione & admissione, ut præcipue disquirant, an novæ constitutiones, veterem & receptum usum immutantes, tranquillitatem civium lædere possint.

VI. Concilium Tridentinum constitutionibus regiis receptum esse in iis, quæ ad fidem pertinent, & in plerisque etiam disciplinæ capitibus; in ceteris vero articulis recipi posse, imo vero & publicari, quandocunque Regibus constabit, nullam esse suspicionem motuum ex eo in regno excitandorum. Quod assertum est adversus magistratuum regio-

regiorum opinionem, qui ad libertates regni pertinere putant, ut Concilium Tridentinum nullo casu vel tempore in regno publicetur.

Persuasum erat eruditioribus omnium ordinum viris dissertationes istas ea industria & prudentia temperatas, quæque Privilegio regio munitæ erant, cum grata animi significatione Romæ excipiendas potius quam censura ulla perstringendas, quæ doctorum virorum & procerum animos læsit: qui ex eo colligunt, & præ se ferunt, tutius esse antiquis definitionibus inniti, quandoquidem temperata ea de re differendi ratio repudiatur, quæ in id tantum instituta erat, ut concordia cum Romanæ curiæ officialibus aleretur.

LIBELLUS,

QUO

EDITIONIS LIBRORUM DE CONCORDIA SACERDOTII ET IMPERII consilium exponit, opus Apostolicæ Sedis censuræ submittit, & Reges canonum custodes, non vero auctores esse docet Petrus de Marca, ordinarius in sacro Regis Consistorio Consiliarius, in supremo Navarræ Senatu Præses, Visitator generalis in Principatu Cataloniæ & Comitatibus Ruscinonis & Ceritaniæ, ad episcopatum Consoranensem a Rege nominatus.

EDITUS BARCINONÆ ANNO MDCXLVI.



EVocato ex provincia Benearnensi & in sacrum Regis Consistorium adlecto, post expertam per aliquot annos meam erga Dei Ecclesiam & Principem Augustissimum immobilis fidei atque pietatis constantiam, impositum est mihi onus gravissimum *de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ* differendi. Ut nefas erat detrectare imperium, ita non alienum ab instituto meo esse duxi, si hac quoque in parte Ecclesiæ catholicæ & sedis apostolicæ causam agerem, cujus majestatem semper colui, eamque sæpissime adversus hæreticos, exemplo majorum meorum, pro viribus meis vindicavi, cum in Benearnensi provincia labe hæreseos infecta Præsidis munere fungerer. Sciunt Galli & exteri, qui historias regni istius florentissimi cum aliqua cura legunt, avorum meorum Joannis & Hieronymi ejus filii prudentia, fortitudine, addo etiam & auctoritate, qua pollebant, tum ob natalium claritudinem, tum ob munerum in republica gestorum amplitudinem, emergentes in Benearno hæreses compressas primum, dein debellatas, donec Hieronymus, avus meus, cum ipsa religione catholica, ita volente numine, corruit. Sed uno avulso non defuit alter, qui rem Christianam promoveret, felicis memoriæ Jacobus pater quondam meus; cujus laboribus, adjuncta quoque sollicitudine & industria mea, id effectum est, ut edicti regii pro restauranda per universas Benearni parœcias religione bonisque ecclesiasticis restituendis lati executio, cavillationibus hæreticorum per longi temporis moras elusa, ab ipso gloriosissimæ & immortalis memoriæ Rege Ludovico XIII. perpetraretur. Itaque instituti mei & pietatis avitæ retinens, rationes imperii Gallici in tuendis privilegiis & libertatibus suis in eo positas esse scripsi, ut a summo cultu, quem Christiani omnes sacrosanctæ sedi apostolicæ atque Pontifici maximo debent, nunquam discederetur. Quare necessario mihi dimicandum fuit cum viris eruditissimis, qui de hisce libertatibus commentariis editis olim, iis positionibus nituntur, quæ catholicæ Ecclesiæ dignitatem summopere lædunt. Quæ sane commentationes a tanti nominis viris profectæ eas radices in quorundam animis egerunt, ut curiarum supremarum plerique magistratus non aliis fere auspiciis negotia ecclesiastica dirimant. Itaque prudenter disceptatio illa aggredienda fuit, eo tenore modoque servato, ut juribus & privilegiis regni non derogaretur, quemadmodum sedis apostolicæ auctoritas integra præstanda erat. Quod aliter obtineri non poterat, quam si disceptatio ad facti discussionem, omissa juris disputatione, restringeretur. Id vero actum ea cautione adhibita, ut in neutram partem decisum sit, an usurpatus publica auctoritate a Regibus Christianissimis usus in variis causarum figuris legitimus esset vel e contrario. Par enim erat Ecclesiæ Romanæ exemplum sequi, quæ conniventibus oculis usum illum tolerat, ut monui in præfatione dissertationum, atque hac dissimulatione & indulgentia pacem concordiamque potestatum, cum ecclesiasticæ, tum civilis prudentissime fovet. Abstinerem a referendis contumeliosis illis sedi apostolicæ definitionibus, quas aperte proscripsi, nisi operæ a me in eo positæ reddendam rationem esse viderem. Docent itaque celeberrimi apud nos auctores Romanæ communionis, non solum Carolus ille Molinæus, sed prætерea clarissimi viri Fauchetius Pasquierius, Pithœus, Hotmannus, Servinus, aliique libertatum Gallicanarum consarcinatores, quamvis non omnes omnia.

I. Pontificem Romanum nullam auctoritatem in Galliis exercuisse ante sextum seculum.

II. Toto illo sexcentorum fere annorum intervallo Regem solum, post Principes Romanos exactos, Ecclesiæ Gallicanæ, ut caput præfuisse, non autem Papam.

III. Non competere Papæ extra Concilium, ut leges ecclesiasticas condat, quæ Gallos obligent.

IV. Papam a sede & dignitate sua dejici posse, si gravissimum scandalum Ecclesiæ inferat.

V. Nulla in specie licere Pontifici aliquid statuere adversus canones generalium Conciliorum.

VI. Libertates Ecclesiæ Gallicanæ consistere in usu antiqui juris comprehensi canonibus veteris Ecclesiæ, & ad Curias supremas pertinere, ut eum usum senatusconsultis suis paulatim restituant.

VII. Gallis competere jus constituendi summum aliquem Patriarcham, si Pontifex regiis rationibus sese non accommodet.

VIII. Regi liberum esse, ut constitutiones ferat in rebus ecclesiasticis, quæ sint ejusdem roboris ac leges de rebus civilibus latæ.

IX. Curiis supremis jus competere in dirimendis appellationibus ab abusu, de principali negotio decernendi: quemadmodum sæpe usurpatur in foro.

Adversus regulas illas copiose disputatum est nova methodo, quæ Gallorum liberalibus ingeniis esset accommodata. Non enim subtilium argumentorum tricæ vel scriptorum hujus superiorisve seculi testimonia cumulata sunt, ut acumine vel mole machinæ adversariorum everterentur; sed rebus ipsis ab origine petitis argumenta momentaque rationum, historiæ ecclesiasticæ & canonum legumque auctoritati conjuncta sunt, ut ecclesiastica jurisdictio suis fundamentis stabiliretur, ipsoque usu Principibus & populis Christianis accepto confirmaretur. In quo laboratum est adeo felici eventu, ut multis persuasum sit, eas definitiones ab istarum rerum imperitis aut Ecclesiæ iniquis hominibus positas fuisse. Quoniam vero de re-

de rebus istis vix accurate disceptari potest, quin necesse sit in hæreticos hujus temporis incidere, qui sedis apostolicæ auctoritatem convellunt, quæ illi ex antiquitate petunt testimonia, pleraque sincere & absque cavillationibus explicantur. Qui conatus iis, qui apud eos celebriores sunt, & magnam nominis famam obtinent, adeo gratus fuit, ut eorum ingenia ad severiorem informationem suscipiendam paraverit. Itaque sequentes regulas, ex adverso aliarum, variis locis sparsas constitui.

Lib. I. de Concord. Sac. c. X.

I. Supremam in rebus ecclesiasticis potestatem & auctoritatem per Gallias exercuisse Romanum Pontificem judiciis ad relationes & appellationes redditis, ab eo tempore quo fides Christiana in Galliis floruit ad hanc usque ætatem.

Lib. II. cap. II.

II. Papam jure divino esse universalis Ecclesiæ caput, atque adeo Gallicanæ, quæ illius est membrum.

Lib. I. c. VIII. & IX.

III. Generalia decreta a Romanis Pontificibus in Gallias æque ac in reliquas provincias missa; quæ magno applausu ab Imperatoribus Romanis, deinde a Francorum Regibus post constitutum regnum ad hoc tempus suscepta sunt.

Lib. I. cap. XI.

IV. Nullum esse crimen, cujus ratione Papa deponi possit, excepta hæreseos publice professæ causa. Quod verum esse testimoniis veterum docetur; & præterea hanc esse antiquam Ecclesiæ Gallicanæ definitionem demonstratur.

Lib. III. cap. XIV. & XV.

V. Papam solvere posse & dispensare valide & licite a canonibus Conciliorum generalium, etiam sine causa publica; *dummodo hæc dispensatio non tendat ad labefactandum Ecclesiæ statum. Ubi nova plane ratione de toto hoc negotio differitur juxta juris antiqui regulas atque præsentem usum.*

Lib. III. cap. II. & VI.

VI. Libertates Ecclesiæ Gallicanæ consistere in usu & praxi canonum atque decretalium tam veterum quam recentiorum, easque libertates non pendere a sola praxi veterum canonum. Ubi ostenditur necessitate cogente Pontifices variis temporibus, pro bono publico Ecclesiæ, ad novas leges condendas progressos.

Lib. I. cap. III. IV. V. VI. & VII.

VII. Papam, præter eum primatum, quo universæ Ecclesiæ præest, solum esse & immediatum occidentis & Galliarum Patriarcham.

Lib. II. cap. VIII. & IX.

VIII. Regibus vero non competere jus aliquod episcopatum vel metropolim instituendi, multo minus Patriarchatum.

Lib. II. cap. VI. VIII. X. XI. XII.

IX. Regibus a Deo commissam esse tuitionem Ecclesiæ, ut edictis suis decretorum & canonum promulgatorum executionem urgeant, non autem, ut arbitratu suo leges condant in iis, quæ fidem aut ecclesiasticam disciplinam respiciunt.

Lib. II. c. XIII.

X. Concilii Tridentini regulas fidei omnes, & disciplinæ præcipuas, constitutionibus regiis admissas, cetera vero atque adeo Concilium ipsum publicari posse, quandocunque Regibus Christianissimis constabit, nullam esse suspicionem motuum ex ea promulgatione in regno excitandorum. Quod assertum est adversus magistratuum regiorum opinionem, qui ad libertates regni pertinere putant, ut Concilium Tridentinum nullo casu vel tempore in regno publicetur.

Lib. IX. cap. XX.

XI. Appellationum ab abusu ob canones violatos cognitionem restringendam esse saltem & terminandam eo fine, ut ob scandalum emergens ex novitate executionem interim impediat ejus judicati, quod a judice ecclesiastico latum erit adversus canones & decreta. Attamen hoc prætextu curiis supremis non licere, ut de negotio principali, quod est mere ecclesiasticum, pronuncient, usumque contrarium alienum esse a mente veterum Principum & Regum Christianissimorum.

Non me latet, quin aliqua mihi per arduum clivum enitenti exciderint, quæ Romæ variis observationibus perstricta sunt. Sed in iis, qui edendi supersunt tomis eam viam insistere decrevi, quæ omnium offensionum causas amoveat. Præcipue vero in id incumbam, ut monita generalia, quæ priore tomo tironibus præscripta sunt, quo in reddendis judiciis a juris ecclesiastici læsione sint cautiores, rebus ipsis & specialibus causis applicem, in quibus præter constitutionum regiarum mentem contra canones peccari in negotiis magni momenti frequenter contingit. Tunc latius sese aperiet materia de jure ipso disputandi, ad canonum & decretorum pontificiorum auctoritatem vindicandam: quæ in rebus ecclesiasticis sola vim legum obtinent, & ad publicam tantum executionem regiis rescriptis muniuntur. Quæcunque vero ea de re in posterum edam, quemadmodum eas, quas evulgavi dissertationes ex solemni formula summo sedis apostolicæ judicio submitto. Scio hac in parte me Gallicanæ Ecclesiæ instituta sequi, quæ in Concilio Turonensi secundo docuit ad sedem apostolicam pertinere, ut quibuscunque Tractatorum scriptis auctoritatem addat vel demat.

Ut autem illorum metui consulam, qui dissimulatam a me & consulto prætermissam discussionem juris in eo libro suspicantur, lucubrationibus meis ad facti disquisitionem coercitis, ut scilicet liberius, quandocunque occasio tulerit, in eam partem vergam, quæ Principibus sit benignior, in antecessum de præcipuo totius controversiæ capite, quænam sit mea sententia liquido promam. Præcipuum vero disputationis momentum in eo situm est, ut sciatur, an res ecclesiasticæ canone regantur vel lege; id est, an libera sit apud Principes potestas de negotiis ecclesiasticis ex arbitrio suo decernendi facultas, an vero tota illa auctoritas penes Ecclesiam resideat.

Anglo Britanni, postquam ab Ecclesiæ communione desciverunt, hoc jus velut eximiam regii imperii partem Principibus aperte vindicant; non solum si de disciplinæ articulis, sed etiam, si de fidei causa agatur, ea tamen conditione, ut Episcoporum consilium non respuant, sed decretum vimque legis ecclesiasticæ ab auctoritate Principis pendere doceant. Pragmatici vero Gallicani a fidei quidem definitionibus Principum cognitionem submovent, sed disciplinæ curam propemodum omnem ad ejus imperium revocant.

Quoniam vero utriusque opinionis fundamentum comparatione nititur Ecclesiæ Christianæ cum Republica Judæorum, ac si Principibus Christianis insignis injuria fieret, si ea illis potestas denegetur, quam Reges Judæorum in Synagoga obtinebant, ut sincerius hujus quæstionis disquisitio instruatur, simulque sciatur, quid juris in Principes Christianos e Synagoga derivari possit, de pontificia & regia dignitate apud Judæos pauca dicenda sunt: unde quoque Christi Domini nostri effatum de jurisdictionum discrimine illustrabitur. Universum Reipublicæ corpus a Mose in Arabum desertis fundatæ a Rege, quem aliquando constituendum decreverant, e Pontifice, Sacerdotibus, Levitis & Consiliis ita compactum est, ut regnum sacerdotale dicatur in capite XIX. Exodi. Distincta quidem erant munia Sacerdotum & Regum, non tamen iis finibus, qui apud Christianam Rempublicam præscripti sunt. Belli gerendi & imperii administrandi ratio ad solum Regem pertinebat, ut sacrificiorum rerumque sacrarum in templo administratio penes solos Pontifices erat. Quæ vero de rebus sacris & profanis oriebantur contentiones, ad Regem, ad Pontifices & Concilia devolvebantur, ita, ut quædam esset jurisdictionum commixtio. Præter cetera eminebat magni synedrii auctoritas, a quo non erat provocatio: quod constitutum a Mose ex viris LXXI. ita tamen, ut senatores legerentur e splendidioribus familiis; Sacerdotibus ac Levitis, æque ac ceteris, in hunc cœtum adscitis; potestate senatoribus per manuum impositionem primum, deinde sequentibus seculis per verborum formulam collata. Qui auctoritate in hoc amplissimo cœtu præcellerent, si Rabbinorum commentationes sequamur, duo fuere, Princeps Consessus, quam *Nasi* vocabant, a ceteris dele-

delectus, qui Mosis locum tenebat. Inter ceteros, qui præstabat ætate, primum locum ad Principis dexteram obtinebat, quem *Patrem Consistorii* appellabant.

Pontifex maximus ab iisdem Rabbinis ad eum consessum adlectus fuisse dicitur, si alias sapientia polleret; alioqui, nisi a Collegio admissus, judicia nec rerum sacrarum nec civilium attingebat. Aliis vero Judæorum magistris placuit, Pontificem maximum ex vi dignitatis suæ senatui adscriptum, nisi aliquo ætatis aut personæ vitio prohiberetur. Omnes tamen ejus dignitatem adeo imminuunt, ut priores in consessu synedrii partes Præsidi, quem vocant *Nasi*, tribuant. Quidam autem e recentioribus eruditi viri, qui frequenter in novi testamenti paginis præcipuam synedrii auctoritatem Pontifici maximo delatam vident, ut Judæorum traditiones cum ea narratione concilient, post Assamonæorum tempora inductum ajunt, ut Pontifex maximus apud synedrium Præsidis auctoritatem usurparet. Hæc Rabbinorum figmenta licet in opere *De Concordia* ad exemplum gravium virorum absque ulla nota retulerim, hic tamen, ubi sententiam meam me prompturum profiteor, inter meras magistrorum illorum hallucinationes referre non dubito. Nullus enim ex scriptura sacra locus adduci potest, ex quo vel ariolando saltem colligi possit illa *Nasi* præ Pontifice in synedrio auctoritas vel dignitas. Immo vero, si scripturæ veteris, quæ in promptu sunt, testimonia diligenter expendantur, graviores controversiæ, tum civiles & criminales, tum de ritibus, Sacerdotis Imperio & decreto judicis in Deuteronomio committuntur, id est, pontificiæ & regiæ auctoritati, quæ in synedrio permixta vigebat. Adeo autem in eo consessu eminebat Pontificis maximi dignitas, ut synedrii decreta ab ejus imperio proficisci dicerentur. Quare Josephus, cui perspecta erat veteris Reipublicæ administratio, inter cetera Mosis instituta, hoc quoque recensuit: *Ne Rex aliquid ardui ageret, nisi ex Pontificis atque senatorum sententia*. Itaque non est, quod Nasi ille a Rabbinis in scenam productus, Pontificem maximum loco moveat, cui primus consessus & rerum gerendarum auctoritas a sacra scriptura & a veteribus perpetuo tributa sunt.

Adsciti quoque erant in earum curarum partem Reipublicæ Judaicæ Principes, qui judicis primum nomine, deinde vero Regis dignitate Imperium administrarunt. Unde legitur in libris Paralipomenon, Reges non solum res civicas domi militiæque procurasse, sed etiam religiones cerimoniasque constituisse, aut restaurasse. David enim octo sacerdotum stationes a Mose constitutas sedecim auxit, ita, ut viginti quatuor stationibus sacrificiorum ordo esset distributus. Levitas in classes viginti quatuor idem Rex edicto suo divisit, ut facilius ministeria sua sacerdotibus impenderent. Cantorum æditorumque stationes totidem instituit. Eadem cura Salomonem incessit, ne ceteros Reges enumerem, qui rerum divinarum curam gessere. Quod ab iis jure regio tentatum fuisse concedo, ne adversarii, dissimulatam a me fuisse vim argumenti, conquerantur. Enimvero munus illud usurpasse, quod vatum prærogativa pollerent, (quo recidit passiva respondendi ratio a viris eruditis usurpata) vix mihi persuadeo. Si enim Davidem excipias, & forte Saulem, ceterorum nemo inter Prophetas recensitus est. Sed Salomon, Josaphat, Ezechias & Josias, jus & potestatem in res sacras exercuerunt, quod ea Regibus auctoritas ab ipsis Reipublicæ Judaicæ primordiis concessa esset, ideoque a Mose decretum esset, ut eodem unguento deliburi essent, quod e quatuor speciebus aromatum semel ab eo confectum, & vase corneo inclusum, ad unguendos Reges ipsos, Pontifices, Arcam testimonii, ceteramque sacrorum supellectilem per novem secula usque ad Josiæ Regis tempus suffecit. Ceterum non ita mero potestatis regiæ imperio res istas sacras Principes attingebant, quin ex synedrii præscripto aliqua ex parte penderent, ut docuit Josephus.

Synedrii vires a Romanis infractæ primum, dein ab Herode quoque imminutæ, tandem post Archelai Regis relegationem, Judæa in provinciæ formulam redacta, penitus extinctæ sunt in ea parte, quæ Reipublicæ administrationem contingebat, quæ in Cæsarem optimo jure translata est; sola quæstionum legis Mosaicæ discussione synedrio Hierosolymitano relicta. In eo positæ erant res Judæorum, quando subdola interrogatione pulsatus est Dominus noster, an censum liceret pendere Cæsari, id est, utrum ex patriis legibus liceret summum Cæsaris in Judæam imperium hac tributi pensitatione profiteri. Tunc inspecto numismate census, aperte respondit, quæ sunt Cæsaris reddenda Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. Quo divini verbi oraculo non solum census pensitatio confirmata est, sed generalibus verbis sancitum est summum Cæsaris imperium in Judæam, & secretio duarum potestatum constituta; ita, ut nec Pontifici, nec magno synedrio jus aliquod residuum fuerit in gravium & criminalium causarum discussione, nec Cæsari in cognitione rerum sacrarum, ut patet ex variis locis novi testamenti. Quare nulla potest in hoc quidem capite institui comparatio inter Synagogam & Ecclesiam: quia, quæ apud illam erant permixtæ & confusæ jurisdictiones, apud hanc sunt discretæ & omnino separatæ. Neque sane de Regibus Christianis bene merentur, ut existimo, qui regiæ dignitatis auctoritatem in Republica Christiana ex institutis Judaicis metiuntur, cum apud Reges Judæorum non adeo soluta esset & libera rerum gerendarum potestas, quin a magno synedrio in rebus controversis penderet, ipsamque rerum civilium administrationem cum Pontifice & senatu, in controversiis saltem ambiguis Princeps communicaret.

Inspiciendum ergo est, absque ullo veteris legis præjudicio, an Principibus Christianis post constitutam a Christo potestatum divisionem aliquid liceat circa res sacras & ecclesiasticas. Antiquitatis sententiam abunde expressit synodorum ille Præses Osius Cordubensis, dum Constantium Principem, qui se disceptationibus ecclesiasticis immiscebat, officii sui graviter admonet iis verbis, quæ retulit Athanasius. *Tibi Deus*, inquit, *imperium commisit, nobis, quæ sunt Ecclesiæ, concredidit. Et quemadmodum, qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinæ, ita & tu cave, ne, quæ sunt Ecclesiæ, ad te trahens, magno crimini obnoxius fias. Date, scriptum est, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ Dei, Deo*. Elegantissime versantur in hoc argumento Gregorius Nazianzenus orat. XVII. Isidorus Pelusiota lib. III. epist. CCXLIX. Synesius epist. LIII. Chrysostomus homilia XV. ad 2. Cor. Quare certissima est illa regula, quam Felix, summus Pontifex, ex mente antiquorum patrum Principibus sequendam proponit, scilicet, illis nihil in causis Dei relictum præter obsequii gloriam, in epistola ad Zenonem data. *Certum est*, inquit, *hoc rebus vestris esse salutare, ut, cum de causis Dei agitur, juxta ipsius constitutum regiam voluntatem sacerdotibus Christi studeatis subdere, non præferre, & sacrosancta per eorum præsules discere potius, quam docere, Ecclesiæ formam sequi, non huic humanitus sequenda jura præfigere, neque ejus sanctionibus velle dominari, cui Deus voluit clementiam tuam piæ devotionis colla submittere; ne, dum mensura cœlestis dispositionis exceditur, eatur in contumeliam disponentis*. Quibus addi potest famosus ille Gelasii I. locus relatus in Capitularia Caroli & Ludovici, ut vicem legis publicæ in Gallia obtineret, quem Gratianus non omisit.

Sed cum tractatio ista in duo summa genera dividatur, nempe in ea negotia, quæ regulam fidei,

& in

& in ea, quæ disciplinam respiciunt, per partes est discutienda. Sane nullam penes Principes spiritualem auctoritatem esse, in confesso est apud omnes, cum ligandi & solvendi potestatem & pascendarum ovium curam Petro præcipue & Apostolis ceteris Christus tribuerit, & iis, quos ipsi hujus ministerii participes futuri essent. In quo nulla Regum mentio: quibus hæc potestas asseri non potest, quæ omnem naturæ ordinem exsuperat, nisi disertissime illis à Deo collata sit. Christus quidem, cum Ecclesiam suam institueret, Regum dignitatem non læsit, sed eam quoque non auxit. Quare Principes Christiani de rebus fidei controversis leges ferre non possunt; cum hæc potestas Ecclesiæ distributa sit, cui, ut columnæ fidei Christianæ prædicatio secundum scripturarum & veteris traditionis tenorem innititur. Quod apertissime professi sunt ipsi Principes, ut in re apertissima argumentis congerendis non sit opus. Unde cum Valentinianus senior interpellatus esset ab Hypatiano, Episcoporum orientalium legato, pro restauranda fide, quam Constantius pessumdederat, respondit, teste Sozomeno lib. VI. *sibi, qui unus è laicorum numero erat, non licere, se ejusmodi negotiis interponere*. Ceterum, quod verbo testatus fuerat, rescripto constituit, nempe fidei causas à sacerdotibus esse judicandas. Exceptione hujus legis usus est S. Ambrosius, quando recusabat de fide cum Auxentio disputare in consistorio Principis lib. V. epist. XXXV. *Nec quisquam*, inquit, *contumacem me judicare debet, hoc cum asseram, quod augustæ memoriæ pater tuus non solum sermone respondit, sed etiam legibus suis sanxit, in causa fidei vel ecclesiastici alicujus ordinis eum judicare debere, qui nec munere impar sit, nec jure dissimilis. Hæc enim verba rescripti sunt. Hoc est, sacerdotes de sacerdotibus voluit judicare.* Idem Ambrosius vehementi oratione sacrilegium istud à mente Principum dispellit: *At certe si vel scripturarum seriem divinarum vel vetera tempora retractemus, quis est, qui abnuat in causa fidei, in causa, inquam, fidei, Episcopos solere de Imperatoribus Christianis, non Imperatores de Episcopis judicare?* Mox: *Si conferendum de fide, sacerdotum debet esse ista collatio; sicut factum est sub Constantino augustæ memoriæ Principe, qui nullas leges ante præmisit, sed liberum dedit judicium sacerdotibus.* Theodosius junior Candidianum Comitem synodo Ephesinæ interesse jussit, *ea lege & conditione, ut cum quæstionibus & controversiis, quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil quicquam commune habeat. Nefas enim est, cum, qui sanctissimorum Episcoporum catalogo adscriptus non est, ecclesiasticis negotiis & consultationibus sese immiscere.*

Quamvis autem de fide nihil decernant Principes, attamen exemplo Constantini magni Conciliis adesse possunt, ubi de fide tractatur, quæ communis est æque laicis ac clericis. Hoc præ se tulit Marcianus Imperator in oratione sua ad synodum Chalcedonensem act. IV. *Nos enim*, inquit, *ad fidem confirmandam, non ad potentiam aliquam exercendam, exemplo religiosi Principis Constantini, synodo interesse voluimus, ne ulterius populi pravis suasionibus separentur.* Quare Patricius Florentius, mandato Imperatoris Theodosii, synodo Ephesinæ habitæ sub Flaviano contra Eutychem interfuit, quia tractabatur de fide, ut ait diserte Imperator in rescripto. Quæ non sunt accipienda eo sensu, quasi de fide tractare Florentio fuerit liberum; sed ut ostendatur, cur adversus regulas, quæ laicos à Conciliis arcent, licuerit Florentio interesse tractationibus illius synodi; nempe, quia de fide agebatur. Sane cum legerentur acta istius synodi, & interlocutio Florentii recitaretur his verbis: *Qui non dicit ex duabus naturis & duas naturas, non dicit recte*, retulit ille, se nihil tale interlocutum; nefas enim sibi esse, de dogmatibus decernere. Nicolaus I. in epistola ad Michaelem rationem aperuit, cur laici synodis interesse possint, ubi de fide tractatur; nempe, *quia fides universalis est, & omnium communis, quæ non solum ad clericos, verum etiam ad laicos, & ad omnes omnino pertinet Christianos.* Unde Synodus VIII. can. XII. hærens vestigiis Nicolai fatetur Principibus liberum, synodis Oecumenicis interesse, quando de fide agitur, quamvis illos à ceteris Conciliis arceat, & ab ipsa fidei definitione, quam à Principibus omnino alienam esse diximus.

Si agatur de disciplina canonica, ejus cognitio synodis debetur, non autem magistratibus, vel etiam ipsis Principibus. Unde Athanasius Concilium Tyrium graviter exagitat ex eo capite, quod universæ Ecclesiæ erat notissimum, scilicet in judicia ecclesiastica nihil Imperatori licere. *Si istud judicium Episcoporum*, inquit, *quid commune cum eo habet Imperator?* Hæc est sententia ejus rescripti à Valentiniano editi, cujus verba superius ex Ambrosio retulimus, in causa fidei vel *ecclesiastici ordinis*, judicium competere sacerdotibus, id est, in fidei & disciplinæ negotiis. Causæ enim ecclesiastici ordinis ad eas quæstiones pertinent, quæ canonicæ dicuntur, ut constat ex Hincmaro, qui locum Leonis I. ubi eadem verba usurpantur, egregie interpretatus est in opusculo quinquaginta quinque capitum capite decimo. Hæ sunt ecclesiasticæ consultationes, à quarum cognitione laicos submovit Theodosius II. in epistola ad synodum Ephesinam superius laudata. Sententia ista, quam tuemur, in Concilio Chalcedonensi explicata est à Cecropio, uno e tribus Episcopis missis ad vocandum Dioscorum, Episcopum Alexandrinum, qui judicio synodi stare nolebat, nisi cognitioni interessent judices à Principe delegati. Inanem vero hominis spem his verbis repulit Cecropius: *quando canonicæ quæstiones examinantur, neque judices neque alios laicos interesse oportet.* Quod ipse quoque Justinianus diserte fatetur Novella LXXXIII. Et Basilius Imperator in allocutione ad octavam synodum act. X. *Laico cuicunque*, inquit, *nulla ratione de Ecclesiasticis causis disputandi, fas esse dico.* Quibus præiverat Marcianus Imperator, qui exemplo suo docuit, quid sequi debeant in posterum Principes, quando clericorum & monachorum disciplina constituenda est. Etenim, cum monachorum erga Episcopos cultum & obedientiam, monasteriorum cum consensu Episcopi ædificationem, clericorum a secularibus negotiis successionem, & in sibi assignatis Ecclesiis assiduam & sedulam administrationem Marcianus constitui vellet, quia plane hæc capita ecclesiasticos ordines attingunt, a quibus publicam auctoritatem Valentinianus senior submoverat, de his noluit legem ferre, sed satius esse putavit, ut synodi decreto statuerentur. Protulit hæc capita Marcianus, quæ relecta publice a Berociniano, in canones Concilii iisdem verbis relata sunt, act. VI. *Divinissimus & piissimus Dominus noster ad sanctam synodum dixit: Quædam capitula sunt, quæ ad honorem vestræ reverentiæ vobis servavimus, decorum esse judicantes, à vobis hæc regulariter potius formari per synodum, quam nostra lege sanciri.* Hinc est, quod de ritibus, ceremoniis, sacramentis, cleri functione, conditionibus, censura & disciplina canones a Conciliis, & decreta à Pontificibus Romanis, tanquam de materia sibi subjecta frequentissime edantur, & vix ulla proferri possit constitutio veterum Principum, quæ hac de re lata fuerit, ex mero potestatis secularis imperio.

Apoc. 2.

Secutas quidem hac in parte leges publicas videmus, sed non antecessisse, juxta mentem Justiniani, qui Novella LXXXIII. ait, ipsas leges post canones & ad illos fovendos edi. Quod discrimen si accurate expendissent neoterici quidam, non adeo se absurdis opinionibus implicuissent, quibus auctoritatem Principum ultra limites à Deo præscriptos porrigunt. Sane etsi leges ecclesiasticis & spiritualibus rebus indicere, non contineatur intra

fines

fines regiæ potestatis, attamen canonicas constitutiones suis etiam legibus tueri, ex officio Principes tenentur, ut docet Augustinus ep. L. CLXIV. CLXVI. & alibi, unde Sixtus in epistola ad Johannem Antiochenum ait, eleganter cælestem Regem fœderatos habere, Reges terrarum. Leo I. epist. LXXX. ad Leonem Imperatorem in eam sententiam: *Debes incunctanter advertere*, inquit, *regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed etiam maxime ad Ecclesiæ præsidium esse collatam, ut ausus nefarios comprimendo, &, quæ bene sunt statuta, defendas, & veram pacem iis, quæ sunt turbata, restituas*: Alibi idem Pontifex profitetur, (nempe epist. XXXIII.) *res humanas aliter tutas esse non posse, nisi quæ ad divinam confessionem pertinent, & regia sacerdotalis defendat auctoritas*. Hinc factum, ut singula quæque Concilia œcumenica decretis imperatoriis confirmata sint, ad tuendam canonum executionem publicam, & compescendos auctoritate Principis, quando opus erit, eos, qui rebus semel decisis se contumaces exhibuerint.

Sed quo proposito leges illæ de confirmandis Conciliorum decretis ab Imperatoribus ferrentur, Facundus, Hermianensis in Africa Episcopus, accurate expressit. Florebat sub Justiniano, a quo trium capitulorum causam discuti ægerrime ferebat; ideoque multis verbis Principum audaciam exagitat, qui canonicas quæstiones ad suum judicium revocare tentat, eosque ad exemplum Marciani Principis provocat, de quo hæc sunt ejus verba lib. XII. cap. III. *Sciens igitur ille modestissimus Princeps Oziæ Regi non impune cessisse, quia sacrificare præsumpsit, quod licitum est singulo cuique etiam secundi ordinis sacerdoti, multo magis impune cedere non posse cognovit, vel, quæ jam de fide Christiana rite fuerant constituta discutere, quod nullatenus licet, vel novos constituere canones, quod nonnisi multis & in unum congregatis primi ordinis sacerdotibus licet. Ob hoc itaque vir temperans, & suo contentus officio, ecclesiasticorum canonum executor esse voluit, non conditor, non exactor*. Hic est certus limes, quem regiæ auctoritati in his negotiis præfigere oportet; ne inconsulto trahamur ad eam adulationem, qua principibus suis totius ecclesiasticæ disciplinæ summam Græci deferebant, ut patet ex verbis Demetrii, Bulgariæ Archiepiscopi ad Cabasilam. *Imperator*, inquit, *ut communis Ecclesiarum Epistimonarcha existens & dictus, synodalibus præest decretis, & robur tribuit, ecclesiasticos ordines componit, & legem dat vitæ politiæque eorum, qui altari serviunt, hoc amplius, & judiciis Episcoporum & clericorum, & vacantium Ecclesiarum electionibus*. Quæ verba petita ex libro V. Juris Græco-Romani ideo retuli, ut pateat, quantum infima illa ætate abesset Græculorum servitus a constantia veterum. Quamvis, ut verum fatear, non omnes ea tempestate orientis Episcopi in libertatis ecclesiasticæ perniciem conspirarent. Extat enim in Regis Christianissimi bibliotheca manuscriptus liber temporibus Palæologorum publicatus, quo provinciarum aliquot Episcopi graviter expostulant de retractato ab Imperatore judicio synodali, quo Patriarcha Constantinopolitanus, quia erat *trisepiscopos*, quod vitium olim objectum Gregorio Nazianzeno, dignitate sua dejectus fuerat. Constanter ajunt, *Epistimonarchiæ* potestatem ad quæstiones canonicas dirimendas non porrigi, permissumque Principibus canonum præsidium, non autem dominium. Unde pragmatici quoque nostri id colligent, frustra ab iis ambitiosa Demetrii verba in testimonium adduci, cum a Græcis quoque destitutam videant extraordinariæ illius auctoritatis propugnationem. Retulissem Græcis verbis elegantissimum illud testimonium, quemadmodum & ceteros, quos protuli, loco, nisi carerent Græcis characteribus civitatis istius typographi.

Tuitio autem illa, quam Principes canonibus impertiuntur, *ut tutores & vindices vetustatis*, quemadmodum loquitur Justinianus alicubi, canonum sententiam aliquo pacto egredi non debet. Alioqui irritum est & inane quodcunque Principis edictum adversus canones in rebus ecclesiasticis latum. Hæc est libera illa vox synodi Chalcedonensis, in quam patres a judicibus interpellati simul omnes eruperunt: *Contra regulas pragmaticum nihil valebit. Regulæ patrum teneant*. Quod synodi decretum Marcianus edicto suo firmavit anno CDLIV. in l. *Privilegia*. C. de sacrос. Eccles. *Omnes pragmaticas sanctiones, quæ contra canones ecclesiasticos interventu gratiæ & ambitionis elicitæ sunt, robore suo & firmitate vacuatas cessare, præcipimus*. Ita, ut sententia ista in dubium adduci non possit, in quam Principum æque ac synodorum vota conspirant, nempe soli ecclesiasticæ jurisdictioni subditas esse tum fidei, tum disciplinæ ecclesiasticæ controversias, ad Principum officium id unum pertinere, ut legibus suis canonum & decretorum pontificiorum executionem tueantur & foveant, ea conditione, ut, si quid adversum canonibus decretis constituerint, nullum sortiatur effectum.

Harum regularum adeo constans est atque certa definitio, ut regii Consistorii in Gallia proceres pragmaticorum cavillationibus se circumscribi non patiantur; atque adeo, si quando a regiis magistratibus aliquid a constitutionibus ecclesiasticis alienum tentatum fuerit, cura & sollicitudine viri Superillustris PETRI SEGUIERII FRANCIÆ CANCELLARII pro sua erga Ecclesiam & Regem fide, proque ea, qua pollet, divina ingenii vi & solertia, eruditionis præstantia, atque rerum usu, regii Consistorii decreto in integrum restituatur. Sane dissimulandum non est, in variis causarum figuris cognitionem adversus clericos a regiis magistratibus suscipi, lites de possessione beneficiorum & jurium ecclesiasticorum motas ab iisdem dirimi, & alia quædam nonnulla in foro disceptari, quæ jure communi ad jurisdictionem ecclesiasticam pertinent. Sed eam potestatem usurpant, tum ex privilegio atque ex indulgentia sedis apostolicæ, tum ex pactis cum eadem sede initis; quam alioqui, quatenus decretis & canonibus esset contraria, sine dubio abjicerent.

Sed istam nobilem controversiam ceterasque hujus generis, in quibus inspiciendis me versari oportet, diligentius & cum otio tractabo, quando per regiam Majestatem licebit soluto a severioribus ordinandæ Cataloniæ curis, quibus ex ejus mandatis adstringor, ab hac provincia discedere. Interim a pristino colendæ Romanæ Ecclesiæ studio non destiti, publicata elegante illa Vigilii summi Pontificis epistola decretali hactenus inedita, imo vero etiam incognita, pro confirmatione quintæ synodi, de qua tantopere eruditi laborabant. Eam vero epistolam non solum ex arcanis bibliothecæ regiæ penetralibus erutam in lucem edidi; sed dissertatione quoque satis accurata, & illius epistolæ fidem ex vetustissimo codice Græco descriptæ & Vigilii institutum in perplexa trium capitulorum disputatione asserui; incautamque eminentissimi Cardinalis Baronii narrationem, quæ Romanæ Ecclesiæ potestatem pessumdabat, ex genuino actorum quintæ synodi sensu dispunxi; gratiam a piis tanti viri manibus consecuturus ob pietatem, ejus exemplo, a me omnium fidelium matri hac in parte studiose exhibitam. Sane explicari non potest, quantum hujus epistolæ publicatio profuerit, ad firmandam apostolicæ sedis auctoritatem erga Concilia generalia, quæ apud Gallicanos academiarum magistros majorum suorum decretis inhærentes valde nutabat.

Accessit altera quoque a me confecta lucubratio *De Primatu Lugdunensi & ceteris Ecclesiæ primatibus*: in qua novis ex mera antiquitate petitis observationibus passim Romani Pontificis dignitas amplifica-

plificatur, ejusque in Metropolitanos per occidentem & orientem, explicatis Concilii Chalcedonensis canonibus nondum, ut puto, intellectis, antiquissima primi judicii cognitio demonstratur. Ut autem perpetuum esset meæ erga sedem apostolicam observantiæ monumentum, duas illas, quas retuli, dissertationes in elegantissimum Conciliorum corpus, quod e typographia regia Parisiis nuper prodiit in lucem, excudi curavi; adornatis quoque specialibus singularum exercitationum editionibus, ut earum lectio antiquitatis ecclesiasticæ studiosis facilius pateret, neminemque lateret, omnia mea consilia ad reverentiam parenti & magistræ omnium Romanæ Ecclesiæ exhibendam destinari: cujus cognitioni supremoque judicio, ut dixi, atque Innocentii X. Beatitudini, qui hodie divini numinis auspiciis Ecclesiæ unitatem regit, quascunque publicavi lucubrationes, devotissime submitto.

Barcinonæ XIX. Martii MDCXLVI.

SCHEDULA ILLUSTRISSIMI VIRI PORRECTA ROMANIS,

EDITA BARCINONÆ ANNO MDCXLVI.



PETRUS DE MARCA ordinarius in sacro Regis Christianissimi Consistorio Consiliarius, in supremo Navarræ Parlamento Præses, ad episcopatum Consoranensem nominatus fuit a Rege immortalis memoriæ Ludovico XIII. die XXVIII. Decembris MDCXLII.

Superiori *tunc* anno publicaverat librum *De Concordia Sacerdotii & Imperii*: de quo controversia mota fuit Romæ, ac si libertati ecclesiasticæ in quibusdam capitibus adversaretur.

Post nominationem suam eminentissimi Cardinalis Barberini auctoritatem interpellavit, ut ejus ope sibi episcopatus a summo Pontifice conferretur. In quo operam suam eminentissimus Cardinalis spopondit, dummodo ratione aliqua offensæ quorundam ex libri illius editione contractæ Marca satisfaceret. Rescripsit ille juxta eminentiæ suæ sententiam. Interim Episcopus Marinoneus, vir in curia Romana magni nominis, ad discutiendum librum delegatus, retulit scripto, nihil in eo contineri, quod esset nota inurendum, imo vero lucubrationi illi episcopatum deberi.

Hac relatione facta, postulavit eminentissimus Cardinalis a P. de Marca, ut sententiam suam de cura Principum in rebus ecclesiasticis liquido promeret, eosque legibus Ecclesiæ subdi, non præesse, in iis rebus doceret. Quod ille abunde implevεrat. Sed fato intercepti felicis memoriæ Urbani VIII. obitus negotii istius lineam interrupit.

INNOCENTIO X. in pontificatum evecto, eminentissimus Cardinalis Bichi de nominatione illa egit in sacro Consistorio die X. Decembris MDCXLIV. Sed suggerente Illustrissimo & Reverendissimo Assessore S. Officii, querelam factam adversus librum *De Concordia*, sua Sanctitas libri discussionem commisit eminentissimis Cardinalibus Spadæ, Barberino, Pancirolo & Rapaciolo, Relatione negotii Cardinali Barberino mandata, qui illo pene momento, quo de libro acturus erat in congregatione Cardinalium delegatorum, in Galliam se contulit.

Enimvero, quoniam libri nova discussio negotium istud protractura erat in diuturnum tempus, ut omnem scrupulum amoveret ab animis judicum delegatorum, *libellum* Barcinonæ Marca publicavit, quo editionis suæ consilium explicat, quod in colenda & augenda Ecclesiæ Romanæ dignitate præcipue versatur. Deinde opus integrum ejusdem Ecclesiæ & Innocentii X. summi Pontifitis censuræ submittit, & Principes custodes canonum esse docet, non autem auctores. Quidquid vero præter canonum & decretalium mentem in Gallia circa res ecclesiasticas agitur, id fieri ex privilegiis apostolicis, non autem mero jure regio, ut quidam autumabant, Marcæ persuasum esse. Hunc libellum eo proposito typis mandari curavit, ut publica esset doctrinæ, quam in hac parte sequitur, professio; ita, ut, si quem dissertationum ejus editio læserat, hujus libelli editione curaretur.

Iis, qui apertas hæreses scriptis suis inspergunt, venia datur, dummodo se summi Pontificis censuræ submittant. Imo vero & hæreticis post publicam sacrilegæ impietatis professionem resipiscentibus indultos in Gallia episcopatus fuisse, notissimum est. Quid ergo est, quod non expectare debeat P. de Marca a summi Pontificis clementia, cum non solum Romanæ Ecclesiæ auctoritatem libro illo priore amplificaverit, sed etiam *libello* nupero Reges a rebus ecclesiasticis regendis diserte arcuerit, & in omnem eventum, quicquid peccavit in libri editione, censuræ Pontificis Maximi subjiciat?

Nihil amplius ex jure decretalium ab hæreticis redeuntibus ad fidem catholicam exigitur, quam ut suæ perseverantiæ fidejussores præstent. Quam juris severitatem implet in hac causa. Profert enim attestationem quatuor Archiepiscoporum & octo Episcoporum Ecclesiæ Gallicanæ, qui constantiæ & pietatis ejus erga Ecclesiam illiusque jurisdictionem se sponsores Marcæ perhibent, ajuntque, habendam esse rationem ejus temporis, quo librum edidit, quia tunc Præsidis munere fungebatur; atque addunt, nullum a suæ professionis hominibus editum fuisse tractatum, qui tantopere Ecclesiæ juribus faverit.

Quod reliquum est, expectat, ut eminentissimi Cardinales delegati tandem aliquando cognitionem ea de re instituant, Ecclesiæ vacanti & viri clarissimi famæ prospiciant, imo vero Ecclesiæ dignitati, utpote quæ cum illius fama aliquo pacto conjuncta sit; præsertim, cum de ea, quemadmodum & de vita ipsa, aliquoties periclitatus fuerit, cum adversus sectarios de fide disceptaret, & edicti regii in Benearno pro catholicæ religionis tuitione lati executionem, juxta munus sibi a Rege impositum olim urgeret.

ILLUSTRISSIMI VIRI
PETRI DE MARCA
EPISTOLÆ DUÆ,
EDITÆ ANNO MDCLXIX.

Eminentissimo & Reverendissimo Cardinali Francisco Barberino.

BEATISSIME PATER,



Inis literis ad me datis benignam tuæ in me benevolentiæ propensionem expertus, qua ratione debitas tanto beneficio gratias rependere possim, vix dispicio, eo maxime, quod eminentiæ tuæ studium per spatium longioris temporis in difficillimo negotio promerendi mei causa conflictetur. A sedecim mensibus, an mihi conferenda sit episcopatus dignitas, Romæ controvertitur, ex eo solum capite, quod liber a me editus *De Concordia Sacerdotii & Imperii* publica censura notatus sit, ac si jurisdictioni ecclesiasticæ esset iniquior, ac proinde alienum videatur a dignitate sedis apostolicæ, eum pontificio muneri præficere, qui de auctoritate ecclesiastica sit male meritus, nisi novis officiis prioris culpæ veniam provocet. In eam sententiam conceptæ erant eminentiæ tuæ literæ, mense Aprili anni superioris ad eminentissimum Cardinalem Grimaldum Nuncium apostolicum scriptæ: quibus tamen copia mihi fiebat, qua vellem ratione, huic difficultati occurrerem. Arripui hanc occasionem testandi mei erga eminentiam tuam obsequii, prolixiori epistola ad te scripta, qua instituti mei in eo conscribendo libro rationes exposui; simulque docui, præcipuas regulas, numero quatuordecim, quas ad tuendas Ecclesiæ Gallicanæ libertates pragmatici in foro usurpare solent, a me sedulo proscriptas fuisse, ut sedi apostolicæ contumeliosas, & contrarias definitiones novis & illustribus argumentis propugnatas; ita, ut grati animi potius, quam commotioris significatione excipiendus mihi viderer. Præterea vero disertis verbis, quæcunque de controversiis illis canonicis scripseram, summo sedis apostolicæ judicio commisi, ex solenni formula, qua sola etiam hæreseos labes libris publicatis inspersa dilui solet. Placuit eminentiæ tuæ devoti Ecclesiæ filii professio. Attamen, ne qua mihi suspicio superesset, sine causæ cognitione librum damnatum fuisse, Notas ab eruditissimo viro in eum librum accurate scriptas ad me transmisisti; quibus tria vel quatuor capita indicabantur, in quibus dignitati sedis apostolicæ videbar injuriosus; licet, quemadmodum vir eruditus præfabatur, tantum esset operis artificium, ut, quantvis noceret, vix patere posset, qua ex parte. Respondi Notis illis copiose, & ostendi, me tantum abfuisse a sede apostolica minus colenda, ut etiam in capitibus adnotatis ejus dignitatem maximopere foverim. Non dubitabam, quin petitionis meæ tandem ratio aliqua haberetur, cum successit eminentiæ tuæ mandatum, quo Blondelli ante omnia refutandi onus mihi injectum est. Non deprecatus sum laborem; quin potius illum ultro amplexus sum, & futuri operis veluti pignus quoddam, recens a me editam *De Primatibus* dissertationem tibi tradendam curavi; id unum enixe petens, ne per unum & alterum annum confutando Blondello insumendum negotium meum distraheretur. Benigne postulationem meam excepit eminentia tua, & literis Febr. mense ad me datis studiosam mei operam pollicita est. Has secutæ sunt literæ ad me quoque datæ IV. Id. Martias, quibus, ex consilio graviorum virorum ad priorem culpam diluendam damnor, duplici modo demonstrato, quo huic officio satisfacere possim. Primum sic adsignan[t] [u]t scripto sententiam meam in quæstionibus juris a me consulto prætermissis exponam, *& tutius æquiusque esse ostendam* (hæc sunt epistolæ verba petita ex epistola Felicis,) *ubi de causis Dei & Ecclesiæ agitur, ut Principes voluntatem sacerdotibus Christi studeant subdere, non præferre, Ecclesiæ formam sequi, non huic humanitus sequenda jura præfigere, neque ejus sanctionibus velle dominari, cui Deus voluit ipsos piæ devotionis colla submittere.* Alterum bene merendi argumentum in refellendo Blondello constituunt, ita tamen, *ut satis sit ad optimi Pontificis gratiam promerendam, si aliquo inchoati operis specimine paginas editas quantocyus transmiserim, ex quibus appareat primi illius operis hallucinationes non tam meo commissas fuisse arbitrio, quam importuno alienæ ambitionis imperio expressas.* Primum satisfaciendi modum penitus amplector, exarata hac de re epistola, quam ad te scribo, petito ejus dandæ colore ex administratione Cataloniæ mihi nuper a Rege Christianissimo collata. Quare cum bona fide exsolvam, quod a me nunc exigitur, nihil causæ superesse video, cur velut ex compacto votorum meorum compos fieri quantocyus non possim; præcipue si graves illi & eruditi viri publicatam a me Vigilii epistolam una cum mea dissertatione contemplentur, quæ labantem in academia Parisiensi pontificiam auctoritatem erga Concilia generalia fulcivit, inspiciantque postremam a me editam *De Primatibus* dissertationem, ubi novis argumentis ex mera antiquitate petitis eadem sedis apostolicæ auctoritas illustratur. Qui duo tractatus, cum in lucem prodierint post latam censuram, satis benignam præbent eminentiæ tuæ causam, ad partes meas tuo præsidio fovendas, absque ulla dignitatis ecclesiasticæ læsione; adjecta præsertim nova de jure Principum in rebus ecclesiasticis dissertatione, qua epistola altera continetur, quam huic adjungo. Alterum scribendi modum, nisi sum immodestus, plane mihi repudiandum duco. Dura enim alienaque ab ingenuo viro ac proinde impossibilis conditio mihi imponitur, scilicet, ut Blondelli confutationi proludens aperte profitear, vel saltem suspicioso dicendi genere significem mihi vim illatam, ut veritati fucum facerem. Atqui a servitute absum tantopere, ut eo ipso libro novi patriarchatus instituendi spem omnem ademerim, de quo rumor erat, principes viros serio cogitasse, nostramque adhibitam operam, ut ejus dignitatis novæ fundamenta jacerentur. Mitto, quod a Majestate Regis Christianissimi ad ordinandam provinciam Cataloniæ misso, neque otium suppetit, neque libri sunt ad manum, quibus instructum esse oportet eum, qui de Blondello refellendo vel tantillum cogitet. Quare ab eminentia tua summopere efflagito, ut quantocyus meæ petitionis rationem haberi curet, ne tantis dilationibus pudor meus oneretur, quæ graviores esse solent ipsa repulsa, quæ uno saltem ictu hominem conficit.

[Margin note:] Priorem illam epistolam non edidimus, quia iisdem ferme verbis concepta est, quibus supra vidimus conceptam esse Lituram Censuræ Romanæ & Libellum.

[Margin note:] Intelligit Responsionem ad Notas Holstenii, quæ supra edita est p. 15.

Eminentiæ tuæ

Barcinonæ die 15. Maji
anno 1644.

Addictissimus & devotissimus
MARCA Episc. Consoranensis
nominatus.

BEA-

BEATISSIMO PATRI
INNOCENTIO DECIMO
PONTIFICI MAXIMO.

BEATISSIME PATER,



Dubitassem profecto supplicibus hisce literis apostolicam purpuram adorare, nisi mecum reputassem, ideo dignitatem sanctitatis vestræ ad fastigium orbis evectam, ut conspicua omnibus esset ejus singularis clementia, quæ universos ad sui aditum humanissime invitat. Accedo itaque Christi famulus ad patrem, ovis ad pastorem, & quod præsens ipse officii genus explere cuperem, beatitudinis vestræ pedibus advolutus, hac charta devotionis meæ interprete quam demisse fieri potest, exolvo. Non solum in Ecclesiæ universalis apice constitutum, ut custodem & rectorem unitatis veneror; sed præterea eximias animi dotes, partam per indefessos ad Ecclesiæ incrementum susceptos labores, illustrem famam splendoremque nominis in Innocentio X. unus inter ceteros laudum ejus præcones sanctissime colo. Imo vero illud quoque sincere profiteor, me, nescio, quibus pietatis illecebris ad venerationem Innocentii nominis benigna propensione trahi. A primo ejus nominis summo Pontifice præcipuorum disciplinæ veteris capitum cognitioni intime admotus, tanti muneris vicem variis observationibus meis ad magistri explicationem adhibitis rependere curavi. Illius autem, quemdmodum & Innocentii II. III. & IV. juris divini ac humani regendæque Reipublicæ callentissimorum Pontificum laboribus & assiduis pro fidei & disciplinæ custodia curis quantum debeat orbis Christianus, ab illis edita decreta & annalium monumenta testantur. Quæ omnia, ut me illorum observantiæ jampridem addixerunt, ita in uno Innocentio X. decessorum suorum hujus nominis Pontificum virtutes, quas in unum veluti corpus ad invicem compactas solus complectitur, continuatis reverentiæ meæ studiis deinceps venerari pergam. Quod ut felicius exequi pergam, in partem sollicitudinis adscisci & episcopatui Consoranensi, ad quem regia nominatione designatus sum, a sanctitate vestra admoveri omnibus votis expeto. Non opes, quæ mihi abunde ex patrimonio meo suppetunt, nec decus, quod, ut fuerunt tempora, ex toga mihi potius est, quam futurum sit ex infula, nec desidiam, a qua semper aversus fui, sed opus ex Apostoli monito flagrantissime desidero, sperans fore, ut hoc meum studium in Ecclesiæ amplificationem cedere possit. Editus ex mandato regio a me tunc curiæ Parlamenti Præside dissertationum *De Concordia Sacerdotii & Imperii* tomus primus, ac si minus ecclesiasticæ libertati faveret, petitionem meam hucusque retardavit. Fateor, eo in libro Principis partes pro muneris mei ratione fovisse, Præsidemque potius implevisse, quam Episcopum. Enimvero illud asserere fas est, eo in opere me, licet nondum sacerdotem, tamen pro sacerdotali gessisse, ut loquar cum Sidonio, & regulas quamplurimas, quæ in Galliarum tribunalibus calent, sedi apostolicæ contumeliosas, contrariis definitionibus profligasse. Sed nullas mihi ex eo gratias haberi velim, quemadmodum nec ex iis, quæ plerunque incurri vitæ periculis, in tuendis, exemplo majorum meorum, Romanæ Ecclesiæ adversus hæreticos privilegiis. A sola sanctitatis vestræ benignitate, illis fortasse pietatis erga Ecclesiam meæ testimoniis provocata, ornandi mei consilium expecto. Et ne libri publicati invidia desideriis meis obesset, libello altero Barcinonæ edito, quem huic chartæ adjunxi, hallucinationes meas deprecatus sum, opus censuræ beatitudinis vestræ submisi, quam prona mente amplexurum voveo, & assertorem vindicemque libertatis ecclesiasticæ futurum, quod mecum quatuor Archiepiscopi & octo Galliarum celebratissimi nominis Episcopi sanctitati vestræ spondent. Quare supplex iterum beatitudinem vestram enixe rogo, ut canitiem meam a repulsæ injuria, &, quæ generosis animis acerbior esse solet, dilationum contumelia vindicet, & ad Episcoporum cathedram e subselliis magistratuum devotissimum sui oratorem traducat: qui & in mystica nominum recitatione, tanti beneficii memor, & in tomorum, qui publicandi supersunt, editione non ingratum aget. Deus incolumem servet beatitudinem vestram, cujus pedes humillime deosculatur

Barcinonæ XXVI. Septembris
MDCXLVI.

Addictissimus & obsequentissimus ejus famulus
MARCA Episcopus Consoranensis
nominatus.



ILLUSTRISSIMI

ARCHIEPISCOPI PARISIENSIS

PETRI DE MARCA

DISSERTATIONES

SELECTÆ

ECCLESIASTICÆ

TRACTATUM

DE

CONCORDIA SACERDOTII

ET IMPERII

illuſtrantes.

SYNOPSIS DISSERTATIONUM ECCLESIASTICARUM SELECTARUM,

Quonam ordine in hoc Volumine comprehendantur.

DIS



DISSERTATIONES ECCLESIASTICÆ SELECTÆ.

EXERCITATIO

De Singulari Primatu Petri.

I. Contingit plerumque curiosis antiquitatis investigatoribus, ut novarum observationum publicandarum libidine correpti, ad inficetas & absurdas opiniones amplectendas descendant: quas si a novitatis cupidine vacuo & libero animo expenderent, ipsi eas respuerent primi, & suæ auctoritatis pondere compressas perpetuo silentio damnarent. Ejus generis est sententia recentioris cujusdam, qui non infimum inter eruditorum subsellia locum occupat. Exciderat illi, in commentatione quadam ut Petri & Pauli Apostolorum, tamquam duorum Romanæ Ecclesiæ capitum, societatem in unum caput coalescentem adnotaret. Non tulit impune hallucinationem illam, quæ statim ab eruditissimo viro Isaacio Haberto, tunc Parisiensis Ecclesiæ Theologo, dein Vabrensi Episcopo, libello ea de re publicato, castigata est. Illi contumeliæ, ut ipse interpretabatur, amovendæ novam & specialem lucubrationem scriptor anonymus insumpsit: qua Petri & Pauli in Romano pontificatu consortium, binosque illos Apostolos duo ejus Ecclesiæ capita ex æquo asserere conatus est. Versutis cavillationibus, & detortis Patrum testimoniis, incautis lectoribus imponere tentantem robusta disputatione nuper infregit R. Pater Diana: cujus multiplici & variæ lectioni limatoque judicio quantum debeat Ecclesia Christiana, nec ipsos latet, qui literas non noverunt; quorum pavidas mentes consulti de rebus gravissimis theologiæ moralis magistri, interposito Dianæ nomine, sæpissime recrearunt.

II. Ut mihi neque sententiæ ferendæ in disceptationibus ecclesiasticis jus aliquod nondum competit, neque vacat per otium, arduis Reipub. negotiis ex Regis Christianissimi mandatis in Cataloniæ principatu districto, de proposita quæstione velut uni ex cœtu inquirentium veritatem tractare, ita viro eruditissimo, qui a me, quid de ea re videatur, humanissimis literis percontatus est, non respondere, nefas omnino esse duxi.

Quare sententiam meam iis verbis temperabo, ut absit & a subtilitate & tricis versutæ disputationis & a tædio morosæ longiorisque exercitationis. Attamen, quemadmodum in veritate vindicanda mihi cum recentiorum & veterum dogmatibus conveniet, ita in re ipsa explicanda antiquorum patrum locutiones cum hodiernis loquendi formulis comparatas usurpabo. Quod institutum momenti majoris esse facile quisque perspiciet, qui motas a sectariis in hujusmodi disputatione controversias non aliunde fere originem sumpsisse sciet, quam ex ea suspicione, quam sibi volentes ingesserunt, ex mutatis locutionum formulis immutatas esse quæstionum theologicarum definitiones.

III. Ad propositæ autem opinionis dispunctionem tria capita explicanda sunt. Primum est, Petri Apostoli comparatio cum ceteris Apostolis, atque adeo ipso Paulo Apostolo. Secundum est, in quo Paulus reliquis Apostolis antecelluerit. Tertium, quid ex Petri & Pauli auctoritate in Ecclesiam Romanam derivatum fuerit.

Quod attinet ad primi capitis inspectionem, res est ore Christi, summi omnium magistri & judicis, apud Matthæum & Joannem decisa. Collegii apostolici princeps constitutus est Apostolus, in petram Ecclesiæ ædificandæ designatus, tradendarum clavium pollicitatione, reliquis Apostolis præsentibus, specialiter illi facta, & demum pascendarum ovium cura & sollicitudine illi demandata, verbis utrobique ad Petrum solum directis.

Variis hinc inde explicationibus hujus argumenti vis dissipari vel augeri solet; sed præstat veterum auctoritati, qui ex professo in hos locos incubuerunt, obsequentes cedere. Cyprianus, Optatus, Pacianus, Hieronymus & Augustinus, inter ceteros, duo quædam certissima ponunt, pari quidem consortio honoris & potestatis præditos fuisse Apostolos, Petrum scilicet & reliquos, sed originem unitatis a Christo in Petro constitutam, ut unitas Ecclesiæ a Petro incipiens manifestaretur & Christi auctoritate disponeretur, ut loquitur Cyprianus, ex æquo super omnes Apostolos Ecclesiæ soliditatem fundatam, sed caput in Petro inter duodecim electo constitutum, ut schismatis tolleretur occasio, ait Hieronymus. Nempe ut una esset Ecclesia seu cathedra Petri, nec Apostolorum singuli suam sibi Ecclesiam & cathedram assererent a Petri communione alienam, ut observat Optatus. Quia licet claves omnibus Apostolis datæ eorumque successoribus, eas tamen Christus soli Petro spopondit, qui Ecclesiæ personam figurata generalitate referebat; ideoque semper in eo primatus collegii apostolici fulgentiori gratia emicuit, ex Augustino, ut ex uno unitas fundaretur, ut notat Pacianus.

IV. Qui legit veteres, satis agnoscit, me ab eorum verbis non discessisse. Quare, si nos illis accommodare velimus, non inficiabimur, inter Apostolos fuisse consortium honoris & potestatis. Dignitas apostolatus in eo versabatur, ut designati a Christo Apostoli per universum orbem evangelii veritatem spargerent, testes mysteriorum a se inspectorum, populos, qua Judæos, qua gentiles, in fide Christi erudirent, sacramentis pascerent,

rent, Episcoporum ministerio munirent. Itaque nulla reperiri potest in Petro præ ceteris prærogativa, quod attinet ad prædicationis vel sacerdotii munus, nec etiam quoad potestatem Ecclesiarum instituendarum, nempe præficiendo illis Episcopos & Presbyteros, vel etiam in reos monitionibus & censura divina, ut loquitur Tertullianus, animadvertendo.

V. Quod erit ergo jus eximium Petri? Anne ut de persona ipsa Apostolorum judicium ferat? Sed eorum status, qui summa erant præditi potestate, & a fide deficere a Deo eruditi non poterant, a supremæ in Petro jurisdictionis usu eos eximebat. Attamen majestatem ejus, ut capitis a Christo constituti, duobus præcipue modis colere debebant.

VI. Primus modus colendæ in Petro primatus dignitatis versabatur in communione cum capite retinenda. Quæ communionis necessitas dupliciter spectari poterat; vel habita ratione Apostolorum, qui ex officio ad communionem cum Petro ut capite conservandam tenebantur; vel etiam ratione habita Ecclesiarum, quas per provincias ipsi instituebant ea lege, ut Petrum tanquam Ecclesiæ caput respicerent ejusque regimini subjicerentur. Isthæc, quam observavi, necessitas verbis Christi præscripta est. Etenim, ut Ecclesiæ unitatem solidaret, uni claves tradidit, ut docent veteres superius laudati; & super Petrum, ædificandæ Ecclesiæ petram dictum, totius ædificii compagem imposuit. Quare nullus cœtus poterat esse legitimus, nullus Ecclesiæ pastor admitti, qui a Petro, id est, ab ejus communione discederet. Constantiam fidei Ecclesiæ quidem suæ Christus solenni formula pollicetur, adeo ut inferorum vires eam expugnare non possint; sed illi Ecclesiæ hoc privilegium spopondit, quæ ædificata esset supra petram, quæ fundamento illo niteretur. Quare si quis immobilem pietatem & integram fidei professionem etiam hodie deprehendere velit, accedendum illi est ad illius Ecclesiæ corpus, quod communionem Petri amplectatur, quod a petræ soliditate non desciscat. Ceteri cœtus per orbem sparsi, qui se a capite fœdo dissidio removerunt, hæresibus patent, ut in oriente & occidente dolentes cernimus.

VII. Secundus modus colendi primatus is erat, ut causas communes ad universalis Ecclesiæ disciplinam pertinentes Apostoli ad eum tamquam ad collegii & Ecclesiæ principem discutiendas referrent. Quod factum a Paulo in quæstione de rituum Judaicorum usu a gentilibus ad fidem conversis retinendo vel repudiando; quæ a Petro in Apostolorum Concilio jus relationis cum prærogativa suffragii more Principum Romanorum exercente, Jacobo dein, ceteris in ejus sententiam euntibus, decisa fuit. Quare rectissime a Leone primo explicata est primatus in Petri persona auctoritas, nempe ut eadem potestas, quæ reliquis quoque Apostolis concessa fuit a Christo, in Petro sit *principaliter* collocata, unde proficiscitur, ut in eo consortio fuerit *quædam discretio potestatis*, ut ait Leo, ea scilicet, quæ in primatus prærogativa versatur, quæque ad gravium causarum relationem & ad communionis cum capite necessitatem ceteros adigit. Vide lib. 5. de concord. Sacerd. & Imp. cap. 7.

VIII. Cum autem caput in Ecclesia constitutum fuerit a Christo ad schismatum & dissidiorum occasionem tollendam, ut observat Hieronymus, hinc fit, veram esse & certissimam definitionem istam, Ecclesiam Christianam acephalam esse non posse, illiusque statum jure divino esse monarchicum, ut loquebatur Gerson, ne alioqui quotidianis divisionibus proscindatur. Quare Petri privilegium reale fuit, in Ecclesiæ perpetuum commodum; non autem personale, cujus generis erat reliquorum Apostolorum dignitas. Hi namque Ecclesias per varias orbis provincias instituentes, singulas suis finibus circumscriptas Episcopis propriis regendas committebant, sicque munere a Christo sibi delato fungebantur. Hoc est, quod recentiores volunt, cum in Petro potestatem ordinariam, quæ ad successores manat, agnoscunt, in reliquis vero Apostolis delegatam seu extraordinariam, quæ morte extinguitur. Quód illi locutione a Jure petita docent, nos alia phrasi juridica quoque, sed faciliori, expressimus; nempe privilegium primatus Petri fuisse perpetuum, cum forma Ecclesiæ, quæ perpetua esse debet, & ab hominibus mutari non potest, instituta fuerit in collegio apostolico una cum suo capite.

IX. Primitivæ illius institutionis rationem secuti sunt Apostoli, qui conditis a se Ecclesiis per provincias *formam Petri* præposuerunt, ut loquitur Leo I. id est, distributione episcopatuum per provincias Romanas facta, singulis Episcoporum provincialium conventibus unum Episcopum præfecerunt, qui caput & Primas esset totius cœtus, Vide lib. 1. de concord. c. 2 ut alibi scripsisse memini, per quos ad unam Petri sedem universalis Ecclesiæ cura conflueret, quemadmodum idem Leo adnotavit.

X. Post collegii apostolici institutionem accessit Paulus a Christo ipso ordinatus Apostolus, nempe ut pari cum ceteris frueretur privilegio honoris & potestatis; non autem, ut superior esset Petro, aut eum a jure Primatus, quo Christus illum ornaverat, dejiceret.

XI. Quæ professi sumus de comparatione Petri cum ceteris Apostolis juxta mentem & verba veterum, sic explicant recentiores, Apostolos pares fuisse inter se cum Petro in gradu apostolatus, sed non in regimine, quod soli Petro competebat. Id autem intelligendum est, ut supra monui, principaliter, communionis atque relationis necessitate; ne alioqui reliquorum Apostolorum jus ad instituendas & regendas Ecclesias a Christo illis indultum infringatur.

XII. Secunda inspectio, de privilegio Pauli, in pauca sed illustria verba contrahi potest. Erudiendarum gentium munus, quod omnibus Apostolis injunctum erat a Domino, illi specialiter concreditum est, quemadmodum Judæorum institutio Petro imposita, ut ipsemet Paulus observavit. Quod ita accipiendum est, ut liberum quoque fuerit Paulo cum Judæis colloqui, & Petro gentiles erudire; ut factum ab utroque Apostolo & acta & epistolæ testantur.

XIII. Altera quoque prærogativa doctrinæ viguit Paulus, qui singularis eruditionis ornamentis instructus, & profanam literaturam cive Romano dignam & Judaicæ disciplinæ apparatum ad pedes Gamalielis congestum, scriptis sermonibusque suis expressit, & expansis sibi a Christo mysteriorum arcanis, ceteros revelationum magnitudine supergressus est. Unde ab Augustino clavis scientiæ huic Apostolorum Principi eleganter tribuitur, quemadmodum Apostolorum omnium summo clavis potentiæ.

XIV. Peragratis Judææ, Syriæ, Asiæ, Macedoniæ, Achajæ & Illyrici spatiis, & quamplurimis in Ecclesiarum fundatione exhaustis laboribus, *ut adimpleret ea, quæ deerant passionibus Christi*, ad urbem Romam, verbo informaturus quos scriptis antea literis confirmaverat Romanos, intrepidus præco religionis accessit; quoniam, ut notavit Chrysostomus homil. 11. ad Romanos, omnium Ecclesiarum sollicitudine sibi injuncta, necessarium erat, ut ad dominæ urbis regimen & gubernationem sese ingereret.

XV. Hic sese materia aperit de tertio capite agendi inquirendique, quid auctoritatis Ecclesiæ Romanæ contulerint Petrus & Paulus. Sane de Petro nullus est ambigendi locus, quin Apostolicæ cathedræ principatus, qui semper in Romana Ecclesia viguit teste Augustino, ex Petri Primatu profluxerit. Hoc docent Concilium Ephesinum & Chalcedonense, Optatus, Augustinus, Valentiniani constitutio, & omnes antiqui. Ratio vero est in promptu. Quoniam Petrus Romanam Ecclesiam præsens rexit, & in ea regenda mortem

oppe-

oppetendo; eam sibi propriam & peculiarem fecit. Quemadmodum Joannes Apostolus Ephesinæ Ecclesiæ Episcopus dicitur, non autem Paulus: quia licet iste Ephesios verbo & scriptis in fide erudierit, ab ea tamen urbe discessit, aliis doctrinæ pabulum erogaturus, Joannes vero in regenda & administranda Ephesina Ecclesia ad necem usque perseveravit. Imo vero solidæ diœceseos sive regionis Asianæ curam septem Episcopis in eo tractu per totidem civitates constitutis, quos in Apocalypsi recenset, studiosissime gessit. Quo respexit antiquus auctor apud Photium in Bibliotheca.

Quare a Cypriano *locus Petri* dicitur illius Ecclesiæ pontificium, & Romana Ecclesia, *principalis*, unde unitas sacerdotalis exorta est. Illo exemplo cathedram Petri dixere Ecclesiæ Romanæ sedem Optatus, Augustinus, Hieronymus, & orientalium plerique, Basilius, Nazianzenus, Antiocheni Concilii Patres apud Eusebium, Synodi Ephesina, Chalcedonensis, Quinta, Sexta, Septima, Octava; & generaliter tractatores omnes, qui Romanæ Ecclesiæ dignitatem attigerunt, illam ad Petri primatum referunt.

XVI. Hinc est, quod a sede Romana *venerandæ communionis jura manere* observat Ambrosius in epistola synodica Concilii Aquilejensis, & communionis cum ea sede & Petri cathedra necessitatem urgent Irenæus & Hieronymus; quod jus inter cetera primatus Petri privilegia observavimus. Dubiarum sane causarum relationem Romanæ sedi faciendam ex divina auctoritate, ex veteri traditione, & secundum canones profitentur, non solum Siricius & Innocentius I. una cum Conciliis Milevitano & Africano, sed etiam Cyrillus Alexandrinus. Primatus iste Petri privilegio innixus, in aliis causarum figuris, prout Ecclesiæ utilitas exigebat, sese tandem patefecit, consentientibus Episcopis & memoriam Petri honorantibus, ut loquitur Concilium Sardicense.

Vide lib. 7. de concord. c. 3. §. 8.

XVII. Paulum vero in Romana Ecclesia instituenda quas partes egisse dicemus? Sane, ut opinor, Apostoli plenum officium in ea formanda implevit, atque adeo Episcopi, quod munus cum apostolatu conjunctum erat. Ac proinde, si ex regula, quam superius proposui, metienda est antiqua illa Episcoporum institutio, vere & proprie Paulus Romanæ Ecclesiæ Episcopus fuit. In ea etenim regenda diu laboravit, eamque sanguine pro veritate, quam docuerat, profuso decoravit. Quare Epiphanius diserte Petrum & Paulum Episcopos Romanos vocat. Cui præiverat Irenæus, qui successionem Pontificum Romanæ Ecclesiæ describens, Petrum & Paulum primos enumerat, a quibus ceteros deinceps ad suam ætatem recenset: quem sequitur Eusebius, Clementi tertium a Petro & Paulo in Romano episcopatu locum assignans.

XVIII. Et ne quis offendatur, ac si duorum Episcoporum societate Ecclesiæ unitas & vetus disciplina læderetur, quæ suum cuique Ecclesiæ Episcopum eumque singularem præficit, observandum est, hanc politiam synodo Nicænæ deberi, quæ canone lato ne plures uni Ecclesiæ præponerentur Episcopi, prudenter ad tollendas dissidiorum occasiones prohibuit. Alius mos Apostolorum temporibus vigebat, qui majoribus & insignioribus civitatibus plures Presbyteros sive Episcopos præficiebant; ut mutuis auxiliis suffulti, ad propagandam in suburbanas regiones fidem sufficerent. Unde Pauli exhortatio ad presbyterium Ecclesiæ Ephesinæ his verbis concipitur: *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*. Antiquum etenim illud presbyterium ex pluribus Episcopis conflatum erat, sic exigente temporum ratione, ita tamen, ut unus ceteris præemineret: quod ab Apostolis ipsis introductum, qui tandem quoque solos Presbyteros secundi gradus ad conflandum presbyterium seu mavis Ecclesiæ senatum adhibuerunt, qua de re copiosius alibi a nobis disputatum.

· *Marca*, *Differt. Eccl.*

XIX. Interim ad præsentem quæstionem id observasse sufficiet, non alienam esse a praxi Apostolorum plurium unius Ecclesiæ Episcoporum communionem. In Romana vero non erat, quod aliqua offensio ex illa Petri & Pauli societate timenda esset. Præterquam enim, quod duo illi Apostoli gratia divina afflati nihil spirare poterant præter concordiam apostolicam, illud quoque intercedebat mutuæ pacis vinculum, nempe officium communionis cum Petro retinendæ, ut unitas Ecclesiæ in Petri primatu fundata servaretur. Duo ergo in solidum Romanæ Ecclesiæ Episcopi Petrus, & Paulus, sed ita ut Petrus collegii apostolici caput & princeps suam quoque dignitatem tueretur.

Vid. Steph. le Moyne præf. varior. sacr. p.113.114.115.

XX. Ex hoc episcopatu Pauli manavit, ut Hieronymus Damasum Apostolos honore sequi dixerit, Romani quoque Pontifices inter cetera sedis suæ decora hoc quoque posuerint, se Vicarios esse Petri & Pauli, eorumque throni successores, ut loquitur Hadrianus I. in epistola ad Constantinum & Irenem Imperatores. Quem imitatus est Gregorius VII. qui se in Petri & Pauli throno sedere jactat in formula excommunicationis contra Henricum Imperatorem. Scio non inepte dici a plerisque, Pontifices Romanos succedere Petro in plenitudine *potestatis*, Paulo vero in plenitudine *legalitatis seu scientiæ*; ut loquebatur Joannes de Capistrano. Quæ ratio Pontifices quoque movere potuit, ut Pauli mentionem non omitterent, cui ab antiquis patribus doctrinæ principatum tributum non ignorabant. Unde insignis reverentia conciliabatur Romanæ sedi: quæ cum ceterarum Ecclesiarum non solum mater esset, sed magistra quoque, in eo magisterio auctorem suum laudare posset gentium præcipuum doctorem. Qua ratione octava synodus Romanam Ecclesiam commendat, quod eam Petrus & Paulus summi Apostolorum apices, præ ceteris Ecclesiis extulerint. Sed nihil vetat, ut monui supra, quin etiam episcopalem auctoritatem, qua fungebatur Paulus, in Romanos Pontifices transmiserit. Apostolicam quippe communicare non potuit, quæ morte extinguebatur. Petrus quoque episcopalem auctoritatem ad Romanos Episcopos transtulit, & præterea capitis prærogativam, id est, jus universalis regiminis confusum cum episcopali gradu. Alioqui, nisi successio isthæc auctoritatis a Paulo derivatæ admittatur, ægre ac ne vix quidem explicari potest formula illa, quam a temporibus Nicolai I. id est octingentis fere abhinc annis summi Pontifices usurpant, cum aut excommunicatione reos designunt, aut a peccatis clementer absolvunt. Utrumque enim se Petri & Pauli auctoritate decernere testantur, quod nisi ex successione Pauli in episcopatu interpretationem recipiat, frigidius dictum videbitur. Labores enim ad erudiendam fundandamque Ecclesiam Romanam a Paulo suscepti, & fusus in urbe Roma cruor, ut ad sedis dignitatem augendam ornandamque maxime conferunt, ita ad auctoritatem impertiendam nihil aut parum pertinere videntur.

XXI. Hanc auctoritatis a Petro & Paulo deductæ communionem impressæ octingentis abhinc annis in bullis plumbeis utriusque Apostoli imagines testantur, Paulo ad dexteram Petri collocato: unde præcipui quoque honoris Paulo impensi argumenta quidam trahunt. Absurde. Quod enim latus dextrum videtur, si Pauli imago cum Petri imagine comparetur, est latus sinistrum, si referatur ad inspicientes. Ex qua relatione sæpe metiendus est honoris gradus in conventibus publicis. Hinc profectum, ut Episcopus in parte chori sedeat, quæ dextra est ingredientibus, & tamen respondet cornui sinistro altaris. In quo sinistrum & dextrum latum nuncupamus respectu habito ad divini Numinis præsentiam, ac si Dei majestas

ibi sederet, veluti super Cherubim, ut in veteri instrumento, vel Christi corpus vultu ad populum obverso ibi consisteret. Olim eadem ratio habita est, cum loca assignarentur in Ecclesia viris & mulieribus. Pars enim dextra viris data, sinistra mulieribus, inspecta ingressus ad templum positione; ut patet ex antiquis inscriptionibus. Idem observatur quotidie in Gallia, in solenni magistratuum cœtu, cum ad Ecclesias conveniunt. Qui enim apud eos eminentiores, locum chori dextrum, qui respondet cornui sinistro altaris, ut dixi, occupant: reliqui vero sinistrum latus, quod respondet cornui altaris dextro. Ex hac quoque ratione ingressus tractum ut in auditorio publico senatuum sive Parlamentorum Galliæ, Præsides id latus occupent, quod sinistrum est, si consessus ordo a personis sedentium ducatur: quod tamen respondet lateri dextro adstantis cœtus. Quod splendidius eminet Rege in Senatu Parisiensi sedente pro tribunali. Ad ejus namque sinistram consident Pares Franciæ ecclesiastici, quibus præcipuus honos defertur; Duces vero dextram occupant: quæ latera vices mutant habita adstantium ratione, ita ut eorum dexteræ respondeat ordo Parium ecclesiasticorum. Aliud obtinebat in antiquis synodis generalibus; ubi proposita in medio consessu sacrosancta evangelia vices Christi præsentis gerebant; ad cujus dexteram Legati summi Pontificis considebant, quæ tamen ingredientibus erat sinistra. Posset isthæc observatio variis testimoniis ex antiquitate petitis in utramque partem illustrari, nisi satius esset ex præsenti usu confirmasse locum imagini Pauli in bullis plumbeis destinatum secundum esse censendum, priorem obtinente Petro ratione primatus, ut decebat.

XXII. Ex iis, quæ huc usque proposuimus, apertissime consequitur, assertum a recentiore dogma in eo peccare, quod duo capita Petrum & Paulum in Ecclesia Romana *ex æquo* constituere videatur. Duo capita sive duo Episcopi ferri possunt ex mente veterum & mediæ ætatis auctorum, & ex eo, qui hodie viget, formularum usu. Sed additamentum illud *ex æquo*, spongia deleri debet, vel potius cauterio inuri; quia primatum, quem in regimine universalis Ecclesiæ solus Petrus obtinuit ex ore ipsius Christi, per indebitam comparationem cum primatu Pauli, qui versabatur in solo ecclesiasticæ institutionis magisterio, ut loquitur Maximus Taurinensis, penitus labefactat.

Quare non solum a traditione antiquorum patrum alienam, sed etiam juri divino contrariam propositionem illam censeo.

DISSERTATIO

De Primatu Lugdunensi & ceteris Primatibus.

Occasio hujus dissertationis.

I. Editam a nobis Vigilii Summi Pontificis decretalem epistolam pro confirmatione Quintæ Synodi nostramque de illius epistolæ fide & auctoritate dissertationem cum editioni regiæ Conciliorum curatores illius operis adjecissent, illud etiam a me contenderunt, ut Urbani secundi decretum de primatu Ecclesiæ Lugdunensis ex sententia Synodi Claromontanæ conditum, quod anno superiori ex manuscripto codice Lugdunensi descripseram, non solum publici juris facerem, sed observationibus etiam aliquot illustrarem. Non potui tam justæ virorum eruditorum petitioni deesse; præsertim cum ipsi expromitterent, plerisque non ingratam fore hanc operam nostram, eo quod de primatuum origine aliisque rei canonicæ articulis, qui huic materiæ accedunt, nova ratione dissertatio a nobis institueretur. Illud ergo decretum nunc primum edimus in lucem, quod in Synodo Claromontana cognitione habita latum est. Nota est omnibus occasio cogendæ illius synodi ab Urbano, quæ nomen sumpsit ab urbe Claromonte. Ea olim dicta est civitas Arvernorum, tum in Notitiis, tum apud Sidonium, & alibi; apud Ptolomæum vero Nemossum, unde viri eruditi sibi persuaserunt synodum Claromontanam, quæ Arvernensis vocatur ab Ivone & ipso Urbano, Nemossensem quoque dictam ab illius ætatis scriptoribus, quamvis vitiose Nemausensem scripserint. Attamen certum est Nemausensem synodum habitam fuisse ab Urbano anno sequenti post Claromontanam in urbe Nemauso apud Septimanos; ut diserte docent fragmenta Helgaudi Floriacensis, Urbanus ipse in altera epistola, quam edimus numero CXVII. hujus dissertationis, & judicium redditum in ea synodo super lite Ecclesiæ sancti Saturnini Tolosani, quod refertur a viro clarissimo Catello in Amelio Tolosano. Ex hoc autem decreto nostro constat, primatum, quem in quatuor provincias Ecclesia Lugdunensis consecuta est Gregorii septimi beneficio anno millesimo septuagesimo nono, ab Urbano secundo confirmatum in Synodo Claromontana anno millesimo nonagesimo quinto, rejecta Richerii Senonensis intercessione. Ad ejus interpretationem duo præcipue capita tractanda sunt; primum, quid significetur primatus nomine, quod tam frequenter in antiquis mediæque ætatis scriptoribus & Conciliis occurrit; secundum, in quo firmamentum causæ posuerint Gregorius septimus & Urbanus ad asserendum Lugdunensis Ecclesiæ primatum. Quoniam vero fieri non potest, ut eorum capitum discussione defungar, quin ceterarum provinciarum primatus attingam, de eorum origine deque antiqua civili & ecclesiastica provinciarum divisione in Gallia, Africa, Illyrico, & Hispaniis disputatur; adjecta variorum canonum Concilii Chalcedonensis, synodorum Africanarum, aliarumque nova plerumque explicatione.

Extat infra in calce istius dissertationis, ante Notas ad Concilium Claromontanum.

Nemausensis synodus diversa a synodo Claromontana.

Delineatio hujus opusculi.

Primates, qui primum locum obtinent.

II. Ut igitur rem ipsam aggrediar, observandum est, Primates in universum dici eos, qui principem locum in aliquo collegio obtinent; vel proceres alicujus gentis, quemadmodum apud Ammianum dicuntur primates regionis Alamannorum, apud Ambrosium primates Consistorii. Primates quoque civitatum & ordinum dicuntur ab Imperatoribus municipales magistratus, qui decurionum ordini præsunt. Inde vox ista in ecclesiasticum usum irrepsit ad significandam eorum Episcoporum prærogativam, qui provinciæ suæ Concilio præerant. Quod probatur eleganti testimonio petito ex canone secundo Concilii Taurinensis, quod habitum est anno trecentesimo nonagesimo septimo. *Illud inter Episcopos urbium Arelatensis & Viennensis, qui de primatus apud nos honore certabant, a sancta synodo definitum est, ut, qui ex iis comprobaverit, suam civitatem esse metropolim, is totius provinciæ honorem primatus obtineat, & ipse, juxta præceptum Canonum, ordinationum habeat potestatem.* Ex eodem canone illud quoque colligitur, hanc prærogativam illi Episcopo deberi in unaquaque provincia, qui eam civitatem obtinebat, quæ in laterculo Imperii metropolis dignitate fruebatur. Hoc apprime congruit cum definitione canonis noni Antiocheni, ubi hujus instituti ratio redditur; nempe quod in metropoli conventus juridici agi solerent a præsidibus provinciarum. Ad conventus enim illos præcipue respiciunt patres Antiocheni, his verbis: διὰ τὸ ἐν τῇ μητροπόλει πανταχόθεν συντρέχειν πάντας τοὺς τὰ πράγματα ἔχοντας, id est, ex interpretatione Dionysii, *propterea, quod ad metropolim omnes, qui negotia videntur habere, concurrunt.*

Primatus pro jure metropolitico.

Canon Antiocheni Concilii illustratur.

Primates in Africa.

III. Ceterum frequentissima occurrit Primatum mentio in Conciliis Africanis & apud Augustinum. Qua voce illi Episcopi significantur, qui sunt primæ sedis Episcopi & Conciliis provinciarum suarum præsident. Ecce cap. XIX. collectionis

nis Africanorum Conciliorum: *Quisquis Episcoporum accusatur, ad Primatem provinciæ ipsius causam deferat accusator.* De appellatione Clericorum statuitur *canone XXVIII.* ut provocent *ad Primates suarum provinciarum.* Sed observandum est sedulo discrimen, quod inter primates Africanos & ceteros intercedit. Prima etenim sedes in aliis provinciis affixa est civitati metropoli, id est, quæ mater urbium habetur in ordine civili. In Africa vero, qui ex Episcopus ordinationis tempore collegas suos anteibat, Primas nuncupabatur, seu primæ sedis Episcopus. Itaque licet e sex provinciis, ex quibus Africana Diœcesis constabat, duæ Mauritaniæ, Numidiæ, Byzacena, & Tripolitana, sua quæque metropoli in ordine imperii non carerent, prima tamen sedes ecclesiastica non erat illi addicta, sed Episcopum seniorem sequebatur. Unde in cap. LXXXVI. collectionis Africanæ prima sedes Numidiæ aperte distinguitur a Constantina metropoli ejusdem provinciæ. Orto enim dissidio inter Episcopos, quo in loco tabulæ ecclesiasticæ seu regesta provinciæ servarentur, constitutum est, ut in urbe metropoli conderentur (ipsæ fortassis authenticæ literæ,) ubi tutior erat custodia; tum etiam in prima sede (exempla fortasse literarum,) ut primæ sedis Episcopo parata essent ad manum, ne hac in parte a metropoleos Episcopo penderet. Hanc puto esse canonis istius sententiam; *Deinde placuit omnibus Episcopis, qui in hoc Concilio subscripserunt, ut matricula & archivus Numidiæ & apud primam sedem sit & in metropoli, id est, Constantina.* Solius Carthaginis splendor id obtinuerat, ut illius civitatis Episcopus primas esset proconsularis provinciæ, imo vero & caput reliquarum quinque provinciarum, quas enumeravi. Non moror in probando speciali isto Africanarum Ecclesiarum usu, qui primatum provinciæ non civitatibus sed personis dabat. Abunde id præstiterunt eruditi viri, adductis & discussis locis ex Augustino, Africanis conciliis, Gregorio primo, & Leone nono petitis; explosa recentiori quadam opinione, quæ Primates vagos & desultorios in Africa ratione antiquioris ordinationis fatetur, sed metropoleon Episcopis subditos fuisse frustra contendit.

Diversi ab Episcopis metropoleon.

Explicatur Canon Africanus.

Primates Africani iidem, qui Metropolitani.

IV. Quod ad rem nostram pertinet, ex lectione canonum Africanorum conficitur, Primates Episcopos dici eos, qui provincias quisque suas administrabant; quos in reliquo orbe Christiano Metropolitanos dici moris erat, quia primatus dignitas pendebat ex dignitate metropoleos. Quare Ferrandus Diaconus Carthaginensis in breviatione canonum tit. IV. recte ad Primates Africanos transtulit eos Conciliorum veterum canones, qui de Metropolitanis loquuntur, exemplo Africanæ Synodi in epistola ad Cœlestinum, quæ decreta Nicæna de Metropolitarum auctoritate ad provinciarum Africanarum Concilia earumque Primates traxit.

Metropolitani in reliquo occidente dicti sunt Primates.

V. Nec sane rectius Metropolitani Latine efferri poterant, quam si Primates dicerentur. Unde Leo I. hanc vocem eo sensu usurpat in epistola XCI. qua Theodorum Forojuliensem Episcopum sui officii monet, ut sedem Apostolicam de re dubia non ante consulat, quam de eo, quod quærendum videbitur, cum Metropolitano suo contulerit. Addit vero statim regulam: *Quia in causis, quæ ad generalem observantiam pertinent omnium Domini sacerdotum, sine Primatibus nihil oportet inquiri.* Quod haustum est ex usu civili, juxta quem *legatos non oportet principem consulere, sed proconsulem suum*, ut loquitur Ulpianus. Alibi idem Leo conqueritur, Anatolii Constantinopolitani ambitu in oriente *Metropolitanorum jura Primatuum* convelli. Quare recte Dionysius Exiguus lemma *canonis XXV. Apostolici*, ubi de Metropolitanis agitur, *De primatu Episcoporum* inscripsit. Eo exemplo Martinus Bracarensis in collectione sua *can. IV.* primatum Metropolitanis tribuit anno quingentesimo septuagesimo secundo: *Per singulas provincias oportet Episcopos cognoscere primatum Metropolitani Episcopi, & ipsam primatus curam suscipere.* In Concilio quoque Bracarensi I. anno DLXIII. *can. VI. Item placuit, ut conservato Metropolitani Episcopi primatu, ceteri Episcoporum secundum suæ ordinationis tempus alius alio sedendi deferat locum.* Attamen illud omitti non debet, aliquando eos Episcopos a Pontificibus Primates dictos, qui aliis coepiscopis ordinationis tempore potiores essent, etsi nulla ex eo primatu illis competeret auctoritas. Unde ab Hilaro Papa Constantius Uceticæ Ecclesiæ antistes dicitur esse *Primas ævo honoris.* Et ibidem cura provinciæ Narbonensis, ob suspensionem Hermetis Metropolitani, transfertur ab Hilaro ad eum, *quem repererit episcopalis ordo Primatem.* Eo sensu Leo I. primates Presbyterorum dixit eos, qui ceteros ordinatione antecederent.

Antiquior Episcopus aliquando Primas dictus.

Primatus Romanæ sedis.

VI. Sane diffitendum non est, quin primatus ad significandam Apostolicæ sedis dignitatem & auctoritatem ab antiquis usurpatus fuerit, ut in novella constitutione Valentiniani Imperatoris. In lemmate quoque antiqua interpretationis Latinæ manuscriptæ *canonis VI.* Niceni; *Quod Ecclesia Romana semper habuit primatum*, quæ verba recitata sunt ex codice Paschasini in Concilio Chalcedonensi *actione decima sexta.* Unde magistratus ab Imperatore delegati recte in eadem actione decreverunt ex sententia synodi, conservanda esse Romæ Archiepiscopo, juxta Canones, *τὰ πρωτεῖα ϗ ἐξαίρετον τιμὴν*, id est, ut vertit statim antiquus interpres Concilii Chalcedonensis, *omnem primatum & honorem præcipuum.* Quare non quemlibet primatum Romanæ sedi asserunt veteres, cum ipsi quoque Metropolitani primatu suo fruerentur, sed præcipuum primatum in Ecclesia universa, &, ut loquitur eleganter Pelagius I. *in epistola ad Sapaudum, apicem primatus a solis ortu usque ad occasum.*

Nova Primatuum origo ex collectione Isidori.

VII. Post editam Isidori collectionem invecta est in Occidentem nova Primatum usurpatio, quæ quidem ex Epistolis veterum Pontificum huic compilationi insertis profluxit. Quoniam vero Lugdunensis primatus origo inde quoque profecta est, pauca dicam de collectionis illius initiis, quæ valde controversa sunt. Ecclesia Hispanica, Gallicanæ ceterarumque occidentalium exemplo, usa est veteri illo Codice Canonum, qui canone primo Concilii Chalcedonensis confirmatus est, & quo ecclesia Romana utebatur, ut patet *ex canone XVIII.* Synodi Bracarensis & *canone III.* Synodi Toletanæ, quæ codicis illius specialiter meminere. His canonibus antiquis adjecti sunt canones in singulis Conciliis Hispanicis editi; quin etiam & Gallicani Canones, quos laudat Concilium Tarraconense *canone secundo*, eorumque constitutionem de monachis latam servari præcipit. Occurrunt quoque Synodi Agathensis & Regensis canones in Conciliis Ilerdensi, Valentino, & Hispalensi primo laudari. Nec omissæ sunt in codice Hispanico epistolæ Pontificum ex collectione Dionysii Exigui; ut colligere licet ex Conciliis Toletanis III. & IV. quemadmodum ante nos observarunt viri eruditi. Corpus istud tempore Isidori Hispalensis (qui obiit anno DCXXXVI.) complectebatur, præter veteres canones synodorum Græcarum ex antiqua Interpretatione Latina, Sardicenses, Africanos, Hispanicos & Gallicanos, atque Pontificum Romanorum Decretales epistolas a Siricio ad Gregorium primum. Frustra ergo disputant eruditi viri, an Isidorus Hispalensis aliquam Canonum collectionem ediderit, cum ipsa collectio extaret ante Isidori tempora, licet aliquot deinde synodis illius ætate celebratis aucta esset.

Codex Canonum ecclesiæ Hispanicæ.

Collectio Isidori.

VIII. Id unum præstitit Isidorus; indicem nempe titulis distinctum composuit, qui præfixus est

collectioni, eâ arte, ut unicuique titulo certam aliquam materiam complectenti adjunxerit numeros canonum & decretorum eo pertinentium, ad exemplum Ferrandi Diaconi Carthaginensis. Eum indicem veteri cuidam collectioni manuscriptæ præfixum testatur Antonius Augustinus; licet dubitet, an tribuendus sit Isidoro, ob quorundam versuum, qui illi subjiciuntur, inertiam. Sed expunctis versiculis illis, quos exscriptor de suo addidit, titulorum ordo & verba eruditionem & seculum Isidori mihi spirare videntur. Inde factum, ut a posteris integra collectio diligentiæ Isidori facile tributa sit. Cui deinde adjecta sunt Concilia Toletana a quinto ad duodecimum & cetera Hispanica post obitum Isidori celebrata; nulla vero Gallicana adjuncta sunt. Ejus collectionis exemplaria quædam manuscripta visuntur in Hispaniæ bibliothecis. Nos vero collectionem antiquissimam manuscriptam vidimus in celeberrima & instructissima bibliotheca viri super-illustris Petri Seguierii Franciæ Cancellarii, quæ constat ex indice illo Isidori & ex canonibus atque decretis Pontificiis cuique titulo juxta indicis seriem αὐτολεξεὶ subjunctis. Hæc eadem collectio auctior deinde facta est accessione canonum apostolicorum, quos Isidorus Hispalensis, in libris Originum, apocryphis accenset juxta Gelasii definitionem; unde olim omissi fuerant ab Episcopis Hispanis. Crevit quoque accessione epistolarum Pontificiarum, non solum Gregorii II. & III. atque Zachariæ, sed etiam earum, quæ editæ sunt sub nomine Clementis, Anacleti, & reliquorum Pontificum usque ad Siricium. Uberior ista collectio publicata est sub antiquo Isidori Hispalensis nomine, teste Hincmaro epistola VIII. capitulo XXII. ad conciliandam scilicet auctoritatem novis illis epistolis, quæ tunc præfixis veterum Pontificum titulis interpolatæ sunt. Ab illa vero auctoritate plane intercidissent, si novitii & incogniti omnino collectoris nomine, nempe Isidori Mercatoris, ut vulgo putant, prodiisset. Advectum est ex Hispania in Gallias novum illud Juris canonici corpus studio & opera Riculfi, qui ex Archicapellano palatii ordinatus Moguntinus Episcopus anno DCCLXXXV. per universas Gallias illud publicavit, & ex epistolis Pontificum ea tempestate concinnatis aliquot fragmenta in leges capitulares Caroli Magni & Ludovici a Benedicto Levita collectas referri obtinuit, ut notat Hincmarus Opusculi capitulo XXIV. Eodem tempore Capitula Hadriani I. ad Angilramnum Metensem Episcopum emerserunt; in quibus eadem verba sæpe reperiuntur, quæ in subdititiis, quamvis non inutilibus, epistolis extant; ita ut ex altero in alterum codicem transscripta videantur. Proclivior in id sum, ut existimem, Hadrianum ex epistolis ea sumpsisse. Ait enim, se ea capita desumpsisse ex synodis & decretis Præsulum ac Principum Romanorum. Ut videatur omnino ad decretales illas epistolas respexisse, quæ *Decreta Præsulum Romanorum* nuncupantur in nova collectione Isidori: de cujus auctoritate per Gallias olim recepta pluribus egi libro tertio de concordia sacerdotii & imperii.

Aucta canonibus Apostolorum & veterum Pontificum decretalibus.

Publicata in Galliis.

IX. Ex his ergo epistolis manavit, ut Primates dici cœperint, non singuli Metropolitani, quemadmodum in usu fuisse apud veteres docuimus initio, sed illi Episcopi, qui plures provincias & earum Metropolitanos administratione sua complectebantur. In illa enim significatione usurpatur Primatis vox apud Anacletum, qui diserte Patriarchas cum Primatibus confundit. *In majoribus civitatibus*, inquit, *Patriarchas vel Primates, qui unam formam tenent, licet diversa sint nomina, leges divinæ & ecclesiasticæ poni & esse jusserunt.* Hanc Primatis significationem hausit auctor ex interpretatione Latina canonis IX. & XVII. Chalcedonensis, quæ his verbis utitur, tum apud Isidori veterem collectionem, tum apud Dionysium Exiguum. *Quod si adversus ejusdem provinciæ Metropolitanum*, inquit canon nonus, *Episcopus vel Clericus habet querelam, petat Primatem Diœceseos aut sedem regiæ urbis Constantinopolitanæ, & apud ipsum judicetur.* & can. XVII. *Quod si quis a Metropolitano læditur, apud Primatem Diœceseos aut apud Constantinopolitanam sedem judicetur, sicut superius dictum est.* Sed observare debuerat auctor epistolarum, in illis canonibus non agi de unoquoque Primate absolute, sed cum adjuncto, de Primate Diœceseos. Quare verum erit, per Primatem Diœceseos significari Patriarcham. Sed non inde sequitur, omnem Primatem esse Patriarcham, cum Metropolitani quique Primates antea proprie dicerentur.

In hac collectione Primates dicti, qui præsunt Metropolitanis.

Ex canone Chalcedonensi male accepto.

X. Enimvero cum ex horum canonum interpretatione profluxerit nova ista Primatis significatio, quæ deinde in alteram significationem detorta, sola deinceps obtinuit apud Canonum collectores, Burchardum, Ivonem, Gratianum, in libris quoque Decretalium, non alienum erit ab instituto de iis pauca dicere, eo præcipue nomine, quod, licet Zonaras & Balsamon, tum etiam hoc nostro seculo eruditissimi viri, horum canonum explicationem tentarint, nondum tamen aliquis eam plene, ut opinor, est assecutus. Nunc fere omnibus notum est, Diœcesim hoc loco sumi pro tractu diversarum provinciarum in unum corpus compactarum; cujus generis erant quinque in Orientis imperio, nempe Diœcesis Ægyptiaca, Orientalis specialiter dicta, Asiana, Pontica & Thracica. Occidentis imperium in Diœceses septem vel octo divisum erat, Urbicariam, Italicam, Gallicanam, Hispanicam, Britannicam, Africanam & Illyricianam; quæ in duas partes a Theodosio secta est, ita ut Illyricum orientale, quod Macedoniam & Daciam continebat, cesserit Orientis imperio. Sed in administratione ecclesiastica diversa erat ratio Occidentis & Orientis. Etenim in Occidente, si demas Africam, nullus provinciarum Metropolitanis præfectus erat Episcopus præter Pontificem Romanum. In orientali autem Ecclesia, unaquæque Diœcesis regebatur a sua synodo, ita tamen, ut Exarcho quæque suo pareret. Præfecti Diœcesibus Episcopi dicuntur a Græcis οἱ ὑπὲρ διοίκησιν ἐπίσκοποι, id est, ut vertit Dionysius Exiguus, *qui sunt super Diœcesim Episcopi*, canone secundo Concilii Constantinopolitani; ubi quinque Diœceses orientales recensentur, nempe Ægyptiaca, quæ suberat Alexandrino Episcopo, ut Orientalis Antiocheno, Asiana Ephesino, Pontica Cæsareensi, Thracica antea quidem Heracleensi, tunc vero subdita Episcopo Constantinopolitano. Præfectus diœcesi Episcopus dictus est a Græcis ἔξαρχος τῆς διοικήσεως in Concilio Chalcedonensi. Unde Antiochenus Patriarcha Domnus dicitur ἔξαρχος διοικήσεως ἀνατολικῆς in Concilio Antiocheno relato Actione XIV. Synodi Chalcedonensis. Eo nomine comprehenduntur singuli Exarchi quinque Diœceseon Orientalium, quia, ut dixi, earum administratio per tractus & Diœceses erat distributa; præter morem occidentalis Ecclesiæ, in qua nullus erat Diœceseos Exarchus, ut supra monui; ita ut ex hoc capite colligatur, ad Occidentem trahi non posse nec verba nec mentem canonum Chalcedonensium.

Προθεωρία ad explicationem canonis Chalcedonensis.

De Diœcesibus occidentis & orientis.

Exarchus Diœceseos.

XI. His positis, mens canonum Chalcedonensium sese patefacit. Iis nempe cavetur, ut actio adversus Metropolitanum intendatur coram Exarcho cujusque Diœceseos, cui Metropolitanus subditus est: qui quidem, coacta totius Diœceseos synodo, controversiam dirimet. Itaque Ægyptii coram Alexandrino Exarcho adversus Metropolitanum disceptabunt, orientales coram Antiocheno, Asiani coram Ephesino, & sic de Ponticis & Thracicis. Attamen iisdem canonibus electio datur actori, ut agat, si malit, coram Episcopo Constantinopoleos, omisso Exarcho suæ Diœceseos,

Explicatio can. 9. & 17. Chalcedonensium.

Privilegium collatum sedi Constantinopolitanæ in causis Metropolitanorum.

seos, apud quem ne Metropolitanus gratia valeat, fortasse veretur. Eximium sane privilegium, quo per universos orientales tractus Episcopi Constantinopolitani auctoritas diffunditur, ita ut judicium quoddam extraordinarium in Metropolitanorum causis omnibus, id est, civilibus & criminalibus, exerceat. Jus autem illud ex eo profectum est, quod illi primatus honoris post Romanum Pontificem in quinque orientalibus Diœcesibus communicatus est canone secundo Concilii Constantinopolitani: Τὸν μὲν τοι Κωνσταντινουπόλεως ἐπίσκοπον ἔχειν τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς μετὰ τὸν τῆς Ῥώμης ἐπίσκοπον, διὰ τὸ εἶναι αὐτὴν τὴν νέαν Ῥώμην. id est ex versione Dionysii: *Verumtamen Constantinopolitanus Episcopus habeat honoris primatum post Romanum Episcopum, propterea quod urbs ipsa sit junior Roma.*

Excepto Occidente.

Unde patet, privilegium istud Constantinopolitano Episcopo collatum non porrigi ad occidentalis Ecclesiæ provincias, quæ speciali quodam jure a Romano Pontifice tanquam Patriarcha administrabantur. Neque enim fas erat, ut is, cui secundæ partes delatæ erant, jurisdictionem aliquam exerceret in finibus primi Episcopi, post quem ex diserta canonis Constantinopolitani sententia constitutus erat. Quanta ergo pollere par erat auctoritate Romanum Pontificem, cum ab eo secunda potestas, & ad Romanæ sedis exemplum efficta, tantopere vigeret? Hoc argumentum usurpasse me superioribus annis memini inter familiares sermones, quos vir celeberrimi inter Novatores nominis mecum miscebat; qui eam animadversionem sequentibus argumentis instructam sibi non displicuisse scripto testatus est.

David Blondellus.

Pontifex Romanus de Metropolitanis primo judicio cognoscebat.

XII. Ut autem splendidior sit hujus argumenti probatio, ostendendum est, Romanum Episcopum tunc temporis eo jure usum, ut primo judicio de Metropolitanorum causis decerneret. Collatam quidem illi aut renovatam fuisse potestatem a Concilio Sardicensi, de appellationibus Episcoporum cognoscendi, nullus ignorat. Sed an illi prima cognitio Metropolitanorum competeret, nondum aliquis annotavit. Id tamen aperte constitutum est in Concilio Romano ex universa Italia coacto, cui Ambrosius intererat, anno CCCLXXVIII. & rescripto Gratiani Principis confirmatum: *Si in longinquioribus partibus alicujus ferocitas talis emerserit, omnino ejus causa dictio ad Metropolitæ in eadem provincia Episcopi deducatur examen. Vel si ipse Metropolitanus est, Romam necessario vel ad eos, quos Romanus Episcopus judices dederit, sine dilatione contendat.* Ediderat hoc rescriptum, sed mendosum, illustrissimus Baronius, castigatum vero & synodi Romanæ epistola auctum publicavit vir eruditissimus Sirmondus post appendicem codicis Theodosiani. Istius moris meminit Leo primus in epistola ad Anastasium Thessalonicensem, quæ relata est in Codicem Canonum Ecclesiæ Romanæ: *Si quid grave intolerandumque committeret* Metropolitanus, *nostra*, inquit, *erat expectanda censura, ut nil prius ipse decerneres, quam quid nobis placeret agnosceres.* Gregorius I. eundem morem indicat *lib. VII. registri epistola VIII.* ubi monet Vincentium & ceteros Episcopos insulæ, ut, si ad transmarina se conferre voluerint, licentiam petant a Metropolitano suo secundum regulas patrum; *excepto*, inquit, *si, quod non optamus, contra eundem Metropolitanum vestrum vos habere aliquid causa contigerit, ut ob hoc sedis apostolicæ judicium requiratis.* Quare non dubitavit epistolarum pontificiarum auctor constituere ex antiquo more, sub nomine Aniceti, Sixti & Julii, ut querela adversus Metropolitanum ad Primatem Diœceseos vel ad sedem apostolicam referatur. Quinimo eandem plane in epistola Victoris divisionem sequitur, quæ sancita est in Concilio Romano habito sub Damaso; scilicet ut de contumacia Metropolitani cognoscat Romana sedes, vel causam in provinciis judicandam deleget. Hadrianus I. in *Capitulis suis* mentem harum epistolarum secutus, quæ in Canone Chalcedonensi de sede Constantinopolitana statuuntur, ad sedem apostolicam transtulit. Hadriani autem verba transcripta sunt *libro VII. capitularium titulo CCXLI.* Quæ ideo annotavi, ut pateat unicuique, ab epistolarum auctore in re ipsa fraudis & imposturæ suspicionem abesse, quæ illi a plerisque hoc loco impingitur, ac si per injuriam provincialium synodorum majestatem Romanæ sedis amplificare voluisset; cum ex iis, quæ retuli, evidenter probatum sit, Metropolitanorum primam cognitionem Romanis Episcopis confirmatam decreto veteris Synodi Romanæ anno trecentesimo septuagesimo octavo. Quod in rebus ipsis obtinuisse olim, etiam in causis ceterorum Episcoporum, quamvis non adeo frequenter, ex Zosimi, Leonis, Hilari, aliorumque Pontificum literis alibi demonstramus. (Vide *lib. VII. de concordia sacerdotii & imperii cap. XI. §. III. & cap. XVIII. §. I. V. VII.*)

Hoc jus communicatum Constantinopolitanæ sedi per Orientem.

XIII. Quare collata semel Episcopo Constantinopolitano primatus prærogativa post Romanum Pontificem, ut factum est anno CCCLXXXI. per canonem secundæ synodi, facile fuit Metropolitanorum cognitionem, anno CCCLXXVIII. Romano Episcopo adjudicatam, transferre in Episcopum Constantinopolitanum per orientales tractus; ea tamen lege, ut Patriarcharum & Exarchorum antiquam jurisdictionem non convelleret, quemadmodum canone illo statuitur, sed jure tantum *præventionis* uteretur, ut explicatum est in Concilio Chalcedonensi. Ejus privilegii quasi possessionem cepit Nectarius Constantinopolitanus, qui causam Agapii & Gabalii de metropoli Bostrorum provinciæ Arabiæ Diœceseos Antiochenæ contendentium in synodo Constantinopolitana diremit anno trecentesimo nonagesimo quarto, ut docent excerpta ejus synodi libro secundo sententiarum synodalium in collectione Juris Græco-Romani. Hinc petenda est ratio, cur Ambrosius Mediolanensis eundem Nectarium rogaret, ut Gerontium Nicomediensem provinciæ Bithyniæ Metropolitam in Pontica Diœcesi sacerdotio dejiceret, ἔγραφε Νεκταρίῳ ἀφελέσθαι Γεροντίου τὴν ἱερωσύνην, apud Sozomenum *lib. VIII. cap. VI.* Atticus Constantinopolitanus disceptantes de synodorum episcopatu, id est, de Phrygiæ Pacatianæ metropoli in Asiana Diœcesi Theodosium & Agapetum judicio suo compescuit, scripsitque Agapeto, ut episcopatum retineret, ἔχεσθαι τῆς ἐπισκοπῆς, ut tradit Socrates lib. VII. cap. III. Litem motam inter Episcopum Nicænum & Nicomediæ Metropolitam provinciæ Bithyniæ Ponticæ Diœceseos, de ordinatione Episcopi Basilinopoleos, Joannes & Proclus Episcopi Constantinopolitani rescriptis suis sopierunt; donec peremptorie decisa est a Concilio Chalcedonensi, ut patet actione decima tertia.

Jure præventionis tantum.

Præter superiora exempla id docet delegatio a Flaviano facta in causa Ibæ.

XIV. Sed egregium hujus privilegii exemplum petendum est ex cognitione, quæ instituta est adversus Ibam Metropolitam Edessenum orientalis Diœceseos in Concilio Tyrio a judicibus, quos Flavianus Constantinopolitanus delegavit una cum rescripto Theodosii Imperatoris. Accusaverant hæreseos Ibam Clerici Edesseni coram Domno Patriarcha Antiocheno; dein consilio mutato, Flavianum adierunt; qui criminis cognitionem detulit tribus Metropolitis ejusdem Diœceseos, nempe Photio Tyri, Eustathio Beryti, & Uranio Himerorum, qui in colonia Tyri judicium susceperunt. Quo in negotio Flavianus se ad morem Romanæ sedis composuit; quæ aut ipsa judicabat, aut dabat judices, juxta decretum Concilii Romani & Gratiani Imperatoris rescriptum. Meminit delegationis a Flaviano factæ Eulogius Diaconus Constantinopolitanus in actis Concilii Tyrii, judices datos alloquens: *Adeuntibus Clericis*, inquit, *sanctissimum Archiepiscopum Flavianum, & accusantibus Ibam, Joannem & Danielem, approbavit ejus sanctitas vestram religiositatem audire negotium*,

tium, ἐδοκίμασεν ἡ αὐτοῦ ἁγιότης τὴν ὑμετέραν θεοσέβειαν ἀκοῦσαι τῆς ὑποθέσεως. In libello quoque Samuelis & aliorum Presbyterorum Edessæ oblato judicibus datis non omissa est delegatio Flaviani, munita rescripto Principis. *Sanctissimo*, inquiunt, *nostro Archiepiscopo Flaviano pariter decernente, & cum piissimo nostro Principe disponente, a vestra sanctitate nostrum exerceri negotium advenimus parati nobis adesse*: φλαβιανοῦ συμψηφισαμένου τῷ ἡμῶν βασιλεῖ καὶ τυπώσαντος. Excerpsi locos istos ex actis Concilii Tyri relatis *actione decima* Concilii Chalcedonensis, ut constaret, Flaviani auctoritatem intercessisse ad judices illos dandos, & evocandum negotium a Patriarcha Antiocheno. Ceterum ex interlocutione judicum, qui erant ex Diœcesi orientali, solum Principis rescriptum insertum est actis Tyriis; ne Flaviano se nimis abjecte atque in contumeliam Concilii Antiocheni, ubi accusatio incœpta erat, submisisse viderentur.

Munita rescripto Principis.

XV. Aliud illustre testimonium occurrit in Synodi Constantinopolitanæ actis adversus Eutichetem, relatis *actione prima* Concilii Chalcedonensis. Etenim in *actione prima* ejus synodi, recitatis mutuis relationibus hinc Florentii Sardium metropoleos Episcopi, provinciæ Lydiæ, Asianæ Diœceseos, & illinc Joannis & Cossini Episcoporum ad Flavianum missis, controversia dirempta est a Flaviano in dicta synodo Constantinopolitana, τοῦτο δοξάντος φανερῶς ἐπὶ τοῖς ἀναγνωσθεῖσιν. De provinciæ Phœniciæ divisione inter Photium Tyri Episcopum Metropolitam & Eustathium Beryti recens a Principe metropolitica dignitate ornatæ constituit Anatolius ex sententia synodi in urbe regia coactæ, & contumacem Photium a communione suspendit, absente a synodo Maximo Antiocheno, quamvis non ab urbe; qui judicio deinde privatim subscripsit, ut docet actio quarta Concilii Chalcedonensis. Non utor literis Procli Constantinopolitani ad Domnum Antiochenum datis in causa Athanasii Perrheni Episcopi, quæ referuntur actione decima quarta Concilii Chalcedonensis, quia non pertinent ad præsentem quæstionem. Sunt enim literæ commendatitiæ tantum, adjunctæ aliis quoque Cyrilli Alexandrini literis, quibus rogatur Domnus, ut causam Athanasii foveat, a Clericis suis, ut jactabat, male habiti.

Judicium quoque Flaviani.

Et Anatolii.

XVI. Ceterum quoniam ea tempestate controversiæ omnes a Patriarchis in synodis disceptabantur, Episcopus Constantinopolitanus judicia Metropolitanorum non exercebat in synodo quadam ordinaria, Thracicæ forte Diœceseos, quam solam in urbem regiam evocare poterat (quia plane acerbum fuisset alienarum Diœceseon Metropolitanis caput suum & fortunas Thracicis Episcopis submittere,) sed in dirimendis causis illis assidebat ei synodus quædam extraordinaria, quæ conflata erat ex iis Episcopis universi imperii orientalis, qui erant frequentes in comitatu Principis. Conventus ille synodi canonicæ vices implebat, quemadmodum docuit Anatolius Episcopus Constantinopolitanus in Concilio Chalcedonensi. Interrogatus a judicibus cognitoribus in causa Photii, de qua superius actum, *an synodum appellare oporteat conventum Episcoporum qui in regia civitate diversantur*, Tryphon Episcopus Chii statim respondit: *Synodus appellatur, & conveniunt, & laborantes aliqua oppressione sua jura nanciscuntur.* Sed diserte Anatolius, cui præcipue incumbebat, ut judicibus & Concilio causam suam adversus Photium approbaret, ait: *Tenuit pridem consuetudo, ut, qui in magna hac civitate morantur sanctissimi Episcopi, cum eos temporis occasio vocat, de emergentibus quibusdam ecclesiasticis causis conveniant, ac singula definiant, responsoque eos dignentur, qui precantur aliquid. Nihil ergo a me factum est, quod novitati sit affine, nec qui ex consuetudine consederunt sanctissimi, qui in civitate erant Episcopi, novam formam protulerunt.* Itaque hæc synodus consuetudine introducta non constabat ex Episcopis evocatis per literas e provinciis, sed ex iis, qui privatas ob causas in urbem advenerant. Quare vocata fuit ἐνδημοῦσα σύνοδος, non autem συναθροισθεῖσα, vel συναχθεῖσα, ut patet ex actis synodi habitæ a Flaviano adversus Eutycherem. Unde veterator iste senex occasionem arripuit auctoritatem hujus synodi, quæ illum damnaverat, convellendi, ac si canonica non esset. Ait enim in libello fidei, quem Concilio Ephesino II. porrexit, se ab iis Episcopis damnatum, qui in urbe morabantur ob privatas causas, ἰδίων ἕνεκα αἰτιῶν. Attamen hujus synodi auctoritatem refugere non poterat Eutyches, utpote quæ jam olim sub Sisinnio Constantinopolitano Episcopo adversus hæresin Messalianitarum in Pamphylia exorientium pronuntiasset; quæ synodica Sisinnii sententia probata fuit a Concilio Ephesino I. actione septima. Porro hæc synodus extraordinaria desivit, postquam sedes Constantinopolitana jure patriarchico rexit tres integras Diœceses, Asianam, Ponticam & Thracicam; quæ illi tributæ sunt canone vigesimo octavo Concilii Chalcedonensis, licet a Legatis sedis apostolicæ repudiato, dein a Leone I. in irritum misso, atque ex numero canonum expuncto.

Quæ dicta est ἐνδημοῦσα.

Rejecta ab Eutyche.

Usus ejus antiquus.

Definit post Synodum Chalcedonensem.

XVII. Itaque privilegium illud jurisdictionis extraordinariæ, quod Legatis Romanis conniventibus confirmatum erat Episcopo Constantinopolitano in Metropolitanorum causis, per totius Orientis provincias, paulatim extinctum est; atque ideo integram & illibatam in sibi subditos Metropolitanos auctoritatem Alexandrinus, Antiochenus & Hierosolymitanus Patriarcha conservarunt: quod ne in dubium aliquando vocaretur, Justinianus constitutione sua definivit, omissa electione agendi apud sedem Constantinopolitanam; Εἰ δὲ κατὰ μητροπολίτου τοιαύτη προσέλευσις γένηται, εἴτε παρὰ ἐπισκόπου, εἴτε παρὰ κληρικοῦ ἢ ἄλλου οἱουδήποτε προσώπου, ὁ τῆς διοικήσεως ἐκείνης μακαριώτατος πατριάρχης τὸ πρᾶγμα κρινέτω: id est, juxta veterem interpretationem: *Si vero contra Metropolitam talis aditio fiat ab Episcopo aut Clero aut alia quacunque persona, Diœceseos illius Patriarcha causam judicet.* Photius quoque *titulo nono Nomocanonis capite primo* ex *Novella CXXXVII.* Εἰ δὲ μητροπολίτης κατηγορεῖται, ὁ πατριάρχης αὐτοῦ ποιεῖ. *Si Metropolitanus accusatur, ipsius Patriarcha cognoscit.* Unde rectissime annotarunt Zonaras & Balsamon, & post eos Blastares, Patriarchas singulos in suis Diœcesibus jus dicere Metropolitis, nec Episcopo Constantinopolitano liberum esse, ut jurisdictionem exerceat in aliorum Patriarcharum Diœcesibus. Quod verum est ratione habita ejus juris, quod Justinianus confirmavit usufque sequentium seculorum probavit; quamvis alia esset canonum Chalcedonensium IX. & XVII. sententia.

Desivit quoque jurisdictio Constantinopolitani Episcopi in alterius patriarchatus Metropolitanos.

Novell. 123. c. 22.

XVIII. Non me latet ab eruditis viris Justiniani *legem trigesimam Cod. de episcopali audientia* opponi; qua constituitur, ex interpretatione Latina, ut Constantinopolitanus Episcopus appelletur a judicio reddito per Patriarcham vel Metropolitanum, aut Episcopum, cui causæ cognitio delegata fuerit. Sed si, ut par est, ex textu Græco emendetur interpretatio Latina, de sincera legis sententia constabit. Vetatur dicta lege, ne statim & primo judicio Episcopus conveniatur civiliter vel criminaliter coram Patriarcha suæ Diœceseos, sed coram Metropolita & synodo provinciæ; ita tamen, ut a sententia synodi ad Patriarcham appellare liceat, istius vero judicium sit ultimum & nulli appellationi obnoxium. Adjicitur vero regulæ de non conveniendo statim Episcopo coram Patriarcha ista exceptio, nisi Patriarcha cognitionem deleget in provincia alicui Metropolitano vel Episcopo, in ea vero specie si appelletur a sententia judicis delegati a Patriarcha. Ita enim legendum in Latina interpretatione; Tunc ἀρχιερατικὸς θρόνος, id est, patriarchica se-

Explicata lex Justiniani 30. Cod. de episcopali audientia.

Emendata interpretatio Latina.

ca ſedes, appellationem dirimat, nempe ſedes, a qua Judex datus eſt, non autem Conſtantinopolitana, ut Latina interpretatio perperam facta viris eruditis impoſuit.

Primas ſive Exarchus Diœceſis pro Patriarcha.

XIX. Ex iis, quæ dicta ſunt, patet, per *Primatem Diœceſeos* ſignificari in canone Chalcedonenſi eum Epiſcopum, cui ſubjecti ſunt Metropolitani, quique jure Patriarchico fruitur, imo etiam ipſo nomine Patriarchæ: quemadmodum Juſtinianus interpretatus eſt τὸν ἔξαρχον διοικήσεως. Itaque ut ante monui, auctor epiſtolarum pontificiarum huc reſpexit, cum Primatum eandem eſſe cum Patriarchis formam ſcripſit, licet diverſa eſſent nomina. Quod ille de ſummis illis Patriarchis intelligebat, quos ſolos Eccleſia coluit octavo ſeculo, quo nova Iſidori collectio prodiit in lucem.

De Patriarcha Aquilejenſi.

XX. Si quis objiciat, ea tempeſtate Patriarchæ nomen tributum Epiſcopis Aquilejenſi & Gradenſi, reponetur, his epiſtolis agi de iis Primatibus ſeu Patriarchis, quibus ſubditi erant Metropolitani aliquot, Epiſcopo vero Aquilejenſi nullos paruiſſe Metropolitanos. Dictus vero eſt Patriarcha, eo quod Reges Gothorum Italici regni Epiſcopos Patriarcharum nomine ornarent, quemadmodum teſtatur Epiſtola Athalarici Regis ad Joannem Papam apud Caſſiodorum lib. IX. epiſtolarum.

Quare Elias Epiſcopus Aquilejenſis, qui poſt aliquot annos ab excidio Gothorum in ſchiſma delapſus eſt ob tria Capitula una cum reliquis Iſtriæ provinciæ Epiſcopis, liberum ſibi exiſtimavit ejus nominis uſum continuare, quod literæ regiæ Metropolitanis Italicis dederant, & quo uſus fuerat Paulinus ejus deceſſor anno quingenteſimo ſexageſimo; præcipue quod ejuſcemodi titulus ad ſuam αὐτοκεφαλίαν, qua ſchiſmatis tempore potiebatur, multum conferret. Occupata ab Imperatoribus Conſtantipolitanis Iſtriæ & Venetiæ provinciæ parte maritima, epiſcopatus Aquilejenſis ſectus eſt, & Gradi, quæ eſt maris Venetici inſula, conſtitutus eſt Candidianus Epiſcopus anno ſexcenteſimo quinto, Romanæ communioni & imperio adjunctus; qui Patriarchia Gradenſis, ſeu novæ Aquilejæ, dictus eſt. Sopito tandem ſchiſmate, Aquilejenſis Patriarcha (qui aliquando Forojulii quoque reſedit, unde dictus quoque Forojulienſis) nomen & locum ſuum retinuit, ea lege, ut Gradenſis quoque dignitate ſua non excideret, quæ tandem translata eſt in civitatem Venetiarum, Nicolai quinti Papæ beneficio, anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo primo. Nihil ergo eximium in ea Patriarchæ appellatione præter ſonum verbi, quod Metropolitanum ſignificabat ex Gothorum Italicorum uſu. Attamen temporis progreſſu, qui ſolo nomine a ceteris Italiæ Metropolitanis differebant, honoris quoque privilegio tandem a ſummis Pontificibus aucti ſunt, ut præ ceteris Italiæ Archiepiſcopis primatu honoris fruerentur. Quod privilegium Leo octavus Rodoalmo Aquilejenſi conceſſit anno DCCCCLXXX. iis literis, quas refert Joannes Candidus libro quarto. Hodie in modico oppido Utini conſiſtit.

Epiſcopatus Gradenſis ſectus ex Aquilejenſi.

Πρωτεῖα conceſſa Epiſcopo Aquilejenſi.

Gradenſis dictus quoque Patriarcha.

XXI. Hanc prærogativam derivatam fuiſſe in Gradenſem Patriarcham, probare poſſum ex epiſtola ſecunda Leonis noni; qui Dominicum Gradenſem titulo Patriarchæ ornat, & teſtatur Romanorum Pontificum privilegiis decretum fuiſſe, *ut nova Aquileja totius Venetiæ & Iſtriæ caput & metropolis haberetur*. Dominicus ille Gradenſis (qui miſſus erat a Gregorio ſeptimo cum literis ad Michaelem Imperatorem Conſtantinopolitanum ad unitatem Eccleſiæ reſarciendam anno ML. quique in eadem Pontificis epiſtola lib. I. regeſti epiſtola XVIII. Patriarcha Venetiæ dicitur) ſcripſit ad Petrum Antiochenum Epiſcopum epiſtolam Græcam, quæ habetur in codice manuſcripto bibliothecæ regiæ, cujus hæc eſt inſcriptio: Δομινικὸς χάριτι θεοῦ τῆς Γραδώσης καὶ Ἀκυλίας ἐκκλησίας πατριάρχης. Ibi profitetur, Eccleſiam ſuam a Marco Evangeliſta conditam, ſolamque a beato Petro intra Italiam patriarchicum nomen obtinuiſſe, ejuſque Epiſcopos in Synodo Romana dexteræ Summi Pontificis aſſidere ſolitos: Διότι μόνον τὴν ἡμετέραν ἐκκλησίαν τῷ τοῦ μακαρίου Μάρκου εὐαγγελιστοῦ κηρύγματι εἰληφυῖαν τὴν ἀρχαιογονίαν, καὶ τοῦ μακαρίου Πέτρου καθιστῶντος τὴν τιμὴν τοῦ πατριαρχικοῦ ὀνόματος ἐντὸς Ἰταλίας καταμόνας ἐσχηκυῖαν· καὶ ἐν τῇ Ρωμαϊκῇ συνόδῳ συνεδρίαν τοῦ οἰκουμενικοῦ πάπα δεξιὰν ἠξιῶσθαι. Cui reſcripſit Petrus Antiochenus, ſe nunquam legiſſe vel fando audiviſſe, Epiſcopum Aquilejæ, ſeu Venetiæ, appellari Patriarcham. Quinque tantum numero eſſe Patriarchas in Eccleſiæ corpore, quod ab eis adminiſtratur, ad exemplum quinque corporis humani ſenſuum. Inter eos Antiochenum Epiſcopum proprie dici Patriarcham, Romanum vero & Alexandrinum nuncupari Papas, Conſtantinopolitanum & Hieroſolymitanum Archiepiſcopos. Sin autem Gradenſis ex eo Patriarcha dici velit, quod dexteræ beatiſſimi Papæ aſſideat, id aliquo pacto ferri poſſe, quoniam Epiſcopi patres appellantur, & qui priorem locum poſt Patriarchas in ſynodis obtinent, Exarchi, prothroni, & proedri vocantur, qua ratione Patriarcha dici poſſit Epiſcopus Venetiæ, quod in Romana ſynodo primus ſit a Papa, ac ſi diceret, quod antecedat patres & Epiſcopos: Εἰ δὲ ἐκ τοῦ καθῆσθαι σε ἐκ δεξιῶν τοῦ μακαριωτάτου πάπα δικαιοῖς σεαυτὸν, ὡς ἔγραψας, πατριάρχην καλεῖσθαι, δεχόμεθα καὶ τοῦτο. Ἀλλ' ἄκουσον, πῶς τοὺς ἐπισκόπους καὶ ἀρχιερεῖς, πατέρας ὁ πιστὸς οἶδε λόγος καλῶν, τοὺς δὲ πρωτεύοντας ἐν ἑκάστῃ συνόδῳ, ἐξάρχοις καὶ πρωτοθρόνοις, καὶ προέδροις εἴωθεν ὀνομάζειν, καθ' ὃν δὴ λόγον εἰκὸς καὶ σε πατριάρχην καλεῖσθαι, ἅτε τὰ πρῶτα τῆς Ρωμαϊκῆς φέροντα συνόδου, καθῶς καὶ παρ' ἡμῖν ὁ πρῶτος τῶν διακόνων ἀρχιδιάκονος καλεῖται· ἐπεὶ πῶς ἂν ἄλλως ἕκτον ἐπεισάγειν δυνησόμεθα πατριάρχην μὴ οὔσης ἕκτης, ὡς εἴρηται, αἰσθήσεως ἐν τῷ σώματι.

Ejus πρωτεῖα in Synodo Romana.

De hoc patriarchatu Petri Antiocheni ſententia ex manuſcripto codice.

Vide *Addit. ad lib. 1. de Concordia cap. 5.*

XXII. Quod de Epiſcopo Aquilejenſi obſervavimus, nempe initio Patriarchæ titulum illi tributum ad ſignificandam Metropolitani dignitatem, id Lugdunenſi quoque Epiſcopo competit, qui nuncupatus eſt Patriarcha in præfatione Synodi Matiſconenſis ſecundæ anno DLXXXV. Priſcus Patriarcha dixit. In canone vero ultimo ejuſdem ſynodi appellatur Metropolitanus. Gregorius quoque Turonenſis *lib. V. cap. XX.* eodem Patriarchæ titulo ornabat Nicetium Epiſcopum Lugdunenſem, Priſci deceſſorem, quamvis illa ætate ſoli provinciæ Lugdunenſi præſideret. Sed non manavit in eorum ſucceſſores extraordinaria hæc in Galliis appellatio; quemadmodum nec Sulpitii Bituricenſis Epiſcopi ſucceſſoribus collatus eſt Patriarchæ titulus, quem Deſiderius Cadurcenſis Epiſcopus in eadem provincia Metropolitano ſuo tribuit epiſtola duodecima.

Lugdunenſis Epiſcopus dictus olim Patriarcha, ideſt, Metropolitanus.

Et Bituricenſis.

XXIII. Altum quippe ſilentium hujus appellationis in ſynodis Gallicanis & in ſcriptoribus mediæ ætatis, donec, ut præmonui, epiſtolæ pontificiæ publicatæ ſunt, quas complectitur Iſidori collectio. Etenim ex eo, quod earum ſcriptor uſus eſt implicata oratione, quæ de Primatibus & Patriarchis verba facit, in alium ſenſum detortæ ſunt; indeque tandem occaſio nata eſt novorum in Occidente Primatum inſtituendorum. Eamque in rem valde contulerunt Hadriani capitula ad Angilramnum, relata in librum ſeptimum Capitularium, ubi Concilii Africani verba de Primatibus cujuſque provinciæ ſeu primæ ſedis Epiſcopis ita accipiuntur, ac ſi aliqui e Metropolitanis eſſent Primates, eaque ratione a cæteris Metropolitanis differrent. Unde ſic collegerunt, Primates non ſolum eoſdem eſſe cum Patriarchis, ut docuerant Clemens, Anacletus & Anicetus, ſed etiam cum Metropolitanis confundi, ut docebant alia loca. Itaque duo genera Primatum conſtituerunt, ſummos ſcilicet Patriarchas, & Primates ſeu Patriarchas quoſdam ſecundi generis,

Occaſio novorum Primatum conſtituendorum.

ris, inferiores summis Patriarchis, & superiores vulgaribus Metropolitanis.

Tria genera Primatum apud Hincmarum.

XXIV. Hincmarus, vir emunctæ naris, quamvis pondere hujus novæ auctoritatis oppressus hac in re paululum caligaverit, attamen aliquo pacto veteres canones retinere voluit. Primates ergo trium generum facit, primos, qui sunt Metropolitani suæ provinciæ; secundos, qui Metropolitanis aliquot præsint; tertios, summarum sedium Episcopos, qui soli Patriarchæ dicuntur: *Quidam*, inquit, *Archiepiscopi, vel Metropolitani, Primates Provinciarum multoties in sacris canonibus inveniuntur, illi videlicet, qui in loco defunctorum Archiepiscoporum ab Episcopis unius cujusque provinciæ sine interrogatione alterius Primatis prævalent ordinari, & ex antiquæ consuetudinis lege a sede apostolica Pallii solent genio insigniri, & in loco decedentium Episcoporum sine consultu vel licentia Primatis alterius in sua provincia quique possunt Episcopos ordinare.* Hæc sunt Hincmari verba epistola VI. cap. V. editionis Moguntinæ, & cap. XVII. Opusculi; qui canones Africanos adducit, Nicænos quoque, & Sardicenses, atque decreta Innocentii, Leonis & Hilari pro Metropolitanorum auctoritate. Unde sic colligit: *Quibus & aliis sacrorum canonum & decretorum sedis Romanæ claret sententiis, eosdem Metropolitanos Primates esse singulos singularum provinciarum, qui ex antiqua, ut præmisimus, consuetudine & Apostolica traditione secundum sacros Nicænos canones & convocare synodos & ordinare Episcopos & ordinari a provincialibus coepiscopis sine cujusquam alterius Primatis interrogatione possunt, & disponere regulariter quæque per suas provincias queunt.* Subdit: *Illi autem Archi-Episcopi vel Metropolitani, qui hæc sine consultu Primatis non possunt exequi, Archiepiscopi tantum vel Metropolitani habentur, sicut & in gestis Chalcedonensis Concilii & in ejusdem synodi canonibus, & decretis Innocentii & in epistola Leonis ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum invenimus.* Itaque Hincmaro omnes Metropolitani non sunt Primates. Exempli causa, qui subditi sunt Patriarchæ Antiocheno, quia nec Episcopos provinciæ suæ ordinant, nec ipsi ordinantur absque mandato Episcopi Antiocheni, ut docuit Innocentius. Atque idem usurpatum est in Ægypto. Quin & Constantinopolitanus Episcopus Metropolitanos omnes trium Diœceseon sibi subditarum ordinabat. Quare ex regula Hincmari nulli dicendi erunt Primates in Oriente præter quatuor Patriarchas. In Occidente autem, si recte numerus ineatur, nulli ipsius seculo erant Primates, ex regula, quam posuit, præter aliquos Metropolitanos Gallicanos & Hispanicos, quibus ille dignitatem Primatum tribuit, etsi nullis sibi subditis Metropolitanis præessent. Tamen ex sententia veterum, quos initio adduxi, omnes Metropolitani dicuntur Primates; quia primam sedem obtinent, & jus primæ sententiæ habent in sua provincia. Quare aliunde hanc interpretationem Hincmarus commentus est, ut Primates, quos ex canonibus Metropolitanos esse sciebat, a ceteris quibusdam Metropolitanis distingueret, quo satisfaceret capitulo Hadriani in libros Capitularium conjecto & canoni nono Concilii Chalcedonensis. Ex eo nempe canone collegit secundi generis Primates, qui Metropolitanis scil. præessent, exemplo Episcopi Thessalonicensis allato, qui provincias Illyricianas regebat. *Quos Metropolitanos*, inquit, *contra suos primates se elevasse in gestis Chalcedonensis synodi reperimus; quosque eadem synodus juste redarguit & auctoritate repressit.* Adjungit vero hæc de Primatibus tertii generis: *Patriarchas quoque vel Primates, qui duobus his nominibus in unius prioratus funguntur officio, non solum adversus tertiam & secundam sedem, verum & contra primam & apostolicam sedem legimus extulisse, adeo ut Constantinopolitanus Episcopus &c.*

Metropolitani qui ordinantur a suis synodis sine alterius consensu.

Metropolitani non vero Primates, dicuntur, quorum ordinatio ab alio pendet. Expenditur Hincmari opinio de Metropolitanis.

Secundum genus Primatum, qui præsunt Metropolitanis.

Tertium Patriarchiæ.

XXV. Quæret aliquis, an nullos ejusce generis Metropolitanos vel Archiepiscopos agnoverit antiquæ Ecclesiæ disciplina, qui ab aliquo Episcopo penderent, & aliis Metropolitanis in synodis & judiciis præferrentur. In Oriente quidem, præter Episcopos Alexandrinum & Antiochenum, erant alii tres Exarchi Diœceseon, scilicet Ephesinus Asianæ Diœcesis, Cæsareensis Ponticæ, Heracleensis Thracicæ præfecti, qui Metropolitanos sibi subditos plerumque ordinabant, & synodos diœcesanas indicebant; sed ipsi a nullo Patriarcha pendebant in administratione Diœceseon, & pari fere jure fruebantur in suis Diœcesibus, quo Alexandrinus & Antiochenus, qui potiores erant tantum dignitate, donec tres illi Exarchi subditi sunt sedi Constantinopolitanæ; ut alibi opportunius ostendam. Id tantum hic monebo, hos Episcopos, qui principem locum in Diœcesibus & regionibus suis obtinebant, olim a Græcis Archiepiscopos dictos, quo titulo dignitatis soli Patriarchæ ornabantur. Inde Memnon Ephesinus Archiepiscopus dicitur in Concilio Ephesino primo, actione quinta; eodemque nomine Thalassius Cæsareæ Episcopus & Stephanus Ephesi insigniuntur a Theodosio Imperatore in literis, quibus Concilium Ephesinum secundum indixit. Sed translata eorum potestate in Episcopum Constantinopolitanum *canone XXVIII.* synodi Chalcedonensis, solum illis Exarchorum nomen relictum est, & consessus prærogativa in synodis œcumenicis.

Disputatur, an vetus Ecclesia agnoverit secundi generis Primates.

Exarchi Diœceseon Asianæ, Ponticæ & Tracicæ, olim similes Patriarchis.

Archiepiscopi olim dicti.

XXVI. Propius ad Primates, de quibus disputamus, accederent Episcopi, qui Babylonicis provinciis & Præsidiis præerant in Oriente, (qui quidem Archiepiscopi dicti sunt & Catholici) si ab iis provocare licuisset ad Patriarchas. Illi enim & Metropolitanos quamplurimos sub se constitutos ordinabant olim, & a Patriarcha Antiocheno ordinationem suscipiebant, ut fit etiam hodie. Eorum meminit Petrus Antiochenus in epistola ad Dominicum Gradensem superius laudata; in qua promit exemplum Archiepiscoporum orientalium, quibus Patriarchæ appellatio communicata non erat, licet aliquot Metropolitanos sibi subditos haberent. Ἀναλόγισαι γὰρ (inquit Dominicum alloquens) ὅσον μείζων κατὰ σε χώρας ἡ Βουλγαρία· ὅσον δὲ ταύτης πάλιν Βαβυλὼν ἡ μεγάλη, καὶ Ρωμάγυρις, ἤτοι Χορασὰν καὶ αἱ λοιπαὶ τῆς ὅλης ἀνατολῆς ἐπαρχίαι. Ἐν αἷς ἀρχιεπίσκοποι παρ' ἡμῶν πέμπονται, καὶ καθολικοὶ, χειροτονοῦντες ἐν ἐκείνοις τοῖς μέρεσι μητροπολίτας. ἔχοντας ἐπ' αὐτοῖς ἐπισκόπους πολλούς. Ἀλλ' οὐδεὶς ἐξ αὐτῶν πατριάρχης οὐκ ἐκλήθη πότε. *Considera enim, Bulgaria, quanto major sit tua provincia, illa vero quam longius pateat Babylon & Romagyris sive Chorasan, & ceteræ reliqui Orientis provinciæ, in quas Archiepiscopi a nobis mittuntur, & Catholici, qui Metropolitas in partibus illis ordinant; hi vero plures habent Episcopos sibi subditos; sed nullus eorum unquam Patriarcha dictus est.* Ceterum Catholici nuncupati sunt ad significandam eorum auctoritatem, quæ non una provincia coercita erat, sed per plures provincias porrigebatur, quarum universitati hi Archiepiscopi præerant. Hanc nominis istius nomenclaturam insinuant Procopius libro secundo de bello Persico, ubi ait, Christianos in Perside degentes Episcopum, quem colunt, Catholicum vocare; quoniam, unius cum sit, universis tamen regionibus illis præsit: Τόν τε Χριστιανῶν ἱερέα καθολικὸν καλοῦσι τῇ Ἑλλήνων φωνῇ, ὅτι δὴ ἐφέστηκεν εἷς ὢν ἅπασι τοῖς ταύτῃ χωρίοις. Unius ergo Episcopi solicitudini commissæ sunt ab initio barbararum in Oriente nationum provinciæ; quemadmodum totius Scythiæ unus tantum erat Tomorum Episcopus, teste Sozomeno lib. VI. cap. XX. Postquam vero Christianæ religionis professionem gentes illæ in variis & dissitis tractibus amplexæ sunt, necessaria fuit plurium Episcoporum & Metropolitarum constitutio, reservato Archiepiscopi & Catholici nomine ei, qui ceteros omnes regebat.

De Archiepiscopis Babylonicis & Persidis.

De iis Petrus Antiochenus in epistola M. S.

Catholici dicti.

Seleu-

Archiepiscopus Seleuciæ.

Seleuciæ primum sedem suam fixit Archiepiscopus seu Catholicus Orientis; ut discimus ex Sozomeno lib. II. cap. VIII. apud quem Symeon fuisse dicitur Archiepiscopus Seleuciæ & Ctesiphontis regiarum urbium in Perside: Ἀρχιεπίσκοπος Σελευκίας καὶ Κτησιφῶντος τῶν ἐν Πέρσιδι βασιλευουσῶν πόλεων. Unde Joannes Episcopus Persidis in synodo Nicæna Catholici Seleuciæ meminit quoque *canon. XXXIV. & XXXV. Collectionis Arabicæ ab Alphonso Pisano & a Turriano publicatæ, eique Metropolitanorum sibi subditorum ordinationem a sede Antiochena de consensu Antiocheni Episcopi distractam* tribuit, sextumque locum in synodis Græciæ, scilicet post Patriarcham Hierosolymitanum, quia vices gerit sui Patriarchæ. Sed eversa Seleucia, a Babylone, quo se contulit, Babylonius dictus est; alterque in Chorasan sive Romagyri constitutus est, ut discimus ex loco laudato Petri Antiocheni. Quæ appellatio & divisio retinebatur abhinc annis trecentis, teste Jacobo de Vitriaco historiæ orientalis cap. XXIII. Hujus Catholici Babyloniæ meminit Petrus Venetus lib. I. itinerarii cap. VI.

Qui & Catholicus.

Tandem Babylonius dictus.

De Catholico Armeniæ.

XXVII. Alius erat Catholicus Armeniæ, quem ex Gregorii Armeniæ Episcopi decreto ab alio ordinari nefas erat, quam ab Episcopo Cæsareensi Ponticæ Diœceseos Exarcho, juxta Niconis testimonium, qui anno DCCCCLXI. florebat. Gregorius ille a Nicone laudatus Armeniæ datus est Episcopus a Leontio Cæsareæ Episcopo, sub tempora Synodi Nicænæ, ut gentem illam in fide Christiana erudiret. Utraque Armenia prima & secunda Ponticæ Diœcesi in laterculo imperii accensebatur. Unde in promptu fuit Leontio Diœceseos Exarcho Armenis, Armeniam majorem scilicet incolentibus, recens ad fidem conversis Episcopum præficere; utpote cujus curæ barbaræ quoque regiones Armeniæ parvæ finitimæ commissæ essent. Propagata per eos tractus religione Christiana, iis præfuit Catholicus Armeniæ; cujus ordinatio, quæ veteri Jure Cæsareæ Episcopo competebat, translata est in Patriarcham Constantinopolitanum, ea parte *canonis XXVIII.* qua cavetur, ut, qui sunt *in Barbarico* Episcopi, Ponticæ, Asianæ & Thracicæ Diœceseon, ordinentur a Constantinopolitano Episcopo. Tandem vero schismate conflato, ab Ecclesiæ Constantinopolitanæ communione discessit Catholicus Armeniæ. Hæc est Armenia, quæ dicitur quarta in veteri notitia Græca episcopatuum, descripta temporibus Photii, cujus hæc sunt verba: Χρὴ εἰδέναι, ὅτι αὐτὴ αὐτοκέφαλός ἐστι, μὴ τελοῦσα ὑπὸ ἀποστολικὸν θρόνον, ἀλλὰ τιμηθεῖσα διὰ τὸν ἅγιον Γρηγόριον Ἀρμενίας, ἔχουσα πόλεις καὶ κάστρα σ΄. *Scire oportet hanc provinciam esse sui juris minimeque subditam apostolicæ sedi, Constantinopolitanæ scilicet, sed honorari tamen intuitu sancti Gregorii Armeniæ Episcopi, & præesse ducentis urbibus & castris.* Accessit Romam ad Eugenium III. circiter annum MCXLV. Armeniæ Archiepiscopus, teste Ottone Frisingensi *lib. VII. cap. XXII.* qui ait, eum Catholicum dici, milleque Episcopis & amplius præfectum esse. Norsesim Armeniæ Catholicum Theorianus in legatione a se conventum testatur circiter annum millesimum centesimum septuagesimum.

Ordinatus a Cæsareæ Episcopo.

Ei commissa est Armenia major.

Quæ quarta dicta.

Æthiopiæ Archiepiscopus.

XXVIII. Alexandrino Patriarchæ suberat Æthiopiæ Archiepiscopus; qui & Catholici dignitate atque nomine fruebatur, & ab Alexandrino Episcopo ordinabatur, quemadmodum docet canon XXXVI. collectionis Arabicæ; ubi annotatur, non fuisse illi liberum Metropolitas in Æthiopiæ provinciis constituere. Quare ad hoc usque seculum Abuna Pontifex Abyssinorum ab Episcopo Alexandriæ ordinatur; nullique sunt in Æthiopia Metropolitæ; sed tantum Episcopi. Ab aliquot annis, derelicta sede Alexandrina, Romanam colunt Æthiopes; etsi aliqua supersint in vastis illis tractibus schismatis antiqui semina.

Tractatio instituitur de Archiepiscopis Thessalonicæ & Justinianæ in Occidente.

XXIX. In occidentali Ecclesia Archiepiscopi Thessalonicenses & Justinianæ primæ, positi in Illyriciana Diœcesi, ex beneficio Romanorum Pontificum id assecuti sunt, ut Metropolitanos suarum Diœceseon regerent, & vice apostolica judicia, synodos, & ordinationes administrarent; ita tamen, ut ipsi quoque subjacerent Romanis Pontificibus.

De administratione Illyrici.

XXX. Quod ut liquidius intelligatur, paucis agendum est de civili & ecclesiastica administratione, quæ viguit olim in Illyrico. Ejus forma varie ab antiquis Principibus composita est laxatis eorum arbitrio vel restrictis provinciarum finibus; donec ex Constantini decreto quatuor præfecturæ institutæ sunt, scilicet Galliarum, Illyrici, Italiæ & Orientis. Tunc præfectura Illyrici compacta est ex Pannoniis, utroque Norico, Dalmatia, Daciis, Mœsia, Dardania, Macedonia, Achaja, Thessalia, utraque Epiro, & Creta, teste Zosimo, qui solus corporis hujus membra distinxit. Sirmium autem, Pannoniæ secundæ civitas, Illyrici caput; ut ait diserte Anemius civitatis illius Episcopus in synodo Aquilejensi anno CCCLXXXI. *Caput Illyrici non nisi civitas Sirmiensis.* Unde matrem urbium eam vocat Ammianus, ibique Principum Romanorum regiam seu palatium fuisse, docet lib. XXI. & XXVI. & Zosimus lib. IV. Hic quoque erat præfecturæ Illyricianæ sedes; ut colligere licet ex eodem Ammiano lib. XV. quod etiam Justinianus annotavit *Novella XI. Antiquis temporibus Sirmii præfectura constituta; ibique omne fuerat Illyrici fastigium, tam in civilibus, quam in episcopalibus causis.*

Ejus præfecturæ.

Vide Sextum Rufum in Breviario.

Sirmium Illyrici caput.

Divisio Illyrici in orientale & occidentale.

XXXI. Deinde sectum est in duas partes Illyricum; ita ut Diœcesis Macedoniæ, quæ Macedonias primam & secundam, Thessaliam, Achajam, & utramque Epirum complectebatur, & Diœcesis Daciæ, adjunctæ sint Orientis imperio, sub dispositione Præfecti prætorio Illyrici, cujus sedes constituta est Thessalonicæ, Pannoniæ, utrumque Noricum, & ceteræ provinciæ retentæ sunt in Occidentis imperio, sub Præfecto prætorio Italiæ & Vicario Sirmii.

Illyricum pars Occidentis.

XXXII. Disputatur ab eruditis viris de tempore hujus divisionis, quod ex historicis hujus seculi nobis eruendum est. Diviso inter filios Constantini orbe Romano, solidum Illyricum absque ulla sectione cessit Occidentis imperio, quod Constantinus & Constans obtinuerunt; relicto penes Constantium Oriente, ut notavit Zosimus libro secundo. Eandem formam secutus est Valentinianus senior, quemadmodum testatur idem auctor libro quarto, ubi de Valentiniano & de Valentis nuncupatione facta anno CCCLXIV. agit his verbis: Ἐδόκει τῷ Οὐαλεντινιανῷ διελομένῳ πρὸς τὸν ἀδελφὸν τὴν ἀρχὴν ἐπιτρέψαι μετ' αὐτῷ τὴν ἑῴαν, ἄχρις Αἰγύπτου καὶ Βιθυνίας, καὶ Θράκης. Λαβόντα δὲ τὰς ἐν Ἰλλυριοῖς πόλεις αὐτὸν, εἰς τὸν ὑπὲρ τὰς Ἄλπεις ἐθνῶν, Ἰβηρίας τε, καὶ τῆς Βρετανικῆς νήσου, καὶ Λιβύης ἁπάσης. *Valentiniano partienti imperium cum fratre visum est Orientem illi committere, ipsamque Ægyptum, Bithyniam & Thraciam. Ipse vero civitates Illyrici penes se recepit, atque Italiam, in quam se contulit, tum gentes quæ sunt ultra Alpes, Hispanias, Britannicam insulam, & universam Africam.* Eandem divisionem referunt Sozomenus *libro IV. cap. VI.* Theodoretus *lib. IV. cap. IV.* Ammianus quoque ostendit egregie *libro trigesimo*, totum Illyricum Valentiniano paruisse. Etenim advenienti in eos tractus huic Principi docet Epirotas, exemplo ceterorum provincialium legatione missa, Probum pro bene gesta præfecturæ Illyrici administratione commendare conatos, Iphiciem vero Philosophum unum ex legatis interrogatum a Principe, an ex animo bene sentirent de præfecto, constanti responsione officium legationis corrupisse: Gementes, inquit, & inviti. Hinc patet apertissime, Epirum ea tempestate Imperio Occidentali subditam. Hæc sunt Ammiani verba:

Sub Constantii liberis & Valentiniano.

verba: *Ad provincialium residuorum exemplum etiam Epirotas acturos sibi gratias a Præfecto mittere compulsi legatos, &c.* Eidem Probo Illyrici Præfecto & Occidentis Imperio subjectam fuisse Diœcesim Macedonicam anno CCCLXVIII. testatur *lex septima Codicis Theodosiani de metallis.*

Et sub Gratiano.

XXXIII. Post obitum Valentiniani (qui accidit anno CCCLXXV.) Gratianus licet a patre Augustus appellatus, injuriam imminuti a proceribus suis Imperii passus est, qui Valentiniano II. ejus fratri vix quinquenni Italiam, Illyricum & Africam tribuerunt; relictis Gratiano Gallia, Hispania & Britannia, teste Zosimo libro quarto. Deleto a Gothis in Thracia Valentis exercitu, ipsoque Principe in tugurio ab hostibus igne consumpto, anno CCCLXXVIII. vastatum est a barbaris luctuosissima clade Illyricum; donec Theodosius dux a Gratiano in eas provincias missus cum lectissimis copiis, injuriam reipublicæ ultus est, & paulo post Sirmii a Principe ad Imperium Orientis adscitus. Nempe credidit illi Gratianus eam Imperii partem, quam Valens rexerat, ut diserte scripsit Theodoretus *libro quinto cap. VI.* Τῆς Βάλεντος μοίρας τὰ σκῆπτρα παρέδωκε. Idem confirmavit Zosimus, qui Theodosium Orientis & Thraciæ rebus, non autem Illyrici, a Gratiano præfectum, docet lib. IV. ἐπιστήσας τοῖς κατὰ Θρᾴκην αὐτὸν, καὶ τὴν ἕω πράγμασι. Inde est, quod Probus Valentiniani II. beneficio præfectura Italiæ, Africæ, & omnis Illyrici potiebatur anno CCCLXXXIII. ut colligitur *ex lege septima Codicis Theodosiani, Si per obrept. rescr. fuer. impetr.*

Theodosio concessum Orientis Imperium absque Illyrico.

Hallucinatio Sozomeni.

Quare Sozomeni hallucinatio excusari non potest, qui commissum Theodosio Illyricum & Orientem scripsit lib. VII. cap. IV. Ἰλλυριοῖς καὶ τὰ πρὸς ἥλιον ἀνίσχοντα τῆς ἀρχῆς Θεοδοσίῳ ἐπιτρέψας.

Illyricum Occidenti paruit sub Valentiniano II.

XXXIV. Post necem Gratiani a Maximo tyranno cæsi anno CCCLXXXIII. Valentinianus II. eundem Maximum in Societatem Imperii adscivit; & statim, ut caput suum tueretur ab insidiis tyranni, qui contra fœderis leges Italiam cum copiis ingressus erat, ex Aquileja in ultimos regni fines, nempe Thessalonicam, navigio aufugit cum Justina matre anno trecentesimo octuagesimo octavo, teste Zosimo. Quod retulit Socrates ad consilium Probi Præfecti, quem ab Italia discedentem ad Illyricum se contulisse scribit & constitisse Thessalonicæ: Ἀναχωρεῖ τῆς Ἰταλίας, καὶ ἐπὶ τὴν Ἰλλυρίδα γενόμενος γῆν, ἐν Θεσσαλονίκῃ τῆς Μακεδονίας διέτριβε. Hic vero dissimulari non debet lapsus Theodoreti lib. V. cap. XV. qui forma imperii Orientalis, quæ sua ætate (id est, anno CDL.) vigebat, inspecta, putavit Valentinianum secundum in ditionem Theodosii, regno suo derelicto, οἰκείαν καταλελοιπότα βασιλείαν, se recepisse; cum tamen, ut monui & testimoniis certissimis atque adeo ipsius Theodoreti probavi, solidum Illyricum & Thessalonica civitas tunc temporis pars esset occidentalis Imperii.

Socrates lib. 5. cap. 11.

Theodoreti lapsus.

Valentinianus II. retinet Illyricum post necem Maximi.

XXXV. Eodem anno CCCLXXXVIII. Theodosius expeditionem in Maximum suscepit, & ab eo devicto meritas pœnas ob Gratiani cædem sumpsit; compositisque rebus, Valentinianum secundum integro Occidentis Imperio præfecit; relictis illi provinciarum iis tractibus, quos pater illius Valentinianus senior possederat, id est, Gallia, Britannia, Hispania, Africa, & solido Illyrico, usque ad Thraciam. Poterat Illyrici partem sumptuum, quos in bellum impenderat, sarciendorum prætextu, ab Occidente decerpere, sed maluit beneficii accepti memoria quam imperii amplificatione famam suam augere. Hanc observationem debemus Zosimo lib. IV. Τὴν μὲν οὖν βασιλείαν πᾶσαν Οὐαλεντινιανῷ παρέδωκεν, ὅσην ἔτυχεν ἔχων ὁ τούτου πατήρ; καὶ τοῦτο περὶ τοὺς εὐεργέτας καθῆκον ἔδοξεν εἶναι.

Post obitum Theodosii senioris sectum Illyricum in duas partes arbitrio Theodosii

XXXVI. Deinde Valentiniano secundo per summum Arbogastis scelus Viennæ intra Gallias strangulato anno trecentesimo nonagesimo secundo, Theodosius iterum ultor regii sanguinis in Occidentem penetravit: sublatoque Eugenio tyranno, ipse quoque Mediolani obiit, collato Occidentis in Honorium filium imperio, & in Arcadium Orientis, anno trecentesimo nonagesimo quinto. Tunc Illyrici sectio in duas partes (designatas numero XXXI.) quam Notitia Imperii exhibet, inducta est, ex Theodosii arbitrio, aut ex Arcadii usurpatione. Variant enim in hoc capite veteres historici. Major apud me fides Zosimi, cujus sunt hæc verba: Ὁ δὲ βασιλεὺς Θεοδόσιος τὰ κατὰ τὴν Ἰταλίαν ἔθνη, καὶ Ἴβηρας, καὶ Κελτοὺς, καὶ προσέταγε Λιβύην ἅπασαν, Ὀνωρίῳ τῷ παιδὶ παραδούς. *Theodosius Imperator gentes Italiæ adjunctas, Hispanos, Gallos atque omnem Africam Honorio filio tradidit.* Illyrici præfecturam omisit, quia transscripta erat in Arcadium. Attamen retentas ex Illyrico gentes, quæ finitimæ erant Italiæ, ipsamque Italiam, his verbis designavit, τὰ κατὰ τὴν Ἰταλίαν ἔθνη. E contrario Olympiodorus, apud Photium in Bibliotheca, Illyricum solidum ex testamento patris Honorio adscribit; cujus vindicandi causa Alaricum Gothorum Phylarchum a Stilicone accersitum testatur. Στελίχων μετεκαλέσατο ἐπὶ τὸ φυλάξαι Ὀνωρίῳ τὸ Ἰλλυρικὸν τῇ γὰρ αὐτοῦ ἦν παρὰ Θεοδοσίου τοῦ πατρὸς ἐκνεμημένον βασιλείᾳ. *Stilico evocavit* Alaricum, *ut Honorio Illyricum assereret, ipsius enim imperio a Theodosio patre tributum fuerat.* Consentit quidem Zosimus, evocatum a Stilicone Alaricum, ut ejus ope omnes Illyrici civitates Arcadio ademptas Honorii imperio adjungeret, παρασπάσασθαι μετ' αὐτὰς Ἀρκαδίου, προσποιήσασθαι δὲ τῇ Ὀνωρίου βασιλείᾳ; quemadmodum Stilico ipse senatui Romano persuasit, qui copias Alarici post vastatam Macedoniam, Thessaliam & Achajam in Epiro morantis Italiæ infestas suspicabatur. Sed in ea oratione supremum Theodosii judicium non allegat. Id tantum præ se ferre videtur, antiquos Imperii occidentalis fines non esse movendos, & restitutionem Illyrici procurandam. Clades autem Romanæ urbis, cædes Stiliconis, & Germanorum nationum in Gallias & Hispanias irruptio, animum Honorii ab Illyrico repetendo averterunt; quod Imperatoribus Orientis ex prædicto anno CCCXCV. absque ulla interpellatione paruit. Itaque statim ab obitu Theodosii Rufinus, qui aulæ orientali præerat, Antiochum Achajæ Proconsulem creavit, ἀνθύπατον καθίστησι τῆς Ἑλλάδος, apud Zosimum libro quarto. Continuata est hæc potestas in reliquos Arcadii annos, & duravit temporibus Theodosii II. ejus filii. Quod demonstrant duæ constitutiones ab eo Principe latæ de rebus Illyrici, & de Provinciis Macedoniæ & Achajæ, scilicet anno CDXXI. & CDXXIV. *l. Omni innovatione, Cod. de sacrosanct. Eccles. & l. 33. Codicis Theodosiani de annon. & tribut.*

inter Filios Arcadium & Honorium.

vel Arcadii usurpatione.

Bellum inter fratres ob Illyricum orientale.

Quod remansit penes Imperatores Orientis.

Præfectura Illyrici orientalis.

XXXVII. Illyricum illud orientale administratum est a Præfectis prætorio Illyrici, ut docet Notitia Imperii; ad quos pleræque constitutiones & rescripta Principum data reperiuntur in Codice Theodosiano & Justinianeo. Hujus Præfecturæ sedes constituta fuit Thessalonicæ; quemadmodum docet Theodoretus *lib. IV. cap. XVII.* dum commendat illam urbem, occasione sumpta famosæ illius & lugendæ Thessalonicensium cædis a Theodosio imperatæ, ob quam ab Ambrosio Mediolanensi Episcopo Princeps ad pœnitentiam adactus, Ecclesiæ ingressu prohibitus est. Fraudi fuit hic locus eruditis viris, qui Theodoreti verba de præfecturæ sede a Theodosii Magni tempore trahunt; cum tamen is auctor de sui temporis statu aperte loquatur, id est, anni CDL. quo Thessalonica præfectoriana dignitate potiebatur: Θεσσαλονίκη πόλις ἐστὶ μεγίστη, καὶ πολυάνθρωπος, εἰς μετὰ τὸ Μακεδόνων ἔθνος τελοῦσα ἡγεμὼν δὲ καὶ Θετταλίας καὶ Ἀχαΐας, καὶ μέντοι καὶ ἄλλων παμπόλλων ἐθνῶν, ὅσα τῶν Ἰλλυριῶν τὸν ὕπαρχον ἡγούμενον ἔχει.

Ejus sedes Thessalonicæ.

Theodoretus explicatus.

XXXVIII. Mutilato Illyrico præfuit etiam in Occidente Præfectus prætorio Italiæ; & Vicarius degens Sirmii, per illos tractus vice sacra judicabat.

Valentinianus III. cessit Illyricum occidentale Theodosio II.

bat. Tandem Valentinianus III. ducta uxore Eudoxia Theodosii II. filia, Illyricum occidentale, quod ægre a barbarorum insultibus tuebatur, in socerum suum transcripsit anno quadringentesimo trigesimo septimo; exceptis saltem a donatione Norico, Dalmatia & Valeria, finitimis Italiæ provinciis. Jornandes solus meminit hujus donationis: *Valentinianus, data pro munere socero suo tota Illyria, celebratis nuptiis ad regna sua cum uxore recessit*. Sed paulo post secutum est Sirmii excidium, quod anno CDXLII. Attila Rex Hunnorum longa obsidione cinxit, spretaque ad se missa a Theodosio legatione vastavit, ut docet Priscus in excerptis. Plane Sirmii curam gerebat Theodosius ut sui. Alioqui legatio mitti debuit a Valentiniano III. Tunc accidit, quod Justinianus observat *Novella XI.* nempe Apennium Præfectum Prætorio Illyrici, sive is Vicarius fuerit, e Sirmio Thessalonicam profugisse, eoque tunc commigrasse dignitatem præfecturæ: *Postea autem*, inquit, *Attilanis temporibus, eisdem locis devastatis, Apennius Præfectus prætorio de Sirmitana civitate Thessalonicam profugus venerat. Hunc & ipsam præfecturam & sacerdotalis honor secutus est, & Thessalonicensis Episcopus, non sua auctoritate, sed sub umbra præfecturæ, meruit aliquam prærogativam*. Quod tamen caute accipiendum, scilicet de Vicarii jurisdictione in Pannonias, quæ posthac Thessalonicæ exercenda erat, non autem Sirmii, unde amplificata est urbis & Ecclesiæ Thessalonicensis dignitas. Ceterum si generaliter de præfectura Illyrici verba Novellæ accipiamus, ac si tunc primum in ea civitate sedem fixerit, Tribonianus liberari non potest a vitio ἀνιστορησίας; cum retro ab annis quinquaginta præfectura Illyrici orientalis Thessalonicæ constituta esset, ut antea docui.

Sirmii Excidium.

Explicata Novella XI. Justiniani.

Præfectura Illyrici occidentalis translata Thessalonicam.

De Ecclesia Thessalonicæ.

XXXIX. Quod autem attinet ad Ecclesiam Thessalonicensem, certum est, ut docet Tribonianus, dignitatis ejus augendæ consilium & originem ex sede præfecturæ processisse. Illi enim prærogativæ civilis jurisdictionis Romani Pontifices ecclesiasticam quoque rescriptis suis adjunxerunt. Thessalonicensem civitatem commendat Concilium Sardicense canone vigesimo; quæ quidem metropolis erat Macedoniæ, ex Strabone, unde Thessalonicensis Episcopi dignitas & auctoritas in Macedoniam. Ceterum judiciorum ecclesiasticorum ab Episcopo Thessalonicensi ejusque synodo Macedonia redditorum retractationes, quemadmodum & ceteræ majores causæ, Romæ coram summo Pontifice peragebantur; etiam post Illyrici orientalis adjunctionem factam Imperio orientali. Quod aperte docent duæ Innocentii primi epistolæ circiter annum CDXV. datæ ad Rufum Thessalonicensem Episcopum & cæteros Macedones Episcopos, quæ relatæ sunt in corpus Canonum ex collectione Dionysii Exigui. Earum una Bubalii & Tauriani negotium Romæ disceptatum fuisse post primam cognitionem in Macedonia habitam ostendit, legationeque duorum Episcoporum Maximiani & Eumenii conventum Innocentium, ut, omissa retractatione judicii, perditos homines repelleret. Sane retractationem seu instaurati judicii cognitionem asseruit sedi apostolicæ: sed sceleftos illos auctoritate quoque sua repressit. Altera epistola consultationi Macedonum Episcoporum de quatuor disciplinæ capitibus luculentissimæ respondet. Præterea vero Photinum Macedoniæ Episcopum a decessoribus suis Romanis Pontificibus damnatum in integrum restituit, venia illi concessa postulationis Episcoporum intuitu. Sed ut eos voti compotes fecit in causa Photini, ita petitionem eorum repulit de Eustathio Diacono a gradu ministerii repellendo.

Metropolitana Macedoniæ.

Judicia Synodi Macedonicæ retractata Romæ post divisionem Illyrici.

XL. Videtur hic agendi modus displicuisse Theodosio II. secum forte reputanti ad injuriam suam aliquo pacto pertinere, quod causæ ortæ in Orientis Imperio ad Occidentis Imperium judicandæ traherentur contra veterem consuetudinem, quæ orientales Episcopos synodis orientalibus committebat. De qua synodus Aquilejensis, & pseudosynodi Sardicensis epistola. Eoque præsertim quod synodus Sardicensis eum modum in retractationibus judiciorum præscripsisset, ut si Pontifex Romanus restaurandam cognitionem duceret, id fieret intra provinciam, delegata sedis apostolicæ vice alicui e latere suo. Iraque constitutione lata anno CDXXI. jussit Theodosius, ut, si quid dubii emergeret per Illyrici provincias in quæstionum canonicarum examine, id non a singulis Episcopis vel a synodis provincialibus, sed a conventu sacerdotali totius Diœceseos Illyricianæ discuteretur; ita tamen, ut de tota controversia referretur ad Episcopum Constantinopolitanum, qui Romæ veteris prærogativa fruitur. De hujus legis sententia egi *lib. III. cap. II. de concordia Sacerdotii & Imperii*. Id unum adjiciendum, quod ad rem istam pertinet, nempe Theodosio visum satis caveri juribus Romanæ sedis, quod relatio fieret Episcopo Constantinopolitano vice Romani Episcopi, cujus prærogativa cum illo communicata erat a synodo secunda œcumenica. Sed constitutionem suam probare non potuit Romano Pontifici, cujus auctoritate destituta nullas vires habuit; adeo ut in illo synodi Chalcedonensis ambitioso canone vigesimo octavo, quo amplificata est Constantinopolitanæ sedis dignitas, nullum jus collatum illi fuerit in provincias Illyrici.

Theodosius II. Illyrici orientalis quæstiones canonicas referri jubet ad Constantinopolitanam sedem.

Frustra.

XLI. Alio vero modo Theodosii desiderio satisfecit Episcopus Romanus, forte Bonifacius, quo & jura sedis Apostolicæ & prærogativam Imperii orientalis tuitus est, juxta formam a Canonibus præscriptam. Vices enim suas mandavit Episcopo Thessalonicensi per universum Illyricum orientale; ita ut quod in singulis causis agere poterat, nempe Judices dando, & vicarium delegando, id unico generali mandato comprehenderet. Hac ratione etiamnum in Gallia Archiepiscopi & Episcopi ex constitutionum regiarum præscripto Vicarios instituunt intra fines curiarum supremarum, quando contingit sedes episcopales constitutas esse in alterius curiæ territorio. Porro mandati prædicti mentio aperta in epistola Leonis I. ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum, cui vices suas exemplo majorum se indulsisse profitetur: *Sicut præcessores mei præcessoribus tuis, ita etiam ego dilectioni tuæ, priorum secutus exemplum, vices mei moderaminis delegavi; ut curam, quam universis Ecclesiis principaliter ex divina institutione debemus, imitator nostræ mansuetudinis adjuvares, & longinquis a nobis provinciis præsentiam quodam modo nostræ visitationis impenderes*. Majores illi, quorum Leo meminit, sunt posteriores Innocentio, sub quo Rufus solam Macedonicam provinciam regebat jure metropolitico. Ex mandato autem pontificio Episcopus Thessalonicensis totius Illyrici orientalis solicitudinem suscepit; ut patet ex Leonis epistola, qui Anastasium acerbe objurgat, quod adita Illyrici præfectura, & officiorum publicorum terribili executione missa, Atticum veteris Epiri Metropolitam sæviente hieme coram se exhiberi jussisset, nullo vel falso crimine insimulatum. Epirus est una e provinciis Illyrici; in cujus Ecclesiis vicario nomine Anastasium egisse, Leo diserte observat, seque eas illi commendavisse.

Privilegia apostolicæ sedis finiuntur intra fines imperii orientalis.

Mandata jurisdictione Episcopo Thessalonicensi.

Cui paruit Illyricum orientale.

XLII. Inter mandatorum capita primum est, ut in illis provinciis Thessalonicensis episcopatus fastigium præemineat. Secundum, ut de persona consecrandi Episcopi Metropolitani cujusque provinciæ, de Metropolitani autem electione provinciales sacerdotes ad Thessalonicensem referant, ut ejus auctoritate ordinatio celebranda firmetur. Tertium, ut in conventibus seu Conciliis provinciæ omnes querelæ judicentur. Si qua vero difficilior causa emerserit, Metropolitanus curet de

Tria capita illius vicariæ potestatis.

totius

totius negotii qualitate Thessalonicensem instruere, ut coram positis partibus ejus judicio sopiatur, vel ad cognitionem Romani Pontificis a Thessalonicensi transferatur. Itaque & consessus honor & summa judiciorum atque ordinationum κῦρος mandato Romani Pontificis indulta erant Episcopo Thessalonicensi.

Tempus collatæ illius potestatis.

XLIII. Ejus prærogativæ possessionem adeptus erat anno quadringentesimo trigesimo primo; ut patet ex epistola Cyrilli ad Joannem Antiochenum, si recte intelligatur: in qua testatur Nestorium a Romana synodo damnatum, ejusque sententiæ exempla missa ad Rufum Thessalonicensem Episcopum, tum ad alios quoque nonnullos per Macedoniam Episcopos, qui semper ad ejus sententiam accedunt:

Concil. Ephes. part. I. cap. 21.

Γεγράφασι καὶ τὰ ἶσα πρὸς τὸν θεοφιλέστατον ἐπίσκοπον Θεσσαλονίκης Ροῦφον. καὶ πρὸς ἑτέρους τινὰς τῶν κατὰ τὴν Μακεδονίαν θεοσεβεῖς ἐπισκόπους, οἳ καὶ ἀεὶ συντρέχουσι ταῖς παρ' αὐτοῦ ψήφοις. Macedonia hic sumitur, non pro sola ejus nominis provincia, sed pro Diœcesi Macedoniæ: quæ, ut docet Notitia Imperii, ex septem provinciis constat, ut supra monui. Ad Metropolitanos hujus Diœceseos scripsit Celestinus ex more Pontificum & Imperatorum, qui generalia decreta ad solos Metropolitanos mittebant. Illi vero suæ provinciæ Episcopis ea deinde insinuabant. Thessalonicensis autem Episcopi in earum provinciarum sacerdotes potestatem his verbis significat Cyrillus: Ἀεὶ συντρέχουσι ταῖς παρ' αὐτοῦ ψήφοις. id est *Ad ejus decreta formanda conveniunt*: quia in conventu omnium Episcoporum ex suffragiorum collatione decernebat. Itaque Rufus, qui temporibus Innocentii, id est, anno quadringentesimo decimo quinto, provinciam Macedoniam regebat, incremento dignitatis auctus est, vice pontificia in Macedonicam Diœcesin sibi delegata.

Explicatur Cyrilli Alexandrini locus.

XLIV. Inde illi consensus honor in Concilio Ephesino, ubi Flavianus Philippensium Episcopus vices gerere dicitur Rufi Thessalonicensium Episcopi; atque eo titulo priorem occupat locum post Hierosolymitanum & Ephesinum, ante Firmum Cæsareæ Cappadociæ Exarchum, qui alioqui potior futurus erat ob Ponticæ Diœceseos administrationem. Quin & ipse Firmus Cæsareensis dignitatem Ecclesiæ Thessalonicensis agnoscit, dum eximios illos Episcopos recenset, ad quos Celestinus literas dedit contra Nestorium, nempe *ad Cyrillum Alexandrinum, Juvenalem Hierosolymorum, & Rufum Thessalonicensem, nec non ad sanctas Constantinopolis & Antiochiæ Ecclesias*. Permiscetur ceteris Exarchis, quia Illyricianæ Diœcesi præerat; cujus mentio fit in relatione synodi ad Theodosium, ut distinctæ ab occidentali Concilio, quoniam ea tempestate Illyricum orientale, etsi penderet a Romana sede, tamen recisum erat ab occidentali Imperio. Econtrario, Acholius Thessalonicensis Episcopus invitatus anno CCCLXXXI. ad synodum secundam, quæ ex solis orientalibus Episcopis constabat, dicitur diserte Episcopus Occidentis in epistola synodi Romanæ editæ a viro clarissimo Patre Sirmondo: quia Diœcesis Illyrici nondum avulsa erat ab Occidentis Imperio.

Προεδρεία Episcopi Thessalonicensis.

Concil. Ephesin. part. 3. Act. 3.

Illyricum distinctum ab occidentali Concilio.

Eundem locum obtinuit in synodo Chalcedonensi Quintillus Legatus Anastasii Thessalonicensis; qui ceteris omnibus Episcopis, post Patriarchas, antefertur. Eundem ordinem retinuit in Quinta Synodo Benignus ejusdem sedis Thessalonicensis Legatus. Sextæ autem eodem gradu subscripsit, addito suæ dignitatis elogio, Joannes Thessalonicensis, apostolicæ sedis Romæ Vicarius & Legatus. Ἰωάννης ἐλέῳ θεοῦ ἐπίσκοπος Θεσσαλονίκης, καὶ βικάριος τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου Ῥώμης καὶ λεγάτος.

Iterum de consessu Thessalonicensis Episcopi.

XLV. Huic nostræ sententiæ, quæ Thessalonicensis Episcopi auctoritatem in Illyricum ad Theodosii secundi tempora confert, objici potest testimonium Nicolai primi *in epistola secunda ad Michaelem & Joannis octavi in Epistolis LXXVIII. & LXXIX.* qui ad Damasum hanc institutionem referunt. Sed Pontifices illi conceptis verbis hoc non asserunt; id tantum docent, Damasi, Siricii, & sequentium Pontificum monitis Illyrios Episcopos in fide & disciplina eruditos fuisse. Quod referri debet ad epistolam synodicam missam a Damaso ad Episcopos Illyrici, ubi nullum vestigium legationis concessæ Episcopo Thessalonicensi.

Explicantur Nicolaus I. & Joannes VIII. de tempore delegationis factæ Episcopo Thessalonicensi.

XLVI. Objici quoque potest Gelasius Cyzicenus, qui *lib. II.* Thessalonicensi Episcopo mandatam docet a Synodo Nicæna mittendorum actorum curam per Macedoniam, Græciam, Europam, Scythiam, Illyricum, Thessaliam & Achajam. Quod pertinet ad nudum ministerium actorum mittendorum ob situs opportunitatem, non autem ad jurisdictionem aliquam designandam. Id autem vel ex eo patet evidentissime, quod Europa & Scythia non erant Illyrici provinciæ, sed Thraciarum, in quibus nullum fuit unquam jus Episcopi Thessalonicensis. Deinde apud Gelasium eodem loco committitur Hierosolymorum Episcopo, una cum Eusebio Cæsareæ, ut acta mittat per Palæstinam, Arabiam & Phœniciam. Atqui certum est ex Synodo Nicæna Hierosolymorum sive Æliæ Episcopum dignitate tantum antecelluisse ceteris Episcopis, salvo jure metropoleos Episcopo Cæsareæ in Palæstina. Phœnicia autem & Arabia neutri illorum, sed suis quæque Metropolitanis & Patriarchæ Antiocheno paruerunt. Unde patet, non recte colligi ex mandato, quod Nicænum Concilium dedit Episcopo Thessalonicensi de actis mittendis per certas provincias, jus aliquod illi in eas tribuisse aut tributum olim indicasse.

Gelasii Cyziceni locus de Thessalonicensi Episcopo explicatur.

XLVII. Porro non sola Macedoniæ Diœcesis subdita fuit Episcopo Thessalonicensi, sed etiam Diœcesis Daciæ, quæ ex Dacia Ripensi & mediterranea, Dardania, & Mœsia superiore constabat. Id docent aperte duæ Justiniani *novellæ constitutiones XI. & CXXXI.* Quæ auctoritas in Illyricum a Romana sede profecta, vim suam obtinuit etiam post Leonis tempora; licet Illyrici provinciæ omnes schismati ab Acacio Constantinopolitano conflato accessissent. Illud discimus ex Dorothei Episcopi Thessalonicensis querela mota adversus Joannem Nicopoleos recens evectum ad metropolim Epiri veteris, quod de ordinatione sua relationem non misisset, ex more antiquo ad sedem Thessalonicensem. Itaque Dorotheus, Principis & magistratuum ope implorata, Joannem vexabat *concussionibus & dispendiis*, ut loquitur Hormisda Pontifex; qui literis suis Anastasium Imperatorem hortatus est, ut rescripto suo vim fieri prohiberet. Sane non disputat, quin de ordinatione Metropolitani provinciæ Epiri referri debuerit ad sedem Thessalonicensem. Sciebat enim, hoc jus illi competere ex antiqua consuetudine & privilegio indulto a Romanis Pontificibus. Illud tantum urget, nefas esse, ut, qui a schismate ad communionem apostolicæ sedis redierit, a Dorotheo schismatico fatigetur; cui pristina jura restituenda docet, si ad unitatem reversus fuerit. Verba Hormisdæ aperta sunt in *epistola decima octava* ad Legatos suos: *Traditis autem epistolis (scilicet Dorotheo Thessalonicensi) instanter agere debetis, ut se ab ejus Ecclesiæ, id est, Nicopolitanæ, concussione suspendat, rationem reddentes, quia non potuit reversus ad communionem & ad corpus Ecclesiæ cum illis, qui nec dum reversi sunt, quicquam habere conjunctum; nos non solvere a prædecessoribus nostris concessa privilegia, si ipse ecclesiastica instituta non deserat; certe redeat ad unitatem, & nos cum eo insistemus, ut omnia privilegia, quæcumque consecuta est a sede apostolica Ecclesia ejus, inviolata serventur.* Imminuta est Thessalonicensis Ecclesiæ auctoritas recisis aliquot provinciis ad conflandum Justinianæ archiepiscopatum; de quo mox dicam. Deinde penitus abolita est, postquam ex Leonis Isauri decreto (in odium fidei vindicatæ a summis Pontificibus Gregoriis II. & III.) Illyrici provinciæ, Siciliæ & Calabriæ, avulsæ sunt a patriarchatu Ro-

Diœcesis Daciæ parebat Episcopo Thessalonicensi.

De illius sedis continuata in Illyrico auctoritate locus in epistola Hormisdæ.

Recisa a Justiniano.

Extincta a Leone Isauro.

Romano, & tributæ Constantinopolitanæ sedi. Tunc enim intra fines solius Macedoniæ primæ restricta est Metropolitani Thessalonicensis potestas; ut docent diatyposis Leonis Philosophi & antiqua episcopatuum orientalium notitia.

De Justinianæ Archiepiscopo.

XLVIII. Ad exemplum hujus delegationis, qua jus Episcopi Thessalonicensis auctum erat, Justinianus ornandæ patriæ suæ cupidus, avulsis ab Ecclesia Thessalonicensi aliquot Provinciis, Achridam seu Justinianam primam summo sacerdotii fastigio decorari curavit; ita ut ejus civitatis Episcopus Archiepiscopi dignitate insigniretur, earum provinciarum Metropolitanis daret jura, ipseque a synodo sua ordinaretur. Hoc privilegium Princeps a Vigilio Papa obtinuit, qui vices suas huic Archiepiscopo commisit, ut testatur Justinianus Novella CXXXI. Καὶ ἐν αὐταῖς ταῖς ὑποκειμέναις αὐτῷ ἐπαρχίαις τὸν τόπον ἐπέχειν αὐτὸν τοῦ ἀποστολικοῦ Ῥώμης θρόνου, κατὰ τὰ ὁρισθέντα ὑπὸ τοῦ ἁγίου πάπα Βιγιλίου. Id tamen observabatur, ut singulis Archiepiscopis statim post consecrationem vices suas Romani Pontifices atque Pallium conferrent, ut docet Gregorius primus *lib. IV. epist. IX. & XV.* ad Joannem Justinianæ primæ Episcopum: *Vices vos apostolicæ sedis agere iterata innovatione decernimus.* Horum Archiepiscoporum judicia, ut personæ quoque, subdita erant Romani Pontificis censuræ; ut discimus ex Gregorii primi lib. II. epist. VI. ubi Joannem prædicti Joannis decessorem abstinet a communione, ejusque judicium adversus Thebarum Episcopum latum rescindit. De his duobus Archiepiscopis Thessalonicensi & Justinianæ primæ intelligendus Isidorus Hispalensis *lib. VII. Originum cap. XII.* cujus hæc sunt verba: *Ordo Episcoporum quadripartitus est, in Patriarchis, Archiepiscopis, Metropolitanis & Episcopis.* Mox addit: *Archiepiscopus Græce dicitur summus Episcoporum. Tenet enim vicem apostolicam & præsidet tam Metropolitanis quam Episcopis ceteris.* Hic auctor loquitur juxta disciplinam seculi sui. Alioqui enim tres Episcoporum gradus tantum numerabat antiquitas; primisque nomen Archiepiscoporum dabat, qui postea dicti sunt Patriarchæ. Attamen Isidorus habet, quo se tueatur nempe Justiniani constitutionem, postquam Archiepiscopum Justinianæ primæ præficiendum cum vice apostolica & auctoritate in sex Metropolitanos a Vigilio obtinuit, ut prædixi. Id notum Isidoro, non solum quod in Occidentis patriarchatu posita esset civitas Justiniana, sed etiam ex corpore Novellarum, quod Latine extabat etiam temporibus Gregorii primi, qui Latina quadam veteri interpretatione utitur, vel ex epitome Juliani Antecessoris, cujus frequens erat in Occidente usus, præcipue in causis ecclesiasticis. Ex ea Novella & ex Leonis primi decretali epistola ad Anastasium Thessalonicensem hausit, quæ de secundo illo Archiepiscoporum gradu scripsit. Ceterum caute loquitur. Jus enim illud ad delegationem sedis apostolicæ refert.

Cui vices suas mandat Vigilius.

Subditus erat Romanæ sedi.

Isidorus Hispalensis explicatus de gradu Archiepiscoporum.

Nunquam dictus a Græcis Patriarcha.

XLIX. Hic monendus est lector, ne in virorum eruditorum errorem labatur, qui hunc Justinianæ Archiepiscopum (ob invasas a Bulgaris eas Provincias Bulgariæ nomen postea indeptum) inter Patriarchas recensent, decepti ob subscriptionem factam in synodo Trullensi a Joanne Episcopo novæ Justinianopolis post Patriarchas. Non enim Joannes ille nuncupatur Patriarcha, nec erat Justinianæ primæ Archiepiscopus, sed Constantiæ Cypri, quæ Justiniana nova dicebatur, ut monui *lib. II. de concordia sacerdotii & imperii cap. IX.* Ceterum Petrus Antiochenus liquido docuit in epistola superius laudata, Archiepiscopum Bulgariæ nuncupari, non autem Patriarcham. Idque perpetuum est apud Græcos, ut Archi-Episcopus tantum dicatur, tum in notitia veteri Græca episcopatuum, tum apud Curopalatem. Apud Latinos vero Nicolaus primus, qui Primates secundarios posse dici recte Patriarchas

[illegible] a Nicolao I.

Marca, Dissert. Eccl.

ex epistolis decretalibus Anacleti sibi persuaserat, tentavit Patriarchæ nomen Archiepiscopo Bulgariæ tribuere, ut patet ex ejus *responsis ad consulta Bulgarorum cap. LXXIII.* Quo exemplo Innocentius III. precibus Calojoannis Imperatoris Bulgarorum & Blachorum, hac quoque Patriarchæ dignitate Basilium Archiepiscopum Bulgariæ & Blachiæ in civitate Trinovi constitutum ornavit. Quamvis, si verum amamus, Trinovitanus Episcopus eam tantum Bulgariæ partem obtineret, quæ nunc Valachia dicitur. Innocentii verba hæc sunt: *Te quoque in regno Bulgarorum & Blachorum Primatem statuimus, & Ecclesiæ Trinovitanæ præsenti privilegio auctoritatem concedimus primatiæ, statuentes, ut & tu & successores tui, qui tibi in apostolicæ sedis devotione successerint, ceteros Metropolitanos Bulgariæ & Blachiæ præcellatis ratione primatiæ, & ipsi tibi & eis, juxta formam canonicam, reverentiam primati debitam exhibeant & honorem; fraternitatem tuam scire volentes, quod apud nos hæc duo nomina, Primas & Patriarcha, pæne penitus idem sonant, cum Patriarchæ & Primates unam formam teneant, licet eorum nomina sint diversa.* Unde apud Græcos recentiores Patriarcha Τορνόβου καὶ Βουλγαρίας dicitur in codice manuscripto Bibliothecæ regiæ conservato a Græcis beneficio, quod illi indultum erat a Romana sede. Hinc Barlaamus eum Patriarcham vocat. Attamen in eodem codice manuscripto statim Achridæ seu Justinianæ Episcopus recensetur sub nomine Archiepiscopi Bulgariæ. Divisa enim erat eo tempore Bulgaria, ut monui.

De Primate seu Patriarcha Trinovitano in Blachia & Bulgaria ab Innocentio III. constituto.

Discrimen Patriarchæ Bulgariæ & Archiepiscopi.

L. Romani Pontifices usu ipso edocti, quantum conferret ad auctoritatem firmandam & disciplinam conservandam in dissitis longe provinciis vicis apostolicæ delegatio, in Gallicana Diœcesi Episcopo Arelatensi quædam mandata dederunt. Itaque ex Zosimi primum beneficio an. CDXVII. vicariam potestatem in quibusdam capitibus accepit; quæ deinde a sequentibus Pontificibus usque ad Gregorium I. amplificata sunt ducentorum annorum intervallo: quibus elapsis extincta est illa potestas, quæ in solicitudine potius quam in jurisdictione versabatur. Sed de Arelatensis Episcopi auctoritate & ceterorum Vicariorum eleganter & erudite vir celeberrimus Joannes Morinus in Exercitationibus ecclesiasticis; qua de re nos quoque copiose disputamus alibi. Satis erit hic observasse, Vicariorum dignitatem in Galliis ex mandato Romanorum Pontificum pependisse, non autem sedi cuidam in perpetuum affixam. Unde vices suas Remigio Episcopo Rhemensi per regnum Clodovei commisit Hormisda, quemadmodum Leandro Hispalensi per Hispanias Gregorius primus. Sed hoc beneficio caruerunt eorum successores. Deinde Zacharias Bonifacio Episcopo Moguntino legationem extraordinariam, non solum cum dignitate & solicitudine, sed etiam cum vera auctoritate, per Gallias imposuit. Ejusce generis vicariatum Drogo Metensis Episcopus a Sergio Pontifice obtinuerat; qui refragante Gallicana Ecclesia effectu caruit, teste Hincmaro Epistola VI. editionis Moguntinæ.

De Vicariis Romanæ sedis.

Quorum munus olim in curia versabatur.

LI. Ex his, quæ disseruimus, evidentissime constat, Metropolitanos Episcopos, quibus vicaria potestas Romanæ sedis collata est in Occidente, nec Primates olim nuncupatos, multo minus Patriarchas, nec jure perpetuo id beneficium consecutos, si Thessalonicenses & Justinianæ Episcopos excipias, sed gratia personis singulis indulta. Eam vero dignitatem sic temperabant olim, ut Metropolitanorum jura nullo pacto infringerentur, quemadmodum pluribus ostendit Hincmarus, nosque alibi ex professo manifestum faciemus in tractatu de Legatis pontificiis. Post publicationem epistolarum pontificiarum emersit Primatum nomen & institutio civitatibus jure perpetuo affixa: quæ in consessus prærogativa, & in judiciis red-

Erat beneficium personale.

Absque læsione juris metropolitici.

Primatum recentiorum jus reale.

dendis super appellationibus a Metropolitanorum sententiis versabatur.

De Primatu Bituricensis Ecclesiæ.

LII. Prima Ecclesiarum omnium, quæ illo dignitatis titulo aucta fuit, est Bituricensis metropolis; cujus incrementa acciderunt ab anno DCCLXXXVI. usque ad annum octingentesimum sexagesimum quartum. Anno etenim illo, quem prædixi, DCCLXXXVI. nondum evecta erat ad fastigium primatus in ceteras Aquitaniæ provincias. Quod probatur ex epistola Hadriani I. eo anno ad Carolum Magnum data. Petebat Princeps a summo Pontifice, ut Pallium concederet Ermemberto Archiepiscopo Bituricensi: *Quia civitas metropolis in Aquitania videtur esse patria, quæ Bituricas nuncupatur.* Ait tantum esse metropolim in Aquitania (quod verum est) non autem Aquitaniæ metropolim. Hæsit Hadrianus, nec statim Pallii beneficium indulsit, ne forte eum pro Metropolitano haberet, qui esset alterius juri subjectus. Sed statim atque certior factus est, Metropolitanum Bituricensem a nullo alio pendere, Pallium illi concessit. *Qui præfatus sanctissimus vir*, inquit Hadrianus de Ermemberto loquens, *nobis confessus est, ut sub nullius Archiepiscopi jurisdictione esse videretur.* Id unum præ se ferebat eo tempore Bituricensis Episcopus ad provocandam gratiam sedis apostolicæ, se metropolitana dignitate frui, nullique Archiepiscopo subditum esse. Si qua illi competiisset auctoritas in Burdigalensem, Auscitanum, & Narbonensem Archiepiscopos, tunc explicanda erat, ut facilius Pallium impetraretur, pro quo obtinendo Carolus quoque intervenerat.

Quæ Metropolis temporibus Caroli Magni.

Codex Carolinus Epist. 87.

Aucta deinde primatus dignitate.

Accessit deinde huic metropoli primatus dignitas in illas provincias, quæ sub Carolo Magno illi data est ad firmandam novi Aquitanici regni, quod anno DCCLXXXI. Princeps ille instituerat, auctoritatem. Urbs Biturigum erat caput illius regni, teste Adrevaldo Floriacensi *cap.* 33. *de translatione sancti Benedicti.* Ut ergo feroces Aquitaniæ populi jugum Francorum mollius subirent, eorumque mores imbiberent, optimum factu visum est, si ad partes interiores Galliæ sub prætextu conventuum ecclesiasticorum traherentur, & disciplinæ in Clericos & laicos ultima executio, quæ tunc erat magni momenti, Bituricensi Archiepiscopo & ejus synodo competeret. Consilio itaque politico hæc innovatio facta est. Licet enim color aliquis suppeteret ad subdendas provincias Burdigalensem & Auscitanam, quia dicuntur Aquitania secunda & tertia, pro Narbonensi sede nihil prætendi poterat, utpote quæ fuerat olim metropolis sui Juris, ut patet ex epistolis Cælestini & Leonis primi; quemadmodum etiam stante imperio Gothorum in Hispania. Siquidem Conciliis Toletanis intererant Episcopi Narbonenses, literis regiis evocati, ut ceteri quoque Metropolitani Episcopi; non autem literis Episcopi Toletani, qui nondum primatum Hispaniæ obtinuerat, ut vulgo ferunt, sed demum ab Urbano secundo. A Sarracenorum servitute liberata Narbonensis provincia, Caroli ducis virtute regno Francorum accessit; deinde regni Aquitanici pars non contemnenda effecta est.

Vide infra §. 126.

LIII. Ratio vero constituendi primatus Bituricensis sumpta est ex publicatione Isidorianæ Collectionis; ubi Primatum, qui Metropolitanis præsunt, fit mentio, ut jam monui. Quod evidenter ostendunt verba Nicolai I. in epistola scripta anno DCCCLXIV. ad Rodulphum Bituricensem Archiepiscopum; quem Primatem & Patriarcham nuncupat, more loquendi arrepto ex epistolis pontificiis. Ejus epistolæ, quæ integra edita est in tomis Conciliorum, fragmentum extat apud Gratianum 9. *q.* 3. *cap. Conquestus.* Ubi duo observanda sunt. Primum est, Sigebodum Narbonensem, etsi conquereretur, nihil licere Episcopo Bituricensi jure patriarchatus in Clericos & in bona Ecclesiæ Narbonensis, fateri tamen, posse ad eum tamquam Patriarcham appellari. Alterum est, quod annotavit Nicolaus, *Primates vel Patriarchas nihil privilegii habere præ ceteris Episcopis, nisi quantum sacri Canones concedunt, & prisca consuetudo illis antiquitus contulit.* Canonum nomine intelligit Chalcedonenses IX. & XVII. & decreta Anacleti.

De illo primatu Nicolaus I.

LIV. Ceterum post dissipatum regnum Aquitanicum, & constitutum Marchionatum Gothiæ, seu Ducatum Narbonensem Archiepiscopus Narbonensis videtur primatum Bituricensem excussisse. Etenim Urbanus secundus anno MXCVII. primatum contulit Episcopo Narbonensi in provinciam Aquensem; quod illius libertatem satis mihi significare videtur ex mente Pontificum. Deinde Alexander tertius anno MCLXIV. Urbanus MCLXXXVII. rescriptis suis Episcopo Bituricensi primatum in solam provinciam Burdigalensem confirmant; omissa mentione Narbonensis, ipsiusque Auscitanæ, quæ sub auspicio Ducum Vasconiæ de libertate sua cogitaverat.

Narbonensis Ecclesia discedit a primatu Bituricensi.

LV. Burdigalensis vero Archiepiscopus recessit a primatu Bituricensi, postquam ob Aquitaniæ Ducatum delatum ad Reges Angliæ bella exarserunt inter Gallos & Anglos. Discessionis originem ad ea tempora referri, diserte habetur in epistola Philippi Augusti Regis data ad Innocentium tertium anno MCCXI. his verbis: *Beatissimo in Christo patri & Domino Innocentio Dei gratia Summo Pontifici Philippus eadem gratia Rex Francorum salutem & debitam in Christo reverentiam. Ecclesia Bituricensis, licet tenuis in facultatibus, inter alias tamen regni nostri Ecclesias existit nobilior, cum, sicut vestra plenius novit paternitas, primatiæ obtineat dignitatem, cujus honorem nostrum & regni nostri proprium reputamus. Cum igitur Burdigalensis Archiepiscopus, prædecessorum non sequens vestigia, se adeo obedientem & devotum Ecclesiæ Bituricensi exhibere non velit, sicut iidem prædecessores sui fecisse noscuntur, paternitatem vestram cum quanta possumus devotione rogamus, quatenus jus Bituricensis Ecclesiæ intuitu Dei & precum nostrarum obtentu conservare velitis, nec sustineatis, quod tantus honor regni nostri circa hoc in aliquo minuatur; cum sola Bituricensis Ecclesia in toto regno nostro primatiæ obtineat dignitatem; in cujus diminutione, quod Deus avertat, nobis & regno nostro non mediocriter reputaretur esse detractum. Actum Parisiis anno MCCXI. Mense Majo.* Litis ea de re motæ meminere Innocentius tertius *lib. III. Reg. XV.* & Gregorius IX. *in Decretalibus.* Itaque primatus iste Bituricensis jam a quatuor seculis *paulatim* ad solam provinciam Bituricensem redactus est: qui præter nominis dignitatem in eo versatur, ut appellationes a sententiis Episcoporum solius provinciæ suæ ad se delatas prima cognitione, deinde secundo judicio per Vicarium primatiæ dirimat, si appelletur a Vicario metropolitico. Quo jure, quemadmodum & primatus titulo, utuntur Archiepiscopi Burdigalensis & Narbonensis; cum tamen Auscitanus solo metropolitico jure de appellationibus cognoscat.

Et Burdigalensis.

Origo discessionis.

Quod sit hodie jus primatus Bituricensis.

Tum Burdigalensis & Narbonensis.

LVI. Anno DCCCLXXVI. nova dignitas collata est Ansegiso Archiepiscopo Senonensi a Joanne octavo in gratiam Caroli Calvi Imperatoris. Vices enim apostolicæ sedis per Gallias & Germanias illi delegavit; tum ut synodos evocaret, tum ut mandata pontificia Episcopis insinuaret, atque de rebus gravioribus referret ad sedem apostolicam. Extat Joannis rescriptum in tomis Conciliorum, ex cujus lectione apertissime constat privilegium istud indultum Ansegiso personale fuisse, *pro sua sanctitate & fidei merito atque divinitus sapientiæ dono concesso*, ut se habent verba rescripti, non autem irrogatum Ecclesiæ Senonensi. Quare in secundis actis Concilii Pontigonensis capite septimo nulla fit mentio successorum Ansegisi; licet Odoranno in Chronico visum fuerit lo-

Vicariatus apostolicæ sedis concessus Ansegisi Senonensis personæ.

rit locum corrumpere, ut sedi Senonensi, cui subditus erat, primatum sua opera conferret. Omnium Metropolitanorum animos Ansegisus immodesta illa ambitione adversum se concitavit; adeo ut synodus Pontigone coacta huic innovationi refragata fuerit, demptis paucis Episcopis, & imperio potius atque vi quam Episcoporum consensu Carolus Rex priorem confessum Ansegiso tribuerit, ut docent acta vera illius synodi relata ab Aimonio. Testatur Hincmarus, omnes Episcopos rescripti hujus executioni, quo primatus per Gallias & Germanias tribuebatur, intercessisse; qua de re collegas suos monuit epistola in eam rem elaborata, quæ est octava numero in editione Moguntina; de qua Flodoardus *lib. III. cap. XXI. Respondit etiam ad capitula quædam regni Francorum Episcopis a Joanne transmissa de privilegiis sedium per capitula septem, quoniam idem Papa nisus fuerat, Ansegisum Senonensem Episcopum Primatem constituere, ut apostolica vice per Gallias & Germanias frueretur. Cui conatui venerabilis hic Præsul Hincmarus efficaciter obstitit.* Equidem vicariam illam potestatem vocat primatum Hincmarus & acta secunda Concilii Pontigonensis. Sed non ejusdem erat conditionis iste primatus cum Bituricensi, de quo superius, & cum Lugdunensi, de quo statim agemus; qui sedibus erant affixi. Unde Ansegisus ipse in subscriptione Concilii se Vicarium sedis apostolicæ nuncupat, non autem Primatem. Neque dignitatem illam constanter retinuit, ut fidem faciunt acta synodi Tricassinæ anno DCCCLXXVIII. a Joanne Papa habitæ, ubi Hincmarus Rhemensis vice synodi respondit Pontifici, & ante Ansegisum synodo subscripsit. Ipse quoque Joannes eodem anno ad quinque Archiepiscopos Galliarum literas suas dedit *a pari*, ea serie, ut priorem Hincmarum Rhemensem sequatur Ansegisus. Ex quo constat, Pontificem non insuper habuisse Episcoporum Gallicanorum intercessionem. Extinctum primatum Seguinus Archiepiscopus Senonensis instaurare curavit, elicita a Joanne XV. Papa vicium suarum per Gallias solas delegatione: cujus privilegio priorem locum obtinuit in synodo Rhemensi, quæ anno DCCCCXCII. Arnulphum Rhemensem damnavit. Id docet exceptio, qua Episcopi se tuebantur anno DCCCCXCV. adversus justam alioqui expostulationem Leonis legati pontificii; qui, sede apostolica inconsulta, Arnulphum dejici non potuisse contendebat. Ajunt inter cetera: *Certe Seguinus venerabilis vitæ Senonensium Archiepiscopus Domini Papæ Joannis vices per Gallias sibi creditas innovavit, & ita a latere Apostolici cum decreto privilegii veniens, ejus vices usque ad præsens omnium Episcoporum Galliæ consensu profecutus est. In hujus ergo præsentia Arnulphus seipsum sacerdotio exuit.* Unde constat, Seguinum vicariam potestatem tunc innovasse, id est, abolitam restitui curasse, nullamque privilegii realis & perpetui mentionem factam. Leothericus, Seguini successor, cum Pallio delegationem quoque sedis apostolicæ obtinuit: si qua fides habenda sit chronico Antissiodorensi.

De quo conquesti Episcopi Gallicani.

Discrimen primatus Ansegisi & Bituricensis Episcopi.

Dignitatem illam non retinuit.

Seguino Senonensi delegatæ vices apostolicæ sedis.

LVII. Is erat in Ecclesia Gallicana Metropolitanorum status, ut nulla inter Primates Gallicanos, Belgicos & Germanicos esset prærogativa, nisi ex tempore ordinationis, teste Hincmaro epistola octava cap. XVI. qui Aquitanos omisit ob privilegium Bituricensis Episcopi. Quæ disciplina duravit usque ad annum millesimum septuagesimum nonum. Quo anno Gregorio septimo visum est, in Gebuini Episcopi Lugdunensis gratiam Ecclesiæ Lugdunensi perpetuum primatum conferre in quatuor provincias Lugdunenses. *Confirmamus primatum* (inquit Gregorius *lib. VI. epistola XXXIV.*) *super quatuor provincias Lugdunensi Ecclesiæ tuæ & per eam tibi tuisque successoribus.* Arduum negotium aggrediebatur, quo trium Metropolitanorum atque adeo regni Gallici dignitatem imminuere videbatur, eo quod Lugdunensis civitas ea tempestate regno Burgundico accenseretur. Ideo prudentissimus Pontifex, ne adversus decretalem illius epistolam exceptio novitatis opponeretur, rem totam a capite arcessit, ut restaurare potius Ecclesiæ Lugdunensis primatum in quatuor provincias quam instituere diceretur.

Æqualis dignitas Metropolitanorum in Gallia, ex Hincmaro.

Lugdunensis Ecclesiæ primatus constituitur a Gregorio VII.

LVIII. Itaque constitutas fuisse ab Apostolis & a beato Clemente provinciarum divisiones exemplo gentilium docet; ita ut sacerdotium in tres gradus divisum fuerit, Episcoporum, Metropolitanorum, & Primatum seu Patriarcharum. Observat autem eas civitates his ordinibus ornatas, quæ juxta uniuscujusque celebritatem a Principibus Romanis olim superioribus & inferioribus tribunalibus erant cohonestatæ. Hanc sententiam ex epistolis Clementis & Anacleti Gregorius hausit; quarum auctor rem certam & antiquam disertis alicubi verbis expressit; sed in appendice epistolæ Clementis nova verborum significatione obscuravit. Ait enim *primos Flamines* in maximis civitatibus constitutos olim a paganis, in majoribus Archiflamines; illoque exemplo ab Apostolis Primates, tum Archiepiscopos, seu Metropolitas institutos. Priore loco *primos Flamines* reposui, ex Hincmaro, qui locum Clementis adducit cap. XVII. Opusculi, cum in editione Isidori legatur primo & secundo loco *Archiflamines*. Unde lux quædam fortasse affulgebit obscuro huic Clementis loco; & de consilio scriptoris constabit in Flaminibus istis invehendis, quamvis Antonius Augustinus id se consequi posse desperaverit.

Causa constituendi primatus.

Explicatur locus epistolæ Clementis de flaminibus, & emendatur textus.

LIX. Videtur autem Flamines istos collector Hispanus hausisse ex veterum inscriptionum lectione, quas in Hispania, & alibi, antiqua saxa exhibent. Exempli causa in inscriptione Tarraconensi, Marius quidam dicitur *Flamen provinciæ Hispaniæ citerioris*. Alibi, Mæcius *flaminatu provinciæ Hispaniæ citerioris functus*. Ecce Flamines provinciales, quos Isidori collectio Archiflamines dixit. A Græcis, nomine ducto a provincia, dicebantur Bithyniarchæ, Syriarchæ, & Asiarchæ, in Actis Apostolorum, apud Strabonem, Eusebium, & in Digestis, & Codice; eorumque munus dicitur Archierosyna, *Codicis Theodosiani lib. XII.* & Phœniciarchia, Syriarchia, Cappadociarchia a Modestino Jureconsulto. In aliis inscriptionibus, Sempronius Speratus dicitur *Flamen divorum Augustorum provinciæ Beticæ*, ejusque provinciæ consensu *flaminicum munus consecutus*. Sed in eadem provincia Bætica primum quoque Flaminem inscriptiones fuisse testantur. Ex Ambrosio Morali, Castuli in Hispania scimus extare fragmentum lapidis, ubi inter cetera hæc legas: *Flamini Augustali in Bætica primo*. Nempe olim fato functi Imperatores templis & aris donabantur a provincialibus, ubi sacrificia fiebant novis illis numinibus pro salute Principis, qui rerum potiebatur & incolumitate provincialium. Præfecti erant his sacrificiis *Flamines & sodales Augustales dicti*; quos provinciales in unum coeuntes quotannis, ad conventus juridicos agendos a Proconsulibus aut Præsidibus provinciarum evocati suffragiis suis in quinquennium vel in perpetuum deligebant. Unde Flamines hujus vel illius provinciæ dicti sunt. Non autem ex eo provinciæ nomen sortiebantur, quod ceteris coloniarum & municipiorum Flaminibus præficerentur. Suos enim & illa Flamines habebant. Augustales isti sodales in unum corpus coibant, unde *Seviri augustales* dicti, quibus ille qui præerat, *Flamen primus* dicebatur, id est, primus collegii & corporis Augustalium. Inscriptio Narbonensis: *Tauropolium provinciæ Narbonensis factum per C. Batonium primum Flaminem Aug. pro salute Dominorum Imperatorum L. Septimii Severi &c.* Batonius est primus Flamen Augustorum; & provinciæ Narbonensis nomine

De Flaminibus provincialium.

Primi Flamines qui.

mine facit sacrificium taurobolii seu tauropolii, in quo taurorum victimæ mactabantur. Præter sacra, venationes quoque, gladiatorium munus & ludicra spectacula edenda curabant Flamines provinciæ, tempore conventus, ad reficiendos provinciales. Apud Græcos superiore loco in theatris aurea corona caput cincti considebant. Abolitis paganorum sacrificiis a Constantino, extinctum est quoque nomen Flaminum & sodalium Augustalium, sed conservatis spectaculorum voluptatibus, *sacerdotum provinciæ* nomen & munus duravit, etiam apud Christianos. Eorum sacerdotum provinciæ frequens mentio in Concilio Carthaginensi, apud Innocentium primum, in Codice Theodosii & Justiniani, & alibi, donec Leonis I. Imperatoris constitutione ludorum cura ad Præsides provinciarum revocata, vetitum est curialibus, ne ad sacerdotiorum istorum honorem aspirarent, *leg. I. Cod. de officio Comitis Orientis*. Quare de istis muneribus, velut jam pridem exoletis, Justinianus verba facit *Novella LXXXIX.* Itaque auctor epistolarum, qui Flamines legerat in Concilii Eliberitani canonibus, sacrificiis agendis addictos, & in veteribus inscriptionibus, *provinciarum Flamines, & primos Flamines*, facile in mentem suam induxit, tres Flaminum gradus fuisse apud paganos, qui ad exemplum magistratuum per civitates maximas, majores & minores pro muneris sui dignitate constituti essent. Quare occasionem istam ornandæ dispositionis ecclesiasticæ ex gentilium instituto prætermittere noluit; nempe ut constaret, eam niti non sola ratione civili, sed sacra quoque, pro civitatum discrimine.

Flaminum & Augustalium nomen abolitum. Sacerdotes provinciarum.

Vetiti Leonis constitutione.

Error Isidorianæ collectionis detegitur.

LX. Ceterum in eo laborare videbatur Gregorii decretum, quod Lugdunensis civitatis gradum ceteris trium provinciarum civitatibus superiorem fuisse nec in laterculo Imperii nec in politiæ ecclesiasticæ ordine docebat. Quare Senonenses Archiepiscopi præ cæteris huic decreto reluctati sunt; ut docet synodica Urbani II. epistola, quam edimus, in qua explicatur manifestius, quod ea de re Gregorius tantum indicaverat, auctoritatem patrum laudando. Docet enim Urbanus, ex *Catalogorum auctoritate* primatum illum esse petendum, id est, ex veteri Notitia provinciarum, quæ in collectione Isidori *Catalogus civitatum* vocatur. Unde Ivo Carnotensis de primatu isto Lugdunensi ait epistola quinquagesima: *Quem aliquando ex catalogis civitatum conjicimus extitisse.*

Primatus Lugdunensis fundatur in Notitia provinciarum Galliæ.

Urbanus, & Ivo explicati.

LXI. Observandum est autem, hanc Notitiam provinciarum insertam collectioni Isidori, ac si ab Anacleto Pontifice missa fuisset, qui *in epistola III.* de Romana sede, Alexandrina, & Antiochena locutus, *Reliquas*, inquit, *in quodam tomo vobis conscriptas direximus. Inde namque & beati Apostoli inter se statuerunt, ut Episcopi singularum scirent gentium, quis inter eos esset primus, quatenus ad eum potior eorum solicitudo pertineret.* Tomus iste nihil aliud significat quam *Notitiam provinciarum*; ut recte explicat Hincmarus *cap. XVI.* Opusculi, qui ex eo, quod Laudunum in ea descriptione omissum esset in provincia Rhemensi, concludit, olim inter civitates aut sedes episcopales non fuisse recensitum, sed solius beati Remigii beneficio eam dignitatem adeptum. *Ab exordio sui*, inquit, *in paganismo inter civitates vel provinciales sedes nomen & locum non habuit.* Mox: *In Rhemensi parochia, sicut & alia municipia, quæ hodieque ibidem consistunt, municipalem locum tenuit; sicut & tomus, quem Anacletus Episcopis de sedium privilegiis se interrogantibus se misisse dicit, patenter ostendit; veluti ipse legere potes in eodem breviario; in quo descriptis civitatibus metropoli Rhemorum subjectis, nomen castelli, in quo es ordinatus Episcopus, nequaquam invenies.* Porro Notitia, quæ est apud Isidorum, Gallias in XVII. provincias partitur, & quatuor Lugdunenses cum discrimine primæ Lugdunensis, secundæ, tertiæ, & Senoniæ describit. Unde quæsitus color primatus constituendi in civitate Lugduni, quæ erat primæ metropolis; ut docet aperte Joannes Lugdunensis Archiepiscopus apud Ivonem epistola CCXXXVII. quamvis ex Anacleti sententia e canone apostolico hausta metropoleon tantum privilegia juxta Notitiam illam constituenda essent.

Notitia provinciarum laudata in Anacleti epistola sub nomine tomi.

Ut recte explicat Hincmarus.

In ea Notitia quatuor Lugdunenses provinciæ, & primæ metropolis Lugdunum.

LXII. Hic locus a me postulat, ut de Gallicanæ Diœceseos divisione paucis agam. Quod ita a me præstabitur, ut capita quædam adnotem, quæ cæterorum diligentiam fugisse videntur, quæque ad intelligendum veterem provinciarum ecclesiasticarum statum non mediocriter conferunt. Unde constabit, an secundum juris antiqui disciplinam primæ provinciæ jus aliquod obtinerent in secundis. Augustus Princeps solidum corpus Galliarum in quatuor partes divisit, Narbonensem, Aquitanicam, Lugdunensem & Belgicam, Strabone teste, Mela, & Plinio, ipsoque Ptolemæo, qui sub Hadriano Principe eam in Galliæ descriptione divisionem sequitur. Postea sectæ sunt Galliæ in XIV. provincias, hoc ordine. Narbonensis divisa est in Narbonensem, Viennensem, Alpes maritimas, Alpes Grajas, & Penninas. Aquitanica vero tributa est in duas Aquitanicas & Novempopulanam. Ex Lugdunensi confectæ sunt Lugdunenses duæ, & Maxima Sequanorum. Belgica divisa est in duas Belgicas & duas Germanias. Hujus divisionis descriptionem debemus Rufo Festo in breviario, quod Valenti dicavit anno trecentesimo sexagesimo quinto. In Galliis decem & octo provincias esse ait. Ex iis quatuor in Britanniis transmarinis ponit; reliquas, quæ ad nos pertinent, exponit his verbis & hac serie: *Alpes maritimæ provincia Viennensis, Narbonensis, Novempopulana, Aquitaniæ duæ, Alpes Grajæ, Maxima Sequanorum, Germaniæ duæ, Belgicæ duæ, Lugdunenses duæ.* Eandem fere divisionem sequitur Ammianus Marcellinus *lib. XV.* qui posterior Rufo aliquot annis. Duas enim Germanias totidemque Belgicas recenset, duas item Lugdunenses & Sequanos. Aquitaniæ tamen unius tantum meminit & Novempopulorum, omissa Aquitania prima. Eadem negligentia Narbonensem solam & Viennensem numerat, oblitus Alpium maritimarum & Alpium Grajarum.

De Galliarum divisione.

Augusti partitio in quatuor provincias.

Quæ deinde sectæ sunt in quatuordecim.

LXIII. Quærunt eruditi viri, quo tempore potissimum instituta fuerit hæc divisio. Quidam eam referunt ad Hadrianum, alii ad Constantinum, vel ad Theodosium. Ut certum tempus præstare difficile est in silentio veterum scriptorum, ita longe vetustius esse Constantino asseri potest. Inducta est primo hæc divisio in quibusdam provinciis ex mero Principum arbitrio; deinde sub Hadriano, vel Antonino, qui disponendi Imperii curam singularem gessere, videtur ad numerum XIV. provinciarum perducta fuisse. Sane Tiberii & Neronis principatu distractæ erant a reliqua Belgica duæ Germaniæ, ut discimus ex Tacito *lib. XIII. annalium*. Observat Veterem, qui una cum Paulino exercitui in Germania præerat, Mosellam atque Ararim, facta inter utrumque fossa connectere parasse. Mox addit: *Invidit operi Ælius Gracilis Belgicæ legatus deterrendo Veterem, ne legiones alienæ provinciæ inferret.* En diserte Belgicam provinciam distinctam a Germania. Hæc autem duplex erat, superior, & inferior. Priori nomen a superiori Rheni ripa, ubi validus exercitus hiberna agebat, ad tuendos limites Imperii, sub cura legati; quemadmodum suus quoque exercitus inferiori ripæ Rheni non deerat, sub Præfecto, vel Proprætore, ut docet Tacitus *annalium libro primo*: *Duo apud ripam Rheni exercitus erant; cui nomen superiori sub C. Silio legato; inferiorem Cæcina curabat. Regimen summæ rei penes Germanicum.* Totus illius regionis tractus, a Sequanis per ripam

Tempus secundæ divisionis investigatur.

Belgicæ & duarum Germaniarum vetusta divisio.

pam Renis uſque ad Oceanum porrectus, a Germanis, qui ante Julii Cæſaris tempora Gallos iis locis expulerant, Germaniæ nomen conſecutus eſt. Utramque vero Germaniam provinciæ dignitatem ſortitam docet *annalium lib. quartus: Quod ubi L. Apronio inferioris Germaniæ Proprætori cognitum, vexilla legionum e ſuperiore provincia peditumque & equitum auxiliarium delectos accivit.* Libro ſexto Getulicus, qui ſuperioris Germaniæ legiones curabat, ad Tiberium auſus ſcribere, poſt necem Sejani, *ſucceſſorem non aliter quam indicium mortis accepturum; firmarent velut fœdus, quo Princeps ceterarum rerum potiretur, ipſe provinciam retineret.* Germaniam quoque in duas provincias diviſam, atque ſub duobus Præſidibus conſtitutam ſcribit Macer Juriſconſultus, qui ſub Antonino vixit, in *l. 3. ff. de officio aſſeſſoris.* Ex inſcriptione apud Gruterum *pag. CCCLXXV. num. 1.* (quæ M. Aurelii principatu poſita eſt cuidam Baſſæo, qui dicitur *Procurator a rationibus provinciarum Belgicæ & duarum Germaniarum*) videtur colligi poſſe non ſolum diviſio duarum Germaniarum, ſed etiam provinciarum Belgicæ, id eſt, primæ & ſecundæ.

Diviſio Lugdunenſis provinciæ.

LXIV. Solida Lugdunenſis provincia temporibus Galbæ Junio Blæſo rectori parebat, & Narbonenſis Tito Vinio Proconſuli, teſte Tacito libro primo hiſtoriarum. Agricolæ quoque commiſſa eſt a Veſpaſiano Aquitaniæ adminiſtratio, ſplendidæ dignitatis; ut notat idem auctor. Sed diviſionem tandem tres iſtæ provinciæ paſſæ ſunt, ad exemplum Belgicæ. Plane Maxima Sequanorum avulſa erat a Lugdunenſi Diocletiani principatu; ut oſtendit inſcriptio tunc poſita apud Gruterum *pag. CLXVI. num. VII. Aurelio Proculo V. C. prov. Max. Seq.* ubi aperte Maxima Sequanorum provinciæ nomine inſignitur. Unde patet eruditorum virorum error, qui Maximam dictam volunt a nomine Maximi, qui Gallias invaſit temporibus Gratiani circiter annum trecenteſimum octuageſimum. Lugdunenſem, Sequanicis populis minutam, in primam & ſecundam ſtatim diviſam fuiſſe, ad exemplum Belgicæ & Germaniarum, aſſerere neceſſe eſt. Sane anno CCCXIX. in *lege 1. C. Th. tit. 3. lib. II.* Antonius Marcellinus dicitur Præſes *primæ Lugdunenſis.* Viennenſem vero provinciam, quæ avulſa a Narbonenſi Auguſti, exhibent ſubſcriptiones Concilii Arelatenſis I. habiti anno CCCXIV. quæ, ſi integræ extarent, magnam lucem attuliſſent huic controverſiæ. Dubitandum non eſt, quin ceteræ provinciæ in decem & quatuor excreverint vetuſtioribus illis temporibus, etſi teſtimoniis ex ea ætate petitis careamus.

Maxima Sequanorum tempore Diocletiani.

Prima Lugdunenſis Viennenſis.

Tertia diviſio, quæ XIV. provinciis tres addidit.

LXV. Auctæ ſunt quatuordecim provinciæ nova Sectione inſtituta Lugdunenſis & Viennenſis; avulſa ſcilicet Senonia a prima Lugdunenſi; & tertia Lugdunenſi, ſeu Turonia, a ſecunda. Tum reciſa a Viennenſi provincia ea, quæ dicta eſt Norbonenſis ſecunda; etſi nomen hanc ſectionem a Narbonenſi prima factam fuiſſe demonſtrare videatur. Etenim Narbonenſis prima Rhodano terminabatur; Viennenſis vero Arelatum & Maſſiliam comprehendebat. Unde ſequitur, Narbonenſem ſecundam, quæ civitatem Aquenſem & reliquas civitates uſque ad Alpium maritimarum fines continebat, a Viennenſi diſtractam, non autem a Narbonenſi prima, a qua tanto intervallo diſſita erat. Incrementum itaque Narbonenſis ſecundæ & Lugdunenſis tertiæ atque Senoniæ additum ad quatuordecim priores provincias efficit numerum XVII. Hæc immutatio referri debet ad tempora Gratiani. Tunc enim incepit recenſeri Narbonenſis ſecunda & fieri mentio quinque provinciarum ſeparatarum a Galliis. Concilii Aquilejenſis epiſtola anno CCCLXXXI. ſecundam Narbonenſem diſerte præfert in inſcriptione. *Concilium, quod convenit Aquilejæ, dilectiſſimis fratribus Epiſcopis Provinciæ Viennenſis & Narbonenſium primæ & ſecundæ.* Concilium quoque Taurinenſe *can. I.* de primatu Narbonenſis ſecundæ pronuntiavit anno CCCXCVII.

Quod factum ſub Gratiano.

Explicantur quinque provinciæ ſeparatæ a Galliis.

LXVI. Concilium vero Valentinum anno CCCLXXIV. meminit quinque provinciarum in ſynodica epiſtola: *Dilectiſſimis fratribus per Gallias & quinque provincias conſtitutis Epiſcopis.* Porro quinque provinciæ ſunt partes ſolidæ Narbonenſis antiquæ; quæ olim diſtincta fuit a reliquis tribus provinciis Galliarum, ut mox dicam. Fient autem quinque illæ provinciæ, ſi quatuor a Rufo numeratis, nempe Narbonenſi, Viennenſi, Alpibus maritimis & Alpibus Grajis, addas Narbonenſem ſecundam. Conſervatus eſt numerus quinque provinciarum in epiſtola Maximi Imperatoris ad Siricium, & apud Symmachum libro quarto epiſtola trigeſima.

Septem provinciæ, quæ?

LXVII. Tandem harum quinque provinciarum corpus Petronius Præfectus prætorio Galliarum immutavit. Expuncta enim provincia Alpium Grajarum ex reliquis quatuor, & ex duabus Aquitaniis, & Novempopulana, conventum ſeptem provinciarum Arelate agi conſtituit: cujus formam confirmavit Honorius conſtitutione lata anno quadringenteſimo decimo octavo. Unde manavit diſtinctio ſeptem provinciarum a Galliis, quæ diſſertiſſime explicata eſt in Notitia Galliæ edita a viro clariſſimo Sirmondo. Quæ diſtinctio ſolum eſt ab Honorii ævo; non autem diviſio in decem & ſeptem provincias, quæ ſub Gratiano facta eſt. Hinc eſt, quod in Zoſimi & Bonifacii I. epiſtolis annis CCCCXVII. & CCCCXIX. hæc inſcriptio legitur: *Epiſcopis per Gallias & ſeptem provincias conſtitutis.* Eas provincias recte Hincmarus interpretatus eſſet epiſtola V. cap. XVII. niſi in locum Aquitaniæ primæ, quam omiſit, Lugdunenſem primam ſubſtituiſſet, quæ recenſenda non eſt in ſeptem provinciis.

Refellitur opinio, quæ Gallias in ſeptem provincias olim diviſas aſſerit.

LXVIII. Hic omittere non debeo eruditorum virorum opinionem, qui exiſtimant, univerſum corpus Galliarum olim in ſeptem partes tributum, unde Galliæ vocatæ ſunt ſeptem provinciæ. Quod duplici argumento probant. Primum petitur e Notitia Imperii, ubi Vicarius Præfecti prætorio Galliarum dicitur Vicarius per ſeptem provincias. Sed cum certum ſit ex iis, quæ prædixi, nullam extitiſſe Galliarum omnium in ſeptem provincias diviſionem, cum aut quatuor, aut poſtea quatuordecim ex inſtituto Hadriani vel Aurelii Antonini extiterint, vel ſaltem major numerus quam ſeptem, fruſtra laboratur in firmanda ſententia, quæ nullo vetuſtatis diſerto teſtimonio nititur. Conſequentia vero, quæ trahitur ex Notitia Imperii, nulla eſt. Locus enim eſt aperte mendoſus, & reſcribendum ſeptemdecim. Quippe in Notitia, ut reddatur ratio ſeptem provinciarum, ſtatim numerantur ſeptemdecim. Secunda probatio deſumpta eſt ex veteri quadam inſcriptione, ubi Acilius Glabrio Sibidius dicitur *Legatus in provincia Achaja, Conſularis Campaniæ & Vicarius per Gallias ſeptem provinciarum, ſacri auditorii cognitor.* Si hæc inſcriptio poſita ſit ante Conſtantini imperium, non agitur de Vicario Præfecti prætorio Galliarum, qui nondum inſtitutus erat Vicarius. Itaque hic ſumetur pro eo, qui extra ordinem vices Præſidis gerebat in provinciis juſſu Principis. De quo munere eſt *titulus in Codice de officio ejus, qui vicem alicujus Judicis vel Præſidis obtinet.* Mens ergo inſcriptionis erit, Acilium variis temporibus vices Præſidum egiſſe in ſeptem provinciis per Gallias. Si quis de Vicario Præfecti agi contendat, poſitamque inſcriptionem poſt tempora Conſtantini; dicendum, Acilii juriſdictionem intra ſeptem provincias coercitam, quarum conventus Arelate fiebat; qui quidem conventus non a Conſulari Viennenſis provinciæ, ſed a Præfecto prætorio cogebatur; cui deinde vel ipſe Præfectus vel ejus Vicarius præſidebat. Reliquarum provinciarum conventus alibi

Respondetur Notitiæ imperii.

Et veteri inſcriptioni.

Marca, Diſſert. Eccl.

alibi fiebat, ejusque cura alteri Vicario committi poterat ex arbitrio Principis. Unde non ineleganter Acilius Vicarius per Gallias septem provinciarum dicitur. Si cui interpretatio nostra non arridet, poterit cum eruditissimo viro de vitio exscriptoris hujus inscriptionis conqueri, & emendare: *Per Gallias & septem provincias*.

Veters urbium & populorum nomina post Notitiam ferè abolita.

LXIX. Ceterùm hìc observandum est, ex hac provinciarum divisione effectum, ut antiqua gentium, populorum & urbium nomina, quæ leguntur apud Cæsarem, Strabonem, Plinium & Ptolemæum, omnia ferè paulatim obliterata sint, præter ea, quæ in Notitia Imperii & exinde in usu civili & ecclesiastico retenta sunt. Itaque apud historicos vel alios scriptores post tertium seculum frustra quæras vel Gennabum pro Civitate Aurelianorum, vel Agendicum pro civitate Senonum, vel Durocortorum pro civitate Rhemorum, & alia id genus expleta nomina. Gentium quoque nomina, quæ Plinius & Ptolemæus anxiè describunt, ferè abolita, in provinciarum nomenclaturam apud Notitiam recensitarum concesserunt; ita ut de priscis illis vocabulis irrito plerumque labore non sit tantopere contendendum.

Ecclesia secuta est in suis provinciis divisionem Galliarum in XIV. provincias.

LXX. Galliarum divisionem in quatuordecim provincias secuti sunt olim Romani Pontifices & Ecclesia Gallicana in constituendis per Gallias Metropolitanis, cùm ea divisio in ea tempora incidat, quibus fides Christiana in his partibus florere incepit. Testis erit hujus rei singularis Innocentius primus: qui, licèt aversus esset à novis Metropolitanis instituendis in provinciis, quæ sua ætate imperiali judicio dividebantur, quemadmodum respondit Alexandro Episcopo Antiocheno, attamen Metropolitanos inductos ait juxta veterem provinciarum civilium divisionem. *Ergo secundùm pristinum provinciarum morem*, inquit, *Metropolitanos Episcopos convenit numerari*. Morem autem pristinum in Galliis non ad divisionem Augusti in quatuor provincias referri oportere, sed ad eam divisionem, qua Lugdunensis secta est in primam & secundam, (quod accidit tempore divisionis factæ in quatuordecim provincias) docet nos ipsemet Innocentius. Etenim cùm secundæ Lugdunensis metropolis sit in Notitia civitas Rothomagensium, Victricium ejus civitatis Metropolitanum Episcopum Innocentius agnovit suis literis anno CCCCIV. quibus eum de Metropolitarum auctoritate in ordinationibus Episcoporum, & de synodis provinciæ cogendis, ex canonibus Nicænis informat. Præterea eum honore sacerdotii plurimùm pollere docet; illique mandat, ut regionis suæ populis & Episcopis regulas & monita literis illis comprehensa insinuet. Isto exemplo fultis audacter asserere licet, nulli metropoli provinciæ civilis defuisse Metropolitanum Episcopum in Galliis. Quod juxta mores jam receptos sancitum fuit canonibus IV. & VI. Synodi Nicænæ; eosque canones in Galliis observari debere constituerunt Innocentius, Bonifacius, Cælestinus, & Leo, ut mox dicam, ita ut unaquæque provincia suo Metropolitano pareret. Ac sanè nullam adhuc controversiam movit Episcopis civitatum metropoleon, quæ sequuntur, Lugduni nempe, quæ in laterculo Imperii est metropolis Lugdunensis primæ, Rothomagensium in Lugdunensi secunda, de qua jam dixi, Treverorum in Belgica prima, Rhemensium in Belgica secunda, Biturigium in Aquitania prima, Burdigalensium in Aquitania secunda, Elusatium in Novempopulana.

Innocentius I. explicatur.

Rothomagensis Metropolitanus.

In quaque metropoli civili erat Episcopus Metropolitanus.

De Viennensi & Arelatensi metropoli disputatur.

LXXI. Tota difficultas versatur in provinciis institutis in Narbonensi antiqua, in duabus Germaniis, & in Maxima Sequanorum. Sed positio nostra ex contentionibus ea de re ortis inter Episcopos confirmatur potiùs quàm evertitur. Ex canonica enim illa & vetere regula Viennensis Episcopus solidam ordinationem provinciæ Viennensis sibi vindicabat adversus Arelatensem Episcopum coram Synodo Taurinensi anno trecentesimo nonagesimo septimo. Jactabat enim & vetustatem Ecclesiæ suæ & jus civitatis; quæ, ut metropolis, provinciæ nomen dederat. E contrario Arelatensis Episcopus opponebat sacerdotii antiquitatem, urbis suæ decus, quæ *Constantina* dicta fuerat à Constantino, *Gallula Roma* ab Ausonia, & à Valentiniano II. atque ab Honorio Principibus non solius provinciæ Viennensis, sed *mater omnium Galliarum*, ob sedem præfectoriam, quæ illuc translata fuerat ex civitate Treverorum. Quare synodus totius provinciæ honorem primatus deferendum censuit ei Episcopo, qui suam civitatem probaret esse metropolim, eique juxta Canones ordinationum potestatem addicendam. Interim, pacis fovendæ causa, unumquemque ex illis viciniores sibi intra provinciam civitates vindicare debere censuit. Sed Arelatensis, imperio Principis & apparitione præfecturæ fultus, possessionem suam firmare conatus est. Tandem Zosimus anno CCCCXVII. non solùm vices suas Patroclo Arelatensi mandavit, sed etiam decreto suo jussit, ut præcipuam in ordinandis sacerdotibus teneret auctoritatem, & provincias Viennensem, quin etiam Narbonensem primam & secundam, ad suum pontificium revocaret. Amplificando huic juri color quæsitus ex Trophimi adventu; qui missus ab apostolica sede, primus fidem in Gallias intulisse & Ecclesiam Arelatensem fundasse asserebatur & ex antiquo more tres illas provincias administrationi hujus Ecclesiæ subjectas. Ac quidem vi decreti pontificii Viennensem provinciam solidam tunc obtinuit Arelatensis Episcopus; quæ deinde judicio Leonis Papæ divisa est anno quadringentesimo quinquagesimo, ita ut Viennensi Episcopo cederent civitates Valentiæ, Tarentasiæ, Genavæ, & Gratianopolis, ut cum his ipsa Vienna esset quinta; reliquæ verò civitates ejusdem provinciæ, numero novem, sub Arelatensis antistitis auctoritate & ordinatione consisterent. Sed præcipuum est in hac controversia, quod Leo hujus divisionis auctor annotavit, scilicet se ad hoc consilium impulsum, tum quia alternis vicibus nunc ista civitas, nunc illa in ecclesiasticis privilegiis præcelleret, tum quia commune fuerat quondam utrique civitati jus metropoleos civilis in ea provincia, ut a gentibus provinciæ illius prodebatur. Hæc sunt verba Leonis: *Consideratis allegationibus utriusque partis præsentium Clericorum, ita semper intra provinciam vestram & Viennensem & Arelatensem civitates claras fuisse reperimus, ut quarundam causarum altera ratione nunc illa in ecclesiasticis privilegiis, nunc ista precelleret; cùm tamen eisdem commune jus quondam fuisse à gentibus proderetur*. Unde gentes regionis prodere poterant jus quondam utrique civitati in ea provincia fuisse commune, nisi ex eo, quòd vetustas Coloniæ Viennensis & splendor adjectus Arelatensi civitati (ex constitutione Valentiniani ii. qui obiit anno CCCXCII.) in unius juris civilis communionem ambas civitates jungebat. Itaque certa manet regula nostra, Viennensi provinciæ suum non defuisse Metropolitanum; attamen quia jus metropoleos civilis inter duas illas civitates fuit controversum, ambiguum quoque inter eas fuisse jus metropoleos ecclesiasticæ, donec velut arbitrio de communi dividundo a Leone primo terminatum est.

Judicium Concilii Taurinensis pro divisione civitatum Viennensis provinciæ.

Decretum Zosimi pro Arelatensi Episcopo in tres provincias.

Iterum facta divisio decreto Leonis.

Quia jus metropoleos civilis commune olim civitatibus Viennæ & Arelati.

Narbonensis metropoleos jus.

LXXII. Quod attinet ad Narbonensem primam, cujus administrationem Zosimus Patroclo Episcopo Arelatensi addixerat, Hilarius Narbonensis Episcopus Ecclesiæ suæ libertatem tuitus est. Cùm enim Patroclus, rescripto Zosimi nixus, Ecclesiæ Lutubensi sine decreto cleri & civium, & prætermisso Narbonensi Metropolitano, præfecisset Episcopum, Bonifacius I. querela Hilarii interpellatus anno CCCCXXII. provinciæ administrationem illi ex præscripto Canonum confirmavit, compressa Patrocli audacia. *Quod nequa-*

Confirmatum a Bonifacio I.

nequaquam possumus ferre patienter, inquit, *quia convenit nos paternarum sanctionum diligentes esse custodes. Nulli etenim videtur incognita Synodi Nicenæ constitutio, quæ ita præcipit; ut eadem verba ponamus, per unamquamque provinciam jus Metropolitanos singulos habere debere, nec cuiquam duas esse subjectas*. Mox: *Unde, frater charissime, si ita res sunt, & Ecclesiam supradictam provinciæ tuæ limes includit, nostra auctoritate commonitus, quod quidem facere sponte deberes, desideriis supplicantium & voluntate respecta, ad eundem locum, in quo ordinatio talis celebrata dicitur, Metropolitani jure munitus, & præceptionibus nostris fretus, accede, intelligens arbitrio tuo secundùm regulas patrum quæcunque facienda sunt, à nobis esse concessa; ita ut peractis omnibus, apostolicæ sedi, quicquid statueris, te referente clarescat, cui totius provinciæ suæ ordinationem liquet esse mandatam*. Quam definitionem Bonifacii Cælestinus epistolæ suæ ad Episcopos Viennensis & Narbonensis provinciæ *cap. IV.* confirmat anno CDXXVIII. *Primum*, inquit, *ut juxta Canonum decreta unaquæque provincia suo Metropolitano contenta sit, ut decessoris nostri data ad Narbonensem Episcopum continent constituta; nec usurpationis locus alicui sacerdoti in alterius concedatur injuriam. Sit concessis sibi contentus unusquisque limitibus; alter in alterius provincias nihil præsumat*. Leo Primus eleganter eandem sententiam explicat anno CCCCXLV. in epistola ad Episcopos Provinciæ Viennensis *cap. II. & III.* & rectè observat, Bonifacii constitutione sublatum privilegium ordinationum in prima Narbonensi, quod Patroclo Arelatensi fuerat a Zosimo collatum. Eò enim respiciunt hæc verba Leonis *cap. II. Cùm & ipsum quod Patroclo à sede apostolica temporaliter videbatur esse concessum, postmodum sit sententia meliore sublatum*. Unde patet, subreptum fuisse Zosimo ab Arelatensi Episcopo veterem consuetudinem per dolum obtrudente, & Zosimi epistolas, quæ ex codice Arelatensi publicatæ sunt, genuinas esse.

Qui sustulit privilegium à Zosimo collatum Patroclo Arelatensi.

De Ebredunensi Metropoli.

LXXIII. Difficilem vulgò putant esse quæstionem de provincia Alpium maritimarum, cujus metropolis est civitas Ebredunensium in Notitia, eò quòd Hilarius Arelatensis sibi tanquam Metropolitano Ebredunensis Ecclesiæ ordinationem arrogaverit in synodo Regensi anno CCCCXXXIX. dejecto Armentario, ea occasione, quod a duobus Episcopis, sine provincialium literis, & Metropolitani (id est, Arelatensis) voluntate neglecta, ordinatus fuisset. Sed Hilarii factum trahi non potest in consequentiam: quia, ut monuit Leo primus eum increpans, *ordinationes sibi omnium per Gallias sacerdotum vindicabat, & debitam Metropolitanis sacerdotibus in jus suum transferebat dignitatem*. Ideoque Leo Metropolitanos, quibus ab Hilario facta fuerat injuria, restituit in integrum: *Ordinationem sibi* (inquit *cap. III.*) *singuli Metropolitani suarum provinciarum, cum his, qui ceteros sacerdotii antiquitate præveniunt, restituto sibi per nos jure defendant*. Ceterùm Ebredunensis civitatis Episcopus in provincia Alpium maritimarum semper jure metropolitico potitus est. Testem laudo Hilarum Papam, qui anno CDLXIV. scripsit, Ingenuum Ebredunensem Alpium maritimarum provinciæ semper Metropolitani honore subnixum fuisse. Ex quo jure subortam inter Auxanium Narbonensis secundæ, ut puto, Metropolitanum & Ingenuum de Cemelenensi civitate & castello Nicænsi controversiam diremit. Ordinarat Episcopum in altera illarum Ecclesiarum Auxanius, & eo facto loca prædicta in duos diviserat Episcopos. Quod Hilari rescripto muniri per obreptionem impetrarat. Eadem omnino causa inter easdem partes superioribus annis Leonis primi judicio decisa fuerat, objurgato etiam Ingenuo,

Explicata Synodus Regensis I. quæ correcta à Leone.

Ebredunensis semper fuit Metropolitanus Alpium maritimarum.

Explicatus Hilarus.

quod juri provinciæ suæ in gratiam Auxanii contra Canones cessisset. *Nolumus*, inquit Hilarus, *Ecclesiarum privilegia, quæ semper sunt servanda, confundi; nec in alterius provincia sacerdotis alterum jus habere permittimus*. Mox: *Habeat itaque pontificium frater & coepiscopus noster Ingenuus provinciæ suæ, de cujus dudum ab apostolica sede est illicita cessione culpatus*. Et statim ad unius antistis curam castrum Nicænse & civitatem Cemelenensem reduci jubet.

De provincia Alpium Grajarum, & de Tarantasiæ Episcopo.

LXXIV. Majoris momenti est controversia de provincia Alpium Grajarum & Penninarum, quæ in laterculo Imperii duabus tantùm civitatibus constabat, Tarantasia & Octodoro; quarum una & prima, nempe Tarantasia, commissa est Viennensium metropoli à Leone primo. Sed observandum est, hoc Leonis decreto nihil constitutum fuisse adversùs regulam à nobis positam, neque contra jus civitatis, utpote quæ in ordine civili jure metropoleos non potiretur, sed tantùm nudo jure civitatis, ut patet ex Notitia à viro clarissimo Sirmondo edita: *Provincia Alpium Grajarum & Penninarum. Civitas Centronum Tarantasia. Civitas Valensium Octodoro*. Quoniam tamen Alpium Grajarum & Penninarum provincia recensetur in laterculo Imperii, provinciæ quoque locum retinuit in ordine ecclesiastico, ut patet ex inscriptione epistolæ octavæ Hilari Papæ. Unde factum existimo, ad conservandam provinciæ distinctionem, ut Octodori Ecclesia (quæ episcopali fastigio insignita erat anno CCCLXXXI. ut patet ex subscriptione Concilii Aquilejensis) non sit credita Viennensi Ecclesiæ à Leone unà cum Tarantasia. Quæ quidem Ecclesia Octodori, cùm alicui subesse deberet, non alii subjici potuit quàm Tarantasiæ Episcopo ejusdem provinciæ, qui Octodorensem Episcopum ordinaret; ad exemplum ejus dispositionis, quæ in Narbonensi secunda vigebat, ubi Episcopus metropoleos Aquensis suberat Arelatensi, licèt provinciam Narbonensem administraret. Quare posterioribus seculis post canonem octavum Concilii Francofordiensis & consultationem ad sedem apostolicam ab eo missam de Tarantasiæ Episcopi jure anno septingesimo nonagesimo quarto, id facile obtinuit Tarantasiæ Episcopus, Romanorum Pontificum beneficio, ut inter Metropolitanos liber à Viennensis obsequio referretur. Unde Tarantasia inter Metropoles numeratur in testamento Caroli Magni; & Teutrannus illius civitatis Archiepiscopus dicitur à Joanne VIII. & ab eo ad Synodum cum suffraganeis suis evocatur epistola centesima.

De Germaniis prima & secunda.

LXXV. Nunc agendum superest de duabus Germaniis, quæ sic distinguuntur in Notitia: *Provincia Germania prima. Metropolis civitas Moguntiacensium, civitas Argenteratensium, Civitas Nemetum, civitas Vangionum. Provincia Germania secunda. Metropolis civitas Agrippinensium, civitas Tungrorum*. Ac primò quidem secundam Germaniam aggrediemur, ut observemus discrimen, quod civilis ordo servabat inter Tarantasiam & Coloniam Agrippinam. Huic enim nobilissimæ civitati metropoleos dignitas disertè tribuitur, quæ in alterius descriptione omissa est. Athanasius quoque, qui eas oras lustraverat, cùm in comitatu ex aula Principis apud Treveros versaretur, inter cæteros Episcopos suæ communionis recenset Euphratam, Episcopum Agrippinæ μητροπόλεως τῆς ἄνω Γαλλίας in epistola ad Solitarios; ubi legendum fortasse τῆς ἄνω Γαλατίας. qua locutione Græci Gallias nostras significabant, ut discimus ex Philostorgio lib. X. tmemate V. cujus fragmenta cum eruditis dissertationibus suis publici juris fecit celeberrimus Jurisconsultus Jacobus Gothofredus. Itaque post Athanasium de jure metropolitico Coloniæ ampliùs disputare nefas esse duco. Id solum demendum est dubium, quod aliquos retardavit ab assensu veræ sententiæ. Nempe duorum Episcoporum numerus

Colonia metropolis Germaniæ secundæ.

Athanasius explicatur.

Dubium de duabus civitatibus solvitur.

non videtur sufficere ab constituendam provinciam ecclesiasticam; eò quòd ordinationes Episcoporum à tribus Episcopis fieri debent, & Synodi provinciales minori numero constare non posse videantur, quia tres faciunt corpus seu collegium ex vulgata regula Juris. Sed ordinationi satisfaciebat Metropolitanus, advocatis è vicina provincia per literas Episcopis, juxta canonem quintum synodi Sardicensis. Ipsius verò auctoritas adhibebatur, ut electionis decretum & totum negotium ordinationis confirmaret, secundùm Nicænam Synodum. Concilium autem cogebat ex Episcopo Tungrorum sibi subdito, qui demum Leodii sedem fixit, & ex Presbyteris, qui per castra Germaniæ secundæ frequentes erant; quorum castrorum meminit Concilium vetus Agrippinense anno trecentesimo quadragesimo sexto. Si qua verò major causa incideret, in conventu trium vel ampliùs provinciarum in ea provincia, quæ auxilio indigebat celebrato, de Metropolitanorum consensu dirimebatur. Processu temporis per varias bellorum clades deleta sæpe Colonia, dignitatis quoque metropoliticæ memoria obscurata est; donec eam Zacharias Pontifex rescripto suo renovavit anno septingesimo quadragesimo quarto; quæ deinde civitatibus aliquot in Germania sibi subditis aucta est.

Germaniæ primæ olim metropolis Moguntiacum.

LXXVI. Germaniæ primæ metropolis in Notitia civili est civitas Moguntiacensium; cui subduntur civitates Argentoratensium, Nemetum & Vangionum. Ex regula Synodi Nicænæ & decretis summorum Pontificum, qui per Gallias ex more pristino provinciarum Metropolitanos numerandos docent, dignitas ecclesiasticæ metropoleos denegari non potest splendidissimæ Coloniæ Moguntiacensium à Druso fundatæ. Fateor equidem, nos testimoniis veterum hac in parte destitui, & a Germanicis historicis ipsoque Nicolao Serario, viro eruditissimo & accurato rerum Moguntiacarum scriptore, deseri. Sed si momenta, quæ argumentis a nobis allatis insunt, diligenter expendissent, non adeo facilè, dignitatem metropoliticam unius provinciæ in alteram transferri potuisse, contra canones Nicænos in Galliis receptos, & decretis Summorum Pontificum confirmatos, sibi persuasissent, nempe in Coloniensem, vel Trevericam, vel etiam, quod absurdius est, turbato disciplinæ ordine, in Ecclesiam Vangionum, seu Wormatiensem, quæ in laterculo Imperii subdita erat Moguntiacensi. Itaque si quis hac in re sapere velit, amplecti debet sententiam celeberrimi viri & eruditione æque ac dignitate illustris P. Berterii Præsidis Tolosani, cujus hæc sunt verba *diatriba II. cap. V. Moguntinum quidem Episcopum, florente Imperio, Germaniæ primæ Metropolitanum fuisse, non dubito. Nam quis hanc unam non solùm in Galliarum Diœcesi, sed in toto ferè orbe Romano metropolim jus suum non retinuisse crediderit? Etenim ubi majestatis Romanæ nomen post in Germania extinctum est, formas civiles & ecclesiasticas perturbari illic facilè potuisse non inficior.* Hæc ille; quæ nos decursa rerum Moguntiacarum serie confirmabimus.

Quod asseritur adversus Germanicos scriptores.

Excisa Moguntia.

LXXVII. Moguntia a Vandalis capta atque subversa anno quadringentesimo decimo, deinde ab Attila Hunnorum Rege funditus excisa atque delata est anno quadringentesimo quinquagesimo quarto, ita ut ne cadaver quidem urbis aut nomen ipsum superesset. Theodeberti Francorum Principis in Austrasia beneficio restitui cœpit, annitente Sidonio, qui tenuit urbis episcopatum & Attilani excidii reliquias reparavit circiter annum sexcentesimum. Tentari posset ex Venantio Fortunato, qui libro IX. epigr. IX. hujus Sidonii laudes descripsit, metropoliticam quoque administrationem Ecclesiæ Moguntinæ restitutam. Iis enim verbis, de Sidonio loquens, utitur, ac si ceteros Episcopos auctoritate sua regeret: *Jura sacerdotum* (id est, Episcoporum) *sacro moderamine servans*. Accedit testimonium petitum ex Tabulis donationis a Bilechilde sanctimoniali collatæ in Ecclesiam beatæ Mariæ, quam Moguntiæ excitavit; ubi testatur, se agros quosdam emisse ab avunculo suo Sigeberto Archiepiscopo Moguntino; cujus quoque jussu donatio illa a notario excepta est principatu regis Clodovei, anno Christi sexcentesimo trigesimo quinto, cujus verba retulit Serarius libro secundo Moguntiacarum rerum cap. XXXII. Peccatum est in temporis annotatione, cùm regnum Clodovei incidat in annum sexcentesimum quadragesimum quartum, usque ad annum sexcentesimum sexagesimum. Quod emendari posset ex autographo, si extaret. Ceterùm non assentior Serario, cui suspecta fuit instrumenti fides ex titulo Archiepiscopi, qui Sigeberto tribuitur, quem ille a Zacharia tantùm seculo sequenti impositum putat. Certum quidem est, per bella civilia ita perturbatas fuisse in Galliis ecclesiasticæ disciplinæ rationes post tempora Childerici Regis, ut ab anno DCLXX. usque ad annum DCCXLIII. Galliæ Archiepiscopis caruerint, teste Bonifacio in epistola, quam dedit ad Zachariam Pontificem anno septingentesimo quadragesimo tertio. *Franci enim, ut seniores dicunt, plus quàm per tempus octoginta annorum synodos non fecerunt, nec Archiepiscopum habuerunt, nec Ecclesiæ canonica jura alicubi fundabant vel renovabant.* Quare Bonifacio laborandum fuit, & tractandum cum Ducibus Francorum Pipino & Carlomanno, pro restaurandis Archiepiscopis per provincias, id est, pro restituenda auctoritate metropolitana. Etenim quin episcopali fruerentur earum sedium antistites, non est dubium. Itaque tres constituti sunt Archiepiscopi in Concilio Suessionensi, Grimo Rothomagi, Abel Rhemis, & Arbertus in civitate Senonica; quorum institutionem Palliis missis Zacharias probavit anno septingentesimo quadragesimo quarto. Anno sequenti Coloniæ metropolim confirmavit. Et paulò post, in quo versaretur auctoritas Metropolitanorum, ex canonibus & decretis Pontificum edocuit. Tandem anno DCCLI. Bonifacio ejusque successoribus Episcopis Moguntinam sedem titulo metropoleos possidendam contulit; eique civitates quinque in Gallia subdidit, atque illas Germaniæ gentes, quas Bonifacius ad fidem erudierat. *Et idcirco*, inquit, *beati Petri Apostoli auctoritate sancimus, ut supradicta Ecclesia Moguntina perpetuis temporibus tibi & successoribus tuis in perpetuum sit confirmata, habens sub se has quinque civitates, id est, Tungris, Coloniam, VVormaticam, Spiraciam, & Trectis, & omnes Germaniæ gentes, quas tua fraternitas per suam prædicationem Christi lumen agnoscere fecit.* Obliteratum per annos sexaginta & amplius jus Moguntiæ in integrum restituit, ejusque auctoritatem amplificat, prorogata in Germanos auctoritate, atque in ipsam Coloniam Agrippinensem. Sed pro hac parte rescriptum effectu caruit. Sanè in Zachariæ verbis nihil perspicio, ex quo colligere possit aliquis nullam ante hanc dignitatem metropoliticam civitati Moguntiæ competivisse. Otlonus auctor vitæ Bonifacii cap. XLIV. omnes in fraudem induxit, dum ait, Ecclesiam Moguntiacensem alteri fuisse subjectam. *Decreverunt iidem Principes* (scilicet Carlomannus & Pipinus) *Ecclesiam Moguntiacensem, quæ prius alteri subjecta erat, metropolim omnium in Germania positarum Ecclesiarum efficere; moxque legatione facta illud à Præsule Apostolico impetravere.* Fallitur Otlonus, qui anno M. XC. cùm hanc vitam scripserit, conjecturam suam potiùs quàm res sibi aliter compertas explicat. Sic autem colligebat ex ordine disciplinæ canonicæ, Moguntiam olim alteri subditam fuisse, si demum a Zacharia in metropolim evecta esset. Sed meminisse oportet luctuosissimæ calamitatis, quæ Gallias invaserat ab annis

Restituta cum dignitate metropoleos.

Jus metropoliticum cessavit in Galliis per annos sexaginta & amplius ante Pipini tempora.

Restituta iterum metropolis Moguntiæ à Zacharia.

Et amplificata.

Error Otloni, qui scripsit vitam Bonifacii Moguntini.

annis sexaginta, Archiepiscoporum nomine & auctoritate penitus extinctis, ante Zachariæ rescriptum. Itaque ut nulli præerat Episcopus Moguntinus, ita nulli tunc subdebatur. Primus honoris gradus & jura metropolitica in plerasque Germaniæ Ecclesias à Moguntina sede avulsa sedi Magdeburgensi collata sunt anno MCXXXV. ab Innocentio II. precibus Lotharii II. in gratiam Nortberti Archiepiscopi, Præmonstratensis monasterii conditoris.

De provincia Sequanorum. Ejus metropolis civitas Vesontiensium.

LXXVIII. Restat ex quatuordecim provinciis maxima Sequanorum, cujus metropolis civitas Vesontiensium; à qua pendent civitas equestrium Noiodunus, civitas Elvitiorum Aventicus, civitas Basileensium, castrum Rauracense, castrum Vindonissense, castrum Ebrodunense, portus Abucini. Ex regula canonica Vesontiensium Episcopus hanc provinciam Metropolitani jure regere debuit. Et sanè illam administravit, aut quidam alius. Non me latet Hilarium Arelatensem jus sibi in eam arrogasse, deposito Chelidonio Vesontiensi. Qua de re vetus codex monasterii Jurensis à Chiffletio laudatus ista habet: *Hilarius venerabilem Chelidonium supradictæ metropolis*, id est, Vesontiensis, *Patriarcham, patritio præfectorioque fultus favore, indebitam sibi per Gallias vindicans monarchiam, à sede episcopali nulla existente ratione dejecerat.* Subjungit deinde rescissam à Leone damnationem, Hilariumque regulariter increpatum. Extat Leonis epistola data anno CCCCXLV. quæ negotium istud explicat. Refert enim, Chelidonium ab Hilario fuisse sacerdotio dejectum, quod fuisset viduæ maritus; sed redditum Ecclesiæ suæ, & huic quam amittere non debuit dignitati, quòd cognitione apud sedem apostolicam habita liberum se ab accusatione docuisset. *Mansisset namque in illum prolata sententia*, inquit Leo, *si objectorum veritas extitisset.* Quibus verbis metropolitica Chelidonii dignitas pessumdari videretur, nisi sola vicaria potestate à Zosimo Episcopis Arelatensibus delegata jus aliquod cogendarum in Galliis Synodorum Hilario competivisse sciremus. In qua synodo de Chelidonii causa judicium tulit, ex more recepto & à canonibus inducto, qui Episcopos synodorum examini committunt, salva sedis apostolicæ reverentia. Sed judicii ratio à solo Hilario repetitur, quia illo auctore sententia lata erat. Solenne enim erat à Concilii præsidibus injustæ cognitionis rationem exigere, quemadmodum docet actio prima Concilii Chalcedonensis, ubi acta Synodi Ephesinæ secundæ discutiuntur, & à Dioscoro illius præside injusti judicii pœna repetitur; quemadmodum ipse eam à Flaviano Constantinopolitano exegerat ob damnatum Eutychetem in synodo Constantinopolitana. Nulla alia potestate, præter vicariam, Hilarius uti poterat adversus Chelidonium. Attamen hæc tota ratio Leoni displicuit: ex cujus verbis apertissimè demonstratur, nulli Episcopo aliquid licere in Sequanica provincia, quemadmodum nec in ceteris provinciis, præter ipsius provinciæ sacerdotes. *Suis*, inquit, *unaquaque provincia sit contenta Conciliis, nec ultrà Hilarius audeat conventus indicere synodales* (Conventum adversus Chelidonium habitum perstringit) *& sacerdotum Domini Judicia se interserendo turbare; qui non tantùm noverit, se ab alieno jure depulsum, sed etiam Viennensis provinciæ, quam malè usurpaverat, potestate privatum.* Quare eleganter in Novella constitutione Valentiniani Hilarius damnatus fuisse dicitur à Leone, tum quòd invitis civibus aliquos ordinasset Episcopos, tum quòd alios *incompetenter* removisset. Quod ultimum de Chelidonio & de Projecto intelligendum est. Idem Pontifex in eadem epistola adeo exactum se provinciarum custodem præstitit, ut à limitibus unius provinciæ alterius Metropolitanum arcuerit; hoc adjecto, ut, si quis honoris sui desertor privilegium suum in alium se posse transferre crediderit, non is, cui cesserit, sed qui intra provinciam ceteros episcopali antiquitate prævenit, sacerdotes sibi ordinandi vindicet potestatem. Ex facti serie & cognitione à Leone habita provinciæ Vesontionensis à ceteris discretæ nullique extraneo subditæ status evidentissime demonstratur, atque adeo dignitas Episcopi Vesontionis, quæ civitas in ordine civili est Maximæ Sequanorum metropolis.

Hilarius Arelatensis jus in ea provincia sibi arrogat, deposito Chelidonio.

Quod rescinditur à Leone.

Quia Hilario nihil licebat extra provinciam suam.

Unde patet provinciam Sequanicam distinctam à reliquis.

De civitatibus & castris, quæ in Notitia tribuuntur provinciæ Sequanicæ.

LXXIX. Duplex tamen movetur difficultas ab eruditis viris. Una sumitur ex hodierno provinciæ Vesontionensis statu, qui Bellicensem, Lausanensem & Basileensem episcopatum Metropolitano Vesontiensi tribuit; cùm tamen in Notitia aliæ describantur civitates & loca, quæ nunquam episcopatibus decorata sunt. Ut autem hæc difficultas expediatur, observandum est, à Synodo Sardicensi decretum canone VI. ut civitatibus sui non deessent Episcopi; sed vetitum, ne in vicis aut pagis constituerentur, ne dignitas illa vilesceret. Quare cùm quatuor civitates provinciæ Sequanicæ Notitia describat, illis necessariò imponendi sunt Episcopi, ut ordo civilis cum sacro paria faciat. Castris, quæ sunt minora oppida, ex arbitrio synodorum provincialium pro cujusque celebritate tribui possunt, vel pro infrequentia etiam omitti. Nunc considerandum est provinciæ Sequanicæ fatum; qua sæpe vastata & direpta quarundam civitatum, quæ in Notitia describuntur, dignitas in alias urbes translata est. Itaque deleto Noioduno, quod vulgo *Nion*, episcopatus translatus est in civitatem Bellicensem. Unde Vincentius Ecclesiæ Bellicensis Episcopus subscripsit Concilio Parisiensi II. anno quingentesimo quinquagesimo quinto; Coloniæ Augustæ Rauricorum præerat Justinianus Episcopus anno CCCXLVI. in Concilio Agrippinensi: ex cujus civitatis ab Alamannis eversæ ruderibus statim excitata est civitas Basileensium, cujus meminit Ammianus libro trigesimo, Valentiniani senioris temporibus, id est, anno trecentesimo septuagesimo quarto. Unde nomen indeptus est Basileensis Episcopus. Rauraci verò castrum excitatum est ad tuendos limites. Diutiùs stetit Aventica civitas, vulgò *Avenches*, cujus Episcopus Marius subscripsit Concilio Matisconensi II. anno quingentesimo octuagesimo quinto. Sed paulò pòst, exciso Aventico, dignitas ejus collata est Lausanæ ad Lacum Lemanum. Unde Arricus Episcopus Ecclesiæ Lausanensi subscripsit Synodo Cabilonensi anno sexcentesimo quinquagesimo. Castrum Vindonissæ synodorum beneficio, non autem jure, suis quoque Episcopis non caruit, qui Concilio Epaonensi DXVII. & aliis synodis interfuerunt; donec eversa Vindonissa, quæ vulgò *Windisch* in finibus Helvetiorum, Constantia Germaniæ eam dignitatem recepit, & à provincia Vesontiensi distracta est. Castrum Ebrodunense, quod vulgò Yverdun, nunquam episcopatu decoratum fuit, nec portus Abucini, seu Lucini; quemadmodum legi vult Chiffletius, docetque vulgò dici *Port de Lené*, ad Lucinum fluvium.

Noiodunum.

Civitas Bellicensis.

Raurica.

Civitas Basileensium.

Aventicum.

Lusana.

Vindonissa.

Castrum Ebrodunense.

De Vesontionis Episcopi subscriptione in Conciliis.

LXXX. Alter controversiæ articulus caput ipsum petit, nempe Vesontionem; cujus Episcopus nec sibi Metropolitani titulum arrogavit in Conciliis, nec superiore loco cum ceteris Metropolitanis subscripsit. Si pateretur institutum, hic disputari copiosè posset de ordine consessus & subscriptionum in Conciliis. Id tantùm annotabo, quod ad rem nostram pertinet, nempe hanc fuisse regulam à patribus inductam, ut antiquior ordinatione Episcopus collegas suos antecederet. Id docent Africana Concilia, Leo I. epistola octogesima nona, Justinianus *in l. 29. Cod. de Episcop.* qui κατὰ τάξιν χειροτονίας docet Episcopos προτάττειν. Cujus moris adeo retinentes plerumque erant Episcopi, ut Metropolitanis non invitis priores ordinatione in subscribendo præferrentur. Quod demonstrari potest ex synodorum Gallicanarum subscriptionibus; ubi Metropolitani sæpissime cum aliis Episcopis permisti inveniuntur, nullo dignitatis ordine servato. Itaque mos iste trahi non debet in solius Episcopi Veson-

De consessu Episcoporum in synodis, & de subscriptionibus.

Ordine temporis.

vel permistim.

Vesontiensis injuriam. Aliquando verò, antiquioribus Episcopis jus suum ex modestia remittentibus, accidebat, ut omni ordine neglecto perturbatè subscriptiones fierent, præcipuè apud Gallos; quorum negligentiam in hoc capite carpit Gregorius I. epistola ad Syagrium Augustodunensem Episcopum *lib. VII. epistola CXIV. Episcopos secundum suæ ordinationis tempus, sive ad considendum in Concilio, sive ad subscribendum, vel in qualibet alia re, sua attendere loca decernimus, & suorum sibi prærogativam ordinum vindicare.* Sanè Metropolitani excepti erant ab hac regula, saltem in provinciis quique suis; ubi honoris prærogativa illis competebat, tum ex ipsa rei natura, tum ex canone apostolico, & ex canone Antiocheno. *Can. XXXV.* apostolicus: τοὺς ἐπισκόπους ἑκάστου ἔθνους εἰδέναι χρὴ τὸν ἐν αὐτοῖς πρῶτον, καὶ ἡγεῖσθαι αὐτὸν ὡς κεφαλήν. Id est, ex versione Dionysii: *Episcopos gentium singularum scire convenit, quis inter eos primus habeatur, quem velut caput existiment.* Et *canone IX.* Antiocheno: *Placuit eum honore præcellere:* Ἔδοξε καὶ τῇ τιμῇ προηγεῖσθαι αὐτόν. Unde Concilium Bracarense I. *can. XXIV. Conservato Metropolitani Episcopi primatu, ceteri Episcoporum, secundum suæ ordinationis tempus, alius alio sedendi deferat locum.* In conventu autem plurium provinciarum, ex regula canonica vetere Metropolitani ceteris Episcopis præferendi erant; ut disertè constitutum est in Africana collectione *canon. LXXXVI. Hic ordo,* inquiunt, (id est, ex tempore ordinationis) *& à patribus & à majoribus servatus est, & à nobis Deo propitio servabitur. Salvo etiam jure primatus Numidiæ & Mauritaniæ.* Excipiunt à regula Primates Numidiæ & Mauritaniæ; quibus in Concilio universali Africæ primus locus post Carthaginensem dabatur, ob dignitatem & vetustatem provinciarum. Omissæ autem sunt Tripolitana, Byzacena, & Mauritania Sitifensis; quia recentiores erant tribus aliis, & proinde minoris erant dignitatis, ut statim dicemus. Interim annotasse sufficiet, ex nova canonis Africani interpretatione, quam damus, priorem locum Metropolitanis deberi in conventibus generalibus. Sed apud Gallos nostros, ordinationis tempore inspecto, nullo discrimine metropoleon, Episcopi plerumque assidebant. Postquam verò Archiepiscopi nomen (quo sola Matisconensis synodus anno DLXXXI. semel usa fuerat) Metropolitanis omnibus passim apud nos tributum est in synodo Suessionica sub Pipino Duce anno septingentesimo quadragesimo quarto, in Capitulis Hadriani, & in Capitularibus Caroli Magni atque Ludovici Pii, tum in epistolis pontificiis Isidorianæ collectionis, Episcopi metropoleon & nomen illud Archiepiscopi sibi palam adsciscere, quod in metropolitico neglexerant & confessus prærogativam præ ceteris Episcopis diligentiùs conservare studuerunt. Quare Hincmarus ex usu temporis sui, quamvis aliquando interpellato, rectè observavit, antiquitatis privilegio Episcopos inter se præferri, sed dignitatis gradu Primates seu Metropolitanos illis præcellere, & inter se tempore differre. *Inter quos,* (inquit *epistola VI. cap. XVI.* de Primatibus Gallicanis, Belgicis, & Germanicis loquens) *sicut & inter reliquos Episcopos hæc conditio regularis servatur, ut, qui prius fuerit ordinatus, prior habeatur.* Itaque nihil damni recidet in Vesontionensem sedem, quòd ejus Episcopus ceteris Episcopis permistus inveniatur sine Metropolitani titulo. Neque tamen adeo neglecta est ejus civitatis dignitas, quin juxta antiquum morem inter metropoles Galliæ recenseatur in testamento Caroli Magni apud Eginhartum, & Bernoinus dicatur esse ejus Archiepiscopus in capitulari Ludovici *lib. II. Capitularium cap. XXV. In Vesontio, quæ est diœcesis Bernoini Archiepiscopi.* In epistola synodali ad Wenilonem, unà cum ceteris Metropolitanis inscribitur Arduicus Vesontionum Metropolitanus Episcopus anno octingentesimo quinquagesimo nono. In Concilio Pontigonensi anno octingentesimo septuagesimo sexto, etsi post plures Episcopos subscripsit Theodoricus Vesontionum Ecclesiæ Archiepiscopus; ad quem Joannes VIII. epistolam dedit cum hac inscriptione: *Reverendissimo & sanctissimo Theodorico Archiepiscopo Chrysopolitanæ Ecclesiæ.* Chrysopolis enim dicta est Vesontionum civitas.

Quod castigat Gregorius apud Gallos.

Metropolitani, primi in sua provincia.

In conventu plurium provinciarum Metropolitani ceteris Episcopis præferendi.

Explicatur canon Africanus.

In Galliis id semper non obtinebat.

Visi seriùs, post usurpatum nomen Archiepiscopi.

Quod obtinebat Hincmari ævo.

Vesontio metropolis dicta à Carolo Magno.

Et ejus Archiepiscopus in Capitularibus & Conciliis.

Joannes VIII. epist. 245.

LXXXI. Non solùm autem Episcopi civitatum metropoleon ex antiquissima divisione in quatuordecim provincias dignitatem suam retinerunt, sed etiam ii, qui ex divisione facta sub Gratiano novarum metropoleon sacerdotia possidebant. Tres sunt metropoles ejus generis, Senonum, Turonorum & Aquensium. Senonia provincia recisa à Lugdunensi prima, civitas Senonensium facta est metropolis, ut docet Notitia. Ejus quoque provinciæ Metropolitanus dicitur Agrœcius Senonensis Episcopus à Sidonio Apollinari anno quadringentesimo septuagesimo secundo; qui eum ad ordinationem Bituricensis Episcopi literis suis invitat, auxilio comprovincialium Episcoporum destitutus ob invasam à Gothis Aquitaniam, *libro VII. epistola V. Nec te, quanquam Senoniæ caput es, inter hæc dubia subtraxeris intentionibus Aquitanorum; quia minimum refert, quòd nobis est in habitatione divisa provincia, quando in religione causa conjungitur.* Mox: *Quapropter in constituendo præfatæ civitatis antistite provincialium collegarum deficimur numero, nisi Metropolitanorum reficiamur assensu.* Posteri gradum illum studiosè tuiti sunt; donec superioribus annis Senonia quoque provincia secta est, & Parisiensi novæ provinciæ ecclesiasticæ impositus est Archiepiscopus urbis Regiæ, Summi Pontificis decreto, & regio assensu.

Novæ tres Metropoles post primas XIV.

Metropolitanus Senonensis.

LXXXII. Turonica provincia, seu Lugdunensis tertia, statim atque distracta fuit à Lugdunensi secunda, civitatem Turonorum metropolim agnovit; ejusque Episcopus ceteris provincialibus Episcopis præfuit. Quod docet Concilium Veneticum in Paterni Episcopi civitatis Venetum (*Vannes*) ordinatione celebratum à Perpetuo Turonico Episcopo anno CDLXV. qui primus synodo unà cum Episcopis provinciæ subscripsit.

Et Turonicæ provinciæ.

LXXXIII. Narbonensis secunda, recisa à Viennensi, provinciæ specialis & distinctæ nomen induit. De ejus administratione disceptatum est in synodo Taurinensi; quæ concessa est Proculi Episcopi Massiliensis personæ, non autem ejus civitati, quia in altera provincia sita erat urbs Massiliensis, scilicet in Viennensi, ut disertè loquuntur patres; quanquam refragantibus Episcopis regionis illius, qui sibi alterius provinciæ sacerdotem præesse non debere contendebant. Sed postea decreto Zosimi provinciæ ejus administratio, unà cum Viennensi & Narbonensi prima, addicta est Patroclo Arelatensi, & Proculo episcopatus abrogatus, quòd in apostolicæ sedis injuriam locum sibi indebitum à synodo Taurinensi exambiisset. Veruntamen Gallicanis Metropolitanis per singulas provincias auctoritatem suam restituere Bonifacius, Cælestinus, & Leo; rescisso rescripto priori, quod prætextu consuetudinis antiquæ per subreptionem contra Canones à Zosimo Patroclus elicuerat, ut suprà monui. Quare Episcopus civitatis Aquensium, quæ in Notitia est metropolis Narbonensis secundæ, usus est jure suo in administratione illius provinciæ. Id unum retinuit Arelatensis Episcopus, ut Aquensem Episcopum ad Concilium evocare posset. Quod trahendum non est ad ceteros Episcopos Narbonensis secundæ, neque ad provinciæ illius administrationem, quæ ab Aquensi Metropolitano pendebat. Libellus Symmacho Papæ oblatus à legatis Cæsarii Arelatensis anno DXIV. rem totam liquido exponit: *Aquensis etiam civitatis Episcopum sanctitatis vestræ moneri præcipite constitutis, ut dum à Metropolitano antistite Ecclesiæ Arelatensis ad synodale Concilium fuerit evocatus vel aliqua ordinationis causa eum sibi postu-*

De Narbonensis II. Metropolitano synodus Taurinensis decernit.

Zosimus tribuit eam provinciam Arelatensi Episcopo.

Quod rescissum.

Supra §. 72.

Solus Aquensis Episcopus remansit sub cura Arelatensis.

postulet religio divina necessarium, minimè venire frustretur; quatenus ea, quæ longævis seculis priscorum sanxit auctoritas, vobis præsulibus præsenti futuræque ætati inviolata serventur. Symmachus rescripto suo privilegium personale Cæsario indulget, ut, si causa ecclesiastica præsentiam sacerdotum poscat in Gallia vel Hispania, Episcopi ejus auctoritate commoniti ad synodum conveniant. Deinde Ecclesiæ jure perpetuo concedit, ut Aquensem Episcopum Metropolitanus Arelatensis ad se vocare possit, pœna canonica in contumacem illata. *Et si tam Ecclesiæ Aquensis antistes vel alius quilibet Metropolitano Pontifici juxta Canonum definitionem vocatus obtemperare noluerit, noverit subdendum se, quod non optamus, ecclesiasticæ disciplinæ*. Aquensis ergo Episcopus metropolitica potestate fruebatur in Narbonensi secunda; sed ipsius Ecclesia obnoxia erat Arelatensi Ecclesiæ; in quo cernimus imaginem quandam eorum Primatum, qui postea instituti sunt. De illius libertate actum est in Concilio Francofordiensi; & decretum, ut ad sedem apostolicam referretur *can. VIII.* Constituto enim jure Viennensis & Arelatensis Episcopi, juxta divisionem à Leone inductam, & à Symmacho atque Gregorio primo confirmatam, addunt patres: *De Tarantasia vero, & Ebreduno, sive Aquis, legatio facta est ad sedem apostolicam; & quidquid per Pontificem Romanæ Ecclesiæ definitum fuerit, hoc teneatur*. Quid decretum postea fuerit, *ex rebus ipsius potiùs quàm ex rescripto discimus*. Legimus enim Rotbertum Aquensem Archiepiscopum subscripsisse Concilio Mantalensi anno DCCCLXXIX. atque ad eundem datas literas à Joanne VIII. anno DCCCLXXX. *epistola CXCI.* cum Archiepiscopi Aquensis titulo. Quanquam illud quoque verum sit, Aquensem civitatem inter metropoles regni in testamento Caroli Magni non fuisse recensitam: quia fortasse de illius statu nondum rescripserat Summus Pontifex.

Aquensis Episcopus Metropolitanus Narbonensis secundæ.

Id confirmatum definitione Romani Pontificis.

LXXXIV. Quærendum superest, an è XVII. provinciis aliquæ potiores essent aliis, tum in ordine civili, tum in ordine ecclesiastico. Planè si de dignitate illarum agatur, dubium non est, quin aliquæ ceteris præcellerent, vel ob civitatum splendorem & frequentiam, vel ob Imperii, in cujus finibus positæ erant, incolumitatem. Unde in Notitia Imperii sex provinciæ Galliarum Consulares dictæ, quia regebantur à Consularibus; undecim verò Præsidiales, quæ Præsidibus commissæ. Sex illæ sunt, Viennensis, Lugdunensis prima, duæ Germaniæ, & duæ Belgicæ. Reliquæ verò sunt præsidiales. Ceterum in rebus omnibus æquale erat jus omnium provinciarum, ita ut nulli ex Consularibus in alteram aliquod esset imperium. De illis tantùm moveri posset quæstio, quæ primæ dicuntur erga secundas. Sed adeo aperta est Macri Jurisconsulti definitio, ut dubitandi nullus supersit locus. Germania divisa in duas provincias primam & secundam, quærebatur, an is, qui in altera esset ortus, posset Assessoris munere fungi in altera, ob legis prohibitionem, quæ neminem patitur in provincia sua Præsidi assidere. Respondit Macer, in altera assidere posse post divisionem. Quod dici non potuisset, si jus aliquod & imperium consulari Germaniæ primæ superfuisset in Germaniam secundam. Hæc sunt verba Macri: *Si eadem provincia posteà divisa sub duobus Præsidibus constituta est, velut Germania, Mœsia, ex altera ortus, in altera assidebit, nec videtur in sua provincia assedisse*. Sed conceptis verbis hæc controversia definita est à Theodosio, qui præter antiquam Tyri metropolim in provincia Phœniciæ, Berytum in novam metropolim evexit, pari jure cum prima: *Sit illa*, inquit, *mater provinciæ majorum nostrorum beneficio, hæc nostro; & utraque dignitate simili perfruatur*. Quod de nova metropoli dicitur, intelligendum est ad provinciam quoque novam pertinere, quando ab antiqua dividitur.

De jure provinciarum inter se.

Æquale jus omnium.

Nullum jus primæ provinciæ in secundam.

In ordine civili.

l. 3. ff. de officio assessoris.

l. un. lib. II. Cod. de Metropoli Beryto.

LXXXV. Idem jus constitutum reperio in provinciis ecclesiasticis. Etenim, si demas Narbonensem secundam & Alpes Grajas, de quibus actum, ceteræ omnes provinciæ à nullo præterquam à suo Metropolitano pendebant. Quod egregiè docet Innocentius primus de Rothomagensi Episcopo, qui erat Lugdunensis secundæ Metropolitanus. Illi enim non solùm provinciæ suæ Episcoporum ordinationem competere ait, sed etiam synodorum provincialium indictionem & judicia ecclesiastica, eo solùm excepto, ut de majoribus causis, si quæ emerserint, ad sedem apostolicam referat. Lugdunensis primæ Metropolitani nulla mentio, quia tunc æquo jure Metropolitani erga se agebant. Leonis primi testimonia superius à me prolata singulos Galliæ Metropolitanos provinciæ suæ limitibus circumscribunt, non solùm in ordinationibus peragendis, sed in Conciliis habendis, reddendisque Judiciis.

Idem servatum in ordine ecclesiastico.

Ex Innocentio primo.

LXXXVI. Si aliarum Diœceseon exempla petantur, præsto nobis est Africanorum Conciliorum auctoritas; ubi Mauritania Sitifensis avulsa est à provincia Numidiæ, & proprio Primati commissa. In *canone XVII.* collectionis Africanæ: *Placuit ut Mauritania Sitifensis, ut postulavit Primatem provinciæ Numidiæ, ex cujus cœtu separatur, suum habeat Primatem, quem consentientibus omnibus Primatibus provinciarum Africanarum, vel omnibus Episcopis, propter longinquitatem habere permissa est*. Per divisionem à cœtu Numidiæ separatur, ut loquitur canon, id est, ab ejus synodo, ut interpretatur Græca versio *ἐκ τῆς συνόδου κεχώρισται*, & per Primatem atque proprium Concilium administratur.

Et ex canone Africano, qui explicatur.

LXXXVII. Ad uberiorem hujus canonis explicationem necesse est pauca quædam attingere de provinciis Africanæ Diœceseos civilibus & ecclesiasticis, de quibus perplexè actum est ab aliis. Tractus ille, qui à Romanis Africæ nomine censebatur, quique à freto Gaditano ad Cyrenaicam regionem Ægypto contributam porrigebatur, in quatuor partes divisus fuit olim, in Mauritaniam Tingitanam, Mauritaniam Cæsariensem, Numidiam, & Africam specialiter dictam, ubi sita erat Carthago, quas descripsit Ptolemæus libro quarto geographiæ. Mauritaniæ vetus regnum divisit in duas provincias Cajus Caligula, si fides Plinio *libro V. cap.* 1. quod Claudio tribuit Dio *libro LX. Claudius*, inquit, *Mauros divisit in eos, qui ad Tingin & qui ad Cæsaream, unde & nomina habent; & duobus equitibus præpositis eos permisit*. Sed paulò post uni Præsidi ambæ Mauritaniæ commissæ sunt à Galba; ut discimus ex hoc Taciti loco: *Lucejus Albinus à Nerone Mauritaniæ Cæsariensi præpositus, addita per Galbam Tingitanæ provinciæ administratione, haud spernendis viribus agebat*. Quam dispositionis formam posteriores Principes secuti sunt. Unde factum, ut Africanus ille tractus ex tribus provinciis conflatus fuerit, Africa, Numidia & Mauritania. Provincia Carthaginensis, seu Africa, eas regiones complectebatur, quæ ab ipsa Carthagine ad Cyrenem diffundebantur. Numidia compacta erat ex vetere seu Cirtensi, ab urbe Cirta (quæ deinde Constantina) nomen indepta, & ex Numidia nova, cujus meminit Ptolemæus, ubi ponit Culcuam coloniam. Unde aliquando singulari, quandoque verò plurali numero Numidiarum provincia dicitur. Eodem modo effertur Mauritania utraque; quæ à Tingitano oppido ad freti Gaditani fauces posito usque ad Numidiam, per oram maritimam & interiora loca porrigebatur. Ex dispositione ista veteri profluxit, ut Constantinus omnes Africanas provincias, trium illarum, Africæ scilicet, Numidiæ & Mauritaniæ nomine comprehenderet in epistola ad Cæcilianum Carthaginensem, cui tria millia follium numerari jubet dispertienda religionis quibusdam catholicæ ministris, *κατὰ πάσας ἐπαρχίας, τάς τε Ἀφρικὰς, καὶ τὰς Νουμιδίας, καὶ τὰς Μαυριτανίας*, apud Eusebium *libro X. cap VI.*

Divisio provinciarum civilium in Africa.

Quatuor provinciæ.

Mauritaniæ duæ.

Coactæ in unam. Tacit. lib. 2. histor.

Sic tres provinciæ.

Africa.

Numidia.

Mauritania.

In epistola Constantini.

Hinc

Hinc quoque factum, ut eidem Cæciliano cura mittendorum actorum Synodi Nicænæ per Africam, Numidias & Mauritanias commissa sit apud Gelasium Cyzicenum libro secundo.

Tres provinciæ ecclesiasticæ in Concilio Cypriani.

LXXXVIII. Hunc ordinem initio amplexa est Africana Ecclesia in suis provinciis constituendis; ut patet ex præfatione universalis Concilii totius Africanæ Diœceseos collecti à Cypriano anno ducentesimo quinquagesimo octavo, ubi tractatum est de hæreticis baptizandis: *Cùm in unum Carthagini convenissent Kalendis Septembris Episcopi plurimi ex provincià Africana, Numidia, Mauritania, cum Presbyteris & Diaconibus.* Tres istas provincias designat quoque Cyprianus *epist. XLV. Latiùs*, inquit, *fusa est nostra provincia*, (Africana scilicet sive Carthaginensis) *habet etiam Numidiam & Mauritanias duas sibi cohærentes*, id est, Tingitanam & Cæsariensem. Eadem forma perseverabat in Ecclesia Africana anno CCCXIV. quo Arelatense Concilium celebratum est. Ex tribus enim illis tantùm provinciis nomina legatorum reperiuntur in subscriptionibus, scilicet Fortunati Episcopi de civitate Cæsariensi è *provincia Mauritania*, Cæciliani Episcopi de civitate Carthaginis è *provincia Africa*, & Victoris Episcopi de civitate Legis volumini è *provincia Numidia*.

Et in Synodo Arelatensi I.

Demum factæ sex provinciæ civiles.

LXXXIX. Ordinatis demum provinciis totius orbis Romani, Africanus tractus conflatus est è sex provinciis civilibus, quas Rufus Festus in breviario descripsit: *Per omnem Africam sex provinciæ factæ, ipsa ubi Carthago est, proconsularis, Numidia, Byzacium, Tripolis & duæ Mauritaniæ, hoc est, Sitifensis, & Cæsariensis.* Hæc dispositio provinciarum vigebat Constantini principatu; ut patet ex ejusdem Imperatoris epistola ad Ablavium, qua jubet, ut ex parte Cæciliani & Donati ad Synodum Arelatensem se conferant aliquot Episcopi, non solùm ex provincia Carthaginensi, sed etiam *de Byzacena, Tripolitana, Numidiarum, & Mauritaniarum provinciis*, id est, Sitifensis & Cæsariensis. Eadem divisio probatur ex inscriptione tunc posita L. Aradio Valerio Proculo, *Proconsuli provinciæ Africæ vice sacra judicanti, eidemque judicio sacro per provincias proconsularem & Numidiam, Byzacium, ac Tripolim, itemque Mauritaniam Sitifensem & Cæsariensem, perfuncto officio præfecturæ prætorio.* Hinc discimus, quod etiam observat Notitia Imperii, Carthaginensem provinciam Proconsuli paruisse, qui vice sacra judicabat, unde dicta est provincia proconsularis; in reliquis verò provinciis Præfectum prætorio, aut illius Vicarium, jus dixisse. Constitutæ sunt autem sex illæ provinciæ civiles, distractis Byzacena & Tripolitana à provincia Africa specialiter dicta. Ptolomæus enim *lib. IV. cap. III.* Neapolim, seu Tripolim, aut Lepti magnam, Africæ Carthaginensi accenset, quemadmodum & civitatibus Adrumetum ac Byzacium. Adrumetum autem pertinuisse ad provinciam Byzacenam, ostendit, præter Orosium & ceteros, inscriptio posita Q. Aradio Valerio Proculo Byzacenæ provinciæ Præsidi, Crispo & Constantino Consulibus, qua eum liberosque ejus sibi posterisque suis patronum cooptaverunt *Coloni Coloniæ Concordiæ Ulpiæ Trajanæ Augustæ Frugiferæ Hadrumetinæ.* Mauritaniam autem Sitifensem à Numidia avulsam docet canon Africanus suprà laudatus; de quo statim plura. Tingitana autem omissa est in hac descriptione civili, quia adjecta erat quinque aliis Hispaniarum provinciis, quemadmodum Rufus annotavit.

Hæc divisio vigebat tempore Constantini.

Proconsuli paruit Carthaginensis provincia.

Byzacena & Tripolitana distractæ à provincia Carthaginensi.

Mauritania Sitifensis à Numidia.

Quinque provinciæ ecclesiasticæ post Synodum Nicænam.

XC. Novam istam dispositionem civilem amplexa est Africana Ecclesia post Synodum Nicænam, quæ singulas provincias suis Metropolitanis addixit. Primò enim quinque provincias in ecclesiastico ordine constituit, Carthaginensem, Numidiam, Mauritaniam, Byzacenam & Tripolitanam: quibus deinde Mauritania Sitifensis accessit. Ex illis quinque provinciis constabat Concilium Carthaginense habitum sub Grato Episcopo Carthaginis anno trecentesimo quadragesimo nono; Conciliis priùs *per diversas provincias Africanas* celebratis; quæ deinde in *universæ provinciæ Africæ* Concilium convenerunt. Ea verba desumpta sunt ex Concilii exordio, ubi *provinciæ* nomen significatione vulgari in priore loco sumitur, in secundo autem loco pro toto Africanarum provinciarum tractu atque Diœcesi. Si quis autem obstinata mente diversas illas provincias, quarum mentio in illius Concilii exordio, ad tres antiquas restringere velit, Numidiam, Mauritaniam & Africam, planè revincetur ex istius Concilii canone XIII. cujus hæc sunt verba: *Abundantius Episcopus Adrumetinus dixit: In nostro Concilio statutum est, ut non liceat Clericis fænerari. Quòd si & sanctitati tuæ & huic Concilio videatur, præsenti placito designetur.* Ad Byzacenam provinciam pertinebat civitas Adrumeti, ut dixi suprà, & Episcopus Adrumetinus, ut docet Notitia episcopatuum Africæ edita à viro clarissimo Sirmondo. Itaque Concilium, de quo loquitur Abundantius, erat Concilium Byzacenæ provinciæ, cujus sententiam de fænore vetando Clericis firmari petebat non solùm ab universali Concilio, sed etiam à Grato Episcopo Carthaginis. Quod egregiè docet discrimen Concilii Byzaceni à Concilio Grati Episcopi Carthaginensis, id est, proconsularis provinciæ. Quare Byzacena provincia ecclesiastica tunc distracta erat ab Africana seu Carthaginensi, cujus olim pars fuerat. Idem censendum est de Tripolitana.

Explicatur locus Concilii Carthaginensis sub Grato.

Concilium Byzacenum tunc distinctum à Concilio provinciæ Carthaginensis.

Sexta provincia Mauritania Sitifensis, quæ separata à Numidia.

XCI. Sexta tandem provincia emersit, nempe Mauritania Sitifensis, quæ aliis quinque adjuncta numerum sex provinciarum ecclesiasticarum implevit, scilicet *provinciæ proconsularis, Numidiarum duarum, Byzacenæ, Mauritaniæ Sitifensis, & Mauritaniæ Cæsariensis, sed & Tripolis*, prout recensentur in Concilio Carthaginensi habito anno quadringentesimo decimo nono. Porrò Mauritania Sitifensis à Numidiæ Concilio separata est, ut docuit nos canon Carthaginensis Concilii. Tempus hujus divisionis obscurum est. Quamvis enim certum sit eam anno CCCXCVII. priorem esse, vera tamen epocha constitui non potest. Sanè apud Donatistas provinciis non accensebatur Mauritania Sitifensis anno trecentesimo nonagesimo quarto. Tunc enim Donatistæ fautores Maximiani apud Cabarsussim Concilium celebrarunt adversùs Primianum, & synodicam epistolam dederunt ad universas provincias Africæ; quas enumerant, omissa Sitifensi. Hæc sunt verba relata ab Augustino *enarratione in Psalmum trigesimum sextum: Sanctissimis fratribus atque collegis per universam Africam, hoc est, provinciam proconsularem, Numidiam, Mauritaniam, Byzacenam & Tripolim constitutis.* Cæterùm, ut dixi, hæc divisio ab Ecclesia recepta fuit ante annum trecentesimum nonagesimum septimum. Eo etenim anno Sitifensis Mauritania legatos suos Honoratum & Urbanum miserat ad tertium Concilium Carthaginense; ad quorum suggestionem canones aliquot in ea synodo constituti sunt. Atqui solis provinciis, quæ primas sedes habebant, permissum erat legatos mittere ad Concilium universale totius Africæ; ut docet canon tertius dicti Concilii tertii; qui relatus est *cap. XVIII.* collectionis Africanæ: *Singulis quibusque annis Concilium convocetur; ad quod provinciæ, quæ primas sedes habent, de Conciliis suis ternos legatos mittant.* Itaque cùm in illa synodo Carthaginensi legati Mauritaniæ Sitifensis residerent, procul dubio jam suo Primati provincia illa erat commissa, & separata à Numidia. Divisio itaque in superiore aliquo Carthaginensi Concilio facta erat. Ferrandus enim in *breviatione Canonum tit. LXXXII.* docet, in Carthaginensi aliquo decretum, *ut Primatem proprium Mauritania Sitifensis habeat. Concilii Carthaginensis titulo VI.* Si extaret corpus Carthaginen-

Quæritur de tempore hujus divisionis.

Prior est Concilio tertio Carthaginensi.

Inducta ab alia Synodo Carthaginensi priori.

nensium Conciliorum, quale præ manibus habuit Ferrandus Diaconus, in quo tituli numerales canonum valde differunt à nostris, seu collectionem Dionysii seu Isidori inspicias, nullo negotio assignari posset tempus hujus divisionis, quemadmodum & pleraque alia disciplinæ Africanæ capita liquidius explicari. Canon de divisione latus erat sextus Concilii Carthaginensis, nempe habiti ante annum trecentesimum nonagesimum septimum. Nunc tantùm extat in collectione Africana decimus septimus numero, & recitatus est in Concilio Carthaginensi anno CDXIX. unà cum aliis XXXII. canonibus priorum Conciliorum, qui ex primo, secundo & tertio Carthaginensi petiti magnam partem actis inserti sunt. Dixi, canones aliquot ex primo Concilio petitos: Quintus enim collectionis Africanæ de fœnore vetando, & de finium invasione, conflatus est ex duobus canonibus Concilii sub Grato. Unde non sine ratione dici potest, hunc *canonem XVII.* ab antiquo aliquo Concilio constitutum fuisse.

Mauritaniæ Sitifensis divisio antiquior anno 402.

XCII. Præterea ostendi potest jus Mauritaniæ Sitifensis antiquius esse anno quadringentesimo secundo. Concilio enim Milevitano, quod tunc habebatur, intererat Nicetius Episcopus primæ sedis Mauritaniæ Sitifensis, ut docent acta; ubi Xantippus Tagastensis primæ sedis Numidiæ Episcopus locum suum tenuit, decisa nempe lite, quam illi de primatu Numidiæ moverat Victorinus Episcopus Numidicus. Tempore autem hujus controversiæ inter Victorinum & Xantippum duæ Mauritaniæ suis Primatibus erant ornatæ, ut docet Augustinus epistola CCXVII. Evocaverat Victorinus ad Concilium Numidiæ Episcopos illius provinciæ & Mauritaniarum, missa ex more synodorum tractoria epistola ad singulos, atque adeo ad Augustinum Hipponensem in Numidia Episcopum. Excusat se ob valetudinem literis ad Victorinum datis, eumque monet de vitiis aliquot illius tractoriæ. Primum est, Mauritaniarum Episcopos evocatos fuisse, qui tamen suos habent Primates: *Legi in eadem tractoria, etiam ad Mauritanias esse scriptum; quas provincias scimus suos habere Primates.* In editione ultima operum Augustini additur *Nove*. Quod de Sitifensi intelligendum est, quæ superioribus annis divisa fuerat à Numidia. Quare ex sententia Augustini, post divisionem nullum jus competebat Primati Numidiæ in Mauritaniam Sitifensem. Ne tamen ipse, Numidicus cùm esset, dignitatem provinciæ suffragio suo minuisse videretur, rem in medio reliquit. Addit enim: *Quòd si & ex eis ad Numidiam convocandum esset Concilium, oportuit utique ut aliquorum Maurorum Episcoporum, qui illic priores sunt, nomina in tractoria ponerentur.* Monet deinde Victorinum, ut ante omnia quæstionem *de ordine primatus* cum Xantippo Tagastensi, nempe quis prior esset ordinatione, collegarum arbitrio dirimat. Ceterùm quia post divisionem Numidiæ Primates aliquid sibi juris in Mauritaniam Sitifensem superesse putabant, inde factum existimo, ut in synodo universali totius Africæ habita anno CDXIX. recitatus sit antiquus ille canon de divisione latus, ut consensu omnium Primatum, atque adeo ipsius Numidiæ, confirmaretur. Ejus consensus mentio, quæ in dicto canone XVII. collectionis Africanæ habetur, tunc fortè prioribus canonis verbis addita est. Quod solenne erat patribus illis, qui aliqua addebant vel detrahebant à verbis canonum antea decretorum, ut patet ex iis, quæ decerpta sunt ex Concilio sub Grato, & relata in dictam collectionem.

Locus Augustini de hac divisione explicatus.

Post divisionem nullum jus competebat Primati Numidiæ in Sitifensem.

Explicatur canon XVII. collectionis Africanæ: de quo num. LXXXVI.

XCIII. Antequam ab Africa discedam, explicanda est sententia canonis tertii Concilii Carthaginensis III. superiùs memorati, de legatis mittendis à provinciis, quæ primas sedes habent. Videtur enim ex eo colligi posse, aliquas tunc fuisse provincias, apud quas nulli essent Primates. Quod verum est. Etenim Mauritania Tingitana, licèt provinciæ civilis dignitate frueretur, in politia tamen Ecclesiastica Mauritaniæ Cæsariensis synodo accensebatur. Itaque nulli legati provinciæ illius Tingitanæ nomine ad Concilium plenarium Africæ mittebantur, sed nomine Mauritaniæ Cæsariensis. Quod non impediebat, quin Episcopi Tingitanæ provinciæ delegari possent velut membra Concilii Mauritaniæ. Sed prima sedes fortè addicta erat solis Mauritaniæ Cæsariensis Episcopis. Sanè devicta à Wandalis Africa, Tingitana eorum imperio cessit, ab Hispanicis provinciis avulsa. Attamen florente licèt Wandalorum imperio, Tingitana locum specialem non habuit inter provincias ecclesiasticas Africæ; sed Mauritaniæ Cæsariensi subdita fuit, ut antea. Quod docet Notitia episcopatuum edita sub Hunerico Rege, ubi Tingitanæ episcopatus sub Cæsariensi Mauritania recensentur. Suspicari posset aliquis, intermedio tempore, scilicet ab imperio Constantini ad Wandalorum in Africam irruptionem, id est, centum & ampliùs annis, Tingitanos Episcopos ad Hispaniarum synodos pertinuisse, quemadmodum provincia civilis Tingitana Vicario Hispaniæ parebat. Eam conjecturam, alioqui probabilem, refutat Siricii epistola ad Himerium Tarraconensem Episcopum data anno CCCLXXXV. qui Hispaniarum Episcopos intra quinque provincias restringit, Tarraconensem, Carthaginensem, Bæticæ, Lusitaniæ & Galliciæ. Quod congruit cum veteri descriptione episcopatuum Hispaniæ relata à Garsia Loaisa in Notis ad Concilium Lucense: ubi quinque illis provinciis additur quidem provincia Narbonensis, quia Gotthorum Regibus parebat & ad Hispaniæ Concilia evocabatur; sed Tingitanæ nulla descriptio, imò verò subindicatur, eam provinciam non pertinuisse ad Ecclesiam Hispanicam.

Explicatur canon III. Concilii Carthaginensis III.

Tingitana subierat synodo Mauritaniæ Cæsariensis.

XCIV. Quare ut disputationem istam contraham in pauca, manifestum est ex Innocentii & Leonis atque Africani Concilii testimoniis, nullum fuisse privilegium, quo vetus & prima provincia antecelleret secundæ; si illud unum excipias, quod tribus antiquis Africanæ Diœceseos provinciis reservatum est in ordine consessus, de quo dixi *numero LXXX.* Regula autem illa, quæ primæ provinciæ Metropolitanos secundæ provinciæ exæquat, vigebat in Galliis tempore Hincmari Rhemensis Archiepiscopi, qui sola ordinationis serie Treverensem primæ Belgicæ Metropolitam & Rhemensem secundæ Belgicæ inter se differre docet duobus locis apud Flodoardum. Alter est *lib. III. hist. Rom. cap. XIII.* in epistola ad Nicolaum: *Inter Rhemensem & Treverensem Ecclesiam (has enim duas tantùm provincias Belgica regio habet) hæc semper distinctio fuit, sicut in ecclesiasticis monumentis invenimus, & vetustissimam consuetudinem semper obtinuisse comperimus, ut idem Episcopus non loci sed dignitate ordinis prior secundùm sacras regulas haberetur qui foret in qualibet istarum Ecclesiarum metropoli antea ordinatus.* Idem Hincmarus in Epistola ad Ludovicum Regem apud Flodoardum *libro III. cap. XX. Ecclesia Rhemensis & Treverensis comprovinciales atque sorores & ex auctoritate & ex antiqua consuetudine habentur; ea conditione, ut qui prior eorum fuerit Episcopus ordinatus, prior etiam habeatur in synodo, & sibi mutuo consilio & auxilio foveantur atque fulciantur.* Necesse est itaque, ut corruat, quod annotatum est in epistola Gregorii VII. ad Manassem Rhemensem *lib. VI. ep. II.* Treverensem Ecclesiam olim à Rhemensi cultam: *Rhemensis, cui præsides, Ecclesia quodam tempore Primati subjacuit, & ei ut magistro post Romanum Pontificem obedivit.* Hoc autem assertum est ab auctore epistolæ Gregorii, ex recepta tunc temporis opinione de jure primæ provinciæ in secundam. Unde quoque color petitus est ad instituendum tum Ecclesiæ Narbonensis primatum in provincias primam & secundam ex rescripto Urbani II. dato

Nullum ergo jus competebat primæ provinciæ in secundam.

Quod obtinebat tempore Hincmari.

dato anno millesimo nonagesimo septimo, tum Lugdunensis Ecclesiæ in quatuor provincias Lugdunenses.

An ea, quæ prædicta sunt, noceant primatui Lugdunensi.

XCV. Ne quis autem ex hac disceptatione colligat, me in id incumbere videri, ut primatum Lugdunensem succussis ejus fulcimentis evertam, id solum à benigno lectore postulo, ut fucum à sano colore & tectorium à solido pariete distinguat, nec craso uno alterum aboleri existimet. Primatus iste solidissimis fundamentis nititur, summa nempe & plena sedis apostolicæ auctoritate, quæ sibi subjectas Ecclesias, prout utilitas publica exigit, & temporis opportunitas suadet, magnis incrementis solet augere. Licet itaque color huic institutioni parandæ quæsitus post diligentem vetustatis perscrutationem deleri possit, manet tamen pontificii decreti κῦρος inconvulsum; quo solo primatus illius moles, etiam posita sententia de antiquo primæ provinciæ in secundam privilegio, sustentari potest. Usu enim tot seculorum adeo obliteratum est, ut de suæ Ecclesiæ libertate quisque Metropolitanus præscribere posset. Itaque vi sola imperii alicujus summi in Ecclesia opus erat ad restituenda in integrum primatuum jura in provinciis Lugdunensibus, si olim ita extitissent, ut certum est nulla fuisse. Neque est, quòd majoribus nostris aliquid imputari possit, si vitio seculi illos latuerit in historiæ ecclesiasticæ cognitione, quod nostra ætate, post frequentes eruditorum virorum contentiones, in apertam lucem emersit.

Semper opus fuit summa auctoritate Romani Pontificis ad constituendum primatum.

Sanè adeo illustris fuerat olim civitatis Lugdunensis status, ut Gregorio septimo satis instructæ rationes suppetere potuerint ad constituendum illius Ecclesiæ in quatuor provincias primatum; ducto etiam argumento à Notitia & descriptione civili, ad quam præcipuè respexit, dummodo intra veritatis historicæ lineas contineatur; cui vetustas Ecclesiæ illius, & splendor, quem illi celeberrimæ famæ Irenæus Episcopus conciliavit, non mediocriter suffragata sunt. Denique recepta opinio ante Gregorii tempora, de primatu debito Ecclesiæ Lugdunensi, ad confirmandam dignitatem illam multum contulit. Quæ res ut planior fiat, non alienum erit ab instituto de coloniæ Lugdunensis origine & de illius Ecclesiæ antiquitate paucis agere.

Antiquus splendor civitatis & Ecclesiæ Lugdunensis sufficiebat pro primatu constituendo.

De conditu Lugduni à Planco.

XCVI. Coloniæ Lugdunensis conditum ad Lucium Munacium Plancum constanter omnes referunt, teste etiam veteri inscriptione, in qua Plancus coloniam istam & Rauricam deduxisse dicitur. Occasionem verò ejus fundandæ describit Dio *libro XLVI.* cujus verba expendenda sunt, quia plurimum conferunt ad ornatum illius urbis: *Ἐκέλευσαν αὐτοῖς τοὺς ἐκ Οὐιέννης τῆς Ναρβωνησίας ὑπὸ τῶν Ἀλλοβρίγων ποτὲ ἐκπεσόντας, καὶ ἐς τὸ μεταξὺ τοῦ τε Ροδανοῦ καὶ τοῦ Ἀράριος, ᾗ συμμίγνυνται ἀλλήλοις, ἱδρυθέντας συνοικίσαι. Καὶ οὕτως ἐκεῖνοι ὑπομείναντες, τὸ Λουγούδουνον μὲν ὀνομασθὲν, νῦν τε Λούγδουνον καλούμενον ἔκτισαν.* *Senatus jussit illis*, id est, Lepido & L. Planco, *ut iis, qui quondam Vienna provinciæ Narbonensis oppido ab Allobrogibus erant expulsi, & intra fluvios Rhodanum & Ararim ad eorum confluentes consederant, urbem conderent. Atque ita illi subsistentes, Lugdunum, quod olim Lugodunum vocatum fuit, ædificaverunt.* Hæc Viennensium expulsio accidere non potuit, postquam Allobroges redacti sunt in provinciæ formulam à Romanis, qui vim omnem à Viennensibus sibi quoque subjectis arcuissent. Quare accuratè locutus est Dio; qui de temporibus Munacii Planci loquens, ait, Viennenses expulsos fuisse ab Allobrogibus *quondam*, ποτέ. Eventus ergo ille referendus est ad tempus anterius Q. Fabii victoria, qui Allobroges subegit anno urbis conditæ sexcentesimo vigesimo tertio, id est, ante Christum anno uno & vigesimo supra centesimum. Post domitos Allobroges, Vienna, quæ ditioni eorum accesserat, facta est caput gentis à Romanis. Unde rectè notat Strabo libro IV. Viennam, quæ vicus quondam erat, scilicet post vastationem, factam fuisse Allobrogum metropolim:

In gratiam Viennensium, qui eò profugerant.

Olim, id est, ante victos Allobroges à Romanis.

Dio explicatus est Clitophonte.

XCVII. Quare non videtur à vero aliena Clitophontis antiqui scriptoris narratio apud auctorem libelli *de fluviis*, quem Plutarcho vindicavit vir clarissimus & doctissimus Præses Philippus Maussacus. Clitophon enim ille tradit, Momorum & Atepomarum regno pulsos, in colle Arari imminente urbem designasse, ejusque ædificationi avide incubuisse, auspiciis excitatos corvorum circumvolitantium, unde à Momoro auguriorum callentissimo nomen Lugduni urbi & colli datum. *Λοῦγον γὰρ τῇ σφῶν διαλέκτῳ τὸν κόρακα καλοῦσι. δοῦνον τε τὸν ἐξέχοντα, καθὼς ἱστορεῖ Κλειτοφῶν ἐν τῷ ιγ, τῶν κτίσεων.* *Etenim vulgari lingua lugum corvum vocant, dunum vero locum editum; quemadmodum refert Clitophon libro octavo urbium conditarum.* Viennenses patria pulsi in confluentibus Araris & Rhodani consederunt, ex Dione; ibidem Momorus & Atepomarus regno expulsi urbem condiderunt, ex Clitophonte. Si cui discrimen inesse videatur inter has narrationes, ob mentionem regni à Clitophonte injectam, reponendum est, Viennensium agros olim Regibus seu Dynastis paruisse, qui Allobrogibus infensi erant Hannibalis ætate: qui per eas oras iter faciens cum exercitu, dissidium de regno inter fratres exortum diremit arbitrio suo. Dices de regno Allobroges certavisse, non Viennenses, si Livio fides. At ex Polybii testimonio, unde sua Livius hausit, discemus, hanc seditionem exortam, non inter Allobroges, sed inter vicinas & infestas illis gentes, nempe Viennenses. Hannibal transmissurus in Italiam exercitum, trajecit Rhodanum in agro Volcarum, scilicet ad Tarasconem oppidum; deinde profectus adversa ripa Rhodani, mediterranea Galliæ petiit, ut à mari & à Romanis recederet, cum quibus, antè quàm in Italiam ventum foret, non erat in animo manus conserere. Quartis castris ad insulam pervenit, ubi Rhodanus & Isara confluunt in unum. Sic enim legendum est apud Polybium *libro III. Isara* nempe, non autem Scoras, ut præferunt editiones. Putabant Sigonius & Casaubonus emendandum Polybii locum ex Livio; qui legit *Arar*. Sed lectio, quam secuti sumus, debetur celeberrimo geographo Philippo Cluverio *libro I. antiquæ italiæ*; qui, expensa insulæ descriptione, ejusque comparatione cum Delta Ægypto ab ipso Polybio instituta, *Isaram* reponendum docuit. Allobrogum autem regio, ex Strabone, inter Rhodanum & Isaram fluvium sita est, hic autem in Rhodanum influit. Quæ duo flumina ex Alpibus decurrentia ingens spatium lætissimorum agrorum invicem insulæ complectuntur, quod altissimorum montium jugo ex latere orientali clauditur, quemadmodum Ægyptium Delta mari; cujus magnitudinem hæc insula ita æquat, ut tamen non superet. Quod aliter se habet in illo tractu, qui Rhodanum inter ex Alpibus defluentem & Ararim ex Vogeso monte continetur, ubi sunt patentes & aperti Helvetiorum & Sequanorum agri, qui ter majus Delta Ægyptio spatium occupant. Ceterùm ex Polybii narratione certum est, integram insulam non paruisse uni regulo, sed inter plures divisam. Etenim Brancus in regnum ab Hannibale restitutus, vicinos confluenti fluviorum agros, id est, Viennensium, possidebat. Sed loca superiora & monti proxima Allobrogum duces regebant studiis contrariis. Ille enim recenti beneficio affectus Hannibalis militem vestimentis juvit, & copiis suis iter securum per Allobrogum regionem, ut à suo regno alienam, præstitit usque ad Alpium tumulos. Copiis verò Branci dimissis, tunc Allobroges, qui bello abstinuerant, partim equitum Pœnorum metu, *partim barbarorum, qui præsidii causa se comites illis adjunxerant*, in abruptis montium vexare cœperunt Hannibalis exercitum, ut notat Polybius: *τὰ μὲν τοὺς ἱππεῖς δεδιότες, τὰ δὲ τοὺς παραπέμποντας βαρβάρους.*

Momorus Atepomarus primi Lugdunum condiderunt.

Regulis parebat ager Viennensis Hannibalis ætate.

Distinctus ab Allobrogibus.

In confluentibus Isaræ & Rhodani.

Insula inter Rhodanum & Isaram.

Subdita variis regulis.

Viennenses inferiora loca, Allobroges superiora obtinebant ex Polybio.

Etsi

Etſi verò ex Polybio manifeſte appareat, diverſum fuiſſe Branci regnum ab Allobrogum regione, attamen Livius, qui rationem habuit ejus ſpatii, quod ſua ætate Allobroges obtinebant, ſcilicet à radicibus Alpium, inter utramque ripam Rhodani & Iſaræ, uſque ad eorum confluentes, fratrum de regno certamen ad Hannibale ſedatum non obſcurè in Allobrogum regione ponit. *Sedatis* (inquit, loquens de hac ſeditione) *Allobrogum certaminibus*. Enimvero montanos, qui in Alpibus cum Hannibale dimicarunt, Allobroges fuiſſe diſſimulat egregiè, etſi hoc disertè ſcripſerit Polybius. Pugnare enim illi videbantur ſtudia Regis Allobrogum, ut ipſe poſuerat, erga Hannibalem, & ſeditio in illis partibus ſopita cum eorundem Allobrogum certamine in Alpibus adversùs ipſum Hannibalem. Maluit itaque montanorum impetum deſcribere, non adjecto Allobrogum nomine. Quæ dixi, eò pertinent, ut ſciatur Hannibalis ætate, id eſt, anno ante Chriſtum ducenteſimo decimo octavo, Allobroges nondum tenuiſſe eam partem regionis, quæ prætenditur inferiori ripæ Rhodani, ubi ſita eſt Vienna, uſque ad Iſaram. Bello tandem in eos quoque agros imperium ſibi pepererunt, expulſis inde Viennenſibus populis: qui, trajecto Rhodano, in ulteriore ripa ſedes ſuas ad confluentem Araris & Rhodani poſuerunt ante Fabii victoriam de Allobrogibus relatam, ut antea dixi. Quod factum eſt ductu & auſpiciis Momori & Atepomari, qui Lugdunum condiderunt; quemadmodum obſervat Clitophon. Itaque alius eſt hic Atepomarus Lugduni conditor à Regulo Atepomaro, qui à Plutarcho dicitur alibi unà cum ceteris Gallis ad expugnationem Romanæ urbis præfectus eſſe anno ante Chriſtum trecenteſimo nonageſimo.

Livius non ſatis iſta diſcrevit, qui omnē regionem tribuit Allobrogibus.

Tempus everſæ Viennæ ab Allobrogibus.

De ſitu antiquo coloniæ Lugdunenſis.

XCVIII. Diſputarunt Paradinus & Rubiſius de antiquo urbis coloniæ Lugdunenſis ſitu; quam illi in colle ſancti Juſti vel *Forviere* collocatam putant, non autem ad ſancti Sebaſtiani collem, intra confluentes Rhodani & Araris. Quod alienum à vero ſibi facilè perſuadebit, qui Forvierii collem editum adeo, inclementem, aſperum, & confragoſum eſſe ſciet, ut ad arcendam Araris communionem à natura effictus, atque ager, qui eſt in ſummo jugo, vix ſatis expanſus ad modici oppidi pomœria eſſe videatur; cùm ex adverſo ſancti Sebaſtiani jugum duobus fluviis ſic immineat, ut hinc tundatur Rhodano, illinc Arari alluatur, & à ſupercilio collis molli ſatis clivo & quaqua verſum expanſo uſque ad fluminum ripas in aream æquam & planam iſthmo illo incluſam ſit deſcenſus. Hoc ſpatium occupaſſe Viennenſes notat Dio, atque ibidem fundatam fuiſſe coloniam à Planco, ſatis ſignificat; ne alioqui vir prudens iniquiori & anguſtiori loco urbem condidiſſe videretur, derelicta munitiſſimi loci & fluviorum opportunitate. Impoſitam colli fuiſſe docet Seneca *epiſtola XCI.* ubi hujus urbis incendium ſub Nerone deplorat. *Civitas*, inquit, *arſit opulenta, ornamentumque provincialium, quibus & inſerta erat & accepta, uni tamen impoſita & huic non altiſſimo monti*. Strabo autem ſub colle conditam, ὑπὸ τῷ λόφῳ, obſervat, id eſt, ita impoſitam monti, ut non in ſummo vertice, ſed per declivia & clementia jugi latera eſſet ædificata. Inde nomen Lugduni. *Dunum* enim apud veteres Gallos collem ſignificat. Unde oppida, quorum nomina apud Gallos in *dunum* terminantur, in collibus ſita ſunt. *Lugum* autem vel corvos ſignificat ex Clitophonte, ut Lugdunum idem ſonet ac *Collis corvorum*; vel ſi mavis, cum antiquis gloſſis ſubjectis Itinerario Hieroſolymitano temporibus Conſtantini Magni confecto, *Lugdunum*, *deſideratum montem* antiqua Gallica lingua exprimat. Cuinam verò colli potiſſimùm inſederit, planè diſcimus ex Seneca in Ludo ſuper morte Claudii; qui ſitum hujus urbis, ubi natus Princeps ille, ita deſcribit, ut eam locet ad clivum illius jugi, quod duobus fluviis imminet, Rhodano ſcilicet atque Arari, antequam invicem miſceantur, & in unius Rhodani nomen coeant.

In declivio collis ſancti Sebaſtiani.

Conciliatur Strabo cum Seneca.

Lugdunum quid ſignificet.

Lugdunum intra duos fluvios.

Vidi duobus imminens fluviis jugum,
Quod Phœbus ortu ſemper obverſo videt;
Ubi Rhodanus ingens amne prærapido fluit,
Ararque, dubitans quo ſuos curſus agat,
Tacitus quietis alluit ripas vadis.
Eſtne illa tellus ſpiritus altrix tui?

Claudium alloquitur Hercules à Jove miſſus, ut exploraret, quorum hominum eſſet. Eodem modo Claudianus Lugdunenſes deſcripſit:

Quos Rhodanus velox, Araris quos tardior ambit.

His Senecæ & Claudiani verbis ſancti Sebaſtiani jugum accuratè exprimitur. Eo in colle tabulas illas æneas, illuſtre antiquitatis monumentum, quibus oratio Claudii Imperatoris in ſenatu habita continetur, effoſſas fuiſſe anno MDXXIX. teſtatur Paradinus. Atque adeo ea in parte præcipuam fuiſſe coloniæ ſedem, neceſſe eſt, quæ inter cetera ſuæ urbis decora hanc orationem in æs inciſam, more ſolito, in curia ſua tunc repoſuerit. In eodem præterea clivo vinearum foſſores, & ii, qui domuum fundamenta moliuntur, incidunt in antiquos nummos veterum Principum vultu ſignatos. Negari tamen non debet, quin ædificia alterum quoque collem complexa fuerint. Quod abundè teſtantur antiqua rudera.

Idem probatur ex Strabone.

XCIX. Sed præcipuum coloniæ robur & ornamentum conſtitutum erat in area duobus fluviis intercepta. Quod docet Strabo duobus locis. Unus eſt libro quarto extremo; ubi conſilium aperit, cur Romani Lugdunum duobus fluviis incluſerint, nempe ut eſſet inſtar arcis, ſcilicet adversùs Gallorum fluxam & labilem nondumque ſatis firmatam fidem, ὥσπερ ἀκρόπολις διὰ τὰς συμβολὰς τῶν ποταμῶν. Altero loco Lugdunum commendat, quod eo emporio Romani uterentur: Καὶ τῷ ἐμπορείῳ χρῶνται. Solenne enim eſt huic ſcriptori, *emporia* eas urbes vocare, quæ ſunt ripis fluminum vel litori maris impoſitæ, ideoque commerciis opportunæ. Lugdunum verò ad utriuſque maris commercia ipſo etiam Auguſti ævo & ſequentibus ſæculis patebat, nondum aperta Oceani ſeptentrionalis per Gades circumnavigatione. Merces enim ad urbem Arelatenſem ex Italia, Hiſpania, Africa, atque ipſo etiam Oriente devehebantur; ut docet Honorii conſtitutio, præter Strabonem: quæ deinde per Rhodanum navigiis Lugdunum uſque perlatæ, exin per Ararim & Dubim ad Helvetios & Germaniam utramque, vel terreſtri itinere ad Sequanam tranſvectæ, ſecundo amne ad Caletes, & Lexovios, ipſumque Oceanum, deferebantur, teſte Strabone libri quarti duobus locis. Unde antiquus geographus, qui vixit Conſtantii ætate: *Pariter & aliam à Treveri civitatem habet Gallia, in omnibus ei adminiculantem, quæ ad mare ſita eſt, quam vocant Arelatum; quæ cum ab omni orbe commercia ſuſcipiat, & prædictæ maximæ civitati Treveri ea ſubmittit.*

Emporium utriuſque maris Lugduni.

Moneta cuſa Lugduni à Romanis.

C. Non omittendum eſt ad Lugduni commendationem, quod obſervat eodem loco Strabo, Romanorum præfectos monetam auream & argenteam Lugduni cudere ſolitos. Quod profectum ex inſtituto Planci, ut patet ex eo argenteo nummo, quem ſtatim poſt coloniam conditam ibi percuſſum exhibent eruditi cum hac inſcriptione: *ANTON. IMP. III. Vir R. P. C. A. XL.* ex adverſa parte, *LUGDUNI*, cum leonis effigie. Antonius iſte eſt triumvir reipublicæ conſtituendæ, cui Gallia contigit in partitione provinciarum, quam inivit cum collegis anno U. C. DCCXII. teſte Dione; unde biennio pòſt depulſus eſt armis Auguſti. Quare eo triennio, quo Gallias tenuit, neceſſe eſt excuſum fuiſſe nummum iſtum. His verò literis A. XL. valor nummi ſignificatur, id eſt, aſſium quadraginta. Non enim annum coloniæ deductæ deſignant, quæ à quadriennio tantùm

con-

condita erat, neque etiam à populis quadraginta Galliæ excusum, ut visum Lipsio. Nummi enim à Præsidibus Romanis hic excudebantur, ut docet Strabo, non autem à populis. Deinde conventus Lugdunensis erat sexaginta populorum, non autem quadraginta. De quo mox dicam. Perduravit mos iste cudendæ Lugduni monetæ ad Honorii tempora; ut docet Notitia Imperii, ubi moneta Lugdunensis inter ceteras recensetur. Vidimus etiam nummos sub Carolo Magno & Ludovico Pio Regibus nostris percussos, cum hac inscriptione, *CAROLUS IMP. & LUDOVICUS IMP.* & ex adversa parte, *LUGDUNUM*. Jus istud cudendæ monetæ ad Archiepiscopos Lugdunenses Principum beneficio derivatum est, qui hac inscriptione utebantur in iis, quos vidimus, nummis: *LUGD. PRIMA SEDES GALLIARUM*. Nunc verò res tota summo reipublicæ commodo ad Regum auctoritatem revocata.

Templum Augusto dicatum Lugduni.

CI. Ceterùm sileri non potest sine piaculo conventus ille populorum Galliæ, qui quotannis fiebat in colonia Lugdunensi ad Aram Augusto Principi dicatam. Illi enim, etiamnum vivo, templum ad confluentem Araris & Rhodani, ante ipsam urbem, sexaginta populi Galliarum excitaverant, in quo duæ aræ constructæ; quarum uni simulacra uniuscujusque ex illis gentibus erant inscripta, ut scribit Strabo: Τό τε ἱερὸν ἀναδειχθὲν ὑπὸ πάντων κοινῇ τῶν Γαλατῶν Καίσαρι τῷ σεβαστῷ, πρὸ ταύτης ἵδρυται τῆς πόλεως, ἐπὶ τῇ συμβολῇ τῶν ποταμῶν. ἔστι δ' βωμὸς ἀξιόλογος ἐπιγραφὴν ἔχων τῶν ἐθνῶν ξ' τὸν ἀριθμὸν καὶ εἰκόνες τούτων ἑκάστου μία. De loco consentit vetus inscriptio, & Lucius Florus: *Ara Cæsari ad confluentem Araris & Rhodani dedicata, sacerdote C. Julio Verecundato Eubio Æduo*. Conditores verò templi fuisse universos Galliarum populos, solus docuit Strabo. Sanè pleræque provinciæ in gloriam Augusti effusæ templa illius numini sistebant publicis impensis; ut commune Asiæ in urbe Pergamo & Ephesi & commune Bithyniæ in urbe Nicæa, ex Tacito & Dione. Quod beneficium his urbibus concessum testatur Dio libro quinquagesimo primo, quia in suis provinciis præcellebant: αὗται γὰρ τότε αἱ πόλεις ἔν τε τῇ Ἀσίᾳ, καὶ ἐν τῇ Βιθυνίᾳ προετετίμηντο. Unde colligi potest claritudo coloniæ Lugdunensis, ut pote quæ universas Gallias exciverit ad sui delectum pro sistendo templo.

Ab universa Gallia.

Quod intelligendum de tribus Galliis devictis à C. Cæsare.

CII. A Galliis istis excipi debet provincia Narbonensis, quæ omnium provinciarum prima Narbone aram Augusto dicaverat & sodales Augustales, ut patet ex veteribus inscriptionibus. Præterea verò illa ætate Galliarum nomine tres partes à Julio Cæsare subactæ continebantur, nempe Aquitanica, Belgica & Lugdunensis; dempta Narbonensi, quæ provinciis Romanis jam olim accensita erat. Unde in inscriptionibus Lugdunensibus apud Gruterum pag. CCCLXXXVI. Catulio cuidam *sacerdoti ad templum Romæ & Augusti*, *tres provinciæ Galliarum* tantùm tumulum posuerunt. Item *pag. CCCLV.* Tiberio Antistio equiti Romano *tres provinciæ Galliæ ad aram Cæsarum statuam equestrem ponendam censuerunt*. Quæ verba satis significant, conventum Lugduni habitum ad templum Augusti à tribus illis provinciis; dempta Narbonensi, quæ Julii Cæsaris exemplo, qui eam in descriptione Galliæ omisit, à scriptoribus sæpissime Gallis opponitur. Insignis locus in epitome Livii *libro CXXXIV.* de Augusto: *Cùm ille conventum Narbone egit, census a tribus Galliis, quas Cæsar pater vicerat, actus*. Hinc factum, ut apud Ammianum libro XV. locus, qui est ad confluentes Araris & Rhodani, dicatur *exordium Galliarum*, & in tabula itineraria Peutingeri *Lugdunum caput Galliarum*; quia post emensam Viennensem provinciam, quæ pars erat Narbonensis antiquæ, prima Romanis civitas occurrebat, quæ apud Gallias specialiter dictas sita erat.

Tres Galliæ distributæ in sexaginta populos.

CIII. Tres autem illæ provinciæ in sexaginta populos distributæ erant, ut discimus ex superiùs adducto Strabonis loco. Eum summopere illustrat Ptolemæi descriptio, qui ponit in Aquitania ἔθνη seu populos XVII. in Lugdunensi gentes XXIV. in Belgica XIV. quibus numeris simul junctis conficiuntur sexaginta populi. Nec officit Tacitus *annal. lib. III.* qui de Flori & Sacroviri defectione apud Treveros & Eduos loquens, ait, Romæ omnia in majus credita, jactatumque, *quatuor & sexaginta Galliarum civitates defecisse, dubias Hispanias*. Civitatum nomine populos quidem intelligit. Unde eodem loco Turonios & Andegavos inter civitates recenset. Sed loquitur de universo corpore Galliarum, quod LXXIV. populis constabat, additis scilicet ad LX. populos XIV. illis, quos Ptolemæus Narbonensi provinciæ tribuit. Quare leve mendum irrepsit in numerum civitatum apud Tacitum, ubi legendum quatuor & septuaginta civitates defecisse.

Tacitus emendatur & explicatur.

De duabus aris templi, quarum una Romæ, altera Augusto dicata.

CIV. Ex duabus aris in templo Augusti collocatis una dicata erat Augusto, altera Deæ Romæ. Nam, ut ait Suetonius de Augusto, *Templa quamvis sciret etiam Proconsulibus decerni solere, in nulla tamen provincia nisi communi suo Romæque nomine recepit*. Unde in veteribus inscriptionibus Lugdunensibus dicuntur sacerdotes *Romæ & Augusti*. Postea invaluit, ut reliquorum quoque Cæsarum numinibus sacra fierent in templo Lugdunensi, ut patet ex inscriptione apud Gruterum *pag. CCCXX. Servilio Marciano Arverno, sacerdoti ad templum Romæ & Augustorum, tres provinciæ Galliæ*. Inde *Ara Cæsarum* dicta in superius laudata inscriptione. Sacerdotes isti nuncupati sunt tandem *sodales Augustales*, ex instituto Tiberii apud Tacitum libro primo annalium: qui Lugduni, quemadmodum in Bætica & aliis provinciis, erant sex numero. Unde in scriptionibus mentio IIIIII. Aug. id est *Sevirorum Augustalium*, qui dicti quoque *flamines Augustales*. Servabant inter se ordinem. Unde in inscriptionibus Aurelius quidam dicitur *primus corporis Augustalium*, & Primigenius *sexvir secundus Augustalis*. Primi cujusque ordinis, qui magisterium sacerdotii exercebant, *magistri* dicti. Honor augustalitatis, flaminii, & pontificatus in quinquennium vel in perpetuum ab ordine decurionum decernebatur; quandoque gratuitò, aliquando sportulis & epulis datis. In Lugdunensi inscriptione apud Gruterum pag. CDXXXI. *Sextus Ligurius summus curator civium Romanorum provinciæ Lugdunensis, quinto duumviralibus ornamentis suffragiis sanctissimi ordinis honoratus, duumvir designatus ex postulatione populi, ob honorem perpetui pontificatus datum, cujus doni dedicatione decurionibus denarios quinque ordini equestri, seviris Augustalibus, negotiatoribus vinariis denarios tres, & omnibus corporibus Lugduni licitè coeuntibus denarios duos, item ludos Circenses dedit*.

Deinde reliquis Augustis.

Augustales.

Conventus annuus Gallorum ad hoc templum.

CV. Quotannis in honorem Augustorum primores Galliarum conveniebant ad hoc templum, & solennes festos dies agitabant. Eorum meminit Dio *libro LIV.* referens Drusum avertisse Gallos à societate belli cum Sicambris, evocatis Lugdunum proceribus ejus festi specie, quod ad Augusti aram agebatur; observatque, sua ætate, id est, sub principatu Alexandri filii Severi, eandem ἑορτὴν seu celebritatem perdurasse: ἣν καὶ νῦν περὶ τὸν τοῦ Αὐγούστου βωμὸν ἐν Λουγδούνῳ τελοῦσιν. Itaque de hoc conventu accipi debet insignis ille locus epistolæ Lugdunensium Christianorum sub Antonino apud Eusebium *lib. V. histor. cap. 1.* Ajunt rectorem provinciæ tribunali insidentem veluti pompam quandam traduxisse martyres ante ora populorum, qui ex omnibus gentibus Lugdunum convenerant: Τῆς ἐνθάδε πανηγύρεως, ἔστι δ' αὐτὴ πολυάνθρωπος, ἐκ πάντων τῶν ἐθνῶν συνερχομένων εἰς αὐτὴν, ἀρχομένης συνεστάναι. Quem locum sic vertit Ruffinus: *Die quodam celeberrimo, in quo ex omnibus provinciis cocun-*

De hoc conventu intelligendus Lugdunensium locus apud Eusebium.

coeuntes nundinas celebrare solent. Recte conventum solennem seu πανήγυριν *nundinas* vertit. Eo significatu in veteribus glossis *nundinæ* ἑορτὴ, quæ mercimonia quoque significant, quod agitari solerent diebus festis. Quod est autem apud Eusebium, ex omnibus gentibus conflatum conventum, intelligi debet de omnibus saltem trium Galliarum populis.

Tunc spectula edita.

CVI. Dies illi festi partim spectaculis & muneribus cruentis in amphitheatro Lugdunensi præbitis impendebantur, ut docent exacta a martyribus usque ad ludibrium supplicia apud Eusebium; partim ludis miscellis, quos edidisse Cajum Caligulam Lugduni in Gallia docuit Suetonius. Qui ludi non solum lucta, pugilatu, musica, equorum cursu, & id genus oblectamentis constabant, sed etiam certamine Græcæ Latinæque facundiæ. Ubi, teste Suetonio, *victi præmia victoribus conferebant, eorundem & laudes componere coacti. Ii autem, qui maxime displicuissent, scripta sua spongia linguave delere jussi, nisi ferulis objurgari aut flumine proximo mergi maluissent*. Unde Juvenalis versus ille notissimus:

Et certamen facundiæ.

Palleat ut nudis pressit qui calcibus anguem,
Aut Lugdunensem rethor dicturus ad aram.

Dubitandum non est, quin ad recitationes istas publicas & solennes auditorium esset in ædibus Augusti, suis gradibus, subselliis, anabathris, & orchestra instructum. Ejusmodi auditoria, quæ ex Hadriani instituto dicta sunt *Athenæa*, ut patet ex Dione, Lampridio, Capitolino, & Victore, dein voce paulisper deflexa *Athenica* dici cœperunt. Quod verbum usurpatum a Trebellio ad significandam bibliothecam publicam. Inde dictum est *Athanacum* locus, ubi erat Athenæum, ac si diceres Athenaicum, eadem inflexione, quia ex Achæo fit Achaicus. Unde in antiquis instrumentis vetus monasterium in area ædium Augusti dirutarum extructum dicitur *Athanacum*, vulgo *Aisnay*. Quod nomen eidem loco inditum erat ante Gregorii Turonensis tempora, qui meminit martyrum Athanacensium, ita dictorum, ut ipse notat, a loco, ubi passi sunt Lugduni. Quod indiget interpretatione. Martyres enim confecti sunt in amphitheatro, cujus rudera visuntur in colle Forvieræ: sed eorum corpora ludibriis plebis exposita sunt per sex dies, dein combusta, cineresque dejecti in Rhodanum, Eusebio teste, scilicet ad confluentes fluminum, ante Augustorum ædes, ut illis hæc quasi victima Christianorum devoveretur. Unde Gregorius diserte observavit in *Athanaco* combusta fuisse martyrum corpora, quæ tamen supplicio affecta in amphitheatro Eusebius docuerat.

Athenæa.

Athenica.

Et Athanacum.

Gregorii locus de martyribus Athanacensibus explicatus.

Colonia Lugduni augetur a Claudio.

CVII. Præter eam coloniæ dignitatem, qua civitas Lugdunensis ornabatur, nova luce aucta est ob natales Claudii Principis, qui eodem die ea in urbe natus, quo Augusti ara dedicata est teste Suetonio, id est, annis triginta tribus post conditam coloniam a Planco. Quod animum Claudii impulit, ut urbem redderet celebriorem, eo deductis Romanis civibus; ita ut non solum jure colonico frueretur, quod Viennensibus perfugis ibidem constitutis collatum erat a Planco, sed etiam omnino Romana colonia fieret. Duorum enim generum erant coloniæ, ut notavit Asconius. Quibusdam urbibus vel antiquis, vel de novo conditis, jus coloniæ dabatur, nullis eo deductis civibus. Aliæ vero coloniæ fiebant deductione civium Romanorum; qui civitatem constituebant soli, aut veteribus incolis adjuncti. Eo respiciebant Lugdunenses, veteris discordiæ, quæ illis adversus Viennenses intercesserat, memores, dum publicis precibus provocant milites, qui a partibus Vitellii stabant ad Viennensium exitium, se coloniam Romanam esse prætendentes, apud Tacitum libro primo historiarum. Non enim negabant, quin Vienna inter colonias esset, cum a Claudio in oratione pro Gallis *ornatissima valentissimaque colonia* dicatur, & hoc etiam loco testetur Tacitus vetustatem & dignitatem coloniæ Viennensis valuisse, ne rescinderetur. Sed Vienna donata fuerat colonico jure, etsi civibus Romanis eo non deductis. Lugdunum contra, magnam partem Romanis familiis steterat, externis licet immixtis, nempe profugis Viennensibus, ut recte monuit Lipsius. Quam tamen civium mixturam ad Claudii tempora referendam puto. Novum itaque nomen adepta est civitas Lugdunensis beneficio Claudii, dictaque *Colonia Copia Claudia Augusta Lugdunensium*, ut patet ex veteri inscriptione apud Gruterum. Quod his literis designatur passim in inscriptionibus Lugdunensibus: *C. C. C. Aug. Lugd.* Eas de trecentis auguribus male interpretati sunt Paradinus & Rubisius, & de trecentis Augustalibus quidam eruditi viri. Eodem exemplo civitas Agrippinensium dicta est in antiqua inscriptione: *Colonia Claudia Augusta Agrippinensium*. Quod enim Copiæ vox in nomenclatura coloniæ Lugdunensis additur, (de quo quærere se ait Scaliger in animadversionibus ad Chronicon Eusebii) id factum ad significandam emporii Lugdunensis opulentiam & rerum omnium abundantiam ex loci opportunitate. Sic urbs Hadrumentina donata jure coloniæ a Trajano ob sedatas eo beneficio oppidanorum seditiones, dicitur *Concordia* in antiqua inscriptione: *Colonia Concordia Ulpia Trajana Augusta Frugifera Hadrumetina*. Ad Claudii itaque singulare studium referri posse videntur ornamenta pleraque illius coloniæ, ut amphitheatrum, thermæ publicæ, quarum mentio apud Eusebium, & aquæductuum Structuræ, quorum fornices aliquot lateritii a sexto lapide ducti adhuc supersunt. Aqua illa publica, postquam usibus amphitheatri & castrorum in superiori colle inservierat, per latera pendentis jugi derivabatur ad thermas & ad fontes publicos usumque privatum civium; ut fidem faciunt divergia, castella, tubi & canales ex latere firmo constructi, quæ frequenter in clivo illo fodientibus occurrunt. Balneas in ima valle ad ripam Araris constructas fuisse par est.

Duo coloniarum genera.

Tacitus explicatur.

Novum nomen Coloniæ Lugdunensis, Copia Claudia Augusta.

Ornamenta publica coloniæ a Claudio.

CVIII. De castris, quorum mentionem feci, aliqua dicenda sunt, quia valde conferunt ad explicandum insignem locum epistolæ Christianorum Lugdunensium apud Eusebium. Cum ex instituto Augusti ad tutelam Imperii perpetuo milite Principes uterentur, legionibus & auxiliis provinciatim distributis, in limitibus quidem majores copiæ dispositæ erant, sed in oppidis quoque interioribus non deerant cohortes & alæ, quæ provinciales in officio continerent. Inter cetera, Lugduni tendebat cohors decima octava, ut docet Tacitus *annalium tertio: Andegavos Acilius Aviola, excita cohorte, quæ Lugduni præsidium agitabat coercuit*. Vetus autem & solidum ejus urbis auxilium fuisse discimus ex eodem auctore libro primo historiarum; ubi meminit quidem Junii Blæsi Lugdunensis Galliæ rectoris, qui partibus Vitellii accessit cum Italica legione & ala Taurica Lugduni tendentibus; sed subjungit cohortem XVIII. Lugduni solitis sibi hibernis relictam. Ut autem milites arctius & in disciplina haberentur, secreti erant a civibus & urbe, suisque castris continebantur, ad exemplum urbanarum cohortium, quæ Romæ degebant in castris prætoriis ad portam Viminalem. Castra autem ista Lugdunensia laxiora fuisse oportuit, neque unius tantum cohortis capacia, sed legionis quoque & alarum equestrium, quæ aliquando tendebant in hac colonia. Itaque, nisi fallor, castrorum Lugdunensium & prætorii locus erat in colle Fori veteris. Ita enim scribitur in veteribus chartis apud Paradinum, unde vulgare nomen *Forviere*. Sic enim insesso per milites colle, & per opera publica munito, spes adempta erat nationibus Gallicis eum locum invadendi. Unde, si hæc auxilia deessent, civitas inferior oppugnari aliquo pacto

De castris & præsidio Lugdunensibus.

Marca, Dissert. Eccl. C potuis-

Tribunus cohortis Lugdunensis.

potuisset. Tribuni, qui huic cohorti Lugdunensi præerat (non autem tribuni plebis, ut vertit Christophorsonus) mentio in epistola Lugdunensium apud Eusebium; qui χιλίαρχος a numero mille militum, qui cohortem complebant. Ajunt productos martyres in forum a tribuno & ab urbis magistratibus, atque ibi publice interrogatos de fide, in carcerem deinde trusos usque ad adventum rectoris provinciæ, cujus cognitioni reservati sunt. Magistratus illi erant duumviri, & ordo decurionum, de quibus inscriptiones Lugdunenses. Impie quidem illi adversus Christianos, sed rite & ex ordine legum se gesserunt. Etenim prehensio, modica coercitio, & custodiarum interrogatio duumviris competebat; non autem animadversio in facinorosos, quæ Præsidibus provinciarum lege concedebatur. In hoc autem Christianorum Lugdunensium negotio, ob multitudinem sociorum, metuque tumultus, manu militari opus fuit ad prehensionem reorum. Itaque non solum duumviri, sed etiam tribunus cohortis Lugdunensis reos prehensos in foro interrogarunt. Viris namque militaribus aliquando ἀνάκρισις sive interrogatio permittebatur. Hæc sunt verba epistolæ: Ἀναχθέντες εἰς τὴν ἀγορὰν, ὑπό τε τοῦ χιλιάρχου, καὶ τῶν προεστηκότων τῆς πόλεως ἐξουσιῶν, ἐπὶ παντὸς τοῦ πλήθους ἀνακριθέντες καὶ ὁμολογήσαντες, συνεκλείσθησαν εἰς τὴν εἱρκτὴν ἕως τῆς τοῦ ἡγεμόνος παρουσίας. Id est. *Adducti in forum a tribuno & urbis magistratibus, coram universa plebe interrogati & confessi, in carcerem conjecti sunt usque ad Præsidis adventum.* In hujus loci interpretatione hallucinatus est Ruffinus: quia ἀνακρίνεσθαι verbum legitimum, etsi usurpatum a beato Luca in Actis, quo reorum interrogatio significatur, non intellexit. Sic enim reddit: *Adstante tribuno & primoribus civitatis, pro solis acclamationibus populi correpti & in carcerem trusi sunt fratres usque ad adventum Præsidis.* Præses autem ille erat rector utriusque provinciæ, Viennensis & Lugdunensis. Ex utraque enim Ecclesia martyres conquisivit, & in eos animadvertit; ut docet epistola.

Explicatur insignis locus epistolæ Christianorum apud Eusebium.

Lapsus Ruffini.

Claritudo Lugduni.

CIX. Quare liquido constat, ut existimo, coloniam Lugdunensem ornatissimam fuisse in Galliis. Unde ex instituto Augusti effectum, ut Lugdunensi provinciæ solidæ nomen dederit, & tres provinciæ Galliarum ejus celebritatem commendare annuis conventibus æquum esse duxerint. Urbs vero ipsa Segusianorum genti præerat, Strabone teste, qui situm quoque illius gentis inter Rhodanum & Dubim fluvios fuisse docet: Προκάθηται δὲ τοῦ ἔθνους τῶν Σεγοσιάνων ἡ πόλις αὕτη, κειμένου μεταξὺ τοῦ Ῥοδανοῦ καὶ τοῦ Δούβιος. Idem docet Plin. *lib. IV. C. XVIII.* si emendate legatur: *Segusiani liberi, in quorum agro colonia Lugdunum.* Ceterum Segusiani, de quibus anxie quæritur a plerisque, erant e numero sexaginta populorum Galliæ; neque solum eam regionem occupabant inter duos amnes, quam Strabo annotavit, sed eos quoque agros, quos Ptolemæus Segusianis attribuit, dum illis urbes Rhodanam & Forum Segusianorum assignat; id est, *Roane & Feor au pays de Forest.* Mirabitur aliquis, quod Lugdunum Segusianorum caput omiserit. Culpa tamen imputanda non est Ptolemæo, sed vitio amanuensis, qui inter exscribendum alieno loco Lugdunum posuit, scilicet in Eduorum gente. Ibi enim recensetur *Lugdunum illustris metropolis*, ἐπίσημος Λούγδουνον μητρόπολις, & statim Segusiani describuntur, minuti capite suo per incuriam librarii. Quare Segusiani, vel si mavis cum Cæsare, Sebusiani, complectebantur eos agros, qui hodie nominibus Bressiæ, Balgiaci, partis Burgundici comitatus intra Rhodanum & Dubim, & cis Rhodanum agris Bellijoci, Rhodanesii, comitatibus Lugdunensi & Foresii comprehenduntur. Ceterum nomen istud Segusianorum paulatim obsolevit post divisionem provinciarum Imperii; solumque *civitatis Lugdunensium* nomen obtinuit, quod hodiernam Lugdunensem diœcesim æquabat; donec scisso in partes regno Francorum locus datus est variis illis comitatuum & dynastiarum appellationibus in agro antiquæ civitatis.

Metropolis Segusianorum.

Explicantur Segusiani.

Correctus Ptolemæi textus.

Imminutio Lugduni; dein direptio sub Severo.

CX. Galbæ principatu imminuta est aliquo pacto Lugduni dignitas. Ipsa vero civitas tandem expugnata est atque direpta a Severo Principe post bellum confectum contra Albinum Cæsarem, cujus partes secuta erat, teste Herodiano; qui apud Lugdunum, *magnam urbem & opulentam*, post varios præliorum eventus ultimam quoque pugnam fuisse testatur: Ἡ δὲ τελευταία περὶ Λούγδουνον μεγάλην πόλιν καὶ εὐδαίμονα. Idem observavit Dio de pugna ad Lugdunum facta prope Rhodanum. Dubios quoque præliorum eventus fuisse inter partes ante hoc ultimum & decretorium annotavit Capitolinus, licet de loco tacuerit. Spartianus vero apud Tinurtium pugnatum fuisset docet, non longe a Rhodano. Atqui Tinurtium, quod vulgo dicitur *Tournus*, est oppidum situm ad fluvium Ararim, in eo intervallo, quod est inter urbem Matisconensem & Cabilonensem, ut patet ex Itinerario Antonini: *A Matiscone Tinurtium M. P. XXI. Tinurtio Cabellionem M. P. XXI.* Itaque conciliandus est Spartianus cum ceteris historicis. Quod fiet levi emendatione. Hæc sunt verba Spartiani: *Multis interim varie gestis in Gallia, primo apud Tinurtium contra Albinum felicissime pugnavit Severus; cum quidem ingens periculum equi casu adiit, ita ut mortuus ictu plumbeæ crederetur.* Diserte ait primo pugnatum feliciter apud Tinurtium. Unde sequitur, ut alio loco ultimum certamen gestum fuerit, idque prope Rhodanum. Quod Dio & Herodianus docent fuisse apud Lugdunum. Itaque supplendus est Spartianus hoc pacto: *Primo apud Tinurtium pugnavit Severus, deinde apud Lugdunum.* Direptio tamen civitatis, quæ tunc contigit, non adeo infesta fuit, quin aliquot post annis, Alexandri principatu, conventus trium Galliarum ageretur ad aram Augusti; ut jam observavimus ex Dione. Quod enim ex Spartiano annotavit quidam, e præda Lugdunensi immensas opes congestas a Severo, id referri debet ad Urbem, id est, Romam, & alias provincias, ubi partium Albinianarum consciii proscripti sunt.

De loco pugnæ contra Albinum.

Spartianus emendatus.

De vetustate Ecclesiæ Lugdunensis.

CXI. Nunc restat, ut aliqua de vetustate & splendore Lugdunensis Ecclesiæ dicamus. Ejus exordia debentur Pothino Episcopo, qui eas in partes a Polycarpo Smyrnæ in Asia Episcopo, beati Joannis Apostoli discipulo, missus est; ut *libro primo historiæ Francorum cap. XXIV.* docet Gregorius Turonensis; qui antiquitates illius Ecclesiæ perspectas habuerat, per aliquod tempus ea in urbe moratus cum Nicetio Episcopo Lugdunensi avunculo suo. Sæpe quæsitum est, qua ratione fieri potuerit, ut Pothinus a Polycarpo mitteretur, quæ cognatio intercesserit inter nationes adeo remotas, quod jus competierit Asiatico Episcopo in Occidentem? Attamen si quis perpendat Lugdunensis emporii opportunitatem, (quo merces ex Oriente advehi solitas docuimus *num. XCIX.*) facile sibi persuadebit, commerciorum usum dissitas Asiæ & Galliæ regiones propius admovisse, & hominum æque ac mercium miscuisse societates. Verisimile est, felicibus auspiciis tunc temporis incidisse in Polycarpum negotiatores Lugdunenses, qui fidem Christianam illo doctore imbiberint, & ab eo Photinum impetraverint ad fovendam in Galliis novam illam propaginem. Expeditus erat illi sine dubio usus utriusque linguæ, Latinæ & Græcæ, æque ac Lugdunensibus, tum ad exemplum reliquarum coloniarum, tum præcipuo jure, quod in hac urbe ex Caji Caligulæ instituto Græcæ Latinæque facundiæ exercitatio fieret. Ceterum in Ecclesiæ exordiis non adeo exacta habebatur parœciarum ratio, quin ultra limites suos unicuique Episcopo ad propagandam fidem evagari liceret, ac si totius orbis solicitudo illi commissa

De Pothino misso a Polycarpo Smyrnensi.

Ejus missionis occasio.

missa fuisset, ut mirandum non sit, quod Polycarpus de Lugduno cogitarit. Veruntamen negotium illud peractum non est sine Romani Pontificis arbitrio, qui suffectum a Polycarpo Pothinum decreto suo Lugdunensi Ecclesiæ præfecit. Quod tribus non levibus argumentis confirmari posse puto. Primum est Innocentii primi testimonium, qui Galliarum ut & ceteras Occidentis Ecclesias non ab alio quam a Petro aut ejus successoribus institutas fuisse docet. Quod sane asseri non poterit, si ducentis & quinquaginta ante Innocentium annis antiquissima & florentissima totius Galliæ sedes a Polycarpo condita fuerit. Secundum argumentum petendum est ex ipsius erga Romanam Ecclesiam cultu; qui peregrinationem suscepit, ut Anicetum Romæ inviseret, teste Eusebio. Fieri ergo non potest, ut eam sedem vel levi contumeliæ suspicione lædere vellet, ea inconsulta Occidentis Ecclesias ordinando. Tunc enim, quemadmodum & sequenti seculo, provinciæ Galliarum Romanæ sedis administrationi subjacebant. Quod patet ex facto ipsius Ecclesiæ Lugdunensis; quæ per beatum Irenæum Presbyterum Romam missum ad Eleutherum Pontificem de Montani hæresi in Phrygia exorta retulit, ut Ecclesiæ pacem in Asia & Phrygia procuraret, teste Eusebio *lib. V. cap. III.* Tertium idque validissimum argumentum desumitur ex synodo habita ab Irenæo tunc Episcopo Lugdunensi, ex mandato Victoris Papæ, in quæstione de die Paschatis. Vim autem argumenti non constituo in eo mandato, cum in Orientis etiam Ecclesiis Concilia tunc acta sint ex rescripto Victoris, ut patet ex Eusebio *lib. V. cap. XXIII.* ubi de synodo a Polycrate Ephesi habita, & ex synodi Palæstinæ fragmento, quod recitat Beda. Sed decretum synodi habitæ ab Irenæo perpendo, quo usus Asiaticarum Ecclesiarum in XIV. die usurpanda in celebratione Paschatis damnatus est, & diei dominicæ assertus juxta consuetudinem Ecclesiæ Romanæ. Aliter sentire debuerat Irenæus cum suis Asiaticis, si mera Smyrnensis soboles fuisset hæc nostra Lugdunensis. Unde enim haurire potuisset ritus suos, quam a matrice Ecclesia, & cujus instituta potius amplecti quam ejus Ecclesiæ, unde deducta erat, ut fieri decuit juxta scitum Innocentii primi?

Probatam a Romano Pontifice missionem illam tribus argumentis ostenditur. Ex testimonio Innocentii.

Ex cultu Polycarpi erga Romanum Pontificem.

Ex sententia synodi ab Irenæo habitæ adversus opinionem Asiaticorum.

CXII. Pothinus annum ætatis agens nonagesimum martyrio confectus est sub Marco Aurelio Antonino anno Christi CLXXIX. una cum reliquis Christianis, quorum supplicia descripta sunt in luculenta illa epistola, quam refert Eusebius libro V. cap. 1. Ejus epigraphe hæc est: *οἱ ἐν Βιέννῃ καὶ Λουγδούνῳ τῆς Γαλλίας παροικοῦντες δοῦλοι Χριστοῦ τοῖς κατὰ τὴν Ἀσίαν καὶ Φρυγίαν*, &c. Ubi tria observanda sunt. Primum, hanc epistolam ad Asianos destinari, quia inde magistros pietatis Lugdunenses assumpserant. Secundum, Viennam Lugduno præferri ordine scripturæ. Quod ita intelligendum non est, ac si metropoleos dignitas tunc temporis esset penes Viennam solam. Utraque enim urbium illarum suæ provinciæ caput erat; ut diserte testatur Eusebius ibidem, dum ait, eas fuisse Galliarum *ἐπισήμους μητροπόλεις*. Sed honoris prærogativa in ordine civili tunc Viennæ competebat præ Lugduno, ex instituto Galbæ. Cum enim vetus harum urbium discordia in mutuas clades erupisset, & ista memor beneficii accepti pertinaci fide pro Neronis partibus staret, illa vero studeret Galbæ, *Galba reditus Lugdunensium, occasione iræ, in fiscum vertit. Multus contra in Viennenses honor*; ut ait Tacitus *libro primo historiarum*. Tertium, Lugdunum specialiter Galliæ tribuitur in hac epistola; quia (ut dixi num. CII.) Galliæ quandoque distinguebantur ab antiqua Narbonensi provincia, cujus partem sibi vindicabat Viennensis. Quod discrimen inductum est etiam in ecclesiasticam dispositionem. Unde in subscriptionibus Concilii Arelatensis primi habiti anno trecentesimo decimo quarto, post Episcopos provinciæ Viennensis sequuntur Episcopi Gallicani e provinciis Lugdunensi, Belgica & Aquitanica. Iidem dicuntur *provinciarum Gallicanarum Episcopi* a Synodo Vasensi anno quadringentesimo quadragesimo secundo. Hinc quoque emersit usurpata in synodis distinctio Galliarum & Quinque sive septem provinciarum; ut monui *num. LXVI. & LXVII.*

Pothini martyrium.

Explicatio inscriptionis epistolæ Lugdunensis.

Vienna cur prælata Lugduno.

Galliæ distinctæ a Narbonensi provincia in ordine ecclesiastico.

CXIII. Irenæus a Polycarpo Smyrnensi, cujus dictata adolescens exceperat, ad Pothinum missus, Lugduni Presbyterum egit, deinde primi ordinis sacerdotem. Claritudo tanti viri per universam Ecclesiam scriptis voluminibus pro tuenda fidei regula sic enituit, ut maximum inde ornamentum accesserit Ecclesiæ Lugdunensi. Hinc enim accidit, ut synodo Gallicanæ, quæ habita est in causa Paschatis adversus Asiaticos, Irenæus præfuerit, Eusebio teste lib. V. c. XXII. ubi ceterarum provinciarum Concilia recensens, Romanum scilicet, Palæstinum, Ponticum, Osrhoenum, Corinthium, sive Achaicum, iis quoque Gallicanum conjungit, conflatum ex Ecclesiis Galliæ, *quas* Irenæus regebat: *Καὶ τῶν κατὰ Γαλλίαν δὲ παροικιῶν, ἃς Εἰρηναῖος ἐπεσκόπει*. Equidem non diffiteor, quin relativum pronomen in textu Eusebii ex vi & usu particulæ illius restringi possit ad Ecclesias Galliæ Lugdunensis primæ, tunc divisæ a secunda, quas Irenæus metropolitico jure administrabat. Sed cum in generali universæ Ecclesiæ causa omnium sacerdotum vota exquirerentur, nullaque synodus alia in Galliis tunc habita fuerit præter hanc unam, plane necesse est, eam sententiam sequi, quæ omnium Galliæ provinciarum, in quibus Episcopi constituti erant, Concilium istud fuisse docet. Coactum Lugduni verisimile est, eo quod in ea urbe trium provinciarum Galliæ conventus fieri soleret, eaque esset antiquæ disciplinæ ratio, ut in locis frequentioribus Concilia fierent, ubi tutius & rectius Episcopi conveniebant. De universis quoque Galliarum Episcopis intelligendus est alter Eusebii locus cap. XXIV. ubi ait admonitionem scriptam ad Victorem ab Irenæo, ex sententia omnium per Galliam fratrum, quibus præerat, *ἐκ προσώπου ὧν ἡγεῖτο κατὰ τὴν Γαλλίαν ἀδελφῶν*. Tandem martyrio confectus est post edictum a Severo latum adversus Christianos anno decimo imperii, id est, anno Christi ducentesimo quarto, vel eo tempore, quo Severus, expeditione Britannica suscepta, Lugduno iter egit, i.e. anno CCXVI. Qua de re luculenter scripsit vir eruditus Theophilus Raynaudus in Indiculo sanctorum Lugdunensium. Tanta vero fuit Christianorum in ea urbe strages, ut per plateas flumina decurrerent sanguinis Christiani, nec numerum aut nomina martyrum inire licuerit; ut ait Gregorius libro primo historiæ Francorum cap. XXIX.

De Irenæo.

Præfuit synodo Gallicanæ in causa Paschatis.

Expensus Eusebius.

Martyrium Irenæi.

CXIV. Tot martyrum cruore fuso & Irenæi sacerdotio magnopere nobilitata est Ecclesia Lugdunensis. Unde factum, ut anno DCCCLIV. a Lothario I. Imperatore *prima Gallorum Ecclesia* dicatur in rescripto, quo Saviniacum monasterium illi contulit, cum onere alendorum monachorum, quod rescriptum ex codice manuscripto Lugdunensi damus.

IN NOMINE Domini nostri JESU Christi Dei æterni. Lotharius divina ordinante providentia imperator Augustus. Dum toto corde, tota anima, tota mente, & tota virtute, in his, quæ Deo cara sunt, vitam nostram extendere & actus nostros ad placendum illi informare cupimus, & amore ipsius Ecclesiam, quæ est Sponsa & corpus ejus, honorare & in sublime ferre omni conamine quærimus, ad aures serenitatis nostræ perductum est, agente hoc maxime venerabili & nostræ celsitudini devotissimo Pontifice Remigio, quomodo sancta Lugdunensis Ecclesia aliquando ditissima, & rebus late florentissima, & religione præclarissima fuerit, Pontificibus ejus in hoc maxime studium impendentibus, ut non modo Deo fœcunda, gene-

Lugdunensis Ecclesia prima Gallorum dicitur a Lothario Imperatore.

Marca, *Dissert. Eccl.*

rosa filiis existeret, verum & facultatibus & potentia seculi ad fastum mundi comprimendum opulentissima redderetur; at causis diverso ordine procurrentibus actum sit, ut res, quæ olim ad gloriam ipsius cumulatæ undique in eam profluxerunt, divisæ & distractæ multis generibus minuerentur. Quæ res pietatis nostræ animum eo promovit, ut, in quantum gratia omnis largitoris boni valeremus, ad primum statum eam reparare niteremur. Manentibus siquidem in ipsa sanctis studiis, & adhuc pia religione, quæ adprimis illi decorem ferrent, cui martyrum pretiosissimæ memoriæ & numerosissimi trophæi sanctorumque millium gloriosissimi provectus ad tutelam, ad incitationem omnis virtutis, ad doctrinam sinceræ fidei abundare noscuntur, rebus exterioribus, etsi paulatim voluntate hominum defluentibus, minorata etiam usque ad ultimum, nisi temperasset pietas divina, haberetur. Ut ergo tanti boni participes, fautores, auctores, sublevatores, sicut ubique desideramus, propter omnipotentis Dei gloriam essemus, & ut sancta studia in ea amplius valerent, ad imperium nostrum & augustam serenitatis nostræ memoriam subvehendam, visum est dignationi nostræ dono & largitione rerum nostrarum eam nunc ad præsens aliquantulum promovere; quod, donec ad primam formam, si possibile sit, perducatur, semper propter venerationem loci & Pontificis, ubi opportunitas se dederit, idipsum animo residebit. Conferimus itaque ipsi sacræ & primæ Gallorum Ecclesiæ pio animo, promptissima voluntate, simplici corde, quod deinceps omni tempore firmum & stabile permanere cupimus, cœnobium cum suis omnibus ad illud pertinentibus, in honore Domini nostri JESU Christi sub invocatione beati Martini Episcopi & Confessoris constructum, quod Saviniacus publice vocatur. Quam donationem liberalissime a pietate nostra perfectam ita reverendissimæ matri Ecclesiæ Lugdunensis indisrupto tempore ad solatium & honorem sui manere volumus, ut habitatores loci ipsius vita, doctrina, & subministratione rerum necessariarum ordinante & disponente viscera maternæ pietatis, & sancto Pontifice ipsius, salvo privilegio diœceseos, eis imperante, meliores & utiliores abinde efficiantur, ne detrimentum ex subditione seu donatione tali in aliquo sibi provenisse lugeant, sed ad desiderium nostrum & cumulum remunerationis, fructum sui profectus & gratiam vitæ melioris inde sibi accrevisse perpetuo lætentur. Ut autem manere nostra donatio & pietatis nostræ collatio & edictum nostræ præceptionis cunctis annorum curriculis firmum & inconvulsum possit, nec a quoquam violari ullo modo præsumatur, magnitudinis nostræ annulo cum roboratione etiam manuum subter imprimere & munire ad durabilem stabilitatem jussimus.

Signum LOTHARII sereniſſimi Auguſti.

Ilrodmundus notarius ad vicem Hilduini recognovi.

Data II. *Idus Septembris anno Christo propitio Domini Hlotharii Imperatoris in Italia XXXIII. & in Francia XII. Indictione XV. Actum in villa Ghernaico in Dei nomine feliciter. Amen.*

In synodis tunc prior nunc posterior subscribit Lugdunensis Episcopus.

CXV. Prima ergo Gallorum Ecclesia dicta est; non ex eo, quod aliquam præ ceteris sedibus metropoliticis jurisdictionis prærogativam obtineret, cum ex subscriptionibus Gallicanarum synodorum pateat, Episcopos Lugdunenses, ut in quibusdam potiores, ita in quamplurimis posteriores partes tenuisse. Attamen post excitatam de primatu Galliarum ab Ansegiso Senonensi controversiam, Cabilonensis synodus secunda, Lugdunensis sane provinciæ, Aurelianum Lugdunensem Primatem omnium Galliarum vocavit in decreto de purgatione Gerfredi monachi anno octingentesimo nonagesimo quarto. Etenim incensa semel de dignitate sedium contentio ingenia provincialium utriusque sedis incitavit ad amplificandum Ecclesiæ suæ splendorem. Senonensis Ecclesia delegationem apostolicæ sedis per intervalla impetrabat, ut decus olim ea ratione partum quoquo modo servaret. At Lugdunensis veterum monumentorum & historiæ fidem sollicitabat, ut dignitatem suam tueretur. Tunc opportune prodiit in lucem collectio Isidori, qua Clementis & Anacleti epistolæ & Notitia provinciarum illi adjuncta continebantur. Hinc collegit synodus Cabilonensis, primatum Galliarum deberi Lugdunensi Ecclesiæ, eamque opinionem transmisit in posteros, quam scripto suo publicavit beatus Odilo Abbas Cluniacensis in vita sancti Majoli circa annum millesimum quadragesimum sextum. Ait enim Majolum ab Antonio quodam erudiendum accessisse ad urbem Lugdunensem *philosophiæ nutricem & matrem, & quæ totius Galliæ ex antiquo more & ecclesiastico jure non immerito retineret arcem.* De jure loquitur, non autem de facto. Nondum enim collata fuerat primatus dignitas a Gregorio septimo. Quare non erat, cur se in tantas angustias conjiceret vir eruditus, qui existimat contra omnium codicum fidem Odilonem istum alium esse ab Abbate Cluniacensi, qui obiit anno millesimo quadragesimo octavo, & posteriorem Gregorii VII. rescripto. Quoniam, inquit, auctor vitæ Majoli meminit in eo opere Guilielmi Abbatis, *qui nuper rebus humanis excessit*. Atqui, subsumit ille, Wilielmus Abbas Cluniacensis obiit anno MLXXIX. III. Idus Januarii, tribus mensibus post rescriptum Gregorii. Errat dupliciter. Wilielmus Abbas, de quo loquitur Odilo, est Divionensis, qui obiit anno millesimo quadragesimo quinto, tribus annis ante Odilonem Cluniacensem. Wilielmus autem Cluniacensis vitam exuit anno millesimo centesimo septuagesimo nono; ita ut superiori calculo viri eruditi desit numerus centenarius. Tanta erat sancti Odilonis Abbatis Cluniacensis auctoritas, ut facile Gregorius VII. sibi justum esse persuaserit, & in gratiam Lugdunensis Ecclesiæ decreverit, quod Odilo præjudicio suo ex opinione recepta constituendum præscripserat; eo temperamento tamen adhibito, scilicet, ut in quatuor Lugdunenses provincias, non autem per universam Galliam, primatum illi confirmaret.

Primas omniũ Galliarum dicitur in Cabilonensi synodo II.

Idem docuit Odilo Abbas Cluniacensis.

Qui explicatur, & asseritur esse auctor vitæ beati Majoli.

Ex recepta sententia Gregorius VII. primatum Lugdunensem constituit.

CXVI. Decretum Gregorii statim Rodulphus Turonensis Archiepiscopus amplexus est; de quo illi gratulatus est Gebuinus Lugdunensis, data ad eum ea de re epistola, quæ edita est in auctario Bibliothecæ patrum, ante Flodoardi historiam Rhemensem. Sed Richerius Senonensis omni contentione reluctatus est, alienum existimans a dignitate Ecclesiæ suæ (cui primatus Galliarum olim delatus fuerat ab apostolica sede, quemadmodum diximus *num. LVI.*) si ad colendam Lugdunensem Ecclesiam demitteretur. Itaque ad revincendam illius pertinaciam opus fuit judicio Claromontanæ Synodi, quod post varias Richerii præsentis ludificationes ab Urbano secundo promulgatum est; cujus exemplar nunc primum ex manuscripto codice Lugdunensi damus. Huic sententiæ se parituros Senonensis Ecclesiæ suffraganei Episcopi ore proprio professi sunt. Renuens vero Richerius, usu Pallii & obedientia suffraganeorum mulctatus est, quamdiu in contumacia perstaret. Idem Judicium latum in Rothomagensem Episcopum absentem, nisi intra tres menses subjectionem debitam polliceretur; quam suffraganei illius Ecclesiæ Episcopi, qui præsentes aderant, statim spoponderunt. De hac Pallii abstentione Richerio irrogata intelligendus est Ivo Carnotensis in *epistola quinquagesima* ad Richerium: ubi ait; mandatam sibi in urbe Montispessulani ab Urbano tunc Romam repetente de Parisiensis Episcopi electione cognitionem, & permissam Richerio Senonensi electi ordinationem cum Pallii usu in eo ministerio. *Mando vobis ex parte Domini Papæ, ut, si Parisiensis Ecclesia eum* (id est, Gui-

Illi paruit statim Turonensis.

Senonensis restitit.

Decretum Urbani II. in illum.

Et Rothomagensem.

Explicatur Ivo.

Guilielmum) *sibi ordinari & consecrari postulaverit, ante festum sancti Remigii, secundum auctoritatem & consuetudinem Ecclesiæ vestræ, ei manum imponatis, & honore Pallii ad tempus vobis interdicto in ejus ordinatione & consecratione uti nullatenus formidetis. Sic enim Domnus Papa mihi concessit apud Montempessulanum, cum ad petitionem Regis de ejusdem Guilielmi electione tractaretur, & post multam ventilationem ejusdem electionis discussio mihi a Domno Papa committeretur.* Conquestus est de hoc judicio Synodi Claromontanæ Richerius apud Ivonem Carnotensem suffraganeum Ecclesiæ Senonensis & juris canonici peritissimum; a quo consilium retulit prudentia plenum, scilicet ut rei judicatæ interim pareret, donec instrumentis authenticis libertatem Ecclesiæ suæ docere posset. *Non est consilium meum, ut contra torrentem brachia dirigatis; imo apostolicis sanctionibus interim acquiescatis, absque præjudicio privilegiorum vel authenticarum scripturarum, si quando reperiri poterunt, quæ hanc subjectionem ab Ecclesia vestra removeant, & ejusdem Ecclesiæ libertatem defendant.* Respuit admonitionem Richerius, Ivonemque in eam necessitatem adegit, ut secundum Urbani in Synodo Claromontana decretum a Senonensis Ecclesiæ reverentia sibi interdicta tantisper discederet. Unde cum Aurelianensis Ecclesia Sancionem sibi præficiendum Episcopum elegisset, & a Richerio evocatus fuisset Ivo pro electi ordinatione ad Castrum Nantonense, (hodie Chasteaulandon) noluit parere mandato. Hæc sunt ejus verba *epistola LIV. Quem cum a nobis ex admonitione Senonensis Archiepiscopi consecrari postulasset apud Castrum Nantonense, quod est intra parochiam Senonensem, omnino recusavimus; propter primatum Lugdunensis Ecclesiæ, quem irrationabiliter refutat illa sedes, & interdictum sedis Apostolicæ.* Itaque Ivo ipse cum aliis provinciæ Episcopis manum imposuit electo, precibus Aurelianensis Ecclesiæ & Regis motus. Hugo Lugdunensis tunc Legati vices agebat in Gallia; qui non ratione quidem primatus, sed jure legationis, ad se de persona electi ante omnia referri debere contendebat, testimonio petito ex Leonis epistola ad Anastasium Thessalonicensem. Sed excepit Ivo, id juris concessum Anastasio privilegio personali, non autem omnibus Legatis indultum generali decreto.

Conqueritur Richerius.

Consilium Ivonis.

Qui renuenti adversatur.

Disputatio Ivonis cum Hugone Legato.

Ivo epist. 59.

CXVII. Majoris momenti negotium emersit post Richerii obitum, qui accidit anno millesimo nonagesimo sexto; quod Ivonis diligentiam excitavit ad tuendam Senonensis Ecclesiæ dignitatem. Electo enim Daimberto, Hugo Primas Lugdunensis & Legatus in Gallia eum sibi ante ordinationem exhiberi & ut Primati Lugdunensi subjectionem debitam profiteri debere contendebat; missisque literis ad provinciæ Episcopos, ut a consecratione manus abstinerent, diserte jubebat. Paritum est interim Legati mandato. Sed rescripsit Ivo epistola LX. personalem illam exhibitionem ante susceptum consecrationis munus nulli Primati deberi ex more, sed neque Legatis jus illud competere, nisi electus alicujus criminis reus delatus sit. Quare petiit, ut permitteret liberam illius ordinationem provincialibus Episcopis Hugone destinatis pertinaciter adhærente. Ivo ea de re certiorem fecit Urbanum Papam *epistola LXV. De Senonensi electo, cujus consecratio a Legato vestro Lugdunensi Archiepiscopo ob hoc impeditur, quia ei jure primatus sui ante consecrationem suam obedientiam non profitetur, quid nobis agendum sit, rescribat vestra paternitas. Cum enim nulla aliquo accusante alia causa prætenderetur, propter quam ejus consecratio differretur, eo tamen jubente propter reverentiam vestram manus ab ejus consecratione continuimus, cum de professione a Metropolitanis Primatibus facienda nihil legamus consuetudine firmatum, vel legibus institutum; ultra quas metas nihil concessum esse Primatibus testatur Papa Nicolaus.*

Alia cum eodem, ut Primate, de Daimberto Senonensi electo.

An Metropolitanus ante consecrationem teneretur sistere se coram Primate?

Marca, Differt. Eccl.

CXVIII. Quis autem fuisset hujus controversiæ exitus, pene incompertum erat. Id tantum habebamus, quod Goffridus Abbas Vindocinensis epistola sua docuerat Ivonem, se fama accepisse exhibitam a Sesonense obedientiam Hugoni Primati Lugdunensi, prætermisso Ivone, qui tantopere pro Senonensi Ecclesia laboraverat. Totius vero negotii seriem debemus epistolæ Urbani II. quam hic subjicimus ex manuscripto codice Lugdunensi. Unde discimus, Daimbertum ab Urbano ipso Romæ consecratum sine ulla conditione, deinde post aliquot menses Romam evocatum ad synodum; ubi discusso negotio, contradicto judicio primatus Lugdunensis firmatur anno MXCIX. & Daimbertus pollicetur, se intra breve tempus ad Primatem accessurum, professurumque debitam obedientiam. Quod præstitit bona fide, ut probatum est ex Goffrido. Cui addi potest testimonium Joannis Lugdunensis apud Ivonem *epistola CCXXXVII.* Urbani autem epistola ita habet:

De exitu hujus controversiæ.

Goffrid. lib. 2. epist. 18.

URBANUS Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri & coepiscopo Hugoni Lugdunensi salutem & apostolicam benedictionem. Pro querela, quam adversus Senonensem Ecclesiam & prædecessorum tuorum & tua hactenus fraternitas vehementer exercuit, quantis contentionibus, quantis clamoribus & nostro & antecessorum nostrorum tempore sedes apostolica interpellata sit, non est necessarium memorare; quoniam & antecessorum nostrorum scripta indicant, & Conciliorum, quæ nos auctore Deo in Galliis celebravimus, communis memoria protestatur. Ea siquidem causa in plenario Arvernensi Concilio tractata ac definita est. Et cum Richerius Senonensis Archiepiscopus synodali definitioni minime acquievisset, in Turonensi pariter ac Nemausensi Concilio per tuam est industriam repetita. Et supradictus quidem Richerius pro sua pertinacia interdictus obiit, suffraganeis ejus tibi tanquam Primati & synodali judicio obedientiam jam professis. Frater autem noster Daimbertus, qui eidem nunc Ecclesiæ disponente Domino præsidet, sicut tibi nostris significatum est literis, sub eadem querela per ministerium meum gratiam consecrationis accepit. Nuper autem, cum ad Apostolorum limina tam pro ejusdem causæ actione quam pro communi synodica vocatione rediisset, præsentibus legatis tuis, Ismeone Diensi Episcopo, Girino, Decano, & item Girino Capellano, sedis apostolicæ cogente judicio, omni demum tergiversatione cassata, in manu nostra professus est, se & Lugdunensis Ecclesiæ super Senonensem primatum agnoscere, & de cetero tibi tuisque legitimis successoribus tamquam Primatibus obedire. Similiter etiam pollicitus est statuto a nobis tempore, id est, usque ad proximam beati Dionysii solennitatem, se ad vos venturum, & in conspectu Lugdunensis Ecclesiæ idipsum ore proprio professurum, nisi canonicum impedimentum evenerit; quo transacto, infra triginta dies idipsum implere curabit. Sic enim vicariis vestris & per eos tibi ac Lugdunensi Ecclesiæ in manum assignavimus, præsentibus fratribus nostris, quorum infra scripta sunt nomina, Anselmo videlicet Cantuariensi, Leodegario Bituricensi, Amato Burdigalensi Archiepiscopis, Gualterio Albanensi, Odone Ostiensi, Guntardo Fundano, Leutaldo Silvanectensi Episcopis, Nunerio de Titulo sancti Clementis, Teuzone de Titulo sanctorum Joannis & Pauli, Joanne de Titulo sanctæ Anastasiæ nostræ sedis Apostolicæ Presbyteris Cardinalibus, Petro Leonis, Joanne Fregapane, Romanis proceribus. Tua ergo fraternitas quid apostolicæ sedi debeat propensiori deinceps & amoris & obsequii exhibitione perpendat.

Urbani II. decretum, quo controversia de primatu dirimitur.

Datum Romæ apud beatum Petrum per manum Joannis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardina-

dinalis, Indictione septima, VIII. Kalendas Maji. Anno dominicæ incarnationis MXCIX. pontificatus Domini Urbani secundi Papæ duodecimo.

Primatus dignitatem augere conantur Lugdunenses; sed excidunt.

CXIX. Constituto primatu, Archiepiscopi Lugdunenses aliquoties abuti tentarunt, fines ejus ultra quam par esset porrigendo. Primus gradus factus est ab Hugone, ut jam diximus, qui electum Senonensem Metropolitanum, antequam a provincialibus Episcopis ordinaretur, sibi exhiberi cupiverat, sed excidit ab ea petitione Urbani secundi judicio. Secundam controversiam movit Joannes Lugdunensis, qui de investituris laicorum Concilium indixit apud Ansam, & ceteros illius provinciæ Episcopos evocavit ad synodum: qui conatum illum scripta ab Ivone uno ex collegis omnium nomine epistola repulerunt, asserentes, Episcopos ad alienæ provinciæ Concilium trahi non posse, nisi aut ex mandato sedis apostolicæ, aut in causa appellationis, si una ex provincialibus Ecclesiis primam sedem appellaret. Contendebat quidem Joannes, primam provinciam non esse a ceteris alienam, imo potius ex quatuor Lugdunensibus unam solidam confici provinciam. Attamen obtinere non potuit, quod tantopere ambiebat, ob certam illam regulam, quæ illius voto erat contraria, nempe nihil licere Primatibus, quam quod iis ex veteri instituto indultum est, scilicet solum appellationis judicium. Hæc sunt illius epistolæ verba, quæ est CCXXXVI. inter epistolas Ivonis: *Nusquam reverenda patrum sanxit auctoritas, nusquam hoc servare consuevit antiquitas, ut primæ sedis Episcopus Episcopos extra provinciam propriam positos invitaret ad Concilium, nisi hoc aut apostolica sedes impetraret, aut una de provincialibus Ecclesiis pro causis, quas intra provinciam terminare non poterat, primæ sedis auctoritatem appellaret.* Citat Nicolaum. Mox addit: *Huic sententiæ concordant Clemens & Anacletus, qui post Apostolos ordinaverunt, in quibus civitatibus essent primæ sedes, in quibus metropolitanæ, statuentes ita demum judicium Episcoporum ad Primates esse referendum, si ad eorum audientiam fuerit appellatum.*

Nihil licet Primatibus præter appellationis judicium.

Senonensis discessio a primatu.

CXX. Non solum autem injustis conatibus Lugdunensium Senonensis provincia obtinebatur, sed etiam a colenda sede Lugdunensi tandem recessit. Quod probamus ex epistola Humberti Lugdunensis, qui sedit anno millesimo centesimo quadragesimo nono. Evocatus enim a Sugerio Abbate sancti Dionysii, qui Ludovici Regis in transmarinis partibus versantis vices gerebat, ad conventum regni in urbe Carnotensi provinciæ Senonensis, ubi de orientalis Ecclesiæ subsidiis deliberatio ineunda erat, respondit salva dignitate eo se conferre non posse, ob contumaciam Senonensis Episcopi, qui primatum Lugdunensem respuebat. *Verum quia nos*, inquit, *pro officio & pro jure primatus, ex parte Domini Regis & Optimatum regni, ad colloquium, quod apud Carnutum celebrari debet, invitastis, sciat charitas vestra, quod, donec Senonensis Archiepiscopus in eadem causa primatus nobis derogare non veretur, & apostolicis mandatis contumax & rebellis existit, pudor nobis est ad illas progredi partes, ubi Domino Papæ contradicitur & Lugdunensis Ecclesia debito honore fraudatur.* Querela de solius Ecclesiæ Senonensi contumacia satis probat Rothomagensem & Turonensem officio suo non defuisse. Quare in universum ex hac epistola colligi non potest, primatum Lugdunensem in Gallia tunc abolitum fuisse. Quin potius ea tempestate celeberrimorum virorum scriptis inclarescebat, tum Petri venerabilis, qui Primatem & Patriarcham vocabat Episcopum Lugdunensem, tum beati Bernardi, Othonis Frisingensis, & aliorum.

Apud And. Duchesnium t. iv. pag. 535.

Non abolitus erat in Gallia primatus.

Philippi Regis epistola explicatur de solo Bituricensi primatu in Gallia. *Extat infra* §. 55.

CXXI. Attamen aliqui hoc sibi persuadent ex epistola Philippi Augusti Regis, qui ad Innocentium III. scribens his verbis utitur: *Sola Bituricensis Ecclesia in toto regno nostro primatiæ obtinet dignitatem.* Alia est mens Regis: quæ ut aperiatur, observandum est, illis temporibus, scilicet anno millesimo ducentesimo undecimo, Lugdunensem civitatem Imperii jura coluisse, licet ager Lugdunensis cis Ararim regno Galliarum accenseretur. Quod ex antiqua divisione inita inter filios Ludovici Pii, Rhodano, Arari, Mosæ parte, & Scaldi terminabatur. Excitato deinde Burgundiæ regno, Lugduni solida civitas illi tributa est, & inter proceres regni, quod postea Arelatense dictum est, Archiepiscopus locum obtinuit; ut patet ex Bosonis & Ludovici ejus filii inaugurationibus aliisque publicis actis. Unde Henricus III. Imperator Adelricum Lugdunensi Ecclesiæ Archiepiscopum præfecit anno MXL. ex Glabro *libro V. cap. IV.* Fridericus primus collatam a decessoribus suis, post adjunctum Imperio Arelatense regnum, donationem jurium regalium, tam in urbe quam ejus agro trans Ararim, confirmavit anno MCLVII. jussitque, ut Heraclius Archiepiscopus Lugdunensis *Exarchon & summus princeps palatii Burgundiæ* nuncuparetur. Concessit ergo Heraclio, ut edicti verbis utar, *totum corpus civitatis Lugdunensis & omnia jura regalia per omnem archiepiscopatum citra Ararim* (loquitur ratione habita loci, ubi tunc consistebat) *in omnibus rebus, quæ in Lugdunensi episcopatu ad Imperium pertinent.* Guigo comes Lugdunensis & Forensis ægre tulit hanc donationem, belloque illato Archiepiscopum Lugduno expulit, & ad Carthusiam Portarum aufugere coegit, ut notat quidam scriptor illius ætatis apud Surium. Tandem conventione invicem habita anno MCLXVII. omnia jura in civitate communia habuerunt. Anno vero MCLXXIII. idem Guigo cessit Ecclesiæ quidquid juris sibi competebat Lugduni & in maxima parte ejus pagi cis Ararim. Ipse autem ab Ecclesia plures pagos recepit, permutationis nomine; quæ confirmata est ab Alexandro III. Pontifice & a Philippo Augusto Rege Galliarum. Dubitandum non est, quin dignitas Comitatus Lugdunensis, quæ tunc erat penes Guigonem Comitem, in Ecclesiam Lugdunensem translata fuerit, solusque Comitatus Forensis titulus Guigoni servatus. In eam rem descripta sunt in permutationis instrumento hæc verba: *Casamentum Ecclesiæ a Comitatu separari non potest.* Vox ista *Casamenti* apud Ivonem & alios auctores occurrit, quæ prædia feudi nomine possessa significat; atque adeo hic demonstrat Comitatus prærogativam prædiis & juribus feudalibus Lugdunensis Ecclesiæ cessis, tam in civitate quam in ejus pago, conjunctam fuisse. Prædia illa cis Ararim sita Regiæ jurisdictioni subjiciebantur. Civitas vero Lugdunensis paulatim ad jus regni rediit, tuitione beati Ludovici Regis a civibus adversus Archiepiscopum interpellata; qui motus exortos arbitrio suo compescuit anno millesimo ducentesimo sexagesimo nono. Eadem cura exercuit Philippum III. ejus filium; quæ derivata est in Philippum IV. qui tuitionem in dominium aperte vertit, non invita civitate, quæ opem ejus adversus Archiepiscopum provocatione facta imploravit anno millesimo ducentesimo nonagesimo. Ex prædictis patet, anno MCCXI. recte a Rege Philippo Augusto observatum solam Bituricensem Ecclesiam in regno primatu potitam, quia illa ætate Lugdunensis Ecclesiæ sedes sita erat in finibus Imperii. Tandem regia jurisdictio pleno jure Lugdunum amplexa est, suffragante Archiepiscopo & Capitulo, iis conditionibus, quæ transactionis instrumento continentur, quod scriptum est anno millesimo trecentesimo duodecimo. Earum una Comitatus Lugdunensis dignitas Ecclesiæ ejus civitatis confirmatur; licet jurisdictio inferior soli Archiepiscopo aliis literis concedatur ab ea depulsis Canonicis, quos, licet invitos & sæpius deinde conquerentes, jurisdictione civitatis, exceptis claustrorum septis, privarat olim, servato Comitatus titulo, Gregorius X. anno

Lugduni civitas regno Burgundiæ & imperio ascripta.

Ejus dominium Ecclesiæ cessum.

Cum dignitate comitatus.

Auctoritas in civitatem Regibus Galliæ restituta.

Canonici Comites Lugdunenses.

anno MCCLXXIV. arbiter electus a civibus & Ecclesia. Nihilo secius tamen Comitatus titulum & cetera jura Comitum Canonici hucusque servarunt. Unde hoc anno MDCXLIII. die XXV. Septembris cognitione habita adversus syndicum civitatis, antiqua Comites se Lugdunenses nuncupandi possessio illis confirmata est decreto regii consistorii.

Restitutio primatus in regno.

CXXII. Altera ex conditionibus primatus auctoritas in regno stabilita est. Eo enim instrumento Lugdunensis Ecclesia regni primam sedem inter ceteras Galliarum Ecclesias obtinere a Rege asseritur. Regii præsidii is fuit effectus, ut Senonensis Ecclesia primatum a Romanis Pontificibus constitutum, quemadmodum duæ reliquæ provinciæ, non tamen sine controversia aliqua, deinceps agnoverit in dirimendis appellationibus.

De Rothomagensi Primate.

Solus Rothomagensis Archiepiscopus superioribus annis a Lugdunensis Ecclesiæ obsequio recedere cœpit, seque Primatem Normanniæ nuncupare, ita ut provocatio ab ejus judiciis ad solam sedem apostolicam interponatur. Itaque in universum duo quædam asserere licet. Unum est, primatus Lugdunensis jus in sola dirimendarum appellationum a judiciis Metropolitanorum jurisdictione versari.

Jus Primatus Lugdunensis.

Alterum est, jus idem Bituricensi, Burdigalensi, Narbonensi, Viennensi, licet se Primates indigitent, extra provincias suas non competere, imo vero nec ulli alteri Primati in Europa.

CXXIII. Exposita primatus Lugdunensis historia, quædam dicenda sunt de Viennensi primatu hactenus a nobis omiso; præsertim cum ejus Ecclesiæ societatem cum Lugdunensi nobis exhibeat antiqua illa epistola ab Eusebio laudata. De Viennensi civitate & provincia sub Romanis Principibus abunde dictum est. Id unum restat, ut dignitatem ejus recentiorem non reticeamus. Ex Odilone in vita Adelaidis, Vienna dicitur *sedes regni Burgundiæ*, ejusque Archiepiscopus Comes & Cancellarius regni. Comitatum Viennensem Archiepiscopis donavit Rodulphus III. Rex Burgundiæ anno MXXIII. eisdemque Fridericus I. contulit anno MCLVII. ut essent in regno Burgundiæ *sacri palatii Archicancellarii*. Sed insigniori privilegio ejus civitatis Archiepiscopos ornavit anno MCXX. Callistus II. Pontifex Romanus: qui genus ducens ex domo regia Burgundiæ, ejus regionis illustrandæ, quemadmodum Ecclesiæ Viennensis sponsæ quondam suæ, curam gerebat.

De Viennensi Ecclesia.

Ejus primatus in septem provincias a Callisto.

Illis ergo tribuit primatus auctoritatem in septem provincias, Viennensem, Bituricensem, Burdegalensem, Auscitanam, Narbonensem, Aquensem & Ebredunensem. Et ne in similes controversias inciderent iis, quæ motæ fuerant Lugdunensi Archiepiscopo, præter dignitatem illam primatus, vices apostolicæ sedis illis contulit, mandata specialiter synodos indicendi potestate & negotia ecclesiastica canonice dirimendi. Hæc sunt Callisti verba: *Nos quoque auctore Deo concedimus, & præsentis privilegii pagina confirmamus, ut videlicet super septem provincias primatum obtineat, super ipsam Viennensem, super Bituricam, Burdigalam, Auxitanam, quæ Novempopulana dicitur, super Narbonam Aquensem & Ebredunensem, & in eis Viennensis Archiepiscopus Romani Pontificis vices agat, synodales conventus indicat & negotia ecclesiastica juste canoniceque definiat.*

Ratio instituendi hujus primatus quæritur.

CXXIV. Quæret aliquis, quam regulam secutus Callistus hos fines Primati Viennensi circumscripserit. Plane ad veterem divisionem Gallicanæ Diœceseos in Gallias & septem provincias respexit, quarum conventus quotannis Arelate fiebat ex constitutione Honorii. Etenim septem provinciæ a Callisto descriptæ respondent septem provinciis, de quibus diximus *num. LXVIII.* Occasionem autem arripuit subjiciendi septem illas provincias Ecclesiæ Viennensi, quia in Notitia, in capite illarum septem, descripta est Viennensis provincia una cum ejus metropoli, quæ est *civitas Viennensium*. Quare Callistus conjecit, tam sibi liberum esse, ut Viennam septem provinciis præficeret, quam decessoribus suis licuerat Lugdunum præficere iis provinciis, quæ Lugdunenses dicebantur in Notitia. Porrò, ne nova videretur hæc institutio, a Silvestro I. & aliis Pontificibus Romanis ejus originem arcessit, quorum supposititia rescripta edita sunt a Joanne Bosco, ubi ex Romano catalogo septem provinciæ subjici dicuntur Viennæ; ut notatur in calce supposititii rescripti Silvestrini. Tarantasiæ autem Archiepiscopum, qui præpositus erat provinciæ Alpium Penninarum extra septem illas positæ, subjecit Viennensi, ut Primati, exemplo Leonis I. & Symmachi. Ex hoc Callisti decreto initium sumpsit, ut existimo, divisio illa, quam aliquot exemplaria Notitiæ præferunt, in octo Viennenses provincias; ita ut viris eruditis laborandum non sit in alia ratione ejus divisionis quærenda cum Scaligero, qui Vicarium Præfecti prætorio Galliarum Viennæ quondam constitisse & in octo illas provincias Jus dixisse sibi, dein ceteris, sine ullo argumento, imo etiam contra veteris historiæ fidem persuasit. Cum itaque beneficio Callisti Bituricensis Ecclesia, quæ primatu in Aquitania potiebatur, & Narbonensis, quæ ex Urbani II. decreto Primas erat provinciæ Aquensis seu Narbonensis secundæ, subjectæ essent Primati Viennensi, ipse sibi Primatis Primatum nomen indidit, & monetæ, quam cudi curabat Viennæ, hanc inscriptionem adjecit: *Maxima sedes Galliarum*. Sed nulla plane auctoritate in vim ejus rescripti, quod per subreptionem elicitum veterum Primatum inauditorum jura convellebat, Archiepiscopus Viennensis potitus est. Attamen Diensem & Albensem seu Vivariensem episcopatus vi rescripti illius ab Arelatensi provincia distractos Viennensis Archiepiscopus in suam provinciam adscivit.

Origo octo Viennensium provinciarum in Notitiis.

Primates sunt recentioris instituti.

CXXV. Ut autem plenius sententiæ nostræ veritas astruatur, quæ posterioribus seculis primatum hodiernorum originem assignat, discutienda est quæstio de Toletani & Bracarensis primatus antiquitate, quæ opinioni nostræ ab Hispanis objici posset. Pisanum enim primatum non moror, qui recentioris est instituti. Etenim ab Urbano II. sedi episcopali Pisarum collata est dignitas archiepiscopalis, & Archiepiscopo tunc concessa legatio in Sardinia anno millesimo nonagesimo secundo. Primatum vero in provinciis ejus insulæ Turritana, Calaritana & Arborensi contulit Alexander III. anno millesimo centesimo sexagesimo septimo. Quare recte quidem Pisanus ab interpretibus juris nostri dicitur Primas Sardiniæ; sed nullo operæ pretio, cum nulla jurisdictione in ea insula hodie potiatur. In Hispaniis quoque Toletanus & Bracarensis nullum jus in Provincias sibi arrogant, præter nudam procedendi pompam cum antelatione crucis. De quo privilegio simul quoque aliqua annotabimus. De Toletani primatus institutione copiose scripsit Garsias Loaisa; sed nimiam vetustatem huic primatui affingit, quam ab initiis Ecclesiæ repetit. Tantum autem civitas Toletana aberat olim a primatu, ut sub Principum Romanorum imperio nondum assecuta esset metropoleos dignitatem. Quod mirum videri posset, nisi provinciarum Hispanicarum descriptione id adstrueremus. Non loquor de divisione ab Augusto præscripta in tres provincias, Tarraconensem, Bæticam, Lusitanicam, cujus meminere Strabo, Plinius & Ptolemæus; sed de illa partitione, quæ ex Hadriani vel Antonini instituto Hispanias in septem provincias tribuit. De qua sic Rufus *in Breviario*: *Per omnes Hispanias sex nunc sunt provinciæ, Tarraconensis, Carthaginensis, Lusitania, Gallicia, Bætica, insulæ Baleares. Trans fretum Africæ provincia Hispaniarum est, quæ Tingitana cogno-*

De Pisano.

De Toletano.

Divisio provinciarum Hispaniæ.

Septem in ordine civili.

Marca, Dissert. Eccl. C 4

cognominata. Huic distributioni Ecclesiæ dispositio sese accommodavit; ita tamen, ut Tingitana Mauritania relicta fuerit synodis Mauritaniæ Cæsariensis, quemadmodum monuimus numero XCIII. Insulæ quoque Baleares, in quibus una tantum erat civitas, Tarraconensi provinciæ accesserunt.

Quinque in ordine ecclesiastico.

Quare in quinque provincias ecclesiastica dispositio redacta est, Tarraconensem, Carthaginensem, Galliciam, Bæticam & Lusitaniam; ut patet ex epistola Siricii ad Himerium Tarraconensem in calce epistolæ, ex epistola Leonis primi ad Turibium, ex regula fidei, quæ subjuncta est Concilio Toletano primo, & ex Concilio Bracarensi primo. Tarraconensis provinciæ metropolis fuit Tarraco, Galliciæ Bracara, Lusitaniæ Emerita, Bæticæ Hispalis, Carthaginensis verò provinciæ Carthago (hodie Carthagena) olim ab Afris condita.

Carthago metropolis provinciæ Carthaginensis.

Nomen ipsum, quod provincia a civitatis nomine sortita est, satis docet, caput & matrem urbium ejus regionis fuisse Carthaginem. Sed præter demonstrationem illam extat testimonium perspicuum in subscriptione Concilii Tarraconensis I. habiti anno DXVII. ubi subscribit Hector Episcopus Carthaginensis metropolis.

Ea urbs excisa.

Eversa deinde penitusque deleta fuit Carthago a Gotthis, ut notat Isidorus Hispalensis libro XV. Originum. Quæ clades illata est a Suevis anno CDLXI. qui, teste Idacio, Bæticam & Carthaginensem provincias magna deprædatione subverterunt.

Ad Toleti urbem est translata metropolis.

Excidium illud provinciæ Carthaginensis synodo occasionem dedit transferendæ dignitatis metropolitanæ in civitatem Toletanam, ubi Gotthorum Reges solium regni constituerant. Quare in calce synodi Toletanæ II. anno DXXXI. Montanus Episcopus Toletanus dicitur esse in metropoli, ideoque ejus curæ mandatum, ut quando opus erit, literis suis evocet ad synodum comprovinciales Episcopos. Idem Montanus, in epistola ad Palentinos, ex veteri consuetudine jus metropoliticum sibi arrogat. *Præsertim*, inquit, *cum Toletanæ urbi Metropolitani privilegium vetus consuetudo tradiderit*. Sine dubio mutatio hæc inducta fuerat invito Carthaginensi Episcopo, qui nomen, licet inane, Metropolitani Carthaginensis retinebat anno DXVII. & interesse nolebat synodo Carthaginensis provinciæ, sed proximiori, nempe Tarraconensi, ut diximus de Hectore. Unde in Notitiis, quæ temporibus Gotthorum prodierunt, Toletum quidem dicitur esse metropolis provinciæ Carthaginensis, sed in aliquibus exemplaribus civitas Carthaginis non annotatur inter suffraganeas.

Toletanus dictus Carpetaniæ Metropolitanus.

Quare Ephemius Toletanus Episcopus veluti religione ductus, in Concilio Toletano III. anno DLXXXIX. non Carthaginensis provinciæ, sed Metropolitanum Carpetaniæ se indigitat; quia regio Carpetana, in qua situm Toletum, pars erat Carthaginensis provinciæ. Ex ea subscriptione cum Episcopi quidam collegissent, alium esse debere Metropolitanum reliquæ Carthaginensis provinciæ, scilicet ipsum Carthaginis Episcopum, Rex Gundemarus eorum conatum coacta synodo Toletana adjunctoque suo decreto repulit anno sexcentesimo decimo.

Decretum Gundemari pro Metropolitano Toletano.

Asserit enim Toletano Episcopo *collatum honorem primatus juxta antiquam synodalis Concilii auctoritatem per omnes Carthaginensis provinciæ Ecclesias*. Deinde castigat Euphemii errorem, quòd se Carpetaniæ Metropolitanum inscripsisset, non autem Carthaginensis provinciæ. Mox addit: *Ob hoc, quia una eademque provincia est*, (scilicet Carthaginensis) *decernimus, ut, sicut Bætica, Lusitania, vel Tarraconensis provincia, vel reliquæ ad regni nostri regimina pertinentes* (Galliciam & Narbonensem intelligit) *secundum antiqua patrum decreta singulos noscuntur habere Metropolitanos, ita & Carthaginensis provincia unum eundemque, quem prisca synodalis declarat auctoritas, & veneretur Primatem, & inter omnes comprovinciales summum veneretur antistitem*. Unde patet, primatum metropoliticum in provinciam Carthaginensem collatum Toletano Episcopo a veteri synodo, confirmatum illi fuisse ab altera synodo & a Rege Gundemaro. Sed de primatu in ceteras provincias nihil constitutum. Imo vero earum exemplo jus Toletani Episcopi in sua provincia assertum est. Quod anno quoque DCXLVI. in Concilio Toletano VII. firmatum fuit, præscribendo, ut evocati Episcopi, scilicet illius provinciæ, ab Episcopo Toletano singulis mensibus Toletum accederent, exceptis messis & vindemiarum feriis.

Augetur dignitas Toletani Episcopi.

CXXVI. Aucta est deinde Toletani Episcopi dignitas definitione synodi Toletanæ XII. habitæ anno DCLXXXI. quæ jus illi tribuit probandi & ordinandi omnes Hispaniarum Episcopos, quos Reges Gotthorum elegissent. Sed jus appellationum a Metropolitanorum judiciis illi collatum non est; ita ut vere dici possit, primatum illi non fuisse indultum ea significatione, qua posterioribus seculis usurpatus est. Sola illi προεδρία ex eo jure ordinationum quæsita est; qua, præter antiquum morem, usus est in quatuor reliquis Conciliis Toletanis. Æquo enim jure agebat antea cum ceteris Metropolitanis, qui juxta ordinationis tempora locum suum tenebant. Unde in Concilio Toletano III. primus omnium subscripsit Massona Emeritæ Episcopus, provinciæ Lusitaniæ Metropolitanus; secundo gradu Euphemius Toletanus, Metropolitanus Carpetaniæ provinciæ; Tertio loco Leander Hispalensis, Metropolitanus provinciæ Bæticæ; cujus subscriptio non est movenda tertio loco, & primo reponenda, ut putant eruditi, quasi hoc deberetur Hispalensi sedi ob vices apostolicæ sedis, quas illius Episcopis delegari mos erat.

De legatione Hispalensis Episcopi.

Ut enim certum est vicariam potestatem datam Hispalensi Episcopo a Simplicio anno CDLXVII. & deinde Sallustio ab Hormisda, demum Leandro a beato Gregorio, ita dubitari non debet, quin privilegia illa personarum essent, non sedium, temporalia, non perpetua.

Cui non erat tributa consessus prærogativa.

Certum quoque est, legationibus illis olim non adjunctam fuisse consessus prærogativam, ut patet ex subscriptionibus Faustini in Concilio Africano & Juliani Coensis Episcopi in synodo Chalcedonensi. Jus προεδρίας dabatur tantum certo generi Legatorum, de quibus copiose dicemus in tractatu de Legatis pontificiis. Hispaniis post hæc a Saracenorum exercitu occupatis, Toletum sub eorum jugo per trecentos sexaginta & octo annos ingemuit, donec a barbaris illis urbem victor Ildefonsus VI. Rex Castellæ post diutinam obsidionem eripuit, & Ecclesiam uberrimis latifundiis eo bello partis locupletavit.

Primatus Toletano collatus ab Urbano II.

Tunc, id est, anno millesimo octuagesimo octavo, Urbanus II. præcibus, ut ipse loquitur, Ildefonsi regis invitatus Pallium Bernardo Archiepiscopo Toletano contulit. Mox addit: *Teque, secundum quod ejusdem urbis constat extitisse Pontifices, in totis Hispaniarum regnis Primatem privilegii nostri sanctione statuimus, & Primatem te universi Præsules Hispaniarum respicient, & ad te, si quid inter eos quæstione dignum exortum fuerit, referent*. Tarraconensis Episcopus, qui alterius regni, nempe Aragonii majestatem colebat, novæ auctoritati submitti noluit; præsertim cum Toletanus olim nullam jurisdictionem in ceteris provinciis exercuisset; quæ tamen illi per subreptionem hoc rescripto, ut debita ex antiquo more, concedebatur. Quare ne Tarraconensi aut reliquis Metropolitis fieret injuria, Urbanus vices suas Bernardo Toletano Episcopo per universam Hispaniam & Narbonensem provinciam mandavit altero rescripto, quod exhibet Loaisa.

Qui nulla jurisdictione fruitur extra provinciam.

Sed privilegium illud personale, & ad certum tempus, jurisdictionem perpetuam in provincias Hispaniæ tribuere non potuit Ecclesiæ Toletanæ; a qua exercenda semper abstinuit, ut testatur Mariana *lib. IX. histor. cap. XIX.*

Jus anteferendæ crucis per Hispanias illi concessum.

Attamen splendidiorem ejus dignitatem reddidit Martini V. Summi Pontificis rescriptum datum anno MCCCCXXII. quo Toletano Episcopo iisdem privi-

privilegiis & insignibus uti concessit, quæ majoribus Patriarchis competunt, quorum unum est in Synodo Lateranensi sub Innocentio III. relatum, scilicet *ut Dominicæ crucis vexillum ante se faciant ubique deferri, nisi in Urbe, & ubicumque summus Pontifex præsens extiterit, aut ejus Legatus utens insigniis apostolicæ dignitatis*. Hac crucis prælatione per universas Hispanias usi sunt aliquando Episcopi Toletani, quamvis renitentibus plerisque Metropolitanis.

Cap. Antiqua. de privileg.

CXXVII. Idem jus sibi competere contendit Bracarensis Archiepiscopus, qui primatum quoque Hispaniarum sibi vendicat ex vetustissima consuetudine. Atqui si antiquas origines repetamus, ut splendore suo non carere Bracaram reperiemus, ita facile erit, eam a primatu totius Hispaniæ excludere. Bracara quippe caput erat & metropolis provinciæ Gallæciæ. Callaici populi apud Strabonem, Melam, & Plinium, a fluvio Durio usque ad Astures porrecti, partem Gallæciæ tantum conficiunt, etsi nomen ex iis provinciæ integræ postea sit inditum. Adjuncti sunt Callaicis Astures & Cantabri, & ex harum trium nationum conjunctione conflata est ab Antonino provincia Gallæciæ, sive Callaicorum, ut eos effert Siricius in epistola ad Himerium. Id docent, præter Notitiam provinciarum Hispaniæ, Orosius & Idacius. Illius hæc sunt verba *libro VI. cap. XXI. Cantabri & Astures Gallæciæ provinciæ portio sunt, qua extentum Pyrenæi jugum haud procul, secundo Oceano, sub septemtrione deducitur*. Idacius vero Bracaram, Lucum & Asturicam Gallæciæ passim assignat ad Olymp. CCCVI. IX. & X. Suevorum Reges, pulsis Romanis, eam Gallæciæ provinciam sui juris fecerunt, conventusque suos frequenter habuerunt in urbe Luco; quæ in Itinerario Antonini Lucus Augusti dicitur, & ab ea conventus Lucensis apud Plinium. Theodemiro Suevorum Regi placuit Gallæciam in duas partes dividi; quarum unius caput esset Bracara, alterius vero Lucus. Ea divisio decreta fuit a Synodo Lucensi anno DLXIX. ita, ut metropoli Bracaræ subjicerentur Portucale, Lamecum, Conimbria, Viseum, Egitania, (cujus sedes translata est Guardiam) & novus episcopatus Dumiensis, ex Dumio monasterio excitatus in gratiam Martini Bracarensis, qui veterem collectionem Canonum edidit. Lucensi vero metropoli tributæ Auria, Asturica, Iria, (cujus dignitas Compostellæ accessit) Tudis, Britonnia sive Ovetum. Sub Recesvintho Rege Gotthorum in Emeritensi Concilio anno DCLXVI. redactæ sunt metropoles Hispaniarum ad numerum antiquum quinarium, dejecta civitate Lucensi a dignitate metropoleos; ita tamen ut Conimbria, Viseum, Lamecum, & Egitania restitutæ fuerint Emeritæ metropoli provinciæ Lusitaniæ, unde recisæ fuerant olim a Regibus Suevorum. Distractas plane fuisse oportuit quatuor illas civitates a Lusitania veteri. Præterquam quod enim synodus Emeritensis id testatur, idem ex Idacio colligere licet, qui Bracaram in finibus Gallæciæ provinciæ sitam fuisse docet. Quod alienum esset a vero, si quatuor illæ civitates, ultra Bracaram & Durium fluvium positæ, ad Gallæciam pertinerent. Quare ut splendore metropolitico antiquitus clara fuit Bracara, & ceteris quatuor Hispaniarum metropolibus æqualis, ita nulla ratione illis fuit potior nec superioribus seculis nec posterioribus; præsertim cum nullo apostolicæ sedis privilegio fulta reperiatur, quo primatum sibi quendam vindicare possit. Id unum dici potest, eam Ecclesiam olim Toletano primatui cedere noluisse, eaque de re litem motam coram Innocentio III. cujus meminit *cap. Coram. De in integr. restit.* Sed primatum Hispaniarum non ideo exambivit, quem tamen hodie magno nisu cum jure crucis elatæ gestandæ sibi asserit, eo colore quæsito, quod beatus Jacobus in Hispaniam adventans Bracaræ primum Episcopum præfecerit. Qua de re copiose scripsit vir eruditione clarus Augustinus Barbosa.

De Primatu Bracarensi.

Bracara metropolis Gallaciæ.

Ex quibus gentibus constabat Gallæcia.

Paruit Suevis.

A quibus divisa in Bracarensem & Lucensem.

Lucensis provincia suppressa.

Quatuor civitates restitutæ Lusitaniæ provinciæ.

Nullus fuit primatus Bracarensis.

Explicatio c. Coram. De in integr. restit.

CXXVIII. Similis controversia Cantuariensem & Eboracensem Archiepiscopos diutissime exercuit, isto crucis antelationem per universam Angliam sibi deberi æque ac Cantuariensi contendente ex variis apostolicæ sedis privilegiis; cui Alexander III. beneficium illud interim indulsit, donec causæ finis imponeretur, ut patet ex ejus rescripto in appendice II. ad Concil. Lateran. & *cap. 1. Ut lite pendente*. Sed gratioso illo judicio per plures annos uti non potuit, donec certis conditionibus de toto negotio transactum est, permissumque extra provinciam Eboracensem elata & sublimi cruce procedere. Origo privilegii indulti Eboracensibus Episcopis petenda est ex disceptatione de primatu totius Angliæ, quæ illos commiserat cum Cantuariensibus, quam eo temperamento adhibito sopiendam censuerant Romani Pontifices. Ex quo argumento sequi videbatur, Episcopum Lugdunensem intra fines primatiæ suæ cruce sublimi antelata procedere posse. Quod tamen extra provinciam propriam liberum illi non esse contendebat Archiepiscopus Parisiensis, cum nec consuetudo nec ullum privilegium apostolicum illi suffrageretur. Ea de re diligentissime scripsit anno MDCXXVIII. pro Archiepiscopo Parisiensi vir eruditissimus Andreas Saussayus nunc Officialis diœcesis Parisiensis; cujus litis dirimendæ arbitrium mihi non sumo. Id unum addam, rescripto Callisti secundi, quo Viennensis primatus in septem provincias constituitur, concessum fuisse Archiepiscopo Viennensi, ut intra provinciam cruce elata uteretur: *Ad hæc, pro ampliori Viennensis Ecclesiæ dilectione, ante Viennensem Archiepiscopum per provinciam suam crucem deferri concedimus*. Unde colligitur, jure veteri jus illud non competivisse omnibus Archiepiscopis etiam intra provinciam suam, neque Primati extra Provinciam.

De controversia Cantuariensis & Eboracensis Archiepiscop. super antelatione crucis.

Similis disputatio Lugdunensis & Parisiensis.

Olim non omnes Archiepiscopi eo jure usi.

CXXIX. Usus anteferendæ crucis ex ceremonia supplicationum publicarum ortum habuit, in quibus cruces adhibitæ a Chrysostomo, ut docet Socrates lib. VI. cap. VIII. & Sozomenus lib. VIII. c. VIII. Eo exemplo passim in omnibus Occidentis & Orientis Ecclesiis cruce prælata ab una statione ad alteram clerus & populus procedebat. Unde vetitum a Justiniano, ne litaniæ & supplicationes publicæ fiant aliter, quam prælata cruce ab iis, qui eam gestare consueverunt. Hinc consuetudo quoque illa emersit, ut eximiæ dignitatis viri ad urbem accedentes crucibus antelatis exciperentur. Quod gestum in Græcia erga Legatos Hormisdæ, ipsi docent in commonitorio. Romæ eadem pompa excipiebantur Exarchi, quæ adhibita est in adventu Caroli Magni, missis, ut observat Anastasius in vita Hadriani, *venerandis crucibus, sicut mos est ad Exarchum seu Patricium suscipiendum*. Hinc quoque explicandus apud Gratianum canon, qui *processionis aditum* Patronis Ecclesiarum tribuit. Quare non alienum a rei dignitate visum est, si a proceribus Ecclesiæ venerandum illud signum usurparetur, quando ipsi quoque, licet extra supplicationes publicas, procederent. Procedendi verbum usurpo, ad rem istam significandam aptissimum. Processio enim vel processus Imperatorum & Consulum in Codice Justiniani libro XII. Cod. tit. de consulibus & alibi, πρόοδος vero in Novella centesima quinta, dicitur eorum progressus in publicum cum pompa & insignibus dignitatis, quando sella circumvecti missilia spargebant in populum, ut notat Marcianus Imperator. Tunc ignis prælatus Principibus Romanis, ex Herodiano. Qui mos in aula orientali perseveravit apud Corippum. Et tandem Patriarchis Constantinopolitanis communicatus est, ut docent Balsamon & Codinus. Processio Pontificis Romani augustior fuit, & reveren-

De usu antelationis crucis.

In litaniis Nov. 123.

In excipiendis proceribus.

Vel quando proceres Ecclesiæ procedunt.

Processio quid significet.

Ignis prælatus procedentibus Imperatoribus & Patriarchis Constantinopolitanis.

Crux vero Romano Pontifici.

rentiæ, quæ pietatem Christianam decet, retinentior. Pompa enim, quæ ad illius dignitatem conservandam necessaria erat, sic temperata est, ut omnes intelligerent, illius cogitationes ad Christum referri, Christique auspiciis eum agere cuncta, prælato venerandæ crucis signo, & benedictionibus, veluti quibusdam sacrorum missilium sparsionibus, populo collatis. Ei muneri dicata fuit crux illa aurea, quam Carolus Magnus dono dedit Leoni tertio, quamque illi procedenti ejusque successoribus præferebant Subdiaconi Ecclesiæ Romanæ, teste Anastasio in vita Leonis quarti. Legatis a latere suo missis Pontifices crucis antelationem concesserunt: quam usurpatam legimus ab Humberto Silvæ Candidæ Episcopo, sexcentis abhinc annis, quando legatione fungens Constantinopolim adiit ad sanandum tunc recrudescens schisma, ut observavit Michael Cerularius Patriarcha Constantinopolitanus in epistola ad Petrum Antiochenum. Archiepiscopi deinde, quibus vices apostolicæ sedis delegatæ erant, iisdem insignibus uti in provincia facile obtinuerunt. Quod in successores transmissum est. Sane Callisti rescriptum adductum num. CXXVIII. apertissime docet, tunc primum Archiepiscopo Viennensi gratiam factam crucis elatæ deferendæ, quando primatus illi collatus est cum vicaria dignitate sedis apostolicæ. Hodie tamen omnibus Archiepiscopis indultum est, ut elata cruce procedant in omnibus locis provinciæ suæ, etiamsi exempta sint, juxta definitionem Concilii Viennensis, *cap. Archiepiscopo. De privileg. in Clementinis.*

Et Legatis a latere.

Dein Archiepiscopis, quibus vices apostolicæ sedis mandatæ.

Tandem omnibus Archiepiscopis.

APPENDIX LIBRI DE PRIMATIBUS

STEPHANI BALUZII TUTELENSIS.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

ANno Christi millesimo sexcentesimo quadragesimo quarto edita in publicum est dissertatio de Primatibus; in qua vir eruditissimus adnotavit paragrapho CXXVI. tributum quidem antiquitus Toletano Episcopo in duodecima synodo Toletana fuisse jus probandi & ordinandi omnes Hispaniarum Episcopos, quos Reges Gothorum elegissent, ceterum jus appellationum a Metropolitanorum judiciis illi collatum non fuisse, ita ut vere dici possit, primatum illi non fuisse indultum ea significatione, qua posterioribus seculis usurpatus est. Anno dein MDCLVI. R. P. Petrus Franciscus Chiffletius apud Divionem edidit nonnulla veterum scriptorum opuscula, quibus adjecit Animadversionem in sanctum Ferrandum redivivum, in qua adversus illustrissimum Archiepiscopum contendit, jus appellationum a Metropolitanorum judiciis diu ante Urbani secundi tempora collatum fuisse Episcopis Toletanis, argumento ducto ex verbis ejusdem Urbani ad Bernardum Toletanum scribentis, qui ait, se illum constituere Primatem in totis Hispaniarum regnis, secundum quod ejusdem urbis constat extitisse Pontifices. *Hac postrema clausula*, inquit Chiffletius, *nemo dubitaverit (ne Marca quidem) quin contineatur jus appellationum a Metropolitanis. Sic vero Bernardum Urbanus Primatem esse sancit, sicut ejusdem urbis constat extitisse Pontifices. Igitur id juris penes antiquos Toletanos Episcopos fuerat, nempe a Concilio Toletano duodecimo.* Si luberet heic argutari, possem eodem argumentandi genere evertere fundamenta primatus Toletani. Nam si primatus ille ita concessus est Toletano Episcopo Bernardo, ut eo uteretur, quemadmodum prædecessores ejus usi fuerant, probari autem non possit, eos ante Urbani secundi tempora usos esse auctoritate primatus, sicuti hodie intelligitur a nobis, manifestum erit, nihil ab Urbano concessum esse Bernardo præter inanes sonitus verborum. Verum quia similis argumentatio feliciter successerat Gregorio VII. in constituendo primatu Lugdunensi, usus est Urbanus seculi sui facilitate & ignorantia, ut Bernardo gratificaretur. Omissa itaque disputatione illa, cum in me non susceperim refutationem viri clarissimi mihique amicissimi, persequamur reliqua istius præfationis. Cum vidisset illustrissimus Archiepiscopus hanc Chiffletii lucubrationem, vapulareque se videret injustam ob causam, putavit, debere se ista refellere, primum ob amorem veri, deinde ut famam suam tueretur, quæ in hac causa tentabatur. Sufficere puto testimonium in hac re meum. Attamen illud confirmabo etiam auctoritate illustrissimi Archiepiscopi, qui de ea re ita scripsit anno MDCLVII. prid. Idus Decembris ad clarissimum virum Josephum ab Exea & Descutin Juris Canonici Professorem in academia Cæsaraugustana. *In secunda editione, quam paro, dissertationis de Primatibus refellam accurate, quod nuper scripsit adversus meam sententiam Chiffletius Societatis Jesu Presbyter ad asserendum jus Toletani Archiepiscopi supra Tarraconensem. Eam in rem utar, inter cetera, veteribus actis petitis ex archivo Tarraconensi; quorum copia mihi facta est superioribus annis, cum Barcinone fungerer Visitatoris regii munere pro Rege Christianissimo.* Quod itaque facturus fuerat vir illustrissimus, si diutius in vita fuisset, id nos facimus in præsentiarum, evulgatis in hac appendice veteribus illis actis. Addimus præterea quamplurima veterum temporum monumenta, quæ multum conferunt ad illustrationem dissertationis de Primatibus, omnia nunc primum edita, si nonnulla excipias, quæ antea vulgata fuerant a viris eruditissimis. Animus præterea erat huc conjicere additiones nostras ad Concilium Claromontanum, quarum magnam partem olim edidimus in tomo secundo de concordia sacerdotii & imperii. Dedissemus autem simul canones Concilii Nemausensis emendatos ex fide vetustissimorum codicum, tum etiam nonnulla gesta ejusdem Concilii, quæ hactenus non venerunt in manus eruditorum. Denique addidissemus etiam nonnulla ad illustrationem Concilii Turonensis sub Urbano secundo, cujus mentionem fecit in hac dissertatione illustrissimus Archiepiscopus. Verum consultius visum est ista seponere opportuniori occasioni, cum in publicum exire faciemus novam nostram Conciliorum collectionem.

Paschalis secundi epistolam ad Ivonem Episcopum Carnotensem & Ranulfum Santonensem, quam post editionem Sirmondi in hunc librum transtulit illustrissimus Archiepiscopus, quamque nos olim multo emendatiorem dedimus in libro de concordia, visum quoque est isti appendici adjungere. Observationes autem nostras ad rem, de qua heic agitur, quæ indignæ non sunt eruditorum hominum curiositate, placuit reservare in aliud tempus, cum illa nostra Conciliorum collectio prodibit.

Ceterum nihil opus est heic commendare editionem nostram epistolæ Alexandri III. ad Hugonem Episcopum Ruthenensem, quæ extat supra pag. 281. & sequentibus. Edita illa fuerat & valde corrupta & aliqua sui parte mutilata. Nunc vero prodiit emendata & integra ex eodem loco, unde habuerat illustrissimus Archiepiscopus.

I.

Gregorii VII. decretum de primatu Lugdunensi.

Nunc primum prodit integrum & emendatum ex veteri codice MS. sancti Albini Andegavensis.

GREGORIUS Episcopus servus servorum Dei, dilecto in Christo fratri Gebuino Lugdunensi Ar-

Archiepiscopo. Antiqua sanctorum patrum, quibus, licet indigni & longe meritis impares, in administratione hujus sedis succedimus, vestigia, in quantum divina dignatio permittit, imitari desiderantes, jus, quod unicuique Ecclesiarum pro merito & dignitate sui ipsi contulerunt, nos ex eorum successionis consideratione decet illæsum & immutabile conservare & munimine decretorum nostrorum ad perpetuam stabilitatem corroborare. Quapropter quia, dilectissime in Christo Frater Gebuine, postulasti a nobis, quatenus dignitatem ab antecessoribus nostris concessam Ecclesiæ, cui Deo auctore præesse dinosceris, confirmaremus, & quæque sua ab infestatione hostili apostolicæ sedis defensione tueremur, inclinati precibus tuis, confirmamus primatum super quatuor provincias Lugdunensi Ecclesiæ tuæ, & per eam tibi tuisque successoribus, his tantum, qui nullo interveniente munere electi vel promoti fuerint, videlicet a manu, ab obsequio, & a lingua; a manu, ut nullum pretium prorsus a se vel ab aliquo tribuatur; ab obsequio, ut nihil inde servitii faciat, sicut quidam intentione ecclesiasticæ prælationis potentibus personis solent deferre; a lingua, ut neque per se neque per summissam personam preces effundat. Sed neque his, qui per secularem potestatem ad hanc dignitatem pervenerint, videlicet dono vel confirmatione alicujus personæ, quæ sanctæ religioni videatur obviare, & contra puram & authenticam sanctorum patrum auctoritatem venire. Sed his nimirum hanc dignitatem concedendam esse sancimus, qui pura & sincera electione tibi successerint & ita per ostium intraverint, sicut fraternitatem tuam cognovimus intrasse. His vero, qui aliter intraverint, videlicet, qui juxta dominicam sententiam non per ostium, sed aliunde, ut fures & latrones, ascenderint, non solum primatum hujusmodi non concedimus, verum etiam omni honore ecclesiastici regiminis indignos & alienos fore adjudicamus. Provincias autem illas, quas vobis confirmavimus, dicimus Lugdunensem, Rothomagensem, Turonensem, & Senonensem, ut hæ videlicet provinciæ condignam obedientiam Lugdunensi Ecclesiæ exhibeant, & honorem, quem Romani Pontifices reddendum esse scriptis propriis præfixerunt, humiliter & devote persolvant. Salva in omnibus apostolicæ sedis reverentia & auctoritate. Præterea, juxta tenorem postulationis tuæ, Ecclesiæ tuæ hujusmodi privilegia præsenti auctoritatis nostræ decreto indulgemus, concedimus, atque firmamus, statuentes nullum Regem, vel Imperatorem, antistitem, nullum quacunque dignitate præditum, vel quemquam alium audere de his, quæ eidem Ecclesiæ a quibuslibet hominibus de proprio Jure condonata sunt, vel in futurum Deo miserante collata fuerint, prius de causis pro suæ avaritiæ excusatione concedere, sed cuncta, quæ ibi oblata sunt vel offerri contigerit, tam a te, quam ab eis, qui in tuo officio locoque successerint, perenni tempore illibata & sine inquietudine volumus possideri. Si quis vero Regum, Imperatorum, sacerdotum, clericorum, judicum, ac secularium personarum hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens, contra eam temerario ausu venire tentaverit, & admonitus semel & iterum usque tertio per convenientes inducias, si non resipuerit atque prædictæ Ecclesiæ non satisfecerit, potestatis honorisque dignitate careat, reumque se existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & nisi ea, quæ ab illo sunt male facta, restituerit, vel digna pœnitentia illicite acta defleverit, a sacratissimo corpore ac sanguine Domini redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Datum Romæ XIII. Kalend. Maji per manus Petri sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis ac Bibliothecarii, anno pontificatus Domni Gregorii VII. Papæ sexto, Indictione II.

II.

Gebuini Archiepiscopi Lugdunensis epistola ad Rodulphum Archiepiscopum Turonensem, qua ei significat primatum Lugdunensi Ecclesiæ concessum esse a Gregorio Papa VII.

Ex veteri codice MS. sancti Albini Andegavensis.

GEBUINUS gratia Dei Lugdunensium Presbyter indignus, Rodulpho venerabili Turonorum Archiepiscopo, gaudere semper in Domino. Sicut probum fratrem decuit, de salute nostra sollicitus, litteras nobis misistis, in quibus continebatur, ut vestræ dilectioni notificaremus, an Pallium nostrum jam haberemus. Ille vero, qui litteras detulit, nos non inveniens, quia tunc temporis aberamus, Romam transiens, litteras cuidam nostrorum dimisit, qui postea nobis reddidit. Quibus perlectis, pro dilectione vestra, quam erga nos cognovimus non modicam, gratulanter legatum vestrum diu expectavimus, ut per eum responsum vobis mitteremus. Sed illum postea non vidimus. Nunc autem, ne sollicitus diutius habeamini, hoc scriptum vestræ charitati dirigimus, quo notificamus tunc temporis jam nos proprium Pallium Domni Papæ per Valentinum Episcopum missum recepisse. Veruntamen sciatis, nos postea Romam perrexisse & gratiam Domni Apostolici, quam quidam occasione litigii Pictavensis subtraxisse videbantur, plene &, ut credimus, inretractabiliter suscepisse; sicut videre potestis in privilegio nobis ab eo facto, quo confirmat cetera Lugdunensium dignitatum privilegia. Nos enim vobis illud mittimus; quia præcepit Domnus Papa, ut in Ecclesia vestra & in Ecclesiis suffraganeorum vestrorum scriberetur in testimonium. Quapropter dilectionem vestram adhortamur, ut apud vos & in Ecclesiis vobis commissis transcribatur. Precamur etiam vestram sanctitatem, quatenus confratri nostro Redonensi Episcopo solatium exhibeatis. Clerici enim ejus per istum nobis mandaverunt, ut ei licentiam confirmandi concederemus. Sed quia Legatus sedis apostolicæ eum ligaverat, sine audientia absolvere non potuimus. Bene vos valere optamus.

III.

Alia ejusdem Gebuini epistola ad eundem Rodulphum & suffraganeos ejus, de primatu Lugdunensi, & de causa R. Abbatis sancti Petri de Cultura in civitate Cenomanensi.

Ex eodem veteri codice MS. sancti Albini Andegavensis.

GEBUINUS Lugdunensis Ecclesiæ indignus Presbyter Rodulpho Turonicæ sedis Archiepiscopo cum suffraganeis. E. videlicet Andegavensi Episcopo amico nostro, & Abbatibus, B. Majoris monasterii Abbati, O. Vindocinensi, T. Columbensi, F. Carrofensi, G. Salmurensi, H. Andegavensi, F. Britannensi, G. Milbecensi, retributionem æternæ gloriæ, sicut amatoribus justitiæ, Reverentiæ & subjectionis, quam, o sanctissimi confratres, Ecclesiæ Lugdunensi non denegatis, immo matrem & dominam more bonæ sobolis vocatis, Domnus Papa Gregorius gratias vobis non minimas refert, nos vero, quas possumus, vobis ad præsens reddimus, fidem sine mora facturi dictis, si fraternitas vestra postulaverit. Misistis ad nos R. Abbatem Cenomanensis cœnobii, quod sancti Petri de Cultura dicitur a fal-

a falsis fratribus accusatum, ab eisdem de sede propria expulsum, & a Rege Anglorum quinquennio cruciatum, litterarum vestrarum etiam munimine fretum. Quorum litteris susceptis, lectis, & relectis, lachrymas, quas caro prohibere voluit, Pietas & ipsa furoris immanitas tanto viro tam injuste illata illico extorsit. Quid agerem? Abbatem itineri Deo gratias prospero mecum Romam duxi, Domnoque Apostolico repræsentavi. Qui ubi satis super ejus injuriis & contumeliis ut benignus pater conquestus est, gratias vobis agens, quod tam moleste tulistis, molestius tamen ferens, quod severius non correxistis, quid de R. Abbate, quid de his, qui contra apostolica decreta insurgunt, fieret, nobis utiliter consuluit. Quapropter auctoritate apostolica & nostra præcipiendo mandamus, mandando consulimus, ut L. monachum, immo diabolicum, qui illic se Abbatem fecit, patris sui cubile ascendit & commaculavit, sicut maledictus adulter, & omnes ei obedientes gladio anathematis, sic feriendus est, percutite. Ordinatorem vero E. Cenomannicæ urbis Episcopum, qui eum consecravit, quin potius maledictionibus replevit, si eum talia gessisse, quod est contra justitiam sentitis, ab episcopali officio sine dilatione suspendite, ejusque fautores sub districti examinis sententia viriliter judicate, & in abbatia illa, unde pater ejectus est atque in locis ad eam pertinentibus, quamdiu ille maledictus adulter ea occupaverit, & R. caruerint, divinum officium nullatenus fiat. Valete.

Vide Sirmondum lib. II. Propemtici cap. VIII.

IV.

Ejusdem Gebuini epistola ad eundem Rodulphum, de primatu Lugdunensi, & de abbatia Saviniaci.

Edita a Clariss. viro Joanne Cordesio Canonico Lemovicensi in appendice epistolarum Hincmari.

GEBUINUS Lugdunensis Ecclesiæ Presbyter indignus eximio patri & specialiter colendo Rodulpo Turonicæ sedis Archiepiscopo; cum grege sibi commisso, æternæ beatitudinis gloriam. O quam bona & quam sublimis est humilitas, quæ potentes elatos de sede superbiæ dejicit, & pauperes humiles de stercore erigit. Ipsius est enim tanta potestas, ut per ipsam de labore ad requiem, de morte ad vitam, de pœnis ad gloriam transire debeamus. Ipsa est, per quam fortes deprimuntur, humiles exaltantur. Humilitate profecto Deus super omnia manens de forti armato nobiliter triumphavit, & de mundo, quem captivum tenebat, exclusit humilitas Dei. Propter quod exaltavit illum Deus, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen. Hac itaque virtute vestram benignitatem plenam esse reperimus, cum sanctæ matri Lugdunensi Ecclesiæ more prædecessorum vestrorum tam humillima devotione, tam caritativa supplicatione humilitatis ac totius obedientiæ obsequium reddere non dedignamini. Unde quæsumus penset magnitudo vestræ discretionis? cum quanta dulcedine, cum quanto caritatis fervore humilitatem vestram diligamus, certi, quod nos a vobis diligi sciamus: quia scriptura dicit: Amat anima amantem se. Præterea sciat dilectio vestra, quod cum tanta dulcedine vos amamus, ut, si vestra postularet necessitas, qua dilectione Apostolus pro Galatis oculos dare profitetur, eadem nos oculos nostros pro vobis eruere & pro vobis dare non dubitaremus. Nam ubi humilitatem matri vestræ ostenditis, quid aliud hoc faciendo agitur, nisi ut vos ex debito nostri & nos ex caritate vestri efficiamur? Unde tanto magis ac magis vestra apud pium redemptorem erit uberior, quanto magis humilitatem, per quam cunctorum fratrum concordia & sanctæ universæ Ecclesiæ unitas custoditur, retinere studueritis. De charitate igitur vestra, sicut revera de carissimo amico, confidentes, aures pietatis vestræ fiducialiter pulsare non dubitamus, proculdubio credentes, quod minime patiamini nos contristari, maxime in tali re, unde anima vestra multum poterit adjuvari. Est autem nobis abbatia quædam, Sabiniacus nomine, locus ab antiquo nobilissimus, antiquam Deo gratias servans nobilitatem, qui suo jamdiu est orbatus pastore; pro quo rogo ego, rogat ecclesia Lugdunensis, pro quo huc ad vos imploraturus venissem, nisi quod tot ac tantis infirmitatibus premor, ut non dicam me ad vos ire; sed respirare vix licet. Nunc igitur, quia præsentia corporali vobiscum esse nequeo, spiritu autem vobiscum semper maneo, deprecor, ut in uno spiritu congregati Domnum B. Majoris Monasterii Abbatem cum multa dulcedine ex nostra parte & vestra monendo, deprecando exoretis, quatinus mihi suo dilecto & desolatis fratribus misericordiam suam poscentibus consulere non differat. Mittat patrem, mittat pastorem; qui cum tanta cautela gregem suum custodiat, ne antiquo hosti ex aliqua parte aditus pateat, per quem ad ipsum gregem unquam inrumpere valeat. Valete. Omnipotens Deus vitam vestram per multorum annorum curricula extendat & post longa tempora in cœlestis vos patriæ mensa suscipiat. Iterum valete, mandatis insistite.

V.

Ejusdem Gebuini epistola ad Rodulphum Archiepiscopum Turonensem & Eusebium Episcopum Andegavensem, de primatu Lugdunensi, & de legatione Amati Episcopi Oloronensis.

Ex Additione ad caput XXX. libri sexti de concordia sacerdotii & imperii, ex veteri codice MS. sancti Albini Andegavensis.

DILECTISSIMIS in Christo fratribus, Rodulpho venerabili Turonensi Archiepiscopo suo carissimo, & Andegavensi Episcopo Eusebio, Gebuinus indignus Presbyter Lugdunensis Ecclesiæ, in Domino salutem. Cum dilectionis & caritatis vestræ, quam quotidie erga Lugdunensem Ecclesiam exhibetis, reminiscor, in exequendis obsequiis vestris ultra vires est animus, sic quod condigne meritis vestris referri debeat non habemus. Ergo ut carissimis, & præcordiorum nostrorum intimis, vobis conveniens nostrum aperimus. Credo, quod jam pervenit ad aures vestras, quam benigne Papa nos susceperit, quanto affectu familiaribus commendaverit; & cum multis ad invicem haberemus sermonem, nullam tamen nobis de Domno Amato fecit mentionem. Ut pius pater, cum de multis merito nos corriperet, non tamen ammisit, quin apostolica auctoritate Lugdunensi Ecclesiæ antiquam nobilitatem restauraret; & in tantum in retractando privilegio nostro studuit, ut, cum in diversa responsa dies non sufficeret, ipse etiam dictando plurimum nocte laboraret. Præcepitque nobis, ut Diensi Episcopo in fidelitate beati Petri & in omnibus ferrem auxilium, si quando in provinciis nobis commissis celebraret Concilium. Unde non satis miror, Domnum Amatum hujuscemodi rem egisse; cum neque Papæ neque ipsius litteras acceperim, neque legationis ejus certa signa cognoverim. Audivi tamen, illum suscepisse legationem vestræ provinciæ, ante quam Romam pergerem. Quod si est, consilio vestro nobis opus est: quia nec Lugdunensis Ecclesiæ dignitatem volo minuere, nec jussionibus apostolicis contraire. Et, si fieri potest, quid de his sentiatis, ad præsens rescribere ne differatis. Valete.

VI.

VI.

Urbani secundi epistola ad Raynerium Cardinalem & Legatum de dignitate Archiepiscopi Narbonensis, & de auctoritate ejus in Episcopos provinciæ Tarraconensis.

Ex Chartulario Archiepiscopi Narbonensis.

URBANUS Episcopus servus servorum Dei carissimo atque dulcissimo fratri Raynerio, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbytero Cardinali atque Legato, salutem & apostolicam benedictionem. Quantum de tua religione confidentes, qua fide, qua caritate in partes illas te direxerimus, ipse tu, dilectissime, recognoscis. Age ergo pro spe, quam de tua prudentia gerimus, & negotia quæque poteris Domino adjuvante canonice definire procura, ea maxime, pro quibus specialiter missus es, videlicet quæ inter Narbonensem & Tomeriensem Abbatem jactantur. Veniens siquidem cum Barcinonensi fratre nostro venerabili Episcopo reverendissimus frater noster Narbonensis Archiepiscopus, quem jamdudum vita & religione spectatum habemus, plurima adversus Tomeriensem Abbatem conquestus est; scilicet, quod Ecclesias suæ diœcesis secularibus potestatibus fulto invadat, quod excommunicatos ab eo sine omni ejus absolutione recipiat, quod in Jacensi sede sine sui licentia fecerit Episcopum consecrari, quodque auditu horrendum est, mortuum sub anathemate quendam ab ejus monachis extumulatum & infra suum monasterium tumulatum asseruit. Inter cetera, præjudicium sibi factum de Taraconensium Episcoporum subtractione per Romanam Ecclesiam suppliciter intimavit, cum eos Narbonensis metropolis per annos quadringentos sine alterius Ecclesiæ reclamatione possederit. Nostra igitur vice in partibus illis fungens, Tarraconensibus Episcopis nostra auctoritate præcipito, ut interim Narbonensi tanquam proprio Metropolitano obediant, donec præstante Domino Tarraconensis restauretur Ecclesia. Toletano autem sicut Primati reverentiam exhibeant, donec Narbonensis Archiepiscopus, se eorum Primatem fuisse, certa possit auctoritate monstrare. Novit siquidem tua fraternitas, Primatem a nobis Toletanum sic institutum, ut salva sint Metropolitanorum privilegia ceterorum. Abbatem quoque, ut sanctæ opinionis virum, commoneto, præcipiens, ne ulterius, quæ episcopalis juris sunt, sine Episcopi concessione recipiat, & de injuriis Narbonensi Archiepiscopo illatis competenti emendatione satisfaciat, de cetero eum ut proprium & sanctæ conversationis revereatur antistitem & pacem cum eo fraternæ caritatis inviolabiliter retinere procuret. Tu autem in omnibus Romanæ auctoritatis memor ita te exhibe, ut nulla de te cuique possit suspicio remanere. Quia vero Narbonensis Archiepiscopus privilegia de primatu Ecclesiæ suam habuisse memoravit, quæ a suo prædecessore translata, se tamen sperat præstante Domino reperturum, tu causam hanc diligenter inquire, inquisitam ad nos referre procura. Quod si privilegiorum nequiverit auctoritas inveniri, tu cum principibus terræ de restitutione Tarraconensis Ecclesiæ stude. Interim tamen Tarraconenses Episcopos ei tanquam Metropolitano proprio obedire præcipito. Elenensis quoque Episcopi causam diligenter inquirito, & inter Narbonensem Archiepiscopum & ipsum justo omnia judicio definito. Idem quoque te de Crassensi cœnobio inter Narbonensem Archiepiscopum & monachos ejusdem cœnobii exercere præcipimus.

Vide Odoricum Raynaldum ad an. 1239. §. 52. *& Notas nostras ad Concilium Narbonense sub Carolo Magno.*

De discordia vero, quæ tum erat inter Archiepiscopum Narbonensem & monasterium Crassense, quænam illa fuerit, vide in Codice Conciliorum Galliæ Narbonensis pag. 18. *&* 25.

VII.

Decreta Urbani II. de primatu Ecclesiæ Narbonensis in duas Narbonenses.

Ex Chartulario Archiepiscopi Narbonensis, & ex archivo ejusdem Archiepiscopi.

URBANUS Episcopus servus servorum Dei dilecto in Christo fratri Bertrando Narbonensi Archiepiscopo perpetuam salutem in Domino. Potestatem ligandi atque solvendi in cœlis & in terra beato Petro ejusque successoribus auctore Deo principaliter traditam illis Ecclesia verbis agnoscit, quibus Petrum est Dominus allocutus; *Quæcumque ligaveris super terram, erunt ligata & in cœlis; & quæcunque solveris super terram, erunt soluta & in cœlis.* Ipsi quoque & propriæ firmitas & alienæ fidei confirmatio eodem Domino auctore præstatur, cum ad eum dicitur: *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, Petre. Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.* Oportet ergo nos, qui, licet indigni, Petri sedem videmur habere, prava corrigere, recta firmare, & in omni ecclesia ad æterni arbitrium judicis sic disponenda disponere, ut de vultu ejus judicium nostrum prodeat, & oculi nostri videant æquitatem. Fraternitatis igitur tuæ justis petitionibus annuentes, sanctam Narbonensem Ecclesiam, cui divina largiente clementia præsides, possidendam, regendam, ac disponendam præsentis tibi decreti pagina confirmamus. Nos enim te in Nemausensi Ecclesia Episcopum consecravimus, & exigente necessitate ad tuam te transferri metropolim per suffraganeorum electionem auctoritatis nostræ scriptis permisimus. Quod nulli deinceps concedimus permittendum. Has igitur civitates eidem Ecclesiæ tuæque fraternitati sancimus esse subjectas, Tolosam, Carcassonam, Elnam, Biterrim, Agdam, Magalonam, Nemausum, Uticem, Lugdevem. Salvo tamen in omnibus sedis apostolicæ jure. Præterea primatum Aquensis metropolis, quæ est Narbonensis secunda, & quidquid dignitatis vel honoris eandem Narbonensem Ecclesiam antiquitus jure habuisse constiterit, nos quoque præsentis decreti pagina inconcussum & inviolabile perpetuò manere decernimus. Pallium autem fraternitati tuæ ad Missarum tantum solemnia celebranda ex more concedimus; quo in subscriptis tibi solummodo licebit uti diebus, duobus scilicet diebus in Nativitate Domini, in Epiphania, in omnibus beatæ Mariæ festivitatibus, in cœna Domini, in Resurrectione Domini duobus diebus, in Ascensione Domini, in Pentecoste, in Nativitate beati Joannis, in Natalitiis Apostolorum omnium, in festo beati Martini, in solemnitatibus sanctorum martyrum Justi & Pastoris ac Pauli Confessoris, in consecratione Episcoporum & Ecclesiarum, in ordinatione Clericorum. In quo quid ponderis tibi ac sollicitudinis injungitur, considerare te diligentissime convenit. Hujus enim indumenti honor humilitas atque justitia est. Tota ergo mente fraternitas vestra se exhibere festinet in prosperis humilem, & in adversis, si quando evenerint, cum justitia erectam, amicam bonis, perversis contrariam, nullius unquam faciem contra veritatem recipiens, nullius unquam faciem pro veritate loquentem premens, misericordiæ operibus juxta virtutem substantiæ insistens, & tamen supra virtutem insistere cupiens, infirmis compatiens, bene valentibus congaudens, de alienis gaudiis tanquam de propriis exultans, in corrigendis vitiis fervens, in fovendis virtutibus auditorum animum demulcens, in ira judicium sine ira tenens, in tranquillitate autem severitatis justæ censuram

suram non deserens. Hæc est, frater carissime, Pallii accepti dignitas; quam si sollicite servaveris, quod foris accepisse ostenderis, intus habebis. Fraternitatem tuam omnipotens Dominus per tempora longa conservare dignetur incolumem. Scriptum per manum Petri Scriniarii sacri palatii. Datum Laterani VIII. Idus Novembris per manum Lanfranci vicem agentis Cancellarii, anno dominicæ incarnationis millesimo nonagesimo VII. Indictione VI. pontificatus autem Domini Urbani II. Papæ anno X.

VIII.

Item de eodem.

URBANUS Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Hu. Apostolicæ sedis Vicario salutem & apostolicam benedictionem. Frater noster Narbonensis Archiepiscopus conquestus est super Aquensi Archiepiscopo, quod ei jure primatus obedire contemnat. Unde fraternitati tuæ præsentia scripta dirigimus, præcipientes, ut eundem Aquensem Archiepiscopum juxta sedis apostolicæ instituta Primati suo obedire compellas. Vale.

IX.

Item de eodem.

URBANUS Episcopus servus servorum Dei dilecto fratri Aquensi Archiepiscopo salutem & apostolicam benedictionem. Frater noster Narbonensis Archiepiscopus conquestus est super te, quod ei jure primatus obedire contemnas. Præsentibus igitur litteris tuæ dilectioni mandamus, ut Narbonensi Ecclesiæ reverentiam debitam exsolvas. Alioquin, tanquam apostolicæ sedis contemptor, apostolicæ sedis judicio subjacebis.

X.

Paschalis II. epistola ad Bertrandum Archiepiscopum Narbonensem, de eodem argumento.

Ex iisdem Chartulario & archivo.

PASCHALIS Episcopus servus servorum Dei dilecto in Christo fratri Bertrando Narbonensi Archiepiscopo, perpetuam salutem in Domino. Quod apud Ecclesiam Petrus in sua verissima professione promeruit, cum a magistro & Domino sibi dicitur, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, & quod Doctor gentium Paulus Ecclesiarum omnium sollicitudinem in se habere professus est, hoc nobis, licet indignis, eorum vicem in Ecclesia Dei retinentibus ab ipso beato Petro, perclamantem concessum esse & credimus & confitemur. Quia igitur Ecclesiarum omnium cura nobis commissa est, dilectionem tuam, frater in Christo carissime, instanter admonemus, ut in Ecclesia, cui largiente Domino præsides, Doctorem veritatis in omnibus te exhibeas & rectorem justitiæ. Non despicias in judicio personam pauperem, nec consideres vultum potentis, judicium tibi semper cum misericordia; ut severitas justitiæ fræno misericordiæ, & humilitas misericordiæ vigore justitiæ temperetur. Super gregem tibi commissum continua solicitudine vigila, ut nec lupus rapiat, nec latro perdat. Quæ dispersa sunt congreges, & congregata quæ fuerint intemerata conserves, & talem te in omnibus in grege Dei exhibeas, ut pastor videaris, non mercenarius. Nos quoque venerabilem Narbonensem Ecclesiam, in qua Deus benignitate sua te præesse voluit, apostolicæ sedis auctoritate munimus. Statuimus enim eidem Ecclesiæ tuæque fraternitati has civitates, Tolosam videlicet, Carcassonam, Elnam, Biterrim, Agathem, Magalonam, Nemausum, Euticam, Lugdouvem, debitam semper exhibere obedientiam. Præterea primatum Aquensis metropolis, quæ est Narbonensis secunda, & quidquid dignitatis vel honoris eandem Narbonensem Ecclesiam antiquitus jure habuisse constiterit, nos quoque præsentis decreti pagina inconcussum & inviolabile perpetuo manere decrevimus, & in omnibus locis Ecclesiæ tuæ canonice subditis, sive monasteriis, seu Ecclesiis, canonicum jus obtinere tibi firmamus salvo canonico jure aliarum Ecclesiarum. Pallium autem, sicut in ceteris privilegiis tibi concessum est, & nos concedimus. Quid tamen oneris tibi imponat, ipse perpende. Oportet enim te esse castum, sobrium, misericordiæ orationibus intentum, in eleemosynis prodigum, in prædicatione non tacitum, in hospitalitate præcipuum, necessitatibus fratrum compatientem. Hæc & plurima his similia, quæ ipse noveris, frater carissime, te diligentissime observare convenit. Sic itaque agendo videris, quod diceris. Si quis forte temerario ausu hujus privilegii jura violare tentaverit, si bis vel ter admonitus emendare contempserit, sive Clericus fuerit, sive laicus, a corpore & sanguine Domini dicimus esse removendum. Amen. Amen. Amen. Datum Romæ per manus Docibilis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis anno dominicæ incarnationis millesimo nonagesimo nono, Indictione octava, Domini Paschalis secundi Papæ anno primo.

XI.

Paschalis secundi epistola ad Richardum Archiepiscopum Narbonensem, de eodem argumento.

Ex archivo ejusdem Archiepiscopi Narbonensis.

PASCHALIS Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Richardo primæ sedis Narbonensis antistiti, ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum. Caritatis est Domini propriis gaudere profectibus aliorum. Caritas enim non quærit, quæ sua sunt. Unde & Apostolus, tunc, ait, vivimus, si vos statis in Domino. Et iterum: Quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum nostrum Jesum Christum? Hoc igitur caritatis debito provocamur & apostolicæ sedis auctoritate compellimur honorem debitum fratribus exhibere, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ dignitatem pro suo cuique modo ceteris Ecclesiis impertiri. Idcirco, venerabilis frater Richarde Narbonensis Archiepiscope, præsentis decreti pagina tibi tuisque successoribus, quidquid parochiarum ad primæ sedis Narbonensis Ecclesiam antiquo jure noscitur pertinere, confirmamus. Porro infra parochias ipsas Jure proprietario tam tibi quam tuis successoribus possidenda, regenda ac disponenda sancimus, Ecclesiam sancti Pauli cum omnibus pertinentiis suis, oppidum caput Stagni, Salas, Cruscadas, Argens, Fontemjocosam, Auriac, Villam Rubeam, Sejanum, & cetera prædia, Cellas, seu possessiones vel a Regibus vel ab aliis fidelibus viris Ecclesiæ sanctorum martyrum Justi & Pastoris oblatæ sunt, tam in Narbonensi comitatu, quam in Biterrensi, Redensi, Substantionensi & Nemausensi. Infra urbem vero Narbonensem, medietatem ipsius civitatis, medietatem telonei, portatici, rasicæ, salinarum, & ceterorum redituum, quæ a civitatis Comite tam de marinis quam de terrenis viatoribus exiguntur. In monasteriis etiam seu ceteris per Narbonensem parochiam Ecclesiis, salva sedis apostolicæ auctoritate, canonicum vobis jus obtinere concedimus. Sane ad vestram metropolim pertinentes episcopales cathedras, videlicet Biterris, Carcassonæ, Tolosæ, Elnæ, Agathes, Luteva, Magalonæ, Nemausi, Ucetica, tibi tuisque succes-

cesso-

ceſſoribus in perpetuum ſubjectas & obedientiam debitam ſervare cenſemus. Primatum etiam vobis ſuper ſecundam Narbonenſem, quæ eſt Aquenſis metropolis, ſicut a noſtris prædeceſſoribus ſtatutum eſt, confirmamus. Et quidquid ex antiquo jure ſæpedictæ Narbonenſi Eccleſiæ competit, ratum perpetuo & inconvulſum manere decernimus. Statuimus ergo ut nulli omnino hominum liceat eandem Eccleſiam temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare; ſed omnia integra conſerventur eorum, pro quorum ſuſtentatione & gubernatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura. Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica ſecularisve perſona, hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temere venire tentaverit, ſecundo tertiove commonita, ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo corpore ac ſanguine Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem Eccleſiæ juſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti; quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Datum apud Privatam per manum Johannis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconi Cardinalis ac Bibliothecarii III. Idus Julii, incarnationis dominicæ anno MCVII. pontificatus autem Domini Paſchalis ſecundi Papæ VIII.

XII.

Paſchalis ſecundi epiſtola ad Ivonem Epiſcopum Carnotenſem & Ranulfum Santonenſem, de poſſeſſione Altarium & redemptione Perſonarum.

Ex Additione ad caput XXXI. libri ſexti de concordia ſacerdotii & imperii, ex veteri codice MS. ſancti Albini Andegavenſis.

PASCHALIS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabilibus Epiſcopis Ivoni Carnotenſi, & Ranulfo Santonenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Juxta ſanctorum canonum ſanctiones non ignotum eſſe vobis credimus, quid ultionis maneat eccleſiaſtici ordinis viros apoſtolicæ ſedis decreta ſpernentes. Ipſi enim Arvernenſi Concilio affuiſtis; in quo præſidente prædeceſſore noſtro bonæ memoriæ Papa Urbano, conſidentibus Galliarum Epiſcopis, decretum eſt, ut Altaria, quæ ab annis XXX. & ſupra ſub Vicariorum redemptione monaſteria poſſediſſe noſcuntur, quiete deinceps & ſine moleſtia qualibet monaſteriis ipſis firma permaneant. Salvo utique Epiſcoporum cenſu annuo, quem ex eiſdem Altaribus habere ſoliti ſunt. Vos autem huic ſimplicitati incongruas duplicitates innectitis, & Perſonarum redemptionem mutatis nominibus extorquere conamini. Unde oportet nos hujuſmodi verſutiis ſinceritate veritatis apoſtolicæ obviare. Præcipimus ergo, ut decretum illud omnino teneatur, nec ſuper illud quicquam ulterius pro eiſdem Altaribus exigatis. Sane quod vobis dicimus, ceteris quoque Galliarum Epiſcopis erga ſuarum diœceſium monaſteria præcipimus obſervandum. Datum Romæ II. Idus Martii.

XIII.

Calliſti II. decretum de Primatu Viennenſi ſuper ſeptem provincias.

Ex Bibliotheca Floriacenſi Joannis a Boſco.

CALIXTUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Petro Decano & Canonicis ſive Clericis Viennenſis Eccleſiæ, tam præſentibus quam futuris in perpetuum. Etſi Eccleſiarum omnium cura nobis ex apoſtolicæ ſedis adminiſtratione immineat, Viennenſi tamen ſpecialius convenit caritatis ſtudio providere. Ipſa enim primum diſponente Deo ſollicitudini noſtræ commiſſa eſt, & ad ejus regimen nos epiſcopalis gratiam conſecrationis accepimus. Et communis igitur & ſingularis dilectionis debito incitati, matrem veſtram, filii in Chriſto cariſſimi, ſanctam Viennenſem Eccleſiam diligere, honorare, & beati Petri patrocinio decrevimus confovere. Omnem itaque dignitatem & omnem munitionem ac liberalitatem, quam vel per authentica prædeceſſorum noſtrorum Sylveſtri, Nicolai, Leonis, Gregorii, & ceterorum Romanorum Pontificum privilegia, vel per Imperatorum, Regum, Principum, & ceterorum fidelium largitionem conceſſam obtinet, nos quoque auctore Deo concedimus & præſentis privilegii pagina confirmamus; ut videlicet ſuper ſeptem provincias primatum obtineat, ſuper ipſam Viennenſem, ſuper Bituricam, Burdegalam, Auxitanam, quæ Novempopulitana dicitur, ſuper Narbonam, Aquenſem, & Ebredunenſem, & in eis Viennenſis Archiepiſcopus Romani Pontificis vices agat, ſynodales conventus indicat, & negotia eccleſiaſtica juſte canoniceque definiat. Porro illa ſex oppida vel civitates, Gratianopolis videlicet, Valentia, Dia, Alba, Vivarium, Geneva, Maurienna, in ejus tanquam in proprii Metropolitani obedientia & ſubjectione permaneant. Tarentaſienſis autem Archiepiſcopus, licet aliquibus habeatur ex apoſtolicæ ſedis liberalitate prælatus, Viennenſi Archiepiſcopo tanquam Primati ſuo ſubjectus obediat. Sane in Salmoracenſi archidiaconia conſecrationes vel ordinationes & quidquid ad pontificale officium pertinet Viennenſis Eccleſia præter alicujus inquietationem ſeu diminutionem habeat. Abbatia quoque ſancti Petri foris portam Viennæ ſita, & infra eandem urbem abbatia ſancti Andreæ, una monachorum, altera ſanctimonialium, abbatia ſancti Theuderii, & abbatia ſanctæ Mariæ de Bonavalle; quæ præſtante Deo noſtris ſumptibus & noſtris eſt fundata laboribus, in jam ſæpe dictæ Viennenſis Eccleſiæ jure ac ſubjectione perſiſtant. In ipſa etiam Romanenſi Eccleſia, quamvis Romanæ ſe faciat libertatis, viſis tamen prædeceſſorum noſtrorum privilegiis & Imperatorum Præceptis, tam in ſecularibus quam & in regularibus Clericis & Canonicis inibi ordinatis vel ordinandis Pontifices Viennenſes omnem habere decernimus poteſtatem. Similiter in Eccleſia beati Donati & beati Valerii, & in Eccleſia beati Petri de Campania, & beatæ Mariæ de Annoniaco, caſtra præterea, quæ per nos recuperata ſunt vel acquiſita, ſcilicet Pompejacum, Saſſerllum, & caſtrum de Malavalle, Viennenſi Eccleſiæ in perpetuum confirmamus. Cœmeterium vero, quod Dominus prædeceſſor noſter ſanctæ memoriæ Paſchalis Papa circa beati Mauritii Eccleſiam conſecravit, liberum eſſe ſancimus, ut eorum, qui illic ſepeliri deliberaverint devotioni & extremæ voluntati, niſi forte excommunicati ſint, nullus obſiſtat. Salvo nimirum proprio jure parochiæ. Ad hæc, pro ampliori Viennenſis Eccleſiæ dilectione, ante Viennenſem Archiepiſcopum per provinciam ſuam crucem deferri concedimus, & Viennenſem Eccleſiam alicui ſubjacere Legato, niſi Cardinali vel alii de Romana provincia, qui a Romani Pontificis latere dirigitur, prohibemus. Porro in Eccleſiis, quas in Viennenſi epiſcopatu poſt aſſumptum apoſtolicæ ſedis miniſterium conſecravimus, Viennenſis Archiepiſcopus eandem, quam habuerat ante, interdicendi ac ordinandi habeat poteſtatem. Sane infra clauſtri ambitum, ubi Clericorum manſiones continentur, nullus omnino laicorum deinceps habeat manſionem, aut aſſultum vel rapinam facere ſeu corpo[illegible] cuilibet audeat injuriam irrogare. Si qua [illegible] in futurum eccleſiaſtica ſecula-

cularisve persona, hanc nostræ confirmationis vel concessionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini nostri redemptoris Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem Ecclesiæ justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis sentiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen. Bene valete.

Ego Calixtus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Datum Valentiæ V. Kal. Martii, Indictione XIV. incarnationis dominicæ anno MCXX. pontificatus autem Domini Calixti II. Papæ anno II.

XIV.

Ludovici VI. Francorum Regis epistola ad Callistum secundum Papam, adversus primatum Lugdunensem.

Ex tomo III. Spicilegii Dacheriani pag. 147.

SCRIPSIT nobis Sublimitas vestra de captione illius apostatæ Burdini, & de incolumitate status vestri; unde, Pater dulcissime, plurimum & præ ceteris vos amamus, honoremque vestrum studium nostrum in omnibus esse intelligimus. De sententia sane in Metropolitanum Senonensem pro nostro honore relaxata animum nostrum ex parte mitigastis; sed quoniam ad tempus est relaxata, suspensum vehementer, ac dubium reddidistis. Videtur enim aliquam adhuc spem habere Lugdunensis Archiepiscopus super illa quam quærit subjectione. Sed, ut verum fatear, sustinerem potius regni nostri totius incendium, capitis etiam nostri periculum, quam hujusmodi subjectionis & abjectionis opprobrium. Videtur enim ad nostrum respicere contemptum contra nos hoc modo fieri, quod nunquam extiterit factum. Novit autem experientia vestra regnum Francorum in obsequiis promptum, in necessitatibus amicum vobis extitisse, nec a fidelitate Romanæ Ecclesiæ precibus aut promissionibus Imperatoris nos avelli unquam potuisse, & quanto animi fervore, quanta mentis humilitate vobis obedierimus, ut si taceat vox vestra, clament opera nostra, monstrent obsequia mea. Ut enim cetera dimittam, illud inter alia meminerit paternitas vestra, quod quamvis gravi, ut scitis, laborarem infirmitate, molestia corporis vehementer urgente, Remensi tamen Concilio, cum labore quidem nostro, sed cum honore vestro interesse studuimus, & plus vestræ voluntati quam nostræ facultati, plus honori vestro quam dominio nostro consuluimus. Hoc vobis dulcissime Pater, memorando scripsimus; non quia non placeat nobis hoc fecisse, sed quia volumus hoc a memoria vestra non recessisse. Si quid igitur valet, si quid potest apud vos amor noster & obsequium nostrum, rogamus & petimus, ut Senonensis Ecclesia, quæ ab ista, de qua pulsatur, subjectione huc usque aliena extitit & libera, per vos non fiat ancilla; sed antiqua ejus libertas auctoritate apostolica roboretur & privilegii firmitate muniatur. In quo tamen nihil a vobis contra justitiam exigitur. Si enim opponitur, quod veterum institutio Lugdunensi Ecclesiæ primatum contulerit, respondetur ex opposito, quod antiquæ libertatis possessio Senonensem Ecclesiam ab ejus subjectione defendit. Quod enim antiqua possessione acquiritur, nullo, ut fertur, jure adimitur, etiamsi de jure Romanæ Ecclesiæ fuisse cognoscatur. Hac igitur ratione Senonensis Ecclesiæ libertas remanere debet inconcussa & intacta, nec pulsari aut violari debet pro subjectione noviter & imprudenter facta. Facta est enim, ut dicitur, latenter & quasi furtive subjectio ista, nesciente scilicet clero Senonensi, inconsultis etiam Episcopis illius diœcesis, ignorante etiam Rege; in quibus omnibus dignitas pendet Ecclesiæ; & subjectio taliter facta respicere potius videtur ad ignominiam male accipientis quam ad commodum Ecclesiæ nescientis. Res enim communis, communi tractanda est consilio, non latenti & privato terminanda Colloquio. Cum igitur dignitas sit Ecclesiæ, non personæ, si Senonensis Archiepiscopus iste & quidem solus de non sua fecit quod non oportuit, si promisit quod non debuit, Ecclesia tamen Senonensis quod suum est non amisit, nec privatam libertatem, quam ex antiquitate habuit, nec cogenda est ad subjectionem, quam nunquam exhibuit. His ita se habentibus, videat, dulcissime Pater, discretio vestra, ne civitas Lugdunensis, quæ de alieno est regno, de nostro floreat detrimento, nec subjiciatur amicus amico; quia, si decipitur pro amico amicus, juste fiet de amico inimicus. Rex ergo Franciæ, qui proprius est Romæ Ecclesiæ filius, si in facili causa, si in levi petitione contemnitur, nulla spes in majori relinquitur, nec ulterius in aliis patietur repulsam, si in istis sustinet repulsionis offensam. Melius est enim Regiæ honestati a precibus desistere, quam de repulsa nævum ruboris contrahere. Quod minus in litteris continetur, præsentium lator Algrinus viva voce supplebit, cujus verba tanquam ex ore nostro suscipite & custodite.

XV.

Gaufridi Episcopi Carnotensis decretum de non exigendo annuo censu a monachis sancti Albini Andegavensis.

Ex Additione ad caput XXXI. libri sexti de concordia Sacerdotii & imperii, ex veteri codice MS. sancti Albini Andegavensis.

GAUFRIDUS Dei gratia Carnotensis Episcopus, apostolicæ sedis Legatus, R. venerabili Andegavensis Ecclesiæ Archidiacono, & Hu. Decano, salutem in Domino. Quod a sanctis patribus inhibitum est & a Romanæ sedis Pontificibus solenniter sub anathemate condemnatum, nobis aut vobis retractare non licet, nec a quoquam minore debet rescindi. Quapropter eam pravam & antiquam consuetudinem, de relevandis post decessum alicujus Personæ Ecclesiis, a beatæ memoriæ Papa Urbano & ejus successore Domino Paschali dudum prorsus abolitam & damnatam innovare vel restituere, vel ejus aliquam adinvenire compositionem, plane simoniacum est, & hæreseos ab omnibus improbandæ notam incurrit. Unde vestræ fraternitati apostolica auctoritate & nostra per præsentia scripta mandando præcipimus, quatenus abominabilem illam & ignominiosam consuetudinem de annuo censu apud Legionem a fratribus nostris monachis B. Albini exigendo prorsus omittatis, & interdictum, quod in prædicti loci Ecclesiam pro extorquendo hujusmodi censu promulgastis, post acceptas has litteras sine dilatione solvatis; & ne ulterius ad nos prædicti monachi fatigentur hujus rei causa, modis omnibus caveatis. Alioquin flagitii tanti piaculum graviter in vos compellemur ulcisci.

XVI.

Innocentii III. epistola ad Archiepiscopum Bituricensem, de contumacia Archiepiscopi Burdegalensis adversus Primatem Bituricensem.

Ex libro XV. Regestorum ejusdem Innocentii, epist. XLV.

DILIGENTER auditis & perspicaciter intellectis, quæ tu & dilectus filius magister Amaneo pro-

procurator venerabilis fratris nostri Burdigalensis Archiepiscopi coram nobis proponere voluisti super sententia, quam auctoritate primatiæ in eundem Archiepiscopum promulgasti, suspendendo ipsum ab officio metropoliticæ dignitatis pro eo, quod ad tuum vocatus Concilium accedere non curavit nec pro se aliquem responsalem idoneum destinare, de communi fratrum nostrorum consilio sententiam ipsam ratam habemus, & usque ad satisfactionem idoneam præcipimus observari; hoc ad cautelam expresso, quod lis coram nobis non de primatia, sed de sententia extitit ventilata. Nulli ergo hominum &c. usque nostræ diffinitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc &c. usque incursurum. Datum Laterani XVI. Kal. Junii, pontificatus nostri anno XV.

XVII.

Ejusdem Innocentii epistola ad Episcopos per Burdegalensem provinciam constitutos, de eodem argumento.

Ex libro XVI. Regestor. epist. LXV.

CUM olim venerabilis frater noster Bituricensis Archiepiscopus auctoritate primatiæ, quam in provincia vestra sibi asserit pertinere, venerabilem fratrem nostrum Burdegalensem Archiepiscopum a metropoliticæ dignitatis officio suspendisset, pro eo, quod ad suum vocatus Concilium accedere non curavit, nec pro se aliquem responsalem idoneum destinare, ac super hujuscemodi suspensionis sententia fuisse inter eundem Bituricensem & dilectum filium Magistrum Amaneum procuratorem ipsius Burdegalensis Archiepiscopi coram nobis diutius disputatum, tandem de fratrum nostrorum consilio sententiam ipsam ratam habuimus & usque ad satisfactionem idoneam præcepimus observari; hoc ad cautelam expresso, quod lis coram nobis non de primatia sed de sententia extitit ventilata. Postmodum vero credentes ad satisfactionem sufficere competentem, pro prædicta sententia relaxanda, ut memoratus Burdegalensis Archiepiscopus per se ipsum aut alium virum idoneum ad præsentiam dicti Bituricensis accederet relaxationem ejusdem sententiæ humiliter petiturus & promissurus firmiter sub suarum, si necesse foret, testimonio litterarum, quod ad ejus Concilium vocatus accederet, facturus quod foret faciendum de jure, per litteras nostras ipsi Bituricensi dedisse meminimus in præceptis, ut cum a Burdegalensi prædicto foret taliter requisitus, prædictam non differret sententiam relaxare, nullam pœnam inflicturus eidem, si forte dictam sententiam non servaret, antequam per nos declaratum fuisset, an esset eadem observanda, venerabili fratri nostro Turonensi Archiepiscopo & conjudicibus suis per scripta nostra mandantes, ut Bituricense jam dicto in mandati nostri executione cessante, ipsi sæpedictam sententiam relaxarent absque præjudicio juris sui. Nuper autem idem Burdegalensis Archiepiscopus ad præsentiam nostram accedens proposuit coram nobis, quod de hujusmodi confirmatione sententiæ nihil unquam per litteras Bituricensis aut Nuntium sibi fuerat intimatum. Propter quod ipsam petiit a nobis humiliter relaxari. Nos igitur volentes utrique paterna sollicitudine providere, sententiam relaxamus memoratam, firmam promissionem recipientes a Burdegalensi prædicto, quod vocatus accedet ad ipsius Bituricensis Concilium, facturus quod de jure fuerit faciendum. Vos denique, fratres Episcopi, super vobis ipsis &c. Datum Laterani VIII. Idus Junii, Pontificatus nostri anno XVI.

XVIII.

Monitio & protestatio facta per Dominum Benedictum Archiepiscopum Tarraconensem contra D. Sancium electum Toletanum, ne propter delationem crucis ante se aliquod præjudicium generetur provinciæ Tarraconensi.

Ex archivo Archiepiscopi Tarraconensis.

NOS Benedictus miseratione divina Tarraconensis Archiepiscopus intelligentes vos Dominum Sancium Dei gratia Toletanum electum facere & fecisse, nobis ignorantibus, postquam nostram intravistis provinciam, ante vos crucis signaculum deportari in non modicum nostri & Tarraconensis Ecclesiæ ac provinciæ nostræ præjudicium & gravamen, attendendo quod in jure sit cautum, quod ea, quæ de novo emergunt, novo indigent consilio & auxilio, & ubi periculum vertitur, cautius est agendum, ne nobis vel Tarraconensi Ecclesiæ ac provinciæ nostræ per hoc in posterum valeat præjudicium generari, rogando vos monemus & monendo rogamus, quatenus a præjudicio & gravamine supradictis penitus desistatis, cum non liceat alicui in alienam messem ponere falcem suam. Et ne per patientiam vel taciturnitatem videamur vobis in hoc aliquem præbere assensum, protestamur de jure nostro, ne nobis vel Tarraconensi Ecclesiæ vel provinciæ nostræ per factum hujusmodi in posterum aliquod præjudicium generetur. Quod si nostris monitis & precibus a prædictis desistere contempseritis, a jam illatis nobis gravaminibus præsentibus & futuris in scriptis his sedem apostolicam appellamus, juta nostra & Tarraconensis Ecclesiæ ac totius provinciæ nostræ sub ejus protectione ponentes. Et ut præsens protestatio & appellatio majori gaudeant firmitate, eam sigilli nostri munimine fecimus roborari. Quod est actum III. Idus Novembris anno Domini MCCLXVI.

XIX.

Mandatum factum per D. Benedictum Archiepiscopum Tarraconensem Episcopis, Abbatibus, Prælatis, & omnibus Clericis suæ provinciæ circa observationem constitutionis Tarraconensis de jure primatus, & de prohibendo Toletanum ab ingressu provinciæ cum cruce erecta.

Ex archivo ejusdem Archiepiscopi Tarraconensis.

BENEDICTUS miseratione divina Tarraconensis Archiepiscopus venerabilibus in Christo fratribus Episcopis & universis in Christo filiis Abbatibus & Prælatis ceterisque Clericis omnibus in nostra provincia constitutis salutem in Domino Jesu Christo. Cum Dominus Petrus prædecessor noster apud Valentiam, in provinciali ibidem Concilio celebrato, eodem sacro Concilio approbante constitutionem ediderit sub hac forma. Item sacro approbante Concilio statuimus, quod si Toletanus Archiepiscopus, per Tarraconensem provinciam transitum faciens, crucem ante se portari fecerit, vel Pallio usus fuerit, vel indulgentias dederit in nostra provincia, quæ, sicut dicitur, fuerunt per eundem temere alicubi attentata, loca ad quæ ipse taliter venerit, & in quibus prædicta attentaverit, quamdiu ibidem fuerit, cessent penitus a divinis. Et ne ejus præsumptio remaneat impunita, si supradicta in provincia nostra de cetero commiserit, auctoritate nostra & sacri Concilii ipsum ex nunc quasi ex tunc excommunicationis sententiæ decernimus subjacere. Et si aliquis litteris indulgentiæ Archiepiscopi Toletani in nostra provincia usus fuerit, tanquam falsarius puniatur, & venerabilis Sancius Dei gratia Toletanensis electus, contra dictam constitutio-

nem veniens, faciat per nostram provinciam ante se crucis signaculum deportari in nostri ac Tarraconensis Ecclesiæ ac totius nostræ provinciæ non modicum præjudicium & gravamen, monemus vos attente ac per præsentes litteras duximus vobis firmiter injungendum, quatenus constitutionem prædictam observetis & faciatis a vestris subditis inviolabiliter observari. Rogamus etiam, volumus, & mandamus, quod visis præsentibus & perlectis, restituatis latori præsentium, ut eas valeat ceteris Episcopis ac Prælatis aliis & Clericis præsentare. Datum Tarraconæ Idibus Novembris anno Domini MCCLXVI.

X X.

Alexandri IV. epistola de privilegiis Ecclesiæ Toletanæ, & de Ecclesia Segrobicensi.

Ex archivo Archiepiscopi Tarraconensis.

ALEXANDER Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Archiepiscopo Tarraconensi salutem & apostolicam benedictionem. Venerabili fratri nostro Archiepiscopo Toletanensi ejusque successoribus privilegium concessimus sub hac forma. ALEXANDER Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Archiepiscopo Toletanensi ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum. Cum universis sanctæ Ecclesiæ filiis debitores ex injuncto nobis a Deo apostolatus officio existamus, illis tamen locis atque personis propensiori nos convenit caritatis studio imminere, quæ ad sedem apostolicam noscuntur specialius pertinere. Quocirca, venerabilis in Christo frater Archiepiscope, tuis justis postulationibus clementer annuimus, & Ecclesiam Toletanensem, cui auctore Deo præesse dinosceris, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti privilegio communimus, statuentes, ut, quascunque possessiones, quæcunque bona, eadem Ecclesia in præsentiarum juste ac canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus & illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum, in quo Toletanensis Ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis, castraque Agnatora f--- villas, Alcola, Brioca, Uzeda, Talamanca, & Guardia vulgariter nominatas, cum---honoribus, usagiis, & pascuis in bosco & plano, in aquis & molendinis, --- & immunitatibus suis. Episcopatus quoque inferius annotatos Ecclesiæ Toletanensi metropolitico jure subjectos---auctoritate apostolica nihilominus confirmamus, videlicet Palentinensem, Conchensem, Segobiensem, Segontinensem --- Cordubensem --- Segorbicensem episcopatus. Usum quoque Pallii, videlicet pontificalis officii plenitudinem, tuæ fraternitati apostolicæ sedis liberalitate largimur, quo infra Ecclesiam tuam utaris diebus inferius annotatis, videlicet in Nativitate Domini, festo --- protomartyris --- Circumcisione Domini, Epiphania --- Dominica in ramis palmarum, Cœna Domini, Sabbato sancto, Pascha, feria secunda post Pascha, Ascensione, Pentecoste, tribus festivitatibus beatæ Mariæ, Natali B. Johannis Baptistæ, solemnitatibus omnium Apostolorum, commemoratione omnium sanctorum, dedicationibus Ecclesiarum, anniversariis tuæ consecrationis, die sancti Ildefonsi, sancti Eugenii, & aliis Ecclesiæ tuæ principalibus festivitatibus, consecrationibus Episcoporum, & ordinationibus Clericorum. Ad hæc, cimiteria Ecclesiarum & ecclesiastica beneficia nullus hereditario jure possideat. Quod si quis facere præsumpserit, censura canonica compescatur. Præterea quod communi assensu Capituli tui vel partis consilii sanioris in tua diœcesi per te vel successores tuos fuerit canonice institutum, ratum & firmum volumus permanere. Prohibemus insuper, ne excommunicatos vel interdictos tuos ad officium vel communionem ecclesiasticam sine conscientia & assensu tuo quisquam admittat, aut contra sententiam tuam canonice promulgatam aliquis venire præsumat; nisi forte periculum mortis immineat; aut dum præsentiam tuam habere nequiverint, per alium, secundum formam Ecclesiæ, satisfactione præmissa, oporteat ligatum absolvi. Sacrorum quoque canonum auctoritatem sequentes statuimus, ut nullus Episcopus vel Archiepiscopus absque tuo consensu conventus celebrare, causas etiam vel ecclesiastica negotia in tua diœcesi, nisi per Romanum Pontificem vel ejus Legatum fuerit eidem injunctum, tractare præsumat. Statuentes præterea, ut nullus cujusque ordinis Clericus Ecclesias sibi concessas ad jus tui archiepiscopatus pertinentes sine conscientia & consensu tuo seu successorum tuorum faciat censuales, vel in cujusquam transferat potestatem. Et si factum fuerit, irritum habeatur. Libertates quoque & immunitates & antiquas & rationabiles consuetudines Ecclesiæ tuæ concessas & hactenus observatas, ratas habemus, & eas perpetuis temporibus illibatas permanere sancimus. Porro crucem, vexillum Domini, cum videlicet per tuam diœcesim & episcopatus tibi subjectos, ante te deferendi fraternitati tuæ licentiam impartimur. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem Ecclesiæ sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi; quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

Ego Alexander catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi. Bene valete.

Ego Odo Tusculanus Episcopus subscripsi.

Ego Stephanus Prænestinensis Episcopus subscripsi.

Ego frater Johannes Tituli sancti Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis subscripsi.

Ego Richardus sancti Angeli Diaconus Cardinalis subscripsi.

Ego Octavianus sanctæ Mariæ in via lata Diaconus Cardinalis subscripsi.

Ego Johannes sancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconus Cardinalis subscripsi.

Datum Anagniæ per manum Magistri Jordani sanctæ Romanæ Ecclesiæ Notarii & Vicecancellarii, XV. Kal. Julii, Indictione secunda, incarnationis dominicæ anno MCCLIX. pontificatus vero Domini Alexandri Papæ quarti anno quinto.

Sed quia pro jure, quod in Segobricensi Ecclesia, quam uterque vestrum suæ provinciæ esse proponit, asserit se habere, fuit eidem privilegio pro parte tua in audientia publica contradictum, nos Ecclesiæ tuæ jura integra permanere volentes, præsentium tibi auctoritate concedimus, ut nullum tibi vel eidem Ecclesiæ tuæ super hujusmodi jure ad te vel eam in ipsa Segobricensi Ecclesia, ut supra dicitur, pertinente per idem privi-

legium

legium generetur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Anagniæ IV. Kalend. Augusti, pontificatus nostri anno quinto.

XXI.

Clementis IV. epistola de primatu Archiepiscopi Bituricensis.

Ex duobus vetustissimis codicibus manuscriptis, uno Bibliothecæ Colbertinæ, altero nostro.

HUMILIS doctrina magistri humiles instruxit discipulos salem & pacem habere, in se salem, inter se pacem, ut pacis lenitas salem sapientiæ mulceat, & sal sapientiæ pacis condiat lenitatem. Sunt quoque nonnulli, qui zelum amaris contentionibus acuendo, tantum quæ salis sunt sapiunt, & corda scindente discordia, sub umbra juris ad injuriam decidunt, interdum calumniæ ac injuriarum puteos fodientes, non considerantes, quod contentionis puteis relictis contemptui fodit Isaac alium, pro quo non contemnere pastores, cujus nomen vocatum est latitudo, quia restringitur caritas contentione diffusa; & sic dum arctatur contentio, caritas dilaceratur. Unde cordibus est reddenda concordia, ut sit opus Justitiæ pax & silentium cultus ejus, præsertim in illis, qui pennæ columbæ deargentatæ sibi & subditis debent splendere pacifici, sedentes in pulchritudine pacis vel justitiæ in tabernaculis fiduciæ ac requie opulenta. Sane vicinos non latuit & ad multos in longinquo pervenit, quantum gravaminis quæstio de primatia suborta Bituricensi & Burdegalensi Ecclesiis & earum Prælatis attulerit & afferret in posterum, si duraret in futurum, tracta de præterito conjectura. Consueverunt etenim lites esse prodigæ, sumptuum liberales, laborum parcæ, molestiæ avaræ, quietis & utinam non commotionis & discordiæ incentivæ, eo quod raro litium jurgia lingua silet & judiciorum strepitu mens quiescit. Hæc autem & aliorum pericula, quæ de ipsorum absentia suis Ecclesiis imminebant, venerabiles fratres nostri Bituricensis & Burdegalensis Archiepiscopi attendentes, ne convalescente contentione utraque diutius langueret Ecclesia & quandam mortem videretur ingerere vita causæ, humiliter petierunt quæstionem hujusmodi, quam diuturnitas judicii prorogabat, acceleratione providentis breviari; super quo provisioni sedis apostolicæ omnia jura sibi & suis Ecclesiis competentia commiserunt. Nos autem considerantes, quod in tribus, quæ coram Deo & hominibus probata leguntur, concordia fratrum specificatione obtinet primum locum, petitionem oblatam ad gratiam exauditionis admisimus, illorum desideria favore benevolo prosequendo. Verum ne de contingentibus aliquid omittere videamur, mandamus, quatenus Prælatorum & Capitulorum Cathedralium Ecclesiarum ejusdem provinciæ, nec non & in ea Burdegalensis provinciæ, super præmissis requisitis assensum: quo habito, providentiam nostram nostra Bulla munitam, quam vobis sub alia carta mittimus interclusam, solemniter publicetis. Si qui vero, quod non credimus, assensum vobis præstare noluerint, vos supersedeatis publicationi prædictæ; sub expresso peremtorio termino, quem videritis præfigendum, districte præcipiatis eisdem, ut personaliter, si Prælati fuerint, vel si alii & ultra quadraginta, per procuratores idoneos nostro se conspectui repræsentent, prosecuturi coram nobis jus, si quod habere contendunt, & responsuri parti alteri super iis, quæ duxerit proponenda, & satisfacturi nihilominus, si forte succubuerint, in expensis, prout ordo dictaverit rationis.

Marca, Dissert. Eccl.

XXII.

Clementis IV. epistola ad Archiepiscopum & Capitulum Narbonense adversus primatum Archiepiscopi Toletani.

Ex archivo Archiepiscopi Narbonensis.

CLEMENS Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Archiepiscopo & dilectis filius Capitulo Narbonensi salutem & apostolicam benedictionem. Natalis dulcedo patriæ, quæ in amorem sui perpetuum trahit singulos, & allicit universos, ac devotionis & fidei vestræ puritas, qua studetis per Dei gratiam esse conspicui, ut Deo sitis & Ecclesiæ nobisque amabiles & accepti, nos juxta divinæ providentiam pietatis apostolica præditos dignitate sollicitant, ut qui duximus de provincia vestra originem, vos & Narbonensem Ecclesiam, in qua olim supremam obtinuimus dignitatem, opportuni favoris benevolentia foveamus, sed in iis præcipue, quæ vos & illam digne possint a dispendio præservare. Sane, sicut nobis significare curastis, dilectus filius Toletanus Electus nuper a nostra præsentia ad sedem Toletanam rediens, per Narbonensem provinciam ante se crucem deferri fecit pro suæ libito voluntatis. Cumque tu, frater Archiepiscope, præfatum Electum, quam cito ad Montempessulanum provinciæ prædictæ pervenit, ex caritate illa, quæ benigna est, nec sapit perperam, ipsum ut a tali deportatione crucis desisteret, vel privilegium, si quod haberet super hoc, demonstrare curaret, prius monitum ac blandis sermonibus asserentem se velle istud ostendere tibi in Ecclesia Narbonensi, ad ipsam invitari fecisses, eodem tamen electo accedente ad illam, tu illuc de Carcassona, ubi tunc eras, cum festinantia rediisti, ut personam ejus specialiter honorares, & diligenter de crucis deportatione hujusmodi scrutareris. Verum quia jam nox supervenerat, ne ipsum fessum ex itinere amplius fatigares, de hoc usque in crastinum tunc proximum ex quadam humanitate quærere distulisti; præsertim quia dixerat, quod in mane sequenti audire Missarum solemnia in Ecclesia ipsa volebat, & sanctorum reliquias, quæ ibidem habentur, cum debita veneratione videre. Porro ipse circumvenire cupiens, ut videtur, subtilius, quod ipsum non decuit, in negotio fratrem suum, de nocte cum paucis clam inde recedens, ne tu a dicto Electo de iis posses quærere, aut ipsum super deportatione hujusmodi impedire, ad castrum Salsarum hospite insalutato accessit. Propter quod tu, qui de tua humanitate invenisti te fore delusum, non immerito conturbatus, post ipsum nuncios destinasti. Quibus demum insistentibus, ut ille a deportatione crucis per provinciam prædictam desisteret, vel de allegato super hoc ab eo privilegio fidem faceret, Electus ipse respondit, quod, cum sibi a sede apostolica sit indultum, ut crucem ante se deferri faciat in locis, in quibus prædecessores sui eam ante se deferri fecerunt, & iidem prædecessores illam per dictam provinciam, ut dicebat, deferri fecissent, ipse in deportatione illius tibi & eidem Ecclesiæ nullam irrogabat injuriam, sicque a deportatione ipsa, quantumcunque dicti nuncii rationabiliter super hoc sibi resisterent, aliquatenus desistere non volebat. Quare humiliter petebatis a nobis, ut, cum in eisdem Ecclesia & provincia, propter hoc præsertim, quia in eis ab Archiepiscopis Toletanis, qui fuerunt pro tempore, crux, nisi forte clandenstine, nunquam deportata recolitur, maximum scandalum & murmur non modicum sit exortum, providere super hoc paterna sollicitudine curaremus. Quia vero easdem Ecclesiam & provinciam ex præmissis & aliis causis quampluribus inseparabilis carita-

tis amplexamur brachiis, quare de illorum turbatione non indigne concutimur, vexationibus conturbamur, nos anxietati vestræ in hac parte opportunum remedium adhibere volentes, ut per hujusmodi actum ipsius Electi unicum, ac habitum super crucis deportatione processum, vobis ac eisdem Ecclesiæ & provinciæ vestrisque libertatibus nullum in posterum præjudicium generetur, nec dictus Electus vel successores ejus propter hoc in vobis vel vestris successoribus ac dictis Ecclesia & provincia jus primatiæ possessorio vel petitorio vendicare valeant, nisi alias legitime ostensum fuerit & probatum; & quod in hujusmodi provincia seu crucis delatione illi jus competat, universitati vestræ auctoritate apostolica ex certa scientia indulgemus; sententias vero & quoscunque processus, si secus a quocunque haberi & ferri contigerit, ex nunc eadem auctoritate omnino carere viribus ac nullius fore decernimus firmitatis. Per indulgentiam tamen & decretum hujusmodi nolumus juri, si quod alias Ecclesiæ Toletanæ in præmissis competit, aliquatenus derogari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Viterbii XIII. Kalend. Januarii, pontificatus nostri anno secundo.

XXIII.

Ejusdem Clementis IV. epistola ad Electum Toletanum, de eodem argumento.

Ex archivo Archiepiscopi Narbonensis.

CLEMENS Episcopus servus servorum Dei dilecto filio Electo Toletano salutem & apostolicam benedictionem. Illam dudum concepimus de tua sinceritate fiduciam, ut, cum benignitatem sedis apostolicæ tibi ad votum repereris gratiosam, sincere diligeres, quæ in Domino pura mente diligimus, & ab eorum sollicite vexationibus abstineres, quorum molestiam, utpote nostri animi pungitivam, tolerare non possumus nec debemus. Sed ecce, quod dolenter referimus, contrarium nobis accidit, & de te, quod non verebamur, evenit; dum tu privilegium amoris præcipui, quod nos ad Narbonensem habere Ecclesiam bene nosti, ac zelum, quo circa eam ex debitæ caritatis affectu ducimur, dedignanter advertere negligens, nobisque saltem, quibus in illa deferre debebas, non deferens, ipsius libertatem quodammodo conatus fuisti præripere, cum jurisdictionem primatiæ in illa tibi voluisti non sine cujusdam latentis astutiæ studiis vendicare, prout ex eo aperte colligitur & manifeste videtur, quod, sicut venerabilis frater noster Archiepiscopi & dilecti filii Capitulum Narbonense gravi nobis querela monstrarunt, tu nuper a nostra præsentia ad Toletanam sedem rediens, per Narbonensem provinciam ante te crucem deferri fecisti pro tuæ libito voluntatis; cumque dictus Archiepiscopus, quam cito ad Montempessulanum ipsius provinciæ pervenisti, ex caritate illa, quæ benigna est, nec sapit perperam, te ut a tali deportatione crucis desisteres, vel privilegium, si quod haberes super hoc, demonstrare curares prius monitum, ac blandis sermonibus asserentem, te velle illud ostendere in Ecclesia Narbonensi, ad ipsam invitari fecisset, te tandem accedente ad illam, ipse illuc de Carcassona, ubi tunc erat, festinanter rediit, ut personam obtentu nostri specialiter honoraret, & diligenter de crucis deportatione hujusmodi scrutaretur. Verum quia nox jam supervenerat, ipse, ne te fessum ex itinere amplius fatigaret, de hoc usque in crastinum tunc proximum ex quadam humanitate quærere distulit; præsertim quia dixeras, quod in mane sequenti audire Missarum solemnia in Ecclesia ipsa volebas, & sanctorum reliquias, quæ ibidem haberentur, cum debita veneratione videre. Porro ut circumvenires subtilius, quod te non decuit, in negotio fratrem tuum, de nocte cum paucis clam inde recedens, ne Archiepiscopus ipse de his posset quærere aut te super deportatione hujusmodi impedire, ad castrum Salsarum insalutato hospite accessisti. Propter quod dictus Archiepiscopus, qui de sua humanitate invenit esse delusum, non immerito conturbatus, post te nuncios destinavit: quibus demum insistentibus, ut a deportatione crucis per provinciam prædictam desisteres, vel de allegato a te super hoc privilegio fidem faceres, respondisti, quod cum tibi a sede apostolica sit indultum, ut crucem ante te deferri facias in locis, in quibus prædecessores tui eam ante se deferri fecerunt, & iidem Prædecessores illam per dictam provinciam, ut dicebas, deferri fecissent, tu in deportatione illius eisdem Archiepiscopo & Ecclesiæ nullam irrogabas injuriam, sicque a deportatione ipsa, quantumcunque dicti nuncii rationabiliter super hoc tibi resisterent, aliquatenus desistere non volebas. Propter quod in eisdem Ecclesia & provincia, in quibus a prædecessoribus tuis crux, nisi forte clandestine, nunquam deportata recolitur, maximum scandalum & murmur non modicum est exortum. Cum igitur dictam provinciam, de qua duximus originem, & eandem Ecclesiam, in qua supremam obtinuimus dignitatem, inseparabilis caritatis amplexemur brachiis, quare de ipsarum turbatione non indigne concutimur, & vexationibus conturbamur, discretionem tuam rogamus & hortamur attente, per apostolica sibi scripta mandantes, quatenus ad præmissa debitæ considerationis dirigens animum, hujusmodi tuum processum, quantum est in te, corrigere studeas, & attentare adversus easdem Ecclesiam & provinciam similia de cetero non præsumas. Nos enim nihilominus eis providisse noveris de apostolicæ plenitudine potestatis, ut per hunc tuum actum deportatæ crucis unicum ac processum eisdem Archiepiscopo & Capitulo eorumque successoribus, Ecclesiæ, ac provinciæ Narbonensi, suisque libertatibus, nullum in posterum præjudicium generetur. Per hujusmodi tamen provisionem nostram juri, si quod Ecclesiæ Toletanæ in præmissis competit, nolumus in aliquo derogari. Ceterum quia levis scrupulus tolerabilis læsionis aliquando in grave offensionis scandalum adolescit, nos studiosis paternæ caritatis affectibus hujusmodi quæstionis, si qua sit, materiam sopire volentes, districte tibi præcipiendo mandamus, ut si forsan, quod non creditur, ex aliquibus Ecclesiæ tuæ privilegiis aut alias tibi jus credis competere in præmissis, procuratores idoneos ad hoc sufficienter instructos cum privilegiis ipsis ac omnibus juribus & monimentis tuis negotium hujusmodi contingentibus ad nostram præsentiam infra Kalendas mensis Augusti primo futuri, quas tibi & parti alteri ad hoc pro termino peremptorio assignamus, destinare procures, facturus & recepturus super iis, quod ordo dictaverit rationis. Nos autem notum tibi esse volumus, quod dictis Archiepiscopo & Ecclesiæ jus suum super hoc prosequentibus, ex tunc in eodem negotio, non obstante tuæ partis absentia, quantum de jure fuerit, procedamus. Datum Viterbii XII. Kal. Januarii, pontificatus nostri anno secundo.

XXIV.

Gregorii X. epistola ad Archiepiscopum Toletanum, de eodem argumento.

Ex archivo Archiepiscopi Narbonensis.

UNIVERSIS & singulis manifestum existat, quod anno Domini millesimo ducentesimo septua-

septuagesimo quarto ; pridie Nonas Aprilis, in præsentia mei Notarii & testium subscriptorum, Amatus de Verulis Cursor Domini Papæ apud Petramlatam Gerundensis diœcesis, in domo cujusdam vocati Guardia, reverendo in Christo patri Domino S. Dei gratia Archiepiscopo Toletano quandam litteram ipsius Domini Papæ non vitiatam, non cancellatam, nec abolitam in aliqua sui parte, nec rasuram aliquam continentem, bullatam cum vera bulla pendente cum corda canapis, præsentavit, & per me dictum Notarium legi fecit ipsi Domino Archiepiscopo dictam litteram, tenorem hujusmodi continentem:

Gregorius Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri S. Archiepiscopo Toletano salutem & apostolicam benedictionem. Felicis recordationis Clemens Papa prædecessor noster olim, audito quod tu, dum ab apostolica sede ad Ecclesiam Toletanam redires, per Narbonensem provinciam crucem ante te feceras deportari, super eo quod per hujusmodi unicum tuum actum, & habitum super crucis deportatione processum, venerabili fratri nostro Archiepiscopo & dilectis filiis Capitulo Narbonensi ac provinciæ memoratæ, ipsorumque Archiepiscopi & Capituli libertatibus, nullum deberet præjudicium generari se asserens providisse, suas sub certa forma literas tibi dicitur destinasse, per quas tibi suasit, quod hujusmodi tuum processum, quantum in te esset, corrigeres, ac talia in posterum per te prohibuit attentari, districte præcipiendo nihilominus per easdem litteras tibi mandans, ut si forsan ex aliquibus ejusdem Ecclesiæ Toletanæ privilegiis aut alias tibi jus crederes competere in præmissis, procuratores idoneos ad hoc sufficienter instructos cum privilegiis ipsis ac omnibus juribus & munimentis tuis negotium hujusmodi contingentibus infra certum tempus tibi & alteri parti ad hoc pro termino peremtorio assignatum ad sedem apostolicam destinares, facturus & recepturus super iis, quod ordo exigeret rationis. Et licet aliqui procuratores seu excusatores pro parte tua infra dictum tempus in præsentia dicti prædecessoris comparuisse dicantur, quia tamen non fuerunt, ut fertur, sufficienter instructi, procedi non potuit cum eisdem. Quia igitur cordi nobis est, ut inter te ac Archiepiscopum, Capitulum, Ecclesiam, & provinciam Narbonensem prædictos omnia in pace procedant, præsertim ut vitatis undique scandalis expeditio instantis Concilii Deo preduce habeatur, & non indigne veremur, quod si contra prohibitionem prædictam aliquid tentaretur, posset inter te ac dictos Archiepiscopum, Capitulum, provinciam & Ecclesiam Narbonensem materia scandali suscitari, fraternitatem tuam rogamus, monemus & exhortamur attente, quatinus prudenter attendens, quod non decet te prohibitiones apostolicæ sedis contemnere, in deportatione crucis per dictam provinciam contra prohibitionem hujusmodi nil attentes; ita quod ad tui laudem nominis, & ad obtinendum tibi apostolici favoris augmentum, alienas vitare injurias comproberis, nec super hoc ad præsumptionem merito tibi quicquam possit impingi. Per hoc tamen juri alterutrius prædictarum Toletanæ seu Narbonensis Ecclesiarum nolumus quoad possessionem vel proprietatem quomodolibet derogare; sed illud nihilominus salvum utrique volumus remanere; super quo ad plenam & celerem justitiam exhibendam parati erimus, cum ab alterutra ipsarum Ecclesiarum fuerimus requisiti. Datum Lugduni Idus Martii, pontificatus nostri anno secundo.

Qua liquidem lecta, dictus Dominus Archiepiscopus petiit copiam sibi fieri de eadem, & dictus Amatus obtulit eidem copiam, & transcriptum tradidit ejusdem. Quibus peractis, dictus Dominus Archiepiscopus dixit, se velle deliberare super istis, & dare post dormitionem responsum. Et post dictam horam, dictus Amatus ad præsentiam dicti Domini Archiepiscopi rediens cum magistro Amelio officiali Narbonæ, petierunt responsum sibi dari a dicto Domino Archiepiscopo. Et dictus Dominus Archiepiscopus hoc modo respondit eisdem, quod ob reverentiam Summi Pontificis, & obtentu precum ipsius, & non alterius in deportatione crucis supersederet usque ad Perpinianum, & ibi deliberatione habita finale daret responsum eisdem de contentis in littera Domini Papæ. Acta fuerunt hæc in dicto castro & loco, in præsentia & testimonio viri magnifici Domini Petri primogeniti Domini Regis Aragonum illustris, & Armandi de Vernages Diaconi, & Berengarii Timberga Notarii publici Narbonæ, testium ad hoc vocatorum, & mei Bernardi Johannis publici sanctæ Romanæ Ecclesiæ auctoritate Notarii, qui prædictis omnibus interfui, & mandatus hæc scripsi.

Anno vero eodem, octavo Idus Aprilis, cum dictus Dominus Archiepiscopus Perpinianum Narbonensis provinciæ venisset, dicti Officialis & Cursor ad ejus accedentes præsentiam, requisiverunt ab eodem certum responsum & finale, ut dixerat se daturum. Ad quæ dictus Dominus Archiepiscopus dixit, quod volebat, quod litera papalis iterum sibi exhiberetur; quod & factum fuit. Et post dictus Cursor petiit sibi restitui eandem. Ad quæ dictus Dominus Archiepiscopus dixit, quod ipse dictam litteram poterat & debebat retinere, quia sibi dirigebatur a Domino Papa, & sua intererat ipsam retinere, quia in ea conservabatur jus suum & Ecclesiæ Toletanæ. Tamen dixit, quod super hoc deliberaret, & in crastinum responderet. Acta fuerunt proxime dicta die in præsentia Domini Jacobi Dei gratia Regis Aragonum illustris, & Dominorum Petri & Jacobi ejusdem filiorum, & venerabilium Patrum Dominorum Dei gratia Jacobi Oscensis & Berengarii Elnensis Episcoporum; & Domini Guiraudi Abbatis sancti Pauli Narbonæ, & Berengarii Sacristæ Perpiniani, & mei Notarii antedicti.

Et in dicto crastino dictus Cursor veniens cum dicto Officiali ad Dominum Archiepiscopum supradictum, requisiverunt responsum ab eodem; & sibi petiit dictus Cursor restitui litteram antedictam. Ad quæ respondens dictus Dominus Archiepiscopus dixit eisdem, quod ad preces tantum dicti Domini Papæ, quas pro præcepto habebat, ipse abstineret hac vice a portatione crucis per provinciam Narbonensem, & quia in dicta littera reservabatur jus quoad possessionem & proprietatem sibi & Ecclesiæ Toletanæ, litteram retineret, nec eam restitueret, quia sic habebat de consilio, quod facere poterat sine injuria cujuscunque. Dixit tamen, quod ipse esset in Curia, & tunc restitueret dictam litteram ad dicti Domini Papæ voluntatem. Et hæc ultima dicta & facta fuerunt in villa Perpiniani, anno eodem, septimo Idus Aprilis, pontificatus Domini Gregorii Papæ decimi anno secundo, in præsentia & testimonio venerabilium Patrum Domini Jacobi Dei gratia Oscensis Episcopi, & Domini Arnaldi Abbatis Fontisfrigidi, & Domini Arnaldi Cell --- & Domini Berengarii, Sacristæ Perpiniani, & religiosi viri Domini Arnaldi de Castronovo Magistri militiæ Templi in Aragonia & Catalonia, & Petri Raimundi Notarii Curiæ Domini Archiepiscopi Narbonæ, & Bernardi de Fontejocosa Domicelli, & mei prædicti Bernardi Johannis publici sanctæ Romanæ Ecclesiæ auctoritate Notarii, qui prædictis omnibus interfui, & --- hæc omnia scripsi, & signo meo signavi.

XXV.

Joannis XXII. epistola ad Jacobum Regem Aragonum, adversus primatum Toletanum.

Ex Hieronymo Surita in Indicibus rerum ab Aragoniæ Regibus gestarum, ad annum MCCCXX.

HOC anno Johannes Regis filius, qui ad Archiepiscopi Toletani dignitatem evectus fuerat, Ilerdæ Simone Luna Tarraconensi & Petro Luna Cæsaraugustano Archiepiscopis assistentibus consecratur. Cum in eorum antistitum provinciis Hispaniarum primarii munere fungi Johannes contenderet, Tarraconensis & Cæsaraugustanus indignitate ea commoti, Johannem Ecclesiastica censura execrantur & populos qua commearat sacris interdicunt. Rege ipso Johannis Patre Cæsaraugustæ conventus agente, Johannem urbem labari insignibus obeuntem Petrus Cæsaraugustanus antistes sui muneris religionisque pietate defunctus, priscarum sanctionum exempla persequens, ecclesiastica execratione devovet. Cum Rex insignem injuriam & ignominiam se præsente filio impositam Pontifici Maximo conquestus fuisset, de ea re id responsum Pontifex reddit, quod non alienum visum est hoc in loco apponere,

Johannes Episcopus servus servorum Dei carissimo in Christo filio Jacobo Regi Aragonum illustri salutem & apostolicam benedictionem. Personam tuam, fili carissime, a gratiarum distributore omnium adeo gratiis variis novimus illustrari, quod dicta & facta hominum ex personis ipsorum & aliis circumstantiis debitis nosti pensare debite ac de illis recto judicio judicare. Sane, fili, si personas venerabilium fratrum nostrorum Tarraconensis & Cæsaraugustani Archiepiscoporum attenderis diligenter, si causam, quare venerabili fratri nostro Johanni Archiepiscopo Toletano nato tuo infra ipsorum provincias crucem deferenti apostolico privilegio non ostenso se opposuerint, & processus aliquos fecerint contra ipsum, profecto quoad personas reperies ipsas tibi multiplici vinculo obligatas, propitias, & devotas, quæ in tuam vel in Archiepiscopi nati tui prædicti injuriam nihil ex proposito præsumendum est attentasse. Causam autem reperies zelum quendam Ecclesiarum jura tuendi, & ipsa illibata servandi. Ideoque in istis supponere debet prudentia regia injuriandi prorsus animum exulasse. Quanquam autem gratum nostris accessisset affectibus & acceptum quod fuisset inter ipsos Archiepiscopos de portanda vel non portanda cruce concorditer antea ordinatum, tamen ex quo sic processum extitit, cum tam ex parte portantis quam ex parte resistentium zelus conservandi jus Ecclesiarum sibi commissarum fuerit, non injuriam alicui irrogandi, serenitatem regiam deprecamur attente, ut factum istud deducens in rectæ considerationis examen, ex hoc animus regius non turbetur, nec affectum immutet solitum erga ipsos. Si enim præfatam resistentiam attenderit, ipsam reperiet ad honorem regium pertinere. Et nos processibus factis contra præfatum Toletanum Archiepiscopum intellectis, de fratrum nostrorum consilio in eodem consistorio ipsum a sententiis contra ipsum latis ad cautelam, cum de juribus nobis partium non constaret, de potestatis plenitudine duximus absolvendum, dispensantes cum eo super irregularitate, si quam contraxerat, se, ut prius, sic ligatus divinis officiis immiscendo, sibi nihilominus licentiam concedentes, ut suos familiares possit absolvere & cum ipsis similiter dispensare. Quæstionem autem prædictam ad nostram duximus audientiam revocandam, partibus, ut occurratur scandalis, interdicere intendentes, quod pendente quæstione hujusmodi nec Toletanus in dictis provinciis crucem ante se deferri facere debeat, nec alii contra ipsum sententias per consequens promulgare, nisi mandatum aliud sedes apostolica duceret ordinandum. Per hoc autem neutri partium in possessione seu proprietate volumus nec intendimus præjudicium aliquod generari. Datum Avinione II. Idus Novembris, pontificatus nostri anno quinto,

XXVI.

Rescriptum Berengarii Episcopi Tusculani ad Eximinum Archiepiscopum Tarraconensem, de controversia primatus Toletani,

Ex archivo Archiepiscopi Tarraconensis.

VENERABILI in Christo Patri Domino Eximino Dei gratia Archiepiscopo Tarraconensi, Berengarius ejusdem miseratione Tusculanus Episcopus, salutem in eo, qui est omnium vera salus. Intellecto heri, ex relatione discreti viri Magistri Arnaudi de Cumbis Capellani familiaris venerabilis Patris Domini Johannis Archiepiscopi Toletani facta in Consistorio, scandalo quod evenit ex portatione crucis ante ipsius Domini Johannis præsentiam per vestram provinciam Tarraconensem & ex promulgatione sententiarum facta per vos occasione illius, Dominus noster Summus Pontifex displicentiam habuit inde magnam, eo præsertim, ut dixit, quod idem Dominus Johannes in novo ejus adventu in regnum Castellæ ac ingressu provinciæ suæ, & Ecclesiæ Toletanæ devotionem suam sibi, ut vere creditur, divinitus inspiratam nequivit ostendere in Missarum & aliorum celebratione divinorum, cum prætextu sententiarum illarum organa sua & bene duxerit suspendenda. Sane ut devotionem suam ipse Dominus Johannes explicare possit & satisfacere quæ incumbentur, suumque officium exequi debite valeat, idem Dominus Noster deliberatione cum fratribus suis habita, de ipsorum consilio, & de plenitudine potestatis, dictum Dominum Johannem, licet absentem, a sententiis supradictis & vinculo earundem ad cautelam, si indigebat, absolvit, cum de jure suo & vestro non constaret eidem, & secum dispensavit super irregularitate, si quam contraxerat se dictis ligatus sententiis immiscendo divinis. Voluit etiam præfatus Dominus Noster, quod ejus auctoritate prædictus Dominus Toletanensis familiares suos & socios, si qui dictas sententias incurrerunt, per se vel per alium absolvere valeat, & super irregularitate similiter dispensare. Causam autem vel causas, si quam vel si quas occasione prædicta memoratus Dominus Toletanensis contra vos habere se credit, vel vos etiam contra ipsum credatis habere, idem Dominus Noster suo judicio reservavit, & voluit, quod litis cognitione super negotio ipso pendente, neutra partium in præjudicium alterius quicquam audeat attentare, nec ipse Dominus Toletanensis, si eum alias per dictam Tarraconensem provinciam transire contigerit, interim portari ante se faciat crucem, & vos non procedatis similiter contra eum. Et prædicta omnia ipse Dominus Noster fecit salvo jure partium & Ecclesiarum Toletanensis & Tarraconensis tam in possessione quam in proprietate, ita quod per præmissa vel eorum aliquod dictis Ecclesiis vel earum alteri præjudicium nullum fiat. Supradicta autem omnia se præfatus Dominus Noster eidem Domino Toletanensi & vobis per nostras voluit litteras intimari. Datum Avinioni in festo sancti Martini hyemalis anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo, pontificatus sanctissimi Patris & Domini Johannis divina providentia Papæ XXII. anno quinto.

XXVII.

XXVII.

Joannis XXII. epiſtola ad Sacriſtam & Succentorem Eccleſiæ Barcinonenſis, de cauſa primatus Toletani.

Ex archivo Archiepiſcopi Tarraconenſis.

JOANNES Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Sacriſtæ & Succentori Eccleſiæ Barcinonenſis ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Nuper auditui noſtri apoſtolatus innotuit, quod tum venerabilis frater noſter Johannes Archiepiſcopus Toletanenſis ad Eccleſiam ſuam Toletanam accedens, cum per Cæſaruguſtanam & Tarraconenſem provincias tranſitum facere contigiſſet, & ante ſe per eaſdem provincias crucem faceret, uti credens ſuo jure, deferri, venerabiles fratres noſtri Cæſarauguſtanenſis & Tarraconenſis Archiepiſcopi, dicentes, id eidem Archiepiſcopo non competere nec licere, præfatum Archiepiſcopum Toletanum, quem propter hoc aſſerebant virtute quarundam conſtitutionum provincialium excommunicationis ſententiam incurriſſe, fecerunt excommunicatum publice nuntiari. Nos vero dicto Toletano Archiepiſcopo in hac parte providere volentes, ipſum a dicta ſententia excommunicationis de conſilio fratrum noſtrorum abſolvimus ad cautelam, cum eo, quamvis poſt denunciationem hujuſmodi abſtinuiſſe dicatur a divinis, ſuper irregularitate tamen, ſi quam dicta ligatus ſententia celebrando divina vel immiſcendo ſe illis contraxiſſet forſitan, diſpenſando. Et inſuper ut ſcandalis & moleſtationibus, quæ poſſent occaſione præmiſſorum oriri, ſalubriter obvietur, & plenius cognoſcatur de jure partium earumdem, præfatum negotium ad noſtrum & apoſtolicæ ſedis revocantes examen, partibus ipſis diſtrictius duximus inhibendum, ne ipſo pendente negotio in illo præſumant aliquam facere novitatem, ac injungentes dicto Archiepiſcopo Toletano, ut interim ab uſu dictæ deferendæ crucis per provinciaas ſupradictas ſtudeat abſtinere, niſi aliter ſuper hoc per ſedem apoſtolicam fuerit ordinatum, ac mandantes partibus ſupradictis, ut infra quindenam reſurrectionis Domini proxime venturæ per ſufficientes ac idoneos procuratores peremptorie cum omnibus actibus, juribus & munimentis hujuſcemodi negotium contingentibus apoſtolico ſe conſpectui repræſentent, in negotio ipſo legitime proceſſuri, ac facturi & recepturi, quod juſtitia ſuadebit; prout in eiſdem litteris, quas vobis duximus deſtinandas, videbitis contineri. Quocirca diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus & committimus, quatenus vos vel alter veſtrum per vos vel per alium ſeu alios litteras antedictas præfatis Archiepiſcopis & eorum cuilibet ex parte noſtra quantocius præſentare curetis. Diem autem hujuſmodi præſentationis & formam, & quidquid ſuper præmiſſis duxeritis faciendum, nobis per veſtras patentes litteras vel inſtrumentum publicum harum ſeriem continens ſtudeatis fideliter intimare. Datum Avinione XII. Kal. Decembris, pontificatus noſtri anno quinto.

XXVIII.

Ejuſdem Joannis epiſtola ad Archiepiſcopum Tarraconenſem, de eodem argumento.

Ex archivo Archiepiſcopi Tarraconenſis.

JOHANNES Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Archiepiſcopo Tarraconenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Audita nuper diſſenſionis materia, quæ inter te & venerabilem Fratrem Johannem Archiepiſcopum Toletanum noſcitur ſuſcitata ratione proceſſuum per te contra eum, quia crucem ante ſe faciebat deferri per Tarraconenſem provinciam, habitorum, volentes in hac parte, ut majoris turbationis præcideretur materia, eidem Toletano Archiepiſcopo providere, a ſententia excommunicationis, ſi quam virtute dictorum proceſſuum ipſe Toletanus forſan incurrerit, de fratrum noſtrorum conſilio eundem abſolvimus ad cautelam, cum eo nihilominus, quamvis poſt denunciationem proceſſuum ejuſmodi a divinis abſtinuiſſe dicatur, ſuper irregularitate, ſi quam dicta ligatus ſententia divina celebrando vel immiſcendo ſe illis forte contraxerat, diſpenſando. Negotium ipſum etiam, utrique parti inhibito ne ipſo pendente præſumant aliquid innovare, ad apoſtolicæ ſedis revocantes examen, diem certam ad comparendum in Romana Curia per ſe vel per procuratores idoneos proceſſuros indicto negotio partibus ipſis præfigendam duximus, ſicut in litteris apoſtolicis confectis ſuper his plenius continetur. Verum quia, ſicut diſplicenter accepimus, cariſſimus in Chriſto filius noſter Jacobus Rex Aragonum illuſtris, & dilectus filius Alfonſus germanus dicti Archiepiſcopi Toletani, gerentes moleſte proceſſus tuos hujuſmodi, materiam indignationis inde contra te conceperunt, licet apud eos proceſſus ipſos, ſicut expedire vidimus, excuſandos, ac eos ut rancorem, ſi quem propterea conceperant contra te, de ſuis tollerent animis inducendos, quia tamen in his te cooperatorem nos habere decet ſollicitum, ea propter fraternitati tuæ ſuadendo conſulimus, & pro ſano conſilio ſuademus, quatenus vias & modos ſolerter inquiras, per quos eoſdem Regem ac filios tibi placare valeas, illorum commotionem excuſationibus blandis & alias realiter, quantum cum Deo poteris, prudenter ſtudeas mitigare. Datum Avinioni II. Kal. Januarii, pontificatus noſtri anno quinto.

XXIX.

Alia ejuſdem Pontificis epiſtola ad Jacobum Regem Aragonum, de eodem argumento.

Ex archivo Eccleſiæ Tarraconenſis.

JOHANNES Epiſcopus ſervus ſervorum Dei cariſſimo in Chriſto filio Jacobo Regi Aragonum illuſtri ſalutem & apoſtolicam benedictionem, Serenitati regiæ ſcripſiſſe meminimus, illam paternis exhortationibus deprecando, ut, ſicut eam diſtributor bonorum omnium dono prudentiæ inter alios mundi Principes illuſtrarat, ita recta ponderans ſtatera Judicii, quod diſſenſio nuper inter venerabiles fratres noſtros Johannem Toletanum ex una parte & Cæſarauguſtanenſem ac Tarraconenſem Archiepiſcopos ex altera, occaſione portationis crucis per dictum Toletanenſem in Cæſarauguſtanenſi & Tarraconenſi provinciis, ſuſcitata, cenſenda erat zelo potius, quo ipſi Archiepiſcopi ad ſuarum Eccleſiarum jura ſervanda tenentur, quam cuiquam injuriandi animo proceſſiſſe, dictorum Cæſarauguſtanenſis & Tarraconenſis proceſſus contra dictum Toletanum ſuper his habitos haberet rationabiliter excuſatos, nec propterea regius animus contra dictos Cæſarauguſtanenſem & Tarraconenſem Archiepiſcopos turbaretur. Verum licet ſupponamus indubie regalem modeſtiam illa circumſpectione vigere, quod animum novit a cujuſvis inordinati odii calore compeſcere, quia tamen antiquæ pacis æmulus illuc nititur maxime virus ſuum diffundere, quo magis conſpicit id divinæ majeſtatis oculis diſplicere, ea propter cupientes ejus inſidiis pro viribus obviare, tuamque magnificentiam contra cujuſvis tentationis odioſæ fomitem præmunire, celſitudinem regiam rogamus & hortamur attentius precibus iteratis, quatenus prudenter attendens, quod præfati Cæſarauguſtanenſis & Tarraconenſis Archiepiſcopi honoris tui ac tuorum fuerunt hactenus, ſunt adhuc, & eſſe cupiunt, in poſterum fervidi zelatores, de quibus Cel-

. *Marca*, *Diſſert. Eccl.*

situdo regia suspicari non debet, quod in tuam quicquam vel tuorum injuriam molirentur eosdem Archiepiscopos taliter velis pro nostra & apostolicæ sedis reverentia habere super his excusatos, quod a solita Celsitudinis tuæ benevolentia elongatos se propterea non agnoscant. Datum Avinioni XVIII. Kal. Februarii, pontificatus nostri anno quinto.

XXX.

Alia ejusdem Pontificis epistola ad eundem Regem de eodem argumento.

Ex archivo regio Barcinonensi.

JOHANNES Episcopus servus servorum Dei carissimo in Christo filio Jacobo Regi Aragonum illustri salutem & apostolicam benedictionem. Serenitatis regiæ litteras per dilectum filium Magistrum Petrum de Spelungis Archidiaconum de Algesira in Ecclesia Valentinensi nobis noviter præsentatas solita benignitate recepimus, ac contenta in ipsis, & quæ præfatus Archidiaconus proponere voluit, intelleximus diligenter. Ad quæ Celsitudini regiæ breviter respondemus, quod circa admissionem postulationis, pro qua tua excellentia per litteras & nuntium supplicavit, condescendimus votis regiis, sicut decenter potuimus, prout circumspectioni regiæ litterarum nostrarum super hoc confectarum series innotescet. Super eo autem, quod celsitudo regia postulabat, ut venerabilis frater noster Johannes Toletanensis Archiepiscopus natus tuus per regna tua crucem ante se deferre posset, respondemus, quod istud prompto faciemus animo, si Archiepiscoporum tuorum regnorum consensus accesserit; quem te credimus faciliter, si ad hoc operam dederis, obtinere. Ceterum idem Archidiaconus, sine litteris & credentia quæ posset comprehendi sub credentia generali, pro parte tua nobis exposuit, quod licet Fredericus Rex, Trinacriæ illustris pro armandis galeis & gentibus armorum habendis ad regnum tuum certos nuntios destinasset, tu tamen, tanquam devotus Ecclesiæ Romanæ filius, in stabilitate solita perseverans, galeas in dicto regno nec muniri nec armari quomodolibet permisisti. Quod profecto nostris non indigne gratum accedit affectibus, & pro quo celsitudini regiæ gratiarum referimus uberes actiones; foretque nobis acceptius admodum, si gentem tuam ad ipsum accedere similiter non sivisses, sicut nec ad carissimum in Christo filium Robertum Regem Siciliæ illustrem alias permisisti. Adjecit quoque dictus Archidiaconus pro parte regia, ut dicebat, quod regia Celsitudo multum expediens reputabat, si pro sopiendis & sedandis commotionibus ac guerris inter memoratos Siciliæ & Trinacriæ Reges sedes apostolica, tanquam superior, eosdem Reges, ut per se vel per solemnes nuntios comparerent pacis subituri tractatum, in aliquo loco congruo & alterutri partium non suspecto, qualem reputabat locum Montispessulani, ad sui præsentiam evocaret. Ad quod etiam respondemus, quod, sicut tua sublimitas non ignorat, alias dicto Regi Trinacriæ super mittendis ad nostram præsentiam nuntiis sæpius scripsimus, teque idipsum sibi frequenter suasisse credimus; sed ipse obturatis auribus exhortationes contemnens hujusmodi, nec misit nuntios, nec rescripsit, quin imo, quod est deterius, contra conventiones & pacta alias multa firmitate vallata filium suum primogenitum in Regem coronare de facto non expavit, Ecclesiarum insulæ Siciliæ bona occupavit, personas ecclesiasticas præsumptuosa temeritate opprimens, & quantum est in eo, suæ subjugans tyrannicæ servituti, ad earum jura & bona extendens damnabiliter manus avidas & rapaces; nec his contentus, ut fertur, velut in reprobum sensum datus, & venundatus ut faciat malum, ad invadendum & occupandum Urbem & terras Ecclesiæ ausu nefario conflare dicitur vires suas. Sed speramus in illo, qui superbis consuevit resistere, quod sibi sua iniquitas mentietur, nec perficere poterit, quod mente tam superba præsumptuose tractavit. Propter quod, fili carissime, expediens non videtur, quod nos filio adeo indevoto, sic extra limites posito rationis, sic se contra matrem suam & dominam temere extollentem, debeamus scribere, qui dum esset in ipsius gratia, dum ab ea ut prædilectus filius tractaretur, sic subito ab ejus devotione discessit, sic repente in hostem de filio est conversus, ut nec ejus acquiesceret monitis, qui dum tractaretur ut prædilectus filius, ejus salutaria monita spernere non expavit. Sed si tu, fili, a tanto posses ipsum devio revocare, Deo gratum & nobis acceptum esset admodum, & pro pace inter ipsum & Regem Siciliæ præfatum reformanda vel Avenioni vel in Comitatu Venaisini curaremus operosum studium & studiosam operam adhibere. Datum Avinioni XII. Kalendas Julii, pontificatus nostri anno quinto.

XXXI.

Mandata sive instructiones, quas Jacobus Aragoniæ Rex dedit Simoni de Pulchro loco, in causa Archiepiscopi Toletani.

Ex archivo regio Barcinonensi.

JACOBUS Dei gratia Rex Aragonum, Valentiæ, Sardiniæ, & Corsicæ, Comesque Barcinonæ, ac sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vexillarius & Capitaneus generalis, dilecto Consiliario nostro Simoni de Pulchro loco salutem & dilectionem. Scire vos volumus, nos scribere Domino Summo Pontifici per litteram nostram, quam vobis mittimus cum præsenti, cujusque formam, ut inde certior efficiamini, vobis in schedula mittimus præsentibus interclusam. Et quia cordi nostro vehementer inest & plurimum affectamus, ut contenta in ipsa littera a Domino Papa obtinere possumus, mandamus & dicimus vobis expresse, quatenus perspectis tenore dictæ litteræ & causis in ea contentis, præsentata per vos dicta littera nostra Domino Papæ prædicto, supplicetis ei multum intente ex nostra parte, cum prædictis causis & aliis quibus poteritis, ut dignetur honorabili Toletanensi Archiepiscopo nostro carissimo filio gratiam concedere in schedula expressatam, & in hoc sollicitam curam & diligentiam ostendatis. Si vero vellet concedere de portatione crucis & non de Pallio, nihilominus gratiam de portanda cruce recipiatis. Si autem neutrum concedere vellet, ad ultimum, ubi aliud non possetis, supplicetis, quod saltem ipsam concedat gratiam, dum assensus Archiepiscoporum interveniat subscriptorum. Quo casu rescriptum apostolicum inde obtineatis & habeatis ab eo, & etiam aliud rescriptum inductivum cum efficacia ad Archiepiscopos ipsos, ut consentiant gratiæ supradictæ. Sed & si etiam prædictam gratiam cum ipsa conditione concedere nollet, supplicetis sibi, quod cum rescripto suo velit efficaciter inducere Archiepiscopos Tarraconensis & Cæsaraugustanensis Ecclesiarum, ut consensum præbeant gratiæ supradictæ per ipsum Dominum Papam memorato Archiepiscopo filio nostro faciendæ. Et exponatis dicto Domino Papæ inter alia, quod ex præmissis honorabit plurimum nos & filium nostrum prædictum, & pro gratia habebimus speciali, prout plenius & honorificentius ac diligentius hæc exponere poteritis coram eo. Et si aliquid concesserit præmissorum, inde rescriptum apostolicum obtinere & habere curetis. Datum Gerundæ quarto Nonas Augusti anno Domini millesimo trecentesimo vicesimo primo.

XXXII.

XXXII.

Ejusdem Regis epistola ad Joannem XXII. de qua mentio facta est in superioribus mandatis.

Ex archivo regio Barcinonensi.

SANCTISSIMO ac beatissimo in Christo Patri & Domino Domino Johanni divina providentia sacrosanctæ Romanæ & universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Jacobus Dei gratia Rex Aragonum, Valentiæ, Sardiniæ, & Corsicæ, Comesque Barcinonæ, & præscriptæ Romanæ Ecclesiæ sacrosanctæ Vexillarius, Ammiratus, & Capitaneus generalis, ejus humilis devotusque filius, pedum oscula beatorum. In rescriptivo rescripto a vestra beatitudine nobis misso per discretum Petrum de Speluncis Archi-Diaconum Algeziræ in Ecclesia Valentinensi ad sacram vestram præsentiam per nos pro subscriptis & aliis pridie destinatum, inter cetera, super supplicatione nostra, ut honorabilis carissimus filius noster Joannes Toletanensis Archiepiscopus per regna nostra crucem ante se deferre posset, taliter vestra respondit benignitas, quod illud prompto facietis animo, si Archiepiscoporum regnorum nostrorum consensus accesserit, quem creditis nos faciliter, si ad hoc operam dederimus, obtinere. Super quo, Beatissime Pater, paternis affectibus excitati sanctitati vestræ rescribimus, ab illa votivum obtentum fiducialiter expectantes, quod cum memoratus Archiepiscopus fuerit divina gratia & vestri ministerio ad præscriptæ dignitatis fastigia sublimatus, cujus Archiepiscopatus limitationes Tarraconensis & Cæsaraugustanensis provinciarum regnorum nostrorum absque medio conjunguntur, appetit in nobis paternus ferventis dilectionis affectus, quod Archiepiscopus antedictus posset regna & terras nostras aliquotiens ingredi, possemusque cum eo & ipse nobiscum beneficio mutuæ visionis refici & præsentialiter consolari. Hoc autem absque vestræ beatitudinis gratia nequit commode aliqualiter explicari. Nam etsi Archiepiscopus ipse regna nostra intraverit & incesserit absque cruce, Capitulum & alii de sua Ecclesia Toletana, intendentes jus esse ipsius Ecclesiæ, ut fertur, id ad magnum dedecus ejusdem Ecclesiæ, manifestum præjudicium, & diminutionem notabilem reputarent, imponerentque Archiepiscopo antedicto, quod suo tempore, quo sperabant Ecclesiam exaltari, eam esse depressam ac læsam assererent & gravatam. Si vero cum cruce, Tarraconensis & Cæsaraugustanensis Ecclesiarum prædictarum Archiepiscopi hæc leviter non sufferrent; quin imo tenentes hoc juris non esse Archiepiscopi Toletanensis & subinferri in suarum Ecclesiarum præjudicium manifestum, ad sui juris conservationem facerent quæque possent, insurgerentque inde scandala, ut audivistis vice alia contigisse, nec ad consentiendum delationi crucis præfatorum Archiepiscoporum, licet jam alias collocuti cum ipsis fuerimus & operam sollicitam dederimus, potuimus animos inclinare, nec etiam consentire voluerunt hujusmodi gratiæ, si fieret per benignitatem vestram nostro filio memorato. Non valentes igitur absque cordis gravitate portare, quin aliquoties, ut præfertur, dicti filii nostri, ex suis meritis amantissimi nobis, præsentia consolemur, supplicamus apostolicæ bonitati, quatenus ob honorem nostrum nobis ac dicto nato nostro specialem gratiam facientes, cuilibet præjudicio proprietatis seu possessionis dictarum Tarraconensis & Cæsaraugustanensis provinciarum, quod nos sicut & Prælati earum evitaremus, nec modo aliquo sufferremus, opportunis remediis plene proviso, memoratum Archiepiscopum Toletanensem benignitate apostolica honorando, sibi ad vitam tantum dignetur concedere, ut eo veniente, stante, & exeunte in regnis & terris nostris, crucem ante se deferri facere & Pallio uti possit. Tenebimus autem ex hoc, benignissime Pater, quo honoraveris nos & dictum carissimum natum nostrum gratia speciali, prout estis eum hactenus specialibus gratiis & favoribus prosecuti, & adveniet nostris affectibus summe gratum. Et quia dilectum Consiliarium nostrum Simonem de Belloloco Militem ad pedes sanctitatis vestræ per nos & inclytum ac carissimum primogenitum & generalem procuratorem nostrum infantem Alfonsum jam pro aliis destinatum circa hæc fecimus informatum, apostolica velit clementia suis relatibus in præmissis adhibere indubitabiliter firmam fidem. Qui universa disponit, præelectam personam vestram ad sua sancta servitia conservet incolumem plenis annis. Datum Gerundæ quarto Nonas Augusti anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo primo.

Vide Marianam lib. XV. cap. XVII. & seq.

XXXIII.

Acta protestationis Joannis Archiepiscopi Toletani pro conservatione juris sui.

Ex archivo Archiepiscopi Tarraconensis.

IN nomine Domini nostri JESU Christi. Amen. Anno ab ejus nativitate millesimo trecentesimo vigesimo tertio, indictione sexta, pontificatus sanctissimi Patris & Domini Domini Johannis Papæ vigesimi secundi anno octavo, mense Octobris, die Martis vigesima quinta die mensis ejusdem, in præsentia nostrorum Notariorum & testium subscriptorum ad hæc specialiter vocatorum & rogatorum, dum Reverendus in Christo Pater & Dominus Dominus Johannes Archiepiscopus Toletanus, Hispaniarum Primas, ac regni Castellæ Cancellarius, de sua provincia versus regnum Valentiæ pro suis negotiis expediendis ibi, sicut dicebat, cum cruce erecta transiret, constitutus in fine dictæ suæ provinciæ, ut dicebatur, & juxta principium diœcesis Valentinensis provinciæ Tarraconensis, in via, qua itur de villa Reguera Conchensis diœcesis prædictæ provinciæ Toletanæ ad locum, qui vocatur septem aquas dictæ diœcesis Valentinensis, præsentibus ibidem Reverendis Patribus Dominis Raymundo Valentino Episcopo prædictæ provinciæ Tarraconensis & fratre Sancio Episcopo Segobricensi provinciæ Cæsaraugustanensis, qui præfatum Dominum Archiepiscopum venerant recepturi, post quandam auctoritatem sacræ scripturæ per eum præpositam & expositam, idem Dominus Archiepiscopus dixit, quod inter ceteros Prælatos sanctæ matris Ecclesiæ ipse magis tenebatur esse obediens Domino nostro Summo Pontifici & apostolicæ sedi, a quibus magna receperat munera gratiarum, & statim per me Bernardum Notarium publicum infrascriptum publice legi mandavit quoddam transsumptum quarundem literarum apostolicarum sub nomine supradicti Domini Johannis Papæ vigesimi secundi, scriptum in Papyro, cujus tenor infra proxime describitur. Quo transsumpto sic publice lecto, supradictus Dominus Archiepiscopus in continenti per me præfatum Bernardum Notarium publice legi mandavit quandam schedulam protestationis scriptam similiter in papyro, cujus etiam tenor inferius continetur, requirens nos ipsos Notarios, ut de electione & publicatione prædictarum literarum apostolicarum & protestationis ad suam & Ecclesiæ suæ Toletanæ cautelam conficeremus sibi publicum instrumentum. Et immediate supradictus Dominus Raymundus Episcopus Valentinus per Raymundum Ferrarii Notarium suum loco nostrorum Notariorum publice legi mandavit quandam aliam schedulam alterius protestationis scriptam similiter in papyro, cujus etiam tenor inferius continetur, requirens etiam Dominus Episcopus prædictus nos Notarios ipsos, ut de protestatione hujusmodi daremus sibi publicum instrumentum. Qua schedula lecta, & requisitione facta per eundem

dem Dominum Episcopum Valentinum, supradictus Dominus frater Sancius Episcopus Segobricensis nomine suo & Ecclesiæ ac nomine Ecclesiæ Cæsaraugustanæ, cujus suffraganeus est, in eundem modum, sicut Dominus Valentinus Episcopus extitit protestatus, requirens nos etiam Notarios ipsos modo quo supra. Quibus protestationibus memoratus Dominus Archiepiscopus contradixit. Et ipsi Domini Episcopi protestati fuerunt, ut supra. Et idem Dominus Archiepiscopus non consensit protestationibus eorum. Tenor autem transsumpti literarum apostolicarum de mandato ipsius Domini Archiepiscopi, ut prædictum est, publice lecti, per omnia talis est:

Johannes Episcopus servus servorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Nuper auditui nostri apostolatus innotuit, quod dum venerabilis frater noster Johannes Archiepiscopus Toletanus ad Ecclesiam suam Toletanam accedens, cum eum per Cæsaraugustanensem & Tarraconensem provincias transitum facere contigisset, & ante se per easdem provincias crucem faceret, uti credens suo jure, deferri, venerabiles fratres nostri Cæsaraugustanensis & Tarraconensis Archiepiscopi, dicentes, id eidem Archiepiscopo non competere nec licere, præfatum Archiepiscopum Toletanum, quem propter hoc asserebant virtute quarundam constitutionum provincialium excommunicationis sententiam incurrisse, fecerunt excommunicatum publice nuntiari. Nos vero dicto Toletano Archiepiscopo in hac parte providere volentes, ipsum a dicta sententia excommunicationis de consilio fratrum nostrorum absolvimus ad cautelam, cum eo, quamvis post denuntiationem hujusmodi abstinuisse dicatur a divinis, super irregularitate tamen, si quam dicta ligatus sententia celebrando divina vel immiscendo se illis contraxisset forsitan, dispensando. Et insuper ut scandalis ac turbationibus, quæ possent occasione præmissorum oriri, salubriter obvietur, & plenius cognoscatur de jure partium earundem, præfatum negotium ad nostrum & apostolicæ sedis revocantes examen, partibus ipsis districtius inhibemus, ne ipso pendente negotio in illo præsumant aliquam facere novitatem, ac injungentes dicto Archiepiscopo Toletano, ut interim ab usu deferendæ crucis per provincias supradictas studeat abstinere, nisi aliter super hoc per sedem apostolicam fuerit ordinatum, ac mandantes partibus supradictis, ut post quindenam resurrectionis Domini proxime venturam per sufficientes & idoneos procuratores peremptorie cum omnibus actibus, juribus & munimentis hujusmodi negotium contingentibus apostolico se conspectui repræsentent, in negotio ipso legitime processuri, ac facturi & recepturi, quod justitia suadebit. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrarum absolutionis, revocationis, inhibitionis, injunctionis, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Avinione XII. Kalend. Decembris, pontificatus nostri anno quinto.

Item tenor protestationis per ipsum Dominum Archiepiscopum factæ per omnia talis est:

Noverint universi præsentis publici instrumenti seriem inspecturi, quod cum ad nos Johannem miseratione divina Toletanum Archiepiscopum, Primatem Hispaniarum, & regni Castellæ Cancellarium, & nostram Ecclesiam Toletanam in Tarraconensi & Cæsaraugustanensi ac aliis Hispaniæ provinciis jura primatiæ ac deferendæ crucis vigore privilegiorum Papalium pleno jure pertinere noscantur, nosque & prædecessores nostri ex longævo illis juribus simus usi, quamquam dudum nobis per dictas provincias transitum facientibus & ad nostram Ecclesiam Toletanam accedentibus dicti Archiepiscopi super prædictis contra nos novitates seu processus attentaverint de facto potius quam de jure, pieque sanctissimus Dominus Noster Papa Johannes XXII. dictum negotium citatis partibus ad se revocaverit, nobisque ad sedandum scandalum inhibuerit, ne interim in dictis provinciis crucem coram nobis faceremus deferri, ut patet per ejusdem rescriptum nobis per tabelliones repræsentatum, quod incipit sic, Johannes &c. Et finit &c. Cum igitur nos Joannes Archiepiscopus prædictus in itinere constituti dictam provinciam Tarraconæ nunc intremus, ad civitatem Valentiæ ex certis causis accedere intendentes, ac volentes mandatis prædictis apostolicis obedire, nec non nos & prædictam nostram Ecclesiam Toletanam in & super prædictis, ut teneremur servare indemnes, ea propter a dicta delatione crucis ex causa dictæ inhibitionis seu reservationis & ex debito obedientiæ abstinemus, protestantes ex causis prædictis expresse nomine nostro & dictæ nostræ Toletanæ Ecclesiæ, quod non obstantibus his, nullum nobis nec Ecclesiæ nostræ Toletanæ prædictæ tam in proprietate quam in possessione seu quasi in supradictis nunc vel in futurum præjudicium generetur.

Item tenor protestationis per ipsum Dominum Episcopum Valentinum factæ de verbo ad verbum talis est: *Et Reverendus Pater Dominus Raymundus divina providentia Valentinus Episcopus in præsentia Notariorum & testium prædictorum protestationi prædictæ per Reverendum Patrem Dominum Johannem divina providentia Toletanum Archiepiscopum superius factæ non consentiit; imo nomine suo & Ecclesiæ Valentinæ & nomine etiam Tarraconensis Ecclesiæ metropolitanæ ipsius Ecclesiæ Valentinæ eidem & contentis in ea contradixit specialiter & expresse in his scriptis, in quantum faciunt contra provinciam Tarraconensem; & negando nomine, quo supra ipsum Dominum Archiepiscopum Toletanum jus primatiæ in dicta provincia Tarraconensi habere, protestatus fuit de omni jure Tarraconensis Ecclesiæ & provinciæ ejusdem tam super proprietate quam super possessione, cui Tarraconensi provinciæ seu Juri suo tam super dicta proprietate quam possessione nullum per dictam protestationem seu contenta in ea præjudicium generetur, sed sit & maneat in omnibus & per omnia sibi salvum. Protestationem autem præsentem petiit & requisivit idem Dominus Episcopus poni in fine protestationis prædictæ ad memoriam futurorum, & sibi fieri & tradi publicum instrumentum per alphabetum divisum de omnibus & singulis superius lectis & protestatis ad conservationem juris Ecclesiæ Tarraconensis & provinciæ supradictæ.*

Acta fuerunt hæc in via prædicta, præsentibus venerabilibus & discretis viris Dominis Boneto de Rivopullo Canonico Ilerdensi Juris utriusque Doctore, Bernardo Luy, Canonico Barchinonensi Doctore Decretorum, Bernardo Archidiacono de Gualdesazaria in Ecclesia Toletana, Guillelmo Richerii Archidiacono sanctæ Engratiæ in Ecclesia Oscensi, Georgio de Saluciis Canonico Toletano, Ugone de Pallares Canonico Vicensi, Alphonso Johannis Magistro Scholarum Ecclesiæ Segobiensis, Garcia Petri Abbate secularis Ecclesiæ sanctæ Columbæ in Ecclesia Seguntinensi, & Johanne Alphonsi Cantore Talaverensi in Ecclesia Toletana prædicta, ac nobilibus viris Sancio Sancii de Monton, Johanne Fernandi de Vargas, Martino Didaci de Tolero, Roderico Lupi, ac Martino Didaci de supradicta villa Rachenæ scutiferis, & multis aliis tam Clericis quam laicis, testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

Et ego Jacobus Johannis Rogerii de Aqua Mundula Gajetanensi diœcesis publicus apostolica auctoritate Notarius omnibus & singulis supradictis una cum Notario & testibus vocatus interfui, ipsaque in hac petita de corio propria manu scripsi, & in publicam formam redegi, meoque signo consueto signavi, ab eisdem Dominis Archiepiscopo & Episcopis requisitus.

Signum mei Bernardi de Fonte Subdecani sanctæ Mariæ de Talaveria Toletanæ diœcesis apostolica

ſtolica auctoritate Notarii publici, qui prædictis omnibus & ſingulis vocatus & requiſitus interfui una cum Notario & teſtibus ſupradictis, die, menſe, anno, & loco præfixis, & hic meum ſignum aſſuetum requiſitus appoſui in teſtimonium præmiſſorum.

XXXIV.

Bulla Benedicti XIII. qua provinciam Narbonenſem eximit a juriſdictione primatiæ Bituricenſis.

Ex archivo Archiepiſcopi Narbonenſis.

BENEDICTUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Epiſcopo Anicienſi, & dilectis filiis ſancti Saturnini Tholoſanenſis ac ſancti Andreæ Avinionenſis diœceſium monaſteriorum Abbatibus, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Juſtis petentium deſideriis libenter annuimus, illaque favore proſequimur opportuno. Hodie ſiquidem quædam a nobis emanarunt literæ, tenorem qui ſequitur continentes. BENEDICTUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Super cunctas orbis Eccleſias obtinentes, licet immeriti, diſponente Domino principatum, de ipſarum ſtatu ſalubriter dirigendo juxta paſtoralis officii debitum ſollicite cogitamus; & ut ſummotis quibuslibet diſſenſionum materiis, pacis & quietis amœnitate lætentur, libenter partes noſtræ ſollicitudinis adhibemus. Cum itaque, ſicut accepimus, venerabilis frater noſter Petrus Archiepiſcopus Bituricenſis, aſſerens ſe Primatem & Patriarcham Aquitaniæ, ac prætendens in provinciam Narbonenſem jus Primatiæ & patriarchatus habere, illudque & alias juriſdictionem in ea exercere nitatur, nos cupientes omnem diſſenſionis materiam, quæ occaſione præmiſſorum inter eundem Archiepiſcopum & venerabilem fratrem Franciſcum Archiepiſcopum Narbonenſem Camerarium noſtrum forſitan orta eſt, ac inter eos & eorum ſucceſſores poſſet impoſterum exoriri, penitus amputare, & paci & quieti Archiepiſcopi & provinciæ Narbonenſis prædictorum providere, attendentes quoque, quod Eccleſia Narbonenſis & provincia prædictæ inter ceteras illarum partium notabiles & ab antiquo inſignes exiſtunt, & quod ex erectione Eccleſiæ Tholoſanenſis & ejus civitatis, diœceſis, & provinciæ, quæ de dicta provincia Narbonenſi tunc exiſtebant, in metropolitanam per felicis recordationis Johannem P. P. XXII. prædeceſſorem noſtrum facta, non modice gravatæ ſunt, ex iis & aliis certis rationabilibus cauſis animum noſtrum moventibus in hac parte præfatum Archiepiſcopum Narbonenſem & ſucceſſores ſuos Narbonenſes Archiepiſcopos & eorum ſuffraganeos, nec non Eccleſiam, civitatem, diœceſim, & provinciam Narbonenſem, ac quaſcunque perſonas tam eccleſiaſticas quam ſeculares eiſdem Archiepiſcopo ac Eccleſiæ Narbonenſi mediate vel immediate ſubjectas, aut alias degentes in eis, ſi & in quantum indigent, ab omni jure primatiæ & patriarchatus & cujuſcunque ſuperioritatis, omnique juriſdictione, dominio & poteſtate dicti Archiepiſcopi Bituricenſis & ſucceſſorum ſuorum quorumcunque Archiepiſcoporum Bituricenſium, nec non Decani & Capituli ac Eccleſiæ Bituricenſis, ſi forſan in eoſdem Archiepiſcopum Narbonenſem pro tempore exiſtentem, ſeu Eccleſiam, civitatem, diœceſim, & provinciam Narbonenſem, aut perſonas prædictas, præfati Archiepiſcopus, Decanus, Capitulum, vel Eccleſia Bituricenſis jus hujuſmodi primatiæ, patriarchatus, vel ſuperioritatis cujuslibet juriſdictionem, dominium, ſeu poteſtatem aliquam obtineant vel obtinere poſſent quacunque de cauſa, etiam dicta Eccleſia Bituricenſi vacante, motu proprio, non ad alicujus ſuper hoc nobis oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, auctoritate apoſtolica, ex certa ſcientia & apoſtolicæ poteſtatis plenitudine prorſus perpetuo eximimus & penitus liberamus, diſtrictius inhibentes eidem Archiepiſcopo Bituricenſi & ejus ſucceſſoribus ac Decano & Capitulo prædictis & eorum cuilibet tam conjunctim quam diviſim, ne etiam dicta Eccleſia Bituricenſi vacante in Archiepiſcopum & ſucceſſores, Eccleſiam, civitatem, diœceſim, & provinciam Narbonenſem, & perſonas prædictas juriſdictionem, dominium, ſeu poteſtatem aliquam, etiam prætextu hujuſmodi juris primatiæ, patriarchatus, vel cujuſvis alterius ſuperioritatis, exercere, vel alias ſibi vindicare quoquo modo præſumant, ac decernentes ex nunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper iis a quoquam quavis auctoritate contigerit attentari. Non obſtantibus quibuſcunque conſtitutionibus apoſtolicis, ac ſtatutis & conſuetudinibus Eccleſiarum prædictarum, etiam juramento, confirmatione apoſtolica & quacunque firmitate alia roboratis, & quibuslibet privilegiis, indulgentiis, & literis apoſtolicis generalibus vel ſpecialibus quibuſvis perſonis ſub quacunque verborum forma a ſede apoſtolica conceſſis, etiamſi de illis & eorum totis tenoribus de verbo ad verbum habenda eſſet præſentibus mentio ſpecialis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ exemptionis, liberationis, inhibitionis & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum apud Pontem Sorgiæ Avinionenſis diœceſis Kal. Septembris, pontificatus noſtri anno nono. Cum autem, ſicut exhibita nobis poſtmodum pro parte dicti Franciſci Archiepiſcopi petitio continebat, ipſe dubitet, ſe & alios in dictis literis contentos contra tenorem literarum ipſarum indebite moleſtari, nos ejuſdem Franciſci Archiepiſcopi in hac parte ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum per vos, vel alium, ſeu alios eiſdem Franciſco Archiepiſcopo & aliis in dictis literis contentis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, non permittatis eoſdem contra tenorem literarum ipſarum ab aliquibus indebite moleſtari, moleſtatores hujuſmodi, cujuſcunque ſtatus vel conditionis exiſtant, etiamſi pontificali præfulgeant dignitate, quotieſcunque expedierit, auctoritate noſtra per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus tam felicis recordationis Bonifacii P. P. VIII. prædeceſſoris noſtri, quibus cavetur, ne quis extra ſuam civitatem & diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam a fine ſuæ diœceſis ad judicium evocetur, ſeu ne judices & conſervatores a ſede deputati prædicta extra civitatem & diœceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcunque procedere, ſive alii vel aliis vices ſuas committere, aut aliquos ultra unam dietam a fine diœceſis eorundem trahere præſumant, & de duabus dietis in Concilio generali, ſeu quod de aliis quam de manifeſtis injuriis & violentiis & aliis, quæ judicialem indaginem exigunt, pœnis in eos, ſi ſecus egerint, & in id procurantes adjectis, conſervatores ſe nullatenus intromittant, ac de perſonis ultra certum numerum ad judicium non vocandis, quam aliis conſtitutionibus apoſtolicis contrariis quibuſcunque, ſeu ſi aliquibus communiter vel diviſim a præfata ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad judicium evocari non poſſint per literas apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi & eorum perſonis, locis, ordinibus, & nominibus propriis mentionem & qualibet alia dictæ ſedis indulgentia generali vel ſpeciali, cujuſcunque tenoris exiſtat,

per

per quam præſentibus non expreſſam vel totaliter non inſertam veſtræ juriſdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, & de qua cujuſque toto tenore de verbo ad verbum in noſtris literis habenda ſit mentio ſpecialis. Ceterum volumus & apoſtolica auctoritate decernimus, quod quilibet veſtrum proſequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico præpeditus, quodque a data præſentium ſit vobis & cuilibet veſtrum in præmiſſis omnibus & eorum ſingulis cœptis & non cœptis, præſentibus & futuris, perpetuata poteſtas & juriſdictio attributa; ut eo vigore eaque firmitate poſſitis in præmiſſis omnibus cœptis & non cœptis, præſentibus & futuris, & pro prædictis procedere, ac ſi prædicta omnia & ſingula coram vobis cœpta fuiſſent, & juriſdictio veſtra & cujuslibet veſtrum in prædictis omnibus & ſingulis per citationem vel modum alium perpetrata legitimum extitiſſet. Conſtitutione prædicta ſuper conſervatoribus & alia qualibet in contrarium edita non obſtante. Datum apud Pontem Sorgiæ Avinionenſis diœceſis Kalendis Septembris, pontificatus noſtri anno nono.

XXXV.

Bulla Benedicti XIII. qua Narbonenſem provinciam eximit a juriſdictione primatiæ Viennenſis.

Ex archivo Archiepiſcopi Narbonenſis.

BENEDICTUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Epiſcopo Anicienſi & dilectis filiis ſancti Saturnini Toloſani ac ſancti Andreæ Avinionenſis diœceſium monaſteriorum Abbatibus ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Juſtis petentium deſideriis libenter annuimus, illaque favore proſequimur opportuno. Hodie ſiquidem quædam a nobis emanarunt literæ, tenorem qui ſequitur continentes. BENEDICTUS EPISCOPUS ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Romani Pontificis providentia circumſpecta nonnunquam acta per eum revocat & immutat, prout rerum & temporum qualitas exigit, & id conſpicit in Domino ſalubriter expedire. Dudum ſiquidem, ſicut accepimus, felicis recordationis Calixtus P. P. II. & quidam alii Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri nonnullas provincias tunc expreſſas, quarum una provincia Narbonenſis exiſtit, Archiepiſcopo pro tempore exiſtenti & Eccleſiæ Viennenſi in jure primatiæ ſubjugarunt, ac dictum Archiepiſcopum in eas & earum ſingulas voluerunt & ſtatuerunt & etiam ordinarunt jus primatiæ perpetuo obtinere, & quod in eis Romani Pontificis, etiam ſede apoſtolica vacante, vices ageret, conventus ſynodales indiceret, & negotia eccleſiaſtica diffiniret. Nos igitur ad Eccleſiam & dictam provinciam Narbonenſem, quæ inter ceteras illarum partium utique notabiles & inſignes exiſtunt, & quas gerimus in viſceribus caritatis, dirigentes apoſtolicæ conſiderationis intuitum, illaſque volentes honoribus decorare condignis ac favoribus proſequi gratioſis, ſubjugationem, ſtatutum, & ordinationem hujuſmodi, & eorum effectum, quoad Eccleſiam & provinciam Narbonenſem prædictas ac Archiepiſcopum Narbonenſem pro tempore exiſtentem & ejus ſuffraganeos & eorum ſucceſſores duntaxat, motu proprio, non ad alicujus ſuper hoc nobis oblatæ petitionis inſtantiam, auctoritate apoſtolica ex certa ſcientia penitus perpetuo revocamus, caſſamus & irritamus, ac nullius deinceps volumus eſſe roboris vel momenti; & nihilominus Archiepiſcopum, Eccleſiam, & provinciam, ac ſuffraganeos, & ſucceſſores prædictos, ſi & in quantum indigent, ab omni jure primatiæ & alia qualibet ſuperioritate, juriſdictione, dominio, & poteſtate Archiepiſcopi Viennenſis pro tempore exiſtentis & officiariorum ſuorum quorumcunque penitus perpetuo eximimus & etiam liberamus; decernentes ex nunc irritum & inane, quidquid contra tenorem præſentium a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ revocationis, caſſationis, mutationis, voluntatis, exemptionis, liberationis, & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum apud Pontem Sorgiæ Avinionenſis diœceſis Kal. Septembris pontificatus noſtri anno nono. CUM AUTEM, ſicut exhibita nobis poſtmodum pro parte venerabilis fratris Franciſci Archiepiſcopi Narbonenſis Camerarii noſtri petitio continebat, ipſe dubitet, ſe & alios in dictis literis contentos contra tenorem literarum ipſarum indebite moleſtari, nos ejuſdem Franciſci Archiepiſcopi in hac parte ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum per vos vel alium ſeu alios eiſdem Franciſco Archiepiſcopo & aliis in dictis literis contentis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, non permittatis eoſdem contra tenorem literarum ipſarum ab aliquibus indebite moleſtari; moleſtatores hujuſmodi, cujuſcunque ſtatus vel conditionis exiſtant, etiamſi pontificali præfulgeant dignitate, quotieſcunque expedierit, auctoritate noſtra per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo; invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus tam felicis recordationis Bonifacii VIII. prædeceſſoris noſtri, quibus cavetur, ne quis extra ſuam civitatem & diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus & in illis ultra unam dietam a fine ſuæ diœceſis ad judicium evocetur, ſeu ne judices & conſervatores a ſede deputati prædicta extra civitatem & diœceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcunque procedere, ſive alii vel aliis vices ſuas committere, aut aliquos ultra unam dietam a fine diœceſis eorundem trahere præſumant, & de duabus dietis in Concilio generali, ſeu quod de aliis quam de manifeſtis injuriis & violentiis & aliis, quæ judicialem indaginem exigunt, pœnis in eos, ſi ſecus egerint, & in procurantes adjectis, conſervatores ſe nullatenus intromittant, ac de perſonis ultra certum numerum ad judicium non vocandis, quam aliis conſtitutionibus apoſtolicis contrariis quibuſcunque, ſeu ſi aliquibus communiter vel diviſim a præfata ſit ſede indultum quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad judicium evocari non poſſint per literas apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi & eorum perſonis, locis, ordinibus & nominibus propriis mentionem, & qualibet alia dictæ ſedis indulgentia generali vel ſpeciali, cujuſcunque tenoris exiſtat, per quam præſentibus non expreſſam vel totaliter non inſertam veſtræ juriſdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, & de qua cujuſque toto tenore de verbo ad verbum in noſtris literis habenda ſit mentio ſpecialis. Ceterum volumus & apoſtolica auctoritate decernimus, quod quilibet veſtrum proſequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico præpeditus, quodque a data præſentium ſit vobis & cuilibet veſtrum in præmiſſis omnibus & eorum ſingulis cœptis & non cœptis, præſentibus & futuris, perpetuata poteſtas & juriſdictio attributa; ut eo vigore eaque firmitate poſſitis in præmiſſis omnibus cœptis & non cœptis, præſentibus & futuris, & pro prædictis procedere ac ſi prædicta omnia & ſingula coram vobis cœpta fuiſſent, & juriſdictio veſtra & cujuslibet veſtrum in prædictis omnibus & ſingulis per citationem

tionem

tionem vel modum alium perpetrata legitimum extitiſſet. Conſtitutione prædicta ſuper conſervatoribus & alia qualibet in contrarium edita non obſtante. Datum apud Pontem Sorgiæ Avinionenſis diœceſis Kalend. Septembris, pontificatus noſtri anno nono.

XXXVI.

Bulla Martini V. qua Narbonenſem provinciam eximit juriſdictioni Archiepiſcopi Viennenſis.

Ex archivo Archiepiſcopi Narbonenſis.

MARTINUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Epiſcopo Aniciensi & dilectis filiis ſancti Saturnini Toloſani ac ſancti Andreæ prope Avinionem monaſteriorum Abbatibus ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Juſtis petentium deſideriis libenter annuimus, illaque favore proſequimur opportuno. Hodie ſiquidem quædam a nobis emanarunt litteræ tenorem, qui ſequitur, continentes. MARTINUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Sanctorum patrum geſta in melius ſæpius immutata recenſentes, illamque præſtabilem nobis præducem proſequentes ſententiam, qua prudens antiquorum auctoritas honores diſponi providit pro gradibus dignitatum, quotiens in diſſidium fratrum, quos nobis in partem ſollicitudinis evocavit altiſſimus, quicquam per ſedem apoſtolicam geſtum vergere comperimus, id reformatione ſubducimus accommoda, dignum ducentes, ut illi, quos invicem non modo collatæ dignitatis coæquat identitas, verum etiam ipſa lex pares reddit, nuſquam ſub efferendæ in alterutrum majoritatis ſpecie diffideant, ſed in ceterorum exemplum illam cum omni ſinceritate ſtudeant proſequi, quam etiam exterius edocere tenentur, viam pacis. Accepimus ſiquidem, quod olim felicis recordationis Calixtus PP. II. & nonnulli alii Romani Pontifices prædeceſſores noſtri nonnullas provincias tunc expreſſas, de quarum numero provincia Narbonenſis exiſtit, Archiepiſcopo pro tempore exiſtenti & Eccleſiæ Viennenſi in jure primatiæ ſubjugarunt, ac dictum Archiepiſcopum in eas & earum ſingulas voluerunt, ſtatuerunt, & etiam ordinarunt expreſſe Jus primatiæ perpetuo obtinere, ſic etiam, quod in eis idem Archiepiſcopus vices Romani Pontificis, etiam ſede apoſtolica vacante, ageret, conventus ſynodales indiceret, & eccleſiaſtica negotia diffiniret. Nos autem cernentes & ad debitæ conſiderationis reducentes examen, quanta per hoc inter Viennenſem & Narbonenſem Archiepiſcopos exiſtentes pro tempore paretur odiorum materia pariter & fomentum, quibus viam præcludere commodius exiſtere dinoſcitur quam illorum futuram expectare ſævitiam, cupienteſque ſuper iis ut Eccleſia prædictaque provincia Narbonenſis, quæ largiente Domino plurimum ſunt inſignes, inde remedium tandem ratione prævia recipiant, unde tam diutinam ſtatui ſuo derogationem ſibi ſenſerant irrogatam, providere, ex præmiſſis & certis aliis rationabilibus cauſis ad id animum noſtrum moventibus ſubjugationem, ſtatum & ordinationem hujuſmodi cum toto eorum effectu, etiamſi ſuper iis & eorum occaſione lis ubicunque pendeat ſeu remanſerit indeciſa, quoad Eccleſiam & provinciam ac Archiepiſcopum Narbonenſem pro tempore exiſtentem prædictos, ejuſque ſuffraganeos, & eorum ſucceſſores duntaxat, motu proprio, non ad alicujus nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, auctoritate apoſtolica penitus revocamus, caſſamus, & irritamus, ac nullius decernimus eſſe roboris vel momenti, & nihilominus Archiepiſcopum, Eccleſiam, & provinciam Narbonenſem, nec non ſuffraganeos & ſucceſſores prædictos, ab omni jure primatiæ & alia qualibet ſuperioritate, juriſdictione, dominio & poteſtate Archiepiſcopi Viennenſis pro tempore exiſtentis & officiariorum ſuorum quorumcunque penitus perpetuo eximimus & etiam liberamus, decernentes, illos ſedi apoſtolicæ immediate ſubjacere, ac ex nunc irritum & inane quidquid contra tenorem præſentium a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ revocationis, caſſationis, irritationis, exemptionis, liberationis, & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Conſtantiæ II. Idus Aprilis, pontificatus noſtri anno primo. Cum autem, ſicut exhibita nobis pro parte venerabilis fratris noſtri Franciſci Archiepiſcopi Narbonenſis petitio continebat, ipſe dubitet, ſe & alios, quibus literæ ſuffragantur eædem, contra earundem tenorem indebite moleſtari tempore procedente, nos ejuſdem Franciſci Archiepiſcopi hac in parte ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus veſtrum per vos vel alium ſeu alios eiſdem Franciſco Archiepiſcopo & aliis in dictis literis contentis adverſus Archiepiſcopos Viennenſes, qui fuerint pro tempore & quoslibet alios efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes non permittatis eoſdem conjunctim vel diviſim contra tenorem literarum ipſarum ab aliquibus indebite moleſtari, moleſtatores hujuſmodi, cujuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis exiſtant, etiamſi pontificali præfulgeant dignitate, quotienſcunque expedierit, auctoritate apoſtolica per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus tam fel. rec. Bonifacii PP. VIII. prædeceſſoris noſtri, quibus cavetur, ne quis extra ſuam civitatem & diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam, a fine ſuæ diœceſis ad judicium evocetur, ſeu ne judices & conſervatores a ſede deputati prædicta extra civitatem & diœceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcunque procedere, ſive alii vel aliis vices ſuas committere, aut aliquos ultra unam dietam a fine diœceſis eorundem trahere præſumant, & de duabus dietis in Concilio generali, ac de perſonis ultra certum numerum ad judicium non evocandis, quam aliis conſtitutionibus apoſtolicis contrariis quibuſcunque, ſeu ſi aliquibus communiter vel diviſim a præfata ſit ſede indultum quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari aut extra vel ultra certa loca ad judicium evocari non poſſint per literas apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto ejuſmodi & eorum perſonis, locis, ordinibus, & nominibus propriis mentionem, & qualibet alia dictæ ſedis indulgentia generali vel ſpeciali, cujuſcunque tenoris exiſtat, per quam præſentibus non expreſſam vel totaliter non inſertam veſtræ juriſdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, & de qua cujuſque toto tenore de verbo ad verbum in noſtris literis habenda ſit mentio ſpecialis. Ceterum volumus & apoſtolica auctoritate decernimus, quod quilibet veſtrum proſequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico præpeditus, quodque a data præſentium ſit vobis & cuilibet veſtrum in præmiſſis omnibus, & eorum ſingulis cœptis & non cœptis, præſentibus & futuris & pro prædictis procedere ac ſi prædicta omnia & ſingula coram vobis cœpta fuiſſent, & juriſdictio veſtra & cujuslibet veſtrum in prædictis omnibus & ſingulis per citationem vel modum alium perpetuata legitimum extitiſſet. Conſtitutione prædicta ſuper conſerva-

tori-

toribus & alia qualibet in contrarium edita non obstante. Datum Florentiæ IV. Kalend. Septembris, pontificatus nostri anno secundo.

Vide Odoricum Raynaldum ad annum 1418. §. 33.

XXXVII.

Epistola illustrissimi viri Laurentii Suarezii a Figueroa & Corduba, Ducis Feriæ, scripta ad illustrissimum virum Garsiam Loaisam Archiepiscopum Toletanum, de causa primatus Toletani.

Ex archivo Ecclesiæ Tarraconensis.

La venida de su magestad à esta ciudad serà de grande contentamiento para todos estados, y la instancia que se le harà para que celebre Cortes la mas apretada que se à possible, aun que à mi parecer no son de provecho para le general de la provincia, ni à su magestad en particular, si no es hasiendo muy de espacio, y que todo salga por justicia, sin usar de los medios que en las passadas se seguieron. Pues sobre esto tengo escrito à su magestad lo que verà vuestra senoria illustrissima.

Aunque V.S. illustrissima tiene bien sabidas las preeminencias de su dignidad y cosas de su Iglesia desde el principio d'ella, como tan verdadero servidor suyo he querido acordarle lo que aca se puede offrescer à cerca del traer cruz, insignia tan devida al Arcobispo de Toledo que el ir sin ella pareceria en Espana cosa tan agena como verle con capa y espada; aun que huvo otra vezes grandes differencias, y particularmente el ano de 1320. *entre el Infante Don Juan Arcobispo de Toledo hyo tercero del Rey Don Jayme segundo de Aragon y los Arcobispos de Tarragona y Saragoca; losquales viendo que el Infante Don Juan queria usar de las ceremonias de Primado, hizieron processo contra el, aun que huvo demandas y respuestas; y vino à parar en haver descomulgado el Arcobispo de Toledo; aun que con grande sentimiento del Rey que favorecia la parte de su hyo; y en que parecia que el Papa no estava persuadido de la razon del Arcobispo de Toledo; antes fue medianero en amansar al Rey y reduzirle en gracia con los Arcobispos de su Reyno; y el de Toledo huvo de recibir absolution* ad cautelam, *sin que per entonces se sacasse otra resolution. Parece que este Infante dexo el arcobispado de Toledo por el de Tarragona; y si no fuesse por que la ambicion de andar con cruz por los reynos de su padre le moviesse, o algunas otras razones de rompimento con Castilla, era increyble. Cuento lo particularmente Surita en el libro* 6. *de sus anales en la vida del Rey Don Jayme el segundo anno* 1320. *capitulo* 37. *fol.* 40.

El segundo fue entre el Arcobispo Don Juan de Contreras y el Vicario general de Tarragona en ausencia del Obispo, yendo à tratar pazes entre Castilla y Aragon, y haviendo hecho su assiento en Angreda lugar de Castilla del obispado de Tarrassona. Pero se venia à sentir esto mas quando por occasion de los tratos passava el Arcobispo Don Juan de Contreras à Tarrassona, y entonces se opuso el Arcobispo de Saragoca como Metropolitano de la provincia, y requirio al Arcobispo de Toledo paraque no usasse de aquella ceremonia ny de otra ninguna de Primado, pretendiendo que las provincias eram divisas sin que por ningun drecho pudiesse el Metropolitano de una debaxo de ningun titulo entremeterse en cosa que fuesse superioridad en la otra. Por parte del Arcobispo de Toledo se pratendia loque V. S. illustrissima tendra visto y considerado, que no sera necessario bolver à referir. Esta question se vino à encender de manera que Don Dalmao Arcobispo de Saragoca salio à la defensa de su dignidad en virtud de los Statutos provinciales del Arcobispo Don Pedro de Tarragona y de Don Pedro de Luna Arcobispo de Saragoca, que tuvo las primeras differencias con el Infante y Arcobispo de Toledo Don Juan. El Arcobispo Don Juan de Contreras dexo de acudir mas à Tarrassona por escusar estas consciendas, y por otras cosas dexo la junta, y bolvio à Castilla; como lo cuenta el mismo Surita en la vida del Rey Don Alonso 5. *ano* 1432. *en el libro* 14. *de los sinco libros primeros de la segunda parte de sus Anales cap.* 8. *fol.* 208.

Parece que en las primeras differencias, en tiempo del Infante, el Arcobispo de Tarragona se fundava en la pretention que tenia, y que todavia dura en quanto el nombre de Primado de las Espanas, y el de Saragoca, que era nuevamente levantado en Metropolitano, en que los Arcobispos no se reconoscan unos à otros.

La ultima vez que yo tenga noticia de haver los pradecessores de V. S. illustrissima querido proceder por el drecho del Primado, fue en tiempo del Cardenal Fray Francisco Ximenes, con ocasion de haver preso los Alcaldes de Corte un fulano Ribers, si no me acuerdo mal, por haverlo leydo mas à de 20. *anos, y pretendido librarse por ser de Corona o orden sacro; y para esto dio sus letras Don Alonso de Fonseca Arcobispo de Santiago; y durante la differencia, en virtud del drecho de Primado depaschò letras el Cardinal Fray Francisco Ximenes iniviendo al Arcobispo Don Alonso y à los Alcaldes; loqual tomò el Arcobispo de Santiago asperamente, y respondiò por escrito un libello (que assi le llama el Maestro Albar Gomez en su historia) muy offensivo contra el de Toledo; que dize le diò el Cardenal Don Gaspar de Quiroga, que entonces era Presidente de Italia, o à lo menos lo servia; y parece que saliò con la suya; aun que siempre retuvo esta pretencion con su grande animo el Cardenal Fray Francisco dexando en su testamento à su Iglesia una cruz de plata, laqual dize que truxo levantada por los arcobispados de Sevilla, Granada, y Saragoca, si no me engano.*

Esta provincia es muy observante de sus ceremonias, y especial mente de aquellas que les parece que son prerogativas. Y es esto de manera que governando esta provincia el Prior Don Fernando, y queriendo los Superiores de la Orden de la Merced visitar el convento desta ciudad, que tenia harta necessidad d'ello, se pusieron en armas, favorecidos de todo el pueblo; de tal manera que el Prior mando sacar artilleria para batir el monasterio, y lo dexo despues de hazer por escusar mayores inconvenientes. El qual exemplo, aun que de tan poca sustancia y razon, he querido proponer à V.S. illustrissima, para que infiera lo que sera en cosas mayores. Si por ventura estuviesse vaco algun patriarcado en esta sazon, se podrian quitar los inconvenientes; y seria muy possible ne se haver buelto à proveher el de las Indias, que se erigio, segun he entendido, paraque no baxasse de dignidad Don Fernando Ninyo, quando fue promovido à la Iglesia de Siguenca, vendria aqui muy en su lugar.

La affición me escusara de hablar en cosas de su professión de V. S. illustrissima y tan agenas de la mia. De su prudencia sera mirarlo todo con tiempo, que el que ha corrido despues que el Rey nuestro senor, que Dios nos guarde, esta breve, que los negocios universales hauran embaracado à V. S. illustrissima, sin applicarse à los proprios. Nuestro senor &c. En Barcelona à 20. *de Octubre* 1598.

XXXVIII.

Garsiæ Loaisæ responsio ad superiorem epistolam.

Ex eodem archivo Ecclesiæ Tarraconensis.

He recebido oy una de V. S. illustrissima, y leydola con mucho gusto mio, por venir llena de letras y historia, y por la merced que me haze en

en avisarme del rigor observante de essa nacion en sus ceremonias, que, quando ay estava, lo vi, y lo he leydo en sus historias; y Surita les ha danado harto para esto, porque es tenacissimo en esta materia; y aun que yo le soy afficionado mucho, en llegando à fueros y à competentias y guerras de Castilla y Aragon va desvaratissimo. Y todo esto de la primacia havia leydo en el, y lo de la cruz. Y esto de Aragon ha tenido dos estados. Uno es, quando tenian sus Reyes à parte de Castilla; y entonces en spiritual ny temporal no querian reconocer ninguna superioridad, sino lo que era dentro de su reyno y ansi fue Portugal. Otro es, quando se ha juntado con Castilla. Las competencias del Infante Don Juan y de Don Juan de Contreras fueron en el primer tiempo. Mas despues que el Rey Catholico juntò estas Coronas, entro sin ninguna competentia el Cardenal Don Pedro Goncales de Mendoca; y traxo cruz levantada per todas essas Coronas. Y lo que toca al Cardenal Don Francisco Ximenez, fue querer usar de jurisdiccion, sino insinia de Primado. Y el drecho que Toledo tiene à esto, nolo quiero escrivir aqui, sino embiar à V. S. illustrissima lo que ha algunos anos que escrivi sobre esta materia en una recopilacion que hize de los Concilios de Espana; y por ser el libro grande, embio esse quaderno paraque V. S. illustrissima se entere de lo que ay en esto, y vea con quan poca razon se le puede estorvar al Arcobispo de Toledo traher est à insignia, estando estos neynos unidos. Y si su magestad me manda yr con el, esto tiene mejor remedio, que yo no tengo Palio, mi soy Arcobispo, sino electo; y no puedo traher cruz aora hasta que me venga el Palio, que no se quando verna; y tengo à los de esse reyno por tan puestos en razon que la possession que tiene esta dignidad (como consta del Arcobispo Don Pedro Goncalez) no se la quitaran quando yo tuviera Palio. Assi el senor Archiduque Alberto passò por ay sin cruz, per no haver tomado Palio. Beso à V. S. illustrissima las manos por la merced que me ha hecho en avisarme d'esto; que aunque lo havia pensando, no tán particularmente. Y quando huviera alguna competencia sobre esto, el tomar el Palio (que no se quando verná) havia de ser en mi provincia, ylo podia differir viniesse ay hasta que boluisse su magestad aca.

Muy bien acabò V. S. illustrissima lo que toca à su estado ay con grande valor y prudencia; y assi espero que hara lo de Opol, pues ay tanta razon y justicia.

Su magestad esta en san Lorenco, y ha passado al bosque de Balseyn, y de alli à Segovia, y esta de buelta, y como sano y rezio todo lo anda puesto. De le nuestro senor la vida que desseamos, y guarde à V. S. illustrissima. En Madrid à 30. Octubre 1598.

El Arcobispo de Toledo.

XXXIX.

Epistola R. P. Joannis Marianæ, de privilegiis Archiepiscopi Toletani, ad Raimundum Vilam.

Ex eodem archivo Ecclesiæ Tarraconensis.

Respuestas del Padre Mariana à las preguntas del Doctor Ramon Vila.

A la primera y segunda.

OCHO obispados tiene este arcobispados de Toledo, es à saber.

1. El de Cordova
2. El de Segovia
3. El de Cartagena
4. El de Siguenca
5. El de Osma
6. El de Cuenca
7. El de Jaen
8. El de Valladolid.

} Obispados suffraganeos de Toledo.

Tenia tambien el obispado de Palencia. Pero passaronle los annos passados al arcobispado de Burgos. Demas d'estos tiene por suffraganeo el Abad de Alcala la Real, el qual tiene assiento y voz en los Concilios provinciales de esta provincia. Avia assi mismo & Abad de Valladolid. Pero mudose aquella abadia en obispado.

Con esto se responde à la primera a y secunda preguntas.

A la tercera pregunta.

En esta provincia no ay obispado ninguno exempto immediato à la sede apostolica. El de Burgos antiguamente lo era. Pero ya se mudo en arcobispado. El de Lugo fue en tiempo de Godos, antes que Espana se perdiesse, arcobispado; como lo refiere Vaseo libro 1. capitulo 20. y la nueva historia de Espana libro 5. capitulo 9. que dole adelante à lo que entiendo ser obispado exempto, pero despues del Concilio de Trento sess. 24. de reform. cap. 2. Oy esta ya sujeto al arcobispado de Santiago, y se cuenta entre sus suffraganeos.

A la quarta y quinta preguntas.

El Arcobispo de Toledo no tiene superiodad ninguna sobre los otros Arcobispos de este reyno, ni puede castigar à ninguno d'ellos, ni à sus subditos, ni visitar las otras diocesis; ni ay appellacion para este arcobispado de las otras provincias, ny de sus Obispos. Solo tiene nombre de Primado, y lleva la cruz levantada, aunque en esto no lo consienten todos los Obispos. En los Concilios generales tiene assiento antes de los otros Arcobispos, aun que sean mas antiguos. De que ay Bullas en la santa Iglesia de Toledo; y en la dicha nueva historia le ponendos en el libro 20. capitulo 14. Item en las Cortes del reyno y Consejo de Estado precede à todos los demas, aunque el Arcobispo no sea Cardenal, y ansi entiendo se guardo en las Cortes generales que en esta ciudad de Toledo se juntaron por mandado del Emperador Don Carlos.

Con esto se responde à la quarta y quinta preguntas.

A la sexta pregunta.

El Arcobispo de Toledo nunca llama à ningun otro Arcobispo, ni algun otro Obispo de otra provincia, sino solo sus suffraganeos, quando haze Concilio provincial. Verdades que si se hiziesse Concilio national, le tocaria llamallos à todos como Primado. Pero por las differencias y pleytos que ay sobre esta primacia, no todos obedecerian.

Ala 7. 8. 9. y 10. preguntas.

Los suffraganeos de Sevilla son

1. El de Caliz
2. El de Guadix
3. El de Canaria

} Obispados suffraganeos de Sevilla.

Granada tiene solos dos suffraganeos, es à saber,

1. El de Malaga
2. El de Almeria

} Obispados suffraganeos de Granada.

El de Burgos tiene por suffraganeos

1. El de Pamplona
2. El de Calahorra
3. El de Palencia

} Obispados suffraganeos de Burgos.

y este ultimo de poco aca, despues que Valladolid lo hizieoron obispado.

El arcobispado de Santiago tiene por suffraganeos los Obispos de

1. Salamanca
2. De Avila
3. De Plasencia
4. De Lugo
5. De Astorga
6. De Zamora
7. De Orense
8. De Tuy
9. De Vadajoz
10. De Mondoyedo
11. De Coria
12. De Ciudad Rodrigo
13. De Leon
14. De Oviedo

} Obispados suffraganeos de Santago.

El

El ultimo en otro tiempo fue arcobiſpado en tiempo del Rey Don Alonſo el Magno. Vaſeo libro primero capitulo 21. Pero ya no lo es, aun me dizen que toda via es exempto.

Con eſto ſe reſponde à las quatro preguntas poſtreras 7. 8. 9. y 10.

Juan de Mariana.

DE CONSTANTINOPOLITANI PATRIARCHATUS INSTITUTIONE.

DISSERTATIO SEU EXERCITATIO

Ad Clariſſimum Calviniani Ritus Virum ſcripta.

CUm nuper in ſubdiali Palatii Dominici familiares quoſdam ſermones ad invicem ſereremus, incidit, potius, quam ab ullo procurata ſit, de ſententia Auguſtini hæreſim definientis quæſtio inter te, & R. Patrem Leonardum Capucinum priſci moris, germanæ eloquentiæ, & Chriſtianæ Philoſophiæ athletem ſtudioſiſſimum. Ut autem fieri ſolet in hujuſce generis colloquiis, quæ ab uno articulo profecta in varias diſceptationes effunduntur, accidit, ut ego, ne agerem, quod fieri ſolet in veterum comœdis, κωφὸν πρόσωπον, orationis meæ ſymbolam contulerim de Conſtantinopolitani Patriarchatus inſtitutione, & auctoritate Romani Papæ. Exiſtimabam, ea verba, quæ mihi aliud agenti excidiſſent velut ἔπη πτερόεντα, adeo præterlapſa, ut nulla mihi litis exinde movendæ ſuſpicio reliqua eſſet. Ecce tamen in adverſaria ſedulo retuliſti, quæ veluti per tranſennam indicaveram potius quam expreſſeram: Et mecum diſerte contendis Patriarchatum Conſtantinopolitanum inſtitutum fuiſſe a Synodo Conſtantinopolitana ſub Theodoſio, ita ut mihi laudabilia mea conſulenda eſſe videam, & velut in charta παλιμψήςῳ Diſſertationem, ſeu Exercitationem iſtam de integro diſcutiendam.

Igitur aſſero conſtanter de conſilii mei ſententia, Jus πατριαρχικὸν Epiſcopo Conſtantinopolitano attributum fuiſſe in Synodo Chalcedonenſi, honorem vero ſolum in Synodo Conſtantinopolitana; ita ut ſpeciem Patriarchatus obtinuerit in ſecunda Synodo, vim autem & effectum in quarta. Quod ut liquidius pateat, ponenda eſt hæc certiſſima πρόληψις, Imperii Romani deſcriptionem factam ab Auguſto, deinde ab Hadriano Imperatore, & Provinciarum totius orbis partitionem, interpolatam a Conſtantino Magno, & præcipue in Magiſtratuum muniis, & officiis immutatam fuiſſe. Etenim cum anteriores Principes ſummam rerum adminiſtrationem uni, & dein duobus Præfectis Prætorio credidiſſent, ille tantam dignitatem in quatuor partes diſcerpſit: totidemque Præfectos inſtituit, ſcilicet Præfectum Prætorio Orientis, Præfectum Prætorio Illyrici, Præfectum Prætorio Italiæ, & Præfectum Prætorio Galliarum. Præfecto Prætorio Orientis Ægyptum, Orientem, Ponticam, Aſiam & Thraciam attribuit. Præfecto Illyrici Theſſalos, Cretenſes, Græciam, & circum affitas Inſulas, Epirum utramque, Illyrios, Dacas, Triballos, Pannonios Valeriam uſque, & Mœſiam ſuperiorem conceſſit. Præfecto Italiæ totam Italiam, Siciliam, Sardiniam, Corſicam & Africam a Syrtibus Cyrenen uſque. Præfecto Prætorio Galliarum Tranſalpinos, Celtas, & Hiſpanos cum Inſula Britannia. Hujus diviſionis teſtem locupletem laudo Zozimum l. 2.

Ad hujus deſcriptionis normam exigenda eſt veteris Eccleſiaſticæ politiæ conſtitutio, quæ licet juxta varias Provinciarum mutationes a poſterioribus Principibus decretas, a priſtina forma diſcedere, & novam inducere noluerit, in ipſa tamen fundandæ Religionis origine, quia Eccleſia eſt in imperio ut agnoſcit Optatus, imperii diſpoſitionem ſtudioſe & prudenter amplexa eſt. Itaque in Urbe totius orbis domina, Sedis Apoſtolicæ Principatum collocavit, & Occidentis Patriarchatum. Orientales tractus Alexandrino & Antiocheno Epiſcopis & cæterarum Diœceſeon Exarchis regendos commiſit; ut commodioris & verioris doctrinæ cauſa, Eccleſiæ Politiam in Orientalem & Occidentalem dividere liceat. Tractus Occidentis utpote nobilior ob B. Petri meritum, veteris Romæ dignitatem & Provinciarum amplitudinem, cæteras omnes Eccleſias antecellit, eaſque Diœceſes complectitur, quas Præfecti Prætorio Italiæ, Galliarum & Illyrici juriſdictione ſua continebant. Quæ autem tributæ erant Præfecto Prætorio Orientis Alexandrinæ, Antiochenæ, & aliis quibuſdam Eccleſiis erant commiſſæ: Ita ut ab initio naſcentis Eccleſiæ videatur eſſe delineata, illa quaſi futuri præſaga diſtributione, orbis Romani in Occidentis & Orientis imperium diviſio. Quam primus tentavit Diocletianus Imperator, cum ſibi & Galerio Maximino retinuit Orientem, in Urbe Nicomedienſi Regia conſtituta, ἐν τῇ Νικομηδείᾳ, τὰ βασίλεια ἐπεποίητο. Occidentemque Conſtantio, Patri Conſtantini, & Maximiano diſtribuit, datis huic Illyrico, Italia & Africa; illi Britanniis, Hiſpaniis & Galliis apud Socr. lib. 1. c. 6. Conſtantinus autem cum ſolidam, a morte Licinii, Romani Imperii ſuſcepiſſet adminiſtrationem, & ei trium liberorum caritas eſſet antiquior, quam Reipublicæ cura, illis orbem teſtamento partitus eſt; ſed ita tamen, ut πρῶτος τῶν ἑσπερίων μερῶν, Conſtantius vero τῶν πρὸς τῇ ἕῳ, poteſtatem obtineneret, inquit Socr. lib. 1. c. 25. Valentinianus ſenior ſecutus exemplum tam fœdæ diviſionis, Valentem fratrem effuſa liberalitate conſortem Imperii deſignavit, eique Aſiæ & Ægypti tradidit dominatum, Sibi τὴν Εὐρώπην ἀπένειμε, ait Theod. lib. 4. c. 5. quod fuſius & explicatius ſignificat Sozomenus lib. 4. c. 6. Τὰ μὲν πρὸς ἥλιον ἀνίσχοντα παρέδωκεν αὐτῷ. Τὰ δ' ἀπὸ Ἰλλυριῶν ἐπὶ τὸν Ἑσπέριον Ὠκεανὸν, καὶ πᾶσαν τὴν ἀντικρὺ Ἤπειρον μέχρις ἐσχάτων Λιβύων ἐφ' ἑαυτὸν ἔταξεν· id eſt Oriente fratri conceſſo, ſibi Præfecturas Italiæ, Galliarum & Illyrici reſervavit.

Quod ut accuratius intelligatur, proponenda eſt quatuor Præfecturarum deſcriptio, ut eam exhibet notitia Imperii facta ſub Arcadio & Honorio. Igitur Præfectus Prætorio Orientis quinque Diœceſes obtinebat. Eſt autem Diœceſis tam in Codice Theodoſiano, quam in antiquis Conciliis plurium Provinciarum adminiſtratio. Illæ quinque Diœceſes erant Oriens, Ægyptus, Aſiana, Pontica & Thracia. Sub Oriente ſunt XV. Provinciæ: Palæſtina prima, Palæſtina ſecunda, Phœnicia prima, Syria, Cilicia, Cyprus, Arabia, Iſauria, Palæſtina ſalutaris, Phœnicia Libani, Euphratenſis, Syria ſalutaris, Osdroena, Meſopotamia, Cilicia ſecunda.

Ægypti ſunt ſex Provinciæ: Lybia ſuperior, Lybia inferior, Thebais, Ægyptus, Arcadia & Auguſtanica.

Sub Aſiana Diœceſi ſunt decem Provinciæ: Pamphylia, Helleſpontus, Lydia, Piſidia, Lycaonia, Phrygia Pacatiana, Phrygia ſalutaris, Lycia, Caria, Inſulæ.

Pontica Diœceſis habet totidem Provincias, quæ ſunt Galatia, Bithynia, Honorias, Cappadocia prima, Cappadocia ſecunda, Pontus Polemoniacus, Helenopontus, Armenia prima, Armenia ſecunda, Galatia ſalutaris.

Thracia ſex Provinciis componitur, quæ ſunt: Europa, Thracia, Hæmimontus, Rhodope, Mœſia ſecunda, Scythia.

Præfectus Prætorio Illyrici præſidet duabus Diœceſibus Macedoniæ & Daciæ. Sub Macedonia ſunt ſex Provinciæ: Achaja, Macedonia, Creta, Theſſalia,

salia, Epirus vetus, Epirus nova, & pars Macedoniæ salutaris.

Dacia quinque habet Provincias. Illæ sunt: Dacia Mediterranea, Dacia Ripensis, Mœsia prima, Dardania Prævalitana, & pars Macedoniæ salutaris.

Porro, ut tota ratio dispositionis Ecclesiasticæ sit liquidior, hic est observandum sedulo, in hac notitia describi truncatum Illyricum aliqua sui parte. Etenim, ut ante docuit Zozimus Constantino Imper. σύγχρον⊙ scriptor, præfectura Illyriciana constituta fuerat a Magno illo Principe, ita ut Pannonias Valeriam usque complecteretur, quæ regio abest a notitia Imperii scripta sub Arcadio; idque factum est consulto. Namque temporibus Arcadii Præfectura Illyrici coercita finibus Daciæ & Macedoniæ Diœceseon, Orientis imperio cesserat, reliqua Constantinianæ Præfecturæ Illyrici parte, Occidentis imperio reservata. Etenim non inutiliter monueramus supra Occidentis Tractum sub Diocletiano, Constantino, & Valentiniano seniore solidum Illyricum fuisse complexum. Sed quia accidit, ut Illyricum ab hujus lugubri edita strage vastaretur, illud Valentinianus Theodosio socero muneri dedit, ut notat Jornandes de successſ. Reg. id est eas Illyricianæ Præfecturæ Provincias, quæ propius ab Urbe Constantinopolitana, & Imperii Orientalis viribus & militaribus copiis aberant. Solam sibi residuam fecit Illyrici partem, quæ ulterius in Occidentem penetrabat, quam Præfecto Prætorio Italiæ adjunxit, ita ut deinceps inter legendum occurrat duplex Illyricum, Occidentale & Orientale. De hoc jam diximus. Occidentale autem sex Provinciis constat, Pannonia secunda, Dalmatiis, Pannonia prima, Savia, Norico Mediterraneo, & Norico Ripensi.

Præfectus Prætorio Italiæ tres Diœceses habuit, Italiam, Africam & Illyricum. Et hoc quidem post Valentinianum, ut dixi, non autem sub Constantino.

Italia complexa est decem & septem Provincias, Africa sex, nempe, Africam sive Proconsularem Provinciam, Byzantium, Numidiam, Mauritaniam Sitifensem, Mauritaniam Cæsariensem & Tripolim; Ita ut adjunctis sex Illyrici Occidentalis Provinciis sub Præfecto Prætorio Italiæ XXIX. Provinciæ adnumerarentur.

Præfecto Prætorio Galliarum adscribit Zozimus Transalpinos Celtas, & Hispanos cum Insula Brittannia. Sub Galliarum Diœcesi decem & septem Provincias Notitia constituit, sub Hispanica septem, & sub Britanniis quinque.

Omnium autem illarum Diœceseon Occidentalium, & Orientalium partitio tribus Episcopis præcipue, Synodi Nicænæ Decreto sancita & attributa fuit, secundum veterem superioris temporis consuetudinem, Romano, Alexandrino, & Antiocheno can. VI. ita ut Alexandrinus, Ægypti, Libyæ & Pentapoleos habeat τὴν ἐξουσίαν, Antiochenus Orientis, id est Syriæ, Cœlesyriæ, Ciliciæ utriusque & Mesopotamiæ, ut notant Zonaras, & Balsamon sui sæculi tantum rationem habentes, quo tres Palæstinæ adjudicatæ erant Hierosolymorum Episcopo, & Arabiæ cum aliis quibusdam Orientis Diœceseos Provinciis tyrannide Muhamedanæ impietatis opprimebantur. Portionem vero lautiorem & opimiorem tulit Episcopus Romanus, juxta Zonaræ & Balsamonis sententiam, qui verba hæc illius Canonis: *Quoniam & Episcopo Romæ hoc est consuetum*, exponunt his verbis: *Καθὼς καὶ τῷ ἐν τῇ Ῥωμαίων Ἐκκλησίᾳ τῶν ἑσπερίων ἄρχειν ἔθος ἐκράτησε.* Atque ita totum Occidentis tractum Episcopo Romano concedunt, quod infra copiosius & uberius comprobabitur.

Interim addo insinuatam dicto Canone sexto insignem quamdam Provinciarum administrationem, quæ tribus illis Patriarchis ordinario jure non subesset, quam nec Græci commentatores, nec Latini subodorati sunt. Etenim constituto Alexandrinæ Ecclesiæ jure ad exemplum, & normam Romani Episcopi, simile jus ὁμοίως sancit Antiochiæ, καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις. Ergo in quibusdam aliis Provinciis præter Antiochenam, Alexandrinam & Romanam, erant similia administrationis πρεσβεῖα. Expendendum est enim, quod non inutiliter est adjectum, adverbium illud ὁμοίως. Et ne diutius aliquem torqueat scrupulus, quem injeci, discutiendus est Synodi Constantinopolitanæ primæ Canon secundus, qui harum Provinciarum seriem recenset. Postquam enim jura Patriarcharum sub Imperio Orientali degentium sancita sunt, decernente Concilio, ne Diœcesibus præpositi Episcopi, οἱ ὑπὲρ διοίκησιν ἐπίσκοποι limites suos excedant, sed secundum (*) Canones Alexandriæ Episcopus τὰ ἐν Αἰγύπτῳ dispenset, & Orientis Episcopi, τὴν Ἀνατολὴν μόνην. Servatis privilegiis Antiochenæ Ecclesiæ, quæ sunt ei Canonibus Nicænis tributa: Addit Canon ille secundus velut interpretem agens Canonis Nicæni sexti, *καὶ τοὺς τῆς Ἀσιανῆς διοικήσεως Ἐπισκόπους, τὰ κατὰ τὴν Ἀσιανὴν μόνον οἰκονομεῖν· & Ponticæ Episcopos Ponticam, Thracicæ autem Episcopos Thracicam Diœcesim.* Asiana ergo Diœcesis, Pontica, & Thracica nulli Patriarchæ suberant, sed Synodus Provinciæ & Diœceseos cujusque, ordinationes Episcoporum, & reliquam Ecclesiasticam administrationem exequebatur, ut statuit dictus Canon secundus. Qui egregie providit earum omnium Ecclesiarum τῇ οἰκονομίᾳ, quæ Diœcesibus, & Provinciis illis continebantur, quas Præfectus Prætorio Orientis regebat. Quasque ex Zozimo, & Notitia Imperii monuimus fuisse quinque Diœceses, Ægyptum, Orientem, Asianam, Ponticam & Thraciam, quæ Provincias quadraginta septem conficiebant.

(*) Patet ex Can. II. Constantinopolitano.

Porro non solum Canon iste meminit Episcoporum Asianæ, Ponticæ, & Thracicæ Diœceseon, sed etiam Theodosius Imperator apud Theodoretum lib. 5. c. 23. qui Romanis de causa Flaviani Antiocheni Episcopi cum eo sæpius expostulantibus, respondit, Flaviano communione jungi præter Orientem, Asianam, Ponticam & Thracianam πρὸς δὲ τὴν ἑώαν, καὶ τὴν Ἀσιανὴν ἅπασαν, καὶ Ποντικὴν, καὶ μέντοι, καὶ Θρακικήν. Imo & Constantius Imperator Seleuciæ, quæ urbs est in Isauria, Concilium convocari mandavit, ad idque frequentes accedere jubet, τοὺς τῆς ἑώας Ἐπισκόπους, καὶ μὲν δὴ καὶ τοὺς τῆς Ποντικῆς, καὶ τοὺς τῆς Ἀσιανῆς, apud Theod. lib. 2. c. 27. Episcoporum etiam Asianæ Diœceseos & Ponticæ, in celebratione Paschæ consentientium, mentionem facit Constantinus Imper. apud Eusebium, lib. 3. de vita Const. c. 18. ut vel hinc pateat, satis antiquam esse harum Ecclesiarum dispositionem. Quæ profecto si non orta, tamen valde confirmata fuit a Vicariorum Præfecti Prætorio Orientis, & Proconsulum administratione politica.

Vicarii enim tam in Occidentis quam Orientis Imperio singulas vice & loco Præfectorum, Diœceses regebant: quare aliquoties in veteribus inscriptionibus *Propræfecti* vocantur, & in Codice Justiniani Vicarii, aut *Vicariam agentes Præfecturam*, & in edicto octavo Justiniani dicuntur πληρῶν τὸν τόπον τῆς ἐπαρχότητ⊙, *implere vices Præfecturæ:* quod explicabitur commodius, cum agetur de auctoritate Romani Episcopi.

Orientalis ergo Præfecturæ tres olim fuere Vicarii. Lex ultima C. de diversis officiis, quatuor quidem Orientis Vicarios ponit, Thraciæ, Ponti, Asiæ & Macedoniæ. Sed advertendum est, legem illam Leonis & Zenonis esse, qui sui seculi formam sequentes, contra divisionem antiquam Macedoniam Orientis Imperio accensebant. Cæterum de aliis tribus Vicariis testantur: Quinimo Theodosius Imperator pluribus annis ante, Constitutionem emiserat ad Philoxenum Vicarium Ponticæ, lib. 124. *Cod. Theodos. de Decurionibus.* Vicarii Thraciæ meminit Justinianus Nov. 26. *de Prætore Thraciæ.* His in universum præmissis collato pede singulæ Diœceses aggrediendæ sunt.

Aſiana Diœceſis occurrit prima nominis & Provinciarum dignitate; quæ longe diverſa eſt ab Aſia Minore a Geographis deſcripta, & ab Aſia Proconſulari. Etenim Strabo lib. 11. & 12. Aſiam illam Minorem ἰδίως καλουμένην Aſiam, τέταρτον τμῆμα facit Majoris illius, quæ veteribus tertia pars orbis erat, quamque ἤπειρον μεγάλην vocabant. Hanc Minorem Aſiam inſtar Peninſulæ deſcribit intra maria, Ponticum, Propontidem, Ægæum, & Pamphylium incluſam, Hujus Peninſulæ Iſthmum à mari, quod Tarſum Ciliciæ alluit, ad Amiſum urbem, & Themiſcyram Amazonum campum extendit. Et ea ratione pars Diœceſeos Orientis, & Ponticæ in hac Strabonis definitione intercipitur; Verum ille non civilis adminiſtrationis, ſed Geographiæ rationem habuit. Preſſius Aſiam Minorem deſcripſit Agrippa apud Plinium, duplicemque fecit, citeriorem & ſuperiorem. Citerior, quæ & Aſia ἰδιωτάτως, a Proconſule regebatur, qui Proconſul Aſiæ. Hæc Lydiam, Cariam, Myſiam, Phrygiam & Helleſpontum continebat. Pars ſuperior Pamphyliam, Lycaoniam, Galatiam, Piſidiam, Iſauriam & Ciliciam. At Vicarius Aſianæ Diœceſeos juriſdictioni ſuæ ſubjectas habuit Pamphyliam, Lydiam, Helleſpontum, Piſidiam, Lycaoniam, Phrygiam utramque, Lyciam, Cariam & Inſulas. Sic ex Aſiæ citerioris, & ſuperioris Provinciis mixtis ad invicem Aſiana Diœceſis, & Vicarii adminiſtratio conflata fuit, ut obſervat Salmaſius ad Solinum. Iſauria & utraque Cilicia ſuperſunt, quæ Diœceſi Orientis adjudicatæ ſunt. Ἀνατολὴν enim ab Aſia accurate diſtinguebant veteres, ſaltem poſt Conſtantini Magni ætatem; licet alter Conſtantinus Porphyrogenneta Aſianam iſtam Diœceſim diſtinguat juxta loquendi modum infimo ſeculo receptum in Thema Thracenſium, & Thema Anatolicum, id eſt in Thracenſium regionem, & Orientalem partem, unde Provinciis illis hodie nomen Natoliæ quæſitum eſt.

Cæterum, ut dilucidius res iſta aperiatur, præter decem illas Provincias in Notitia deſcriptas, erat etiam altera, quæ ſtrictiſſime ſumpto vocabulo Aſia nuncupabatur, nempe regnum Attali Pergameni, quod Romanis ab eo hæredibus inſtitutis obvenit; illi vero cernentes hæreditatem, ditionem illam in Provinciæ formam redegerunt, Aſiamque continentis nomine appellaverunt. οἱ δ' ἐπαρχίαν ἀπέδειξαν τὴν χώραν, Ἀσίαν προσαγορεύσαντες ὁμώνυμον τῇ Ἠπείρῳ, inquit Strabo lib. 13. Proconſuli Aſiæ demandata fuit hæc Provincia, cujus caput & Metropolis erat Epheſus, adeo ut Antoninus Auguſtus ad deſideria Aſianorum reſcripſerit, Proconſuli neceſſitatem imponi, per mare ad Aſiam appellere, primamque τὴν Μητρόπολιν Ἔφεσον attingere, inquit Ulpianus l. 4. ff. *de Off. Proconſ.* Conſtituta à Conſtantino Orientis Præfectura Proconſulatus iſte quidem remanſit & Aſiæ appellatio; cæterum brevioribus terminis circumſcripta fuit Aſia Provincia, ita ut Lydia, Caria, Helleſpontus & Cyclades diſtractæ fuerint, & in ſpeciale Provinciarum nomen tranſierint. Ideoque Eunapius Sophiſta Aſiam recentiorem, & Proconſularem a Pergamo, & ora maritima in continentem Caria tenus, & ad Tmolum montem ex parte Lydiæ deſcribit, αὐθύματον αὐτὴν ἐπιστήσας τῆς νῦν Ἀσίας καλουμένης· αὐτὴ ἀπὸ Περγάμου τὸ ἀλυγενὲς ἐπέχουσα, πρὸς τὴν ὑπερκειμένην Ἤπειρον ἄχρι Καρίας ἀποτέμνεται, καὶ ὁ Τμῶλος αὐτῆς περιγράφει τὸ πρὸς Λυδίαν. Hæc eſt ergo Aſia Proconſularis, quæ Proconſuli data eſt adminiſtranda poſt Conſtantinum. Appendicis vice Helleſpontus, & Inſulæ ejus etiam adminiſtrationi demandatæ ſunt temporibus Arcadii, ut patet ex Notitia. Hinc eſt illuſtranda lex tertia C. Theod. de fide Cathol. ubi Theodoſius Aſiam Proconſularem ab Aſiana diſtinguit, licet eas in unum corpus quoad ſtatum, & communionem Eccleſiaſticam cogat. Verba legis illius infra recitamus. Diſtinctionis autem cauſa alia proferenda non eſt, quam Proconſularis dignitas, quam licet minuere truncatis, & reciſis ab ejus juriſdictione Provinciis, ſubjicere tamen Vicariis Imperatores non ſuſtegerunt. Quare in Notitiis, neque Proconſul Aſiæ ſub juriſdictione Vicarii Aſianæ Diœceſeos, aut Præfecti Prætorio Orientis, nec Proconſul Africæ ſpecialiter ſumptæ & unius ex ſex Africæ Provinciis, ſub Vicarii Africæ, aut Præfecti Prætorio Italiæ diſpoſitione continebantur. Unde libuit Eunapio in Maximo, aſſerere, Proconſulatum Aſiæ eſſe dignitatem illuſtriſſimam, non obnoxiam Præfecto Prætorio, ἐπεὶ δ' ἀρχῶν ἐνδοξοτάτη, καὶ οὐ κατήκοος τῆς αὐλῆς ἐπάρχου. Quæ ſane dura ſunt, egentque caſtigatione aut benigniſſima interpretatione. Licet enim obſervaverimus ex Notitia, Proconſulatus Aſiæ & Africæ non fuiſſe ſubditos diſpoſitioni Præfectorum Prætorio, id de militari & alia omni adminiſtratione, præter eam, quæ in juris dicundi cognitione verſatur, intelligendum eſt: etenim hac in parte a Proconſulibus, Comitibus, & his, qui vice Præfectorum cognoſcunt, ad ipſos Præfectos appellatio permiſſa fuit a Conſtantino; a Præfectis autem Prætorio, qui ſoli vice ſacra cognoſcere vere dicendi ſunt, provocari non ſinit, *Ne jam noſtra*, inquit, *contingi veneratio videatur*, l. 16. C. Th. de Appell. l. 13. tit. 30. Unde Juſtinianus appellationes a Proconſule Cappadociæ a ſe noviter inſtituto, a Præfecto Prætorio Orientis & Quæſtore ſuſcipi, & more conſulationum definiri voluit Nov. 30. Eum tamen honore & dignitate Præfectis Prætorio coæquat, nempe quia militares copias per Diœceſim Ponticam ſparſas ejus imperio ſubjecerat. Sint ergo Aſiæ & Africæ Proconſules aliquo modo pares Præfectis, dignitate, neque ſub ejus diſpoſitione, ſi de eorum coercitione agatur, vel quoad adminiſtrationem militarem recenſeantur: ſane in jure dicundo ejus auctoritati & juriſdictioni ſubjiciuntur. Hæc nobis in anteceſſum obſervanda fuerunt, ut Aſianæ Diœceſeos Eccleſiaſtica diſpoſitio ſincerius intelligatur. Quæ profecto & Aſianam Vicarii, & Aſiam Proconſularem cæteris Provinciis dignitate ſuperiorem eſt complexa.

Porro ſedes Proconſulis conſtituta fuit Epheſi; quæ civitas Μητρόπολις τῆς Ἀσίας appellatur apud Ulpianum, lib. 4. ff. *de Officio Proconſulis*. Unde etiam in rebus Eccleſiaſticis Epheſus totius Aſianæ Metropolis fuit, teſte Chryſoſtomo in Commentariis Epiſt. 1. ad Epheſios; Adeo, ut ei jus Patriarchicum tribuat Evagrius lib. 3. c. 6. cum ſcribit, Timotheum Ælurum Alexandrinum Epiſcopum, Eccleſiæ Epheſinæ jus Patriarchicum reſtituiſſe, quod ei ademerat Concilium Chalcedonenſe: Ἀποδίδωσι δὲ τῇ Ἐφεσίων Ἐκκλησίᾳ, καὶ τὸ Πατριαρχικὸν δίκαιον, ὅπερ αὐτὴν ἀφεῖλεν ἡ ἐν Καλχηδόνι Σύνοδος. Hinc Theodorus Epiſcopus Act. XVIII. Syn. VI. ita ſubſcribit: *Theodorus miſericordia Dei Epiſcopus Epheſi Metropolis primæ, Aſianæ Diœceſeos, definiens ſubſcripſi.*

Imo etiam, ne quid diſſimuletur, Epheſina Eccleſia inter Apoſtolicas Eccleſias, & Apoſtolorum Cathedras recenſetur a Tertulliano *lib. de Præſcript. c.* 36. Quia ſcilicet a B. Paulo Apoſtolo inſtitutus fuit in hac Metropoli Timotheus, eique rediens e relegatione Joannes Apoſtolus ſucceſſit, ut notat e Codice Martyrii Timothei Photius in Bibliotheca, Themmate 254. Unde inquit Irenæus, lib. 3. c. 3. relatus ab Euſebio, lib. 2. c. 17. Ἡ ἐν Ἐφέσῳ Ἐκκλησία ὑπὸ Παύλου μὲν τεθεμελιωμένη, Ἰωάννου δὲ παραμείναντος αὐτοῖς μέχρι τῶν Τραϊανοῦ χρόνων, μάρτυς ἀληθής ἐστι τῆς τῶν Ἀποστόλων παραδόσεως.

Pontica Diœceſis ſuum Vicarium habuit, quem Gregorius Nazianzenus in Orat. de laudibus Baſilii, Ποντικῆς Διοικήσεως ὕπαρχον nominat. Ejus juriſdictioni ſuberat totus ille tractus a Bithynia uſque ad Armeniam; adeo ut Galatiam, Pontum utrumque, & Cappadociam rexerit, teſte Juſtiniano in Edicto octavo.

Sedes præcipua Vicarii conſtituta fuit Cæſareæ in Cappadocia; factique ratio hinc petenda eſt, quod gens Cappadocum totius fere Ponti Imperium olim obtinuerit, τοῦ τε τοῦ Πόντου σχεδὸν παντὸς ἐξῆρχε, inquit

inquit Justinianus Nov. 30. de Prætore Cappadoc. Eumeni delato post obitum Alexandri, Cappadociæ, Paphlagoniæ, & ore Ponticæ Trapezuntem usque Imperio apud Arrianum, Dexippum, Justinum & Curtium. Deinde ex Provinciæ situ, quia, ut inquit Solinus c. 45. Cappadocia gentium universarum, quæ Pontum accolunt, præcipue introrsus recedit. Reges autem Cappadocum olim Mazacam Urbem elegerunt, etsi multis de causis incommodo situ, ut ibi Regni lares figeret, quia gentis erat velut umbilicus. Strabo lib. 12. ὅπως κατοικίαν μάλιστα οἱ βασιλεῖς ἐλέσθαι δοκοῦσιν, ὅτι τῆς χώρας ἁπάσης τόπος ἦν μεσαίτατος. Adnotaverat autem superioribus versiculis: Μάζακα ἡ Μητρόπολις τοῦ ἔθνους, καλεῖται δ' Εὐσέβεια· quæ postea Cæsarea dicta est, teste Plinio & Ptolomæo. Ad hac sententiam Solinus: *Mazacam sub Argæo sitam Cappadoces matrem habent Urbium*, & Stephanus: Καισάρεια Μητρόπολις τῆς Καππαδοκίας, ἡ πρὶν Εὐσέβεια καὶ Μάζακα.

Hæc ergo Cæsarea etiam in rebus Ecclesiasticis jus Metropoliticum exercuit per Diœcesim Ponticam. Unde Gregorius Nazianzenus eleganter de laudibus Basilii, Cæsaræam vocat sacrarum literarum, & Urbium, quibus præest, Metropolim: οὐχ ἧττον λόγων Μητρόπολιν, ἢ τῶν πόλεων ὧν ὑπάρχεται, καὶ καθ' ὧν ἔχει δυναστείαν. Ideoque Gerontius Presbyter tractatum suum adversus Lampetium Messalianum, Alypio Ἀρχιεπισκόπῳ τῆς ἐν Καππαδοκίᾳ Καισαρείας, dicat apud Photium in Bibliotheca Tmemate 51. qua dignitate Archiepiscopi Cæsariensis insignitur Basilius in Synodo in Trullo. Quæ appellatio apud veteres nullis præter Exarchos conceditur.

Hujus vero auctoritatis Ecclesiasticæ Cæsariensi competentis luculenta exempla habentur apud Sozom. lib. 6. c. 12. qui refert, Concilium Ponticæ Diœceseos Tyanis celebratum tempore Valentiniani Imperatoris sub Eusebio Episcopo Cæsareæ in Cappadocia. Et Gerontium Nicomediensem Metropolitam in Bithynia ordinatum fuisse ab Helladio Cæsareæ Cappadocum Episcopo lib. 8. c. 6. Hinc est, quod Catholicus Armeniæ, seu Metropolitanus Armeniæ Episcopus ab Archiepiscopo Cæsareæ in Cappadocia, etiam post Constantinopolitani Patriarchatus institutionem, semper ordinatus fuit, ut testatur Nicon.

Restat Tracica Diœcesis, quæ Vicario Præfecti Prætorio Orientis parebat, ut monet Justinianus Imper. N. 26. de Prætore Thraciæ, cujus Vicarii sedem constituit in Civitate Longi-muri. Porro cum Civitas ista μακροῦ τείχους, condita fuerit ab Anastasio Imp. ad avertendas Barbarorum in Romanum solum excursiones, ut scribunt Cedrenus & Suidas, necesse est, ut superiori tempore Vicarius Thraciæ in præcipua Thraciæ Urbe moratus fuerit; Quæ porro non erat alia, quam Heraclea aut Perinthus: De hac enim Procopius lib. 4. de Ædific. Justin. Ἡράκλεια δὲ ἡ πόλις ἡ καὶ ἡ Πέρινθος, ᾗ πάλαι μὲν Πρωτεῖα τῆς Εὐρώπης ἐδίδοσαν. Europa hic est una e Provinciis Thraciæ, eaque prima & nobilior. Itaque huic Urbi præ cæteris Severus Imperator deletum post longam & duram obsidionem Byzantium, & in vici formam redactum olim addixerat, ut notat Herodianus lib. 3. quod privilegium Constantinus excitata Constantinopoli nova Roma in ruderibus Byzantii omnino abrogare noluit, reservata saltem in rebus Ecclesiasticis Heracleensis Metropolitæ dignitate, & Episcopi Constantinopolitani ordinatione, quod observat Gregoras lib. 6. Τούτῳ τῷ Μητροπολίτῃ κατὰ τὰ πάλαι ἐφεῖται προνόμια χειροτονεῖν τὸν τῆς Κωνσταντινουπόλεως. τοῦ μεγάλου Κωνσταντίνου τὸ Βυζάντιον εἰς νέαν καὶ μεγίστην κατασκευάσαντος Ῥώμην, μὴ καταλύειν ἐθελήσαντος τὰ τῶν πάλαι βασιλέων προνόμια· ἀλλ' ἐπικυρώσαντος μᾶλλον αἰδοῖ τοῦ μακροῦ χρόνου, καὶ τοῦ τὸν νόμον θέντος Σεβήρου.

Non abludit Zonaras ad Can. III. Syn. Constantinopolitanæ; recitata enim deditione Byzantii a Severo in jus Perinthiorum translati, subjicit: Πέρινθος δ' ἐστὶν ἡ Ἡράκλεια, ὅθεν τῷ Ἡρακλείας καὶ ἡ χειροτονία τοῦ Πατριάρχου ἀπονενέμηται, ὡς παρ' αὐτοῦ χειροθετουμένου τοῦ Ἐπισκόπου, τοῦ Βυζαντίου. Pristinæ autem illius auctoritatis in universam Thraciam Heracleensi Episcopo concreditæ vestigia certissima supersunt, in Episcopatuum veteri laterculo, quem exhibet Leunclavius, ubi Metropolita Heracleæ πρόεδρος τῶν ὑπερτίμων καὶ ἔξαρχος πάσης Θρακίας indigitatur.

Tot autem erant Ecclesiasticæ Metropoles in Thracica Diœcesi, quot monuimus supra ex Notitia fuisse Provincias, nempe sex numero. Quod facile comprobabo insigni testimonio Theodoreti lib. 5. cap. 28. cum ait de Thracia, εἰς ἓξ ἡγεμονίας διῄρηται; & subdit de Asiana, ὑπὸ ἕνδεκα καὶ αὐτὴ ἀρχόντων ἰθύνεται, de Pontica, ἰσαρίθμους ἔχει τῆς Ἀσίας τοὺς ἡγουμένους. Ubi lapsus Christophorsoni est advertendus, qui ἡγεμονίας illas, Episcopatus vertit, quasi Thracia vasta illa regio sex Episcopatibus tantum regeretur, Asiana undecim, & Pontica totidem. Imo vero de Metropolibus totidem Provinciarum est intelligendum; quas undecim numero Theodoretus hoc loco fuisse docet; Licet in Notitia Imperii descripta sub Arcadio & Honorio decem tantummodo Provinciæ Ponticæ Diœcesi, & totidem Asianæ adnumerentur; Quoad Ponticam enim ratio habita fuit dispositionis Provinciarum ab illis Imperatoribus decretæ, quæque tunc in ordine politico vigebat: Ideoque omissa est Paphlagonia Provincia, quæ ut superioribus temporibus solidam Provinciam Minoris Asiæ, & Ponticæ Diœceseos conficiebat; ita ab Honorio Imperatore maximam diminutionem est passa, ut docuit nos Justinianus noster N. 29. Τὸ τοίνυν Παφλαγόνων ἔθνος ὅτι τῆς Ὀνωρίου τοῦ Εὐσεβοῦς λήξεως χρόνων ἐλαττωθὲν καὶ πόλεις ἀπέβαλόν τινας. Quin quidem Justinianus Honoriadem Provinciam, & Paphlagoniam in unum corpus coegit, eique Novæ Provinciæ, Prætorem Paphlagoniæ a se creatum præfecit, servata urbi Claudiopoli dignitate Metropoleos in Honoriade, & Gangrensi in Paphlagonia, πρὸ δὲ τὰς ἱερωσύνας ἰδίων καινίζομεν, inquit idem Justinianus. Videtur autem ab Honorio attributa fuisse Paphlagonia Galatiæ Provinciæ; ex eoque id probari posse, quod in laterculo Provinciarum adjuncto Geographiæ Ptolomæi, cujus tamen auctor est recentior Ptolomæo, in prima Asiæ Tabula, recensetur Galatia conjunctim cum Paphlagonia his verbis, Γαλατία ἐν ᾗ Παφλαγονία: qui locus castigari non debet, neque Provinciæ illæ dividi, ut fecit Salmasius. Quod eleganter confirmatur ex iis, quæ disseruit Eusebius Ancyræ Episcopus Act. VI. Concil. Chalced. Professus est enim ille, Civitatem Gangrensem ad se decreta Electionis Petri Episcopi detulisse, ut ab eo Episcopus institueretur, & ut hoc illi persuaderetur, tres ab Episcopis Ancyranis Gangriæ Episcopos ordinatos commemorasse; se vero renuisse ordinationem, ne in litem cum Proclo Archiepiscopo Constantinopoleos incideret; ipsius tamen Procli mandato Petrum ordinasse & in possessionem misisse, ἐνθρονίσαι αὐτόν. Enimvero quo jure Gangrenses ab Episcopis Ancyranis, jam ab aliquot annis ordinationem renuissent, nisi quia Ancyranus erat Metropolita Galatiæ primæ, cui ab Honorio subjecta fuerat Paphlagonia? Cæterum, quin superioribus temporibus Paphlagonia censeretur inter Asiæ Provincias, dubium non est ex Plinio, Strabone & Ptolemæo: dividebaturque in Maritimam & Mediterraneam. Maritima cum Ponto, & Helenoponto tandem est confusa. Mediterranea vero Romanis cessit, deficiente Regum stirpe, quorum ultimus Dejotarus Gangris Morzei, quod est oppidulum castrumque munitum, Regiam constituit, τὸ Μορζέως βασίλειον ἔχων τὰ Γάγγρα Πολισμάτιον ἅμα καὶ φρούριον· apud Strabonem lib. 12. Inde urbi Gangrensi conciliata est Metropolitana dignitas, quam in rebus Ecclesiasticis semper obtinuit, ipsique Paphlagoniæ decus Provinciæ, etiam invito Honorio conservavit, ut patet ex sub-

Marca, Dissert. Eccl. E 2 scri-

scriptionibus Episcoporum Concilii Chalcedonensis apud Isidorum, & in Codice Canonum Ecclesiæ Romanæ edito Moguntiæ anno 1525, & alibi: ubi undecim Provinciæ sub Pontica Diœcesi earumque Metropolitani recensentur, Bithyniæ, Nicomediensis, Galatiæ primæ, Ancyranus, Galatiæ secundæ, Pessinunsis, Cappadociæ primæ, Cæsareensis, Cappadociæ secundæ, Tyanensis, Armeniæ primæ, Sebastenus, Armeniæ secundæ, Melitenus, Ponti Polemoniaci, Neocæsariensis, Helenoponti, Amasenus, Paphlagoniæ, Gangrensis & Honoriados Claudiopolitanus. Rectissime ergo Theodoretus undecim Provincias Ecclesiasticas Ponticæ Diœcesi accensuit: Notitiaque Imperii decem tantummodo in Politica dispositione descripsit.

De Asiana minor est difficultas, quæ licet decem Provinciis in Notitia circumscribatur, quoad Imperii & Magistratuum administrationem; tamen in rebus Ecclesiasticis Asia Proconsularis illi conjungitur, ut monuimus supra ex lege Tertia Cod. Theod. de fide Cath. Adeo, ut in Concilio Constantinopolitano solius Asianæ appellatione, Asia Proconsularis, & Vicarii Asiana Diœcesis comprehendatur, ut & isto ad rem propositam egregio Theodoreti loco, τῆς Ἀσίας ὅλης nomine. Non ergo mirum est, si Theodoretus undecim Provincias & Metropoles numeret, cum Asianæ Proconsularem Asiam adjungat. Vetus quædam Notitia Provinciarum, quam profert Salmasius, duodecim Provincias in Asia recenset, Asiamque proprie sumptam, primam Provinciam constituit. Sed, ut numerum duodenarium impleat, Galatiam laterculo inserit, errore & oscitantia supina, quam non castigavit Salmasius, cum Galatia Ponticæ Diœcesi, & non Asianæ debeat accenseri.

Cæterum Asianæ, Ponticæ & Thracicæ Diœceseon Metropolitæ Primarii Exarchi dicebantur, Ἔξαρχοι, scilicet Episcopus Ephesinus, Cæsareensis, & Heracleensis. Licet enim ex sententia Synodi Sardicensis Can. VI. Metropolitanis omnibus nomen Exarchi competat, ut observat Zonaras ad Can. XVII. Syn. Chalced. tamen augustius aliquid sonat, si rem penitus inspiciamus. Etenim nunc Patriarchas significat, ut censebant illi veteres apud Zonaram, τινὲς μὲν ἐξάρχους τῶν διοικήσεων τοὺς Πατριάρχας φασὶ· saltem cum Diœceseon additamento; nunc vero primi gradus & præcipuos honoratioresque Metropolitanos, qui non simpliciter Exarchi, ut cæteri, sed ὑπέρτιμοι ἔξαρχοι, appellabantur, teste Gregorio Codino. His permissum fuit ad exemplum Patriarcharum gestare in Ecclesiis suis Polystauria, inter quos recenset Zonaras Episcopos Ephesi, Cæsareæ, Thessalonicæ & Corinthi, etsi tres illi priores jampridem capite minuti essent: ἐλέγοντο δὲ Ἔξαρχοι καὶ ἕτεροι, ἤγουν ὁ Καισαρείας Καππαδοκίας, καὶ ὁ Ἐφέσου, καὶ ὁ Θεσσαλονίκης, καὶ ὁ Κορίνθου, οἷς λέγεται διὰ τοῦτο καὶ προνόμιον δοθῆναι, Πολυσταύρια φορεῖν ἐν ταῖς Ἐκκλησίαις αὐτῶν.

Quare constanter audeo pronuntiare, Ephesi, Cæsareæ, & Heracleæ Episcopos nomine ἐξάρχων τῶν διοικήσεων, comprehendi dicto Canone II. Syn. Constantinopolitanæ, cujus interpretatione defungimur. Insignia autem tantæ dignitatis argumenta supersunt in Actis Concilii Chalcedon. in quibus, Exarchis illis, priores Sedes post majorum gentium Patriarchas passim tribuuntur. Etenim Act. I. a parte læva ante cancellos, τοῦ ἁγιωτάτου θυσιαστηρίου collocantur Legati Sanctissimi Archiepiscopi Leonis, Anatolius Archiepiscopus Constantinopolitanæ regiæ Civitatis, Maximus Archiepiscopus Antiochiæ, Thalassius Episcopus Cæsareæ Cappadociæ, & Stephanus Episcopus Ephesi, cum cæteris religiosissimis Episcopis Orientis & Ponti, & Asianæ & Thraciæ τῶν διοικήσεων. A dextra vero parte Dioscorus Archiepiscopus Alexandrinus, Juvenalis Episcopus Hierosolymorum, & Quintillus Episcopus Heracleæ primæ Macedoniæ, vices agens Anastasii Episcopi Thessalonicensis, Petrus Episcopus Corinthi, & reliqui Ægyptiacæ Diœcesis & Illyrici. Et statim post Juvenalem Episcopum Hierosolymorum recensentur, & sententiam dicunt Act. I. VI. & XVI. Quintillus Heracleæ ἐπέχων τὸν τόπον τῆς Θεσσαλονίκης, Thalassius Episcopus Cæsareæ Cappadociæ, Stephanus Episcopus Ephesi, & Lucianus Episcopus Bysiæ, Vicarius Cyriaci Episcopi Heracleæ Thraciæ. In Ephesino Concilio celebrato sub Dioscoro Alexandrino post Domnum Antiochenum sedent & censent Stephanus Episcopus Ephesi, & Thalassus Episcopus Cæsareæ Cappadociæ, ut refertur in Act. I. Synodi Chalcedonensis. In legitima vero Synodo Ephesina, cui præfuit Cyrillus Alexandrinus, & vices agens Cœlestini Romani Episcopi, post Juvenalem Hierosolymorum sedent Memnon Ephesi, Flavianus Philipporum, Vicarius Rufi Thessalonicensis Episcopi, Theodotus Ancyræ, & Firmus Cæsareæ Cappadociæ; In Actis Synodi Ephesinæ Tom. 2. c. 1. editionis Peltani, ubi expungendus est error, qui in ordinem sedentium Episcoporum irrepsit, Theodoto Ancyræ in Galatia prima Episcopo, post Thessalonicensem, ante Cæsareensem locato, cum postponi & sequi debuisset, ut constat ex cap. 3. Tom. 2. ubi Firmus Cæsareæ post Juvenalem Hierosolymorum Episcopum ante Ancyranum sententiam dicit. Quin etiam subscribit prior Theodoto Ancyrano sententiæ latæ contra Nestorium Tom. 2. c. 10. & Synodicæ epistolæ ad Clerum Constantinopolitanum statim post Flavianum Legatum Thessalonicensis Tom. 2. c. 23. Plane negandum non est, quin magna fuerit Ancyranæ urbis dignitas, quæ & Augustum cieret conditorem, ut notat Joannes Tzetzes Chiliade prima, capite, de Mida, & inde valde commendata esset, quod vivo Augusto & templa, & aras sumptibus Asiæ posuisset ὑπὸ τοῦ Κοινοῦ τῆς Ἀσίας ἐν Ἀγκύρῃ, ut emendavit Scaliger apud Josephum Originum lib. 16. c. 10. essetque Galatiæ Provinciæ a Gallis olim occupatæ Metropolis, ut docet e veteri Inscriptione Casaubonus ad Suetonium; quod jus Metropoliticum etiam in rebus Ecclesiasticis obtinuit. Attamen, ut dixi, & Cæsareensis, & Ephesini potior erat dignitas. Quod etsi satis aperte sit a nobis demonstratum, addam tamen hoc unum testimonium, petitum e literis Episcoporum Ægyptiacæ Diœceseos ad Leonem Imperatorem in tertia parte Concilii Chalcedonensis. Ubi de facinoribus Timothei Æluri, & cæde Proterii Alexandrini, damnationeque Synodi Chalcedonensis a Timotheo facta conquerentes, petunt ab eo, ut ea de re ad Leonem Romanum Pontificem, Episcopos Antiochenum, Hierosolymitanum, Thessalonicensem & Ephesinum, aliosque referat, ut, quod æquius visum fuerit, de illorum sententia ad Canonum violatorum injuriam ulciscendam decernat. Ubi nominatim Ephesinus post Patriarchas & Thessalonicensem Episcopum Romani Pontificis Legatum, non autem inter cæteros recensetur, scilicet aliquot annis post Concilium Chalcedonense durante etiamnum adhuc pristinæ dignitatis fumo.

Ex supradictis liquido constat, tam ex præscripto Nicænæ Synodi, quam Constantinopolitanæ, Ordinationes & cætera negotia Ecclesiastica sic administrata fuisse in Asiana, Pontica, & Thracica, ut totum arbitrium penderet a Synodis cujusque Provinciæ; nec aliquid sibi in eas arrogaret ullus Patriarcharum, imo nec ipsæ inter se tres illæ Diœceses commiscerentur, ut patet Canonem secundum legenti. Quæ dispositio magnum incendium excitavit in animis Constantinopolitanorum, desideriumque injecit Provincias illas invadendi, & eo pacto novi Patriarchatus instituendi; ut regia civitas, quæ Novæ Romæ nomine cohonestabatur, secundum locum post veterem Romam in rebus Ecclesiasticis obtineret.

Sed quia uno impetu id perfici non poterat, visum est, cautius id peragi posse, si tantæ civitati indulgeretur in gratiam Comitatus Imperatorii, quod

quod sine magna aliorum injuria fieri posse in Æliæ Episcopo præjudicatum fuerat. Itaque cum Juris Patriarchici duæ sint partes, ἡ προεδρία καὶ ἡ προστασία; Administratio autem duo summa capita complectatur, Metropolitanorum χειροτονίαν, & Synodorum Provincialium ἀναφοράν, aut etiam ἔκκλητον in Synodo Patriarchali dijudicandam: Patres Constantinopolitani can. 3. partem alteram Patriarchatus, nempe τὴν προεδρίαν, & Privilegia Honoris post Episcopum Romanum tribuunt Episcopo Constantinopolitaneos, eo quod sit ipsa Nova Roma. Τὸν μὲν τοι Κωνσταντινουπόλεως Ἐπίσκοπον ἔχειν πρεσβεῖα τῆς τιμῆς, μετὰ τὸν τῆς Ῥώμης Ἐπίσκοπον, διὰ τὸ εἶναι αὐτὴν Νέαν Ῥώμην. Ubi sunt expendenda verba illa πρεσβεῖα τῆς τιμῆς, *Privilegia Honoris*, non autem privilegia Administrationis. Neque sane post Canonem secundum, aliud tribuere poterat Canon tertius, quam Honoris prærogativam. Sita enim erat urbs illa regia in faucibus Europæ & Asiæ, sed tamen in Diœcesi Thraciæ, cujus, ut & Asianæ & Ponticæ administrationem, Provinciarum Synodis Canon secundus commiserat, juxta præscriptum Synodi Nicænæ, κατὰ τὰ ἐν Νικαίᾳ ὡρισμένα; tantum abest, ut hac in parte aliquid innovare decrevisset. Id ergo solum præstitit hæc secunda Synodus, quod in sua potestate situm esse arbitrabatur, nempe Honoris prærogativam: cui rei aggrediendæ præluxerant suo præjudicio Patres Nicæni, qui Can. VII. Hierosolymorum Episcopo τῆς τιμῆς ἀκολουθίαν attribuerunt, servata Metropoli, id est, Cæsareæ Palæstinæ, propria dignitate. Quamquam non tam illa parte jus novum statuit Nicæna Synodus, quam συνήθειαν, & παράδοσιν ἀρχαίαν confirmat, ut diserte profitetur. In illo tamen VII. Canone elucet manifesta distinctio, inter ἐξουσίαν & πρεσβεῖα; accepta ἁπλῶς, quæ Can. VI. irrogata sunt Ecclesiis Alexandrinæ, & Antiochenæ, & Ἀκολουθίαν τῆς τιμῆς, quæ fancitur Æliæ Episcopo. Ut mirandum non sit, cur ex rerum consequentia, & ex ipsa verborum vi πρεσβεῖα τῆς τιμῆς collata Episcopo Constantinopolitano de Privilegiis Honorariis interpreter. Quæ differentia confirmatur apertissime ex Can. XII. Synodi Chalced. quo decernitur, Honorem solum impendi Episcopis earum civitatum, quibus rescripto Principis concessum est jus Metropoleos μόνης ἀπολαυέτωσαν τῆς τιμῆς, servato antiquæ Metropoli jure suo. Occasionem autem condendi Canonis XII. præbuerunt contentiones ortæ inter Photium Episcopum Tyri Metropolitam Phœniciæ primæ, & Eustathium Episcopum Beryti Metropolitico jure ab Imperatore recens cohonestatæ Act. IV. Et inter Eunomium Episcopum Nicomediensem, Bithyniæ totius Metropolim sibi asserentem ex veteri consuetudine, & Anastasium Episcopum Nicænum novam Metropoleos dignitatem sedi suæ arrogantem ex rescripto Valentiniani & Valentis Act. XIII. quam litem prolatis hinc inde tabulis de Concilii sententia Judices cognitores ita sopierunt: Τὴν μὲν αὐθεντίαν τὴν Μητροπολίτου ἐν τῇ κατὰ Βιθυνίαν Ἐκκλησίαις ὁ Νικομηδείας Ἐπίσκοπος ἕξει τὸν Νικαίας τὴν τιμὴν μόνην τὴν Μητροπολίτου ἔχοντος, ὑποκειμένου δὲ κατὰ μίμησιν τῶν ἄλλων Ἐπισκόπων τῆς ἐπαρχίας, τῷ τῆς Νικομηδείας. Eadem honoraria dignitas Metropolitica concessa fuit urbi Chalcedonensi a Marciano Imperat. de Synodi Oecumenicæ sententia Act. VI.

Unde patet, non esse alienam a mente antiquorum Canonum Honoris, a potestate secretionem, utpote, quæ Canonum auctoritate sit introducta. Nostram igitur interpretationem quod attinet, ad Patriarchatus Constantinopolitani Honorariam institutionem in secunda Synodo, hæc satis confirmant. Quibus addemus Epistolam Synodicam Concilii Chalcedonensis, & Zonaræ testimonium ad Can. XXVIII. illius Synodi. Imo & ipsius Anatolii Episcopi Constantinopolitani confessionem ingenuam, qui Synodi evocandæ e Provinciis jus nullum sibi competere profitetur. Quæ opportune suis locis infra recitabuntur.

Marca, Dissert. Eccl.

Quid dicemus de Socrate, estne adversarius, an sententiæ nostræ adstipulator? Tentemus. Ait ille l. 5. c. 8. Decretum fuisse in secunda Synodo, ut Constantinopolitanus Episcopus habeat πρεσβεῖα τῆς τιμῆς post Romanum Episcopum. Nihil ergo mutat ex iis, quæ asseruimus. Sed subjicit, eam Synodum dispertitis Provinciis Patriarchias constituisse. Καὶ κληροῦται Νεκτάριος μὲν τὴν μεγαλόπολιν, καὶ τὴν Θρᾴκην· obvenisseque Nectario Constantinopolim & Thraciam, Ponticæ Diœceseos τὴν Πατριαρχίαν Helladio Cæsareæ Cappadociæ, Gregorio Nyssæ, & Otreio Melitenæ in Armenia Episcopis. Asianæ vero Amphilochio Iconii, & Optimo Antiochiæ in Pisidia, Ægyptum Timotheo Alexandrino attributam. Permissas autem Orientis Ecclesias Pelagio Laodiceæ & Diodoro Tarsi, reservata Antiochenæ Ecclesiæ prærogativa: additque his definitionibus, Imperatorem suffragatum fuisse. Hinc tantum confici posset contra positionem nostram, saltem in Thraciam summum jus, & Patriarchalem auctoritatem attributam fuisse Constantinopolitano Episcopo. Quanquam in eo ipso fallatur Socrates, & in eo etiam, quod plures Patriarchias introductas fuisse in Oriente, in Asiana & Pontica, arguetur contra mentem & verba Canonis secundi, ut constat ex iis, quæ supra observavimus, Nisi temperare malimus, Socratem, & sana interpretatione mollire, ita, ut Patriarchias illas temporarias καταχρηστικῶς accipiamus non de jure aliquo, & dignitate Episcopalibus Sedibus attributa contra veterem Canonem, sed de jure communionis Ecclesiasticæ, quod erat pars non contemnenda juris Patriarchici. Etenim cum variis falsis opinionibus discerptus esset Oriens, Ægyptus & Asiana, Pontica & Thracica Diœceses, ne pii & optimi viri fallerentur, dum incautius hæreticis Episcopis communicarent, hæc regula præscripta est a Patribus Constantinopolitanis, ut iis solis communicaretur, qui communione juncti essent Nectario quoad Constantinopolim, & ceteris Episcopis, quoad Ægyptum, Orientem, Asianam, Ponticam & Thracicam.

Quod ita esse, cuique facile persuadebit Sozomenus, qui, velut interpretans Socratem, scribit l. 7. c. 9. Synodicis Decretis suum suffragium Imperatorem adjecisse, & cavisse, ut rata haberetur fides Concilii Nicæni, & Ecclesiæ iis committerentur, qui in tribus personis unam confiterentur divinitatem. Hos vero esse τοὺς κοινωνοῦντας Νεκταρίῳ ἐν Κωνσταντινουπόλει, qui communicarent Nectario Constantinopoli; in Ægypto cum Timotheo Alexandrino, in Orientalibus Ecclesiis cum Diodoro Tarsensi, & cum Pelagio Laodicensi in Syria. Apud Asianos cum Amphilochio Iconii. In civitatibus vero Ponti, ἀπὸ Βιθυνῶν μέχρι Ἀρμενίων, cum Helladio Cæsareæ Cappadocum; Gregorio Nyssæ, & Otreio Melitenæ. Ἐν δὲ τῇ περὶ Θρᾴκην καὶ Σκυθίαν πόλεσι, Τερεντίῳ τῷ Τομέων, καὶ Μαρτυρίῳ τῷ Μαρκιανοῦ πόλεως. *In Thraciæ autem, Scythiæque urbibus cum Terentio Tomorum, & Martyrio Marcianopolis Episcopo.* Ex quo discimus, nullam propterea Sedibus illis Episcopalibus perpetuam Patriarchiæ dignitatem attributam, sed emendatæ Episcoporum illorum vitæ & integræ famæ, quod religiose suis Ecclesiis præessent, rationem habitam, ut retinendi in Ecclesiis Episcopi cum illis communione sociarentur, ut diserte notat Sozomenus: Τούτους γὰρ καὶ Βασιλεὺς ἐπλησίασεν ἰδὼν συγγενόμενος, καὶ δόξα ἀγαθὴ περὶ αὐτῶν ἐκράτει, ὡς τὰς Ἐκκλησίας ἀρίστως ἀγόντων. Id autem, ne longius rem istam trahamus, demonstrat apertissime ipsa lex Imperatorum a Socrate & Sozomeno enarrata, quæ extat in l. 3. *C. Theod. de fide Catholica.* Unde petenda est negotii istius discussio: *Episcopis*, inquiunt Imperatores, *tradi omnes Ecclesias mox jubemus, qui unius Majestatis, atque virtutis Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum confitentur, ejusdem gloriæ, claritatis unius, nihil dissonum prophana divisione facientes: sed Trinitatis ordinem, personarum adsertionem, & Di-*

& Divinitatis unitatem; Quos constabit communione Nectario Episcopo Constantinopolitanæ Ecclesiæ, Timotheo necnon intra Ægyptum, Alexandrinæ urbis Episcopos esse sociatos: quos etiam in Orientis partibus, Pelagio Episcopo Laodicensi, & Diodoro Episcopo Tarsensi; In Asia nec non Proconsulari, atque Asiana Diœcesi, Amphilochio Episcopo Iconiensi, & Optimo Episcopo Antiocheno: In Pontica Diœcesi Helladio Episcopo Cæsariensi, & Otreio Meliteno & Gregorio Episcopo Nysseno; Terennio Episcopo Scythiæ, Marmario Episcopo Marcianop. communicare constiterit, hos ad obtinendas Ecclesias Catholicas ex communione, & consortio probabilium Sacerdotum oportebit admitti. Omnes autem, qui ab eorum, quos commemoratio specialis expressit, fide communionis dissentiunt, ut manifestos hæreticos ab Ecclesiis expelli, neque his penitus posthac obtinendarum Ecclesiarum Pontificium facultatemque permitti, ut veræ ac Nicænæ fidei Sacerdotia casta permaneant, nec post evidentem præcepti nostri formam, malignæ locus detur astutiæ.

Porro pars illa hujus legis luxata est, quæ Terennii Scythiæ Episcopi, & Marmarii Marcianopoleos mentionem facit, & facile restitui potest ex Sozomeno hoc modo: *In Thracia & Scythia Terentio Tomorum Episcopo, & Martyrio Episcopo Marcianopoleos.* Quæ restitutio necessaria, ut sententiæ hiatus commode farciatur. Etenim designato communionis consortio cum Nectario in urbe Constantinopolitana, in Ægypto cum Timotheo Alexandrino; in Orientis Ecclesiis, in Asiana & Pontica, supererat Thracica, cujus partem, & unam e sex Provinciis observabamus esse Scythiam. Huic ergo Diœcesi provisum est per consortium Terentii Tomorum Episcopi in Scythia, & Martyrii Marcianopol. in reliqua Tracia. Episcopus enim Tomorum omnibus Ecclesiis Scythiæ præerat, ut testatur ipse Sozom. l. 7. c. 19. & 25. dum verba facit de Theotimo illius urbis Episcopo rerum mirabilium patratore, quem ideo Hunni Istrum accolentes Θεὸν Ῥωμαίων ὠνόμαζον. Theodor. l. 4. c. 30. meminit Bretannionis omnibus Scythiæ Ecclesiis præpositi *πάσης τῆς Σκυθίας τὰς Πόλεις ἀρχιερατικῶς ἰθύνειν πεπιστευμένου*. Martyrius autem ille Marcianopolitanus subscripsit Concilio Constantinopolitano, ut Episcopus Provinciæ Mœsiæ, quæ est Mœsia secunda, una e sex Provinciis Thraciæ Diœceseos. Unde conficitur error insignis Socratis, quem initio notavimus, cum Jura communionis per Thraciam decreta fuisse Nectario, a Synodo & Imperatoria constitutione affirmat; contra vero constet ex Sozomeno, & legis Theodosianæ serie a nobis egregie restituta, Jus communionis indultum Terentio Tomensi & Martyrio Marcianopolitano per Thraciam & Scythiam. Nectario vero in urbe Constantinopolitana tantum, quæ tamen non erat pars pœnitenda, ob regiæ urbis amplitudinem, & fere omnium Episcoporum ad eam Civitatem frequentissimum commeatum.

Ex superioribus argumentis aperte deducitur, solam Honorariam dignitatem dicto Canone III. concessam fuisse Episcopo Constantinopolitano, quæ tamen plenum legis Ecclesiasticæ robur obtinuisse censenda non est, donec tandem a Romano Pontifice τὸ Κῦρος accepit. Etenim ab initio neque Synodus secunda, nec Episcopi sequenti anno Constantinopoli congregati Relationem, ut debuerant, ad sedem Apostolicam ea de re miserunt, licet in Synodica epistola ad Damasum Papam de Nectarii, & Flaviani Antiocheni ordinationibus retulerint apud Theodoretum l. 5. c. 9. Equidem Leo Pontifex conquestus est, Canonem illum dignitatis Constantinopolitanæ assertorem ad Sedem Romanam non fuisse relatum. Tamen in Epistola Synodica Concilii Constantinopolitani Ecclesia Constantinopolitana inter insigniores, quarum ordinationibus provisum fuit, a Synodo ideo recensetur, ut detur locus eam Antiochenæ ecclesiæ præferendi, imo novum illud jus satis insinuatur, cum de novo ædificata esse dicitur Νεοπαγὴς Ἐκκλησία. Sed neque ipsi urbis Constantinopolitanæ Episcopi novum illud jus, quod ad Ecclesiæ universalis politiam aliquo modo pertinebat, Episcopo Romano statim approbaverunt. Ex quo, nullam & caducam fuisse Canonis illius Constitutionem, arguit Leo Papa ep. ad Anatolium Episcopum: *Persuasioni enim tuæ in nullo penitus suffragatur, quorumdam Episcoporum ante sexaginta, ut jactas, annos facta subscriptio nunquamque a prædecessoribus tuis ad Apostolicæ sedis transmissa notitia, cui ab initio sui caducæ, dudumque collapsæ, sera nunc & inutilia subjicere fulcimenta voluisti eliciendo a fratribus speciem consensionis, quam tibi in suam injuriam verecundia fatigata præberet.*

Enimvero licet hæc ita se habeant, nihilominus certum est, Constantinopolitaneos Episcopum statim dignitatis secundæ possessionem indeptum fuisse, eamque multis annis servasse, donec ad Honorem facta est auctoritatis adjectio. Neque longe petenda sunt argumenta: Præsto enim nobis est lex illa III. Cod. Theod. de fide Cath. quam protulimus, quæ Nectario quasi possessionem novi Juris & Honoris tradit, & Timotheo Alexandrino Episcopo præponit. Eodem ordine venerabilium Ecclesiarum Constantinopolitanæ & Alexandrinæ meminit lex VI. Theodos. de Patrociniis vicorum lib. XI. Tit. XXIV. lata ab Honorio & Theodosio. Synodus etiam Antiochena habita sub Domno Patriarcha in causa Athanasii Perrheni Episcopi perpetuo Archiepiscopum Constantinopolitaneos Proclum, Cyrillo Archiepiscopo Alexandrino anteponit Act. XIV. Syn. Chalc.

Sed ad probationem istam peremptorie conficiendam elegans est locus petitus ex Act. I. Syn. Chalced. in qua dum releguntur acta prædatoriæ Synodi Ephesinæ sub Dioscoro, quæ post Juvenalem Hierosolymorum & Domnum Antiochenum, Flavianum Constantinopol. collocabant, Orientales Episcopi exclamarunt inter cætera *Φλαβιανὸς ἐν τῷ ἰδίῳ τόπῳ διὰ τί οὐκ ἐκαθέσθη; τὸν Κωνσταντινουπόλεως Ἐπίσκοπον διὰ τί πέμπτον ἔταξαν; Πασχασῖνος ὁ εὐλαβέστατος ἐπίσκοπος εἶπεν· ἴδε, ἡμεῖς Θεοῦ θέλοντος, Κύριον τὸν Ἀνατόλιον πρῶτον ἔχομεν. οὗτοι πέμπτον ἔταξαν τὸν μακάριον Φλαβιανόν. Διογένης ὁ εὐλαβέστατος ἐπίσκοπος Ἐκκλησίας Κυζίκου εἶπεν· ἐπειδὴ ὑμεῖς τοὺς Κανόνας οἴδατε. Flavianus quare in proprio loco non sedit? Constantinopolitanum Episcopum quare quintum posuerunt? Paschasinus Reverendissimus dixit: Ecce nos Deo volente Dominum Anatolium primum habemus; hi quintum posuerunt beatum Flavianum. Diogenes reverendissimus Episcopus Cyzici Ecclesiæ dixit: Quoniam vos Regulas scitis.* Quid illustrius afferri potest? Ecce Orientales Episcopi, quibus cara esse debuerat Antiochenæ Ecclesiæ dignitas, queruntur & vociferantur, cur Flavianus quinto loco sederit; Paschasinus vero Legatus Rom. Pontificis huic justæ expostulationi veluti succinens, Anatolium Constantinopolitanum proximo a se loco sedere demonstrat, ut Synodi Chalcedonensis canonicum ordinem præ latrocinio Ephesino justitiamque commendet. Diogenes Cyzici hoc tribuit Canonum auctoritati, quos Paschasinus sequebatur, hac in parte non reclamante Paschasino. Itaque & Legatorum judicio & Synodi Chalcedonensis approbatione in ipsa Concilii inchoatione, secundæ Sedis Honor delatus est Anatolio Episcopo Constantinopolitano ex vi Canonum Ecclesiasticorum. Quinimo ab ipso Nectario Orientalium Ecclesiarum Principatum Sedi Constantinopolitanæ tribuunt Patres Chalcedonenses in Prosphonetico ad Marcianum Imperator. τῶν ὃ, id est, Orientalium Episcoporum, Νεκτάριος τῷ Γρηγορίῳ ἡγεμονίας ἦρξατο.

Porro nobis hoc gradu sistendum non est, si Constantinopolitanæ Ecclesiæ progressus a tempore secundæ Synodi ad quartam adnotare velimus. Neque enim aut rerum, aut Historiæ adeo sum imperitus, quin perspectæ mihi sint continuæ & veluti

veluti quotidianæ Epiſcoporum Novæ Romæ & Regiæ Civitatis molitiones, ut ſe novæ Auctoritatis incrementis in dies augerent. Quod illis erat valde proclive Imperatorum aſſenſu & poteſtate nixis, tantæque urbis amplitudine & civium ſuorum, id eſt Illuſtriſſimorum Imperii Magiſtratuum, ſtudiis votiſque, & Aſianæ, Ponticæ, Thracicæ, aliarumque Diœceſeon Epiſcoporum, gratiam ſecundi Epiſcopi Principibus, ut plurimum cariſſimi captantium, vili adulatione ſuffultis. Quia ergo illis deerat Synodus Patriarchalis, in qua Metropolitarum Synodicæ relationes, aut Epiſcoporum querelæ tractarentur, deerat etiam Metropolitarum ordinatio, utrique capiti remedium quæſiverunt, ut quæ ſenſim & repetitis vicibus præter Canonem ſub ſpecie majoris boni acta eſſent, ipſa tandem conſuetudine juvarentur, & in vim legis tranſirent. Quæ duo capita magnam inter ſe connexionem habent. Etenim Synodus Patriarchalis ex iis conflatur, qui ordinationem ſuſcipiunt a Patriarcha, & vice verſa ii ſoli Metropolitæ ordinantur a Patriarchis, qui ſunt ejus Synodo & juriſdictioni ſubjecti. Quod probatur egregie præter cætera teſtimonia, quæ proferre poſſem, ex No. 137. Juſtiniani cap. 4. Συνιέναι παρὰ μὲν τοῖς μακαριωτάτοις Πατριάρχαις ἐκείνους τοὺς παρ' αὐτῶν μὲν χειροτονουμένους, μὴ ἔχοντας δὲ δίκαιον, ἄλλους Ἐπισκόπους χειροτονεῖν. Et Nov. 123. c. 10. quas Photius Tit. 8. Nomoc. c. 8. his verbis explicat. Συνόδους τῶν Μητροπολιτῶν παρὰ τοῖς Πατριάρχαις, καὶ τῶν Ἐπισκόπων παρὰ τοῖς Μητροπολίταις, cogi & celebrari.

Ex qua Photii interpretatione conficitur elegans reſtitutio in contextu Græco Juſtinianææ Novellæ deleta particula negativa μὴ, ut paraphraſtice enunciati ſint d. Nov. Metropolitani his verbis: *& ii, qui a Patriarchis ordinati ſunt, & habent jus alios Epiſcopos ordinandi*. Alioqui retenta negativa dictione nullus erit ſenſus. Quid enim ſignificarint iſta, *convenire tantum Epiſcopos ordinatos a Patriarcha, quique jus alios ordinandi non habeant*? ſunt nugæ. Porro conventus iſte Metropolitanorum apud Patriarcham fiebat annua, bima, aut trima die. Cæterum pro gravibus, & arduis negotiis ad Patriarchæ libitum cogebantur extra ordinem plenariæ quædam Diœceſeon Patriarchalium Synodi, quibus intererant Metropolitani, & aliquot Epiſcopi a Provincialibus Synodis electi, ut patet ex Conciliorum actis.

De Synodis iſtis Patriarchalibus extat elegantiſſimus Canon in VIII. Synodo Oecumenica contra Photium Patriarcham Conſtantinopolitanum Can. XVII. in fragmentis, quæ collecta ſunt a Laurentio Surio. *Hæc ſancta Synodus tam in ſeniori & Nova Roma, quam in Sede Alexandriæ, Antiochiæ, & Hieroſolymorum priſcam conſuetudinem decernit in omnibus conſervari, ita ut eorum Præſules univerſorum Metropolitanorum, qui ab ipſis promoventur, ſive per manus impoſitionem, ſive per Pallii dationem Epiſcopalis dignitatis firmitatem accipiant, habeant poteſtatem videlicet ad convocandum eos urgente neceſſitate ad Synodalem conventum, vel etiam coercendum illos, & corrigendum, cum fama eos ſuper quibuſdam delictis forſan accuſaverint*. Infra: *Conſueverunt autem Metropolitani bis in anno Synodos facere, ideoque ſicut dicunt, ad Patriarchale penitus non poſſe concurrere caput. Sed ſancta hæc & univerſalis Synodus, nec Concilia, quæ a Metropolitis fiunt, interdicens, multo magis illa novit rationabiliora eſſe ac utiliora Metropolitanorum Conciliis, quæ a Patriarchali Sede congregantur, & idcirco fieri exigit. A Metropolita quippe unius Provinciæ efficitur, a Patriarcha vero ſæpe totius cauſſa Diœceſeos diſpenſatur, ac per hoc communis utilitas providetur.* *Propter quod, & ſpeciale propter generale bonum deſpici convenit, cum a majoribus ſuper hoc facta fuerit advocatio: quamvis apud quoſdam Metropolitanorum antiqua conſuetudo, & Canonica traditio per contemptum ipſorum poſtpoſita videatur, non concurrentibus eis ad communem profectum. Quos leges Eccleſiæ ſevère condemnantes, omni excuſatione ſemota ſubjacere vocationibus proprii Patriarchæ, ſive cum communiter, ſive cum ſingulatim factæ fuerint, exigunt.*

* *Marca, Differt. Eccl.*

Igitur quia jus nullum Synodi Patriarchalis cogendæ Conſtantinopolitanis competebat, ut illius aliquo modo vices implerent, ingenioſo commento minutionem iſtam ſarciverunt. Quippe cum inſano quodam ſtudio ex omnibus orbis Romani Provinciis ſub ſpecie negotiorum Eccleſiaſticorum Epiſcopi ad aulam Imperatoris accederent, injuſtis & importunis ſæpe flagitationibus Magiſtratus, & ſeculares functiones charis ſuis ambientes, ut conqueritur Oſius in Synodo Sardicenſi Can. VII. fiebat, ut ſexaginta & amplius Epiſcopi primi & ſecundi gradus in urbe Conſtantinopolitana moram facerent, quibus in id more poſitum erat, ut Palatium Imperatorem ſalutaturi non ſingulatim, ſed ut corpus Epiſcoporum adirent, ut obſervat Sozom. l. 7. c. 6. τῶν ἐνδημούντων Ἐπισκόπων τῆς Κωνσταντινουπόλεως παραγινομένων εἰς τὰ Βασίλεια, οἱ ἀγεληκὸς, ἀσπάσασθαι τὸν Κρατοῦντα. Si quod ergo dubium Canonicum incideret, procul dubio ab illis conſulendus erat ſecundæ dignitatis Epiſcopus; qui porro, ne ſpretos haberet tot Epiſcopos in urbe commorantes, eos in conſilium adhibebat, ut prudenti reſponſo ſecundum Canones propoſita quæſtio finiretur. Hic Conventus tot Epiſcoporum, cui præſideret Archiepiſcopus regiæ urbis, ſtatim adulatione fœda invitis Canonibus Synodi nomen ſortitus eſt, &, quod ex occaſione introductum fuit, ipſa conſuetudine Synodi Canonicæ robur contra Canones aſſumpſit.

Quod luculentiſſime demonſtrat illuſtris locus in Act. IV. Concil. Chalced. ubi querela Photii Epiſcopi Tyri, & Synodi Conſtantinopolitanæ ſub Anatolio temerarius auſus retexitur. Obtinuerant Berytenſes ab Imperatore Theodoſio jus Metropoleos in Provincia Phœniciæ primæ ſex urbibus a jure Tyrenſis urbis, & Eccleſiæ reciſis, & Beryto adjudicatis. Reſcriptum Principis confirmavit Synodus habita Conſtantinopoli ſub Anatolio, depoſitionem comminata Photio, ni præberet aſſenſum novitati. Et ne Maximi Antiocheni Patriarchæ, cui Phœnicia parebat, deeſſet auctoritas, licet ille Epiſcopali conventui non intereſſet, quia tamen Conſtantinopoli degebat, ad eum eſt allata charta Synodica ſubſcripta ab Anatolio Archiepiſcopo, quem ſequens Domnus ſubſcripſit, καὶ τούτῳ ἀκολουθήσας κἀγὼ, ὑπέγραψα. Subſcripſit & Photius, ſed coactus; ita ut poſtea duos Epiſcopos in diſtractis Urbibus ordinaret, quod factum a Synodo Conſtantinopolitana excommunicationem in Photium abſentem, & inauditum per centum & viginti duos dies provocavit. Integram hujus negotii diſcuſſionem Synodo Chalcedonenſi permiſit Imperator Marcianus. Quæ nulla principalis reſcripti, aut Synodicæ confirmationis ab Anatolio factæ ratione habita, Photio Tyrenſis Eccleſiæ Metropolitæ jus antiquum omnino reſtituit. Sed hic eſt advertenda cognitorum Judicum interlocutio; *Dicat*, inquiunt, *ſancta Synodus, an Synodum appellare oporteat, Conventum Epiſcoporum, qui in regia civitate diverſantur*. Εἰ Σύνοδον χρὴ καλεῖν τῶν ἐπιδημούντων τῇ Βασιλίδι πόλει συνελθόντων. Tryphon Epiſcopus Chii reſpondit: *Synodus appellatur, & conveniunt & laborantes aliqua oppreſſione ſua jura nanciſcuntur*. Σύνοδος καλεῖται. καὶ συνάγονται καὶ οἱ καταπονούμενοι τῶν δικαίων ἀπολαύουσιν. Sed Anatolius ipſe, cui præcipue incumbebat, ut Judicibus & toti Concilio cauſam ſuam approbaret, ait: *Tenuit pridem conſuetudo, ut qui in magna hac civitate morantur ſanctiſſimi Epiſcopi, cum eos temporis occaſio vocat, de emergentibus quibuſdam Eccleſiaſticis cauſis conveniant ac ſingula definiant, reſponſoque eos dignentur, qui precantur aliquid. Nihil ergo a me factum eſt, quod Novitati ſit affine: nec ſanctiſſimi, qui in civitate erant Epiſcopi, novam formam protulerunt, ac oſtendit præſentiam Epiſcoporum actio, quæ facta eſt.*

Συνήθεια ἄνωθεν κεκράτηκε τοὺς ἐνδημοῦντας τῇ μεγαλωνύμῳ πόλει ἁγιωτάτους Ἐπισκόπους, ἡνίκα καιρὸς καλέσει περὶ ἀνακυπτόντων τινῶν Ἐκκλησιαστικῶν πραγμάτων, συνεῖναι, καὶ διατυποῦν ἕκαστα. καὶ ἀποκρίσεως ἀξιοῦν τοὺς δεομένους. οὐδὲν τοίνυν καινοτομίας παρ' ἐμοῦ ἐχόμενον γεγένηται, οὐδὲ συνεδρεύσαντες κατὰ τὸ σύνηθες οἱ ἐνδημοῦντες ἁγιώτατοι, Ἐπίσκοποι καινὸν τόπον ἐξενηνόχασιν, καὶ δείκνυσι τὴν παρουσίαν τῶν Ἐπισκόπων ἡ γινομένη πρᾶξις. Hic gnaviter observatum velim, Anatolium non ausum asserere sibi novam auctoritatem ex Canone III. Synodi Constantinopolitanæ, sed tantum ex consuetudine: Etenim non modo Canon tertius, Synodi cogendæ in urbe Constantinopolitana jus non constituebat, quin potius prohibebat Canone II. cum ex Synodi Nicænæ definitione omnes quæstiones Canonicas Synodis Provinciæ committebat. Secundo loco notandum est, nullam jurisdictionem Canonicam huic Synodo competivisse, ita, ut actores ad tribunal suum cogeret, vetaretque alibi disceptationem proponere, sed tantum prorogata consentientium partium jurisdictione usam, ut insinuat Anatolius. Καὶ ἀποκρίσεως ἀξιοῦν τοὺς δεομένους. Tertio est observandum, Synodum istam consuetudine introductam non constare Episcopis evocatis per literas tractorias e Provinciis, quale jus competit Metropolitanis Episcopis ex Conciliis Antiocheno, Carthaginensi, Chalcedonensi aliisque plurimis, sed iis tantum, qui, prout res nascerentur, Constantinopoli forte fortuna reperirentur. Erant ἐνδημοῦντες Episcopi, non vero συναθροισθέντες. Quare Synodus illa Constantinopolitana vocata fuit ἐνδημοῦσα Σύνοδος, id est, Episcoporum ἐνδημούντων.

Ejus rei exemplum illustre desumitur ex Actis Synodi Constantinopolitanæ habitæ sub Flaviano Archiepiscopo Constantinopoleos adversus Eutychetem *Archimandritam*, quæ referuntur Act. I. Syn. Chalced. Ἐν τῇ φιλοχρίστῳ καὶ βασιλευούσῃ Κωνσταντινουπόλει νέᾳ Ῥώμῃ, συναχθείσης τῆς ἁγίας καὶ μεγάλης Συνόδου, τῆς ἐνδημούσης ἐν τῇ προειρημένῃ Μεγαλοπόλει, ἐν τῷ σηκρητῷ τοῦ Ἐπισκοπείου προκαθεζομένου τοῦ ἁγιωτάτου καὶ ὁσιωτάτου Ἀρχιεπισκόπου Φλαβιανοῦ. Ecce diserte vocatur Synodus ἐνδημοῦσα, id est, Episcoporum in Civitate morantium, passimque Patres illi in omnibus Actionibus se Ἐνδημοῦσαν Σύνοδον indigitant. Hinc est, quod Eutyches ad minuendam Synodi sub Flaviano auctoritatem, ait, se ab Eusebio Episcopo Dorylæi hæreseos accusatum coram Flaviano, & aliis Episcopis, qui tunc *pro privatis caussis* in urbe degebant regia; in confessione fidei a se proposita Ephesino Concilio sub Dioscoro, & relata in Act. I. Concilii Chalcedonensis, παρὰ Εὐσεβίου τοῦ Ἐπισκόπου Δορυλαίου λιβέλλους ἐπιδοθέντος κατ' ἐμοῦ τῷ εὐλαβεστάτῳ Φλαβιανῷ, καὶ τοῖς ἐκ διαφόρων ἰδίων ἕνεκα αἰτιῶν ἐνδημοῦσι τότε τῇ βασιλευούσῃ.

Porro Constantinopoleos Archiepiscopi sibi jus illud usurparunt, ut in Synodo ἐνδημούσῃ de fide, & relationibus Metropolitanorum cognoscerent, sicut monebat Anatolius, & docent Acta dictæ Synodi sub Flaviano, quæ non solum hæreseos damnavit Eutychetem, idque Canonice παρὰ τοῦ ἰδίου Ἐπισκόπου, inquit Paschasinus in Damnatione Dioscori: sed & Florentii Episcopi Sardium Metropolis Provinciæ Lydiæ in Asiana Diœcesi, relationi factæ contra Joannem, & Cossinium Episcopos sub se constitutos responsum dedit. Ἀναγινωσκομένης Ἀναφορᾶς σταλείσης παρὰ Φλωρεντίου τῆς Σαρδιανῶν Μητροπόλεως τοῦ ἐπαρχίας Λυδῶν, τύπου τε δοθέντος φανεροῦ ἐπὶ τοῖς ἀναγνωσθεῖσιν.

Hinc illustranda est Anastasii Nicæni Episcopi, adversus Eunomium Nicomediensem Flaviano Archiepiscopo Constantinopoleos porrecta petitio super ordinatione Episcopi Basilinopoleos, quam sibi Nicænus ex antiqua consuetudine contra jus Nicomediensis Metropolitæ vindicabat. Ἐπέδωκα, inquit, λιβέλλους τῷ Ἀρχιεπισκόπῳ γινομένῳ· ἀξιῶν αὐτὸν καλέσαι τὸν Κύριν Εὐνόμιον τὸν Ἐπίσκοπον, καὶ διακοῦσαι μεταξὺ τῶν δικαίων ἡμῶν· scilicet, ut de jure partium cognosceret in Synodo Endimousa. Tamen Archiepiscopus cognitionem istam, quia illi non incumbebat ex muneris necessitate, in se suscipere noluit, ne juri Metropolitico præjudicium aliquod fieret. Tantum generaliter monuit, ut starent antiquæ consuetudini; subjicit enim Anastasius: δίδωσι γράμματα, scilicet Archiepiscopus, καὶ πρὸς ἐμὲ καὶ πρὸς αὐτὸν, γράψας ἀμφοτέροις, ὅτι μηδεὶς ὑμῶν μηδὲν καινοτομείτω, ἀλλὰ στοιχεῖτε τοῖς ἀρχαίοις. Οἶδα γὰρ ἐγὼ, πῶς ὀφείλω τὰς Μητροπόλεις τιμᾶν.

Referrem etiam ad Synodi Ἐνδημούσης cognitionem Attici Episcopi Constantinopolitani literas ad Agapetum Synodorum Episcopum in Phrygia Pacatiana, nisi potius ex lectione Socratis l. 7. c. 3. constaret, eum interpretis, & pararii pacem conciliantis, non autem judicis egisse munus. Etenim cum Theodosius Orthodoxorum Episcopus Macedonianos hæreticos gravissimis injuriis divexasset, ut ab illis contra jus fasque pecunias emungeret, præcipueque Agapetum hæreticorum Episcopum variis molestiis affixisset, Constantinopolim tendit, mandatum a Præfecto Prætorio impetraturus, quo majori mole partes opprimeret. Interea Agapetus ad rectam sanamque de fide opinionem redit cum suo clero & populo, & dogma consubstantialis amplexus ad Ecclesiam Catholicam properat, & Sedem, in qua Theodosius considere consueverat, capessit, Ecclesiasque Metropoli Synadensi subjectas administrat. Redux Theodosius cum mandato Præfecti, rerum gestarum ignarus extemplo ad Ecclesiam pergit. Inde ab omnibus, qui aderant, expulsus, Constantinopolim, de injuria conquesturus, regreditur, coram Attico, se inique de Episcopatu deturbatum esse, deplorat. Atticus mœrorem Theodosii verbis lenivit, suadetque, ut genus vitæ quietum sectetur, communemque utilitatem suis privatis commodis anteponat. Γράφει τε Ἀγαπητῷ ἔχεσθαι τῆς Ἐπισκοπῆς μηδὲν ἐκ τῆς Θεοδοσίου λύπης ἀνιαρὸν ὑφορώμενον· scilicet persuaso Theodosio, Agapeto mini ab eo timendum denunciabat, non vero cognitionaliter inter eos de Episcopatu decernebat.

Cæterum Archiepiscopus Constantinopoleos cum Synodo, si alienæ Diœceseos, Alexandrinæ puta, vel Antiochenæ quæstio proponeretur, absente Diœceseos Exarcho non de causa cognoscebat, sed literis commendatitiis eum, qui meliori jure niteretur, apud proprium Patriarcham fovebat. Quod egit Proclus per Synodicas suas literas ad Domnum Archiepiscopum Antiochenum scriptas in causa Athanasii Perrhæ Episcopi a Clericis suis, ut jactabat, Ecclesia expulsi, rogans disertis verbis Domnum, ut hujus negotii curam suscipiat, litemque judicet ipse; aut si *Perrhena* Ecclesia longe distet a civitate Antiochena, vicinioribus Episcopis audientiam committat, cum Metropolita Provinciæ ob inimicitias suspectus esset Athanasio. Extat Synodicum Procli, & Cyrilli Alexandrini epistola in Actis Concilii Chalcedonensis Act. 14. Ipsaque Synodus Antiochena a Domno coacta ad hujus causæ discussionem. Τισὶ δὲ οἰκείων γραμμάτων ἐπιτρέψαι τὴν ἀκρόασιν. Cyr. in Epist. Τινὰς τῶν Ἀσυγειτόνων Ἐπισκόπων ἀκοῦσαι τῆς ὑποθέσεως. Procl. in Syn.

Porro consuetudo illa, quam Anatolius ad asserendam qualemcumque Synodi Ἐνδημούσης auctoritatem prætendit, a facto Joannis Chrysostomi manasse videtur; qui quidem a Synodo ad Quercum convocata ab Imperatore Theodosio, & Præsidibus Theophilo Alexandrino, & Paulo Heracleæ Thraciæ Episcopo, celebrata damnatus: (Dignitate Patriarchatus Honorarii non tantum Provinciæ Europæ sive Heracleensis, aut totius Thraciæ Diœceseos, sed etiam Ægyptiacæ, Anatolicæ, Asianæ, & Ponticæ Episcoporum conventum de Principis mandato exigente,) cum jussu Theodosii ad sedandum urbis tumultum a Preneto emporio e regione Nicomediæ sito, revocatus fuisset, sedem

ſedem ſuam licet invitus recepit, Decreto tamen ſexaginta quinque Epiſcoporum, qui eo tempore Conſtantinopolim convenerant, in irritum miſſis, quæ fuerant acta ad Quercum. Συνεληλυθότων δὲ τότε ἐν Κωνσταντινουπόλει ἀμφὶ ἑξήκοντα Ἐπισκόπων, ἄκυρα τέ τὰ ἐν τῇ δρυῒ πεπραγμένα, καὶ αὐτὸν ἔχειν τὴν Ἐπισκοπὴν ψηφισαμένων διετέλεσεν ἱερώμενος, inquit Sozom. l. 8. c. 19. Epiſcoporum conventus iſte nullis litteris Theodoſii Principis eſt evocatus, ſed caſu accidit, ut Conſtantinopoli propter privata negotia eo tempore convenirent, & ad hanc ſententiam expendenda eſt dictio τότε apud Sozomenum.

Inde, ut opinor, proficiſci potuit uſus & conſuetudo cogendorum ad Archiepiſcopi Synodum Epiſcoporum ex omnibus Provinciis, & Diœceſibus, qui Conſtantinopolim undecumque appellerent. Adeo vero commoda viſa eſt iſtius generis Synodus, ut etiam poſt conſtitutam Patriarchæ Conſtantinopolitani juriſdictionem in Aſianam, Ponticam & Thraciam a Concilio Chalcedonenſi, ſæpe de graviſſimis rebus una cum Epiſcopis Conſtantinopoli commorantibus Archiepiſcopus diſceptarit. Cujus rei illuſtre nobis erit exemplum Leonis Auguſti Epiſtola ad Anatolium Conſtantinopolitanum, quærentis de Synodi Chalcedonenſis viribus & auctoritate, quænam eſſet omnium Epiſcoporum Chriſtiani orbis ſententia, ut his veluti de novo elicitis ſuffragiis exortas Alexandriæ ſeditiones componeret. Scribit ergo: *Tua ſiquidem reverentia omnes Orthodoxos Epiſcopos, qui in præſenti in hac urbe regia commorantur, nec non & reverendiſſimos Clericos ad ſe repente faciat convenire, & diligenter omnia pertractantes atque diſcutientes, de prædicto Timotheo & Chalcedonenſi Concilio, quid in commune ſapitis, cum omni celeritate meam facite cognoſcere pietatem.* Eodem ſenſu ſcriptæ ſunt litteræ ad Leonem Romanum Pontificem, Baſilium Antiochenum, Juvenalem Hieroſolymorum, & ad Metropolitanos Epiſcopos in tertia parte Concilii Chalcedonenſis.

Reſtat de Metropolitarum ordinatione tractatio; quam breviter finiemus, ſi prius adnotaverimus, Parœciarum Epiſcopalium, & Provinciarum diviſiones jam ab ipſis Apoſtolis conſtitutas fuiſſe, cum juxta præceptum B. Pauli Apoſtoli ad Timotheum Epiſcopi κατὰ πόλιν crearentur. Unde ſemper anxie vetita fuit alienæ Eccleſiæ & Provinciæ adminiſtratio, quam latrocinium, & invaſionem veteres appellant, niſi cogente neceſſitate, aut publica utilitate ſuadente id factum foret; quod accidit ſæpiſſime turbulentis Eccleſiæ temporibus, & ſæviente undequaque perſecutionis procella διωκομένης τῆς καθόλου Ἐκκλησίας πολλάκις συνέβη, inquit Sozom. l. 7. c. 9. Adeo, ut ad fines Eccleſiaſticos legitime regendos Canonica, & Synodali auctoritate tandem indiguerit Eccleſia. Itaque & Can. VI. Nicæno, & Can. II. Conſtantinop. Can. VII. Epheſino, Can. V. & XX. Chalced. Can. XIII. & XXII. Antioch. aliiſque plurimis vetita eſt graviſſimis verbis in extraneis Provinciis ordinatio, & reliqua omnis adminiſtratio, ἵνα μὴ τῶν πατέρων κανόνες παραβαίνονται, μήδε ἐν ἱερουργίας προσχήματι ἐξουσίας τύφος κοσμικῆς παρεισδύεται, μήδε λάθωμεν τὴν ἐλευθερίαν κατὰ μικρὸν ἀπολέσαντες, ἣν ἡμῖν ἐδωρήσατο τῷ ἰδίῳ αἵματι ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ πάντων ἀνθρώπων ἐλευθερωτής, inquit Epheſinus Can. VII.

Id ſolum reliqui fecit Canon II. Synodi Conſtantinopolitanæ, ut alienæ Diœceſis Epiſcopus vocatus a Provincialibus Epiſcopis, Ordinationibus cæteriſque negotiis Eccleſiaſticis extraneæ Provinciæ intereſſe poſſet his verbis prohibitoriis: Ἀκλήτους δὲ Ἐπισκόπους ὑπὲρ διοίκησιν μὴ ἐπιβαίνειν ἐπὶ χειροτονίᾳ ἢ τισιν ἄλλαις οἰκονομίαις. Id eſt, ex interpretatione Zonaræ, ne extra Diœceſim ſuam, & ditionis ſuæ terminos accedant Epiſcopi cujuſlibet ſacræ functionis exercendæ gratia, niſi plurium Epiſcoporum ex Apoſtolici Canonis Decreto ſuaſu atque hortatu. Quod ait ille de Canone Apoſtolico, refertur ad Canonem XIV. & XXXV. Apoſtolorum, qui prohibent, ne quis Epiſcopus in alienam Provinciam inſiliat, niſi eum cauſſa rationabilis urgeat, & hoc non ex ſeipſo ἀλλὰ κρίσει πολλῶν Ἐπισκόπων καὶ παρακλήσει μεγίστῃ. Et ſane Patres Conſtantinopol. hac in parte Canonis illius Apoſtolici rationem habuerunt, & Nicænæ definitionis, ut ipſimet teſtantur in Synodica Epiſtola ad Damaſum & Synodum Romanam apud Theodor. l. 5. c. 9. *De adminiſtrationibus*, inquiunt, *quæ ſunt cujuſque Eccleſiæ propriæ, cum vetus, uti noſtis, lex eſt* παλαιός τε, ὡς ἴστε, θεσμὸς κεκράτηκε· *tum Sanctorum Patrum in Nicæno Concilio deciſio*, ut videlicet *ſingularum Provinciarum antiſtites una cum finitimis, modo ipſis ita viſum fuerit Epiſcopis, miniſtros ad ipſarum commodum in ſuis ipſorum Provinciis ordinent*, τοὺς τῆς ἐπαρχίας καὶ εἴπερ ἐκεῖνοι βούλοιντο, σὺν αὐτοῖς τοὺς ὁμόρους πρὸς τὸ συμφέρον ποιεῖσθαι τὰς χειροτονίας. Ubi facultas illa vocandorum confinium Epiſcoporum referri debet non ad Canonem Nicænum, qui nullam juris illius mentionem facit, ſed ad veterem legem, quam non ineleganter cum definitione Nicæna conjunxerunt. Quæ vetus lex alia cenſenda non eſt, quam Canon Apoſtolorum XIV. & XXXV. ut vel hinc Canonum illorum ſaltem primorum antiquitas comprobari poſſit. Sancita eſt etiam exceptio illa rogandorum confinium Epiſcoporum Can. XIII. & XXII. Synodi Antiochenæ, quam interpellationem ex ſcripto fieri debere monet his verbis: Εἰ μὴ παρακληθεὶς ἀφίκοιτο διὰ γραμμάτων τοῦ τε Μητροπολίτου καὶ τῶν σὺν αὐτῷ Ἐπισκόπων.

Quid egit ergo Conſtantinopolitanus Archiepiſcopus, ut ad ſe Thraciæ, Ponticæ & Aſianæ ordinationes traheret? nempe fretus Sedis ſuæ ſplendore & nova dignitate illi a Patribus conceſſa, ſe Metropoliticis ordinationibus immiſcuit, vocatus a Provincialibus Epiſcopis, & rogatus ſub ſpecie coercendi ambitus, pecuniariæ nundinationis avertendæ, & ſeditionum, quæ in civitatibus emergebant, auctoritate ſua ſedandarum: & ita, quod per modum exceptionis ſtatutum fuerat, in apertum jus vertit. Alioqui ſi callida iſta canonis interpretatio non recipiatur, quonam commento tueri potuiſſent Epiſcopi Conſtantinopoleos, quod ab ipſis tentatum fuerat in Aſianæ Diœceſeos ordinationibus, non ſolum Metropolitarum, ſed etiam ſecundi gradus Epiſcoporum, quas ipſe Archidiaconus Aetius Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ afferere non eſt auſus in Concilio Chalcedonenſi. Etſi Philippus Presbyter Conſtantinopolitanus quindecim Epiſcoporum ordinationes, imo & depoſitiones in Aſia a Joanne Chryſoſtomo factas ad probationem juris ſui profert Act. XII. Concilii Chalcedonenſis; Ὁ ἐν ἁγίοις Ἰωάννης Ἐπίσκοπος Κωνσταντινουπόλεως δεκαπέντε Ἐπισκόπους καθεῖλεν ἀπελθὼν ἐν Ἀσίᾳ καὶ ἐχειροτόνησεν ἄλλους ἀντ' αὐτῶν. Confirmant rei geſtæ veritatem Socrates l. 6. c. 10. Sozom. l. 8. cap. 6. Palladius, Georgius Alexandrinus, & cæteri, qui Chryſoſtomi res attigerunt. Sed obſervandum eſt, negotium iſtud reprehenſione non caruiſſe, imo & ab Iſaacio Epiſcopo inter accuſationis contra Joannem delatæ elogia, in Synodo ad Quercum propoſitum fuiſſe. Etenim accuſatorio ſuo libello decem & octo capita comprehendit, quorum decimo Joannes accuſatur aliorum invaſiſſe Provincias, ibidemque Epiſcopos ordinaſſe. Δέκατον, ὅτι ἐπιβαίνει ἀλλοτρίαις ἐπαρχίαις, καὶ χειροτονεῖ Ἐπισκόπους, apud Photium in Bibliotheca, Themate 59.

His ſimilia ſcribit Sozom. l. 8. cap. 6. Ἐπῃτιῶντο Ἰωάννην, ὡς ἀρχηγὸς νεωτερισμοῦ τῆς Ἐκκλησίας ἐγένετο, καὶ τὰ δίκαια τῶν χειροτονιῶν παρὰ τοὺς πατρίους νόμους ἐκαινοτόμησεν. Quæ verba valde urgent ad ſententiæ noſtræ probationem. Neque enim adeo inſipidus fuiſſet Iſaacius Epiſcopus, & tantæ

accu-

accusationis consultores adeo hebetes, ut ordinationes in alienis Provinciis, id est, Asiana & Pontica crimini verterent, si Joannes id ex muneris Episcopalis necessitate, & Sedis suæ jure peregisset. Sed quia omnis administratio Ecclesiastica concredita fuerat Provinciarum Synodis, in Asiana Diœcesi, contra Canones manifeste peccasse videbatur, dum se Asianæ Synodo in Urbe Ephesina coactæ ad Ephesini Episcopi ordinationem immiscuit. Etenim hæc ordinatio fieri debebat ab Asiana Synodo, ut monet Julianus Episcopus Coensium Sedis Apostolicæ vicarius in Concilio Chalced. Act. XII. Ἡ Σύνοδος ἡ Ἀσιανὴ ἐπιλέξεται, aut saltem a Provincialibus Episcopis.

Quid ergo? damnabimus temeritatis eum virum, quem Romanus Pontifex & Catholica Ecclesia damnatum fuisse a Theophilo Alexandrino, & a Synodo Constantinopoli coacta ab Arcadio conquesta est, & in diptycha referri, invitis licet adversariis, constantissime pervicit? Minime. Sed hujus facti ratio nobis constabit, si advertamus, Asianarum Ecclesiarum disciplinam ita labefactatam fuisse, ut Sacerdotia pene sub hasta, & licitationis calore deploratis viris addicerentur. Quo nomine reus delatus fuerat Antoninus Episcopus Ephesi, sed tergiversante accusatore, & variis calumniis & ludificationibus dilato judicio, pendente reatu fato functus est Antoninus: statimque aut Provincialis Synodus, aut Asianæ Diœcesis convenit Ephesum ad successoris ordinationem, quæ studio partium scissa in acres contentiones & tumultus erumpebat, nisi Joannis illuc adventantis auctoritate, & prudentia omnium animi compositi fuissent ad molestiam, permissumque illi fuisset de communi sententia Heraclidem Cyprium, Diaconum suum, illius Sedis Episcopum instituere, ut notant Socrates, Palladius, Sozomenus, Georgius Alexandrinus, & reliqui scriptores, qui res Chrysostomi descripserunt, præcipueque Socrates l. 6. c. 10. gravium illarum & acerbarum contentionum meminit. Aut ergo in dissidio illo Provincialium Episcoporum rogatus, & vocatus ab omnibus, aut a prudentioribus advenit secundum Canones, aut ipse sua sponte, & publica tantæ Ecclesiæ necessitate suadente, Ephesum properavit ad tumultus avertendos, & Episcopatus illius timendam nundinationem; quæ publica necessitas, Synodicæ vocationis & petitionis vicem implebat; isque color tandem effecit, ut in cæteris etiam Metropolitanis Sedibus Asianæ, Thracicæ, & Ponticæ ordinandis locum suum obtineret Archiepiscopus Constantinopolitanus, ut prudentissime observant Patres Chalcedonenses in Synodica ad Leonem Papam. Etsi ergo in Canones incidisse videatur Joannes, & in Provincias extraneas insiluisse, tamen viam patefecimus, qua legitime in civitatem Ephesinam progredi, & utilissime se negotio ordinationis præsentem exhibere debuerit.

Porro quia privilegia honoris illi tributa erant post Romanum Episcopum in Ægyptiaca, Anatolica, Pontica, Thracica & Asiana Diœcesibus, non mirum est, si huic Asianæ Synodo præfuerit, ut Archiepiscopus, & Exarchus Honorarius, & eo nomine Heraclidem Episcopum ordinarit; imo & de Synodi illius Ephesinæ sententia Episcopos illos tredecim in Asia exauctorarit, suisque legibus, & institutis Provincias omnes vicinas exornarit, ut docet Theodoretus lib. 5. cap. 28. in Pontica vero Diœcesi Gerontium Nicomediensem expulerit, & illi Pansophium reclamante civitate substituerit apud Sozomenum lib. 8. cap. 6. quam exauctorationem antea quidem rogatus ab Ambrosio Mediolanensi acriter tentaverat Nectarius, sed frustra renitentibus Nicomediensibus. Hic monendus est lector, ne se transversum agi patiatur a Christophorsono, qui apud Sozomenum rogatum interpretatur ab Ambrosio Nectarium, ut Gerontium Episcopatu privaret, quasi jus dejiciendi ad illum pertineret; quin potius Helladio Cæsareæ Episcopo, qui Gerontium ordinaverat, & Ponticæ Synodo non competeret. Verba ergo Sozomeni ita vertenda sunt: Ἔγραψε Νεκταρίῳ ἀφελέσθαι Γεροντίου τὴν ἱερωσύνην. *Scripsit Nectario, ut Gerontio Sacerdotium auferretur*, id est, ut Nectarius a Pontica Synodo deponendum satageret. Hoc ad Episcopalem sollicitudinem, & piam vicinarum Ecclesiarum curam pertinet. Indicere vero privationem, ad jus, auctoritatem & jurisdictionem Patriarchalem, quæ, ut aberat a Nectario, ita ad eum non scripsit Ambrosius, ut Gerontium abdicaret Episcopatu, sed ut Gerontio auferretur.

Cæterum quod in Thracia Joannes Serapionem Heracleæ Episcopum instituit, καὶ χειροτονεῖ Σεραπίωνα τῆς ἐν Θρᾴκῃ Ἡρακλείας Ἐπίσκοπον apud Socratem l. 6. cap. 15. & Sozom. l. 8. cap. 19. minoris est negotii, quia scilicet, cum Episcopus Constantinopolitanus esset unus e Provincialibus Provinciæ Heracleensis, sive malis Europæ & Bosphori Episcopis, juxta Canones, & interesse huic ordinationi, & ex præscripto Canonis Constantinopol. præesse debebat. Sed ut monuimus supra, etsi aliquantum de pristina dignitate Metropolitanus Heracleæ remisisset, tamen jus auctoritatemque Metropolitæ in ipsa Chrysostomi depositione in Synodo ad Quercum exercuit, ut docent Acta Synodi apud Photium Tmemate 59. ita ut πρῶτος Συνόδου appelletur: licet Theophilo Alexandrino ex aliena Diœcesi ad hanc causam ab Imperatore evocato προεδρία sine dubio conservata esset.

Sed quia tot tantasque turbas exciverat pius alioqui Joannis Chrysostomi Nectario suffecti conatus, dum criminis alienarum Provinciarum contra mores antiquos invasarum in Synodo ad Quercum insimulatur, successoribus Episcopis cautius, & tutius esse visum fuit, si ad amoliendam tot Episcoporum Provincialium invidiam, se Principum auctoritate munirent. Itaque Atticus Archiepiscopus a Theodosio juniore rescriptum elicuit, quo privilegium a Synodo Constantinopolitana irrogatum confirmaretur, imo etiam rescripti verbis contra mentem & sententiam Canonum amplificaretur. Decrevit enim Theodosius, ut Metropolitani ab Episcopo Constantinopoleos ordinarentur, & Illyriciani Episcopi ad eum de rebus dubiis referrent. Priorem legem recenset Socrates l. 7. cap. 28. dum refert, a Sisinnio Constantinopoleos Archiepiscopo Proclum designatum fuisse Cyzici Hellespontiacæ Provinciæ Metropoleos Episcopum; eumque ad eam urbem profecturum anteversum a Cyzicenis, qui Dalmatium Monachum sibi Episcopum ordinarunt. Hoc ab illis factum est, inquit Socrates, *neglecta illa lege, quæ jubet, ne quis Episcopus designetur absque sententia & auctoritate Episcopi Constantinopoleos.* Ἀμελήσαντες τοῦ νόμου τοῦ κελεύοντος παρὰ γνώμην τοῦ Ἐπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως, χειροτονίαν Ἐπισκόπου μὴ γίνεσθαι· ἠμέλησαν δὲ τοῦ νόμου τούτου, ὡς Ἀττικῷ μόνῳ εἰς πρόσωπον παρασχεθέντος· ἔμεινεν οὖν ὁ Πρόκλος οἰκείας μὲν Ἐκκλησίας, μὴ προεστώς, ἐν δὲ ταῖς Ἐκκλησίαις τῆς Κωνσταντινουπόλεως κατὰ τὰς διδασκαλίας ἀνθῶν.

In hac narratione sunt adnotanda tria. Primum est, Sisinnium nisum fuisse tantum lege Theodosii, non Canone Constantinopolitano, aut consuetudine, quæ nondum plene invaluerat. Secundum est, neglectam fuisse a Cyzicenis legem illam, eo prætextu, quod solam Attici Archiepiscopi personam respiceret, neque perpetuam Sedi Constantinopolitanæ prærogativam indulgeret. Atqui si lex illa data esset ad Canonis Constantinopolitani executionem, neque Cyzicenorum contemptui patuisset, qui debitam Canonibus reverentiam saltem ab Episcopis Provincialibus moniti impenderent; neque potuisset exceptione illa eludi, quod personale rescriptum esset, cum sententia Canonis perpetuum jus Sedi Constantinopoli-

politanæ tribuerit; quod vel hinc constat, tantum fuisse Honorarium. Tertio loco observandum est, etsi prior ordinatus fuisset Proclus a Sisinnio, Cyzicenorum tamen intercessionem, & Dalmatii posteriorem ordinationem invaluisse; ex quo demonstratur apertissime, auctoritatem Episcopi Constantinopol. in ordinationibus Metropolitanorum nonnisi precariam fuisse, & tacito consensu a consentientibus prorogatam. Alioqui Sisinnius tantam injuriam severissime ultus fuisset, tum adversus Dalmatium Cyziceni Sacerdotii invasorem convocata Synodo, ut hoc casu fieri debere monet Canon XVIII. Synodi Antiochenæ, tum adversus Cyzicenos ipsos læsi Principis motu, & imperio fretus.

Altera Theodosiana lex, quæ de Illyricianæ Diœceseos Episcopis statuit, relata est tum in Codice Theodosiano l. 45. tit. 16. de Episcopis. tum apud Justinian. l. 6. C. de Sacrosanctis Ecclesiis, cujus sunt hæc verba: *Omni invocatione cessante vetustatem, & Canones pristinos Ecclesiasticos, qui usque nunc tenuerunt, etiam per omnes Illyrici Provincias servari præcipimus, ut, si quid dubietatis emerserit, id oporteat (non absque scientia viri reverendissimi Sacrosanctæ legis Antistitis urbis Constantinopolitanæ, quæ Romæ veteris prærogativa lætatur) conventui Sacerdotali sanctoque judicio reservari.* Hanc legem, quia ad nostram Spartam pertinet, & male ab illustrissimo Cardinale Perronio enarrata est, & a Photio Patriarcha Constantinopolitano in alienum sensum detorta, juxta mentem Theodosii *παραφραστικῶς* interpretabor. Neque enim placet, quod ex conjectura scribit eruditissimus Cardinalis, subreptum fuisse religioni Theodosii ab Attico, dum illi insinuat recusationem Illyricianorum Episcoporum submittere illi se ut Patriarchæ nolentium, ab Arsacio decessore suo initium sumpsisse, quam lex innovationem appellat; Minus vero placet, cum pristinorum Canonum, & vetustatis nomine, Canonem III. Constantinopolit. intelligit, Privilegium Sedi Constantinopolitanæ irrogantem. Nam genuinus & verus legis illius sensus hic est: ut antiqui mores, & Canones Ecclesiastici vim suam obtineant, etiam in Provinciis Illyrici, ut in cæteris reliquarum Diœceseon Provinciis; ita ut si quid innovatum fuerit contra Canones aut principalibus rescriptis, aut Præfectorianæ Sedis mandatis, omni careat effectu. Hæc est prior legis Theodosianæ pars, quæ jubet in universum, ut sua Canonibus, & moribus antiquis constet auctoritas, etiam in Provinciis Illyrici, ubi aliquid contra fuerat innovatum. Et plane sententia illa respondet effato Concilii Nicæni, *τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω*, & Novellæ 131. *Τάξιν νόμων ἐπέχειν τοὺς ἁγίους ἐκκλησιαστικοὺς κανόνας*. Addit in sequenti parte legis, ut, si quid dubietatis emerserit, id conventui Sacerdotali reservetur. Ubi latet leve mendum, quod dominum Perronium præcipitem egit, castigarique potest e Codice Theodosiano, qui legem illam exhibet, substituto in locum particulæ *ut*, adverbio *tum*, cum præcedenti commate, ita ut e lectione Codicis Theodosiani ultima verba non sint conjungenda, & in unam sententiam cogenda cum priore, contra quam lectio Codicis Justiniani præferat. Deleto ergo *τῷ ut*, & substituta dictione *tum*, hic erit germanus sensus edicti. Tum (id est stabilita in universum Canonum sacra auctoritate) si quid dubietatis emerserit in illorum interpretatione & executione, id oportet committi non Magistratuum, & judiciorum discussioni, aut Præfecti auditorio, sed conventui Sacerdotali, & Synodis Episcoporum cujusque Provinciæ, aut etiam Illyricianæ Diœceseos. Mens ergo primaria hæc est, ut Canonicas quæstiones a publicorum judiciorum, & ipsius Præfecti Prætorio cognitione submoveat (quod patet ex ipsa legis inscriptione, quæ ad Philippum Præfectum Prætorio Illyrici dirigitur,) & Synodis Episcoporum committat. Quod rectissime congruit cum lege altera relata in Codice Theodosiano eodem titulo lib. 23. *Qui mos est causarum civilium, iidem in negotiis Ecclesiasticis obtinendi sunt, ut, si qua sunt ex quibusdam dissensionibus levibusque delictis ad religionis observantiam pertinentia, locis suis, & a suæ Diœceseos Synodis audiantur: exceptis, quæ actio criminalis ab ordinariis extraordinariisque judicibus, aut illustribus potestatibus audienda constituit.* Unde colligi potest, ut hoc etiam per transennam adnotetur, parem ex hac lege tributam Diœceseon Synodis auctoritatem in rebus Ecclesiasticis, Vicariorum jurisdictioni in rebus civilibus, quod infra copiosius ostendetur, cum tractabitur de jure appellationum. Interim sufficit observasse, Canonicas quæstiones Diœceseos cujusque Synodis fuisse reservatas a Valente, Gratiano & Valentiniano, quod specialiter postea observandum decernunt in Provinciis Illyrici Honorius & Theodosius. Ex iis, quæ disseruimus, constat evidenter, non fuisse decretam nominatim Canonum Constantinopolitanorum confirmationem, neque vetustatis nomine, & pristinorum Canonum in dicta lege commemoratorum insinuatum fuisse Novæ Romæ Patriarchatum, ut perperam existimavit Cardinalis Perronius.

Superest tamen discutiendus ille nodus, qui proficiscitur ab illa exceptione, qua potestas & cognitio Illyricianæ Synodi restringitur, & quasi aliud agendo Sedis Constantinopolitanæ auctoritas augetur. Statuit enim Theodosius, ita reservandas cognitiones Canonicas Conciliis Illyricianis, ut nihil definiatur absque scientia Constantinopolitani Episcopi, quia veteris Romæ prærogativa urbs Constantinopolitana lætatur. Hoc loco fateor, allusum fuisse ad Canonem III. Syn. CL. Patrum, eorumque Decretum amplificatum fuisse hac lege in gratiam Episcopi Constantinopolitani. Etenim jurisdictionem illius tacite propagare conatur in Orientale Illyricum, ea ratione, quod Nova Roma iisdem fruatur privilegiis cum vetere; adeoque, cum Illyriciani Episcopi subessent Patriarchatui Romano, regerenturque a Pontificis Maximi Vicario Thessalonicensi Episcopo, non absurdum esse videbatur, si Constantinopolitanus Episcopus in eam partem sollicitudinis vocaretur, vicesque Romani Episcopi obtineret in iis Provinciis, quæ propius abessent ab urbe Regia, Vicariaque potestate uteretur ad exemplum Thessalonicensis Episcopi, cum Nova Roma iisdem privilegiis cum veteri frueretur. Sed rescriptum Imperatoris caruit effectu, ut ostendam, postquam Photii hallucinationem indicavero.

Is ergo ita sententiam legis capit, ac si jussisset Theodosius, quæstiones Canonicas, motas in Illyrico, definiendas esse ab Archiepiscopo Constantinopoleos & ejus Synodo. *Ὅτι τὰς ἀναφυομένας κανονικὰς ἀμφισβητήσεις ἐν ὅλῳ τῷ Ἰλλυρικῷ οὐ δεῖ τέμνεσθαι παρὰ γνώμην τοῦ Ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως καὶ τῆς αὐτοῦ Συνόδου, ἥτις ἔχει τὰ πρεσβεῖα τῆς ἀρχαίας Ῥώμης*. Quod alienum est a mente Theodosii, qui definitiones istas Synodis Provinciarum, imo & Synodo universali Diœceseos Illyricianæ attribuit, non vero Synodo Constantinopolitanæ, sive *τῇ Ἐνδημούσῃ*. Quæstiones enim istæ locis suis, & a suæ Diœceseos Synodis audiri debent, inquiunt Valens, Gratianus, & Valentinianus d. l. 23. C. Theod. Idque disertis verbis statutum est Canone VI. Concilii Constantinopolitani, quo decernitur, ut Provinciales Episcopi primum cognoscant; Et si illi tantæ cognitioni pares esse non possunt, tunc accedatur ad majorem Synodum Episcoporum illius Diœceseos, qui hac de caussa convocati fuerint, *τότε αὐτοὺς προσιέναι μείζονι Συνόδῳ τῶν τῆς διοικήσεως Ἐπισκόπων ἐκείνης, ὑπὲρ τῆς αἰτίας ταύτης συγκαλουμένων*. Ubi Zonaras exempli caussa *Thraciam*,

in-

inquit, *vel Macedoniam Diœceseos appellatione complectimur*, Macedoniæ nomine, ubi sedes erat Illyricianæ Præfecturæ, Illyricum Orientale significans. Cæterum lex ista Theodosii nullum effectum est sortita, etenim Illyricum per quadringentos annos a promulgatione illius legis Patriarchatui Romano, & Sedis Apostolicæ Vicario Episcopo Thessalonicensi paruit, donec per vim ab Occidentali tractu discerptum est circa tempora Leonis Philosophi, prætextu fortasse sumpto ab ista lege Theodosii, ut infra demonstrabitur exercitatione sequenti. Quinimo Clerici Ecclesiæ Constantinopolitanæ, ne verbum quidem hac de re fecerunt in Synodo Chalcedonensi, cum adeo validis clamoribus privilegia Sedis Constantinopolitanæ assertum & amplificatum irent, neque jus aliquod in Provincias Illyrici Canone XXVIII. obtinuerunt, sed tantum in Thraciam, Ponticam & Asianam. Mirandum tamen esset, cur saltem legis alterius a Socrate relatæ non meminissent, nisi suspicaremur, ab iis ideo prætermissam, quia in gratiam Attici solius scripta esset, ut a Cyzicenis Sisinnio responsum fuit. Vel ideo sane, quod multis præjudiciis ipso etiam Anatolio decernente confixa, & obliterata essent Principum rescripta in negotiis Ecclesiasticis, & Metropoleon prærogativis, non solum in caussa Nicomediensis & Nicæni Episcopi Tyrensis & Berytensis, sed etiam in Patriarchatu Hierosolymitano. Etenim cum Juvenalis Episcopus Hierosolymorum, ex occasione discordiæ subortæ in Concilio Ephesino inter Cyrillum Alexandrinum, & Joannem Antiochenum, Palæstinas sibi vindicare non potuisset, & a Patriarchatu Antiocheno divellere; id tandem obtinuit Imperatoriis rescriptis, per gratiam, ut existimo, Episcopi Constantinopolitani viam sibi per hæc exempla facientis, ad sui Patriarchatus Honorarii incrementum. Distractæque sunt Arabia, Phœniciæ & Palæstinæ, adjudicatæque Sedi Hierosolymitanæ. Sed cum executioni intercessisset Antiochenus, lites exortæ sunt inter utramque Ecclesiam, quas transactione litigatoribus sopire placuit; ita ut Arabia, & duæ Phœniciæ remanerent sub jurisdictione Antiochenæ Ecclesiæ, tres vero Palæstinæ cederent Hierosolymitanæ, abrogatis principalibus rescriptis, & mulctis in contumaces illatis *ἀργούντων πάντων τῶν πραγματικῶν, καὶ τῶν ἄλλως πορισθέντων τοῖς μέρεσι θείων γραμμάτων, καὶ τῶν περιεχομένων αὐτοῖς προστίμων*, quam Patrum conventionem Synodus Chalcedonensis, & judices cognitores decreto suo confirmaverunt, Act. VII. Qua fronte ergo potuisset Anatolius ad Sedis auctoritatem confirmandam Theodosii constitutiones, quas ipse in hoc genere causarum damnabat, proferre.

Adeo autem paulisper invaluit in ordinandis Metropolitis Episcopi Constantinopolitani potestas, Chrysostomi exemplo firmata, & Imperialibus mandatis roborata, ipsaque Secundæ sedis dignitate, ut Cæsarenses Cappadoces post obitum Firmi Cæsareæ Archiepiscopi, de successore deliberantes, totius Ponticæ Synodi suffragiis rem integram ad Proclum Constantinopoleos Archiepiscopum detulerint, & per Legatos suos ordinandum Episcopum postulaverint. Ille vero rem plane admirabilem aggressus est, inquit Socrates l. 7. c. ultimo, & ex omnibus Senatoribus, qui ad Ecclesiam accesserant, Thalassium Expræfectum Prætorio Illyrici ad Præfecturam Prætorianam Orientis mox provehendum Cæsareæ Episcopum ordinavit, *ἀντὶ ὑπάρχου Ἐπίσκοπον τῆς Καισαρείας ἀνέδειξε*. Sed nullum inde trahi potest argumentum, Proclum jure suo usum fuisse in ea ordinatione, cum rogatus id egerit; quod per omnes Canones semper licuit. Insigne tamen cæteris Ecclesiis præbitum fuit exemplum, ut haberent, quod sequerentur, vel hinc edoctæ fasces, esse tandem submittendos throno Regiæ civitatis.

Restat, ut de Ephesini Episcopi ordinatione animose a Constantinopolitanis expetita pauca agamus, vel eo maxime nomine, quod occasio inde captata fuit in Synodo Chalcedonensi de jure Constantinopolit. Sedis contendendi. Igitur Act. XI. Bassiani olim Ephesini Episcopi adversus Stephanum expostulatio proposita est, & rescripto Marciani in Synodo discussa. Hic Memnone, & Basilio Episcopis Ephesi fato functis, per vim ab arenariis, & fæce plebis largas illius in pauperes erogationes hoc beneficio veluti rependentis absque Synodi suffragiis adeptus fuerat Sedem Episcopalem. Re delata ad Imperatorem Theodosium statim Eustathium Primicerium Silentiariorum delegavit, qui Ephesi de hoc negotio cognosceret, eodemque rescripto Bassiano confirmavit Episcopatum: *ἐπέστειλε σάκραν· πάλιν διὰ Εὐσταθίου τοῦ Σιλεντιαρίου βεβαιοῦσαν τὴν Ἐπισκοπήν*. id est, interdicto uti possidetis vim fieri vetuit, ut vel hinc pateat, satis antiquam esse regiam de possessione beneficiorum decernendi potestatem, adeo, ut ei Judicibus regiis afferendæ Martini V. concessio necessaria non sit, etsi non contemnenda; servata tamen Synodicæ cognitioni de titulo & ordinatione quæstione, ut fecisse Theodosium, statim ostendetur. Relatione facta Bassianus Constantinopolim adivit, redivitque in gratiam cum Proclo Archiepiscopo, & ab eo susceptus est in Communionem, & cæteris Episcopis in urbe Regia residentibus ita volente Theodosio. Tamen postquam per quatuor annos Episcopatum retinuit, factione Stephani Episcopi per vim deturbatus est de Sede, in custodiam detrusus, & in ejus locum subrogatus Stephanus quadraginta Asianorum Episcoporum suffragio. Vitium ordinationis violentæ Bassiani favebat Stephano, idque maxime, quod consulti a Theodosio Patriarchæ responderant, Episcopatu Bassianum esse abdicandum. *Ἐξώσθη παρὰ τοῦτο παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων, παρά τε τοῦ ὁσιωτάτου τῆς βασιλευούσης Ῥώμης Λέοντος καὶ τοῦ μακαριωτάτου Φλαβιανοῦ τοῦ ἐν ὁσίοις, τῆς βασιλευούσης Κωνσταντινουπόλεως, καὶ παρὰ τοῦ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, καὶ παρὰ τοῦ Ἀντιοχείᾳ παρὰ τούτων ἐξώσθη κρίσει Βασιλικῇ*, inquit Stephanus, quod infra liquidius explicat. *Ἀνηνέχθη παρὰ τοῦ Ἐπισκόπου τῆς Ἀλεξανδρέων πόλεως, τοῦ ἐν ἁγίοις Θεοδοσίου τοῦ Βασιλέως γράψαντος ἐκεῖ. ἠνέχθη δὲ γράμματα καὶ παρὰ τοῦ μακαριωτάτου Πάπα, τοῦ ἐν Ῥώμῃ ἁγιωτάτου Ἐπισκόπου. ὥστε τοῦτον μὴ δεῖν εἶναι Ἐπίσκοπον*. Et in hac damnatione cardinem suæ causæ constituebat, præcipueque in sententia Romani Episcopi. Unde tandem exclamavit: *Ὁ ἁγιώτατος Ἀρχιεπίσκοπος Λέων ὁ Ῥώμης τοῦτον καθεῖλεν, ἐπειδὴ παρὰ κανόνας ἐγένετο*. Quæ damnatio ita intelligenda non est, ac si sententia quædam solenni judiciorum ordine inter partes prolata fuisset, minime. Sed de responso ad Imperatoris consultationem a Romano Pontifice cæterisque Patriarchis dato, quo tanquam lege & regula Asiana Synodus uti debuerat, & ab ea vocatus Bassianus insinuatis illi Patriarcharum, & præcipue Romani Pontificis sententiis, Sede sua Canonice privandus erat, non vero per vim, & sine ulla cognitione causæ depellendus, & carceri tradendus. Quod quia observatum non fuit in Bassiani *καθαιρέσει*, sed omnia tumultu acta sunt, & *ἀθέσμως*, ut inquit Anatolius. Ideo uterque Bassianus & Stephanus ab Episcopatu dejecti sunt cognitorum Judicum interlocutione & totius Synodi Decreto, dignitate Episcopali utrique servata, & competentibus salariis, unde se honestius alerent, quæ ducentis solidis aureis unicuique taxata sunt, Act. XII. *παραμυθίας προσηκούσης*. Fatendum tamen est, valde Stephano nocuisse, quod adversus Flavianum Constantinopolitanum in Ephesino latrocinio Dioscori motum sequens valde injurius fuerat, adeo, ut ei omnes Episcopi & Clerici Constantinop. in os occinuerint: Vide quantum possit Flavianus post mortem. Ecce ultio. *ἴδε ἐκδίκησις*.

Non est prætermittendum in hac quæstione, deli-

delibata fuiſſe Conſtantinopolitanæ Sedis jura, tentatumque fuiſſe, ut Baſſianus reciperet Epiſcopatum, favente Luciano Byzæ Heracleenſis Vicario, ſtudioſoque privilegii Conſtantinopolitani propugnatore, & Meliphthongo Juliopolitano Galatiæ primæ Epiſcopo. Inquit enim Lucianus: *Πῶς οἷόν τε ἐςὶ νῦν Βασσιανὸν ἐξεῶσαι παρὰ τὴν τῶν κανόνων ἀκολουθίαν, τοῦ καὶ μάλιςα τὸν μακαριώτατον Πρόκλον τὸν τῆς Βασιλευούσης Ἀρχιεπίσκοπον Κωνςαντινουπόλεως, κοινωνῆσαι αὐτῷ καὶ διὰ συνοδικῶν γραμμάτων βεβαιῶσαι τὴν τούτου Ἐπισκοπήν.* Pertendebat ergo, non eſſe dejiciendum Baſſianum, quia Proclus eum ſuſcepiſſet in Communionem, & per Synodicas litteras ei confirmaſſet Epiſcopatum. Quod adulatorie his verbis idem Lucianus ſuperius expreſſerat: *ὁ ἔχων τὸ κῦρος ἐδέξατο αὐτόν. ὁ μακαρίτης Πρόκλος ἐδέξατο αὐτόν. Proclus*, inquit, *qui habuit poteſtatem, ſuſcepit illum*. Ubi ad detegendam adulationem expendenda eſt dictio illa *τὸ κῦρος*, quod jus Metropoliticum ſignificat, præcipuamque auctoritatem Can. IV. Synodi Nicænæ, & alibi paſſim, ita ut, ſi *κῦρος*, quoddam Proclo in ordinatione Baſſiani conceſſerimus, ſtatim aſſerta ſit in Aſiana Diœceſi Patriarchalis auctoritas. Sed neque id præ ſe tulit Baſſianus, cum jus ſuum perſequeretur coram Synodo, & Magiſtratibus Conſtantinopolitanis, ipſoque Anatolio, quem hac ratione demulſiſſet. De reſcripto Theodoſii, electionem ſuam confirmante, & de inita cum Proclo concordia, & ſua cum illo cæteriſque urbicis Epiſcopis Communione tantum excipiebat, Procli Confirmationem & *κῦρος* non proferebat. *ἦλθον*, inquit Baſſianus, *ἐν τῇ βασιλευούσῃ Κωνςαντινουπόλεως καὶ λαβόμενος ἡμᾶς ὁ αὐτὸς δεσπότης* (id est, Theodoſius) *ἐμέ τε καὶ τὸν γενόμενον τῆς αὐτῆς πόλεως Ἐπίσκοπον Πρόκλον φίλους ἡμᾶς ἐποίησε. Καὶ ἐκοινώνησα μετ᾽ αὐτοῦ, καὶ μετὰ πάντων τῶν κατὰ καιρὸν εὑρεθέντων Ἐπισκόπων. Καὶ συνόδικα ποιήσας ὁ αὐτὸς ὁσιώτατος Πρόκλος ἀπέςειλε καὶ τῇ πόλει καὶ τοῖς Ἐπισκόποις καὶ τοῖς Κληρικοῖς.*

Multum vero intereſt inter *κῦρος* illud aut Confirmationem Procli, & Communionem Baſſiani cum Proclo. Hæc enim eſt charitatis & ſocietatis Chriſtianæ vinculum, veræque fidei teſſera, imo & quoddam Canonicæ ordinationis præjudicium; *κῦρος* autem eſt jus Metropoliticum, aut Patriarchale ſuperioris ordinationem Canonica auctoritate confirmantis. Hoc jure uſus non eſt Proclus, ſed tantum Baſſiano communicavit, ut Epheſiorum Epiſcopo, id eſt, agnovit eum, ut Epiſcopum Epheſinum, idque Synodicis literis datis ad Aſianæ Diœceſeos Epiſcopos teſtatus eſt. Unde prudenter ſane & eleganter judices cognitores interlocuti ſunt: *Clerus Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ nos edoceat, an Proclus ſuſceperit Baſſianum, & ei communicaverit tanquam Epiſcopo Epheſiorum Metropolis*, *ἐκοινώνησεν αὐτῷ ὡς Ἐπισκόπῳ τῆς Ἐφεσίων Μητροπόλεως*. Nullum vero electionis Decretum, aut *κῦρος* exhibendum petiverunt. Sed fortaſſe peccato memoriæ id omiſerant. Videamus, quid ſeduli harum rerum perſcrutatores Clerici Conſtantinopolitani reſponderint. Ait ergo Theophilus Presbyter juratus: *Ut coram Deo, ſuſcepit eum ſanctæ memoriæ Proclus communicantem, & Synodalibus literis honorans dimiſit eum ad Epheſum, & in diptychis poſuit ejus nomen, & recitabatur uſque ad modicum abhinc tempus*: *Ὡς ἐπὶ Θεοῦ, καὶ ἐδέξατο αὐτὸν ὁ ἐν ἁγίοις Πρόκλος κοινωνικόν, καὶ συνοδικοῖς γράμμασι τιμήσας αὐτὸν ἀπέλυσεν ἐπὶ τὴν Ἔφεσον. καὶ ἐν τοῖς διπτύχοις ἔταξεν αὐτοῦ τὸ ὄνομα. καὶ ἐλέγετο ἕως πρὸ ὀλίγου καιροῦ.* Viden' nullam τοῦ *κύρους*. aut Confirmationis mentionem factam, ſed tantum Communionis, quæ pars eſt ſocietatis charitatiſque Chriſtianæ. Quod ut pateat manifeſtius obſervanda eſt Theophili Presbyteri phraſis; Proclus, inquit, ſuſcepit Baſſianum *κοινωνικόν*, cujus dictionis vis, & uſus non eſt adhuc plane a quoquam expenſus. Significat enim Epiſcopum charitatis glutino, ut cum Cypriano loquar, univerſalis Eccleſiæ ſocietati adhærentem, nulloque hæreſeos aut ſchiſmatis vitio laborantem, ideoque ab Orthodoxis Epiſcopis in communionem myſteriorumque religionis Chriſtianæ participationem ſuſcipiendum.

Unde ille decantatus Ibas Edeſſenus Epiſcopus, ut ſe purgaret in Synodo Berytenſi eo crimine, quod Cyrillum Alexandrinum hæreticum vocaſſet, ait, ſe ab eo literas accepiſſe, viciſſimque ad eum ſcripſiſſe, poſtquam Cyrillus redivit in gratiam cum Anatolica Synodo, & Joanne Antiocheno (quem Exarchum ſuum appellat) *Γράμματα παρ᾽ αὐτοῦ ἐδεξάμην, καὶ γράμματα αὐτῷ ἔπεμψα, καὶ κοινωνικόν με ἔχε, καὶ κοινωνικὸν αὐτὸν ἔχον. Οἱ Θεοφιλέςατοι Ἐπίσκοποι εἶπον μετὰ τὸ, γενέσθαι ὑμᾶς κοινωνικούς, τίποτε εἴπας. Communicatorem* ſive *Κοινωνικὸν me ille habuit, & ego illum*, inquit Ibas. Ergone hinc colligemus Ibam Edeſſenum Meſopotamiæ Provinciæ Epiſcopum ſubditum Patriarchatui Antiocheno, jus aliquod obtinuiſſe adverſus Cyrillum Alexandrinum Archiepiſcopum? Minime, ſed ſopitis diſcordiis excitatis in Epheſina Synodo inter Cyrillum & Joannem Antiochenum, *Κοινωνικοὶ* fuerunt adinvicem Cyrillus & Ibas, ut loquuntur Epiſcopi in ſuperioribus verbis Synodi Berytenſis Act. X. Conc. Chalced.

Eodem ſenſu accipitur vox iſta in Synodo ad Quercum habita contra Joannem Chryſoſtomum apud Photium Tmemate 59. ubi accuſatur cap. 19. Libelli accuſatorii porrecti a Joanne Diacono, *ὅτι τοὺς κοινωνικοὺς τῆς οἰκουμένης Communicatores orbis* monachos ipſius voluntate incluſos, & in cuſtodia mortuos adeo contempſerit, ut ne corpora quidem ſepulturæ mandanda curarit; Iidem vocantur in libello Iſaaci Epiſcopi cap. 16. *Κοινωνικοὶ τῆς Ἐκκλησίας*. Sed illuſtrior erit locus petitus e Synodico Concilii Conſtantinopolitani II. apud Theodor. l. 5. cap. 9. Ubi Patres Conſtantinopoli Congregati a Theodoſio, dum ſe erga Damaſum Synodumque Romanam excuſant, cur Romam accedere non poſſint, tuentur ſe temporis anguſtia, cum ad longius iter parandum, tum ad Epiſcopos in ſingulis Provinciis, qui erant ejuſdem cum illis Communionis, de hac re commonefaciendos, & eorum conſenſus obtinendos, *πάντας τοὺς ἐν Ἐπαρχίαις Κοινωνικοὺς Ἐπισκόπους ὑπομνησθῆναι.*

Ex iſto Synodico emendari poteſt vetus mendum, quod hæret in Can. VI. Synodi Conſtantinopolitanæ II. quoque laborant omnes editiones Conciliorum, & Zonaræ, & Balſamonis, ita, ut inveteratum ſit ulcus. Cum enim ſtatuiſſet, hæreticos non eſſe admittendos ad Epiſcoporum Orthodoxorum accuſationem in crimine Eccleſiaſtico, licet in cauſſa pecuniaria nullum rejiciat, definiatque jus ſuum cuique tribuendum, cujuſcumque religionis fuerit, *οἵας δήποτε θρησκείας εἴη*. ſubjungit, hæreticos eos eſſe, qui damnati ſint ab Eccleſia, præterea vero eos, qui ſanam fidem profiteri ſimulantes, *ſegregaverunt ſeſe, & adverſus canonicos noſtros Epiſcopos congregationem faciunt*. *Ἀποσχισθέντας καὶ ἀντισυνάγοντας τοῖς Κανονικοῖς ἡμῖν Ἐπισκόποις.* Vel me tacente ex ſuperius adnotatis conſtat, legendum eſſe *Κοινωνικοῖς*. Quinam enim ſunt illi Canonici Epiſcopi? Canonicos quidem Pſaltas ſive cantores legimus in Concilio Laodicæno Can. XV. id eſt, eos, qui ſunt Clericorum numero adſcripti, qui recenſentur in Canone: *ἐν τῷ Κανόνι ἐξεταζόμενοι*, ut loquitur Synodus Nicæna Can. XVI. Unde Clerici vocantur *Κανονικοὶ* apud Balſamonem, & Canonici in Capitularibus Ludovici Pii, & alibi ſæpiſſime; quæ Canonicorum appellatio iis ſolis tandem remanſit, qui Presbyterum, id eſt Senatum Eccleſiæ, & potiorem partem Cleri Epiſcopalium Eccleſiarum, in Presbyteros, Diaconos, & cæteros inferioris gradus Clericos diſtributi, olim componebant, ſed Epiſcopum, qui caput eſt

Cleri,

Cleri, nomine aut appellatione *Canonici* defignatum non invenio. Eufebius quidem Dorylei Act. XI. Concil. Chalcedon. proponit, ordinari debere Canonicum Epifcopum in Ephefina Metropoli, juxta Græcorum Codicum lectionem; χειροτονηθῆναι δὲ κανονικὸν Ἐπίσκοπον, βίῳ καὶ πίστει κεκοσμημένον, id eft, qui fit iis moribus, & ea fide præditus, quam Ecclefiæ Canones in Sacerdotibus & Epifcopis fanciunt. Sed ex antiqua verfione Anaftafii Bibliothecarii legendum conftat κανονικῶς, non κανονικὸν; ita enim reddit ille Græca, *Ordinari autem regulariter debet Epifcopus prædictæ Metropolis vita & fide compofitus*. Quod maxime congruit cum Baffiani & Stephani narratione, quorum perfonæ non excipiebantur, quafi non effent & fide & moribus emendatiffimis, fed eorum canonicam ordinationem non fuiffe, proponebatur, ut notat ipfemet Eufebius, ἡ ἔφοδος τοῦ Βασσιανοῦ ἀλλότριον ἔχει τῶν κανόνων, καὶ ἡ ἀτάκτως γενομένη ἐπὶ Στεφάνῳ χειροτονία.

Ut ergo redeat, unde difceffit, oratio, ex iis, quæ differuimus, fatis evidenter conficitur, communionem Baffiani cum Proclo charitati tribuendam, non fuperiori jurifdictioni. Enimvero, fi ordinario jure Archiepifcopo Conftantinopoleos fubditus fuiffet Epifcopus Ephefinus; cur tanto conatu indiguiffet Theodofius, ad difcutiendam Baffiani ordinationem, ut Patriarchales Sedes ab illo confulendæ fuerint, præcipueque Romana? Numquid Archiepifcopus Conftantinopoleos cum Endimoufa Synodo rem iftam Decreto fuo, folus poterat definire, fi Metropoleos Ephefinæ dignitas id pati potuiffet? quod profecto verum eft; ut vel hinc jus Exarchatus, & αὐτοκεφαλίας Ephefii Epifcopi in Afianam Diœcefim comprobari poffit. Quod adhuc illuftratur teftimonio Clericorum Ecclefiæ Conftantinopolitanæ, cum Baffianum in Diptycha a Proclo relatum affirmant; quod jus folis competebat Patriarchis, ut in alienarum Ecclefiarum Diptychis recitarentur, ad Communionis jus per omnes Diœcefes confervandum, qua de re difputabimus in exercitatione fequenti.

Cæterum gradus nobis faciendus eft ad difputationem, quæ magna contentione agitata eft in Concilio Chalcedonenfi de Privilegio Conftantinopolitanæ Sedis, adeo, ut Baffiani & Stephani rejectio ad movendam quæftionem illam ex compofito, & de induftria facta videatur. Prodiit enim ftatim Eufebius Epifcopus Dorylæi, & fua fponte a nullo fententiam rogatus, quafi primæ relationis jus in Synodo haberet, de ordinatione Ephefini Epifcopi celebranda refert. Confertimque Afiani Epifcopi proftrati coram Synodo intercedunt, fui internecionem, & civitatis Ephefinæ tumultum, fi Conftantinopoli ordinetur Epifcopus, fore prædicunt: *Miferrimi noftri*, inquiunt, *fi Baffiano fucceffòrem fuadeat aliquis hic ordinari, & filii noftri moriuntur*, & ἡ πόλις ἀπόλλυται, *civitas perit*. Itaque Judices his vociferationibus moti interpellant Synodum, ubi jubeant Canones Epifcopum Ephefinum ordinari: ἐπειδὴ οἱ τῆς Ἀσιανῆς Ἐπίσκοποι οἱ ἐν ταῦτα ἀφέσθέντες, φασὶν, εἰ ἐν ταῦτα χειροτονηθείη ἱερὸς Ἐπίσκοπος, ἐν θορύβῳ γίνεσθαι τὴν Ἐφεσίων πόλιν, λεγέτω ἡ ἁγία Σύνοδος, ποῦ βούλονται οἱ Κανόνες τὸν τῆς κατ' Ἔφεσον ἁγιωτάτης Ἐκκλησίας χειροτονηθῆναι Ἐπίσκοπον· Magni momenti interrogatio, ut poffimus ex refponfione colligere, an ex præfcripto Synodi Conftantinopolitanæ ordinationes Metropolitanorum Afianæ Diœcefeos ad thronum urbis Regiæ pertineant. At refponderant Epifcopi *in Provincia*: οἱ εὐλαβέστατοι Ἐπίσκοποι εἶπον, ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ. Quod quia veriffimum erat, Diogenes Epifcopus Cyzici hoc jus Epifcopis ex confuetudine vindicare nititur, τὸ ἔθος ὧδε ἔχει, inquit ille; id eft, Confuetudo eft, ut hic ordinetur. Ita enim accipienda eft Diogenis explicatio, non ut Perronius, Baronius, & cæteri fcriptores interpretati funt, quafi Diogenes infinuaret, confuetudinem hoc velle, ut ordinaretur in Provincia. Contra vero fatagebat ille, ut defignaretur in urbe, & laudandæ Confuetudinis rationem addit, nempe ut probati Sacerdotes eligantur Conftantinopoli, & non Sagmarii, ut nudius tertius acciderat Ephefi. Difplicuit hæc oratio Leontio Magnefiæ Epifcopo, qui confuetudinem a Diogene prolatam convellit. *A Sancto Timotheo ufque nunc*, inquit, *viginti feptem Epifcopi facti, omnes in Ephefo funt ordinati, folus Bafilius violenter hic factus eft, & multæ cædes hinc ortæ funt*. Quæ Leontii contradictio male accepta eft a Philippo Presbytero Conftantinopolitano, qui depofitiones quindecim Epifcoporum factas in Afia a Beato Joanne, commemorat, Memnonemque Conftantinopoli confirmatum. Addit Aetius Archidiaconus, Caftinum etiam in urbe ordinatum, Heraclidemque, & cæteros cum confenfu Archiepifcopi Conftantinopolitani ordinatos fuiffe, μετὰ γνώμης τοῦ ὧδε Ἀρχιεπισκόπου. Quod attinet ad Bafilium, manus illi impofitas fuiffe a Proclo Archiepifcopo, & Theodofium Imperatorem Cyrillumque Alexandrinum huic ordinationi confenfiffe. Unde emunctæ naris lector Canonicam & ordinariam non fuiffe Bafilii χειροτονίαν illam, quæ tot extraordinariis fulcimentis indiguerit, mecum fubodorabitur. In hoc fententiarum diffidio, Synodus impatiens jugi, quod ex confuetudine contra Canones Ecclefiis imponere nitebantur Clerici Conftantinopolitani, & Epifcopi Hellefpontiaci, exclamavit: *Canones obtineant, voces Imperatori*. οἱ εὐλαβέστατοι Ἐπίσκοποι ἐβόησαν, οἱ Κανόνες κρατείτωσαν. τὰς φωνὰς τῷ Βασιλεῖ. Commoti Clerici clamoribus Patrum confuetudinem Canonibus adverfam rejicientium eam callido commento a Canonibus derivant: *Ea, quæ Sanctorum Patrum centum quinquaginta funt, teneant*, inquiunt, *Privilegia Conftantinopolitanis ne depereant. Ordinatio fecundum morem ab Archiepifcopo noftro fiat*. Τὰ τῶν πατέρων τῶν ρν. κρατείτω. τὰ προνόμια Κωνσταντινουπόλεως μὴ ἀπόληται. ἡ χειροτονία κατὰ τὸ ἔθος ὑπὸ τοῦ ὧδε Ἀρχιεπισκόπου γινέσθω. Judices rem totam, id eft ipfam Baffiani, & Stephani dejectionem in diem craftinam difcutiendam reliquerunt.

Ergo dum quæftio fuffragiis Epifcoporum dirimitur Act. XII. Maximus Epifcopus Antiochiæ, cenfuit, alterum effe retinendum: quis autem focio ex indulgentia præferendus effet, definiendum reliquit, non Archiepifcopo Conftantinopoleos, fed Provinciæ Epifcopis: τίς δὲ αὐτῶν ἄξιος ἐστὶ μεῖναι ἐν τῇ πόλει κατὰ φιλανθρωπίαν, τῶν τῆς ἐπαρχίας ἐστὶ θεοφιλεστάτων Ἐπισκόπων εἰπεῖν. In hanc fententiam ivit Julianus Coenfium Epifcopus Vicarius Apoftolicæ Sedis. *Secundum regulas quidem neuter eorum effe debet; per clementiam vero Synodus Afiana eligat, qui poffit effe*. Κατὰ δὲ φιλανθρωπίαν ἡ Σύνοδος ἡ Ἀσιανὴ ἐκλέξεται, τίς ὀφείλει εἶναι. Sane manifeftius profiteri non potuiffent Patres & Ordinationes, & dejectiones Afianorum Epifcoporum non Archiepifcopo Conftantinopoleos, fed Synodis Provinciarum ex præfcripto Canonum effe committendas. Interim notare poffumus acre Clericorum, & Aetii Archidiaconi ftudium, qui ex unica Bafilii ordinatione peracta a Proclo in urbe Conftantinopolitana, invitis, & renitentibus Afianis Confuetudinem, quæ ex repetitis actibus proficifcitur, pervicaciter prætendunt. Nec tantum Metropolitas vindicare fibi nituntur, quinimo, & Epifcoporum fecundi gradus Ordinationes ex confuetudine Sedi Conftantinopolitanæ afferunt, ut patet ex Aetii Archidiaconi fuggeftione, Act. XIII. qui Bafilinopoleos urbis in Provincia Bithynia fitæ, χειροτονίαν fententia Synodi Eunomio Nicomedienfi adjudicatam adverfus Anaftafium Nicænum, ad Sedem Conftantinopolitanam trahit: *Quæ*, inquit Aetius, *aut ordinationem ipfam facit in Bafilinopoli cum reliquis aut*

aut eam permittit fieri, sicut litteris, quæ factæ sunt sæpius, ostendere possumus, ἢ τὴν χειροτονίαν αὐτοὺς δέχεσθαι ἐν τῇ βασιλευούσῃ πόλει μετὰ τῶν λοιπῶν ἢ ἐπιτρέπει γενέσθαι, καθὼς καὶ τὰ φοιτῶντα γράμματα, ἃ φοιτήσαντα πολλάκις, δεῖξαι δυνήσεται. Ecce novas artes ad potentiam amplificandam, scilicet id solum restabat commenti genus, quo se Constantinopolitanas Sedes ubique venditaret, nempe permittebat ex scripto id fieri, quod Canonum auctoritate licebat, ita ut Provinciales Episcopos in recusandi indulti, & injuriæ inde secutæ, aut mandati recipiendi, & extraneæ auctoritatis agnoscendæ necessitatem truderet. Sed Synodus istam Aetii suggestionem constanter explosit, sancta Synodus clamavit. *Canones teneant, Canonibus satisfiat*, ἡ ἁγία Σύνοδος εἶπεν. Κανόνες κρατείτωσαν. τοῖς κανόσι τὸ ἱκανὸν γενέσθω. Adeo, ut Judicibus necesse fuerit ista proloqui: *Quæcumque Sedi Constantinopolitanæ Ecclesiæ de Ordinationibus in Provincia faciendis competunt, hæc suo ordine coram sancto Concilio examinabuntur*. Itaque controversia ista in aliam cognitionem est dilata, pronuntiatumque id fieri debere solenniter & ordine, κατὰ τάξιν οἰκείαν.

Quid ergo supererat aliud, quam ut Clerici Constantinopolitani, vel potius Anatolius ipse tot sententiis Patrum confossus, se intra fines a Canonibus præscriptos, parcens alienis Provinciis contineret, secundi gradus dignitate a Synodo decretæ contentus fruensque subdititii Concilii privilegio, id est τῆς Ἐνδημούσης Συνόδου, vicem legitimi & Canonici Concilii implentis, Thracicam ut naturalis, & Ordinarius Exarchus regeret; in Asiana, & Pontica Ordinationes quasdam Metropolitanorum rogatus perageret, ut mos in consequentiam secundæ dignitatis in quibusdam Provinciis invaluerat.

Sed non patiebatur ambitio, se intra limites auctoritatis precariæ cogi, imo tot intercessionum mole oppressa majore nisu in id incubuit, ne quis amplius contenderet, an Consuetudo Canones vinceret; & disputationibus Asianorum Episcoporum accensa est, ut Synodi Decreto privilegia sua confirmari, & amplificari curaret, Sedique Constantinopolitanæ Metropolitarum Ordinationes in Asiana, Pontica, & Thracica Diœcesibus addici. Quod Imperatoris potentia, illustrissimorum Magistratuum, & Senatus Constantinopolitani gratia Novam Romam ornari maximopere cupientium obtinuit.

Id enim disertissime fatentur Patres Chalcedonenses, in Synodico ad Leonem Papam, ἡμεῖς τῶν θεραπεύοντες τούς τε εὐσεβεστάτους καὶ φιλοχρίστους βασιλέας ἐπὶ τούτῳ ἡδομένους, καὶ τὴν λαμπρὰν σύγκλητον, καὶ πᾶσαν ὡς εἰπεῖν τὴν βασιλεύουσαν, ἐκυρώσαμεν τὴν ἐπ' αὐτῇ παρὰ τῆς Οἰκουμενικῆς Συνόδου βεβαίωσιν τῆς τιμῆς. Quinimo & privatorum commodorum singuli, Ecclesiarumque suarum utilitatis Episcopi rationem habuerunt, rati, se studiosius ab Archiepiscopo Constantinopoleos, & illius apud Principem gratia protegendos, si Sedi Constantinopolitanæ omnino subjicerentur. Hoc non dissimulavit Nunechius Episcopus Laodicææ Act. XVI. Δόξα τῷ θρόνῳ τῆς Κωνσταντινουπόλεως, δόξα ἡμῶν ὅτι τῆς τῶν ἐντεῦθεν τιμῆς καὶ ἡμεῖς μετέχομεν ἐπειδὴ καὶ τὰς μερίμνας ἡμῶν ἀναδέχεται. Καὶ ἀγαπῶμεν τὴν καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν Μητροπολίτην ὑπὸ τοῦ θρόνου τούτου χειροτονεῖσθαι. In eumque sensum Critonianus Aphrodisiados inquit, πάσης προστασίας ἡ Ἐκκλησία ἡμῶν τετύχηκεν.

Et sane Principis auctoritas, quæ in rebus Ecclesiasticis multum pollebat, & ad nutum Archiepiscopi Constantinopolitani movebatur, magnam dignitatem in omnium Episcoporum animis tantæ Sedi conciliabat, quod vel unico exemplo comprobabo. Accusato Iba Edesseno a Clericis suis, dum litis discussio peragebatur in Synodo Antiochena sub Domno Patriarcha, Samuel & Cyrus ad Comitatum Principis pervenerunt deserta accusatione. Quod ægre tulit Domnus, eosque ob Sedis suæ, quam θρόνον Ἀποστολικὸν vocat, contemptum deposuit. Cæterum Clerici illi Flavianum Constantinopoleos Archiepiscopum adiverunt Ibam Episcopum accusaturi, qui quidem causæ cognitionem non suscepit, sed auctor fuit Theodosio Imperatori, in Domno suspicionem aliquam causatus, Uranium Himeriorum Episcopum Metropolitam Ibæ, Photium Tyri, & Eustatium Berytensem delegandi, ut in Phœnicia illis judicibus causa distringeretur, commonitorio dato ad Damascium Tribunum, quatenus ad Orientem profectus ab Osrhoena Provincia ad Phœniciam, partes & Episcopos accusatos traduceret, remque ab illis judicatam exequeretur. Hoc autem quid aliud est, quam Consilio suo sub nomine, & auctoritate Principis se pro Patriarcha Occumenico in Oriente gerere? Quis ergo Episcoporum Anatolii votis resistere potuisset?

Sola Legatorum Apostolicæ Sedis auctoritas Anatolii audaciam comprimere poterat; ideo post Legatorum Judicumque discessum e Beatæ Euphemiæ basilica Canon XXVIII. est editus, subscriptusque a ducentis ferme Episcopis, absente Thalassio Cæsareæ in Cappadocia Episcopo Ponticæ Diœceseos Exarcho, & vacante Ephesina Sede totius Asianæ Diœceseos Metropoli. De quorum auctoritate præcipue transigebatur, illis non vocatis, contra omnem judiciorum ordinem. Vacabat equidem Alexandrina Sedes, quæ secundo loco movebatur, sed adeo illius non intererat, cum jam a sexaginta annis eo gradu deturbata esset Constantinopolitana Synodo, isque Sedium ordo per Orientis præfecturam in rem judicatam transisset. Verba Canonis sunt hæc: *Ubique Sanctorum Patrum definitiones sequentes, & Canonem, qui nuper lectus est centum & quinquaginta Deo amantissimorum Episcoporum, qui congregati sunt sub piæ memoriæ Imperatore Theodosio magno in Regia Civitate Constantinopoli Nova Roma agnoscentes, Nos quoque eadem definimus & statuimus, de privilegiis ejusdem sanctissimæ Ecclesiæ Constantinopoleos Novæ Romæ: (Etenim Sedi Senioris Romæ, quod urbs illa imperaret, Patres jure privilegia tribuerunt. Et eadem consideratione moti centum quinquaginta Deo amantissimi Episcopi, æqua privilegia tribuerunt sanctissimæ Sedi Novæ Romæ, recte judicantes, urbem, quæ & Imperio & senatu honorata sit, & æqualibus privilegiis cum seniore Regia Roma fruatur, etiam in rebus Ecclesiasticis, non secus ac illam extolli ac magnifieri secundam post illam existentem.) Et ut Ponticæ & Asianæ, & Thracicæ Diœceseos Metropolitani soli; præterea, & qui sunt in Barbarico Episcopi prædictarum Diœceseon, ordinentur a prædicto sanctissimo throno sanctissimæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ. Nimirum unoquoque Metropolita earum ipsarum Diœceseon una cum Episcopis Provinciæ ordinante Provinciæ Episcopos, ut divinis canonibus promulgatum est. Metropolitas vero earum Diœceseon ordinari a Constantinopolitano Archiepiscopo electionibus convenientibus secundum morem factis & ad eum perlatis.*

Hoc Canone a ducentis tantum Episcopis, hoc est a minore parte Concilii, cum sexcenti & amplius suffragium ferre deberent, definitio & subscriptio, die crastina gravissimis verbis Legati coram Judicibus de vi, metu, & dolo conquesti sunt Actione XVI. Actaque illa, se, Judicibusque cognitoribus absentibus, contra morem judiciorum, & Leonis mandata, qui Legatis suis præsentibus omnia fieri jusserat, esse peracta. Replicuit Aetius Archidiaconus, rogatos fuisse Romanos Episcopos, Κυρίους Ἐπισκόπους τοὺς ἀπὸ Ῥώμης, ut interessent rebus gerendis, illos vero renuisse, quo judicibus relato, mandatum ab iis fuisse, ut Synodus de negotio censeret. Iisque discedentibus, ab Episcopis, qui remanserant, Canonem illum canonice & legitime editum, nihil-

que

quæ furtim aut per insidias gestum tentatumve fuisse, ἔτε κλοπῆς τρόπῳ. Scheda a Beroniciano sacri Consistorii a secretis recitata, in qua supradictus Canon continebatur, Lucentius, per vim circumventos fuisse Episcopos, asseruit, eamque definitionem Nicænis regulis contrariam, Constitutionemque Constantinopolitanam in Synodicos Canones non esse relatam, ἐν τοῖς συνοδικοῖς κανόσι. In hoc dissidio jubent cognitores, ex utraque parte Canones proferri. Paschasinus Canonem VI. Nicænum recitavit, eundemque Constantinus sacri Consistorii a secretis e Codice porrecto ab Aetio; statimque ex eodem Codice Synodicum secundæ Synodi subjunxit. Συνοδικὸν τῆς δευτέρας Συνόδου. Tum Judices Episcopos Asianæ, & Ponticæ Diœceseos, qui Canoni relecto subscripserant, interrogant, an libere & sponte sua, an per vim, metumque illatum consensissent. Λεγέτωσαν, εἴγε οἰκείᾳ γνώμῃ, ἢ ἀνάγκης τινὸς αὐτοῖς ἐπενεχθείσης ὑπέγραψαν.

Antequam ulterius progrediar, est advertendum, hic tantum proprie de Pontica & Asiana Diœcesi quæstionem motam, judicibusque solam discutiendam visam fuisse. Ita, ut vel hinc colligere liceat, Thracicam Diœcesim, quæ a Synodo suæ Diœceseos erat regenda juxta Canones Nicænæ Ephesinæque Synodi, jam tum Archiepiscopo Constantinopoleos cessisse, qui cum ex antiquo jure hujusmodi Thraciæ conventibus interesse deberet; ita novo jure, id est secundæ Synodi Decreto, præesse fretus Novæ Romæ privilegiis sine controversia poterat; adeoque facillime ad se unum, & ad Synodi in urbe Regia ἐνδημούσης arbitrium, omnia statim Thracicæ Synodi munia pertraxit. Unde recte possumus interpretari Theodoretum l. 5. c. 34. dum refert, Occidentis Episcopos, id est Papam cum suo Patriarchatu, *Ægypti*, *Orientis*, *& Bosphori Thraciæque* Episcopis communicare noluisse, donec Joannis Chrysostomi nomen in demortuorum Sacerdotum Diptychis inscriberetur. Ut enim Ægyptiorum Episcoporum nomine Alexandrinum Archiepiscopum cum Diœcesi Ægyptiaca, & Orientis nomine, Antiochenum Exarchum cum Orientali Diœcesi juxta veterem eruditumque loquendi morem intelligimus, ita Bosphori & Thraciæ appellatione Archiepiscopum Constantinopoleos Arsacium, cum ejus Diœcesi Thracica par est accipere.

Hinc est, quod Atticus Archiepiscopus, Thracin χειροτονίας sibi soli pro arbitrio contra jus & mores antiquos asseruit, & ad se Silvano accersito, eum Philippopolis Episcopatu donavit. Ἐπίσκοπον τῆς Φιλίππε πόλεως κατέστησεν. qui cum triennio in Thracia degens, frigus tolerare non posset, Atticus alterum in ejus locum suffecit, deinde Troadis Episcopo mortuo, Troibus Constantinopolim advenientibus Episcopum quæsitum ab Attico, Silvanus datur apud Socr. l. 7. c. 36. Ergo pleno jure in Thraciæ Episcopis ordinandis utitur, ut precario in Phrygianis.

Deinde colligendum est ex hac interlocutione Judicum, nullius momenti apud illos fuisse controversiam illam de dignitate secundi gradus tributa throno Constantinopoleos, utpote quæ judicio secundæ Synodi licet invitis Canonibus Nicænis, & sexaginta annorum non interrupta aut interpellata a quoquam possessione niteretur. Id solum visum est illis in controversiam revocari posse, quod ad Asianæ, & Ponticæ Metropolitarum Ordinationes pertinebat, & κῦρος solidamque in eas Diœceses auctoritatem Patriarchæ respiciebat; quod caput cum verbis, & Constitutione Canonis Constantinopolitani non niteretur, ex consensu jure suo cedentium Episcoporum, vim suam habere debebat. Ideoque prudenter sane ab illis petunt, an citra vim metumque Asianæ, & Ponticæ Diœceseos Episcopi scientes volentesque subscripsissent. Illi vero & viritim, & confertim se libere, & sponte consensisse profitentur, seque & sententiæ centum & quinquaginta Patrum rationem habuisse, & Consuetudinis, quam in Ecclesiis Synnadorum, Amasiæ, Gangrorum, Myrorum, & Aphrodisiadis, & in aliis quibusdam invaluisse testantur, suarumque Ecclesiarum commodis a Sede Constantinopolitana ornandarum consuluisse. Tum ad Episcopos, qui non subscripserant, conversi Judices, quid eis videatur, exquirunt. Eusebius Episcopus Ancyranus censet primus, suique juris esse Gangrorum Episcopi ordinationem insinuat, qua in gratiam Procli Constantinopolitani cesserit, ne lite vexaretur, (scilicet a Proclo jam tum alienas parœcias invadente.) Sed inter censendum & a Philippo Presbytero Constantinopolitano, & ab Anatolio satis acriter impetitur; ita, ut Thalassius Cæsareæ Cappadociæ Episcopus artium aulicarum peritissimus, utpote a Præfectura ad Episcopatum provectus, quo contentiones omnes finiret, dixerit: *Pergimus ad Dominum Anatolium Archiepiscopum, & statuimus illud*: Ἀπερχόμεθα πρὸς τὸν Κύριον, τὸν Ἀρχιεπίσκοπον Ἀνατόλιον. καὶ τυπῶμεν αὐτό.

Quia vero Thalassii sententia Ponticæ Diœceseos Exarchi, & de cujus potissimum caussa tractabatur, magni ponderis non immerito existimabatur, confestim Judices suffragiis non amplius a quoquam exquisitis, ac si Thalassii consensu eis esset peracta, diserte pronuntiant; e Gestis & discussione præhabita, primatum honoremque præcipuum secundum Canones veteris Romæ Archiepiscopo conservari, πρὸ πάντων μὲν τὰ πρωτεῖα, καὶ τὴν ἐξαίρετον τιμὴν κατὰ τοὺς κανόνας τῷ τῆς Πρεσβυτίδος Ῥώμης Θεοφιλεστάτῳ Ἀρχιεπισκόπῳ φυλάττεσθαι, oportere autem, ut Archiepiscopus Constantinopoleos Novæ Romæ iisdem privilegiis honoris fruatur, καὶ αὐτὸν ἐξ αὐθεντίας ἐξουσίαν ἔχειν τοῦ χειροτονεῖν, &c. authoritatemque habeat Metropolitas in Asiana, Pontica & Thracica Diœcesibus ordinandi, electione ad eum a Provincialibus Episcopis Clericis, possessoribus, & honoratis relata, ita ut in Archiepiscopi positum sit arbitrio, an electum Metropolitam ordinandum Constantinopolim evocare velit, an ex indulgentia, & mandato decretoque suo sinat in Provincia in possessionem Episcopatus mitti, εἴτε κατ' ἐπιτροπὴν αὐτοῦ ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ τῇ ψήφῳ τῆς Ἐπισκοπῆς τυχεῖ. In hanc Judicum sententiam ab omnibus Episcopis itum & acclamatum est. Lucentius Apostolicæ Sedis Legatus, quæ gesta erant in sui & Collegarum absentia, circumduci petiit, aut saltem intercessionem suam in Acta redigi, ut scirent, quid Apostolico, & totius Ecclesiæ præsidi Episcopo referre deberent. Τί παρὰ Ἀποστολικῷ καὶ πάσης Ἐκκλησίας πρόχοντι Ἐπισκόπῳ ἐνεγκεῖν. ut ipse aut de suæ Sedis injuria, aut de Canonum eversione possit ferre sententiam. Sed Judicum responsione, reclamantibus Legatis nequaquam faventium, hæc controversia, & Chalcedonensis Synodus finem accepit. Οἱ ἐνδοξότατοι ἄρχοντες εἶπον. ὅσα διελαλήσαμεν, πάντα ἡ Σύνοδος ἐκύρωσε.

Ergo jus Novum, quod præcipue ex isto Chalcedonensi Canone introducitur, est Metropolitarum ordinatio, & subjectio: Hancque innovationem Leo Magnus non dissimulavit in epist. ad Pulcheriam Aug. *Superbum nimis est, & immoderatum, ultra fines proprios tendere, & antiquitate calcata, alienum jus præripere, atque ut unius crescat auctoritas, Metropolitanorum impugnare Primatus, quietisque Provinciis, & olim sanctæ Synodi Nicænæ moderatione dispositis bellum novæ perturbationis inferre.* Et in epist. ad Anatolium: *Non convellantur*, inquit, *Provincialium jura Primatuum, nec privilegiis antiquitus institutis Metropolitani Antistites fraudentur.* Non omittit etiam de Alexandrinæ Sedis dignitate imminuta, & ordine Antiochenæ Ecclesiæ conqueri. Sed profecto, si vero amamus, sera videbatur esse post longissimi temporis patientiam ista reprehensio, nisi

niſi quatenus novis conatibus retinendis valde proderat nondum confirmatæ a Sede Apoſtolica ſecundæ dignitatis invaſæ contra Canones Nicænos exprobratio. Porro, ſi cui libeat Judicum interlocutionem expendere, manifeſtiſſime patebit, Canonem XXVIII. adeo phaleratis, & contortuplicatis verbis exornatum, ut privilegia honoris æqua haberet Nova cum vetere Roma, in id tamen deſtinatum fuiſſe, ut Metropolitarum ordinationes, quæ tantum precario Sedi Conſtantinopolitanæ deferebantur, eas illi pleno ſolidoque jure cum ſubjectione vindicaret. Etenim Judices uno verbo de iiſdem Honoris privilegiis præfati; multa verba de ordinationibus faciunt, & ſtatuunt diſertiſſime, Archiepiſcopum *ἐξ αὐθεντίας ἐξουσίαν ἔχειν τοῦ χειροτονεῖν τοὺς Μητροπολίτας*, &c. Quaſi dicerent, jam illi ex authoritate & jure ſuo competere, non precario tantum, ut antea.

Agnoſco equidem, ſatis robuſtum argumentum ex hoc Canone adverſus poſitionem noſtram trahi poſſe, hocque uno velut ariete convelli, quæcumque per totam diſſertationem aſſeruimus, de Honoraria Patriarchæ Conſtantinopolitani dignitate ante Chalcedonenſe Concilium. Etenim apertis verbis inſtitutio Patriarchatus Conſtantinopol. ipſaque Metropolitarum ordinatio, ex qua pendet erga eos exercenda juriſdictio, ſecundæ Synodi definitioni tribui videtur. Nos vero ab initio hujus diſſertationis pertendimus, id tantum a Synodo Chalcedonenſi conceſſum. Neque nos adhuc ſententiæ noſtræ pœnitet, cum videam, graviſſimum ſcriptorem Evagrium id obſervaſſe l. 3. c. 6. dum ſcribit e Zacharia Rhetore, Timotheum Ælurum poſt damnatum a Baſiliſco tyranno, ejuſque circularibus literis Chalcedonenſe Concilium, Paulum in poſſeſſionem Epiſcopatus Epheſini miſiſſe, eique Sedi jus Patriarchicum reſtituiſſe, quod ei Synodus Chalcedonenſis ademerat, *ἀποδίδωσι δὲ τῇ Ἐφεσίων καὶ τὸ Πατριαρχικὸν δίκαιον, ὅπερ αὐτὴν ἀφεῖλεν ἡ ἐν Χαλκηδόνι Σύνοδος*. Nihil dici poteſt illuſtrius ad opinionis noſtræ probationem. Viden', ut Chalcedonenſi Concilio tribuat Metropoleos Epheſinæ minutionem, quæ non contigit alia ratione, quam ex Aſianæ Diœceſeos in Sedis Conſtantinopolitanæ jura translatione? Id autem ægre tulerunt Aſiani Epiſcopi, ut aliquot annis poſtea totius Aſianæ Synodus Epheſi coacta libentiſſime literis Encyclicis Baſiliſci ſubſcripſerit, Synodumque Chalcedonenſem damnaverit, ut cædium, ſeditionum, & gravium malorum originem apud Evagr. l. 3. c. 5.

Porro adeo pendebat a Concilio Chalcedonenſi auctoritas Patriarchæ Conſtantinopol. ut eo abolito, hujus quoque irrita fuerit juriſdictio. Quare Zenoni Imperatori redeunti ex Iſauria neceſſitas incubuit, reſcindendorum eorum, quæ fuerant a Baſiliſco per Concilii Chalcedonenſis damnationem decreta: *His*, inquit Zeno, *quæ tempore tyrannidis innovata ſunt tam contra venerabiles Eccleſias, quarum Sacerdotium gerit Beatiſſimus ac Religioſiſſimus Epiſcopus Patriarcha noſtræ pietatis Pater Acacius*, infra, *de privilegio Metropolitano vel Patriarchico antiquandis*, (id eſt in Eccleſia Epheſina.) Infra: *Regiæ urbis Sedem privilegia, & honores omnes ſuper Epiſcoporum creationibus & jure ante alios reſidendi, & cætera omnia, quæ ante noſtrum imperium vel nobis imperantibus habuiſſe dignoſcitur, habere in perpetuum firmiter Regiæ urbis intuitu judicamus & ſancimus* l. decernimus de Sacro-ſanct. Eccleſ.

Enimvero quid egemus teſtibus & conjecturis in re apertiſſima? Quis melius mentem Concilii explicuerit, quam ipſi Patres Chalcedonenſes, qui quidem factum ſuum Leoni Pontifici Maximo probare volentes, ſe conſuetudinem ordinandorum Metropolitarum Synodali Decreto recepiſſe teſtantur, vero Canonem Conſtantinopolit. ſecundæ dignitatis gradum indulgentem confirmaſſe. Verba Synodicæ Epiſtolæ ad Leonem ſunt iſta: *Eam namque Conſuetudinem, quæ a longo tempore obtinuit, quam habuit Conſtantinopolitanorum ſancta Dei Eccleſia ad ordinandum Metropolitanos Diœceſeon Aſianæ, Ponticæ & Thracicæ, & nunc Synodali Decreto firmavimus. Non tam Sedi Conſtantinopolitanæ aliquid præſtantes, quam Metropolitanis urbibus quietem congruam providentes, eo quod frequenter Epiſcopis vitam finientibus multæ turbæ naſcuntur, Clericis & populis earundem civitatum abſque Rectore remanentibus, & Eccleſiaſticum ordinem confundentibus, quod nec veſtram latuit Sanctitatem, maxime propter Epheſios, quorum cauſſa ſæpe moleſtia affecti fuiſtis*: Τὸ γὰρ ἐκ πολλοῦ κρατῆσαν ἔθος, ὅπερ ἔσχεν ἡ Κωνσταντινουπολιτῶν ἁγία τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησία εἰς τὸ χειροτονεῖν Μητροπολίτας τῶν διοικήσεων τῆς τε Ἀσιανῆς καὶ Ποντικῆς καὶ Θρακικῆς, καὶ νῦν κατὰ συνοδικὴν ἐκυρώσαμεν ψῆφον. οὐ τοσοῦτον τῷ θρόνῳ τῆς Κωνσταντινουπόλεως τι παρέχοντες, ὅσον ταῖς Μητροπόλεσι τὴν ἀταξίαν πρυτανεύοντες, διὰ τὸ πολλοὺς πολλάκις, τελευτώντων τῶν Ἐπισκόπων ἀνακύπτειν θορύβους, ἀνηγεμονεύτων ὄντων τῶν ἐν αὐταῖς κληρικῶν τε καὶ λαϊκῶν, καὶ τὴν ἐκκλησιαστικὴν τάξιν συγχεόντων. Ὅπερ οὐδὲ τὴν ὑμετέραν ἔλαθεν ἁγιότητα, μάλιστα τῶν Ἐφεσίων ἕνεκεν, πολλάκις ὑμῶν διενοχληθέντων. Nituntur ergo in Ordinationum negotio non Canone Conſtantinopolit. ſed Conſuetudine. Multum vero diſtare jus Canone ſancitum, & Conſuetudinem, quæ moribus utentium ſine ſcripto confirmatur, quis ignorat? Et ſi quis prudentiæ civilis inſcius id negaret, ejus protervíam Judices cognitores revincent, qui Act. XIII. Synod. Chalced. petunt ab Anaſtaſio Nicæno, qua ratione probaturum ſe confideret Eccleſiam Baſilinopoleos ſubjectam eſſe Nicænæ, an ſecundum Canones, an ex Conſuetudine, *πότερον κατὰ τοὺς κανόνας, ἢ ἐκ συνηθείας τινός*. Ad illuſtriorem confirmationem duo verba in hac oratione expendi velim, Conſuetudinem inquiunt, *Nunc Synodali Decreto firmavimus*, *νῦν ἐκυρώσαμεν*. Ergo nondum ulla Synodali definitione fuerat recepta. Deinde urgent, ſe Decreto illo non tam Sedi Conſtantinopolitanæ aliquid præſtitiſſe, quam tranquillitati Metropolitanarum urbium conſuluiſſe.

Ergo privilegium iſtud longe aliud eſt ab Honoris privilegio, quod indulſit Synodus ſecunda, & in gratiam tantum Conſtantinopol. Sedis irrogavit, eo quod Regia civitas eſſet Nova Roma. Addunt Patres illi in Synodica Epiſtola Ἐβεβαιώσαμεν δὲ καὶ τῶν ρν΄. ἁγίων πατέρων τῶν ἐν Κωνσταντινουπόλει συναθροισθέντων κανόνα. Τὸν διαγορεύοντα μετὰ τὸν ὑμέτερον ἁγιώτατον καὶ Ἀποστολικὸν θρόνον, τὰ πρεσβεῖα τὴν Κωνσταντινουπόλεως ἔχειν, &c. Hic diſerte mentionem faciunt Canonis Conſtantinopolitani, eumque a ſe confirmatum teſtantur, cum de privilegiis ſecundique gradus honore decernunt; ut vel cæco patere poſſit, Ordinationes Metropolitarum conſuetudine primum introductas, deinde a Synodo Chalcedonenſi confirmatas fuiſſe. Præterea Synodus Conſtantinopolitana cogit etiam invitos, ut nobis illud concedatur; *Aſianæ Diœceſeos Epiſcopos*, inquit, τὰ κατὰ τὴν Ἀσιανὴν μόνον οἰκονομεῖν, καὶ τοὺς τῆς Ποντικῆς τὰ τῆς Ποντικῆς μόνα, καὶ τοὺς τῆς Θρακικῆς τὰ τῆς Θρακικῆς μόνον οἰκονομεῖν. Hæc interdictio vetat omnibus Diœceſeon Exarchis, ſive Patriarchis, ne ſe ordinationibus, cæteriſque earum Diœceſeon negotiis Eccleſiaſticis immiſceant, multo magis Archiepiſcopo Conſtantinopoleos. Quod teſte vel ipſo Socrate, qui Synodo Conſtantinopolitanæ affinxit in gratiam Conſtantinopolitanæ Sedis, quod ſua ætate invaluerat, ita ſaltem intelligendum, ut ſola Thracia Epiſcopo Conſtantinopolitano commiſſa, Aſiana & Pontica conventui Diœceſeos derelictæ ſint. Quod enim in Canone III. privilegia Honoris Sedi Conſtantinopolitanæ poſt Romanam, eo quod ſit ipſa Nova Roma, tribuuntur; de Honorario jure accipienda ſunt, ut monuimus initio; aut ad ſummum benigna interpretatione de Conſultationum jure Archiepiſcopo Conſtantinopoleos a Synodo communica-

nicato ad exemplum Romani Pontificis, quod per ἐνδημοῦσαν Σύνοδον exequebatur; non de Patriarchali, & Ordinaria jurisdictione in Asianam, Ponticam, & Thracicam intelligenda sunt: cum πρεσβεῖα illa in universum & per omnes Diœceses, & Provincias illi concessa sint, & non solis Asianæ, & Ponticæ finibus coercita. Ergo vel omnes Diœceses ipsamque Ægyptiacam & Anatolicam contra disertam vim verborum ex hoc Canone Sedi Constantinopolitanæ adjudicabimus, vel Asianam, & Ponticam, imo & Thracicam ab ipsius jurisdictione de sententia Canonis, ut & duas reliquas eximemus.

Ecce tamen tentat Aetius Archidiaconus, & cæteri Clerici Constantinopolitani, qui Canonem XXVIII. de quo agitur, invidiosis verbis expresserunt, id persuadere, imo etiam diserte profiteri, Ordinationes Asianæ, Ponticæ & Thracicæ Archiepiscopo Constantinopoleos a Synodo secunda permissas fuisse. Adeone ergo tam inverecundi oris fuerit, ut sciens volens coram honoratissimo illo cœtu in legem Corneliam de falsis se præcipitem egerit? Adeo stipites & marrucini fuerint illi Patres, ut sibi os ab Aetio sublini, seque ludibrio haberi passi sint, quasi nullus ex illis literas novisset? Imo vero, ut docuimus supra, Patres Chalcedonenses Ordinationes illas ex Consuetudine, & suo Synodali Decreto, Honoris autem solius privilegia rectissime ex Canone Constantinopolitano vindicant. Quomodo igitur in has angustias redacti hanc controversiam componemus? Levi brachio fiet ista conciliatio, si juxta omnium Codicum Græcorum fidem, interpunctiones Grammaticas Canonis XXVIII. distinxerimus. Comma post verba illa νέας Ῥώμης, & iterum aliud comma post ista, δευτέραν μετ' ἐκείνην ὑπάρχουσαν, imprimendo, & quatuor lineas, quæ duobus illis Commatibus intercipiuntur, parenthesi includendo. Ita ut hic sit Canonis sensus: Canonem, qui nuper lectus est, centum & quinquaginta Patrum agnoscentes, eadem quoque & nos definimus, & statuimus de privilegiis ejusdem sanctissimæ Ecclesiæ Constantinopoleos Novæ Romæ. Et ut Ponticæ & Asianæ, & Thracicæ Diœceseos Metropolitani soli, prætera & qui sunt in Barbarico Episcopi prædictarum Diœceseon, ordinentur a prædicto sanctissimo throno sanctissimæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ. Adeoque definitio illa de Metropolitanorum Ordinationibus ad Synodi Chalcedonensis sanctionem apertissime referatur. Cui nostræ novæ simulque veræ interpretationi favet lectio Græca male ab omnibus Interpretibus expressa, καὶ ὥστε τοὺς τῆς Ποντικῆς, &c. Vertunt enim vulgo in editione Conciliorum Anastasius, & Isidorus, *ut & Pontica*, quasi illud cum præcedentibus immediate verbis connecteretur, cum vertendum sit, *& ut Pontica*, istaque oratio trahenda sit, ad superiora verba ὁρίζομέν τε καὶ ψηφιζόμεθα. Integra vero illa periodus, quæ interjacet, deque Novæ Romæ privilegiis, & de consideratione, qua moti sunt centum quinquaginta Patres, ut Constantinopolitanam urbem amplificarent etiam in rebus Ecclesiasticis, secundamque post Romanam constituerent, est includenda parenthesi, additaque ad superioris orationis interpretationem est censenda. Planeque lectio Canonis constituenda est, prout eum nos supra integrum exhibuimus. Hacque in parte mirari subit ingenium & artes Aetii, qui, cum apertæ Sedi suæ tot Metropolitanorum ordinationes ex Canone Constantinopolitano asserere non posset, eo loquendi genere in contexendo Canone usus est, ut incautis lectoribus Concilii Constantinopolitani auctoritas ad vitandam tegendamque novitatis, & intempestivæ ambitionis invidiam obrepat, & rigidis criticisque censoribus veritati sua ratio constet; totumque deinde negotium sincere, & sine fuco Leoni Pontifici per epistolam Synodicam Concilii Chalcedonensis referatur, ut superius expendimus. Sane Zonaras in dicto Canone XXVIII. satis manifeste jurisdictionem in Asianam, Ponticam & Thracicam Constantinopolitanæ Sedi decretam, a Synodo Chalcedonensi manare observat his verbis: Ταῦτα περὶ τῆς τάξεως καὶ τιμῆς διαταξαμένη ἡ ἱερὰ Σύνοδος τοῦ θρόνου τῆς μεγαλοπόλεως ταύτης διαλέγεται, καὶ περὶ τῶν ὑποκειμένων μελλουσῶν αὐτῇ διοικήσεων, καὶ ταύτας, εἶναί φησι, τὴν Ποντικὴν καὶ τὴν Ἀσιανὴν καὶ τὴν Θρακικὴν, ὧν δή διοικήσεων καὶ τὰς χειροτονίας τῶν Μητροπολιτῶν μόνον ἀναθέθησι τοῦ Κωνσταντινουπόλεως.

Cæterum licet Synodus Chalcedonensis blandissimis verbis Leonem Pontificem per Synodicam epistolam demulserit, & ut Canon ille ab eo confirmaretur, obsecraverit, rem gratam Imperatori, Senatui totique urbi Constantinopolitanæ facturum docens, summoque Pontifici tantam gratiam tribuendam ut Patri: εἰδότες, ὡς πᾶν παρὰ τῶν τέκνων γινόμενον κατόρθωμα. εἰς τοὺς Οἰκειουμένους πατέρας ἀνατρέχει, cui jure patriæ potestatis ea bona acquiruntur, quæ a filiis quæsita fuerint; nunquam tamen ab exactissimo illo Sacerdote totius Ecclesiæ præside, ut consensum suum huic innovationi præberet, extorquere potuerunt. Ea præcipue ratione, quod sanctio illa Synodi, regulas Nicænas a nullo Synodali Conventu violandas infringeret: *Tanquam*, inquit Leo epist. ad Anatolium, *refutari nequeat, quod illicite voluerit multitudo, & illa Nicænorum Canonum per sanctum vere Spiritum ordinata conditio in aliqua unquam sit parte solubilis. Nulla sibimet de multiplicatione congregationis Synodalia Concilia blandiantur, neque trecentis illis decem & octo quantumlibet copiosior numerus Sacerdotum vel comparare se audeat vel præferre; cum tanto divinitus privilegio Nicæna sit Synodus consecrata, ut sive per pauciores, sive per plures Ecclesiastica judicia celebrentur, omni penitus auctoritate sit vacuum, quidquid ab illorum fuerit constitutione diversum.* Idem ad Marcianum Augustum: *Non dedignetur*, loquens de Anatolio, *Regiam civitatem, quam Apostolicam non potest facere Sedem; nec ullo speret modo, quod per aliorum offensiones possit augeri. Privilegia enim Ecclesiarum, Sanctorum Patrum Canonibus instituta, & venerabilis Nicænæ Synodi fixa decretis, nulla possunt improbitate convelli, nulla novitate mutari. In quo opere, auxiliante Christo, fideliter exequendo necesse est, me perseverantem exhibere famulatum, quoniam dispensatio mihi credita est, & ad meum tendit reatum, si paternarum regulæ sanctionum, me, quod absit, connivente violentur, & major sit apud me unius fratris voluntas, quam universæ domus Domini communis utilitas.* In Epistola ad Pulcheriam: *Consensiones vero Episcoporum sanctorum Canonum apud Nicæam conditorum regulis repugnantes, unita nobiscum justæ fidei pietate in irritum mittimus, & per auctoritatem B. Petri Apostoli generali prorsus definitione cassamus; in omnibus Ecclesiasticis his legibus obsequentes, quæ ad pacificationem omnium Sacerdotum, per 318. Antistites Spiritus Sanctus instituit, ita, ut si multo plures aliud, quam illi statuere, decernerent, in nulla reverentia sit habendum, quidquid fuerit a prædictorum constitutione diversum.*

Ex quibus verbis colligitur evidentissime, Leonem Pontificem non adeo nisum fuisse superiori quadam in Synodo jurisdictione & auctoritate, dum Concilii Chalcedonensis Constitutiones irritas esse decernit, quam reverentiam Nicænis Canonibus debitam prætendisse, ut ea ratione se a Canonis XXVIII. Nicænas regulas infringentis confirmatione excusaret. Etenim cum Romanus Pontifex sit præcipue Canonum & traditionum antiquarum custos, Assertor & executor, ad illius reatum pertinet, ut si illo connivente in re saltem gravissima violentur. In quam sententiam præclare Leo in Epistola ad sanctam Synodum habitam Chalcedone: *De custodiendis quoque Sanctorum Patrum statutis, quæ in Synodo Nicæna*

cœna inviolabilibus sunt fixa decretis, observantiam vestræ sanctitatis admoneo, ut jura Ecclesiarum; sicut ab illis trecentis decem & octo Patribus divinitus inspiratis sunt ordinata, permaneant. Nihil alienum improbus ambitus concupiscat, nec per alterius imminutionem suum aliquis quærat augmentum. Quantumlibet enim extortis assentationibus sese instruat vanitatis elatio, & appetitus suos Conciliorum æstimet nomine roborandos, infirmum atque irritum erit, quidquid a prædictorum Patrum Canonibus discreparit. Quorum regulis quam reverenter Apostolica Sedes utatur, scriptorum eorum, quibus Constantinopolitani Antistitis conatus repuli, poterit sanctitas vestra lectione cognoscere, & me auxiliante Domino nostro, & Catholicæ fidei, & Paternarum traditionum esse custodem.

Non ergo illo nomine Statuta Concilii Chalcedonensis Leo reprobat, quasi nullas habitura vires essent, nisi prius illi collibuisset, sed nullitatem dicti Canonis ex repugnantia Canonum Nicænorum petitam declarat: magnifico sane & illustri Primatus, seu Principatus sui privilegio, sed quod ad superiorem in corpus definitionesque Concilii exercendam auctoritatem extendi & porrigi non debeat; Si enim rite de quæstione aliqua Nicænis regulis nondum decisa Synodus Chalcedonensis statuisset, tantum abest, ut Leo Constitutioni illi destitutus vitio nullitatis opponendæ refragatus fuisset, quin potius gestorum Synodalium approbatione, Concilii sententiæ ex officio adhæsisset. Quod eleganter Leo Pontifex insinuat in epistola ad Maximum Antiochenum hoc de negotio loquens: *Quidquid enim*, inquit, *præter speciales caussas Synodalium Conciliorum, ad examen Episcopale defertur, potest aliquam dijudicandi habere rationem, si nihil de eo est a sanctis Patribus apud Nicæam definitum. Nam quod ab illorum regulis constitutioneque discordat, Apostolicæ Sedis nunquam obtinebit consensum.* Sed istam observationem solidius expendemus in secunda dissertatione.

Interim notasse sufficiet, Leonem adversus ambitiosum hoc decretum adeo depugnasse, ut Anatolio Constantinopolitano Excommunionem comminatus fuerit; *Nam si inconcessa quæsieris*, inquit, *ipse te tuo opere atque judicio, universalis Ecclesiæ pace privabis.* Tandemque obtinuerit ab ipso, ut a prima destinatione discederet expromissore Marciano Augusto, ut patet ex Leonis epist. 59. ad Anatolium. Unde est, quod in Codice Canonum Ecclesiæ universæ edito a Dionysio Exiguo sub Imper. Justiniano, Canon ille XXVIII. inter Concilii Chalcedonensis Canones non recenseatur: & viginti septem Canonibus illius Synodi constitutiones definiat Theodoretus ipse, qui Synodo interfuit in Synagoge Canonum, quæ extat manuscripta in Bibliotheca Regia, ut refert Cardinalis Perronius. Eodemque numero viginti septem Canonum coerceat Theodorus Anagnostes proximus illi ætati scriptor lib. I. Collectaneorum. Licet, ut observat Liberatus in Breviario, Principum Orientalium auctoritate freti Constantinopoleos Archiepiscopi novi juris possessionem adepti fuerint, eamque vehementissime servaverint & auxerint.

Defuncti sumus Canonis XXVIII. interpretatione, nisi restaret navanda opera in iis verbis edisserendis, quæ tribuunt æqua privilegia Sedi Constantinopolitanæ cum Romana, quam tamen in sequentem dissertationem, quæ de Romani Pontificis auctoritate tractabit, institutione Patriarchatus Constantinopolitani jam profligata, commodius differemus. Id tantum observamus in antecessum, mitius, & æquius agere nobiscum Græcos schismaticos, quam hujus sæculi Novatores. Concedit enim Zonaras, acriterque disputat, Constantinopolitanam Sedem subjectam esse Romanæ, stoliditatisque damnat contrariam sententiam in Can. III. Constantinop. & τὰ ἴσα illa πρεσβεῖα non

Marca, Dissert. Eccl.

respectu Romanæ Sedis, sed cæterarum Sedium intuitu, quibus Sedes Constantinopolitana præsideat, esse intelligenda *πάσιν τῶν ἄλλων προτιμωμένην Ἐκκλησιῶν, δευτέραν δὲ μετ᾽ ἐκείνην ὑπάρχουσαν, τὴν ἴσον τῶν ἐν ἅπασιν ἀξιοῦν ταύτην ἀμήχανον*, in Can. XXVIII. Conc. Chalced.

EJUSDEM AUCTORIS,

De Origine Cœli & Terræ.

Docuit Aristoteles, aliam esse Cœli materiam, ab hac sublunari & inferiori materia. Quæ Mosis narrationi plane convenit: qui cœlum conditum in ipsis rerum exordiis, deinde terram & aquas significat, ut patet ex serie verborum Scripturæ. Unde sequitur, ex terræ & aquæ incondita & incomposita mole, non emersisse cœlum, quod priori momento jam erat conditum. Ex aliis vero hujus loci interpretationibus contrarium sequitur: nempe si secunda, vel quarta die, conditum sit cœlum, ut plerique volunt, ex præjacente materia, unde reliqua opera prodierunt, fuisse confectum. Plane de Solis atque Lunæ, reliquorumque Planetarum materia, quin petita fuerit ex aquæ corpore attenuato, disputari non potest, sed eorum formam nobiliorem fuisse, concedendum quoque est: quæ ex spiritu cœlesti, & luce compacta sit: nisi lucem per chaos prima die sparsam, & deinde in corpora illa nobilia, tum Planetarum, tum Stellarum conjectam ad eorum tantum corporum ornatum referas.

Quod autem ad spiritum cœlestem attinet, qui formam seu animam quoque vegetantem, & animalem comprehendit, ut recte cum Aristotelis, & recentiorum quorumdam sententia congruit, ita exacte verbis Scripturæ respondet. Docet Aristoteles lib. 2. de gener. anim. c. 3. omnibus animetis inesse calidum quemdam spiritum, elementorum conditione diviniorem; cujus corporis natura differt, prout animæ nobilitate vel ignobilitate inter se differunt. Qui quidem spiritus calidus semine continetur; & natura, quæ in eo spiritu est, proportione respondet elementis Stellarum. Hujus spiritus naturam, (qui calidum innatum seu primigenium continet, pabulo suo, scilicet humido quoque innato non aqueo, sed oleoginoso connexum,) diversam esse ab elementari, contendunt Scaliger, Eernelius, Valeriola, & alii plerique præstantes medici: fulti tum isto Aristotelis testimonio, tum etiam ea præcipue ratione, quod a corpore misto nobiliores procedant actiones, etiam post animæ vegetantis discessum, quam quæ tribui possint elementorum mistioni: ut patet manifeste in occultis qualitatibus tum purgantium, tum venenorum, & alexiteriorum: tum etiam in sympathiis & antipathiis rerum viventium, quæ ad aliam originem referri non possunt.

Cæterum cum calidum istud innatum, sit præcipuum animæ instrumentum, ad exequendum, quidquid salutare & utile in generatione, nutritione, alimentorumque confectione perficitur; & per hoc natura morbos, morborumque causas depellat; omnibus corporis integri partibus spermaticis insitum est: sed præcipuum ejus domicilium est in corde, quod proinde Galenus focum calidi innati nominat.

Sane, ad seminis naturam hoc calidum pertinere, docuit Aristoteles: Semina porro non ex elementorum mistione proficiscuntur, sed generando, a singulis speciebus viventium sui generis, quasi per traducem propagantur. Primum autem originem habent semina, & in semine etiam hic insitus spiritus, calidumque innatum, sine quo semen esse non potest, ex prima rerum creatione: quippe post creata singula elementa, singulis rerum viventium speciebus a Deo Creatore indita sunt: ut herbæ, & arbores producerent

rent fructus suos juxta semen quæque suum, & animalia quoque multiplicarentur, ut recte observavit Sennertus.

Quoniam vero replicari posset, nihil post primæ diei creationem conditum, nisi ex præjacente materia: ac proinde spiritum istum seminibus affixum, terreæ quoque fuisse naturæ & elementaris, contra sententiam Aristotelis; juvandus est ille ex verbis quoque Scripturæ, unde impugnatur; docendumque, ut loquar cum Scaligero, hanc spiritus innati naturam, esse quintam essentiam, distinctam a quatuor elementis.

Prima quippe die rerum omnium principia creata fuisse, in confesso est apud omnes; Cœlum scilicet, Terram, Aquas & Lucem, quæ est ignis elementaris dictus: Quæ quidem sunt diversæ ab invicem naturæ: & quarum neutra emergit ex alterius concretione. Solus Aer superest e quatuor elementis, qui non fuit effectus statim, sed ex Aquarum stabili tenuatione processit: ut ejus quoque pars illa superior & purissima, quam Ætherem dicimus.

Præter ista rerum principia, observat Moses, quod *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, sive super ipsam totius Abyssi incompositæ molem. Quæ verba licet varie ab Interpretibus torqueantur, facilius & juxta verbi Hebraici proprietatem explicant illi, qui Spiritum & vim genitalem putant significari; quæ Spiritu Dei velut incubantis fota, in rerum productione per vim, & formam seminalem tunc creatam se postea exerceret. Hæc vis genitalis, quæ natura est elementis divinior, & sidereæ respondet, ex Aristotele, non profecta est ex Aquis tanquam ex præjacente materia, sed ab ipso Domino in exordio rerum producta. Quare juxta Scripturæ ipsius verba, spiritum innatum & genitalem, quem Deus seminibus immiscuit, ad aliam naturam ab ista terrea, & quæ cum siderea & cœlesti natura paria faciat, cum Aristotele licebit revocare.

Ex ista quoque vi & spiritu genitali aquis incubante, & ab iis distincta poterunt Philosophi formas Planetarum cœlestes, & ab elementari concretione remotas asserere: quæ fuit Scaligeri aliorumque eruditorum sententia. Sane Stellæ fixæ cum sint partes Cœli, ejusdem sunt cum eo materiæ & formæ. Solam lucem consecutæ sunt a luce Solis distinctam: unde illis Stellarum nomen, id est, partium in corpore Cœli lucentium.

DISSERTATIO
DE DECRETO PAPÆ VIGILII
Pro Confirmatione Quintæ Synodi.

COmmodum accidit nuper, ut, quo tempore Acta Quintæ Synodi Oecumenicæ prælo regio excudebantur, obtulerit sese mihi fato quodam vetus Collectio χρήσεων, ex antiquis Patribus & Conciliis petitarum, a veteri Theologo adversus Acephalos & Monothelitas hæreticos olim adornata. Volumen illud manuscriptum Græcum extat in Bibliotheca Regia, accurate descriptum a Leone Cinnomo, & ab eo repositum Constantinopoli in Bibliotheca Imperatoria temporibus Michaelis Palæologi, anno mundi septies millesimo septingentesimo octuagesimo quarto, seu anno Christi millesimo ducentesimo septuagesimo sexto. Ammanuensis vero testatur, a se transcriptum ex autographo, quod in veteri Bibliotheca Ecclesiæ Romanæ asservabatur, calamo exaratum anno mundi sexies millesimo ducentesimo sexagesimo septimo, seu anno Christi septingentesimo quinquagesimo tertio. Quod ideo adnotavi, ut de manuscripti codicis antiquitate & fide nullus esset dubitandi locus. Inter ceteros vero laudabiles locos, ex quibus Collectio illa compacta est, opportune incidi in excerpta aliquot ex antiquis Actis Quintæ Synodi, scilicet in Eutychii epistolam ad Vigilium, cujus pars quædam Græce prolata est in Concilio Florentino, & rescriptum Vigilii ad Eutychium, quæ extat Latine tantum in Collatione prima illius synodi, & in quatuordecim anathematis modos editos ab eadem synodo, qui Latine tantum habentur in Collatione octava. Itaque ad commodum studiosorum antiquitatis ecclesiasticæ pertinere putavi, postquam injuria temporum nobis Actorum Græcorum invidit exemplar, ut saltem his fragmentis Græcis non carerent; præcipue cum ex anathematismorum collatione cum editione Latina non leve adjumentum sibi comparare possint ad veram synodi sententiam indagandam adversus Nestorianorum & Eutychianorum versutias.

Præterea vero exhibemus tibi, Lector, epistolam Vigilii, quæ nondum in lucem prodiit, quæque auro contra æstimari debet, qua Synodi Quintæ gesta auctoritate sedis apostolicæ confirmantur. Ejus pretium illi soli norunt, quibus perspectum est, quantum plerique dignitati pontificiæ detrahant, eo nomine, quod hæc Quinta Synodus vim & pondus Oecumenicæ obtinuerit, licet renitentem Vigilium fuerit experta, qui maluit exilium pati, quam suffragio suo illius definitionem approbare. Contendit quidem illustrissimus annalium conditor ex Evagrio & ceteris Græcis auctoribus, confirmatam fuisse Synodum a Vigilio, sed eam comprobationem in id tempus dilatam, quo Vigilius ab exilio solutus est, rogante Narsete Duce, post liberatam a Gothis Italiam. Sed opus illi est æquo lectore, qui se conjecturis in re tanti momenti duci patiatur; cum e contra excipere soliti sint, non solum Novatores, sed etiam plerique eruditissimi viri, errasse Græcos scriptores, qui de consensu Vigilii loquuntur; quia constat ex Anastasio, pulsum in exilium a Justiniano cum aliquot Episcopis, quod Synodo refragaretur: unde revocatus est precibus Romanorum & Narsetis Ducis, teste eodem Anastasio, qui tamen confirmationis illius omnino non meminit. Non me latet, viros eruditos ex eo vim Concilii generalis tribuere huic Quintæ Synodo, quod a Pelagio primo & Gregorio Magno aliisque Pontificibus sub nomine Quintæ Synodi post ceteras quatuor recensita fuerit. Quod tamen alii sic explicant, ut Pontifices illos auctoritati tantæ synodi cessisse potius dicant, quam synodo auctoritatem addidisse.

II. Quæ a me dicta sunt eo animo, ut repertam in Bibliotheca Regia Vigilii epistolam commendem, quæ omnes illas difficultates superat, quæque iis verbis concepta est, quibus uti decebat sedis apostolicæ Pontificem. Sane a Græcis ipsis tanti facta est ad robur Quintæ Synodi asserendum, ut eam in Acta ejus synodi retulerint & definitioni synodicæ subjunxerint, ut ostendetur inferius. Unde patet summa fide scriptum ab Evagrio, Vigilium consensisse Synodo ἐγγράφως. Epistolam enim illam inter Acta synodi legerat. Hæc sunt Evagrii verba: Βιγίλιος μὲν οὖν ἐγγράφως συνθέμενος, συνεδρεύειν οὐχ εἵλετο. *Vigilius autem per literas consensit Concilio, non tamen interesse voluit.* Ex iisdem Actis sine dubio hauserunt Photius, Zonaras, Cedrenus, Euthymius, & Nicephorus, quod de Vigilii consensu tradunt. Cujus consensus meminit quoque Sexta Synodus in Prasphonetico ad Constantinum Pogonatum Imperatorem; ubi postquam retulit, Eutychis damnationem a Leone I. decretam fuisse, & a Marciano Principe cum Synodo Chalcedonensi susceptam, hæc verba subjunguntur: οὕτω νῦν μετὰ ταῦτα Βιγίλιος Ἰουστινιανῷ τῷ πανευσεβεῖ συμπεφώνηκε, καὶ τὰ τῆς πέμπτης συνέστη συνέδριον, τὰ φωραθέντα καὶ λαθόντα τινῶν ἀναθεματίζον συντάγματα βδελυρίας πληρέστατα. Quæ sic reddit vetus interpres: *Sicut & Vigilius post hæc Justiniano piissimo consonuit, & Quintum Concilium constitutum est, ut eorum opuscu-*

opuſcula, quæ latenter reperta ſunt repleta abominatione anathematiſarentur. Quæ verba dupliciter explicari poſſunt. Vel hoc ſenſu, ut dicatur Vigilius in eo conſenſiſſe cum Juſtiniano, ut Concilium indiceretur ad damnationem Trium Capitulorum; quamvis Pontifex in contraria ſententia perſtiterit. Vel illo, ut omnino cum Juſtiniano conſenſerit tam in Concilii indictione, quam in Trium Capitulorum damnatione. Quæ ultima explicatio neceſſaria eſt, ne, ſi primæ hæreamus, alienum videantur a mente ſua patres exemplum protuliſſe & longe diſpar ei, quod ſuperioribus verbis propoſuerunt de conſenſu Leonis & Marciani totiuſque ſynodi.

Pelag. ep. ad Ep. Iſtr. cap. 7.

III. His addi poteſt eximium Pelagii II. teſtimonium ex epiſtola ad Epiſcopos Iſtriæ: cujus adeo aperta ſunt verba, ut mirari ſubeat, qua ratione viros alioqui perſpicaciſſimos fugerit tam expreſſa de Vigilio ſententia. Etenim prolixis verbis ibi refertur, ſedem apoſtolicam *per Vigilium* initio quidem probaſſe Tria Capitula, & pro eorum defenſione diu laboraſſe, longoque tempore ad injurias uſque certaſſe (quod de ſolo Vigilio intelligi poteſt,) deinde ceſſiſſe, quando *veritas ſe patefecit*. Quæ verba ad epiſtolam Vigilii reſpiciunt: qui re diligentius tractata *veritatem ſibi affulſiſſe*, ſeque tria Capitula damnaſſe ſcribit, ut mox dicetur uberius.

IV. Ceterum, ut liquidius ſententia hujus epiſtolæ intelligatur, ſimulque famæ & dignitati Vigilii conſulatur, non alienum erit, pauca de ipſius inſtituto in hac Trium Capitulorum controverſia dicere. Tria illa Capitula hæc erant. I. Ibæ Epiſcopi Edeſſeni epiſtola ad Marium Perſam. II. Theodori Epiſcopi Mopſueſteni perſona, & ejus ſcripta. III. Theodoreti diſputationes adverſus duodecim capita Cyrilli Alexandrini. Ex his Tribus Capitulis Acephali, propago quædam Eutychianorum, occaſionem arripiebant non admittendi Concilii Chalcedonenſis, quaſi Neſtorium aliquo pacto foveret. Id ex eo colligebant, quod epiſtolam Ibæ ſynodus approbaſſet; quæ tamen Cyrillum carpebat, in Theodori Mopſueſteni Neſtorianæ hæreſeos auctoris laudes efferebatur, & utebatur blaſphemis Neſtorii verbis, quem non ſervato judiciorum ordine damnatum quoque fuiſſe dicebat in Synodo Epheſina. Tum vero, quod Theodoreto in communionem ſuſcepto, ejus tamen ſcripta adverſus duodecim capita Cyrilli, quibus Neſtorii hæreſis proſcribebatur, Synodus Chalcedonenſis non damnaſſet. Ex iiſdem quoque capitibus Neſtoriani hæreſim ſuam inſtaurare nitebantur, prolatis ex Theodoro Mopſueſteno teſtimoniis & ex Theodoreti adverſus Cyrillum diſſertationibus. Cum autem in id unum Juſtinianus incumberet, ut Acephalos, qui graves in Ægypto & in Oriente motus excitabant, legibus ſuis inſectaretur, Theodorus Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus, Acephalorum fautor, & ſectator Origenis a paucis annis proſcripti, ad ultionem eorum, quæ contra Origenem geſta erant, & ut imminens Acephalis periculum averteret, controverſiam de Tribus Capitulis excitavit, ut Eccleſiæ pacem perturbaret. Pro ea itaque, qua valebat, gratia apud Principem pacis eccleſiaſticæ alioqui ſtudioſum, per cuniculos rem aggreſſus eſt. Spem Juſtiniano fecit ineundæ cum Acephalis concordiæ, ſi præter Theodoreti ſcripta adverſus Cyrillum, epiſtola Ibæ Edeſſeni recitata in Concilio Chalcedonenſi tanquam impia rejiceretur, & Theodorus quoque illa epiſtola laudatus, tanquam Neſtorii parens damnaretur; cujus famæ Cæſareæ Epiſcopus ex eo quoque infeſtus erat, quod Origenis deliramenta olim refutaſſet.

Facundus Hermianenſis l. 1. c. 2.

Liberatus Brev. c. ult.

V. Juſtinianus utilitate publica, ut ſibi quidem videbatur, excitatus, libello ſatis copioſo Tria illa Capitula proſcripſit, & ab Epiſcopis Orientis damnari procuravit. Enimvero quia Trium Capitulorum negotium nullius ſynodi judicio erat præjudicatum, imo vero Synodi Chalcedonenſis dignitatem aliquo pacto violare videbatur, Orientis Patriarchæ, qui Juſtiniani decreto ſubſcripſerant, ſe vi adactos fuiſſe, Stephano Reſponſali Romanæ ſedis profeſſi ſunt. Menas vero Conſtantinopolitanus Epiſcopus eam conditionem adjecit, ſi hæc Romano Epiſcopo non probarentur, ſuum ſibi chirographum reſtitutum iri, quod ſub juriſjurandi fide illi promiſſum eſt. Atque adeo Juſtinianus, ſentiens, nihil in hoc negotio, quod Eccleſiarum ſtatum reſpiciebat, tentari utiliter poſſe ſine ſententia Romani Pontificis, Vigilium Roma evocat. Pontificem abeuntem Eccleſia Romana, provinciæ quoque Africanæ, Sardiniæ, Hellados, & Illyrici obteſtatæ ſunt, teſte Facundo, ne ullatenus novitati acquieſceret.

Facundus l. 4. c. 4.

Antequam vero, quid egerit in hac cauſſa, explicem, obſervandum eſt, cum Pelagio & beato Gregorio in hac controverſia non diſputatum fuiſſe de *fide*, ſed de *perſonis*. Id teſtatur Pelagius I. in epiſtola ad Childebertum Regem Francorum, qui tunc in Oriente Capitula quædam *extra fidem* agitata fuiſſe ſcribit. B. quoque Gregorius Hiberniæ Epiſcopos monet, in ea ſynodo, *de quibuſdam ſolummodo perſonis actitatum*, vel, ut Pelagii II. verbis utar, *nihil aliud, niſi de perſonis*, actum. Quin etiam Vigilius in epiſtola, quam edimus, diſertiſſime adnotavit, in hac controverſia non diſputatum fuiſſe de fide, ſed de perſonis. Unde patet, liberam fuiſſe aliter atque aliter in hoc negotio cenſendi facultatem ſine ulla Chriſtianæ religionis injuria: ideoque Vigilium, qui ſuam aliquoties mutavit ſententiam, de ſola levitatis vel metus ſuſpicione periclitari; a qua ſuſpicione tamen abeſſe tantum debet, ut potius ſingularis prudentiæ laudem ex iis, quæ in hac cauſa geſſit, conſequi poſſe videatur.

Greg. lib. 2. c. 16.

Pelag. II. in ep. ad Epiſc. Iſtr. c. 3.

VI. Qui rerum eccleſiaſticarum ſunt periti, non ignorant, duobus modis olim verſari ſolitos fuiſſe ſummos Pontifices in quæſtionibus propoſitis, quæ diſciplinam reſpiciebant, vel ſummo jure, vel remiſſo. Huic temperamento & Canonum remiſſioni locus erat, quando ob bonum unitatis, & pro reſarcienda Eccleſiæ pace, neceſſarium videbatur ea clementia uti. Eam clementiam Græci οἰκονομίαν vocant, Latini eorum exemplo *diſpenſationem*, ut alibi oſtendi adductis veterum Patrum & Conciliorum teſtimoniis. Utroque agendi modo uſus eſt in hac controverſia Vigilius, nunc Juris & Canonum vigore, nunc eorum remiſſione, fidei & pacis eccleſiaſticæ ſtudioſiſſimum ſe præbens. Obſervatum quidem eſt ab eruditis, Vigilii, quæ videbatur, inconſtantiam, prudentiæ & maturo conſilio eſſe tribuendam; ſed non docuerunt, eum agendi modum a canonica diſciplina pependiſſe.

L. 3. de Concordia ſacerdotii & imperii c. 13.

VII. Ac primo quidem nihil aliud ab eo expectandum erat, ſtatim poſt profectionem ſuam ex Urbe, quam ut votis Occidentalium favendo, ſe vetuſtatis vindicem præſtaret. Itaque literis ex itinere ad Menam datis damnationem Trium Capitulorum reprehendit, & Legatis ad Juſtinianum miſſis petivit, ut pateretur eam reſcindi. Urbem deinde Conſtantinopolitanam ingreſſus VIII. Kalendas Februarii anno DXLVII. Menam & alios Capitulorum damnatores, illos quoque, qui damnatoribus communicabant, a communione ſuſpendit: quam tamen illis poſt quinque menſes reſtituit, Theodoræ Auguſtæ rogatu. Ratio potiſſima, cur damnationi Trium Capitulorum refragaretur, hæc erat, quod exiſtimaret, nihil eorum, quæ in Synodo Chalcedonenſi geſta erant, retractari poſſe, eo quod ea ſit generalium ſynodorum auctoritas, ut de iis, quæ illarum judicio ſemel ordinata & diſpoſita ſunt, *iterum* diſceptari non debeat. Ea eſt enim *retractationis* ſignificatio apud Juriſconſultos, quam Græce ἀναψηλάφησιν vocant ſive παλινδικίαν. Itaque rei judicatæ exceptione repellebat novandi ſtudium. Addebat quoque Leonis Papæ auctoritatem; qui conceptis verbis geſta Synodi Chalcedonenſis confir-

Facund. l. 4. c. 3.

mando vetuerat, ne res in synodo definitæ ullo colore quæsito retractarentur. Deinde vero cum legibus Principum retractatio adversus sententias Præfectorum prætorio intra duos annos peragi deberet, hæc tamen Trium Capitulorum retractatio adversus synodum universalem totius orbis consensu firmatam post centum annos urgeretur, ut conqueritur Facundus Hermianensis. Illud supererat, ut doceretur, his Capitulis judicio Synodi Chalcedonensis provisum fuisse. Quod luculenter docet Vigilius in Constituto, & uberius Facundus in libris ad Justinianum, neque tamen inde sequi, aliquid fidei contrarium a synodo admissum fuisse.

VIII. Ceterum etsi Vigilius nulla vi adigi posset ad subscriptionem, consensit tandem anno DXLVIII. ut in conventu LXX. Episcoporum hæc causa Constantinopoli discuteretur; singulorumque suffragiis ad se scripto delatis, ipse *Judicatum* dedit ad Menam, quo Tria Capitula damnabat. Hoc fecit κατ' οἰκονομίαν sive remissionem & dispensationem canonicam ad pacem cum Orientalibus retinendam. Si quis id a me confictum putet, audiat Vigilium, qui pro se dicet in encyclica adversus Theodorum Cæsareensem: *Primum quidem in eo, quod pro scandalo refrænando condescendentes quorundam animis, quos aliqua dispensatione credidimus temperandos, quia tu jam eos pluribus annis inquietissimus stimulator accenderas, quædam pro tempore medicinaliter existimavimus ordinanda; tali scilicet conditione, ut omni in posterum perturbatione sopita, nihil ultra nec verbo nec literis quisquam facere ex eadem causa præsumeret.* Eandem causam dispensationis prætendit clerus Romanus in epistola ad Legatos Gallicanos: *Postea tamen tractatu habito prædictus sanctus Papa Vigilius sub aliqua dispensatione ipsam causam ordinaverit, sollicite monendo, ne per occasionem aliquam supradicta synodus pateretur injuriam.* Sed obtinere non potuit Vigilius ab Afris, Illyricianis, & Dalmatis Episcopis, ut judicio suo cederent: quin potius ab ejus se communione suspenderunt. Ejus discessionis causas atrociore stylo persequitur Facundus in libello contra Mocianum scholasticum & in epistola fidei catholicæ, ubi propterea Vigilius *prævaricator* dicitur. Egit itaque cum Principe, coram Mena Patriarcha, pluribus Episcopis, & Senatu, ut rescissis, quæ in hac caussa utrinque gesta fuerant, indiceretur synodus, in qua adessent Africanarum & Illyricianarum provinciarum Episcopi, *quorum*, ut, ipse loquitur, *fuerat scandalizata fraternitas*; ut quæ omnium suffragiis probarentur, cum pace Ecclesiæ locum haberent.

Facundus in libro adversus Mocianum p. 572.

IX. Evocanti autem Principi Episcopos ex Africa & Illyrico, cum ægre ac ne vix quidem pateretur, auctum est anno DLI. cum Vigilio, ut, si nollent Occidentales Episcopi, ipse solus cum Græcis Tria Capitula damnaret. Renuente Pontifice, Edictum Justiniani de damnatione Trium Capitulorum suasu Theodori Cæsareensis publice propositum est. Vigilius vero comminatus est Græcis Episcopis communionis suæ suspensionem, si Edicto consensum præberent; idemque professus est Dacius Mediolanensis Episcopus. Quam ob rem incenso ira Justiniano, Vigilius in Basilicam S. Petri in Hormisda confugit; unde per vim abducere conatus Prætor, populi tumultu repellitur. Accepto tandem per Imperatoris Legatos sacramento, redit in domum Placidianam. Sed multis rursum injuriis affectus, & insidiis appetitus, noctu iterum sub Natale Christi Chalcedonem abiit ad S. Euphemiam; unde missis a Justiniano Senatoribus, & seorsum semel atque iterum Petro Referendario, evocari non potuit. Quin potius encyclicam de calamitatibus suis scribit, depositionisque sententiam in Theodorum Cæsareensem profert, & communionis suspensionem adversus Menam Patriarcham Constantinopolitanum anno quingentesimo quinquagesimo secundo. Hanc Vigilii constantiam is eventus secutus est, ut remotis Edictis discussionem Trium Capitulorum integram synodo futuræ relinqui consenserit Imperator, atque Menas & Theodorus & alii Episcopi veniam a Vigilio petierint *ob injurias ejus beatitudini vel sedi factas*; ut testantur eorum libelli inserti Constituto Vigilii. Menæ mortuo successit Eutychius; qui statim fidei libellum Vigilio obtulit mense Januarii anno DLIII. & petivit, ut communi tractatu controversiæ motæ definirentur. Rescripsit Vigilius, sibi placere, ut discordia sopiatur *γινομένης κανονικῆς συνόδου*, *habita synodo canonica*, in qua tractatus & disceptatio fieri possit cum unitis sibi fratribus: *ἅμα τοῖς ἑνωθεῖσιν ἡμῖν ἀδελφοῖς σύγκρισιν ποιησόμεθα.* Cupiebat Vigilius, synodum in Italia fieri; sed refragante Principe de loco, tandem inter eos convenit ante diem Paschæ, ut exæquato Latinæ linguæ Episcoporum numero iis Pontificibus Græcis, qui tunc Constantinopoli præsentes aderant, de Tribus Capitulis tractaretur: quemadmodum testatur Vigilius in Constituto. Sed moræ impatiens Princeps synodum coegit adversus pacta conventa; literisque suis datis ad Patriarchas Constantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, & Vicarios Hierosolymitani Patriarchæ, & ceteros Episcopos Orientales, qui erant in Urbe, ad controversiam de Tribus Capitulis aggrediendam hortatur. In quibus literis *Judicati* olim a Vigilio editi mentionem injecit, ut de Pontificis sententia nullus videretur ambigendi locus; dissimulata tamen illius Judicati rescissione & ceteris conditionibus cum Vigilio depactis.

Synopsis Chronica adjuncta Notis ad Facundum a V. Cl. P. Sirmondo.

Extat in appendice Cod. Theodos. p. 218.

Collat. I. Quintæ Synod.

X. Convenit ergo synodus IV. Nonas Maji, & illustri legatione Eutychii Constantinopolitani & aliorum Patriarcharum atque XVI. Metropolitanorum Vigilium convenit, ab eo postulans, ut causam Trium Capitulorum cum ceteris Episcopis disceptare vellet, quemadmodum suis literis Eutychio pollicitus erat. Ille causatus valetudinem, in posteram diem responsum distulit: qua *pollicitus est manifestare, quod ei de tali conventu placuerit*. Quibus verbis non significat, quod viris eruditis persuasum est, scilicet se scriptis synodo satisfacturum; sed potius indicat, se conventum illum canonicæ synodi loco non habere; qua de re perendie sit acturus. Hic locus est magni momenti ad ferendum de consilio Vigilii certum judicium. Urserat præcipue synodi indictionem ad sanandos Occidentalium Episcoporum animos, qui læsi fuerant illa dispensatione, qua usus erat ad conciliandos Orientales. Ea conditio placuerat Justiniano. Itaque conventus solorum Orientalium censeri non poterat a Vigilio legitimum & universale Concilium. Quare secunda vice aditus a Legatis synodi, abscisse respondit, se cum illis *convenire non posse*, ut patet ex relatione a Legatis synodo facta, quorum hæc sunt verba: *Ille vero respondit non posse una nobiscum convenire, eo quod plurimi hic quidem sunt Orientales Episcopi, pauci vero cum eo; facere autem per semetipsum in scriptis sententiam suam, & offerre piissimo Domino.* Contendebant e contra Legati, conventum non esse differendum propter absentiam Occidentalium Episcoporum, præcipue cum in aliis synodis œcumenicis vix duo aut tres Occidentis Episcopi interfuissent, nunc vero adesset ipse Vigilius, & aliquot Italiæ, Illyrici & Africæ sacerdotes. Urgebant præterea illius rescriptum, quo promiserat Eutychio, se cum fratribus unitis de hac re tractaturum, se autem cum illo communione jungi. Replicatio Vigilii non est Actis inserta: quæ tamen colligi potest ex rei gestæ serie, quam numero superiori adnotavimus. Etenim Legati dissimulabant verba rescripti, qui se acturum ea de re in *synodo canonica* pollicebatur. Porro canonica synodus esse non poterat, quæ juxta morem in aliis synodis œcumenicis observatum non constabat ex Legatis omnium

Collatione I.

Collatione II. Syn. 5.

omnium provinciarum ecclesiasticarum, neque esse, quod objicerent, paucos ceteris Conciliis interfuisse Occidentales Episcopos, cum ex Actis synodicis constet, illos gessisse vices Romani Pontificis & totius Concilii Dioeceseon Occidentalium. Qui mos tanto studiosius observari debebat in hac caussa, quod de scandalo Occidentalibus illato agendum erat, eaque esset Romanæ Ecclesiæ consuetudo, ut vocatis iis, quorum intererat, offensiones amoveret; quemadmodum docent Leonis I. epistolæ ad Legatos in Orientem missos, & in hac caussa sæpe Vigilius professus fuerat iis verbis, quæ cleri Romani epistola continentur: *Epistola cleri Romani ad Legatarios Gallicanos.* *Sine consensu omnium*, inquit Vigilius, *ista, quæ & synodum Chalcedonensem in dubium venire faciunt, & scandalum fratribus meis generat, solus facere nullatenus acquiescam.* Quare interpellatus iterum a Patriciis, quos Imperator delegarat, & ab Episcopis nomine synodi, spopondit intra dierum aliquot spatium, quid sibi de controversia videretur, ad Imperatorem scripto transmissurum. Non est ergo, quod viri eruditi eam caussam prætendant absentiæ Vigilii, quod Summi Pontifices adesse non solerent in Conciliis generalibus; cum vera causa petenda sit ex eo, quod conventum imperfectum noluerit præsentia sua oecumenicum reddere in offensionem Occidentalium. Instituit itaque synodus cognitionem suam de tribus Capitulis, quæ tandem definitione sua damnavit.

XI. Interim vero Vigilius intra viginti dierum inducias, quas ob ægritudinem petierat, Constitutum suum ad Justinianum dedit, quo sententiam suam de Tribus Capitulis copiose explicavit. Theodori blasphemias configit; sed ejus nomini parcit, ad exemplum synodi Ephesinæ. Superfluum docet, & ad exprobrationem Theodoreti tendere, si ejus scripta adversus Cyrillum damnentur, cum Cyrillus ipse & synodus Chalcedonensis nihil aliud ab eo exegerint, quam ut Nestorio anathema diceret. De Ibæ epistola nihil retractandum post Concilium Chalcedonense. Deinde prohibuit, ne quis ordinis & gradus ecclesiastici aliter de Tribus Capitulis doceret, quam ipse suo Constituto exprimebat. Attamen animadverti, eum non adjecisse anathema in eos, qui contrariam opinionem tuerentur. Quod ab eo summa prudentia factum est, ut ostenderet, eam esse controversiæ conditionem, quæ in utramque partem inflecti posset, si paci ecclesiasticæ hac ratione consuleretur. Non potuit aliter respondere interroganti Justiniano, qui sententiam Vigilii requirebat. Non autem agebat de dispensatione ad concordiam Occidentalium & Orientalium resarciendam; quæ aliter obtineri non poterat, quam tractatu inito sine contumelia Occidentalium.

Annal. eccles. ad ann. 553. XII. Hic vero dissimulare non possum, me longe abesse ab illustrissimi Cardinalis Baronii sententia, qui putat, Constitutum Vigilii missum a Justiniano ad synodum; idque colligit ex eo, quod rationes in Constituto prolatæ pro Ibæ epistola, discutiuntur & refelluntur in sexta Collatione. Ut vero aliter sentiam, impellor potius amore veri, quam Novatorum procacitate, qui ex hac narratione non leve argumentum trahi posse putant adversus pontificiam auctoritatem, cujus scripta in Synodo non solum discuti, sed etiam refutari hinc probant, & definitionem illius decretis promulgatis contrariam cum anathemate proferri. Enimvero, si Constitutum relectum fuisset in synodo, illius recitatio relata fuisset in Acta, quibus insertæ sunt minoris momenti relectiones. Argumenta autem illa pro Ibæ epistola, (quæ discutiuntur Collatione sexta) nota erant & trita, utpote, quæ a sex vel septem annis summo studio contorquerentur ab adversariis, etiam scriptis copiosissimis libris; quemadmodum factum est a Facundo Hermianensi; ut necesse non sit confugere ad Constitutum Vigilii, quasi inde illa excerpi, necessarium omnino foret. Deinde promulgatio Constituti aliena fuisset ab instituto & prudentia Imperatoris: qui damnationi Trium Capitulorum cum totus incumberet, non debuit suis votis officere, Vigilii auctoritate prolata, quæ desiderium illius improbaret. Imo vero, ut facilius obtineret, quem sibi proposuerat, eventum, neu quis expectaret, quid Principi Vigilius respondisset, quemadmodum pollicitus erat, se facturum, per Constantinum sacri palatii Quæstorem Justinianus synodo suggessit, Vigilii mentem satis explicatam esse ex iis, quæ sæpius hac de re docuerat, cum scriptis, tum viva voce. Et, ut sacrum conventum ad damnationem Trium Capitulorum animaret, literas ea de re a Vigilio perscriptas ad Aurelianum Arelatensem & ad Valentinianum Scythiæ Episcopum, & sententiam ab eodem Pontifice latam adversus Rusticum & Sebastianum Diaconos suos Trium Capitulorum fautores, e Latina in Græcam linguam versas, legendas exhiberi ab eodem Quæstore curavit. *Collatione VII.* Hæc sunt verba (Constantini:) *Communiter vero convenire invitatus* (id est Vigilius) *& hoc facere una cum sancta vestra synodo, pollicitus est per semetipsum facere & dare piissimo Domino. Ut igitur etiam ea, quæ sæpius ab ipso facta sunt ad condemnationem Trium Capitulorum, vos audientes alacriores efficiamini de his formam celeriter proferre, direxit per me sanctitati vestræ condemnationem ab ipso Vigilio religiosissimo prolatam &c. omnibus translatis ad Græcam linguam ad faciliorem scientiam vestræ sanctitatis.* Qui, præjudicio Vigilii perlecto, patres *alacriores effici* ad condemnationem, existimabat, non adeo supinus erat, ut eorum impetum contraria ejusdem Pontificis definitione retardaret. Deinde vero locus agendi de Constituto hic erat, cum pollicitationem Vigilii Principi factam Quæstor recenseret. Sed adeo mentionem ejus non injecit, ut potius id omnino dissimulet, ejusque loco alia instrumenta substituat. Ait vero vir illustrissimus, hac instrumentorum prolatione id tentasse Justinianum, ut Vigilium prævaricationis argueret, qui Constituto aliter, quam antea, decernebat. Sed Principis in eo consilium aliunde melius deprehendi non potest, quam ex oratione Quæstoris; qui ad excitandos & provocandos patres auctoritatem Vigilii contra isthæc Capitula scripto profert, non autem in Pontificis contumeliam. Sane si quis ordinem, qui in Conciliis Oecumenicis obtinebat, diligentius expendere velit, quam longissime recedet ab illa opinione, qua dignitas sedis apostolicæ violatur, mecumque facile consentiet, adhibitum Vigilii nomen, ut gradus inde ad definitionem synodi contra Capitula strueretur. Prima enim semper fuit in Synodis Oecumenicis sententia Romani Pontificis; qua non expectata, nihil decerni, moris erat; quemadmodum servari solebat in senatus consultis ad orationem Principum factis, ut dicam tomo secundo de Concordia Sacerdotii & Imperii. In præsentiarum solo Vigilii testimonio utar, qui sibi jus illud in hac caussa vindicabat. Promissa namque Principi intra viginti dierum inducias sua de hoc negotio definitione, Pelagium Diaconum ad Episcopos misit, ut eos moneret, ne ante sententiæ suæ promulgationem quicquam ea de re decernerent: *Antiquum & regularem custodientes ordinem*, inquit, *ne ante nostræ, hoc est, sedis apostolicæ, cui per Dei gratiam præsidemus, promulgationem, sententiæ quicquam proferre tentarent, unde scandali rursus, quæ sopita fuerat, oriri posset occasio.* *Constitutum Vigilii.* Itaque Justinianus, ne prætermissa videretur in hoc negotio Vigilii auctoritas, Constitutum quidem suppressit; sed alias Vigilii priores sententias, quæ annis superioribus ab eo latæ erant οἰκονομικῶς, synodo exhibuit, ut in Actis omnia rite & solenniter gesta fuisse viderentur. Quare synodus quo-

Collatione VII. initio definitionis.

que ipsa magnum decreti sui momentum in eo posuit, quod Vigilius Tria Capitula sæpius & scripto & sine scripto condemnasset; etsi conqueratur, quod conventui, licet illustri legatione invitatus, interesse noluerit, satiusque duxerit polliceri, se suam ipsius sententiam ad Principem missurum. Cæterum, an promissis steterit Pontifex, omnino synodus reticuit, officio se suo satisfecisse rata, si sententiis a Vigilio latis & in judicio ex mandato Principis exhibitis inniteretur; præcipue cum de Pontificis contrario voto solenniter & juxta cognitionum ordinem non constaret.

XIII. Ceterum id valde angebat Vigilium, quod restitutionem pacis Occidentalium, quam unice expetebat, his Justiniani artibus pessumdatam videret. Non solum enim numerus Occidentalium Episcoporum exæquatus non fuerat in synodo secundum pacta conventa, de quibus egimus supra, sed etiam Vigilii decretum, a Principe retentum, in synodo promulgatum non fuerat, quod ad majoris scandali occasionem tendere, si tale quid accideret, Vigilius in Constituto disertissime professus fuerat. Quare in ea rerum omnium perturbatione consensum suum præstare noluit Episcoporum definitioni; ideoque a Principe pulsus est in exilium una cum aliquot Episcopis & Clericis synodo refragantibus, teste Anastasio. Contumeliæ enim illius apud Evagrium & ceteros scriptores Græcos altum est silentium. Nisi fortasse suspicari libeat, aliquam hujus dissidii cognitionem ad Michaelem Cerularium Patriarcham CP. pervenisse; quæ supinæ cujusdam hallucinationis occasionem illi præbuit. Is enim circiter annum MLI. ut a se per summum scelus repudiatæ communionis Romanæ infamiam amoliretur, jam ab ipsis Vigilii temporibus Papæ nomen ex ecclesiasticis diptychis deletum fuisse, scripsit epistola data ad Petrum Antiochenum Episcopum. Mos enim ille apud summas sedes invaluerat, ut Papæ priore loco, deinde ceterorum Patriarcharum nomina tabulis ecclesiasticis, quas diptycha vocabant, inscripta, in sacrificii ordine recitarentur, ad testandam universalis Ecclesiæ communionem: a qua si quis illorum excideret, nomen ejus e diptychis expungebatur; ut, præter cetera, docent acerrimæ de nomine Joannis Chrysostomi restituendo & Acacii expungendo contentiones. Sed Michaelis errorem statim Petrus castigavit. Ægre namque ferebat, consortium cum Ecclesia Romana dissolvi; quod literis ordinationis suæ & fidei testibus ad Leonem IX. datis retinere conatus, desiderii sui compos evasit; ut patet ex Leonis responsione. Proferam autem ipsa Petri verba ex ejus epistola ad Michaelem, quæ habetur in codice MS. Bibliothecæ Regiæ; quoniam non solum, quid de Vigilii negotio Petrus sentiret, sed tempus etiam docent, ex quo Græci Patriarchæ nomen Romani Pontificis diptychis eraserunt, de quo inde restituendo, quam τοῦ ὀνόματος ἀναφορὰν dicebant, ad restaurandam Ecclesiæ unitatem tantopere laboratum est; ut testantur Georgius Pachymeres & Nicephorus Gregoras, qua de re alibi.

Anastasius in Vigilio.

Sacris sanctitatis tuæ literis continetur, famam ad te perlatum, me in sacra diptycha Papam retulisse, idemque præstitisse ceteros Patriarchas. Quæ culpa a me, præter ceteros, abesse debuerat: quippe qui noverim, quod a temporibus Sextæ synodi usque ad hanc ætatem Papæ nomen e diptychis excisum fuerit; quoniam Vigilius Synodo interesse noluit, neque damnare, quæ adversus rectam fidem & duodecim capita Cyrilli scripserat Theodoretus, atque ex illo ad hoc usque tempore præcisum esse Papam a vestra sanctissima Ecclesia. *Mox*: Quæ ad Vigilium spectant, quantam præ se ferunt religiosi Chartophylacis tui oscitantiam. Licet enim in rhetorica arte, ut ferunt, sit apprime versatus, attamen in hac ejus adolescentia nondum satis callet res ecclesiasticas. Vigilii tempus refertur ad Quintam, non autem ad Sextam Synodum. Intervallum autem duarum synodorum est centum & viginti novem annorum. Accidit autem, ut ad pauxillum temporis ab ejus recitatione abstineretur, ob dissidium ejus cum Mena sanctissimo Patriarcha; quem ille suspensione mulctaverat, donec sacerdotes ad invicem in pacem redierunt. Papa autem erat, sextæ synodi temporibus, Agatho vir clarissimus, & in rebus divinis exercitatus. Lege vero, quæ sextam synodum spectant; quæ quidem solet relegi die dominica post festum exaltationis venerabilis crucis. Etenim invenies, prædictum Agathonem a sancta illa synodo summis laudibus efferri. Præterea vero ego sum testis omni exceptione major, plurimi quoque mecum e gremio Ecclesiæ præstantes viri, quod sub beatiss. Dom. Joanne Antiocheno Patriarcha, Joannes ejusdem nominis Papa Romanus in sacris diptychis recitabatur. Quin etiam ante annos quadraginta quinque, cum ad urbem Constantinopolim accessissem sub beatiss. Patriarcha Dom. Sergio, inveni, prædictum Papam una cum aliis Patriarchis inter divina mysteria recitatum. Quomodo vero deinceps ejus recitatio præcisa fuerit, quamve ob causam, penitus ignoro.

Petrus Antioc. in epist. ad Michaelem Cerularium.

Περιέχεται τοῖς ἱεροῖς γράμμασι τῆς ἁγιωσύνης σου, φήμην τινὰ τοῖς σοῖς ἐνηχηθῆναι ὠσὶν, ὡς τὸν Πάπαν τοῖς ἱεροῖς ἀναφέρω διπτύχοις, τοῦτο αὐτὸ ποιούντων καὶ τῶν ἄλλων πατριαρχῶν. Καὶ ὡς οὐκ ἔδει τοσοῦτον ἀγνόημα ἀγνοῆσαι, καὶ μάλιστα πρὸ τῶν ἄλλων ἐμὲ· εἰδότα, ὅτι ἀπὸ τῆς ἁγίας ἕκτης οἰκουμενικῆς συνόδου, ἐπὶ τάδε τῆς ἐν τοῖς ἱεροῖς διπτύχοις ἀναφορᾶς ἐξεκόπη ὄνομα τοῦ πάπα. διὰ τὸ τηνικαῦτα Βιγίλλιον μὴ ἀπαντῆσαι κατὰ τὴν σύνοδον, μήτε μὴν ἀναθεματίσαι τὰ παρὰ τοῦ Θεοδωρήτου κατὰ τῆς ὀρθῆς πίστεως, καὶ τῶν δώδεκα κεφαλαίων τοῦ ἁγίου Κυρίλλου γραφέντα. Καὶ ἐκ τότε καὶ μέχρι τοῦ νῦν ἀποτμηθῆναι τῆς καθ' ἡμᾶς ἁγιωτάτης ἐκκλησίας τὸν πάπαν. Mox: τὸ δὲ κατὰ Βιγίλλιον πόσην οὐ προσεπιμαρτυρεῖ ἀπροσεξίαν τῷ εὐσεβεῖ χαρτοφύλακί σου. εἰ γὰρ καὶ περὶ τῆς ῥητορικῆς μάθημα σοφιστικὸς ὁ ἀνὴρ, ὡς ἀκούομεν, ἀλλὰ νέος ὢν οὔπω πεῖραν ἔχει ἱκανὴν τῶν ἐκκλησιαστικῶν. Ὁ Βιγίλλιος γὰρ περὶ πέμπτης ἦν, οὐ μὴν δὲ ἐπὶ τῆς ἕκτης συνόδου· διάστημα δὲ μεταξὺ τῶν δύο συνόδων ρκθ' ἐτῶν. τὸν δὲ συνέβη πρὸς μικρὸν τῆς ἀναφορᾶς ἀποτμηθῆναι, διὰ τὸ διενεχθῆναι αὐτὸν πρὸς τὸν ἁγιώτατον πατριάρχην Μηνᾶν, καὶ καθαιρέσει τοῦτον ὑποβαλεῖν, ἕως οὗ καὶ πρὸς ἀλλήλους οἱ ἀρχιερεῖς εἰρηνεύσαντες κατηλλάγησαν. Ἐπὶ δὲ τῆς ἕκτης ἁγίας συνόδου ὁ ἱερὸς ἦν πάπας Ἀγάθων, ἀνὴρ τίμιος, καὶ τὰ θεῖα σοφός. καὶ ἀνάγνωθι τὰ περὶ τῆς ἕκτης συνόδου, ἥτις εἴωθε κυριακῇ μετὰ τὴν ὕψωσιν τοῦ τιμίου σταυροῦ ἀναγινώσκεσθαι. Εὑρήσεις γὰρ τὸν εἰρημένον Ἀγάθωνα εὐκλεῶς ὑπὸ τῆς ἁγίας ταύτης συνόδου ἀνακηρυττόμενον. Ἐπὶ δὲ τούτοις, κἀγὼ μάρτυς ἀπαράγραπτος, καὶ ἄλλοι σὺν ἐμοὶ τῶν τῆς ἐκκλησίας ἐλλογίμων πολλοὶ, ὅτι ἐπὶ τοῦ μακαριωτάτου Πατριάρχου Ἀντιοχείας κυρίου Ἰωάννου, ὁ Πάπας τῆς Ῥώμης Ἰωάννης καὶ αὐτὸς ἀκούων ἐν τοῖς ἱεροῖς διπτύχοις ἀνεφέρετο. Καὶ ἐν Κωνσταντινουπόλει δὲ πρὸ χρόνων τεσσαράκοντα καὶ πέντε, εὗρον ἐπὶ τοῦ μακαριωτάτου Πατριάρχου κυρίου Σεργίου, τὸν δηλωθέντα Πάπαν ἐν τῇ θείᾳ μυσταγωγίᾳ μετὰ τῶν ἄλλων Πατριαρχῶν ἀναφερόμενον. ὅπως δὲ ὕστερον ἡ αὐτοῦ ἀνεκόπη ἀναφορὰ, καὶ τὴν αἰτίαν, ἀγνοῶ.

Unde patet, Sergium Patriarcham (qui sedem Constantinopolitanam tenuit ab an. DCCCCXCVII. usque ad annum MXVIII.) communione junctum fuisse cum Joanne XIX. seu mavis XVII. qui sedit ab anno MIII. ad annum MIX. quemadmodum ex hac Petri epistola observavit quoque illustrissimus Annalium conditor. Sed aliquot exinde annis effluxis, iterum discessere Græci ab ea unitate, quam Joannis illius sedulitas restauraverat. Dissidii hujus ultimi causam ignorare se, id est, justam sibi non videri, profitetur Petrus Antiochenus. Alioquin difficile non erat eam indicare, si quis repulsam expenderet, quam passi sunt Legati ab Eustachio Constantinopolitano ad Joan-

Baron. ad an. 1009.

Joannem XVIII. miſſi anno MXXVI. ut Pontificis conſenſum ad univerſalis Patriarchæ nomen Epiſcopo Conſtantinopolitano concedendum ampliſſimis muneribus exambirent. *Quatenus ejus conſenſu liceret Eccleſiam Conſtantinopolitanam in ſuo orbe, ſicut Roma in univerſo, univerſalem di-* *Glaber. l. 4. c. 1.* *ci & haberi;* ut loquitur Rodulphus Glaber.

XIV. Ceterum, ut ad res Vigilii redeam, obſervandum eſt, Synodi Quintæ definitionem editam fuiſſe anno DLIII. IV. Nonas Junias, anno XXVII. Imperii Juſtiniani, poſt conſulatum Baſilii anno XII. ut patet ex Collatione octava. Ante vero ſextum Idus Decembris ejuſdem anni, id eſt, poſt ſex menſes a ſolutione ſynodi, Vigilius decretalem epiſtolam dedit ad Eutychium, qua Tria Capitula condemnat, ita ut hinc perſpicere liceat, brevem ejus fuiſſe in exilio moram. Eſt autem operæ pretium expendere, quænam ille verba in re adeo implicata adhibeat, quibus dignitatem ſuam tueri poſſit adverſus Synodum Conſtantinopolitanam ſine ulla Principis & Epiſcoporum offenſa. Plane ſi verum amamus, omnino fateri neceſſe eſt, altas in mentibus hominum tunc temporis egiſſe radices traditam a majoribus ſententiam de ſumma ſedis apoſtolicæ auctoritate. Cum enim de ceteris Synodis Oecumenicis ea reverentia loqui ſoliti eſſent Summi Pontifices, ipſeque adeo Vigilius in hoc decreto, ſcilicet, ut ſe eas ſuſcipere, amplecti, & devota mente venerari profiterentur, utpote, quæ ſedis apoſtolicæ ſuffragio & univerſalis Eccleſiæ conſenſione firmatæ eſſent, hanc Quintam Synodum Vigilius ne quidem ſynodi nomine cohoneſtat; nempe illa ratione motus, quod ejus celebrationi, iis conditionibus, quibus facta eſt, conſenſum non præbuiſſet, ut adnotavimus numero X. Deinde vero, quod etſi vitium illius ex poſtfacto diſſimulaſſet, a Conſtituti ſui promulgatione ceſſatum fuerat, ut monui. Quod vero ad rem ipſam attinet, ipſe ſua auctoritate ſuoque decreto Tria Capitula damnat; quoſcumque vero, qui jam illa condemnaverunt (his verbis Synodum Conſtantinopolitanam ſignificat,) fidem a quatuor ſynodis prædicatam amplectentes, eos *fratres & conſacerdotes eſſe definit*, id eſt, eos communioni ſuæ adjungit, eorumque ſententiæ robur illud impertitur, quod ex conſenſione cum ipſius decreto trahere debent. Eandem ſententiam ſuperioribus epiſtolæ verbis ſic expreſſerat: *Quæ a nobis definiri debent, revelante Domino, & inveſtigata veritate ſalubriter impleta ſunt.* Quaſi diceret, hanc quæſtionem, licet ab Epiſcopis diſcuſſam in ſynodo, & eorum ſuffragiis deciſam, ſedis apoſtolicæ decreto eſſe peremptorie definiendam. Unde hoc ſuum decretum *διατύπωσιν* appellat ad Principum exemplum.

XV. Itaque Græci, ne dubitari poſſet in poſterum de Quintæ Synodi auctoritate, decretum iſtud Vigilii in Acta retulerunt continenter poſt definitionem ſynodi; quemadmodum colligere licet ex eo, quod exſcriptor antiquus ejus exempli, quod proferimus, hac epiſtola finem Actis ſynodi impoſitum teſtatur. Verbum enim ſolenne librariis antiquis, quo finem operis deſignabant, nempe τέλος, vel *Explicit*, quo utitur aliquando Hieronymus, amanuenſis noſter ex Actis in ſuum excerptum ſincere tranſcripſit. *Finis*, inquit, *octavi libri ſynodi Conſtantinopoli congregatæ*. Deinde vero lemma ſeu titulus hujus epiſtolæ ſatis docet, præſcripta eſſe in eodem codice Acta Synodi: *Vigilii epiſtola ad Eutychium καὶ πρὸς πᾶσαν τὴν προκειμένην ἁγίαν σύνοδον, & ad præjacentem ſanctam ſynodum.* Quare Photius Patriarcha Conſtantinopolitanus, licet infenſiſſimus Eccleſiæ Romanæ hoſtis, ab iis verbis temperare non potuit, quæ Vigilii auctoritatem in confirmanda hac ſynodo ſignificant, ſatiſque docent, poſt habitam ſynodum, Pontificis decretum acceſ- *Photius in lib. de ſynodis.* ſiſſe. Hæc ſunt ejus verba: *παρῆν μὲν τῇ πόλει, οὐ παρῆν δὲ τῇ συνόδῳ· ὡς εἰ καὶ μὴ πρόθυμος εἰς τὴν συνδρομὴν τῆς ἱερᾶς ὁμηγύρεως κατέστη, ἀλλ' ὅμως τὴν κοινὴν τῶν πατέρων πίστιν ἐπεκύρου λιβέλλῳ. Aderat præſens in urbe, ſed non intererat ſynodo. Etſi vero non adeo prono animo eſſet erga ſacri Concilii cœtum, nihilominus tamen communem patrum fidem libello confirmavit.* Eadem ſententia refertur in vetuſtiſſimo Codice MS. Arabico, in quo Canonum Collectio ad uſum Eccleſiæ Alexandrinæ continetur; quem penes ſe habet vir clariſſimus Gilbertus Gaulminus Libellorum ſupplicum Magiſter, Arabicæ & ceterarum orientalium linguarum periciſſimus. Collectionis hæc ſunt verba: *Excommunicavit ſynodus & vivos & mortuos; quod antea non præſtitum, niſi in illos ſolos; factumque hoc Patriarcha Romano ſciente, qui & confirmavit, & ſcripto ad Imperatorem dato fidem ſuam profeſſus eſt.* Ejuſdem viri diligentiæ hoc quoque teſtimonium debemus, quod ex codice MS. Arabico hiſtoriæ eccleſiaſticæ Ibn Patric excerpſit, & interpretatus eſt, ut & ſuperiorem locum: *Romanus Patriarcha præſens ſynodo nec adivit, nec Le-* *Eutychius T. 2. pag. 172.* *gatum miſit; ſed conſenſum præbuit, dictaque patrum ſuſcepit.* Auctor iſte Patric ſæpius laudatur a Georgio Elmacin ſcriptore Hiſtoriæ Saracenicæ, edito ſuperioribus annis ab Erpennio.

(Ibn Patric, cujus hoc loco meminit illuſtriſsimus Archiepiſcopus, alio nomine dictus eſt Eutychius, auctor annalium, qui anno 1658. editi ſunt Oxoniæ opera Edvvardi Poccokii. Fuit autem Patriarcha Alexandrinus.)

XVI. Per iſtud Vigilii decretum Quinta Synodus velut univerſalis admiſſa eſt, non ſolum in Oriente, ſed etiam in Occidente. Unde Pelagius I. Vigilii ſucceſſor univerſalis Concilii nomen illi arrogat in epiſtola ad Narſetem Patricium & Ducem Italiæ, agens de Liguribus, Veneticis, & Iſtricis Epiſcopis, qui a ſedis apoſtolicæ communione diſceſſerant ob illam ſynodum: *Si quid eos*, inquit, *de judicio univerſalis Concilii, quod Conſtantinopoli per primam nuper elapſam Indictionem actum eſt, ſi forte movebat, ad ſedem apoſtolicam, quomodo ſemper factum eſt, electis aliquibus de ſuis, qui dare & accipere rationem poſſent, dirigere debuerunt.* Eam ſynodum ſuſceperunt quoque Pelagius II. & Gregorius Magnus. *Greg. lib. 1. ep. 24.* Hic vero ſe illam, Quinti Concilii nomine, pariter cum ceteris quatuor venerari profitetur in epiſtola ad Joannem Conſtantinopolitanum. Ut taceam de ceteris Summis Pontificibus, & de Sextæ Synodi patribus, qui eam ſynodum æquali cum ceteris cultu & reverentia exceperunt. Neque eſt, quod aliquis ſibi perſuadeat, viris doctis ejus ſeculi exoſam fuiſſe, quod ejus mentionem nullam fecerit Caſſiodorus in divinis inſtitutionibus. Nos enim aliam hujus ſilentii rationem mox inveſtigabimus, quæ ab aliis ex parte indicata eſt.

XVII. Enimvero ne quis ambitioſum hoc Vigilii decretum exiſtimaret, ipſe rationes, quæ ſe ad hanc ſententiam impulerint, has aſſignat. Nempe, quod offenſiones & ſcandala, quæ generis humani hoſtis per diſputationem de Tribus Capitulis invexerat, jam ſedata eſſent, paxque reddita eſſet Eccleſiæ poſt illorum damnationem, & veritas affulſiſſet in his ambiguis controverſiis. Unde colligere licet, Illyricianarum & Africanarum provinciarum Epiſcopos prioris ſententiæ pœnituiſſe, & communicatis cum Vigilio conſiliis Orientalium communionem amplexos. Unde factum, ut deinceps inter ſchiſmaticos non recenſeantur. In reliquo Occidente, Franci & Hiſpani communionem apoſtolicæ ſedis retinuerunt: quemadmodum etiam Italiæ Epiſcopi, poſtquam Thuſci a Pelagio I. moniti ſtatim in officium redierunt. Soli Iſtriæ, Venetiæ, & Liguriæ Epiſcopi, qui ſub dominio Longobardorum degebant, pertinaci animo ſchiſma foverunt uſque ad Gregorii magni tempora, qui virus illud etiam apud Hibernos ſanavit. Mentio pacis & ſcandalorum ſedatorum injecta, viam aperit diſpenſationi, quam hoc ultimo

decre-

decreto renovat. Non enim abstinere possum, quin dispensationi hanc ultimam quoque definitionem Vigilii tribuam; cum videam Leontium Scholasticum, qui hac ætate floruit, ea sola ratione Quintæ Synodi decretum fulcire, nempe quod latum sit κατ' οἰκονομίαν, ut ille ait; existimante Justiniano, his Capitulis damnatis, Acephalos, seu Hæsitantes, unitatem Ecclesiæ & Synodum Chalcedonensem amplexuros. Verba Leontii hæc sunt Actione sexta de Sectis:

(*) Interpres male vertit certo consilio.

Secundum (*) dispensationem quandam hoc fecit Justinianus. Cum enim videret, Hæsitantes propter hoc aversari synodum, (*Chalcedonensem*) existimavit, quod si anathematisaret illos (*Theodorum & Ibam*,) synodus reciperetur. Ideoque duos anathematisandos duxit (quamquam eos minime anathematisatos oportuit,) ut omnes ad unitatem redigeret. Hanc igitur ob causam illos anathemati subjecit. Verum ne sic quidem Hæsitantes synodum receperunt.

Ὅτι κατ' οἰκονομίαν τινὰ τοῦτο ἐποίησεν Ἰουστινιανός. ἐπειδὴ γὰρ ἑώρα τοῖς διακρινομένους διὰ τοῦτο ἀποστρεφομένους τὴν σύνοδον, ἐνόμισεν, ὅτε ἐὰν ἀναθεματίσει αὐτοὺς, ποιεῖ δεχθῆναι τὴν σύνοδον. ἡγήσατο οὖν δύο τινὰς ἀναθεματίσαι, εἰ καὶ μὴ ἔδει αὐτοὺς ἀναθεματισθῆναι, ἵνα πάντων τὴν ἕνωσιν ποιήσῃ. καὶ διὰ τοῦτο ἀνεθεμάτισεν αὐτούς. Καὶ ὅμως οὐδὲ οὕτως ἐδέξαντο οἱ διακρινόμενοι τὴν σύνοδον.

XVIII. Ceterum Vigilius aliam quoque rationem hujus ultimi decreti assignat, nempe veritatis agnitionem, quæ sibi anxie & sollicite perscrutanti veterum patrum scripta tandem affulserit. Pertinere autem ait ad officium probi & prudentis viri a priore sententia discedere postquam rei disceptatæ æquitas comperta fuerit; quod præcipue locum habere, docet in controversiis ecclesiasticis. Idque probat illustri beati Augustini exemplo, qui retractatis lucubrationibus suis, aliqua adjecit, aliqua vero emendavit. Iisdem vestigiis hæret Pelagius II. ut decretum Vigilii tueatur, in epistola illa prolixa ad Episcopos Istriæ data, quæ a Gregorio M. chartis ecclesiasticis tunc operam dante, sub Pelagio scripta est, teste Paulo Diacono. Objiciebant Istriæ Episcopi ad excusationem schismatis, in causæ principio sedem apostolicam per Vigilium Papam damnationi Trium Capitulorum restitisse. Respondet Pelagius, Latinos homines & Græcitatis ignaros errorem tarde cognovisse; & subjungit: *Tanto eis celerius credi debuit, quanto eorum constantia, quousque verum cognoscerent, a certamine non quievit; quorum consensum certe fraternitas vestra despiceret; si ausu præcipiti, priusquam verum cognoscerent, consensissent. At postquam diu ab eis laboratum est, & longo tempore ad injurias usque certatum; hinc vestra fraternitas penset, quia tot labores repente non relinquerent, nisi, quæ vera sunt, agnovissent.* Probat autem duobus exemplis, eum esse divini consilii ordinem, ut sæpe veritatem commendet, eorum opera, qui diu contra ipsam luctati sunt. Paulum contumacem adversus Evangelium *sic suæ fidei prædicatorem fecit, ut cunctis, quibus per illum fuerat prædicaturus, ostenderet, quia valde verum est Dei Evangelium, quod & tanta duritia inclinata prædicaret.* Addit alterum Petri exemplum; qui reprehensus a Paulo, quod gentes recens ad fidem conversas ad Judaismi ceremonias impelleret, consilium mutavit. Unde concludit: *Si igitur in Trium Capitulorum negotio, aliud, cum veritas quæreretur, aliud inventa veritate dictum est, cur mutatio sententiæ huic sedi in crimine objicitur, quæ a cuncta Ecclesia in ejus auctore veneratur? Non enim mutatio sententiæ, sed inconstantia sensus in culpa est. Quando ergo ad cognitionem recti intentio incommutabilis permanet, quid obstat, si ignorantiam suam deserens, verba permutet?*

Paul. Diac. l. 3. de Gestis Longobard. c. 20.

Pelag. II. ep. ad Episc. Istriæ cap. 7.

Cap. 8. ejusdem epist.

XIX. Quærendum superest, cujus rei veritatem assecutus sit Vigilius, quæ illum antea lateret. Id autem colligi potest ex illa epistola Pelagii II. collata cum verbis Constituti Vigiliani. Quippe prima regula, quæ in Constituto figitur, hæc est, nihil ex iis, quæ quoquo modo disposita sunt in Concilio Chalcedonensi, posse in quæstionem deduci seu retractari, cujus regulæ probatio petitur ex epistolis Leonis Papæ ad Leonem Imperatorem, & ex epistolis Simplicii ad Zenonem. E contrario Pelagius docet, solam fidei causam, quæ definita est in Concilio Chalcedonensi, irretractabilem esse; cetera vero omnia, quæ discussa sunt in illa synodo, ad privata negotia pertinere. Leonis testimonia interpretatur, & ex eo probat, licentiam tribui, *ut quidquid illic, extra fidei causas, de personis gestum est, retractetur.* Unde recte concludit, de Ibæ epistola, etsi probata fuisset in Synodo Chalcedonensi, iterum disceptari posse. Secunda regula juxta Constitutum hæc est, eos, qui in communione & pace Ecclesiæ mortui sunt, post obitum non posse subjici anathemati. Quam regulam confirmat Vigilius, allatis Leonis & Gelasii testimoniis. Unde sequebatur, Theodorum post mortem damnari non posse. Pelagius vero docet ex Augustino, post mortem quoque eos recte damnari, qui hæresim professi sunt; *cum culpa in fide perpetua nec morte interveniente laxetur.* Nempe ad exemplum perduellionis reorum; quorum memoria post mortem damnatur, & bona addicuntur fisco, licet cetera omnia crimina mortalitate extinguantur, ut loquitur Papinianus. Quod attinet ad Theodori dogmata: ea quidem in Constituto, anathemate damnantur ut impia & blasphema; ita tamen, ut ibi significetur, non omnino liquere, an revera Theodorus illa scripserit. At vero in ultimo suo decreto Vigilius docet, sibi tandem manifestissime patuisse, διὰ καθαρᾶς ἀληθείας, *liquida veritate*, Theodorum blasphemiis quamplurimis libros suos fœdavisse.

Cap. 17. 18.

Cap. 19.

Cap. 9.

XX. Ex epistolis Vigilii & Pelagii colligere licet unam & alteram regulam apprime utilem & omnibus disceptationibus ecclesiasticis valde accommodatam. Earum prima est, fidei canonem mutari non posse, & quæstiones dogmatum universalis synodi judicio semel sopitas iterum excitari non debere. *Regula quidem fidei*, inquit Tertullianus, *una omnino est, sola, immobilis, & irreformabilis.* Secunda: In aliis caussis extra fidem, id est, in capitibus disciplinæ, quæ versantur non solum in facto, sed etiam in jure, veritatem nunc latere, nunc aperiri; quæ cum sese prodiderit, priores constitutiones immutandas, sive a Conciliis generalibus, sive a Summis Pontificibus profectæ sint. Quod non solum Vigilius profitetur in epistola nostra; sed etiam Pelagius secundus. *Specialis*, inquit, *synodalium Conciliorum caussa est fides. Quidquid ergo præter fidem agitur, Leone docente ostenditur, quia nihil obstat, si ad judicium revocetur.* Tertullianus quoque in eandem sententiam ait: *Hac lege fidei manente, cetera jam disciplinæ & conversationis admittunt novitatem correctionis, operante scilicet & proficiente usque in finem gratia Dei.* Ne quis vero excipiat, a Tertulliano hæc adnotata in odium Psychicorum, quos ipse vocat, ad asserendam novam Parecleti sui disciplinam, confirmanda est regula a nobis posita luculento beati Augustini testimonio. *Ipsa plenaria* (Concilia,) inquit, *sæpe priora a posterioribus emendantur, cum aliquo experimento rerum aperitur, quod clausum erat, & cognoscitur, quod latebat, sine ullo typho sacrilegæ superbiæ, sine ulla inflata cervice arrogantiæ, sine ulla contentione lividæ invidiæ, cum sancta humilitate, cum pace catholica, cum caritate Christiana.* Judicia vero, data in privatis negotiis a sede apostolica, quin retractari possint, &, si opus sit, emendari

Tert. de virgin. vel. c. 1.

Pelag. II. in ep. ad Episc. Istriæ c. 19.

Tert. d. loco.

Aug. l. 2. de bapt. cap. 3.

dari ab eadem sede in Concilio, sive generali sive speciali, dubitari non potest; ut alibi copiose ostendi.

XXI. Hic quæri non ineleganter potest, cur hæc epistola deficiat in Actis Latinis. Cujus rei hanc esse puto causam, quod Acta Græca statim post damnata Capitula versa sunt in Latinam linguam, & Vigilio tradita, ut deliberare posset de illorum approbatione vel rejectione. Nemini vero deinde curæ fuit, Actis Latinis epistolam Vigilii adjicere; cum satis videretur, ad exemplum ceterarum epistolarum pontificiarum, hanc regestis Vigilii contineri; quorum tamen cum sit facta jactura, istam quoque epistolam intercidere necesse fuit. Dubitari vero non debet, quin statim interpretationem Latinam aggressus fuerit aliquis utriusque linguæ peritus, ad usum Vigilii & Occidentalis Ecclesiæ; cum id in more positum fuisse doceant veteres interpretationes anathematismorum Ephesinæ Synodi, & integræ Chalcedonensis, atque Sextæ Synodi. In hac vero causa omnino maturanda erat Latina interpretatio, ut possent Acta Vigilio exhiberi, apud se deinde consulturo, ut dixi, de Trium Capitulorum damnatione. Quare statim atque Collatio octava finem accepit, ubi Trium Capitulorum damnatio continetur, sine dubio Acta Synodi Latine versa, Vigilio tradita fuerunt. Sane interpretationem Latinam antiquam esse, discimus, non solum ex Actis Concilii Sexti, ubi refertur, Latinum exemplar Quintæ Synodi servatum fuisse in patriarchio Constantinopolitano, sed etiam ex Gregorio magno, qui exemplaria hujus Synodi Latina ad Theodelindam Longobardorum Reginam misit. *Sexta Syn. Act. XIV.* *Greg. l.3. ep.4.*

XXII. Ex eo autem, quod antiqua conjicimus esse Acta Latina, quæ hodie extant, sincere quoque illa præstare debemus, omnemque ab eis imposturæ & mutilationis suspicionem amoliri; quam tamen viri eruditi probabiliter induerunt. Imposturam sapere illis videtur epistola ad Joannem Antiochenum sub Theodoreti nomine prolata in sexta Collatione; quam ab Eutychiano aliquo nebulone Actis intrusam putant, ut Cyrillum conviciis proscinderet. Alienum enim esse ajunt a modestia Theodoreti, ut manibus Cyrilli defuncti se infestum exhibeat, cujus viventis concordiam & communionem una cum Joanne Antiocheno fuerat amplexus. Addunt ex Chronico Nicephori Patriarchæ, Joannem Antiochenum e vivis exemptum ante Cyrilli obitum; ita, ut de hujus excessu Theodoretus Joanni gratulari non potuerit. Hoc argumento non ineleganter dici potest, mendum irrepsisse in epistolæ inscriptionem, & pro *Joanne* restituendum esse *Domnum* successorem Joannis; præcipue cum statim post epistolam recitetur fragmentum allocutionis, quam Theodoretus Antiochiæ dixit præsente *Domno*; in qua morti Cyrilli insultans, profitetur, mortuam esse invidiam, obrutam contentionem, & Orientem atque Ægyptum sub uno jugo esse. Iniquiorem enim erga Cyrilli etiam fato functi memoriam semper se præbuit Theodoretus; quemadmodum discere licet ex ejus epistola ad Domnum Antiochenum, quæ est CXII. inter editas, ubi ait, *ceterarum diœceseon Episcopos ignorare insitum in duodecim capitibus* (Cyrilli) *venenum*. Quamvis illud quoque dici posse videatur, epistolam illam ad Joannem Antiochenum non accipiendam esse de Cyrillo; in quo lapsum esse oportet eum, qui jussu Quintæ Synodi loca excerpsit ex Theodoreto, quæ in Collatione sexta recitata sunt. De quodam potius Episcopo Antiochenæ sedi subdito Theodoretus loqui videtur, utpote de cujus tumulo statuendi jus & auctoritatem Joanni Antiocheno tribuat. *Procurandum est*, inquit, *& oportet tuam sanctitatem hanc suscipere festinantiam, & jubere collegio mortuos asportantium* (id est, copiatis, seu vespillonibus) *lapidem aliquem maximum & gravissimum sepulchro ponere, ne iterum huc perveniret*.

XXIII. Truncata vero & mutilata esse Acta Latina, ex eo probant eruditi, quod in eis nulla instituatur cognitio de causa Origenis, quam tamen in Quinta Synodo peractam fuisse, constat. Ex antiquitate vero Latinæ interpretationis rationem ducere oportet, cur in Actis nostris omissa sit illa damnatio; quæ hoc ordine decreta est. Justinianus interim, dum Vigilius deliberat, an cedere vel contendere malit ob Tria Capitula, Edicto suo synodum interpellavit, ut Origenis sectarios anathemate confoderet. Aditus fuerat Princeps libello sibi oblato ab Eulogio, Conone, Cyriaco, & Pancratio monachis; qui conquerebantur, aliquos esse monachos Hierosolymis, qui impios Origenis errores profiterentur. Ejus libelli exemplum literis suis ad synodum adjunxit, suum quoque ipsius Edictum, quo nugas illas olim refutaverat, & a Vigilio anathema adversus Origenem & blasphema capitula ex operibus ejus excerpta impetrarat. Rogavit itaque synodum, ut non solum Capitula illa iterum sua auctoritate configeret, sed eos etiam, qui nunc vel in posterum eadem sentirent. Damnatione Origenis ejusque sectatorum Didymi & Evagrii peracta, relatio seu ἀναφορὰ negotii mittitur ad Imperatorem, ex qua verba aliquot excerpsit Evagrius. Hoc ordine, quæ ad Origenem ejusque fautores pertinent, gesta fuisse, patet ejusdem Evagrii testimonio, qui diserte adnotavit, post Trium Capitulorum damnationem causam Origenistarum discussam fuisse. Sed obiter castigandus est ejus interpres, qui recedens a sententia auctoris, libellum oblatum scribit *Concilio* a monachis; cum e contra Justinianus libelli (sibi nempe oblati) exemplum transmiserit ad synodum, juxta morem in simili specie observatum a Marciano in Synodo Chalcedonensi & ab ipso Justiniano in Synodo sub Mena. Ceterum cognitionem de Origene successisse Trium Capitulorum cognitioni, ipsa series Actorum Quintæ Synodi aperte ostendit. Convocata enim fuit propter negotium Trium Capitulorum; cujus discussio est statim instituta, & peracta octo Collationibus uno spiritu, nullo alio negotio interjecto; ita, ut ne hiatus quidem aliquis inveniri possit, in quem cognitio de Origene conjici possit. Attamen illustrissimus Annalium conditor censuit, prius de causa Origenis disceptatum fuisse, quam de Tribus Capitulis, eo quod Cedrenus in narratione sua eum ordinem tenuerit, ut priore loco Origenis damnationem recenseret. Huic conjecturæ fovendæ addi posset illustre testimonium Sophronii, Patriarchæ Hierosolymorum, qui floruit ante Sextam Synodum. Ille namque in epistola synodica ad Sergium Patriarcham Constantinopolitanum, relata in Sexta Synodo Actione XI. profitetur, se amplecti cum ceteris quatuor Synodis Quintam Synodum œcumenicam, *quæ confirmat Synodum Chalcedonensem*, ἀναιρεῖ καὶ ἐκβάλλει πρὸς ὄλεθρον πρωτοτύπως Ὠριγένην τὸν ἄφρονα. *tollit vero & funditus abolet principaliter quidem insanum Origenem, & ejus deliramenta, & una cum eo Didymi & Evagrii impia dogmata.* μεθ' οὓς Μοψουεστίας ἐκτίλλει Θεόδωρον. *post illos vero condemnat Theodorum Mopsuestenum*, & duo illa Capitula. Sed necessario dicendum est, Sophronium primo loco posuisse Origenis damnationem; non quia is fuerit ordo cognitionis synodicæ, ut demonstratum est; sed quia gravior majorisque momenti visus illi fuerit hic articulus præ aliis tribus, qui discussi sunt in Synodo. Qua ratione Constantinus quoque Pogonatus Imperator in Edicto lato pro confirmatione sextæ Synodi, & Cyrillus Hierosolymorum Episcopus in excerpto manuscripto de sex Synodis, Cedrenus, & ceteri Græci scriptores eodem ordine recensent, Origenis damnationem & sectatorum ejus Didymi & Evagrii, quos Sophronius Ὠριγένους μυστηριάρχας vocat. Ea quoque ratione Septima Synodus, omissis Tribus Capitulis, damna-

Edictum Justin. ad Synod. de Orig. *Evag. l.4.c.37.* *Edictum Constantini Pogonati Act. XVIII Syn. VI.* *Septima Synodus Act. VII.*

mna-

damnatum a Quinta Synodo Origenem, Didymum, & Evagrium memorat.

XXIV. Enimvero in Actis Latinis Quintæ Synodi, etsi obiter anathema jaciatur in Origenem in undecimo capitulo anathematismorum, plena cognitio, quæ illa de re instituta est, non recensetur. Etenim desunt literæ Justiniani ad synodum, cum adjuncto libello monachorum & ejusdem Principis edicto ad Vigilium pro damnando Origene ejusque sectariis; quin etiam disceptatio synodi ea de re habita, & relatio ad Principem missa. Illustrissimus Annalium scriptor existimat, Acta Græca ab hæreticis Origenistis vitiata primum & mutilata fuisse, unde postea vitio illo infecta prodierit Latina interpretatio. Sed Acta illa adeo absunt a depravatione, ut ex eorum lectione Græci scriptores hauserint, quod ab iis solis Latini didicerunt de Origenis, Didymi, & Evagrii damnatione. Neque enim Acta Latina, quæ initio delata fuerunt in Occidentem, aliud omnino continebant, quam Trium Capitulorum damnationem; de quibus solis agunt uterque Pelagius I. & II. & Gregorius magnus, cum referunt decreta Quintæ Synodi. Alioqui de Origene ejusque deliramentis non tacuissent, cum ex eo Quinta Synodus, a schismaticis adeo pertinaciter explosa, vehementer commentari potuisset. Sane beatus Gregorius in epistola ad Joannem Constantinopolitanum, quando profitetur, se Quinque Synodorum fidem amplecti, recensens hæreses, a quatuor primis damnatas, & Tria Capitula a Quinta Synodo reprobata, non omisisset damnationem Origenis, si ex Actis Latinis illi ea de re constitisset. Quare Vigilius quoque de solis Tribus Capitulis, de quibus erat controversia, decreto suo pronuntiavit. Ex ista damnati Origenis in Quinto Concilio ignoratione profectum est, ut non solum a Cassiodoro, sed etiam a Concilio Bracarensi secundo (quod habitum est anno DLXXII.) quatuor primis Oecumenicis Conciliis recensitis, omittatur hæc Quinta Synodus. Etenim cum illis auctoribus de repudiatis ab ea Tribus Capitulis tantum constaret, quæ privata negotia & personas quasdam fato functas respiciebant, non vero fidem catholicam, non erat, cur Synodum Quintam ceteris quatuor adnecterent, quas ad profligationem hæreseon in iis damnatarum proferebant; non autem, historico more, Conciliorum in Ecclesia habitorum enumerationem instituebant. Hinc factum quoque, ut Gregorius magnus, Quintæ Synodi alioqui vindex acerrimus, profiteatur, se Quatuor Synodos æquali cum Evangeliis veneratione prosequi, nempe ob veritatem dogmatum contra hæreses ab illis assertam, quæ pars dignitatis Quintæ Synodo, saltem in Actis Latinis, deficiebat ob præteritionem Origenianæ damnationis. Eandem ob causam ab eodem Gregorio atque a ceteris Summis Pontificibus & Conciliis omittitur Synodus Sardicensis; quia nullam novam hæresim confodit, sed personarum præcipue judiciis se immiscuit.

XXV. Nunc operæ pretium est, in eam rationem inquirere, qua impulsus Vigilius decretum suum ad Tria Capitula coercuit. Licet enim Actis, quæ illi tradita fuerant, cognitio habita de Origene non contineretur, attamen tempore hujus nostri rescripti ad Eutychium dati, quod sex mensibus est posterius Concilio, judicium, de Origene in synodo peractum, illi notum erat. Quare videtur ad ipsius officium pertinuisse, ne sententiæ illius confirmationem prætermitteret. Attamen ne isthæc præteritio vitio verti possit, observandum est, ante sedecim annos, id est, anno quingentesimo trigesimo octavo, ad suggestionem Pelagii Diaconi & Apocrisiarii Romanæ Ecclesiæ, Justinianum oratione sua Origenem ejusque blasphemas nugas, jam olim ab Anastasio Episcopo Romano & a Theophilo Alexandrino proscriptas, expunxisse, Menamque Constantinopolitanum Patriarcham hortatum fuisse, ut illas una cum Episcopis, in urbe regia degentibus, subjiceret anathemati. Idem judicium, misso edicto suo, a Vigilio Papa & ab aliis Patriarchis expetivit, & impetravit. Quod testatur Liberatus his verbis: *Jubente eo* (Justiniano, qui mollius loquitur, non enim usurpat *jubendi* verbum, sed *hortandi*. προτρέποντος, inquit) *dictata est in Origenem & illa capitula anathematis damnatio; quam subscribentes una cum Mena Archiepiscopo, apud Constantinopolim reperti, deinde directa est Vigilio Romano Episcopo, Zoilo Alexandrino, Euphræmio Antiocheno, & Petro Hierosolymitano. Quibus eam accipientibus & subscribentibus, Origenes damnatus est mortuus, qui vivens olim fuerat ante damnatus.* Non solus vero Liberatus, Vigilii auctoritatem in damnando tunc Origene intercessisse, probat, sed etiam Cassiodorus. *Hunc*, inquit, (Origenem) *licet tot patrum impugnet auctoritas, præsenti tamen tempore & a Vigilio beatissimo Papa denuo constat esse damnatum.* Damnationem autem Vigilius decreverat adnotatione sua ad edictum Principis subscripta, ut observavit Liberatus. Quare eleganter observavit Evagrius, Justinianum iis literis, quas ad Quintam Synodum misit pro damnando Origene, adjunxisse, *quæ ad Vigilium ea de re missa erant*, id est, Edictum, quod anno DXXXVIII. Princeps ad Vigilium miserat, cuique, ut diximus, subscriptum erat jactum a Vigilio in Origenem anathema. Verba Evagrii hæc sunt: συζεύξας καὶ πρὸς Βιγίλιον περὶ τούτου ἀπεσταλμένα. In quorum interpretatione lapsus est Latinus interpres, qui ea de literis a Vigilio scriptis interpretatus est. Etsi enim revera Edictum Justiniani obsignatum fuisset Vigilii subscriptione, verba tamen Evagrii nihil aliud significant, quam Edictum ad Vigilium missum. Quod Edictum intelligit quoque Justinianus, quando petit a Quinta Synodo, ut anathemate damnet blasphemias descriptas ἐν ὑποτεταγμένῃ ἐκθέσει *in subjecta expositione*. Nec inutiliter sane, cum Menæ CP. ejusque synodi & ceterorum Patriarcharum subscriptiones in totidem Edicti sui exemplis repositas in scriniis haberet Princeps, unum illud Edicti exemplum selegit, quod ad Vigilium missum & ab eo subscriptum fuerat. Probe enim noverat rerum in synodis gerendarum primam definitionem, vel earum deinde consensionem, & τὸ κῦρος a Pontifice Romano expectari debere. Vigilio itaque auctore, licet absente, Origenis errores confecti sunt in Quinta Synodo. Itaque Summus ille Pontifex decreto suo ultimo, quod necessario de Tribus Capitulis ferre debebat, Origenem complexus non est; quod partes suas olim in eo damnando implesset, ejusque auspiciis Quinta Synodus de Origene decrevisset. Non erat itaque, quod denuo operam suam in id negotium conferret, de quo pronuntiare non erat necesse; quemadmodum ipse significat, necessarium fuisse, ut controversiam de Tribus Capitulis sua auctoritate definiret, licet Episcoporum, Constantinopoli degentium, suffragiis dirempta fuisset.

Liber. Breviarii c. 23.

Cassiod. lib. 1. c. 1. div. lect.

Evagr. l. 4. c. 37.

Edict. Justini. ad Syn. de Origene.

EPISTOLA VIGILII

Archiepiscopi Romæ ad Eutychium Archiepiscopum Constantinopoleos & ad præjacentem sanctam synodum.

DIlecto fratri Eutychio Vigilius. Scandala, quæ humani generis inimicus in universo mundo excitavit, nullus ignorat; adeo, ut unumquemque propositum suum ad subvertendam Dei Ecclesiam, per universum orbem diffusam, quocunque modo implere satagentem, non tantum suo nomine, sed etiam nostro atque aliorum diversa tum loquendo tum scribendo componere impulerit, in tantum, ut nos & ipsos una cum fratribus & coepiscopis nostris in urbe regia degentes, & æquali reverentia Quatuor Synodos vindicantes, & in una eademque Quatuor illarum Synodorum fide sincere persistentes, cavillationibus, versutiis, & dolo malo ab iis dividere conatus fuerit; ita ut nosmetipsi, qui ejusdem cum illis eramus & sumus de fide sententiæ, insuper habita dilectione fraterna in discordiam abierimus. Sed quoniam Christus Deus noster, qui est lux vera, quem tenebræ non comprehendunt, omni confusione a mentibus nostris remota, universum orbem & Ecclesiam ad pacem revocavit, ita ut, quæ a nobis definiri debent, revelante Domino & veritate investigata, salubriter impleta sint, idcirco sciat vestrum universa fraternitas, quod Quatuor Synodos, hoc est, Nicænam, Constantinopolitanam, Ephesinam primam, & Chalcedonensem, una cum iisdem fratribus nostris in omnibus suscipimus, & devota mente veneramur, atque unanimiter servamus. Et si qui easdem sanctas synodos in omnibus, quæ ab ipsis de sancta fide definita sunt, non sequuntur, eos a cœtu sanctæ & catholicæ Ecclesiæ alienos judicamus. Quapropter desiderans, ea scire fraternitatem vestram, quæ a nobis facta sunt, his nostris literis ipsi manifestum facimus. Quoniam nulli dubium est, quot quantaque mota sunt ob Tria Capitula, hoc est, de Theodoro olim Mopsuestiæ Episcopo ejusque scriptis, quin etiam de scriptis Theodoreti, & de epistola, quæ dicitur scripta ab Iba ad Marium Persam, & quam diversa de Tribus illis Capitulis dicta atque conscripta sunt, ideo, si in omni negotio sapientiæ ratio postulat, ut id, de quo quæritur, retractetur, neque pudori esse debet, cum ea, quæ ab initio omissa, studio deinde veritatis inveniuntur in publicum eduntur, quanto magis ecclesiasticis disceptationibus convenit, eandem rationem in illis quoque observari; præcipue cum manifestum sit, patres nostros, & maxime beatissimum Augustinum, qui in divinis scripturis claruit, Romanæ eloquentiæ magistrum, propria scripta retractasse, dicta que sua correxisse, atque illa, quæ omiserat, ac deinde invenerat, addidisse. Nos quoque similiter illis exemplis incitati, in controversia Trium Capitulorum supra memoratorum nunquam destitimus, quin investigaremus, quid de prædictis Tribus Capitulis in patrum nostrorum literis verius inveniri posset. Unde patuit revera, dictis Theodori Mopsuestiæ sermonibus, qui ubique redarguuntur, pleraque contraria rectæ fidei & doctrinis sanctorum patrum contineri. Quare ipsi sancti patres, adversus eum scribentes, tractatus suos ad sanctæ Ecclesiæ eruditionem reliquerunt. Etenim inter ceteras ipsius blasphemias aperte ipsum dixisse, invenimus, alium esse Deum Verbum, & alium Christum, a passionibus animæ & concupiscentiis carnis vexatum, & paulatim a minoribus recedentem, ad meliora per profectum operum pervenisse, & conversatione irreprehensibilem factum, & ut nudum hominem baptizatum fuisse in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti, & per baptisma gratiam Sancti Spiritus accepisse, & adoptionem promeritum, & ad exemplum imaginis imperatoriæ ob personam Dei Verbi Christum adorari; & post resurrectionem immutabilem cogitationibus & omnino impeccabilem factum. Præ-

Β Ι Γ Ι Λ Λ Ι Ο Υ

Ἀρχιεπισκόπου Ῥώμης πρὸς Εὐτύχιον Ἀρχιεπίσκοπον Κωνσταντινουπόλεως καὶ πᾶσαν τὴν προκειμένην ἁγίαν Σύνοδον.

ΤΩ͂ ἀγαπητῷ ἀδελφῷ Εὐτυχίῳ Βιγίλλιος. τὰ σκάνδαλα, ἅπερ ὁ τοῦ ἀνθρωπίνου γένους ἐχθρὸς τῷ σύμπαντι κόσμῳ διήγειρεν οὐδεὶς ἀγνοεῖ. οὕτως ὡς τὸ οἰκεῖον βούλημα πρὸς τὸ ἀνατρέψαι τὴν τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησίαν, ἐν ὅλῃ τῇ οἰκουμένῃ διακειμένην, ἕκαστον φαύλου σκοποῦ τυγχάνοντα πληρῶσαι, οἵῳ δήποτε τρόπῳ σπουδάζοντα, οὐ μόνον ἐξ ὀνόματος ἰδίου, ἀλλὰ καὶ ἐξ ἡμετέρου, καὶ ἐξ ἄλλων, διὰ τοῦ λέγειν, ἢ τοῦ γράφειν, διάφορα πλάσασθαι πεποίηκεν· εἰς τοσοῦτον, ὅτι ἡμᾶς μετὰ τῶν ἀδελφῶν καὶ συνεπισκόπων ἡμῶν ἐν τῇ βασιλίδι πόλει διάγοντας, καὶ ἴσῳ σεβάσματι τὰς τέσσαρας συνόδους ἐκδικοῦντας, καὶ ἐν τῇ τῶν τεσσάρων τούτων συνόδων μιᾷ καὶ τῇ αὐτῇ πίστει ἀμώμως διατελοῦντας, τοῖς σοφίσμασι τῆς οὕτω πονηρᾶς αὐτῶν πανουργίας ἐπεχείρησε διελεῖν· ὥστε ἡμᾶς τοὺς ἐν μιᾷ πίστει ὁμόφρονας γεγονότας καὶ ὄντας, καταφρονήσαντας τῆς ἀδελφικῆς ἀγάπης εἰς διχόνοιαν ἀπαχθῆναι. Ἀλλ᾽ ἐπειδὴ Χριστὸς ὁ Θεὸς ἡμῶν, ὅς ἐστι φῶς ἀληθινὸν, ὃν σκότος οὐ καταλαμβάνει, πάσης συγχύσεως τῆς ἡμῶν διανοίας ἀποκινηθείσης, πρὸς εἰρήνην τὴν οἰκουμένην ἀνεκαλέσατο καὶ Ἐκκλησίαν οὕτως, ὥστε τὰ ὀφείλοντα διατυπωθῆναι παρ᾽ ἡμῶν, ἀποκαλύπτοντος τοῦ Κυρίου, καὶ τῆς ἀληθείας ἀνιχνευθείσης, σωτηριωδῶς πληρωθῆναι. Διὰ τοῦτο γινωσκέτω ὑμῶν σύμπασα ἀδελφότης ὅτιπερ τὰς τέσσαρας συνόδους, τουτέστι τὴν ἐν Νικαίᾳ, τὴν ἐν Κωνσταντινουπόλει, τὴν ἐν Ἐφέσῳ πρώτην, καὶ τὴν ἐν Χαλκηδόνι σὺν αὐτοῖς ἡμῶν ἀδελφοῖς ἐν πᾶσι καὶ δεχόμεθα καὶ θεοφιλεῖ διανοίᾳ προσκυνοῦμεν καὶ ὁμοψύχως φυλάττομεν. Καὶ οἵτινες δήποτε τὰς αὐτὰς ἁγίας συνόδους ἐν πᾶσι τοῖς ὑπ᾽ αὐτῶν περὶ τῆς ἁγίας πίστεως ὁρισθεῖσιν οὐκ ἀκολουθοῦσι, τούτοις ἀλλοτρίους τοῦ συλλόγου τῆς ἁγίας καὶ καθολικῆς κρίνομεν. Διὰ τοῦτο τὴν ὑμῶν ἀδελφότητα τὸ παρ᾽ ἡμῶν γενόμενον εἰδέναι βουλόμενος, τούτοις τοῖς γράμμασι κατάδηλον αὐτῇ ποιοῦμεν. Ἐπειδὴ οὐδενὶ ἀμφίβολόν ἐστιν, ὁπόσα κεκίνηται περὶ τῶν τριῶν κεφαλαίων, τουτέστι περὶ Θεοδώρου τοῦ ποτὲ Μομψουεστίας Ἐπισκόπου, καὶ τῶν αὐτοῦ συγγραμμάτων, οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τῶν τοῦ Θεοδωρήτου συγγραμμάτων, καὶ τῆς Ἐπιστολῆς τῆς λεγομένης παρ᾽ Ἴβα γεγράφθαι πρὸς Μάρην τὸν Πέρσην· καὶ διάφορα περὶ τῶν αὐτῶν κεφαλαίων γεγένηταί τε καὶ γέγραπται, καὶ διὰ τοῦτο εἴγε ἐν παντὶ πράγματι ὁ τῆς σοφίας λόγος ἀπαιτεῖ τὸ ζητηθὲν ἀναψηλαφᾶσθαι, καὶ οὐκ αἰδὼς εἶναι ὀφείλει, ὥστε τῇ σπουδῇ τῆς ἀληθείας τὸ παρὰ τὴν ἀρχὴν μετὰ παραλειφθὲν εὑρεθὲν ἢ μετὰ ταῦτα δημοσιευθῆναι, πόσῳ γε μᾶλλον ταῖς Ἐκκλησιαστικαῖς ὑποθέσεσι τοῦτο ἁρμόζει φυλάττεσθαι. ὁπότε δῆλόν ἐστι τοὺς ἡμῶν Πατέρας, καὶ μάλιστα τὸν μακαριώτατον Αὐγουστῖνον, τὸν ἐκλάμψαντα ἐν τοῖς θείοις λόγοις, τῆς Ῥωμαϊκῆς εὐγλωττίας διδάσκαλον, ἀναψηλαφῆσαί τε τοὺς οἰκείους λόγους, καὶ διορθώσασθαι τὰ αὐτῷ εἰρημένα, καὶ τὰ παραλειφθέντα μετὰ ταῦτα ἢ εὑρεθέντα προστεθεικέναι. Καὶ ἡμεῖς ὁμοίως τοῖς τοιούτοις ὑποδείγμασι προτραπέντες, ἐν τῇ ὑποθέσει τῶν μνημονευθέντων τριῶν κεφαλαίων οὐδέποτε ἀπέστημεν δι᾽ ἐρεύνης γινόμενοι τί περὶ τούτων τῶν προειρημένων τριῶν Κεφαλαίων ἐν τοῖς τῶν ἡμετέρων Πατέρων γράμμασι δύναται τὸ ἀληθέστερον εὑρεθῆναι. ὅθεν φανερὸν γέγονε διὰ καθαρᾶς ἀληθείας. ἐν τοῖς εἰρημένοις Θεοδώρου τοῦ Μοψουεστίας λόγοις, τοῖς πανταχοῦ στηλιτευομένοις, τὰ ἐναντία τῇ ὀρθῇ πίστει καὶ ταῖς διδασκαλίαις τῶν ἁγίων Πατέρων περιέχεσθαι. ἀμέλει τοι καὶ οἱ ἅγιοι Πατέρες κατ᾽ αὐτοῦ γράφοντες, ἰδίους λόγους πρὸς διδασκαλίαν τῆς ἁγίας Ἐκκλησίας καταλελοίπασι. Καὶ γὰρ ἐν ταῖς ἄλλαις αὐτοῦ βλασφημίαις φανερῶς αὐτὸν εἰρηκέναι εὑρίσκομεν, ἄλλον εἶναι τὸν Θεὸν Λόγον, καὶ ἄλλον τὸν Χριστὸν, ὑπὸ τῶν τῆς ψυχῆς παθῶν καὶ τῶν τῆς σαρκὸς ἐπιθυμιῶν ἐνοχλούμενον, καὶ τῶν χειρόνων κατὰ μικρὸν ἀφιστάμενον, πρὸς τὰ κρείττονα τὴν προκοπὴν τῶν ἔργων ἐληλυθέναι, καὶ τῇ πολιτείᾳ ἄμωμον γενόμενον, καὶ ὡς ψιλὸν ἄνθρωπον βαπτισθῆναι ἐν ὀνόματι Πατρὸς Υἱοῦ, καὶ ἁγίου Πνεύματος, καὶ διὰ τοῦ βαπτίσματος τὴν χάριν τοῦ ἁγίου Πνεύματος εἰληφέναι, καὶ Υἱοθεσίας ἠξιῶσθαι, καὶ καθ᾽ ὁμοίωσιν βασιλικῆς εἰκόνος εἰς πρόσωπον τοῦ Θεοῦ Λόγου τὸν Χριστὸν προσκυνεῖσθαι, καὶ μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἄτρεπτον ταῖς ἐννοίαις καὶ παντελῶς ἀναμάρτητον γεγενῆσθαι. Πρὸς

Præterea dixit, eam unionem Dei Verbi factam fuisse ad Christum, qualem Apostolus dixit de viro & muliere: Erunt duo in carne una. Et quod post resurrectionem, cum insufflasset Dominus discipulis, & dixisset: Accipite Spiritum Sanctum; non dedit illis Spiritum Sanctum. Similiter hoc quoque ausus est dicere, quod confessionem, quam Thomas edidit, attrectans manus & latus Domini post resurrectionem, dicens: Dominus meus & Deus meus, non ad Christum retulit; neque enim Theodorus ait, Christum esse Deum) sed propter miracula resurrectionis stupentem Thomam laudasse Deum, eaque verba dixisse. Quod autem pejus est, in interpretatione, quam scilicet ad Apostolorum Acta idem Theodorus scripsit, & similem fecit Christum Platoni & Manichæo & Epicuro & Marcioni, dicens, quoniam sicut illorum singuli ex proprio dogmate, cujus auctores fuerunt, suos discipulos appellavere Platonicos & Manichæos & Epicureos atque Marcionistas, eodem modo Christus dogma inveniens, ex eo Christianos appellavit. Propterea igitur agnoscat universa Ecclesia catholica, non juste & irreprehensibiliter ad ea, quæ hac nostra constitutione comprehenduntur, devenisse. Unde condemnamus & anathematizamus una cum aliis omnibus hæreticis, qui (ut manifestum est) damnati & anatematizati sunt a prædictis sanctis Quatuor Synodis & ab Ecclesia catholica, Theodorum olim Mopsuestiæ Episcopum & impia ejus scripta. Nihilominus ea quoque, quæ a Theodoreto scripta sunt contra rectam fidem & contra duodecim capita sancti Cyrilli & contra Synodum Ephesinam primam, quæque ab eo scripta sunt pro defensione Theodori & Nestorii. Præterea anathematizamus & condemnamus epistolam ad Marium Persam hæreticum, quæ ab Iba scripta dicitur: quæ Christum Verbum ex sancta Deipara & semper virgine Maria incarnatum, hominem factum fuisse negat, dudum vero hominem ex ea natum, quem templum vocat, ita ut ex hoc intelligatur, alium esse Deum Verbum, & alium Christum; sanctum vero Cyrillum rectæ fidei magistrum & præconem, ut hæreticum & similia Apollinario scribentem calumniatur. Et reprehendit primam Ephesinam Synodum, quasi absque judicio & inquisitione Nestorium damnaverit. Tum capita duodecim sancti Cyrilli impia & rectæ fidei contraria appellat eadem epistola. Defendit autem Theodorum & Nestorium & impia eorum dogmata atque scripta. Prædicta itaque Tria impia Capitula anathematizamus & condemnamus, scilicet, impium Theodorum Mopsuestiæ una cum impiis ejus scriptis, & quæcunque impie Theodoretus scripsit, atque etiam epistolam, quæ dicitur ab Iba scripta fuisse, qua superius dictæ profanæ blasphemiæ comprehenduntur. Quin etiam quemcunque, qui crediderit aliquo ullo tempore, ea capitula debere suscipi aut defendi, vel conatus fuerit hanc præsentem condemnationem subvertere, simili anathemati subjicimus. Quoscunque vero, qui rectam fidem servantes a dictis synodis prædicatam, memorata Tria Capitula condemnaverunt vel etiam condemnant, fratres & consacerdotes esse, definimus. Quæ vero aut a me aut ab aliis ad defensionem prædictorum Trium Capitulorum facta sunt, præsentis hujus scripti nostri definitione evacuamus. Absit enim ab Ecclesia catholica, ut aliquis dicat, omnes superius comprehensas blasphemias a prædictis Quatuor Synodis aut ab una ipsarum susceptas fuisse, vel eos, qui similia sentiunt & sequuntur. Apertissimum autem est, quod a memoratis sanctis patribus, & maxime a sancta Synodo Chalcedonensi, nullus, de quo aliqua esset suspicio, admissus est, nisi qui rejecisset superius comprehensas blasphemias, aut illis similia, vel hæresim, de qua fuit suspectus, vel blasphemias denegavisset & condemnasset, in quarum suspicionem venit. *Subscriptio.* Deus te servet incolumem, frater honoratissime. Data ante sextum Idus Decembres, imperii D. N. Justiniani æterni Augusti an. 27. post Consulatum Basilii viri clarissimi an. 12.

Finis libri octavi sanctæ synodi, quæ Constantinopoli coacta est.

Christe Deus, gloria tibi. Amen.

Πρὸς τούτοις εἶπε τοιαύτην γεγενῆσθαι τὴν ἕνωσιν τοῦ Θεοῦ Λόγου πρὸς τὸν Χριστὸν, ὁποίαν ὁ Ἀπόστολος εἶπε περὶ τοῦ ἀνδρὸς καὶ τῆς γυναικός. ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν. Καὶ ὅτι μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἐμφυσήσας ὁ Κύριος τοῖς μαθηταῖς, καὶ εἰπών· λάβετε Πνεῦμα ἅγιον, οὐ δέδωκεν αὐτοῖς Πνεῦμα ἅγιον. Ὁμοίως καὶ τοῦτο ἐτόλμησεν εἰπεῖν, ὅτι τὴν ὁμολογίαν, ἣν Θωμᾶς ἐποιήσατο ψηλαφήσας τὰς χεῖρας καὶ τὴν πλευρὰν τοῦ Κυρίου μετὰ τὴν ἀνάστασιν, λέγων, ὁ Κύριός μου καὶ ὁ Θεός μου, μὴ εἰρῆσθαι τοῦ Θωμᾶ περὶ τοῦ Χριστοῦ (οὐδὲ γὰρ λέγει Θεόδωρος, Θεὸν εἶναι τὸν Χριστὸν) ἀλλὰ πρὸς τὰ θαύματα τῆς ἀναστάσεως ἐκπλαγέντα τὸν Θωμᾶν δοξάσαι τὸν Θεὸν, καὶ ταῦτα εἰρηκέναι. Τὸ δὲ χεῖρον ἔτι μὴν καὶ ἐν τῇ ἑρμηνείᾳ, ἣν δῆθεν ἐν τῇ πράξεσι τῶν Ἀποστόλων ἔγραψεν ὁ αὐτὸς Θεόδωρος, ὅμοιον ἐποιήσατο τὸν Χριστὸν Πλάτωνι καὶ Μανιχαίῳ καὶ Ἐπικούρῳ καὶ Μαρκίωνι, λέγων, ὅτι ὥσπερ ἕκαστος ἐκείνων ἐκ τοῦ οἰκείου, οὗ εὕρατο, δόγματος, τοὺς οἰκείους μαθητὰς ἐκάλεσε Πλατωνικοὺς καὶ Μανιχαίους καὶ Ἐπικουρείους καὶ Μαρκιωνιστὰς, τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ ὁ Χριστὸς τὸ δόγμα εὑρηκὼς, ἐξ αὐτοῦ τοὺς Χριστιανοὺς ἐκάλεσε. Διὰ ταῦτα τοίνυν σύμπασα γινωσκέτω ἡ Καθολικὴ Ἐκκλησία δικαίως ἡμᾶς καὶ ἀνεπιλήπτως πρὸς τὰ περιεχόμενα ταύτῃ ἡμῶν τῇ διατυπώσει ἐληλυθέναι. Ὅθεν καταρκίνομεν καὶ ἀναθεματίζομεν ὁμοίως τοῖς ἄλλοις πᾶσιν αἱρετικοῖς τοῖς κατακριθεῖσι καὶ ἀναθεματισθεῖσιν, ὥσπερ φανερόν ἐστιν, ἀπὸ τῶν προειρημένων ἁγίων τεσσάρων συνόδων καὶ ἀπὸ τῆς Καθολικῆς Ἐκκλησίας, καὶ Θεόδωρον τόν ποτε Μομψουεστίας Ἐπίσκοπον καὶ τὰ τούτου ἀσεβῆ συγγράμματα. Οὐδὲν ἧττον καὶ τὰ παρὰ Θεοδωρήτου συγγραφέντα κατὰ τῆς ὀρθῆς πίστεως καὶ κατὰ τῶν δώδεκα κεφαλαίων τοῦ ἐν ἁγίοις Κυρίλλου καὶ κατὰ τῆς ἐν Ἐφέσῳ πρώτης συνόδου, καὶ τὰ πρὸς ἐκδίκησιν Θεοδώρου καὶ Νεστορίου ὑπ' αὐτοῦ συγγραφέντα. Πρὸς τούτοις ἀναθεματίζομεν καὶ καταρκίνομεν τὴν Ἐπιστολὴν τὴν πρὸς Μάρην τὸν Πέρσην τὸν αἱρετικὸν παρὰ Ἴβα γεγράφθαι λεγομένην, ἥτις τὸν Θεὸν Λόγον ἐκ τῆς ἁγίας Θεοτόκου καὶ Ἀειπαρθένου Μαρίας σαρκωθέντα, ἄνθρωπον γεγενῆσθαι ἀπαρνεῖται, ψιλὸν δὲ ἄνθρωπον ἐξ αὐτῆς γεννηθῆναι λέγει, ὃν ναὸν προσαγορεύει, ὥστε ἐκ τούτου ἄλλον νοεῖσθαι τὸν Θεὸν Λόγον, καὶ ἄλλον τὸν Χριστόν· καὶ τὸν ἅγιον δὲ Κύριλλον τῆς ὀρθῆς πίστεως διδάσκαλόν τε καὶ κήρυκα, ὡς αἱρετικὸν καὶ ὅμοια Ἀπολιναρίου γράψαντα διαβάλλει. Καὶ καταγινώσκει τῆς ἐν Ἐφέσῳ πρώτης συνόδου, ὡς χωρὶς κρίσεώς τε καὶ ζητήσεως τὸν Νεστόριον κατακρινάσης· καὶ τὰ δώδεκα κεφάλαια τοῦ ἐν ἁγίοις Κυρίλλου ἀσεβῆ καὶ ἐναντία τῇ ὀρθῇ πίστει ἀποκαλεῖ ἡ αὐτὴ Ἐπιστολή. ἐκδικεῖ δὲ Θεόδωρον καὶ Νεστόριον καὶ τὰ ἀσεβῆ αὐτῶν δόγματα καὶ συγγράμματα. Τὰ προειρημένα τοίνυν τρία ἀσεβῆ κεφάλαια ἀναθεματίζομεν καὶ καταρκίνομεν, τουτέστι τὸν ἀσεβῆ Θεόδωρον τὸν Μομψουεστίας μετὰ τῶν ἀσεβῶν αὐτοῦ συγγραμμάτων, καὶ ἅπερ ἀσεβῶς Θεοδώρητος συνεγράψατο, καὶ τὴν ἐπιστολὴν τὴν λεγομένην παρ' Ἴβα γεγράφθαι, ἐν τινι αἱ εἰρημέναι ἀνωτέρω ἀθέμιτοι περιέχονται βλασφημίαι. Καὶ τὸν ὅν τινα δήποτε τὰ ἐν οἵῳ δήποτε χρόνῳ πιστεύοντα ὀφείλειν δεχθῆναι ἢ ἐκδικηθῆναι, ἢ ἐπιχειροῦντά ποτε τὴν παροῦσαν κατάκρισιν ἀνατρέψαι, τῷ ὁμοίῳ ἀναθέματι ὑποβάλλομεν. Τοὺς δὲ ὅσοι φυλάττοντες τὴν ὀρθὴν πίστιν τὴν ἀπὸ τῶν προειρημένων τεσσάρων συνόδων κηρυχθεῖσαν, τὰ μνημονευθέντα τρία κεφάλαια κατέκριναν, ἤγουν κατακρίνουσιν, ἀδελφοὺς καὶ συνιερεῖς ὁριζόμεθα. Ἅτινα δήποτε εἴτε παρ' ἐμοῦ εἴτε παρ' ἄλλων πρὸς ἐκδίκησιν τῶν προειρημένων τριῶν κεφαλαίων γεγένηται τῇ διατυπώσει τοῦ παρόντος ἡμῶν γράμματος καταργοῦμεν. πάσας γὰρ τὰς ἐμφερομένας ἀνωτέρω βλασφημίας ἀπέσω τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας, ἵνα τις εἴποι, ὅτι αἱ προειρημέναι τέσσαρες σύνοδοι, ἢ μία ἐξ αὐτῶν ἐδέξατο, ἢ τοὺς τὰ ὅμοια φρονοῦντας καὶ ἀκολουθοῦντας, δηλοῦται ὄντως ὅτιπερ ἀπὸ τῶν μνημονευθέντων ἁγίων Πατέρων, καὶ μάλιστα ἀπὸ τῆς ἁγίας ἐν Χαλκηδόνι συνόδου, οὐδεὶς περὶ οὗ ὑποψία τις γέγονεν ἐδέχθη, εἰ μὴ ὃς ἀπεβάλετο τὰς ἀνωτέρω ἐμπεριεχομένας βλασφημίας, ἤγουν τὰ ὅμοια ταύταις, ἢ τὴν αἵρεσιν περὶ ἧς ὕποπτος γέγονεν, ἢ τὰς βλασφημίας ἀπηρνήσατο καὶ κατέκρινε, περὶ ὧν ἐν ὑπονοίᾳ γέγονε. ὑπογραφή. Ὁ Θεός σε ὑγιῆ διαφυλάττοι, ἀδελφὲ τιμιώτατε. Ἐδόθη τῇ πρὸ ἓξ εἰδῶν Δεκεμβρίων, βασιλείας τοῦ Δεσπότου ἡμῶν Ἰουστινιανοῦ τοῦ αἰωνίου Αὐγούστου ἔτους εἰκοστοῦ ἑβδόμου, μετὰ τὴν ὑπατείαν Βασιλείου τοῦ λαμπροτάτου ἔτους ιβ΄.

Τέλος βιβλίου η΄ τῆς ἁγίας συνόδου τῆς ἐν Κωνσταντινουπόλει συναχθείσης.

Χριστὲ ὁ Θεός, δόξα σοι. Ἀμήν.

EX ἘΚ

EX ACTIS SANCTÆ Oecumenicæ Quintæ Synodi.

Epistola Eutychii Archiepiscopi Constantinopolitani ad Vigilium Papam Romanum.

SAnctissimo & beatissimo Domino fratri & consacerdoti Vigilio Eutychius. Scientes, quantorum bonorum est causa pax DEI, custodiens corda & sensus fidelium, & colligens eos, ut unum idemque sapiant in recta fidei confessione & ad perficienda divina mandata, & propitium Deum faciens in his, quæ recta sunt concordantibus, ideo festinantes unitatem conservare, ad apostolicam sedem vestræ beatitudinis manifestum facimus, quod nos semper & servavimus & servamus fidem, ab initio traditam a magno Deo & Salvatore nostro Jesu Christo sanctis Apostolis, & ab illis in omni mundo prædicatam, & a sanctis patribus explanatam, & maxime ab his, qui in sanctis quatuor synodis congregati sunt, quos per omnia & in omnibus amplectimur & suscipimus, id est, trecentos decem & octo sanctos Patres, qui Nicææ congregati sunt, & sanctum symbolum sive mathema fidei exposuerunt, & Arianam impietatem anathematisaverunt, & eos, qui similia eis sapuerunt vel sapiunt. Suscipimus autem & centum quinquaginta sanctos patres Constantinopoli congregatos, qui idem sanctum mathema explanaverunt, de deitate Sancti Spiritus dilucidaverunt, & hæresim Macedonianam Sanctum Spiritum impugnantem & impium Apollinarium condemnaverunt, cum his, qui similia illis sapuerunt vel sapiunt. Suscipimus autem & sanctos ducentos patres in Ephesina prima synodo congregatos, qui per omnia secuti sunt idem sanctum symbolum sive mathema, & condemnaverunt Nestorium impium & impia ejus dogmata, & eos, qui similia ei aliquando sapuerunt vel sapiunt. Ad hæc autem suscipimus & sexcentos triginta sanctos patres Chalcedone congregatos, qui etiam ipsi per omnia consenserunt prædictis tribus synodis, & secuti sunt prædictum symbolum sive mathema a trecentis decem & octo sanctis patribus expositum, & a centum quinquaginta sanctis patribus explanatum, & anathematisaverunt eos, qui aliud præter prædictum symbolum præsumunt docere aut exponere aut tradere sanctis Ecclesiis Dei. Condemnaverunt autem & anathematisaverunt & Eutychem & Nestorium & impia eorum dogmata & eos, qui similia eis vel sapuerunt vel sapiunt. His ita se habentibus, certum facimus, quod omnia, quæ a prædictis sanctis quatuor synodis judicata & definita sunt, & servavimus & servamus. Quia etsi per diversa tempora prædictæ sanctæ quatuor synodi factæ sunt, tamen unam eandemque confessionem fidei servaverunt & prædicaverunt. Suscipimus autem & amplectimur & epistolas Præsulum Romanæ sedis apostolicæ, tam aliorum, quam Leonis sanctæ memoriæ, de recta fide scriptas, & de quatuor sanctis Conciliis, vel uno eorum. Cum igitur prædicta omnia & servavimus & servamus, & in his nobis ipsis invicem consentimus, necessarium est, conferri, de Tribus Capitulis, unde quibusdam quæstio nata est. Et ideo petimus, præsidente nobis vestra beatitudine, sub tranquillitate & sacerdotali mansuetudine, propositis sanctis Evangeliis, communi tractatu eadem capitula in medio proponenda quæri & conferri; & finem quæstioni imponi Deo placitum & convenientem his, quæ a sanctis quatuor Conciliis definita sunt. Quoniam ad augmentum pacis & concordiam Ecclesiarum pertinet, ut omni de medio dissensione sublata, quæ a prædictis quatuor sanctis Conciliis definita sunt, inconcussa serventur, sanctarum synodorum reverentia in omnibus custodita. His autem & subscripsi incolumis in Domino. Ora pro nobis, sanctissime & beatissime frater.

Ego Eutychius misericordia Dei Episcopus Constantinopolis novæ Romæ omnibus suprascriptis subscripsi.

Idem

ἘΚ ΤΩ͂Ν ὙΠΟΜΝΗΜΑΤΩ͂Ν τῆς ἁγίας οἰκουμενικῆς πέμπτης Συνόδου.

Εὐτυχίου Ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως πρὸς Βιγίλλιον Πάπαν Ῥώμης.

ΤΩ͂ τὰ πάντα ἁγιωτάτῳ καὶ μακαριωτάτῳ Κυρίῳ ἀδελφῷ καὶ συλλειτουργῷ Βιγιλλίῳ Εὐτύχιος. Ἰδόντες, ὁπόσων ἀγαθῶν αἰτία ἐστὶν ἡ τοῦ Θεοῦ εἰρήνη, φρουροῦσα τὰς καρδίας καὶ τὰ νοήματα τῶν πιστῶν, καὶ συνάγουσα αὐτοὺς εἰς τὸ ἓν καὶ τὸ αὐτὸ φρονεῖν ἐν τῇ περὶ τῆς ὀρθῆς πίστεως ὁμολογίᾳ καὶ τῇ τῶν θείων ἐντολῶν κατορθώσει, καὶ τὸν Θεὸν εὐμενῆ καθιστῶσα, τοῖς εἰς τὰ ὀρθὰ ὁμονοοῦσι, διὰ τοῦτο σπουδάζοντες τὴν ἕνωσιν φυλάξαι, πρὸς τὴν καθολικὴν καθέδραν τῆς ὑμετέρας μακαριότητος φανερὸν ποιοῦμεν, ὅτι ἀεὶ ἡμεῖς ἐφυλάξαμεν καὶ φυλάττομεν τὴν πίστιν τὴν ἐξ ἀρχῆς παραδοθεῖσαν ὑπὸ τοῦ μεγάλου Θεοῦ καὶ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῖς ἁγίοις Ἀποστόλοις, καὶ παρ' ἐκείνων ἐν παντὶ τῷ κόσμῳ κηρυχθεῖσαν, καὶ ὑπὸ τῶν ἁγίων Πατέρων σαφηνισθεῖσαν, καὶ μάλιστα ὑπὸ τῶν ἐν ταῖς ἁγίαις τέσσαρσι συνόδοις συνελθόντων, οἷς διαπαντὸς καὶ ἐν πᾶσιν ἀκολουθοῦμεν καὶ δεχόμεθα, τουτέστι τοὺς τριακοσίους δέκα καὶ ὀκτὼ ἁγίων Πατέρων τοὺς ἐν Νικαίᾳ συνελθόντας, καὶ τὸ ἅγιον σύμβολον ἤτοι μάθημα τῆς πίστεως ἐκθεμένους, καὶ τὴν Ἀρείου μανίαν ἀναθεματίσαντας, καὶ τοὺς ταὐτὴν φρονήσαντας ἢ φρονοῦντας. Δεχόμεθα δὲ καὶ τοὺς ἑκατὸν πεντήκοντα ἁγίους Πατέρας τοὺς ἐν Κωνσταντινουπόλει συνελθόντας, οἵτινες τὸ αὐτὸ ἅγιον μάθημα ἐσαφήνισαν, καὶ τὰ περὶ τῆς θεότητος τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐξεφώνησαν, καὶ τὴν αἵρεσιν Μακεδονίου τοῦ πνευματομάχου, καὶ τὸν ἀσεβῆ Ἀπολινάριον κατέκριναν, μετὰ τῶν τὰ αὐτὰ ἐκείνοις φρονησάντων ἢ φρονούντων. Δεχόμεθα δὲ καὶ τοὺς διακοσίους ἁγίους Πατέρας τοὺς ἐν τῇ κατ' Ἔφεσον πρώτῃ συνόδῳ ἀθροισθέντας, οἵτινες διὰ πάντων ἠκολούθησαν τῷ αὐτῷ ἁγίῳ συμβόλῳ ἤτοι μαθήματι, κατέκριναν Νεστόριον τὸν ἀσεβῆ καὶ τὰ μυσαρὰ αὐτοῦ δόγματα, καὶ τοὺς τὰ ὅμοια αὐτῷ ὁτεδήποτε φρονήσαντας ἢ φρονοῦντας. Πρὸς τούτοις δεχόμεθα καὶ τοὺς ἑξακοσίους τριάκοντα ἁγίους Πατέρας τοὺς ἐν Χαλκηδόνι συνελθόντας, οἵτινες καὶ αὐτοὶ διὰ πάντων συνῄνεσαν ταῖς προῤῥηθείσαις ἁγίαις τρισὶ συνόδοις, καὶ ἠκολούθησαν τῷ προῤῥηθέντι συμβόλῳ ἤτοι μαθήματι τῷ παρὰ τῶν τιη', ἁγίων Πατέρων ἐκτεθέντι, καὶ ἀπὸ τῶν ἑκατὸν πεντήκοντα ἁγίων Πατέρων σαφηνισθέντι, καὶ ἀνεθεμάτισαν τοὺς ἕτερον παρὰ τὸ εἰρημένον σύμβολον τολμῶντας διδάσκειν ἢ ἐκτίθεσθαι ἢ παραδιδόναι ταῖς ἁγίαις τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησίαις. Κατέκριναν δὲ καὶ ἀνεθεμάτισαν καὶ Εὐτυχῆ καὶ Νεστόριον καὶ τὰ ἀσεβῆ αὐτῶν δόγματα καὶ τοὺς τὰ ὅμοια αὐτοῖς φρονήσαντας ἢ φρονοῦντας. Τούτων οὕτως ἐχόντων, δῆλον ποιοῦμεν, ὅτι πάντα τὰ ἀπὸ τῶν προειρημένων ἁγίων τεσσάρων συνόδων κριθέντα τε καὶ ὁρισθέντα καὶ ἐφυλάξαμεν καὶ φυλάττομεν. Ἐπειδὴ καὶ κατὰ διαφόρους χρόνους αἱ εἰρημέναι ἅγιαι τέσσαρες σύνοδοι ἐγένοντο, ὅμως μίαν καὶ τὴν αὐτὴν ὁμολογίαν τῆς πίστεως ἐφύλαξαν καὶ ἐκήρυξαν. Δεχόμεθα δὲ καὶ περιπτυσσόμεθα καὶ τὰς ἐπιστολὰς τῶν προέδρων τῆς ἐν Ῥώμῃ Ἀποστολικῆς καθέδρας, τῶν τε ἄλλων, καὶ Λέοντος τοῦ ἐν ἁγίοις, τὰς περὶ τῆς ὀρθῆς πίστεως γεγραμμένας, περὶ τῶν ἁγίων τεσσάρων συνόδων, ἢ μιᾶς ἐξ αὐτῶν. Ὁπότε τοίνυν τὰ προειρημένα πάντα καὶ ἐφυλάξαμεν καὶ φυλάττομεν, καὶ ἐν τούτοις συμφωνοῦμεν ἀλλήλοις, ἀναγκαῖόν ἐστι διαντιβληθῆναι περὶ τῶν τριῶν κεφαλαίων, περὶ ὧν τισὶ ζήτησις ἀνεφύη. Καὶ διὰ τοῦτο αἰτοῦμεν, προκαθημένης ἡμῶν τῆς ὑμετέρας μακαριότητος, ἀταράχως καὶ μετὰ ἱερατικῆς πραότητος, τῶν ἁγίων προκειμένων Εὐαγγελίων, τὰ αὐτὰ κεφάλαια ἐν μέσῳ προτιθέμενα κοινῷ πρακτάτῳ ζητηθῆναι καὶ ἀντιβληθῆναι, καὶ πέρας ἐπιτεθῆναι τῇ ζητήσει θεῷ ἀρέσκον καὶ σύμφωνον τοῖς παρὰ τῶν ἁγίων τεσσάρων συνόδων ὁρισθεῖσιν· ἐπειδὴ εἰς αὔξησιν τῆς εἰρήνης καὶ εἰς ὁμόνοιαν τῶν Ἐκκλησιῶν συντείνει, τὸ πάσης διχονοίας ἐκ μέσου ἀναιρουμένης, τὰ ὑπὸ τῶν ἁγίων τεσσάρων συνόδων ὁρισθέντα, ἀσάλευτα τηρηθῆναι, τοῦ σεβάσματος τῶν ἁγίων συνόδων ἐν ἅπασι φυλαττομένου. Τούτοις δὲ καὶ ὑπεσημηνάμεθα καὶ ὑπογραφὴ ἐῤῥωμένος ἐν Κυρίῳ· ὑπερεύχου ἡμῶν, ἁγιώτατε καὶ μακαριώτατε ἀδελφέ.

Ἐγὼ Εὐτύχιος ἐλέει Θεοῦ Ἐπίσκοπος Κωνσταντινουπόλεως νέας Ῥώμης πᾶσι τοῖς προγεγραμμένοις ὑπέγραψα.

Ὁ

Idem libellus ad eundem sanctissimum Vigilium factus est ab Apollinario sanctissimo Archiepiscopo magnæ civitatis Alexandriæ, Domnino sanctissimo Archiepiscopo Theopolitano, & ab iis, qui sub ipsis sunt, sanctissimis Episcopis, congregatis in hac regia urbe,

Ὁ αὐτὸς λίβελλος ἐγένετο καὶ παρὰ Ἀπολιναρίου τοῦ ὁσιωτάτου Ἀρχιεπισκόπου τῆς Ἀλεξανδρέων μεγαλοπόλεως, καὶ Δομνίνου τοῦ ὁσιωτάτου Ἀρχιεπισκόπου τῆς Θεουπολιτῶν, καὶ τῶν ὑπ' αὐτοὺς Θεοφιλεστάτων Ἐπισκόπων τῶν καὶ ἐνδημούντων ταύτῃ τῇ βασιλίδι πόλει, πρὸς τὸν αὐτὸν ὁσιώτατον Βιγίλλιον.

Exemplum Epistolæ sanctissimi Papæ Vigilii ad Eutychium sanctissimum Archiepiscopum Constantinopoleos & ad synodum, quæ sub ipso erat.

Dilectissimo fratri Eutychio & Episcopis sub te constitutis Vigilius. Repletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione, quod discordiæ confusione submota, pacem Deus suæ reformavit Ecclesiæ, ut impleretur, quod dictum est: *Ecce quam bonum, & quam jucundum, habitare fratres in unum.* Valde enim nos in Domino exultare convenit, quod charitatis vestræ scripto nobis est oblata professio, cujus tenor ita se habet, & subscripsimus, hujus professionis orthodoxæ claritatem libenter amplexi, eadem nos per omnia & in omnibus approbantes, custodituros atque inviolabiliter servaturos, Deo nostro profitemur auctore. Omnibus igitur, quæ professio vestra continet in sua perenniter firmitate durantibus, poposcit vestra fraternitas, ut nobis præsidentibus, de Tribus Capitulis, ex quibus quæstio nata est, sub tranquillitate & sacerdotali mansuetudine, sanctis propositis Evangeliis, conferatur, & finis quæstioni ipsi Deo placitus & conveniens iis, quæ a memoratis quatuor sanctis Conciliis definita sunt, imponatur; ut omni de medio dissensione sublata, quæ ab eisdem quatuor sanctis synodis definita sunt, inconcussa serventur, earundem synodorum reverentia in omnibus custodita, quam professionem paternarum traditionum memorem & sequacem, tam in fraternitate vestra, quam in omnibus similia confessis atque confitentibus, omni laude plenissimam judicavimus, & nostros ex ea re vere fratres cognoscimus. Unde divinæ clementiæ supplicamus, ut omnes nos, in hac confessione & paternis traditionibus permanentes, nostro digni reperiamur officio, & in die divini judicii nulli prævaricationi paternarum constitutionum inveniamur obnoxii. Quibus ita prædictis postulationibus, vestrum desiderium cognoscentes, annuimus, ut de Tribus Capitulis, ex quibus quæstio nata est, facto regulari conventu, servata æquitate, mediis sacrosanctis Evangeliis, collationem cum unitis fratribus habeamus, & finis detur placitus Deo & conveniens his, quæ a sanctis quatuor sunt definita Conciliis. Scientes utique, sicut & communis professionis testimonio declaratur, memoratarum synodorum in omnibus reverentiam custodiri. *Subscriptio.* Deus te incolumem custodiat, frater clarissime. Datum VIII. idus Januarias, imperii Domini Justiniani Perpetui Augusti anno XXVII. post consulatum Basilii viri clarissimi anno XII. *In eundem modum scriptum est ad Apollinarium sanctissimum Archiepiscopum magnæ urbis Alexandriæ, & ad Domninum sanctissimum Archiepiscopum Theopolitanum, & ad synodos, quæ sub ipsis erant.*

Ἀντίγραφον Ἐπιστολῆς Βιγιλλίου τοῦ ὁσιωτάτου Πάπα πρὸς Εὐτύχιον τὸν ἁγιώτατον Ἀρχιεπίσκοπον Κωνσταντινουπόλεως, καὶ τὴν ὑπ' αὐτὸν Σύνοδον.

Τῷ ἀγαπητῷ ἀδελφῷ Εὐτυχίῳ καὶ τοῖς ὑπὸ σὲ Ἐπισκόποις Βιγίλλιος. Ἐπληρώθη χαρᾶς τὸ στόμα ἡμῶν, καὶ ἡ γλῶσσα ἡμῶν ἀγαλλιάσεως, ὅτι τῆς συγχύσεως τοῦ διχονοεῖν περιαιρεθείσης, τὴν εἰρήνην ὁ Θεὸς τῇ αὐτοῦ ἀποκατέστησεν Ἐκκλησίᾳ· ἵνα πληρωθῇ τὸ γεγραμμένον. ἰδοὺ δὴ τί καλὸν, ἢ τί τερπνὸν, ἀλλ' ἢ τὸ κατοικεῖν ἀδελφοὺς ἐπὶ τὸ αὐτό. Πάνυ γὰρ ἡμᾶς ἐν Κυρίῳ ἀγαλλιᾶσθαι προσήκει, ὅτι περ ἐγγράφως ἡμῶν προσηνέχθη πληροφορία τῆς ὑμετέρας ἀγάπης, ἧς ἡ δύναμις οὕτως ἔχει. (*) Τούτοις δὲ καὶ ὑπεσημηνάμεθα, ταύτης τῆς ὀρθοδόξου ὁμολογίας τὴν φαιδρότητα ἀσμένως περιπτυξάμενοι, τὰ αὐτὰ ἡμεῖς διὰ πάντων καὶ ἐν ἅπασιν ἀποδεχόμενοι φυλάξειν τε καὶ ἀμωμήτως τηρήσειν, τοῦ Θεοῦ ἡμῶν προηγουμένου, ἐπαγγελλόμεθα. Ἁπάντων τοίνυν τῶν τῇ ὑμετέρᾳ περιεχομένων ὁμολογίᾳ ἐν τῇ οἰκείᾳ δυνάμει εἰς τὸ διηνεκὲς μενόντων, ᾔτησεν ἀδελφότης ὑμῶν, ὥστε ἡμῶν προκαθημένων, περὶ τῶν τριῶν κεφαλαίων, ἐξ ὧν ζήτησις ἀνέφυη, ἀταράχως τε καὶ μετὰ ἱερατικῆς πρᾳότητος, τῶν ἁγίων προκειμένων Εὐαγγελίων, συγκριθῆναι, καὶ τέλος τῇ ζητήσει ταύτῃ τῷ Θεῷ ἀρέσκον καὶ συμβαῖνον τοῖς παρὰ τῶν μνημονευθεισῶν τεσσάρων ἁγίων συνόδων ὁρισθεῖσιν, ἐπιτεθῆναι· ἵνα πάσης ἐκ μέσου διχονοίας ἀναιρουμένης, τὰ ἀπὸ τῶν ἁγίων τεσσάρων συνόδων ὁρισθέντα, ἀσάλευτα, φυλαχθείη, τοῦ σεβάσματος τῶν αὐτῶν συνόδων ἐν ἅπασι φυλαττομένου. ἥν περ ὁμολογίαν τῶν πατρικῶν παραδόσεων μνημονεύουσαν καὶ αὐταῖς ἀκολουθοῦσαν, τοῦτο μετὰ ἐν τῇ ὑμῶν ἀδελφότητι, τοῦτο δὲ ἐν ἅπασι τοῖς τὰ ὅμοια ὁμολογήσασί τε καὶ ὁμολογοῦσι, παντὸς ἐπαίνου πεπληρωμένην κρίνομεν, καὶ ὑμετέρους ἐξ αὐτοῦ τοῦ πράγματος ἀληθῶς ἀδελφοὺς ἐπιγινώσκομεν. Ὅθεν τὴν τοῦ Θεοῦ φιλανθρωπίαν ἱκετεύομεν, ὥστε πάντας ἡμᾶς ἐν ταύτῃ τῇ ὁμολογίᾳ καὶ ταῖς πατρικαῖς παραδόσεσι ἐμμένοντας, ἀξίους εὑρεθῆναι τοῦ ἐπαγγέλματος ἡμῶν, καὶ ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῆς θείας κρίσεως ἐπ' οὐδεμιᾷ παραβάσει τῶν πατρικῶν διατυπώσεων ὑπευθύνους εὑρεθῆναι. Τούτων οὕτως εἰρημένων, τῆς ὑμετέρας αἰτήσεως τὸν πόθον ἐγνωκότες, ἐπενεύσαμεν, ἵνα περὶ τῶν τριῶν κεφαλαίων, ἐξ ὧν ζήτησις ἀνέφυη, γινομένης κανονικῆς συνόδου, καὶ τοῦ δικαίου φυλαττομένου, ἐν μέσῳ τῶν προκειμένων τῶν ἁγίων Εὐαγγελίων, ἅμα τοῖς ἑνωθεῖσιν ἡμῖν ἀδελφοῖς σύγκρισιν ποιησόμεθα, καὶ τέλος δοθῇ τῷ Θεῷ ἀρέσκον καὶ συμβαῖνον τοῖς παρὰ τῶν ἁγίων τεσσάρων συνόδων ὁρισθεῖσιν· εἰδότες δηλαδὴ, καθάπερ καὶ ἡ τῆς κοινῆς ὁμολογίας μαρτυρία δείκνυσιν, ὡς τῶν μνημονευθεισῶν τεσσάρων συνόδων ἐν ἅπασι τὸ σέβας φυλάττεται. Ὑπογραφή. Ὁ Θεός σε ὑγιῆ διαφυλάξει, ἀδελφὲ τιμιώτατε. Ἐδόθη πρὸ ἑπτὰ εἰδῶν Ἰαννουαρίων, βασιλείας τοῦ Δεσπότου Ἰουστινιανοῦ τοῦ αἰωνίου Αὐγούστου ἔτους εἰκοστοεβδόμου, μετὰ τὴν ὑπατείαν Βασιλείου τοῦ λαμπροτάτου ἔτους δωδεκάτου. Τῷ αὐτῷ τύπῳ ἐγράφη καὶ πρὸς Ἀπολινάριον τὸν ὁσιώτατον Ἀρχιεπίσκοπον τῆς Ἀλεξανδρέων μεγαλοπόλεως, καὶ πρὸς Δομνῖνον τὸν ὁσιώτατον Ἀρχιεπίσκοπον τῆς Θεουπολιτῶν, καὶ τὴν ὑπ' αὐτοὺς Σύνοδον.

(*) *Inserta est hoc loco superior Eutychii epistola. Plenior autem hic est subscriptio aliquot verbis, ut in editione Latina.*

Ex octava actione sanctæ œcumenicæ Quintæ Synodi, contra Theodorum, qui fuit Episcopus Mopsuestiæ.

I. Si quis non confitetur Patris & Filii & Spiritus sancti unam naturam sive substantiam, & unam virtutem, & potestatem, Trinitatem consubstantialem, unam

Ἐκ τῆς ὀγδόης πράξεως τῆς ἁγίας οἰκουμενικῆς Πέμπτης Συνόδου, κατὰ Θεοδώρου Ἐπισκόπου γενομένου Μομψουεστίας.

I. Εἴ τις οὐχ ὁμολογεῖ Πατρὸς καὶ Υἱοῦ καὶ ἁγίου Πνεύματος μίαν φύσιν, ἤτοι οὐσίαν, μίαν τε δύναμιν, καὶ ἐξουσίαν, τριάδα ὁμοούσιον, μίαν θεότητα ἐν τρισὶν

unam deitatem in tribus ſubſiſtentiis ſive perſonis adorandam, talis anathema ſit. Unus enim Deus & pater, ex quo omnia, & unus Dominus Jeſus Chriſtus, per quem omnia, & unus Spiritus Sanctus, in quo omnia.

II. Si quis non confitetur, Dei Verbi duas eſſe nativitates, unam quidem ante ſecula ex Patre ſine tempore & incorporaliter, alteram vero in ultimis diebus ejuſdem ipſius, qui de cœlis deſcendit, & incarnatus eſt de ſancta glorioſa Dei genitrice & ſemper-virgine Maria, & natus eſt ex ipſa, talis anathema ſit.

III. Si quis dicit, alium eſſe Deum Verbum, qui miracula fecit, & alium Chriſtum, qui paſſus eſt, vel Deum Verbum cum Chriſto eſſe naſcente de muliere, vel in ipſo eſſe, ut alterum in altero, & non unum eundemque Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, Dei verbum incarnatum & hominem factum, & ejuſdem ipſius miracula, & paſſiones, quas voluntarie carne ſuſtinuit, talis anathema ſit.

IV. Si quis dicit, ſecundum gratiam, vel ſecundum operationem, vel ſecundum dignitatem, vel ſecundum æqualitatem honoris, vel ſecundum auctoritatem, aut relationem, aut effectum, aut virtutem, unitionem Dei Verbi ad hominem factam eſſe, vel ſecundum bonam voluntatem, quaſi quod placuit Deo Verbo homo, eo quod bene viſum eſt ei de ipſo, ſicut Theodorus inſaniens dicit, vel ſecundum homonymiam, per quam Neſtoriani Deum Verbum filium & Chriſtum vocantes, & hominem ſeparatim Chriſtum & filium nominantes, & duas perſonas evidenter dicentes, per ſolam nominationem, & honorem, & dignitatem, & adorationem unam perſonam, & unum Filium & unum Chriſtum confingunt dicere, ſed non confitentur, unitatem Dei Verbi ad carnem animatam anima rationabili & intellectuali ſecundum compoſitionem ſive ſecundum ſubſiſtentiam factam eſſe, ſicut ſancti patres docuerunt, & ideo unam ejus ſubſiſtentiam compoſitam, qui eſt Dominus noſter Jeſus Chriſtus, unus de Sancta Trinitate, talis anathema ſit. Cum enim multis modis unitas intelligitur, qui impietatem Apollinarii & Eutychetis ſequuntur, interemptionem eorum, quæ convenerint, colentes unitionem ſecundum confuſionem, dicunt, Theodori autem & Neſtorii ſequaces, diviſione gaudentes, affectualem unitatem introducunt, ſancta Dei Eccleſia utriuſque perfidiæ impietatem rejiciens, unitionem Dei Verbi ad carnem ſecundum compoſitionem confitetur, quod eſt ſecundum ſubſiſtentiam. Unitio enim per compoſitionem in myſterio Chriſti non ſolum inconfuſe ea, quæ convenerunt, conſervat, ſed nec diviſionem ſuſcipit.

V. Si quis unam ſubſiſtentiam Domini noſtri Jeſu Chriſti ſic intelligit, tanquam ſuſcipientem plurimarum ſubſiſtentiarum ſignificationem, & per hoc introducere conatur in myſterio Chriſti duas ſubſiſtentias, ſeu duas perſonas, & duarum perſonarum, quas introducit, unam perſonam dicit ſecundum dignitatem & honorem & adorationem, ſicut Theodorus & Neſtorius inſanientes conſcripſerunt, & calumniantur ſanctam Chalcedonenſem ſynodum, tanquam ſecundum iſtum impium intellectum unius ſubſiſtentiæ utentem vocabulo, ſed non confitetur, Dei Verbum carni ſecundum ſubſiſtentiam unitum eſſe, & propter hoc unam ejus ſubſiſtentiam, ſeu unam perſonam, & ſic & ſanctum Chalcedonenſe Concilium unam ſubſiſtentiam Domini noſtri Jeſu Chriſti confeſſum eſſe, talis anathema ſit. Nec enim adjectionem perſonæ vel ſubſiſtentiæ ſuſcepit Sancta Trinitas ex incarnato uno de Sancta Trinitate Deo Verbo.

VI. Si quis abuſive, & non vere, Dei genitricem dicit ſanctam glorioſam ſemper-virginem Mariam vel ſecundum relationem, quaſi homine puro nato, ſed non Deo Verbo incarnato & nato ex ipſa, referenda autem, ſicut illi dicunt, hominis nativitate ad Deum Verbum, eo quod cum homine erat naſcente, & calumniatur ſanctam Chalcedonenſem ſynodum, tanquam ſecundum iſtum impium

τρισὶν ὑποστάσεσιν ἤγουν προσώποις προσκυνουμένην, ὁ τοιοῦτος ἀνάθεμα ἔστω. Εἷς γὰρ Θεὸς καὶ Πατὴρ, ἐξ οὗ τὰ πάντα, καὶ εἷς Κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς, δι᾽ οὗ τὰ πάντα, καὶ ἓν Πνεῦμα ἅγιον, ἐν ᾧ τὰ πάντα.

II. Εἴτις οὐχ ὁμολογεῖ, τοῦ Θεοῦ Λόγου εἶναι τὰς δύο γεννήσεις, τήν τε πρὸ αἰώνων ἐκ τοῦ Πατρὸς ἀχρόνως καὶ ἀσωμάτως, τήν τε ἐπ᾽ ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν τοῦ αὐτοῦ κατελθόντος ἐκ τῶν οὐρανῶν, καὶ σαρκωθέντος ἐκ τῆς ἁγίας ἐνδόξου θεοτόκου καὶ Ἀειπαρθένου Μαρίας, καὶ γεννηθέντος ἐξ αὐτῆς, ὁ τοιοῦτος ἀνάθεμα ἔστω.

III. Εἴτις λέγει, ἄλλον εἶναι τὸν Θεὸν Λόγον, τὸν θαυματουργήσαντα, καὶ ἄλλον τὸν Χριστὸν τὸν παθόντα, ἢ τὸν Θεὸν Λόγον συνεῖναι λέγει τῷ Χριστῷ γενομένῳ ἐκ γυναικὸς, ἢ ἐν αὐτῷ εἶναι ὡς ἄλλον ἐν ἄλλῳ, ἀλλ᾽ οὐχ ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν τοῦ Θεοῦ Λόγον σαρκωθέντα καὶ ἐνανθρωπήσαντα, καὶ τοῦ αὐτοῦ τά τε θαύματα, καὶ τὰ πάθη, ἅπερ ἑκουσίως ὑπέμεινε σαρκὶ, ὁ τοιοῦτος ἀνάθεμα ἔστω.

IV. Εἴτις λέγει, κατὰ χάριν, ἢ κατὰ ἐνέργειαν, ἢ κατὰ ἀξίαν, ἢ κατὰ ἰσοτιμίαν, ἢ κατὰ αὐθεντίαν, ἢ ἀναφορὰν, ἢ σχέσιν, ἢ δύναμιν, τὴν ἕνωσιν τοῦ Θεοῦ Λόγου πρὸς ἄνθρωπον γεγενῆσθαι. ἢ κατὰ εὐδοκίαν, ὡς ἀρεσθέντος τοῦ Θεοῦ Λόγου, τοῦ ἀνθρώπου, ἀπὸ τοῦ εὖ καὶ καλῶς δόξαι αὐτῷ περὶ αὐτοῦ, καθὼς Θεόδωρος μαινόμενος λέγει. ἢ κατὰ ὁμωνυμίαν, καθ᾽ ἣν οἱ Νεστοριανοὶ τὸν Θεὸν Λόγον Ἰησοῦν, καὶ Χριστὸν καλοῦντες, καὶ τὸν ἄνθρωπον κεχωρισμένως Χριστὸν καὶ Υἱὸν ὀνομάζοντες, καὶ δύο πρόσωπα προφανῶς λέγοντες, κατὰ μόνην τὴν προσηγορίαν, καὶ τιμὴν, καὶ ἀξίαν, καὶ προσκύνησιν, καὶ ἓν πρόσωπον, καὶ ἕνα Χριστὸν ὑποκρίνονται λέγειν, ἀλλ᾽ οὐχ ὁμολογεῖ τὴν ἕνωσιν τοῦ Θεοῦ Λόγου πρὸς σάρκα ἐμψυχωμένην ψυχῇ λογικῇ καὶ νοερᾷ κατὰ σύνθεσιν ἤγουν καθ᾽ ὑπόστασιν γεγενῆσθαι, καθὼς οἱ ἅγιοι Πατέρες ἐδίδαξαν, καὶ διὰ τοῦτο μίαν αὐτοῦ τὴν ὑπόστασιν, ὅ ἐστιν ὁ Κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς, εἷς τῆς ἁγίας Τριάδος, ὁ τοιοῦτος ἀνάθεμα ἔστω. Πολυτρόπως γὰρ νοουμένης τῆς ἑνώσεως, οἱ μὲν τῇ ἀσεβείᾳ Ἀπολιναρίου καὶ Εὐτυχοῦς ἀκολουθοῦντες, τῷ ἀφανισμῷ τῶν συνελθόντων προκείμενοι, τὴν κατὰ σύγχυσιν τὴν ἕνωσιν πρεσβεύουσιν οἱ δὲ τὰ Θεοδώρου καὶ Νεστορίου φρονοῦντες, τῇ διαιρέσει χαίροντες, σχετικὴν τὴν ἕνωσιν ἐπεισάγουσιν, ἡ μέντοι ἁγία τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησία ἑκατέρας αἱρέσεως τὴν ἀσέβειαν ἀποβαλλομένη, τὴν ἕνωσιν τοῦ Θεοῦ Λόγου πρὸς τὴν σάρκα κατὰ σύνθεσιν ὁμολογεῖ, ὅπερ ἐστὶ καθ᾽ ὑπόστασιν. Ἡ γὰρ κατὰ σύνθεσιν ἕνωσις ἐπὶ τοῦ κατὰ Χριστὸν μυστηρίου, οὐ μόνον ἀσύγχυτα τὰ συνελθόντα διαφυλάττει, ἀλλ᾽ οὐδὲ διαίρεσιν ἐπιδέχεται.

V. Εἴτις τὴν μίαν ὑπόστασιν τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ οὕτως ἐκλαμβάνει, ὡς ἐπιδεχομένην πολλῶν ὑποστάσεων σημασίαν, καὶ διὰ τούτου εἰσάγειν ἐπιχειρεῖ ἐπὶ τοῦ κατὰ Χριστὸν μυστηρίου δύο ὑποστάσεις, ἤτοι δύο πρόσωπα, καὶ τῶν παρ᾽ αὐτοῦ εἰσαγομένων δύο προσώπων ἓν πρόσωπον λέγει κατὰ ἀξίαν καὶ τιμὴν καὶ προσκύνησιν, καθάπερ Θεόδωρος καὶ Νεστόριος μαινόμενοι συνεγράψαντο, καὶ συκοφαντεῖ τὴν ἁγίαν ἐν Χαλκηδόνι σύνοδον, ὡς κατὰ ταύτην τὴν ἀσεβῆ ἔννοιαν χρησαμένην τῷ τῆς μιᾶς ὑποστάσεως ῥήματι, ἀλλὰ μὴ ὁμολογεῖ, τὸν τοῦ Θεοῦ Λόγον σαρκὶ καθ᾽ ὑπόστασιν ἑνωθῆναι, καὶ διὰ τοῦτο μίαν αὐτοῦ τὴν ὑπόστασιν, ἤτοι ἓν πρόσωπον, οὕτω τε καὶ τὴν ἁγίαν ἐν Χαλκηδόνι σύνοδον μίαν ὑπόστασιν τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ὁμολογῆσαι, ὁ τοιοῦτος ἀνάθεμα ἔστω. Οὔτε γὰρ προσθήκην προσώπου ἤγουν ὑποστάσεως ἐπεδέξατο ἡ ἁγία Τριὰς καὶ σαρκωθέντος τοῦ ἑνὸς τῆς ἁγίας Τριάδος Θεοῦ Λόγου.

VI. Εἴτις καταχρηστικῶς, ἀλλ᾽ οὐκ ἀληθῶς, θεοτόκον λέγει τὴν ἁγίαν ἔνδοξον Ἀειπαρθένον Μαρίαν ἢ κατὰ ἀναφορὰν, ὡς ἀνθρώπου ψιλοῦ γεννηθέντος, ἀλλ᾽ οὐχὶ τοῦ Θεοῦ Λόγου σαρκωθέντος καὶ τῆς ἐξ αὐτῆς, ἀναφερομένης δὲ κατ᾽ ἐκείνους τῆς τοῦ ἀνθρώπου γεννήσεως ἐπὶ τὸν Θεὸν Λόγον, ὡς συνόντα τῷ ἀνθρώπῳ γεννωμένῳ, καὶ συκοφαντεῖ τὴν ἁγίαν ἐν Χαλκηδόνι σύνοδον, ὡς κατὰ ταύτην τὴν ἀσε-

pium intellectum, quem Theodorus execrandus adinvenit, Dei genitricem virginem dicentem, vel qui hominis genitricem vocat, aut Christotó con, *id est, Christi genitricem*, tanquam si Christus Deus non esset, & non proprie & vere Dei genitricem ipsam confitetur, eo quod ipse, qui ante secula ex Patre natus est Deus Verbum, in ultimis diebus ex ipsa incarnatus & natus est, & sic pie & sanctam Chalcedonensem synodum, Dei genitricem eam esse, confessam, talis anathema sit.

VII. Si quis in duabus naturis dicens, non ut in deitate & humanitate, unum Dominum nostrum Jesum Christum cognosci confitetur, ut per hoc significet differentiam naturarum, in quibus inconfuse ineffabilis unitio facta est, neque Deo Verbo in carnis naturam transmutato, neque carne in Verbi naturam transducta, (manet enim utrumque hoc, quod est natura, etiam facta unitate secundum subsistentiam) sed pro divisione per partem, tamen excipit vocem in mysterio Christi, vel numerum naturarum confitendo in eodem Domino nostro Jesu Christo Deo Verbo incarnato, non intellectu tantummodo differentiam excipit earum, ex quibus & compositus est, non interemptum propter unitatem (Unus enim ex utroque, & per unum utraque) sed in hoc numero utitur, ut separatim unaquaque naturam suam habente subsistentiam, talis anathema sit.

VIII. Si quis ex duabus naturis deitatis & humanitatis confitens, unitatem factam esse, vel unam naturam Dei Verbi incarnatam dicens, non sic ea excipit, sicut sancti patres docuerunt, quod ex divina natura & humana, unitione secundum subsistentiam facta, unus Christus effectus est, sed ex talibus vocibus unam naturam sive substantiam deitatis & carnis Christi introducere conatur, talis anathema sit. Secundum subsistentiam enim dicentis unigenitum Deum Verbum carni unitum esse, non confusionem aliquam naturarum in se invicem factam esse, dicimus: sed magis permanente utraque, hoc, quod est, unitum esse carni. Deum Verbum intelligimus. Propter quod & unus est Christus, Deus & homo, idem ipse consubstantialis Patri secundum deitatem, & consubstantialis nobis idem ipse secundum humanitatem. Æqualiter enim & eos, qui pie partem dividunt, vel incidunt, & eos, qui confundunt divinæ dispensationis mysterium Christi, rejicit & anathematizat Dei Ecclesia.

IX. Si quis in duabus naturis adorari dicit Christum, ex quo duas adorationes introducunt, separatim Deo Verbo, & separatim homini, vel si quis ad interemptionem carnis vel ad confusionem deitatis & humanitatis, vel unam naturam sive substantiam eorum, quæ convenerunt, introducens, sic Christum adorat, sed non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adorat, sicut ab initio Dei Ecclesiæ traditum est, talis anathema sit.

X. Si quis non confitetur, Dominum nostrum Jesum Christum, qui crucifixus est carne, Deum esse verum, & dominum gloriæ, & unum de sancta Trinitate, talis anathema sit.

XI. Si quis non anathematizat Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarium, Nestorium, Eutychem, & Origenem, cum impiis eorum conscriptis, & alios omnes hæreticos, qui condemnati & anathematizati sunt a sancta catholica & apostolica Ecclesia & a prædictis sanctis quatuor Conciliis, & eos, qui similia prædictis hæreticis sapuerunt vel sapiunt, & usque ad mortem in sua impietate permanserunt vel permanent, talis anathema sit.

XII. Si quis defendit impium Theodorum Mopsuestenum, qui dixit, alium esse Deum Verbum, & alium Christum, a passionibus animæ & desideriis carnis molestias patientem, & a deterioribus paulatim recedentem, & sic ex profectu operum melioratum, & a conversatione immaculatum factum, & tanquam purum

βῆ ἐπινοηθεῖσαν παρὰ Θεοδώρου ἔννοιαν, θεοτόκον τὴν παρθένον εἰποῦσαν, ἢ εἴτις ἀνθρωποτόκον αὐτὴν καλεῖ, ἢ Χριστοτόκον, ὡς τοῦ Χριστοῦ μὴ ὄντος Θεοῦ, ἀλλὰ μὴ Κυρίως, καὶ κατὰ ἀλήθειαν θεοτόκον αὐτὴν ὁμολογεῖ, διὰ τὸ τὸν πρὸ τῶν αἰώνων ἐκ τοῦ Πατρὸς γεννηθέντα Θεὸν Λόγον, ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν ἐξ αὐτῆς σαρκωθῆναι καὶ γεννηθῆναι, οὕτω τε εὐσεβῶς καὶ τὴν ἁγίαν ἐν Χαλκηδόνι σύνοδον θεοτόκον αὐτὴν ὁμολογῆσαι, ὁ τοιοῦτος ἀνάθεμα ἔσω.

VII. Εἴτις ἐν δύο φύσεσι λέγων, μὴ ὡς ἐν θεότητι καὶ ἀνθρωπότητι, τὸν ἕνα Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν γνωρίζεσθαι ὁμολογεῖ, ἵνα διὰ τούτου σημανῇ τὴν διαφορὰν τῶν φύσεων, ἐξ ὧν ἀσυγχύτως ἡ ἄφραστος ἕνωσις γέγονεν, οὔτε τοῦ Λόγου εἰς τὴν τῆς σαρκὸς μεταποιηθέντος φύσιν, οὔτε τῆς σαρκὸς πρὸς τὴν τοῦ Λόγου φύσιν μεταχωρησάσης (μένει γὰρ ἑκάτερον ὅπερ ἐστὶ τῇ φύσει. καὶ γενομένης τῆς ἑνώσεως καθ' ὑπόστασιν,) ἀλλ' ἐπὶ διαιρέσει τῇ ἀνὰ μέρος, τὴν τοιαύτην λαμβάνει φωνὴν ἐπὶ τοῦ κατὰ Χριστὸν μυστηρίου, ἢ τὸν ἀριθμὸν τῶν φύσεων ὁμολογῶν, ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ ἑνὸς Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ Λόγου σαρκωθέντος μὴ τῇ θεωρίᾳ μόνῃ τὴν διαφορὰν τούτων λαμβάνει, ἐξ ὧν καὶ συνετέθη, οὐκ ἀναιρουμένην διὰ τὴν ἕνωσιν, (εἷς γὰρ ἐξ ἀμφοῖν, καὶ δι' ἑνὸς ἀμφότερα,) ἀλλ' ἐπὶ τούτῳ κέχρηται τῷ ἀριθμῷ ὡς κεχωρισμένας καὶ ἰδιοϋποστάτους ἔχει τὰς φύσεις, ὁ τοιοῦτος ἀνάθεμα ἔσω.

VIII. Εἴτις ἐκ δύο φύσεων θεότητος καὶ ἀνθρωπότητος ὁμολογῶν τὴν ἕνωσιν γεγενῆσθαι, ἢ μίαν φύσιν τοῦ Θεοῦ Λόγου σεσαρκωμένην λέγων, μὴ οὕτως αὐτὰ λαμβάνῃ, καθάπερ καὶ οἱ ἅγιοι Πατέρες ἐδίδαξαν, ὅτι ἐκ τῆς θείας φύσεως καὶ τῆς ἀνθρωπίνης, τῆς ἑνώσεως καθ' ὑπόστασιν γενομένης, εἷς Χριστὸς ἀπετελέσθη, ἀλλ' ἐκ τῶν τοιούτων φωνῶν μίαν φύσιν ἤτοι οὐσίαν θεότητος καὶ σαρκὸς τοῦ Χριστοῦ εἰσάγειν ἐπιχειρεῖ, ὁ τοιοῦτος ἀνάθεμα ἔσω. Καθ' ὑπόστασιν γὰρ λέγοντες τὸν μονογενῆ λόγον ἡνῶσθαι, οὐκ ἀνάχυσίν τινα τὴν εἰς ἀλλήλους τῶν φύσεων πεπρᾶχθαί φαμεν· μενούσης δὲ μᾶλλον ἑκατέρας, ὅπερ ἐστὶν ἡνῶσθαι σαρκὶ, νοοῦμεν τὸν Λόγον. Διὸ καὶ εἷς ἐστιν ὁ Χριστὸς, Θεὸς καὶ ἄνθρωπος, ὁ αὐτὸς ὁμοούσιος τῷ Πατρὶ κατὰ τὴν θεότητα, καὶ ὁμοούσιος ἡμῖν ὁ αὐτὸς κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα. Ἐπίσης γὰρ καὶ τοὺς ἀνὰ μέρος διαιροῦντας, ἤτοι τέμνοντας καὶ τοὺς συγχέοντας τὸ τῆς θείας οἰκονομίας μυστήριον τοῦ Χριστοῦ, ἀποστρέφεται καὶ ἀναθεματίζει ἡ τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησία.

IX. Εἴτις προσκυνεῖσθαι ἐν δυσὶ φύσεσι λέγει τὸν Χριστὸν, ἐξ οὗ δύο προσκυνήσεις, εἰσάγονται, ἰδίᾳ τῷ Θεῷ Λόγῳ, καὶ ἰδίᾳ τῷ ἀνθρώπῳ, ἢ εἴτις ἐπὶ ἀναιρέσει τῆς σαρκὸς, ἢ ἐπὶ συγχύσει τῆς θεότητος καὶ τῆς ἀνθρωπότητος, ἢ μίαν φύσιν ἤγουν οὐσίαν τῶν συνελθόντων τερατευόμενος, οὕτω προσκυνεῖ τὸν Χριστὸν, ἀλλ' οὐχὶ μιᾷ προσκυνήσει, τὸν Θεὸν Λόγον σαρκωθέντα μετὰ τῆς ἰδίας αὐτοῦ σαρκὸς προσκυνεῖ, καθάπερ ἡ τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησία παρέλαβεν ἐξ ἀρχῆς, ὁ τοιοῦτος ἀνάθεμα ἴσαι.

X. Εἴτις οὐχ ὁμολογεῖ τὸν ἐσταυρωμένον σαρκὶ Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, εἶναι Θεὸν ἀληθινὸν, καὶ Κύριον τῆς δόξης, καὶ ἕνα τῆς ἁγίας Τριάδος, ὁ τοιοῦτος ἀνάθεμα ἔσω.

XI. Εἴτις μὴ ἀναθεματίζει Ἄρειον, Εὐνόμιον, Μακεδόνιον, Ἀπολινάριον, Νεστόριον, Εὐτυχέα, καὶ Ὠριγένην, μετὰ τῶν ἀσεβῶν αὐτῶν συγγραμμάτων, καὶ τοὺς ἄλλους πάντας αἱρετικοὺς, τοὺς κατακριθέντας καὶ ἀναθεματισθέντας ὑπὸ τῆς ἁγίας καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς Ἐκκλησίας καὶ τῶν προειρημένων ἁγίων τεσσάρων συνόδων, καὶ τοὺς τὰ ὅμοια τῶν προειρημένων αἱρετικῶν φρονήσαντας ἢ φρονοῦντας, καὶ μέχρι τέλους τῇ οἰκείᾳ ἀσεβείᾳ ἐμμείναντας, ὁ τοιοῦτος ἀνάθεμα ἔσω.

XII. Εἴτις ἀντιποιεῖται Θεοδώρου τοῦ ἀσεβοῦς τοῦ Μομψουεστίας, τοῦ εἰπόντος, ἄλλον εἶναι τὸν Θεὸν Λόγον καὶ ἄλλον τὸν Χριστὸν, ὑπὸ παθῶν ψυχῆς καὶ τῶν τῆς σαρκὸς ἐπιθυμιῶν ἐνοχλούμενον, καὶ τῶν χειρόνων κατὰ μικρὸν χωριζόμενον, καὶ οὕτως ἐκ προκοπῆς ἔργων βελτιωθέντα, καὶ ἐκ πολιτείας ἄμωμον

κατα-

purum hominem baptizatum esse in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, & per baptisma Sancti Spiritus gratiam accepisse, & filiationem meruisse, & ad similitudinem imperialis imaginis in persona Dei Verbi adorari, & post resurrectionem immutabilem cogitationibus & impeccabilem omnino factum fuisse, & iterum dixit idem impius Theodorus, talem factam esse unitionem Dei Verbi ad Christum, qualem dixit Apostolus de viro & muliere, *Erunt duo in carne una*, & super alias innumerabiles blasphemias ausus est dicere, quod post resurrectionem, cum insufflasset Dominus discipulis, & dixisset, *Accipite Spiritum Sanctum*, non dedit Spiritum Sanctum, sed figuratim tantummodo insufflavit. Iste enim & confessionem, quam fecit Thomas, cum palpasset manus & latus Domini post resurrectionem, dicens *Dominus meus & Deus meus*, inquit, non esse dictam a Thoma de Christo. Nec enim dicit Theodorus; Deum esse Christum, sed ad miraculum resurrectionis stupefactum Thomam glorificasse Deum, qui Christum resuscitavit. Et quod pejus est, etiam in interpretatione, quam in Actus Apostolorum scripsit Theodorus, similem fecit Christum Platoni & Manichæo & Epicuro & Marcioni, dicens, quod sicut illorum unusquisque ex dogmate, quod invenit, suos discipulos fecit vocari Platonicos & Manichæos & Epicureos & Marcionistas, simili modo & cum Christus dogma invenisset, ex ipso Christianos vocari. Si quis igitur defendit prædictum impium Theodorum & impia ejus conscripta, in quibus tam prædictas, quam alias innumerabiles blasphemias effudit contra magnum Deum & Salvatorem Jesum Christum, & non anathematizat eum & impia ejus conscripta & omnes, qui suscipiunt vel defendunt eum, & dicunt, orthodoxe eum exposuisse, & qui scripserunt pro eo, & eadem illi sapuerunt vel scribunt pro eo vel impiis ejus conscriptis, & eos, qui similia illi sapiunt, vel aliquando sapuerunt, & usque ad mortem permanserunt vel permanent in tali impietate, talis anathema sit.

XIII. Si quis defendit impia Theodoreti conscripta, quæ contra rectam fidem & contra primam Ephesinam sanctam synodum & sanctum Cirillum & duodecim ejus capitula exposuit, & omnia, quæ conscripsit pro Theodoro & Nestorio impiis, & pro aliis, qui eadem prædictis Theodoro & Nestorio [illegible]r, defendens eos & eorum impietatem, & propter hoc impios vocans doctores Ecclesiæ, qui unitatem secundum subsistentiam Dei Verbi ad carnem confitentur, & non anathematizat ea & eos, qui similia eis sapuerunt vel sapiunt, insuper autem & omnes, qui scripserunt contra rectam fidem & sanctum Cyrillum & duodecim ejus capitula, & usque ad mortem in tali impietate permanserunt, talis anathema sit.

XIV. Si quis defendit epistolam, quam dicitur Ibas ad Marim Persam hæreticum scripsisse, quæ abnegat quidem, Deum Verbum de sancta Dei genitrice semper virgine Maria incarnatum, hominem factum esse, dicit autem, hominem ex ipsa natum esse, quem templum vocat, ut alius sit Deus Verbum & alius homo, & sanctum Cyrillum, qui rectam fidem Christianorum prædicavit, tanquam hæreticum, & similiter Apollinario impio scripsisse criminatur & inculpat primam Ephesinam sanctam synodum tanquam sine examinatione & quæstione Nestorium condemnantem, & duodecim Capitula sancti Cyrilli impia & contraria rectæ fidei vocat eadem impia epistola, & defendit Theodorum & Nestorium & impia eorum dogmata & conscripta. Si quis igitur memoratam impiam epistolam defendit, & non anathematizat eam & defensores ejus & eos, qui dicunt, eam rectam esse, vel partem ejus, & eos, qui scripserunt vel scribunt pro ea vel pro impietate, quæ in ea continetur, & præsumunt eam defendere, vel insertam ei impietatem nomine sanctorum patrum vel sancti Chalcedonensis Concilii, & in his usque ad mortem permanent, anathema sit.

καταστάντα, ὡς ψιλὸν ἄνθρωπον βαπτισθῆναι εἰς ὄνομα Πατρὸς καὶ Υἱοῦ καὶ ἁγίου Πνεύματος, καὶ διὰ τοῦ βαπτίσματος τὴν χάριν τοῦ ἁγίου Πνεύματος λαβεῖν, καὶ Υἱοθεσίας ἀξιωθῆναι, καὶ κατ' ἰσότητα βασιλικῆς εἰκόνος εἰς πρόσωπον τοῦ Θεοῦ Λόγου προσκυνεῖσθαι, καὶ μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἄτρεπτον ταῖς ἐννοίαις καὶ ἀναμάρτητον παντελῶς γενέσθαι, καὶ πάλιν εἰρηκότος τοῦ αὐτοῦ ἀσεβοῦς Θεοδώρου τὴν ἕνωσιν τοῦ Θεοῦ Λόγου πρὸς τὸν Χριστὸν τοιαύτην γεγενῆσθαι, ὅταν ὁ Ἀπόστολος ἐπὶ ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς, ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν, καὶ πρὸς ταῖς ἄλλαις ἀναριθμήτοις αὐτοῦ βλασφημίαις τολμήσαντος εἰπεῖν, ὅτι μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἐμφυσήσας ὁ Κύριος τοῖς μαθηταῖς, καὶ εἰπὼν, λάβετε Πνεῦμα ἅγιον, οὐ δέδωκεν αὐτοῖς Πνεῦμα ἅγιον, ἀλλὰ σχήματι μόνον ἐνεφύσησεν. Οὕτως δὲ καὶ τὴν ὁμολογίαν Θωμᾶ τὴν ἐπὶ τῇ ψηλαφήσει τῶν χειρῶν καὶ τῆς πλευρᾶς τοῦ Κυρίου μετὰ τὴν ἀνάστασιν, τὸ, ὁ Κύριός μου καὶ ὁ Θεός μου, εἶπε μὴ εἰρῆσθαι περὶ τοῦ Χριστοῦ παρὰ τοῦ Θωμᾶ. Ἀλλ' ἐπὶ τῷ παραδόξῳ τῆς ἀναστάσεως, ἐκπλαγέντα τὸν Θωμᾶν ὑμνῆσαι τὸν Θεὸν τὸν ἐγείραντα τὸν Χριστόν. Τὸ δὲ χεῖρον, καὶ ἐν τῇ τῶν πράξεων τῶν Ἀποστόλων γενομένῃ παρ' αὐτοῦ δῆθεν ἑρμηνείᾳ, συγκρίνων ὁ αὐτὸς Θεόδωρος τὸν Χριστὸν Πλάτωνι, καὶ Μανιχαίῳ, καὶ Ἐπικούρῳ, καὶ Μαρκίωνι, λέγει, ὅτι ὥσπερ ἐκείνων ἕκαστος, εὑράμενος οἰκεῖον δόγμα, τοὺς αὐτῷ μαθητεύσαντας πεποίηκε καλεῖσθαι Πλατωνικοὺς, καὶ Μανιχαίους, καὶ Ἐπικουρείους, καὶ Μαρκιωνιστὰς, τὸν ὅμοιον τρόπον καὶ τοῦ Χριστοῦ, εὑραμένου δόγμα, ἐξ αὐτοῦ τοὺς Χριστιανοὺς καλεῖσθαι. Εἴτις τοίνυν ἀντιποιεῖται τοῦ εἰρημένου ἀσεβεστάτου Θεοδώρου καὶ τῶν ἀσεβῶν αὐτοῦ συγγραμμάτων, ἐν οἷς τάς τε εἰρημένας καὶ ἄλλας ἀναριθμήτους βλασφημίας ἐξέχεε κατὰ τοῦ μεγάλου Θεοῦ καὶ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἀλλὰ μὴ ἀναθεματίζει αὐτὸν καὶ τὰ ἀσεβῆ αὐτοῦ συγγράμματα καὶ πάντας τοὺς δεχομένους, ἢ καὶ ἐκδικοῦντας αὐτὸν, ἢ λέγοντας, ὀρθοδόξως αὐτὸν ἐκθέσθαι, καὶ τοὺς γράψαντας ὑπὲρ αὐτοῦ, καὶ τῶν ἀσεβῶν αὐτοῦ συγγραμμάτων, καὶ τοὺς τὰ ὅμοια αὐτῶν φρονοῦντας, ἢ φρονήσαντας πώποτε, καὶ μέχρι τέλους ἐμμείναντας τῇ τοιαύτῃ αἱρέσει, ἀνάθεμα ἔστω.

XIII. Εἴτις ἀντιποιεῖται τῶν ἀσεβῶν συγγραμμάτων Θεοδωρήτου, τῶν κατὰ τῆς ἀληθοῦς πίστεως, καὶ τῆς ἐν Ἐφέσῳ πρώτης καὶ ἁγίας συνόδου, καὶ τοῦ ἐν ἁγίοις Κυρίλλου, καὶ τῶν δώδεκα αὐτοῦ κεφαλαίων, καὶ πάντων, ὧν συνεγράψατο ὑπὲρ Θεοδώρου καὶ Νεστορίου τῶν δυσσεβῶν, καὶ ὑπὲρ ἄλλων τῶν τὰ αὐτὰ τοῖς προειρημένοις Θεοδώρῳ καὶ Νεστορίῳ φρονούντων καὶ δεχόντων αὐτοὺς καὶ τὴν αὐτῶν ἀσέβειαν, καὶ δι' αὐτῶν τοὺς ἀσεβεῖς καλεῖ τοὺς τῆς Ἐκκλησίας διδασκάλους, τοὺς καθ' ὑπόστασιν τὴν ἕνωσιν τοῦ Θεοῦ Λόγου φρονοῦντας καὶ ὁμολογοῦντας, καὶ εἴπερ οὐκ ἀναθεματίζει τὰ εἰρημένα ἀσεβῆ συγγράμματα, καὶ τοὺς τὰ ὅμοια τούτοις φρονήσαντας ἢ φρονοῦντας, καὶ πάντας δὲ τοὺς γράψαντας κατὰ τῆς ὀρθῆς πίστεως, ἢ τοῦ ἐν ἁγίοις Κυρίλλου, ἢ τῶν δώδεκα αὐτοῦ κεφαλαίων, καὶ ἐν τῇ τοιαύτῃ ἀσεβείᾳ τελευτήσαντας, ὁ τοιοῦτος ἀνάθεμα ἔστω.

XIV. Εἴτις ἀντιποιεῖται τῆς Ἐπιστολῆς τῆς λεγομένης παρὰ Ἴβα γεγράφθαι πρὸς Μάρην τὸν Πέρσην τῆς ἀρνουμένης μετὰ τὸν Θεὸν Λόγον ἐκ τῆς ἁγίας θεοτόκου καὶ Ἀειπαρθένου Μαρίας σαρκωθέντα, ἄνθρωπον γεγενῆσθαι, λεγούσης δὲ ψιλὸν ἄνθρωπον ἐξ αὐτῆς γεννηθῆναι, ὃν ναὸν ἀποκαλεῖ, ὡς ἄλλον εἶναι τὸν Θεὸν Λόγον καὶ ἄλλον τὸν ἄνθρωπον, καὶ τὸν ἐν ἁγίοις Κύριλλον τὴν ὀρθὴν τῶν Χριστιανῶν πίστιν κηρύξαντα διαβαλλούσης ὡς αἱρετικὸν, καὶ ὁμοίως Ἀπολιναρίῳ τῷ δυσσεβεῖ γράψαντα, καὶ μεμφομένης τὴν ἐν Ἐφέσῳ πρώτην ἁγίαν σύνοδον ὡς χωρὶς κρίσεως καὶ ζητήσεως Νεστόριον καθελοῦσαν, καὶ τὰ δώδεκα κεφάλαια τοῦ ἐν ἁγίοις Κυρίλλου ἀσεβῆ καὶ ἐναντία τῇ ὀρθῇ πίστει ἀποκαλεῖ ἡ αὐτὴ ἀσεβὴς Ἐπιστολὴ, καὶ ἐκδικεῖ Θεόδωρον καὶ Νεστόριον καὶ τὰ ἀσεβῆ αὐτῶν δόγματα, καὶ συγγράμματα. εἴτις τοίνυν τῆς εἰρημένης ἀσεβοῦς Ἐπιστολῆς ἀντιποιεῖται, καὶ μὴ ἀναθεματίζει αὐτὴν καὶ τοὺς ἀντιποιουμένους αὐτὴν, καὶ λέγοντας, αὐτὴν ὀρθὴν εἶναι, ἢ μέρος αὐτῆς, καὶ γράψαντας καὶ γράφοντας ὑπὲρ αὐτῆς, ἢ τῶν περιεχομένων αὐτῇ ἀσεβειῶν, καὶ τολμῶντας ταύτην ἐκδικεῖν, ἢ τὰς περιεχομένας αὐτῇ ἀσεβείας ὀνόματι τῶν ἁγίων Πατέρων ἢ τῆς ἁγίας ἐν Χαλκηδόνι συνόδου, καὶ τούτοις μέχρι τέλους ἐμμείναντας, ὁ τοιοῦτος ἀνάθεμα ἔστω.

Marca, Dissert. Eccl.

Cum igitur hæc ita recte confessi sumus, quæ tradita nobis sunt tam a divinis scripturis, quam a sanctorum patrum doctrina, & ab his, quæ definita sunt de una eademque fide a prædictis sanctis quatuor Conciliis, facta autem a nobis & condemnatione contra hæreticos & eorum impietatem, nec non etiam contra eos, qui defenderunt vel defendunt prædicta impia Tria Capitula, & permanserunt in suo errore, vel qui permanent, si quis conatus fuerit contra hæc, quæ pie disposuimus, vel tradere, vel docere, vel scribere, si quidem Episcopus vel Clericus sit, iste, tanquam aliena a sacerdotibus & statu ecclesiastico faciens, denudabitur episcopatu vel clericatu; si autem monachus vel laicus sit, anathematizabitur.

Eutychius misericordia Dei Episcopus Constantinopoleos novæ Romæ decrevi, quæ proposita sunt, & confitens, sic habere, sicut omnia suprascripta capitula & dogmata continent, & suscipiens sanctas quatuor synodos, id est, Nicænam, Constantinopolitanam, Ephesinam primam, & Chalcedonensem, & quæ ab ipsis de una eademque fide definita sunt, & in his omnibus permanens, sicut supra scriptum est, condemno & anathematizo, super alios hæreticos & impia eorum conscripta, Theodorum impium, qui fuit Mopsuestiæ Episcopus, una cum impiis ejus conscriptis, & omnia, quæ impie Theodoretus conscripsit, sicut prædictum est, & impiam epistolam, quæ dicitur Ibæ, & qui similia eis sapuerunt & sapiunt & subscripsi.

Apollinarius misericordia Dei Episcopus Alexandriæ.

Domninus misericordia Dei Episcopus Theopolitanus.

Similiter & ceteri Episcopi subscripserunt.

Τούτων τοίνυν οὕτως ὁμολογηθέντων, ἃ καὶ παρελάβομεν ἐκ τῆς θείας γραφῆς καὶ τῆς τῶν ἁγίων Πατέρων διδασκαλίας, καὶ τῶν ὁρισθέντων περὶ τῆς μιᾶς καὶ τῆς αὐτῆς πίστεως παρὰ τῶν προειρημένων ἁγίων τεσσάρων συνόδων, γενομένης δὲ καὶ παρ᾽ ἡμῶν τῆς ἐπὶ τοῖς αἱρετικοῖς καὶ τῆς αὐτῶν ἀσεβείας, πρός γε καὶ τῆς τῶν ἐκδικησάντων ἢ ἐκδικούντων τὰ εἰρημένα τρία κεφάλαια, καὶ ἐναπομεινάντων ἢ ἀπομενόντων τῇ οἰκείᾳ πλάνῃ κατακρίσεως, εἴτις ἐπιχειρήσοι ὑπεναντία τοῖς παρ᾽ ἡμῶν εὐσεβῶς διατυπωθεῖσι παραδοῦναι ἢ διδάξαι ἢ γράψαι, εἰ μὲν Ἐπίσκοπος εἴη, ἢ ἐν κλήρῳ ἀναφερόμενος, ὁ τοιοῦτος ἀλλότρια ἱερέων καὶ τῆς ἐκκλησιαστικῆς καταστάσεως πράττων, γυμνωθήσεται τῆς ἐπισκοπῆς ἢ τοῦ κλήρου· εἰ δὲ μοναχὸς ἢ λαϊκὸς, ἀναθεματισθήσεται.

Εὐτύχιος ἐλέῳ Θεοῦ Ἐπίσκοπος Κωνσταντινουπόλεως νέας Ῥώμης ἐψηφισάμην τὰ προκείμενα, καὶ ὁμολογῶ, οὕτως ἔχειν, ὡς πάντα τὰ προγεγραμμένα κεφάλαιά τε καὶ δόγματα περιέχει, καὶ δεχόμενος τὰς ἁγίας τέσσαρας συνόδους, τουτέστι τὴν ἐν Νικαίᾳ, καὶ τὴν ἐν Κωνσταντινουπόλει, καὶ τὴν ἐν Ἐφέσῳ τὸ πρότερον, καὶ τὴν ἐν Χαλκηδόνι, καὶ τὰ παρ᾽ αὐτῶν περὶ τῆς μιᾶς καὶ τῆς αὐτῆς πίστεως ὁρισθέντα, καὶ πᾶσι τούτοις ἐμμένων, καθὼς προγέγραπται, κατακρίνω καὶ ἀναθεματίζω πρὸς τοῖς ἄλλοις αἱρετικοῖς καὶ τοῖς ἀσεβέσιν αὐτῶν συγγράμμασι Θεόδωρον τὸν ἀσεβῆ τὸν Μομψουεστίας γενόμενον Ἐπίσκοπον, μετὰ τῶν ἀσεβῶν αὐτῶν συγγραμμάτων, καὶ πάντα τὰ ἀσεβῶς συγγραφέντα Θεοδωρήτῳ, καθὰ προείρηται, καὶ τὴν ἀσεβῆ Ἐπιστολὴν τὴν λεγομένην Ἴβα, καὶ τοὺς τὰ ὅμοια τούτοις φρονήσαντας ἢ φρονοῦντας, καὶ ὑπέγραψα.

Ἀπολινάριος ἐλέῳ Θεοῦ Ἐπίσκοπος Ἀλεξανδρείας.

Δομνῖνος ἐλέῳ Θεοῦ Ἐπίσκοπος τῆς Θεουπολιτῶν.

Ὁμοίως καὶ οἱ λοιποὶ Ἐπίσκοποι ὑπέγραψαν.

STEPHANI BALUZII TUTELENSIS
Notæ ad Dissertationem de Epistola Vigilii.

Vigilii & Eutychii epistolas ac Quintæ Synodi anathematismos, quibus Græce primam lucem dedit immortalis memoriæ vir, Petrus de Marca, Archiepiscopus Parisiensis, rursum edere cum instituissem, illud mihi in primis faciundum putavi, ut singula conferrem cum veteri codice MS. unde edita fuerunt, qui numero MXXVI. notatus reperitur in Bibliotheca regia. Ea enim fuit libri istius & nonnullarum præterea aliarum illustrissimi Archiepiscopi lucubrationum deploranda calamitas, ut in librarios & correctores inciderint incuriosos & temerarios, quorum industria effectum est, ut easdem lucubrationes habeamus corruptissimas ac depravatissimas, adeo ut nostra opera omnino indigere videantur, ut repurgentur. Feci autem tanta cura ac diligentia, & cum tanto veri amore, ut nihil reliquum fecisse me putem scrupulosioribus ingeniis in hac quidem parte. Nam & Græca sic contuli cum codice regio, ut etiam syllabæ ad vivum excuterentur, & in id summa ope elaboravi, ut illustrissimi viri Dissertatio ad epistolam Vigilii emendatissima nunc prodiret.

Pag. 1. *Leone Cinnomo*) Testimonium Leonis Cinnomi, quod ipse posuit in calce codicis imperatoriæ bibliothecæ, qui nunc est regius, visum est heic referre, ne quis de fide & auctoritate manuscripti codicis dubitari possit. Nam illustrissimus Archiepiscopus non retulit verba Leonis, sed sensum tantummodo. Sic ergo loquitur ille in codice regio: τὸ παρὸν βιβλίον γέγραπται διὰ χειρὸς ἐμοῦ Λέοντος τοῦ Κιννάμου, τελειωθὲν σὺν Θεῷ Μηνὶ Μαρτίῳ ιδ΄. Σελήνης δ΄. ἡμέρα Ἑβδόμη, ἔτους ϛψπδ΄. ἐπὶ τῆς βασιλείας τῶν εὐσεβεστάτων καὶ πιστοτάτων καὶ ἐκ Θεοῦ ἐστεμμένων μεγάλων βασιλέων ἡμῶν, τοῦτε Κυρίου Μιχαὴλ Δούκα Ἀγγέλου Κομνηνοῦ τοῦ Παλαιολόγου καὶ νέου Κωνσταντίνου καὶ Θεοδώρας τῆς εὐσεβεστάτης Αὐγούστης, καὶ τοῦ Κυρίου Ἀνδρονίκου Κομνηνοῦ τοῦ Παλαιολόγου, καὶ Ἄννης τῆς εὐσεβεστάτης Αὐγούστης καὶ ἀνατετέθη ἐν τῇ βασιλικῇ βιβλιοθήκῃ. μετεγράφη δὲ ἀπὸ βιβλίου εὑρεθέντος ἐν τῇ παλαιᾷ βιβλιοθήκῃ τῆς ἁγίας Ἐκκλησίας τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης. ὅπερ βιβλίον ἐγράφη καὶ αὐτὸ ἐν ἔτει ϛσξζ. ὡς ἀριθμεῖσθαι τοὺς Χρόνους τοῦ τοιούτου βιβλίου ἄχρι τοῦ παρόντος, ιζ΄. πρὸς τοῖς πεντακοσίοις. Ait igitur Leo Cinnomus, hunc codicem sua manu scriptum esse ac perfectum die XIV. mensis Martii, Lunæ quartæ die septima, anno sexies millesimo septingentesimo octuagesimo quarto imperantibus Michaele Duca Angelo Comneno Palæologo, Theodora Augusta, Andronico Comneno Palæologo, & Anna Augusta. Testatur deinde, librum hunc, a se sic descriptum, in bibliotheca imperatoria repositum esse: descriptum vero fuisse ex codice, invento in veteri bibliotheca Ecclesiæ senioris Romæ, scripto anno sexies millesimo ducentesimo sexagesimo septimo. *Ætas itaque*, inquit, *libri illius ab initio usque ad hæc tempora est annorum quingentorum septendecim.* Leonem hunc Cinnomum, qui codicem istum descripsit, Græcum hominem fuisse, manifestum est. Venerat autem fortassis Romam anno MCCLXXIV. cum Legatis, quos ad Gregorium X. pro unione Ecclesiarum misit Imperator Michael Palæologus; eaque occasione favorabili usus homo bonarum rerum studiosus, cum in codicem illum incidisset, describendi illius potestatem sibi fieri postulavit. Vide Odoricum Raynaldum ad an. 1274. §. 14. & seqq. 1276. §. 45. 1277. §. 20.

Hiberniæ Episcopos) Falsam esse inscriptionem Pag. 7.
epistolæ sancti Gregorii, in qua, sicut in ista, habetur, illam scriptam esse ad Episcopos Hiberniæ, probat illustrissimus Archiepiscopus in Notis ad Concilium Claromontanum, quæ in isto codice editæ sunt in fine Dissertationis de Primatibus. Scio, omnes editiones & libros manu scriptos habere *Hiberniæ*. Sed non ideo minus certa est emendatio. Jam enim alibi observavimus ex Rigaltio, etiam veterum librorum fide falsissimas lectiones afferi.

Itaque

Itaque epiſtolæ illæ ſancti Gregorii ſcriptæ fuerunt ad Epiſcopos Iberos in finibus Ponti ſitos, in ea regione, quæ nunc Georgia dicitur.

Pag. 43. *Epiſtola Vigilii.*) Primum locum huic epiſtolæ tribuimus; quia illa fuit iſtius Diſſertationis cauſa & occaſio, & quia illuſtriſſimus Archiepiſcopus eam in fronte editionis ſuæ poſuit, procul a reliquis epiſtolis & anathematiſmi in hoc libro editis. Nam ſi temporum & vetuſti codicis ordinem ſequeremur, quæ heic antecedit epiſtola Vigilii, poſteriore loco edenda fuiſſet. Etenim in codice regio, cum iſta deſcribuntur, ſub hoc titulo omnia colliguntur: ἐκ τῶν ὑπομνημάτων τῆς ἁγίας οἰκουμενικῆς πέμπτης συνόδου. *Ex actis ſanctæ œcumenicæ Quintæ Synodi.* Tum primo loco deſcribitur epiſtola Eutychii ad Vigilium, deinde iſtius reſponſoria ad epiſtolam Eutychii, tertio loco anathematiſmi Quintæ Synodi, tandem vero epiſtola iſta Vigilii ad Eutychium. In fine vero hæc adduntur, quæ docet, ut ſupra pag. 26. obſervatum eſt ab illuſtriſſimo Archiepiſcopo, hac epiſtola finem imponi Actis Quintæ Synodi: τέλος βιβλίου η' τῆς ἁγίας συνόδου τῆς ἐν Κωνσταντινουπόλει συναχθείσης. *Finis libri octavi ſanctæ ſynodi, quæ Conſtantinopoli coacta eſt.*

Pag. 45. Καθολικῆς) In prima editione poſt vocem iſtam addita erat vox Ἐκκλησίας; quam, quia non extat in codice regio, non ſuſtulimus. Et certe nemo non videt, heic agi de Eccleſia. Sed apud Latinos quoque, cum legimus, aliquos cum catholica ſentire vel ad catholicam reverſos, ſtatim intelligimus Eccleſiam.

Pag. 50. Τὸν Θεὸν Λόγον) Sic prorſus habet codex regius. Itaque operarum & correctorum incuria factum eſt, ut in prima editione, pro Θεὸν, irrepſerit vox Χριστὸν, quam nos mutavimus.

Pag. 51. Τὰ ἐν οἷς) Ita codex regius. Neſcio autem, quo modo factum ſit, ut in prima editione irrepſerit hoc loco vox προειρημένα. Nam ſic editus antea eſt hic locus: τὰ προειρημένα ἐν οἷς.

Pag. 52. Ἀκολουθοῦντας) Antea legebatur κατακολουθοῦντας, eodem ſenſu. Sed religio fuit diſcedere a ſcriptura vetuſti codicis.

Pag. 54. Εὐτυχίου Ἀρχιεπισκόπου) Titulus hic nunc primum additus eſt ex codice regio. Porro addidimus etiam verſionem Latinam ſequentium epiſtolarum & anathematiſmorum, quam deſcripſimus ex Actis editis Quintæ Synodi. Nam illuſtriſſimus Archiepiſcopus Græca tantum dederat, monito interim lectorem, Latinam verſionem extare in eiſdem Actis.

Pag. 55. Ἁγίων Πατέρων) Alias Ἁγίους Πατέρας.

Pag. 69. Καὶ συνηθῆναι) Hæ duæ voces exciderant in alia editione, quæ nunc reſtituuntur ex codice regio.

Pag. 76. Θεοδώρου) Heic admonere ſufficiat, in codice MS. heic & paulo poſt pro Theodori nomine ſcriptum eſſe nomen Theodoreti. Perperam ſane. Itaque nihil mutare voluimus.

NOTÆ AD CANONES I. II. VII. ET XXVIII. CONCILII CLAROMONTANI.

Decreta ſynodi Claromontanæ non extant integra, ſed eorum excerpta tantum, quæ deſumpta ſunt ex codice antiquo Atrebatenſis Eccleſiæ. Decretum enim, quo vetitæ ſunt altarium redemptiones, nondum prodiit in lucem. Quinetiam nec decretum illud, quo altaria confirmantur monaſteriis, ſi ea per annos triginta poſſederint. Nec aliud decretum, quo ſpoliatus ante omnia in poſſeſſionem reſtituendus eſt, de quo Goffridus Vindocinenſis libro II. epiſt. XXIX. & XXX. *Novimus, qui præſentes eramus, Dominum Papam Urbanum in Arvernenſi Concilio ſuper hoc definitam & ab omnibus, qui aderant, Epiſcopis & Abbatibus laudatam dediſſe ſententiam, ut quicunque ſine judicio & vocatione exſpoliarentur, etiam ſine judicio & vocatione inveſtirentur.* Deeſt quoque canon, latus de tuitione eorum, qui profectionem ultramarinam ſuſcipiebant, qui eſt apud Domnizonem, & alii aliquot, quos Gratianus recitat ex ſynodo Arvernenſi. In illis vero excerptis ipſa canonum ſententia mutilata eſt, ut patebit ſtatim ex canone primo, collato cum Orderici Vitalis teſtimonio. Sane gravis eſt jactura horum canonum; qui tanti momenti erant, ut rerum ea tempeſtate, etiam poſt decreta Gregorii VII. controverſarum definitionem continerent. Unde magna deinceps in Eccleſiam facta eſt auctoritatis & divitiarum acceſſio. Principibus ademptæ epiſcopatuum & abbatiarum inveſtituræ, & prohibitum ligiæ fidelitatis ſacramentum, quod antea a ſacerdotibus præſtabatur, Eccleſiam in antiquam libertatem aſſeruerunt. Sed ablatus laicis decimarum, altarium, eccleſiaſticorum beneficiorum uſus, quo illi veterum Principum indulgentia & ſynodorum conſenſu ab aliquot ſeculis potiebantur, collapſas Eccleſiæ facultates in integrum reſtituit. Honeſtati quoque Clericorum cautum eſt, præſcripta unicuique miniſterio ſua ordinatione, vetitis præbendarum mercimoniis, neve in plures conferantur, cœlibatu indicto Clericis, eorumque filiis ab honore eccleſiaſtico depulſis. Non omiſſa quoque eſt populi emendatio, correptis facinoroſis, damnatis fictis pœnitentiis, ſtatiſque jejuniis recte conſtitutis. Inter cetera vero in id quoque ſynodus incubuit, ut tranquillitati hominum, quantum ratio temporum patiebatur, ſolicite proſpiceret, confirmata quotidiana pace, quæ Clericis indulta erat, ſancitiſque certorum dierum induciis, quæ laicis erant conceſſæ. Indulgentiam quoque pœnitentiarum fecit iis, qui Hieroſolymitanæ expeditioni ſe accingebant, impenſa quoque illis bonorum tuitione. Quæ duo ultima canone primo & ſecundo ejus Concilii comprehenduntur. Canone autem ſeptimo de altaribus & perſonis, & vigeſimo octavo de ſumptione Euchariſtiæ agitur, iis verbis, quæ interpretationem deſiderant. De quatuor iſtis canonibus pauca quædam annotabo, ceterorum explicatione in eas diſſertationes rejecta, quas de bonis eccleſiaſticis & beneficiorum origine me propediem editurum, ſpopondi. Sed præſtat, ante omnia canonum hujus Concilii compendium ex Orderico Vitali proponere; qui ſcriptor ſeculo undecimo ineunte floruit. Ejus hæc ſunt verba, lib. IX. hiſtoriæ eccleſiaſticæ, ad annum MXCV. *Eodem anno, Indictione IV. menſe Novembri, præfatus Papa omnes Epiſcopos Galliæ & Hiſpaniæ congregavit, & apud Clarummontem Alverniæ urbem, quæ antiquitus Arvernis dicta eſt, concilium ingens tenuit. Multa vero, quæ cis Alpes agebantur, correxit, & multa ad emendationem morum utilia conſtituit. In Synodo Arvernenſi tredecim fuerunt Archiepiſcopi, & ducenti & viginti quinque Epiſcopi, cum multitudine Abbatum aliarumque perſonarum, quibus a Deo ſanctarum cura delegata ſunt Eccleſiarum. Decreta vero Concilii apud Clarummontem habiti ſunt hujuſcemodi.*

Eccleſia ſit catholica, caſta, & libera, catholica in fide & communione ſanctorum, caſta ab omni contagione malitiæ, & libera ab omni ſeculari poteſtate.

Epiſcopi, vel Abbates, aut aliquis de clero, aliquam eccleſiaſticam dignitatem de manu Principum vel quorumlibet laicorum non accipiant. Clerici in duabus civitatibus vel Eccleſiis prælationes ſeu præbendas non habeant.

Nemo Epiſcopus & Abbas ſimul ſit.

Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, vel Canonicus cujuslibet ordinis, carnali commercio non utatur.

Presbyter, Diaconus, Subdiaconus poſt lapſum non miniſtret.

Eccleſiaſticæ dignitates vel canonicæ a nullo vendantur, vel emantur. Illis tantum, qui ignorantes Canonum auctoritatem, vel fuiſſe prohibitum, canoni-

Decreta illa edita ſunt in Additione ad librum VI. de concordia ſac. & imp. cap. 51.

Marca, Diſſert. Eccl.

cas emerunt, indultum sit. Illis vero, qui scienter a se vel a parentibus emptas possident, auferantur.

Nemo laicorum post acceptos cineres in capite jejunii usque ad Pascha carnem comedat,

Omni tempore primum jejunium quatuor temporum prima hebdomada Quadragesimæ celebretur.

Ordines omni tempore aut in vespera sabbati, aut, perseverante jejunio, Dominica celebrentur.

In sabbato Paschæ officium nonnisi post solis occasum finiatur.

Jejunium secundum semper in hebdomade Pentecostes celebretur, & ab Adventu Domini usque ad octavas Epiphaniæ, & a Septuagesima usque ad octavas Paschæ, & a prima die Rogationum usque ad octavas Pentecostes; & omni tempore, a quarta feria, occidente sole, usque ad secundam feriam oriente sole, trevia Dei custodiatur.

Qui Episcopum ceperit, omnino exlex habeatur.

Qui monachos, vel clericos, vel sanctimoniales, & eorum comites ceperit, vel exspoliaverit, anathema sit.

Qui Episcoporum morientium bona vel Clericorum disruperit, anathema sit.

Qui usque ad septimam generationem consanguinitati se copulaverit, anathema sit.

Nemo in Episcopum eligatur, nisi aut Presbyter aut Diaconus aut Subdiaconus, & cui dignitas natalium suffragetur; nisi maxima necessitate, & licentia Summi Pontificis.

Filii Presbyterorum vel concubinarum ad Presbyteratum non provehantur, nisi prius ad religiosam vitam transierint.

Qui ad Ecclesiam vel ad crucem confugerit, si reus est, data impunitate vitæ vel membrorum, justitiæ reddatur; si innocens, liberetur.

Corpus dominicum & sanguis dominicus singulatim accipiatur.

Unaquæque Ecclesia decimas suas habeat, & non in alterius Ecclesiis jus quolibet dante transeat.

Laicus decimas nec vendat nec retineat.

Pro sepultura mortuorum pactum pretium non exigatur aut detur.

Nullus Principum laicorum Capellanum habeat, nisi ab Episcopo datum. Quod si in aliquo offenderit, ab Episcopo corrigatur, & alter subrogetur.

AD CANONEM PRIMUM.

Pacis & induciarum, de quibus hic agitur, copiosa satis, necdum ab aliquo tentata, explicatio peti potest ex libro quarto Dissertationum nostrarum de concordia sacerdotii & imperii caput XIV. unde exscripta sunt, quæ sequuntur. ,, Bella privata, quæ pondere & pudore legum comprimebantur, Romanis rempublicam tenentibus, per Gallias & ceteras Europæ regiones grassata sunt, cum duris exterarum nationum moribus ferrum lentis fori ambagibus successit, & juri publico aperta privatorum injuria. Tunc enim quisque suam suorumve injuriam non in jure coram judice sed ferro manuque persequebatur; adeo ut, etsi his inimicitiis, quas *faidas* vocabant, & leges Longobardorum & Capitularia Regum modum præscriberent, tamen ingravescente in dies morbo, cædibus, deprædationibus, & incendiis respublica fœdissime vastaretur. His incommodis prospicere Gallicani Episcopi curarunt, non extincto quidem nefando illo bellorum privatorum usu, sed represso, per inducias, quæ aliquot dies otiosos a cædibus redderent sacratosque religionis prætextu. Anno MXXXIV. Episcopi & proceres provinciarum in Aquitania primum, deinde per reliquas Gallias, decreto suo privatis bellis inducias indixerunt sub nomine *treugæ Domini*, a Mercurii suprema die usque ad diluculum diei Lunæ subsequentis; ea lege, ut nemo ab inimico ultionem exigeret, nemo prædaretur, nec etiam a fidejussore pignus tolleret; pœna capitis, aut exilio, & excommunicatione in rebelles irrogatis. Rodulphus Glaber meminit hujus institutionis; quam cetera quidem apertissimis verbis descripsit; sed pignus ablatum e domo fidejussoris *vadimonium* vocat Latina dictione, quamvis significatione barbara. Quod fraudi fuit illustrissimo annalium ecclesiasticorum conditori, qui de strepitu fori hoc agi putavit, & de privatis dissensionibus; quas, si justæ sint, unaquaque die persequi liberum esse, ait, vel deferere necessarium, si fuerint injustæ; hocque nomine Gallicanos Episcopos traducit. A qua reprehensione sine dubio temperasset, si confirmatas a quatuor Conciliis generalibus has inducias animadvertisset, & relatas in librum Decretalium sub titulo *De treuga & pace*; cujus usum & glossa & juris canonici interpretes abrogatum esse ajunt, hacque sola observatione se curiosis antiquitatum indagatoribus satisfecisse putant. Bella isthæc privata nec legibus probata erant, nec omnino damnata. Imo vero, si provocatio vel potius, ut illius seculi verbo utar, si *diffidatio* præcessisset, pro jure constituto habebantur, ita, ut in adversarium cæde, prædis, & incendiis grassari liceret, ut docent Ivo, Friderici I. & Conradi leges. A quibus bellorum injuriis abstinendum erat diebus Jovis, Veneris, Sabbati, & Dominica, quos sub finem vitæ præcipuis salutis nostræ mysteriis Dominus consecravit.

Decretæ autem fuerunt induciæ istiusmodi, non solum ab Episcopis, sed etiam a proceribus cujusque diœceseos, ut diserte docent Glaber & Ivo; ut patet ex treugæ istius constitutione, quæ lata est in Anglia & Normannia ex consensu Episcoporum & Baronum a Guilielmo I. Rege anno MLXXX. apud Ordericum Vitalem, & a Raimundo Berengario Comite in Barcinonensi comitatu anno millesimo sexagesimo. Recepta sunt & amplificata isthæc decreta a Concilio Claromontano sub Urbano II. anno millesimo nonagesimo quinto, a Romano sub Paschali II. anno millesimo centesimo secundo, a Lateranensi sub Innocentio II. anno millesimo centesimo trigesimo nono, & ab altero Lateranensi sub Alexandro III. anno millesimo centesimo octuagesimo. Hoc solum discrimen interest inter primam induciarum institutionem & confirmationem, quod a Conciliis festi dies quamplurimi quatuor illis singularum hebdomadarum diebus adjecti fuerint, & a Concilio Lateranensi sub Innocentio II. incendiorum devastatio prohibita. Observandum vero, *pacem & treugam* dici hanc a belli privatis feriationem, quod ratione Clericorum omnium, peregrinorum, mercatorum, agricolarum cum bobus aratoriis, dominarum cum sociis suis inermibus, mulierum omnium, rerum ad Clericos monachosque pertinentium, & molendinorum, *pax* ista omni tempore indulta esset, ratione ceterorum, *treuga* tantum, id est, induciæ aliquot dierum. Sane fatendum est, excommunicatione mulctatos fuisse pacis & treugæ violatores, & ad resarciendum damnum læso coactos. Sed Episcopi & Comitis hæc erat cognitio, ceterorumque Baronum: qui tamen, si cessarent a persequendo armis raptore, excommunicationibus & interdictis ad officium, quo se obstrinxerant, adigebantur; ut vice versa eis, qui contra pacis perturbatores decertarent, duorum annorum pœnitentia indulgebatur aut plurium, ad arbitrium Episcopi, pro modo laboris. Si raptores istos, pacisque violatores, ab utraque potestate proscriptos, occidi contingeret a quoquam privato, *zelo justitiæ*, non homicidii pœna canonica & ordinaria, sed leviori & remissiori satisfactione culpam illam diluendam, docet

De Faidis vide gloss. Lindembrochii & Spelmanni. R. P. Jac. Sirm. ad capit. Caroli Calvi.

Glaber. lib. 5. cap. 1.

Cardinalis Baron. ad annum 1034. §.6. & 7.

Ivo epist. 175. Fridericus apud Abbatem Ursperg. Conradus c.10. Bullæ Aureæ.

„ docet Urbanus secundus; qui de hoc solo genere excommunicatorum intelligendus est, non autem de omnibus excommunicatis, ut quidam sibi male feriati persuaserunt. Cujus interpretationis eo lubentius hic memini, quod ea levari posse mihi videatur invidia, quæ ob textum hunc male intellectum creari solet adversus Summos Pontifices.

„ Sed hæc omnia trahi non possunt ad bella publica, quæ a Regibus, ut res suas repetant, aut reipublicæ injuriam illatam ulciscantur, indici solent. Etenim belli gerendi potestas, quæ a Deo Regibus collata est in veteri instrumento, & in Principes Romanos disertis verbis lege regia translata, Reges liberos præstat ab excommunicatione, quæ in deprædatores & alienorum bonorum invasores a canonibus irrogatur. Quia excommunicationi locus non est, etiam in privatis personis, nisi cum de crimine manifesto & aperto agitur, non autem cum dubitatur de crimine; ut docuit olim Hincmarus ex Augustino. Porro sola belli a Principe indicti ratio id saltem obtinere debet, ut justitia niti præsumatur; præcipue cum regia dignitas in munere regio exercendo nullius judicio sit obnoxia, sed soli divino numini se submittat. Quare in ipsa pacis & treugæ promulgatione jura Principum conceptis verbis excipiuntur; ut patet ex indictione pacis & treugæ a Guilielmo Archiepiscopo Auscitano, Legato sedis apostolicæ post Concilium Romanum anno MCII. publicata. *Principibus autem & dominis terrarum jura sua & consuetudines non contradicimus in terris suis.* Deinde pacis illius infractæ cognitio Episcopis commissa erat de Comitum & diœcesanorum consensu, quæ ex pactis conventis legem accipere debet, ut scriptis Ivo Cononi Legato; imo & Comitibus Baronibusque diœceseos pars illius cognitionis competebat. Quæ omnia cum bellis publicis comparata discrimen apertum inter utraque constituunt.

Hactenus ex libro dissertationum nostrarum.

Guilielmi Legati literas, quibus pacem & treugam post Concilium Romanum indixit anno millesimo centesimo secundo, ex manuscripto codice Lascurrensis Capituli a nobis in historia Benearnensi editas hic adjici curavimus ad uberiorem hujus rei interpretationem.

GUilielmus *Dei gratia Auscitanus Archiepiscopus, sedis apostolicæ Legatus, carissimis in Christo fratribus, venerabilibus Episcopis aliisque Ecclesiarum Prælatis, & dilectis filiis Comitibus, Vicecomitibus, aliisque Baronibus, universo quoque clero & populo per Auscitanam provinciam constituto, salutem & benedictionem. Cum ex officii nostri debito teneamur universis fidelibus, curæ nostræ commissis, salubri dispositione providere, nunc præsertim urgente apostolici mandati auctoritate, ad quem spectat, totius populi profectibus invigilare, oportet nos super bono pacis & treugæ Dei subditis nostris propensiorem curam impendere. Inde est, quod juxta statuta generalis Concilii, Romæ nuper celebrati, pacem & treugam DEI in provincia nostra ex parte DEI & Domini Papæ & nostra ab omnibus inconcusse & inviolabiliter præcipimus observari. Forma pacis & treugæ Dei talis est. Treugas a quarta feria post occasum solis usque ad secundam feriam post ortum solis, & ab adventu Domini usque ad octavas Epiphaniæ, & a Septuagesima usque ad octavas Paschæ, ab omnibus inviolabiliter observari præcipimus. Si quis autem treugam violare tentaverit, post commonitionem factam si non satisfecerit, Princeps suus & Episcopus cum clero & populo cogant eum injuriam pacis satisfacere ad arbitrium Episcopi & Principis sui & aliorum vicinorum Baronum. Quod si Princeps seu Barones vel populus dissimulaverint, tam Princeps quam Barones excommunicentur, & tota terra eorum interdicto subjiciatur, omni privilegio personæ & Ecclesiæ cessante. His vero temporibus, & omnibus festis beatæ Mariæ, cum præcedenti die & subsequenti, sancti quoque Joannis Baptistæ & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & a vigilia Pentecostes usque ad octavas, & omnium sanctorum festo, omnia pacem & securitatem habebunt. Omni vero tempore perpetua pace & securitate gaudebunt Canonici, Monachi, Presbyteri, Clerici, & omnes religiosæ personæ, conversi, peregrini, mercatores, rustici euntes & redeuntes, & in agricultura existentes, & animalia, quibus arant, & quæ semen portant ad agrum, dominæ cum sociis suis inermibus, & omnes fœminæ, & omnes res Clericorum & religiosorum ubique, & molendina. Principibus autem & dominis terrarum jura & consuetudines non contradicimus in terris suis. Ecclesiæ salvitatem habeant XXX. passuum circumcirca, monasteria vero LX. Hæc vero, ut firmius observentur, Comites, Vicecomites, Barones, universum quoque clerum, in præsentia Episcoporum, populum in præsentia Clericorum, a septem annis & supra jusjurandum præstare præcipimus. Forma juramenti talis est. Jurabunt, se pacem & treugam Dei juxta præscriptum tenorem observaturos, & violatores pacis & treugæ Dei persecuturos, & quod de rapina nihil scienter emant. Quod si quis huic decreto contraire tentaverit in non jurando, vel in non persequendo, seu in conductitias gentes vel raptores tenendo, aut favendo, vel rapinam emendo, Princeps illius terræ & tota ejus terra, nisi debitam vindictam exequatur, omni interdicto & excommunicationi subjiciatur, omni privilegio personæ & Ecclesiæ cessante. Excommunicati non salutentur, non tondeantur capita eis, non abluantur, in mappa non comedant, neque ad aliam communionem Christianam recipiantur, præter baptisma parvulorum & pœnitentias in fine. Princeps autem & cuncti fideles nostris obedientes mandatis, qui bonum pacis ope & consilio suo foverint, & præsertim contra conductitias & pestilentes gentes, si in vera pœnitentia in hoc Dei servitio decesserint, auctoritate Dei & Domini Papæ & Ecclesiæ universalis omnium peccatorum suorum indulgentiam & fructum mercedis æternæ se non dubitent habituros. Ceteris vero, qui contra eos arma susceperint, & ad Episcoporum sive aliorum Prælatorum consilium ad eos decertaverint expugnandos, biennium de injuncta pœnitentia relaxamus; aut si longiorem ibi moram habuerint, Episcoporum discretioni, quibus hujus rei cura fuerit injuncta, committimus, ut ad eorum arbitrium major eis indulgentia tribuatur. Illos autem, qui admonitioni Episcoporum in hujusmodi parere contempserint, a perceptione corporis & sanguinis Domini jubemus fieri alienos. Episcopi vero, sive Presbyteri, qui talibus fortiter non restiterint, officii sui suspensione mulctentur, donec apostolicæ sedis misericordiam obtinuerint.*

Alienum quoque non erit, Alexandri III. decretalem epistolam nondum editam superioribus adjungere; quæ pacem in omni tempore, nulla dierum neque personarum adhibita distinctione constitutam in Ruthenensi diœcesi ab Episcopo & Comite ex sententia totius cleri & procerum illius provinciæ, confirmat; laudato etiam illorum consilio, de pecuniis in eam rem conferendis, tam a Clericis & monachis, quam a laicis, pro modo facultatum. Quæ pensitatio, *commune* dicta, etiamnum hodie fisco regio contribuitur.

Alexander *Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Hugoni Ruthenensi Episcopo salutem & apostolicam benedictionem. Quoties ea, quæ ad pacem pertinent, postulantur a sede apostolica confirmari, tanto super iis benigniorem assensum nos convenit adhibere, quanto ex bono pacis plura commoda & gratiora singulis proveniunt incrementa. Ex quodam siquidem rescripto, a tua nobis fraternitate transmisso, ad audientiam nostram pervenit, quod tu, habito consilio Abbatum, Præpositorum &* Ar-

Marca, Differt. Eccl.

Archidiaconorum tuorum, & Baronum terræ, cum nobili viro Hugone fratre tuo Comite Ruthenæ, hujusmodi pacem & concordiam statuisti. Quod omnes res mobiles & immobiles, & omnes homines, tam Clerici, quam laici, in omni tempore sint sub ea pace securi. Nec ulli liceat, præter armatos milites & clientes, qualibet arma ferre, nec nisi milites enses solummodo & clientes singulos baculos ferant: qui pacis, sicut ceteri, debent securitate gaudere. Et præter eos, qui hanc pacem, sicut statuta est, noluerint firmare & inviolabiliter observare, sicut de iis licet, qui publice perjurant, vel fidem mentiuntur pro manifesto debito, seu pro cognita fidejussione, de rebus eorum pignorandis licentia non denegetur; vobis tamen exceptis. Ad hujusmodi vero pacis & securitatis sustentationem & defensionem statutum est, ut Abbates, Archidiaconi, Archipresbyteri, Monachi, Canonici, Priores, & omnes Clerici, qui proprias Ecclesias regunt, milites quoque, & mercatores, atque burgenses, qui facultatibus abundaverint, & omnes etiam homines, tam Clerici, quam laici, qui habuerint par boum seu aliorum animalium, cum quibus arare possint, sive amplius habuerint, vel qui habuerint summarium, equum scilicet vel equam, mulum vel mulam, quæ ad portanda onera locent, duodecim denarios Ruthenenses sive alios tantundem valentes donent. Cum vero habuerint ovile avium, dent pro eo sex denarios ejusdem monetæ vel alios æquivalentes. Totidem autem dabunt, qui habent unum bovem tantum vel aliud animal, cum quo valeant arare, sive asinum, quem possint locare. Clientes vero & artifices, scilicet fabri, sartores, pellixarii, & omnes operarii, aut sex, vel octo, sed duodecim denarios secundum suorum Capellanorum arbitrium dabunt. Ceteri vero homines, qui ligonibus terram fodiunt, & de labore suo vivunt, tres denarios dabunt. Verum si pater cum filiis, seu fratres, sive consanguinei fuerint, qui nondum sunt ab invicem separati, nec sunt res eorum divisæ, unus pro omnibus dabit. Alioqui solvat unusquisque pro se. Commune autem istud per singulas parochias debet reddi cum scripto unius parochianorum, quem Capellanus cum consilio sui Archipresbyteri & voluntate parochianorum elegerit. Et in die statuta ab ipso parochiano & Capellano cum eodem scripto ad Ruthenensem Ecclesiam deferatur. Quisquis vero res suas amiserit, postquam commune, sicut prædictum est, solverit, in integrum restituatur; si tamen certam personam, quæ res sibi ablatas habeat, vel locum, ubi sunt, poterit denuntiare; sin autem, minime. Si vero inimicos, villas, vel oppida deprædari vel diruere forte contigerit, res quidem mobiles emendabuntur de communi; sed damna rerum immobilium non restituentur, nisi quantum a malefactoribus poterit recuperari. Clerici vero, qui proprias Ecclesias non habent, nisi tantum par boum habuerint, non cogantur dare, si nolint: sed non dato communi, si forte res suas perdiderint, eis nequaquam emendabuntur. Additum est in prædicta pace, ut Capellani Ecclesiarum & omnes laici a quatuordecim annis & supra eandem pacem & commune juramento firmare debeant & observare. Qui vero in hoc obedire contempserint, debent ab Ecclesiæ liminibus coerceri & ab omni pace fieri alieni. Ecclesiæ quoque parochiarum, in quibus violatores pacis habitaverint, a divinis vacent officiis, donec ipsi ad emendationem venire cogantur. Quam siquidem pacis institutionem, quemadmodum a vobis facta est, & rescripto authentico roborata, firmam & ratam habemus, & eam apostolica auctoritate confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, statuentes, ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei aliquatenus contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli se noverit incursurum. Datum Verulis secundo Idus Maji, pontificatus nostri anno secundo.

AD CANONEM II.

Canonis secundi sententiam his verbis Ordericus Vitalis expressit, post relatam Urbani orationem, qua fideles ad ultramarinam expeditionem excitabat: *Providus vero Papa omnes, qui congrue arma ferre poterant ad bellum contra inimicos Dei excivit, & pœnitentes cunctos, ex illa hora, qua crucem Domini sumerent, ex auctoritate Dei ab omnibus peccatis suis absolvit, & ab omni gravedine, quæ fit in jejuniis aliisque macerationibus carnis, pie relaxavit. Consideravit enim perspicaciter vir prudens & benignus archiater, quod hi, qui peregre proficiscerentur, in via multis diutinisque discriminibus sæpissime vexarentur, & multimodis casibus lætis seu tristibus quotidie angerentur, pro quibus benivoli vernulæ Christi a cunctis culparum sordibus expiarentur.*

Præter eam indulgentiam, quæ in pœnitentiæ canonicæ commutatione versabatur, quæque in exemplum deinde tracta est ad profectiones Compostellaneas, ad bella cum Sarracenis in Hispaniis agenda, dein cum Albigensibus, postea cum Prussis & Lithuanis, concessa est quoque a Concilio Crucesignatis tuitio bonorum, quæ omittitur in excerptis canonum. Illius vero meminit Domnizo in vita Mathildis. Qua de re nos quoque diximus libro quarto Dissertationum cap. XV. his verbis: "Urbanus II. in Concilio Claromontano, cum pacem & treugam statuisset canone primo, eam canone sequenti ad eos, qui Hierosolymitanum iter aggrederentur extendit: *Item placuit omnia bona eorum, qui Hierosolymas pergunt, semper & ubique esse salva in pace & treuga, quousque redierint.* (Concilio Claromon. cap. 2.) Quare prætextu hujus tuitionis ecclesiasticæ, si qua de rebus ad Crucesignatos pertinentibus moveretur quæstio, Episcoporum erat cognitio; qui censuris invasores obstringebant, ut testatur Ivo; quamvis observet, novam esse institutionem de tuitione ecclesiastica, impendenda rebus militum, Hierosolymam proficiscentium. (Ivo epist. 173.) Hanc tuitionem confirmavit, adjecta quoque peccatorum remissione, Lateranense Concilium sub Callisto II. anno MCXXII. cap. XI. *Eis, qui Hierosolymam proficiscuntur, & ad Christianam gentem defendendam & tyrannidem infidelium debellandam efficaciter auxilium præbuerint, suorum peccatorum remissionem concedimus, & domos & familias atque omnia bona eorum in beati Petri & Romanæ Ecclesiæ protectionem, sicut a Domino nostro Papa Urbano statutum fuit, suscipimus. Quicunque ergo ea distrahere vel auferre, quamdiu in via illa morantur, præsumpserint, excommunicationis ultione plectantur.* Idem postea constitutum fuit a Gregorio Pontifice apud Neubrigensem, scilicet ut bona eorum, qui crucem acceperant, cum suis famulis, sub sanctæ Romanæ Ecclesiæ nec non Archiepiscoporum & Episcoporum atque aliorum Prælatorum Ecclesiæ protectione consistant. (Guil. Neubrig. lib. 3. hist. Anglic. cap. 21.) Quas constitutiones is effectus secutus est, ut plurimi se hujus profectionis gravissimo labori accingerent, quo se a creditorum vexatione liberarent, teste Wilielmo Tyrio. (Tyr. lib. 1. c. 16.) Hujus tuitionis & præsidii ecclesiastici auxilium imploravit Henricus III. Anglorum Rex, cum a Gastonis VIII. Domini Benearnensis copiis in Vasconia premeretur. Cum enim validissimam classem pararet, ex Anglia Burdigalam appulsurus, cruce assumpta transmarinum bellum in subsidium terræ sanctæ simulans, literas ab Innocentio VI. impetravit anno MCCLIII. quo in tuitionem Ecclesiæ Romanæ susciperetur, & ejus hostes excommunicatione & interdicto percellerentur a delegatis judicibus."

AD

AD CANONEM VII.

POst Caroli Martelli Ducis Francorum tempora, qui primus bona ecclesiastica militibus suis utenda permisit, Pipinus, Carolus, Ludovicus, & reliqui Gallorum Reges, licet pietate insignes, edictis suis & Episcoporum conniventia precariam eorum possessionem laicis hominibus confirmarunt. Tunc non solum fundi & villæ, sed etiam Ecclesiæ ipsæ in beneficium illis concessæ sunt. Ecclesiarum nomine oblationes, decimæ, aliique reditus data & concessa intelligebantur, ut patet ex veteribus actis. Tunc Ecclesiæ eo jure possessæ sunt, quo cetera beneficia sive feuda, adeo ut tandem in hæredes quoque transierint & expositæ sint hominum commercio. Ne tamen sacramentorum celebratio a laicis Ecclesiarum possessoribus pendere videretur, inducta est nova quædam verborum distinctio; ita, ut in una eademque domo pars una *Ecclesia* diceretur quoad laicorum jura, & *Altare* quoad juris spiritualis administrationem. Hanc observationem debemus Abboni Floriacensi, qui cæsus est anno millesimo tertio, in apologetico, quod scripsit ad Reges Hugonem & Robertum. Ejus hæc sunt verba relata ab Aimoino cap. VIII. de vita sancti Abbonis Floriacensis martyris. *Certe, carissimi Principes, nec catholice vivimus, nec catholice loquimur, quando illam Ecclesiam dico esse meam, ille alteram dicit esse suam, ac veluti quædam jumenta, comparati jumentis insipientibus, utrasque aliquando venales proponimus, propositasque ab aliis emere non formidamus. Est etiam alius error gravissimus, quo fertur, Altare esse Episcopi & Ecclesiam alterius cujuslibet domini; cum ex domo consecrata & Altari unum quoddam fiat, quod dicitur Ecclesia; sicut unus homo constat ex corpore & anima. Videte, æquissimi Principes, quo nos ducit cupiditas, dum refrigescit caritas.*

Vide Notas ad lib. Agobardi de dispensat. eccles. rer. cap. 15. & Notas ad Concilia Gall. Narbon. p. 10.

Quamplurimarum ejuscemodi possessionem Ecclesiarum a laicis abstulerunt repetitæ excommunicationum minæ in Synodis, habitis undecimo seculo, & præcipue sub Victore II. Gregorio VII. & Urbano II. Frequentes occurrunt eo tempore factæ a Principibus & nobilibus viris piæ donationes, vel etiam venditiones vili pretio, quibus *Ecclesiæ* hujus vel illius loci Episcopis, Capitulis, & monasteriis de novo conditis conferuntur; ut fidem faciunt universa ecclesiastica tabularia. Plerique vero laicorum, his excommunicationibus contumaces, ab antiquissima Ecclesiarum possessione discedere nolebant. Unde indictum est ab Innocentio II. & aliis Romanis Pontificibus, benigna quadam dispensatione, ut solam restitutionem oblationum urserint. Hinc laicis persuasum fuit, sibi liberum esse, ut decimarum proventus penes se retinerent. Quod confirmatum est aliquo pacto ab Alexandro III. in Lateranensi Concilio, vetita in posterum alienatione decimarum, unde in præteritum permisisse censetur. Ceterum collatæ in monasteria donationes Ecclesiarum, minus gratæ erant Episcopis, qui bona sua in alios transferri, iniquum esse ducebant. Itaque variis synodis & Romanorum Pontificum decretis prohibitum est, *ne ullus laicus decimas suas, aut Ecclesiam, aut quidquid ecclesiastici juris est, sine consensu Episcopi, vel Romani concessione Pontificis, monasteriis aut canonicis offerre præsumat*; ut verbis utar synodi Melfitanæ, sub Urbano II. anno MXC. quæ antiqua interdicta renovavit.

Ex necessitate consensus, lucri occasionem sumpserunt Episcopi quidam, certa pecuniæ summa sibi depensa, velut resarciendi damni colore, monasteriis permittentes, ut Vicarii quidam Altarium ministeria peragerent, monachi vero reditus Ecclesiarum perciperent, alimentis Vicario præbitis; ea tamen lege adjecta, ut, quandocunque Vicarius decederet, alter a monachis sufficeretur, eadem solutione pecuniæ erga Episcopum defunctis. Vicarii illi *Personæ* dicebantur trito nunc vocabulo; & solutiones illæ pecuniariæ, *Altarium redemptiones*. Quæ vox petita ex beneficiorum seu feudorum usu, in quibus invaluerat; ut domino certa pecunia penderetur pro nova investitura, quæ hæredi ultimi possessoris concedenda erat. Quod emolumentum *redemptionis* nomine Galli significabant, & hodie significant. Concessio autem Altarium dupliciter fiebat ab Episcopis, aut retenta penes se Altaris dispositione, ita ut mortuo Vicario liberum omnino esset Episcopo, indulgere monasteriis substitutionem Vicarii vel eam improbare, aut ita, ut perpetua esset penes monasteria Vicarios substituendi facultas, soluto redemptionis pretio, cedente quandocunque vel decedente Vicario.

Concessionum utriusque generis meminit hic canon septimus Claromontanus: *Ut altaria congregationibus Canonicorum vel monachorum, per Personas data, mortuis Personis libera redeant in manus Episcoporum, nisi fuerint illis per eorum scripta vel privilegia confirmata.* Itaque primo casu, obeunte Vicario, Altaria potestati liberæ Episcopi reddi debent; secundo autem casu, a monasteriis perpetuo retinentur per vicarios, seu mavis *per personatum*. Hujus ultimæ speciei exemplum peti potest ex literis Radbodi Noviomensis Episcopi datis anno MLXXXVIII. a quo Walterius Tornacensis impetrat, ut *Altare* de Werni, quod ipse *sub personatu tenebat*, Ecclesiæ fratribus perpetuo sub personatu tenendum Radbobus concederet, ea conditione adjecta, *ut in festo sanctorum Simonis & Judæ tunc proximo, ejusdem Altaris Persona Episcopo seu ejus Vicario decem solidos solvat. Persona vero mortua, seu quacunque occasione a personatu illo decedente, alia subrogetur persona, quæ in sua institutione decem similiter solidos solvat.* Ex his literis initium discimus pravæ illius consuetudinis, quæ monachorum & Canonichorum exemplo inducta est, scilicet ut Clerici quoque abstinentes a sacerdotio, per substitutas personas seu Vicarios Ecclesiis deservirent, & ad se traherent emolumenta, ut docet exemplum Tornacensis Episcopi. Suggillat hanc seculi sui corruptelam, quæ multitudini beneficiorum favebat, Joannes Sarisberiensis Policratici libro VII. cap. XVII. *Utique & insignis prudentiæ, si quis tot quocunque modo conquirit Altaria, ut quasi ritu Memphitico quotidianas hostias novis possit Altaribus immolare. Nolunt tamen sacerdotio onerari aut servire altario, qui de altario vivunt, ne, ut populus arguit, dicam, luxuriantur; sed personatus quosdam introduxerunt, quorum jure ad alium referuntur emolumenta.*

Quod autem attinet ad mentem Concilii Claromontensis, non satis liquido expressa est compendio illius canonis septimi. Duo enim præstitit, quæ ibi omittuntur. Vetuit Altarium sive Ecclesiarum redemptiones; ipsaque Altaria monasteriis confirmavit, si ea per triginta vel quadraginta annos possedissent. Primi capitis testem laudo Goffridum Vindocinensem libro III. epist. XII. *Redemptionem Ecclesiarum, quæ vulgari vocabulo Altaria nuncupantur, beatus vir ille* (Urbanus in Arvernensi Concilio, ut superius loquitur) *simoniacam pravitatem vocavit, & apostolica auctoritate damnavit.* Displicuerat hoc vitium Gregorio VII. qui Diensi Episcopo Legato suo interdicendum præceperat *illud commune malum pene totius terræ, videlicet, quod Altaria venduntur*, libro IV. epistola VII. Sed definitioni Concilii fraus deinde facta est ab Episcopis, qui annuo censu, licet levi, Ecclesias onerabant; sicque eveniebat, per singulos annos particulari solutione exigerent, quod per intervalla ex Vicariorum seu Personarum substitutione percipiebant. Acerbe exa-

be exagitat hanc fraudem Goffridus in superius laudata epistola, ad Episcopum Andegavensem data: *Nam si in pluribus annis non nisi semel per Vicarios pecunia pro Altaribus dabatur Episcopis, & pecuniam ipsam, apostolica auctoritate probatum sit, simoniam esse, singulis annis Episcopis pro Vicariis Altarium pecuniam dare, quid est aliud, quam pro plurimorum annorum simonia per annos singulos sub nomine annui census annuam simoniam exercere? Non est hoc doctrina Christianæ fidei, sed exactio pessima, quæ simoniam multiplicat, & sanctæ Ecclesiæ violat castitatem. Pecunia itaque pro Ecclesiis sub palliata cupiditate extorta, quæ redemptio Altarium dicitur, ab apostolica sede damnata, sive per Vicarios rarius, sive pro Vicariis frequentius, sub qualicunque nomine vel occasione extorqueatur, simoniaca pravitas esse nulla ratione dubitatur: illa tamen gravior, quæ sæpius agitur.* Mox: *Et ne ulterius de decreto Vicariorum dubitetis, illud vobis transcriptum mittimus.* Hunc Goffridi locum illustrat in Notis suis vir eruditione clarissimus Sirmondus, prolato Paschalis II. rescripto, ubi & decreti synodici fit mentio & alterius quoque fraudis ab Episcopis excogitatæ, qui mutato nomine, non pro Altarium, sed pro Personarum redemptione, a se pecuniam exigi, dicebant; id est, non ratione Altarium *per Vicarios*, sed *pro Vicariis*, ut loquitur Goffridus. Hæ sunt Pontificis literæ:

Paschalis Episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus Episcopis Ivoni Carnotensi & Ranulfo Santonensi salutem & apostolicam benedictionem. Juxta sanctorum canonum sanctiones non ignotum vobis esse credimus, quid ultionis maneat ecclesiastici ordinis viros, apostolicæ sedis decreta spernentes. Ipsi enim Arvernensi Concilio adfuistis; in quo præsidente prædecessore nostro bonæ memoriæ Papa Urbano, consentientibus Galliarum Episcopis, decretum est, ut Altaria, quæ ab annis triginta & sub Vicariorum redemptione monasteria possedisse noscuntur, quiete deinceps & sine molestia qualibet monasteriis ipsis firma permaneant. Vos autem huic simplicitati incongruas duplicitates innectitis, & Personarum redemptionem mutatis nominibus extorquere conamini. Verum oportet nos hujusmodi versutiis sinceritate veritatis Apostolicæ obviare. Præcipimus ergo, ut decretum illud omnino teneatur integrum, nec super illud quidquam ulterius pro eisdem Altaribus exigatis. Sane quod vobis dicimus, ceteris quoque Galliarum Episcopis erga suarum diœcesium monasteria præcipimus observandum. Datum Romæ secundo Idus Martii.

Ex hoc Paschalis rescripto non solum illud de Altarium redemptione, sed aliud quoque decreti Claromontani caput addiscimus, nempe ut Altaria, a monasteriis per triginta annos possessa, penes illos maneant. Idem docet Urbanus II. in epistola ad Laudunensem Episcopum, relata a Jureto in Notis ad epistolam duodecimam Ivonis: *Altaria, quæ per XL. seu XXX. annos monasteria possederunt, sicut in synodo constitutum est, immota eis permanere volumus.* Hinc factum, ut Balde- Annal. Noviomens. cap. LI. dericus Noviomensis Episcopus privilegio suo, dato anno MCIII. *in perpetuum* confirmaverit Ecclesiæ Jotrensi *Altaria, quæ sub personatu plusquam tricennali possessione tenuerat.* Diversum est a superiori decretum hujus synodi, quod extat apud Gratianum 16. *quæst.* 7. *cap.* 2. quo rerum ecclesiasticarum possessio a Clericis vel monachis acquisitarum, licet Episcopis inconsultis, non adjecta tricennalis temporis conditione, confirmatur; vetita tamen in posterum sine consensu Episcoporum harum rerum acquisitione. Huic prohibitioni adjecta est deinde pœna a Concilio Lateranensi sub Alexandro III. cap. VI. his verbis: *Ecclesias sane & decimas de manu laicorum sine consensu Episcoporum tam illos* (id est, fratri Templi) *quam quoscumque alios religiosos recipere prohibemus, dimissis etiam, quas contra tenorem istum moderno tempore receperunt.* Sed privilegia a Romanis Pontificibus indulta Capitulis & monasteriis libertas illis reddita est, acquirendi decimas a laicis, prius consulto Episcopo, licet renuente, cujus generis privilegiorum plurima extant rescripta in tabulariis ecclesiasticis, quarum concessionum jus apostolicæ sedi reservaverat Urbanus II. cap. V. Concilii Melfitani.

Ceterum ex decreto Synodi Claromontanæ illud consecuti sunt Canonici & monachi, ut Altarium sive Ecclesiarum quasi proprietas, adempta personarum substitutione, illis addicta sit absque ullius pensitationis onere. Attamen non inde sequitur, iis permissam fuisse Presbyterorum in Ecclesiis institutionem absque consensu Episcopi. Non enim ab officio liberati sunt, quod antiquis decretis Conciliorum illis impositum erat. Id egregie docet Balderici Noviomensis Episcopi prædictum privilegium, quo Altaria a personatu libera Jotrensi Ecclesiæ confirmat, ea lege, *ut synodalia jura, sicut antea, Episcopo vel ejus ministris solvant, & Presbyteri, qui junioratum ab Ecclesia Jotrensis Abbatissa susceperint, quoties alter alteri successerit, vel aliquo casu eos mutari oportuerit, ab Episcopo sive Archidiacono curam suscipiant.* Junioratus idem est ac ministerium, unde Juniores Ecclesiæ apud Gregorium Turonensem, voce deducta a militia. Itaque ad ministerium designatur Presbyter a Capitulo, sed regimen & auctoritatem ab Episcopo accipit. Quod jure Decretalium his verbis rite explicatur, præsentationem ad corpora illa pertinere, & ad Episcopos institutionem. His synodi Claromontanæ decretis tribui debet distinctio illa, quæ frequenter occurrit in tritura fori in Curatos & Parochos *primitivos*, quos vocant, & ordinarios seu Vicarios perpetuos. Unita namque Altarium quasi proprietate Capitulis canonicorum vel monachorum, ipsi sibi Parochorum nomen & dignitatem vindicant. Vicariis autem, quos offerunt, Episcopi curam animarum mandant. Eos Vicarios *perpetuos* esse, qui *congruentem habeant de Ecclesiæ proventibus portionem*, decrevit Concilium Lateranense sub Innocentio III. relatum cap. XXX. *De præbendis*. Proprios enim sacerdotes, & non conductitios, atque temporales, Ecclesiis præfici debere statuerunt Gregorius VII. Innocentius II. in synodo Romana, & Alexander III. in Concilio Turonensi.

AD CANONEM XXVIII.

Verba canonis prima fronte obscura videntur: *Ne quis de altari communicet, nisi corpus separatim & sanguinem similiter sumat, nisi per necessitatem, & per cautelam.* Nota, quæ adjecta est a Binio in margine, petita est ex annalibus illustrissimi Cardinalis Baronii, qui putavit, hoc decreto damnari hæresin Berengarianam in eo capite, quo docebat, satis esse, per unam speciem Eucharistiæ impleri figuram. Cui explicationi assentiri non possum; tum quia Berengario affingit, quæ nunquam ille professus est, neque sane ex hæreseos suæ principiis profiteri poterat; tum quia hac explicatione admissa, usus Ecclesiæ catholicæ in una specie porrigenda laicis non obscure hoc telo peti posset. Vera itaque & germana hujus loci interpretatio haurienda est ex scriptoribus hujus seculi undecimi, qui ea non dissimularunt, quæ in Eucharistiæ administratione vitiose fiebant a quibusdam disciplinæ ecclesiasticæ parum callentibus. Fidelibus enim Eucharistiam sanguine Domini intinctam porrigere non dubitabant; ut testis est auctor Micrologi, qui ante Gregorii VII. tempora scripsit, cap. XXVI. *Non est authenticum*, inquit, *quod quidam corpus Domini intingunt, & intinctum pro complemento communionis populo distribuunt. Nam Ordo Romanus contradicit.* Quæ forma non tantum adversa erat

Ordi-

Ordini Romano, sed etiam institutioni Christi, qui corpus seorsim a sanguine commendaverat; ut recte adnotavit Concilium Bracarense III. anno DCLXXVIII. quod similem corruptelam damnavit cap. I. unde sumptum est, quod Julii epistolæ ad Ægyptios in collectione Isidori adscribitur. *Illud vero, quod pro complemento communionis intinctam tradunt Eucharistiam populis, nec hoc prolatum ex evangelio testimonium recipit, ubi Apostolis corpus suum & sanguinem commendavit, seorsum enim panis & seorsum calicis emendatio memoratur. Nam intinctum panem aliis non præbuisse legimus, excepto illo tantum discipulo, quem intincta buccella magistri proditorem ostenderet, non quæ sacramenti hujus institutionem signaret.* Usus autem ille, utramque speciem commiscendi, hoc tempore servabatur apud Græcos, quem hodie quoque in suis Ecclesiis frequentant, porrecta populis in cochleari Eucharistia liquore sacro poculi intincta, in quo ab aliis graviter peccari contra Domini institutionem, Nicetæ Pectorato Abbati, disputatione cum eo Constantinopoli habita, objecit Humbertus Silvæ Candidæ Cardinalis Episcopus, Legatus Romanæ sedis ad Constantinum Monomachum Imperatorem missus anno millesimo quinquagesimo quarto. Post tempora Damasceni obtinuerat in Oriente hujus commixtionis abusus. Etenim ille porrecti populo calicis aperta meminit lib. IV. de fide orthodoxa cap. XIV. ubi morem communicantium describit, quæ residuum in labris humorem manibus suis attingentes, illo frontem, oculos & aliqua sensuum organa sanctificabant. Gliscebat in Occidente commixtionis usus; adeo ut Ivo in tractatu de divinis officiis eum tolerandum putaret in populi communione. *Non autem*, inquit, de sacerdote loquens, *juxta Concilii Toletani definitionem, intincto pane, sed seorsum corpore, & seorsum sanguine communicet; excepto populo, quem intincto pane, non auctoritate, sed summa necessitate timoris sanguinis Christi effusionis, permittitur communicare.* Illam tamen communicandi formam, præjudicio Ordinis Romani, Micrologi, Humberti, aliorumque tractatorum damnatam, synodus Claromontana sua quoque auctoritate proscribendam duxit his verbis: *Ne quis communicet de altari, nisi corpus separatim & sanguinem similiter sumat.* Separatim, id est, seorsim, ut loquitur Concilium Bracarense, sive singulatim, quemadmodum Ordericus sensum hujus canonis expressit.

Nunc agendum de exceptione huic regulæ adhibita sequentibus decreti verbis: *Nisi per necessitatem & cautelam.* Intincti sacrati panis consuetudinem jam sublatam retinet in excepto *necessitatis* casu; nempe si communio præbenda esset ægris, vel pueris. Tum enim ad juvandum esum panis intinctio permittebatur; ut anno MCXVIII. scripsit Paschalis II. Urbani successor ad Pontium Abbatem Cluniacensem epistola XXXII. *Novimus enim, per se panem, per se vinum ab ipso Domino traditum. Quem morem sic semper in sancta Ecclesia conservandum docemus atque præcipimus, præter in parvulis, ac omnino infirmis, qui panem absorbere non possunt.* Cautelæ quoque ratio habita est. Qua voce receptum a quibusdam morem in distribuenda populis Eucharistia synodus confirmat. Veriti enim illi, ne sanguinis effusio accideret in frequenti communicantium cœtu, solo panis consecrati symbolo laicos impertiebant, non præbito poculo, qua ratione corpus seorsim a calice sumebatur. Id egregie docet Rodulfus Abbas sancti Trudonis, qui ea ætate vixit, iis verbibus, quos laudat Gropperus cap. XLIV. de communione alterius speciei:

Hic & ibi cautela fiat, ne Presbyter ægris
Aut sanis tribuat laicis de sanguine Christi.
Nam fundi posset leviter, simplexque putaret,
Quod non sub specie sit totus Jesus utraque.

Ceterum Eucharistiæ administratio sub solo panis symbolo laicis hoc seculo porrecto magnum incrementum habuit post constitutum a Christianis regnum Hierosolymitanum, ad exemplum antiquissimæ Ecclesiæ illius civitatis, in qua, nulla specierum mixtione facta, solo pane sibi exhibito, adventantis ex orbe universo populi pietas rem sacramenti percipiebat. Quod profitetur antiquus ille Patriarcha Hierosolymitanus, cujus verba sexcentis abhinc annis retulit Humbertus ad suggillandos Græcorum ritus: *Cochlear autem, cum quo communicent*, inquit, de Hierosolymitanis loquens, *sicut in Ecclesia Græcorum, minime habent; quia non ita commiscent sanctam communionem in calice, sed sola communione communicant populum. Itaque in magnis & in parvis Ecclesiis hunc morem sibi traditum a sanctis Apostolis habent omnes Christiani ipsius provinciæ. Græci autem cohabitantes alii sic, alii qualiter a suis acceperunt, Ad hæc, si quid ex sancta & venerabili Eucharistia in Hierosolymitanis Ecclesiis superfuerit, nec incendunt, nec in foveam mittunt, sed in pixidem mundam recondunt, & sequenti die communicant ex eis populum: quia quotidie communicant ibi, eo quod conveniunt illuc ex diversis provinciis Christiani, qui propter fidem & maximum amorem filii Dei communicari ibidem desiderant: quia & locus ipse venerabilior & sanctior est omnibus locis in omni terra, & ibi est sepulcrum sanctum & honorabile Domini nostri Jesu Christi, & sanctus Calvariæ locus.* Consuetudo illa unius symboli non statim invasit omnes Ecclesias Occidentis, quamvis in quamplurimis servaretur, ob reverentiam, sanguini Domini debitam, cujus effusioni anxie cavebant. Sed postquam egregius ille Theologiæ Magister Thomas Aquinas, ea de re consultus, earum Ecclesiarum pietatem & prudentiam in eo usu laudavit, certatim reiquæ omnes illum sine ulla difficultate amplexæ sunt. Hæc sunt ejus verba 3. p. q. 80. art. 12. *Provide in quibusdam Ecclesiis observatur, ut populo sumendus sanguis non detur.* Quare in Concilii Constantiensis sessione XIII. (quæ habita est XV. Junii MCDXV.) assertum est, consuetudinem unius speciei *diutissime* observatam fuisse: cujus observatio, ut legitime præscripta, omnibus indicta est, donec universali Ecclesiæ aliud statuendum videatur. Sacri calicis restaurationem Concilium Tridentinum Summi Pontificis prudentiæ commisit, si provinciæ alicujus, a communione Ecclesiæ per hæresim abscissæ, unitas hac ratione procurari posset.

Hic locus me admonet, ut post assertum Eucharistiæ laicis præbendæ ritum ex genuina canonis istius interpretatione, Confirmationis quoque ab Episcopis administrandæ morem antiquum ex canonis Arausicani explicatione vindicem. Famosi eruditorum virorum disceptationibus canonis sententia id exigit, ut alieno etiam loco illustrari debeat. Eas contentiones excitavit ex fide veterum codicum canoni adjecta negatio a viro clarissimo & eruditissimo Jacobo Sirmondo in editione Conciliorum Galliæ, qui ejus lectionem ita constituit: *Nullum ministrorum, qui baptizandi recepit officium, sine chrismate usquam debere progredi, quia inter nos placuit semel chrismari. De eo autem, qui in baptismate, quacunque necessitate faciente, non chrismatus fuerit, in confirmatione sacerdos commonebitur. Nam inter quoslibet chrismatis ipsius nonnisi una benedictio est; non ut præjudicans quidquam, sed ut non necessaria habeatur repetita chrismatio.* Mentem vero canonis hanc esse, ait, ut unicam eamque in fronte chrismatis unctionem fieri præcipiat, ideoque ministrum baptismi chrisma in promptu habere, ut baptizatum mox liniat. Si quo vero casu chrismatus in baptismate quisquam non fuerit, commonendum Episcopum in confirmatione; nempe ut baptizatus, cui chrisma administratum non est in baptismo, tunc ab Episcopo chrismetur. Chrismatis

matis unam esse benedictionem, vel in baptismo, vel in confirmatione. Necessariam autem non esse repetitam chrismationem, semel scilicet a Presbytero in baptismo, & iterum ab Episcopo in confirmatione; quæ sola manuum impositione conferetur. Hanc interpretationem adjectamque canoni negationem maledicentissimis verbis traducit Petrus Aurelius, qui vulgatam lectionem tuetur, in qua repetita chrismatio necessaria esse statuitur. Sine flagitio dici non posse contendit, Gallicanos Episcopos hoc canone chrismationem ab impositione manuum in confirmationis sacramento sejunxisse contra morem receptum ab Apostolorum ætate in Occidentis & Orientis Ecclesia, vimque & benedictionem chrismationi, quæ adhibetur a Presbyteris in baptismo, eandem tribuisse cum ea, quæ in confirmatione administratur ab Episcopo. Alienum ait ab omni usu antiquitatis, ut Presbyteris liceat chrisma fronti baptizatorum illinere, quod Episcopis reservatum est, ut Presbyteris concessa est unctio in vertice. Has ergo, ut novitates amoliatur, lectionem Binii retinet, quæ repetendam chrismationem demonstrat, suamque ipse interpretationem adhibet in hunc sensum. Nullus Presbyterorum aut Diaconorum, qui ad ægros vel laborantes accedunt baptismi gratia, absque chrismate progrediatur: quia id constitutum est, ut baptisma ab iis non administretur sine chrismatis unctione; quam *semel* tantum conferant; nulla alia scilicet extra baptismum chrismatione illis permissa, quæ tunc ab Episcopis administrari debet. Si quis autem in baptismo chrismatus non fuerit, Episcopus ea de re tempore confirmationis admonendus est; nempe ut baptizatum arceat a confirmatione, & ad Presbyterum remittat prius chrismandum in vertice. Ipse enim Episcopus ejusmodi chrismationem præbere non potest, quia chrismatis ipsius non nisi una benedictio est, ut loquitur canon, id est, chrismatis *Episcopis*, seu chrismatis episcopalis, quod ab Episcopo in confirmatione administratur. Esset autem duplex benedictio illius chrismatis, si prius vicem ejus, quæ a ministris petenda erant, deinde suam expleret. Ceterum a ministris expetenda est prima chrismatio omissa, quia necessaria est repetita chrismatio, nempe prima illa baptismalis, & secunda, quæ ab Episcopo adhibetur in confirmatione. Quod eo non pertinet, ut chrismatis baptismalis omissionem sola necessitate contractam cuiquam obesse aut chrismationis episcopalis vim minuere velit synodus, sed ut sine ullo ejusmodi præjudicio repetita chrismatio duplex necessaria habeatur. Absurdam sane, inextricabilem, & sententiæ synodi contrariam explicationem nobis obtrudit Aurelius, quia vitium lectionis a Sirmondo emendatum abjicere noluit. Ceterum ut de castigatione canonis a viro doctissimo afferta dubitandum non esse, ita de mente synodi ab eo proposita amplius deliberandum censeo. Etenim vix suspicari possum, Gallicanos Episcopos ab eo ritu consignationis administrandæ discessisse, quem ab ultimis temporibus Occidentis & Orientis Episcopi custodiebant, manus imponendo baptizatis, deinde unguento delibuta fronte, cum solenni formula.

Itaque sic arbitrabar sententiam hujus canonis constitui posse, ut vetustati sua ratio constaret. Primo canonis membro præcipitur diserte ministris baptismi, ut chrisma in eo sacramento adhibeant, & aqua tinctos ungant; altero, de omissa in baptismo chrismatione agitur, ad quem solum casum trahenda sunt posteriora verba canonis. Iis autem constituitur, necessum non esse, ut in ea specie duplici chrismatione utatur Episcopus in confirmatione; priore, eaque solitaria, qua negligentiam Presbyteri suppleat, & prætermissam in baptismo ceremoniam unctionis restauret; posteriore vero, quæ in confirmationis sacramento cum manuum impositione conjungi solet, hancque solam sufficere. Prioris constitutionis hæc est ratio. Presbyteris baptisma conferentibus infantes ungere licebat olim, sed non in fronte, ut docet egregie Innocentius primus in epistola ad Decentium: *Nam Presbyteris, seu extra Episcopum, sive præsente Episcopo, cum baptizant, chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum; non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cum tradunt Spiritum Paracletum.* Unctio itaque licita erat Presbyteris ex decreto Innocentii, sed non erat præcepta. Quare opus fuit in Galliis hoc canone Arausicano, ut ministri una cum baptismo chrisma adhibere in vertice ex officio tenerentur. *Placuit inter nos semel chrismari*, inquiunt patres, id est: Necessarium esse duximus, ut chrismatis delibutio non pendeat in posterum ex arbitrio Presbyterorum, sed simul & semel cum baptismo administretur. Tantundem est, si legas *semel*, vel *simul*. Par enim est hoc loco utriusque verbi significatio; ut recte monuit Sirmondus, quidquid argutetur Aurelius. Attamen quoniam in illis novi decreti exordiis accidere poterat, ut casu aliquo omitteretur in batismo chrismatis unctio, ea de re commonendum Episcopum docent, quod ad consignandos infantes accedit. Quid ita? An ut baptizatum remittat ad ministros baptismi, qui unctionem verticis omissam præstent, & sic Episcopo consignandum tradant? Ludicrum sane spectaculum, ut graviter animadvertit Sirmondus, cujus ne minima quidem suspicio in verbis canonis. Cur autem monendus sit Episcopus de hoc casu, subjicitur in canone; eo tamen ordine, ut decisionem antecedat ratio ipsa decidendi. Quippe monitus Episcopus apud se arbitrabitur, an duplici chrismatione fungatur; una, qua vicem omissæ in baptismo ceremoniæ impleat, ungendo baptizatum ante confirmationem; altera, quam in confirmatione apostolica post impositionem manuum adhibeat. Ac sane si visum sit Episcopo, duplici illa chrismatis unctione linere baptizatum, nihil obesset mysterio, vel *non præjudicaret quidquam* illa chrismatio, ut loquitur canon, quia superflua non nocent; attamen chrismationem illam repetitam necessariam non esse, docet synodus: *Quoniam*, inquit, *chrismatis ipsius inter quoslibet nonnisi una est benedictio*, id est, una eademque benedictione consecratum est chrisma, quo utuntur Episcopi & Presbyteri; adeoque licet unctio in baptismate fuerit omissa, ex eo nullum sequitur damnum, cum resarciatur copiose in chrismate consignationis. Potest alius quoque sensus ex illis verbis erui, nempe omnes, qui chrisma adhibent, una solaque chrismatione mysterium in baptismo vel in confirmatione peragere solitos; ideoque non cogi Episcopum uti chrismatione repetita in confirmatione, ex eo, quod vitio aut casu aliquo Presbyter unctionem verticis omiserit in baptismo. Ergo non necessaria habetur repetita chrismatio, id est, iterata, & bis acta ab Episcopo.

Equidem certum est, apud antiquos in consignandis baptizatis eum ritum usurpatum, ut Episcopi & manus illis imponerent, & eorum frontes chrismate signarent, teste Innocentio, cujus locum superius adduximus. Sane ritus imponendarum manuum ex disciplina Apostolis a Christo tradita profluxit; ut docent Acta cap. VIII. & XIX. ubi Petrus & Paulus recens baptizatis per manus impositionem Spiritum Sanctum conferunt. Unde ab Apostolo in epistola ad Hebræos cap. VI. mysterium istud consignationis recte dicitur ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν. Ex quo factum, ut passim quoque apud veteres *manus impositionis* nomine significetur. Cui semper adjuncta fuit chrismatis delibutio; adeo, ut ex Apostolorum traditione eum vindicet Episcopis Pacianus Barcinonensis epistola prima adversus Sympronianum Novatianum; ubi probat, jus remittendi peccata com-

competere Episcopis, ex eo, quod Apostolis dictum sit a Christo, quæcunque solvissent, soluta fore. Excipiebant Novatiani, hoc dictum fuisse solis Apostolis. *An tantum*, inquit Pacianus, *hoc solis Apostolis licet? Ergo & baptizare solis licet, & Spiritum Sanctum dare solis, & solis gentium peccata purgare, quia totum hoc non aliis quam Apostolis imperatum est.* Mox: *Si ergo & lavacri & chrismatis potestas, majorum longe charismatum, ad Episcopos inde descendit, & ligandi quoque jus adfluit, atque solvendi.* Ita enim legendum, non, ut ferunt editiones, *jus adfuit.* Quare recte concludit idem auctor, quod in lavacro, chrismate, & criminum remissione geritur ab Episcopis, totum id ex apostolico jure defluere, id est, ex eo jure, quod Apostolis a Christo tributum est. Alludit ad hunc externæ unctionis ritum Apostolus in epistola secunda ad Corinthios cap. I. *Qui unxit nos Deus, & signavit nos*: χρίσας ἡμᾶς Θεός, ὁ καὶ σφραγισάμενος ἡμᾶς. Quem locum enarrans Theodoretus, ipsam, quæ adhibetur a Græcis, consignationis formulam usurpavit: αὐτὸς ἡμᾶς ἔχρισε τὸ τῆς παναγίας πνεύματος σφραγῖδος ἠξίωσε.

Quamobrem duo ista apud veteres conjunguntur; ut egregie docent Tertullianus, Cyprianus, & Optatus. Primus ille, libro de baptismo cap. VII. egressis e lavacro & benedicta unctione perunctis manum imponi ait invitantem Spiritum Sanctum. Et libro de resurrectione carnis cap. VIII. *Caro abluitur, ut anima emaculetur. Caro ungitur, ut anima consecretur. Caro signatur, ut anima muniatur. Caro manus impositione adumbratur, ut & anima Spiritu illuminetur.* Id nempe significat Tertullianus, baptismo carnem dilutam, chrismate ungi, & signari, id est, velut signi impressione muniri. Quemadmodum enim ea tempestate patres familias annulis aureis supellectilem atque penum omnem designabant, ne quid negligentia aut furto periret; ita quoque ipsa chrismatis unctione, velut signaculo, anima Christiani obsignari & muniri dicitur a Tertulliano, ne pateat hostium insidiis. Itaque eleganter Cyprianus, juxta mentem magistri sui, in epistola LXXIII. ad Jubajanum: *Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, Præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem & manus impositionem Spiritum Sanctum consequantur, & signaculo dominico consummentur.* Signaculum vocat chrismatis unctionem, qua, ut jam dixi, caro signatur, & anima munitur. σφραγὶς dicitur a Græcis, qui baptizatos illa τελειοῦσθαι, id est, consummari observant; ut in isto Clementis Alexandrini testimonio apud Eusebium lib. III. hist. eccles. cap. XVII. ubi agitur de quodam adolescente, quem Episcopus tinxerat. ὡς τὸ τέλειον αὐτῷ φυλακτήριον ἐπιστήσας τὴν σφραγῖδα τοῦ Κυρίου; *Postquam illi adhibuisset signaculum Domini, tanquam perfectam custodiam.* Et in ecloga vitæ Athanasii apud Photium Alexander Pontifex Alexandriæ pueros ad Athanasio quoque puero baptizatos, per unctionem & Christi signaculum consummasse & perfecisse dicitur: τούτους ἐπιχρίσας διὰ τῆς ἐν Χριστῷ σφραγῖδος ἐτελείωσεν.

Tertium adhibeo testem conjuncti chrismatis cum manus impositione Optatum Milevitanum, libro quarto adversus Parmenianum, ubi chrismatis unctionem, quæ baptismi Christiani mysterium sequebatur, ipsamque manus impositionem, qua baptizatus obumbratur per columbæ allapsum & vocem e nube erumpentem, per lavacrum, Christo a Joanne exhibitum, designata fuisse, ostendit his verbis: *Lotus cum in Joannis manibus haberetur, secutus est ordo mysterii, & complevit Pater, quod rogaverat Filius & quod nuntiaverat Spiritus Sanctus. Apertum est cœlum Deo Patre ungente, Spiritale oleum statim in imagine columbæ descendit, & insedit capiti ejus, unde cœpit dici Christus, quando unctus est a Deo Patre. Cui ne manus impositio deesse videretur, vox addita est Dei de nube dicentis: Hic est filius meus, de quo bene sensi; hunc audite.* ubi multum tribuit unctioni; ita tamen, ut manus impositionem non negligat. Interim non alienum erit a mente Optati, hic obiter adnotasse, solitos veteres, ut allapsum Spiritus Sancti a chrismatis potestate deductum ostenderent, columbis argenteis in baptisterio suspensis chrisma recondere, quod ad baptizatorum consignationem Episcopis præsto erat; quemadmodum Eucharistiam quoque appensis super altare argenteis columbis asservari moris fuit, ut alibi dicemus.

Hujus sacramenti vim præcipuam in chrismate quoque constituere videtur Pacianus in epistola de baptismo: *Generat Christus in Ecclesia per suos sacerdotes, ut idem Apostolus: in Christo vos genui. Atque ita Christi semen, id est, Dei Spiritus, novum hominem alvo matris agitatum & partu fontis exceptum manibus sacerdotis effundit, fide tamen pronuba. Neque enim aut insertus in Ecclesiam non videbitur, qui credidit, aut genitus a Christo, qui Spiritum ipsius non recepit. Credendum est igitur, posse nos nasci. Sic enim ait Philippus: Si credis, potes. Recipiendus est igitur Christus, ut generet; quia sic Joannes Apostolis dicit: Quotquot eum receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Hæc autem compleri alias nequeunt, nisi lavacri & chrismatis & antistitis sacramento. Lavacro enim peccata purgantur, chrismate Sanctus Spiritus superfunditur. Utraque vero ista manu & ore antistitis impetramus. Atque ita totus homo renascitur & innovatur in Christo.* Innovatio pertinet tum ad baptismum, ex Paulo, tum ad consignationem, qua fidelium animi sanctificantur & consummantur, ἁγιάζονται, ἀνακαινίζονται, τελειοῦνται, ut loquuntur Græci. Penes antiquos enim hæc erat regula, quam diserte explicat Pacianus, baptismo peccata deleri, sed consignatione Spiritum Sanctum tradi, id est, renatum in lavacro Christianam, per Confirmationis sacramentum vim Spiritus Sancti adipisci, vel, ut loquitur Eucherius, uberioribus gratiæ incrementis augeri. Itaque cum adventus Spiritus Sancti ad consignationis mysterium referretur, mirandum non est, cur de baptismo Novati, quem æger in lecto susceperat, nec eum secundum Ecclesiæ regulam per Episcopi ministerium deinde obsignari curaverat, dubitet Cornelius Papa in epistola ad Fabium Antiochenum apud Euseb. lib. VI. cap. XXXV. οὐ μὴν οὐδὲ τῶν λοιπῶν ἔτυχε, διαφυγὼν τὴν νόσον, ὧν χρὴ μεταλαμβάνειν κατὰ τὸν τῆς ἐκκλησίας κανόνα, τοῦ σφραγισθῆναι ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου. τούτου δὲ μὴ τυχὼν, πῶς ἂν τοῦ ἁγίου πνεύματος ἔτυχε; *Verum morbo elapsus, neque reliqua obtinuit, quibus imbui oportet juxta Ecclesiæ regulam, nempe obsignationem ab Episcopo adhibitam. Qua neutiquam potitus, quomodo Spiritum Sanctum adeptus est?*

Ob vim illam singularem & eximiam, quæ in hujus mysterii administratione tribui solet chrismatis unctioni, sacramentum *chrismatis* ab Augustino appellatur libro secundo contra literas Petiliani cap. CIV. *In hoc unguento sacramentum chrismatis vultis interpretari* (alloquitur Donatistas,) *quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse baptismus.* Mox: *Discerne ergo visibile sanctum sacramentum, quod esse & in bonis & malis potest, illis ad præmium, istis ad judicium, ab invisibili unctione caritatis, quæ propria bonorum est.* Prudentius quoque, in Psychopannichia, ex oleo, quo frons signatur, spiritualem unctionem derivari docet: *Post inscripta fronti signacula, per quæ unguentum regale datum est, & chrisma perenne.*

Græci Patres non solum τὸ μύρον & χρίσματος μυστήριον appellant, quemadmodum Augustinus, sed etiam ad ejus unctionem vim sanctificandi refe-

referunt; ut docet eximie Cyrillus Hierosolymitanus in Catechesi tertia mystagogica, & post eum ceteri omnes, quos omitto. Sed præterire non possum insignem Theodoreti locum in Notis ad vers. 3. cap. 1. Cantici Canticorum ubi enarrans hæc verba, *Unguentum effusum nomen tibi*, ait: Εἰ δὲ βούλει καὶ μυστικώτερον νοῆσαι, ἀνάμνησον σαυτὸν τῆς ἱερᾶς μυσταγωγίας, ἐν ᾗ οἱ τελούμενοι, μετὰ τὴν ἄρνησιν τοῦ τυράννου, καὶ τὴν τοῦ βασιλέως ὁμολογίαν, οἱονεὶ σφραγῖδά τινα βασιλικὴν δέχονται, τοῦ πνευματικοῦ μύρου τὸ χρίσμα, ὡς ἐν τύπῳ μύρῳ τὴν ἀόρατον τοῦ παναγίου πνεύματος χάριν ὑποδεχόμενοι. *Quod si magis etiam mystice vis intelligere, sacri baptismatis mysterium recordare; in quo qui initiantur, post tyranni abnegationem, velut signo nota quadam regia, spiritualis unguenti chrismate, sub ea visibili unguenti specie invisibilem sanctissimi Spiritus Sancti gratiam suscipiunt*. Tanta efficacia, quam huic unguento tribuit, non sinit, ut locum istum de oleo ante baptismum adhibito interpretemur. Neque enim gratia Spiritus Sancti ante baptismum dari dicebatur per olei illius ministerium.

Ceterum non ita veteres Spiritus Sancti adventum ad chrismatis signationem referebant, quin illum quoque ad *manus impositionem* pertinere docerent; ut diserte ostendunt superius allata ex Tertulliano & Cypriano testimonia. Quibus addendus est Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos: *Non abnuo*, inquit, *hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos, qui longe in minoribus urbibus per Presbyteros & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem Sancti Spiritus manum impositurus excurrat*. Quibus verbis non excludit chrismatis consignationem; quæ non solum Hieronymi ætate adjuncta erat manus impositioni, ut patet ex Paciano, (cujus ipse meminit in libro de scriptoribus ecclesiasticis) ex Optato, Prudentio, Innocentio & Augustino, sed etiam ab ipsis Apostolorum temporibus. Id tamen observandum est diligenter, manus impositionem, quæ commendata est in Actis Apostolorum, non ita accipiendam, ac si esset mera ceremonia, sed veluti partem quandam consignationis, qua per orationem tunc recitatam Spiritus Sancti adventus exorabatur, ut colligitur ex Tertulliano & Cypriano, quos sequitur Augustinus lib. XV. de Trinit. cap. XXVI. *Neque enim aliquis discipulorum ejus dedit Spiritum Sanctum. Orabant quippe, ut veniret in eos, quibus manum imponebant, non ipsi eum dabant. Quem morem in suis præpositis etiam nunc servat Ecclesia*. Res tota liquidius intelligetur ex ordine, quem in hujus sacramenti administratione observatum fuisse discimus ex libro Gregoriano sacramentorum; cujus hæc sunt verba: *Pontifex vero veniens ad infantes*, (id est, recens baptizatos) *tenente Archidiacono chrisma involutis scapulis & brachiis ex panno lineo, & levata manu super capita omnium, dicit: Omnipotens, sempiterne Deus &c. Emitte in eos septiformem Spiritum tuum &c. & consigna eos signo crucis in vitam propitiatus æternam. Et interrogantibus Diaconibus nomina singulorum, Pontifex tincto pollice in chrismate, facit crucem in fronte unius, similiter per omnes singillatim*. Videndus ad istum locum vir eruditus Hugo Menardus, qui hunc librum sacramentorum edidit & Notis utilibus illustravit. Advertendum vero, in ipsa baptismi celebratione collatam fuisse ab Episcopo Confirmationem, quando eo præsente baptisma fiebat in civitate, diebus solemnibus Paschæ & Pentecostes, ut fieri moris erat. Sed eos, qui baptizati erant in vicis aut minoribus urbibus a Presbyteris vel Diaconis, Episcopus ex intervallo signabat, ut docuit Hieronymus.

Quare in Synodo Nicæna prima patribus hæc loquendi forma placuit canone octavo, quo Catharos sive Novatianos χειροθετουμένους suscipi jubent, id est, *impositionem manus accipientes*, ut vertit Dionysius Exiguus. Non me latet, existimasse aliquos, de reconciliatoria manus impositione hic agi, alios vero mera quadam ceremonia, quæ conversis adhibebatur. Ceterum non dubito, quin de manus impositione consignationi adjuncta canonem intelligendum in animum inducat, quisquis ea, quæ sequuntur, argumenta & veterum testimonia expenderit.

In Novatianis suscipiendis duo quædam præscripsit Synodus Nicæna. Primo, ut scripto libello hæresim ejurent; secundo, ut manus eis imponatur. Primum erat illis commune cum omnibus hæreticis, secundum vero speciale illis erat, & Arrianis & aliquot aliis, non autem commune cum omnibus, ut mox dicam. Ratio discriminis hæc est, quod Novatiani Episcopi a se baptizatis manus non imponerent, ne chrisma conferrent, unde illis ad catholicam redeuntibus tribuendum censuit Synodus, quod omissum fuerat ab hæresi. Testes laudo idoneos negligentiæ Novatianorum, hinc Pacianum Episcopum Barcinonensem in Occidente, illinc Theodoretum in Oriente. Quippe Pacianus Novatianos his verbis objurgat, epistola tertia ad Sympronianum: *Vestræ plebi unde Spiritus, quam non consignat unctus sacerdos?* Theodoretus vero libro III. *hæreticarum fabularum* cap. V. observata prius Novati procacia, qui suæ partis asseclas καθαροὺς προσηγόρευσεν, mox subjicit: Τοῖς ὑπὸ σφῶν βαπτιζομένοις τὸ πανάγιον οὐ προσφέρουσι χρίσμα. διὰ τοῦτο καὶ τοὺς ἐκ τῆς αἱρέσεως τῷ σώματι τῆς Ἐκκλησίας συναπτομένους χρίειν οἱ πανεύφημοι πατέρες προσέταξαν. *Iis, quos baptizant, sanctissimum chrisma non præbent. Quapropter eos, qui ex hac hæresi corpori Ecclesiæ conjunguntur, laudatissimi patres inungi præceperunt*. Canonem istum octavum Synodi Nicænæ in mente habuit, quo Novatianis manum imponendam esse decernitur, & canonem septimum secundæ Synodi œcumenicæ, ex quo trahitur vera explicatio Synodi Nicænæ. Quos enim ista suscipi jubet cum manuum impositione, illa ungendos & signandos chrismate docet, σφραγιζομένους ἤτοι χριομένους, adjecta quoque sacri illius ritus formula, *signaculum doni Spiritus Sancti*. Ante secundam Synodum Novatianos & alios quosdam hæreticos ita suscipiendos, docuerat Basilius in epistola ad Amphilochium, ut ἀκρίβεια τῶν Κανόνων servetur, eam vero Canonum formam servari, *si ungantur coram universo fidelium cœtu, & sic fiant mysteriorum participes*: χρισθέντας ἐπὶ τῶν πιστῶν, καὶ οὕτως προσιέναι τοῖς μυστηρίοις. qui locus vulgo non recte explicatur, nec ab ipso Balsamone. His verbis respexit Basilius ad Synodum Nicænam & ad canonem octavum Synodi Laodicenæ, quæ Novatianos & alios quosdam χρισθέντας τῷ ἁγίῳ χρίσματι suscipiendos statuit, velut interpretem agens Synodi Nicænæ. Illud itaque asserere licet, quod jam proposui, consignationem, cui adjuncta erat chrismatis unctio, dictam fuisse manus impositionem in Synodo Nicæna.

Hic se tractandam exhibet elegans & erudita quæstio, de manus impositione, qua ceteri quoque hæretici ad fidem catholicam redeuntes suscipiebantur, an eadem esset cum ea, quæ in mysterio Confirmationis adhibebatur, ut certum est, ejus generis fuisse illam, quæ in Novatianis resipiscentibus locum habuit. Antiqua illa controversia, quæ Cyprianum cum Stephano Pontifice commisit, in eo versabatur, ut ille cum suis assereret hæreticos denuo baptizandos, Stephanus vero contenderet, sola manus impositione illique adjuncta oratione utendum, μόνῃ τῇ διὰ χειρῶν ἐπιθέσεως εὐχῇ, ut docet eximius Dionysii Alexandrini locus apud Eusebium lib. VII. cap. II. Hanc vero manus impositionem ad consignationem pertinere, sive ad invocationem Spiritus Sancti, ostendit Cyprianus epistola LXXI. ubi frustra eos esse contendit, qui sine baptismo Ecclesiæ

Spi-

Spiritum Sanctum conferri posse putant; *eo quod parum sit, eis manus imponere ad accipiendum Spiritum Sanctum, nisi accipiant & Ecclesiæ baptismum.* Luculenta sunt in hanc sententiam Nemesiani a Tubunis Episcopi in Concilio Cypriani verba, quæ retulit Augustinus libro sexto de baptismo cap. XII. ex quibus patet, manus impositionem, de qua controvertebatur, sacramentum fuisse ejusdem cum baptismo dignitatis, & ad Spiritum Sanctum implorandum pertinuisse: *Neque Spiritus sine aqua operari potest, neque aqua sine Spiritu. Male ergo sibi quidam interpretantur, ut dicant, quod per manus impositionem Spiritum Sanctum accipiant; & sic recipiantur; quam manifestum sit, utroque sacramento debere eos renasci in Ecclesia catholica.* Non solum autem ex Cypriano & Nemesiano discimus manum impositam hæreticis ad conferendum illis Spiritum Sanctum, sed etiam ex antiqua Ecclesiæ catholicæ regula, cujus meminit Augustinus; nempe in sola Ecclesia catholica Spiritum Sanctum per manus impositionem dari, id est, veram caritatem. Libro secundo de baptismo cap. XVI. *Spiritus Sanctus, quod in sola catholica per manus impositionem dari dicitur, nimirum hoc intelligi majores nostri voluerunt, quod Apostolus ait, quoniam caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Mox: *Non autem habent Dei caritatem, qui Ecclesiæ non diligunt unitatem. Ac per hoc recte intelligitur dici, non accipi nisi in catholica Spiritus Sanctus.* Unde illustrari potest alter ejusdem Augustini locus lib. V, cap. XXIII. ubi ait, manum imponi correctis hæreticis, *propter caritatis copulationem, quod est maximum donum Spiritus Sancti.* Quare cum in hæresi Spiritus Sanctus tradi non posset baptizatis, quando Ecclesiæ catholicæ se adjungebant, manus illis ab Episcopis imponebatur, ut Spiritum Sanctum acciperent; qui in mysterio consignationis conferri dicebatur, ut didicimus ex Paciano.

Ut autem res apertior evadat, laudabo Siricium in epistola decretali ad Himerium c. I. qua vetat, Arrianos iterum baptizari: *Quos*, inquit, *nos cum Novatianis aliisque hæreticis, sicut in synodo constitutum est, per invocationem solam septiformis Spiritus episcopalis manus impositione, catholicorum conventui sociamus, quod etiam totus Oriens Occidensque custodit.* Id constitutum fuerat ante Nicænam Synodum in Concilio Arelatensi I. cap. VIII. quo cavetur, ut hæreticis, qui in Trinitate baptizati sunt, ab hæresi redeuntibus, *manus tantum imponatur, ut accipiant Spiritum Sanctum.* Idem omnino decrevit Innocentius I. de Novatianis & Montensibus in epistola ad Victricium, & Leo primus in epistola ad Rusticum.

Porro dubitandum non est, quin unctio chrismatis una cum impositione manus in Occidente adhiberetur in hæreticis suscipiendis, cum hanc formam sequerentur Orientis Ecclesiæ, quibus in hoc more cum Occidente conveniebat, teste Siricio. Sed ne conjecturas adhibeamus in re aperta, laudandum est Concilium Arelatense II. habitum anno CDLII. quo statuitur in cap. XVI. *Photinia cos, sive Paulianistas, secundum patrum statuta baptizari oportere.* Et cap. XVII. *Bonosiacos autem ex eodem errore venientes, quos sicut Arrianos baptizari in Trinitate manifestum est, si interrogati fidem nostram ex toto corde confessi fuerint, cum chrismate & manus impositione in Ecclesia recipi sufficit.* Constituerat quoque Synodus Arausicana I. an. CDXLI. hæreticos resipiscentes cum chrismate & benedictione consignari. Cap. I. *Hæreticos in mortis discrimine positos, si catholici esse desiderant, si desit Episcopus, a Presbyteris cum chrismate & benedictione consignari placuit.* Ubi observa, indultum fuisse Presbyteris consignationis usum, sed in mortis discrimine, atque absente Episcopo. Alioqui jus istud Episcopis reservatum est, a quibus solis hæretici citra morbi causam chrismate ungendi sunt. Quod diserte notat Concilium Epaonense cap. XVI. *Presbyteris propter salutem animarum, quam in cunctis optamus, desperatis & decumbentibus hæreticis, si conversionem subitam petant, chrismate permittimus subvenire. Quod omnes conversuri, si sani sunt, ab Episcopo noverint expetendum.* Synodi indulgentia necessaria fuit ad permittendam Presbyteris hoc speciali casu consignationis adhibitionem, cum ordinario jure hoc ministerium ad Episcopos pertineat, teste Innocentio primo. Committi tamen aliquando posse Presbyteris, ex gravi causa, ejus executionem a Summo Pontifice, docent Theologi, exemplo Gregorii I. erga Presbyteros Sardiniæ lib. II. ep. IX. Quamvis ex eo loco vix confici possit, quod illi pertendunt; cum potius Presbyteris Sardiniæ concessum sit, in fronte baptizatos ungere speciali privilegio, non autem in vertice, ut solenne est alibi, quam baptizatos consignare. Ceterum auctoritas illa apostolicæ sedi vindicabitur rectius exemplo Synodorum prædictarum; cum tanto potior sit illius potestas synodis provincialibus. Ad quam rem pertinere quoque poterit Ecclesiæ Græcæ consuetudo, quæ consignationis administrationem Presbyteris suis jam ante Photii tempora permisit. Quod nec a Romanis Pontificibus, nec a Concilio Florentino apud Græcos damnatum est: quia gravissimis de causis ministerium illud Presbyteris committere potuerunt, connivente saltem apostolica sede. Ceterum ævo Chrysostomi soli Episcopi, ad exemplum Apostolorum, Spiritum Sanctum tradebant; ut docet ille homilia XVIII. in Acta: Ὁρῶν καὶ τοὺς κορυφαίους, οὐκ ἄλλους τινὰς ὄντας ἰδεῖν τοῦτο ποιοῦντας.

Veruntamen dissimulanda non est, quæ ex Donatistarum resipiscentium susceptione oritur, gravissima difficultas. Licet enim de Novatianis & Arrianis afferi possit, eos chrismate signatos cum manus impositione adjuncta, certissimum tamen illud est, Donatistas sola manus impositione, absque chrismate, in Ecclesiam admissos; ut docet Alcimus Avitus, editus a viro clarissimo & eruditissimo Sirmondo, in epistola XXIV. ad Stephanum Episcopum, consulentem de modo suscipiendi Donatistæ conversi: *Manus impositionem personæ, de qua scribitis, adhibete; quam constat, si revera in supra dicti schismatis professione versata est, cum ministerio de baptismatis etiam chrismate consignatam.* Recte animadvertit Avidus, apud Donatistas chrismatis usum perseverasse, quod antea docuerat Optatus lib. VII. & Augustinus lib. II. contra literas Petiliani cap. CIV. Quare ex usu vetusto Ecclesiæ optime concludit Avitus, Donatistam jam chrismate delibutum sola manus impositione suscipiendum, ad vitandam scilicet chrismatis iterationem. Eundem morem sequebatur Ecclesia Africana, quæ Donatistas redeuntes nec denuo tingebat, nec denuo ungebat, teste Optato. *Quod a nobis unctum est*, inquit, *tale servamus, quale suscepimus.* Attamen impositionem manuum, quæ pars erat consignationis, repetebat; ut docet Augustinus lib. II. de baptismo: *Manus autem impositio non sicut baptismus repeti non potest. Quid enim aliud est, nisi oratio super hominem?* Itaque ex duabus consignationis partibus una repeti potest, nempe manus impositio orationi conjuncta, qua Spiritus Sanctus invocatur; altera non iteratur, scilicet unctio, qua caro signata est veluti nota quadam & regio charactere. Distinguenda est itaque manus impositio, qua Novatiani & Arriani suscipiebantur, quæ plena erat & chrismatis unctioni conjuncta, ab ea, quæ in Donatistis usurpabatur. Hæc enim nuda erat, & a chrismate discreta; in eum tamen finem adhibita, *ut per manus impositionem, invocata virtute Spiritus Sancti, quem ab hæreticis accipere non potuerant, catholicis copularentur*; quemadmodum loquitur Leo primus in epistola ad Rusticum c. XVIII. Sed de hujus orationis super hominem

nem effectu, & de consignationis hæreticis correctis adhibitæ viribus, statim dicemus.

Nunc illud inquirendum est, an Græci duos istos ritus in hæreticorum admissione semper conjunxerint, quemadmodum olim in Novatianis usurparunt, manu illis admota cum chrismatis delibutione, ut ex canone octavo Synodi Nicænæ & canone septimo secundæ Synodi atque canone octavo Synodi Laodicenæ collegimus. Plane eandem servatam fuisse administrandæ confirmationis formam, quæ vigebat in Occidente, discimus ex antiqua manuscripta Collectione veteris cujusdam Theologi, ante annos octingentos consarcinata, quæ extat in Bibliotheca regia. Ibi varia suscipiendorum hæreticorum formula describitur, juxta discrimen adnotatum in secunda Synodo, cujus verba referuntur; ita, ut quidam denuo baptizentur, alii ungantur tantum. Tum subjicitur hæresis ejurandæ modus, sacerdote conceptis verbis præeunte. Quo peracto, sacerdos manum imponit hæretico converso; atque preces recitat, quibus invocat Spiritus Sancti adventum. Deinde vero eum sacro chrismate ungit, ut fieri solet erga recens baptizatos. Quia vero singulare est & eximium hujus scriptoris testimonium, quo demonstratur, consignationem Græcorum constitisse & manus impositione & chrismatis unctione, tum vero ritum sacrum, quo hæretici resipiscentes suscipiebantur, ipsum fuisse Confirmationis sacramentum, non autem meram ceremoniam, locum integrum dabo.

Quomodo oporteat suscipere in sancta catholica & apostolica Ecclesia eum, qui ab hæresi revertitur. Arrianos quidem, Macedonianos, Sancti Spiritus hostes, Sabbatianos, Novatianos, qui se Catharos dicunt, Quartodecimanos, sive Tetraditas, & Apollinaristas recipimus, dantes quidem libellos, & anathematizantes una cum propria hæresi omnem aliam hæresim, quæ non sentit eadem cum sancta catholica & apostolica Dei Ecclesia, signatos sive unctos sacro unguento. Ante omnia autem quando prædicti hæretici amplectuntur fidem orthodoxam, oportet, ut jejunent decem vel quindecim diebus, & orationibus vacent mane & vespere, addiscant psalmos, & cathecumenorum more informentur, sicque digni reddantur orthodoxa fide. Singulos autem illorum constituit sacerdos ante sanctum baptisterium, eisque hæc verba dicenda præscribit. Dic anathema illi * & ipsius dogmatibus iisque omnibus, qui illi favent & consentiunt. Renuntio enim illi & omni hæreticæ opinioni, & credo in Sanctam & consubstantialem Trinitatem juxta interpretationem sanctorum patrum, qui veritatem sectati sunt. Tum qui convertitur, ad singula respondet. Subjungit reliqua sacerdos, & ait tertium: Credis in Sanctam & consubstantialem Trinitatem? Respondet conversus: Credo. Si autem fari nescit, ejus susceptor respondet. Et inclinante sese converso sacerdos, manum capiti ejus imponens, hanc orationem recitat.

Illa desumpta ex canone septimo synodi CP.

* Hæresiarchæ scilicet.

Deus servator noster; qui vis omnes homines salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire, suscipe hunc famulum tuum, qui vix ab errore emersit, & ad veritatis tuæ cognitionem pervenire desiderat. Tu enim dixisti: Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, & eas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile, & unus pastor. Pasce illum veræ tui cognitionis professione juxta sanctorum & gloriosorum Apostolorum explicationem; & dignare illum signaculo divini unguenti, adventuque Sancti Spiritus tui, & participatione venerandi corporis & sanguinis Christi tui. Et perfice hunc famulum tuum, ut ovili tuo ipse quoque adnumeretur, in laudem & gloriam magnitudinis tuæ, quoniam tuum est regnum & potestas.

Et ungit eum unguento, ut fieri solet erga recens baptizatos, eandemque super ipso formulam pronunciat. Postea iterum precatur:

Domine Deus noster, qui perficere & consummare dignatus es hunc famulum tuum per rectam erga te fidem & signaculum sacri unguenti, tu universorum Domine, rectam erga te fidem custodi, augens in eo justitiam, & omnibus donis tuis exornans.

Deinde communicat, & recipit mandata, quæ illi dantur, scilicet ne per septem dies carnes comedat, ne faciem lavet, sed per septem illos dies ita se gerat, quemadmodum solent baptizati, & octava die abluatur.

Nestorianos vero & Eutychianistas oportet conscribere libellos, & hæresim suam anathematizare una cum Nestorio, Eutyche, Dioscoro, & Severo, & iis, qui similia sentiunt, & ceteras omnes hæreses, sicque participes fieri sanctæ communionis.

Euno-

Ὅπως χρὴ διαδέχεσθαι τὸν ἀπὸ αἱρέσεως μετερχόμενον, ἐν τῇ ἁγίᾳ καθολικῇ καὶ ἀποστολικῇ Ἐκκλησίᾳ. Ἀρειανοὺς μὲν καὶ Μακεδονιανοὺς, καὶ Πνευματομάχους, καὶ Σαββατιανοὺς, καὶ Νουατιανοὺς τοὺς λέγοντας ἑαυτοὺς Καθαροὺς, καὶ τέσσαρες καὶ δεκατήκας ἤγουν Τετραδίτας, καὶ Ἀπολιναριστὰς δεχόμεθα διδόντας λιβέλλους καὶ ἀναθεματίζοντας σὺν τῇ ἰδίᾳ αἱρέσει πᾶσαν αἵρεσιν μὴ φρονοῦσαν ὡς φρονεῖ ἡ ἁγία τοῦ Θεοῦ καθολικὴ καὶ ἀποστολικὴ Ἐκκλησία, σφραγιζομένους, ἤτοι χριομένους τῷ ἁγίῳ μύρῳ. προηγουμένως μέντοι χρὴ ἡνίκα μέλλουσι προσάγεσθαι τῇ ὀρθοδόξῳ πίστει. ἵστησι δὲ ἕκαστον αὐτῶν ὁ ἱερεὺς ἔμπροσθεν τῆς ἁγίας κολυμβήθρας καὶ λέγει αὐτῷ ταῦτα. Εἰπὲ ἀνάθεμα τῷ δὲ, καὶ τοῖς δόγμασιν αὐτοῦ, καὶ τοῖς ἀδοκοῦσιν αὐτῷ, καὶ τοῖς φρονοῦσι τὰ αὐτοῦ. ἀποτάσσομαι γὰρ αὐτῷ, καὶ παντὶ αἱρετικῷ δόγματι, καὶ πιστεύω εἰς τὴν ἁγίαν καὶ ὁμοούσιον Τριάδα, κατὰ τὴν ἔκθεσιν τῶν ἁγίων Πατέρων τῶν ὀρθοτομησάντων τὸν Λόγον τῆς ἀληθείας, καὶ ἀποκρίνεται αὐτῷ πρὸς ἕκαστα, ὁ μετερχόμενος. Καὶ λοιπὸν ἐπάγει ὁ ἱερεὺς καὶ λέγει τρίτον, πιστεύεις εἰς τὴν ἁγίαν καὶ ὁμοούσιον Τριάδα, καὶ ὑπακούει ὁ μετερχόμενος, πιστεύω. Ἐὰν δὲ μὴ οἶδε λαλῆσαι, ὁ ἀνάδοχος αὐτοῦ ὑπακούει. Καὶ ἐπικλίνοντος τοῦ μετερχομένου, ὁ ἱερεὺς, ἔχων τὴν χεῖρα ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ, ποιεῖ τὴν εὐχὴν ταύτην·

Ὁ Θεὸς ὁ σωτὴρ ἡμῶν, ὁ βουλόμενος πάντας ἀνθρώπους σωθῆναι, καὶ εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν, πρόσδεξαι τὸν δοῦλόν σου τόν δε, τὸν μόλις ἀνανήψαντα ἐκ τῆς πλάνης, καὶ ἐπιποθήσαντα εἰς τὴν ἐπίγνωσιν ἐλθεῖν τῆς σῆς ἀληθείας. Σὺ γὰρ εἶπας, καὶ ἄλλα πρόβατα ἔχω, ἃ οὐκ ἔστιν ἐκ τῆς αὐλῆς ταύτης, κἀκεῖνά με δεῖ ἀγαγεῖν, καὶ τῆς φωνῆς μου ἀκούσουσι, καὶ γενήσεται μία ποίμνη, εἷς ποιμήν. ποίμανον αὐτὸν ἐν τῇ δόξῃ τῆς ἀληθοῦς εἰς σὲ ἐπιγνώσεως, κατὰ τὴν ἔκθεσιν τῶν ἁγίων σου καὶ ἐνδόξων Ἀποστόλων, καὶ καταξίωσον αὐτὸν τῆς σφραγῖδος τοῦ Θείου μύρου, καὶ τῆς τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἐπιφοιτήσεως, καὶ τῆς μεταλήψεως τοῦ τιμίου σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ σου. Καὶ ἀνάδειξον αὐτὸν τέλειον δοῦλόν σου, ἵνα τῇ ποίμνῃ σου συγκαταριθμηθῇ καὶ αὐτὸς, εἰς δόξαν καὶ ἔπαινον τῆς μεγαλωσύνης σου, ὅτι σοῦ ἐστὶν ἡ βασιλεία καὶ ἡ δύναμις.

Καὶ χρίει αὐτὸν τῷ μύρῳ, καθάπερ καὶ τοὺς νεοφωτίστους, τὴν αὐτὴν καὶ ἐπ' αὐτῷ ἐπίρρησιν ποιούμενος. Καὶ μετὰ τοῦτο πάλιν ἐπεύχεται·

Κύριε ὁ Θεὸς ἡμῶν, ὁ καταξιώσας τελειῶσαι τόν δε δοῦλόν σου διὰ τῆς εἰς σὲ ὀρθοδόξου πίστεως, καὶ τῆς σφραγῖδος τοῦ ἁγίου μύρου, σὺ δέσποτα τῶν ἁπάντων, τὴν εἰς σὲ ἀληθῆ πίστιν διατήρησον, αὔξων αὐτὸν ἐν δικαιοσύνῃ, καὶ πᾶσι τοῖς παρὰ σου χαρίσμασι κατακοσμῶν.

Καὶ εἶθ' οὕτως κοινωνεῖ, καὶ λαμβάνει παραγγελίας, τὰς ἑπτὰ ἡμέρας ἐκείνας, κρέα μὴ φαγεῖν, μὴ νίψασθαι τὴν ὄψιν, ἀλλὰ καθὼς οἱ βαπτιζόμενοι, οὕτως διατελεῖν τὰς ἑπτὰ ἡμέρας, καὶ τὴν ὀγδόην ἡμέραν ἀπολούεσθαι.

Νεστοριανοὺς δὲ καὶ Εὐτυχιανιστὰς χρὴ ποιεῖν λιβέλλους, καὶ ἀναθεματίζειν τὴν αἵρεσιν, καὶ Νεστόριον, καὶ Εὐτυχέα, καὶ Διόσκορον, καὶ Σεβῆρον, καὶ τοὺς φρονοῦντας τὰ αὐτῶν, καὶ πάσας τὰς προαναφερομένας αἱρέσεις, καὶ μεταλαμβάνειν τῆς ἁγίας κοινωνίας.

Εὐνο-

Eunomianos vero, qui una immersione baptizantur, & Montanistas, qui Phryges appellantur, & Manichæos, & Sabellianos, qui eundem esse Patrem cum Filio docent, & alia quædam indigna committunt, & omnes similes hæreses, seu illos, qui ab iis discedentes ad veritatem accedere volunt, velut gentiles recipimus.

Εὐνομιανοὺς μέντοι τοὺς εἰς μίαν κατάδυσιν βαπτιζομένους, καὶ Μοντανιστὰς τοὺς λεγομένους Φρύγας, καὶ Μανιχαίους, καὶ Σαβελλιανοὺς υἱοπατορίαν διδάσκοντας, καὶ ἕτερα χαλεπά τινα ποιοῦντας, καὶ πάσας τὰς τοιαύτας αἱρέσεις, ἤγουν τοὺς ἀπ' αὐτῶν θέλοντας προστίθεσθαι, τῇ ἀληθείᾳ ὡς Ἕλληνας δεχόμεθα.

Attamen adversus ea, quæ disputavi, graviter objici potest beati Gregorii testimonium libro IX. regesti epistola LXI. qui consulenti Quirino & ceteris Episcopis catholicis in Iberia, an Nestoriani veram fidem amplectentes baptizandi essent, vel sola fidei confessione suscipiendi, ita respondet, ut Orientis morem erga hæreticos diversum ab Occidentis consuetudine significet. Tres quippe gradus hæreticorum ponit: quorum alii, qui in nomine Trinitatis non baptizantur, ut Cataphrygæ & Bonosiani, iterum tingendi sunt. De duobus aliis generibus hæc sunt ejus verba: *Ab antiqua patrum institutione didicimus, ut qui apud hæresin in Trinitatis nomine baptizantur, cum ad sanctam Ecclesiam redeunt, aut unctione chrismatis, aut impositione manus, aut sola professione fidei ad sinum matris Ecclesiæ revocentur. Unde Arrianos per impositionem manus Occidens, per unctionem vero sancti chrismatis ad ingressum sanctæ Ecclesiæ catholicæ Oriens reformat. Monophysitas vero & alios ex sola confessione recipit: quia sanctum baptisma, quod sunt apud hæreticos consecuti, tunc in eis vires emundationis recipit, cum vel illi per impositionem manus Spiritum Sanctum acceperint, vel isti propter professionem veræ fidei sanctæ & universalis Ecclesiæ visceribus fuerint uniti.* Hic opposita videtur manus impositio unctioni chrismatis, qua utebantur Orientales erga Arrianos, ac si Occidentalis Ecclesia manum illis imponendo chrisma quoque non adhiberet. Attamen, ut superius prædixi, ex synodo Arelatensi secunda Arriani in Occidente a catholicis ungebantur imposita manu; eundemque usum Gregorii magni ætate fuisse, docent Gregorius Turonensis in Gallia lib. II. hist. Francor. cap. XXXI. lib. IV. cap. XXVII. & XXVIII. & in Hispania idem Gregorius lib. V. cap. XXXIX. & lib. I. de miraculis sancti Martini cap. VI. atque Isidorus Hispalensis lib. II. de offic. divin. cap. XXIV. Præterea vero Orientis & Occidentis similem ritum in Arrianis admittendis didicimus ex Siricio; etsi nomine distarent, his chrismatis unctione, aliis vero manus impositione, frequentius hoc mysterium significantibus. Eadem plane est Gregorii sententia. Quippe de Orientis chrismatione & de manus impositione Occidentis initio locutus, & de fidei professione ab hæreticis exigenda, in fine loci laudati verba sua colligens, ait, per *impositionem manus & professionem fidei* baptismi vires in hæreticis conversis suscitari; omissa mentione chrismatis, utpote, quæ comprehensa esset in impositione manus. Interim hic omittendum non est, in editionibus Gregorii epistolæ inscriptionem ad Hiberniæ Episcopos dirigi; quam emendandam duxi, *Iberiam* substituendo; tum quod inquisitio de Nestorianis facta satis docet, de Orientis partibus agi, in quibus solis hæresis illa vigebat; tum quod initio epistolæ annotat Gregorius, legatum Episcoporum Romam se conferentem *in Hierosolymorum urbe* epistolas cum aliis rebus perdidisse. Quod de Hibernis in ultimo Occidente positis non nisi absurdissime dici potest; quemadmodum *Iberis*, in finibus Ponti sitis, & fidem Christianam ab ipsa Constantini ætate amplexis, apprime congruit. Nestorianos ergo per solam fidei professionem recipiendos, consultationi respondens docet Gregorius, neque baptismo iterato, neque manu imposita, vel chrismate collato. Et ille quidem traditionem patrum laudat, quæ ritum alium erga Nestorianos non adhibendum docebat. Sane ex synodo Nicæna quidam iterum tingendi erant, ut Paulianistæ canone decimo nono, Eunomiani, Montanistæ, atque Sabelliani ex secunda Synodo. Novatianis vero, post fidei professionem scripto datam, imponenda erat manus, & chrisma adhibendum; quibus adjunxit secunda synodus Arrianos, Macedonianos, Sabbatianos, Quartodecimanos, & Apollinaristas, ea scilicet ratione, quam ex Theodoreto protulimus, quia apud suos post baptismum non erant consignati. Nestorianorum meminisse non potuit secunda Synodus; quos chrismate signatos fuisse par est, cum sola fidei professione facta admittantur a Gregorio, juxta morem antiquum, æque ac Monophysitæ, id est, Eutychiani, unam profitentes naturam in Christo. Unde quoque conficitur, chrismationem & manus impositionem non esse nudam ceremoniam, usurpatam in admissione hæreticorum. Alioqui erga Nestorianos & Monophysitas adhibita esset, contra quam statuat Gregorius. Similia huic decreto tradit vetus illa, quam laudavi, collectio.

Mirum fortasse videbitur alicui, qua ratione fieri possit, ut Nestoriani & Eutychianistæ statim ab hæresi per libellum dejerata admittantur ad Eucharistiæ communionem, sine ulla manus impositione; præsertim si aliis præter hæresim criminibus se implicaverint; Novatiani vero ceterique illis similes sola manus impositione ad consignationem adhibita, quæ ut gratiam augere potest, ita illi jus primæ gratiæ justificantis seu remissionis peccatorum vi sua conferendæ non solet a Theologis nostris tribui. Sed si penitius in veteris Theologiæ placita inquiramus, plane nobis de illorum in hac quæstione sententia constabit. Itaque distinguendæ sunt duæ hæreticorum species: quorum alii baptisma & credulitatem ab hæreticis susceperunt, alii a catholicis tincti, a vera fide desciverunt, quam deinde resipiscentes amplectuntur. Ea omnia, quæ hucusque tradidimus, de prima specie intelligenda sunt: in qua id specialiter adnotandum est ex Gregorio, antiquos patres ita censuisse, baptismi apud hæreticos accepti efficaciam in suspenso esse, donec tradita ab Episcopo Spiritus Sancti gratia in conversorum animis excitaretur, ideoque vim delendorum omnium retro criminum nunc primum exereret. Quo respexit Siricius in loco superius laudato, & Leo primus epist. XXXVII. *Si ab hæreticis baptizatum quemquam fuisse constiterit, erga hunc nullatenus sacramentum regenerationis iteretur; sed hoc tantum, quod ibi defuit, conferatur, ut per episcopalem manus impositionem virtutem Sancti Spiritus consequatur.* Idem Leo ea de re loquitur apertius epist. LXXIX. *Qui baptismum ab hæreticis acceperunt, cum baptizati antea non fuissent, sola invocatione Spiritus Sancti per impositionem manuum confirmandi sunt.* Mox: *Sola sanctificatio Spiritus Sancti invocanda est; ut, quod ab hæreticis nemo accipit, a catholicis sacerdotibus consequatur.* Ratio hujus decisionis petenda est ex Augustino, qui passim docet, baptismi integritatem non valere extra unitatem Ecclesiæ ad irrevocabilem peccatorum remissionem lib. II. de baptismo c. XVII. Sed, ut ait idem cap. XVIII. *Qui foris sunt, si eadem sacramenta sumpserunt, cum correcti ad Ecclesiæ veniunt unitatem, non iterato baptismo, sed*

eadem caritatis lege, & unitatis vinculo liberantur. Et lib. 5. c. VIII. *Consentimus Cypriano, hæreticos remissionem dare non posse, baptismum autem dare posse*. Mox: *Quibus tamen correctis non rursus baptismus datur; sed ipsa venia, quam tunc accipere non meruerunt, in vera conversione præstatur*. Lib. VI. Cap. IX. *Venientibus ad catholicam pacem prodesse incipiunt, quæ foris inerant, sed foris non proderant*. Ceterum hanc quæstionem subtilius aggreditur, inquirens, an in hæresi ullo pacto baptismus purget peccata, & disjunctive respondet, vel omnino non tolli, vel si momento tollantur, statim redire propter cordis obstinationem, statimque purgari in unitatis vinculo charitate operante; ut ipse copiosius disputat lib. III. de baptismo cap. XIII. ut doceat lib. IV. cap. XXIV. omnipotentis benignitate in infantibus ab hæretico baptizatis suppleri, quando moriuntur, quod illis deerat ex ætatis indigentia, scilicet cordis conversionem, cujus mysterium præcessit in corpore.

Illud vero non omittendum est, hujusce generis hæreticos, etsi pœnitentiæ exactæ legibus non subjicerentur ob crimen hæreseos vel alia forte ab iis hæresi patrata delicta, per quandam tamen pœnitentiæ imaginem susceptos; ut docet singularis Innocentii primi locus in epistola decima ad Alexandrum Antiochenum: *Arianos ceterasque hujusmodi pestes, quia eorum laicos conversos ad Dominum sub imagine pœnitentiæ ac Sancti Spiritus sanctificatione per manus impositionem suscipimus, non videtur Clericos eorum cum sacerdotii cujuspiam suscipi debere dignitate*. Quod tamen non eo pertinere videtur, ut manus impositio, de qua hic loquitur Innocentius, ad reconciliatoriam, quæ in pœnitentia adhibetur, necessario trahenda sit, cum superiora testimonia contrarium doceant. Id potius referendum est fortasse ad vim hujus manus impositionis & ad solennitates, quæ in hæreticorum admissione usurpari solebant. Perinde etiam ac catechumenis aliquot dierum preces & jejunia in præteritorum criminum emendationem iis injungebantur, puta dierum quindecim: quibus elapsis, accedentes ad lavacrum publice hæresim dejerabant; deinde manu imposita, & chrismate adhibito, signabantur, quem ritum egregie docet antiqua illa MS. collectio, cujus locum integrum jam protuli. Ceterum non est dubitandum, quin similis jejuniorum, precum, & catecheseon ritus servarentur erga Nestorianos & Eutychianistas, licet sola fidei professione publica & scripta defuncti, manus impositionem non consequerentur; consentibus antiquis patribus, vim emundationis, quæ in baptismo collata erat, hoc actu fidei publico suscitari, ut docet Gregorius; sive, ut loquitur Augustinus, *per unitatis reconciliationem incipit utile esse, quod extra eam inutiliter datum est*. Aug. lib. 1. de bapt.

Secundi autem generis hæretici, qui fide prius deserta, ab hæresi postea redeunt, si nullius criminis alterius rei essent præter hæresim, publica fidei professione & subscriptione purgati recipiebantur; ut discimus ex Synodo Ephesina, ex Leone, aliisque Pontificum & Conciliorum testimoniis; ea tamen lege & conditione, ut manus eis imponeretur in pœnitentiam, ex regula a Cypriano constituta, quam probat Augustinus lib. III. de baptismo cap. XI. *Hoc enim ipse Cyprianus etiam cum ceteris statuit, ut, si ab hæresibus redirent ad Ecclesiam, quicunque fuerant in ea baptizati, non jam per baptismum sed per pœnitentiam reciperentur*. Eandem Crescentis a Cirta sententiam in Concilio Cypriani recitat Augustinus lib. VI. cap. XV. nempe ut recipiantur redeuntes ab hæresi, qui in Ecclesia catholica fuerant ante baptizati, *ita tamen, ut per manus impositionem in pœnitentiam Ecclesiæ reconcilientur*. Ejusdem Augustini hæc sunt verba libro de unico baptismo c. XIII. *An minus hærent sacramenta Christiana, quam corporalis hæc nota*, scilicet, qua tirones in militiam adsciti signabantur, *cum videamus, nec apostatas carere baptismate, quibus utique per pœnitentiam redeuntibus non restituitur, & ideo amitti non posse, judicatur*. Sed si post desertionem denuo baptizati essent, scelus diluendum erat laboriosa pœnitentia; ut colligere possumus ex Innocentio primo epistola secunda: *Venientes a Novatianis vel Montensibus per manus tantum impositionem suscipiantur; quia quamvis ab hæreticis, tamen in Christi nomine sunt baptizati; præter eos, si qui forte a nobis ad illos transeuntes, rebaptizati sunt; hi si resipiscentes, & ruinam suam cogitantes, redire voluerint, sub longa pœnitentiæ satisfactione admittendi sunt*. Quæ de crimine iterati baptismi constituit Innocentius, ut pœnitentia publica emendetur, ad cetera crimina publica a desertoribus illis admissa porrigi debere, ratio ipsa docet.

DISSERTATIO

De discrimine clericorum & laicorum ex jure divino, & de forma regiminis à Christo instituta in Ecclesia.

CAPUT PRIMUM.

I. Ecclesiæ Christianæ corpus in duas præcipuas partes ab antiquis divisum fuit, in clericos scilicet atque laicos. Nec dubitandum puto, quin hæc nomina, Græcæ cum sint originis, ab ipsis Apostolorum temporibus ex Græcarum scripturarum usu inducta fuerint. Eorum mentio frequens in canonibus apostolicis, quorum vetustas & auctoritas in oriente commendata est. Germanæ Ignatii Antiocheni epistolæ, quas Vossius edidit e codice Florentino, in hoc capite ab aliis editionibus non diversæ, clericorum & laicorum vocibus utuntur; quemadmodum & Origenes tum alibi, tum in loco, qui prolatus est hoc capite. Recepta fuit in Occidente Græcanica isthæc appellatio; ut patet ex Tertulliano, cujus testimonia expendentur capite sequenti. Unde facile fuit Cypriano, admissum a decessoribus suis clericorum nomen frequentare, ut facit epist. XXXIII. LXVI. & alibi Nicænæ Synodi auctoritate firmatus deinde harum vocum usus in posteros manavit. Clericos habes in canone secundo & laicos in quinto. Quam clericorum appellationem iis passim tributam ætate sua, qui ministrorum vicem implebant in Ecclesia catholica, adnotavit Constantinus M. apud Eusebium lib. X. hist. cap. VII.

II. Ea Christiani nominis distinctio, verbis originis Græcæ significata, ut ut levem forte in laici explicatione difficultatem præferat, sic operosam & non contemnendam in clericorum nomenclatura discutienda. Sed antequam hoc aggrediamur, proponenda est, quæ veteribus placuit, clericorum definitio. Constantinus Imp. in l. 11. Cod. Theodos. de Episc. & Cler. sic illos explicat: *Qui divino cultui ministeria religionis impendunt*. In rescripto ejusdem Principis ad Anulinum eadem sententia exprimitur his verbis: *Quare eos, qui in provincia tua fidei concredita, in Ecclesia catholica, cui Cæcilianus præest, huic sanctæ religioni sedulo inserviunt, quos clericos nominare solent, ab omnibus omnino communibus & civilibus reip. ministeriis immunes ac solutos volo*. Veræ nominum istorum origines intelligi poterunt, tum ex antiquorum interpretatione, tum ex nostra, Sed prius aliqua in antecessum præmittenda sunt.

III. Solenne fuit olim, agros devictarum gentium inter duces atque milites victoris exercitus sorte jacta partiri. Unde factum, ut agri portio illa, quæ cuique sortito contingebat, κλῆρος sive sors diceretur. Quare quando terræ illius Chananeæ a Deo posteris Abrahami promissæ partitio instituta est inter duodecim tribus, ut tota illa divisio

sio κληρυχία dicta est apud septuaginta interpretes, sic quæ singulis familiis pars agri sorte obtigit, κλῆρος sive sors dicta est. Eadem ratione, quæ singulis Lacedæmoniorum civibus agri Laconici portio a Lycurgo assignata est, κλῆρον dictam fuisse, Plutarchus adnotavit. Illud idem nomen obtinuit apud Athenienses, quæ unicuique e civibus pars agri mancupii jure possidenda per legem agrariam tributa est, ut observat Aristoteles. Quo exemplo quas a devictis populis ereptas agrorum partes victores Vandali in se transtulerunt, sortes sive κλήρυς Vandalorum dictas, docuit Procopius.

IV. Verum, ut omissis exterarum gentium moribus, ad Judæorum instituta redeamus, unde loquendi usus ad Christianos derivatus est, satis nota sunt apud septuaginta interpretes loca illa scripturarum, in quibus cleri significatio singulorum civium hæreditatem & soli possessionem demonstrat. Inter cetera, Geneseos c. XLIX. Issachar dicitur *requiescens inter cleros*, id est, tranquille in patrimonii sui possessione degens. Sic *Judicum V.* Debbora indignationem suam adversus Rubenitas exprimens, quod a pugna se subducerent, lares suos colendo, neglecta publicæ rei cura: *Quare*, inquit, *habitas inter duos cleros, ne audias sibilos gregum*? Ex qua loquendi formula explicandus est vexatus ille variis eruditorum interpretationibus psalmi Davidici LXVII. locus: *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi ejus in pallore auri*. Significat enim, tam sollicitam fore Dei pro Israelitici populi tuitione curam, ut tranquille intra patrimonii quisque sui terminos securus conquiescere possit, statu rerum suarum adeo florente, ut non cedat splendori candentis columbæ, quæ cum ipso fulgore argenti & auri contendit. Possent plura hujus significationis testimonia adduci, ni satius esset progredi ad ulteriora.

V. Diximus, divisam fuisse regionem Chananæam duodecim tribubus, relicta Levitica tribu absque ulla agri assignatione. Verumtamen cum Deus illam sui cultus ministerio reservasset, se ipsum illius sortem κλῆρον atque hereditatem fore pronuntiavit Num. XVIII. & Deuteron. XVIII. Quare ut Levitici generis familiæ haberent, unde se commode exhibere possent, decimas frugum a reliquis tribubus Deo pendendas, una cum victimarum partibus, illis delegavit Deus. Itaque & jura illi, ut domino a populo Israelitico debita fuerunt pro sorte & hereditate Leviticæ tribus. Unde profectus est ille loquendi modus apud Davidem Psal. XV. qui licet ex alia tribu, eo quod eximie & præ ceteris divino cultui se devovisset, Deum agnoscit, ut hereditatis suæ partem, *Dominus pars hæreditatis meæ*, ac si esset per Spiritum ex Levitica tribu. Ad illud exemplum tum Leviticæ tribus, tum piorum hominum, qui apud Christianos divinis ministeriis erant specialiter mancipati, Dominum sibi pro sorte & clero agnoscendum profitebantur, unde clerici dicti. Hæc interpretatio hausta est ex Hieronymo in epistola ad Nepotianum: *Igitur clericus, qui Christi servit Ecclesiæ, interpretetur primo vocabulum suum, & nominis definitione prolata, nitatur esse, quod dicitur. Si enim κλῆρος Græce, sors Latine appellatur, propterea vocantur clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, id est, pars clericorum est. Qui autem vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, ut & ipse possideat Dominum, & possideatur a Domino. Qui Dominum possidet, & cum propheta dicit:* Pars mea Dominus, *nihil extra Dominum habere potest. Quod si quippiam aliud habuerit præter Dominum, pars ejus non erit Dominus, verbi gratia, si aurum, si argentum, si possessiones, si variam supellectilem, cum istis partibus Dominus pars ejus fieri non dignabitur. Si autem ego pars Domini sum & funiculus hereditatis ejus, nec accipio partem inter ceteras tribus, sed quasi Levita & sacerdos vivo de decimis, & altari serviens, altaris oblatione sustentor, habens victum & vestitum, his contentus ero, & nudam crucem nudus sequar*. Ex quo Hieronymi loco docemur, clericorum Ecclesiæ inde nomen ductum, quod Dominus sit eorum pars, eo quod se illius cultui manciparunt, ut jam monui. Quod autem inde colligit, illos ex eo jus quæsitum habere ex decimis & ex altari vivendi, atque adeo necessum esse, ut his sint contenti, confirmatum quoque est canonibus Carthaginensibus & ab Augustino, aliisque a patribus traditum, qua de re alibi.

VI. Isidorus Hispalensis ad originationem ab Hieronymo prolatam aliam adjungit lib. VII. origin. c. XII. clericos nempe dictos, quod Matthias primus ab Apostolis sorte adlectus sit in ecclesiasticum ordinem, quod ex Augustino mutuatus est in Psal. LXVII. *Cleros & clericos hinc appellatos puto, qui sunt in ecclesiastici ministerii gradibus ordinati, quia Matthias sorte electus est, quem primum per Apostolos legimus ordinatum*. Id sane nominis etymon frigidum videri posset, nisi observatione sequenti adjuvetur, quæ docebit, ex sortitione Matthiæ non ineleganter trahi posse clericorum originem. Sed alio tramite ducenda est, quam factum fuit hactenus. Certum est, *Actor. cap I.* jactas sortes, ut Deus consilium suum aperiret, quis e duobus Barsaba & Matthia in Judæ quondam Apostoli locum cooptandus esset, sortemque Matthiæ contigisse. Dubium non est, quin sors ista peracta fuerit more illo, qui usurpatus fuerat in terræ divisione. Conjecta sunt scilicet in urnam duorum nomina schedis inscripta, atque in alteram urnam binæ schedæ immissæ; quarum altera vacua, altera nomine *Apostolus* inscripta. Eductis deinde ex utraque urna binis schedis, nomen Matthiæ cum nomine apostolatus emersit, quod his verbis Lucas significat: *Cecidit sors super Matthiam*, ἔπεσεν ὁ κλῆρος. Ad eum modum David sacerdotum functiones sorte distribuerat 1. *Paralip. XXIV.* Quare sacerdotes sorte illa destinatos Josephus vocat κληρωτὺς ἀρχιερεῖς. Quod enim Dei ministerium adtingebat, illius judicio per sortes jactas committi, congruum esse videbatur. Qui sensus etiam gentilium animis insederat, ut patet ex Platone sexto de legibus; qui docet, illa, quæ ad sacra pertinent, Dei sorti & divinæ fortunæ, θεία τύχη, permittenda esse, itaque sors illa in Matthia pro divini numinis judicio sumitur. Porro Dei gratia & judicio clericos ad Christianam Ecclesiam adlegendos pro divini cultus ministerio, docent confertim veteres; atque in eo synagogæ & Levitici generis cum Ecclesia catholica & ejus ministris constituunt discrimen. Augustinus: *Deus non ex genere carnis & sanguinis, sicut erat primum secundum ordinem Aaron, sed sicut oportebat in testamento novo, ubi secundum ordinem Melchisedech summus sacerdos est Christus, pro cujusque merito, quod in eo divina gratia contulerit, Levitas & sacerdotes eligit*. Scriptor sermonis de unctione chrismatis inter opera Cypriani: *Nec sunt hæreditariæ successiones Pontificum, vel uni Leviticæ tribui ministeria assignata, sed de omni tribu, gente, & lingua, quos dignos & idoneos divina probat electio, secundum vitæ, non generis, meritum statuit sacerdotes*. Quod elegantissimis verbis Leo I. significat sermone secundo in die anniversario assumptionis suæ. *Cum hujus divini sacerdotii sacramentum etiam ad humanas pervenit functiones, non per generationum tramitem currit, nec quod caro & sanguis creavit, eligitur, sed cessante privilegio patrum, & familiarum ordine prætermisso, eos rectores Ecclesia accipit, quos Spiritus Sanctus præparavit, ut in populo adoptionis Dei, cujus universitas sacerdotalis atque regalis est, non prærogativa terrenæ originis obtineat unctionem, sed dignatio cœlestis gratiæ gignat antistitem*. Quare de cle-

clericis exemplo Matthiæ dici poterit, eos judicio Dei ad ministerium assumptos, sortem sive κλῆρον super eos cecidisse, atque adeo recte clericorum nomen illis inditum.

VII. Attamen, ut verum fatear, ex ipsis scripturæ verbis petenda est, absque ullis conjecturarum anfractibus, clerici nominis origo. Κλῆρος non solum significat res soli hereditarias, ut monuimus, sed quicquid alicui obvenit, sive munus aut functio publica, ad quam se aliquis adjungit, in qua a reliquis secernitur. Unde duo harum sortium genera inveniuntur in scriptura, *sortes sanctorum*, quæ pertinent ad omnes Christianos, qui ex speciali veri Dei cultu a paganis distinguuntur, ut cap. I. epistolæ ad Colossenses: εὐχαριστοῦντες τῷ Θεῷ καὶ πατρὶ, τῷ ἱκανώσαντι ἡμᾶς εἰς τὴν μερίδα τοῦ κλήρου τῶν ἁγίων ἐν τῷ φωτί. Pars sortis sanctorum in luce sunt Christiani, qui lucem habent comitem, in quo differre eos a Judæis insinuat Apostolus: qui quidem pars quoque sortis erat a gentilibus segregati, ut significatur Deuteron. XXXII. Sed immersi erant tenebris post promulgatum evangelium.

VIII. Eodem sensu explicandus est Petri Apostoli locus I. Petr. V. *Non dominantes in cleris*, ὡς μὴ κατακυριεύοντες τῶν κλήρων, ἀλλὰ τύποι γινόμενοι τοῦ ποιμνίου. Monet enim Ecclesiæ rectores, ut fidelium gregem placide regant, nec dominandi fastu in eos turgeant, sed se ipsos in vitæ emendatæ exemplum præbeant. Quare cleri hoc loco gregem universum Christianorum significant, non autem solum clericorum ordinem; quamvis ad eos quoque specialiter accommodari possit, qui sunt pars præcipua gregis sive cleri. Unde ad clericos hunc locum transtulerunt veteres nonnulli. Oecumenius: Κλῆρον δὲ τὸ ἱερὸν σύστημα καλεῖ ὥσπερ νῦν ἡμεῖς.

IX. Sed alia est *sors ministerii*, quæ solos clericos respicit, & unde illis nomen est datum. Ejus mentio conceptis verbis habetur Actor. cap. I. ubi de substituendo in Judæ locum aliquo agit Petrus. Ait quippe proditorem illum obtinuisse munus apostolatus, ἔλαχε τὸν κλῆρον τῆς διακονίας ταύτης; quam deinde ex Davidis psalmo juxta LXXX. interpretes ἐπισκοπὴν id est episcopatum vocat. Sors ergo sive κλῆρος ministerii pertinet ad pastores eorumque ministros, quemadmodum sors sanctorum omnes Christianos complectitur. Videtur autem Lucas nomen illud κλήρου ad ministerium Ecclesiæ significandum usurpasse, ductus auctoritate LXX. quos sequitur, dum laudat veteris testamenti loca. Etenim Hieremias cap. XII. ubi Judaicos pastores ob negligentiam carpit, adjungit minas: οἱ κλῆροι αὐτῶν οὐκ ὠφελήσουσιν αὐτοῖς, *cleri eorum proderunt illis*, ac si diceret munus illud publicum, quo a ceteris secernuntur, non eis profuturum, ut se a pœnis commeritis subducant. Sane veteres verba illa Hieremiæ, ob munerum similitudinem a Judæo ministerio translata, corpori & ordini clericorum Ecclesiæ Christianæ accommodant. Origenes homilia septima in Hieremiam: *Hæc ante me alii exposuerunt. Et quia non improbo interpretationem eorum, consentiens eandem profero. Nos, qui putamur aliquid esse, id est, qui in clericatus vobis ordine præsidemus, in tantum, ut quidam de minori gradu ad hunc locum cupiant pervenire, nosse debetis, non statim in eo salvandos, quia clerici sumus. Multi enim & Presbyteri pereunt, & laici beatissimi reperiuntur.* Epiphanius in epistola ad Joannem Hierosolymitanum: *Oportebat nos, dilectissime, clericatus honore non abuti in superbiam, sed custodia mandatorum Dei & observatione diligentissima hoc [illegible], quod dicimur. Si enim sancta scriptura loquitur, cleri eorum non proderunt eis, quæ arrogantia clericatus conducere nobis poterit, qui non solum cogitatione & sensu, sed etiam sermone peccamus.* Hieronymus quoque in commentario hujus loci: *Dicitur hoc & Ecclesiasticis. Quid enim eos juvare poterit Episcopi nomen & Presbyteri, vel reliquus ordo ecclesiasticus, cum magis graventur dignitatibus suis, & potentes potenter tormenta patientur?*

X. Occasione hujus loci prætermittendum non est, ab Hieronymo, non solum isthic, sed in commentariis quoque ad Oseam & Abdiam, sacerdotes aliosque ministros vocari Ecclesiasticos. Ambrosio quoque tributus commentarius eadem voce utitur, tum in prima ad Timoth. cap. IV. tum in secunda cap. II. *Ecclesiasticus*, inquit, *idcirco Deo se probat, ut huic devotus officium impleat, quod spopondit, in Dei rebus sollicitus, a seculari negotio alienus.* Cujus appellationis causa non est inquirenda subtilius, quod ipsamet se prodat ex vocabuli prolatione; nempe quia clerici ministeriis Ecclesiæ sunt addicti, sicut Palatini dicuntur in Codice, qui militant in palatio. Si quis tamen aliquid sublimius sapere velit, poterit nomen istud arcessere ex loco Pauli ad Hebræos cap. XII. ubi Apostolorum collegium fide & animo, quamvis non loco, conjunctorum, vocat Ecclesiam primitivorum. Conversos enim Judæos, ait, per fidem accessisse ad montem Sion & cœlestem Hierusalem, ad conventum angelorum, & ad Ecclesiam primitivorum sive primogenitorum, qui sunt descripti in cœlis. Recte de Apostolis hunc locum explicat Ambrosius: qui quidem cum primitias Spiritus habuerint, (ut loquitur idem Paulus *Rom. VIII.*) dicuntur πρωτότοκοι sive primitivi juxta Latinum interpretem, id est, primi per Christum regeniti. Eorum autem nomina, etiam cum viverent, descripta erant in cœlo sive recensita in albo civium cœlestium ob jus civitatis illius adipiscendæ, quemadmodum primogeniti Israelitarum scripti erant in matricula & libro censuali civitatis suæ *Num. cap. I.* Quare cum Episcopi succedant Apostolis, illorum corpus, adjunctis quoque ministris inferioris gradus, Ecclesia dici poterit eleganter ex auctoritate scripturarum, ut vulgo quoque vox illa usurpatur, & viri ipsi poterunt Ecclesiastici nuncupari juxta veterem usum, quem secuti sunt Hieronymus & Ambrosius.

XI. Reliqua pars Ecclesiæ a Clericis distincta laicorum nomine comprehenditur, ut dixi, honesto quidem illo, non autem humili & abjecto, ut blaterant hæretici; quo hac quoque in re de fastu clericorum conquerendi occasionem captent. Laici dicuntur ἀπὸ τοῦ λαοῦ. Porro hac dictione significatur in scripturis ex versione LXX. populus Dei, quem ille sibi peculiarem & hereditarium fecit, segregatum a colluvie gentium, synagogæ temporibus primum, sed excellentius post evangelium promulgatum.

XII. Quare clerici erunt in Ecclesia pars quidem populi illius selecti, sed præcipua, utpote quibus regendæ Ecclesiæ post Episcopos & ministros inferiores cura concredita est. Laici vero constituent alteram populi Christiani partem sub nomine generali τοῦ λαοῦ. Simile discrimen reperies in civitatibus Romanis; quæ duabus partibus constare dicuntur, ordine & plebe. Ordo significat Duumviros aliosque magistratus municipales & Decuriones. Plebis autem nomine reliquus civitatis populus designatur. Quare eleganter istud loquendi genus e foro transtulit in Ecclesiam Tertullianus; qui quos uno in loco clerum & laicos, altero ordinem & plebem vocat. *Differentiam inter ordinem & plebem constituit Ecclesiæ auctoritas, & honor per ordinis consessum sanctificatus.* Tertull. c. 7. de exhort. castit.

CAPUT SECUNDUM.

I. QUin discreta sint munia populi & cleri divini juris auctoritate, nemini dubium esse potest, qui sobria mente scripturas sacras perlegerit,

rit. Vetus testamentum sacra omnia & legis interpretationem a Deo Leviticæ tribui reservata docet *Exod. XIII.* & passim, interdicta reliquis tribubus sacrificiorum functione, quod abunde testantur Core, Dathan & Abiron terræ hiatu absorpti, quod ad hujus communionem functionis cum Aaronidis aspirarent *Num. XVI.* & Ozias lepra percussus, quod se sacrificiis obeundis immiscuisset. Munus enim sacrorum, ut ante legem Mosis ad primogenitos familiarum pertinebat, ita deinceps ad tribum Levi solam ex Dei jussu concessit. Nemo enim sibi honorem assumebat, sed qui vocatus erat a Deo tanquam Aaron; ut loquitur Paulus capite quinto ad Hebræos. Quo exemplo evangelii quoque status id exigebat, ut quemadmodum non solvendæ legis sed implendæ causa promulgabatur, sacrorum rituum institutorum a Christo ministros atque eosdem perfectioris novæque doctrinæ magistros in Ecclesia constitueret. Quod prudenter ille ac divino consilio perfecit Apostolos seligendo, quibus regendæ Ecclesiæ munus concredidit, ut infra uberius docebimus. Porro quantopere a reliquis e populo Christiano secreti illi essent, Pauli verba demonstrant in capite primo epistolæ ad Romanos. Statim enim atque se Apostolum nominavit, adjungit, *segregatus in evangelium Dei, ἀφωρισμένος*. Etenim sicut Deus populum Israel dicitur *ἀφορίσαι*, secrevisse a reliquis populis *Levit. XX.* Paulum quoque apostolatus functioni addictum a reliquo populo Christiano secrevit & segregavit. Eadem locutione utitur Lucas *Actor. III.* cum de Paulo & Barnaba solenni more mittendis Spiritus Sancti mandata refert: *Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos. Tuncque jejunantes, & orantes, imponentesque ei manus, dimiserunt eos.* Mysteria quippe Christianæ religionis specialiter Apostolis, neque vero aliis, a Deo commissa sunt, teste Paulo 1. ad Cor. IV. *Sic nos existimet homo, ut ministros Dei & dispensatores mysteriorum Christi.* Quæ potestas deinde communicata est a Spiritu Sancto solis Episcopis, quos Apostoli institutis a se Ecclesiis præfecerunt, ut docet Lucas Actor. XX. *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos constituit Spiritus Sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei.*

II. Hoc discrimen Ecclesiæ ministrorum a reliquis Ecclesiæ membris a Deo profectum, conceptis verbis docet Paulus in epistola prima ad Corinthios cap. XII. Quamvis enim Ecclesiæ sit unum corpus eodem spiritu vegetatum, variis tamen ex membris conflatur: quæ licet mutuum inter se consensum & consortium habeant, singula tamen membra suis quæquæ officiis destinata sunt, ut eleganter demonstrat Paulus. Deinde subjungit, posito illo membrorum discrimine: *Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores &c.* Mox: *Numquid omnes Apostoli, numquid omnes Prophetæ, numquid omnes Doctores?* Eandem doctrinam ponit in epistola ad Ephesios cap. IV. & instituendæ in Ecclesia hujus potestatis causam exponit, similitudine corporis humani Ecclesiam significans. Nempe Apostolis & aliis pastoribus atque magistris injunctum docet opus ministerii, ut fideles erudiant, Ecclesiam, quæ Christi corpus est, ædificantes, donec eos in fidei unitate & cognitione filii Dei, ut viros firmis viribus instructos perficiant, & ad figuram ejus magnitudinis sive staturæ, quæ plenum & omnino perfectum Christi corpus decet, laboribus suis perducant. *ἡλικία*, *ætas*, hic significat magnitudinem sive staturam, ut Matthæi sexto; & de ædificiis usurpatur, ut apud Vitruvium dicitur *ætas ædificiorum*. Pauli ergo verba sunt: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores & doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.*

III. His addere debemus manifestum, quod discrimen istud demonstrat, argumentum, scilicet ritu quodam sacro Episcopos ab Apostolis Christum imitantibus institutos, collato Spiritu Sancto per impositionem manuum, qua viri selecti Dei & Ecclesiæ ministerio consecrabantur. Testis Paulus in secunda epistola ad Timotheum cap. I. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν Pauli, qua Deum solenniter implorabat pro Timothei sacra inauguratione, conjunctam habuit gratiam, ejus nempe generis, per quam velut igne divino suscitatam constanter & absque timore ullo in fide & dilectione permanere poterat & alios in officio retinere; ut patet ex sequentibus verbis epistolæ. Meminit quoque ejusdem gratiæ, Timotheo in ordinatione collatæ 1. ad Timoth. cap. IV. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ tibi data est per prophetiam cum impositione manuum presbyterii.* Paulus quidem manus imposuerat, sed adjuncto Presbyterorum cœtu, qui ad testandum assensum manus suas cum Episcopo conjungebant. Porro data fuerat gratia Timotheo, Spiritu Dei Paulum & alios excitante, ut illum in ordinem ecclesiasticum adlegerent, quemadmodum admonuit Paulus capite primo hujus epistolæ, quo respiciunt verba *per prophetiam*, quæ habentur hoc capite quarto; nempe præsignificatum fuisse, per aliorum prophetiam manus consecrationis datum iri Timotheo. Etenim cum divinum, & non humanum esset, quod Episcopis munus conferebatur, apostolicis illis temporibus Dei monitu & Sancti Spiritus interiori instinctu sacerdotes ordinandi designabantur, ut recte observavit Chrysostomus ad caput illud primum: Τότε δὲ ἐπεὶ οὐδὲν ἀνθρώπινον ἐγένετο, καὶ ἀπὸ προφητείας ἐγένοντο οἱ ἱερεῖς. Theophylactus: τὸ παλαιὸν ἀπὸ προφητείας ἐγένοντο οἱ ἱερεῖς. τουτέστιν ἀπὸ πνεύματος ἁγίου. Sive κατὰ πνεύματος ἀποκάλυψιν, ut explicat Oecumenius. Quare veteres ordinationem inter sacramenta recensuerunt æque ac baptismum. Illam enim comparationem tanquam seculo suo ab omnibus receptam urget Augustinus adversus Parmenianum, ut doceat, semel adeptum sacerdotium amitti non posse. *Si enim utrumque sacramentum est, quod nemo dubitat, cur illud* (baptismi) *non amittitur, & illud* (ordinationis) *amittitur? Neutri sacramento injuria facienda est.* Lib. 2. c. 13.

IV. Sed cum nulla sit Christiani pars dogmatis tam firmiter constituta, quin homines profani eam suis insanis novitatibus convellere conati fuerint, in hanc irruerunt Waldenses hæretici & qui nostra hac ætate eorum se vestigia premere gloriantur; quorum hæc est sententia, nullum esse discrimen inter laicos & clericos ex jure divino profectum, quin potius omnia laicis permissa, quæ clericis, etiam quoad sacrum ministerium. Illud autem ex eo præcipue probant, quod sacerdotium sit penes fideles omnes, cum Christianus populus sit non solum gens sancta, sed etiam *regale sacerdotium*, ut loquitur Petrus. 1. Pet. 2. Cui consentit Joannes, qui cap. XX. Apocalypsis docet, fideles a Christo constitutos *sacerdotes & regnum*. Quæ loca cum ab antiquis patribus olim pertractata sint, nulla nobis molestia in eorum interpretatione pertimescenda est. Vetustas Christiana duplex cognovit, ut sacrificiorum sit sacerdotii genus, alterum commune & laxioris ambitus, alterum speciale & novo testamento proprium. Prioris illius species, orationes nempe, beneficentiæ, & si qua ejusmodi, quæ in scripturis novi testamenti victimarum & oblationum vocabulis continentur, cum antiquo legis statu communes Christiano sunt; præter quas proprium hujus est sacrificium, quod inter ceteras mu-

Marca, Dissert. Eccl.

muneris sui functiones sacerdotibus Christianis competit. Si quis laudes Deo fusas & pia fidelium opera sacrificiis accenseri dubitet, legat psalmos, qui interpellant sacrificium justitiæ & laudis, aut epistolam ad Hebræos cap. XIII. quæ docet per Christum nos offerre Deo sacrificium laudis, θυσίαν αἰνέσεως, scilicet fructum labiorum, quæ nomen ejus confitentur. Ea verba, cum desumpta sint ex Oseæ cap. XIV. qui vitulos labiorum eleganter vocat illas gratiarum actiones, ostendunt, Judæis atque Christianis communes fuisse laudum victimas. *His autem sacrificiis promeretur Deus*, ut statim subjungit auctor epistolæ.

V. Horum ratione sacrificiorum sacerdotes sunt Christiani omnes, teste Origene homil. IX. in caput XVI. Levitici; ubi pluribus verbis sententiam illam amplificando concludit: *Si membra mea ab omni concupiscentia carnis mortificavero, si mundus mihi crucifixus sit & ego mundo, holocaustum obtuli ad altare Dei, & ipse meæ hostiæ sacerdos efficior*. Quæ ratio fuit inducendi olim ritum unctionis in baptismi celebratione, ut intelligerent Christiani, eodem sacramento, quo in filio Dei adoptabantur, & Christum, qui Rex est atque Pontifex, induebant per Spiritus Sancti unctionem, externo signo adumbratam, regiæ quoque & sacerdotalis dignitatis esse participes, quæ utraque apud Judæos chrismatis unctione conferebatur. Id docuit diserte, utens superioribus Petri verbis, auctor constitutionum apostolicarum lib. III. cap. XV. Et Origenes: *Omnes, quicunque unguento sacri chrismatis delibuti sunt, sacerdotes effecti sunt; sicut & Petrus ad omnem dicit Ecclesiam*. Cui adjungemus Ambrosium lib. IV. de sacr. cap. I. qui rem in pauca egregie contrahit: *Unusquisque ungitur in sacerdotium, in regnum; sed spirituale regnum est & sacerdotium*. Plane quemadmodum Christiani dicuntur Reges, non proprie, sed mystice, idem judicium ferendum est cum antiquis patribus de sacerdotio fidelium, quod adipiscuntur in baptismo. Unde Hieronymus adversus Luciferianos eleganter baptismum vocat sacerdotium laici.

VI. Uberius Augustinus enarrans locum Apocalypsis lib. XX. de Civit. cap. X. *Erunt sacerdotes Dei & Christi, & regnabunt cum eo mille annis, non utique de solis Episcopis & Presbyteris dictum est, qui proprie jam vocantur in Ecclesia sacerdotes; sed sicut omnes Christianos dicimus propter mysticum chrisma, sic omnes sacerdotes, quoniam membra sunt hujus sacerdotis; de quibus Apostolus Petrus, plebs, inquit, sancta, regale sacerdotium*. Elegantius eandem explicationem proponit Leo I. in sermone tertio de anniversario: *Omnes in Christo regeneratos crucis signum efficit Reges, Sancti vero Spiritus unctio consecrat sacerdotes; ut propter specialem nostri ministerii servitutem, universi spirituales & rationales Christiani agnoscant, se regii generis & sacerdotalis officii esse consortes*. Rationem vero subjungit, cur Reges & Sacerdotes dicantur: *Quid enim tam regium, quam subditum Deo animum corporis sui esse rectorem? Et quid tam sacerdotale, quam vovere Domino conscientiam puram, & immaculatas pietatis hostias de altari cordis offerre?*

VII. Non alienum erit his adjungere, ex sacerdotii istius mystici & spiritualis dignitate fieri, ut sacrificium incruentum mediatoris, quod a solis quidem sacerdotibus proprie dictis consecratur, ab Ecclesia, id est, ab universo fidelium cœtu, & Christi sponsa, quæ non habet maculam neque rugam, Deo offerri dicatur: unde ex Spiritus unitate mira fit rerum connexio, quam observavit Augustinus, ut tam ipse Christus per ipsam Ecclesiam, quam ipsa per ipsum offeratur, quod singuli, qui mysteriis intersunt, pro modulo suo quotidie præstare possunt, ut docent verba canonis, quæ recitantur in Missa. Porro fideles non tantum eo sensu dicuntur Reges, quod motus animi sui regere possint & debeant, ut docuit Clemens Alexandrinus quinto stromateon, quemadmodum de sapiente jactabant Stoici, eum solum esse Regem, sed etiam quia sunt consortes ejusdem regni cum Christo, quem induerunt in baptismo, si in vincendis cupiditatibus regios animos in hac vita gerant; ut *si compatiantur, & conglorificentur*. Quare concludendum est, sacerdotium illud regale, quod Petrus Christianis tribuit, non impedire, quin aliud sit verum & proprium in Ecclesia sacerdotium, a mystico illo distinctum; quemadmodum in Deuteronomio cap. XIX. cum populus dicitur regale sacerdotium, non sequitur, verum sacerdotium tribus Leviticæ cum populo communicatum.

VIII. Sed unus præcipue opponitur Tertullianus, qui in libro de Exhortatione c. VII. laicos proprie sacerdotes facere videtur cum potestate offerendi & tingendi. Hæc sunt ejus verba: *Nonne & laici sacerdotes sumus? Scriptum est: Regnum quoque nos & sacerdotes Deo & patri suo fecit. Differentiam inter ordinem & plebem constituit Ecclesiæ auctoritas, & honor per ordinis consessum sanctificatus. Adeo ubi ecclesiastici ordinis non est consessus, & offers & tingis & sacerdos es tibi solus. Sed ubi tres, Ecclesia est, licet laici*. Sic constituenda est lectio hujus loci in editione V. c. Rigaltii ex vetusto codice Agobardi. Qui Tertullianum nobis intentant, debent sanum illum ab ægro & in hæresim lapso distinguere. Prius adversus hæreticorum novitates præscribens, & ordinationes eorum temerarias suggillans, ait, eos laicis sacerdotalia munera injungere. (*Libr. de præscript. c. 41.*) Postea Montani pestifero afflatu impulsus, laicis ipsis sacerdotale munus vindicare videtur. Itaque si de ejus sententia, ut objicitur, disceptandum sit, priori admissa, secundam rejiciendam nullus dubitabit, nisi hæreticus. Quamquam si æquo jure cum illo agere velimus, exaggeratam potius in ejus verbis sententiam, quam putidum illud dogma deprehendemus. Rigidæ disciplinæ sectator, eandem laicis, quam sacerdotibus monogamiæ fibulam imponere contendebat. Arripiebat quascunque argumentorum occasiones ad continentiæ illius probandam necessitatem, qualem sacerdotes exercebant. Ideo sacerdotium laicis afferebat cum jure tingendi & offerendi, si abesset consessus ordinis ecclesiastici, nempe in ædibus privatis. Vetitum sane laicis baptizare, nisi necessitas extrema urgeat; ut docent ipse Tertullianus libro de Baptismo cap. XVII. & Augustinus lib. II. adversus Parmenianum cap. XIII. ea lege tamen, ut si nulla cogente necessitate baptismum conferant, quamvis illicite datus fuerit, valeat tamen, teste Augustino. Offerre vero nusquam licuit laicis, quod tamen ab iis usurpari contendit Tertullianus. Sed ludit in ambiguo verbi. Offerre significat & corporis Christi consecrationem, quæ a solis sacerdotibus proprie dictis peragi potest. Rei vero consecratæ oblatio ex usu temporis illius fieri poterat a laicis intra ædes privatas. Quippe illis licitum erat ea tempestate corpus Christi, quod in synaxi ab Episcopo acceptum reservaverant, deferre domum, ut ex eo communicarent ipsi cum familia, cui sumendam quoque buccellam porrigebant. Oblationem prius corporis dominici conceptis verbis paterfamilias Deo patri ad implorandam ejus opem per sacrificium mediatoris agebat. In quo partem sacerdotii exequebatur. Ac proinde cum offerret & tingeret, inde concludit Tertullianus, laico, utpote sacerdoti, secundas nuptias esse interdictas, quod fuse persequitur libro de Monogamia cap. VII.

IX. Attamen probationis genus illud repellebatur a plerisque Montani sectatoribus, qui sacerdotii improprie sumpti a vero discrimen non ignorabant, ut ipse indicat ejus libri cap. XII. *Cum extollimur, inquit, & inflamur adversus clerum, tunc unum omnes sumus, tunc omnes sacerdotes, quia*

sacer-

sacerdotes nos Deo & patri fecit. Cum adperæquationem disciplinæ sacerdotalis provocantur, deponimus infulas, & pares sumus. Legendum est, *impares sumus*, ut hæc ultima verba prioribus respondeant. *Unum*, inquit, *sumus, omnes sacerdotes*. Ergo pares. Sed quando ex illa æqualitate ad ejusdem disciplinæ de monogamia peræquationem urgemur, tunc cedimus infulis sacerdotalibus, & impares nos agnoscimus. Tunc scilicet differentiam utriusque sacerdotii profitebantur.

X. Restat, ut videamus, quid significet, cum differentiam inter ordinem & plebem ait auctoritate Ecclesiæ constitutam, & honore per ordinis consessum sanctificato. In quo certum est, illum servire hypothesi, ut expugnet & callide obtineat, quod sibi proposuit. Enimvero si verba in eum sensum, quem præferunt, explicentur, differentiam illam ab Ecclesia manantem in consessus honore ponit; dissimulata interim, quamvis non negata, alia differentia, quæ ex jure divino proficiscitur. Stabant laici in Ecclesia, sedebant Episcopi & Presbyteri. Hoc est, quod inductum ait Ecclesiæ auctoritate, ideoque non esse, quod externa illa specie dignitatis moveantur, ne sacerdotium agnoscant in laicis. Discrimen autem illud, quod in consecrandi potestate consistit, egregie dissimulat, ut causæ suæ contrarium. Ex sola tingendi & offerendi potestate, quæ ab omnibus admittebatur, propositam monogamiæ necessitatem sequi putabat. Quod autem subjungit Tertullianus: *Ubi tres, Ecclesia est, licet laici*, desumptum ex regula juris, quæ tres collegium facere dicit. Exempla autem domesticæ Ecclesiæ habentur apud Paulum, qui Ecclesiam salutat, quæ erat in Aquilæ & Priscillæ domo, Nymphæ quoque sive Nymphodori Ecclesiam, & Philemonis, id est, eorum familiam, quæ Christiana erat & Ecclesiam constituebat, quoniam pars erat Ecclesiæ catholicæ. Alioqui conventiculum esset, non Ecclesia.

CAPUT TERTIUM.

De forma Regiminis a Christo instituta in Ecclesia.

I. Ecclesiasticus ordo in tres præcipuos gradus dividitur; quorum primum & supremum Episcopi obtinent, secundum Presbyteri, tertium Diaconi, quæ discrimina divino & apostolico jure sunt instituta. Etenim cum Christus Ecclesiæ suæ, quam in terris relinquebat, curam non omitteret, debuit non solum internis illam beneficiis fovere, quæ a capite in corpus profluerent, sed etiam certa quadam & prudenti regiminis externi specie in perpetuum duratura aspectabile corpus illud administrare. Non defuit huic officio tam necessario. Constituit quippe in Ecclesia ad eam regendam, quos ex omni Judæorum cœtu elegit Apostolos, eosque plenissima ad hoc opus arduum auctoritate benignus instruxit. Ea porro cum destinata esset ad mentes hominum in hoc vitæ ærumnosæ decursu ad beatitudinem aliquando adipiscendam dirigendas, non solum per doctrinæ Christianæ eruditionem, sed etiam per sacras expiationes & censuram divinam, quæ rebellium animos percelleret; spiritualis esse debebat. Ejus generis fuit potestas illa, quam Christus Apostolis suis tradidit; quæ variis in locis evangelii descripta, inde hauriri debet, ut vera ejus cognitione imbui possimus. Non diffiteor, quin res apertissima sit, si a cavillationibus ingenii, quas diversarum partium factiones peperere, bona fide abstineretur. Sed in tam abruta adversus veritatem animorum contumacia difficile est, illam a mendaciis obstrepentibus vindicare. Quæ tamen difficultas, cum non petatur ex re ipsa, propositum meum de illa paucis differendi non retardabit. Id autem ut apertius fieri possit, quæ prolixis disputationibus implicatur potius, quam docetur regiminis istius forma, compendio verborum in tres aut quatuor articulos conjicienda est & adstruenda juxta genuinam sacræ scripturæ & veterum patrum traditionem.

II. Christus Dominus noster Apostolis omnibus & singulis in solidum Ecclesiam suam fundandam, docendam, & regendam commisit, ea tamen lege adjecta, ut Petrus inter eos primatum gereret & caput esset collegii illius apostolici, eo fine scilicet, ut præter communem cum aliis curam, unitatis conservandæ in exercendo regimine sollicitudo præcipue & specialiter illi competeret. Ideoque, ut consilium illud Apostolis significaret, Petrum Christus veluti petram atque fundamentum ad Ecclesiam ædificandam constituit. Præterea sermone ad illum coram ceteris specialiter directo, claves Ecclesiæ postmodum ipsi tradendas spopondit cum potestate ligandi atque solvendi. Quæ pollicitatio Petro facta ad ceteros quoque Apostolos pertinebat & ad Ecclesiam universam ejusque pastores in futurum præficiendos, scilicet ut scirent omnes pontificii, potestatem semper cum Petri, Ecclesiæ capitis, communione & unitate retinendam; ad quod ipse præcipue cum potestate ligandi contumaces huic unitati cogere posset.

III. Executio, quæ hanc pollicitationem secuta est, Apostolis ipsis, atque adeo Petro ex illis uni, potestatem plenam antea promissam contulit. Sed paulo post seorsim auctoritas pascendi universi gregis Petro concessa est. Quibus verbis promissa Petro capitis potestas pro tuenda unitate in universalis Ecclesiæ regimine illi præ ceteris indulta est. Aliquid enim specialiter datum necesse est, intelligi per sententiam Domini ter repetitam post acceptam communiter eandem cum aliis potestatem.

Ceteri quippe Apostoli sic una potestate instructi sunt in solidum, ut ejus inter se divisionem faciendam & verbis Domini & ex operis mandati natura non ignorarent. Præceperat Christus, ut irent ipsi, & universi orbis homines personaliter instituerent. Porro cum singuli terras omnes peragrare non possent, executio mandati, divisione provinciarum inter se facta, illis aggredienda erat, quæ tamen partitio non impediebat, quin solidum jus administrationis penes unumquemque remaneret. Illo vero jure uti poterant etiam in alienis provinciis, si aut proprii Apostoli absentia aut Ecclesiæ utilitas eam curam exposceret. Quod simile est tutorum potestati, quos testator liberis suis plures testamento dedit. Tutelæ jus in solidum singulis competit in caput liberorum, atque adeo in patrimonii administratione. Sed si sparsum sit patrimonium per varias regiones, vel alias quoque ob causas, administratio dividi potest inter tutores: qui propterea non amittent jus illud solidum & commune, quod habent in tutela gerenda, licet testator quoque uni e tutoribus specialem administrationis curam contulerit. Sane compertum est, Apostolos orbis regiones inter se divisisse, Spiritu Sancto eos ad partium assignationem excitante, ut postea ostendemus. Petrus quoque partem sibi excolendam assumpsit, quemadmodum & Paulus & reliqui Apostoli præstitere. Sed Petrus, præter specialem sibique assignatam partem, universum gregem a Christo pascendum & in unitate regendum suscepit.

IV. Quare dicendum est, ex Christi instituto regiminis ecclesiastici formam hanc esse, ut diversis pastoribus committatur, quorum unus sit caput collegii ad tuendam unitatem; id est, ut politicorum verbis res explicetur, status Ecclesiæ est monarchicus ex aristocratico regimine temperatus.

V. Antequam vero auctoritas illa ad regimen perpetuum Ecclesiæ proponatur, distinguenda sunt privilegia personalia Apostolis concessa, quæ illo-

illorum obitu extincta sunt, a potestate reali, quæ in successores eorum manavit. Hæc privilegia in eo versabantur, quod Apostoli a Christo ipso in collegium allecti erant, excepto Matthia; quod testes fuerunt eorum, quæ docuit, & mirabilium rerum, quas patravit, quod a Spiritu Sancto in veræ fidei professione eruditi, nec fallere nec falli poterant in docendis populis tum verbo tum scripto. Quartam, quæ adhiberi solet, notam, de prædicando per universum orbem evangelio, inferius discutiendam remitto.

VI. His demptis, reliqua omnis, quæ Apostolis collata est a Christo, auctoritas, ut penitus necessaria est ad Ecclesiæ continuum regimen; ita in successores Apostolorum universa pertransiit. Hujus conferendæ pollicitatio Christi præcessit, quam deinde suo tempore executio subsecuta est. Consilium suum de constituenda Ecclesia & ejus regimine, quamdiu Ecclesia perseveraret, aperuit verbis illis notissimis, directis ad Petrum: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Tibi dabo claves regni cœlorum; & quodcunque ligaveris super terram, ligatum erit & in cœlis.* Oratio ista ad Petrum directa, qua Ecclesiæ ædificandæ & regendæ consilium proponitur, duos continet articulos; alterum de potestate danda, quæ clavium traditione futura significatur; alterum de modo illius tradendæ.

VII. Quod ad primum attinet, in dubium vocari non debet, quin potestas conferenda ad omnes pertineret Apostolos: quoniam, cum ad Ecclesiæ administrationem selecti fuissent a Christo, fieri non potest, quin de illa, quam habituri erant, parte eo in munere Dominus cogitaverit; sicut aperte docent Cyprianus, Hieronymus, Optatus, Augustinus, & veteres omnes, qui pollicitationem Petro factam omnes Apostolos respicere asseverant. Quod attinet ad secundum, certum est ex iisdem illis auctoribus, magnam hujus pollicitationis partem respicere Petrum præ ceteris Apostolis, ex eo, quod illa, quæ reliquis confertur, auctoritas promittitur verbis ad Petrum directis, quibus ipse quoque petra, ut fundamentum Ecclesiæ futurum, nuncupatur. In quo singulariter unitatis Ecclesiæ mysterium adnotavit Cyprianus & alii eum secuti, hoc nempe fuisse consilium Christi differentis in adloquendo singulariter Petro eique promittenda, quæ communis illi futura erat cum collegis suis, auctoritate, ut unitatem ab uno incipientem demonstraret, scirentque omnes Apostoli & eorum successores, sic esse fundandam per diversas regiones Ecclesiam, ut nihil discreparet ab unitate; cujus primus ille unus erat origo, radix, & prima fundamenti petra, quemadmodum recte observavit Optatus Milevitanus.

VIII. Quod promiserat Christus apud Matthæum, se facturum aliquando, partim perfecit, antequam excederet e vivis, data eximia illa eucharistiæ conficiendæ Apostolis omnibus potestate. Post resurrectionem vero, plenam apostolicam auctoritatem collegio Apostolorum contulit, servato eodem discrimine, quod in pollicitatione adnotavimus. Postquam in eos insufflasset, formula solenni usus dixit: *Accipite Spiritum Sanctum. Sicut misit me vivens Pater, ita & ego mitto vos. Euntes in universum mundum, prædicate evangelium omni creaturæ. Quorum remiseritis peccata, remissa sunt; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Quibus verbis continetur universa auctoritas, necessaria ad regendam Ecclesiam, quæ ad Episcopos Apostolorum successores manavit, jus docendi evangelium, administrandi baptismum, & in eo consignandi ad dandum Spiritum Sanctum, (quæ duo conjungi debebant, ut discimus ex Actis) jus ligandi sive retinendi peccata, id est, censuris adversus reos utendi, potestas quoque solvendi, tum a censuris ipsis, tum a peccatis, & postremo auctoritas mittendi alios ad idem ministerium implendum, quemadmodum Christus missus fuerat a patre cum eadem substituendi potestate, in quo consistit jus ordinationis. Attamen noluit Dominus Petrum prætermittere, quin eum quoque solum alloqueretur in executione promissi, quod ad eum solum directum fuerat. Quare Christus triplici interrogatione Petrum provocatum, an se amaret, ter pascendi oves & agnos suos potestate ornavit. Non dubitant veteres, quin hæc pascendi gregem auctoritas, quæ omnia regiminis episcopalis munia uno verbo complectitur, verbis quoque illis cum Apostolis communicata fuerit, sed ita, ut mysterium unitatis ab uno profectæ conservaretur, ut superius monuimus. Hoc significare voluit Innocentius I. cum ait, episcopatum exordium sumpsisse a Petro, & post eum Leo primus; quoniam ejus institutio promissa fuit Petro, & eo pacto ad ceteros Apostolos manavit. Pari quidem præditi erant consortio honoris & potestatis cum Petro; sed hæc initium sumit a Petro, ut unitas Ecclesiæ demonstretur, sicut loquitur Cyprianus, & ut capite constituto, schismatis tollatur occasio, quemadmodum loquitur Hieronymus. Quare sicut in Apostolos nullum cadere poterat erroris aut schismatis periculum, atque adeo nullæ contra illos censuræ locum habere poterant, nulla quoque Petro in illos competebat judiciaria auctoritas. Ad illud solum tenebantur, ut quas fundabant Ecclesias subjicerent unitati & petræ primariæ adjungerent, ne alioqui schismaticæ essent, ut monuit Optatus.

IX. Hic quæri potest, an saltem in mittendis Apostolis jus aliquod ex vi primatus Petro competeret. Quod in eam incidit discussionem, quam nos facturos monuimus, an jus per universum orbem prædicandi, quod Apostolis collatum fuit, sit privilegium personale, an vero sit potestas realis. Omnibus persuasum video, hanc potestatem in Petro fuisse ordinariam, quæ transeat in successores, in aliis vero Apostolis fuisse extraordinariam sive delegatam, quæ morte illorum extincta fuerit. Quæ distinctio potestatis extraordinariæ & ordinariæ cum nullo scripturæ fundamento nitatur, imo vero disertis illius verbis repugnet, quæ de omnibus in commune Apostolis loquitur, nos, ut puto, veriorem & faciliorem insistemus viam in hac difficultate solvenda. Existimamus ergo, potestatem docendi per universum orbem toti Apostolorum collegio concessam & singulis e collegio. Quatenus universitati competit, remansit in Ecclesia penes Episcoporum collegium, & præcipue penes collegii præsidem. Quatenus autem singulis Apostolis erat data, eorum morte extincta fuit.

X. Ista definitione posita, superest, ut respondeatur quæstioni propositæ, an Petro jus competeret mittendi aliquem ex Apostolis, etiam invitum. Quæ inutilis omnino est quæstio; nec dubitari potest, quin, cui totum competit, partem aliquam sibi eligere possit. Ut autem istæ dissensionum occasiones præciderentur, prudenter provincias inter se partiti sunt Apostoli, præcipue cum nullus eorum posset omnes peragrare. Exemplo autem isto missiones in barbaricas regiones, id est, extra Romani imperii terminos sitas, synodus Constantinopolitana reservavit iis Episcopis, qui earum curam gerere solebant, scilicet præcipuis thronis erga provincias suis tractibus viciniores. Ea de causa Alexandrinus Episcopus Æthiopiæ consulebat, Antiochenus Indiarum Ecclesiis, Cæsariensis in Cappadocia majoris Armeniæ Ecclesias ordinabat, quod jus deinde, post subjectam Constantinopolitanæ sedi Cæsaream, in illam devolutum est. Romanus jure patriarchico occidentis quoque provincias in barbarico constitutas curabat; quamvis jure primatus omnibus consulere posset, saltem negligentibus suum officium reliquis Patriarchis.

XI.

XI. Sed, ut ad primum conſilium Chriſti in Eccleſiæ regimine inſtituendo redeamus, ex ſuperius dictis patet, collatam collegio Apoſtolorum regendi auctoritatem, ea lege, ut Petrus præeſſet Eccleſiæ unitati, eamque cuſtodiret. Defunctis autem Apoſtolis non eſt everſa ſemel conſtituti regiminis forma & nova ſubſtituta; præcipue cum prior illa neceſſaria non eſſet temporibus Apoſtolorum, niſi quatenus intererat, formam regiminis ſemel conſtituere, quæ in perpetuum eſſet obſervanda. Itaque in Epiſcopis, quos Apoſtoli in locum ſuum ſubſtituerunt, debet vigere idem adminiſtrationis & regiminis ſtatus. Rerum ſumma & infallibilis poteſtas erit in collegio Epiſcoporum, conjuncto cum præſide unitatis. Hæc eſt enim ſententia horum verborum, *ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*, id eſt, adverſus Eccleſiam ædificatam ſupra petram, conjunctam nempe & adhærentem petræ ſive præſidi unitatis. Porro cum Petrus fuerit conſtitutus a Domino petra & caput unitatis Eccleſiæ, ſine dubio is Epiſcopus, qui Petri locum poſſidebit, dignitatem quoque & auctoritatem capitis in ſe ſuſcipiet. Locus autem Petri eſt Eccleſia Romana, ut inter ceteros diſerte docuit Cyprianus. Ex quo ſequitur, in Epiſcopo Romano reſidere primatum in Eccleſiæ regimine a Chriſto conſtitutum. Quare poterit ille ex officio & vi poteſtatis ſibi collatæ unitatem tueri, erudiendo ignaros, & contumaces ligando ſive cenſuris percellendo, cujuſcunque ſint conditionis, ſive Epiſcopi & clerici, ſive laici. Unitas autem violari poteſt aut hæreſi aut ſchiſmate. Exercere ergo poterit poteſtatem illam in his unitatis ſciſſionibus: quæ tamen ſi a parte Eccleſiæ non contemnenda ſiant, ut majori cum fructu remedia adhibeantur, adhibita Epiſcoporum ſynodo, quæ collegium univerſum repræſentat, docendi ſunt, qui errant, & corrigendi, niſi reſipiſcant, Petri Apoſtoli exemplo, qui eam formam ſecutus eſt in controverſia dirimenda de ſervandis ritibus legalibus. Eadem quoque diſtinctione adhibita Leo I. poſt damnatam a ſe cum ſynodo Romana Eutychianam hæreſim, Legatos ſuos in Orientem miſſos monuit, ut communionem negarent iis Epiſcopis, qui ſuæ ſententiæ ſubſcribere nollent; ſi autem magna pars Epiſcoporum refragaretur, tum a Marciano Imperatore ſynodum generalem cogendam peterent, in qua renitentes doceri poſſent.

Vide lib. 5. de concord. cap. 8. §. 3.

XII. Auguſtinus ait, Petrum Eccleſiæ perſonam repræſentaſſe, quando illi datæ ſunt claves, quæ tunc ſunt datæ Eccleſiæ. Cajetanus & alii ajunt datas Eccleſiæ, id eſt, in Eccleſiæ utilitatem, quæ explicatio eſt frigida. Gerſon ait, datas Eccleſiæ fontaliter, ut Eccleſia eas deinde daret Petro & reliquis, quæ falſa, quia poteſtas ſpiritualis data eſt tantum miniſtris principaliter. Coeffeteau ait, datas Eccleſiæ, id eſt, Petro & ejus ſucceſſoribus; quæ ſapit ſtylum curiæ Romanæ. Mihi videtur, datam Petro poteſtatem, quia repræſentabat Eccleſiam ob primatum inter diſcipulos, inquit Auguſtinus, datam ergo Eccleſiæ, id eſt, corpori myſtico Chriſti, quod conſtat ex Epiſcopis & plebe fideli. Eccleſia eſt plebs ſacerdoti adunata, inquit Cyprianus. Data eſt ergo poteſtas Petro principaliter, & in eo omnibus Apoſtolis & Epiſcopis in perpetuum, ut eam in Eccleſiæ unitate exerceant; extra quam unitatem poteſtas illa ſpiritualis eſſe non poteſt. Data Eccleſiæ, quæ eligit miniſtros & ordinat, & ſtatim poteſtas hic data a Chriſto communicatur ordinibus. Claves datæ Petro, ceteris deinde communicandæ, ut ait Optatus.

Vide Caſſian. lib. 3. de incarnat. cap. 12.

XIII. Pares honore & poteſtate Apoſtoli. Varie hoc intelligitur. Bellarminus quoad amplitudinem in ſubditos pares, ſed inter ſe impares quoad modum regiminis, quod ſoli Petro commiſſum eſt. Puta, pares fuiſſe inter ſe in omnibus, regimen quoque illis commiſſum quoad ſervandam unitatem. Sed in executione paris illius poteſtatis tenebantur Apoſtoli fundare Eccleſias in unitate; cujus caput cum eſſet Petrus, illius communioni eas ſubjicere tenebantur, ut docet Optatus. Ceterum ipſi unitatem quoque conſervabant, violatores corrigendo, ut fecit Paulus in epiſtola ad Corinthios. Quod manavit in Epiſcopos, qui jus idem habent, ita tamen, ut ſinguli & univerſi ab unitate capitis pendeant.

Statim atque Chriſtus doctrinam ſuam propalare incepit, multos habuit ſectatores, qui diſcipuli vocantur generali nomine in evangelio. Ex eorum numero duodecim ſelegit perpetuos ſibi comites futuros, individuos in comitatu & in convictu, ut loquitur Tertullianus. Eorum nomina recenſent Evangeliſtæ Matth. X. Marci III. & Lucæ IV. Verba Matthæi: *Duodecim Apoſtolorum hæc ſunt nomina. Primus Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater ejus, Jacob Zebedæi, & Joannes frater ejus, Philippus & Bartholomæus, Thomas & Matthæus publicanus, Jacobus Alphæi, & Lebbæus cognominatus Thaddæus*, (qui Judas Jacobi dicitur Lucæ VI.) *Simon Cananæus, & Judas Iſchariotes, qui & tradidit illum*, id eſt, Chriſtum. Illos vero per gradus veluti quoſdam ad plenam apoſtolatus functionem evexit; cujus præcipuæ partes ad tempus ſuſcitati e mortuis Chriſti cum pertinerent, integram tunc poteſtatem illis contulit. Interim vero præſens & in hominum convictu degens, in rudimentis & veluti tyrociniis quibuſdam apoſtolatus eos exercuit, augendo illos ipſo Apoſtolorum nomine; cujus origo non aliunde petenda eſt, quam ex uſu Græcanicæ linguæ apud Judæos Helleniſtas, qui Miſſos cum mandatis ἀποστόλους vocabant, quos Legatos Latine dixeris, ut 3. Reg. cap. XIV. ex ſeptuaginta interpretum verſione redditur *Apoſtolus*, qui Hebraice שלוח. Quæ dictio in Thalmudicis libris eos ſignificat, qui decimas atque alia percipiebant, & ad Levitas deferebant; qui dicuntur ἀποδοχεῖς ſive ſuſceptores in edicto Auguſti ad Aſiæ civitates, & eorum functio ἀποστολὴ apud Julianum in epiſtola ad Judæos & apud Epiphanium, quod nomen manſit poſt urbis excidium. Nam Patriarcharum in diſperſione conſtitutorum aſſeſſores vocabantur ἀπόστολοι, teſte Epiphanio. In codice Theodoſ. tit. de Judæis, Apoſtoli vocantur, qui ſummam pecuniæ a Synagogis exactam ad Patriarchas ſuos reportabant. Chriſtus itaque, quos mittere decreverat, velut Legatos, ad mandata ſua in populos perferenda, fructumque caſtigatæ vitæ, velut decimas, ad ſe reportandum, Apoſtolos dixit; qui Chriſti legatione fungebantur, ut loquitur Paulus. Porro Apoſtoli dictionem ἀπὸ τοῦ ἀποστέλλειν derivatam non ſolum docet Grammatica, ſed etiam verba Marci cap. III. Καὶ ἐποίησε δώδεκα, ἵνα ὦσι μετ᾽ αὐτοῦ, καὶ ἵνα ἀποστέλλῃ αὐτοὺς κηρύσσειν.

XIV. Duodecim numero eligit Chriſtus, quoniam ſpiritale regnum exſtructurus exprimere voluit reipublicæ Judaicæ imaginem, quo clarius appareret, regni æterni promiſſiones in ipſo ſolide impletas. Sicut enim tribus duodecim, ita duodecim erant phylarchæ eximia dignitate, ad quam alludunt verba Chriſti Matth. XIX. & Lucæ XXII. quemadmodum docuit vir eruditiſſimus Hugo Grotius, in adnotatis ad caput decimum Matthæi & alibi. Proceres ſeu capita cujuſque tribus (ideo dicti phylarchæ) in veteri ſtatu regni Iſraelitici proxime ad regiam majeſtatem accedebant, & in publicis cœtibus juxta ejus ſolium ſedebant in ſellis curulibus. Unde Chriſtus in judicando confeſſuros ſecum Apoſtolos in duodecim ſedibus pollicetur Matthæi XIX. Enimvero quoniam in regno Iſraelitico duo primi loci erant τῶν φυλαρχῶν tribuum Judæ & Joſephi, hos honores videtur depoſcere Salome filiis ſuis Jacobo & Joanni, petens, ut alter ſedeat a dextris, alter a ſiniſtris in regno Chriſti, Matthæi XX. Quanquam autem ob duplam Joſephi liberorum portionem factæ erant

tribus

tribus tredecim, solent tamen plerumque nominari duodecim Actor. XX. Jacobi I. quia Levitica nullas habebat sedes seorsim, ac proinde nec proprium μεϱιδάρχην.

XV. Diximus, Apostolos initio electos a Christo, scilicet ut testes essent vitæ, doctrinæ, & resurrectionis ejus, Joannis XV. *Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.* Adde Actor. I. & X. Unde Paulus se Apostolum prædicat, quia vidit Jesum Christum nostrum. Recte igitur Tertullianus in libro de Pudicitia ait, Apostolos assumptos a Christo, ut *testes omnium* 1. Cor. 9. *gestorum essent.* Idem de Præscript. cap. XX. *Quis integræ mentis credere potest, aliquid eos ignorasse, quos magistros Dominus dedit, individuos habitos in comitatu, in discipulatu, in convictu?* Paulinus Nolanus epist. XI. *Quia Apostoli in orbem terrarum mittendi forent ad omnium gentium informationem, non auribus tantum, sed & oculis prædicandam fidem capere debebant; ut quod firmius didicissent, constantius edocerent.* Primus gradus potestatis, quam Christus illis contulit, substitit in eo, ut intra Palæstinæ fines Judæos ad melioris vitæ susceptionem hortarentur & ad Christum audiendum pertraherent, a qua accepturi essent cetera, quæ ad salutem & regnum cœleste, quod proximum erat, ipsis erant necessaria, addita potestate miracula patrandi ad obsignationem Matth. 10. & Marc. 3. eorum, quæ docebant. Deinde vero gustum quendam illis dedit pleni, quod exercere aliquando debebant, magisterii, verbis illis celebratissimis, quibus post professionem de divinitate Christi editam a Petro, hujus fidem eximio præmio rependit, & consilium suum de constituendo in futurum Ecclesiæ suæ regimine aperuit. Matthæi XVI. *Beatus es Simon Bar-Jona; quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed pater meus, qui in cœlis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.*

XVI. Pro aperta & libera nominis sui confessione a Petro facta voluit Christus illi reponere aliquid sublime, quod ad Ecclesiam quoque suam pertineret, quæ fidei illi potissimum inniti debebat. Quod ut perficiat, orditur a mutatione nominis; adeo ut, qui Simon Bar-Jonæ proprio & familiari nomine vocabatur, esset in posterum Cephas sive Petrus; communicato illi nomine appellativo Christi, qui petra dicitur & lapis angularis ædificii spiritalis. Ex illa communione nominis voluit intelligi adsciscendum Petrum in societatem illius ædificii construendi, & in eo opere dirigendo proximum a Christo, & auctoritate ab eo derivata principalem administrum futurum. Quod non ex conjecturis ducitur, sed ex ipsis evangelii verbis. Rationem enim redditurus Christus, cur novum Petri nomen contulisset his verbis: *Tu es Petrus;* subjungit: *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,* id est, te præcipuum ecclesiæ ædificandæ fundamentum adsciscam, tibi, ut præcipuæ post petram Christum petræ, ecclesia innitetur. Quod ab ejus soliditate recedet, corruet ædificium; nec poterit primariæ & angulari Christi petræ conjungi, quod nexum non fuerit cum secunda illa petra, quæ toti ædificio velut fundamentum proximum a Christo substernitur.

Sane proposito mutati nominis conveniebat, ut novitatis hujus ratio aperiretur. Ita de Abrahamo dictum, quando ex Abram factus est Abraham:
Gen. 17. *Nomen tuum erit Abraham, quia patrem te multarum gentium constitui.* Sic de Jacobo: *Israel*
Gen. 32. & 35. *erit nomen tuum. Nam ut principem te geris apud angelos & homines.* Eodem modo Christus ait: Petrus a me nominaris, quia eris quasi petra in ædificio ecclesiæ. Observandum hic est, Christum Syriaca lingua locutum, qua nomen *Cephas* Simoni indidit, ut docet Joannes cap. I. ubi statim a vocatione promissa est Simoni nominis mutatio, quæ postea apud Matthæum exhibetur: *Tu es Simon filius Jonæ. Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Eadem illa vox *Cephas* Syriace & petram significat & hominem Petrum. Hieronymus in caput secundum ad Galatas: *Non quod aliud significet Petrus, aliud Cephas; sed quod nos Latine & Græce petram vocamus, Hebræi & Syri propter linguæ inter se viciniam Cepham nuncupent.* Quare non est, quod existimemus, Petrum esse nomen appellativum a petra ductum, ut Ciceronem a cicere, Lentulum a lente; quamvis aliter visum fuerit Augustino ob non expensam istam Hieronymi animadversionem; sed est nomen proprium, translatum cum sua significatione in sermonem Græcum. Recte autem Matthæus vel ejus Græcus interpres, Joannes quoque, vocis Hebrææ genus mutavere, quia vir petra dici non poterat salva Græci sermonis regula. Ex eadem consideratione factum, ut super petram ædificari dicatur ecclesia, non autem supra Petrum, quia dictio Πέτρος usitate non significabat, quod Christus volebat indicatum, nempe saxum tale, super quod aliquid ædificari soleat. Quare mutatio generis facta est eleganter & opportune in lingua Græca, cum eadem dictio *Cephas* retineatur in Syriaco sermone.

XVII. Quisnam vero sit futurus effectus hujus pollicitationis, explicat Matthæus sequentibus verbis, Petro scilicet tradendas regni cœlestis claves, ut earum ministerio ligare possit & solvere, claudere & recludere, omnesque ministerii apostolici partes pleno jure & speciali, quamvis non solus, exercere. De quo postea agetur, & docebitur, Christum implevisse, quod hic spoponderat, data Apostolis omnibus & Petro auctoritate apostolica, cum eo discrimine, quod hic significatur.

XVIII. Hæc quidem interpretatio satis aperta est. Sed in negotio tanti momenti necesse est, ut vetusta patrum traditione fulciatur, ne videamur novam doctrinam orbi Christiano invehere, ut contra sui animi sensum novatores conqueri solent. Quod abunde cum præstitum fuerit a viris eruditis, nos pauca veterum testimonia seligemus, quæ universalis ecclesiæ mentem manifestius aperiunt: Sane ex isto Matthæi & altero Joannis loco collegere patres, Petrum constitutum fuisse a Christo apostolici cœtus caput, principem, & coryphæum, remanente apud Christum eximia illa & suprema capitis dignitate & auctoritate, de quo copiose egimus supra, Petrus autem ea ratione caput dicebatur, qua Samuel dicebat, Saulem factum fuisse caput in tribubus Israel 1. Reg. 15. Et Esaias cap. VII. Rasin vocat caput Damasci, & filium Romeliæ caput; velut a Pacato Drepanio Præfectus dicitur provinciæ caput, & vir caput mulieris ab Apostolo; ut significetur præcipua Ephes. 5. quædam auctoritas juxta subjectam materiam in eo, qui dicitur caput.

XIX. Chrysostomus homilia secunda in Psalmum quinquagesimum. ὁ στῦλος τῆς Ἐκκλησίας, ἡ κρηπὶς τῆς πίστεως, ἡ κεφαλὴ τοῦ χοροῦ τῶν Ἀποστόλων ὁ Πέτρος. *Columna illa ecclesiæ, illa fidei basis, illud apostolici chori caput Petrus.* Philippus Cælestini Legatus Synodum Ephesinam alloquens: *Non ignorat,* inquit, *vestra beatitudo, totius fidei vel etiam Apostolorum caput esse beatum Apostolum Petrum.* οὐκ ἀγνοεῖ ἡμῶν ἡ μακαριότης, ὅτι ἡ κεφαλὴ ὅλης τῆς πίστεως ἢ καὶ τῶν Ἀποστόλων ὁ μακάριος Πέτρος Ἀπόστολος. Quod relatum est in acta Synodi absque cujusquam intercessione. Caput Apostolorum dicitur quoque ab Optato Milevitano, Hieronymo, & primatum vel principatum apostolatus gerere ab Augustino.

XX. Optatus Milevitanus Episcopus libro secundo adversus Parmenianum eo verbo utitur, & rationem ejus appellationis profert, scilicet, ut Apostoli scirent, ecclesias in unitate cum Petro fun-

fundandas & regendas, eumque schismaticum & a compage corporis alienum, qui propriam sibi ecclesiam & a capitis sive Petri communione alienam vindicaret. *Negare non potes, scire te, in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, unde & Cephas appellatus est; in qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur, ne ceteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent; ut jam schismaticus & peccator esset, qui contra generalem cathedram alteram collocaret.* In quo loco expendendo amolienda est macula, qua solet adspergi a novatoribus Optatus ignorationis linguæ Hebrææ, ac si putasset, Cepham deductum esse a dictione Græca κεφαλή. Hoc tantum voluit, Cepham dictum a Christo, sive petram, cui collegii apostolici moles compaginari deberet. Quamvis nihil quoque vetet, quin ad nominum in sono similitudines alluserit, Cephæ cum κεφαλῇ, quæ in rei significatione congruebant. Quod a Gregorio Nazianzeno & aliis Græcis usurpatur in voce πάσχα; quam licet ab Hebræo *Phase* ductam non ignorarent, ad passionem Christi significandam retulerunt, ἀπὸ τοῦ πάσχειν, quia & sonus verborum & rei mysticæ significatio in idem congruebant.

XXI. Sed ad sententiam Optati ut redeamus, tria præcipua docet, quæ non a catholicis solum, sed neque a Parmeniano Donatista negari posse, contendebat, a Christo unam solam cathedram constitutam in ecclesia; eamque Petro collatam in urbe Roma, qui hac ratione factus est caput Apostolorum, porro unitatem ab omnibus Apostolis servandam in illa una cathedra; ne, si ab ejus unitate recedentes in ecclesiis ædificandis aliam cathedram constituerent, schismatici & peccatores haberentur. Nullum erat periculum, ne scissa unitate ecclesiæ Apostoli proprias sibi ecclesias defenderent, sejunctas a communione Petri. Sed regiminis semel constituti forma exposcebat, ut sciremus, Apostolos quoque ipsos huic regulæ a Christo præscriptæ subditos fuisse. Pares quidem in ceteris erant Petro; sed in retinenda unitate eum respicere debebant, ut totius collegii caput & rectorem unitatis, quemadmodum uberius explicabitur.

XXI. Unitatis itaque retinendæ in corpore universo necessitas cum a Christo caput instituendum exposceret, id ille pro sua divina sapientia præstitit; sicut docuit Optatus, & diserte quoque Hieronymus libro primo adversus Jovinianum: *At dicis, super Petrum fundatur ecclesia, licet id ipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claves regni cælorum accipiant, & ex æquo super eos ecclesiæ fortitudo solidetur, tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio.* Christus itaque inter duodecim illos Petrum selegit, caputque collegii apostolici constituit, ut schismatum occasionibus sublatis, unitas ecclesiæ servaretur, tum ab Apostolis, sed præcipue ab episcopis, eorum successoribus, qui hac singulari capitis potestate indigebant. Porro hæc capitis auctoritas non impediebat, quin ex æquo super omnes Apostolos ecclesiæ fortitudo solidata esset, ut observat Hieronymus, cum fideles superædificati dicantur super fundamentum Apostolorum, licet in eo prima esset, post lapidem angularem, Petri immobilis petra. Egregie nugas agunt, qui ex priore Hieronymiani loci clausula secundum evertunt, vel e contrario, cum utraque a viro cordato proferatur, qui pugnantia inter se eadem periodo non concluderet. Caput Apostolorum est Petrus cum potestate, dissidia & unitatis scissiones amoliendi, in quo specialis illi cura præ ceteris Apostolis mandatur. Ex æquo tamen super omnes Apostolos ecclesiæ soliditas constituitur; qui pari erant consortio potestatis præditi, ut inferius dicetur.

Ephes. 2.

XXIII. Sed æqualitatem Apostolorum & præcipuum jus Petri, hujusque doctrinæ originem ex evangelio petitam docebit nos vetustior Optato & Hieronymo Cyprianus, cujus hæc sunt verba: *Loquitur Dominus ad Petrum: Ego tibi dico, quia tu es Petrus, & super istam petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Tibi dabo claves regni cælorum; & quæ ligaveris super terram, erunt ligata & in cælis. Et eidem post resurrectionem suam dicit: Pasce oves meas. Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat & dicat: Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, accipite Spiritum Sanctum, si cui remiseritis peccata, remittentur ei, si cui tenueritis, tenebitur; tamen, ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno* (Petro) *incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique & ceteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis. Sed exordium ab unitate proficiscitur, ut ecclesia una monstretur.* Ex quo loco diserte habetur, Christum auctoritate sua disposuisse originem unitatis in Petro, non solum, ut ecclesiam unam esse demonstraret, sed ut unitatis quoque retinendæ modum institueret, ædificata supra petram ecclesia, & data illi specialiter pascendarum ovium cura, ut docent prima hujus loci verba. Quibus consentiunt ista ejusdem auctoris epist. LXXIII. ad Jubajanum: *Petro primum Dominus, super quem ædificavit ecclesiam, ut inde unitatis originem institueret, potestatem istam dedit, ut id solveretur in cælis, quod ille solvisset in terris.* Horum verborum & sententiæ Cypriani explicationem non aliunde sumere debemus, quam ex Optato & Hieronymo, qui docent, ad Apostolos quoque pertinuisse, ut unitatem cum Petro, qui origo illius & caput institutus erat a Christo, sibi necessario retinendam esse scirent.

XXIV. Sed excipies, pari quoque consortio honoris & potestatis præditos fuisse Apostolos ex mente Cypriani, quod capitis auctoritatem imminuere videtur. Non me latent, quas Turrecremata, Cajetanus, Bellarminus, & alii in expedienda ista difficultate, distinctiones adhibuerunt: quarum præcipua hæc est, pares illos fuisse quoad amplitudinem rerum gerendarum, sed non in modo & ordine agendi, id est, ut illi explicant, singulos Apostolos plenissimam habuisse potestatem in omnes Christianos, sed inter se fuisse impares; quoniam Petrus erat caput ceterorum. Attamen si quid in rebus istis video, contraria via ineunda est ad mentem Cypriani felicius & facilius percipiendam. Pares erant in consortio ejusdem potestatis, tum in fundandis ecclesiis, tum in iis erudiendis atque regendis. Etenim non solum ecclesias singuli instituebant, sed etiam docebant & regebant, schismata & divisiones tollendo, ut fecit Paulus in ecclesia Corinthiorum, & hæreticos excommunicando, ut Hymenæum & Phygellum. In quo pares erant Petro, qui suas quoque speciales ecclesias fundaverat, & jure sibi cum singulis Apostolis communi regere poterat. Itaque super omnes ex æquo ecclesiæ fortitudo solidata erat, ut docuit Hieronymus. Præterea pares erant in apostolatu, etiam inter se, cum neminem illorum Petrus nec ligare posset, nec solvere ob speciale privilegium, quo in vera fide fuerant a Spiritu Sancto confirmati. Alioqui si ab officio desciscere per hæreses aut schismata potuissent, Petrus eos coegisset, ne turbarent unitatem. Id solum supererat Petro collato cum Apostolis, quod esset caput unitatis, adeoque tenerentur Apostoli, particulares ecclesias subjicere huic unitati, ut docuit Optatus, cujus specialis custodia in universa ecclesia erat penes Petrum. Uno verbo res ista comprehendi potest. Pares Apostoli inter se & in apostolatu; sed ratione habita ad unitatem ecclesiarum servandam Petrus eximio jure & præcipuo erat caput unitatis, adeoque sub illo respectu erat caput Apostolorum.

XXV. Quod si quis præfracte contendat, Cyprianum significare, Apostolos omnino inter se

pares

pares absque ullo discrimine, neque ratione unitatis retinendæ, neque alia ulla ex causa, is agnoscet, se refragari Cypriano, qui manifeste docet, dispositam fuisse a Christo originem unitatis in Petro, ædificando ecclesiam super illam petram, & oves pascendas illi committendo. Si respondeat, in eo reperiri inæqualitatem quandam, reponam, tamen agnitam a Cypriano, qui, excepto illo casu, in ceteris pares facit Apostolos.
Enarrat. I. in Psalm. 108. Tract. 124. in Joan.
Unde quemadmodum Optatus Petrum nuncupavit caput Apostolorum; sic Augustinus, Cypriani in lectione assiduus, dixit, Petrum gessisse primatum inter discipulos. Et alibi declarat, in eo fuisse apostolatus principatum. Si quis modum loquendi, qui est apud Cyprianum diserte conscriptus, pares fuisse, sed cum aliquo discrimine in origine unitatis, concoquere vel conciliare non possit, vel etiam Hieronymi verba, ita super omnes ex æquo solidatam fuisse ecclesiam, ut Petrus fuerit caput pro tollenda schismatum occasione, loquatur ergo ille talis apertius cum Leone I. epist. LVIII. qui superiores sententias sic expressit: *Inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris, fuit quædam discretio potestatis; & cum omnium par esset electio, uni tamen datum est, ut omnibus præemineret.*

XXVI. Porro cum primatus istius originem ducamus a verbis evangelii, necesse est, eorum significationem penitius inspicere & veterem traditionem in eis interpretandis sectari. In re quippe tanti momenti, quæ regimen ecclesiæ perpetuum respicit, ingenio indulgere & conjecturis factiones in hac materia subortas fovere alienum est a pii & sinceri viri officio. Neque aliquid consequetur, qui hac via grassabitur, cum divina Christi constitutio ad nos pervenire non possit, nisi cum scripturarum auctoritate & earum interpretatione, quam vetusta & inconcussa traditio conservavit, ut docuit Vincentius Lirinensis.

Primatum itaque veteres ex eo deducunt, quod Christus Petrum constituerit petram & fundamentum ecclesiæ ædificandæ, quod illi claves regni cœlorum se traditurum spoponderit, easque pollicitationes executus fuerit, quando ei pascendum gregem commisit.

XXVII. Sane per petram juxta literalis sensus proprietatem universa ecclesia, tum in Occidente, tum in Oriente, semper Petrum intellexit, neque ullus e patribus hanc interpretationem rejecit: imo vero omnes & singuli illam, ut veram & genuinam, amplexi sunt. Huic quidem receptæ ab omnibus explicationi superstruere alias, quæ huic primæ & universali non officerent, aliqui tentarunt, ut Origenes & Ambrosius; qui ad literalem sensum, quem ipsi quoque ponunt, moralem adjunxere, ad omnes fideles ea verba trahendo. Sic Epiphanius & alii, post agnitum petræ proprium sensum de ipsa Petri persona, alium quoque non ineleganter invexerunt explicandi & non evertendi primi causa, scilicet de confessione fidei a Petro facta. Qua de re inferius agemus, & de Augustini sententia, postquam literalem illam interpretationem citatis veterum testimoniis adstruxerimus.

XXVIII. Origenes homilia VI. in caput XII. Exodi: *Vide magno illi ecclesiæ fundamento & petræ solidissimæ, super quam Christus fundavit ecclesiam, quid dicatur a Domino: Modicæ, inquit, fidei, quare dubitasti?* Item libro quinto in epistolam ad Romanos cap. VI. *Petro cum summa rerum de pascendis ovibus traderetur, & super ipsum velut super petram fundaretur ecclesia, nullius confessio virtutis ab eo nisi caritas exigitur.* Idem apud Eusebium libro VI. hist. eccles. cap. XXV. *Πέτρος δὲ ἐφ' ᾧ οἰκοδομεῖται ἡ Χριστοῦ Ἐκκλησία, ἧς πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσι. Petrus, super quem ædificata est Christi ecclesia, contra quam inferiorum portæ non prævalebunt.*

Basilius libro secundo contra Eunomium, ut doceret, appellationibus nominum non solas rerum substantias, sed præcipue proprietates designari, hoc exemplo disputationem suam illustrat. *ὅταν γοῦν ἀκούσωμεν Πέτρον, οὐ τὴν οὐσίαν αὐτοῦ νοοῦμεν ἐκ τοῦ ὀνόματος, ἀλλὰ τῶν ἰδιωμάτων, ἃ περὶ αὐτὸν θεωρεῖται τὴν ἔννοιαν ἐντυπούμεθα. εὐθὺς γὰρ ἐκ τῆς φωνῆς ταύτης νοοῦμεν Πέτρον τὸν τοῦ Ἰωνᾶ, τὸν ἐκ Βηθσαϊδᾶ, τὸν ἀδελφὸν Ἀνδρέου, τὸν ἀπὸ ἁλιέων εἰς τὴν διακονίαν τῆς Ἀποστολῆς προσκληθέντα, τὸν διὰ πίστεως ὑπεροχὴν ἐφ' ἑαυτὸν τὴν οἰκοδομὴν τῆς Ἐκκλησίας δεξάμενον. Hinc est, ut, cum Petrum, nomen videlicet hoc, audiamus, non substantiam ejus intelligamus, sed earum proprietatum, quæ circa ipsum inspiciuntur, sensum concipimus. Ilico enim per hanc vocem intelligimus Jonæ filium, qui fuit ex Bethsaida, Andreæ fratrem, qui ex piscatore in apostolatus ministerium vocatus est; qui quoniam fide præstabat, ecclesiæ ædificationem in se ipsum recepit.*

Idem ad caput secundum Esaiæ ad verba illa: Tom. I. p. 869.
Erit in novissimis diebus manifestis mons Domini, postquam ostendisset, super Apostolos, tanquam supra montem, ædificatam ecclesiam, id peculiariter tribuit Petro: *ἐκ τῶν ὀρῶν ἦν καὶ Πέτρος, ἐφ' ἧς καὶ πέτρας ἐπηγγείλατο ὁ Κύριος οἰκοδομήσειν αὐτοῦ τὴν Ἐκκλησίαν. Unus ex montibus erat Petrus; super quam petram pollicitus fuerat Dominus, suam se ædificaturum ecclesiam.*

Gregorius Nazianzenus oratione XXVI. *ὁρᾷς τῶν Χριστοῦ μαθητῶν πάντων ὄντων ὑψηλῶν καὶ τῆς ἐκλογῆς ἀξίων, ὁ μὲν πέτρα καλεῖται, καὶ τοὺς θεμελίους τῆς Ἐκκλησίας πιστεύεται. Vides, quemadmodum ex Christi discipulis, magnis utique omnibus & excelsis, atque electione dignis, hic petra vocetur, atque ecclesiæ fundamenta in fidem suam accipiat.* Pag. 453.

Chrysostomus sæpe Petrum vocat fundamentum ecclesiæ & primum atque coryphæum apostolici cœtus, ut libro ad eos, qui scandalizati sunt. *πρῶτον τῶν Ἀποστόλων, τὴν κρηπῖδα τῆς Ἐκκλησίας, τὸν κορυφαῖον τοῦ χοροῦ τῶν μαθητῶν. Primum Apostolorum, fundamentum ecclesiæ, principem cœtus discipulorum.* Pag. 908.
Sermone primo de decem millium debitore: *Πέτρος ὁ τοῦ χοροῦ τῶν Ἀποστόλων κορυφαῖος, τὸ στόμα τῶν μαθητῶν, ὁ στύλος τῆς Ἐκκλησίας, τὸ στερέωμα τῆς πίστεως, ὁ τῆς ὁμολογίας θεμέλιος, ὁ τῆς οἰκουμένης ἁλιεύς. Petrus, chori Apostolorum princeps, os discipulorum, columna ecclesiæ, firmamentum fidei, confessionis fundamentum, orbis terrarum piscator.* Pag. 6.
Idem homilia quarta de verbis Esaiæ: *τί δὲ ὁ Πέτρος ἡ κρηπὶς τῆς Ἐκκλησίας; Quid autem Petrus basis Ecclesiæ?* Pag. 869.
Item homilia secunda in Psalmum quinquagesimum: *ὁ στύλος τῆς Ἐκκλησίας, ἡ κρηπὶς τῆς πίστεως, ἡ κεφαλὴ τοῦ χοροῦ τῶν Ἀποστόλων, ὁ Πέτρος. Columna illa ecclesiæ, illa fidei basis, illud apostolici chori caput, Petrus.* Pag. 1004.

Illustris est Epiphanii locus in Ancorato cap. IX. Hoic Marca admonuit, videndum esse locum & emendandum.
ἔδει τὸν πρῶτον τῶν Ἀποστόλων τὴν πέτραν τὴν στερεὰν, ἐφ' ἣν ἡ Ἐκκλησία τοῦ Θεοῦ ᾠκοδόμηται, καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς. πύλαι δὲ ᾅδου αἱ αἱρέσεις καὶ οἱ αἱρεσιάρχαι. κατὰ πάντα γὰρ τρόπον ἐν αὐτῷ ἐστερεώθη ἡ πίστις, ἐν τῷ λαβόντι τὴν κλεῖν τῶν οὐρανῶν, ἐν τῷ λύοντι ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ δέοντι ἐν τῷ οὐρανῷ. Sic enim ei, qui inter Apostolos primus esset, consentaneum erat, solidæ, inquam, illi petræ, supra quam est ecclesia Dei fundata; & portæ inferi non prævalebunt illi, quarum portarum nomine hæreses & hæreseon conditores intelliguntur. Omnibus quippe modis in eo stabilita fides est, qui cœli claves accepit, qui & in terra solvit & ligat in cœlo.

Cyrillus Alexandrinus libro primo in Joannem cap. 1. pag. 131. *Σίμωνα μὲν οὐκέτι καλεῖσθαι συγχωρεῖ. φερωνύμως δὲ ἀπὸ τῆς πέτρας μετωνόμαζε Πέτρον. ἐπ' αὐτῷ γὰρ ἔμελλε τὴν αὐτοῦ θεμελιοῦν Ἐκκλησίαν. Simonem eum jam non vocari patitur; sed congrua similitudine Petrum a petra vocari placuit, puta, super quem fundaturus erat suam Ecclesiam.*

Asterius Amaseæ Episcopus, cujus uberiorem locum alium inferius ponemus, in oratione de Petro & Paulo: *αὐτός τε οὐκ ἄμισθος ἀπῆλθε, οὐδὲ ἀγέραστος. μακάριος δὲ ὀνομασθεὶς παρὰ τοῦ ὄντως μακαρίου, πέτρα καλεῖται τῆς πίστεως, καὶ θεμέλιος καὶ ὑποβάθρα τῆς κατὰ Θεὸν Ἐκκλησίας. Ille vero haud* Pag. 143.

indo-

indonatus abiit ac sine præmio; quin potius ab eo beatus nuncupatus, qui eximie beatus est, fidei petra appellatur, fundamentumque ac basis Dei ecclesiæ.

XXIX. In eandem sententiam conspirant patres Latini vetustiores. Tertullianus libro de Præscriptionibus cap. XXI. *Latuit aliquid Petrum ædificandæ ecclesiæ petram dictum, claves regni cœlorum consecutum, & alligandi in cœlis & in terris potestatem.*

Cyprianus epistola LXXI. *Petrus, quem primum Dominus elegit, & super quem ædificavit ecclesiam.* Idem epist. XL. *Deus unus est, & Christus unus, & una ecclesia, & cathedra una super Petrum Domini voce fundata.* Et alibi.

Hieronymus libro primo adversus Pelagianos cap. IV. & in cap. XVI. Matthæi: *Secundum metaphoram petræ recte dicitur ei: Ædificabo ecclesiam meam super te.*

Zeno Veronensis Episcopus in sermone de Circumcisione: *Non sine ratione Simoni, super quem ædificavit ecclesiam Christus, Petrus nomen imposuit.*

Hilarius Episcopus Pictaviensis canone XXI. in Matthæum: *O in nuncupatione novi nominis felix ecclesiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius petra, quæ infernas leges & tartari portas, & omnia mortis claustra dissolveret. O beatus cœli janitor, cujus arbitrio claves æterni aditus traduntur, cujus terrestre judicium præjudicata auctoritas sit in cœlo, ut, quæ in terris aut ligata sint aut soluta, statuti ejusdem conditionem obtineant & in cœlo.* Idem in Psalm. CXXXI. *Petrum, cui superius claves regni cœlorum dederat, super quem ecclesiam ædificaturus erat, adversus quam portæ inferi nihil prævalerent, qui quæ in terris vel solvisset vel ligasset, ea in cœlis vel soluta persisterent vel ligata.* Et in Psal. CXLI. *Adeo, ut & firma superædificandæ in ea Ecclesiæ petra trepidaret.*

Ambrosius in versibus ab Augustino laudatis: *Hoc ipsa petra Ecclesiæ canendo culpam diluit.* Idem ad caput XXII. Lucæ, ad illa verba, *Ego rogavi pro te*, ait: *Eidem autem supra dicenti: Tu es Christus filius Dei vivi; respondet: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Et tibi dabo claves regni cœlorum. Ergo, cui propria auctoritate regnum dabat, hujus fidem firmare non poterat; quem petram dicit, firmamentum ecclesiæ judicavit.*

Augustinus in psalmo contra partem Donati, loquens de cathedra Petri in Romana ecclesia: *Hæc est illa petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ.* Idem sermone XV. de sanctis: *Petrum itaque fundamentum ecclesiæ Dominus nominavit, & ideo digne fundamentum ecclesia colit, supra quod ecclesiastici ædificii altitudo consurgit.* Sed de illius sententia statim dicemus.

Leo I. sermone secundo in anniversario die assumptionis suæ: *Manet ergo dispositio veritatis; & beatus Petrus in accepta fortitudine petræ perseverans, suscepta ecclesiæ gubernacula non reliquit. Sic enim præ ceteris est ordinatus, ut, dum petra dicitur, dum fundamentum pronuntiatur, dum regni cœlorum janitor constituitur, dum ligandorum solvendorumque arbiter, mansura etiam in cœlis judiciorum suorum definitione, præficitur, qualis ipsi cum Christo esset societas, per ipsa appellationum ejus mysteria nosceremus.*

Auctor libri de vocatione gentium lib. II. caput XXVIII. de Petro ait: *Hanc fortissimam petram, quæ ab illa principali petra communionem & virtutis sumpsit & nominis.*

XXX. Hac interpretatione posita, ut vera & genuina & a constanti traditione manante, facile est demonstrare, superimpositas alias non nocere veritati. Origenes quippe, postquam docuit, Petrum esse petram illam, cui ecclesiæ ædificium imponitur locis laudatis, adnotat tractatu primo in caput XVI. Matthæi, morali quoque sensu fidelium unumquemque, qui rectam fidem a Christo edoctus profiteatur & pietatis operibus confirmet, Petrum atque petram dici posse, atque in se ædificare ecclesiam, id est, eam, quæ ab ecclesia docetur, vitæ institutionem. Tantum autem abest, ut locus iste priori explicationi officiat, ut ei potius innitatur. En verba Origenis, quæ id evincunt, docentque, τὸ ῥητὸν pollicitationis Domini Petrum respicere, sed mentem sive διάνοιαν, aut, sicut ille loquitur, Spiritum Christi, ad unumquemque fidelium pertinere. *Evangelii quidem scriptum habet ad illum Petrum; ut vero docet illius Spiritus, ad quemvis, qui talis factus fuerit ac Petrus.* Literaliter ergo ista intelligenda sunt de Petro, sed spiritaliter & morali sensu de fidelibus, eodem Origene interprete hoc ipso loco, qui objici solet ad evertendam propriam illam interpretationem.

Eundem spiritalem sensum ex Origene mutuatus Ambrosius, licet assertor quoque literalis, libro VI. in Lucam cap. IV. *Qui carnem vicerit, ecclesiæ fundamentum est; & si æquari Petro non potest, imitari potest.* Quibus verbis satis indicatur, spiritalem sensum literali superadditum, non autem æquatum.

XXXI. Alteram quoque explicationem primæ non contrariam, quin potius illam complectentem, addunt plurimi veterum, nempe per petram intelligi fidei, a Petro editæ, de Christi divinitate confessionem. Sic loquitur Hilarius libro sexto de Trinitate, Epiphanius hæresi LIX. Cyrillus libro quarto in Isaiam, Chrysostomus homilia LV. in Matthæum, idem homilia secunda in psalmum quinquagesimum, Ambrosius libro sexto in Lucam, Gregorius magnus lib. VII. Indict. II. epist. LIII. & libro quinto Moralium cap. VII. Adrianus I. epist. III. Nicolaus I. epist. II. Joannes VIII. epist. LIV. & plerique mediæ ætatis auctores. Non est, quod tempus teram in refricandis testimoniis Hilarii, Epiphanii, Cyrilli, Chrysostomi, & Ambrosii, aliorumque, qui petram de Petro interpretantur; ac proinde sibi ipsis contrarii censendi non sunt, quin potius utramque explicationem in idem recidere reipsa eos existimasse dubium non est. Vulgo sic distinguunt, formaliter petram dici de Christo, sed causaliter de fide. Rem apertius exponemus & mysterium Christi pandemus, ut puto, si dicamus, in ea explicatione patres non tantum respexisse, quod Petrus pro confessionis suæ præmio hanc nominis petræ prærogativam tulerit, quamvis illud passim fateantur, sed rationem indicasse, qua fieri possit, ut Petrus positus sit pro fundamento ecclesiæ. Nempe ex se infirmus homo id præstare non poterat, nisi quatenus patre cælesti ejus mentem impellente, Christum filium Dei palam professus est: cujus confessionis beneficio adscitus est statim a Christo in nominis & officii participationem quandam; ita ut, quemadmodum Christus est verum & principale fundamentum ecclesiæ, præter quod nemo aliud ponere potest; sic Petrus ex beneficio Christi sit petra & fundamentum ecclesiæ opere externo ædificandæ confessione illa cum Christo conjunctum, adeo, ut secundum istud fundamentum intelligi non possit, nisi quatenus est conjunctum cum primo. 1. Cor. 10.

Istius explicationis idoneos auctores proferimus Epiphanium & Augustinum & alios, qui suis verbis sententiam, a nobis propositam, exprimunt. Epiphanius hæresi LIX. cap. VII. καὶ ὁ ἀρνησάμενος πρὸς ὥραν ἅγιος Πέτρος ὁ καὶ κορυφαιότατος τῶν ἀποστόλων, ὃς γέγονεν ἡμῖν ἀληθῶς στερεὰ πέτρα θεμελιοῦσα τὴν πίστιν τοῦ Κυρίου, ἐφ' ᾗ ᾠκοδόμητο ἡ Ἐκκλησία κατὰ πάντα τρόπον. πρῶτον μὲν, ὅτι ὡμολόγησε Χριστὸν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος, καὶ ἤκουσεν, ὅτι ἐπὶ ταύτῃ πέτρᾳ τῆς ἀσφαλοῦς πίστεως οἰκοδομήσω τὴν Ἐκκλησίαν μου. *Itemque princeps Apostolorum Petrus, qui Dominum aliquando negavit, qui quidem solidæ petræ instar nobis extitit, cui velut fundamento Domini fides innititur, supra quam ecclesia modis omnibus exstru-*

exstructa est. *In primis quidem, quod Christum Dei vivi filium esse confessus est, idque vicissim audiit: Supra hanc solidæ fidei petram ædificabo ecclesiam meam.* Petrus dicitur petra θεμελιῶσα τ̃ πίστιν. Quare intelligi non potest Petrus sub ratione petræ & fundamenti, nisi quatenus conjungitur cum veræ fidei de Christo professione.

Augustinus enarratione in psalmum LXIX. considerat Petrum, ut petram confessioni fidei conjunctam. *Petrus, qui paulo ante Christum confessus erat filium Dei, & in illa confessione appellatus erat petra, supra quam fabricaretur ecclesia &c.*

Itaque eleganter Ambrosius in libro de Incarnatione cap. V. promissionem illam factam Petro non de carne Petri, id est, quatenus homo privatus erat, intelligendam ait, sed de fide, quam monitus a patre publicavit, id est, de Petro conjuncto cum confessione primæ illius & principalis petræ. *Fides ergo est ecclesiæ fundamentum. Non enim de carne Petri, sed de fide dictum est, quia portæ mortis ei non prævalebunt; sed confessio vincit infernum. Et hæc confessio non unam hæresim excludit. Nam cum ecclesiam multis, tamquam bona navis, fluctibus sæpe tundatur, adversum omnes hæreses debet valere ecclesiæ fundamentum.*

XXXI. Conciliandi ergo patres cum iisdem patribus hæc est ratio, ut dixi, si discernamus Petrum hominem privatum a Petro instinctu numinis loquente: Hoc secundo modo acceptus, evadit beneficio Christi firmamentum fidei & confessionis fundamentum, ut loquitur Chrysostomus, cujus hæc sunt verba in homilia prima de decem millium debitore: Πέτρος ὁ τ̃ χορ̃ τ̃ Ἀποςόλων κορυφαῖος, τὸ ςόμα τ̃ μαθητ̃, ὁ ςύλος τῆς Ἐκκλησίας, τὸ ςρέωμα τῆς πίςεως, ὁ τῆς ὁμολογίας θεμέλιος, ὁ τῆς οἰκεμένης ἁλιεύς. *Petrus chori Apostolorum princeps, os discipulorum, columna ecclesiæ, firmamentum fidei, confessionis fundamentum, orbis terrarum piscator.* Atque eo modo Ecclesia illi superædificabitur, non ut homini, (quemadmodum docet alibi Chrysostomus sermone de Pentecoste) sed super fidei confessionem. *Quid est super petram? hoc est super confessionem.* Qui hos duos loquendi modos alibi una periodo complectitur & reducit ad concordiam, nempe homilia LV. ad caput XVI. Matthæi: *Tu es Petrus, & super hanc ædificabo ecclesiam meam.* Τ̃τέςι, τῇ πίςει τῆς ὁμολογίας. ἐντεῦθεν δείκνυσι πολλ̃ς μέλλοντας ἤδη πιςδεῖν, καὶ ἀνίςησιν αὐτ̃ τὸ φρόνημα, καὶ ποιμένα ποιεῖ. *Id est, fidem atque confessionem. Hic aperte prædixit, magnam eorum, qui credituri & erant & sunt, multitudinem fore, & sublimiora facere ipsum facit, & ecclesiæ pastorem constituit*, ac si diceret, Petrum Christo & fidei a se professæ innixum, illius publicandæ in ecclesia & pastorali regimine conservandæ principalem Christi ministrum futurum & gregis pastorem.

XXXIII. Quare plerique veterum compendio verborum, non solum confessionem fidei, sed Christum ipsum, qui petra dicitur, & a quo Petrus petræ nomen habuit, apud Matthæum significari docuerunt; ut Hieronymus libro adversus Jovinianum, libro I. in Matthæum cap. I. & in Isaiam cap. LIV. Augustinus tract. XXIV. in Joannem, sermone tertio de verbis Domini. Quod non impedit, quin sensu literali Petrus dictus fuerit petra; sed ostendit, alio modo non esse petram, nisi quatenus Christus a se confesso conjungitur, cumque pro primo fundamento supponit, a quo etiam nominis communicationem sumpsit. Petræ nomen utramque petram complectitur, Petrum quidem sensu literali directo, Christum autem excellentiore sensu & necessario. Unde Petrus dictus est ab illa petra allegorica. Hieronymus libro tertio in Hieremiam cap. XVI. *Non solum Christus petra, sed & Apostolo Petro donavit, ut vocaretur petra.* In eandem sententiam passim patres, ut Tertullianus libro quarto contra Marcionem, Ambrosius lib. VI. in Lucam cap. IX. Augustinus in Psalmum LV. & plures alii, quos in re manifesta omitto.

Quoniam autem opponi solet Augustinus, ac si generaliter receptam illam explicationem de Petro improbaret, adducenda sunt illius verba ex libro primo Retractationum cap. XXI. *Dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quod in eo tanquam in petra fundata ecclesia, qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus beatissimi Ambrosii, ubi de gallo gallinaceo ait: Hoc ipsa petra ecclesiæ canente culpam diluit. Sed scio, me postea sæpissime sic exposuisse, quod a Domino dictum est: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam; ut super hanc petram intelligeretur, quem confessus est Petrus dicens: Tu es Christus filius Dei vivi; ac si Petrus ab hac petra appellatus personam ecclesiæ figuraret, quæ super hanc petram ædificatur, & accepit claves regni cœlorum. Non enim dictum est illi: Tu es petra; sed: Tu es Petrus. Petra autem erat Christus; quem confessus Simon, sicut eum tota ecclesia confitetur, dictus est Petrus. Harum autem duarum sententiarum, quæ sit probabilior, eligat lector.* Vides, ut neutram rejiciat, atque in differenda ea, quam secundo loco secutus est, ratio grammaticæ eum fefellerit, cum petram aliud esse a Petro ex linguæ Syriacæ ignoratione putaverit. Sed duæ istæ sententiæ re ipsa, ut dixi, in unam concurrunt & conspirant. Petra sensu literali & ab universali ecclesia probato Petrum significat; sensu conjuncto & sublimiori Christum, ut primam petram, sine quo Petrus non potest intelligi esse petra. Conjunctio ista literalis sensus & excellentioris non est nova in scripturis, tum in Psalmis, tum alibi. Eadem verba directe referuntur ad Davidem & ad Salomonem, & sensu sublimiori ad Christum. Sed in quæstione præsenti conjunctus ille sensus est necessarius ex connexione quoque grammatica rerum significatarum cum verbis. Petra enim significat Petrum, quatenus recipit communionem nominis a Christo, ob petram illam principalem, promovente patre, fideliter celebratam. Petra ergo prima connectitur cum secunda. Unde fit, ut illa veræ fidei sit origo, ista ex Christi constituto eam ministerio suo fulcire debeat, quam confessione promulgavit.

XXXIV. Quæ ut manifestiora fiant, necessum est, ut hic explicemus, quod veluti sacrilegum nefas objici solet, qua ratione Petro competat ratio fundamenti, cum Christus dicatur ab Apostolo esse solum fundamentum, præter quod aliud nemo ponere potest. *1. Cor. 3.* Sane cum Ecclesia templo & ædificio comparetur, illius moles non potest inniti, nisi Christo, qui est ejus auctor & conservator; imo vero, ut perstemus in eadem comparatione, est caput anguli, ut de se ipse loquitur Matthæi XXI. id est, juxta Paulum, angularis lapis, ἀκρογωνιαῖος λίθος, id est, lapis in angulo ædificii, positus, a quo angularæ structuræ initium ducunt, in quo est tota vis sustinendi ædificii. *Ephes. 2.* Quare religio Christiana ejus personæ, meritis, & doctrinæ superstructa est. Attamen propagari debuit hominum ad hoc a Christo selectorum ministerio. Illi autem aliquando architecti dicuntur, atque adeo ponere Christum pro fundamento, ut Paulus de se testatur ad Corinthios. Aliquando vero ipsi quoque dicuntur fundamenta; quoniam eorum ministerio compago illius ædificii superponitur. Sic Paulus ad Ephesios ait, eos superædificatos fuisse supra fundamentum Apostolorum, id est, doctrinæ Christi per Apostolorum ministerium. *Ephes. 2.* Itaque cum voces istæ per translationem usurpentur, aliis aliter aptantur. Christus est fundamentum, sed vere & proprie, & lapis angularis. Apostoli quoque sunt fundamenta ratione ministerii, dicto loco ad Ephesios & Apocalypsis XXI. Eadem ratione Petrus est fundamentum ratione ministerii, cum hoc tamen discrimine, quod ipsius ore Christi hoc nomine fuerit ornatus, adscitusque in petræ com-

communionem, adeoque sit specialius & principalius fundamentum in ratione ministerii, quam sint reliqui Apostoli.

XXXV. Comparationem fundamenti, quatenus Christo conveniat & Petro, satis superque explicuimus in enarratione locorum, quos e patribus protulimus. Illis tamen adjungemus testimonium illustre antiqui illius Asterii Amaseæ Episcopi, oratione in Petrum & Paulum. Pag. 127. Ἡσαΐας μὲν ἔν φησι Isai. 28. v. 16. προφητεύων, ὅτι λίθον ἀκρογωνιαῖον ὁ Πατὴρ ἔθηκε τὸν υἱόν. ἐνδεικνύμενος ὡς ἡ πᾶσα τοῦ κόσμου σύστασις, ἐκεῖνον ἔχει τὴν ἕδραν, καὶ τὴν κρηπῖδα. ὁ δὲ μονογενὴς πάλιν, καθὼς ἐν εὐαγγελίοις φησὶ, θεμέλιον τὸν Πέτρον, Matth. 16. v. 13. ὀνομάζει τῆς Ἐκκλησίας. σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν Ἐκκλησίαν. πρῶτος γὰρ ἀληθῶς ἐτέθη, ὥσπερ τις λίθος μέγας καὶ καρτερὸς Psal. 83. v. 7. ἐνερρίφη τῇ τοῦ κόσμου τούτου κοιλότητι, ἢ τῇ κοιλάδι τοῦ κλαυθμῶνος ὥς φησιν ὁ Δαβίδ· ἵνα πάντας Χριστιανοὺς ἐποικοδομουμένους βαστάσας, ἀναγάγῃ πρὸς ὕψος, ὃ τῆς 1. Cor. 3. v. 11. ἐλπίδος ἡμῶν ἐστὶν οἰκητήριον. θεμέλιον ἄλλον οὐδεὶς δύναται θεῖναι, παρὰ τὸν κείμενον, ὅς ἐστιν Ἰησοῦς Χριστός. τῇ ὁμοίᾳ δὲ κλήσει ὁ Σωτὴρ ἡμῶν καὶ τὸν πρῶτον αὐτοῦ μαθητὴν κατεκόσμησε, πέτραν ὀνομάσας τῆς πίστεως. διὰ Πέτρον τοίνυν, ἄπτωτον, καὶ ἀκλινὲς τὸ τῶν ἐκκλησιῶν ἑδρασμα σώζεται· γνήσιον, καὶ πιστὸν φρούριον τῆς εὐσεβείας μυσταγωγόν. διὰ τὴν οἰκοδομὴν δὲ τῶν δικαίων ἑστήκαμεν ἐρριζωμένοι, οἱ ἀπὸ ἀνίσχοντος ἡλίου, μέχρι καὶ δυομένου, Χριστιανοί. πολλῶν δὲ πειρασμῶν κινηθέντων, ἀφ' οὗ κατηγγέλη τὸ εὐαγγέλιον, καὶ μυρίων τυράννων· καὶ πρὸ ἐκείνων, τοῦ διαβόλου καταστῆσαι θελήσαντος εἰς ἔδαφος, καὶ καθελεῖν ἡμᾶς αὐτοῖς κρηπιδώμασιν· οὐδὲν ἰσχυρότερον ὤφθη τοῦ κατὰ Θεὸν ὀχυρώματος· ἐπειδὴ ταῖς ἁγίαις παλάμαις τοῦ πρώτου τῶν Ἀποστόλων κατεσκευάσθη τὸ τῆς πίστεως οἰκοδόμημα. *Sane vero Isaias vaticinio ait, posuisse patrem filium lapidem angularem, nimirum significans, mundi totam concretionem illo fundamento ac basi nixam esse. Quin & rursum unigenitus, ut sacris evangelii libris conscriptum est, Petrum ecclesiæ fundamentum dicit: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Primus enim re vera hic, ceu grandis quidam ac durus lapis, in mundi hujus cava demissus est, sive in convallem plorationis, quemadmodum David ait, ut Christianos omnes superædificatos portans, in sublime, nempe ad spei nostræ domicilium, subvehat. Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus. Sed & simili quoque Salvator noster appellatione primum suum discipulum honestandum duxit, nominans fidei petram. Per Petrum ergo, verum ac fidelem pietatis doctorem effectum, ecclesiarum stabilis inflexaque firmitas consistit. Justi porro ædificatione radicati stamus, qui ab ortu solis ad usque occasum sumus Christiani. Plane cum a tempore annuntiationis evangelicæ multæ increverint tentationes tyrannique nos innumerabiles, ac illis prior, diabolus, funditus destruere atque a fundamentis evertere conati sint; decurrerunt flumina velut torrentes, inquit salubris ac sacra Scriptura, vehementes diabolicorum spirituum venti irruerunt, copiosi ac immensi persequentium Christianos imbres impetu defluxerunt, nec quidquam tamen divino potentius visum est munimine, quod nimirum fidei ædificatio sacris primi Apostolorum manibus extructa esset.*

XXXVI. De hac interpretatione, quæ Petrum petræ dictione significari ostendit, hæc sunt verba Lib. 7. c. 8. §. 25. Antonii de Dominis: *Hanc itaque interpretationem petræ pro ipsomet Petro, ut fortasse literæ congruentem, admitto nunc & probo, ita tamen, ut duæ illæ sanctorum patrum interpretationes, quæ petræ vocabulo vel Christum intelligunt vel fidem & fidei divinitatis Christi confessionem, adhuc, ut probabiles maneant, & nihil catholicæ ecclesiæ contrariæ, licet hanc de Petri persona illis probabiliorem esse concederemus.* Nos vero jam ostendimus, duas istas explicandi rationes connecti & necessario cohærere cum prima.

XXXVII. Antequam discedam a disceptatione hujus loci, opportunum videtur his, quæ jam adnotata sunt, subjungere genuinam hujus periochæ explicationem: *Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Certum quidem est, primis verbis significari, evangelii ministerium sive cathedram principaliter in Petro collocandam, & ultimis, ecclesiam non esse vincendam ab hæresibus & schismatibus; quæ sunt præcipuæ inferorum portæ, sive aditus ad certam damnationem, cum hæretici sint αὐτοκατάκριτοι, ut loquitur Apostolus. Unde sequitur, infallibilem esse ecclesiam in oppugnandis hæresibus earumque sacrilegis erroribus refellendis & cum auctoritate plenissima atque certissima damnandis. Alioqui vinceretur ab hæresibus contra diserta verba Christi; quorum explanationem videtur suscepisse in epistola prima ad Timotheum cap. III. *Quomodo oporteat te conversari in domo Dei, quæ est ecclesia Dei viventis, columna & firmamentum veritatis*, στῦλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας. Ut singuli fideles sunt templum sive domus Dei, sic templum quoque erit cœtus fidelium, qui dicitur ecclesia Dei viventis: quæ quidem ecclesia vice columnæ & basis sustentat veritatem, ut partem superam ædificii. Etenim ab ecclesia Christi veritas abesse non potest, nec a fidelium cordibus, nec ab ore pastorum, qui soli jus habent a Christo gentes docendi. Universi ergo primarii pastores verbis & re conjuncti, qui ecclesiam universalem repræsentant in auctoritate magisterii, ab hæresibus expugnari non possunt, ea conditione adjecta, quam exhibet hic locus evangelii, si sint ædificati supra petram, supra cathedram Petri. Portæ itaque inferi non prævalebunt adversus ecclesiam Christi, ædificatam nempe supra petram. In communione ergo istius cathedræ & cum præcipua illius auctoritate & firmitate tractanda sunt illa omnia, quæ ecclesiæ unitatem aut retinere aut infringere possunt; tuncque certæ atque omnino indubitatæ erunt rerum controversarum decisiones. Cujus rei exemplum habemus illustre in disputatione illa de ritibus legalibus, an scilicet gentiles recenter ad fidem conversi, eorum observationi subjiciendi essent. Quæ controversia Antiochiæ nata, a Christianis per Paulum & Barnabam Hierosolyma delata est ad Petrum & Jacobum Apostolos ea in urbe degentes. Quid vero Petrus loci sui & officii memor tunc egerit, docent Acta. Conventum Apostolorum & Presbyterorum, id est, Episcoporum cogit, de negotio controverso relationem facit, primam sententiam dicit rem definiendo, ut solebat Imperator in senatu; quam Jacobus sequitur, exceptione aliqua addita; & de omnium suffragio decretum conditur ex sententia Spiritus Sancti, mentes suffragatorum illustrantis. Illius quippe auxilia pastores non destituunt, qui a petræ soliditate non recedunt, ut loquitur Leo primus. Act. 15.

XXXVIII. Ex hac, quam explicuimus, definitione manat alia non minus certa, nempe penes illas ecclesias non esse indubitata Spiritus Sancti præsidia in dirimendis de fide controversiis, quæ alienæ sunt a communione Petri. Propterea sequitur, plurium ecclesiarum infaustam scissionem, quæ lugendo schismate vel impia hæresi corpus ecclesiæ universalis dividit, non impedire, quin illæ, quæ supersunt, conjunctæ cum petra, corpus universum repræsentent, & absque suspicione erroris fidem tueri decretis suis una cum Petri cathedra firmiter & infallibiliter possint, cum ecclesia supra Petrum ædificata promissionibus Christi nitatur ad vincendas portas inferi.

DIA-

DIATRIBA DE TEMPORE SYNODI SIRMIENSIS PLENARIÆ, Et de Valentis & Ursacii venia.

I. Dissidium sententiarum in constituendo Sirmiensis Synodi tempore videtur aliquo pacto componi posse, si recta Hilarii verbis interpretatio adhibeatur. Socrates ait diserte, Synodum illam coactam fuisse post consulatum Sergii & Nigriniani, quod anno CCCLI. competit. Ejus testimonio fidem habet V. C. Petavius in suis animadversionibus ad Epiphanium, & in dissertatione de Damnatione Photini. Sed quia idem Socrates Osii lapsum in hanc Synodum Sirmiensem conjicit, lapsus autem ille & consensus in Arianam impietatem ab eo sene, post ipsius ad civitatem Sirmiensem relegationem, quæ anno CCCLVI. competit, expressus est Constantii artibus & minis, Baronius, Socrati hic in parte adhærendo, a Socrato ipso discedendum putavit in constitutione temporis hujus Synodi. Eam ergo collocat ad annum, qui sequitur Osii relegationem, id est, ad annum trecentesimum quinquagesimum septimum. Vir clarissimus Sirmondus diatriba prima & secunda Sirmitana Baronii partes tuetur, quas juvari putat manifesto testimonio Hilarii in fragmentis, qui biennio anteriorem facit Synodum Mediolanensem ipsa Synodo Sirmiensi. Aliunde vero constare ait, synodum illam, Mediolani habitam, incidere in annum CCCLV.

Socrates lib. 2. c. 24.

II. Auctor dissertationis, ut se his nodis eximat, Hilarii verba interpretatur, & ex iis probare nititur, Mediolanensem Synodum, quæ biennio Sirmiensem præcessit, e catholicis episcopis fuisse conflatam, & assignandam anno CCCXLVII. aliquot mensibus post Sardicense Concilium, non autem ex episcopis Arianis fuisse compositam; cujusmodi erant illi, qui Mediolanensem alteram Synodum constituebant, quæ a Constantio indicta est anno trecentesimo quinquagesimo quinto. Porro non in eo hæret; sed ex Hilarii loco novam Synodum profert Sirmiensem, quæ Mediolanensi nunc recens detecta sit biennio posterior, & ideo collocanda sub annum CCCLIX. quam secuta fuerit altera Synodus Sirmiensis; de qua est controversia, an competat anno CCCLI. an vero CCCLVII. Quod attinet ad formulam Osii, existimat ille quidem, in Synodo quadam Sirmiensi fuisse conscriptam post effœti illius senis relegationem, circa annum CCCLVII. Sed negat, id factum in Sirmiensi illa plenaria, de cujus tempore controvertitur. Et in hoc articulo fatetur, Socratem hallucinatum fuisse, duosque conventus in eadem civitate variis temporibus habitos permiscuisse.

III. Vapulat itaque Socrates, & incuriæ suæ dat pœnas callentissimis harum rerum & gravissimis censoribus. Non est nostrum, tantorum virorum lites componere; præsertim cum nec ipsi nobis hujus causæ arbitrium detulerint, nec nos, præ tenuitate virium, illud recipere in animum induxerimus. Videtur tamen, auxilio Hilarii, veritas aliquo pacto in lucem promi posse, modo ejus vestigia premamus. Proferam, non ipsa verba Hilarii, de quibus nulla est controversia, sed eorum sententiam, quantum quidem ego illam assequi possum. Et si qua in parte ab interpretatione, quæ jam est asserta, discessero, opinionem meam fulciam, & quid inde sequatur ad præsentem quæstionem, sincere colligam.

IV. Photinus Episcopus Sirmii, quæ Illyrici occidentalis metropolis erat, Pauli Samosateni virus a Marcello Episcopo Ancyræ, quæ est provinciæ Galatiæ metropolis, hauserat. Ad damnandum Photinum cogitur Concilium Mediolani, cui Romanæ ecclesiæ Legati interfuerunt. Damnatur hæreseos Photinus. Valens & Ursacius Pannoniæ & Mœsiæ Episcopi, Arianæ factionis signiferi; qui sententia Synodi Sardicensis (quæ ad discutiendam Athanasii & Marcelli & aliquot episcoporum causam jussu Principum Sardicam convenerat) a communione ecclesiæ catholicæ abscissi fuerant, ab hac Mediolanensi Synodo pacem & veniam exorant. Biennio elapso post conventum Mediolanensem, iterum altera synodus cogitur ad pellendum episcopatu Photinum. Conventus habitus est Romæ, ut nos quidem existimamus, non autem Sirmii. Conventus hujus & loci opportunitatem nacti Valens & Ursacius communionem, quam Mediolani obtinuerant, quamque Julius Episcopus Romanus approbaverat ea conditione, ut Athanasii communionem amplecterentur & conflatas in eum calumnias detegerent, professione data, ratam haberi, libello supplici rogant, Athanasium suscipiunt, & præterea Arianos damnant; prout altero libello, quem Mediolani porrexerant, se fecisse profitentur. Damnati Photini a Romanis, id est, a Synodo Romana, decretum ab occidentalibus, *sicut mos poscebat*, ad orientales mittitur, *non injuria extorquendi, ut nunc agitur, adsensum*, inquit Hilarius, *sed instruendæ universorum scientiæ consuetudine*. Libellus autem Valentis & Ursacii oblatus Julio, non statim ad orientem est delatus, sed biennio post damnationem Photini a Romanis decretam, ut testatur Hilarius; licet post aliquantum temporis *posteaquam superiorem epistolam Romæ emiserant* Valens & Ursacius, ut loquitur Hilarius, *ab Aquileja ad Athanasium*, epistolam alteram miserint, qua locum cum illo & ecclesiasticam communionem se habere significarint. Enimvero epistola Julio data, missa non est, nisi post biennium.

V. Itaque *superioribus literis* Julio Episcopo oblatis, *venia indulgetur, orantibus reditus ad catholicam fidem cum communione donatur; maxime cum Sardicensis Synodi veritatem ipsæ orantium veniam literæ continerent. Verum inter hæc Sirmium convenitur*, inquit diserte Hilarius, scilicet post Romanam Synodum, interim dum libellus supplex Valentis & Ursacii ad Orientem mittitur. Ita enim hunc locum accipiendum, ipsa narrationis series omnino cogit, ut patebit ista serio perpendenti. Quid autem Sirmii gestum fuerit, docet Hilarius, nempe Photinum olim reum pronuntiatum, & a communione unitatis abscissum, ne tum quidem per factionem populi episcopatu amoveri potuisse.

VI. Porro orientales, ad quos relatio missa fuerat a Romana Synodo de damnatione Photini, rescriptis suis inde occasionem arripiunt, judicium, quod de Athanasio & Marcello latum fuerat in Synodo Sardicensi, callide subvertendi: quod tandem obtinuerunt in Synodis Arelatensi anno CCCLIII. & Mediolanensi anno CCCLV. coactis. Color inde quæsitus fuit, quod Marcelli magisterio Photinus perfidiam suam didicisset, in ea autem causa Marcellum nunc esse, post ipsum Sardicense judicium, ut Athanasius ab ejus communione sibi temperandum esse, duxerit. Itaque locum esse, etiam ipsius Athanasii exemplo, rem Sardicæ judicatam retractandi. Excipit tamen Hilarius rectissime, Athanasii factum reprobari nullo pacto posse, neque cum Marcelli communioni adhæsit, Synodi Sardicensis auctoritatem secutus, quæ calumniam, creatam Marcello ob libri cujusdam sinceri editionem, discusserat, neque cum ab ejus communione recessit ob novas suspiciones, post Synodum exortas, maxime cum Marcellus ipse abstinuerit ecclesiæ ingressu & se ipsum abdicarit sine Synodi auctoritate. Quod ultimum adjectum puto, ne Athanasius in alienæ diœceseos limites irrupisse videretur, Marcellum Ancyranum Galatiæ Metropolitem, quæ provincia erat Asianæ diœceseos, non autem Ægyptiacæ, non solum communione sua excludendo, quod ubique fieri poterat, sed ecclesiæ Ancyranæ ingressu prohi-

prohibendo; etiam absque ulla synodalis conventus auctoritate.

VII. Superest, ut eum articulum, qui disputationis erit cardo, liquido explicem, scilicet Photinum secunda vice in Romana Synodo, non vero in Sirmiensi nunc recens excogitata, post Mediolanensem fuisse damnatum; vel si cautius loqui velimus, in priore quidem Synodo, jam damnato Photino, in Romana de primæ sententiæ executione disceptatum. Id sane ex ipsis Hilarii verbis mihi videor conficere, duplici argumento. Unum est, quod Ursacius & Valens referantur ab Hilario, *hujus Synodi opportunitatem* nacti, Romanæ plebis Episcopum adivisse, & deprecatos esse, ut per veniam in communionem admitterentur, Julium ex Concilio veniam, quam orabant, impertivisse. Nempe frustra commendaretur captata Synodi opportunitas, ut Julius adiretur, nisi Romæ coactam interpretemur; maxime si tanto intervallo a Roma coacta fuisset, videlicet Sirmii in Pannonia, ut asseritur. Julius vero illos communioni restituit ex Concilio, inquit Hilarius, id est, de Concilii sententia. Ita enim scribendum & intelligendum puto. Secundum argumentum desumitur ex istis Hilarii verbis, Photini hæresim a Romanis damnatam fuisse, id est, a Synodo Romana, de qua agebat; præsertim cum ad Synodum Mediolanensem, nisi per vim apertam, referri non possint. Quod tamen vir clarissimus sibi persuasit, eo prætextu, quod Legati ecclesiæ Romanæ ei Synodo Mediolanensi interfuissent; quia sola Legatorum præsentia id obtinere non potest, ut damnatio Photini profecta a Romanis esse videatur.

VIII. Vidit ante nos U. C. Sirmondus, hoc loco de Romana Synodo, sub Julio habita, tractari: sed quos nos perpensis verbis auctoris probavimus, id ille secundo superiori argumento & præterea conjectura quadam tuetur, quam trahit ex epistola Liberii Papæ, relata ab Hilario in fragmentis; qua Episcopis orientalibus rescribit, se literas eorum accepisse, ad Julium decessorem suum scriptas, *de nomine Athanasii & ceterorum factas*, inquit ille. Et subdit, se Presbyteros urbis Romæ Lucium, Paulum, & Helianum e latere suo Alexandriam ad Athanasium Romam evocandum direxisse; ut, quod ecclesiæ disciplina exigit, in eum statueretur. Porro renuentem Athanasium alienum fecisse a communione sua & ecclesiæ Romanæ & a consortio literarum ecclesiasticarum. Hæc est sententia Liberii. Unde colligit vir clarissimus, orientalium Episcoporum literas, Julio directas, eas videri, quarum mentio injecta est ab Hilario, cum astutiam illorum in rescribendo occidentalium relationi de Photini damnatione planissime detegit, & Athanasium iterum in judicium trahendi, sub colore communionis Marcello denegatæ, propositum insectatur. Tamen ut libere promam, quod sentio, literæ istæ orientalium non pertinent ad rescriptionem, cujus meminit Hilarius; tum quod in his aperte accusatur Athanasius & γυμνῇ κεφαλῇ, ut patet ex verbis Liberii, cum tamen apud Hilarium clanculum & per insidias sub nomine Marcelli rescripto orientalium peteretur; tum quod temporis ratio non patitur, ut tot annis dilata fuerit responsio, scilicet ab anno CCCXLIX. qui est annus Synodi Romanæ, usque ad annum CCCLIII. qui est primus sedis Liberii. Nolim autem, hanc epistolam Liberii, alio tempore ab eo scriptam, censeri, quam cum vi & minis Constantii cessit & Athanasii repetitæ damnationi consensit: ad quam rem cum sibi viam pararet, totam illam tragœdiam a capite arcessivit, orientalium querelas ad Julium commemorans & legationem, quam ipse Liberius longo post intervallo ad Athanasium miserit, qui contumacia sua negationem communionis videatur provocasse. Narratione hoc modo instituta solvetur nodus, quem Nicolaus Faber in præfatione ad Hilarii fragmenta dignum ornatissimo annalium ecclesiasticorum conditore putat, & facile componentur ista, quæ sunt in speciem pugnantia; nempe Liberium professum esse epistola luculenta apud Hilarium, se damnationi Athanasii assensum præbere nolle, & tamen ei communionem suam denegare epistola ista, quam tractamus.

IX. Inspiciendum nunc est, ad quem annum referenda sit Romana Synodus. Sub Julio habitam, testatur libellus ab Ursacio & Valente illi oblatus. Porro cum U. C. Petavius apertissime probet, ex Athanasio, reconciliationem Ursacii & Valentis contigisse superstite Constante Imperatore, qui XV. Kalendas Februarii anni CCCL. interemptus est, sane dicendum est, Romanam Synodum sub finem anni CCCXLIX. collocandam ante obitum Constantis, ubi reponit ille suam novam Synodum Sirmiensem. Plane de illo capite dubitari non potest, cum restitutio Ursacii & Valentis, non solum illa, quæ decreta est in Mediolanensi Synodo, sed plena & integra communionis cum ecclesia Romana restauratio, peracta sit ante obitum Constantis. Quod evincitur, non solum ex Athanasii loco a viro clarissimo prolato, sed etiam ex epistola Osii ad Constantium Imperatorem. *Cur toleras*, inquit, *Valentis & Ursacii criminationes, cum professi fuerint scripto, se calumniam fecisse? Id enim confessi sunt, non per vim, ut ipsi causantur, cum nulli milites adessent, & frater tuus nesciret*, οὐκ εἰδότος τοῦ ἀδελφοῦ σου. *Nihil enim tale sub ipso agebatur, qualia nunc fiunt; sed illi ultro Romam venerunt, & coram Episcopo Presbyterisque ibi præsentibus scriptum dederunt, quum prius pacificam epistolam ad Athanasium dedissent*. γράψαντες πρῶτον τῷ Ἀθανασίῳ φιλικὴν καὶ εἰρηνικὴν ἐπιστολήν.

Epistola Osii apud Athanasium in epist. ad solitar. pag. 839.

X. Biennio præcessit Romanam Synodus Mediolani habita, ut in Photini causam inquireretur, quemadmodum diserte docet Hilarius. Numerosiorem esse Synodum oportebat, cum de statu metropolitani Episcopi & de causa fidei ageretur. Itaque & Italiæ diœcesis, cujus caput erat Mediolanum, & Illyricianæ, ex qua erat Photinus, & Urbicariæ seu Romanæ diœceseos affuisse Episcopos, non est dubium; cum ecclesiæ Romanæ Legatos huic Synodo Mediolanensi adstitisse, testetur Hilarius, & celebratam fuisse præsentibus Romanæ ecclesiæ Presbyteris, doceat epistola Synodi Ariminensis. Præsentibus, inquam, Romanæ ecclesiæ Legatis, non autem Constantino præsente, ut se habet lectio epistolæ Concilii Ariminensis apud Hilarium, quæ laborat interpunctione. Itaque sensus restituetur, ut idem cum eadem epistola, ab Athanasio & Socrate relata, significet, si interpunctio ponatur post hæc verba: *Ecclesiæ Romanæ, Constantino præsente in hoc, cum magno examine fuisse conscriptum, quod tenens, baptizatus ad quietem Dei commigravit, nefas putamus, inde aliquid mutilare*. In hoc, id est, in Nicæno tractatu, cujus meminit superius. Sane conventum istum Mediolanensem catholicorum Episcoporum fuisse, recte probat U. C. Petavius, tum ex Legatorum Romanæ ecclesiæ præsentia, tum ex verbis Hilarii, qui docet satis liquido, in ea Synodo Arianam hæresim proscriptam fuisse; tum præcipue quod Ursacius & Valens, qui a Sardicensi Synodo absenti fuerant, rogata venia, in gratiam recepti sunt; ut docet epistola Synodi Ariminensis, & ipse libellus oblatus Julio ab Ursacio & Valente apud Hilarium. Itaque cum apertissime constet, Mediolanensem hanc Synodum & Romanam habitas esse post Synodum Sardicensem & ante obitum Constantis, id est, ab anno CCCXLVII. ad initium anni CCCL. & Mediolanensis biennio Romanam præcedat, necessario sequitur, primam cadere sub finem anni CCCXLVII. aut exordium CCCXLVIII. Romanam vero in annum CCCXLIX. desinentem.

XI. Hic gravis quæstio, quæ viros doctissimos exercuit, non est dissimulanda. Auctor enim diatribæ, fultus Hilarii testimonio & ipso libelli supplicis ab Ursacio & Valente porrecti exemplo, veniam & ecclesiæ pacem a Julio Papa impetrasse ambos illos hæreticorum duces, ab errore resipiscentes, docet. Unde robuste colligere se putat, eos non fuisse restitutos in Synodo Mediolanensi, quæ biennio præcesserit pacem, illis a Julio datam. Quare sibi persuadet, per errorem hujus reconciliationis, Mediolani peractæ, mentionem factam in epistola Synodica Concilii Ariminensis. Auctor dissertationis excipit, frustra injici suspicionem mendi in ea epistola, quæ totidem verbis descripta sit ab Athanasio, Socrate, Theodoreto, Sozomeno, & cujus synopsis referatur in fragmentis Hilarii; ubi patres testantur, Ursacium & Valentem veniam scripto petivisse & impetrasse, ea vero gesta fuisse cum Mediolani conventus Synodi haberetur præsentibus Romanæ ecclesiæ Presbyteris. Idem omnino testari ait, Liberium Papam in colloquio, quod illi cum Imperatore Constantio intercessit, quod refert Theodoretus. Cur autem repetita fuerit illa reconciliatio, rationes a scriptoribus non esse memoriæ proditas, ut neq multorum eventuum, de quibus dubitare sit nefas. Lib. 2. c. 16.

XII. Mihi autem videtur, nihil novum aut insolens in restitutione communionis Ursacii & Valentis accidisse, sed omnia rite & secundum canones peracta. Duo isti adolescentes imperii, ut loquitur Concilium Sardicense, degebant in Occidentis imperio, sub principatu Constantis Principis. Occidentalium Episcoporum sententia dejecti erant, non solum a communione ecclesiæ, sed etiam a sedibus suis. Relatio Synodi ad Constantem facta fuerat, ut executioni mandanda curaret, quæ decreta fuerant Sardicæ. Quid agerent Ursacius & Valens, ut periculo sedium amittendarum defungerentur, quam ut statim restitui in communionem postularent, deposita hæresi? Id vero consequi non poterant alibi, quam in numerosa Episcoporum Synodo, ex præscripto canonum. Ideoque Synodi Mediolanensis opportunitatem nacti, libello suo Arianam hæresim ejurant, Ariumque & ejus satellites anathematizant; ut ipsimet fatentur in libello, quem deinde obtulerunt Julio. Synodus eis pacem ecclesiæ indulsit, & sententiæ, adversus eos in Sardicensi Concilio latæ, gratiam fecit; ut docet epistola synodica Concilii Ariminensis. Restitutio illa communionis accepta fuit Julio Papæ: qui hac de re certior factus, juxta Synodi Mediolanensis decretum communionem suam illis impertivit. Quod fatentur his verbis in libello oblato Julio: *Maxime cum sanctitas tua, pro insita sibi benevolentia, errori nostro veniam fuerit dare dignata.*

XIII. Veruntamen id unum videtur Julius ab iis exegisse, ut Athanasii communionem amplecterentur, de quo judicium tulisset Sardicensis Synodus, & ut omnibus scripto testarentur, se per calumniam accusationes in Athanasium intendisse. Ægrum illis erat, scripto sibi calumniæ notam inurere. Itaque literis suis eos convenit Julius, ut starent promissis, quod illi se proxima quaque die impleturos, epistola sua significarunt. Cum autem tempus traherent, & in eas angustias se redactos viderent, ut a communione ecclesiæ projiciendi forent, si longiores moras necterent, occasione Synodi Romanæ usi, Julium adeunt, & scripto profitentur, sibi falso suggesta fuisse ea crimina, quorum reum Athanasium fuisse docuerant. Itaque se Athanasii communionem amplecti. Hæc est libelli Julio oblati sententia, ut patebit, si quis verba recte perpenderit. *Quoniam constat, nos antehac multa gravia de nomine Athanasii Episcopi literis insinuasse, atque literis sanctitatis tuæ conventi,* (lege *conventos*) *ejus rei, de qua significavimus, non præstitisse rationem, profitemur apud sanctitatem tuam, cunctis præsentibus Presbyteris fratribus nostris, omnia, quæ antehac ad aures nostras pervenerunt de nomine prædicti, falsa nobis esse insinuata, atque omnibus viribus carere, atque ideo nos libentissime amplecti communionem prædicti Athanasii; maxime cum sanctitas tua, pro insita sibi benevolentia, errori nostro veniam fuerit dane dignata.*

XIV. Tamen non est prætermittendum, e versione Athanasii, apud quem libellus iste Græce perscriptus habetur, alium sensum educi posse, scilicet Valentem & Ursacium pacem quidem adeptos Mediolani, Ario anathematizato, sed ab Athanasii communione se suspendisse intra certum tempus, quo fidem facerent eorum criminum, quæ Athanasio objecta fuerant; conventos autem a Julio, non potuisse implere probationem, cui se adstrinxerant; ideoque cum viderent, aut cadendum a communione ecclesiæ, aut communicandum Athanasio, professionem suam obtulisse Julio; qua testantur, falso sibi suggestum fuisse contra Athanasium, & ejus se communioni adhærere velle. τοῦ πράγματος χάριν, περὶ οὗ ἐδηλώσαμεν, οὐκ ἠδυνήθημεν λόγον ἀποδοῦναι. Athanas. Apol. 2.

XV. Sed parum interest, quo pacto ista explicentur, cum ex utraque interpretatione id liquido constet, veniam illis fuisse concessam Mediolani ea conditione, ut aut Athanasium reum peragerent, aut calumniam passum esse faterentur, & hoc casu communionem ejus amplecterentur delatores. Quod ultimum cum fecissent scripto, calumniæ suæ pœnitentes, plena illis, pura, & integra restitutio absque conditione est indulta. Hoc est, quod urget Hilarius, dum scribit in fragmentis, eis reditum ad catholicam fidem cum communione donatum. Si enim hæc verba rigide acciperentur, quasi tunc primum in ecclesiam recepti fuissent, pugnarent non solum cum epistola Synodi Ariminensis, quæ veniam & pacem concessam Mediolani fatetur, sed etiam cum hoc libello, quo nulla venia nunc de novo petitur, sed jam fuisse ante hunc libellum concessa, ostenditur. Quod etiam versio Græca liquido exprimit: ἡ θεοσέβειά σου κατὰ τὴν ἔμφυτον αὐτοῦ καλοκαγαθίαν τῇ πλάνῃ ἡμῶν κατηξίωσε συγγνώμην δοῦναι. Itaque non est, quod viri docti non liquere dicant, cur venia semel indulta Valenti & Ursacio in Synodo Mediolanensi, iterum indulgeatur in Synodo Romana; cum ea, quæ sub conditione concessa sunt, eveniente conditione possint & debeant iterum pure concedi, vel, si mavis, confirmari.

XVI. Porro Liberius in colloquio apud Theodoretum docens, Valentem & Ursacium libellos in Synodo dedisse, quibus veniam rogabant ob ea, quæ in Mareote provincia per calumniam eremodicio judicio seu ex una parte ἐκ μονομεροῦς confecta fuerant, non debet accipi de Synodo Mediolanensi, sed de Synodo Romana, ubi calumniam criminum, Athanasio objectorum, nunc primum profitentur, cum in Synodo Mediolanensi solum Arianæ hæresi renuntiassent, ut patet ex lectione libelli Julio oblati sub finem. Liberius autem falsitatem accusationis delatæ adversus Athanasium explicat, non iis verbis generalibus, quæ concepta sunt libello, sed ἐξηγητικῶς, potiori capite illius accusationis indicato, nempe fabula Mareotica. Hic, per occasionem, veram lectionem restituo in libello Ursacii & Valentis: *Profitemur etiam, quod si aliquando nos orientales voluerint vel idem Athanasius malo animo ad causam vocare, citra conscientiam tuam non adfuturos.* Legendum enim, *vel idem Eusebius*, e versione Græca Athanasii. Vis autem professionis in eo consistit, quod his verbis renuntiant Synodis orientalium, & se cœtibus occidentalium adjungunt, licet Illyriciana diœcesis, in confinio Orientis & Occidentis posita, sibi liberum existimaret eligendi, quas vellet, partes, ut docemus alibi accurate. Lib. 2. c. 16. *Athanas. apol. 2. pag. 776. Eusebius jam tum obierat. Itaque Εὐσέβιος ibi sumitur pro eo, quod Græcis dicitur, οἱ περὶ τὸν Εὐσέβιον.*

XVII. Si cui autem hæreat scrupulus, cur non longo tempore a Synodo Sardicensi altera Synodus

dus Mediolani indicatur, poterit eximi facili negotio, si perpendamus, tribus de causis eum conventum necessarium fuisse. Prima est, ut decreta Synodi plenariæ non fierent Synodis particularibus cura & studio Metropolitarum & Exarchorum, præcipueque Romani Episcopi diligentia. In eum itaque finem statim post Concilium œcumenicum provinciales Synodi cogebantur. Secunda causa, quæ nunc copiosiorem solito Synodum requirebat, fuit dissidium illud orientalium Episcoporum, qui Sardica discesserunt, & Sardicensis Synodi nomine ad Imperatores Constantium & Constantem & ad universas ecclesias literas dederunt. Itaque, ut huic vulneri mederentur Episcopi occidentales, opus illis fuit auctoritate Constantis Imperatoris, qui Mediolani residebat, quo nostri se transtulerunt, & Synodum habuerunt in eadem urbe, ut turbis excitatis ad impediendum reditum Athanasii præsto esset auxilium & consilium occidentalium. Tertia causa, eaque gravissima, fuit damnatio Photini; quæ non poterat peragi, nisi in majore & numerosiore Episcoporum synodo. Hæc est enim prima Photini damnatio, ut diserte docet Hilarius in fragmentis, dum ait, Marcellum communione Athanasii privatum post Synodum Sardicensem *anteriore tempore, quam Photinus arguitur*. Ut hinc pateat, & paulo post synodum Sardicensem Athanasium (qui caput istud, admissi in communionem Marcelli, valde urgeri videbat ab orientalibus, qui Sardica discesserant) a sua communione separasse Marcellum ante reditum in Orientem, & in Synodo Mediolanensi damnatum primo fuisse Photinum; etsi, repetito judicio, in Romana Synodo, & postea in Sirmiensi, sit confectus Photinus. Et sic Athanasius, exemplo communionis a se denegatæ Marcello, præbuit auctoritatem iis, quæ gerenda erant in Photinum, ut loquitur Hilarius, cujus mentem breviter expressimus. Itaque menses aliquot necesse est intercessisse inter Sardicense & Mediolanense Concilium. Neque enim biennium illud Hilarii per momenta est computandum, sed benignius, ut partem utriusque anni, primi & secundi, complectatur.

XVIII. Ad Photini damnationem quod attinet, discedere non possum ab Hilario, quin existimem, in Mediolanensi Synodo primo fuisse decretam; maxime cum epistola synodica Concilii Sardicensis orientalium, etsi debacchetur contra Marcellum ob novam hæresim, ab eo promulgatam, recenseatque ejus condemnationem in Synodo Constantinopolitana sub Constantino Principe, Photini Episcopi a præceptore Marcello seducti vel etiam damnati ne verbum quidem faciat. Itaque Severo non est fides adhibenda, qui damnatum cum Marcello Photinum scribit; nisi quatenus per consequentiam in auctore damnata hæresis, præjudicio quodam damnata est in discipulo. Quod attinet ad secundam Antiochenam Synodum, cujus confessio refertur ab Athanasio, in ea perstringitur ambigue Photinus sub nomine Scotini; quasi eadem cum Marcello sentiret, & severe anathema profertur in impietatem illam, cujus suspicione jam tunc laborabat Photinus. Sed prima Photini damnatio, directis verbis in eum, ut manifestum hæreticum, concepta, tribuenda est Synodo Mediolanensi. Nisi malimus facilius ita Hilarium cum Synodo Antiochena componere, ut prima damnatio, quæ Photino sit inflicta in Occidente, pertineat ad Synodum Mediolanensem, qui jam fuerat damnatus in Oriente a Synodo Antiochena sub Constantio. Ut recta sit Epiphanii correctio, quam vir clarissimus in suis animadversionibus protulit; nec est, quod ejus emendationis eum pœniteat.

Athanas. in lib. de synod. p. 896.

XIX. Sed, ut redeamus ad synodum Mediolanensem, laudanda est V. C. Sirmondi observatio: qua posita, dejicitur e præsidio alter vir doctissimus, quod ad Synodi istius assertionem validum existimabat. Petitum illud erat ex epistola Liberii Papæ ad Constantium, qua Pontifex testatur, Demophilum, Macedonium, Eudoxium, & Martyrium Episcopos ante annos octo Mediolani sententiam Arii noluisse damnare & iratis animis e Concilio exivisse. Etenim si scripta ponatur epistola anno CCCLIV. ut censuit Baronius, non autem CCCLV. ut putabat vir doctus, demptis annis octo, incidet conventus ille Mediolanensis in annum CCCXLVI. qui Synodum Sardicensem antecessit; cujus Concilii epistolæ Synodicæ, ab Arianis editæ, Demophilus ille, Macedonius & Eudoxius subscripserunt post discessum a Mediolano, quo se contulerant ab Orientalibus Episcopis ad Constantem missi, ut Athanasii damnationem tuerentur. Tamen non est omittendum, eundem virum clarissimum in sua diatriba alienam sententiam affingere Hilario, cum existimat, damnationem Photini in Concilio Mediolanensi, ab Hilario commemoratam, trahendam ad Concilium illud Mediolanense, quod coactum fuit anno trecentesimo quinquagesimo quinto. Certum quidem est ex epistola illius Synodi, prolata a Baronio, damnatos ibi fuisse Marcellum, Photinum & Athanasium. Sed hic conventus Arianorum fuit; ut omnes fatentur, & docet ipsa Athanasii damnatio. At vero conventus Mediolanensis, de quo Hilarius, conflatus erat ex Episcopis catholicis, & habitus fuit anno CCCXLVII. ut superius est demonstratum. Itaque duplex Synodus Mediolanensis statuenda est, in qua Photinus damnationem exceperit. Prima est Hilario dicta, ex Episcopis catholicis composita, & coacta anno trecentesimo quadragesimo septimo. Altera est Arianorum Synodus anno CCCLV. qui damnationem Athanasii cum Photino conjungunt. Quod Hilarius sine exprobratione non prætermisisset, si ejus fecisset mentionem.

XX. His positis, restat, ut inquiramus in tempus Synodi Sirmiensis, quæ coacta est ad damnandum Photinum. Vir iste & facundiæ nomine commendabatur, & flagrantissima gratia valebat apud Principem. Itaque magno conatu opus erat, ut a sede pelleretur. Imo vero, ut regulis, quæ tunc obtinebant, adhæreamus, cum fidei causa ageretur, necesse erat Orientis Episcopos in unam sententiam conspirare cum Occidente, ut hæresis profligata censeretur. Itaque relatione decreti adversus Photinum missa ab occidentalibus in Orientem ex more, ut docuit Hilarius, quid erat reliquum, nisi ut jussu Constantii Imper. orientales Sirmium se conferrent, ut damnatione Photini suffragiis tot Episcoporum confirmata, hæresis confoderetur? Sane Concilium illud Sirmiense ex orientalibus Episcopis conflatum fuit, ut scripsit Hilarius, seu, si mavis loqui cum Vigilio, ex toto Oriente. Ex ea sane satis eleganti conjectura sequitur, non longo intervallo temporis abfuisse Synodum Sirmiensem a Synodo Romana, unde profecta fuerat relatio ad orientales. Hoc etiam aperte docet Hilarius, dum ait: *Verum inter hæc Sirmium convenitur*. Quænam autem esset horum verborum sententia, superius diximus. *Inter hæc*, id est: Dum libellus Ursacii & Valentis mittitur in Orientem, & orientales literis suis res Sardicæ judicatas, per insidias refricare conantur sub prætextu damnationis Photini & communionis Marcello denegatæ ab Athanasio.

XXI. Constituatur ergo Romana Synodus, ut antea dixi, in anno trecentesimo quadragesimo nono. Poterit haberi Synodus Sirmiensis, ex mente Hilarii, anno CCCLI. quæ est Socratis & viri clarissimi assertio. Reclamat ille tamen, & Synodum Sirmiensem Hilarii aliam a Sirmiensi Concilio orientalium omnino esse pertendit, hac præcipue ratione, quod in isto Photinus exauctoratus est, ut docent Sozomenus & ceteri historici; in illa vero testatur Hilarius, populi tumultu id effectum, ut episcopatu amoveri non posset.

Marca, Differt. Eccl.

Hoc argumento tantum abest, ut dimoveat a mea sententia, quin potius inde illi fulciendæ subsidium petam. Etenim certum est ex Epiphanio & Socrate, damnatum Photinum, ex more illius seculi a Synodo ad Imperatorem provocasse. Constantius dedit judices ex aula. In eo autem magistratuum consessu Basilius Ancyranus a Synodo delectus, ut causam communem ageret, postquam diu cum Photino verbis conflixisset, hominem disputatione oppugnavit; qui victus, in exilium est actus. Itaque superest locus conciliandi Hilarii cum Sozomeno, hac ratione. Photinus damnatus est in Synodo Sirmiensi; sed populo per seditionem intercedente, & Episcopo damnato ad Principem provocante, judicium non est executioni demandatum. Tamen judicum a Principe datorum sententia Photinus meritas hæreseos & impudentiæ pœnas dedit, in exilium actus.

XXII. Hoc jacto fundamento, profligata est altera quæstio de fidei formula ab Osio subscripta terrore, minis, & verberibus coacto, ut ipse moriens professus est, teste Athanasio; qua ut concordiæ inter diffidentes Episcopos ratio iniretur, οὐσία, ὁμοούσιον, & ὁμοιούσιον reticentur, tanquam vocabula a scripturis non deprompta. Tempus hujus formulæ cadit in annum CCCLVII. ut consentiunt omnes. Ergo non fuit edita in Synodo Sirmiensi, quæ coacta fuit contra Photinum anno trecentesimo quinquagesimo primo. Et hic Socratem hallucinatum fuisse, qui contrarium scribat, sane fatendum est.

XXIII. Equidem Sirmii conceptam fuisse illam formulam, in altera Episcoporum Illyricianæ diœceseos & aliorum, qui aderant in comitatu Principis, Synodo, docet ipsum formulæ exordium. *Quoniam de fide deliberationem aliquam fieri placuit, diligenter omnia tractata sunt, & inquisita Sirmii, præsentibus Valente & Ursacio ac Geminio ac ceteris.* Valens erat Mursæ in Mœsia Episcopus, Ursacius Singiduni in Pannonia, Germinius Sirmii, quæ civitates sunt in Illyriciana diœcesi. Ergo in Synodo Sirmiensi editam fuisse blasphemam Osii formulam, dicendum erit cum Hilario, Phœbadio, & Vigilio. Frequentes erant illa ætate Synodi; ut in eo hærendum non sit, quod plures in eadem civitate intra breve tempus Synodos coactas fuisse legamus. Itaque in conventu Sirmiensi, non illo plenario totius Orientis, sed Illyricianæ diœceseos, expressa fuit Osii formula. Quod adeo aperte docet Hilarius, ut ejus testimonium nulla cavillatione possit eludi. Etenim recitata fidei formula edita in Synodo Sirmiensi coacta contra Photinum, recenset alteram formulam blasphemiæ apud Sirmium per Osium & Potamium conscriptæ. De hac secunda formula ait
Hilar. in lib. de Synod. diserte, eam *non olim tunc, cum Photinus episcopatu dejectus est, conscriptam esse.* Quo quid apertius ad hanc rem dici potest?

XXIV. Nobilis autem & elegans est illa viri clarissimi observatio, qua evincit, in Synodo Sirmiensi plenaria orientalium Episcoporum non fuisse conceptam Osii formulam, ex eo, quod Basilius Ancyranus, ejus Synodi fere princeps, non passus fuisset ejus formulæ interpolationem, (quæ illum latere non potuisset, utpote, quæ Principis Constantii minis sit exorta) cum tantis animis eam formulam a Constantio revocari, coacta in eam rem Synodo Ancyrana, petiverit statim atque in Orientem ecthesεos illius Osianæ cognitio penetravit. Imo vero non adeo obnixe postulasset ea, quæ Sirmii decreta fuissent, confirmari, nulla habita exceptione, si eodem tempore perfidiæ Osianæ formula Sirmii fuisset ab Episcopis concepta.

Synopsis Chronologica.

An. 346. Synodus Mediolanensis, cujus meminit Liberius.

Synodus Mediolanensis conflata ex Episcopis catholicis, in qua damnatur Photinus, & Valens & Ursacius in communionem recipiuntur. *Ex Hilario in fragmentis & epistola synodica Concilii Ariminensis.* *347. aut 48.*

Synodus Romana sub Julio, in qua Valens & Ursacius communionem Athanasii amplectuntur, & de Photini expulsione tractatur. *Apud Hilarium in fragmentis.* *349.*

Synodus Sirmiensis plenaria, ubi Photinus ab orientalibus condemnatur; cujus meminit Hilarius in fragmentis, qui eam constituit biennio post Synodum habitam sub Julio, e Socrate. *351.*

Synodus Mediolanensis Arianorum, in qua Photinus, Marcellus, & Athanasius damnantur. *355.*

Synodus Sirmiensis Illyricianæ diœceseos, in qua Osius subscribit formulæ ab Ursacio & Valente prolatæ. *357.*

JACOBI SIRMONDI
DIATRIBA,

Examen continens dissertationis, quam de Photino hæretico ejusque damnatione Dionysius Petavius in lucem nuper dedit.

Singulis capitibus singula respondent.

CAPUT PRIMUM.

De multiplici damnatione Photini, & novis Synodis, quas nupera dissertatio introducit.

I. Diversas quinque Synodos, in quibus damnatus sit Photinus, repertas a se vel notatas, dissertationis auctor enumerat. Non spernenda nec indigna scitu observatio, si vera est. Sed quis errorem in eo non statim deprehendit, quod primam Photini damnationem, imperante adhuc Constantino, factam putat? Enimvero damnari Constantino regnante Photini hæresis, qui potuit, si exorta nondum erat, si post Constantini excessum, Constantii demum temporibus, ipsius, qui loquitur, testimonio nata est? Epiphanii verba sunt, ipso interprete, Photinum, ἐπὶ Κωνσταντίου Constantio imperante, infelix doctrinæ suæ lolium disseminasse. Sub Constantio igitur emersisse Photinum, censuit Epiphanius. Hoc vero amplius Socrates, quod annum quoque ipsum, *Socrat. lib. 2. c. 4.* si attendimus, propemodum designavit, dum Photini exordia inter utramque Synodum Antiochenam defixit. Nam cum priorem in Encæniis anno Constantii Principis quinto, Christi CCCLI. peractam fuisse constet, exinde post biennium posteriorem, quid verisimilius, quam ut Photini hæresis ex Socratis sententia vel anno Christi CCCXLII. prodiisse dicatur cum Baronio, vel *De occid. imp.* CCCXLIII. cum Sigonio.

II. Ceterum, ut de anno fortasse aliqua sit controversia, de auctore nostro nulla esse potest, quin errarit, ad Constantini tempora referens, quod ad Constantiana pertinebat, falsoque de Constantinopolitana Synodo anni CCCXXXVI. conjectarit, damnatum in ea cum Marcello fuisse Photinum, quia de Marcello quidem & (a) Socrates *(a) Lib. 1. c. 34.* & (b) Sozomenus, & qui Synodo interesse po- *(b) Lib. 2. c. 31.* tuit, ac post illam mox scripsit, (c) Eusebius Cæ- *(c) Lib. 2. cont. Marc. c. 4.* sariensis & ceteri consentiunt, de Photino autem, quod in ea damnatus sit, nemo hactenus somniavit præter ipsum. Photinum sane una cum Marcello Synodica sententia perstrictum aliquando fuisse, nescii non sumus, sed non ante Synodum secundam Antiochenam, a qua damnati ambo reperiuntur in formula fidei, pluribus verbis expressa, quæ ideo μακρόστιχος appellata est. Audiat, & ἀστοχίαν suam miretur, qui primam damnationem Photini falsam

falsam & frivolam commentus sit, veram & germanam non observaverit. Sic enim in ea Synodo Ariani Episcopi loquuntur apud Athanasium:
Apol. 2. pag. 691. Βδελυσσόμεθα δὲ καὶ ἀναθεματίζομεν τοὺς Χριστὸν μὴ εἶναι πρὸ αἰώνων θέλοντας, ἀλλ' ἔκτοτε Χριστὸν αὐτὸν γεγονέναι καὶ υἱὸν τοῦ Θεοῦ, ἐξ οὗ τὴν ἡμετέραν ἐκ τῆς παρθένου σάρκα ἀνείληφε: τοιοῦτοι δέ εἰσιν οἱ ἀπὸ Μαρκέλλου καὶ Σκοτεινοῦ τοῦ ἀγκυρογαλάτου. *Abominamur praeterea & anathemate damnamus eos, qui Christum non ante secuta fuisse contendunt, sed ex eo tempore eum Christum & filium Dei factum fuisse, ex quo nostram carnem de virgine assumpsit. Tales sunt discipuli Marcelli & Scotini ab Ancyra Galatia.*

III. Scotinumne pro Photino appellarit Synodus, ut est apud Athanasium, an Photinum, ut *Lib. 2. c. 15.* habet Socrates, nihil moror. Scotinum etiam per ludibrium a Lucifero Calaritano dictum in eo libro constat, cui titulus est *De non parcendo in* *Pag. 264.* *Deum delinquentibus*. Hoc contendo, primum omnium de Photino Synodicum judicium istud esse numerandum, quod dixi, antiquius illud certe Synodo Sardicensi, quod ex Sulpitii Severi verbis, quae citantur, consequi non negarim. Sed in confusa eo loco & distorta Severi oratione, quam certum est falso tradi, Episcopos apud Sardicam Constantini jussu congregatos, qui ab ejus filii decimo post mortem patris anno congregati sunt, *Pag. 466. dissert.* tam minime dubium, falli & errare duplici nomine virum doctum, tum quod absentis Athanasii damnationem, cujus meminit Severus, ad Synodum Antiochenam pertinere velit, cum ad Tyriam referenda sit, quia licet absens in utraque damnatus sit, in Tyria tamen sola sub Constantino, tum quod objectam Athanasio participatae cum Marcello & Photino communionis accusationem alieno loco apud Severum connumerari non sentiat, cum exploratum sit e duobus judiciis, quae in Athanasium per Arrianos facta sunt in Concilio Tyrio & Antiocheno, neutri hunc accusationis titulum competere. In Tyrio enim falsis de Ischyra & Arsenio criminibus damnatus est, in Antiocheno crimini datum, quod pristinam sedem, unde Synodali, ut ajebant, judicio pulsus fuerat, sine Episcoporum auctoritate repetiisset. De recepto autem ad communionem Marcello aliisque Arrianorum sententia damnatis in Sardicensi demum Synodo ab Arrianis insimulatus est, quod ex ipsa illorum Synodica in Hilarii fragmentis observare est. Quare ad Synodum Sardicensem spectabat haec accusatio, & alieno, ut dixi, loco apud Severum prolata est. Falsum igitur in prima sua Photini damnatione multisque modis hallucinatum auctorem dissertationis hactenus ostendimus. Nunc ad reliquas pergamus.

Pag. 466. dissert. IV. Post haec in Sardicensi Concilio iterum fuisse damnatum, auctore asserit Epiphanio, qui Photinum narrat ἀπὸ τῆς ἐν τῇ Σαρδικῇ δυτικῆς συνόδου καθῃρῆσθαι, *in Sardicensi occidentali Synodo depositum*. Ac ne ambiguum foret, quia secedentibus apud Sardicam Arrianis Synodus bifariam divisa est, ab utra parte damnatum intelligeremus, a catholicis damnatum affirmat, & hoc addit ipse de suo. Itane vero, ut damnatum a catholicis eo judicio Photinum credamus, in quo an catholicorum quisquam sederit, incertum, haereticus omnium consensu praefuit & primas partes egit Semiarianorum princeps Basilius Ancyranus? Credet hoc affirmanti, qui volet, nobis non persuadebit. Porro cum damnati episcopatuque dejecti Photini nulla in Sardicensibus actis fit mentio, & quae de Photini exauctoratione deque Basilii cum Photino disputatione ab Epiphanio tanquam Sardicae gesta memorantur, eadem omnia Sirmiensem ad Synodum pertinere scripto alii fidem faciant, parum perspicacem videri oportet eum, qui Epiphanium, quod alii pridem monuerunt, memoria lapsum hoc loco Synodo Sardicensi tribuere, quod Sirmiensi congruebat, cassamque & inanem auctoris observationem jacere non videat.

Marca, Dissert. Eccl.

V. Tertia, inquit, Photini condemnatio in Concilio facta est Mediolanensi, non in illo pervulgato anni CCCLV. de quo nos Hilarii fragmenta interpretabamur, sed in altero, quod statim post Sardicense ab Episcopis catholicis eodem ipso anno celebratum vult persuadere. De Hilarii verbis, utri faveant, postea videbimus. Nunc mirificam ipsam ejus Synodum contemplemur. Mediolani ait Episcopos, qui Sardicae nuper fuerant (Quos enim alios dicere habeat?) iterum congregatos. Quis hoc indulgeat, duas uno anno Synodos tam dissitis in locis & tam diversarum provinciarum Episcopis imperatas? Non omnes, inquit, ad Mediolanensem acciti sunt, sed soli catholici. Quorsum hi praecipue? Ut Photinum condemnarent? Atqui Sardicae a catholicis, si ei credimus, proxime fuerat condemnatus. Quid igitur opus fuit eosdem iterum Mediolani, ut actum agerent, nova Synodo fatigari? Tam immemor est sui, ut, quid paulo ante scripserit, non recordetur, tam securus nostri, ut oblivisci nos posse confidat? In hac praeterea Synodo Arianae sectae *Pag. 467. dissert.* quatuor Episcopos, Demophilum, Macedonium, Eudoxium, & Martyrium interfuisse docet, Ariique perfidiam damnare noluisse. Quis hoc rursus credi ab eo potuisse non miretur? Quaero enim, *Hilar. frag. lib. 2. c. 28.* aliumne censeat hunc esse Demophilum, alium Macedonium, & alium Eudoxium, quam quorum subscriptiones in Sardicensi Arianorum Synodica leguntur, Demophili a Beroe, Macedonii a Mopsuestia, Eudoxii a Germanicia. Quod si hos ipsos esse non negabit, edicat, si potest, undenam tanta istorum tam repentina mutatio, ut qui proxime apud Sardicam, ne cum catholicis coirent, secessionem fuga fecerant, iidem nunc eosdem, ut eorum Concilio intersint, Mediolanum usque consectentur? Si edicere non potest, incredibilia & falsa haec esse, confiteatur. Habet tamen, unde vera esse confirmet, Liberii Papae ad Constantium epistolam, in qua narrat octavo ante anno, quam scriberet, hoc est, ut ipse ratiocinatur, anno ipso Synodi Sardicensis CCCXLVII. Episcopos istos, cum ad Mediolanum Arii sententiam haereticam noluisent damnare, de Concilio iratis animis exiisse. De hac ergo nos epistola quid statuemus? Errare hic etiam illum & falso niti principio, qui scriptam ponat anno CCCLV. cum anno superiore scriptam non vanis argumentis evicerit Baronius, tum cum indicta Synodus nondum erat, cujus impetrandae gratia legati cum epistola mittebantur, ut cum in Galliis adhuc ageret Constantius, quem inde postea in Italiam sub exitum anni CCCLIV. ad hiberna descendisse, auctor est Ammianus Marcellinus, proinde hunc verum & legitimum esse annum epistolae Liberianae. Ad hos ergo annos octo, quos numerat Liberius, si regrediare, conventus occurret Mediolanensis, non quo anno statuebat dissertatio, sed anteriore CCCLVI. ac tum plana & liquida fluent omnia. Nam & Eudoxium collegasque Episcopos, qui ab Orientalibus legati, ut So- *Socrates lib. 2. c. 15.* crates & Sozomenus tradunt, μακρόστιχον illam *Sozomen. lib. 3. c. 10.* fidei formulam in Italiam attulerant, Mediolani tunc adfuisse, nihil erit absurdi. Et cum Athanasium eodem quoque anno Mediolanum Roma Constantis Principis accitu venisse atque inde in Gallias profectum Sardicam ad Synodum una cum *Pag. 526.* Hosio contendisse Athanasii ipsius ad Constantium apologia demonstret, liquet profecto, Mediolanensem istum, qui fuit Episcoporum conventum, de quo scribit Liberius, Sardicensi, contra, quam amico nostro visum est, non successisse, sed antecessisse. Quare nihil illi ad suum istud Concilium Liberii epistola suffragata est.

VI. Videamus, an opis plus afferet altera Synodi Ariminensis, quae Ursatium & Valentem in Concilio Mediolanensi ad communionem receptos testari videtur. Quanquam enim non in Concilio, sed sub tempus Concilii receptos emenda-

tiora habeant exemplaria, ὅτε ἐν Μεδιολάνῳ τὸ συνέδριον τῆς συνόδου συνεκροτεῖτο, atque hoc ipsum in eam epistolam irrepsisse per errorem, videri possit ex Valentis & Ursatii ad Julium epistola, in qua libelli abs se apud Mediolanum oblati meminerunt, tametsi nec Synodum ibi tunc fuisse, nec ad pacem se receptos, significent, quia tamen in Concilio receptos ipse atque suum hoc Pag. 469. 470. 473. 476. dissert. Concilium Mediolanense id esse omnibus nervis contendit, hic enimvero, quod de aliis quatuor Episcopis antea quærebamus percunctari denuo libet, quam verisimile arbitretur, duos istos Arianorum principes & antesignanos, qui pro facinoribus suis a Synodo Sardicensi dejecti proxime fuerant & communione privati, ad frugem tam subito conversos advolasse Mediolanum, ibique communionem sine mora recepisse? Sed receptos prorsus non fuisse fallique, qui aliter sentiant, manifestum est. Etenim si a Mediolanensi, ut volunt, Synodo fuerant in integrum restituti, si cum ecclesia catholica redierant in gratiam, quid est, quod biennio post Concilium illud narrat Hilarius Ursatium & Valentem Romanæ plebis Lib. 2. frag. p. 24. Episcopum adiisse, *recipi se in ecclesiam deprecantes, & in communionem admitti rogantes*? Quid quod recitatis illorum literis subjungit: *Venia indulgetur orantibus, reditus ad catholicam fidem cum communione donatur*. An ignorare potuit Hilarius, veniam illos a Concilio impetrasse, si revera impetrarant, & qui recipi se in ecclesiam rogabant, nondum receptos se non satis ostendebant? Quid ergo est, quod contra horum confessionem & contra Hilarii dilucidam relationem argutari nunc libet, illos in Concilio Mediolanensi cum ecclesia catholica in gratiam rediisse, postea cum Athanasio, &, quod addi debuit, cum Julio Papa reconciliatos? Sed Julii nomen pudore suppressum est, ne in ecclesiam eos receptos dicere videretur, quibus cum ecclesiæ capite communio nondum esset. Et tamen hoc intelligi necesse est, si re vera sunt, quæ dicit. Ceterum de Valente & Ursatio, quo tempore, quove impulsu ad pœnitentiam adducti sint, nemo certius noverat, nemo libentius au- Apol. 2. pag. 632. ad Solitar. pag. 699. diendus est, quam Athanasius, qui nec priorem hanc Romana resipiscentiam istorum ullam agnoscit, & hujus ineundæ occasionem non ex ficta Synodo Sirmiensi, quæ etiam si fuisset, ad causam nihil attineret, sed ex frequenti Episcoporum passim, tum maxime Syrorum & Palæstinorum, ad Athanasii communionem gregatim redeuntium concursu natam refert, cum de rebus suis jam desperarent, & stimulis acti conscientiæ remedia conquirerent. Quare satis, opinor, hoc etiam ex capite Mediolanensis hujus Concilii tertiæque in eo Photini damnationis vanitas patefacta est.

VII. Quarto præterea damnatum facit in Synodo Sirmiensi, non illa celebri & nota sub Constantio, sed altera quam Constante superstite a catholicis occidentalibus habitam fabulatur. Consequens erat nimirum, ut qui futilem Mediolani Synodum procuderat, frivolam quoque nobis daret Sirmitanam. Quid ita vero? Quia Hilarius in fragmentis scribit, biennio post damnatum in Mediolanensi Synodo Photinum, Episcopos ad illum tollendum ex episcopatu Sirmium convocatos. Porro Sirmii anno CCCXLIX. convenisse ob adnexam ab Hilario Valentis & Ursatii reconciliationem, non dubitat. Ideo Mediolanensem Synodum Hilarii, suam esse putat, quam biennio ante collocavit. Nos simpliciores Mediolanensem accipiebamus, quam Mediolanensem omnes vocant & anno CCCLV. celebratam, loquuntur historiæ. Itaque de hoc nunc capite inter nos est controversia. Quo autem argumento ecquam Synodum Hilarius intelligat, certius cognoscemus, quam ex Photini damnatione, quam in Synodo factam docet? At nunquam ostendet adversarius, de Photino in ea, quam fingit, ullam fuisse mentionem, quia de Synodo illa præter ipsum nemini unquam subolevit. Nos, in vera & omnibus nota Mediolanensi hæreticum damnatum fuisse Photinum, ex Synodi ipsius actis ostendemus. Extat enim & ecclesiasticis annalibus indita est An. 355. Concilii hujus epistola ad Eusebium Vercellensem his verbis:

Concilium Mediolanense Eusebio fratri in Domino salutem. Non ignorat carissima nobis dilectio tua, quam sit pretiosum vinculum caritatis & pacis. Et post alia de legatis ad eum missis: *Itaque sincerissima prudentia tua, quod specialiter & sinceriter admonemus, audiat supradictos, & communicato pariter cum his consilio definiat, quod de nomine hæreticorum Marcelli & Photini necnon & Athanasii sacrilegi totus prope definivit orbis, ne non tam veritati, quam intentioni parere videaris, &c.*

VIII. Post tam expressi testimonii auctoritatem, dubitationi locus quis esse potest? Ac mirum profecto, viri docti oculos fugere hanc epistolam potuisse, aut si vidit, qua de Synodo Hilarius ageret, quamve post biennium Sirmii coactam diceret, non percepisse, ne in Ursatii & Valentis pœnitentia illudi sibi ab Hilarii fragmentis, quæ alieno hanc loco recitant, pateretur, & in eruenda e parietinis, ut ait, ruderibusque nova Sirmii Synodo frustra laboraret. Quam multa sunt enim & quam aperta, quæ commenti hujus inanitatem refellunt? Nam ut omittam, Synodo isti, si Athanasio Alexandriam reverso, & Ursatio & Valente in gratiam receptis, habita est, ut fingitur, punctum temporis, in quo habita sit, ante Constantis obitum, qui sub ipsum Athanasii Pag. 470. dissert. reditum incidit, adsignari nullum posse, fallitur haud dubie, cum id, quod ab Hilario dictum est, Lib. 2. frag. p. 26. Athanasii de abstento Marcello judicium damnationi Photini auctoritatem præbuisse, de hac Synodo sua dictum interpretatur; quasi hærere in hac Synodo potuerint Episcopi occidentales, aut aliorum exemplum ad damnandum Photinum desiderare, quem ipsi jam Mediolani, si verum est, ante biennium condemnarunt. Verum hoc tamen amici causa dissimulemus.

IX. Quæro igitur, ecquando ab Athanasio factum censeat hoc judicium. Num ante reditum Athanasii? At ridiculum est, Athanasium a communione sua quemquam prius, quam sedem suam reciperet, exclusisse. An vero post reditum? Et quantulum ante Constantis obitum emptus fuit, si tamen fuit, ut de Marcello judicare Athanasio liceret? Posterius ergo, interjecto, ut Severus ait, tempore judicavit, sed prius tamen, quam Photinus argueretur; auctoritatemque, quod testatur Hilarius, præbuit, non subdititiis auctoris nostri Synodis, sed veris certisque Conciliis Mediolanensi atque Sirmiensi, quorum in utroque damnatum reipsa Photinum fuisse, compertum est. Fallitur rursum vehementerque hallucinatur, ubi maxime sibi placere ac Synodum suam egregie stabilire visus est, cum decretum occidentalium de Photino, cujus meminit Hilarius, ad suam istam Synodum & Pag. 473. 474. 475. dissert. Lib. 1. pag. 27. annum Christi CCCXLIX. transferri posse arbitratur. Quo certe absurdius alieniusque fingi nihil potuit. Quid enim? Annon testis Hilarius orientales hoc accepto decreto occasionem revolvendi de Athanasio quæsiisse judicii, & rescribentes de Photino, Marcelli mentionem, ut institutorum talium magistri addidisse, ut mortuam de Athanasio ipso jam tempore quæstionem & veritatis judicio consepultam in publicam recordationem causæ novitas excitaret? Quis hæc autem anno CCCXLIX. convenire non posse, si verum amat, non fateatur, ut quo tempore Athanasii suam in sedem redeuntis læta & tranquilla erant omnia, ejusque communionem certatim universi & integræ Synodi atque ipsi etiam Arianorum principes expetebant, eo ipso agitasse in Athanasium consilia & odia exercuisse credantur, & quo sensu mortua ipso jam tempore quæstio dici potuit, si non interquieverat, si nullo tempore cessarat?

X. Alia

X. Alia igitur ad tempora ſpectent Hilarii verba, neceſſe eſt, ad illa, inquam, tempora Conſtantii, quibus poſt cædem Magnentii pacatis bellis civilibus, Arianorum in Athanaſium furor renovatus eſt. Tunc enim revera negatæ Marcello communionis damnatique Photini occaſionem nacti, aſtuto, ut ſcribit Severus, conſilio innoxium criminoſis miſcentes, damnationemque Photini & Marcelli & Athanaſii eadem ſententia comprehendentes, eandem ad Athanaſii condemnationem catholicos Epiſcopos primum in Arelatenſi Concilio anno CCCLII. tum biennio poſt in Mediolanenſi, & deinceps quamdiu Conſtantius vixit, adigere conati ſunt, & vi ac minis plurimos impulerunt. De Mediolanenſi perſpicua res eſt. Tres una ibi damnatos Concilii ad Euſebium epiſtola nos docuit. Ad Arelatenſe referenda eſt, quæ id ipſum confirmat, Paulini Epiſcopi reſponſio: de qua Severus Epiſcopos laudans, qui Arianis non ceſſerunt, *inter quos*, inquit, *Paulinus Epiſcopus Trevirorum oblata ſibi epiſtola ita ſubſcripſiſſe traditur, ſe in Photini atque Marcelli damnationem præbere conſenſum, de Athanaſio non probare*. Cetera prætermitto.

D I A T R I B A

DE SYNODICA EPISTOLA

Synodi Illyricianæ

Habitæ Decreto Valentiniani Senioris anno Chriſti CCCLXV.

IN Synodo Illyriciana, quæ habita fuit decreto Valentiniani ſenioris, confirmata eſt antiqua fides de Trinitate conſubſtantiali, eaque de re conſcripta eſt ſynodica epiſtola ad Epiſcopos diœceſeos Aſianæ, ubi hæreſes contrariæ vigebant. Integram epiſtolam recitat Theodoretus lib. IV. hiſt. eccleſ. cap. IX. in qua, poſt conſtitutam fidei rationem, commonentur Epiſcopi de ſtudio, quod impendi debet, ut ſinceræ ſanæque fidei conſtituantur epiſcopi, presbyteri, & diaconi. At enim, quia locus ille varie acceptus eſt ab interpretibus, qui ſententiam non ſunt aſſecuti ob vetus mendum, quod in ejus lectione latet, operæ pretium me facturum eſſe duxi, ſi veram Synodi mentem eruere conarer, quæ, quanta ſit magiſtratibus civilibus cum epiſcopatu in tuenda fide communio, manifeſtum faciet. Hæc ſunt Synodi verba: περὶ τούτου γράφοντες ὑπόμνησιν ἔχοντες ἐχαράξαμεν τουτὶ ἡμῶν τὸ γράμμα, καὶ περὶ τῶν καθισταμένων Ἐπισκόπων. ἢ κατασταθέντων συλλειτουργῶν, ἐὰν μὲν εἶεν ἐκ τῶν ἐν τέλει χρησαμένων Ἐπισκόπων ὑγιεῖς εἰ δὲ μὴ, ἐξ αὐτοῦ τοῦ πρεσβυτερίου. ὁμοίως τε καὶ πρεσβυτέρους καὶ διακόνους ἐξ αὐτοῦ τοῦ ἱερατικοῦ τάγματος, ἵνα ὦσιν ἀνεπίληπτοι πανταχόθεν, καὶ μὴ ἀπὸ τοῦ βουλευτηρίου καὶ στρατιωτικῆς ἀρχῆς. Ea ſic reddidit Chriſtophorſonus: *Dum hac de re ſcriberemus ad vos, commonefacti ſumus, ut in his noſtris literis ſcriberemus etiam de epiſcoporum, collegarum ſcilicet noſtrorum, inſtitutione, ut ſi quoquo modo fieri queat, e magiſtratibus, qui epiſcopatu functi, probata ſpectataque vita fuerunt, cooptentur; ſin autem tales non reperiantur, e ſacerdotum collegio. Ad eundem modum tum presbyteri tum diaconi de ordine ſacerdotali ſumantur, ut omni ex parte inculpati fiant; minime vero de curia aut militum ductoribus*.

Joannis vero Langi verſio, a Frontone Ducæo, eruditiſſimo viro, recenſita in libro XI. Nicephori cap. XXX. ubi hæc ſynodica refertur, hunc locum ſic expreſſit: *Hac de re quum ad vos haſce literas ſcriberemus, commonefacere etiam vos voluimus de creandis vel etiam creatis epiſcopis, eorumque adminiſtris, ut ſcilicet legantur ex ſanæ mentis & doctrinæ, qui magiſtratum epiſcopalem geſſerint, præfectis, ſi quidem extent; ſin minus, ex ipſis presbyteris. Conſimiliter presbyteri & diaconi ex ipſo ſacro clericorum ordine, ut omni ex parte irreprehenſibiles ſint, qui non ex curia vel ex militari magiſtratu ſint lecti*.

Interpres uterque, ne verſio hiaret, ſi Græca verba, prout ſcripta ſunt, ſequeretur, verbum neceſſario ſupplevit in contextu; ille *cooptentur*, hic *legantur*, quod ſane verbum deeſt in Græcis. Unde ut plena ſit ſententia, & præterea, ut vitetur ſolœciſmus, in accuſativis illis ὁμοίως καὶ πρεσβυτέρους καὶ διακόνους, quæ a nullo verbo pendent, & regi debent a verbo communi, quod epiſcopos quoque complectatur, verbum illud in verſione quiſque ſua addiderunt. Quod ſane demonſtrabat illis locum eſſe corruptum, & ſupplendum in contextu verbum, quod neceſſario inſerendum erat in verſione, ut aliquis ſenſus eliceretur. Quod erit apertius, ſi plenam & ſinceram Synodicæ ſententiam exponamus.

Laborabat in Aſiana diœceſi hæreticorum tumultibus vexata Nicæna fides: quorum impetus, ut facilius retundi poſſent, eccleſiæ intererat, non ſolum, ut probatæ fidei epiſcopi deligerentur, ſed etiam, qui in uſu & actu rerum verſati, prudentia civili & animi decocti conſtantia veteratorum artes eludere & comprimere poſſent. Itaque ut hoc adjumentum patres conſequerentur, exiſtimarunt non ſcrupuloſe, ſervandam veterem regulam, quæ ex ſolo presbyterio epiſcopos adlegendos præſcribebat, quinimo ſi fidei ſanæ & integræ invenirentur aliqui viri, qui magiſtratu civili functi eſſent, hos potius epiſcopos deligendos, deinde, ſi tales non reperirentur, petendos juxta ordinem antiquum ex corpore presbyterii. Deinde agit epiſtola de miniſtris jam conſtitutis & eorum promotione. Quare presbyteros & diaconos ex ſolo clericorum corpore cooptandos docet; ne ſcilicet exemplo ejus, quod de magiſtratibus in epiſcopatum adſciſcendis ſingulari jure decernebat, putaret aliquis, presbyteros quoque & diaconos e laicis probatis adlegendos. Ceterum adjungit, ne fiant ex iis, qui ſunt curialium conditionis aut militaris. Hi quidem ab omni clericorum gradu & canonibus & legibus arcebantur; aliquando tamen in cleri gradus inferiores cooptabantur. Severius tamen interdictum erat, ne hujus conditionis homines, etſi forte clero adſcripti eſſent, in presbyteratus & diaconatus, multo minus in epiſcopatus gradum proveherentur; ne ſcilicet ab altarium obſequio ipſius Principis juſſu in curiam aut in militiam retraherentur cum eccleſiæ injuria, quod ſuo tempore accidiſſe refert Innocentius primus, qui prohibitionem iſtam decreto ſuo renovavit.

Quare non dubitamus, quin lectio contextus Græci, quæ de conſtituendis epiſcopis, tum etiam de comminiſtris jam conſtitutis loquitur, ſit emendanda & ſupplenda hoc pacto: περὶ τῶν καθισταμένων Ἐπισκόπων, ἢ συλλειτουργῶν κατασταθέντων, εἰ μὲν εἶεν τῶν ἐν τέλει χρησαμένων ὑγιεῖς, Ἐπισκόπους καθιστάναι, εἰ δὲ μὴ ἐξ αὐτοῦ τοῦ πρεσβυτερίου, &c. Delendum quippe τὸ Ἐπισκόπων, quod interjectum erat inter dictiones χρησαμένων & ὑγιεῖς, & conflictum ex Ἐπισκόπους, quod ſequi debet dictionem ὑγιεῖς. Trajectio illa & caſus permutatio perturbabat omnino hujus loci apertam alioqui ſententiam. Ex ea quippe corrupta lectione emergebat abſurdus hic ſenſus, quem interpretes amplexi ſunt, eligendos nempe probatæ fidei epiſcopos *e magiſtratibus, qui epiſcopatu functi ſunt*, ut vertit Chriſtophorſonus, vel *e præfectis, qui magiſtratum epiſcopalem geſſerint*, ut Langus. Quinam ſunt illi e magiſtratuum numero, qui epiſcopatu functi, revocandi ſunt ad eandem functionem? Refragatur huic ſententiæ mos antiquus & canonum ordo, qui renuntiationem aut deſertionem epiſcopatus non admittebat. Si quis vero ſuſpicetur, de illis epiſcopis agi, qui ſedibus pulſi eſſent ab hæreticis, tunc de reſtituendis epiſcopis, non autem de eligendis, monerent patres. De tuenda

fide laborabant; adeoque de industria episcoporum constituendorum satagentes, eos priore loco, ex iis, qui magistratu publico functi essent, deligendos monent, tum si tales desint, ex cœtu presbyterii juxta morem antiquum. Ut hæc sententia constaret, delevimus dictionem Ἐπισκόπων. Quæ nostra emendatio juvatur lectione illa, quam vir eruditissimus Jacobus Sirmondus expressit in editione Theodoreti juxta fidem manuscriptorum codicum a se adornata. Hunc locum sic legit. ἐὰν μὲν ὦσιν ἐκ τῶν ἐν τέλει χρηματισάντων ὑγιεῖ. εἰ δὲ μὴ, &c. Sic autem vertit integrum: *Hac de re dum scribimus, subiit animum, ut iisdem literis admoneremus etiam de comministris episcopis creatis vel creandis, siquidem fuerint ex sano probatoque magistratu functis; sin minus, ex cœtu ipso presbyterorum; similiter autem & presbyteros & diaconos ex ipso sumi ordine clericorum, ut omni ex parte sint irreprehensibiles, minime vero ex curia vel ex imperio militari*. Ex qua interpretatione patet, contextum Græcum Sirmondi, etsi emendatum ex parte, nempe in ejecta dictione Ἐπισκόπων, corruptum esse dupliciter; primum in voce ὑγιεῖ, quæ dativo casu expressa nullum habet commodum sensum, quare retinenda est lectio ceterorum codicum, nempe ὑγιεῖς in plurali. Deinde abest a contextu verbum, quo doceamur, eligendos episcopos priore loco e magistratu functis, vel illis deficientibus, ex presbyterio. Quod verbum suppleri quoque debet, ut regat accusativos illos, in contextu statim positos, de presbyteris & diaconis. Hoc ultimo loco verbum *sumi* supplevit Sirmondus in versione sua, quod abest a Græco, & restituendum superiore loco, ut monuimus. Sane locum illum de magistratibus civilibus intelligi etiam recte posse, observat Fronto Ducæus, qui nomine episcoporum designentur, quo sensu Cicero, se a Pompejo oræ Capuanæ episcopum delectum, scribit. Quæ tamen episcopi significatio scriptoribus ecclesiasticis est inusitata; & locus ille de magistratibus civilibus intelligi non tantum potest, ut ille notat, sed intelligi omnino debet.

Non dissimulandus est etiam error, in quem interpretes inciderunt; qui quod separatim dicitur in contextu de constituendis episcopis & de comministris constitutis, in versione miscent, & *collegas* vel etiam *comministros episcopos* interpretantur, ut Christophorsonus & Sirmondus. Langus quidem distinguit episcopos ab eorum administris, sed creandos vel creatos ad utrosque refert, quamvis in contextu hæc distinguantur. Sane quin dictio συλλειτουργῶν hoc loco ad presbyteros referri debeat, dubitare non sinit hæc epistola, in qua bis Elpidius Presbyter συλλειτουργὸς nuncupatur. Ad cujus nominis dignitatem Diaconi quoque trahuntur; quoniam, ut loquitur Lex Theodosiana, *ecclesia est in episcopis & presbyteris & diaconis*.

Hoc discrimen de constituendis episcopis & de comministris constitutis expressit antiqua Epiphanii scholastici versio in tripartita historia, qui Synodicam istam refert libro octavo. Qua ex versione docebimur quoque, vetus esse mendum hujus loci, atque præterea interpretem illum a Synodicæ mente longe abesse, verbaque adjecisse, quæ desunt in contextu & sententiæ patrum sunt contraria. Hæc sunt illius verba: *Ob hoc scribentes & commemorantes has literas destinavimus. De episcopis autem constituendis vel comministris jam constitutis, si permanserint usque ad finem sani, bene; alioqui ex ipso presbyterio repellantur. Similiter presbyteros atque diaconos in sacerdotali ordine definivimus, ut sint irreprehensibiles undique, & a curia & ab officio militari*. Non intellexit verba ista, οἱ ἐν τέλει χρηματίσαντες. Vertit enim, *si permanserint usque ad finem*, cum aperte significent, *qui magistratu functi sunt*. Addit autem e suo *bene*, mox verbum *repellantur* contra mentem patrum, dein *definivimus*.

Hunc autem locum ex nostra emendatione sic reddendum putamus. *Hac de re ad vos scribentes, quæ monenda habemus, hisce quoque literis nostris expressimus de constituendis episcopis & de comministris quoque jam constitutis; nempe, ut ex iis, qui sunt functi magistratu, si sani sint, constituantur episcopi; sin minus, ex ipso presbyterio. Similiter & presbyteri & diaconi e sacro clericorum collegio, ut sint omni ex parte inculpati; minime vero de curia vel ex officio militari.*

EXPLICATIO CANONIS V.

SYNODI CONSTANTINOPOLI

Habitæ anno Christi CCCLXXXI.

Torquetur vir eruditissimus Samuel Petitus, variarum lectionum lib. III. cap. II. in explicando & emendando canone quinto Concilii Constantinopolitani, cujus hæc sunt verba: περὶ τοῦ τόμου τῶν δυτικῶν, καὶ τοὺς ἐν Ἀντιοχείᾳ ἀπεδεξάμεθα τοὺς μίαν ὁμολογοῦντας Πατρὸς καὶ υἱοῦ καὶ ἁγίου Πνεύματος θεότητα. In controversiam adducitur iste tomus Occidentalium. Repudiata etenim Zonaræ & Balsamonis interpretatione, qui de canone fidei in Sardicensi Concilio promulgata verba illa accipiunt, superest explicatio illustrissimi Cardinalis Baronii, qui de Damasi epistola Synodica, scripta ad Paulinum Antiochenum, quæ contra hæreses, tunc temporis vigentes, totidem continet anathematismos, hunc canonem accipiendum existimat, ita, ut illo Constantinopolitana Synodus synodicam epistolam Damasi ad Antiochenos approbarit.

Verum Petitus discedendum sibi putat ab hac sententia, ob duas potissimum rationes. Prima est ducta a tempore Synodicæ Damasi epistolæ, quam ille conjicit scriptam fuisse anno CCCLXXXII. scilicet integro anno post editum canonem quintum. Altera petitur e verbis canonis, quæ huic interpretationi refragentur. Ad primam rationem quod attinet, videtur dubitandum, an recte Petitus temporis calculum iniverit. Etenim Constantinopoli coacta est Synodus œcumenica anno trecentesimo octuagesimo primo. Anno sequenti imperiales literæ Synodum Orientis & Occidentis ob ecclesiasticas dissensiones Romam contraxerunt, ut loquitur Hieronymus in epistola ad Eustochium. Itaque orientales, qui secunda vice Constantinopolim se contulerant, a Synodo Romana invitati sunt, ut Romam se transferrent, quod illi propter itineris longinquitatem, ecclesiarum suarum dispendia, & promulgatam a se anno superiore fidei formulam, facere recusarunt. Synodicam ergo epistolam ad occidentalium Concilium miserunt, qua illis & formulæ fidei ab œcumenica Synodo Constantinopolitana anno superiore perscriptæ & tomi seu mavis epistolæ, ab Antiochena Synodo editæ, exemplorum copiam faciunt, ut testatur Theodoretus. Existimat ergo Petitus, tunc scriptam fuisse Synodicam a Damaso ad Paulinum, cum de adventu orientalium jam desperassent occidentales, quia vero Paulinus una cum Epiphanio Episcopo se in viam dederat, Thessalonicæ in Macedonia has literas accepisse, ut constat ex titulo Synodicæ Damasi apud Theodoretum, qui titulus Thessalonicæ a Paulino acceptam testatur. Certe quamvis hæc conjectura non sit improbanda, tamen evincit omnino, quod Petitus pertendit. Quid enim vetat, quin superiore anno in eas partes ob Concilium Constantinopolitanum Paulinus evocatus Thessalonicam se conferre potuerit, & ibi Synodicam Damasi acceperit? Plane, ut dicam, quod sentio, narratio Theodoreti, rei gestæ series, & ipse cognitionum Synodicarum ordo videtur exigere, ut dicamus, editum fuisse libellum fidei

Theodoret. lib. 5 hist. eccles. c. 9.

fidei

fidei ab Antiochena Synodo, quæ coacta fuit anno CCCLXXVIII. & Constantinopolim ad Orientis Concilium missam, antequam de illo recipiendo a Constantinopolitanis aliquid statuatur in Synodo anni trecentesimi octuagesimi primi. Quod ex se patet satis, & docet epistola Synodica Constantinopolitana apud Theodoretum, qua testantur patres, qui secundo in urbe regia convenerunt, anno scilicet trecentesimo octuagesimo secundo, se libellum illum Antiochenum præ manibus habere eumque a Synodo Constantinopolitana priore jam fuisse confirmatum: *ἐντυχεῖν τῷ ἐν Ἀντιοχείᾳ τόμῳ παρὰ τῆς ἐκεῖ συνελθούσης συνόδου γεγενημένῳ*. Porro hanc fidei formulam missam fuisse, non solum ad illud Orientis Concilium, sed etiam ad Occidentis & Romanum Concilium, nemo dubitare poterit, nisi qui relationes decretorum fidei ab Oriente in Occidentem & vicissim mitti solitas ignoret. Missa ergo ab Antiochenis ad Romanos & ceteros occidentales fidei formula, ut in eadem communionis societate se conjunctos esse profiterentur, quid aliud expectamus, quam ut Synodus Romana Antiochensium formulam amplecti profiteatur epistola data ad orientales episcopos, qui Synodum Constantinopoli habebant anno trecentesimo octuagesimo primo. Nil etiam vetat, quin vicissim Romæ perscripta fuerit eodem tempore Damasi epistola Synodica ad Paulinum Antiochenum, quæ fuerit etiam ab occidentalibus ad orientale Concilium transmissa; ut nullo pacto necesse sit, hanc Damasi Synodicam ad Paulinum anno sequenti adscribere.

Expendamus ergo secundam rationem Petiti, qui rectum sensum horum verborum: *De tomo occidentalium*, capere non potest, adeo ut antiquam lectionem moveat & Antiocheno substituat occidentalibus, id est, *διθικοῖς*, ut ille quidem legit, *δυτικοῖς*. In quo dupliciter peccatur, tum in sententia detorta & inconcinna, quam antiquæ lectioni hujus canonis affingit, tum in nova omnino voce & omnibus scriptoribus incognita, quam ille comminiscitur, cum asserit, Antiochenses voce hybrida & ab Aramæa lingua deducta Dithicos vocatos. Ait Petitus, verba ista: *De tomo occidentalium*, quæ tituli vicem præstant, significare, canonem agere de, nescio quo, occidentalium libello. At vero canon nihil minus exequitur; sed tantum approbat ea, quæ definierant Antiocheni, unam confitentes Patris & Filii & Spiritus Sancti divinitatem. Sed, inquit Baronius, quia approbabant Constantinopolitani patres synodicam epistolam Damasi ad Paulinum Antiochenum, approbarunt quoque Paulinum & suos Antiochenos. Atqui non approbatur hoc canone, subjungit Petrus, etiamsi *τὸ τόμον τῶν δυτικῶν* cum Baronio interpreteris de epistola illa Damasi synodica.

Sane Petitus male negat, tomum Occidentalium, quisquis ille tandem sit, a Concilio Constantinopolitano non approbari, cum disertis verbis contrarium profiteantur illius Concilii patres. *περὶ τόμου τῶν δυτικῶν, καὶ τοὺς ἐν Ἀντιοχείᾳ ἀπεδεξάμεθα*. *De tomo occidentalium, nos etiam suscepimus Antiochenos*, inquiunt. Quid manifestius dici potest, ut se ejusdem cum Occidentalibus testentur esse sententiæ? Robustius vero egisset adversus Baronium, si ex eo negasset sequi, approbatos fuisse Antiochenos a Constantinopolitanis, quod synodicam Damasi ad Paulinum approbassent. Adhuc enim quærendum restaret, an Paulinus & Antiocheni formulam Damasi sequerentur, si aliunde de hoc non constitisset Constantinopolitanis.

Genuinus ergo sensus canonis hic est. Epistola sua significaverat Concilium Occidentis episcopis Orientalibus, Constantinopoli congregatis, etsi dissidium esset inter episcopos Antiochenos Meletium & Paulinum, tamen eos rectam de una Patris, Filii, & Spiritus Sancti divinitate sententiam profiteri, atque ideo se non alienos ducere Antiochenos a communione ecclesiæ ob schisma, quod illa in ecclesia inoleverat inter duos Episcopos de sede contendentes. His literis in eum sensum acceptis, Concilium Constantinopolitanum decreto suo eandem communionem Antiochenorum amplectitur hoc canone quinto, quia illis æque ac occidentalibus constabat ex epistola Synodi Antiochenæ, eos unam divinitatem Patris & Filii & Spiritus Sancti profiteri. Ubi velim expendi, Constantinopolitanos non profiteri, se nunc primum Antiochenos recipere, quia moniti sint a Synodo Romana, sed eos jam suscepisse in communionem, nempe quia rectam eorum sententiam de fide ex epistola Synodi Antiochenæ didicerant. Vel ut in pauca verba sententiam Synodi contraham & *παραφραστικῶς* enarrem. Quod attinet ad epistolam occidentalium, qua docent, se communionem Antiochenorum amplecti, quia rectam fidem profitentur, nos etiam eosdem Antiochenos jam antea suscepisse testamur, quia nobis constitit, eos unam Patris & Filii & Spiritus Sancti confiteri divinitatem.

Plane ex ista interpretatione, quæ genuina est, sequitur, alium fuisse tomum occidentalium, qui commemoratur in hoc canone ab epistola Synodica Damasi ad Paulinum Antiochenum, vel saltem cum illa epistola Damasi ad Paulinum aliam adjunctam fuisse ad orientales, Constantinopoli congregatos. Nihil enim vetat, quin eodem tempore præscripta & missa fuerit ad Paulinum & ad ipsos orientales.

Restat, ut de canonis emendatione, a viro erudito tentata, unum addamus, nempe veterem omnium codicum lectionem non esse sollicitandam, cum nihil persuadeat, cur Dytici in Dithicos sint immutandi, maxime cum nullibi ea vox reperiatur. Fallitur enim vehementer, quum putat, eam vocem latere in libello oblato adversus Ibam Edessenum in Synodo Berytensi, ubi fit mentio *ἀνατολικῆς συνόδου* & *δυτικῆς*, quas alias esse non posse censet, quam Tyriam & Antiochenam, quæ ambæ solæ in causa Ibæ sunt coactæ, unde sequatur, orientalem Synodum, commemoratam in libello, eandem esse cum Tyria, & *δυτικὴν*, qua necessario significetur Antiochena, mutandam in *διθικὴν* deducto nomine a voce Syriaca, quæ lucum significet, unde inflexione Græcanica Antiochenses *διθικοὶ* dicti fuerint a luco Daphnensi, & Synodus Antiochena *διθική*. Sane alia mens est libelli, ubi Synodus Antiochena vocatur *ἀνατολικὴ* sive orientalis ab urbe Antiochia, quæ est metropolis diœceseos Orientis. Tyria autem occidentalis seu *δυτικὴ* dicitur ratione habita situs, quem obtinet in diœcesi Orientis. Phœnicia enim, ubi sita est colonia Tyri, porrigitur ad partes occidentales diœceseos Orientis, ut alibi hunc locum expendimus.

DISSERTATIO
DE VETERIBUS COLLECTIONIBUS CANONUM.

CAPUT PRIMUM.

De vetustissima collectione canonum ecclesiæ Romanæ ante Concilium Chalcedonense.

I. DUæ sunt, quæ huc usque latuerunt, canonum collectiones, quibus usa est variis temporibus ecclesia Romana: quarum altera post Concilium Nicænum emersit, altera post Chalcedonense.

De prima acturis observandum est, ante Concilii Chalcedonensis definitionem, canone primo com-

comprehensam, qua regulis patrum robur & auctoritas additur, ut per universam ecclesiam vigeant, canones Ancyranos, Neocæsarienses, Gangrenses, Antiochenos, & Laodicenos in Occidentem non penetrasse. Solis ecclesia Romana canonibus Nicænis regebatur, ut diserte docet Innocentius in epistola ad clerum Constantinopolitanum. Quo nomine Sardicenses continebantur; ut patet ex Zosimi commonitorio, quod Faustino Legato suo dedit ad firmandum in Africa usum appellationum in causis Episcoporum: ubi canon in Sardicensi Synodo ea de re editus, sub titulo Concilii Nicæni profertur. Refragati sunt quidem Africani Episcopi, & canonem illum in veris exemplaribus Synodi Nicænæ non haberi contenderunt, contra nitentibus Legatis Zosimi. Qui quidem adeo ab omni fraudis & doli suspicione aberat, quemadmodum & Bonifacius illius successor, ut passus sit, Legatos a Carthaginensi Synodo Constantinopolim & Alexandriam mitti ad earum civitatum episcopos, ut exempla canonum Nicænorum ex authenticis codicibus descripta mitterent. Illi vero testati sunt, canones illos numero viginti esse tantum; quales Africana ecclesia penes se habebat. Unde factum, ut constiterit Romanis, æque ac Africanis, canones illos Sardicenses alios esse a Nicænis. Quod tamen non obstitit, quo minus Leo I. in epistola ad Pulcheriam, conquerens de Flaviani Episcopi Constantinopolitani & ceterorum sacerdotum depositione, a Synodo Ephesina sub Dioscoro decreta, eosdem Sardicenses canones, sub nomine Nicænorum, orientalibus objiciat, contendens, ex eorum præscripto omnia in pristino statu retinenda, donec ad Apostolicam sedem referatur.

II. Innocentius quoque primus in epistola ad Victricium, post commemoratam Nicænam Synodum, ait, majores causas ad sedem apostolicam referendas, *sicut Synodus statuit, & vetus consuetudo exigit*. Unde sequi videtur, eum ad Nicænam Synodum respexisse, cui acceptos ferebat canones, ad Sardicense licet Concilium pertinerent, quos postea Zosimus quoque Nicænos esse jactabat; præcipue cum Innocentius, solos, ut monebam, canones Nicænos obtinuisse apud Romanam ecclesiam, doceat.

III. Occasio istius hallucinationis alia non est præter collectionem canonum, quam solam ea tempestate in scriniis suis habebat ecclesia Romana; cujus nos exemplar in vetustissimo codice MS. vidimus beneficio Christophori Justelli, claræ memoriæ viri, & antiquitatum ecclesiasticarum curiosi exploratoris: qui, licet communionis Calvinianæ partes sequeretur, sincere se gerebat in eruendis e situ veterum monumentis ad rem canonicam exornandam.

In ea collectione hoc erat lemma: *Canones Nicæni*. Deinde sequebatur series quadraginta canonum, numeris suis distinctorum: quorum priores viginti erant veri & genuini canones Nicenæ Synodi, reliqui autem viginti continebant canones unum & viginti Concilii Sardicensis, duobus capitibus in unum compactis; nulla interim mentione facta hujus Concilii Sardicensis. Non dubitandum, quin statim post editionem adjecti fuerint canones illi Sardicenses priori collectioni, consequentibus numeris, sub antiquo titulo. Illud autem an fato acciderit, vel per incuriam, an vero data opera, ut major esset horum canonum auctoritas, prudentis esto judicium. Sane in veteribus codicibus reperiri canones Nicænos, numero quadraginta, adnotatum est in editione Moguntina Dionysii Exigui, quæ collectio similis est antiquæ illi, quam nos vidimus. Nec alia erat collectio quadraginta canonum Nicænorum, cujus meminit præfatio Isidori: unde auctor ille occasionem arripuit, augendi numerum usque ad LXXII. ex suppositiis Julii epistolis.

IV. Quare Innocentius, Zosimus, & Leo alieni sunt ab omni dolo in proferendis canonibus Sardicensibus, ac si ad Nicænam Synodum pertinerent, cum auctoritate scriniorum suorum & veteris collectionis freti essent. Viri amplissimi eruditione & dignitate Cardinales Perronius & Baronius, ut horum Pontificum bonam fidem tuerentur, ex ingenio conjecerant, ea illos collectione canonum usos esse, quam nos olim in ecclesia Romana extitisse testimoniis comprobavimus.

CAPUT SECUNDUM.

De Collectione Canonum post Concilium Chalcedonense.

I. Decreti Chalcedonensis ea fuit auctoritas, ut canones orientalium Synodorum, qui vigebant in Oriente, susceperit ecclesia Romana, eosque adhibuerit in causarum & negotiorum ecclesiasticorum disceptatione; demptis iis, quos juribus suis officere existimabat. Quare codicem illum canonum, ex quo recitati sunt canones aliquot in Concilio Chalcedonensi, Romam Legati cum detulissent, auctoritate Leonis Papæ confecta est & composita nova canonum collectio, quæ viguit sola in Occidente per sexaginta & amplius annos, donec altera quoque accessit Dionysii Exigui, quæ in quibusdam a priore discrepat, ut mox observabimus.

II. Priorem illam, hactenus ignotam, ex codicibus duobus manuscriptis monasterii Rivipullensis in Catalonia favente numine erutam, hic explicamus; quæ majoris ponderis apud nos esse debet, quod ea usi sint Gallicani Episcopi usque ad tempora Hadriani Pontificis & Caroli Magni, & una cum Gallicanis canonibus ab ecclesia Hispanica usurpata fuerit usque ad Sarracenorum adventum; quemadmodum etiam in Africa.

Ejus autem collectionis hæc est methodus: Incipiunt canones Nicæni. Sequuntur Ancyrani, Neocæsarienses, & Gangrenses. Deinde Sardicenses canones. Postea Antiocheni & Laodiceni. Subjunguntur statim viginti septem canones Concilii Chalcedonensis. Deinde Carthaginenses; de quibus mox dicemus.

III. Huic collectioni præfigitur præfatio, cujus hæc sunt verba: *Canones generalium Conciliorum a temporibus Constantini cœperunt. In præcedentibus annis namque, persecutione fervente, docendarum plebium minime dabatur facultas. Inde Christianitas in diversas hæreses scissa est: quia non erat licentia Episcopis, in unum convenire, nisi tempore supradicti imperatoris. Ipse enim dedit facultatem Christianis, libere congregari. Sub hoc etiam sancti patres in Concilio Nicæno de omni orbe terrarum convenientes, juxta fidem evangelicam & apostolicam secundum post apostolos symbolum tradiderunt. Quatuor autem principalia esse Concilia, ex quibus plenissimam fidei doctrinam tenet ecclesia tam de Patris & Filii & Spiritus Sancti divinitate, quam de prædicti Filii & Salvatoris nostri incarnatione. Prior harum Nicæna Synodus est CCCXVIII. Episcoporum, Constantino Augusto imperante peracta: in qua Arianæ perfidiæ blasphemia condemnata, quam de inæqualitate Sanctæ Trinitatis idem Arius asserebat. Consubstantialem Deo Patri Deum Filium eadem sancta Synodus per symbolum definivit. Secunda Synodus est CL. patrum, sub Theodosio seniore Constantinopolim congregata; quæ Macedonium, Sanctum Spiritum Deum esse negantem, condemnans, consubstantialem Patri & Filio eundem paraclitum demonstravit, dans latius symboli formam, quam tota Græcia & Latinitas in ecclesiis prædicat. Tertia Synodus Ephesina CC. Episcoporum, sub juniore Theodosio Augusto edita; quæ Nestorium, duas personas in Christo asserentem, justo anathemate condemnavit, ostendens, manere in eo duas naturas*

turas unam Domini Jesu Christi personam. Quarta est Synodus Chalcedonensis sexcentorum XXX. sacerdotum, sub Martiano Principe habita; in qua Eutychem Constantinopolitanum Abbatem, verbi Dei & carnis unam naturam pronuntiantem, & ejus defensorem Dioscorum quondam Alexandrinum Episcopum, & ipsum rursum Nestorium, cum reliquis hæreticis, una patrum sententia prædamnavit, prædicans eadem Synodus, Christum Deum sic natum de virgine, ut unam personam & divinæ & humanæ confiteamur naturæ. Hæ sunt, ut prædiximus, quatuor principales & venerabiles Synodi, totam fidem catholicam complectentes. Sed & si quæ sunt Concilia, quæ sancti patres Spiritu Dei pleni sanxerunt, post ipsorum quatuor auctoritatem omni manent stabilita vigore, quorum etiam gesta in hoc corpore condita continentur. In principio autem hujus voluminis Nicænam Synodum constituimus pro auctoritate ejusdem magni Concilii. Deinceps diversorum Conciliorum Græcorum ac Latinorum, sive quæ antea, sive quæ postmodum facta sunt, sub ordine numerorum ac temporum, capitulis suis distincta, sub hujus voluminis aspectu locavimus. Subjicientes etiam decreta Præsulum Romanorum, in quibus, pro culmine sedis apostolicæ, non impar Conciliorum extat auctoritas: quatenus ecclesiastici ordinis disciplina in unum a nobis coacta atque digesta, & sancti præsules paternis constringantur regulis, & obedientes ecclesiæ ministri vel populi spiritualibus imbuantur exemplis. Canones autem, qui dicuntur Apostolorum, seu quia eosdem nec sedes apostolica recipit, nec sancti patres illis consensum præbuerunt, pro eo, quod ab hæreticis sub nomine Apostolorum compositi dinoscuntur, quamvis in eis quædam inveniantur utilia, auctoritate tamen canonica atque apostolica eorum gesta constant esse remota, & inter apocrypha deputata.

IV. Priorem hujus præfationis partem Isidorus Hispalensis retulit in librum sextum originum cap. XV. Etenim cum sibi proposuisset eo capite de canonibus Conciliorum agere, solenneque illi sit laudabiles locos, qui suo instituto conducunt, tacitis auctoribus in opus illud congerere, (quo nomine ab eruditis majorem consecutus est laudem) more illo suo hunc quoque centonem aliis addidit, & iisdem verbis præfationem illam ex parte transcripsit. Si quis autem pervicaciter contendere velit, ex Isidoro potius depromptam hanc præfationem, omnino se victum fatebitur, si seposito dimicandi studio perpendat, præfationis corpus esse integrum, aliqnot periodos complectens, uno spiritu cum prioribus conjunctas; quæ tamen desunt apud Isidorum, qui ex loco laudato decerpsit, quod sibi commodum videbatur. Deinde ultima verba excerpti, quod est apud Isidorum, ista nempe: *Quorum etiam gesta in hoc opere condita continentur*, nullius operæ sunt in libris originum; imo vero aperte falsa, cum in eo volumine nec canonum nec Conciliorum acta contineantur. Quare prudenter observavit vir eruditus in scholiis hujus loci: *Hæc omissa oportuit.* Quæ sane verba in præfatione leguntur opportune, quia præfixa est collectioni canonum. Unde exscriptor, qui jussu Isidori in origines hunc locum transtulit, manifeste hallucinatus est non omittendo verba hæc, quæ in volumine canonum sunt aptissima, sed ab originibus prorsus aliena. Pars ultima præfationis, quæ reprobat canones Apostolorum, transcripta est a Gratiano ex Isidoro, qua de re capite sequenti dicemus.

Dist. 16. c. 1. Canones.

V. Ex hac collectione Symmachus Papa in sexta Synodo Romana, habita anno DIV. citat duos canones Synodi Gangrensis ex versione antiqua, quæ est in hac collectione. Unde *apostolica auctoritate hos canones conditos* ait; quoniam, etsi provincialis esset Synodus Gangrensis, tamen cum auctoritate sedis apostolicæ jam esset in occidente recepta, perinde erat, ac si ab initio eadem auctoritate canones suos constituisset. Neque enim confugiendum est ad conjecturas, quas adhibet Baronius, qui putat, Osium Cordubensem, legatione Romana functum, huic Synodo interfuisse. Recensetur quidem ille in epistola Synodica, sed permistus aliis Episcopis, & inter ultimos, quod non congruit dignitati sedis apostolicæ.

CAPUT TERTIUM.

De discrimine collectionis istius & Dionysianæ.

I. IN eo primum differunt hæ duæ collectiones, vetus & Dionysiana, quod diversis canonum Græcorum translationibus utantur. In vetere quippe interpretatio canonum Græcorum eadem est omnino cum illa, quam Isidori collectio præfert, quæque usurpatur in libris Capitularium; ut ex studiosa earum inter se collatione didicimus. Plane Dionysiana verso videtur esse accuratior & verbis magis affixa. Sed altera est elegantior; & verba quædam si alicubi dissimulet, alibi sententiam veram canonis, alioquin obscuri, feliciter patefacit. Hæcque est illa translatio; cujus obscuritate adductum se Dionysius fatetur ad novam condendam. Quanquam & alia quoque in manuscriptis codicibus reperiatur paulo obscurior hac nostra.

II. Alia sunt discrimina inter utramque collectionem, quæ sunt majoris ponderis, & meram antiquitatem redolent. Secunda ergo differentia hæc erit, quod canones apostolici absunt ab ista collectione, eo titulo, quod nullius essent auctoritatis, ut docet diserte superior præfatio. In quo illi egregie convenit cum decreto Gelasii in Synodo Romana, quo liber canonum Apostolorum inter apocrypha numeratur. Inde quoque præstans argumentum trahitur, hanc esse collectionem canonum, qua Gallicana ecclesia utebatur; quippe quæ his canonibus Apostolorum careret, ut ex Gregorio Turonensi docuimus libro III. de concordia sacerdotii & imperii cap. IV. §. III.

III. At Dionysiana collectio canones istos, saltem priores numero quinquaginta, in Occidentem invexit. Et ejus exemplo auctor Isidorianæ collectionis eodem numero & iisdem verbis cum Dionysio canones illos transtulit in suam, licet in canonibus Græcis versionem antiquam sequatur: quæ cum istis canonibus apostolicis careret, necessario ex Dionysii versione & collectione petendi fuerunt. Rationem facti sui hanc proponit Isidorus: *Denique propter eorum auctoritatem ceteris Conciliis præposuimus canones, qui dicuntur Apostolorum, licet a quibusdam apocryphi dicantur: quoniam plures eos recipiunt, & sancti patres eorum sententias Synodali auctoritate roboraverunt, & inter canonicas posuerunt constitutiones.* Quod Synodalem patrum auctoritatem laudat, de Synodo Trullensi intelligendum est; cujus decreto canones apostolici, numero LXXXIV. recepti sunt in Oriente. Priores autem quinquaginta, qui soli erant in Occidente noti, nullum robur obtinuerunt, saltem in Galliis & Hispaniis, usque ad tempora Caroli Magni; quando Dionysiana collectio, monente Hadriano Papa, vigere incepit in his regionibus.

IV. Tertium discrimen versatur in canonibus Sardicensis Concilii, qui loco quinto positi sunt in hac collectione post Nicænos, Ancyranos, Neocæsarienses, & Gangrenses, & Antiochenos atque Laodicenses ordine antecedunt. Ancyrana, Neocæsariensis, & Gangrensis Synodi vetustiores sunt Nicæna Synodo; sed istius reverentia factum est, ut in capite collocetur. His quatuor succedit Sardicensis anno CCCXLVII. quæ licet posterior Antiochena, (quæ coa[illegible] [illegible]uit an. CCCXLI.)

illi

illi tamen in hac serie prælata est ob dignitatem. Dionysius vero, collectionis Græcæ interpretationem aggressus, in qua Sardicenses canones non habentur, eis post universos canones orientalium Conciliorum, licet tempore posteriorum, locum in sua collectione dedit.

V. Memoriæ lectoris occurret, quod superius adnotavimus de Leone primo, qui canones Sardicenses sub nomine Nicænorum orientalibus objiciebat. Ex quo sequi videtur, ut aut de bona fide periclitetur ille, cum ex hac collectione, quam ejus auctoritati tribuimus, illi constaret liquido, alios esse Sardicenses canones, quinto loco positos, a Nicænis, qui frontem codicis occupabant; vel dicendum erit, hanc collectionem posteriorem esse Leonis temporibus.

VI. Sed ex temporum discrimine pendet hujus difficultatis explicatio. Ante Concilium Chalcedonense data est epistola Leonis ad Pulcheriam anno CCCCXLIX. ubi Nicænos canones cum Sardicensibus permiscet; adeo, ut querelæ literis illis comprehensæ, de fide violata, Flaviano oppresso, & restituto Eutychete, Marcianum auctore Leone ad convocandum Chalcedonense Concilium adegerint. Post illud vero Concilium, (quod habitum est anno CCCCLI.) & ex ejus præscripto aggredienda fuit nova collectio, in quam canones orientalium Synodorum impingerentur. Tunc discutienda fuit ratio temporum, & suis quinque Conciliis canones vindicandi. Quod egregie factum est in hac collectione; in qua Sardicenses a Nicænis secreti sunt, & suis locis positi.

VII. Unde quoque illud addiscimus, eos graviter falli, qui Sardicenses canones universo orbi Christiano, etiam ipsi Romanæ ecclesiæ, vel ignotos vel apocryphos fuisse docent usque ad tempora Dionysii exigui, qui eos e tenebris in lucem primus protulerit. Etenim ista collectione, quæ antiquior est Dionysiana, in canonum auctoritatem recepti sunt per universas ecclesias. Plane illorum usus receptus erat Damasi Papæ temporibus; ut patet ex Synodo Romana & edicto Gratiani a Sirmondo publicatis, ubi causæ episcoporum datis a Romano Pontifice judicibus definiendæ constituuntur.

VIII. In Galliis invaluerant, licet tacito nomine, ante Leonis tempora; cum ex ejus epistola ad episcopos provinciæ Viennensis constet Gallicanorum Episcoporum judicia per varias appellationes & relationes a Romanis Pontificibus retractata fuisse, quod initium aut robur habuit a Concilio Sardicensi. Idem juris obtinuit in Hispaniis; ut patet ex epistola ejusdem Leonis ad Turibium Asturicensem, qua Synodum a quatuor provinciis Hispaniarum adversus redivivam hæresim Priscillianistarum habendam indicit, nempe a Tarraconensibus, Carthaginensibus, Lusitanis, & Gallæcis; adjecto, quod, si quid obstiterit, quo minus possit celebrari generale Concilium, Gallæciæ saltem in unum conveniant sacerdotes: *Quibus congregatis*, inquit, *fratres nostri Idacius & Ceponius imminebunt, conjuncta cum eis instantia tua, quatenus de provinciali conventu remedium tantis vulneribus afferatur.* Indictio Synodi & delegatio Idacii & Ceponii Episcoporum, ut Synodo immineant, canonum Sardicensium auctoritate fulta est.

IX. Idem Pontifex per Mauritaniam Sardicensium canonum vigorem plenissime exercuit, non solum relationes Synodi recipiendo, & responsis suis de relatis negotiis decernendo; quod jus est antiquius ipsa Synodo Sardicensi, sed cognitione de causa Lupicini Episcopi suscepta, qui ad eum provocaverat; quam definiendam Synodo provinciali Mauritaniæ reliquit, eamque habendam indixit juxta ordinem præscriptum in Sardicensi Synodo. Unde quoque desumptum est, quod adjungit, contra ecclesiasticam disciplinam superordinatum fuisse episcopum Lupicino, pendente appellatione ad Romanam sedem.

X. Sed quid hæremus in temporibus Leonis? Ipsa Zosimi, Bonifacii, & Cælestini tanto vetustior disputatio cum Africanis episcopis pro recipiendis appellationibus episcoporum, prolatis quoque ipsis verbis canonum Sardicensium, nonne aperte docent eorum apud Romanos auctoritatem; imo vero & apud Africanos, qui tandem provocantibus consenserunt; id unum deprecantes, ne facilius admitterentur, & causæ in provinciis judicarentur; ut patet ex epistola ad Cælestinum.

Ceterum postquam collectio ista in lucem emersit, auctoritate Leonis publicata, Africana ecclesia illius usum admisit, & canonum Sardicensium ut executionem, sic etiam & nomen: quanquam ignoti non essent olim in Africa canones Sardicenses, quorum unum Gratus Episcopus Carthaginensis laudavit in Concilio suo Carthaginensi.

XI. Collectionis ab Africanis usurpatæ breviarium sive compendium per varios titulos digestum composuit Ferrandus Diaconus ecclesiæ Carthaginensis; & post illum breviationem alteram canonum ecclesiæ Africanæ concinnavit Cresconius.

XII. Duo illæ collectiones in eo differunt, quod posterior usa est collectione Dionysiana, laudatis tum Apostolorum tum Africanis canonibus, juxta seriem numerorum, qui extant apud Dionysium. Sed Ferrandus, Dionysio vetustior, antiquam collectionem secutus est, quæ canonibus apostolicis carebat, quos auctor ille nunquam laudat; licet Ancyranos, Neocæsarienses, Gangrenses, Antiochenos, & Laodicenos titulis suis distinctos adhibeat; omissis quoque canonibus Constantinopolitanis. Quæ omnia collectioni nostræ congruunt, & manifeste probant, illam a Romanis in Africam transmissam fuisse: cui Africani suos canones, alio longe ordine quam habeantur in Dionysiana collectione, suis usibus profuturos adjunxerunt.

XIII. Porro in breviario Ferrandi canones Sardicenses, illique præcipue, qui de provocationibus episcoporum ad Romanam sedem decernunt, diserte laudantur; quos ille non potuit una cum canonibus orientalibus publicare aliunde depromptos, quam ex collectione recepta, cujus ipse compendium exhibet, quæ prorsus eadem est cum hac nostra.

Ex ista quoque vetere collectione Theodoretus Episcopus Cyri hausit canones Sardicenses, quos laudat num. XXI. in compendio canonum, per quinquaginta titulos digestorum. Quæ collectio Theodoreti exstat MS. in bibliotheca Regis Christianissimi: de qua diximus in capite III. §. VIII. libri III. de concordia sacerdotii & imperii.

XIV. Quartum discrimen est, illudque maximi momenti, quod Dionysii codex tres canones Synodi Constantinopolitanæ secundæ ex codice Græco transcriptos exhibet; in quibus Thracicæ, Ponticæ, & Asianæ diœceseon privilegia sic confirmantur, ut primatus tribuatur ecclesiæ Constantinopolitanæ, fiatque secunda post Romanam, ea ratione adjecta, quoniam Constantinopolis est nova Roma. Sed canones isti in hac vetere collectione penitus desiderantur. Ex quo solo capite illius veritatem colligere & genuinam Romanæ ecclesiæ collectionem hanc esse, demonstrare licet.

XV. Quippe nota est vehemens illa dimicatio, quæ in Concilio Chalcedonensi inter Aetium Archidiaconum ecclesiæ Constantinopolitanæ & Legatos Romanos exarsit ob canonem XXVIII. quo præter Metropolitarum ordinationes in tribus illis diœcesibus adscriptas sedi Constantinopolitanæ, exæquata erant privilegia utriusque sedis, etiam in rebus ecclesiasticis, eo quod nova Roma senatu

natu & imperio, æque ac senior Roma, potiretur, hoc solo excepto, quod ecclesia Constantinopolitana secunda esset post Romanam. Legatis illa se absentibus clanculum gesta & per vim ab episcopis extorta conclamantibus, magistratus Principis interlocuti sunt, ut quibus se canonibus tueretur Aetius, proferret in medium: qui Synodicum Synodi Constantinopolitanæ exhibuit, & ex eo relegi fecit tres canones, qui extant apud Dionysium, omissis aliis, quos ultima collectio Græcorum continet.

XVI. Legati, post prolatum canonem sextum Nicænum, cum, judicum cognitorum sententia, irritam vidissent intercessionem suam, se ad sedem apostolicam omnia relaturos, contestati sunt. Leo totius rei certior factus, Anatolii Patriarchæ superbos conatus seria oratione compressit, & inter cetera asseruit, canones illos Constantinopolitanos nunquam ad decessores suos relatos fuisse aut ab iis probatos. Ajebat quidem Eusebius Episcopus Dorylæi, in actione ultima Concilii Chalcedonensis, canonem istum Constantinopolitanum Leoni gratum fuisse. *Hanc regulam*, scilicet Synodi Constantinopolitanæ, *sanctissimo Papæ in urbe Roma eo relegi*, inquit, *præsentibus clericis Constantinopolitanis, eamque suscepit*. Sed insinuatio ista privata, quando agebatur de causa Flaviani Constantinopolitani per summum scelus a Dioscoro Alexandrino damnati, ut faciebat ad augendam hominis audaciam, qui dignioris ecclesiæ episcopum oppresserat, quæ dignitas canone Constantinopolitano probatur, sic obtinere non poterat, ut canon ille publica auctoritate Romanæ ecclesiæ receptus dici posset.

XVII. Successit tandem collectio Dionysii, quæ Occidenti canones illos tres Constantinopolitanos, a corpore Græcorum desumptos, publicavit. Id tamen non fuit impedimento, quin Gregorius Magnus Joannis Patriarchæ Constantinopolitani temeritatem comprimens, professus sit, canones Synodi Constantinopolitanæ, quibus ille nitebatur, nunquam ab ecclesia Romana receptos. Quod sanctus ille asserere potuit & debuit, quoniam collectio illa vetus, quæ publici juris facta fuerat, conones illos, ut repudiatos & ab apostolica sede rejectos, non continebat. Alioqui si sola Dionysii collectione, quæ tunc manibus omnium terebatur, usa fuisset ecclesia Romana, retorqueri potuisset in Gregorium, tres illos canones, utpote non expunctos, juris publici factos. Quam exceptionem elidere poterat prolatis contrariis instrumentis vetustioribus, nempe collectione isthac a Leone approbata, quæ illis omnino caret.

XVIII. Quod attinet ad canones Concilii Chalcedonensis; utraque collectio tum vetus, tum Dionysiana, solos viginti septem continet, omisso XXVIII. qui ob Leonis reprobationem nunquam in canonum censum adscriptus est; neque etiam apud Orientales, ut patet ex Dionysio, qui collectionem illorum in Latinam linguam vertit. Unde Theodoretus in sua synagoge & Theodorus lector viginti septem numero canones Chalcedonenses concludunt. Synodus deinde, habita in Trullo, vigesimum octavum in auctoritatem recepit; cum antea ejus mente & sententia tantum Constantinopolitani uterentur, fulti potestate Imperatoris, ut adnotavit Liberatus in breviario, & nos uberius diximus lib. III. de concordia sacerdotii & imperii cap. 3. §. V.

XIX. In neutra vero collectionum, Ephesini Concilii fit mentio: quoniam cum nullos ad disciplinam pertinentes canones ediderit, sed tantum fidem rectam adstruerit adversus insaniam Nestorii, non erat, cur anathemate contra hæresim ejusque fautores corpori canonum adjicerentur.

CAPUT QUARTUM.

De Canonibus Africanis.

I. IN canonibus Africanis enumerandis immensum est discrimen. Collectio vetus eos canones exhibet, quos Ecclesia Romana recepit, eadem serie & ordine, quo sunt in Conciliis Africanis editi; omissis canonibus ceteris, quibus edendis defuit auctoritas ecclesiæ Romanæ.

II. Quod ut liquidius intelligatur, sciendum est, præsente Faustino Legato Romanæ sedis habitam fuisse Synodum universalem totius Africæ, quæ sexta dicitur, sub Aurelio Carthaginis episcopo; in qua relecti sunt canones illi omnes, qui diversis in Conciliis editi fuerant tempore Aurelii, & nova definitione, consentiente Faustino, approbati sunt. Horum Conciliorum gesta & canones Faustinus Romam cum retulisset, apostolicæ sedis consensu adeo probata sunt, ut partem deinde fecerint collectionis nostræ veteris, quæ incipit a tertio Carthaginensi Concilio, & cetera ex ordine complectitur, quæ habita sunt sub Aurelio usque ad septimum Carthaginense, & præterea Milevitanum sub Aurelio.

III. Primum Carthaginense Concilium sub Grato, & secundum sub Genetlio, licet canones aliquot constituerint, non describuntur in hac collectione: quæ propria Romanæ ecclesiæ cum esset, nefas erat, ut aliis ista legibus uteretur, quam iis, de quibus ad eam relatio facta fuerat, aut quas, præsentia Legatorum suorum, probando suas fecerat. Concilia sub Grato & Genetlio, quemadmodum & Telense, Septimunicense, & Macrianense, quorum meminit Ferrandus in breviario, ecclesiæ Africanæ ordinandæ destinata erant, ejusque erant decreta specialia. Sed Concilia habita sub Aurelio, ad Romana scrinia delata primum, publicæ legis vim tandem obtinuerunt in Occidente universo, in consequentiam hujus collectionis. In ea canones singulorum Conciliorum describuntur, & specialiter canones Concilii Carthaginensis quarti, quibus forma celebrandarum ordinationum in singulis gradibus præscribitur, quæ singulare est antiquitatis sacræ & veteris ecclesiasticæ disciplinæ venerandum monumentum; cui auctoritas & robur generalis legis ab hac collectione cum sit impensum, vel eo nomine nobis cara esse debet. Proferimus sæpe in controversis fidei capitibus, præcipue cum de sacramento ordinis agitur, canones ex isto Carthaginensi Concilio quarto petitos: quos sectarii elevare solent eo nomine, quod rejecti videantur ab ecclesia Romana, quoniam absunt a collectione Dionysii. Imo vero quidam male sani non solum dubios canones illos, sed etiam falsos, & ab otiosis hominibus consarcinatos jactant, ejusdemque esse farinæ cum subdititiis epistolis, quibus Isidorus Mercator collectionem suam infercit, quorum injustas querelas hac veteris collectionis exceptione repellimus.

IV. Dionysius quidem alium ordinem secutus est in describendis canonibus Africanis ab eo, qui jam receptus erat. Etenim præmisso universali totius Africæ Concilio, quod habitum fuit sub Aurelio, & positis XXXIII. canonibus, in eo editis, statim subjungit collectionem a se confectam canonum, in variis Conciliis Africanis editorum: in qua selectis iis, qui ad disciplinam ecclesiasticam pertinebant, ceteros omisit. Præterea cum canones aliqui, in superiore Concilio editi, poliantur aut explicentur in sequenti, Dionysius, ut compendium laboris legenti faceret, unica editione contentus fuit; & ipse alicubi verba quædam ex prioribus addit aut demit.

V. Dubitandum enim non puto, quin collectio illa Africana auctorem habeat Dionysium; quippe quæ ante illius ætatem incognita esset etiam ipsis Africanis, ne dicam Latinis ceteris. Etenim

nim Ferrandus diaconus, Dionysio vetustior, Carthaginensia sub Grato & sub Genetlio, universale primum, secundum, tertium, & quartum laudat, quoniam nondum erat in compendium redacta canonum Africanorum rhapsodia. Sane post publicatum Dionysii codicem Cresconius Africanus ordinem & seriem canonum, prout exstant apud Dionysium, secutus est. Diffitendum tamen non est, quin plurimum Dionysio debeat ecclesia, ob collectionem illam Africanam. Etenim vetus collectio, ut plurimum omissis Conciliorum gestis, a canonibus auspicatur. Præterea conventus illos omittit, in quibus de variis Africanarum provinciarum negotiis disceptatum est: quorum tamen Dionysius brevem summam, aliquando verba ipsa repræsentat.

VI. Ecclesia Africana canonibus Nicænis, quos solos noverat, suas deinde regulas adjunxit in Conciliis Africanis decretas, quibus negotia ecclesiastica componerentur. Nomina Conciliis indita a civitatibus, ubi cogebantur; a Carthagine ut plurimum, quoniam frequentius illo conveniebant episcopi, tanquam ad caput & metropolim Africanarum provinciarum, quod ceteras civitates, istius dignitati fere invidas, urebat. Unde & propter faciliorem causarum communium ordinationem expressus ille canon Hipponensis, quo Concilium universale totius Africæ nunc in hac, postea vero in illa provincia cogendum esse, definitur. Quare Concilium Hipponense & Milevitanum inter plenaria recensentur; præter Macrianense, Septimunicense, Tusduritanum, Thenitanum, laudata una cum aliis a Ferrando Diacono; quorum canones in auctoritatem recepti erant pro regimine universæ ecclesiæ Africanæ.

VII. Sane plurimos conventus Carthagine habitos constat ob negotia emergentia, seu adversus paganos & Donatistas, quorum causa legatio ad comitatum Principis vel etiam ad sedem apostolicam suscipienda erat, seu ob Episcoporum inter se controversias & inferioris gradus clericorum judicio canonico finiendas. In singulis illis Conciliis non sunt editi canones, sed in quibusdam. Quæ observatio, ut certa, ita ad discussionem eorum, quæ sequuntur, valde conducibilis.

VIII. Quæ disceptatio ut ordine procedat, brevem summam proponemus Conciliorum a catholicis Carthagine habitorum. Donatistarum enim conventicula hac nos in parte non tangunt. Deinde, quæ canones Concilia ediderint, a reliquis secernemus. Unde patebit ratio, quam vetus collectio secuta est in Conciliis Carthaginensibus ex ordine digerendis.

Cypr. in epist. ad Quirinum. August. lib. 4. de baptis. c. 5.

Vetustissima Synodus Carthaginensis est illa, quam habuit Agrippinus ejus urbis episcopus, de baptismo hæreticorum, anno CCXVII. cujus meminere Cyprianus & Augustinus.

Temporibus Cypriani, in Labesitana colonia, Privatus hæreticus, nonaginta episcoporum sententia condemnatus, facit, ut Labesitanum Concilium hic adscribamus, ex Cypriano in epistolá ad Cornelium, anno CCXLII.

Sed facultate conveniendi data, frequentes Carthagine & alibi, sed illic præcipue, habuit Synodos Cyprianus, ut docet in suis epistolis, quas Synodos hic tantum indicamus.

I. De pace lapsis pœnitentibus danda anno CCLIV. *Cyprianus lib. 4. epist. 21.*

II. Ob quæstionem eandem, in causa Felicissimi & Novatiani, anno CCLV. Extat apud Cyprianum epistola Synodica ad Cornelium Papam.

III. De baptizandis infantibus ante octavum diem, anno CCLVII. *Epistola Synodica ad Fidum, apud Cyprianum.*

IV. De admittendis ad pœnitentiam libellaticis, anno CCLVIII. *Cyprianus lib. 1. epist. 4.*

V. VI. VII. De baptismo hæreticorum non admittendo, Concilium primum, & secundum; dein tertium universale ex provincia Africa, Numidia, & Mauritania, anno CCLVIII. cujus acta habentur apud Cyprianum & Augustinum.

Post tempora Cypriani, primum, quod deprehenditur, Concilium Carthaginense est illud, quod Gratus episcopus, e Concilio Sardicensi redux, satis frequentem coegit post legationem Pauli & Macarii missam a Constante Imp. in Africam ad molliendos schismaticorum animos circa annum CCCXLIX. ubi quatuordecim canones editi sunt.

Sequitur Concilium Carthaginense sub Genetlio, ejus urbis episcopo, Valentiniano Aug. & Neoterio Coss. anno CCCXC. ubi XIII. canones constituti sunt.

Quæ vero sequuntur, habita sunt sub Aurelio Carthaginis episcopo.

Hipponense, Theodosio III. & Abundantio Coss. VIII. Idus Octobr. anno CCCXCIII. in quo canones XLI. editi sunt.

Carthaginense, Arcadio III. & Honorio II. Coss. VI. Kalend. Julias, anno CCCXCIV.

Carthaginense, Cæsario & Attico Coss. V. Kal. Septembris, anno CCCXCVII. in quo canones XLIX. publicati sunt.

Carthaginense, Cæsario & Attico Coss. VI. Kal. Julias.

Carthaginense, Honorio Augusto IV. & Eutychiano Coss. VI. Idus Novemb. an. CCCXCVIII. ubi CIV. canones de mystica ecclesiæ disciplina statuti sunt.

Carthaginense, post consulatum Honorii IV. & Eutychiani, V. Kal. Majas, anno CCCXCIX.

Carthaginense, post consulatum Flavii Stiliconis, XVI. Kalend. Julias, anno CCCCI. ubi novem capitula definita sunt.

Carthaginense, Vincentio & Flavito Coss. Idibus Septembris, anno CCCCI. cum viginti capitulis.

Milevitanum I. Arcadio & Honorio V. Coss. VI. Kal. Septembr. anno CCCCII. cum quinque capitulis.

Carthaginense, Theodosio Augusto & Rumorido Coss. VIII. Kal. Septembris, anno CCCCIII. cum octo capitulis.

Carthaginense, Honorio Augusto VI. Cos. VI. Kalend. Julias, anno CCCCIV.

Carthaginense, Stilicone II. & Anthemio Coss. X. Kal. Septembr. anno CCCCV.

Carthaginense, Honorio VII. & Theodosio III. Coss. Idibus Junii, anno CCCCVII. cum sedecim capitulis.

Carthaginense, Basso & Philippo Coss. XVI. Kalend. Julias.

Carthaginense, iisdem Consulibus, III. Idus Octobris.

Carthaginense, Honorio VIII. & Theodosio III. Coss. XVII. Kal. Julii, anno CCCCIX.

Carthaginense, post consulatum Honorii VIII. & Theodosii III. & XVIII. Kalendas Julias, anno CCCCX.

Carthaginense, Honorio XII. & Theodosio VIII. Coss. Kal. Maji, anno CCCCXVIII. ubi constituti sunt canones XIX.

Carthaginense, post consulatum Honorii XII. & Theodosii VIII. V. Kal. Junias, an. CCCCXIX. quod canones constituit.

Carthaginense, post consulatum Honorii XII. & Theodosii VIII. III. Kal. Junias, ubi editi sunt sex canones.

Concilia isthæc & canones ab eis promulgati sine dubio nos laterent, nisi veterum collectorum diligentia factum esset, ut iis ecclesia non careret. Duo sunt, qui olim studiose in eam curam cogendi hos canones in unum corpus incubuerunt. Alter est antiquus ille collector, qui ex mandato Leonis priori collectioni operam dedit. Alter vero Dionysius, qui privato labore, amicorum precibus excitatus, suum codicem dedit Africanis canonibus auctum. Vetus ille aliqua in par-

parte est accuratior Dionysio, in aliis vero ab isto superatur. Etenim antiquus exhibet canones Conciliorum sub Grato & sub Genetlio, qui desunt in collectione Dionysii. Habet praeterea canones omnium Conciliorum, quae coacta sunt sub Aurelio; etsi in Conciliis illis, ab invicem secernendis, non pari industria laboraverit, ac fecit Dionysius: quamvis huic quoque suae non desint hallucinationes. Ex utriusque auctoris collatione plenam & integram veterum Carthaginensium Conciliorum cognitionem adipiscetur lector; quae sincera ex omnibus partibus a singulis hauriri non potest, quod manifestius patebit ex utriusque discrimine, quod statim adnotabimus.

X. Uterque sane Africanos canones deprompsit ex actis Concilii Carthaginensis, habiti sub Aurelio anno CCCCXIX. quod vocant sextum, ubi interfuit legatio ecclesiae Romanae. Faustinus quippe, Potentinus episcopus in Italia, missus in Africana a Zosimo Papa, una cum Asello & Philippo presbyteris ecclesiae Romanae, collegis suis, ut componeret controversiam, motam de appellationibus episcoporum ad Romanam sedem admittendis juxta Nicaenos canones, quo proferebat, (Africanis episcopis causantibus, canones illos dubios esse, nec haberi in exemplaribus ejus Synodi, quae secum Caecilianus, episcopus Carthaginensis detulerat) occasionem dedit, ut in plenaria illa Synodo canones Nicaeni juxta fidem exemplaris illius recitarentur, & canones omnes post illa in Africanis Conciliis editi, quae omnia gestis illius Concilii inserta sunt. Ubi observandum est, non solos canones, editos in Conciliis, habitis sub Aurelio, tunc recitatos & relatos in acta, sed praeterea illos omnes, qui a decessoribus Aurelii promulgati erant. Quod apertissime ostendunt Aurelii verba in actis illius Concilii: *Nunc patimini, exemplaria statutorum Nicaeni Concilii, sed & quae hic salubriter a nostris decessoribus secundum ejusdem Concilii formam, vel quae nunc a nobis ordinata sunt, recitari & gestis inseri. Omne Concilium dixit, Exemplaria fidei & statuta Nicaenae Synodi, quae ad nostrum Concilium per beatae recordationis olim praedecessorem tuae sanctitatis, qui interfuit, Caecilianum episcopum adlata sunt, sed & quae patres, exemplaria sequentes, hic constituerunt, vel nunc communi tractatu statuimus, his gestis ecclesiasticis inserta manebunt.*

XI. Itaque oportuit ex ista definitione, ut statuta praecedentium Conciliorum, non solum quae sub Aurelio, sed etiam quae sub decessoribus ejus coacta erant, recitata primum, in hujus acta Concilii deinde referrentur post canones Nicaenos. Sane exemplaria Nicaeni Concilii a Caeciliano adlata, id est, fidei professio, & viginti canones ex versione Teilonis & Tharisti Constantinopolitani inserta sunt actis Concilii sexti; ut patet ex veteri nostra collectione. Dionysius quoque id observavit in suo codice: *Statuta quoque Nicaeni Concilii in XX. capitulis similiter recitata sunt, sicut in superioribus inveniuntur adscripta.* Intelligit Dionysius canones Nicaenos, locatos in capite suae collectionis: qui tamen aliis verbis sunt concepti, id est, suis a Dionysio novo interprete, non autem Teilonis & Tharisti verbis expressi; qua interpretatione careremus, nisi conservata fuisset in veteri collectione; quae aliam quoque prae se fert in capite collectionis, nempe antiquam, quae in usu erat in ecclesia Romana.

XII. Post Nicaenos canones actis inserta sunt, quae ab Aurelii decessoribus statuta fuerant, id est, a Grato & a Genetlio Carthaginensibus episcopis, deinde quae Aurelius in variis Conciliis Africanis definierat, & in illo ultimo, quod tunc gerebatur.

XIII. Quare Dionysii adnotatio, quae inserta est post XXXIII. canonem Concilii Carthaginensis ante ceteros Africanos, caute accipienda est. *Recitata sunt*, inquit, *etiam in ista Synodo diversa Concilia universae provinciae Africae transactis temporibus Aurelii Carthaginensis episcopis celebrata.* Sunt illa quidem recitata; sed praeterea relecta sunt & gestis inserta, quae celebrata sunt sub decessoribus Aurelii, ut superius ostendimus.

XIV. Is autem ordo servatus est, ut statim post recitata capitula Synodi Nicaenae, sextum Concilium Carthaginense suos canones ediderit, quos Dionysius exhibet numero XXXIII. quorum primus, quod asserimus, ostendit manifeste. *Aurelius Episcopus dixit. Haec ita apud nos habentur exemplaria statutorum, quae tunc patres nostri de Concilio Nicaeno secum detulerunt, cujus formam servantes, haec, quae sequuntur constituta, firmata a nobis custodientur.* Canones isti Concilii sexti Carthaginensis absunt a veteri collectione; quoniam ex Conciliis sub Grato, sub Genetlio, & ex Hipponensi, quibusdam aliquando recisis & mutatis, conflati sunt. Eos autem debemus diligentiae Dionysii.

XV. Enimvero cum Africanorum canonum corpus gestis Carthaginensis sexti insertum esset, & gesta illa integra a Legatis Romam delata fuissent ad Bonifacium Papam, ut docet diserte epistola Concilii ad illum data, hinc factum, ut quo tempore receptae & publicatae sunt auctoritate apostolica Synodi dioecesēon orientalium, eadem auctoritate adjuncti illis fuerint canones Conciliorum Africae, quae una erat ex dioecesibus Occidentis. Quae quidem Concilia ad Romanum Pontificem transmissa, post causae cognitionem, retenta sedis dignitate, firmari poterant; omissis & mutatis quibusdam, quae collector ex auctoritate sibi delegatae ecclesiae universae commoda judicavit, ut statim patebit.

XVI. Ceterum cum sint Concilia duodecim, in quibus constituta sunt capitula, sive canones, eorum numerum ad octo Concilia redegit collector vetus; cujus instituti ratio reddetur inter recensendum Concilia illa, ex quibus canones suos hausit.

XVII. Aliam rationem secutus est Dionysius; quippe qui sola sub Aurelio habita Concilia in collectione sua retinuerit, commemoratis illis, ubi canones editi non fuerant; adscriptis canonibus suae quibusque Synodo ut plurimum. Aliquando enim ab eo peccatum hac in parte docebimus, tum etiam in eo, quod Synodi quartae canones integros omiserit, quemadmodum etiam Concilia sub Grato & sub Genetlio, eorumque canones.

XVIII. Unde patet, graviter falli virum eruditum Christophorum Justellum; qui in praefatione sua ad codicem canonum ecclesiae Africanae contendit, collectionem illam, prout extat apud Dionysium, in Concilio Carthaginensi probatam & confirmatam, in acta dein relatam fuisse; quam postea Dionysius Exiguus suae collectioni inseruerit, & primus in Occidente evulgaverit. Compendium enim illud Conciliorum Africanorum est a manu Dionysii; cum Concilia integra gestis Carthaginensis Concilii sexti inserta fuerint, ut jam monui.

XIX. Ejus compendii auctorem praesto Dionysium; ut constabit lectori, si expendat, quod superius observavi de versione canonum Nicaenorum; quae quidem inserta fuit actis, prout elucubrata fuerat a Teilone & Tharisto, presbyteris, atque Caeciliano tradita; ut docet vetus collectio, cujus antiquitas ex eo nomine commendatur. Dionysius autem versionem illam penitus omisit; suamque, quam novam cudit, in capite collectionis suae posuit, ad quam referuntur verba illa superius laudata: *Statuta quoque Nicaeni Concilii in XX. capitulis similiter recitata sunt, sicut in superioribus inveniuntur adscripta.* Haec adnotatio tribui non potest Africanis patribus, qui octoginta & amplius annis Dionysii tempora antecedebant;

bant; sed ipsi Dionysio, qui canones Nicænos ex sua interpretatione significat.

XX. Quo etiam alludit hæc ejusdem collectoris adnotatio, post relatas Cyrilli Alexandrini & Attici Constantinopolitani ad Africanos epistolas, una cum exemplaribus Concilii Nicæni e Græco versis per Innocentium presbyterum & ad Bonifacium Papam missis a Carthaginensi Synodo: *Huic symbolo fidei etiam exemplaria statutorum ejusdem Concilii Nicæni a memoratis Pontificibus annexa sunt, sicut superius per omnia continentur; quæ nos hic iterum conscribi necessarium non esse credimus.* Ex quo etiam patet, hunc scriptorem hominem esse privatum, qui gesta a Pontificibus refert. Sane privatum esse & nulla publica auctoritate fultum, qui hoc compendium digessit in ordinem, ex eo etiam patet, quod de se veluti studiosorum antecessore loquatur in Concilio, habito an. CCCCV. Stilicone II. & Anthemio Coss. *Hujus Concilii gesta ideo non ex integro descripsi, quoniam magis ea, quæ in tempore necessaria fuerunt, quam aliqua generalia constituta sunt, sed ad instructionem studiosorum, ejusdem Concilii brevem digessi.*

XXI. Fulgentius Ferrandus, diaconus ecclesiæ Carthaginensis, qui vixit Justino imperante, breviationem canonum instituit ante Dionysium, ubi Synodos Orientales auctoritate Leonis Papæ jam in Occidente receptas, Nicænam, Ancyritanam, Novocæsariensem, Gangrensem, Antiochenam, & Laodicenam laudat, & Sardicensem, dein Carthaginenses sub Grato & sub Genetlio, ceteras quoque suis titulis distinctas; quæ sine dubio charactere quodam temporis apud eum auctorem ab invicem erant discretæ; sed incuria librariorum, Consulum notæ perierunt. Attamen expensis cum cura, quos citat, titulis Conciliorum, cognitionem adepti sumus eorum, ad quæ singuli pertinent; quamvis in quibusdam numerorum fides vacillet, ut mox ostendemus. Præter eas vero Synodos Carthaginenses, quas exhibent quoque vetus collectio & Dionysiana, alias profert, quarum auctoritas recepta erat in Africa, ut Zellensem sive Teleptensem, Septimunicensem, Macrianensem, Mazarensem, Juncensem, Tusduritanam, Thenitanam, & Hipponensem secundam, imo vero & Carthaginensem quandam, aliis collectoribus incognitam. Quod autem Concilii Carthaginensis Quarti canones nullos producat, non debet cuiquam mirum videri; quoniam de disciplina tantum exteriori in suo canonum breviario tractat, omissis iis, quæ fidem & dogmata spectant; ut factum ab illo est in capitulis novem, quæ de gratia Dei definita sunt in Concilio Carthaginensi anno CCCCXVIII. quamvis ejusdem Concilii canones, de disciplina editos, citet. Statuta itaque Concilii Quarti, quæ ordinationum mysteria & formulas graduumque atque ordinum varias functiones respiciunt, juxta instituti sui rationem Ferrandus prætermittere debuit. Illud unum me habet anxium, cur in sua breviatione de canonibus Chalcedonensis Concilii tacuerit; qui recepti cum fuissent ab ecclesia Romana, valere quoque debebant in Africa, quæ flagrantibus Concilii Chalcedonensis propugnatoribus abundavit, & inter eos præcipue Facundo Hermianensi episcopo, cujus extant libri duodecim de tribus capitulis ejus Concilii, in controversiam adductis, temporibus Justiniani, quæ tamen auctor ille vehementi oratione tuetur; licet postea in Quinta Synodo damnata fuerint.

CAPUT QUINTUM.

Ordo Conciliorum Africæ in veteri collectione.

I. Nunc specialiter consideranda sunt ea Concilia, ex quibus compacta est vetus collectio, Statim occurrit Concilium Carthagine habitum sub Grato, illius urbis episcopo, in quo omnium primo canones constituti sunt, unde dicitur eleganter in collectione illa *Concilium Carthaginense primum.*

II. Secundum ordine est Concilium sub Genetlio: cujus nomen perperam scribitur in editis *Genedius* pro *Genetlio*, ut habent Ferrandus & veteres manuscripti codices. De istius Concilii veritate nullus superest dubitandi locus, cum & in collectione veteri exhibeatur, & ex eo plures canones citet Ferrandus, Justellus tamen ait, falsum & fictum omnino esse, quod probare tentat, quia convenisse dicitur in præfatione Valentiniano Augusto IV. & Theodosio Consulibus. Nusquam enim, inquit, Valentinianus cum Theodosio, sed cum Neoterio anno CCCXC. consulatum gessisse reperitur. Quod sane notum est. Sed id solum evincit, errorem in nomen Theodosii, exscriptorum vitio, irrepsisse, legendumque *Neoterium*, ut habeamus par Consulum illius anni.

III. Addit, Alypium Tagastensem episcopum, qui hac in Synodo interloquitur nonnisi quatuor annis post prædictorum consulatum ordinatum fuisse episcopum, ut observat Baronius ex Augustino & Hieronymo, quo argumento cum ipse quoque Baronius utatur, illud statim diluemus. Sane Baronius mitius agit cum hoc Concilio, quod gradu solum movendum putat, & posterius esse Conciliis omnibus, quæ ab Aurelio Carthaginensi habita sunt: qui quidem, velut emeritus, successorem sibi designarit Genetlium, unde factum, ut in actis ejus Concilii Genetlii & Aurelii mentio injiciatur, ac si uterque Synodo præesset; ille ut actu episcopus, alter ob dignitatem retentam, cum tamen certum sit vice versa, Aurelium successisse Genetlio. Probat autem sententiam suam ex eo, quod Valentinus, Numidiæ Primas, huic Synodo interfuerit, qui fuit Xantippi successor. Porro Xantippus Milevitano Concilio præsens aderat anno CCCCII. ante quod tempus Carthaginense Tertium, quod vocant, Quartum, & Quintum habita fuerant. Ergo Secundum dici non potest, in quo Valentinus Xantippi successor interfuit. Huic argumento aliud addit, nempe canone secundo hujus Concilii citari canonem XXXVII. collectionis Dionysianæ, de continentia clericorum, qui petitus est ex Concilio, habito anno CCCCI. & canone tertio laudari canonem de chrismate, reconciliatione pœnitentium, & puellarum consecratione, qui extat in Concilii Sexti canone decimo.

IV. His difficultatibus ut satisfiat, observandum est, canones Concilii Carthaginensis Sexti petitos esse ex variis Conciliis prioribus, nempe ex Concilio sub Grato canonem quintum, ex Carthaginensi Tertio plerosque, & ex Synodo sub Genetlio canones II. III. IV. VI. VII. VIII. IX. X. XI. XII. & XIII. iisdem quandoque verbis, aliquando vero paulisper mutatis. Unde accidit, ut interlocutiones episcoporum, quæ tribuuntur recte Aurelio, Alypio, Numidio, & aliis in Concilio Sexto, in quod canonum sub Genetlio verba transcribuntur, fuerint deinde inter exscribendum, librariorum vitio, retentæ in actis Concilii sub Genetlio, sub nominibus eorundem episcoporum; qui alii erant in vero exemplari illius Concilii sub Genetlio, ut statim patebit.

V. Interim, ut tota res sit adhuc apertior, canones editi a Concilio sub Genetlio, quos habet Ferrandus, hic proponendi sunt, & reliqui expendendi: unde constabit vetustas hujus Concilii, præ ceteris, habitis sub Aurelio; tantum abest, ut sit ultimum, quemadmodum sibi persuaserat Baronius. Tum etiam manifestum fiet discrimen istius Concilii a Sexto; quod tamen a priore pleraque mutuatum est, ut dixi. Denique quid significetur per *præteritum Concilium* in canone II. & III. sub Genetlio. Sicque Baronii argumentis respondebitur.

VI.

VI. Quatuor hujus Concilii canones citat Ferrandus in Breviario, quartum, octavum, nonum, & decimum. Quarti canonis compendium hoc est apud illum auctorem num. CXCIV. *Ut, qui aliquibus sceleribus irretitus est, vocem accusandi non habeat. Concilium Carthaginense sub sancto Genetlio tit. IV. Concil. Carthag. tit. VI. Hoc & in Concilio Thenitano statutum est.* Ex collatione istorum canonum patet, duo fuisse Concilia Carthaginensia, quæ criminosos ab accusatione summoverunt, alterum sub Genetlio, idque prius, ut docet ordo scripturæ, & alterum Carthaginense, quod congruit cum antiqua collectione; ubi res eadem sancitur in Concilio sub Genetlio tit. VI. & præterea apud Dionysium in Carthaginensi sub Aurelio, quod vocant sextum, tit. VIII. Ubi diligenter observandum est, hunc canonem editum in Concilio sub Genetlio, teste Ferrando, & in Carthaginensi sexto, eodem teste; in utroque fieri ad suggestionem Numidii, Aurelio interloquente & Præsidis munus exercente, quod ut conveniat Concilio Sexto, non potest convenire Concilio sub Genetlio. Quare dicendum, canonis verba deprompta quidem a patribus Concilii Sexti ex Concilio sub Genetlio, sed a librariis transcribentibus vices mutatas, & episcoporum nomina ex Concilio Sexto in hoc translata, quod caput probandum sumpseramus. Idem error pervasit canones VII. X. & XI. Concilii Sexti, qui respondent canonibus IV. & VIII. Concilii sub Genetlio, ubi fit mentio Alypii & Valentini.

VII. Tituli octavi lemma hoc est num. LV. apud Ferrandum: *Ut episcopus, si causam habuerit, a duodecim episcopis audiatur. Concilium Carthaginense sub sancto Genetlio, tit. VIII.* Et de presbyteris num. XCVI. apud eundem: *Ut presbyter, qui reatum incurrerit, a sex vel a septem episcopis audiatur. Concil. Carthag. sub antistite Genetlio tit. IX.* in collectione veteri can. X. ad suggestionem Felicis episcopi Selemselitani, quæ repetita sunt iisdem verbis in Carthaginensi Sexto sub Aurelio; dempta tamen isthac clausula, quæ est in isto secundo: *Genetlius Episcopus dixit: Quid ad hoc dicit sanctitas vestra? Ab universis episcopis dictum est, a nobis veterum statuta debere servari.* Unde manifeste patet, hunc canonem e Concilio sub Genetlio translatum fuisse in Concilium Sextum, ut nos toties diximus.

VIII. Ad rem ipsam quod attinet, numerus duodecim episcoporum ad judicandum episcopum constitutus fuerat a Concilio sub Grato can. XI. sex in judicio presbyteri, trium autem in causa diaconi. Quare non inutiliter in Concilio sub Genetlio additum est, illud constitui *juxta veterum canonum statuta*. Quod iterum confirmatum fuit can. VIII. Concilii Carthaginensis Tertii, qui repetitus est in canone Concilii Carthaginensi Sexti, explicata phrasi, quæ in præcedenti Concilio obscurior videbatur. Dicto enim canone VIII. statuitur, quod, si presbyteri vel diaconi fuerint accusati, adjuncto sibi ex vicinis locis legitimo numero collegarum, id est, in presbyteri nomine quinque, in diaconi duorum, episcopi ipsorum causas discutiant. Quem loquendi modum retinuit Ferrandus num. LI. *Ut episcopus accusatos presbyteros convocatis quinque episcopis audiat.* Quod ita enuntiatur in dicto canone XX. Concilii Carthaginensis Sexti, ut sententia prioris canonis explicetur. Ait enim, vicinos episcopos petendos & eligendos ab accusatis, & debere eos esse numero sex, una cum proprio episcopo, in presbyteri nomine, & in diaconi tres.

IX. In Concilio sub Genetlio constitutum docet Ferrandus numero XXIV. *Ut nullus episcopus plebem alienam usurpet. Concil. Carthagin. sub sancto Grato tit. IX. Concilium Carthagin. sub antistite Genetlio tit. IX. Concil. Carthagin. tit. V.* Canon iste nonus est undecimus numero in collectione veteri, editus ad suggestionem Victoris episcopi. In Concilio Sexto sub Aurelio canone V. quem laudat Ferrandus, ad relationem Aurelii de avaritiæ variis capitibus cavetur; inter cetera generaliter, *ne quis alienos fines usurpet.* Unde patet discrimen utriusque Concilii, & prius esse Concilium sub Genetlio, quam Carthaginense sub Aurelio.

X. Eadem differentia & antiquitas magis elucet titulo X. quem laudat Ferrandus num. IV. *Ut episcopus a tribus ordinetur, consentientibus aliis per scripta, cum confirmatione Metropolitani vel Primatis. Concil. Carthag. sub antistite Genetlio tit. X. Concil. universale Carthagin. tit. XLIV.* Sane consensus & præceptum Primatis diserte requiritur & numerus trium sacerdotum in ordinando episcopo, ex definitione canonis XII. sub Genetlio in editis, qui ad suggestionem Numidii Massulitani constitutus est. Quæ sententia brevioribus verbis, referente Aurelio, expressa est canone XIII. Concilii Carthaginensis sexti, licet decretum istud & interlocutio diserte tribuatur Genetlio in superiori Concilio. Quo exemplo docemur, Aurelii interlocutiones, insertas actis Concilii sub Genetlio, corrigendas esse & tribuendas ipsi Genetlio, non autem Aurelio, qui nondum erat episcopus.

XI. Ea omnia docent apertissime discrimen Concilii sub Genetlio a ceteris Africanis & illius vetustatem; quamvis canones aliquot ex eo transcripti sint in Concilium Carthaginense sextum sub Aurelio, iisdem quandoque verbis, quandoque vero illorum sententia sola, ut superius dixi & probavi. Quod accidit quoque in secundo canone Carthaginensis sexti; qui, dempta præfatione, quæ est in Concilio sub Genetlio, transcriptus est e primo capitulo illius Concilii, nempe, ut Trinitas credatur & prædicetur.

XII. Canon tertius & quartus ejusdem Concilii sexti, de continentia sacerdotum, quorum primus Aurelio suggerente constituitur, & alter Faustino quoque interloquente, desumpti sunt ex canone secundo sub Genetlio: ubi Aurelius interloquens introducitur, sed de Faustino tacetur; quæque in sexto Concilio, Faustino Legato Romanæ sedis tribuuntur, in Concilio, habito sub Genetlio, universis episcopis adscribuntur. Unde fit manifestum, Concilium sub Genetlio vetustate præcedere aliud, quod ex priore locupletatur. Quod autem constituitur de sacerdotum continentia, juxta *præteriti Concilii* definitionem, ut ajunt, intelligendum est de Concilio habito sub Siricio, statim post epistolam Synodicam Concilii Romani ad Africanos directam, post consulatum Arcadii Augusti & Bautonis, id est, anno CCCLXXXVI. ubi cavetur specialiter de sacerdotum abstinentia ab uxoribus; ut docui libro I. de concordia sacerdotii & imperii cap. VIII. §. IV. Quare fallitur Baronius, qui canone illo secundo laudari putat canones Concilii Carthaginensis sexti.

XIII. Sextus canon de chrismate, reconciliatione pœnitentium, & puellarum consecratione a presbyteris non agenda, ad suggestionem Fortunati, rogante sententias Aurelio, iisdem verbis exhibetur in canone tertio Concilii sub Genetlio. In quo sine dubio est allucinatio exscriptoris, qui canonem Concilii sexti adscripsit Concilio sub Genetlio; in quo ea de re nihil statutum fuit, sed in Carthaginensi tertio can. XXXI. & XXXVI. quod præteritum Concilium dicitur in canone illo sexto. Sane Ferrandus numero XCI. utitur in hac re solo testimonio Carthaginensis tertii: *Ut Presbyter inconsulto episcopo virgines non consecret, chrisma vero nunquam conficiat. Concil. Carthagin. tit. XLI.*

XIV. Vetustas quoque Concilii istius sub Genetlio deprehenditur ex canone quinto, ubi ad suggestionem Felicis Selemselitani, interloquente

Genetlio, definitum est, ut diœceses, quæ nunquam episcopos habuerunt, non habeant, nisi ex consensu proprii episcopi. Quæ definitio deinde confirmata est in canone XLII. Concilii tertii, ubi habetur, illud in multis Conciliis jam fuisse constitutum, quibus verbis Concilium sub Genetlio, inter cetera, indicatur. Hæc sententia dein aucta est, requisito tamen consensu Primatis & Concilii plenarii auctoritate in canone quarto Concilii Carthaginensis, habiti anno CCCCVII. qui relatus est in collectione Dionysii.

XV. Aliud quoque suggerente eodem Felice, & interloquente Genetlio, constitutum est canone septimo, nempe ut episcopus ille excommunicetur, qui ab alio excommunicatum susceperit, quod in nullo posteriore Concilio insertum est. Et canone nono ad suggestionem Numidii statuitur, *ut presbiter inconsulto episcopo in quolibet loco agenda non audeat celebrare*, quod extat apud Ferrandum numero XC. ex Concilio Carthagin. tit. VII. ubi deest sine dubio nota, quam addit alibi, nempe ex Concilio sub Genetlio. Tandem Genetlius Concilium suum claudit sanctione ista; ut quæ statuta sunt ab eo gloriosissimo cœtu custodiantur, & qui subscriptionem suam violaverit, deponatur.

XVI. Post Synodum habitam sub Genetlio, Concilium universale omnium provinciarum Africæ coactum est in Hipponensi civitate sub Aurelio, Theodosio Augusto III. & Abundantio Coss. id est, anno CCCXCIII. ut adnotavit Dionysius in collectione. Quadraginta canones & unum constituit, qui deinde recensiti sunt in Concilio Carthaginensi tertio, de quo statim.

XVII. Sequitur plenarium Africæ Concilium, quod Cæsario & Attico Coss. V. Kalendas Septembris Carthagine habuit Aurelius, id est, anno CCCXCVII. Ubi breviarium canonum, quod a Byzacenis episcopis excerptum erat de Hipponensi Concilio, quodque ad Aurelium transmiserant, recitatum est & probatum; ut patet ex interlocutione Epigonii, canone primo istius Concilii Carthaginensis apud Dionysium, qui omissus est in veteri collectione. Quod breviarium postea remissum est ad universas provincias; ut compendio recensentes episcopi, quæ statuta sunt, ea facilius memoria retinerent, & sollicitius atque diligentius observarent. Extat epistola Synodica cum abbreviationibus Concilii Hipponensis in veteri collectione & tomo primo Conciliorum. Sed in eo non stetit patrum sollicitudo. Quippe non contenti, brevem canonum Hipponensium per provincias transmisisse, canones ipsos accuratiori examine perpensos in corpus Carthaginensium canonum, quos in eo Concilio statuerunt, transtulere, additis quibusdam, quæ ad interpretationem vel ad novam definitionem pertinere videbantur. Unde in Concilii Milevitani præfatione hæc sunt Aurelii verba, quibus confirmationem illorum capitulorum ab episcopis exigit: *Quæ jamdudum vel in Hipponensi Synodo firmata sunt, vel postmodum meliore consilio apud Carthaginem definita, nunc quoque nobis ex ordine recitentur.*

XVIII. Hinc factum, ut numerus canonum hujus Concilii Carthaginensis in quinquaginta excreverit, comprehensis in summa uno & quadraginta Hipponensis Concilii. Hoc est, quod vocatur Carthaginense tertium in collectione veteri, quæ quinquaginta canones exhibet, compactos, ut dicebam, ex Hipponensibus, inibi diligentius discussis, & ex propriis: quorum magna esse debet auctoritas, cum fuerint probati a tribus plenariis Conciliis, Hipponensi & Carthaginensi, & demum a Milevitano. Eadem ratione, quam vetus collector amplexus est, canones hujus Concilii laudantur a Ferrando diacono sub nomine Concilii Carthaginensis, etiam illi, quorum mentio in breviario Concilii Hipponensis, quod ad fastidium ex collatione variorum canonum probari posset. Sed sufficiet illustre exemplum in canone de scripturis canonicis, quem tribuit Hipponensi Concilio ejus breviarium; Ferrandus vero numero CCXXVIII. tribuit Concilio Carthaginensi tit. XLV. qui est XLVII. in edito Concilio Carthaginensi tertio.

XIX. Laudantur quidem a Ferrando canones Concilii Hipponensis, sed alterius quam nostri. Etenim canones, quos ex eo Concilio per compendium profert, non pertinent ad nostrum Hipponense. Quippe num. XXXIV. Ferrandus notat ista: *Ut episcopi sive presbyteri ea, quæ sunt in locis, ubi ordinantur, ad alia loca non transferant, nisi causas ante reddiderint. Concilium Hipponensium tit. V.* Et num. XXXV. *Ut episcopi, quicquid nomine suo comparaverint, cogantur ecclesiæ refundere; quicquid autem eis donatur, cui voluerint, conferant. Concil. Hippon. tit. VIII.* Item num. XXXVIII. *Ut episcopus matricis non usurpet quidquid fuerit donatum ecclesiis, quæ in diœcesi constitutæ sunt. Concil. Hippon. tit. IX.* Laudatur quoque idem Concilium a Ferrando num. LIV. & num. XCV. Tum num. CXXXVIII. *Ut accusator, si in loco, ubi est ille, qui accusatur, violentiam timuerit, locum sibi proximum eligat.* Quorum omnium est altum silentium in Hipponensi nostro, ut patet ex illis breviario, imo & in Carthaginensibus; præter titulum VIII. qui videtur coincidere cum canone XLIX. Concilii tertii, quo Ferrandus utitur: quem maluit ex Hipponensi secundo citare, ob rei, qua de agebatur, continentiam, quam ex Carthaginensi tertio, ubi prius definitus erat: ut vel hinc pateat, post omnia Carthaginensia editum istud Hipponense secundum.

XX. Ceterum, quod attinet ad Canones Carthaginensis tertii; ex eo Ferrandus laudat XLV. & vetus collectio eos omnes ad quinquaginta redigit. Quare castiganda potius quam laudanda est Dionysii nimia diligentia, qui canones Hipponenses a Carthaginensibus distinxit, cum satius fuisset in unum corpus eos redigere, exemplo tum veteris collectionis, tum ipsius Ferrandi diaconi Carthaginensis. Sed toleranda esset hujusmodi ἀκρίβεια, si puros Hipponenses exhibuisset absque mixtura, & Carthaginense ab iis secrevisset. In quo dupliciter peccavit. Partem quippe Hipponensium canonum, quos Aurelius selegerat, ut ex eorum compage canones Concilii Sexti partim conficeret, in sua collectione Dionysius omisit: quoniam in eo Concilio sexto, a quo collectionem orditur, jam erant inserti. Quæ sententia est horum verborum in collectione Dionysii, agentis de Concilio Hipponensi: *Gesta hujus Concilii ideo descripta non sunt, quia, quæ ibi statuta sunt, in prioribus inserta sunt*, id est, in Concilio Sexto, quod ordine antecedit. Atqui debuerat id observasse saltem, quinam canones pertinerent ad Concilium Hipponense, brevi eorum canonum vel eorum numero proposito, ut distingui possent a ceteris Concilii Sexti.

XXI. Aliud est hominis erratum, quod Carthaginensis Concilii sub consulatu Cæsarii & Attici, quod est tertium, canones cum diserte exhibere sese profiteatur, aliquot tamen permiscet, qui sunt meri Hipponenses. Ejus rei periculum faciemus ex breviario Hipponensi; ubi de filiis non facile emancipandis ab episcopis & clericis canone XV. agebatur, qui secundus est Concilii Carthaginensis apud Dionysium. Ne in sacramentis aliud offeratur, præter panem & vinum aqua mixtum, statuit Hipponense Concilium num. XXV. quod Dionysius adscribit canoni IV. Carthaginensis tertii. Ut episcopi & clerici ad virgines & viduas soli non accedant, cavet Hipponense num. XXVI. quod canoni quinto Carthaginensi tribuit Dionysius. Idemque erratum admittit in plerisque aliis canonibus, ut in can.

VI.

VI. VII. VIII. IX. X. XI. XII. XIII. XIV. XV. qui omnes pertinent ad Hipponense Concilium, ut patet ex eorum breviario. Attamen quoniam probati & aucti in Carthaginensi, rectius cum veteri collectione & Ferrando Carthaginensi tertio omnia adscribemus; omissa mentione Hipponensis illius Concilii, quod transfusum est in Carthaginense & ab eo penitus absorptum.

XXII. Facessit tamen negotium in hoc Carthaginensi tertio adnotatio, quæ canoni XLVII. (ubi, quænam scripturæ sint canonicæ, definitur) adjecta est his verbis: *Hoc etiam fratri & consacerdoti nostro Bonifacio vel aliis earum partium episcopis pro confirmando isto canone innotescat, quia a patribus ista accepimus in ecclesia legenda*. Bonifacius enim in pontificatum evectus fuit anno quadringentesimo decimo octavo. Quare non potuit ejus mentio fieri in Concilio tertio, quod habitum fuit anno trecentesimo nonagesimo septimo. Unde sequi videtur confusa & permista omnia a veteri collectore, qui huic Concilio tertio tribuit canonem istum de scripturis, Concilio Sexto adscriptum apud Dionysium; ubi adnotatio illa de canone a Bonifacio confirmando inserta est, recte, juxta rationem temporis. Attamen, ut antea monui, cum canon iste editus fuerit primum in Hipponensi Concilio, dein a Carthaginensi tertio firmatus, ipso etiam Ferrando teste, non est, quod lis ulla moveatur adversus fidem veteris collectoris: qui quidem canones Concilii Sexti cum omitteret, noluit tamen lectorem fraudari eleganti illa & necessaria definitione, quæ in eo Concilio sexto adjecta fuerat huic capitulo de scripturis, scilicet ea de re ad summum Pontificem referendum, ut auctoritate sua canonem illum confirmaret. Quæ adnotatio recte congruit cum eo, quod tunc gerebatur, quando ipsum Carthaginense tertium actis Concilii sexti una cum aliis insertum est & ad Bonifacium transmissum.

XXIII. Porro ex eo canone insignis illa & eximia Romanæ sedis auctoritas demonstratur, quam in communibus ecclesiæ negotiis ordinandis possidebat. Licet enim canones universos ad Bonifacium Synodus Africana transmitteret, illius decreto vel silentio firmandos, at in gravi illo negotio de scripturarum canone specialiter ejus auctoritatem imploravit, ut eum confirmet. Quod a Pontifice in synodo Romana fieri debere, ex more, in ceteris negotiis minoris etiam momenti jam recepto, noverant Africani. Ideo Bonifacium præ ceteris & nominatim, sed alios quoque *earum partium*, id est, Italiæ sive Romanæ Synodi episcopos consulendos statuunt. Itaque in veteri codice, apud Binium, hujus adnotationis lemma sic conceptum est: *De confirmando isto canone transmarina ecclesia consulatur*. Unde patet, Africanos patres latuisse constitutionem Innocentii primi; qui epistola, quam dedit ad Exuperium Tolosanum episcopum Stilicone II. & Anthemio Coss. id est anno CCCCV. easdem esse scripturas canonicas, definierat, quas complexi sunt Africani isto canone; & deinde, majorem exemplo, Tridentina Synodus.

XXIV. Sane Judæorum canon angustior erat, quam fuerit postea canon ecclesiæ catholicæ; quæ pro canonicis scripturis libros aliquot habuit, quos Judæi in sua notitia non describebant, ut de libris Machabæorum diserte docuit Augustinus. Inter ipsos quoque veteres ecclesiæ Christianæ magistros de quibusdam libris controversum fuit, non sane an eorum lectio ad pietatem conduceret, sed an pari auctoritate cum aliis censeri deberent, quod tandem his definitionibus Innocentii & Africani Concilii compositum est. Inde factum, ut in collectione Dionysii ultimus canon, id est, sexagesimus Laodicenæ Synodi desideretur, in quo, juxta sententiam Orientalium, veteris & novi testamenti libri canonici describuntur, quoniam a

Marca, Dissert. Eccl.

definitione Occidentalis ecclesiæ discrepabat. Quam tamen regulam sexagesimam vetus collectio non rejecit; quia in plerisque illis conveniebat cum Romanæ & Occidentalis ecclesiæ usu, qui canone Carthaginensi explicatur.

CAPUT VI.

De Synodo Africana, habita Cæsario & Attico Conss.

I. Superest, ut discutiamus, quæ ratio Dionysium impulerit, ut duo nobis Concilia obtrudat, habita Cæsario & Attico Consulibus, alterum nempe sexto Kalendas Julias, ubi constitutum ait, *ut nullus episcoporum naviget sine formata Primatis*, & addit, *Gesta in authenticis, qui quæret, inveniet*, alterum iisdem Consulibus V. Kal. Septembris, ex quo plura capitula proponit. Attamen dubium non est, quin hæc Synodus una sit, quam in duos conventus partitur: quoniam, ut discimus ex Aurelii interlocutione, quam habuit V. Kalendas Septembris, Legati ex omnibus provinciis Africæ non advenerant ad diem præstitutam Concilii, quidam vero diem Concilii prævenerant. Cum istis quædam tractavit Aurelius, quæ deinde in plenario Concilio relecta sunt. Unde factum, ut quædam capitula tribuat Dionysius priori conventui, inter quæ illud observat de vetita navigatione absque formata Primatis, reliqua vero secundo. Qui tamen duo conventus in unum Concilium tandem coaluere; adeo ut, quæ in primo erant tractata, in secundo sint relecta, & omnium Legatorum auctoritate definita. Quare vetus collector una cum Ferrando canones horum conventuum rectissime solo Concilii Tertii nomine comprehendit: ubi canone XXVIII. in editis episcopi prohibentur trans mare proficisci inconsulto primæ sedis episcopo, ut ab eo formatam accipiant. Qui quidem transcriptus est in Concilium sextum canone XXIII. paucis verbis tum additis, tum omissis. Sed eum Ferrandus citat ex Carthaginensi tertio, ubi revera eum quoque constitutum fatetur Dionysius. Ait ergo Ferrandus num. XLVI. *Ut episcopi sine formata Primatis non navigent. Concil. Carthaginense tit. XXXVI.* Qui quidem titulus XXXVI. non solum accedit ad XXVIII. prout exstat in editis Concilii Carthaginensis tertii; sed numerum XXIII. Concilii sexti excedit, ubi hac de re constitutum; imo & omnium canonum ejus Concilii numeros superat, qui XXXIII. comprehensi sunt.

II. Interim monendus est lector, in collectione Græca Conciliorum Africanorum seriem sincerius conservatam, quam in editione Latina Dionysii Exigui juxta editionem Moguntinam & Parisiensem. Quippe allocutionem Aurelii, habitam in Concilio sub Cæsario, statim sequuntur canones, quorum primus apud illum auctorem est, ille de probando breviario Hipponensi. In editione vero Latina, perverso ordine, librariorum vitio, allocutionem Aurelii sequitur Concilium habitum sub consulatu Stiliconis.

III. Illud quoque observandum est, aliquando sinceriorem esse textum in collectione veteri, quam in collectione Dionysii, quod non est animus in quibusque variis lectionibus persequi; illustriora tantum discrimina adnotabo. In canone XXXIV. Concilii tertii recte legitur in veteri: *Ut ægrotantes, si per se respondere non possunt, cum voluntatis eorum testimonium, hi qui siti sunt, periculo proprio dixerint, baptizentur*. Cujus sententiam sic Ferrandus recte expressit num. CCII. *Ut ægrotantibus, quando loqui non possunt, si pro eis testimonium alii dixerint, baptismus non negetur. Concil. Carthagin. tit. XLI.* Apud Dionysium, in editione Moguntina, canone XII. Concilii Africani: *Ut ægrotantes, si pro se respondere*

 non

non possunt, cum voluntatis eorum testimonium hi, qui suis periculo proprio assuere, dixerint, baptizentur. Hæc lectio sapit glossema parum felicis critici, qui *periculo proprio* de periculo ægritudinis contrahendæ explicuit, quod pertinet ad fidem testium, qui periculo suo testantur, reddituri scilicet testimonii sui rationem severo judici, quem nihil latet eorum, quæ geruntur. Etsi enim legibus vetitum sit, ne domesticorum testimonia admittantur, placuit tamen patribus, ut suo periculo favore ægri reciperentur. Sincerior est lectio, quam ex veteri codice Nicolai Fabri V. C. expressit in editione canonum Africanorum Christophorus Justellus: *Ut ægrotantes, si pro se respondere non possunt, cum voluntatis eorum testimonium sui periculo proprio dixerint, baptizentur.* Perinde est autem respondere *per se*, ut est in veteri, ac *pro se*, ut est apud Dionysium & apud Ferrandum atque Fulgentium. Apertior autem est sententia in veteri, *hi qui sui sunt*, quod sapit glossema, quam *sui*, ut est in authentico. Quæ lectio, licet vera, in errorem induxit Græcum hujus collectionis interpretem, qui *suos* non ad domesticos retulit, ut debuerat, sed ad ægros ipsos, nullo sensu: *ὥστε τοὺς ἀσθενοῦντας, οἵτινες ὑπὲρ ἑαυτῶν ἀποκρίνεσθαι οὐ δύνανται, τότε βαπτίζεσθαι, ὅτε τῇ αὐτῶν προαιρέσει, τὴν περὶ αὐτῶν μαρτυρίαν κινδύνῳ ἰδίῳ εἴπωσιν.* Isto exemplo cautum quoque fuit saluti ejus ægri, qui petita pœnitentia, morbo oppressus obmutuit, aut in delirium incidit: cui, si testimonium dederint ejus postulationis, qui eam audierunt, beneficium pœnitentiæ & reconciliationis tribuitur. Concilium Carthaginense IV. can. LXXVI.

IV. Sed non omittenda est elegans disputatio, super hujus canonis sententia, Ferrandi diaconi & Fulgentii Ruspensis. Ille hunc interrogavit per epistolam, an baptismus cujusdam, colore Æthiopis, qui ex ultimis barbaræ provinciæ finibus serviturus Carthaginem adductus fuerat, & post absolutam catechumenorum exercitationem professamque publice fidem in ægritudinem inciderat, amissoque sensuum usu, domini sui studio in solenni Paschæ baptismo una cum aliis tinctus fuerat, an baptismus ille, aliis pro eo fidem spondentibus, homini adulto, qui originis peccato propria quoque addiderat, sufficeret ad remissionem peccatorum, infantium exemplo, qui solius originalis peccati sunt rei. Tum sibi hunc canonem Africanum objicit: *Video*, inquit, *in hoc articulo posse usitatam canonum proponi sententiam, quæ infirmos jubet, si pro se respondere non valeant, sed eorum voluntati testimonium sui proprio periculo dixerint, baptizari. Sub qua definitione magis arbitror, quid ecclesia facere debeat, imperatum, quam, quid ille percipiat, indicatum; videlicet, ut minister verbi liber sit a culpa negligentiæ, non ut ille ostendatur consors particepsque justitiæ.*

Respondet graviter Fulgentius, & longa disputatione concludit, baptismi salutaris effectu non fraudari hunc baptizatum; moxque addit: *Proinde firmissime tenenda est illa canonum sententia paternorum, quæ infirmos jubet, si pro se respondere non valeant, sed eorum voluntati testimonium sui periculo proprio dixerint, baptizari. Viderunt enim sancti patres, ream non esse voluntatem, quæ impedita cognoscitur, non mutata, nec debere denegari sacramentum baptismatis, ubi firmitas cognoscitur voluntatis. Hoc autem statuentes sancti patres, & quid ecclesia facere debeat, & quid ille percipiat, indicarunt. Neque enim hoc ecclesia faceret, si ille nullum in hoc facto beneficium percepisset.* Mox post pauca: *Quia veraciter columna & firmamentum veritatis ab Apostolo ecclesia nuncupatur, quidquid secundum ipsius ecclesiæ constituta in sanctis mysteriis redemptionis & reconciliationis humanæ intra eam datur & accipitur, firma veritate datur, firma veritate percipitur.* Postea refellit Ferrandi conjecturam: *Dixisti, propterea hoc paternis canonibus definitum, ut minister verbi liber sit a culpa negligentiæ. Quomodo autem in hac negligentia culpam minister incurrit, si in diligentia non aliquid proficit?* Mox: *Proinde debet secundum paternos canones infirmus ille, cujus voluntati non deest attestatio proximorum, sine dubio baptizari, ut & minister verbi liber sit a culpa negligentiæ, & ille fiat consors particepsque justitiæ.*

V. Ceterum dissimulandum non est, duriorem esse Fulgentii sententiam in alio capite & alienam a beato Ambrosio; qui fuit benignior, & hodiernæ scholarum doctrinæ præivit, docens Valentinianum Augustum, qui catechumenum in ecclesia gerebat, oppressum ante susceptum baptisma, non fraudari fidei suæ effectu. Unde profluxit, vim baptismi voto desiderati, qui dicitur baptismus flaminis, æquare baptismum reipsa susceptum. Fulgentius vero istum Æthiopem catechumenum, cui nec credulitas defuit nec fidei professio, ideo salvum asserit, quia revera tinctus fuit. *Neque ab hac sententia*, inquit, id est, de salute Æthiopis, *nostrum animum revocare debet ulla suspicio, ne quis dicat, quod ille salvus esset, si nec ad ipsam tinctionem corporis pervenisset, cum utique non dicamus, illum sine baptismi sacramento, sola confessione potuisse salvari. Qui enim crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit. Illum utique adolescentem, quia credidisse & confessum fuisse novimus, ideo per sacramentum baptismatis salvum fuisse firmamus. Qui si non baptizaretur, non solum nesciens, sed etiam sciens, nullatenus salvaretur. Via enim salutis fuit in confessione, salus in baptismate.*

VI. Deinde in eodem Concilio can. XXXV. sic habet vetus: *Ut scenicis atque histrionibus ceterisque hujusmodi personis, vel apostaticis conversis vel reversis ad Dominum, gratia vel reconciliatio non negetur.* Absunt a Dionysii collectione Latina hæc verba: *Vel apostaticis conversis vel reversis ad Dominum gratia vel &c.* quæ tamen extant in Græca interpretatione Dionysii. Ut vel hinc pateat, librariorum vitio ea jam olim omissa fuisse in Latinis codicibus. Græca sic se habent. *ὥστε τοῖς σκηνικοῖς, καὶ μίμοις, καὶ τοῖς λοιποῖς τοιουτοτρόποις προσώποις, ἢ ἀποστάταις, μετανοοῦσι, καὶ ἐπιστρέφουσι πρὸς τὸν Θεὸν, χάριν ἢ καταλλαγὴν μὴ ἀρνεῖσθαι.* Quæ recte reddunt lectionem, quæ est in veteri; cujus hæc est sententia. Non solum scenicis & histrionibus & ceteris hujusmodi personis, mimis puta, thymelicis, & universo gregi, qui ludit in theatris, & paganam gentilemque vitam agit, si ad Dominum convertantur, hujusmodi gratiam non esse denegandam, baptismi scilicet, sed etiam iisdem, si apostasia & desertione a fide, cum defecerint, revertantur deinde, non esse denegandam reconciliationem. Recte dicuntur *apostatici* fidei desertores, ut in codice Theodosiano, quos Græcus interpres *ἀποστάτας* usitato verbo reddidit. De histrionibus, qui ad Christianitatis gratiam venire voluerint, ne cogantur ad eadem exercenda, legem petendam statuit canon septimus Concilii Carthaginensis, anno quadringentesimo primo, post consulatum Stiliconis.

VII. Canon de legendis passionibus martyrum est XIII. Concilii Africani apud Dionysium, alieno loco positus, cum sit appendix canonis, editi de scripturis divinis, cujus exordium cum sic conceptum sit, *Item placuit, ut præter scripturas canonicas nihil in ecclesia legatur sub nomine divinarum scripturarum*, post enumeratos legis divinæ libros recte subjungitur in veteri collectione: *Liceat etiam legi passiones martyrum, cum anniversarii dies eorum celebrantur.* Quare hunc ordinem secutus Ferrandus, postquam expressit e titulo XLV. Concilii Carthaginensis, ut præter scripturas canonicas nihil in ecclesia legatur, addit ex titulo XLVI. ejusdem Concilii: *Ut non liceat assiones* Ex editione Petri Pithæi.

mar-

martyrum legere in natalibus eorum. Sed emendandum est erratum, quod in hunc locum irrepsit; delenda negatio, legendumque: *Ut etiam liceat*, facili lapsu in manuscriptis codicibus legendi *non* pro *etiam*, ob literarum breviationem.

VIII. Non omittenda quoque est illa lectio canonis XLII. qui est vigesimus Concilii Africani apud Dionysium. Agitur de plebibus, quæ diœcesi episcopali subjectæ nunquam proprios episcopos habuerunt: ubi contumacium presbyterorum factione popularium animi concitati, proprium episcopum scissa diœcesi habere postulant, exoso propter superbiam legitimo pastore, quod ne fiat, prohibetur. Sed locus adducendus est ex veteri collectione, ut ibi doceatur, esse sinceriorem lectionem, quam quæ habetur apud Dionysium. *At vero*, inquit Epigonius, *quia nonnulli, quodam dominatu adepto, communionem fratrum abhorrent, vel certe cum elevati fuerint, quasi in quadam arce, tyrannicam sibi dominationem vindicant*. Significat typhum secularem & tumorem quorundam episcoporum, qui dominatum in clero exercebant, & in cathedram elevati, ac si esset solium quoddam regium & arx velut imperii, tyrannicam sibi dominationem vindicabant. *Elevari* est dictio illius ætatis, quæ provectionem Principum significat sæpe apud Marcellinum & alibi, quo alludit canon iste, cum elevatos episcopos & velut in arce collocatos proponit. Sane cathedra episcopalis sublimior erat & velut in fastigio constituta, unde possent episcopi de superiori loco fideles monere; ut docent, non solum auctor constitutionum apostolicarum, sed veteres plerique, & ipsum Concilium Carthaginense quartum canone XXXV. Hinc illa Gregorii Nazianzeni in oratione ad Synodum Constantinopolitanam: χαῖρέ μοι ὦ καθέδρα, τὸ ἐπίφθονον ὕψος τοῦτο, καὶ ἐπικίνδυνον. *Vale o cathedra, invidiosum hoc & periculosum fastigium*. Hoc dicendi genus petiit apud Dionysium, ubi hæc sunt verba: *Quia nonnulli, quodam dominatu adepto, communionem fratrum abhorrent, vel certe cum depravati fuerint, quasi in quadam arce tyrannica sibi dominatum vendicant*. Confer hæc verba cum superioribus, & veteris collectionis fidem laudabis.

IX. Attamen vetus collector, auctoritate sibi delegata usus, quædam sibi licere putavit, quæ non cadunt in exscriptorem merum vel in hominem privatum, quod in reliquis Conciliis ostendemus uberius, in hoc unum & alterum observabimus.

Caput istius Concilii de visitandis provinciis, quod est XIX. numero apud Dionysium, omissum est in antiqua collectione: quoniam cum restrictum sit ad speciale negotium Mauritaniæ visitandæ ab Aurelio, a quo se tunc officio excusavit, nec possit res ipsa trahi ad consequentiam, inutiliter paginas illius collectionis occuparet, quæ ad generalem disciplinæ informationem pertinere debet.

Vice versa canon XLIX. Concilii tertii, quo cavetur, ut episcopi vel clerici pauperes, qui agros vel prædia comparaverint post ordinationem, ecclesiæ illa conferant, omissus est a Dionysio in recensendis canonibus Concilii hujus sub Cæsario & Attico Coss. quia confirmatus cum fuisset a Concilio sexto, eum eo loco retulit, nempe canone XXXII. & abstinuit ab eo repetendo in actis Concilii tertii.

CAPUT VII.

De Concilio Carthaginensi quarto.

I. Sequitur in veteri collectione Concilium Carthaginense quartum, habitum Honorio August. IV. & Eutychiano Coss. sexto Idus Novembris, anno scilicet trecentesimo nonagesimo octavo, quod repudiandum esse Justellus edicit, & plerique cum ipso sectarii, nec ullam fidem adhibendam canonibus centum & quatuor, qui huic Concilio adscribuntur. Quam fiduciam ex eo desumunt, quod nec Dionysius, nec Ferrandus hujus Concilii meminere, ejusque prima mentio apud Isidorum Mercatorem habeatur, qui mercibus minus vendibilibus compilationem suam sufferciit, in quarum facem Concilium istud fere compingunt.

II. Sed si veteris collectionis auctoritas illis affulsisset, non dubito, quin gradu cessuri fuissent, & obviis ulnis amplexuri tam religiosum antiquitatis ecclesiasticæ monumentum, quod ætatem illam & dicendi charactere & rebus ipsis decisis omnino redolet. Quippe in examine episcopi, præter Marcionis, Pauli Samosateni, Arii, & Apollinaris dogmata, quæ inibi confodiuntur, licet tacito eorum nomine, ab episcopo exigitur professio contraria hæresibus tunc vigentibus, nempe, ut novi & veteris testamenti eundem credat auctorem, quod est contra Manichæos. Ut credat hujus, quam gestamus, & non alterius carnis resurrectionem, quod est contra pullulantes tunc Origenistas. Quæritur ab eo, si nuptias non improbet, si secunda matrimonia non damnet, si carnium perceptionem non culpet, si pœnitentibus reconciliatis communicet, quod est contra Novatianos & Priscillianistas. Si in baptismo tam originale peccatum, quam quæ voluntate admissa sunt, dimittantur, quod ad Cœlestii dogma pertinet, nondum plane detecto Pelagianæ hæresis veneno: de qua non tacuissent patres, si hac ætate erupisset. Unde patet hujus Concilii veritas & antiquitas. Hoc autem in Concilio ordinationum celebrandarum mysteria explicantur, ordinum & graduum in ecclesia discrimina & ministeria panduntur. Non omittuntur viduarum & sanctimonialium consecrationes ac munia, & sponsarum benedictiones. Episcopis & præterea & clericis morum regulæ præscribuntur, quinimo & laicis, juxta quas vitam instituere debeant, ut Christianæ ethices compendium hoc Concilio contineri non immerito dixeris. Ex præfatione discimus habitum Carthagine sub Aurelio, quod ipsæ quoque subscriptiones episcoporum testantur, Aurelii, Donatiani, & sancti Augustini Hipponensis.

III. Tempus celebrati Concilii incidit, ut dicebam, in sextum Idus Novembris, Consulibus Honorio Augusto IV. & Eutychiano. Post eorum consulatum aliud habitum est Carthaginense Concilium quinto Kalendas Majas, scilicet anno sequenti trecentesimo nonagesimo nono, in quo legatio decreta ad Imperatores, ut lege caverent, ne quis ab ecclesiis ad eas confugientes abstraheret. Ejus meminit Dionysius omisso priore. Nec silentii pœnas sustinere debet ille, nec præteritione quoque sua censendus est damnasse Concilium nostrum. Eandem ob causam præterivit in collectione sua hanc Synodum, qua duas habitas sub Grato & Genetlio: quoniam collectio vetus eas integras complexa cum esset, non erat, quod Dionysius eas iterum ad suam curam revocaret. Quod de ceteris, quas ille commemorat, dici non potest: quoniam vel omissæ penitus erant in collectione veteri, illæ nempe, quæ canones non ediderant, aut aliarum canones ordine universo recensiti vel etiam imminuti erant, ut novam operam requirere viderentur, quod in hac dissertatione nostra satis manifeste ostenditur.

IV. Præterea Concilii istius quarti ratio & institutum, cum ad reconditam disciplinam ordinum sacrorum explanandam & ad mores informandos pertineret potius, quam ad externam dispositionem judiciariamque trituram, de qua in aliis Conciliis statuitur, Dionysius existimavit, non esse, quod illud suæ collectioni adjungeret,

præsertim cum satis priore illa & antiqua vulgatum esset.

V. Sane de Ferrando dubitandum non est, quin sciens & consulto, ob superiorem rationem, non meminerit hujus Concilii in sua breviatione canonum, ut dixi superius; utpote qui Concilii Carthaginensis, habiti anno CCCCXVIII. titulos cum laudet, eos tamen, qui ab eo de gratia Dei editi sunt, prætermittat, quoniam ad fidem, non autem ad disciplinam ecclesiasticam, pertinent, quos tamen Dionysius non omisit, ut nobis integrum Concilium proponeret.

CAPUT VIII.

De Concilio Carthaginensi quinto.

I. Concilium quintum in collectione veteri est illud, quod habitum fuit post consulatum Flavii Stiliconis, XIV. Kalendas Julias, id est, anno quadringentesimo primo: cui adjuncti sunt quoque canones Synodi, habitæ Vincentio & Flavito Consulibus, Idibus Septembris ejusdem anni. Concilii prioris præfatio extat integra in collectione Dionysii: quæ quidem suo loco posita est in editione Latina & Græca Parisiensi codicis canonum Africanorum; quæ perverso ordine posita fuerat in editione Moguntina, nempe ante canones Concilii tertii Cæsario & Attico Coss.

II. Præcipua hujus Synodi cura fuit, ut legatio decerneretur ad transmarinas partes, tum ad sedem apostolicam, tum ad imperatores, ut ecclesiæ Africanæ necessitatibus subveniretur. Ac primo cum ob Donatistarum sævitiam grassantem & bellorum excidium apud ecclesias catholicas maxima clericorum esset penuria, supplere numerum aliter non poterant Africani, nisi liberum illis esset, redeuntes ab hæresi Donatistarum in clerum adsciscere, quod prohibitum, ne fieret, a sede apostolica & a Mediolanensi, profitetur Aurelius, id est, in plenario Concilio Italico, atque ideo conveniendos Anastasium sedis apostolicæ episcopum & Venerium sacerdotem Mediolanensis ecclesiæ, ut communi periculo provideant & *consentiant*, quemadmodum loquitur canon primus, ut saltem, qui parvuli baptizati sunt a Donatistis, & majores facti cognitum errorem deseruerunt, possint clericatus officio admoveri. Qua de re consulendos quoque Siricium & Simplicianum antea constituerant canone XLVIII. Carthaginensis tertii. Unde patet, decreta Romanæ sedis, in Concilio Italico edita, ipsos quoque Africanos obstrinxisse, & eorum veniam atque remissionem ob publicam necessitatem a sede apostolica præcipue, & a Mediolanensi quoque, utpote per Italiæ vicariatum ceteris episcopis præfecto, petitam. Itaque caput primum istius Concilii, quod est apud Dionysium, recte omissum est in collectione veteri; quoniam cum res ipsa penderet ex arbitrio sedis apostolicæ, & nullum ea de re illius extaret rescriptum, inutile erat consultationis istius iterum meminisse.

III. Secundum quoque caput recte omissum est a collectore, quoniam nihil definitur, quod ad disciplinam pertineat, id tantum decernitur postulari ab Imperatoribus, ut templa idolorum, quæ sunt in agris, dirui jubeant. Qua ratione omissa sunt etiam caput quartum de paganorum conviviis, lege principis tollendis, & quintum de spectaculis quoque & ludis theatrorum, lege prohibendis, ne saltem fiant die dominica vel ceteris diebus celeberrimis.

IV. Tertium sane caput omissum non est a collectore veteri, sed summa auctoritate in melius commutatum. Agitur de cognitione, quam clerici de causis laicorum suscipiebant *jure apostolico*, ut loquitur canon, *ecclesiis imposito*, ubi alludit ad locum Pauli, quo monentur fideles, ne ad forum coram ethnicis litigaturi pergant, sed potius episcopi & clericorum arbitrio se committant. *Si enim angelos judicabimus*, inquit Paulus, *quanto magis secularia?* Ex quo Apostoli monito inductum, ut litigatorum arbitria in se reciperent episcopi, ac si mandato apostolico, ob fidelium concordiam alendam, ad id essent adstricti, quo de onere episcopis imposito non tacent auctor constitutionum apostolicarum, Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus, & alii. Quod confirmatum fuit lege Constantini, adeo, ut unus e litigatoribus invitum adversarium cogere possit ad subeundum episcopi judicium. Enimvero cum episcopi senatum suum haberent, ut loquitur Hieronymus, sive presbyterium, ut loquitur Cyprianus una cum Paulo, presbyteros suos velut assessores suos contrahere debebant ad judicandas causas, ut docet eleganter canon XXIII. Concilii quarti his verbis: *Ut episcopus nullius causam audiat absque præsentia clericorum suorum. Alioqui irrita erit sententia episcopi, nisi clericorum præsentia confirmetur.* Quoniam vero a sententiis illis provocari poterat ad judicem publicum, (licet interim res judicata executioni demandari posset, ut cautum erat legibus, contingebat aliquando, ut clericus cognitor, aut qui præsens fuerat cognitioni, evocaretur a judice publico ad testimonium dicendum de iis, quæ apud se gesta erant. Quod ideo accidebat frequentius, quia sine scripto lites istæ, id est, summarie, absque strepitu & figura judicii, ut hodie loquuntur, ab episcopis & clericis dirimebantur. Quod sane grave erat atque injuriosum clericis. Ideoque Africani, ut ab hac se vexatione liberarent, petendum ajunt ab imperatoribus, *ut statuere dignentur*, *ut*, *si* Cod. can. eccl. Afric. c. 59.
si qui forte in ecclesia quamlibet causam jure apostolico, ecclesiis imposito, agere voluerint, & fortasse decisum clericorum uni parti displicuerit, non liceat, clericum ad testimonium devocari eum, quia cognitor vel præsens fuerit, ut nulla ad testimonium dicendum ecclesiastici cujuslibet persona pulsetur. Sed collector vetus ex auctoritate sibi mandata hunc canonem emendavit, & quod postulandum erat a principe, ipse ut constitutum a Concilio ponit. Unde nisi quis morosus esse velit, facile sibi persuadebit, hanc collectionem, non privato studio, sed publica potestate compactam, & deinde ecclesiis pro lege publicatam. Hæc sunt itaque canonis istius apud collectorem verba, alioqui etiam sincerioris lectionis: *In principio statuendum est, ut, qui forte in ecclesia quamlibet causam jure apostolico agere voluerit, & fortasse decisio clericorum uni parti displicuerit, non liceat clericum ad testimonium devocari eum, qui cognitor vel præsens fuit. Et ut nulla ad testimonium dicendum ecclesiastici cujuslibet persona pulsetur.*

V. Hinc docemur duo constituta. Primum, ut, qui cognitor fuit, non evocetur ad testimonium dicendum. Secundum, ut nullus e clero ad testimonium dicendum in qualibet causa evocetur a judice publico. Corrupta lectio apud Dionysium primam illam regulam solam exprimit; quoniam apud illum clausula ultima non est discreta a prioribus verbis, ut decet, propter omissam particulam conjunctivam, *Et*, ita, ut videatur potius ratio prioris definitionis, quam nova definitio. Quod ipse Dionysius eo modo intellexit, ut patet ex lemmate, quod huic canoni præposuit: *Ut clerici de judicii sui cognitione non cogantur in publico dicere testimonium.* Sed in veteri collectione lemma generaliter conceptum est de omni testimonii dictione, interdicta clericis in judicio publico: *De clericis ad testimonium non pulsandis.* Sane lectio veteris collectionis, *Et ut*, unde oritur secunda illa generalis definitio, confirmatur ab interprete Græco, qui lectionem illam agnoscit. *καὶ ἵνα μηδὲ προσώπῳ τὶς ἐκκλησιαστικῷ προσῆκον ἐναχθείη περὶ τοῦ ὀφείλειν μαρτυρεῖν.* Hinc colligit lector, antiquam esse prohibitio-

bitionem, ne clerici a judicibus fecularibus ad testimonium citentur, nisi ex consensu episcopi. Quod decretalibus severe sancitum est, & ubique observatur, præterquam in Galliæ regno, quod suis privilegiis utitur, quanquam diffitendum non sit, a Justiniano aliter constitutum.

VI. Eadem collectoris auctoritas elucet in capite sexto, ubi petendum decernitur a principibus, ut statuere dignentur, ne clerici judicio episcoporum damnati, ab ecclesiis, quibus præfuerant, nec a quolibet defensentur, interposita pœna damni pecuniæ atque honoris, quo nec ætatem nec sexum excusandum præcipiant. Lex petenda erat ob pœnam civilem, quæ ab ecclesia infligi non poterat, sed tantum canonica. Sed collectori visum, ut canonem istum secundum in sua collectione locaret, constituendo Synodi auctoritate, quod postulandum erat a principe. *Et illud statuendum*, inquit, & cetera subjungit. Unde factum crediderim, ut plures mediæ ætatis Pontificum constitutiones damno honoris & privatione dignitatum afficiendos jubeant, qui suis decretis reluctati fuerint.

VII. Caput septimum de histrionibus ad fidem conversis, ne ad ludicras artes iterum cogantur, quoniam lex petenda decernitur, omissum est. Octavum quoque manifestam ob caussam; quoniam illud tantum proponit Aurelius, ut manumissiones servorum in ecclesiis Africanis fiant, si consacerdotes per Italiam id facere reperiantur. Quare cum ex legibus Constantini, relatis in Codice & a Sozomeno commemoratis, manumissi in ecclesia libertatem Romanam adipiscerentur, non erat, quod in dubium adduceretur in reliquis Occidentis ecclesiis, quod Africani in posterum facere debebant. Nonum quoque & ultimum caput omittitur, quia pertinet ad speciale negotium Equitii, episcopi jam olim damnati, & ad transmarinas partes profecti, ut turbaret Africanæ ecclesiæ statum, cujus impudentiam repellendam a Legato decernitur.

CAPUT IX.

De eodem Concilio quinto Carthaginensi, & de Donatistis.

I. EOdem anno CCCCI. Vincentio & Flavito Coss. Idibus Septembris, habitum est Concilium Carthagine ex omnibus provinciis Africæ, quod sane aliud est a priore. Attamen cum eodem anno celebratum fuerit, sub unius Concilii quinti nomine exhibetur in collectione veteri. Quod accuratius & rectius distinguitur apud Dionysium, & ab ipso quoque Ferrando.

II. Donatistarum machinationes & insidiæ, quibus ecclesiam Africanam vexabant, Anastasii episcopi Romani pectus adeo commoverant, ut literis, ad Episcopos Africæ datis, eos hortaretur, ne de hæreticorum insidiis & improbitatibus dissimularent, ut capitulo primo hujus Concilii docemur. Carthaginensis ergo Synodus de Donatistarum causa tractans, cum eis lenius agendum censuit, & plebes eorum communione infectas miserabilis illius erroris commonendas, quo sunt devinctæ. Tum, ut a judicibus petatur, ut auctoritate sua juvent communem matrem ecclesiam catholicam, judiciaria potestate inquirentes, quid gestum sit in iis locis, in quibus Maximianistæ, qui a Donatistis schisma fecere, basilicas obtinuerunt. Magni momenti hæc perquisitio videbatur futura, quoniam Maximianus episcopus Carthaginensis ex parte Donati, cum a Primiano, ejusdem partis episcopo, schismate divisus esset & anathemate ab adversariis ictus, pari eos damnatione excepisset, (ut copiose docet Augustinus lib. III. contra Cresconium cap. XL. lib. IV. cap. VI. & in enarratione psalmi XXXVII.) istius Maximiani sectatores, ut schismatici, Donatistis petentibus a basilicis, quas tenebant, per jussa judicum deturbati erant, ut scribit Augustinus lib. III. contra literas Petiliani cap. XXXIX. maxime cum illa tempestate Maximianistæ recepti fuissent a ceteris Donatistis in communionem absque baptismi repetitione. Quo exemplo convinci poterant, tum ab initio Donatistas tam inique ab ecclesiæ unitate discessisse temporibus Cæciliani, quam inique nunc clamabant, Maximianistas a se schisma fecisse, tum stolide pacem ecclesiæ toto orbe diffusæ atque illius communionem baptismumque respuere, qui suos olim sui Concilii plenarii auctoritate damnatos in communionem cum suis honoribus recipiant, quo argumento quoque utitur Augustinus epistola quinquagesima & libro de hæresibus. Ut autem facilius Donatistæ ad ecclesiam accedendi studio accenderentur, suomet exemplo alliciendos putavit hæc Synodus. Itaque sicut ipsi Maximianistas susceperant in clero cum suis honoribus, ita resipiscentes Donatistas & ad catholicæ ecclesiæ communionem redeuntes in suis gradibus recipiendos decernunt. Attamen quoniam Capuano Concilio vetitum fuerat, ne clerici Donatistæ resipiscentes in suis honoribus susciperentur, ea fuit hujus Synodi pro transmarini Concilii decretis reverentia, ut, quam prohibitioni generali exceptionem adhibendam putabat, ut nempe, ut ii soli recipiantur, per quos unitati catholicæ consulitur, judicio sedis apostolicæ committat; ad quam *maxime*, ut ait, & ad reliquos episcopos transmarinos scribendum decernit. Unde patet sedis apostolicæ auctoritas præcipua in canonibus temperandis, ab ipsis Africanis & ab orientalibus quoque jam olim agnita, ut uberius docui libro tertio de concordia cap. XIII.

III. Quæ dixi, quatuor Concilii hujus capitibus comprehensa, cum ad negotia specialia Africæ pertineant, in veteri collectione dissimulata sunt. Sed omissum non est iteratum interdictum, canone quinto Concilii comprehensum, & in tertium Concilii quinti conjectum, quo episcopi, presbyteri, & Levitæ ab uxoribus continere jubentur *secundum priora statuta*, id est juxta priorum canonum Carthaginensium decreta, de quibus superius egimus. Græcus interpres, depravatam lectionem secutus, reddidit, ac si scriptum esset, *secundum propria statuta*, κατὰ τοὺς ἰδίους ὅρους. Quæ versio tolerari posset, nisi eam interpretatione sua corrupissent Zonaras & Balsamo, qui ambiguum vocis ὅρος, quæ legem & statutum æque significat, ac limitem, sive etiam temporis terminum, ad suos orientalium mores confirmandos transferentes, hunc canonem sic explicant, ac si decerneret, ut tempore vicis suæ, Judæorum exemplo, quisque sacerdotum contineat, rediturus post ministerii & ἐφημερίας functionem illam temporariam ad uxoris commercium, quod hebdomariis presbyteris, quos instituere Græci, competere posset. Sed quid fiet de episcopis, qui presbyteris & Levitis hoc canone junguntur, a quibus tamen Græci ipsi continentiam perpetuam ab uxoribus exigunt, & ex illo capite singularitas eorum in quaque ecclesia vetat, ne per vices fungi possint munere suo. Quare cum clausula isthæc, κατὰ τοὺς ἰδίους ὅρους, ex interpretatione Græca, eos æque comprehendat, ac sacerdotes & Levitas, alia est adhibenda explicatio, quam ea, quæ recentioribus Græcis placuit, nempe, ut propriis & gradibus suis aptis continentiæ legibus astringantur. Quanquam alia lectio & verior est atque sincerior, omnemque difficultatem adimit, scilicet *secundum priora statuta*, id est, juxta id, quod in prioribus Conciliis constitutum est. Ferrandus videtur hunc canonem laudare ex isto Concilio num. VI. *Ut episcopi, & presbyteri, & diaconi ab uxoribus abstineant. Concil. Carth. tit. III.*

IV. Sequitur in veteri collectione canon quartus

tus de rebus ecclesiæ, sine consilio Primatis non alienandis: qui sine dubio ad hoc Concilium, habitum Vincentio & Flavito Conss. pertinet, non solum juxta fidem antiqui collectoris, sed etiam juxta Ferrandum, qui notat num. XLVII. *Ut episcopi rem ecclesiæ sine primatis Concilio non vendant. Concil. Carthagin. tit. V. Hippon. tit. IX.* Dionysius vero hic canonem istum omisit, quoniam a Concilio sexto can. XXVI. firmatus cum fuisset, ejus Concilii canones in capite Africanorum collocandi inutile videbatur, hunc suo loco reddere. Sed vetus, qui Carthaginensis sexti canones omisit ex prioribus compactos, retinuit hunc canonem suo loco. Grave est hoc interdictum de rerum ecclesiasticarum alienatione absque Synodo primatis sive Metropolitani. Libera quondam episcopis singulis, saltem cum presbyteri consilio, rerum ecclesiasticarum alienatio; sed non vice versa presbyteris vacante ecclesia, cum rescindendum jusserit hoc casu contractum Synodus Ancyrana canone XIII. Hanc potestatem ecclesiarum damnis cavens Concilium Carthaginense, & deinde Hipponense secundum, optime restrinxit, & Primatis Synodique provincialis decreto negotium commisit, exceptione solum addita, nisi tam gravis premeret necessitas, ut Primatem adeundi non superesset spatium. Sed tunc quoque venditor vicinis episcopis antea indicare, & post factum, Concilio provinciali referre debet ecclesiæ suæ necessitates. Hæc est enim sententia canonis; cujus lectio luxata, sic constituenda est in veteri: *saltem curiositatem habeat*, (id est, curam, Africana dictione) *& vicinis episcopis hoc ante indicare, & post factum, ad Concilium referre suæ ecclesiæ necessitates. Quod si non fecerit, reus Concilio venditor teneatur.* Hunc locum canon sexti Concilii interpretatus est potius, quam exscripsit: *saltem vicinos testes convocet episcopos, curans ad Concilium omnes referre ecclesiæ suæ necessitates. Quod si non fecerit, reus Deo & Concilio venditor honore amisso teneatur.* Priorem partem Græcus non est assecutus. Legit enim, *vicinos testes convocet episcopus*, cum legendum sit *episcopos.*

V. Hunc canonem excipit alius in veteri collectione, quo definitur, ne quis, relicta cathedra principali, in alia diœceseos ecclesia aut in proprio fundo diutius, quam oportet, resideat. Quod his verbis Ferrandus expressit num. XVII. *Ut nullus episcopus, dimissa matrice, in diœcesi constituat.* (legendum *consistat*) *Concil. Carthagin. tit. VI.* Ubi cathedra principalis recte matrix redditur. Unde matrices cathedræ in Concilii Carthaginensis cap. CXXIII. apud Dionysium.

VI. Canon de infantibus baptizandis, quoties non inveniuntur certissimi testes de illorum baptismo, nec ipsi idonei sunt propter ætatem, de traditis sibi sacramentis respondere, a Leone primo probatus est, qui ejus in simili specie sententiam sequitur in epistola ad Rusticum Narbonensem. Sed mutilus est canon ille apud Dionysium; ubi omissa est ultima clausula, quam exhibet vetus, de consecrandis ecclesiis, quoties de earum consecratione dubitatur. Obiter autem monendus est lector, magnum oriri beneficium ex tabulis parochialibus, in quas baptismorum acta referuntur, unde non solum infantium ætas ad res civiles, sed etiam baptismi testatio probari potest: quibus tabulis si usa fuisset vetus ecclesia, ut liberorum censitione in actis publicis olim utebatur Imperium, difficultatibus istis de baptismo infantium se exemisset.

VII. Cautum fuerat in Concilio Carthaginensi tertio canone XLI. ut quotannis ad Concilium universale Africæ convenirent episcopi, & per legatos, redeuntes in provincias, dies Paschæ ab ecclesia Carthaginensi denuntiaretur. Nunc duo constituuntur. Primum, ut formatarum subscriptione dies ille omnibus intimetur, id est, ut in formatis, quæ clericis peregre proficiscentibus dantur, dies Paschæ adnotetur; quod si adhuc incertus est dies anni illius, præcedens adjungatur, quo modo solet *Post consulatum* in publicis gestis adscribi, ut explicuit canon vigesimus Synodi Milevitanæ in veteri collectione, qui est centesimus sextus in codice canonum Africanorum ex Concilio Carthaginensi anni quadringentesimi septimi. Secundum est, ut tempus fixum & certum Concilii in decima die Kalendarum Septembrium constituatur. Quæ dies Africanis conventibus apta esse poterat propter anni tempestatem, a provinciis Europæ diversam. *Dies vero Concilii idem servetur, qui in Hipponensi Concilio constitutus est, id est, X. Kalendas Septembris.* Vetus autem collector tempus illud immutavit auctoritate sibi delegata, ut alibi dixi: *Dies Concilii*, inquit, *undecimo Kalendas Novembris servetur*, scilicet post exactas ferias vindemiales, omissa mentione Concilii Hipponensis, in quo scilicet dies decima Kalendarum Septembrium constituebatur; a quo cum recederet, non erat, quod illud Hipponense Concilium laudaret. Ceterum observare non pœnitebit, hic agi de generali & universali totius Africæ, de quo etiam canone decimo, non autem de provincialibus Synodis, quæ a Primatibus sive Metropolitanis cogebantur: de quibus hic cavetur, ut Primates, quando Concilium apud se congregant, diem hic præstitutum universali Concilio non impediant. Ad istud exemplum decretum est de patriarchica Synodo in canone XVII. octavæ Synodi.

VIII. Canonem de intercessore dato ecclesiæ Ferrandus ex titulo nono Concilii Carthaginensis laudat, id est, ex Concilio habito Vincentio & Flavito Consulibus, cui numerus ille respondet. Vacantibus ecclesiis præficiebatur a Metropolitano episcopus ad dissidia populi componenda, ne per varia studia in eligendo episcopo in apertam seditionem erumperent. Dictus fuit intercessor, quia dissidentibus intercedebat; medium se præbebat & conciliatorem. Unde μεσίτης dictus ab interprete Græco. A Ferrando dicitur interventor num. XXII. *Ut nullus episcopus cathedram, cui datus fuerit interventor, plusquam annum teneat, sed ipse eis episcopum petat. Concil. Carthag. tit. IX.* Dionysius quoque in lemmate canonis interventorem appellat. Sequenti seculo dictus est visitator a Gregorio Magno. Visitatoris usum & nomen retinuere posteri, ut patet ex Hincmari epistolis a Sirmondo editis; qui ex more tunc recepto non ante visitatorem episcopum ecclesiæ vacanti præficiebat, quam regem consuluisset, ut ex ejus arbitrio persona visitatoris penderet, nempe, ut cleri & populi animos ad electionem, regi gratam, inflecteret.

IX. Capita duo ad Dionysium, quorum alterum agit de conveniendo Cresconio Villaregiensi, ut se sistat proximo universali Concilio Africano, & alterum de ordinando episcopo in ecclesia Hipponensium Diarrhytorum, omissa sunt a veteri, quia sunt specialia Africæ negotia.

X. Canon autem undecimus, quo statuitur, ne presbyteris aut diaconis, ob graviorem culpam a gradu remotis, manus pœnitentiæ imponatur tanquam laicis, hic est suo loco positus in collectione veteri; quem Dionysius, inter capita Carthaginensis sexti jam semel a se positum, hic repetere noluit. Ratio vero hujus statuti petenda est ex Basilio cap. XXXII. qui ait, duplici pœna affligendum non esse presbyterum & diaconum, tum depositione, tum laboribus pœnitentiæ publicæ.

XI. Undecimi canonis definitioni recte conjungitur canon duodecimus, quo accusatis clericis annus conceditur ad diluendum crimen sibi impositum. Quoniam vero textus corruptus est, tam in collectione veteri, quam in Dionysiana, emendandus a nobis erit postquam vulgatam

lectio-

lectionem propoſuero. *Quoties*, inquit, *clericis convictis & confeſſis in aliquo crimine, vel propter eorum, quorum verecundiæ parcitur, vel propter eccleſiæ opprobrium, aut inſolentem inſultationem hæreticorum atque gentilium, ſi forte cauſæ ſuæ adeſſe voluerint & innocentiam ſuam aſſerere, intra annum excommunicationis ſuæ hoc faciant &c.* Quænam, amabo, conſequentia eſt in his verbis, ut convictus & confeſſus innocentiam deinde ſuam aſſerat? Convictus & confeſſus pro judicato habetur juxta legum præſcripta; eſt *αὐτοκατάκριτος*, ut loquitur Paulus. Presbytero de ſe confeſſo non parcitur, ex canone nono Concilii Neocæſarienſis: quia (ut inquit Valentina Synodus, habita anno CCCLXXIV.) *reus eſt vel veri confeſſione vel mendacio falſitatis.* Quare ſine dubio legendum eſt: *Quoties clericis convictis nec confeſſis in aliquo crimine vel propter eorum verecundiam parcitur, vel propter eccleſiæ opprobrium.* Mutandum enim illud, *quorum verecundiæ parcitur*, ne alioqui ſuſpenſa ſit oratio, & ne verbum deſit, a quo nomina dativi caſus, *clericis convictis*, regantur. Attamen vetus eſt mendum, ab ipſo etiam interprete Græco expreſſum, ne dicam
Vide Balſamon. in can. 82. Synodi Carthag. ab Ivone & Gratiano XI. q. III. *Rurſus conſtitutum*, ubi ancipites ſunt gloſſatorum de mente canonis iſtius opiniones. Sententia itaque canonis hæc eſt, quam exhibet Ferrandus num. CXXXVI. *Ut accuſatus clericus intra annum cauſam ſuam agere debeat. Concil. Carthag. tit. XII.* Ordo antiquus judiciorum eccleſiaſticorum hinc deſumi poteſt. Teſtes recipiebantur adverſus reum gravioris criminis. Eorum teſtimonio convictus, communione abſtinebatur: qui deinde vel ſe purgabat, vel confeſſione criminis facta, pœnitentiæ beneficium petebat abſque ulla temporis præſcriptione. Hic anni tempus, poſt excommunicationem illi inflictam computandum, clerico conceditur, ut ſe purget, quo tempore elapſo, non amplius auditur. Inde factum, ut decretis recentioribus laici quoque excommunicati ad purgationem vel ad petendam abſolutionem adigantur.

XII. In canone XIII. de alieno monacho non
Diſt. 56. Si quis de alterius. ordinando, vox *repertum*, quam vetus & Dionyſius præferunt, & ex eis Gratianus, cubat in mendo, & reſtituenda lectio ex interprete Græco: *Si quis de alterius monaſterio receptum. ἐάν τις ἀπὸ ἀλλοτρίου μοναστηρίου ὑποδέξηταί τινα.*

XIII. Titulus XVI. apud Dionyſium abeſt a veteri, recte, quoniam huic ſpeciei ſatis cautum erat duobus capitulis Concilii Carthaginenſis tertii. Etenim canone XIII. conſtitutum eſt, ut epiſcopi & clerici hæreticis, etiamſi conſanguinei ſint, nihil per donationem aut teſtamentum conferant. Canone autem XLIX. epiſcopi & clerici, quod ex peculio eccleſiæ acquiſierint, jubentur ſuis eccleſiis conferre. De eo autem, quod illis ex liberalitate alicujus vel ex ſucceſſione cognationis obvenerit, libera diſponendi facultas relinquitur; dummodo ita ſe gerant, ut eorum propoſito congruit. Alioqui honore eccleſiaſtico indigni judicabuntur. Quam in pœnam incidiſſent ſine dubio, ſi hæreticis vel gentilibus conſanguineis aliquid contuliſſent, quia id vetitum canone decimo tertio, ne de perſonis infamibus loquar. Ceterum ſi extraneos heredes inſtituiſſent, dummodo Chriſtianos, immunes erant a culpa. Canon autem XVI. hujus Concilii, tacens de clericis, vetat, ne heredes extraneos a conſanguinitate ſua epiſcopus eccleſiæ præferat, nedum conſanguineos hæreticos aut paganos; addita graviſſima pœna, nempe anathematis poſt mortem, de qua tantopere diſceptatum fuit in Quinta Synodo. Additur quoque, quod huic pœnæ eſt conſectarium, ne nomen ejus inter Dei ſacerdotes recitetur; ſcilicet in ſacrificio, quando ex diptychis, ſive libellis eccleſiæ cujuſque nomina defunctorum epiſcoporum recitata, Deo commendabantur, ut patet ex actis Quintæ Synodi. Unde diſcimus, hanc quoque conſuetudinem in eccleſia Africana perinde ac in ceteris univerſi orbis Chriſtiani invaluiſſe.

XIV. Canones reliqui hujus Concilii quinti cum Dionyſio conveniunt, adeo ut operam noſtram non deſiderent, præcipue cum Notas in univerſos canones non edamus.

CAPUT X.

De Concilio Carthaginenſi ſexto.

I. ORdo veteris collectionis nos ducit ad Concilium Carthaginenſe ſextum: quod aliud eſt apud Iſidorum, aliud apud veterem collectorem. In illo quippe perturbata Conciliorum ſerie octavum ſeu Milevitanum dicitur; quod in collectione antiqua rectiſſime ſextum nuncupatur, depulſus ex eo gradu ſexto vulgato & ſeptimo, quæ in veteri ſeptimum & octavum vocantur. Sane cum in eo, quod dicitur ſextum, recitata fuerint priora Concilia, neceſſe eſt, ut ea, de quibus ſtatim agemus, inſerta fuerint illius Concilii actis, & numero ſicut tempore Concilium ſextum vulgo dictum anteverterint. Nos tamen, recepta numerandi conſuetudine uſi, perpetuo ſextum Carthaginenſe vocamus, quod eo nomine huc uſque deſignatum fuit juxta collectionem Iſidori depravatam in illis numeris; qui tamen hujus mutationis cauſam ſibi viſus eſt aliquam habere ex eo, quod Synodum Milevitanam a Carthaginenſibus ſecernebat.

II. Quod ad rem attinet, in collectione Dionyſii exhibetur Synodus Milevitana prima, celebrata Arcadio & Honorio Augg. V. Conſſ. ſexto Kalendas Septembris, id eſt, anno quadringenteſimo ſecundo, in civitate Milevitana, conſidente Aurelio Carthaginenſi epiſcopo *in Concilio univerſali*, ut habent acta. Differt hæc Synodus ab altera ejuſdem nominis, quæ habita fuit contra Pelagium Honorio VII. & Palladio Conſſ. anno CCCCXVI. ſub Silvano Primate Numidiæ ab epiſcopis ejus provinciæ; cujus epiſtola Synodica extat inter epiſtolas ſancti Auguſtini. *Auguſt. ep. 92.* Exiſtimabat Baronius, duo iſthæc Milevitana Concilia, in unum compacta a collectoribus, & canones de gratia in ſecundo editos, transſcriptos eſſe in primum, & ceteris canonibus, editis in primo, adjunctos. Quod tamen dici non debet, cum nullos canones de gratia ediderit ſecundum Milevitanum, licet Pelagii hæreſim epiſcopi proſcripſerint, contenti datis ad Innocentium literis, quæ extant apud Auguſtinum, ſententiam ſuam ſignificaſse.

III. Fatendum eſt quidem, in collectione veteri canones quoſdam, deſumptos ex Synodo Milevitana prima, compactos fuiſſe in unum corpus cum aliis canonibus, depromptis ex duobus Conciliis Carthaginenſibus, celebratis anno quadringenteſimo decimo octavo. Quare huic compilationi ſequens titulus præfigitur in veteri: *Concilium ſextum Carthaginis Africæ, & in Milevitana civitate habitum.* Quibus verbis ſatis ſignificatur, hoc corpus e variis Conciliis eſſe conſarcinatum. Enimvero licet Milevitanum tempore ſit potius, quoniam tamen Carthaginis nomen dignitate præcellit, & plures canones petiti ſunt e duobus Conciliis Carthaginenſibus, huic Carthaginenſis nomen inditum eſt a veteri collectore, tum etiam, ne perturbaretur ordo numerandi hæc Concilia ſub nomine Carthaginenſium, quamvis non taceatur in titulo nomen Milevitani.

IV. Ceterum quoniam ratio fidei ceteris articulis præfulgere debet, vetus collector Concilium iſtud auſpicatus eſt ab octo canonibus, de gratia Dei editis adverſus Pelagium, quos ex univerſali Concilio Carthaginenſi, celebrato anno quadringenteſimo decimo octavo, cujus acta ſunt apud Dionyſium, transſcripſit, & in capite ceterorum canonum poſuit. Sane partem præfationis, Milevitano primo præfixæ, uſurpavit; & ut materias conne-

connecteret, de suo hæc ultima verba addidit aut ex præfatione Carthaginensi illi præfixa, qua cavemus: *Ideoque pariter quædam de causis fidei, unde nunc quæstio Pelagianorum imminet, in hoc cœtu sanctissimo primitus tractentur, deinde subsequantur & aliqua, quæ disciplinæ ecclesiasticæ necessaria existunt.*

V. Præterea, ut Carthaginensibus Conciliis potiorem locum daret, post octo canones de gratia subjunxit canones, petitos ex altero Carthaginensi anni CCCCVII. quorum primus est apud Dionysium, de Concilio universali Africæ, ne fiat quotannis, sed quando exegerit causa communis; qui est in hoc nostro nonus. Deprompti sunt ex eodem Concilio anni CCCCVII. canones X. XI. XII. & XVI. qui proprius est Africæ apud Dionysium. *Placuit præterea, ut executores in omnibus desideriis, quæ habet ecclesia, quinque postulentur, qui in diversis provinciis impertiantur.* Agit de publicis executoribus postulandis a Principe, qui rebus ecclesiæ immineant. Vetus autem, non designato numero, sic generaliter expressit: *Placuit præterea, ut executores in omnibus justis desideriis impertiantur*, addita quoque per modestiam voce *justis*, quæ patribus Africanis exciderat.

Decimus septimus indidem quoque est desumptus, quo cavetur, ne dimissus vel dimissa, etiam ob adulterium, alteri conjungantur. Qua definitione tandem sopita est antiqua illa quæstio in Arelatensi primo & apud Græcos indecisa.

Decimus octavus est haustus ex eodem Carthaginensi, verbis, quæ in authentico sunt Africæ propria, ad constitutionem generalem accommodatis: *Quicunque non communicans in Africa, in transmarinis ad communionem obrepserit, jacturam clericatus accipiat.* Ita Dionysius. Vetus autem sic habet: *Quicunque non communicans in provincia propria, & in aliis provinciis vel transmarinis partibus ad communicandum obrepserit, jacturam communionis vel clericatus accipiat.*

Petita quoque sunt ab eodem Concilio capitula XIX. & XX. ubi constituitur, ne quis pergat in comitatum Principis sine formata, verbis accommodatis in veteri ad usum communem, quæ in authentico de formata missa ad Romanum episcopum loquuntur. Omissa vero sunt alia illius Concilii capita a collectore veteri, quoniam propria erant Africæ.

VI. Ex Milevitano Concilio desumpta sunt capitula XIII. XIV. XV. quæ agunt de episcoporum ordine inter se, de literis dandis ab ordinatoribus cum die & Consule, & ne quis ad aliam ecclesiam trahatur, quicunque in sua vel semel legerit. Reliqua capita, de archivo Numidiæ, de Quodvultdeo & Maximiano, ideo sunt omissa a veteri, quia sunt specialia negotia Africæ.

VII. Ex Concilio Carthaginensi anni CDXVIII. petiti sunt canones XXI. XXII. XXIV. XXV. XXVI. XXVII. Reliquos omisit vetus, quia de Donatistis episcopis conversis & de partitione diœceseon inter eos & catholicos episcopos cum agant, ad Africam solam pertinent. Sane canon vigesimus tertius, qui est de converso ab hæresi ad unitatem catholicam & susceptam apud hæreticos pœnitentiam gerente, ut arbitrio episcopi catholici tempus pœnitentiæ vel reconciliationis ei decernatur, nescio quam ob causam omissus sit a Dionysio; quem tamen vetus exhibet, & series rerum docet, ad hoc Concilium pertinere, ubi de conversione Donatistarum copiose tractatur. Ex Ferrando, qui meminit hujus canonis, colligitur, in authentico actum de Donatista converso, licet vetus ad omnes hæreticos generaliter definitionem more suo transtulerit. Ferrandus nu. I. *Ut episcopi judicio Donatistæ, qui apud suos acta pœnitentia convertitur, tempus pœnitentiæ vel reconciliationis decernatur. Concilium Carthag. tit. II.*

Ceterum acta Conciliorum, habitorum annis CCCCIII. CCCCIV. & CCCCV. quæ de conveniendis Donatistis agunt, & de legationibus ad Principes, prudenter vetus collector dissimulavit, quoniam suo instituto non serviebant.

CAPUT XI.

De reliquis Conciliis Africanis.

I. Agmen Conciliorum Carthaginensium claudet illud, quod vocant septimum, cum de sexto & octavo superius egerimus. De septimo controvertitur, an sit idem Concilium cum sexto. Non differre putant Binius & Justellus, quoniam sextum habitum est post consulatum Honorii XII. & Theodosii VIII. octavo Kalendas Junias Carthagine, septimum vero eodem loco & quinque post illa diebus, nempe III. Kalendas Junias. Non solum autem locus & tempus conveniunt, sed etiam numerus episcoporum ducentorum decem & septem, qui resedisse in Concilio sexto dicuntur in præfatione Concilii, & huic septimo eodem numero subscripsisse testatur collectio Dionysii. Attamen vetus collector adnotat, hoc Concilium a triginta octo episcopis celebratum, corrupto calculo. Legendum enim, XXIII.

II. Antequam hunc nodum dissolvam, observandum est, a Ferrando canones, huic septimo Concilio tributos, laudari tanquam e Concilio a reliquis Carthaginensibus diverso, ut patet ex numerorum serie, quam sequitur, similem computationi, quæ est in veteri collectione; cujus fides ex eo probanda est, quod in Concilio isto distinguendo in sexto adstipulatorem habeat Ferrandum Diaconum. Ille vero canones istos citat nu. LXXIII. CXCV. CXCVI. & CXCVII. Ratio vero hujus discriminis patet ex actis Concilii septimi, quæ docent, plerosque episcopos ex illis CCXVII. qui convenerant, conquestos fuisse, ceterorum, quæ agenda supererant, moras se sustinere non posse. Quare, ut illis redeundi in ecclesias commeatus facilior esset, & se ad iter accingendum parare possent, ab universali Concilio delecti sunt judices numero XXIII. qui reliqua peragerent, scilicet præter Aurelium Carthaginensem & Faustinum episcopum Potentium Legatum ecclesiæ Romanæ, decem episcopi legati provinciæ proconsularis, tres legati Numidiæ, tres legati provinciæ Byzacenæ, tres legati Mauritaniæ Sitifensis, tres legati Mauritaniæ Cæsariensis. Una cum judicibus delectis consedit Aurelius, & canones quinque promulgavit. Quare non immerito Concilium diversum dici potest, quod nova statuta minore judicum numero decernit. His capitulis constitutis subscripsere, qui ea ediderant. Die sequenti, id est, secundo Kalendas Junias, iidem electi judices epistolam ad Bonifacium Papam dictarunt, quæ clausit acta Concilii sexti, & posita est post canones hujus septimi conventus. His gestis in unum compactis & epistolæ ad Bonifacium die illo, nempe secundo Kalendas Junias, subscripsere, non solum Aurelius & provinciarum legati, sed etiam episcopi omnes usque ad superiorem numerum CCXVII. antequam Carthagine discederent; non autem in suis quique ecclesiis, ut putabat Baronius.

III. Quæ dixi, hausta sunt ex interlocutione Aurelii apud Dionysium: qui post decreta quinque illa capitula a se & a legatis provinciarum, ait, sibi placere rerum omnium conclusionem facere, id vero ita fieri posse, si primum, quæ die illa tractata fuerant, id est, capitula quinque, gestis inserantur, quæ est sententia horum verborum: *Universi tituli designati & digesti hujus diei tractatum ecclesiæ gesta suscipiant.* Titulus ille generalis, qui disceptandus in hoc cœtu propositus fuerat, respicit personas, quæ ad clericorum accusationem admitti non possent. Hujus quæstionis decisio digesta est per capita quædam, ita, ut primo

primo excommunicati non admittantur, secundo servi, liberti, hæretici, pagani, Judæi, & infames, tertio, ut qui unum crimen non probaverit, ad cetera non admittatur, quarto, qui ad testimonium admittendi non sint; quibus subjungitur de episcopo, qui excommunicat eum, quem sibi soli crimen dicit esse confessum. Hæc omnia per capita digesta, ad expiscandum titulum sive argumentum propositum, gestis illius diei inferenda interloquitur Aurelius. Subjungit: *Quæ vero adhuc expressa non sunt, die sequenti per fratres nostros Faustinum episcopum, Philippum & Asellum presbyteros, venerabili fratri & coepiscopo nostro Bonifacio rescribemus. Et subscripserunt. Aurelius &c.* Die itaque sequenti judices illi delecti de rescribendo ad Bonifacium acturi erant. Interim subscribunt huic definitioni, scilicet iidem illi, qui de ea tractaverunt. Deinceps, quia perventum erat ad finem totius disceptationis & gestorum in controversia cum Faustino, ceteri quoque episcopi usque ad numerum CCXVII. actis subscripsere & ipsi quoque epistolæ ad Bonifacium datæ, quæ universis episcopis præsentibus relecta est.

CAPUT XII.

De canonibus adversus Pelagium.

NUnc operæ pretium est, canonum, de gratia latorum adversus Pelagium, occasionem & definitionum rationes paucis recensere, remissa ad Theologos uberiori harum rerum tractatione.

I. Primo capitulo de statu & conditione naturæ Adami ante illius lapsum decernitur adversus Pelagianos, qui dicebant, Adamum sic creatum, ut etiam sine peccati merito moreretur, teste Augustino. Cur autem isthæc afferant, causa in promptu est, ne pœnam aliquam in posteros ex primi parentis peccato traduci faterentur. Hoc dogma cum objectum esset Pelagio ex Cælestii scriptis in Synodo Diospolitana, nempe *Adam mortalem factum, qui sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset, quoniam peccatum Adæ ipsum solum læserit & non genus humanum*, hæc (inquit Augustinus libro de gestis Pelagii cap. XI.) *judicio illo ecclesiastico, anathematizante Pelagio, & episcopis interloquentibus, constat esse damnata.* A qua tamen perversa sententia non discessere Pelagiani, ut passim docet Augustinus, tum libro primo imperfecti operis contra Julianum cap. LXVI. Quare necessaria fuit Concilii hujus Carthaginensis constitutio; quam secuta est Tridentina Synodus. Dogmatis hujus auctoritas ex sacris libris petenda est, in quibus diserte traditur, mortem humano generi pœnæ loco inflictam esse propter peccatum primi hominis, in epistola ad Romanos cap. V. & VIII. in libro sapientiæ cap. I. & II. Quare non immerito caput istud intra fidei regulam reponitur ab Augustino lib. XIII. de civit. cap. XV. *Unde constat inter Christianos, veraciter catholicam tenentes fidem, etiam ipsam nobis corporis mortem, non lege naturæ, quia nullam mortem homini Deus fecit, sed merito inflictam esse peccati; quoniam peccatum vindicans Deus dixit homini, in quo tunc omnes eramus: Terra es, & in terram ibis.* Mediæ igitur conditionis Adamus erat inter immortalitatem & mortalitatem, amborum capax; ut eleganter observat vetus auctor Theophilus Antiochenus ad Antolycum; ita tamen, ut natura mortalis esset, quippe qui pabulo egeret, quod illi Deus ex omnibus fructibus concesserat præter vetitum; sed gratia & beneficio Dei futurus immortalis ex pastu ligni vitæ, ut docent Augustinus lib. XII. de civit. cap. XX.

August. lib. de peccat. mer. c. 2.

II. Secundo capitulo damnatur aliud Pelagianorum dogma, quod primo consequens erat, scilicet nullum reatum ex Adami proprio peccato ad ejus posteros origine transire, integram proinde ac nulli sceleri nullique pœnæ obnoxiam esse parvulorum recentium ab uteris matrum naturam. Peccatum itaque originale tollebat. Hoc inter capita, de quibus interrogatus fuerat Cælestius in Synodo Carthaginensi anno CCCCXII. primum fuit, ut testatur Augustinus lib. I. de peccat. orig. cap. II. III. & IV. *Et Cælestius quidem*, inquit, *in hoc fuit errore liberior, ut neque in episcopali judicio damnare voluerit eos, qui dicunt, quod peccatum Adæ ipsum solum læserit, & non genus humanum, & quod infantes, qui nascuntur, in eo statu sunt, in quo Adam fuit ante prævaricationem.* Ideo traducem peccati negabat, idque se Romæ dicentem afferebat audisse Ruffinum, teste eodem Augustino. Quod objectum est quoque Pelagio in Diospolitana Synodo. Fatebatur quidem, ut scripturæ testimoniis satisfacere aliquo pacto videretur, solo Adamum exemplo nocuisse, quo posteros traheret ad imitandum, sed nec reatum neque pœnam peccati ad posteritatem transmissum.

III. Opponebatur illis grave argumentum, petitum ex baptismo parvulorum. Eum quidem illi admittebant, sed in hoc tantum, ut baptizati in filios Dei adoptarentur & consequi posent regnum cœlorum, non autem, ut ab originalis peccati vinculo solverentur; a quo cum liberos dicerent, vitam illis beatam & æternam promittebant, quamvis extra regnum Dei, ad quod per solum regenerationis lavacrum admitti posse dicebant; ut copiose scribit Augustinus hæresi LXXXVIII. lib. I. de peccat. mer. & rem. cap. XXIX. epist. LXXXIX. & alibi. Non erat istud solius Pelagii commentum, quod illi commune fuit cum aliis, qui ætate illa peccatum ex traduce negabant, ideoque baptismum in parvulis ad alium finem, quam remissionis peccatorum trahebant. Inter quos Ruffinus Palæstinus in libro de fide, nuper editus a Sirmondo, qui alius est a Ruffino Hieronymi adversario. Ruffini Palæstini hæc sunt verba: *Baptisma igitur infantes non propter peccata percipiunt, sed ut spiritalem procreationem habentes, quasi per baptisma in Christo creentur, & ipsius regni cœlestis participes fiant.*

IV. Quare Cælestius in Carthaginensi Synodo anno CCCCXII. & in libello Romæ oblato dixit, infantes egere baptismo. Hoc tamen admisso, profligata est omnino nefaria Pelagii sententia de peccato originali. Etenim baptismus administratur in remissionem peccatorum, ut docent scripturæ & fidei regula, in qua universa ecclesia unum baptisma confitetur in remissionem peccatorum. Ergo ipsi quoque infantes tinguntur, ut peccata illis remittantur, non sane propria, sed vetus illud & originale peccatum. A quo nodo his verbis Cælestius expediebat sese in libello oblato Romæ apud Augustinum libro de pecc. orig. cap. V. *Infantes debere baptizari in remissionem peccatorum, secundum regulam universalis ecclesiæ & secundum evangelii sententiam confitemur, quia Dominus statuit, regnum cœlorum nonnisi baptizatis posse conferri; quod quia vires naturæ non habent, conferri necesse est per gratiæ libertatem.* Mox addit: *In remissionem autem peccatorum baptizandos infantes non ideo diximus, ut peccatum ex traduce firmare videamur, quod longe a catholico sensu alienum est &c. Et illud ergo confiteri congruum, ne diversa baptismatis genera facere videamur. Et hoc præmunire necessarium est, ne per mysterii occasionem ad creatoris injuriam malum ante, quam fiat ab homine, tradi dicatur homini per naturam.* Oppressum fere rationis hujus pondere se fatetur, qui tam molliter respondet. Necesse est, inquit, ut dicamus, baptismum parvulis conferri in remissionem peccatorum. Alioqui duo genera baptismorum admittenda essent, alterum in adultis, quod in remissionem peccatorum datur, alterum in parvulis absque remissione, quod esset absurdum. Itaque dicit confitendum, baptizari

infan-

infantes in remissionem peccatorum. Quod sic intelligere eum oportebat juxta suæ sectæ regulam, quoniam idoneus est baptismus ad ea delenda, quando inciderint in futurum; sed nihil aliud in parvulis agi tunc vi lavacri, quam ut Deo consecrentur, adoptentur in filios, & regnum cœlorum adipisci possint. Addebant quoque, ut bene nati meliores fierent, apud Prosperum initio libri *De ingratis*.

V. Cavillationem illam elidit robuste Augustinus & Synodus ipsa Carthaginensis hoc capitulo secundo. Etenim si parvuli nihil ex Adam trahunt originalis peccati, quod lavacro regenerationis expietur, inde fit consequens, ut in eis *forma baptismatis in remissionem peccatorum, non vera, sed falsa intelligatur*. Quæ verba videntur prima fronte innuere, ampliorem fuisse baptismi formulam, quam sit illa, qua hodie utitur ecclesia Romana: *Baptizo te in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*; addita scilicet isthac clausula: *in remissionem peccatorum*. Alioqui mancum & elumbe videtur Synodi argumentum. Sed observandum est, formam baptismatis non accipi ea significatione, quæ in scholis huic nomini tribuitur, quando de materia & forma baptismi disputant. Sumitur hic pro ritu, ordine, & forma baptismi, in ecclesia universali exerceri solita; ubi suus est locus interrogationi, quæ a catechumenis mox tingendis fidei Christianæ professio exigitur, & inter cetera capita, remissionis peccatorum per baptismum consequendæ. Hoc fidei compendium vocatur regula fidei ab Irenæo, Tertulliano, Augustino, & aliis veteribus. Hæc est, quam regulam universalis ecclesiæ vocabat Cælestius in loco superius prolato. Symbolum quoque fidei dicitur ab Hieronymo, hac de re loquente libro tertio adversus Pelagianos. *Hoc unum dicam*, inquit, *ut tandem finiatur oratio, aut novum vos debere symbolum tradere, ut post Patrem & Filium & Spiritum Sanctum baptizetis infantes in regnum cœlorum, aut si unum & in parvulis & in magnis habetis baptisma, etiam infantes in remissionem peccatorum baptizandos in similitudinem prævaricationis Adam*. Potest quoque Hieronymus explicari de symbolo seu fidei libello a patribus in Synodo Constantinopolitana secunda edito, ubi confitentur diserte, baptisma dari in remissionem peccatorum: quem libellum cum Synodus œcumenica anno CCCLXXXI. constituisset, anno sequenti iterum coacta Constantinopoli, per Synodicam epistolam ad Damasum Papam transmisit. Quare regulam fidei a Synodo Nicæna & Constantinopolitana explicatam sequi se, profitentur Legati apostolici in Concilio Chalcedonensi. Attamen usus symboli illius recitandi in mysteriis statim non obtinuit, qui primum inductus est in Occidente a Concilio Toletano tertio sub Recaredo Rege. *Act. 4.*

VI. Ceterum Hieronymi argumentum simile est illi, quod usurpant patres Africani, qui præterea praxim ecclesiæ de tingendis infantibus in remissionem peccatorum confirmant Apostoli testimonio, qui ait, in Adamo omnes peccasse, quem locum de peccato originis ecclesiam catholicam ubique diffusam semper intellexisse dicunt. Mox definitionem his verbis concludunt: *Propter enim hanc regulam fidei etiam parvuli, qui nihil peccatorum in se ipsis adhuc committere potuerunt, ideo in peccatorum remissionem veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt*.

CAPUT XIII.

De Pelagii dogmatibus & arcanis.

I. Antequam ad sequentia capitula accedamus, quæ agunt de vi & necessitate gratiæ, penetrare oportet in Pelagii arcana, qui subdolis & versutis artibus doctrinam suam occulebat; ut qui gratiam Christi evertere conabatur, eam tamen videretur adstruere, ne catholicorum hominum conviciis pateret. Docebat itaque liberum hominis arbitrium, quod ex Adami peccato nullum vitium contraxerat, innatis viribus ex solo suæ conditionis præsidio posse bonum amplecti, malum vitare, & assequi regnum cœlorum, *& ubi in utraque parte libera essent studia voluntatis, non facultatem his, qui mali sunt, ad bonum deesse, sed studium*, ut loquitur Prosper, de illius hæresi agens in libro de libero arbitrio ad Ruffinum. Hanc ergo liberi arbitrii facultatem, gratiam vocabat, quæ nullis præcedentibus meritis, beneficio Dei, hominibus erat concessa, teste Augustino pluribus in locis. Legis quoque & Prophetarum doctrinam alteram gratiam docebat Dei beneficio hominibus concessam, ut intelligerent, quid sequi deberent, quid fugere, objectis suppliciorum terroribus & gloriæ magnitudine & piorum hominum exemplis. Gratia legem in adjutorium misit, ut rationis lumen, quod pravitatis exempla hebetabant, & consuetudo vitiorum multimodis eruditionibus excitaret atque invitatu suo foveret, inquit Julianus Pelagianus. *August. lib. de hæres. & epist. 105.*

II. Addebat tamen Pelagius, post adventum Christi neminem ad salutem pervenire posse, nisi per fidem in Christum, per quam fidelis remissionem peccatorum, sive justificationem consequebatur, quam gratiam per singula momenta & per singulos actus necessariam dicebat; quæ evangelii doctrina & Christi ipsius exemplo incipiebat & fovebatur. Sed calliditatem hominis detegit Augustinus, post relata Pelagii verba, in libro de gratia Christi cap. II. Docet enim, eum significasse, *ut semper in memoria retinentes & reminiscentes, dimissa nobis esse peccata, non peccemus ulterius, adjuti non aliqua subministratione virtutis, sed viribus propriæ voluntatis, quid sibi remissione peccatorum præstitum fuerit, recordantes*. Idem libro de gratia & libero arbitrio cap. XIII. *Dicunt etiam, gratiam Dei, quæ data est per fidem Jesu Christi, quæ neque est lex, neque natura, ad hoc tantum valere, ut peccata præterita dimittantur, non ut futura vitentur, vel repugnantia superentur*. Idem libro III. contra Julianum cap. XXIII. *Verum tu a vestro dogmate non recedis*, inquit, *quo putatis, gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum sic in sola peccatorum remissione versari, ut non adjuvet ad vitanda peccata & desideria vincenda carnalia, diffundendo caritatem in cordibus nostris*. Hic Pelagii error damnatur tertio capitulo Synodi Carthaginensis. *Item placuit, ut, quicunque dixerit, gratiam Dei, qua justificatur homo per Jesum Christum Dominum nostrum, ad solam remissionem peccatorum valere, quæ jam commissa sunt, non etiam ad adjutorium, ut non committantur, anathema sit*.

III. Porro veræ gratiæ remissionis per fidem in Christum multum detrahebat, qui ab ea auxilium, non committendi peccata, tollebat, ut dictum est. Præterea docebat, fidem in Christum, voluntate per evangelii prædicationem excitata, viribus naturæ elicitam, provocare quidem Dei misericordiam, ut peccata hactenus admissa gratis condonet, ceterum recordatione illius remissionis semel adeptæ voluntatem hominis, opera legis studiose exercentem, posse restituere se a lapsu & perfectam justitiam colere. Remissionem autem illam in sola peccatorum relaxatione constituebat & favore Dei externo, non in caritate in cordibus diffusa, ut docuit Augustinus; qui recte adversus Pelagium disputat, si fides naturæ viribus acquiratur, ipsaque fides remissionem impetret, hanc non omnino citra ulla merita dari, ut tradebat Pelagius victus Apostoli auctoritate, docentis, hominem justificari gratis. Unde sequebatur, primum illud Pelagii dogma, de fide naturæ viribus adepta, esse falsum. Ut autem hoc gratiæ

genus

genus melius aperiatur, sciendum est, duplicem ab eis gratiam constitutam, alteram, quæ extrinsecus oblata menti, voluntatem illiciat, quæ libero arbitrio sit veluti magistra seque per cohortationes, per legem, per doctrinam, per creaturam, per contemplationem, per miracula, per terrores extrinsecus judicio ejus ostendat; quo unusquisque secundum voluntatis suæ motum, si quæsierit, inveniat, si petierit, accipiat, si pulsaverit, inveniat: quia scilicet gratiæ ipsius vocatio hoc primum circa nos agat, ut nostræ facultatis arbitrium admoneat, nec aliud sit gratia, quam lex, quam propheta, quam doctor, ut loquitur Prosper ad Ruffinum. Quæ quidem auxilia a Deo conferri, dubium non est. Sed quæ sequuntur, damnabuntur in doctrina Pelagii, nempe *ut, qui* sic edocti *voluerint, credant, & qui crediderint, justificationem merito fidei & bonæ voluntatis acquirant*, ut loquitur idem Prosper. Hanc gratiam justificationis per fidem in Christum in baptismo conferri ajebant; de qua Julianus apud Augustinum libro primo operis imperfecti: *Hæc ergo gratia, quæ in baptismate non solum peccata condonat, sed cum hoc indulgentiæ beneficio & provehit & adoptat & consecrat, hæc, inquam, gratia meritum mutat reorum, non liberum condit arbitrium.*

IV. Præter gratiam remissionis, aliam quoque Pelagius admittebat, qua Deus interiore mentis illustratione cordis oculos aperit, ut sciat homo, quid fugiendum, quid amplectendum, sed qua nihil in voluntate efficit, ut homo agere valeat, quam gratiam his verbis exponit apud Augustinum libro primo de gratia Christi cap. VII. *Adjuvat enim nos Deus per doctrinam & revelationem suam, dum cordis nostri oculos aperit, dum nobis, ne præsentibus occupemur, futura demonstrat, dum diaboli pandit insidias, dum nos multiformi & ineffabili dono cœlestis gratiæ illuminat. Qui hæc dicit, gratiam tibi videtur negare? An & liberum hominis arbitrium & gratiam Dei confitetur?* Et capite decimo eandem gratiam a Pelagio commendari dicit, qua *Deus futuræ gloriæ magnitudine & præmiorum pollicitatione succendit, dum revelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem, dum nobis suadet omne, quod bonum est.* Quare gratiam profitebantur, quæ mentem illuminaret, non quæ dilectionem inspiraret voluntati. Hunc errorem dispunxit Synodus Carthaginensis capitulo quarto: *Cum enim dicat Apostolus, scientia inflat, charitas vero ædificat, valde impium est, ut credamus, ad eam, quæ inflat, nos habere gratiam Christi, ad eam, quæ ædificat, non habere; cum sit utrumque donum Dei, & scire, quid facere debeamus, & diligere, ut faciamus.*

V. Deinde Pelagius tum gratiæ illi suæ, id est, illuminationi mentis, tum etiam gratiæ justificationis, id solum tribuebat, ut juvaret ad facilius operandum, ita, ut absque gratia difficilius, implere tamen posset homo divina mandata. Hæc sunt Pelagii verba apud Augustinum libro primo de gratia cap. VII. Deum, ait, *illis quibus imperavit, etiam gratiæ suæ auxilium subministrare, ut, quod per liberum homines facere jubentur arbitrium, facilius possint implere per gratiam.* Quem impii hominis errorem Synodus Carthaginensis damnavit anathemate capitulo quinto, ubi docet, Pelagium ista intellexisse etiam de illa, quam docebat, justificationis & remissionis gratia, quæ sane illius etiam opinione munificentior erit, quam mentis illuminationes, quæ extrinsecus adveniebant.

VI. Posset mirari aliquis, cur in capitulo tertio damnetur opinio Pelagii, docentis, gratiam justificationis ad peccatorum remissionem valere, quæ jam commissa sunt, non etiam ad adjutorium, ut non committantur; contraria autem opinio hoc capitulo illi tribui videatur, ut gratia isthæc conferat ad facilius operandum. Imo vero docebat Pelagius diserte, gratiam juvare ad resistendum diabolo, quod idem est, ac si diceret, ad peccata non committenda. Hæc sunt illius verba apud Augustinum libro primo de gratia cap. XL. *Subditi simus Deo, ejusque faciendo voluntatem, divinam mereamur gratiam, ut facilius nequam spiritui Spiritus Sancti auxilio resistamus.* Ad quæ isthæc adnotat Augustinus: *In quibus ejus verbis certe manifestum est, ita eum velle nos adjuvari gratia Spiritus Sancti, non quia sine illo, etiam per solam naturæ possibilitatem, non possimus resistere tentatori, sed ut facilius resistamus.*

VII. Dicendum est, Pelagium initio detraxisse gratiæ remissionis vires resistendi peccatis, deinde vero catholicorum querelis exagitatum, ut invidiam tam novi & perniciosi dogmatis amoliretur, hoc verbo negotium temperasse, dari gratiam, ut facilius operetur homo & tentationi resistat. Ceterum, qui sub ea voce latebat, dolum Synodus detegit, nempe significari, sine isto auxilio voluntatem bonum agere posse. Quod damnat Concilium; eaque damnatio coincidit cum ea, quæ inferenda est capiti tertio, qua docemur, gratiam justificationis dari in adjutorium, non tantum, ut facilius vitemus peccata, sed absolute, ut vitemus, quoniam absque subsidio gratiæ non potest liberum arbitrium resistere tentatori, nec concupiscentiæ libidinibus. Quare tertio capitulo gratiæ necessitas docetur ad agendum; isto vero Pelagii astutia detegitur & damnatur, qui auxilium illius admittebat ad facilius agendum.

VIII. Restat ultimum Pelagianæ hæreseos dogma, quod tribus capitulis Synodi confoditur, nempe sanctos & justos esse sine peccato. Sane Hieronymus in epistola ad Ctesiphontem docet, Pelagium initio dixisse, posse hominem sine peccato esse, si velit, quod ille cum principio ita sentiret & palam profiteretur, quosdam fuisse & etiamnum esse perfectos, qui peccato prorsus carerent, cum ea res invidiam illi crearet, eo confugit, ut posse, si vellet, hominem sine peccato esse diceret, non tamen aut esse aut fuisse quemquam ejusmodi posse in natura; velle in arbitrio, esse in effectu locabat; *& possibilitatis acceptæ confessione laudari Deum, qui hoc posse largitus est, nec esse ibi ullam laudandi hominis occasionem, ubi solius Dei causa tractatur. Non enim de velle aut esse, sed tantummodo de eo, quod potest esse, disseri;* ut loquitur Pelagius apud Augustinum lib. I. de gratia cap. IV.

IX. Ceterum cum versutus iste arcana doctrinæ suæ, per vafritiem publice dissimulata, discipulos suos clanculum doceret, ut testatur Hieronymus, necesse est, ut impeccantiæ istius dogma suorum auribus insusurrarit. Alioqui, nisi hoc foret, & nisi jam fœdus error vulgo ab hæreticis spargeretur, frustra laborassent Africani patres in damnatione eorum, qui dicerent, sanctos & justos esse absque peccato. Quod falsum esse probant capitulo sexto, testimonio Joannis in epistola prima: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Idem conficiunt capitulis septimo & octavo, testimoniis Jacobi Apostoli, Salomonis, & Danielis adductis, & ipsis quoque orationis dominicæ verbis graviter expensis. Sane Augustinus hunc Pelagianis errorem tribuit libro quarto contra duas epistolas Pelagianorum cap. IV. *Dicunt, sanctos in hac vita non habuisse peccatum, & sic evacuatur oratio, quam sanctis tradidit, qui non habebat peccatum, & per quem sanctis orationibus dimittitur omne peccatum.*

X. Alius erat ejusdem Pelagii error, cum diceret, posse hominem esse absque peccato, si velit. Attamen, ut animadvertit Augustinus, non ex eo præcise condemnata est Pelagiana hæresis, quod hominem sine peccato posse esse defenderet. *Nam qui dicunt, esse posse in hac vita hominem sine peccato*, inquit, *non est eis continuo incauta temeritate obsistendum. Si enim esse posse negaverimus, & ho-* *August. lib. 1. de peccat. mer. c. 6.*

& hominis libero arbitrio, qui hoc volendo appetit, & Dei virtuti vel misericordiæ, qui hoc adjuvando efficit, derogabimus. Itaque posse esse confitetur sine peccato per Dei gratiam & liberum arbitrium; tametsi non esse confiteatur, eo quod scriptura, neminem sine peccato esse testetur. Quanquam Hieronymus libro primo contra Pelagianos, ex eo, quod nemo unquam sine peccato fuit, nec posse quidem esse quemquam arbitratur, quod de ordinaria potentia intelligendum est. Itaque Pelagiana hæresis in eo consistit, tum quod clanculum docebat, sanctos & justos esse quosdam eo sanctitatis gradu, ut sine peccato sint, tum etiam, quod ita posse perveniri ad illum statum ajebat viribus liberi arbitrii, ut minime esset necessaria gratia Christi. Quanquam subdole addebat, id non contingere absque Dei gratia. Sed qualem intelligeret gratiam, patet ex antecedentibus.

Augustin. ibid. c. 7.

XI. Ex iis, quæ disseruimus, manifestum fit, damnatum a Synodo fuisse, quod in Pelagii commentis hæresim olebat, prætermissis aliis capitibus, quæ non abhorrebant a sana doctrina; quale est de liberi arbitrii definitione, de auxiliis voluntatis. Certum quidem est, Pelagium sanam integramque putasse naturam hominis, nulla originali labe infectam & debilitatam, quæ in potestate haberet tam bonum velle, quam malum, nec præsidiis gratiæ egeret, ut agere recte posset. Libertatem arbitrii dicebat Julianus Pelagianus, teste Augustino libro primo contra Julianum operis imperfecti, in admittendi peccati & abstinendi a peccato possibilitate consistere & in quadam indifferentia ad plura. Hoc nullibi refellit Augustinus: Sed, *liberum in hominibus esse arbitrium, utrique dicimus*, inquit, *Non hinc estis Cœlestiani & Pelagiani*. Quid autem in doctrina Pelagiana de libero arbitrio reprehendendum esset addit: *Sed si quis ad colendum recte Deum sine ipsius adjutorio dicit esse in hominibus liberum arbitrium, & quisquis ita dicit Deum nascentium conditorem, ut parvulorum neget a potestate diaboli redemptorem, ipse Cælestianus & Pelagianus vocatur*. Quare non audiendi sunt recentiores quidam, qui proprietatem & naturam liberi arbitrii, qualem Pelagiani definiebant, scilicet in illo indifferenti statu, inter hæretica decreta non satis bona fide percensent contra veterum mentem, Hieronymi, Augustini, & Synodi Carthaginensis, qui litem nullam ea de re Pelagianis moverunt, quos auctores hujus doctrinæ scirent non esse, sed illos eam ex communi ecclesiæ sensu hausisse.

August. lib. 2. de nupt. c. 3.

XII. Legis magisterium atque doctrinam prophetarum, evangelii prædicationem, exemplum Christi, gratiam justificationis, quæ peccata condonat in baptismo, adoptat & consecrat, adjumenta & beneficia tum extrinsecus advenientia, tum interiores mentis illuminationes a Spiritu Sancto profectas docebat & admittebat Pelagius. Sed ea omnia recte instituendæ vitæ auxilia non damnavit Concilium Carthaginense, quoniam a regula catholicæ fidei non erant aliena. Præclare autem dixit Cyrillus Alexandrinus in commonitorio: *Non omnia, quæ dicunt hæretici, fugere ac detrectare oportet. Multa enim asserunt ex iis, quæ & nos ipsi profitemur*. Quippe, ut observat Gregorius Papa, *habent hoc hæretici proprium, ut malis bona permisceant, quatenus facile sensui audientis illudant*.

Gregor. lib. 5. Moral. c. 10.

XIII. Quæcunque autem perversa & a veritate fidei Christianæ abhorrentia docebant Pelagius & ejus sectatores, anathemate confixa sunt a patribus Africanis. Mortem inflictam Adamo in peccati pœnam, traductam in ejus posteros originalis peccati labem negabant. Gratiæ necessitatem in adjutorium voluntatis, ut peccata vitare possit & mandata divina implere, non fatebantur. Sanctos esse sine peccato, adversantibus scripturis, tecte & subdole secreti sui consciis tradebant. Hæc sunt falsa & hæretica dogmata, ex quibus præcipue conflatum erat sectæ illius corpus; quæ damnata sunt a patribus Africanis.

XIV. De vita æterna & regno cœlorum, quod docuit, gratiam esse, nec crimini vertit Augustinus, neque Synodus Carthaginensis, nisi quatenus eam comparari per sanctitatem docuit, quæ post adeptam gratuito justificationem per fidem in Christum, naturalibus arbitrii viribus absque gratiæ cooperantis necessitate per bonorum operum incrementa exercetur. Unde prædestinasse Deum ait filios, *quos futuros sanctos immaculatosque præscivit. Utique ipse non fecit, nec se facturum, sed illos futuros esse præscivit*; ut loquitur Pelagius apud Augustinum. Caput erroris in eo versatur, quod constantiam illam & perseverantiam in sanctitate in sola liberi arbitrii potestate absque gratiæ necessariis adjumentis constituebat. Quod caput damnatum semel non erat, quod iterum in explicatione prædestinationis damnaretur a Carthaginensi Synodo, quæ specialem de prædestinatione quæstionem attingere noluit ob eas, quas inferius pandemus, illius consilii rationes.

August. lib. de prædest. c. 18. & 19.

CAPUT XIV.

De Concilio Diospolitano & aliis, habitis in causa Pelagii.

I. Cum autem juxta legum & canonum ordinem nemo de crimine impeti possit, nisi aliquis accusationem suscipiat, hinc factum, ut in conventu Hierosolymitano, quæ fuerat derelicta cognitio adversus Pelagium, renuente Orosio accusatorem se gerere, statim restaurata fuerit in Synodo Diospolitana. Hæc a quatuordecim episcopis Palæstinis anno CCCCXV. in urbe Diospoli acta; cui præerant Eulogius Metropolita Cæsareensis & Joannes Hierosolymitanus, qui Pelagii personæ favebat. Eros quippe Arelatensis & Lazarus Aquensis episcopi Gallicani Palæstinam advecti, capitulis aliquot ex Pelagii libris collectis, eum libello dato reum detulerunt apud Synodum illam; quo cum se ad accusationem prosequendam conferrent, alter eorum morbo implicitus, ut neque socius illius, qui curam ægri gerebat, adesse potuerunt, ut docet vetus auctor apud Photium codice LIV. Quare judicium factum est reo tantum præsente, absentibus ex justa causa & non tergiversantibus accusatoribus, quod non oportuit factum, sed differenda cognitio ex juris ordine. Veruntamen cum ex libelli editione de crimine objecto constaret, & Pelagius evocatus capitula sibi objecta damnaret anathemate, visum judicibus, catholicum pronuntiandum, qui catholicam fidem profiteretur & dogma hæreticum abnegaret. Subreptum tamen illis fuit ab homine doloso & veteratore, qui verborum ambiguis strophis virus suum tegens, episcoporum sententiam a capite suo avertit, quod non accidisset, si accusatoribus præsentibus judicium ex more actum fuisset, qui dissimulatorem urgentes, quas nectebat cavillationes solvissent. Judicio ergo ex una parte facto, denuo poterat eadem causa disceptari, nec sententia, eo modo lata, poterat in rei judicatæ vim transire; præsertim cum statim de Pelagii dolis, qui subinde detecti sunt, viri pii & eruditi conquesti fuerint. Hinc est, quod Augustinus observat, ut rem magni momenti, accusatores ad diem Synodi occurrere non potuisse, & illis absentibus, licet perlecto libello, Pelagium absolutum. *Per idem tempus in Oriente, in Syria, Palæstina, Pelagius a quibusdam catholicis fratribus ad episcopalia gesta perductus, eisque absentibus, qui de illo libellum dederant, quoniam ad diem Synodi non potuerunt occurrere, ab episcopis quatuordecim auditus est; ubi eum dogmata ipsa damnantem, quæ inimica gratiæ Dei adversus eum de libello legebantur, catholicum pronuntiaverunt*. Idem auctor iisdem epis-

Aug. lib. 2. retract. c. 47.

episcopis libro primo contra Julianum cap. V. Pelagium, *ut homines, nullo ex altera parte urgente adversario, putantes catholicum, tanquam catholicum pronuntiaverunt*. Quare cum Synodus ista Pelagii artibus delusa fuerit, miserabilem Synodum Hieronymus eam appellavit; præcipue cum post judicium istud Diospolitanum Pelagii fautores in Hieronymum, qui sui tuendi causa ad turrem munitam se recepit, & in ejus monasteria cædibus & incendiis crudelissime grassati sint, teste Augustino in libro de gestis Pelagianorum.

Hieron. epist. 79.

II. In his itaque angustiis, hinc Pelagii a Synodo absoluti, inde erroris redivivi, quem nec a se ejuratum Pelagius jactabat, inducta nova gratiæ Dei interpretatione, Eros & Lazarus accusatores instaurandum esse judicium arbitrati sunt. Porro cum juxta canones Antiochenos major Synodus minorem discutere debeat, certum est, Pelagii causam vel apud Orientis universi Exarchum, Antiochenum episcopum, agendam fuisse, vel sane apud Romanum Pontificem, cum causa communis esset & universalem ecclesiam contingeret. Hoc ergo consilium ceperunt, Hieronymo sine dubio auctore, ut per Orosium Presbyterum, in Africam redeuntem, episcopos Africanos literis monerent de iis, quæ Diospoli gesta erant & de gravi illo discrimine, in quo vera fides versabatur ob Pelagii absolutionem præpropere & præpostere factam. Non se contulere Carthaginem, tum quia eorum præsentia necessaria non erat, cum rei absentes essent, tum quia ex ægritudine nondum erant restituti. Quo alludit Zosimus, cum illis exprobrat iratus, quod otiosi & delicati in lectulis suis resedissent, ut patebit ex loco inferius proferendo. Adeundorum Africanorum hic color fuit, quod de hac causa ante quinquennium adversus Cælestium ea decrevissent, quæ absolutione Pelagii subverti videbantur. Veritatis ergo Christianæ tuendæ suique decreti propugnandi causa in hæresim istam Carthagine Synodus provinciæ proconsularis, coacta sub Aurelio anno CCCCXVI. inquisivit, & statim ejus exemplo Synodus quoque Numidiæ Milevi habita, cui interfuit Augustinus. Utraque Synodus, discusso negotio, relationem misit ad Innocentium Papam, ut ipse sua auctoritate firmaret, quod episcopi censuissent de damnando Pelagio & Cælestio eorumque hæresi.

III. Sane Synodica epistola Concilii Carthaginensis literarum ab Erote & Lazaro missarum per Orosium meminit & judicii Diospolitani; cujus tamen acta nondum ad Africam pervenerant. Non tacent damnationis, ante quinquennium adversus Cælestium, hujus erroris complicem a Carthaginensi Concilio latæ, decretum. Moxque subjungunt: *Quo recitato, quamvis judicatio manifesta constaret, quia illo tempore episcopali judicio excisum hoc tantum vulnus ab ecclesia videretur, nihilominus tamen id deliberatione communi censuimus, hujusmodi persuasionis auctores*, Pelagium & Cælestium, *quamvis & ad presbyterium idem Cælestius postea pervenisse dicatur*, (in Asia scilicet, ut docet Synodica Concilii Milevitani) *nisi hæc apertissime anathematizaverint, ipsos anathematizari oportere; ut si ipsorum non potuerit, saltem eorum, qui decepti sunt ab eis, vel decipi possunt, cognita sententia, quæ in eos lata est, sanitas procuretur*. Ceterum hic admonendus est lector, cognitionem quidem adversus Pelagium & Cælestium ab hac Synodo institutam jurisdictione ordinaria, quæ illos eorumque errores damnandos censuit, non autem illa auctoritate privata, qua magistri placita philosophorum vel sectariorum expungere solent. Episcopi enim, quod censent in Synodo, ut judices controversiæ propositæ constituunt.

IV. Non dissimulanda est, quæ in contrarium promi potest objectio, episcopis Africanis nihil competivisse juris in Pelagium, nec retractandæ ejus absolutionis, quam impetraverat a Synodo Diospolitana, in quam Concilium Carthaginense nullam poterat exercere jurisdictionem. Hoc quidem ultimum certum est, cum illa jurisdictio soli Antiochenæ vel apostolicæ sedi competeret. Attamen cum de Cælestio judicium olim suscepisset Carthaginensis Synodus, poterat in correum ejusdem criminis Pelagium, ne continentia causæ divideretur, inquirere & constituere, quid agendum videretur; præcipue cum de fide mota esset quæstio, quæ omnes tangit, & cujus conservandæ sollicitudo omnibus episcopis imposita est. Sed observandum est temperamentum, quod prudenter & necessario adhibent in dijudicando negotio. Judicant, sed non pronuntiant. Referunt ad Papam Innocentium, ut ipse summo jure decernat. Prorsus eo modo se gesserunt, quo solebant Præsides provinciarum agere erga Principem, ad quem graviores & difficiliores causas referebant, sententia sua ad eum cum litis actis transmissa, antequam litigatoribus pronuntiaretur, ut Princeps aut decerneret ipse, aut quid decernendum a Præside, rescriberet. Extant tituli de relationibus & consultationibus in corpore juris & earum usus apud Plinium; quæ duplex illud nomen sortitæ, quia referebatur ad Principem, & ipse consulebatur. Relationum quoque Synodicarum Orientis & Occidentis ad Romanam sedem exempla supersunt; de quibus nos egimus libro primo de concordia sacerdotii & imperii cap. X.

V. Quare expendenda sunt Synodi Carthaginensis verba. *Censuimus*, inquiunt, *anathematizari oportere*. Definiunt, quid agendum videatur, sed non pronuntiant. Id summæ sedi reservant, cujus auctoritas per universam ecclesiam expansa porrigitur. Quod docent verba sequentia: *Hoc itaque gestum, Domine frater, sanctæ caritati tuæ intimandum duximus, ut statutis nostræ mediocritatis etiam apostolicæ sedis adhibeatur auctoritas, pro tuenda salute multorum & quorundam etiam perversitate corrigenda*. Eodem tendit Synodica Concilii Milevitani, quæ episcoporum culpæ imputandum fore ait, si quæ sunt suggerenda sedi apostolicæ, pro ecclesiæ commodo tacuerint. Quapropter de nova hæresi ad Innocentium rescribunt, ut ipse pastoralem diligentiam magnis periculis adhibeat. *Quia te Dominus gratiæ suæ præcipuo munere in sede apostolica collocavit, talemque nostris temporibus præstitit, ut nobis potius ad culpam negligentiæ valeat, si apud tuam venerationem, quæ pro ecclesia sunt suggerenda, tacuerimus, quam ea tu possis vel fastidiose vel negligenter accipere, magnis periculis infirmorum membrorum pastoralem diligentiam, quæsumus, adhibere digneris. Nova quippe hæresis & nimium perniciosa tentat assurgere inimicorum gratiæ Dei*, adversus quam deinde copiose disputant.

CAPUT XV.

Quid egerit Innocentius I. post acceptas Afrorum literas.

I. Horum Conciliorum mentem Innocentius intellexit, qui rescripto suo ad Synodum Carthaginensem eos episcopos laudat, quod antiquæ traditionis exempla sectantes, ad sedis apostolicæ judicium controversiam istam retulissent. Proferenda sunt verba, quæ aliqua indigent interpretatione: *Inquirendo de his rebus, quas omni cum sollicitudine decet a sacerdotibus, maxime a vero justoque & catholico tractari Concilio, antiquæ traditionis exempla sectantes, & ecclesiasticæ memores disciplinæ, vestræ religionis vigorem non minus nunc in consulendo, quam antea cum pronuntiaretis; veneratione firmatis, qui ad nostrum referendum approbastis esse judicium, scientes, quid apostolicæ sedi (cum omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus Apostolum) debeatur, a quo ipse episcopatus & tota auctoritas nominis hujus emersit*.

Ex duplici capite eos laudat, tum quod olim in hac causa pronuntiassent, nempe adversus Cæleſtium, tum quod nunc venerationem debitam ſedi apoſtolicæ confervent, eam conſulendo, & omnia ad ejus referendo judicium. Quam quidem venerationem etiam cum adverſus Cæleſtium pronuntiarent, cuſtodiſſe teſtatur Innocentius. Quod ſignificat, eadem ſententia conſtitutum, ut geſta ad ſedem apoſtolicam mitterentur pro more, in cauſa communi totius eccleſiæ obſervari ſolito, quem a Dioſpolitanis judicibus omiſſum miratur Innocentius, ut ſtatim patebit. Referendo autem ad ſedem apoſtolicam, *patrum inſtituta*, cuſtodiſſe illos, aſſerit, *quæ illi non humana, ſed divina decrevere ſententia, ut quidquid quamvis de disjunctis remotiſque provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, niſi ad hujus ſedis notitiam perveniret, ut tota hujus auctoritate, juſta quæ fuerit pronuntiatio firmaretur, indeque ſumerent ceteræ eccleſiæ, quid præcipere* & quid vitare deberent.

II. Ut autem manifeſtius ſit, diſcuſſam fuiſſe ab epiſcopis quæſtionem, hæreſim quoque damnatam, ſed nondum promulgatam ſententiam, quæ decreto ſedis apoſtolicæ procul dubio egebat, ut omnes teneret, addit: *Gratulor igitur, fratres cariſſimi, quod per fratrem & coepiſcopum noſtrum Julium literas ad nos deſtinaſtis; & cum pro illis curam geritis, quibus præſidetis, eccleſiis, ſollicitudinem veſtram pro omnium utilitate monſtratis, & per cunctas totius orbis eccleſias, quod omnibus proſit, decernendum eſſe, una depoſcitis; ut ſuis conſtabilita regulis eccleſia, & hoc, quod illos caveat, pronuntiationis juſtæ firmata decretalibus patere non poſſit, qui perverſis inſtructi, imo deſtructi, verborum argutiis, ſub imagine catholicæ fidei diſputantes, totam veri dogmatis quærunt evertere diſciplinam.* Qui locus integer deſcribendus fuit, ut oſtenderetur, Africanos rem diſcuſſiſse, &, quid decernendum eſſet, ab Innocentio popoſciſse, ut univerſa eccleſia generali conſtituto ſtabiliretur. Interim corrigenda ſunt verba, quæ in omnibus exemplaribus perverſe leguntur, & ſic reponendum: *Ut ſuis conſtabilita regulis eccleſia & habeat, quo illos caveat, & pronuntiationis juſte firmata decretalibus, patere non poſſit iis, qui &c.* Ceterum quemadmodum decreta Principis dicebantur, quæ cognitione habita controverſiam dirimebant, ſic quoque Romani Pontifices ſua reſcripta, quibus aliquid in perpetuum & generaliter conſtituebatur, decretalia vocavere. Unde Siricius in epiſtola ad Himerium ait, miſſa ad provincias a Liberio prædeceſſore ſuo generalia decreta. Et idem Innocentius decretalia conſtituta appellat.

III. Ut autem Innocentii religio manifeſtius inſtrueretur, Aurelius, Alypius, Auguſtinus, Evodius, & Poſſidius epiſcopi epiſtola familiari eum monuerunt, Pelagii cauſam a pluribus in urbe foveri, Dioſpolitanam Synodum ab eo deluſam ambigua gratiæ ſignificatione. Tum Pelagii librum miſerunt, a Jacobo & Timaſio adoleſcentibus, illius quondam diſcipulis, ſubminiſtratum, in quo gratiam conditionis agnoſcit, non gratiam Chriſti; cui reſponderat Auguſtinus altero libro, nempe *De natura & gratia*, quem Innocentio ſimul tranſmiſere. *Signa fecimus his locis*, inquiunt, *ubi petimus, inſpicere non graveris, quemadmodum ſibi objecta quæſtione, quod gratiam Dei negaret, ita reſpondit, ut eam non diceret, niſi naturam, in qua nos condidit Deus.* Inſtructo probationibus negotio, adjiciunt quoque conſilium ſuum, ut aut Pelagium evocet Romam, aut cum eo literis agat, ut reſpondeat, quam intelligat gratiam.

IV. Innocentius tam atroci, quæ Chriſti gratiæ fiebat, injuria commotus, poſt longam diſputationem duo quædam conſtituit reſcriptis ſuis ad utramque Synodum datis. Ac primo quidem nefarium dogma Pelagii condemnat, ut regulæ fidei contrarium. *Quiſquis ergo huic aſſentiens videtur eſſe ſententiæ, quo dicat, adjutorio nobis non opus eſſe divino, inimicum ſe catholicæ fidei & Dei beneficiis profitetur indignum*, inquit in epiſtola ad Synodum Carthaginenſem. Deinde auctores hæreſeos a communione ſeparat, donec reſipiſcant, quos nominatim appellat in reſcripto ad Concilium Milevitanum. *Quare Pelagium Cœleſtiumque, id eſt, inventores vocum novarum, quæ, ſicut dicit Apoſtolus, ædificationis nihilum, ſed magis vaniſſimas conſueverunt parere quæſtiones, eccleſiaſtica communione privari apoſtolici vigoris auctoritate cenſemus, donec reſipiſcant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ſecundum ipſius voluntatem, eoſque interim dominico ovili non recipi, quoad ipſi perverſæ viæ, quam ſecuti ſunt, tramitem deſerere voluerint.*

V. Porro epiſtolæ quoque epiſcoporum quinque reſpondit, neſcire ſe, an in urbe ſint, qui Pelagii doctrinæ faveant, ſaltem latere, nec ſimilia jactare. Quod attinet ad purgationem Pelagii in Oriente actam, habere ſe quidem ait geſta epiſcopalia, a laicis hominibus ad ſe perlata, ſed dubitare, an vera ſint, *quod ſub nulla illius Concilii proſecutione venerunt, nec eorum aliquas accepimus de hac re literas, apud quos iſtius rei iſte præſtitit cauſas. Quod ſi de ſua illa potuiſſet purgatione confidere, hoc magis credimus, quod egiſſet, quod multo verius eſſe poterat, ut illos cogeret epiſtolis ſuis, quid judicaverant indicare.* Nullam actorum Synodi Dioſpolitanæ rationem habet, quoniam epiſcoporum relatione (ut debuit, cum de cauſa communi ageretur) de iis certior factus non eſſet. Præterea vero hanc adjungit cauſam, nempe quod ex regeſtorum lectione pateat judicibus, ſubreptum fuiſſe per cavillatorias Pelagii reſponſiones, atque adeo *aliqua magis falſis argumentis*, inquit, *quam vera ratione, ut ad tempus videri poterat, purgavit, alia negando, alia falſa interpretatione vertendo.* Quare recte concludit, ne judicum gravitatem lædat, nec ſuæ auctoritati detrahat, totumque damnationis pondus refundat in reum: *Unde non poſſumus illorum nec approbare, nec culpare judicium*, (quod alioqui in ejus poteſtate ſitum erat, qua ſtatim utitur) *cum neſciamus, utrum vera ſint geſta, aut ſi vera ſunt, illum conſtet magis ſubterfugiſſe, quam ſe tota veritate purgaſſe.* Illum itaque non habet pro abſoluto & purgato ab accuſatione, quam epiſcopi Gallicani inſtituerant, etſi a Synodo Dioſpolitana abſolutus fuiſſet.

VI. Noluit autem Innocentius Pelagium evocare Romam, aut cum eo per literas agere, ut monebant quinque epiſcopi, ſed ſuo ipſius libro convictum communione privavit. Nefas putabit aliquis & alienum a judiciorum ordine, inauditum hominem damnare. Sed ſi quis expendat veterem uſum, inveniet ſceleris alicujus, homicidii puta, per teſtes convictum, ſtatim communione abſtentum, nulla admonitione prævia, qua vocaretur ad ſe purgandum; ut cenſura illa coactus ad epiſcopum accederet, aut innocentiam ſuam probaturus, aut confeſſione crimen agnoſcens, beneficium pœnitentiæ petiturus. Quod tanto accuratius obſervandum erat in hæreſeos crimine, quanto diligentius eſt huic morbo occurrendum. Recte itaque & juxta vetuſtum illum morem ſubjungit Innocentius de Pelagio loquens: *Qui ſi confidit, novitque, non noſtra dignum damnatione, quod dicat, jam hoc ſe totum refutaſſe, quod dixerat, non a nobis accerſiri; ſed ipſe debet potius feſtinare, ut poſſit abſolvi*, ſcilicet ab excommunicatione, qua nunc illum Innocentius percellit, non ab aliqua interiore, quam Baronius comminiſcitur.

VIII. Ex iis, quæ retuli, patet, primam, quæ Pelagio inflicta eſt, damnationem ab apoſtolica ſede proceſſiſſe. Addo etiam, ab eadem ſede primum Pelagii atque Cæleſtii illius diſcipuli dogma proſcriptum, tanquam fidei catholicæ contrarium, gene-

generali decreto. Sane Carthaginensis Synodus anno CCCCXII. repulit Cælestium a presbyterio & ab ecclesiæ communione, quod errores illos spargeret. Sed hæc erat privata in eum hominem censura, quam ille appellatione ad Romanam sedem se elusisse putabat; ipsique adeo Africani ad eam referendum tunc quoque censuerant; a qua proinde totius rei definitio expectabatur. Itaque Prosper non immerito Romanæ sedi primam Pelagianæ hæreseos damnationem tribuit his versibus in carmine Dei ingratis.

Pestem subeuntem prima recidit
Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris
Facta caput mundo, quicquid non possidet armis
Religione tenet. Non segnior inde Orientis
Rectorum cura emicuit.

Hic agitur de damnatione, ab Innocentio edita, & de nulla alia; ne quis cum Baronio referat ad sententiam Siricii adversus Jovinianum; qui licet Pelagio præivisse videri posset, teste Hieronymo, hic tamen de ipsa Pelagiana hæresi loquitur Prosper, & de judicio Innocentii, quod postea Zosimus secutus est. Unde ad Innocentii, non autem ad Zosimi decretum hæc verba referre oportet, ut putabat M. Antonius Capellus. Ceterum Innocentius *Pelagianam hæresim primus condemnavit;* ut loquitur Facundus Hermianensis, & rei gestæ series ostendit.

VIII. Enimvero non leve viris eruditis negotium facessit, quod subjungit Prosper, Palæstinorum episcoporum in Oriente judicio, id est, Synodi Diospolitanæ, dogma quoque Pelagianum condemnatum, quod cum actum fuerit anno CCCCXV. & rescripta Innocentii ad Synodos Africanas promulgata sint anno CCCCXVII. primi videntur episcopi illi hac de re decrevisse. Sed facilis est responsio. Pelagium illi non condemnarunt, absolverunt per ignorantiam facti; & quamvis gratiam Christi probarent, seque illius vindices gererent, non damnavere ignotos sibi per Pelagii versutiam errores. Eorum itaque cura profuit ecclesiæ ad asserendam gratiam, sed nullo eorum decreto hæresis ignota proscribi diserte potuit.

IX. Gravior est, quæ procedit ex unico apud Prosperum verbo, difficultas, a qua se eruditissimus Petavius expedire non potuit. Videtur enim significare, post damnatam Pelagii hæresim, in Oriente Palæstinos episcopos judicasse, *Inde Orientis rectorum cura emicuit*, cum certum sit, judicium Diospolitanum antecessisse duobus annis Romani Pontificis decretum. *Inde* hoc in versu non tempus, ut putant, sed locum significat. Scribebat Prosper in Occidente, & habita ratione climatum ait, *Inde Orientis rectorum cura emicuit*; ac si diceret: *Hinc* in Occidente pestis adversus gratiam recisa est, & *Inde* in Oriente jus quoque rei curam gesserunt episcopi Palæstini.

CAPUT XVI.

Quid post Innocentium Papam egerit in eadem causa Zosimus, illius successor.

I. Damnatio ab Innocentio irrogata Pelagium atque Cælestium commovit adeo, ut ambo sedi apostolicæ facti sui rationem dare fategerint, Pelagius quidem scriptis ad Innocentium ex Palæstina literis, quæ successori ejus Zosimo traditæ sunt. Cælestius vero Romam adiit, Zosimoque se purgare voluit, libello de fide sua edito: cujus verba cum veram fidem de gratia redolerent, non tam de dogmate quærendum videbatur, quam de Cælestii absolutione, qui præpropera & præfestinata cognitione ab Africanis Innocentio subrepentibus fervore fidei oppressus existimabatur a Zosimo, ut ipse testatur in epistola ad Africanos data. Non esse locum conjecturæ ait, an bene sentiret Cælestius, cum ejus verba manifesta extarent inserta gestis, habitis in basilica sancti Clementis, ubi cognitio ea de re instituta est a Zosimo. Addit ab ipsis Africanis episcopis in hac causa, quando præsens Cælestius Carthagine auditus est, nihil liquido judicatum. Quod autem attinet ad literas Erotis & Lazari, eas fidem non facere, quod absentibus adversus absentem fides adhiberi non debeat, tum etiam, quod vix Cælestio cogniti, nullum de talibus contentionibus cum eo sermonem habuissent. Deinde quod eorum testimonium admitti non debeat, qui ordinationibus inordinatis, clero & plebe contradicente, *cum alienigenæ intra Gallias sacerdotia vendicassent*, illis pulsi fuissent, & gradu atque communione a Zosimo summoti. Quare videri retorquendum in melius judicium. Attamen ne præcox & immaturum procederet, constituit ad Africanos gesta cum literis suis transmittere; præcipitque *intra secundum mensem aut venire, qui præsentem redarguant aliter sentire quam libellis & confessione contexuit, aut nihil, post hæc tam aperta & manifesta, quæ protulit, dubii sanctitas vestra resedisse cognoscat.*

II. Statim post datam priorem illam epistolam lectæ sunt Pelagii literæ coram Zosimo, quas ad decessorem illius Innocentium scripserat; quæ Praylii episcopi Hierosolymitani, qui Joannis successor erat, adstipulatione nitebantur. Illis fidem absolutam de gratia sine fuco profiteri visus est, adeo, ut miraretur Pontifex, talem virum infamari potuisse. Qua de re gravius cum Africanis secunda epistola expostulat, & acrius in accusatores Erotem & Lazarum invehitur, velut in procellæ istius auctores & sacerdotiis suis multatos, quibus propterea fides adhiberi non debeat. Neque porro credendum adolescentibus Timasio & Jacobo, qui scripta quædam velut Pelagii prodiderant. Præsto esse reos sedi apostolicæ, abesse accusatores illos, imo vero nec præsentes fuisse, quando judicium prius latum est. Nihil agi, nisi præsens reus præsentibus accusatoribus arguatur, mature agitanda esse judicia, quam in rem multa congerit. Tandem exemplaria scriptæ professionis, quam Pelagius miserat, ad Africanos transmittit, ut de absoluta ejus fide gaudium capiant.

III. Ubi observanda sunt duo. Zosimus binis istis literis, nullam & invalidam fuisse relationem Concilii Carthaginensis, ostendit, quia nimis præpropere facta, reis nec præsentibus nec per scripta saltem auditis, absentibus accusatoribus, contra judiciorum ordinem; præcipue cum adversus personam accusatorum, scilicet Erotem & Lazarum, excipi posset, eos non esse admittendos, ob crimina perpetrata & gradus communionisque jacturam; nec credendum duobus adolescentibus Jacobo & Timasio, qua relatione subversa, sequebatur, Innocentii damnationem, quæ illi innixa erat, esse nullam; licet de illa in Zosimi literis altum silentium. Quamvis nec cognitionis, quoque ab Innocentio factæ, vitium omnino dissimulet, quod constituit præcipue in accusatorum absentia. Quo tendunt hæc verba: *Grave fuit Lazaro & Eroti, literarum suarum pedissequos esse*, scilicet accedendo Romam aut Carthaginem. *An nesciebant, dilectionem vestram ad sedem apostolicam relaturam? Huc certo calumniæ compendio navigassent. Ubi de episcopatu abdicando agitur*, id est, de submovendis Erote & Lazaro, *maria terraque lustrantur, nec ulla suffragia prætermittunt. Ubi vero innocentium fama percellitur, otiosi & delicati sive accusatores sive testes (in utroque enim fallentibus nomen infame est) in cubilibus & lectulis suis literis abutuntur, & totam Africam universumque tranquillum catholicæ serenitatis innubilant ad libidines suas duæ pestes.* Non erat tamen, quod tam graviter excandesceret Zosimus ob sententiæ invaliditatem. Duplex enim erat excommunicationis genus; alterum, quod post interrogationem reo, legitime convicto aut etiam confesso, infli-

gebatur, quo uſus tandem ipſe Zoſimus, ut mox dicam, adverſus Pelagium & Cæleſtium; alterum, quo reus probationibus preſſus, communione ſummovebatur, donec innocentiam ſuam purgaret. Quo ſecundo genere uſus eſt Innocentius adverſus eoſdem novatores. Quæ diſtinctio controverſiam iſtam componit.

IV. Ceterum quod obſervandum ſecundo dixeram, poſitum eſt in expendenda Zoſimi de Pelagio & Cæleſtio opinione, quos ille ſanæ fidei & *abſolutæ*, ut loquitur, eſſe putabat & injurioſe vexatos, cum diſertis verbis gratiæ adjutorium profiterentur, nondum deprehenſa verſipellium hominum aſtutia & nova gratiæ interpretatione, & adderent libellis ſuis, *ſi minus perite aut parum caute aliquid forte poſitum eſſet, emendari cupere* a Zoſimo, *qui Petri fidem & ſedem teneret*, quæ eſt ultima clauſula profeſſionis Pelagii.

V. Acceptis Pontificis literis, Africani Concilio CCXIV. epiſcoporum, apud Carthaginem coacto, liberius conqueſti ſunt, quod eos homines tueretur, qui ſemel damnati non poterant judicium reſtituere, niſi diſertiſſime errores, a ſe olim profeſſos, configerent. Implexas demum iſtius ſcenæ ſtrophas aperiunt, & petitionibus Cæleſtii atque Pelagii ad ſe miſſis reſpondent; ut patet ex epiſtola ſequente Zoſimi. Ex hac epiſtola, qua caremus, deſumpta ſunt verba, quæ Proſper citat adverſus collatorem: *Erraverunt ducenti quatuordecim ſacerdotes, qui in epiſtola, quam ſuis conſtitutionibus prætulerunt, ita apoſtolicæ ſedis antiſtitem beatum Zoſimum ſunt allocuti: Conſtituimus in Pelagium atque Cæleſtium, per venerabilem Innocentium de beatiſſimi Petri ſede prolatam manere ſententiam, donec apertiſſima confeſſione fateantur, gratiam Dei per Jeſum Chriſtum, non ſolum ad cognoſcendam, verum etiam ad faciendam juſtitiam, nos per actus ſingulos adjuvare, ita ut ſine illa nihil veræ ſanctæque pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus*. Sane Zoſimus tantiſper quoque accenſus eſt, ac ſi de apoſtolicæ ſedis privilegio, quo ex divina promiſſione & canonica auctoritate potiri ſe ait, ut de illius ſententia nullus retractare poſſit, aliquo modo detraherent. Et tandem docet epiſtola ſua, ad Aurelium & ceteros, qui in Concilio Carthaginenſi adfuerant, data, ſe nihil immutaſſe, ſed in eodem ſtatu reliquiſſe cuncta, donec Africanorum literis in commune conſuluiſſet: quia, ut ait ille, *nunquam temere, quæ ſunt diu tractanda, finiuntur, nec ſine magna deliberatione ſtatuendum eſt, quod ſummo debet diſceptari judicio*.

VI. Ac certum quidem eſt ex Auguſtino, lib. II, de peccato orig. cap. VII. Cæleſtium, licet falſis ſuggeſtionibus Pontifici obrepentem, nunquam excommunicatione ſolutum fuiſſe. Zoſimus quippe conſulere cum Africanis voluit; non quaſi neſciret, quid fieri deberet; *ſed pariter vobiſcum voluimus*, inquit, *habere tractatum de illo, qui apud vos, ſicut ipſi per literas dicitis, fuerit accuſatus; & ad noſtram, qui ſe aſſereret innocentem, non refugiens judicium, ex appellatione priſtina venerit ſedem, accuſatores ſuos ultro depoſcens, & quæ in ſe crimina per rumorem falſa dicebat eſſe illata, condemnans*.

VII. Africanorum literis, quibus adjunctus erat libellus Paulini Diaconi, adverſus Cæleſtium olim oblatus, pleniſſime inſtructus Pontifex, fraudem & impoſturam Pelagii atque Cæleſtii detexit. Quod probat inſignis Facundi Hermianenſis locus: *Invenient poſtremo beatum quoque Zoſimum apoſtolicæ ſedis antiſtitem contra ſancti Innocentii deceſſoris ſui ſententiam, qui primus Pelagianam hæreſim condemnavit, fidem ipſius Pelagii ejuſque complicis Cæleſtii, quem in eccleſia Carthaginenſi convictum atque appellantem apoſtolicam ſedem & ipſe geſtis diſcuſſerat, tanquam veram & catholicam laudantem, inſuper etiam Africanos culpantem epiſcopos, quod ab illis heretici crederentur, cum necdum ipſi Africanis epiſcopis, dolos eorum multo manifeſtius detegentibus, memoratos Pelagium & Cæleſtium putaret orthodoxos. Et tamen nec Athanaſium, nec Damaſum, nec illos Palæſtinos epiſcopos & Zoſimum hæreticos credit eccleſia, quia de hæreticis bene ſenſerant, ſed potius pro merito ſuæ fidei catholicos judicat & honorat; quoniam non debet crimini deputari ſimplicium non intellecta verſutia malignorum.*

Facund. lib. 7. c. 3.

VIII. Quare Zoſimus, propalata ſibi hæreticorum fraude, accerſitum Cæleſtium, cum ſe ſubtraheret examini, nolletque reſpondere Paulini libello, atque Pelagium, ejuſdem criminis reum, decreto ſuo damnavit, teſte Auguſtino libro II. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. III. & IV. Id factum intervallo ipſo, quod eſt inter diem XXI. Martii anni CCCCXVIII. (qua data eſt epiſtola Zoſimi ad Africano,) & diem XXIX. Aprilis, qua eadem epiſtola accepta eſt. Quod conſtat ex edicto Honorii, adverſus ambos lato pridie Kalendas Majas. Neque enim proſcripti eſſent principis decreto, pendente cognitione de eorum fide apud Pontificem, ſed poſt ſententiam, adverſus eos a Zoſimo decretam, cum in his rerum articulis leges principum non antecedant judicia eccleſiaſtica, ſed ſubſequantur, eaque muniant auctoritate publica, & pœnis legum reos coerceant.

IX. Interim Carthagine coactum eſt aliud plenarium Concilium ducentorum decem & ſeptem epiſcoporum ipſis Kalendis Majis, quod Zoſimi literas, quas acceperant tertio Kalendas Majas, perpendens, cum in ſuſpenſo videret Cæleſtii cauſam privatam, ne publica & communis, quæ univerſam eccleſiam contingebat, quia nondum ſatis explicata fuerat, adverſariorum cavillationibus in diſcrimen adduci poſſet, conſtituit octo canones, quibus fidem veram explicat & hæreſim robuſte conficit. His conſtitutionibus, a ſe nunc editis, Africanis prætulerant epiſtolam Concilii præcedentis, ut loquitur Proſper, id eſt, ante aliquod tempus miſerant Romam; nunc autem Synodalia decreta ſeu canones octo, a ſe editos in hoc Concilio CCXVII. epiſcoporum ad Zoſimum dirigunt, quos ille anno eodem CCCCXVIII. edicto generali probavit; ſicque per univerſum orbem Chriſtianum hæreſis Pelagiana damnata eſt. Hæc ſunt ad eam rem probandam verba Proſperi in chronico anno CCCCXVIII. *Concilio apud Carthaginem habito ducentorum decem & ſeptem epiſcoporum, ad Pontificem Zoſimum Synodalia decreta perlata ſunt; quibus probatis, per totum mundum hæreſis Pelagiana damnata eſt.*

X. Hunc ergo ordinem ſecutus eſt Zoſimus in cognitione iſta. Libello Cæleſtii literiſque Pelagii receptis, monuit Africanos per binas literas, datas menſe Octobris anni CCCCXVII. ut mitterent aliquos intra ſecundum menſem, qui reos iſtos peragerent. Anni ſequentis exordio Concilium Carthagine cogitur CCXIV. epiſcoporum, quod ampliſſima epiſtola, ad Zoſimum ſcripta, fraudes hæreticorum detegit. Eam ſe recepiſſe teſtatur Zoſimus epiſtola, quam dedit XXI. Martii anni CCCCXVIII. ad Aurelium & ad ceteros, qui affuerunt Concilio Carthaginenſi. Unde patet, prius Concilium ſolutum fuiſſe. Poſtea detectis Pelagii & Cæleſtii dolis, eos damnat tanquam de crimine ſibi impoſito convictos, & proſcribi curat ab Honorio pridie Kalendas Majas.

XI. Celebratur aliud Carthagine Concilium plenarium CCXVII. epiſcoporum Kalendis Majis; quod antequam reſcire potuiſſet Pelagii damnationem, octo capita conſtituit, quæ ſanciendæ & ſtabiliendæ fidei cauſa mittit ad Zoſimum. Ille vero, ut reos damnaverat, ita cauſam ipſam & hæreſim edicto generali configit epiſtola generali, ad univerſos epiſcopos data; quæ quidem non extat, ſed laudatur a Cæleſtino Papa in epiſtola ad Gallos cap. VIII. diciturque *Papæ Zoſimi regularis auctoritas ad totius orbis epiſcopos*; eamque mox

laudat

laudat cap. IX. qua probati sunt canones hujus Synodi Carthaginensis, ut patet ex eadem Cælestini epistola cap. III. *Africanorum sententias suas fecerunt apostolici antistites, cum probarent.*

XII. Hujus decreti, a Zosimo editi, tempus incidit in annum CCCCXVIII. (ut patet ex chronico Prosperi) post habitum Carthaginense Concilium. Quare non assentimur eruditissimo viro Petavio, qui decretum illud Zosimi ad Africanos prius delatum putat, eoque accepto, episcopos illos in Concilio Carthaginensi Kalendis Maijs ejusdem anni CCCCXVIII. Pelagianam hæresim octo canonibus editis anathemati subjecisse. Decretum generale Zosimi adversus Pelagianam hæresim editum est post receptos Synodi Carthaginensis canones, ut diserte docet Prosper in chronico. Sententia vero, lata adversus nomen Pelagii & Cælestii, antecedit Kalendas Majas anni CCCCXVIII. ut dixi. Hallucinatio itaque versatur in eo, quod duo ista decreta, generale & privatum, inter se miscentur a viris doctissimis, quæ distingui oportet. Ceterum licet canones Synodi Carthaginensis editi sint ante Zosimi decretum in re aperta, de qua Romanæ ecclesiæ eadem erat cum Africana sententia, & in qua definienda isthæc Innocentium sequi se profitebatur auctorem, attamen eorum capitum relatio ex more facta est ad Zosimum; ut apostolicæ sedis auctoritate accedente, quod erat limitibus Africæ circumscriptum, universæ ecclesiæ per Occidentem & Orientem regula fieret ecclesiasticæ fidei. Huic Pontifici ea de re Afri episcopi gratias egerunt literis suis, quas ad eundem Zosimum scripserunt, ut patet ex Cælestino in epistola ad Gallos cap. VIII. Laudato enim ex Zosimi epistola regulari testimonio, addit: *Hunc autem sermonem, sincerissimæ veritatis luce radiantem, tanto Afri episcopi honore venerati sunt, ut ita ad eundem virum scriberent: Illud vero, quod in literis, quas in universas provincias curasti esse mittendas, posuisti dicens &c.*

XIII. Quare, ut initio hujus dissertationis excitata difficultas solvatur, certum est, primam, quæ peremptoria fuit, & generalem hæresis Pelagianæ damnationem ab Innocentio profectam, quam deinde Zosimus decreto suo generali, ad totius orbis episcopos dato, confirmavit. Uterque vero Pontificum relationibus Carthaginensium Conciliorum usus, auctoritate Romanæ sedis negotium omne constituit.

INTERPRETATIO CAPITIS, CLERICUS III. QUÆST. IV.

I. QUærunt anxie viri eruditi, quid significare velit Stephanus, a Gratiano relatus cap. *Clericus* 3. *quæst.* 4. cum statuit, clericum, qui episcopo suo insidiatus fuerit, a gradu removeri debere, & curiæ tradi servitutum. Quidam corpus curialium intelligunt, cui clericus vilia ministeria obiturus addicatur. Quidam vero forum & curiam secularium judicum, quorum sententia debitam pœnam suscipiat; quemadmodum in eadem specie clerici, suo episcopo insidias molientis, decrevit Pius Papa apud Gratianum cap. *Si quis sacerdotum* 11. q. 1. Posteriores Pontifices, horum decretorum verbis utentes, clericum tradi curiæ, sic interpretati sunt, ut de judicibus publicis & eorum curia, non autem de corpore curialium, intelligant. Sed non adimunt scrupulum, quem verba Stephani injiciunt, qui tradi curiæ serviturum decernit. Quæ servitia, ut collegio curialium competere possint, aliena tamen videntur a magistratibus publicis; quorum apparitio & obsequium non videtur pœnæ loco censeri posse, cum decus potius, quam vilitatem & infamiam ministrantibus addat.

II. Attamen fatendum est, veram esse, quam Pontifices secuti sunt, curiæ interpretationem: qui juris antiqui vestigia apud solos decretorum, ex Isidoriana collectione petitorum, consarcinatores cum legissent, iis verbis usi sunt, quæ a veteribus Romanæ sedis summis sacerdotibus profecta arbitrabantur; cum tamen earum epistolarum interploratori tribuenda sint, sive is Hispanus fuerit, sive Riculfus ipse Moguntinus, qui primus in Galliis hanc collectionem a se ex Hispaniis advectam temporibus Caroli Magni publicavit, teste Hincmaro. Illa vero paulatim in auctoritatem recepta in Capitularium libris, deinde a Nicolao I. vehementer asserta, in judiciis tandem usurpata est, & a Burchardo, Ivone, Anselmo, atque demum a Gratiano in suis collectionibus laudata.

III. Enimvero licet huic locutioni vetustatem octo seculis superiorem non demus, rem ipsam in veteris ecclesiæ disciplina receptam inveniemus. Quod ut apertius atque uberius explicari posset, de clericorum foro disputandum esset nobis juxta veterum canonum sensum. Sed materia isthæc cum alterius sit instituti, illud unum observandum relinquit, quod ad istius articuli dispunctionem omitti non potest.

IV. Clerici dupliciter inspici possunt, vel quatenus divinis ministeriis inserviunt, vel quatenus sunt reipublicæ cives. Sub priore illa inspectione, cum functio & ministerium illorum ex sola Christi Domini institutione pendeat, jure divino immunes sunt a magistratuum publicorum cognitione, qui rationem ab iis exigere non possunt neglecti vel male gesti ministerii ecclesiastici. Quatenus vero sunt cives, ex divi Pauli effato regum imperio & jurisdictioni publicorum judicum subditi sunt. *Omnis anima*, inquit Apostolus, *potestatibus sublimioribus subdita sit*. Qua peremptoria voce omnes homines complexus est, dempto nemine, sive sit apostolus, sive propheta, sive episcopus, clericus, aut monachus, ut adnotavit Chrysostomus in commentariis hujus loci.

V. Enimvero licet hæc ita se habeant summo jure, ex indulgentia principem deinde clerici consecuti sunt, ut immunes essent a magistratuum publicorum cognitione. Quæ quidem immunitas ecclesiæ concessa, & Synodorum Pontificumque decretis recepta, atque censuris roborata, in totum rescindi non potest contrariis Principum constitutionibus, quippe quæ jus quæsitum & tam longa consuetudine firmatum tollere non debeant, nec reipublicæ tranquillitatem, quæ his moribus fovetur, lædere, ut eleganter docet Covarruvias, qui clericorum immunitatem refert, non ad jus divinum, sed ad principum privilegia, quæ hodie immutari non possint.

VI. Ex duplici illa, quam posuimus, clericorum inspectione orta est antiqua illa, quam præfert canon septimus Synodi Constantinopolitanæ & Justiniani Novella, criminum a clericis amissorum distinctio, ut alia sint ecclesiastica, alia vero civilia; quorum discrimen explicat Theodorus Balsamo. Prioris generis erunt, non solum hæresis & schisma, quibus laici quoque implicari possunt, sed quæcunque peccata in regulas clero præscriptas; ut de subintroductis mulieribus, de ordinationibus perperam vel etiam ob pecunias celebratis, & de similibus causis.

VII. Crimina civilia, sive secularia, sunt illa, quæ legum publicarum animadversioni subjiciuntur, utpote quæ reipublicæ quietem & societatem violant. Ea sunt varii generis, delicta privata, & crimina publica. Quod discrimen secuti sunt Imperatores Romani, cum benignius in clericos agere cœperunt. Unde in Codice Theodosiano controversiæ, quæ ad religionem pertinent, in quibus sunt crimina ecclesiastica & minora clericorum delicta, scilicet e civilium numero, episcopis & cujusque diœceseos sive provinciæ Synodis discutienda relinquuntur. Minora inquam delicta,

Marca, Differt. Eccl. L 2 ser-

servata judiciis publicis atrocium criminum, quæ numero quinque, adversus clericos cognitione; ut docent leges aliquot editæ cura Sirmondi in Appendice Codicis Theodosiani.

VIII. Quæ quidem criminum exceptio de clericis secundi & inferioris gradus, id est, a presbyteris usque ad ultimum gradum intelligenda sunt. Nam sacerdotes primi gradus, id est, episcopi, a publicorum judiciorum cognitione immunes semper fuerunt apud Principes Christianos. Quibus prævivit vox illa Constantini in Nicæna Synodo, qua conquerentium ad invicem episcoporum libellos, sibi oblatos, ut de iis cognosceret, cum repulisset, adjunxit: *Vos dii estis. Conveniens non est, ut homo dijudicet deos.* Quod Ruffinus & alii magnificis verbis retulere. Sed ad reliquos clericos verba Constantini trahi non possunt. Hinc petitum Valentiniani senioris rescriptum, cujus meminit Ambrosius & epistola Synodica Concilii Romani pro Damaso, quo jussit, ut sacerdotes soli de sacerdotibus, id est, episcopi de episcopis, judicarent.

IX. Quæ prærogativa episcoporum ne quidem a Justiniano, qui Novella sua crimina ceterorum clericorum atrociora suis judicibus reliquit, ullo pacto imminuta est. Unde factum, ut nec in prima nec in secunda neque in tertia Regum nostrorum dynastia, si facinus adversus Leodegarium excipias, nec etiam vigente Gothorum in Hispaniis dominatu, reges in episcopos, etiam læsæ majestatis reos, lege animadvertere tentaverint ante Synodorum judicium, quibus hanc jurisdictionem non adimebant, ut docent annales & acta Conciliorum. Adeo ut hac quoque tempestate, in qua reliquorum e clero privilegia non adeo vigent, nihil sibi licere in episcopos, majestatis reos, pietas regis Christianissimi passa sit, impetrata nuper a summo Pontifice, juxta recentioris moris formam, delegatione aliquot episcoporum, qui judicio ecclesiastico de causa decernerent.

X. Ceterum olim, ut dixi, quinque crimina reservata erant animadversioni judicum publicorum adversus clericos. Unde factum, ut in Matisconensi Concilio tria crimina foro seculari reservata fuerint. Hincque sumpsit originem casuum privilegiatorum cognitio. Attamen antiqua illa criminum exceptio non impediebat, quin clerici, de moribus apud episcopos conventi, judicio ecclesiastico pro qualitate & conditione delicti puniri possent. Idque factum ex Pauli auctoritate, qui monet Timotheum, ut sub duorum aut trium testimonio, presbyterorum causas discutiat. Quare antiquis canonibus, ob crimina publica, canonica pœna clericis irrogatur. Sed censura ecclesiastica, cum admonitione aut suspensione ministerii sola vel ad summum depositione constaret, aut si atrocissimum esset flagitium, excommunicatione vel anathemate, & reipublicæ tranquillitas gravius animadverti exposceret, depositus sententia episcopi sui clericus ad judices publicos transmittebatur, pœna legitima plectendus, si de aliquo ex quinque illis criminibus impetitus esset; cum nulla ratio pati posset, ut depositus ob crimen canonicum, vel ob minus delictum civile, contra mentem legis nova pœna opprimeretur.

XI. Singulare usus istius habetur exemplum in actis Concilii Chalcedonensis actione X. in qua relecta sunt gesta Synodi Tyriæ, habitæ in causa Ibæ Edesseni episcopi. Samuel & alii presbyteri ecclesiæ Edessenæ libello accusabant episcopum suum, inter cetera capita hoc quoque objicientes, quod Abraamium diaconum, de maleficio magico accusatum, & de se præsente clero & episcopo confessum, omnium votis excommunicatione confossum, nulla dein prævia satisfactione episcopum ordinare destinasset, impeditus, ne perficeret, sola archidiaconi refragantis intercessione. Mox ista verba subjungunt, quæ trituram fori utriusque docent: *Et retinet chartam magicarum incantationum reverendus noster episcopus, qui debuit judicio provinciæ hunc, qui ita execrabilis est, offerre secundum consequentiam legum.* Eas intelligit leges principum, quæ sunt editæ in Appendice Codicis Theodosiani superius laudata.

XII. Si judicium inceptum esset apud episcopum, quia fortasse accusator erat e clero, qui ad judicia publica clericum evocare nulla in causa poterat juxta Concilii Carthaginensis & Chalcedonensis disertos canones, vel etiam laicus, qui adversus clericum crimen intendere poterat, suam suorumve injuriam persequens, tunc post latam sententiam, episcopis incumbebat ex officio, ut reum atrocioris criminis judicibus publicis offerrent. Quod diu perduravit, cum magna utriusque fori concordia, donec vetita est in universum, variis Pontificum decretis, judicibus secularibus adversus clericos judiciaria cognitio, cujusvis criminis prætextu. Tunc arbitrii sui fecerunt, ob quæ crimina clerici, judicio ecclesiastico depositi semel, ad graviorem pœnam infligendam ad judices seculares transmitterent. Hoc est, quod in decretis Pii & Stephani dicitur, curiæ tradi clericos convictos, scilicet ut puniantur; quemadmodum diserte observat Pius, *ut accipiat, quod inique gessit*. Cui sententiæ non est contrarium, quod ait Stephanus, ut clericus depositos, curiæ tradatur serviturus. Quippe non significat, ut ad vilia ministeria in curia obeunda damnetur. Nulla enim istius generis pœna ullibi occurrit. Retrahebantur quidem in curiam, etiam post presbyteratus ordinem, quicunque e curialibus, quo se muneribus & functionibus publicis seu personalibus seu realibus subtraherent, in clerum adsciscebantur, ut docet Innocentius primus in decretis, conditionem priorem & nexum curialium subituri. Sed ista non pertinent ad pœnam, ob crimen aliquod inflictam.

XIII. Dicendum ergo, ut hic nodus expediatur, traditum curiæ clericum, ut in illum a judicibus animadverteretur; eo tamen animo, ut capitis minutione maxima, id est, servitute tantum, non autem, ut capite plecteretur; scilicet, ut libertate adempta per judicis sententiam, servituti perpetuæ addiceretur. Solebant episcopi pro damnatis in judicio publico veniam petere a præsidibus provinciarum, quo pœna aut penitus remissa, aut in leviorem mutata, damnati locum haberent agendæ de facinoribus suis apud Deum pœnitentiæ: ita tamen, ut sicut episcopis libera erat deprecatio, judicibus quoque, si utilitas publica sic posceret, libera esset repulsa; quemadmodum docet Augustinus in epistola ad Marcellinum Comitem. Quare si solenne episcopis erat, pro quibuscunque damnatis intercedere, culpæ non mediocris rei fuissent, si depositis a se clericis suffragati non essent, quando eos ex ordine legum judicibus tradebant, mitiorem pœnam illis infligi postulantes.

XIV. Porro pœna servitutis ob crimen admissum inducta erat a Concilio Aurelianensi, & ejus exemplo a Conciliis Toletanis. Unde factum, ut auctor epistolæ Stephani ejus meminerit. Deportati & damnati in metalla amittunt quidem libertatem; sed servituti adjuncta est pœna deportationis, cujus fiunt servi. In specie autem Concilii Aurelianensis, raptor, si ad ecclesiam confugerit, restituitur; serviendi tamen conditioni obnoxius, facultate concessa sese pecunia redimendi, quæ sine dubio in læsi patris commodum cedebat.

XV. Ceterum sola clerici depositio, ob crimen exceptum inflicta, sufficiebat, ut locus esset judicio publico absque ulla canonicæ immunitatis injuria. Non inutiliter addidi inflictam depositionem ob crimen exceptum; quoniam ex alio quoque capite depositio irrogari potest, puta ob crimen ecclesiasticum. Quo casu nefas esset damnatum semel, de integro novis pœnis opprimere judicio seculari.

XVI.

XVI. Enimvero, ut manifestius hæc materia aperiatur, inspiciendum est, an ex sola depositione clerici damnati redeant ad forum seculare. In qua controversia confligunt ad invicem Joannes & Bernardus Decreti Glossatores. Sed divisione eam dirimendam puto; adeo, ut non sola pœna inspicienda sit, sed etiam illius causa: quæ si fuerit gravior, sive ob crimen civile, sive ob crimen ecclesiasticum, depositum non solum a gradu removebit, sed etiam a clero. Hujus pœnæ exemplum petetur, in crimine ecclesiastico, ex decreto Siricii relato apud Gratianum cap. *Quisquis*. Dist. 84. *Quisquis clericus*, inquit, *aut viduam, aut certe secundam conjugem duxerit, omni ecclesiasticæ dignitatis privilegio nudetur, laica sibi tantum communione concessa*. Quæ laica communio significat, clericum non solum e consessu cleri extra cancellos depulsum & redactum in locum & ordinem laicorum ad communicandum synaxi, sed deturbatum omnino a corpore cleri & ad laicam conditionem detrusum, ita ut seposito privilegio, quod antea illi competebat, nunc pertineat ad forum seculare in causa civili & criminali, in quo distinguitur hæc communio laica a peregrina; cum ista retineat clericum in ordine cleri, (etsi gradu consessus & sportulis ordinariis mulctatum, præter alimenta) laica vero eum ab illo ordine depellat. Si autem depositio inferatur ob negligentiam in obeundo ministerio ecclesiastico, ex ea causa depositus jurisdictioni ecclesiasticæ subditur, ita ut ob delicta sequentia Synodi judicio ad agendam pœnitentiam in monasterium detrudatur; ut definivit Concilium Cabilonense, relatum in cap. *Dictum*. Dist. 81.

XVII. Hujus disputationis occasio tollebatur definitionibus Synodorum subsequentium, quæ clericos ob crimen capitale damnatos & ad laicam communionem redactos in monasterium detrudi in perpetuum jubebant, agendæ pœnitentiæ severioris causa, ut in Conciliis Agathensi & Epaunensi. Quam formam secuta est Synodus Aurelianensis tertia can. VII. erga clericum adulterii convictum. Earum exemplo Toletana quarta can. XXVIII. simili detrusione plectit episcopum, presbyterum, diaconum, & clericum, qui magos & ariolos consuluerit, & simoniace ordinatos Concilium Toletanum octavum can. III.

XVIII. Postquam mos iste desivit detrudendi clericos in monasteria, ut pœnitentiam agerent, in illa quoque secunda specie, quam proposuimus, de clerico degradato, etiam ob crimen ecclesiasticum, disceptatum fuit in Anglia quingentis abhinc annis. Regii ministri degradatum clericum ex quacunque causa foro suo asserebant. Thomas vero Archiepiscopus Cantuariensis contendebat, ex sola depositione non amitti privilegium clericale; sed si depositus in crimen incideret, tunc ob impœnitentiam subdi foro seculari.

XIX. Satius fuisset, ut dixi, disputationem ex superiori distinctione dirimere; quæ adhibenda quoque est in altera quæstione, an ex sola depositione consequatur, damnatum tradi curiæ seculari. Depositus quippe ob crimen ecclesiasticum, alia pœna plecti non debet. Qui autem ob crimen atrox degradatur, eo ipso legibus publicis permittitur; ut superius dixi. Quæ fuit sententia aliquot Pontificum, qui Innocentium III. præcesserunt, ut ipse fatetur in cap. *Novimus*, de verbor. signific. *Quorundam est opinio a pluribus approbata*, inquit, *ut clericus, qui propter hoc* (id est, falsi in literis apostolicis) *vel aliud flagitium grave, non solum damnabile, sed damnosum, fuerit degradatus, tanquam exutus privilegio clericali, seculari foro per consequentiam applicatur*. Quod ille jus immutavit, decernens, ut solennis degradatio clerici antea fiat, atque pronuntietur judici seculari, quatenus degradatum in suum forum recipiat; eo temperamento adjecto, ut ecclesia pro eo efficaciter intercedat, ad leniendam pœnam, citra mortis periculum. In qua intercessione nihil est novi, cum frequens esset apud veteres, etiam in gratiam laicorum. Novum jus in eo versatur, quod præter depositionem & solennia degradationis pronuntiandum sit spec[illegible]iter de traditione facienda curiæ. Quæ definitio videtur profecta ex eo, quod Alexander III. in cap. *At si clerici*. De judiciis, docuit, quemlibet depositum pro suis excessibus non esse tradendum judici seculari, ne duplici contritione conteratur. Unde sequitur, causæ cognitionem adhibendam, an flagitii ea sit gravitas, ut traditionem illam extorqueat.

XX. Ceterum Cælestinus III. tot adhibet cautiones, ut vix locus esse possit huic traditioni, nisi quis malo genio natus omnem exuerit humanitatis sensum. Statuit enim, ut depositio præcedat ob præteritum crimen. Deinde vero, ut incorrigibilis appareat clericus, novis criminibus admissis, quæ plectenda sunt excommunicatione. Si recentioribus se facinoribus implicet, feriendus anathemate. Demum si contempta ecclesiæ auctoritate in profundum malorum devenerit, tunc tradendus est seculari potestati, ut eum comprimat. cap. *Cum nobis ab homine*. De judiciis.

XXI. Qui progressus tamen servandus non est, si crimen ex suo genere sit atrocissimum. Tunc enim interest reipublicæ Christianæ, ut monstra illa scelerum ultore ferro extinguantur. Statim ergo a degradatione celebrata pronuntiare debet judex, tradendum esse reum curiæ seculari, ut adversus falsarios literarum apostolicarum constituit Innocentius III. in Concilio Lateranensi, cap. *Ad falsar*. De judiciis, & in eodem Concilio adversus hæreticos, cap. *Excommunicamus*, §. 1. De hæreticis. Quod in criminibus majestatis, assassinii, ac in ceteris hujusmodi atrocioribus locum quoque habet; ut docent pragmatici, & nos antiquæ disciplinæ congruere jam docuimus.

Marca, Dissert. Eccl.

EXPLICATIO CANONIS XVII. ANCYRANI.

Τοὺς ἀλογευσαμένους καὶ λεπροὺς ὄντας, ἤτοι λεπρώσαντας, τούτους προσέταξεν ἡ ἁγία σύνοδος εἰς τοὺς χειμαζομένους εὔχεσθαι.

Versio antiqua, quæ extat apud Isidorum.

Hos eosdem sane, non solum leprosos crimine hujuscemodi factos, sed & alios isto morbo suo replentes, placuit inter eos orare, qui tempestate jactantur, qui a nobis energumeni intelliguntur.

Versio Dionysii Exigui.

Eos, qui irrationabiliter vixerint, & lepra injusti criminis alios polluerint, præcepit sancta Synodus inter eos orare, qui spiritu periclitantur immundo. Quidam codices habent *inusti*. Halitgarius lib. 4. cap. 8. *incesti*.

Alia versio antiqua, edita ex vetustissimo codice MS. Christophori Justelli.

Pro his, qui in animalibus, ut animalia fraciscunt, vel in masculis leprosi efficiuntur, de his præceptum est, ut cum eis, qui tempestatem patiuntur, orare.

Epitome Hadriani I. Papæ.

Ut masculorum vel pecorum concubitores inter dæmoniacos tantum orent.

Versio Gentiani Herveti.

Eos, qui rationis expertia animantia inierunt, & quasi leprosi sunt vel fuerunt, jus sit sancta Synodus inter hyemantes orare.

 Fer-

Ferrandus Diaconus cap. 149.

Ut hi, qui sicut muta animalia vixerunt, inter energumenos orent.

MARCA.

Alexius Aristinus diaconus Constantinopolitanus (qui vixit circiter annum MCXXX.) in synopsi canonum ita compendio explicat hunc canonem Ancyranum: ὁ λεπρὸς ἀλογευσάμενος, ἢ καὶ λεπρωθεὶς τοῖς χειμαζομένοις συνεύχοιτο. Eadem verba repetit Simeon Logotheta in sua canonum epitome.

Zonaras hunc canonem interpretatur, ac si dictio λεπρὺς poneretur, non pro significando lepræ morbo, sed pollutione & immunditia, quæ sit similis ei, quam leprosis præscribit lex Mosaica: τοὺς ζώοις ἀλόγοις συμφθαρέντας καὶ λεπροὺς ὄντας, ἀντὶ τοῦ ἀκαθάρτους καὶ μεμιαμμένους. τοῦτο δὲ κατὰ τὸν Μωσαϊκὸν νόμον, ὃς τοὺς λεπροὺς ἀκαθάρτους ἐνόμιζεν. Subjungit: ἤτοι λεπρώσαντας. quod sic infulse explicat: ἤγουν καὶ αὐτὰ τὰ ζῶα μιάναντας, ac si curam animalium gerere aliquam Synodus debuisset, χειμαζομένους non putat sumendos pro dæmoniacis: quia qui ex eorum numero per intervalla laborant, tunc eis communicare permittitur canone Timothei Alexandrini. Quod concedendum erit, inquit, eadem ratione his bestiariis; tolleturque distinctio præscripta canone præcedenti de variis peccatorum pœnis. In quo plane hallucinatur. Sic enim intelligendus est hic canon, ut orationes, quæ fiunt in loco, dæmoniacis designato, non evertant, quæ constituta sunt superiori canone quoad modum & tempora pœnitentiæ horum sceleratorum. Tandem postquam vana isthac argumentatione ingenium suum torsit, sic concludit: τί οὖν δεῖ εἰς τοὺς χειμαζομένους εὔχεσθαι, οὐκ ἔχω εἰπεῖν. Balsamo in hoc canone leprosos interpretatur, quemadmodum Zonaras, id est, immundos. Non probat etiam eorum interpretationem, qui χειμαζομένους pro dæmoniacis accipiunt ob eandem rationem, quam attulit Zonaras. Sed voluit illo videri peritior, & χειμαζομένους accipit pro iis, qui sub narthece ecclesiæ audiunt sacras scripturas: quoniam, inquit, audientes similes sunt iis, qui tempestate jactantur, nec sinuntur ad portum ecclesiasticum salutis ingredi. Quo nihil absurdius dici potuit. Quos enim canon relegat ad fores ecclesiæ, ubi erat energumenorum statio, (Neque enim cum fidelibus orabant juxta canonem apostolicum LXXIX.) hic in media ecclesia collocat cum audientibus: χειμαζόμενοι τοίνυν κληθήσονται κυρίως οἱ ἐν τῷ νάρθηκι ἱστάμενοι καὶ ἀκροώμενοι τῶν θείων γραφῶν, τύπον ἐπέχοντες χειμαζομένων, καὶ εἰς τὸν ἐκκλησιαστικὸν λιμένα τῆς σωτηρίας, εἰσελθεῖν μὴ παραχωρούμενοι.

EPISTOLA

AD CLARISSIMUM VIRUM

HENRICUM VALESIUM,

De tempore, quo primum in Galliis suscepta est Christi fides,

PETRUS DE MARCA

ARCHIEPISCOPUS TOLOSANUS

CLARISSIMO ET ERUDITISSIMO VIRO

HENRICO VALESIO

S. P. D.

Gratulor tibi & ecclesiæ universæ ob eam, quam in vertenda & ornanda Eusebii historia ecclesiastica operam posuisti juxta cleri Gallicani desiderium. Illam quippe acris ingenii solertiam, maturiorisque judicii vim, cum summa eruditione conjunctam, quam in editione Ammiani & Excerptorum Polybii Senatui literatorum olim probaveras, nunc felicius exeruisti in majoris momenti historia, tum a vitiis lectionum, tum ab interpretum hallucinationibus purganda, egregiis denique in difficiliores locos adhibitis commentariis illustranda. Rerum ecclesiasticarum origines indefessa diligentia perquisitas descripsit Eusebius; sed usus quandoque oratione ex genio Orientalium perplexa, aliquando vero propter linguæ morumque ignorationem minus intellecta; quem singularis eruditionis tuæ luce, apertis vetustatis ecclesiasticæ arcanis, civilis quoque, quando res exigebat, patefecisti. Ex quo voluptatem cepi maximam; non solum propter illam, quæ mihi communis futura est cum probis & eruditis viris, ex ea lectione hauriendam doctrinæ copiam; sed quod studio decessoris mei Caroli de Montchal Archiepiscopi Tolosani, viri pietate & eruditione quondam celeberrimi, ad hoc opus arduum perficiendum te accinxisti; cujus sedem cum possideam, reddendarum tibi gratiarum nomen, quod successione contraxi, his literis solvere necessum putavi.

I. Ceterum ante, quam ultima manus ponatur editioni, quæ nunc sub prælo fervet, monendum te duxi, in dissertatione nostra de Primatu Lugdunensi, quæ in Appendice ad Concilium Claromontanum tomo XXVI. Conciliorum edita est, nos quædam adnotasse numero CV. CVI. & CVIII. illius exercitationis ad epistolam Lugdunensium Christianorum, quam exhibet Eusebius lib. V. hist. cap. I. Πανήγυριν enim illam, quæ Lugduni habebatur, quando supplicia sunt a martyribus exacta sub Antonino, de conventu trium Galliarum intelligendam scripsi; quem ex sexaginta populis conflatum docuit Strabo, cujus mentem explicui numero CIII. eumque cum loco Taciti emendato composui. Tentavi quoque Gregorii Turonensis testimonium de martyribus Athanacensibus cum illa apud Eusebium narratione conciliare. Denique lapsu Rufini & Christophorsoni observato, locum epistolæ illius insignem, deprehensione martyrum, & de interrogatione facta a Tribuno cohortis, quæ tendebat Lugduni, una cum urbis magistratibus, non infeliciter, ut puto, interpretatus sum. Quæ tamen severiori judicii tui censuræ submitto.

II. Finem faciebam huic epistolæ, quando me patriæ & tuendæ veritatis amor, Lugdunensium martyrum occasione, pupugit & adegit, ut apud te paucis conquererer de injuria Gallis facta, non ab exteris quidem, sed a nostratibus; qui reconditioris & a vulgo semotioris, qua pollent, doctrinæ cupidine illecti, veritatem, quæ in propatulo est, velut in puteo latentem sibi quærendam putarunt. Gallis quippe detrahunt, quam Æthiopibus & Indis sciunt ab Apostolis ipsis exhibitam Evangelii prædicandi curam; ac si florentissimæ & vicinæ nationes capiti gentium Romæ, quam sanguine suo Petrus & Paulus consecrarunt, remotissimis illis extraque Romanum Imperium sitis regionibus posthabitæ fuissent. Alia fuit mens Apostolorum, qui Gallias in fide erudiendas statim post adventum in Italiam susceperunt. Beatus quippe Lucas, a Pauli comitatu discedens, magistri sui mandato se contulit in Gallias; ubi præcipuum fidei prædicandæ studium impendit. Deinde per Italiam & Dalmatiam in eodem opere industriam suam præstans, in Macedoniam, eodem functurus officio, se recepit. Auctorem habemus locupletem hujus narrationis Epiphanium, qui hæresi LI. quod diximus, de Luca testatur, uno ex LXX. discipulis, cui munus Evangelii prædicandi creditum ait: Κηρύττει πρῶτον ἐν Δαλματίᾳ, καὶ ἐν Γαλλίᾳ, καὶ ἐν Ἰταλίᾳ, καὶ Μακεδονίᾳ ἀρχὴ καὶ ἐν τῇ Γαλλίᾳ. *Idque ipse primum in Dalmatia,*

Gal-

Gallia, *&* *Italia*, *ac Macedonia præstitit; sed in Gallia præ ceteris*, vel si malis, *principium vero in Gallia*. Principium fecisse prædicationis in Gallia, sive potiorem ejus curam gessisse, disertissime testatur. Duplici quippe significatione hæc verba exponi possunt, ἀρχὴ ἢ ἐν τῇ Γαλλίᾳ. Quod autem *primum* in Dalmatia prædicasse dicatur, ad solam Dalmatiam referendum non est, sed ad Galliam etiam, atque Italiam; habita ratione Macedoniæ, in qua erudienda *demum* laboravit. Quæ dictio fortasse restituenda est in contextu, ut sit, quod respondeat τὸ *primum*. Sicque illud τὸ *primum* non impediet, quin significet ultimis verbis Epiphanius, principium operæ suæ Lucam posuisse in Gallia. Excipiunt viri eruditi, nescire se ab ullo veterum auctorum prodita, quæ scripsit Epiphanius. Scilicet. Sed non ideo minus sunt vera, quæ gesta refert. Petivit ille suam narrationem ex vetustiori scriptore, quo, ut plerisque aliis, caremus. Fortasse ex Hegesippo illud hauserat, qui in pandendis ecclesiarum originibus se exercuit. Extabat integrum opus Hegesippi, non solum Eusebii, sed etiam Hieronymi temporibus, atque adeo Epiphanii. Supererat quoque Georgii Syncelli ætate, qui ejus auctoris fragmentum profert in chronico, aliud a fragmentis, quæ recitat Eusebius. Gravius doleo de viri illius eruditissimi, tibique ac mihi quondam amicissimi, glossemate; qui in animadversionibus ad eum Epiphanii locum, vim testimonii illius nobis adimere conatur. De Gallia enim Cisalpina loqui Epiphanium notat. Scilicet apud illum auctorem Cisalpinam Galliam intelligimus, quæ nulla tunc erat ab ipsis Augusti temporibus, qui novam provinciarum imperii divisionem instituit. Amovit ab Italia nomen Galliarum, quas objectu Alpium terminavit, Italiam solidam in regiones XI. partitus, Galliis in quatuor provincias, Narbonensem, Lugdunensem, Belgicam, & Aquitanicam sectis; ut docent Strabo, Mela, & Plinius. Quam rationem quoque sequutus est Ptolemeus in suis tabulis; ut & Ammianus, ac reliqui, quos de Galliis & Italia differere occasio coegit. Itaque non alia est apud Epiphanium Gallia, quam quæ post Christum natum ab omnibus auctoribus vocatur Gallia, juxta limites ab Augusto institutos.

III. Non solum autem Lucam adhibuerunt Apostoli ad informandas in religione Gallias, sed etiam Crescentem. Ejus rei testis ipse Paulus 2. *Timoth. cap.* 4. qui missum fuisse docet Crescentem in Galliam. Certum quidem est, variam fuisse hujus loci Paulini lectionem, etiam apud veteres. Etenim Chrysostomus & Theodoretus apud Græcos, vulgatus interpres & Ambrosiaster apud Latinos, legerunt *Galatiam*, non autem *Galliam*. Sed vetustioris & verioris lectionis vindicem habemus Epiphanium, qui constanter scribit in hæresi LI. eos errare, qui hoc loco Pauli *Galatiam* legunt, cum scribendum doceat *Galliam*: οὐ γὰρ ἐν τῇ Γαλατίᾳ, ὥς τινες πλανηθέντες νομίζουσιν, ἀλλὰ ἐν Γαλλίᾳ. Eodem modo ceteris antiquior Eusebius tuus legit in codice Pauli *Galliam*, quemadmodum Epiphanius; si recte verba ejus expendantur, & vera apud auctorem illum lectio retineatur ex Rufino & omnibus codicibus MSS. ut tu diserte monuisti. Theodoretus sane, qui *Galatiæ* dictionem in contextu Pauli retinet, licet de Galatia Asiatica potuisset illam accipere, maluit ad Galliam nostram, id est, ad Galatiam occidentalem referre. Adeo certa erat apud omnes veteres Crescentis in Gallia prædicatio. In quo cum veteribus Usuardi & Adonis martyrologiis conveniunt; qui post fidem a Crescente in Galliis promulgatam, meminere reditus illius in Galatiam Asiaticam.

IV. Enimvero quid vetat, quin Lucæ & Crescenti, assiduis Pauli comitibus, adjungamus & Paulum ipsum Apostolum; qui testibus Græcis, Athanasio, Epiphanio, Chrysostomo, ac Theodoreto, & e Latinis Hieronymo, post primum adventum suum in Urbem, ubi biennium exegit a Luca memoratum, (quo temporis intervallo fortean Lucas in Gallia prædicationem Evangelii auspicatus est,) Hispanias adivit, ad promulgandam illis in regionibus Christianam fidem. Atqui Hispanias petenti pergendum fuit per celeberrimam apud veteres viam illam publicam, quæ ab Italia per Gallias in Bæticam ipsam ducit. Ejus descriptionem exhibet non solum Antonini itinerarium a Nicæa per Arelatem, Narbonem, summum Pyrenæum, Juncariam, Barcinonem, & reliqua loca, sed etiam Strabo, qui sedulo se habuit in viæ illius explicatione; quam in plerisque capitibus minus ab interpretibus intellectam nos patefacere conati sumus libro primo Cataloniæ illustratæ, cujus editionem maturamus. Non iners fuit Paulus in Galliis erudiendis, qui gentium salutem sibi specialiter commissam, tam flagranti studio peragratis regionibus, undequaque procurabat, qua de re statim uberius agemus.

V. Possumus quoque Philippi Apostoli operam Gallis vindicare, ipsisque Britannis, ex Isidoro Hispalensi lib. de vita & morte sanctorum cap. LXXIV. *Philippus Gallis prædicat Christum, barbarasque gentes vicinasque tenebris & tumenti oceano conjunctas, ad scientiæ lumen fideique portum deducit*. additque, hoc munere perfectum Philippum, in Phrygiam migrasse, ubi Hierapoli occubuit. Sed quoniam hunc Apostolum Gallis quoque tum Baronius, tum eo duce alii subtrahere conantur, narrationem istam ad Galatas Asiaticos traducendo, non pigebit viri eruditissimi, licet e Novatorum grege, Usserii Armachani verba hic transscribere e capite secundo de Antiquitatibus ecclesiarum Britannicarum: *Quod autem de Philippi in Galliis apostolatu habet Freculfus a Malmesburiensi citatus, ex Isidori libro de patribus utriusque Testamenti cap. LXXV. ad verbum expressit. Apud utrumque enim legimus*, Philippum Gallis prædicasse Christum, barbarasque gentes, vicinasque tenebris, & tumenti oceano conjunctas, ad scientiæ lucem fideique portum deduxisse. *Neque hic mihi Baronii conjectura placet, Isidori ista a Galliis nostris ad Galatas Asiaticos traducentis; multoque minus nuperi operum Isidori editoris Jacobi Breulii temeritas*, Galatis *pro* Gallis *in ipso textu (sine ulla veteris lectionis commemoratione) reponentis. Nam præterquam, quod Isidorus in hoc ipso opere cap. LXXXII. & in officio Toletano, (quod Gothicum & Mozarabum vulgo appellatur,) itemque Julianus Toletanus Archiepiscopus in Nahum Prophetam scribens, & Beda, (vel quicunque auctor fuit Collectaneorum & Florum,) Philippo* Galliam *assignant*, *idemque* Gallis prædicavisse Christum *legitur in libello de festis Apostolorum, qui in Hieronymiano martyrologio MS. habetur, (ex quo pleraque omnia in librum suum de patribus novi Testamenti transscripsit Isidorus) illa barbararum gentium oceano conjunctarum mentio Europæos Gallos, non Gallo-Græcos, ab Isidoro intellectos esse, satis evincit.*

VI. His adjungendum putavi testimonium vetustissimi codicis manuscripti ex Bibliotheca sancti Germani Parisiensis, in quo iste tractatus Isidori ante octingentos annos adscriptus, una cum aliis ejusdem auctoris libris continetur; ubi antiqua lectio disertissime præfert, Philippum *Gallis* prædicasse, quemadmodum cap. LXXXII. habetur, *Galliam* illi fuisse assignatam. Nec dissimulandum est, in eodem codice legi, Hispaniam Jacobo Apostolo datam, eumque, Hispaniis fidem prædicasse. Quæ vetusti codicis auctoritas a quibusdam conceptam suspicionem eximere debet vitiatæ fortean loco in illo lectionis in prioribus editionibus ab aliquo Hispanarum partium studioso. Disceptatur quidem apud eruditos de Jacobi in Hispaniam adventu, ex eo præcipue capite, quod Apostoli nondum a Judæa, sortitus sibi apud gentes præ-

dicandi distributis, recessissent. Sed quemadmodum auctoritate Isidori, qui sua ex prioribus haurire potuit, se tueri possunt Hispani adversus opinionis confictæ novitatem, quæ illis opponi solet, ita nobis de Philippo disserere licet; eo tamen securius, quod illis prædicatio apud Gallias, cum incidat post sortitionem provinciarum, ab Apostolis facta, libera est ab eo telo, quo prædicatio Jacobi apud Hispanos impeti solet. Ceterum illud fuit Apostolorum propositum, ut quaquaversum orbis patet, evangelium diffunderent, ex mandato Christi. Quare, (ut optime adnotavit Eusebius lib. III. Demonstr. evang. cap. V.) non solum Romam caput imperii, atque Romanas provincias, sed etiam alia regna, tum Parthorum, tum Armeniorum, Scytharum, Indorum, Æthiopum, ipsimet prædicationibus suis instituerunt; adeo ut, quemadmodum subjungit Eusebius, *ipsis quoque Britannicis insulis, oceanum prætervecti, fidei lumen intulerint*. Sane neminem puto tam insipidum, qui sibi persuadeat, de divisis toto orbe Britannis sollicitos Apostolos, negligentiores fuisse in Galliis, per quas iter est ad Britannias, per se aut per legatos veritate imbuendis. Quod egregie illi præstiterunt per Philippum, unum ex eorum collegio, Lucam, Crescentem, Trophimum, Paulum, Martialem, aliosque in tabulis ecclesiasticis adnotatos; & perfecit Clemens per Dionysium, Saturninum, Europium Santonensem, Ursinum Bituricensem, & alios.

VII. Neque sane infrugifera fuit Philippi, Lucæ, Crescentis, & reliquorum, quam in Galliis sparserant, Christianæ fidei sementis, Dei clementia, qui reliquas orbis regiones fovebat, Gallias non destituente. Dicet pro nobis Irenæus, qui circiter anno CXC. scripsit *in lib.* 1. *cap.* 3. veram fidem probari ex ejusdem doctrinæ professione, quæ in variis ecclesiis, per universum orbem constitutis, constanter traditur, tum in Oriente, in Ægypto & Libya, tum in Germania, apud Hispanos, & Gallos, atque alibi. *Nam etsi*, inquit, *in mundo loquelæ dissimiles, sed tamen virtus traditionis una & eadem est. Et neque hæ, quæ in Germania fundatæ sunt, ecclesiæ aliter credunt, aut aliter tradunt; neque hæ, quæ in Iberis sunt, neque hæ, quæ in Celtis, neque hæ, quæ in Oriente, neque hæ, quæ in Ægypto, neque hæ, quæ in Libya, neque hæ, quæ in medio mundi sunt constitutæ. Sed sicut sol, creatura Dei, in universo mundo unus & idem est, sic & lumen & prædicatio veritatis ubique lucet, & illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire*. Illa tempestate Germaniæ quidem & Hispanis suas ecclesias nostri liberaliter absque ulla restrictione concedent; sed digladiabuntur de Celtis contra Irenæum: qui generaliter cum sit locutus de Celtis, ejus sententiam ad specialem tractum Lugduno vicinum invidiose coercebunt. Absit livor iste a Gallorum pectoribus; neque gentis honori manus violentas inferant, cui exteri parcunt, seque multum venditant eo nomine, quod paria nobiscum faciant in fidei susceptæ initiis. Sane quo in statu esset, Irenæi ætate, fides Christiana apud Gallos, ille facile conjiciet, qui Tertullianum triginta post annis differentem expenderit de recepto evangelio per omnes Orientis tractus; quibus mox subjunguntur ab auctore *Getulorum varietates, & Maurorum multi fines, Hispaniarum omnes termini, & Galliarum diversæ nationes, & Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo vero subdita, & Sarmatarum, & Dacorum, & Germanorum, & Scytharum, & abditarum multarum gentium & provinciarum & insularum multarum nobis ignotarum, & quæ enumerare non possumus*. Per Galliarum diversas nationes Tertullianus quatuor Galliarum provincias ex divisione Augusti, Narbonensem, Lugdunensem, Belgicam & Aquitanicam intelligit: ex quibus corpus Galliarum tunc conflatum erat, quod postea in decem & septem provincias distributum fuit.

VIII. Quare cum testimoniis vetustissimis ac firmissimis nitatur exordium prædicatæ fidei in Galliis ex Apostolorum delegatione, & susceptæ a Celtis, ut loquitur Irenæus, seu a diversis nationibus Galliarum, ut ait Tertullianus, ægerrime fero quorundam in suam patriam acerbitatem, qui origines omnium ecclesiarum Gallicanarum, præter Lugdunensem, & alias paucas, ad medium tertii seculi detrudunt, affixo ex Gregorio Turonensi paulo ante Decii & Grati Consulatum, id est, paulo ante annum ducentesimum quinquagesimum, initio septem sociorum episcoporum, Gratiani Turonensis, Trophimi Arelatensis, Pauli Narbonensis, Martialis Lemovicensis, Dionysii Parisiensis, Saturnini Tolosani, & Stremonii Arvernensis, qui primi in illas Galliarum partes lumen evangelii intulerunt, & in ecclesiis a se constitutis stabiliverunt.

IX. Quin primi illi duces præcipui fuerint Christianæ expeditionis in provinciis Narbonensi & Aquitanica, & in remotioribus partibus Lugdunensis provinciæ, a nemine dubitatur, consentientibus tabularum ecclesiasticarum monumentis & solemnibus sacris, quæ in eorum memoriam annuo ritu divino numini peraguntur in singulis ecclesiis. Illarum autem antiquæ traditioni, Bedæ, Usuardi, Adonisque martyrologiis & actis veteribus fultæ in temporis consignatione cur derogari debeat, plane non video; præsertim cum aliis quoque argumentis hæc veritas innitatur. Sumatur initium discussionis a Trophimo, & expendantur verba libelli, ab episcopis provinciæ Viennensis Leoni Papæ oblati anno quadringentesimo quinquagesimo. *Omnibus Gallicanis regionibus notum est*, inquiunt, *sed nec sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ habetur incognitum, quod prima intra Gallias Arelatensis civitas missum a beatissimo Petro Apostolo sanctum Trophimum habere meruit sacerdotem, & exinde aliis paulatim regionibus Galliarum bonum fidei & religionis infusum*. Quem Gregorius ponebat sub Decio Trophimum, cœtus episcoporum provincialium, quibus perspectus erat census ecclesiarum suarum, quique Gregorium centum & quinquaginta fere annis antecedebant, Trophimum a Petro missum docent, & ut rem omnibus perspectissimam narrant; subjiciuntque *exinde aliis paulatim regionibus Galliarum bonum fidei & religionis infusum*. Hoc ipsum significat Zosimus Papa epist. V. *Ad quam* (Arelatensem urbem) *primum ex hac sede Trophimus summus antistes, ex cujus fonte totæ Galliæ fidei rivulos acceperunt, directus est*. Porro hæc epistola Zosimi, edita a U. C. Sirmondo, & laudata olim tam in Concilio Francofordiensi, quam etiam ab Usuardo & Adone, cum scripta sit anno quadringentesimo decimo septimo, Gregorii Turonensis testimonio potior esse debet in ponenda Trophimi epocha, quam disertissime Synodus episcoporum provincialium refert ad Petrum Apostolum; a quibus non discedit Zosimus, cum doceat, primum in Galliis Trophimum fuisse constitutum episcopum. Libelli supplicis ad se ab episcopis missi rationem habuit Leo Pontifex rescripto, quod ad eos statim dedit, quo veterem Arelatensis & Viennensis ecclesiæ de metropolitica dignitate contentionem Viennensis provinciæ divisione componit.

X. Necesse est, controversiæ illius statum compendio perstringere; ut qui suborti sunt ex eo non sane percepto in eruditorum animis scrupulo, quod ad Trophimi antiquitatem spectat, facilius eximantur. Vienna civitas, metropolis erat provinciæ Viennensis in laterculo imperii. Unde, juxta canones Nicænos, jus metropoliticum ad se pertinere in ordine ecclesiastico contenderat olim Simplicius, civitatis illius episcopus, adversus Arelatensem, in Concilio Taurinensi, anno trecentesimo nonagesimo septimo. Qua in lite interlocuti sunt patres, eam civitatem frui debere honore

prima-

primatus, quæ doceret, se esse provinciæ metropolim; dato interim ad fovendam concordiam episcopis consilio, ut quisque viciniores sibi civitates ad suam curam revocaret. Pessumdata erat hac interlocutione Arelatensis ecclesiæ dignitas, quæ in ordine civilis dispositionis a metropoli civitate Viennensi absque dubio pendebat. Quare Zosimus viginti post Synodum Taurinensem annis interpellatus ab Arelatensi episcopo, Simplicii Viennensis impudentiam damnat epist. VII. quod in eo Concilio postulasset, ut sibi creandorum sacerdotum in provincia Viennensi permitteretur arbitrium; quod ait esse contra statuta patrum & sancti Trophimi reverentiam; decernitque, juxta preces Patrocli Arelatensis, ut ejus civitatis episcopus *jam inde a Trophimo ordinationis seriem, temporibus roboratam*, possideat, non solum in provincia Viennensi, sed etiam in utraque Narbonensi. Cujus prærogativæ rationem quoque reddit epist. VIII. ad Hilarium Narbonensem; *quoniam Trophimus sacerdos quondam Arelatensi urbi ab apostolica sede transmissus ad illas regiones* (scilicet utramque Narbonensem & Viennensem) *tanti nominis reverentiam primus exhibuit, & in alios non immerito ea, quam acceperat auctoritate transfudit*. Totam ergo primatus metropolitici causam ἐν τῇ πρωτοκλησίᾳ seu in priore vocatione ad fidem & in vetustiore episcopatus institutione apud Arelatem a Trophimo facta Zosimus diserte constituit.

XI. Ceterum quoniam hæc Zosimi rescripta consuetudine quidem vetusta, ut ipse ait, ex relatione Patrocli nitebantur, sed disciplinam ecclesiæ universalis a Synodo Nicæna decretam convellebant, quæ singulas provincias suis commiserat Metropolitanis, non autem plures provincias uni, hinc factum, ut Bonifacius Papa non exprobrarit quidem Patroclo Arelatensi metropoliticæ potestatis usurpationem, sed potius integram illi relinquens in provincia Viennensi, illius tamen temeritatem damnaverit epistola, data ad Hilarium Narbonensem anno CCCCXXII. quod scilicet in Lutubensi ecclesia ordinationem episcopi celebrasset *in aliena provincia*, inquit, scilicet in Narbonensi, quæ a Viennensi erat distincta. Illud autem factum pertendit contra Synodi Nicænæ constitutionem, quam describit; commonetque Hilarium, ut metropolitico jure munitus, & præceptionibus suis fretus, quæ facienda sunt in Lutubensi ecclesia præstet.

XII. Noluit Hilarius Arelatensis, Patrocli successor, fultus & Zosimi priori rescripto & consuetudine vetusta, parere decreto Bonifacii restringentis intra Viennensem provinciam Arelatensis episcopi potestatem. Quam ob rem, & propter Chelidonii causam, aliasque gravissimas rationes, iratus Hilario Leo Papa, quod minus colere majestatem Romanæ sedis videretur, acerbe in eum invehitur in epistola, ad episcopos Viennensis provinciæ scripta anno quadringentesimo quadragesimo quinto. Inter cetera illi objicit, quod Projecto episcopo infirmo & nescienti alium superposuisset episcopum, idque *in aliena provincia*, scilicet extra Viennensem. *Quid sibi Hilarius quærit in aliena provincia*, inquit, *& id, quod nullus decessorum ipsius ante Patroclum habuit, cur usurpat? cum & ipsum, quod Patroclo a sede apostolica temporaliter videbatur esse concessum, postmodum sit meliore sententia mutatum*. Quibus verbis Leo apertissime significat priora Zosimi rescripta, & posterius Bonifacii decretum, quo potestas Arelatensis episcopi intra limites Viennensis provinciæ coercebatur, ut superius monui.

XIII. Quæ autem exceptiones objicerentur adversus Zosimi rescriptum, in eo capite, quod ordinationes in utraque Narbonensi Patroclo concessas respicit, idem manifeste docet, si ejus verba juxta regulas juris expendantur. Scilicet obreptum Zosimo per falsam Patrocli suggestionem, qui referebat ad consuetudinem vetustam, quam ipse primus usurpabat, ordinandi potestatem in provincia Narbonensi. Deinde significat, ad summum prærogativam illam, a Zosimo ad tempus Patroclo concessam, intelligi debere. Denique utitur posteriore Bonifacii decreto, quod, juxta Canonum præscriptum, ambitiosum illud & per fraudem elicitum Zosimi rescriptum, duas provincias uni Metropolitano concedens, resciderat.

XIV. Tandem præfracta Hilarii Arelatensis contumacia Leo Papa succensus, absque cognitione causæ, inauditis illis, quorum intererat, jus omne metropoliticum etiam in provincia Viennensi ademit episcopo Arelatensi, illudque Viennensi adjudicavit, ac si ad eum ex jure civilis metropoleos juxta Canones pertineret; quemadmodum Simplicius in Concilio Taurinensi a patribus olim impetrare tentaverat. Hanc injuriam, Arelatensi ecclesiæ illatam, adversus vetustissimæ consuetudinis, ἐν τῇ πρωτοκλησίᾳ fundatæ & a Trophimo ductæ, auctoritatem episcopi provinciæ Viennensis, hac novitate perculsi, amovere curarunt, occasione arrepta ex obitu Hilarii, & electione a se facta Ravennii viri gravissimi & Leoni pergrati. Itaque libello supplici ad Leonem dato, primatus Arelatensis originem arcessunt a Trophimo; qui missus a beato Petro, primus in Galliis Arelate episcopatum instituit; cujus quidem primævæ institutionis ratio potior sit habenda, quam civilis dispositionis, quæ Viennæ jus metropoleos politicæ olim tribuerat. Quod telum, ex ordine civili petitum, ut repellant episcopi, non dubitant, civilem quoque dignitatem, qua temporibus illis florebat civitas Arelatensis, Leoni proponere, in ea nempe sedem præfecturæ Galliarum, a civitate Trevirorum eo translatam, consistere, atque adeo urbem illam *matrem omnium Galliarum* esse. Quod dictum, ut opponatur Viennæ, quæ pro matre Viennensis tantum provinciæ se gerebat. Addunt etiam, *quicunque intra Gallias*, scilicet jam inde a Constantino Maximo & Valentiniano, *ostentare voluit insignia dignitatis*, *in hac urbe Consulatum accepisse & dedisse*, hoc est, Consulatum Circensibus celebravisse; quemadmodum egregie hunc locum interpretatur vir eruditissimus Hadrianus Valesius, litterarum & sanguinis germanitate frater tuus, o mihi carissime Henrice Valesi, in libro octavo rerum Francicarum, quas doctissimis curis & ingenii sui solertia illustravit.

XV. Expensis tandem rationum momentis, quæ libello episcoporum provincialium continebantur, auditis quoque *allegationibus* episcopi Viennensis, Leo Papa privilegii Arelatensis rationem habendam censuit, restituendamque metropoliticam dignitatem illi ecclesiæ, quæ vitio episcopi sui Hilarii antiquo jure in perpetuum privari non poterat. Itaque rem totam, juxta Concilii Taurinensis consilium, datum olim contendentibus duarum civitatum episcopis, sic temperavit, ut majorem partem provinciæ Viennensis restitueret Arelatensi ecclesiæ; solis quatuor civitatibus penes Viennensem episcopum relictis, ne honorem metropoliticum, quem ipsemet concesserat, adimere per inconstantiam, aut injuriam videretur; & ut ipse loquitur, ne Viennensis, cui potestatem metropoliticam Hilario ablatam deputaverat, *semetipso factus videretur inferior*. Sed tum de isthac controversia, tum etiam de dignitate civili Viennensis & Arelatensis civitatis, accuratam disceptationem dabimus in secunda editione libri nostri de Primatibus, quam adornamus.

XVI. Ceterum hæc Trophimi antiquitas confirmatur epistola Cypriani ad Stephanum Papam, qua petit, ut ab eo scribantur literæ in provinciam, (id est, Narbonensem solidam, quam veteri provinciæ nomine nuncupat) quibus Marciano episcopo Arelatensi abstento, alius in ejus locum substituatur; quoniam spretis collegarum mo-

monitis, Novatiani erroribus pervicaciter adhærebat. Necessum vero est, hanc Cypriani epistolam scriptam esse initio sedis Stephani, quando duos inter illos Pontifices dissensio nondum ulla intercesserat. Initium autem illud Stephani cum cadat in annum ducentesimum quinquagesimum sextum, sequitur Marciani exordia antecedere Decii Consulatum. Unde rectissime colligitur, missionem Trophimi in anteriora promovendam, invito licet Gregorio Turonensi, scilicet ad Petri ætatem, juxta libelli episcoporum provinciæ Viennensis testationem. Sola falsi suspicione ultro excogitata, tum adversus Cypriani epistolam, tum adversus Zosimi rescripta, & episcoporum libellum, nollem a manifestis illis probationibus se liberarent Gregorii fautores. Admissa quippe semel hac respondendi & præscribendi ratione adversus scripta, quæ stilo & vetustorum codicum editionumque fide veterumque auctorum testimonio muniuntur, cadit omnis de quæstionibus literariis disserendi ingeniorum delectatio. Interim omittendum non est, assertam Cypriano epistolam a V. C. Rigaltio in Notis ad Cyprianum, discussis falsis argumentis a viro doctissimo allatis. Operam quoque non indiligentem posuit vir eruditus Hugo Menardus in refellendis argumentis adversus Cypriani epistolam & Zosimi rescripta atque libellum supplicem adductis.

XVII. Quæ testimonia licet ad vindicandam veritatem sufficiant, non alienum erit ad traditionis antiquæ seriem comprobandam, Adonem Viennensem testem laudare, cujus hæc sunt verba in Martyrologio IV. Kal. Januarii: *Apud Arelatem, natalis sancti Trophimi episcopi & Confessoris, discipuli Apostolorum Petri & Pauli.* Idem uberius in libello de festivitatibus Apostolorum: *Natalis sancti Trophimi, de quo scribit Apostolus ad Timotheum.* Trophimum autem reliqui infirmum Mileti. *Hic ab Apostolis Romæ ordinatus Episcopus, primus ad Arelatem urbem Galliæ ob Christi Euangelium prædicandum directus est: ex cujus fonte, ut beatus Papa Zosimus scribit, totæ Galliæ fidei rivos acceperunt; qui apud eandem urbem in pace quievit.*

XVIII. Errore Gregorii Turonensis in consignanda Trophimi epocha dispuncto, te impetrabiliore utemur in probanda similis ejusdem auctoris hallucinationis confutatione. Paulum Narbonensem ad Decii tempora Gregorius dejicit. Cui opponemus locupletissimum testimonium vetustissimi Martyrologii, a RosWeydo editi, quo ecclesia Romana inter solemnes ritus utebatur, teste Gregorio Magno lib. VII. epist. XXIX. Martyrologii illius hæc sunt verba ad XI. Kal. Aprilis: *Narbonæ, sancti Pauli episcopi, discipuli Apostolorum.* En Paulum episcopum Narbonensem, discipulum Apostolorum, id est, ab ipsis Apostolis Christianam fidem edoctum. Causa cadam, nisi constans sit in eodem Martyrologio verbi illius, quam proposui, significatio; quæ alia certe esse non potest juxta proprium dictionis sensum. Referam loca, ex quibus hæc significatio verbi adstruitur. *Pridie Nonas Januarii. Apud Cretam, Titi Apostolorum discipuli III. Kal. Maji. Apud Paphum, Tychici Apostolorum discipuli. VII. Kalendas Junii. Apud Athenas, Quadrati Apostolorum discipuli. Pridie Nonas Augusti. Aristarchi discipuli Apostolorum. IV. Kal. Decembris. Sosthenis discipuli Apostolorum. VI. Kal. Januarii. Trophimi Episcopi, discipuli Apostolorum.* Quare diserta est, ut dixi, Martyrologii veteris Romani testatio ad figendum Pauli Narbonensis episcopatum in ipsis Apostolorum temporibus, quamvis Trophimi episcopatu posteriorem. Celeberrimum quidem apud antiquos fuisse Pauli hujus nomen, docet Prudentius in Martyribus Cæsaraugustanis.

Barcino claro cucufate fulta
Surget, & Paulo speciosa Narbo.

Sed temporis veram consignationem ex testimonio vetustissimo Romanæ ecclesiæ supra laudato haurire debemus. Traditionis vero series petenda est tum ex Usuardo & ex actis vitæ Pauli Narbonensis, tum etiam ex Adonis Martyrologio, atque ex ejusdem libello de festivitatibus Apostolorum; cujus hæc sunt verba ad diem XI. Kalend. Aprilis: *Natalis sancti Pauli, quem beati Apostoli ordinatum urbi Narbonæ episcopum miserunt; quem tradunt eundem ipsum fuisse Sergium Paulum Proconsulem, virum prudentem, a quo ipse Paulus sortitus est nomen, quia eum fidei Christi subegerat; quique ab eodem sancto Apostolo, cum ad Hispanias prædicandi gratia pergeret, apud præfatam urbem Narbonam relictus, prædicationis officio non segniter impleto, clarus miraculis coronatus sepelitur.*

XIX. Hic duo quædam observanda sunt. Ac primo quidem, Paulum Narbonensi ecclesiæ præfectum episcopum ab ipsis Apostolorum temporibus, absoluta est auctoritas, cum eorum discipulus fuerit, ut dixi. Alterum respicit veterem famam, quæ Paulum illum cum Paulo Proconsule miscet, eundemque facit. Præterea docet, in possessione episcopatus institutum a Paulo Apostolo, in Hispaniam proficiscente. Quæ quidem prudenter Ado non asseruit, ut certa, sed ut fama vetustiore recepta: cujus narrationis auctore Braulio, Leander, Julianus, & alii veteres scriptores Hispani proferuntur in literis Stephani Papæ editis a viris clarissimis & eruditissimis Guilielmo Catello, senatore Tolosano & Philippo Labbeo, Societatis Jesu presbytero; quarum exemplar extat etiam in archiviis ecclesiæ Tarraconensis, quarumque fidem & sententiam expendimus secunda editione libri nostri de Primatibus.

XX. Quod attinet Martialem, illud unum habetur in Martyrologiis veteribus, eum Lemovicæ fuisse episcopum. Veruntamen antiqua ejus vitæ acta, unum fuisse e LXX. discipulis Domini & a Petro apostolo ad Aquitanos missum, docent. Quam traditionem amplexa est Synodus Lemovicensis anno MXXXIV. in disceptatione, quæ de Martialis apostolatu in Galliis habita est.

XXI. Dionysii Parisiensis succedit vexata disputationibus gravissimorum virorum epocha: his stantibus a Gregorio, & ad Decii tempora antistitem illum detrudentibus, quo spes omnis Parisiensem Dionysium cum Areopagita permiscendi abscindatur; illis vero, contrario proposito, ad Clementem Romanum ejus missionem referentibus. Sane a Clemente in Gallias Dionysium missum fuisse Beda & Usuardus docent in suis Martyrologiis: quam traditionem eos hausisse, certum est ex actis antiquis vitæ S. Dionysii, quæ dudum ex MSS. codicibus edidit V. C. & eruditissimus Franciscus Bosquetus nunc meritissimus episcopus ecclesiæ Monspheliensis. Nomen auctoris illius vitæ deprehendi in codice MS. Turonensis ecclesiæ, qui complectitur vitas sanctorum aliquot, a Fortunato descriptas, & inter ceteras, Dionysii Parisiensis illam, quæ jam, ut dixi, edita est in publicum. Habemus ergo Fortunatum Pictavensem episcopum, æqualem Gregorii Turonensis, qui Dionysii Parisiensis epocham ad tempora Clementis retrahit. Quam sententiam secuti sunt episcopi Galliarum in epistola, ad Eugenium Papam scripta anno DCCCXXIV. quæ habetur apud Baronium; a quibus Fortunato teste adeo locuplete fultis discedere, piaculum esse puto.

XXII. De Saturnino, Gatiano, & Stremonio mox agam, quoniam specialis illorum est causa.

XXIII. Non me latet, quid eruditos viros ad deprimendam in posteriora tempora septem episcoporum epocham veluti præcipites egerit, Severi Sulpitii nempe atque Gregorii Turonensis auctoritas. Scripsit ille, *Sub Aurelio Antonino visa primum in Galliis martyria, Dei religione trans Alpes serius suscepta.* Unde tabulis ecclesiasticis fidem non esse habendam, colligunt, quæ sub Do-

Domitiano, vel sub Trajano, aut Hadriano passos tradunt quosdam ex prioribus illis Pontificibus. Utinam maluissent, interpretatione ex ipsis juris & rhetorum principiis ducta, Severum cum diptychis ecclesiasticis in concordiam adducere. Generi quippe per speciem derogatur, ut docent Jurisconsulti. De martyriis generalibus loquitur Severus, scilicet de cæde tum Pontificum, tum plebis Christianæ, per supplicia consumptorum; ut accidit in ecclesiis Viennensi & Lugdunensi sub Antonino, quo solum respiciebat Severus; cui cladi similis ante nulla contigerat in Galliis. Quod tamen non impedit, quin priores aliquot episcopi pro Christo mortem obierint, absque ulla tamen generali plebis Christianæ strage, ut factum postea sub Decio, qui in solos episcopos animadvertebat. Neque vero sequitur, errasse Severum in pertexenda rerum serie, cum per compendium summa illarum capita attigerit, neque in se susceperit origines ecclesiarum Gallicanarum, quas omnino intactas reliquit, & singulorum Pontificum eventus tradere. Quod autem subjungit, *serius trans Alpes susceptam religionem*, verum est, habita comparatione partium Orientalium atque ipsius Italiæ, quæ prius imbuta est doctrina fidei, & fortassis cum uberiori & faciliori proventu, quam in Galliis, gentilium superstitionum retinentioribus.

XXIV. Depulsa ex Severo petita machina, liberi esse possumus a metu Gregorii. Docet ipse duo quædam lib. I. hist. cap. III. Alterum, septem illos socios eodem tempore in Gallias pervenisse, ecclesias septem ab eo commemoratas primos constituisse. Alterum vero, horum adventum referendum ad tempora Consulatui Decii & Grati vicina, id est, ad annum CCL. aut circiter. Quæ narratio manifeste pugnat cum Irenæo, qui sexaginta & amplius annis ante hunc Consulatum ecclesiarum apud Celtas fundatarum meminit. Pugnat quoque cum Tertulliano, qui triginta & amplius annis ante Decii epocham diversas Galliarum nationes fidem Christianam profiteri testatur: quæ cum sit ex auditu, plane prædicantium missorum ministerio diversis illis nationibus infundenda fuit; qui quidem alii non sunt præter eos, quos tabulæ ecclesiasticæ exhibent. Erravit ergo Gregorius, prætextu vitæ sancti Saturnini, cujus verba laudat, in epocha Decii constituenda; quam scriptor ille cum soli Saturnino affigeret, Gregorius de suo ad alios extendit, ex recepta jam tum opinione de septem illorum societate. De suo addidisse dixi; quoniam in verbis actorum Saturnini, quæ Gregorius laudat, nulla fit sex Pontificum mentio, neque etiam in corpore actorum, quæ apud Surium extant; quæ plane sunt eadem cum iis actis, ex quibus locum a se laudatum Gregorius decerpsit, cum iisdem omnino verbis ibi locus ille descriptus reperiatur. Porro acta illa composita sunt longo intervallo post obitum Exsuperii Tolosani, cujus meminere; ut recte observat Hugo Menardus. Destituitur itaque Gregorius sui auctoris testimonio in sex Pontificibus; adeo ut epocha Consulatus Decii ad solum Saturninum episcopum ex illo auctorum scriptore referenda sit.

XXV. Quod autem ad Saturninum attinet, controverti non debet, quin Gregorii tempore duplex invaluisset opinio, & quin utraque sola relatione niteretur. Altera est, quam sequitur Gregorius hoc loco, passum esse Saturninum Decii Consulatu. Illud autem auctor ab eo laudatus hausit, non ex vetustis Saturnini passionis actis, sed *ex fideli recordatione*, ut loquitur. Vetusta enim passionis acta vel per incuriam tempore illo scripta non fuerant, vel ex præsidum decreto temporibus Decii igne perierant; ut de actis martyrum generaliter testatur Prudentius. Altera sententia, sua quoque relatione fulta, (cujus testis ipse Gregorius lib. I. cap. XLVIII. de Miraculis) tradebat, missum Saturninum a discipulis Apostolorum, id est, plusquam centum & quinquaginta annis ante Decium. Adeo, ut in ancipiti positis liceat ultimam Gregorii sententiam sequi, quæ cohæret priori illi, apud eum non controversæ de non divellendis adeo prolixa temporum intercapedine a se invicem prioribus episcopis, qui a Petro & Paulo, & deinceps a Clemente Apostolorum discipulo, non longo intervallo missi, exordia fidei per Gallias propagarunt. Hinc factum, ut Ado in Martyrologio Saturninum scribat passum sub Decio, juxta primam Gregorii opinionem; Rabanus autem in suo Martyrologio sequatur secundam, usurpatis quoque Gregorii verbis: *Iste vero*, inquit, *Saturninus martyr, ut fertur, ab Apostolorum discipulis ordinatus, in urbem Tolosatum est directus*. Quod intelligendum de Clemente, a quo missus dicitur Saturninus una cum Dionysio in actis veteribus sancti Dionysii, compositis a Fortunato Pictavensi, qui secundam Gregorii sententiam disertissime confirmat. Quamquam vetusta sancti Saturnini acta missum a Petro doceant, & in Elusana urbe, Novempopulaniæ scilicet metropoli, deinde Pompelone, & in aliis Hispaniarum gentibus ecclesias constituisse; ut ex suis quoque tabulis fatentur auctores Hispani. Sed satius est, ut hæreamus relatæ a Gregorio traditioni; scilicet a discipulis Apostolorum ordinatum, id est, a Clemente, juxta Fortunatum.

XXVI. Eadem explicatio adhibenda est alteri loco *cap. 8. de gloria Confessorum*, ubi tradit, Bituricæ urbi verbum salutis prædicasse Ursinum episcopum, *qui a discipulis Apostolorum in Gallias destinatus fuerat*, scilicet a Clemente, ut ejus vitæ acta perantiqua testantur.

XXVII. Speciales, quas adhibuimus, probationes pro fulcienda veteri epocha quinque Pontificum Trophimi, Pauli, Martialis, Dionysii, Saturnini, quibuscum par est causa plurium aliorum, qui ecclesias in Galliis fundaverunt, generales probationes ex Irenæo, Tertulliano, & Eusebio de vetustate ecclesiarum, ut juvant, sic mutuum quoque ex illis subsidium capiunt. Qua de re diligenter disseruit Juris utriusque celeberrimus Antecessor in Academia Tolosana, Antonius Dadinus Alteserra, lib. IV. Rerum Aquitanicarum capite nono.

XXVIII. Quod autem attinet ad Gratianum, Turonensis ecclesiæ episcopum; cum ejus successor Gregorius, cui perspecta erant ecclesiæ suæ tabularia, doceat conceptis verbis lib. IX. hist. cap. XXXI. Gratianum anno Decii primo a Papa sedis Romanæ transmissum, additis quoque aliquot ejus episcopi gestis, neque ulla nobis aliunde supperat auctoritas, qua illum ad vetustiora tempora revocemus, temerarium censeo, adversus Gregorium de propriæ ecclesiæ statu disputare. Idem dicendum puto de Stremonii Arvernensis episcopi initiis; quæ Gregorium, utpote patria Arvernum, atque adeo in suis non peregrinum, latere non poterant. Quæ fortasse fuit occasio, cur negligentius se habuerit in aliarum ecclesiarum investigandis initiis: quibus exordia duarum sibi cararum, Turonensis & Avernæ, æquari non posse cum videret, maluit ad harum tempora priorum quinque fundationes indiscussas deprimere.

XXIX. Quare cum apud viros eruditissimos antiqua ecclesiarum Gallicanarum diptycha, in quibus Pontifices fidei prædicatæ antesignani descripti sunt, cum missionis apostolicæ vetustissima epocha, ex eo solo capite nutarint in temporis assignatione, quod cum Severo & Gregorio pugnare viderentur, religiosissimi Episcopi collegæ nostri poterunt intrepide in suis ecclesiis decessorum suorum traditam asserere vetustatem, securi de illa, quæ nostris objici solet, veterum auctorum ignoratione aut contemptu, tum etiam de aliquo veritatis historicæ dispendio, quæ alioqui laboraret, si actis antiquis fides sua detraheretur. Ita-

Itaque, præter cæteros superius memoratos, Clementem, a Petro Apostolo missum, sibi vindicabunt Metenses, ex actis unde narrationem suam hausit Paulus diaconus, mediæ ætatis & non contemnendæ auctoritatis scriptor. Ejusdem Apostoli curæ & postea Clementis, plures populi acceptam quoque ferre poterunt ex veteribus actis & martyrologiis primam episcoporum suorum institutionem. Quorum labores si suis provinciis, ex Augusti instituto dispositis, reddantur, Tertulliani sententia quantopere vera sit, de diversis Galliarum nationibus Christiana fide imbutis, patebit. Narbonensis quippe provincia non solum a Crescente Viennensi, sed etiam a Trophimo Arelatensi, a Paulo Narbonensi, qui proxime secutus est Trophimum, & demum a Saturnino Tolosano exculta fuit. Aquitanica a Martiale Lemovicensi, Ursino Bituricensi, Frontone Petragoricensi, & Eutropio Santonensi, atque etiam a Saturnino in Novempopulania, quæ pars erat Aquitaniæ. Belgicam curaverunt Eucharius Trevirensis, Clemens Metensis, Xystus Remensis, & Memmius Catalaunensis. Quod attinet ad Lugdunensem provinciam; fidem in ea instituerunt Dionysius Parisiensis, Savinianus Senonensis, Nicasius Rotomagensis, Caraunus Carnotensis, & Julianus Cenomanensis.

XXX. Superest, ut de Lugdunensi civitate quæramus: quæ quidem cum principia episcopatus debeat Pothino, qui passus sub Antonino anno Christi CLXXVII, nonagenario major, sed inferior Trophimi Arelatensis institutione, non dubito, quin hujus studio debeat primitias fidei. Siquidem, ut tradiderunt episcopi in libello, oblato Leoni Papæ anno quadringentesimo quinquagesimo, ex Trophimo, velut ex fonte, profluxerunt rivuli fidei in alias Galliarum partes, quod confirmat quoque Zosimi Papæ epistola. Quare cum Arelas Italiæ, Orientis, & Africæ commerciis pateret, & ob eam rationem Lugduno, florentissimo Galliarum emporio, conjungeretur, obvium fuit Trophimo per se & per alios legatos fidei Christianæ sementem ibi serere, quæ tandem in eum fidelium cœtum crevit, qui a Pothino episcopo regi mereretur.

XXXI. Non me latet, in quædam acta, quibus vitæ Pontificum illorum describuntur, multa (quod attinet ad eorum res gestas) irrepsisse, quæ manu medica egeant, ut repurgentur; quemadmodum de actis hujusce generis decreverat olim Concilium Francofordiense anno septingentesimo nonagesimo quarto. Id tamen non officit missionis veritati; de qua sola asserenda nunc agitur; omissis ceteris, quæ in quæstionem adducentur a viris eruditis, de quibus alias fortasse sententiam meam aperiam.

XXXII. Interim amicos nostros obtestor, ut boni consulant, quæ, licet aliena ab eorum sententia, dixi, provocatus tuendæ veritatis desiderio, ad restituendam ecclesiæ Gallicanæ majestatem, aliquo pacto imminutam ex depressa originis illius vetustate; quæ in rebus sacris non vulgarem venerationem conciliare solet, tum ecclesiis, tum etiam imperiis Christianis, in quibus sunt constitutæ. Quare non evertendas sed retinendas putavi, quæ vero nituntur traditiones nostras; præcipue cum in ecclesia Romana ac toto in orbe Christiano jam olim receptæ fuerint; adeo, ut non egeamus prava illa diligentia, quam adhibuerunt illi, qui etiam falsis atque confictis sub nomine veterum auctorum monumentis vetustatem Christianæ religionis sibi arrogare nituntur, vel etiam receptam confirmare.

Tu vero, VIR CLARISSIME, pro ea, qua polles, non solum eruditione, sed etiam prudentia, de nostro isto conatu, prout par est, decernes, & dignitatem ecclesiarum Gallicanarum robustius vindicabis. Vale. Lutetiæ Parisiorum, Nonis Septembris, anno MDCLVIII.



INDEX

INDEX RERUM


SUPER DISSERTATIONES MARCÆ.

B

C

Seno-

F I N I S.



DE CONCORDIA SACERDOTII ET IMPERII,

SEU

DE LIBERTATIBUS ECCLESIÆ GALLICANÆ,

DISSERTATIONUM LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

De consilio Auctoris, & variis schismatum causis.

SYNOPSIS.

I. Ex editione voluminum de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ *calumnia schismatis impacta est Gallis famoso quodam libello, & libertates contumelia affectæ. Inde nata occasio harum dissertationum.*

II. Refellitur calumnia ex iis quæ gesta sunt post eorum voluminum editionem: quæ damnata sacri Consistorii decreto & Episcoporum sententia, libertatibus illæsis.

III. Qui libertates illas religiose expendit, viam schismatibus precludit, non recludit. Frequentiores contentiones ob invasam jurisdictionem; unde bella & schismata.

IV. Schisma Græcorum originem trahit ex usurpatione Diœceseon. Leo Isaurus ob imagines damnatas excommunicatus Illyrici Diœcesim a Romana Ecclesia avulsam Constantinopolitanæ tribuit.

V. Hadrianus I. hanc frustra repetit in septima synodo. Minatur excommunicationem. Nicolaus petitione excidit, & a Bulgarica Diœcesi depulsus est.

VI. Ignatius, pulso Photio, restitutus ope Hadriani II. Bulgariam sibi addici curavit in octava synodo. Hadrianus minas excommunicationis intentat. Photius, post obitum Ignatii recepta sede, Joannis VIII. consensum extorsit, ea lege, ut Bulgaria restitueretur. Joannis spe artibus Græcorum elusa, Photius est anathemati antiquo redditus. Inde schisma, quod auctum est per controversias dogmatum.

VII. Dissidium Gregorii VII. & Henrici ob jura investiturarum & libertatem Ecclesiæ.

VIII. Ex eadem libertate læsa fluxit schisma Friderici I. Hadriani IV. & Alexandri III.

IX. Et dissensio Friderici II. Gregoriique noni. Schisma quoque Ludovici Bavari.

X. Galli pacem cum Ecclesia & jura sua retinuerunt; a dissidio quandoque non alieni, si juribus suis minuti fuissent, ex Ivone.

XI. Bonifacii VIII. & Philippi Pulchri dissidium ob jurisdictionem.

XII. Laudandi qui laborant in constituendis utriusque potestatis finibus ex mutua possessione.



Rodiit nuper e tenebris inauspicatus libellus, quo famam sibi comparare scelestissime conatur insanus scriptor, id præcipue curans, ut regni Gallici dignitate verbis atrocibus violata, hanc etiam nefandi schismatis labem inurat Ecclesiæ Gallicanæ, tanquam in eo sit, ut propediem erumpente dissidio, novus Patriarcha velut caput insititium jam lacero corpori & detruncato imponatur. Hujus facinoris calumniam vir clarissimus & nominis æque ac eruditionis celebritate conspicuus Isaacius Habertus elegantissima & fortissima oratione dispulit. Enimvero quia perfidus ille artifex imaginarii schismatis, inter cetera deploratæ causæ argumenta, male conceptam opinionem veluti tibicine quodam fulcire videtur editione duorum voluminum, quæ sub libertatum Ecclesiæ Gallicanæ titulo prostant, eoque nomine in invidiam omnes regni ordines trahere nititur, ac si eo proposito publicatum esset illud opus, ut sacrosanctæ sedis apostolicæ auctoritas veluti ludibrio quodam traduceretur, Episcoporum jura profligarentur, & his artibus omnium animi ad meditatum dissidium provocarentur, necesse est, ut in isto etiam capite calumnia illa studiose proteratur; quo & calumniatoris supinitas in affingendo crimine pateat, & libertas Ecclesiæ Gallicanæ asseratur, quæ veluti per insidias hoc dicendi genere contra fas omne impudentissime petitur. Cum autem sacra quoque imperii Gallici jura & fori quotidianam trituram hæc quæstio complectatur, in eam sagaci cura incumbendum est; & deinde sollicite perspiciendum, an volumina illa debitam sedi apostolicæ pietatem lædant, an vero operis illius a viro pacis & tranquillitatis publicæ studiosissimo compositi suggillatio impostoris illius Pseudo-Galli audaciæ sit adscribenda. Tantum onus sicut ultro suscipere temerarium foret, ita impositum detrectare religiosum, ei potissimum, cujus omnis in obsequio virtus sita est; maxime vero cum ea sit Ecclesiæ Gallicanæ causa; quæ nullis adjumentis egeat, & rationibus probe subductis, paria semper cum æquitate faciat. Fiducia igitur juris atque

Habertus Ecclesiæ Paris. Theologus, postea Episcopus Vaprensis in Ruthenis.

atque imperio fretus provinciam mihi demandatam ſuſcipio, ſperans neque me apud æquos bonoſque gratiam deſideraturum, neque cauſæ obfuturam tenuitatem ingenii mei.

II. Poterat ſane hoc argumento hariolus noſter ſuperſedere, niſi eum animi ægri impotentia in calumnias præcipitem daret. Nullum namque ab horum voluminum editione diſcrimen in Eccleſiam derivari poterat; cum & auctoritate publica deſtituerentur, & Nuntii Pontificii querelis hac de re apud Regem delatis optime cautum eſſet. Titulus ille libertatum Eccleſiæ Gallicanæ Pontificis Apocriſiarium omnia etiam tuta timentem commovit, ſuſpicantem ſcilicet aliqua nova dogmata in detrimentum apoſtolicæ ſedis his libris procudi. Auxit metum importune aliquibus locis ingeſta tomo primo aliquot impiarum ſententiarum mentio, nempe, *Nihil juris in Gallicanas Eccleſias Romano Pontifici ſex primis ſeculis competiviſſe. Clodovei temporibus Regem ſummum in terris & primum a Chriſto caput Eccleſiæ Gallicanæ fuiſſe, non autem Papam. Non licere Papæ extra diœceſim ſuam excommunicationes ferre*, & ejus generis alia. Eximia illa, quæ in Gallia ſemper viguit ad ſummum Pontificem colendum propenſio, & impenſa eminentiſſimi Cardinalis Ducis Richelii cura ad retinendam regni & Eccleſiæ pacem, ſanctioris Conſiſtorii decretum ſtatim provocavit, quo librorum iſtorum commercio eſt interdictum. Quod non ita interpretari oportet ac ſi libertates Eccleſiæ Gallicanæ Regis decreto profligatæ eſſent. Tot enim illi tantique labores, quos ad ſocios juvandos, ad fines regni tuendos proferendoſque Rex Chriſtianiſſimus impendit, id ſuſpicari neminem patiuntur, ut pro deſertore eorum jurium habeatur quæ ab invictiſſimis Regibus Clodoveo & Carolo Magno & a ſanctiſſimo & immortalis memoriæ Rege Ludovico IX. ſub libertatis Eccleſiæ Gallicanæ nomine Coronæ regiæ aſſerta ſunt. Eo conſilio tantum interdictio decreta eſt ut omnibus conſtaret, juſtis Nuntii petitionibus locum eſſe, & alienas a Gallorum ſententia & moribus opiniones apud nos non foveri. Ejuſdem eminentiſſimi Cardinalis opera cogitur Epiſcoporum, qui erant in comitatu, cœtus ſatis frequens: qui profanas vocum novitates exoſi, diris totum opus extemplo devoverunt, non ſcrupuloſa inquiſitione ſolertiam; ſed celeritate ſtudium ſuum probare ſatagentes. Quod tamen per temporis anguſtias non licebat, in graviſſimos aliquot Theologos diſcutiendi operis laborem refuderunt: qui mandata poteſtate, & quaſi vicaria, diſtringendarum impiarum ſententiarum & publice, ſi quæ inter legendum inciderent, proſcribendarum munere defungerentur. Ex ordine rei geſtæ ſatis ſe prodit impacta calumnia, ita ut legis Remmiæ reum pœnæ ſubducere nullo rhetorum colore fas ſit. Scilicet ex eorum voluminum editione ſchiſma timendum erat, quorum corpus auctoritate publica proſcriptum eſt, eo ſolum prætextu, ut dixi, quod cruda quædam & minus decocta verba quibuſdam ſcriptoribus abhinc quinquaginta annis exciderant, cum labentibus patriæ rebus, & regno in partes ſciſſo, Principis caput colore pietatis quæſito petebatur.

III. Sed nolo in ea hærere reſponſione, quæ argumenti imbecillitatem prodit & mentem averſam impoſtoris. Majus aliquid moliendum eſt. Docendum nempe, editione illorum voluminum, quibus libertates Eccleſiæ Gallicanæ continentur, ſchiſmatibus viam præcludi, non recludi. Abſit autem, ut ſacri Concilii decretum imminuere velim aut Epiſcoporum ſententiam infringere, qui juſtis ſuffragiis pietatem adverſus profanas aliquot voces ulti ſunt. Hoc unum duntaxat aſſero, eum, qui religioſo & ſincero animo expendendarum Eccleſiæ Gallicanæ libertatum partes in ſe recipit, rectam inire viam, quam perſequi oporteat ad avertendam Eccleſiæ & regni diſſenſionem. Atque adeo ſi intra hoſce fines coerceri poſſit editio ſyntagmatis illius politici, conſilium editoris ita interpretari par erit, ut procuratum ab eo fuiſſe dicamus duarum poteſtatum conſortium potius, quam earum diſſidium ab homine privato tentatum. Quotidie in iis negotiis verſamur quæ in confinio juriſdictionis eccleſiaſticæ & regiæ poſita ſunt. Nihil frequentius apud ſumma curiarum tribunalia, quæ vice ſacra judicant, iis litibus quæ fori præſcriptionibus continentur. Itaque non male merentur de re publica, qui ſacrorum finium regundorum arcanam diſciplinam in lucem emittunt, ut neminem lateat, quæ ratio iis tenenda ſit, quibus propoſitum eſt offenſiones ob confuſos juriſdictionum fines plerumque accenſas præcavere. Non aliunde enim uberior contentionum ſeges & proventus in ſocietatem humani generis redundare ſolet: quæ in apertum aliquando bellum apud Reges erumpunt, & ſchiſmaticam diviſionem velut aliquod bellum ſacrum (in quo de finibus diſceptabatur olim) in Eccleſiam important.

Greg. Naziant. Orat. ad 150. Patres: λεγέσθω γὰρ τῶν καὶ πόλεμος ἱερὸς εἰς καὶ βαρβαρικός. *Bellum ſacrum de finibus apud Plutarchum & alios.*

IV. Lugendum illud ſchiſma, & omnibus ſeculis deplorandum, quod florentiſſimas orientis Eccleſias a capite ſuo avulſit, non in aliam cauſam conjiciendum eſt quam in contentionem, quæ * ob Diœceſes malo more uſurpatas exarſit. Non enim in eam hæreſim, quæ de proceſſione ſancti Spiritus dimicantes Eccleſias poſtea colliſit, referenda eſt hujus diſſidii cauſa, ſed in eam, de qua dixi, Diœceſeon uſurpationem; unde nata eſt Græculis occaſio de ſummis Chriſtianæ religionis capitibus & certis quibuſdam diſciplinæ articulis litis movendæ adverſus Romanam Eccleſiam, ut ſeceſſionem ſuam neceſſariam omnibus comprobarent. Rem certam narrabo, etſi fortaſſe non omnibus obviam qui mediæ ætatis ſcriptores terunt. Leo Iſaurus per omnes imperii Conſtantinopolitani provincias uſum imaginum in templis edicto abrogavit & confringi juſſit.

* Iniquum prorſus Holſtenio viſum eſt, quod in hoc capite adnotatum eſt, ſchiſma orientalium fluxiſſe ex controverſia quæ inter ſummos Pontifices & orientalem Eccleſiam exarſit ob Diœceſes malo more uſurpatas & Epiſcopo Romano per vim ablatas. Iſtam quidem criminationem fortiter repulit illuſtriſſimus Archiepiſcopus, adeo ut ope noſtra nequaquam indigeat, ſatiſque ſit monuiſſe lectorem ut adeat reſponſionem ejus ad Notas Holſtenii, quæ edita eſt inter Prolegomena. Quid ſi vir priſci moris amantiſſimus, majorum noſtrorum qui regnante S. Ludovico vixerunt exemplum ſecutus, cauſas illius ſchiſmatis imputaſſet avaritiæ ſuperbiæque Romanorum? Tunc videlicet data fuiſſet bella occaſio invehendi in hominem. Ævo namque ſancti Ludovici Francorum Regis, Capitula provinciarum Rhemenſis, Senonenſis & Rothomagenſis, ſcriptis ad Clementem IV. ſummum Pontificem graviſſimis literis anno MCCLXVII. adverſus exactiones Curiæ Romanæ, non dubitaverunt palam objicere, tamquam rem certam & cunctis notam, hinc ortum eſſe ſchiſma Eccleſiæ orientalis: *Cæterum quod propter hujuſmodi exactiones*, inquiunt, *orientalis Eccleſia ab obedientia Romanæ Eccleſiæ receſſerit patet cunctis*. Eandem inter alias cauſam attulere fratres Prædicatores, dum anno MCCLII. adverſus Græcorum errores ſcriberent. Extabat eorum liber manuſcriptus in bibliotheca Bavarica, unde editus eſt Ingolſtadii a Petro Stevartio in Tomo ſingulari anno MDCXVI. & hinc translatus in tomum quartum Bibliothecæ Patrum. *Tertia occaſio fuit*, inquiunt Prædicatores, *quam ipſi aliquando nobis in familiari colloquio aſſignaverunt, ſcilicet ſuperba nimis exactio Legatorum Papæ. Dicebant namque referentes quod quando Legati ſummi Pontificis ab ipſa ſede apoſtolica annuatim Conſtantinopolim chriſma deferebant, niſi octoginta libræ auri a clero & urbis populo, præter alia dona & munuſcula, eiſdem impenderentur, non recedebant. Taceo, age, ajebant, de pompa & ſuperbia quam ipſi oſtendebant.* Vide epiſtolas Germani Patriarchæ Conſtantinopolitani ad Papam Gregorium IX. & Cardinales, quæ exſtant apud Matthæum Pariſium. Claudam vero hanc obſervationem meam illuſtri loco Guillelmi Durandi Epiſcopi Mimatenſis, cujus hæc ſunt verba ex libro ſecundo de modo Generalis Concilii celebrandi Cap. VII. *Proverbium vulgare eſt: Qui totum vult, totum perdit. Eccleſia Romana ſibi vendicat univerſa. XCIII. diſt. Diaconi ſunt. Unde timendum eſt quod univerſa perdat. Nam (ſicut Salomon ait Proverbiorum XXX.) qui multum emungit, ſanguinem elicit. IV. diſt. Denique. Sicut habetur exemplum de Eccleſia Græcorum, quæ ex hoc ab Eccleſiæ Romanæ obedientia dicitur receſſiſſe.* Vide etiam Petrum de Alliaco in libro de reformatione Eccleſiæ edito in Concilio Conſtantienſi.

Epiſtola hæc extat in Chronico Normanniæ, inter Scriptores Hiſtor. Normann.

Vid. lib. 3. c. 11. §. 3.

jussit. Gregorius II. & III. coactis Romæ Conciliis tantum nefas damnarunt, & contumaces anathemate defixerunt. Hinc qui Ravennæ & in ceteris Italiæ provinciis excubabat exercitus, conjunctis populorum studiis in rebellionem adeo præfracte erupit, ut de novo Imperatore constituendo cogitaret, nisi Gregorius Pontifex summa auctoritate intercessisset, in eo sistendum ratus, ut communione Ecclesiæ, non imperii dignitate, Leoni esset interdictum. Quoniam tamen a Pontifice, non sane nominatim, sed per consequentiam quandam, abstentus erat Ecclesiæ communione, atque inde rebellionis occasio erat profecta, dolorem suum ita ultus est, ut supra patrimoniorum & latifundiorum capionem quæ in Sicilia & Calabria sita erant, earum omnium provinciarum, quæ a Sicilia usque ad Thraciam per Illyricum, Epirum, Achajam & Macedoniam porrigebantur, administrationem ab Ecclesia Romana avelleret & Constantinopolitanæ tribueret.

Anastasius in vita Gregorii.

V. Post quinquaginta exinde annos, occasione septimæ synodi Nicænæ captata, quo Legatos suos misit Hadrianus I. ut Ecclesiæ laboranti in oriente & ob imagines confractas discissæ opitularetur, restitutionem Diœceseos abscissæ tanto justius petivit, quod Ecclesia Romana per summum scelus hanc vim passa erat ab ea hæresi quæ tum in synodo proscribebatur. Sed nihil promovit Legatorum conatus, ut hac de re graviter apud Carolum magnum Francorum Regem conqueritur Hadrianus; adeo ut animo fixum sibi esse profiteatur Græcos illos tot monitionibus rebelles & alienæ Diœceseos pervasores pertinacissimos, nisi quantocyus eam Ecclesiæ Romanæ restituant, inter hæreticos censere. *De Diœcesi*, inquit ille, *sanctæ nostræ Romanæ Ecclesiæ tam Archiepiscoporum quam Episcoporum, seu de patrimoniis, iterum increpantes commonemus ut si noluerit ea sanctæ nostræ Romanæ Ecclesiæ restituere, hæreticum eum pro hujusmodi erroris perseverantia esse decernemus.* Primo fortasse omnium in mentem venit Hadriano ut quæ a Canonibus excommunicatione tantum plectitur alienorum bonorum injusta detentio, in hæreseos censum veniret ob destinatum & defixum in errore illo propositum. Quæ anathematis comminatio effectum tandem sortita est, postquam Romanorum patientiam morosæ Constantinopolitanorum ludificationes exhauserunt. Etenim cum a Nicolao I. Michael Imperator Legatos impetrasset in eum finem ut una cum synodo in oriente cogenda Ignatii Patriarchæ exauctorationem & adulterium Photii, id est, Constantinopolitanæ sedis incubationem, consensu suo firmarent, Nicolaus non insuperhabuit sedis suæ jura; quin potius provinciarum Illyrici, Macedoniæ, Thessaliæ, Achajæ, Epiri, & Siciliæ petitionem renovavit. Verum nulla tam honestæ expostulationis habita ratione, a Bulgaria (quæ erat Illyrici non contemnenda portio, & recens ad fidem converso Rege Michaele ad Romanæ Ecclesiæ dispositionem accesserat) per vim a Constantinopolitanis fuit deturbatus.

In apologetico ad Carolum pro imaginibus, sub finem; *Dudum quippe quando eos pro sacris imaginibus erectione adhortati sumus, simili modo & de Diœcesi tam Archiepiscoporum quam & Episcoporum sanctæ catholicæ & apostolicæ Romanæ Ecclesiæ commonentes quæsivimus restituere quæ tunc cum patrimoniis nostris abstulerunt quando sacras imagines deposuerunt, & nec responsum quodlibet exinde dederunt.*

Nicolaus I. ep. 2.

VI. Successit huic injuriæ Ignatii vitium: qui licet Romanæ sedis beneficio & auctoritate in octava synodo, detruso Photio, Ecclesiam suam receperit, tamen a Legatis Hadriani II. rogatus ut vicem Ecclesiæ Romanæ rependeret, restituta Bulgaria, (ceteras enim provincias Pagani & Saraceni misere lacerabant) adeo se alienum præstitit ut subornatis Vicariis trium sedium patriarchalium Alexandriæ, Antiochiæ & Hierosolymorum, eam Diœcesim sibi ab iis addici curaverit, reclamantibus licet Romanæ sedis Legatis, qui de hac re secum agi non posse; utpote mandato destitutis, contendebant, & per summam injuriam antiquissima Ecclesiæ Romanæ jura & recentem possessionem convelli. Qui motus animi fuerit Hadriano II. ipse ostendit epistola ad Basilium Macedonem Imperatorem, qua Ignatio abstentionem minatur nisi a Bulgaria discesserit. Ignatii obitus orientis statum immutavit. Photius anathemate toties ictus, & ab octava synodo totius orbis suffragiis discinctus, Constantinopolitanam se-

Anastas. in vita Hadr. II. & in præfat. syn. VIII.

Hadrianus II. in ep. ad Basilium, quę extat sub finem Concilii 8. editionis Anast. *Favore vestro frater & coepiscopus noster Ignatius in*

dem per gratiam Principis repetit, accedente sacerdotum consensu. Interpellatur Joannes VIII. ut decreto suo omnium votis pro pace illius Ecclesiæ suffragetur. Annuit ille; non rescissis quidem tot judicis a Nicolao & ab octava synodo adversus Photium redditis, sed earum damnationum indulgentia concessa; ea tamen lege ut Bulgariam Ecclesia Romana reciperet, alioqui Photium excommunicationis pœna constringeret. Photius conditionem adjectam adeo non implevit ut in ea synodo quæ ad ejus restitutionem sanciendam coacta est Constantinopoli, considentibus apostolicæ sedis Legatis, Bulgaricæ Diœceseos quæstio, quasi de finibus Imperii ageretur, ad Imperatorem sit remissa; & insuper sancitus canon, ne abstenti a Photio in communionem susciperentur a Romano Pontifice. Basilius Imperator Græca fraude Joanni os sublinire se posse putavit & suo officio defungi, si literis suis testaretur per se liberum esse Pontifici ut Bulgariam retineret. Interim tamen nec revocati sunt Episcopi, quos sedes Constantinopolitana iis provinciis præfecerat, & summissus est Michael Rex Bulgarorum, qui eorum ministerio Ecclesias suas procurandas Joanni contestaretur, adeo ut & voti reatum & schismatis crimen Michaeli Pontifex exprobrandum duxerit. Itaque & Bulgaricæ Diœceseos restitutio denegata, & suæ communionis impertiendæ abstentis a Photio arbitrium præcisum, adeo Joannem commovit ut Photium anathemate feriret, quemadmodum docet Formosi Pontificis epistola ad Stylianum. Ex eo tempore interrupta sunt communionis consortia; & Leo Imperator, Basilii filius, velut opimis quibusdam spoliis de Ecclesia Romana relatis, notitiam episcopatuum, qui ordinationi Constantinopolitanæ Ecclesiæ subjacent, iis provinciis auxit, quæ, ut ipse loquitur, *a Romana Diœcesi avulsa sunt.*

Bulgarorum regione consecrare præsumpsit antistitem. Infra: *Saltem nunc jam dictum Præsulem ab illius regionis dispositione salubribus monitis quæsumus coercete, alioqui nec ipse canonicam fugiet ultionem; & ii qui præsulatus vel alterius officii sibi nomen illic usurpant, cum excommunicatione, qua jam tenentur astricti, etiam proprii gradus jactura carebunt.*

Joannes VIII. ep. 199. 200. & 201. Act. 3. & 4. Conciliabuli sub Photio habiti, apud Baron. ann. 880. Joannes epist. 250. ad Basil. Joannes epist. 297. ad Michaelem, & in Appendice ep. 2. Formosus ep. ad Stylianum: *Joannes anathemate Photium damnavit, quando ille seduxit Eugenium & ejus socios, qui pro rebus Bulgariæ venerant.*

Notitia Leonis Imper. L. 1. Iuris Græco-Romani: ἀποσπασθέντες ἐκ τῆς Ῥωμαϊκῆς διοικήσεως.

VII. Eadem strages occidentem aliquando fœdavit, dissidio inter Ecclesiam & imperium e variis de jurisdictione contentionibus orto, quod Gregorium VII. & Henricum IV. inter se commisit; nec potuit incendium, quo Europa flagrabat, extingui, donec pax Ecclesiæ reddita fuisset iis conditionibus quibus depacti sunt Callistus secundus & Henricus V. Contentio illa, quæ corpus Ecclesiæ in duas veluti factiones divisit & verum schisma conflavit, non aliunde sumpsit originem quam ex episcopatuum investituris, quæ per annulum & virgam concedebantur: quas quidem Gregorius & eum secuti Pontifices, Urbanus II. & Paschalis II. libertati ecclesiasticæ adversas asserebant; e contra Henrici ambo, pater & filius, eas in eorum jurium censum referebant, quæ a Carolo magno quæsita imperio, per longissimi temporis usum vim constituti habere profitebantur, a quibus excidere illis fas non esset quamdiu imperium retinerent, atque adeo, si ob assertam regni libertatem aliqua excommunicatione necterentur, eam nullius momenti futuram.

An. MLXXX.

An. MCXXII.

Videndus tractatus Sigeberti de unitate Ecclesiæ.

VIII. Dissensionem vero illam, quæ inter Fridericum primum & Hadrianum IV. Alexandrumque III. exarsit, quæque tot luctuosis cladibus celebratur apud auctores, sola hinc imperii asserendi, hinc Ecclesiæ in libertatem vindicandæ cupido excitavit. Hadrianus ab hominis sacramento liberos Episcopos contendebat, & imperium Romano suo beneficio Friderico collatum. Fridericus vero hoc telo peti dignitatem suam ratus, & imperii jura ad feudorum servitutem demitti, excanduit, hacque ratione *unitatem scindi, inter regnum & sacerdotium schisma fieri*, edicto testatus est. Ægrum animum & saucium curare conatus est Hadrianus; sed crudum vulnus, quod Fridericus toto corpore exceperat, tam levi remedio obduci non potuit, quinimo cum Hadrianus imperii hostes in Italia sublevasset, pestis illa recruduit; & in Alexandrum successorem propagata, schismate corpus Ecclesiæ laceravit.

Fridericus in edicto anni 1157.

IX. Quid loquar de funesta illa dissensione, quæ Fridericum II. & Gregorium IX. inter se collisit? Calamitatem illam accepto ferendam docet fides annalium violatæ a Friderico clericorum & Ecclesiarum

Joann. Villani l. 6. cap. 16. Vinc. Beluac. l. 30. c. 129.

immunitati: quam Honorius III. cum excommunicatione vindicasset, inde luctuosissimi belli & schismatis sub Gregorio IX. licet aliis coloribus quæsitis, occasio nata est. Mitto Ludovicum Bavarum, qui jura imperii Romani cum asserere tentaret adversus Joannem XXII. horrida belli tempestate & misero schismate Italiam & Germaniam concussit.

Vide vitas Paparum Avenion. tom. 2. p. 470. & seqq.

X. Quod ad Gallos attinet, ita se in his discriminibus semper gesserunt, ut constantia prudentiaque sua & jura sua retinuerint, & pietatem erga Romanam Ecclesiam non læserint, quæ etiam omne studium suum in id contulit, ut de Francorum Regibus optime mereretur. Sane tacendum non est, Gallos quandoque ita comparatos, ut si præfracte cum illis actum fuisset, in dissidium abiissent potius quam Ecclesiam Gallicanam veluti capite minui sustinuissent; ut fidem faciunt litteræ ab Ivone Episcopo Carnotensi ad Paschalem II. datæ, quibus Pontificem serio monet, ne Noviomensis Ecclesiæ divisione tentata, Tornaci Episcopum instituat contra veterem consuetudinem. *Novit*, inquit ille, *paternitas vestra quia regnum Francorum præ ceteris regnis sedi apostolicæ semper fuit obnoxium; & idcirco, quantum ad ipsas regias personas pertinuit, nulla fuit divisio inter regnum & sacerdotium. Quod ergo hactenus cum pace & utilitate Ecclesiæ observatum est, humiliter petimus ut de cetero observetur, & regni Francorum pax & summi sacerdotii nulla subreptione dissolvatur. Quod idcirco prælibamus, quia audivimus clericos Tornacenses apud apostolicam sedem venisse petituros, ut apostolica præceptione proprium possint habere Episcopum & Noviomensis Ecclesiæ frustrare privilegium. Quod ne fiat, sicut filii & fideles rogamus & consulimus; ut statum Ecclesiarum, qui quadringentis ferme annis duravit, inconcussum manere concedatis; ne hac occasione schisma, quod est in Germanico regno adversus sedem apostolicam, in Galliarum regno suscitetis.* Tunc scilicet in Germania vigebat schisma illud, quod investiturarum prohibitio excitarat, de quo superius locuti sumus.

Ivo ep. 238. Vide infr. lib. 4. cap. 13. §. 3.

XI. Piget referre famosam illam Bonifacii VIII. & Philippi IV. Francorum Regis concertationem: quæ adeo exarsit ut Pontificis Regisque dissidio, etsi nullo cum sede apostolica facto divortio, sit dehonestata. Sed si quis penitius mali causas introspicere velit, inde labem illam profectam sentiet, quod summus Pontifex majestatem Regis & regni imminuere vellet & ecclesiasticæ jurisdictionis ultra quam par esset pomœria proferre. Cessatum est ab hac divisione cura & studio summorum Pontificum, qui constitutionibus illis, quæ juribus regni vim quandam inferebant, ita derogarunt, ut restitutione utrinque facta, res eo loco positæ essent, quo erant ante Bonifacii præjudicatam sententiam.

Vide lib. 2. c. 3. §. 8.

XII. Itaque non abs re mihi præfatus esse videor, iis hominibus cumulatissimas laudes deberi a probis cordatisque viris & pacis ecclesiasticæ amantibus, qui in id unum omnem laborem suum & diligentiam impendunt, ut fines utriusque jurisdictionis ecclesiasticæ & regiæ ex mutua utriusque possessione constituant. Enimvero quia uno ictu & latus petitur libertatum Gallicanarum & consilium ejus, qui duo illa volumina, quæ libertates illas complectuntur, summo studio & indefesso labore collegit, necesse est, ut in rem ipsam descendamus, & fundamenta, quibus moles libertatis Ecclesiæ Gallicanæ innititur, diligentissime perscrutemur, simulque in illud inquiramus, an iis libertatibus apostolicæ sedis reverentia labefactetur, an potius foveatur. Quo peracto, tum demum aliquot capita expendemus, quorum usus est in foro quotidianus, & testimoniis a collectore nostro assertus. Unde planum unicuique fiet, an consilio promovendi schismatis, an vero avertendi dissidii, tot sudores huic collectioni ab auctore suo impensi fuerint.

CAPUT II.

De primo libertatis Ecclesiæ Gallicanæ fundamento, communione & unione ecclesiarum.

SYNOPSIS.

I. Divisio operis in tres partes.

II. Primum libertatum Ecclesiæ Gallicanæ fundamentum, suprema sedis apostolicæ auctoritas ejusque communio.

III. Necessitas communionis breviter attingitur, ad refellendam impostoris calumniam.

IV. Origo communionis & unitatis in Ecclesia Romana, ex Cypriano, & Optato, quorum genuinus sensus expenditur.

V. Quos secuti Hieronymus & Gelasius.

VI. Hanc communionem ut necessariam Galli retinuerunt, ex Irenæo & Avito.

VII. Duplici vinculo astricti; tum quia summus Pontifex est caput universalis Ecclesiæ, ex Conciliis Aquilejensi & Chalcedonensi, tum quia Patriarcha occidentis.

I. Tria sunt potissimum, quæ in istis dissertationibus demonstranda mihi proposui. Primum est, Ecclesiæ Gallicanæ libertatem eo præcipue fundamento niti, ut supremam apostolicæ sedis auctoritatem & profiteatur & omnibus officiis colat. Alterum, auctoritatis illius usum a Pontificibus apud nos ita semper temperatum fuisse, ut & de summa Pontificis auctoritate nihil decesserit, & jura regni Ecclesiæque Gallicanæ vim suam obtinuerint, in id semper adnitentibus Regibus, ut in disciplina ecclesiastica & sacris Coronæ regiæ juribus conservandis paria facerent. Postea vero, quæ adhuc generalius paulo & παχυμερῶς fuerint asserta, adeo vera esse docebimus, ut Ecclesiæ Gallicanæ deinceps suggillandæ nullus omnino relinquatur locus.

II. Hostes Ecclesiæ & Gallici imperii æmuli, atque etiam quamplurimi homines minime mali, sed in usu rerum parum versati & antiquitatis ecclesiasticæ imperiti, nomen ipsum libertatum Ecclesiæ Gallicanæ detestantur, quasi apertam ab Ecclesia Romana defectionem blasphemiæ proximam inducat. Hi ex æquo & Romanæ Ecclesiæ injuriosi sunt, ac si libertatem omnem aversata, despotica quadam vel potius tyrannica potestate jura omnia infringeret, & Ecclesiæ Gallicanæ pudorem onerant, quasi libertatis cujusdam retinens esse non possit & simul pietate debita matrem suam prosequi. Itaque, ut omnibus fiat satis, liquido & secundum sententiam meam omniumque Gallorum assero, præcipuum primumque libertatis ecclesiasticæ fundamentum apud nos hoc esse, ut principatus apostolicæ sedis suum locum semper obtineat. Etenim cum Ecclesia Gallicana inter præcipua & illustriora Ecclesiæ universalis membra censeatur, totius vero corporis caput in Ecclesia Romana sit constitutum, fieri non potest, ut veræ Ecclesiæ libertatibus fruatur, nisi capitis hujus communioni inserta sit. Retineri autem communio illa non potest, nisi officiis illis caput excolatur, quæ principatui apostolicæ sedis nemo sanus unquam negaverit. Docendum itaque est, Gallos ab ipsis Ecclesiæ primordiis usque ad nostram ætatem & communionis ecclesiasticæ originem in cathedra Petri constituisse & supremam Ecclesiæ auctoritatem huic sedi collatam semper coluisse juxta varios illos gradus, quibus eam pro bono publicæ disciplinæ, temporis ratione habita, Pontifices Romani explicare consueverunt.

III. Prima illa hujus capitis pars, quæ communionis cum Romana Ecclesia necessitatem attingit, posset a me hoc loco prætermitti, nisi famosus ille libellus, qui huic scriptioni ansam præbet, hoc nomine Galliæ magistratus in crimen adduceret, quasi de hac intervertenda vel conservanda communione parum solliciti essent. Quamvis itaque articulus iste tam copiosa lucubratione a viro clarissimo sit explicatus, ut mea opera non indi-

indigeat, ne tamen aliqua suspicio supersit, posse aliquem e magistratuum numero ad communionem illam dissolvendam, ut minus sibi perspectam, præmiis invitari, quod tentatum fuisse, per summam impudentiam & calumniam impostor suadere nititur) pauca verba hac de re faciam, eoque libentius, quod inde gradus struitur ad explicandam asserendamque Ecclesiæ Romanæ per Gallias auctoritatem.

Vide Baluzium de vita Marcæ cap. 8.

IV. Sane communi omnium Ecclesiarum consensu fuisse receptum, ut ad cathedram Petri, tamquam in descriptione circulari lineæ ad centrum, respicerent, non solum nos docuit Leo primus, sed etiam omnes Africani Patres: quorum testimonio hac quidem in causa satius est uti quam ceterorum, quippe qui nullius gratiæ aut adulationis apud ipsos hæreticos hac in re suspecti sunt, cum libertatis Ecclesiæ Africanæ semper acerrimos vindices se præstiterint. Cyprianus itaque docet, Ecclesiam Romanam esse Petri *cathedram & Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est*. Optatus vero, Milevitanus Episcopus, sacrilegi schismatis a Donatistis in Africa conflati sceleftam divisionem inde damnare & evertere conatur, quod ab Ecclesia Romana discessissent, ubi est origo & radix unitatis. *Igitur negare non potes, scire te in urbe Roma Petro primo episcopalem cathedram esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, unde & Cephas appellatus est: in qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur, ne ceteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent; ut jam schismaticus & peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret*. Hunc autem verborum Cypriani & Optati germanum sensum esse existimo, licet aliorsum a plerisque torqueantur, nempe, cum Ecclesia (quæ instar corporis, nexu quodam mystico, Christo ut capiti cohæret) nihil aliud sit, quam *plebs ab Episcopo collecta*, unum tantum episcopatum unamque cathedram in illo corpore constitui oportere; cujus cathedræ dignitas summa Christi libertate Ecclesiæ collata est iis verbis, quibus Petro administrandarum clavium & pascendi gregis curam demandavit. Porro Petrum solum a Christo interpellatum, ut unitas Ecclesiæ demonstraretur & Petro dignitas illa tribueretur, qua *totius Ecclesiæ repræsentaret figurata generalitate personam*, ut cum Augustino loquar, atque hoc pacto & hac verborum formula de industria ad eum finem a Christo concepta unus episcopatus instrueretur, cujus quidem pars a singulis Episcopis in solidum possideretur, ita tamen, ut ejus fons & origo ab uno inciperet, a principe videlicet Apostolorum Petro, atque adeo nulli liceret, neque ipsis etiam Apostolis, episcopatum tenere alienum a communione & consortio unitatis, quæ viget in cathedra Petri.

Cyprian. epist. 55.

Optatus l. 2. contra Parmen.

V. Quapropter eleganter veritatis ille assertor Hieronymus ita efformatum fuisse corpus Ecclesiæ docuit, ut capite constituto schismatis tolleretur occasio, ejusque capitis rationem in cathedra Petri collocatam; ex quo proinde sequatur, eum, qui alienus sit ab Ecclesiæ Romanæ communione, a compage totius corporis avulsum, in peregrinitatem quandam redigi. Quam sententiam exemplo suo testatus est, cum, per varias factiones oriente discerpto, Antiochena Ecclesia trium Patriarcharum schismate vexaretur: *Ego*, inquit ille, *nullum primum nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri, communione consocior, super illam Petram Ecclesiam ædificatam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio*. Juxta Cypriani, Optati & Hieronymi sensum Gelasius Ecclesiæ Romanæ principatum arcessit ab unitate Ecclesiæ, quam Christus sermone ad Petrum directo instituit. Etenim in tractatu adversus Græcos ait, invicto Patrum Nicænæ synodi judicio vetustissimum Romanæ sedis honorem fuisse judicatum; utpote qui Domini recordabantur sententiam: *Tu es Petrus &c.* & rursus: *Ecce ego rogavi &c.* & illud: *Pasce oves meas. Quare igitur ad Petrum tam frequens Domini sermo dirigitur? Numquidnam reliqui sancti & beati Apostoli non erant simili virtute succincti? Quis hoc audeat affirmare? Sed ut, capite constituto, schismatis tolleretur occasio, & una monstraretur compago corporis Christi, quæ ad unum caput gloriosissima dilectionis societate concurreret, & una esset Ecclesia, cui fideliter crederetur, unaque domus unius Domini & unius redemptoris, in qua de uno pane & de uno calice nutriremur*.

Hieronymus l. 1. contra Jovin.

Idem Hieronymus ep. ad Damasum.

Gelasius I. in tract. adversus Græc. edito a R. P. Sirmondo.

VI. Commune hoc officium communionis cum Ecclesia Romana, cui impendendo cum ceteris provinciis Gallia astringitur, cognoverat ante omnes vetustissimus ille Lugdunensium antistes Irenæus, qui unus scripsit, quod omnes sentiebant. *Ad Romanam Ecclesiam*, inquit, *propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam*, quasi diceret, juxta sinceriorem illorum verborum interpretationem, eam esse vim unitatis, quæ principium & originem a Petri sede trahit, ut cum ea sentiendi necessitatem ceteris imponat. Propagatam in sequentes ætates apud Gallos hujus veritatis apertam professionem, docet Avitus Episcopus Viennensis: qui ad Hormisdam, cum sollicitius scriberet ut a Græcorum calliditate sibi caveret, qui, concordiam verbis pollicentes, dolo fortasse agebant, ait: *Quin securus non dicam de Viennensi, sed de totius Galliæ devotione polliceor omnes super statu fidei vestram captare sententiam, orate, ut sic nos perditorum professio fucata non fallat, sicut ab unitate, quam regitis, veritas comperta non separat*.

Irenæus l. 3. cap. 3.

Propter potentiorem principalitatem, *id est, priorem & potiorem originem, ne quis hic Romanum imperium somniet*.

Avitus ep. 37. ad Hormisdam anno 517. Epist. Conc. Aquil. ad Gratianum: *Totius orbis Romani caput Romanam Ecclesiam atque illam sacrosanctam Apostolorum fidem ne turbari sineret, obsecranda fuit clementia vestra, inde enim in omnes veneranda communionis jura dimanant* (Quidam legunt, *commonitionis*.) Epist. synodica Concil. Chalced. ad Leonem: ὧν σὺ μὲν ὡς κεφαλὴ μελῶν ἡγεμόνευες.

VII. Sane duplici nomine ad retinendam cum Ecclesia Romana communionem Galli obligantur; quia in Romana sede tum universalis Ecclesiæ caput, tum occidentalis Ecclesiæ patriarchatum suscipiunt. Constat enim, illos, æque ac Concilium Aquilejense, cui præerat Ambrosius, *totius orbis Romani caput Romanam Ecclesiam agnoscere, unde in omnes veneranda communionis jura dimanant*. Ad eo ut a Concilii Chalcedonensis societate alienos se esse putarent, nisi juxta sexcentorum illorum Patrum sententiam, non solum singularum Ecclesiarum, sed etiam universalis Ecclesiæ caput Romanum Pontificem profiterentur.

CAPUT III.

De divisione ecclesiarum, & trium præcipuarum jure Patriarchico.

SYNOPSIS.

I. De patriarchatu occidentis agitur, ut auctoritas Romanæ Ecclesiæ per Gallias sincerius expendatur.

II. Ecclesiarum divisio per provincias ad exemplum imperii, ab Apostolis. Probatur e Petro & e variis locis Pauli; ubi de Creta.

III. De Asia, cujus etiam mentio apud Joannem, de Achaja & Macedonia.

IV. Huc allusit Tertullianus.

V. Origo trium præcipuarum metropoleon, Romanæ, Alexandrinæ, Antiochenæ. Earum sacerdotes Archiepiscopi, Exarchi & Patriarchæ tandem dicti. De Patriarchis Judæorum in oriente. Emendata lex Codicis Justinianei. Illis deletis, Patriarcharum nomen cessit Archiepiscopis christianorum.

VI. Canonis sexti Nicæni interpretationes breviter recensentur.

VII. De jure patriarchico trium Episcoporum hic agi probatur, præter aliorum argumenta, ex Hieronymo, Innocentio, & Theodoreto.

VIII. Etsi ceterorum quoque Metropolitarum jura hoc canone firmentur. Ex collatione canonis secundi Constantinopolitani cum Nicæno colligitur, hic etiam agi de Diœcesibus Asiana, Pontica & Thracica. Earum mentio sub Constantino.

IX. Explicatus insignis Socratis locus de Diœcesibus & de Patriarchis. Diœceseon limites non violandos sancitum canone secundæ synodi. Lege Theodosii

A 3 certi

certi Episcopi designati ad communionis consortium. Emendata & illustrata lex 3. Cod. Theodos. de fide catholica. De jure dandæ communionis per Thraciam.

X. Error Socratis, qui Nectario Episcopo Constantinopolitano hoc tributum putat. Et Sozomeni, qui urbe regia coercet. Jus illi collatum indefinite, ad exemplum Romani Pontificis. Altera Socratis hallucinatio, qui sententiam canonis secundæ synodi & Theodosii miscet. Patriarchæ apud Socratem iidem cum Episcopis delectis a Theodosio ad fidei consortium.

XI. Asiana Diœcesis ecclesiastica ex undecim provinciis, quarum una est Asia proconsularis. Ejus metropolis & totius Asianæ Ephesus. Ponticæ Diœceseos fines. Vicarii sedes, Cæsarea in Cappadocia. Unde dignitas Episcopo, qui Ponticæ præerat. De Thracica & ejus Exarcho. Explicatus consessus Concilii Chalcedonensis. Thracica sub Episcopo Constantinopolitano. Duæ reliquæ Diœceses in ejus ditionem transierunt decreto Concilii Chalcedonensis.

XII. Objicitur, non agi de patriarchico jure in canone Niceno, ex jure ordinationum, quod Episcopo Alexandrino competit per Ægyptum; quale Romano Pontifici non competebat, nisi in metropoli Romana. Fines antiqui metropoleos Romanæ.

I. NOn aliena erit a proposito nostro de patriarchatu occidentis accuratior disceptatio, imo vero prorsus necessaria, si Ecclesiæ Gallicanæ cum Romano Pontifice communionis vinculum perfecte cognoscere, ejusque, quam per Gallias & ceteras occidentis provincias exercuit, auctoritatis fines perspectos habere velimus. Non possum in eorum sententiam ire, qui recens Græculorum schismaticorum commentum esse putant tributionem illam omnium Diœceseon, quæ occidentem Romano Pontifici veluti patriarchatum limitibus suis circumscriptum assignat. Fateor equidem, id a Zonara & Balsamone observatum in commentariis, quos ad sextum canonem Concilii Nicæni ediderunt. Sed non ideo veterum menti hanc commentationem adversari censendum est, quod Græcis sit approbata. Quia vero dignitas Romanæ sedis augetur ex hac tractatione, quæ alioqui densis tenebris est obsepta, lucem aliquam illi fœnerari conabor; quam, ut major sit, in contractum velut orbem cogam.

Zonaras: καθὼς ἡ τῶν ἐν τῇ ῥωμαίων ἐκκλησίᾳ ἑσπερίων ἄρχειν ἔθος ἐκράτησε.

II. Ecclesias ad exemplum Romani imperii per provincias ab Apostolis ita tributas fuisse, ut inter fratres ejus Episcopi prima sententia haberetur, cui metropolitanæ urbis episcopatus concreditus fuisset, absque ullo negotio probari potest. Inde est, quod epistola Petri canonica Christianos, ad quos est data, provinciarum Romanarum limitibus circumscribat, *Ponti, Galaciæ, Cappadociæ, & Asiæ*. Quæ ratio provinciarum in ecclesiastica dispositione semper viguit; adeo ut Nicomedia Bithyniæ, Cæsarea Cappadociæ, Amasea Ponti, Ephesus Asiæ proconsularis primatum metropoliticum præ ceteris provinciarum illarum civitatibus obtinuerint. Idem jus Ancyra apud Galatas sibi semper vindicavit; ita ut Ancyrana Ecclesia inter apostolicas eo nomine a Julio I. apud Athanasium recenseatur, quod Ecclesiis Galatiæ provinciæ, cujus metropolim Ancyra tenebat, Paulus epistolam suam, direxerit. Hoc Apostolorum fuisse propositum, illustrius sane ostendi non potest, quam ex demandata Tito Cretæ insulæ sollicitudine, ut Presbyteros (seu mavis Episcopos, ut ipsemet Paulus sequenti versiculo interpretatur) oppidatim constitueret. Manus imponitur Episcopis a synodo provinciæ, cui saltem tres Episcopi præsentes intersint, ceteris scripto consensum præbentibus; sed ea lege, ut Metropolitano τὸ κῦρος decretum & totius negotii auctoritas servetur juxta canones Nicænos. Hanc formam non aliunde profectam censere par est, quam ex Apostolorum institutione, quæ a Paulo hic delineatur. Ordinatio equidem fit a collegio & cœtu Episcoporum, *per impositionem manuum presbyterii*; sed ea conditione, ut unus aliquis potiori jure decretum interponat ad vicem Titi, qui disponendam & ordinandam provinciam a Paulo suscepit. Unde fluxit, ut Creta provinciæ ecclesiasticæ & Gortyna civitas metropoliticum privilegium illius insulæ eximium semper habuerint.

Vide lib. 6. c. 1.

1. Petr. 1.

Paulus ep. ad Galat. c. 1. & 1. Cor. c. 16. meminit collectarum, quæ fiunt in ecclesiis Galatiæ. Ep. ad Tit. c 1. *Reliqui te Cretæ, ut constituas per civitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi.* Κατὰ πόλιν.

III. Asia proconsularis, Attali Regis legato ad Romanos delata, Ephesum urbem tamquam provinciæ metropolim colebat, ut testatur Antonini Imp. rescriptum, qui ad desideria Asianorum rescripsit, Proconsulem ad eam urbem ea de causa appellere debere, cum ingrederetur provinciam. Asia vero ita constituta fuit, ut septem Episcopis, quos Joannes recenset, commissa fuerit, eo tamen ordine, ut ab Ephesi dignitate nihil decederet; atque ideo in ea civitate Paulus lares quodammodo fixit, cum Asiam ad fidem erudiret, ut conqueritur Demetrius in Actis; & Joannes Ephesum cathedra sua cohonestavit. Cui non erit ignota Achaja in provinciæ formam a Romanis redacta, (cujus metropolis erat Corinthus, ut docet Annæus Florus) is consilium Pauli perspectum habebit, cur literas suas non solum ad Corinthios, verum etiam ad omnes, *qui sunt in Achaja, fratres* perscribat. Nempe Achaja & Corinthus nexu metropoleos & provinciæ ad invicem continebantur; ut & Thessalonica & Macedonia. Quæ ratio eumdem Paulum impulit, ut suis literis & Thessalonicenses & *ceteros qui erant in Macedonia* fratres admoneret.

l. 4. ff. de Offic. Proconf.

Apocalyps. 1.

Act. c. 19. & 20. Codex martyrii Timothei apud Photium codice 254. Irenæus lib. 2. cap. 17.

Florus l. 1. c. 16.

2. Cor. c. 1. *Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, cum omnibus sanctis qui sunt in universa Achaja.*

1. Thessal. c. 4.

IV. Sane apud veteres summa ratio habita fuit earum Ecclesiarum, quæ ab ipsis Apostolis institutæ sincerius fidei traditiones conservasse censebantur. Verum non immoror huic privilegio. In id enim duntaxat in præsentiarum elaboro, ut pateat veterum testimonio Ecclesiarum per provincias divisionem ab Apostolis fluxisse. Huic sententiæ innititur Tertullianus, cum, hæreticorum præscriptionibus elisis, eos ad apostolicarum Ecclesiarum traditiones provocat. *Proxime est tibi Achaja, habes Corinthum. Si non longe a Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum. Si autem Italiæ adjaces, habes Romam.*

Vide infr. lib. 6. c. 1. lib. 7. c. 4. §. 7. c. 16. §. 7. 8. & Baluzii Notas ad Agobardum pag. 112.

Tertull. de Præscript. cap. 36.

V. Verum etsi forma dividendarum provinciarum & metropoleon ab Apostolis manaverit, hæc tamen divisio ab Episcopis, qui erant in majoribus urbibus constituti, per incrementa variorum temporum aucta, tandem ultimam dispositionem consecuta est. Unde profectum, ut celebriorum civitatum Episcopi jus quoddam eximium in ceteras Ecclesias adepti fuerint, quod ei privilegio respondet, quo ratione originis potiuntur erga colonias a se deductas eæ urbes, quæ inde *Matres* appellantur a veteribus. Jus autem illud officiis quibusdam continebatur; quæ validiora erant vel remissiora inter Ecclesias, prout usu & consuetudine invaluerant. Juris istius quasi possessione in plerasque provincias conspicuæ erant tres illæ imperii Romani civitates, Roma orbis domina, Alexandria Ægyptiaci regni princeps, & Antiochia regina orientis: quarum civitatum Episcopi eximiis privilegiis gaudebant; quæ consuetudine & moribus firmata primum, postea Nicænæ synodi decreto sancita sunt. Sane dissimulandum non est, eo canone tres illos antistites Episcoporum tantum vel ad summum Metropolitanorum nomine censeri: qui seculo sequenti in Concilio Ephesino Archiepiscoporum titulo aucti, in Concilio Constantinopolitano Exarchorum Diœceseos dignitate decorati, tandem in Concilio Chalcedonensi promiscue Archiepiscopi, Exarchi, & novitia dictione Patriarchæ sunt appellati. Neque enim Patriarcha ille Alexandrinus, cujus meminit Fl. Vopiscus, ad res Christianorum pertinet, licet viris doctis aliter fuerit aliquando visum. Judæis Alexandrinis præfectus erat ille Patriarcha, ex instituto, cui Hierosolymorum excidium præbuit originem. Etenim distracti per varias provincias Judæi Alexandriæ & apud orientem quosdam sibi constituere præpositos sub Patriarcharum nomine; qui spectabiles, clarissimi & illustres ab Imperatoribus habiti, dignitatem illam hereditario jure

Dio Chrys. Orat. 32. Herodianus, Josephus de Bello Jud. l. 3. c. 3.

Fl. Vopiscus in Saturnino. Patriarcharum Judaicorum frequens mentio Tit. Cod. Th. de Judæis & Cœlicolis, apud Origenem, Epiph. Cyrillum, Theodor. & Palladium.

L. 17. & ult. C. Theodoſ. de Judæis. *Peritus, qui erudite hac de re ſcripſit, cenſet Occidentis provinciis Patriarchas Judaeos præfuiſſe ex l.* Judæorum C. de Jud. *Sed legendum ex eadem lege, qua extat C. Th.* quod de Occidentalibus partibus Patriarchis conferri conſueverat *Scilicet addita dictione*, Partibus, *quæ abeſt a C. Juſtiniani.*

jure ad poſteros tranſmittebant, aurum coronarium per Apoſtolos ſuos exigebant, Primates provinciis præficiebant, qui in his cauſis, quæ tam ad ſuperſtitionem eorum, quam ad forum & leges pertinent, ad ſimilitudinem arbitrorum judicarent, donec illis Honorii reſcripto ea judicii reddendi poteſtate eſt interdictum. Ab anno quadringenteſimo quarto ad annum quadringenteſimum viceſimum nonum incidit Judaicorum Patriarcharum *exceſſus ille*, ut cum Theodoſio loquar, quibus extinctis eorum nomen Archiepiſcopis Chriſtianorum communicatum eſt. Quod ab orientalibus profectum eſt, quibus nota erat Patriarcharum, qui apud Judæos viguerunt, nomenclatura; non vero occidentalibus, apud quos nulli Patriarcharum Judæi floruerunt, ſi vera lectio in Codice Juſtiniani e Theodoſiano reſtituatur. Sane Concilium Chalcedonenſe in acclamationibus Leoni Patriarchæ multos annos vovet; & Diaconi Alexandrini libellos ſuos porrigunt cum hac inſcriptione: *Sanctiſſimo ac beatiſſimo univerſali Archiepiſcopo & Patriarchæ magnæ urbis Romæ Leoni & univerſali Concilio.* Quin & judices cognitores, Diœceſeon Exarchos, Patriarcharum Diœceſeos nomine compellant. Placuit poſteris novitate ſua iſtius vocis uſus, adeo ut ea nihil frequentius in conſtitutionibus Juſtiniani & actis Concilii Quinti; propterea quod Patriarchæ appellatio & Archiepiſcopi & Exarchi Diœceſeos ſignificationem complectebatur, id eſt, & Epiſcoporum, ſeu *patrum & regionis* univerſæ ſeu *Diœceſeos præfectum* exprimebat; quemadmodum apud Judæos Patriarcha ἀποδοσμοῖς ſuis & πατριαῖς erat præpoſitus. Prævidiſſe videtur patribus in Chalcedonenſi Concilio coactis Socrates hiſtoricus, qui Diœceſeon Epiſcopos a ſynodo Conſtantinopolitana deſignatos Patriarchas vocat ob jura & conſortia communionis, quæ retinenda erant cum delectis a ſynodo Epiſcopis, ut fraudulenta hæreticorum contagia vitarentur.

Act. 1. Concil. Chalc. Λέοντος πολλὰ τὰ ἔτη, πατριάρχου πολλὰ τὰ ἔτη. Act. 2. οἱ ὁσιώτατοι πατριάρχαι διοικήσεως ἑκάστης, ἐπ. λεξάμενοι ἕνα, ἢ δεύτερον τῆς ἰδίας διοικήσεως. Act. 3.

Socrates lib. 5. c. 8. πατριάρχας κατέστησαν.

VI. Tribus ergo iſtis Archiepiſcopis ſeu Patriarchis eximia illa, quæ moribus antiquis quæſita illis erant, in ceteras provincias privilegia, totius orbis conſenſu ſunt confirmata canone ſexto Nicæni Concilii, cujus interpretatio doctiſſimorum virorum ingenia exercuit. Sane ſtudio nimio partium & ἀμετρία τῆς αὐθολικῆς multa illis exciderunt, a quibus ſcribendis dubio procul temperaſſent, ſi diſputationis æſtus abfuiſſet. Inde factum, ut Ruffini explicatio ſit lacerata, qui Alexandrino Epiſcopo Ægypti & Romano ſuburbicariarum Eccleſiarum ſollicitudinem hoc canone tribui obſervavit. Apud (*a*) hos enim totius orbis Eccleſiæ ſuburbicariæ habentur, id eſt, Epiſcopo Urbis ſubditæ; (*b*) apud iſtos, ſuburbicariæ Eccleſiæ intra occidentem coercentur. Emerſit (*c*) nova quædam viri celeberrimi ſententia, quæ peritiſſimorum virorum induſtriam (*d*) provocavit, ut eam eſſe repudiandam omnibus probarent. Hujus quæſtionis duo præcipua ſunt capita. Primum eſt, hoc canone nullam juris patriarchici mentionem fieri, ſed tantum Alexandrinum & Antiochenum Epiſcopum in iis, quæ ad jus metropoliticum pertinent, cum Epiſcopo Romano conferri. Alterum vero, metropolim Romanam Ruffini temporibus, circa annum quadringenteſimum, iis provinciis definitam (Piceno ſcilicet, Tuſcia, Latio & Valeria) quæ ſuburbicariæ dicebantur, quod a juriſdictione Præfecti urbi penderent, & ad centeſimum lapidem porrigebantur. Quamquam litis hujus dirimendæ arbitrium in me non receperim, quia tamen facili negotio contentiones illæ componi poſſe mihi videntur, ſi nova quadam interpretatione & novo probationum genere, quæ ab aliis diſcuſſa ſunt, adjuventur, meam ſententiam inter tales tantoſque viros ferre non dubitabo.

(*a*) Ill. Bellarm. & Baron. Cardin.
(*b*) Ill. Card. Perron. & pleroſque alios.
(*c*) V. Eruditiſſim. Cl. Salmaſ.
(*d*) V. Cl. R. P. Jac. Sirmond.

VII. Nullus apud me eſt dubitationi locus, quin tres illi Epiſcopi, inter ſe invicem, quod ad jus patriarchicum attinet, hoc canone componantur, ut docuit vir eruditiſſimus R. P. Sirmondus, cum enim juriſdictio Alexandrini Epiſcopi quaquaverſum por-

rigeretur, non ſolum per Ægyptum, quæ ab Auguſto in provinciam fuerat redacta, ſed etiam per Pentapolim & Lybiam, quæ regno Cyreneorum auctæ Ægypto acceſſerant, cumque Antiochiæ privilegia per orientem canone Nicæno ſancirentur, quorſum ſolius metropoleos Romanæ ratio habita fuiſſet, relicto patriarchatus per occidentem privilegio, ſi quod Romanus Pontifex obtinebat? Aliorum argumentis addam Hieronymi & Innocentii primi auctoritatem, qui dubitare non ſinunt de jure patriarchico Antiocheni Epiſcopi canone Nicæno decretum fuiſſe. Ille enim conceptis verbis affirmat, Antiochiam ſecundum canones Nicænos eſſe metropolim orientis. Hic vero ſcribit, Antiochenæ Eccleſiæ delatam fuiſſe a Nicæna ſynodo non unius tantum provinciæ ſive metropoleos adminiſtrationem; ſed totius Diœceſeos orientalis, id eſt, quindecim provinciarum, quæ oriente continebantur. *Revolventes itaque*, inquit, *auctoritatem Nicænæ ſynodi, quæ unam omnium per orbem terrarum explicat mentem ſacerdotum, quæ cenſuit de Antiochena Eccleſia cunctis fidelibus, ne dicam ſacerdotibus, eſſe neceſſarium cuſtodire, quam ſuper Diœceſim ſuam, non ſuper aliquam provinciam, recognoſcimus conſtitutam.* Idem ergo cenſendum eſt de Epiſcopis Romæ & Alexandriæ: ad quorum exemplum, ut docet canon, Antiochenæ Eccleſiæ jura conſtituuntur; ut non ſolius metropoleos privilegia, ſed etiam patriarchica, canone illo firmata fuerint. Accedit Theodoreti teſtimonium: qui titulo primo collectionis canonum, quæ extat in codice manuſcripto bibliothecæ regiæ, docet de dignitate & juribus Patriarcharum hoc canone Nicæno agi. περὶ τῆς ὁρισθείσης τοῖς πατριάρχαις ἐκ τῶν κανόνων τιμῆς. Καὶ περὶ τοῦ μὴ ἐξεῖναί τινι αὐτῶν ὑφαρπάζειν ἐπαρχίαν ἑτέρῳ προσήκουσαν ἐπὶ χειροτονίᾳ καὶ διοικήσει. ἀλλὰ καὶ τὰς ὑφαρπαγείσας ἤδη τοῖς ἀδικηθεῖσιν ἀνταποδίδοσθαι. Τῆς ἐν Νικαίᾳ συνόδου κανὼν. ς, ζ. Τῆς ἐν Κωνσταντ. Συνόδου καν. γ, δ. Τῆς ἐν Ἐφέσῳ συνόδου καν. ζ. *De tributo per canones Patriarchis honore. Et non licere eorum alicui provinciam alteri competentem, invadere pro ordinatione aut adminiſtratione, ſed eas, quæ jam invaſæ ſunt, iis, quibus injuria facta eſt, reſtituendas. Nicænæ ſynodi canon VI. Ejuſdem ſynodi canon VII. ſynodi Conſtantinopolitanæ canon III. Ejuſdem canon IV. ſynodi Epheſinæ canon VII.*

Hieronymus ep. ad Pammachium. *Cujus locus relatus eſt cap. 10. §. 3.*

Innoc. ep. ad Alex. Antioch.

Can. Nic. VI. *Similiter autem & apud Antiochiam.*

Vide infr. lib. 3. cap. 3. §. 8. & l. 7. c. 8. §. 6.

VIII. Neque vero obſtat, quod eodem canone Concilii Nicæni cæterorum Metropolitarum privilegia confirmentur. Quippe nihil vetat parte prima canonis trium præcipuorum Epiſcoporum ſeu Metropolitarum, Romani, Alexandrini, & Antiocheni, jura conſuetudine inducta ſanciri, & deinde generalibus verbis ceterorum omnium privilegiis caveri. Enimvero præter generalem illam juris metropolitici confirmationem, videtur canon Nicænus inſignem quandam provinciarum adminiſtrationem inſinuare, quæ tribus illis Patriarchis non competeret. Conſtituto namque jure Alexandrinæ Eccleſiæ ad exemplum Romani Epiſcopi, ſimile jus, ὁμοίως, decernit Antiochiæ *& in ceteris provinciis*, καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις. Ergo in quibuſdam aliis provinciis præter Antiochenam, Alexandrinam & Romanam erant ſimilia adminiſtrationis πρεσβεῖα. Earum nomen edit canon ſecundus Conſtantinopolitanus; quo, Ægypto commiſſa Epiſcopo Alexandriæ, & oriente concredito Antiochiæ Epiſcopo, Aſiana, Pontica & Thracica Diœceſes ſuis ſynodis adminiſtrandæ juxta Concilium Nicænum demandantur. Trium iſtarum Diœceſeon ab orientali diſtinctarum meminit Theodoſius ſenior apud Theodoretum. Et ante illum Conſtantius, qui ad Seleucienſe Concilium frequentes adeſſe juſſit Epiſcopos orientis & Aſianæ Ponticæque Diœceſeos. Ipſeque adeo Conſtantinus Imperator meminit Epiſcoporum Aſianæ & Ponticæ in Paſchæ celebratione conſentientium.

Can. VI. Nic. *Similiter autem & apud Antiochiam ceteraſque provincias ſuis privilegia ſerventur Eccleſiis.*

Theod. l. 5. c. 23.
Idem l. 2. c. 27.

Euſeb. l. 3. de vita Conſt. cap. 18.

IX. Quare non eſt, quod aliquis ſibi perſuadeat, tres illas Diœceſes & Eccleſiæ etiam πατριαρχίας a ſynodo Conſtantinopolitana inſtitutas fuiſſe, ut colligi

Socrates l. 5. c. 8.

colligi videtur e Socrate; cujus sententiam nondum satis expensam, illustrare non alienum ab hoc loco esse duxi. Cum orientales Ecclesiæ per quadraginta annos variis hæresibus vexatæ, sub Theodosio liberius respirare cœpissent, secunda synodus ab illo Principe Constantinopoli coacta Arianorum, Macedonianorum & ceterorum ejusmodi blasphemias anathemate defixit. Tum, postquam fidei prospexisset, disciplinam quoque attigit, constituta Ecclesiarum administratione secundum canones Nicænos; eo adjecto, ne Diœceseon Exarchi positas extra fines suos Ecclesias invaderent; sed Ægyptus, ut dixi, Alexandrino Episcopo, oriens Antiocheno, Asiana, Pontica & Thracica Diœceses suis synodis committerentur. Hæc quidem disertis verbis in canonibus secundæ synodi continentur. Ceterum, quia religionis interesat, ut Episcopi hæretici ab Ecclesiis pellerentur, hæc regula præscripta est a Theodosio, de synodi sententia, ut ii soli Episcopi inter orthodoxos censerentur, qui communionis vinculo cum certis quibusdam Episcopis per unamquamque Diœcesim a lege designatis necterentur; quos ideo præ ceteris Imperator delegit, quod cum emendatæ vitæ fama religiose suis Ecclesiis præessent. Itaque datum est, non præcipue sedium dignitati, sed personarum gravitati, ut ab iis Episcopis, tamquam a quibusdam capitibus communionis jura manarent per unamquamque Diœcesim. Eo retulit Episcoporum illorum designationem Sozomenus. *Hos enim*, inquit, *& Imperator quoque visos & coram allocutus approbavit; de quibus & integra constabat fama, quod suis Ecclesiis religiose præessent.* Extat Theodosii constitutio in Codice Theodosiano, quæ præcipit Episcopos ad Ecclesias obtinendas admitti ex communione & consortio *probabilium sacerdotum*, scilicet quos communicare constiterit Nectario Episcopo Constantinopolitanæ civitatis, Timotheo Alexandrino in Ægypto, in Oriente Pelagio Laodicensi & Diodoro Tarsensi; in Asia proconsulari & Asiana Diœcesi, Amphilochio Iconiensi, & Optimo Episcopo Antiochiæ in Pisidia, in Pontica Diœcesi Helladio Cæsareæ, Otreio Militenæ & Gregorio Nyssæ, in Thracica cum Terentio Scythiæ & Martyrio Episcopo Martianopoleos. Absunt a Codice Theodosiano verba illa, *in Thracica*. Sed lacunam illam e Sozomeno explevi, ut sententia non hiaret. Etenim Ægyptiaca, Orientali, Asiana & Pontica Diœcesibus enumeratis, sola superest Thracica; cui æque ac ceteris prospiciendum erat. Id factum designata communione duorum Episcoporum, scilicet Terentii Scythiæ & Martyrii Episcopi Martianopoleos. *Martyrii* enim legendum e Sozomeno, non *Marmarii*, ut habet lex Codicis Theodosiani. Thracica Diœcesis sex provinciis constabat, Europa, Thracia, Hæmimonto, Rhodope, Mœsia secunda, Scythia. Episcopus Tomorum omnibus Ecclesiis Scythiæ præerat, ut testantur alibi Sozomenus & Theodoretus. Unde Terentius Scythiæ Episcopus eleganter dicitur in dicta lege, & recte a Sozomeno Tomorum Episcopus. Martyrius Martianopoleos Concilio Constantinopolitano subscripsit, ut Mœsiæ Metropolita; quæ est Mœsia secunda, una e sex provinciis Thracicæ Diœcesis.

Sozom. l. 7. c. 9. δόξα ἀγαθὴ περὶ αὐτῶν ἐπεῖχε, ὡς τὰς ἐκκλησίας διοικεῖν ἁγίως.

l. 3. C. Th. de Fide Cathol.

Sozom. d. c. ἐν δὲ τοῖς Θρᾳξὶ ... τῆς Σκυθίας πόλεως.

Sozom. l. 7. cap. 19. & 25. Theod. l. 4. c. 30.

X. Inde patet error insignis Socratis, qui jura communionis per Thraciam decreta fuisse Nectario a synodo & a Principe affirmat; cum ex Sozomeno & legis Theodosianæ serie a nobis restituta constet, jus communionis per Thraciam indultum Terentio Tomensi & Martyrio Martianopolitano; Nectario vero in urbe Constantinopolitana, ut quidem Sozomenus existimavit: Νεκταρίῳ ἐν Κωνσταντίνου πόλει. Ceterum e verbis legis indefinite jus illi tribuitur: *Quos constabit*, inquit lex, *communione Nectario Episcopo Constantinopolitanæ Ecclesiæ: Timotheo nec non intra Ægyptum Alexandrinæ urbis Episcopo esse sociatos.* Potestas dandæ communionis delata Timotheo Alexandrino coercetur intra Ægyptum. Sed jus Nectarii Episcopi CP. nullis limitibus circumscribitur. Ratio est in promptu. Quia in eodem Concilio primatus honoris post Romanum Episcopum illi collatus est. Unde colligere licet, quanta esset in hoc communionis jure Romani Pontificis auctoritas, cum ad illius exemplum regiæ urbis Episcopus, tunc ad secundum gradum evectus, privilegio illo per solidum orientem frueretur, non autem per solam Thraciam, etsi speciali quodam jure in ea Diœcesi auctus esset. Expuncto errore illo Socratis, advertenda est altera ejus hallucinatio, in eo, quod sententiam canonis secundi cum lege Theodosii permiscuit, cum tamen multum inter se distent. Limites Diœceseon a synodo Nicæna præscriptos violandos non esse, canone constituitur. Theodosii vero lege, in Diœcesibus Episcopi deliguntur ad consortium communionis, non autem ad jurisdictionem patriarchalem exercendam. Quod patet ex ipso legis contextu, ex eoque præcipue, quo in orientali Diœcesi, seu in patriarchatu Antiocheno, Pelagius Laodicensis & Diodorus Tarsensis designantur ad communionis vinculum; cum tamen supremus auctoritatis apex in orientali Diœcesi ad Patriarcham Antiochenum pertineat ex canone Nicæno, & ex canone secundo Concilii Constantinopolitani. Etsi vero hic Socrates aberraverit, non utique in pudendum errorem, qui a plerisque illi affingitur, prolapsus est, quasi scripserit, patriarchatus institutos fuisse a secunda synodo, quo sensu, paulo post Socratem, Patriarcharum nomen apud auctores ecclesiasticos invaluit. Etenim cum secunda synodus auctoritatem ecclesiasticam per Diœceses distinctam a Nicæno Concilio repetiverit, & Socrates Diœceseon institutionem non tribuerit secundæ synodo, sed Patriarcharum designationem per unamquamque Diœcesim, evidenter patet, de illis Episcopis egisse Socratem, a quibus communionis consortium penderet; præcipue cum Episcoporum delectum lege Principis confirmatum scribat. Paulo post ætatem Socratis Patriarcharum nomen inditum est Episcopis, qui communionis & auctoritatis principatum in suis Diœcesibus tenerent.

XI. Porro tres illæ Diœceses, quas supra recensui, Patriarchis Alexandrino vel Antiocheno non suberant. Asiana Diœcesis in Notitia imperii decem provinciis constat, quæ Vicario Præfecti prætorio orientis parebant, scilicet Pamphilia, Lydia, Hellesponto, Pisidia, Lycaonia, Phrygia utraque, Lycia, Caria, & insulis. Attamen in politiæ ecclesiasticæ ratione Asiana Diœcesis undecim provincias complectebatur, teste Theodoreto. Quod explicandum est e Theodosii lege, quæ Asiam proconsularem ab Asiana distinguit, licet eas in unum corpus, quoad statum & communionem ecclesiasticam, cogat. Itaque, Asia proconsulari adjecta ad decem provincias Asianæ Diœceseos, conficitur numerus undecim provinciarum ecclesiasticarum a Theodoreto designatus. Asia, strictissime sumpto vocabulo, a Romanis nomen accepit: qui regnum Attali Pergameni testamento sibi delatum cernentes, ditionem illam in provinciæ formam redegerunt; Asiamque de continentis nomine appellaverunt, teste Strabone. Ejus administrationi Proconsulem præfecerunt, qui magistratus continuatus est sub imperio; quamvis statum Asiæ proconsularis Constantinus Magnus immutaverit, ab ea recisis Lydia, Caria, Hellesponto & Cycladibus, quæ in speciale provinciarum nomen transierunt. Unde factum, ut Eunapius, cum Asiæ recentioris proconsulatum describeret, a Pergamo & ora maritima in continentem Cariatenus & ad Tmolum montem ex parte Lydiæ porrexerit. Sub Arcadio Hellespontus & insulæ redditæ sunt proconsulatui, ut patet ex Notitia imperii. Solidæ proconsularis Asiæ metropolis erat Ephesus; quæ in politia ecclesiastica in Asianam Diœcesim eandem dignitatem retinuit, teste Chrysostomo; adeo, ut ei jus patriarchicum tribuat Evagrius, cum scribit, Timotheum Ælurum Ecclesiæ Ephe-

Theod. l. 5. c. 28. de Asiana: ὑπὸ ἕνδεκα ... αὐτῷ ἀρχόντων ἰθύνεται.

L. 3. C. Th. de Fide Cathol.

Strabo l. 13. οἱ δὲ ἐπαρχίαν ἀπέδειξαν τὴν χώραν, Ἀσίαν προσαγορεύσαντες ὁμώνυμον τῇ Ἠπείρῳ.

Chrysost. in ep. ad Ephesios Evagr. l. 3. c. 6. τὸ πατριαρχικὸν δίκαιον.

Ephesinæ jus patriarchicum restituisse, quod ei synodus Chalcedonensis ademerat.

Pontica Diœcesis totum tractum a Bithynia usque ad Armeniam, adjecta Galatia & Cappadocia, complectebatur, & Vicario parebat, quem Gregorius Nazianzenus ποντικῆς διοικήσεως ὕπαρχον vocat. In ratione imperii e provinciis decem conflata erat; sed in dispositione ecclesiastica undecim provinciis constabat, teste Theodoreto: cujus discriminis rationem reddimus alibi. Sedes præcipua Vicarii Ponticæ Diœceseos constituta est Cæsareæ in Cappadocia, qua in urbe, quæ olim Mazaca, Reges Cappadocum lares fixerant, ut observat Strabo. Hinc Episcopi Cæsareæ dignitas, qui solidæ Diœcesi Ponticæ præerat, teste Nazianzeno. Unde Basilio conciliatum Archiepiscopi Cæsareæ nomen, & Alypio apud Photium. Quare Ponticæ Diœceseos synodum Thyanis sub Eusebio Episcopo Cæsareæ celebratam refert Sozomenus, & Gerontium Nicomediensem Metropolitam in Bithynia ordinatum fuisse ab Helladio Cæsareæ Episcopo. Literæ etiam Basilii extant invitantis ad synodum Cæsareæ habendam τοὺς τῆς ποντικῆς διοικήσεως ἐπισκόπους.

Gregor. Naz. de laudibus Basilii.
Lib. 6. cap. 9.
Strabo l. 12.
Photius in Bibl. Tmem. 51. Sozom. l. 6. c. 12. l. 8. c. 6.
Basilius ep. 391. & 256.

Diœcesis Thracica sex provinciis in laterculo imperii & in Ecclesiæ notitia constabat: in qua, post deletum a Severo Byzantium, præcipuam dignitatem urbs Heracleæ sive Perinthi obtinuit, ut testantur Herodianus & Procopius. Inde quæsitus ejus Episcopo Exarchi Thraciæ titulus; quamvis deinde vis hujus administrationis in urbem regiam uberioribus privilegiis paulatim transcripta sit.

Herod. in Severo. Procop. l. 4. de ædific. Just.

Quare non frustra monui, canone Nicæno significari Diœceses Asianam, Ponticam & Thracicam, quæ a tribus Patriarchis non penderent, sed, synodis suis commissæ, Exarchos suos comiter colerent, Asiana Ephesinum, Pontica Cæsareensem, Thracica Heracleensem, deinde Constantinopolitanum. Unde profectum, ut hi tres Exarchi potiorem locum in subscriptionibus & sessionibus generalium Conciliorum obtinerent. Quod videre est in Concilii Chalcedonensis consessu, qui sic dispositus erat, ut ante cancellos altaris in medio sederent gloriosissimi judices & amplissimus senatus. Ab eorum læva sedebant Legati Romani Pontificis, Anatolius Archiepiscopus Constantinopoleos, Maximus Antiochiæ, Thalassius Cæsareæ, Stephanus Ephesi, *& ceteri Episcopi orientalis, Ponticæ, Asianæ & Thracicæ Diœceseon, exceptis Palæstinis.* Ex quo loco patet, Exarchos Diœceseon fuisse, Maximum quidem Antiochenum orientalis, Thalassium Cæsareensem Ponticæ, Stephanum Ephesinum Asianæ & Anatolium Constantinopolitanum Thracicæ. A parte dextra judicum considebant Dioscorus Archiepiscopus Alexandriæ, Juvenalis Hierosolymorum, Quintillus Heracleæ primæ Macedoniæ vices agens Anastasii Thessalonicensis Episcopi, cum reliquis Episcopis Æhyptiacæ Diœceseos, quæ suberat Alexandrino, & Illyricianæ, quæ a Thessalonicensi Vicario Romani Pontificis regebatur. Ad hunc enim Anastasium elegantem illam epistolam decretalem dedit Leo primus, quæ toties laudatur. Aderant præterea in hoc latere Palæstini Episcopi, quos ab orientali Diœcesi distractos Episcopus Hierosolymorum sibi asserebat. Ceterum Thracica Diœcesis jam tum a Constantinopolitano Episcopo pendebat, depulso Heracleensi. Quod per consequentiam e privilegio primatus in ea Diœcesi facile invaluit, ad cujus synodum Constantinopolitana Ecclesia pertinebat. Quod in fraudem impulit Socratem, cum jura communionis per Thraciam Nectario tributa fuisse scripsit. Huc alludit epistola Marciani Imperatoris, qua præcipit Anatolio, ut accedat ad Concilium Chalcedonense, una cum Episcopis sub sacerdotii sui cura constitutis, id est, cum Episcopis Thracicæ Diœceseos: quod ideo monui, ut ab inquisitione horum Episcoporum viri eruditi cessarent.

Act. 1. Concil. Chalced. τῆς τε Ἀνατολικῆς, καὶ Ποντικῆς, καὶ Ἀσιανῆς, καὶ Θρᾳκικῆς, ἄνευ τῶν Παλαιστινῶν.
Part. 1. Conc. Chalced. c. 37. τοὺς ἐκ τῶν ἐκκλησιῶν τῶν ὑπὸ τὴν φροντίδα τελουσῶν τῆς ἁγιωσύνης.

Idem sessionum ordo in superioribus Conciliis obtinuerat. Etenim in synodo Ephesina, cui præfuit Cyrillus, post Juvenalem Hierosolymorum sedent Memnon Ephesi, Flavianus Philipporum vicarius Ruffi Thessalonicensis Episcopi, Firmus Cæsareæ Cappadociæ, & Theodotus Ancyræ, quamvis alibi, per errorem scriptoris, Theodotus antecedat: sed sententiæ latæ contra Nestorium post Firmum subscripsit. In Ephesino Concilio sub Dioscoro post priores Patriarchas sedent & censent Stephanus Ephesi & Thalassius Episcopus Cæsareæ Cappadociæ. Quare videtur dubitandum non esse, quin Diœceseon Exarchi canone II. CP. commemorati Episcopos Ephesi, Cæsareæ & CP. adjecto Heracleensi complectantur. Id ex eo valde juvatur, quod in Concilio Chalcedonensi judices unicuique Diœcesi orientalis imperii suum Patriarcham assignant. Non eo tamen inficias, quin potiori jure in Diœceses suas tres illi eximii Patriarchæ uterentur; ita ut sola synodorum universæ Diœceseos indictio & Concilii προεδρεία, Exarchis ceteris competivisse videatur. Quæ ratio componendæ contentionis, quæ viros eruditissimos etiam in hoc capite collisit, non aliena a vero mihi esse videtur; atque adeo novis quibusdam argumentis hanc disputationem illustrandam censui. Ceterum transcripto Heracleensis Episcopi jure in Constantinopolitanum, duo reliqui Exarchi ab auctoritate sua dejecti sunt, cum sedes Constantinopolitana in patriarchicam dignitatem evecta, trium istarum Diœceseon administrationem liberam decreto Concilii Chalcedonensis obtinuit. Quæ immutatio effecit, ut orientales Ecclesiæ, quæ per quinque Diœceses porrectæ erant, Ægypti, Orientis, Ponticæ, Asianæ & Thracicæ, ad tres redactæ fuerint, scilicet Ægypti, Orientis & Bosphori seu Thraciæ, id est, Constantinopoleos, apud Theodoretum, qui post Concilium Chalcedonense historiam scripsit.

Syn. Ephes. T. 2. c. 1. editionis Peltani T. 2. c. 1. T. 2. c. 10. & 23.
Concil. Chalc. Act. 1.
Locus laudatus est §. 5. hujus capitis.
Theod. l. 5. c. 34. *Episcopi Occidentis non prius cum Episcopis Ægypti, & Orientis, & Bosphori, & Thraciæ communicare voluerunt.*

XII. Sed ut repetam quæstionem initio propositam, non dissimulanda est insignis difficultas, quæ nostram sententiam videtur impugnare in eo, quod tres illos præcipuos orbis Episcopos, Romæ, Alexandriæ & Antiochiæ, quoad jus patriarchicum inter se componi canone Nicæno contendit. Nodus in eo versatur, quod Alexandrini Episcopi auctoritas in ordinandis omnibus Ægypti Episcopis adversus Meletianos hoc canone constituta sit; ut fatentur omnes eruditi, & egregie probatur ex epistola synodica Concilii. Porro jure illo ordinandorum Episcoporum usum non fuisse Romanum Pontificem per omnes occidentis provincias, adeo certum est, ut nec ipsorum Metropolitarum ordinationem in plerisque provinciis sibi vindicarit. Ut explicatior sit hujus quæstionis enodatio, constituendi prius sunt Romanæ metropoleos fines. Neque enim existimo, Ruffini ætate regionibus illis suburbicariis ad centesimum usque lapidem fuisse circumscriptos. Vetat namque Notitia illa Vaticana vetus, quæ sexaginta novem episcopatus, ex quibus Romana provincia conflata erat, nobis exhibet; qui quidem non solum Latinam regionem, seu Campaniam recentiorem, ad Sinuessam, Marsos seu Valeriam, Picenum & Tusciam suburbicariam complectebantur, sed etiam Tusciam annonariam, Umbriam & Picenum annonarium; quas regiones Notitia illa vetus barbara voce Marchiam Umbriæ indigitat, Marchiæ nomine utrumque Picenum comprehendendo. Fundus hujus meæ sententiæ est insignis locus epistolæ synodicæ Concilii Sardicensis, & alter Athanasii; ubi earum provinciarum Episcopi, qui Athanasio communicabant, recensentur, scilicet Romæ, Italiæ, Campaniæ, Calabriæ, Apuliæ, & ceterarum per occidentem & orientem provinciarum. Non poterant liquidius Romanæ provinciæ limites circumscribi, qui ei a Vaticana Notitia tribuuntur. Italia hinc eam coercet, inde Campania felix & Capuana. Porro Italia, cujus metropolis erat civitas Mediolani, complectebatur eas provincias, quæ Vicario Italiæ parebant, & porrigebantur usque ad Tusciæ annonariæ,

Vide lib. 6. cap. 4. §. 9.
Extat apud Card. Baron. an. 1057.
Athanas. ep. ad Solitar. vit. agentes.

riæ, Umbriæ & Piceni fines, ut docuit vir eruditissimus Pater Sirmondus. Campania vero, cujus metropolis erat Capua, incipiebat a Sinuessa ad Salarim Lucaniæ fluvium. His autem finibus eæ regiones fere intercipiuntur, quibus provincia Romana constat in Notitia veteri Vaticana; cujus fides ex his Athanasii & Concilii Sardicensis locis egregie illustratur.

CAPUT IV.

De finibus Ecclesiarum orientalium & occidentalium, & Patriarchatu occidentis.

SYNOPSIS.

I. Ut satisfiat objectioni, docetur Romanum Pontificem esse Patriarcham occidentis, deinde confertur cum Alexandrino in ordinationibus. Ecclesiarum divisio in orientales & occidentales probatur plurimis testimoniis veterum.

II. Error eorum notatus, qui orientales Ecclesias ab Antiocheno patriarchatu non distinguunt. Cui oriens specialiter dictus tribuitur, a Concilio secundo & Ephesino.

III. Fines Ecclesiarum orientalium & occidentalium iidem qui olim imperii. Thracia orienti accensa. Solidum Illyricum occidenti.

IV. Antiqua divisio imperii sub Diocletiano, Constantino & Valentiniano. In confiniis Illyrici & Thraciæ Ecclesiarum & imperii limes, scilicet in Succorum angustiis, ex Ammiano & Socrate, & ex Concilio Aquilejensi; ubi dictio Succorum *restituitur. Constantinopolis vinculum orientis & occidentis apud Nazianzenum.*

V. Tomus occidentalium in Concilio Constantinopolitano explicatus. Asserta vetus lectio τῶν Δυτικῶν.

I. Superest, ut jugulum causæ petamus, & ut difficultati propositæ satisfiat, duorum capitum probationi, quibus tota disputatio conficitur, nos accingamus. Quorum primum in eo versabitur, ut doceat, patriarchatum occidentis a veteribus tributum fuisse Episcopo Romano. Alterum vero, quod fortasse a nullo tentatum fuit, componet Alexandrinum Episcopum cum Romano in potissimo illo jure patriarchico, quod ordinationes Episcoporum respicit.

Quod attinet ad primam illam partem, nullo negotio veritas ejus instruetur, si, testimoniis veterum recte expensis, ostendamus, totius Ecclesiæ corpus statim a Concilio Nicæno in orientales & occidentales Ecclesias fuisse distributum, & occidentalibus Ecclesiis nullum alium præfectum fuisse præter Romanum Pontificem. Emicat illa hæreditatis Christi in duas partes divisio temporibus Constantii Imperatoris; ita tamen, ut altius, id est, a veteri consuetudine Ecclesiæ, hujus divisionis origo repetatur ab Episcopis orientalibus synodi Sardicensis, quorum sunt hæc verba: *Hanc novitatem moliebantur inducere, quam horret vetus consuetudo Ecclesiæ, ut in Concilio, orientales Episcopi, quod forte statuissent, ab Episcopis occidentalibus refricaretur, similiter quicquid occidentalium partium Episcopi ab orientalibus solveretur.* In eam sententiam Constantius Princeps rescripsit ad Concilium Ariminense, quod Episcopis e toto occidente accitis constabat: *Non enim de orientalibus Episcopis in Concilio vestro patitur ratio aliquid definiri. Proinde super his tantum, quæ ad vos pertinere cognoscit gravitas vestra, tractare debetis.* Non inquiro, an justa sit orientalium expostulatio, aut quod Constantius rescripto vetuit occidentali Concilio, scilicet ne de rebus orientalibus pronuntiaret; (qua de re dissertationem satis copiosam, si res usui futura sit, in publicum fortasse emittemus) sed id tantum pertendo, eam fuisse illis, imo & superioribus temporibus, Ecclesiæ disciplinam, ut occidentales Ecclesiæ in unum veluti corpus compactæ ab orientalibus discernerentur. Et ne quis excipiat, me testimoniis schismaticorum uti, laudabo ipsum Ambrosium & Aquilejense Concilium ex Episcopis occidentalibus conflatum, qui Aquilejam convenerant Imperatorum jussu. Querebatur Palladius Episcopus, Arianæ hæreseos reus, se nisi generali & pleno Concilio respondere non posse, nempe absentibus sacerdotibus orientis, *ad quos Præfectus Italiæ litteras dederat, ut, si vellent convenire, in potestate haberent.* Excipit Ambrosius: *Quia scierunt consuetudinem hujusmodi, ut in oriente orientale esset Concilium, intra occidentem occidentalium, ideo putaverunt, non esse veniendum.* In ipsis etiam veterum Romanorum Pontificum Liberii, Damasi, Siricii, Innocentii & Cælestini epistolis, occidentis Episcopi ab Episcopis orientis sunt discreti. Hæc divisio Gregorio Nazianzeno, ob simultates, quæ tunc temporis apud Episcopos vigebant, adeo inauspicata visa est, ut orientem & occidentem, quemadmodum finibus & imperiorum limitibus, ita etiam animis distractum iri pertimesceret. Invaluit tamen quotidiano Ecclesiarum usu illa discretio; ita, ut Philippus Cælestini Pontificis Legatus in Concilio Ephesino professus fuerit, eam synodum conflatam esse ex Episcopis Ecclesiæ orientalis & occidentalis. Nihilque frequentius apud antiquos ecclesiasticos scriptores hoc Ecclesiarum discrimine inter legendum occurrit.

Epistola synodica Concilii Sardic. orient. in [illegible] menti[s] Hilarii.

Concil. Aquilejense sub Ambrosio.

Cælestinus in ep. ad Nestor. *Pelagianos tetis unitæ sententiæ oriens occidensque percussit.* Liberius ep. XI. *Episcopos orientis ad sanam sinceramque mentem reversos cum orthodoxis occidentis Episcopis concordare.* Damasus in ep. syn. apud Theod. l. 2. c. 22. *De hac ipsa fide cum Episcopos orientis, tum occidentis, nobiscum una gloriari constat.* Siricius in ep. ad Am. c. 1. *Quod etiam totus oriens occidensque custodit.* Innoc. in Decr. c. 51. *Nos autem omnesque per orientales & occidentales Ecclesias.* Greg. τό τε ἑῷον καὶ τὸ ἑσπέριον καὶ κινδυνεύειν τ γνώμαις οὐχ ἧττον ἢ τῶν τόπων χωρισθῆναι τμήματα. Concil. Ephes. part. 2. act. 3. ἀνατολικῆς καὶ δυτικῆς ἐκκλησίας.

II. Unum tamen est, quod antiquitatis ecclesiasticæ amantem hac in parte monitum velim; ne inconsulto in eum errorem incidat, in quem viri docti impegerunt, cum, variis orientis significationibus non exacte perpensis, quæ de orientis Ecclesiis generaliter dicuntur, Antiochenæ Ecclesiæ incaute tribuerunt. Etenim oriens in dispositione imperii Romani eas provincias omnes complectitur ab ipsius Vespasiani temporibus, quæ a Thracia per Ægyptum & Asiam minorem usque ad Euphratem & Tigrim pertinent. Hæ provinciæ quinque Diœcesibus comprehendebantur, Thracica, Pontica, Asiana, orientali & Ægyptiaca, quæ magistratibus sibi præfectis parebant, ut superiore capite uberius dixi. Idem ordo servatus fuit in ecclesiastica disciplina; ita, ut quemadmodum Ægypti Diœcesis in novem Metropolitanos divisa, Alexandriæ Patriarcham colebat, sic Diœcesis orientis specialiter dicti, quæ quindecim provincias complexa erat, ab Antiocheno Patriarcha regeretur. Itaque longe distant orientis Ecclesiæ, cum occidentalibus opponuntur, ut pote quæ quinque Diœceses integras orientalis imperii comprehendant, ab orientis Ecclesiis, quando cum aliarum Diœceseon Episcopis, id est, Ægypti, Thracicæ, Ponticæ & Asianæ componuntur, ut fit canone secundo Constantinopolitani Concilii; *Orientis Episcopi orientem tantum gubernent, servatis privilegiis, quæ Nicænis canonibus Ecclesiæ Antiochenæ tributa sunt.* Inde est, quod Joannes Antiochensis, qui schismate Concilium Ephesinum vexavit, in actis Conciliabuli dicitur *Episcopus Antiochiæ, quæ est metropolis* (*) *Anatolicæ Diœceseos*. Et ipsum Conciliabulum hac se inscriptione jactat: *Sacra synodus Diœceseos orientalis, ceterique una cum ipsis ex diversis Diœcesibus & provinciis congregati.*

In Conc. Eph. ep. 2. act. 1. Ἰωάννου τοῦ Ἐπισκόπου τῶν Ἀντιοχέων μητροπόλεως τῆς ἀνατολικῆς διοικήσεως. In act s Conc. ἁγία σύνοδος τῆς ἀνατολικῆς διοικήσεως, καὶ οἱ σὺν αὐτοῖς ἐκ διαφόρων διοικήσεων καὶ ἐπαρχιῶν συνηγμένοι.

III. Id solum superest indagandum, quibus finibus Ecclesiæ orientis & occidentis regerentur. Sed statim occurrit canon secundus Concilii Constantinopolitani toties laudatus, qui de hac re sollicitis curam omnem eximere potest. Convenerant Con-

(*) Sic Luitprandus in libro II. cap. XII. loquens de Romano Imperatore Constantinopolitano post Leonem cognomine sapientem, Anatolicas vocat gentes orientales, Græco etiam verbo utens: *Primo quo Romanus suscepit imperium anno, nonnullæ ei gentes, præsertim ἀνατολικαί, hoc est, orientales, visæ sunt rebellare.*

Constantinopolim ex omnibus orientalis imperii provinciis litteris Theodosii Imperatoris evocati antistites, qui canone secundo Ecclesiarum orientalium terminos præscripserunt; adeo, ut eas intra Diœceses Thracicam, Ponticam, Asianam, orientem & Ægyptum coercuerint, ac proinde ceteras omnes Diœceses occidenti dimiserint, nempe Illyricum solidum, Italiam, Gallias, Britannias, Hispanias & Africam. Scilicet, ut ante monui, iidem erant imperii orientalis limites & Ecclesiarum orientalium. Thracia in confinio Illyrici constituta orienti accensebatur; ut Illyrici integra præfectura, quæ Macedoniam, Daciam, Achajam, & ceteras quasdam provincias complectebatur, ad occidentem pertinebat, æque ac Africani litoris sex provinciæ, ut docuit Zosimus. Thraciam orienti Vespasianus Imperator addixerat, teste Eustathio, quod apud omnes deinde Principes obtinuit, qui Thraciam, licet freto Propontidis & Hellesponti ab Asia discretam, orienti accensuerunt. Imo & sub Theodosio Illyriciana Diœcesis in duas partes secta est; adeo, ut imperio orientis accesserit Illyrici pars illa, quæ Macedoniam & alias quasdam provincias continebat; ut patet e Jornande & e Notitia utriusque imperii, quæ fines orientalis Illyrici & occidentalis describit.

Zosimus lib. 2. histor. Eust. in Dionys.

IV. Quæ immutatio nihil de Ecclesiarum statu detrivit. Itaque Illyrici & Thraciæ limites, ut olim imperii utriusque, sic etiam Ecclesiarum fuere. Hanc divisionem imperii primus tentavit Diocletianus, cum sibi & Galerio Maximiano retinuit orientem, regia constituta in urbe Nicomediensi, occidentemque Constantio patri Constantini & Maximiano Herculio distribuit, datis huic Illyrico, Italia & Africa, illi Britanniis, Hispaniis & Galliis, apud Eutropium. Constantinus autem, cum solidam, a morte Licinii, Romani imperii suscepisset administrationem, & ei trium filiorum charitas esset antiquior, quam reipublicæ cura, illis orbem testamento partitus est; ita tamen, ut primus occidentis partes, Constantius vero orientis obtineret. Valentinianus senior secutus exemplum tam fœdæ divisionis Valentem fratrem effusa liberalitate consortem imperii designavit, eique Asiæ & Ægypti tradidit dominatum; Europa suæ ditioni reservata, ut inquit Theodoretus. Quod accuratius descripsit Sozomenus, qui, antiquos utriusque imperii limites immutatos non fuisse, satis ostendit. Valenti, inquit, *tribuit provincias, quæ ad orientem sitæ sunt. Eas vero, quæ ab Illyrico usque ad oceanum occidentalem; & eam, quæ est ex adverso continentem usque ad extrema Africæ, sub sua potestate constituit*, id est, præfecturas Italiæ, sub qua continebatur Africa, Galliarum & Illyrici. Hos imperiorum limites Ammianus Marcellinus, qui sub Juliano floruit, in confinio Illyrici & Thraciæ, in ipsis Succorum montium angustiis locat. *Conserta*, inquit, *celsorum montium summitates Hœmi & Rhodopes, quorum alter ex ipsis Istri marginibus, alter ab Axii fluminis citeriori parte consurgit, in angustias tumulosis collibus desinentes, Illyrios interscindunt & Thracas*. In iisdem Succorum angustiis occidentalium Ecclesiarum fines constituit Concilii Aquilejensis epistola ad Theodosium, si locus illustris, qui cubat in mendo, nitori suo restituatur. *Equidem*, inquiunt Patres, *per occidentales partes duobus in angulis tantum, hoc est, in latere Daciæ Ripensis ac Mœsiæ, fidei obstrepi videbatur. Quibus tamen nunc, post Concilii sententiam, vestræ favore clementiæ opinamur illico consulendum. Per omnes autem tractus atque regiones ethnicorum claustris usque ad oceanum manet intemerata fides. In orientalibus autem partibus cognovimus quidem*. & quæ sequuntur. Legendum prorsus est, *a Succorum claustris*, non *ethnicorum*. (*) In eam sententiam adnotavit Socrates, dissidio Sardicensis Concilii orientalium & occidentalium abruptam communionem, utriusque autem Ecclesiæ confinium in Succorum montium angustiis, quæ Illyrios dividunt a Thracibus, positum fuisse; quos ille montes τισῦκις vocat; ita, ut ὅρος fuerit ὅρος τῆς κοινωνίας, ut inquit eleganter Socrates. Ad solutionem illam communionis, quæ ob Maximi Cynici ordinationem inter orientales & occidentem intercesserat, & cui resarciendæ operam dabat Concilium Constantinopolitanum, Gregorius Nazianzenus respicit, cum occiduæ & orientalis oræ velut nodum Constantinopolim esse patribus congregatis pronuntiabat; quo hinc & inde extrema provinciarum capita pertingerent, & inde velut a communi fidei emporio refunderentur. Etenim Thracicam Diœcesim hic scriptor velut appendicem Constantinopoleos intuebatur; & communionis interversæ fideique afflictæ restitutionem hinc expectandam præ se ferebat.

Eutrop. lib. 10.

Socr. l. 1. c. 85. πρῶτος τῆς ἑσπερίων μερῶν.

Theod. l. 4. c. 5.

Sozom. l. 4. c. 6.

Ammianus Marcellinus lib. 22. & lib. 27. *Succorum patescunt angustiæ Thracias dirimentes & Daciam.*

Epistola 11. Conc. Aquil. edita a V. C. Sirmondo in Theod. pag. 74

Socrates lib. 2. hist. c. 18. καὶ ἦν ὅρος τῆς κοινωνίας αὐτοῖς τὸ ὄρος τὸ λεγόμενον τισῦκις, ὅπερ ἐστὶν Ἰλλυριῶν καὶ Θρακῶν. *Vir eruditissimus Henricus Valesius recte monuit legendum* σοῦκοι, *vel* σοῦκοις.

Conc. Italiæ editum a Sirm. in Appendice Cod. Theodos.

Gregor. Naz. ἰδὰς τε καὶ ἑσπερίου λήξεως ἐστὶ σύνδεσμον, εἰς ἣν τὰ πανταχόθεν ἄκρα συντρέχει. καὶ ὅθεν ἄρχεται ὡς ἐμπορίου κοινοῦ τῆς πίστεως.

V. Sed ut nihil reliqui sit pervicaciæ, docendum est, secundum patrum Constantinopolitanorum sententiam pro occidentalibus haberi eos, qui circumscripti non sunt Diœcesibus illis quinque, Thracica, Pontica, Asiana, orientali & Ægyptiaca. Quod patet e canone quinto illius synodi, quo libellus occidentalium approbatur his verbis: *De tomo occidentalium. Nos etiam Antiochenos suscepimus, qui unam confitentur Patris & Filii & Spiritus sancti divinitatem*. Scio in controversiam adduci tomum istum occidentalium. Repudiata etenim Zonaræ & Balsamonis interpretatione, qui de canone fidei in Sardicensi Concilio promulgato verba illa accipiunt, illustrissimus Card. Baronius de Damasi epistola synodica scripta ad Paulinum Antiochenum, quæ refertur a Theodoreto, hunc canonem accipiendum existimat. Quod viro erudito displicuit, qui exserte asserit, locum esse mendosum: quoniam *verba ista, de tomo occidentalium, quæ tituli vicem præstant, significare videntur canonem agere de nescio quo occidentalium libello. At vero canon*, inquit ille, *nihil minus exsequitur; sed tantum approbat ea, quæ definierant Antiocheni, unam confitentes Patris & Filii & Spiritus sancti divinitatem*. Unde animum sumpsit antiquam lectionem movendi, ita, ut *Antiochenos* substituerit *occidentalibus*, id est, Διθικὸς, ut ille quidem legit, τοῖς δυτικοῖς. In quo dupliciter peccatur, tum in sententia detorta & inconcinna, quam antiquæ lectioni hujus canonis affingit, tum in nova omnino voce & omnibus scriptoribus incognita, quam ille comminiscitur, cum asserit Antiochenses voce hybrida & a Syriaca deducta *Dithicos* appellatos, quasi diceres *lucis consitos*, a luco Daphnensi, quo ornabatur Antiochia. Tenebras illas discutiet vera & sincera mens illius canonis, quæ ita constitui & enarrari paucis verbis potest. Quod attinet ad epistolam occidentalium, qua docent, se communionem Antiochenorum amplecti, quia rectam fidem profitentur, etsi Meletii & Paulini schismate laborent, nos etiam eosdem Antiochenos jam antea suscepisse testamur, quia nobis constitit, eos unam Patris & Filii & Spiritus sancti confiteri divinitatem. Unde sequitur, alium esse tomum occidentalium, qui commemoratur in hoc canone, ab epistola synodica Damasi ad Paulinum Antiochenum, vel saltem cum illa epistola aliam adjunctam fuisse ad orientales Episcopos Constantinopoli congregatos. Nihil enim vetat, quin eodem tempore & eodem exemplo perscripta & missa fuerit ad Paulinum & ad synodum Constantinopolitanam. Inde etiam sequitur, veterem omnium codicum lectionem non esse sollicitandam, quæ Δυτικὸς, seu mavis occidentales huic synodo cognitos exhibet. Nec est, quod vir eruditissimus conjecturam suam fulciat ex emendatione tentata in libello oblato contra Ibam Edessenum

Can. v. περὶ τόμου τῶν Δυτικῶν. καὶ τοὺς ἐν Ἀντιοχείᾳ ἀπεδεξάμεθα τοὺς μίαν ὁμολογοῦντας πατρὸς καὶ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος θεότητα.

Zonaras & Balsamon in comment. hujus can. Card. Baron. ad annum 381. Petitus var. lect. l. 3. c. 2

Vide Henr. Vales. in Notis ad Theodoret. lib. 5. c. 3.

(*) Apud sanctum Ambrosium, ubi hæc epistola extat, legitur *& vicorum claustra*, quam lectionem non esse bonam, eique præferendam esse emendationem Petri de Marca, recte monet R. P. Jacobus de la Baune in præfatione ad tomum I. operum Sirmondi. Victor Tunonensis P. C. Basilii anno XX. *usque ad Sucas Constantinopolim veniunt*.

Refertur in Concilio Chalced. fenum in synodo Berytensi; ubi Synodi Antiochena & Tyria, in ejus Episcopi causa habitæ, *ἀνατολικὴ* dicuntur & *δυτικὴ*: quam ille in *ἰδικὴν* immutat, ut Antiochena eo vocabulo significetur. Sane alia mens est libelli, ubi Antiochena synodus *ἀνατολικὴ*, dicitur, sive orientalis, quia urbs Antiochia est metropolis orientis. Tyria autem dicitur *δυτικὴ*, seu occidentalis, ratione habita situs, quem Tyrus obtinet in Diœcesi orientis. Phœnicia enim, ubi sita est colonia Tyri, porrigitur ad partes occidentales Diœceseos orientalis.

CAPUT V.

De jure Patriarchico Pontificis Romani in occidente.

SYNOPSIS.

I. Singulæ orientis Diœceses suis Patriarchis & Exarchis commissæ. Solidi occidentis Diœceses octo Romano Episcopo. Eo sensu explicatæ Majores Diœceses *in Concilio Arelatensi primo.*

II. Romanus Pontifex caput occidentis, e Basilio & Augustino, cujus locus explicatur, ex Hieronymo, Cyrillo Alexandrino, Concilio Ephesino.

III. Innocentius refert originem hujus institutionis. Illyricum sibi æque ac ceteras Diœceses vindicat.

IV. Romanus Pontifex Patriarcha dictus, etiam occidentis a Justiniano; cujus locus explicatur.

V. Romani Episcopi Patriarchæ nomen non sumpserunt, ex Gregorio; quamvis jure patriarchico uterentur, & ab aliis dicerentur Patriarchæ. Quinarius numerus Patriarcharum in synodis sexta & octava.

I. Constituta Ecclesiarum in orientales & occidentales divisione, necesse est, ut statim cordato lectori veniat in mentem, aliquo disciplinæ ordine earum administrationem constitisse. Quod si curiosius rimetur, statim inveniet eodem modo, quo quinque illæ orientis Diœceses ita suis Primatibus erant commissæ, ut Ægypto præesset Alexandrinus Patriarcha, Orienti Antiochenus, Asianæ Diœcesi Ephesinus Exarchus, Ponticæ vero Cæsareæ in Cappadocia Episcopus, & Thracicæ Constantinopolitanus, qui tandem, ut dixi, tres istas Diœceses, Asianam, Ponticam & Thracicam decreto Concilii Chalcedonensis suæ sedi asseruit, ita Diœceses occidentis ea ratione Metropolitis suis concreditas fuisse, ut Romano Episcopo tanquam totius occidentis Patriarchæ subessent, qui tantum a ceteris Patriarchis administratione distabat, quantum dignitate & auctoritate. Cujusque enim illorum potestas unius Diœceseos finibus coercebatur, integræ autem & solidæ totius occidentis Diœceses Romani Episcopi auctoritate gubernabantur. Hoc discrimen fortasse respiciebant Concilii Arelatensis sacerdotes, cum epistola sua ad Silvestrum testantur, eum *Majores Diœceses* tenere; quia scilicet septem vel octo occidentis Diœceses obtinebat, nempe in Italia duas, Illyricum solidum, quod ex una Diœcesi in duas postea est discerptum, Gallias, Britannias, Hispanias & Africam.

II. Sane ne effusam illam Romani Pontificis administrationem commentus fuisse videar, laudabo testes omni exceptione majores, hinc Basilium ab oriente, qui conceptis verbis Episcopum Romanum *occidentalium Coryphæum* esse scribit, id est, illius Ecclesiæ principem, hinc vero Augustinum ab Africa. (Basilius ep. 10. δυτικῶν κορυφαῖον.) Hic cum adversus Julianum Pelagianum testimonia Cypriani ex Africa, Irenæi, Rheticii, Olympii, Hilarii e Galliis, & Ambrosii ex Italia protulisset, ista verba subjungit: (Aug. l. 1. contra Julian. c. 6.) *An ideo contemnendos putas, quia occidentalis Ecclesiæ sunt omnes, nec ullus in eis est commemoratus a nobis orientis Episcopus? Quid ergo faciemus, cum illi Græci sint, nos Latini? Puto tibi eam partem orbis sufficere debere, in qua primum Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo martyrio coronare; cui Ecclesiæ præsidentem beatum Innocentium si audire voluisses, jam tunc periculosam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuisses.* Ecclesia, cui præsidebat Innocentius, nulla est alia, quam occidentalis, cujus solius hoc in loco mentionem facit Augustinus, ut frustra sint novatores, qui ad Romanam hæc verba referunt, cujus ne meminit quidem. Certum quidem est, ab Augustino occidentalem Ecclesiam ex eo capite illustriorem reddi, quod occidens ea sit orbis pars, in qua princeps Apostolorum martyrio confectus sit, ac proinde compositus cum oriente primas partes dignitatis ferre debeat; unde sequatur, maximi ponderis esse debere adversus Pelagianos Innocentii sententiam, qui occidentali Ecclesiæ præsideret. Basilio & Augustino addamus Hieronymum, qui epistola ad Marcum, *Hæreticum me*, inquit, *cum occidente, hæreticum me cum Ægypto, hoc est, cum Damaso Petroque condemnent*. Quid apertius? Ut Ægyptum tanquam specialem Alexandrini Patriarchæ Diœcesim Petro Alexandriæ Episcopo tribuit Hieronymus, ita & Damaso Episcopo Romæ solidum occidentem. In eam sententiam idem auctor, cum cœlibatum sacerdotum adversus hæreticos assereret, totiusque Ecclesiæ consuetudinem ad comprimendam novitatem testimonii pondere advocaret, trium patriarchatuum limites describit. *Quid facient*, inquit, *orientis Ecclesiæ, quid Ægypti, & sedis apostolicæ, quæ aut virgines clericos accipiunt aut continentes; aut si uxores habuerunt, mariti esse desistunt.* (Hieron. advers. Vigilant.) Si calculum ineamus, subductis ex solido orbe Romano orientis Ecclesiis, id est, Antiochiæ, una cum Diœcesibus Asianæ, Ponticæ & Thracicæ, subducta deinde Ægypto, solæ supersunt Ecclesiæ sedis apostolicæ, id est, occidentales, ut ante dicebamus. Ex eo est, quod Cyrillus Joannem Antiochenum monet necessum esse, ut ii omnes latam a Cælestino Pontifice Romano adversus Nestorium sententiam sequantur, qui *totius occidentis* communionem amplecti volunt. (Epist. Cyrill. in Concil. Ephes. p. 1. cap. 21. οἷς καὶ ἀνάγκη πείθεσθαι τοὺς ἀντεχομένους τῆς πρὸς ἅπασαν τὴν Δύσιν κοινωνίας.) Etenim occidentis provinciæ per legatos ad synodum Romanam convenerant, cui Cælestinus præfuit; ut testatur ipsa synodus Ephesina, cum de adventu Arcadii, Projecti & Philippi Legatorum a Cælestino & synodo occidentalium missorum referret ad Imperatores. (Eph. Conc. p. 2. act. 3. in relatione ad Impp. αὐτόθι συναχθέντες (i. οἱ κατὰ δύσιν ἐπίσκοποι) παρόντος καὶ τοῦ τῆς μεγάλης Ῥώμης ὁσιωτάτου ἐπισκόπου.) Quare non dubitaverunt iidem Ephesini Concilii patres, adversus procaciam Joannis Antiocheni commoti, ad Principes hæc scribere: *Perabsurdum enim est ducentorum & decem sanctorum Episcoporum synodo, quibus & universa occidentalium sanctorum Episcoporum multitudo & per ipsos reliquus totus terrarum orbis consentit, triginta numero se opponere.* (In ep. synod. οἷς καὶ πᾶν τὸ πλῆθος τῆς δύσεως τῶν ἁγίων ἐπισκόπων συνεψηφίσατο.)

III. Innocentius ipse, quem occidentali Ecclesiæ præsidentem laudabat Augustinus, non solum earum Ecclesiarum principatum Romanæ sedi vindicat, sed hujus institutionis originem eo refert, quod occidentis Ecclesiæ a Petro aut ejus in sede Romana successoribus fuerint constitutæ. (Innoc. in epist. ad Decent. Eugub.) *Præsertim*, inquit ille, *cum sit manifestum in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam atque Siciliam, insulasque interjacentes nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus, aut ejus successores constituerunt sacerdotes. Aut legant si in iis provinciis alius Apostolorum invenitur aut legitur docuisse? Qui si non legunt, quia nusquam inveniunt, oportet eos hoc sequi, quod Ecclesia Romana custodit, a qua eos principium accepisse non dubium est; ne dum peregrinis assertionibus student, caput institutionum videantur omittere.* Plane caput institutarum in occidente Ecclesiarum Romanam Ecclesiam Innocentius vult haberi. Solæ desunt calculo nostro Illyricianæ Diœceseos Ecclesiæ, quarum hoc loco non meminit Innocentius. Certum est tamen, eas æque ac ceteras occidentis provincias apostolicæ sedis constitutis paruisse, eamque sedem, ut Ecclesiarum caput excoluisse. Nolo mihi fidem haberi. Dicat pro se ipse Innocentius in ea epistola, quam ad Rufum Episcopum Thessalonicæ, (Innoc. ep. 13. & in Decretis cap. 50.)

Decret. c. 35.

Vide Addit. ad cap. XVII. lib. V.

nicæ, (quæ Illyrici metropolis erat) & ad ceteros Episcopos Macedoniæ dedit, cum eorum literis a Vitali Archidiacono delatis rescriberet: *Adverti, sedi apostolicæ, ad quam relatio tamquam ad caput Ecclesiarum missa currebat, aliquam fieri injuriam, cujus adhuc in ambiguum sententia duceretur.* Quin & alio loco jure patriarchico usus est Innocentius in retractando Bubalii & Tauriani Episcoporum Illyrici judicio. Ut dubitandi nullus possit superesse locus, quin per Illyricianam æque ac per ceteras occidentis Diœceses Pontificis Romani auctoritas patriarchica explicaretur.

Act. 3. Synod. Chalced. Nov. 109. de privilegiis dotis hæret. ἐν ᾗ πάντες ἀδιαφθόρως οἱ ἁγιώτατοι πατριάρχαι τῆς οἰκουμένης, τῆς ἑσπερίας ῥώμης, καὶ ταύτης τῆς βασιλίδος πόλεως. Ex editione Scrimgeri. V. Cl. Dionysius Gothofr. in Notis ad No. Just.

IV. Si quis vero morosus his testimoniis cedere nolit, nisi apertis verbis ab aliquo Pontificem Romanum occidentis Patriarcham pronuntiatum fuisse ostendamus, etiam hac in parte morem illi geremus. In Concilio Chalcedonensi Leo diserte Patriarcha veteris & magnæ Romæ dicitur; & in literis Justini Imperatoris Hormisda Pontifex Patriarcha quoque appellatur. Præterea Justinianus anno DXLI. cum Patriarchas quinque recenseret, primo loco meminit Patriarchæ Hesperiæ & Romæ. Hæreticis adscribit eos, *qui non sunt membrum sanctæ Dei catholicæ & apostolicæ Ecclesiæ, in qua omnes concorditer sanctissimi Episcopi & totius orbis terrarum Patriarchæ, scilicet Hesperiæ* (*) *& Romanæ, & hujus regiæ civitatis, & Alexandriæ, & Theopoleos,* (id est, Antiochiæ) *& Hierosolymorum, & omnes, qui sub eis constituti sunt, sanctissimi Episcopi apostolicam prædicant fidem atque traditionem.* Hesperiam in Notis ad hunc locum non sincere viri docti Italiam reddunt, ac si Patriarcha Italiæ tantum censendus esset Episcopus Romanus. Cui ergo cedent ceteræ occidentis provinciæ? Et qua ratione, si eas a Romano patriarchatu excipias, omnes totius orbis tractus quinque Patriarchis suberunt, ut Justinianus hac Novella contendit? Itaque Hesperia occidentem significat.

Nov. 123. dicitur Patriarcha πρεσβυτέρας ῥώμης. C. de Sum. Trin. Theodoretus l. 5. c. 23. Socrat. l. 2. c. 29.

Qua voce usus est antiquus Novellarum interpres, utpote a mediæ ætatis scriptoribus frequentissime usurpata ad significandos occidentis tractus; etsi apud veteres & alios quoque auctores Italiam non raro significet. Quo sensu apud Theodoretum occidentales Episcopi οἱ τῆς ἑσπερίας dicuntur, & Ἑσπέριοι apud Socratem. Fortasse sincerior est lectio Scrimgerianæ editionis, quæ patriarchatum Romanum non dividit in Hesperiam & Romam, sed uno membro complectitur ἑσπερίας ῥώμης, id est, occidentalis Romæ, ut distinguatur a nova Roma orientalis imperii,

Synes. orat. de Rat.

quæ quidem a Synesio orientalis Roma dicitur, quemadmodum vetus illa occidentalis nomine designatur: Τῆς ἑῴας Ῥώμης καὶ τῆς ἑσπερίας φυλάττοις μετὰ τῶν πόλεων ξυνωρίδα.

V. Tamen hic dissimulandum non est, etsi jure patriarchico in occidente fruerentur Episcopi Romani, sese Patriarcharum nomine jactare non consuevisse, sed auctoritatem suam sola sedis apostolicæ appellatione explicuisse. Quod eruitur e laudabili quodam loco petito e sancti Gregorii magni regesto, scilicet e mandato, quod Joanni Defensori Hispanias adeunti dederat, ut Episcoporum Hispanorum conatum infringeret, qui Stephani Episcopi a provinciali synodo dejecti appellationem alienam a canonibus & a more Ecclesiarum contendebant.

Greg. lib. XI. Reg. ep. 54.

Contra hæc si dictum fuerit, inquit, *quia nec Metropolitanum habuit, nec Patriarcham, dicendum est, quia a sede apostolica, quæ omnium Ecclesiarum caput est, causa hæc audienda ac dirimenda fuerat; sicut & prædictus Episcopus* (scilicet Stephanus) *petiisse dignoscitur, qui Episcopos alieni Concilii judices habuit omnino suspectos.* Ex eo consilio profectum est, quod idem Gregorius quatuor Patriarcharum tantum mentionem facit in epistola, ad Brunechildem Reginam Francorum, qua eorum ignorantiam percellit, qui a decretis synodi Chalcedonensis discedebant:

Greg. l. 7. ep. 5. & l. 2. c. 37.

Sed ita illos erroris labes imbibit, ut, ignorantiæ suæ credentes, universam Ecclesiam atque omnes quatuor Patriarchas, non ratione, sed maliti osa mente tantummodo refugiant. Nempe quia sedis apostolicæ principatus eximium aliquod jus, non solum in occidentis provincias, quæ jure patriarchico solius Episcopi Romani sollicitudini patuerunt, sed etiam in ceteras orientis Ecclesias, quæ illi, ut supremo capiti per Patriarchas suos connectebantur, obtinebat.

C. Grave. de præb. & dign. c. Antiqua. de privil. Extravag. Sancta Romana. de elect. in commun. Act. 18. sextæ syn. Theodorus Stud. apud Baron. ann. 819. §. 35. Balsamo de Patr. privileg. ὡς αἰσθήσεις πέντε μιᾶς κεφαλῆς. Idem τοὺς ἁγιωτάτους Πατριάρχας πέντε, μίαν οἶδα μετὰ κεφαλὴν τοῦ σώματος πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν τοῦ Θεοῦ. Greg. l. 6. ep. 37. Nic. ad consulta Bulg. c. 32.

Noluit ergo Patriarcha audiri Gregorius; sed etiam non alienum a se duxit jure patriarchico uti per occidentis provincias. Quem morem secutus est Innocentius III. qui quatuor Patriarchas numerando, Romanam Ecclesiam intra dignitatis illius limites non cogit. Ceterum in conciliis Romana inter patriarchales sedes recensebatur, ut patet ex synodica epistola Concilii sexti, qua Constantinum Pogonatum patres rogant, ut actorum synodi exemplaria, ad quinque patriarchales sedes mittantur, ἐνδοθῶσι τοῖς πέντε πατριαρχικοῖς θρόνοις. Inde Theodorus Studita ecclesiasticum corpus πεντακέφαλον vocat, quinque Patriarchis ad unius capitis formam redactis, ut explicuit Balsamo; quemadmodum Gregorius beati Petri sedem *unius in tribus locis* esse scripsit. Octava etiam synodus quinarium sedium patriarchalium numerum agnovit; & Nicolaus I. in responsis ad Bulgaros Romanam Ecclesiam inter patriarchales recensuit, licet ceteris dignitate & auctoritate præcellat. (**)

CAPUT VI.

De partibus juris Patriarchici Pontificis Romani, & primo quidem de indictione Synodorum.

SYNOPSIS.

I. Agitur de comparatione Alexandrini Episcopi cum Romano. Jus patriarchatus frequentius exercebatur in Diœcesi urbicaria & in Italica, quam in ceteris occidentis provinciis.

II. Sy-

(*) Consuluimus super ea re veteres codices MSS. bibliothecæ Colbertinæ. Et in codice quidem signato 530. extat, quod fatendum est, editio vulgata. At codices 215. & 244. habent *& Esperiæ Romæ & hujus regiæ civitatis*. Hinc ergo valide confirmatur conjectura illustrissimi Archiepiscopi. Eam præterea confirmat epistola nondum edita Joannis VIII. ad Paulum Episcopum Anconitanum fungentem legatione in Germania & Pannonia. *Non solum*, inquit, *intra Italiam ac ceteras Hesperiæ provincias, verum etiam intra totius Illyrici fines, consecrationes, ordinationes & dispositiones apostolica sedes patrare antiquitus consuevit.* Istius epistolæ fragmentum habetur apud Gratianum 16. q. 3. c. 14. *Porro.*

(**) Addere vero visum est insignem locum ex libro secundo Anselmi Episcopi Lucensis adversus Guibertum: in quo Nicolaum secundum Papam redarguens ob mutata patrum decreta, auctoritati ejus opponit decreta sanctorum quinque Patriarcharum, in quibus Romanum primo loco ponit. *Sed ut tandem*, inquit, *invincibili gladio feriamus, præfatus Nicolaus, unus scilicet Patriarcha, cum quolibet Episcoporum Concilio non potuit abrumpere, imo nec mutare non obviantia fidei præfata decreta sanctorum quinque Patriarcharum, scilicet Romani, Alexandrini, Antiocheni, Hierosolymitani, Constantinopolitani.* Sequenti dein ætati visum est, servandam esse Romano Pontifici suam prærogativam etiam inter loquendum & scribendum, adeoque Romanum Pontificem non esse connumerandum cum ceteris quatuor Patriarchis, cum eorum caput supremum esset. Itaque Innocentius III. Romanum Pontificem in scribendo distinguit a Patriarchis. In historia vero Concilii, quod apud Lugdunum habuit Innocentius hujus nominis quartus, cum Aquilejensi Patriarchæ datus esset locus post Antiochenum, Constantinopolitanus & Antiochenus, qui aderant, graviter & iniquo animo id tulere, ac sedem ejus everterunt, dicentes illum non esse *de quatuor Patriarchis*. Ita enim legitur in historia illa, prout edita est in tomis Conciliorum. Sed in veteri codice manuscripto bibliothecæ regiæ, in quo eadem historia extat, numerus Patriarcharum non exprimitur, aitque tantum auctor, alios Patriarchas dixisse, Aquilejensem sedere non debere juxta eos, *cum non esset de Patriarchis*, id est, cum non esset Patriarcha. Sane hanc ultimam lectionem adjuvat, quod legitur apud Udascalcum in narratione de controversiis inter Hermannum Episcopum Augustanum & Eginonem Abbatem sancti Udalrici, ubi ista habentur in capite XVI. apud Henricum Canisium tom. 2. antiquæ lectionis cap. 217. *Ab Episcopo Aquilejensi, qui abusive Patriarcha vocatur, sub pallio VViberti hæresiarchæ, præmissis duobus juramentis ordinatur.* Vide etiam Gregorium VII. lib. 2. epist. 39.

II. Synodorum indictio, Episcoporum ordinatio, & judicium de majoribus causis sunt partes juris patriarchici. Concilium Romanum ex Episcopis Italiæ; ut patet ex Julio, epistola orientalium, & synodica Concilii Sardicensis, quæ explicatur, & ex Liberio.

III. Concilium istud auctoritate Romani Pontificis evocatum probatur ex epistola Gallæ Augustæ & synodis Romanis sub Felice & sub Symmacho.

IV. Hæc synodus generalis Italiæ videtur originem traxisse ex conventu habito in causa Pauli Samosateni. Ante synodus Italica & Romana differebant. Postea Concilium Romanum utramque complexum est.

I. Restat, ut asserto occidentis patriarchatu in eam rationem sollicitius inquiramus, qua ad exemplum Romani Episcopi jura Alexandrinæ sedis per Ægyptum, Libyam & Pentapolim Nicæna synodus metiebatur. Hic distinctio quædam adhibenda est; qua non animadversa, de componendo jure patriarchico duarum istarum sedium desperandum est, dicendumque cum viris eruditissimis de sola metropolitica auctoritate hoc canone comparationem iniri. Occidentis Ecclesiæ per plures Diœceses porrectæ erant, ut superius monui, quæ suis quæque synodis constabant; ut ostendere esset in proclivi de Africana, Illyriciana & Gallicana, imo & de Hispanica. Italia in duas Diœceses divisa, Italicam nempe & Urbicariam, cum a sede apostolica non longe abesset, frequentioribus beneficiis ab ea fovebatur; adeo, ut jus illud omne præcipuum, quo Patriarchæ in suis Diœcesibus potiebantur, Episcopus Romanus in sua Diœcesi Urbicaria, & forsan in Italica, exerceret. In ceteris vero occidentalibus provinciis summam auctoritatis vim & dignitatis apicem conservabat quidem; sed non eam in omnibus rerum articulis, æque ac in Italiæ provinciis, explicabat.

II. Jus Patriarchæ in eo versatur, ut Episcopos sibi subditos ad Concilium evocet, ordinationes Episcoporum celebret, & de majoribus causis judicium ferat. Romanus Episcopus synodum omnium Italiæ Episcoporum, ut proprium & ordinarium Romanæ sedis conventum, cogebat & per omnes Italiæ provincias, vel saltem per Urbicariam Diœcesim, Episcoporum ordinandorum jure fruebatur. Concilium Romanum ex Episcopis Italiæ conflatum fuisse, docet Julius I. Pontifex, in epistola ad orientales, quæ extat apud Athanasium.

Julius in ep. ad orient. apud Athan. apol. 2.

Nam tametsi solus sim, inquit, *qui scripsi, non meam tamen solius sententiam, sed omnium Italorum & omnium in his regionibus Episcoporum scripsi. Certe ad constitutum tempus convenere Episcopi, & ejus sententiæ fuere, quam vobis iterum significo*. Quare orientales Episcopi Athanasio communionem restitutam a Julio & a solis Episcopis Italis observarunt in synodica sua epistola, quam Concilii Sardicensis nomine ediderunt: *Ad Julium Romam perrexit, sed & ad Italiæ quosdam ipsius partis Episcopos; quos seducens per epistolarum falsitatem, ab eisdem perfacile in communionem est receptus*. Ex eo autem, quod Italiæ Episcoporum conventus ordinarius Romæ haberetur, profectum est, ut eis impensius Romanus Pontifex immineret, curamque suam ad illos frequentiorem extenderet; atque illo proinde nomine synodus Sardicensis, relatione facta eorum omnium, quæ gesta erant Sardicæ ad Julium Pontificem, ab eo petierit, ut omnes Siciliæ, Sardiniæ & reliquæ Italiæ provincias scriptis suis earum rerum certiores redderet. Quod quidem munus ad Metropolitanos in singulis provinciis pertinebat, sed in duabus Italiæ Diœcesibus ad Romanum Episcopum jure patriarchico. *Tua autem excellens prudentia*, inquit Concilium, *disponere debet, ut per tua scripta, qui in Sicilia, qui in Sardinia & in Italia sunt fratres nostri, quæ acta sunt & quæ definita cognoscant, & ne ignorantes eorum recipiant literas communicatorias, quos extra episcopatum justa sententia declaravit*.

Extat apud Hilarium in Fragmentis parte 3.

Epistola synodica Concilii Sardicensis apud Hilarium.

Liberius vero in epistola ad Constantium Imperatorem se literas orientalium de causa Athanasii legisse Concilio, id est, Episcopis Italis, profitetur.

Liberius ep. 2. ad Constantium.

III. Enimvero ne quis cavilletur, cœtus quidem Episcoporum Italiæ habitos, sed literis Romani Pontificis non fuisse coactos, necesse est, ut Gallæ Placidiæ Augustæ epistola, quam ad Theodosium Imperatorem dedit, rem totam conficiamus. Testatur religiosa mulier, se, cum ad altare B. Petri accessisset, cultum Apostolo exhibitura, a Leone Episcopo exoratam, ut a Theodosio convocandum generale Concilium impetraret, quo vulneri mederetur, quod fides ab Ephesino latrocinio erat passa. Leo autem erat *Episcoporum multitudine circumseptus, quos ex innumerabilibus civitatibus Italiæ pro principatu proprii loci seu dignitate collegit*, inquit Galla Augusta. In hanc sententiam synodus Romæ coacta circa annum CDLXXXIV. scripsit ad Constantinopolitanos hæc verba: *Quoties intra Italiam propter ecclesiasticas causas, præcipue fidei, colliguntur Domini sacerdotes, consuetudo retinetur, ut successor præsulum sedis apostolicæ ex persona cunctorum totius Italiæ sacerdotum juxta solicitudinem sibi Ecclesiarum omnium competentem cuncta constituat, qui caput est omnium*, atque ideo addunt inferiori loco ejusdem epistolæ: *Beatissimus vir Felix, caput nostrum, Papa & Archiepiscopus*. Sane de Siciliæ Episcopis, licet freto ab Italia secretis, testatur abunde Leo, ternos ex eorum synodo quotannis Romam fraterno sociandos Concilio indissimulanter occurrere debere. Hinc profectum, ut in synodo Romana sub Symmacho, quam Rex Theodoricus ex omnibus Italiæ provinciis coegerat, recte observatum fuerit, hanc synodum ab ipso Papa convocari debuisse; cujus voluntatem intercessisse scripto docuit Theodoricus.

Epistola Gallæ parte 1. Conci. Chalced. c. 26. περιστοιχισμένος πλήθει ἐπισκόπων οὕς τινας ἀπὸ ἀναριθμήτων πόλεων ἐν τῇ Ἰταλίᾳ συνήγαγεν ὑπὸ τῆς ἀρχῆς τοῦ ἰδίου τόπου, καὶ τῆς ἀξίας.

Synodica ep. Concilii Rom. sub Felice.

Vide infra lib. 5. cap. 37. §. 3.

Leo in Decret. cap. 13.

IV. Unus tantum superest, quem eximere oportet a lectoris animo, scrupulus, unde ortum habuerit hæc synodus Romana Italiæ finibus circumscripta. Possem veteri consuetudine me tueri; quæ sane huic institutioni, ut & ceteris ecclesiasticæ disciplinæ articulis, incrementum dedit. Sed fortasse non inepte hujus conventus originem inde repetere possumus, quod ad profligandam Pauli Samosateni hæresim ab Aureliano Imperatore constitutum fuit, ut Italiæ Episcopi Romam de hac quæstione tractaturi se conferrent. Etsi enim vocandorum Episcoporum jus Romanæ sedi concedamus, nemo tamen inficiabitur, quin cœtus frequens Romæ haberi vix posset sub paganorum Principum imperio, nisi cogendi Concilii gratiam Imperatores facerent. Quod cum ab Aureliano impetratum occasione unius causæ fuisset, præjudicio suo synodum ex Romana & Italica permixtam constituit ante Nicæni Concilii tempora. Cum enim Paulus Samosatenus Antiochiæ Episcopus, duplici synodo Antiochena damnatus, domo episcopali abscedere nollet, Aurelianus interpellatus hac de re *præcepit, ut domus Ecclesiæ illis tribueretur, quibus Christiani Italiæ & urbis Romæ Episcopi per literas tribuendam præscriberent*, teste Eusebio. Sane ante hoc tempus (quod incidit in annum CCLXXII.) Italiæ Episcopi seorsim a Romanis conveniebant; ut factum est, cum damnatus est Novatianus anno CCLV. a synodis Romana, Italica & Africana; quamvis deinde ab iis relatio missa fuerit ad Cornelium Romanum Episcopum, qui hac de re suis literis monuit Fabium Antiochenum. Sane, si extaret integra Cornelii epistola, cujus nobiliora fragmenta protulit Eusebius, fines utrique synodo Romanæ & Italicæ, quos tunc temporis obtinebant, sine ullis ambagibus assignaremus. In extrema enim epistola (ut testatur Eusebius) Episcopos, qui Romam profecti, Novatiani dementiam condemnabant, & Ecclesias, quibus singuli præerant, Cornelius recensebat. Attamen nemo est, qui sibi persuadere non possit, Romanam synodum iis Episcopis constitisse, qui non solum sub metropoli degebant, sed etiam ce-

Euseb. lib. 7. hist. c. 30. τούτοις νεῖμαι προςτάττων τὸν οἶκον, οἷς ἂν οἱ κατὰ τὴν Ἰταλίαν, καὶ τὴν Ῥωμαίων πόλιν ἐπίσκοποι τοῦ δόγματος ἐπιστέλλοιεν.

Hieron. in Cornelio: *Cornelius Romanæ urbis Episcopus scripsit epistolam ad Fabium Antiochenum de synodo Romana, Italica & Africana.*

teris quibusdam, qui per Campaniæ oras, Brutios & Apuliam erant constituti; Italicam vero ex iis conflatam Episcopis, qui provincias Italiæ Transpadanas incolerent. Sane ad Italicam synodum e pluribus provinciis convenerant Episcopi; ut ipsa docet nominis significatio, quod uni Italiæ provinciæ tribui non solet. Cum autem urbis alicujus celebritas tot Episcopos variarum provinciarum in unam synodum Italicam coegerit, par est etiam credere, Romanæ civitatis dignitatem, imo & ipsius Pontificis, non adeo neglectam, quin e pluribus etiam Italiæ provinciis synodo Romanæ frequentes adessent Episcopi. Et ut apertius promam, quod sentio, plane mihi persuadeo, ipsius Cornelii tempore in ecclesiasticæ disciplinæ ordine duas veluti Diœceses apud Italiam constitutas fuisse, e quibus Italica & Romana synodus constarent: quæ liquidius patuerunt, cum Italia lege Constantini duobus Vicariis Præfecti prætorio est assignata, quorum alteri sedes esset Mediolani, alteri vero Romæ.

CAPUT VII.

De secunda & tertia parte juris Patriarchici, ordinatione Episcoporum, & judicio in causis majoribus.

SYNOPSIS.

I. Ordinatio Episcoporum pertinet ad Patriarchas. Restricta ad Metropolitas in patriarchatus Constantinopolitani institutione. Antiquis Patriarchis omnium Episcoporum ordinatio competebat; ut Antiocheno, ex Innocentio.

II. Et Alexandrino in solida Diœcesi Ægyptiaca. Quod Metropolitarum jura non omnino tollebat, ex Concilio Nicæno & Synesio.

III. Idem jus competebat Romano in provincia Urbicaria. Antiqua regula: Qui pertinent ad synodum, pertinent ad consecrationem; *probatur ex Novella Justiniani, quæ emendatur. Dubitatur de Italicæ Diœceseos Episcopis, & de ipsis Metropolitis Mediolanensi & Aquilejensi.*

IV. Urbicariæ autem Diœceseos Episcopos ordinatos ab Episcopo Romano, docetur e Cælestino. Metropolitani in Urbicaria Diœcesi.

V. Eorum jam servata in ordinationibus Episcoporum, ad exemplum Alexandrini Episcopi & Thessalonicensis, qui erat Vicarius Romani in Illyrico.

VI. Brevis & nova interpretatio canonis sexti Nicæni, ex Ruffino. Idem jus Alexandrino in Ægyptiaca Diœcesi competit, quod Romano in Urbicaria. In ceteris non componuntur invicem. Novatorum argutia refellitur nova responsione.

VII. Patriarchicum jus Romani Pontificis in reliquis provinciis occidentis versabatur præcipue in majoribus causis. Concilia Diœceseon occidentalium conjuncta cum Romano per relationes & Legatos.

VIII. Gallicanam Ecclesiam jus illud patriarchicum semper amplexam esse, docetur aliquot testimoniis selectis. Quod obtinuit in prima, secunda & tertia Regum dynastia.

I. NUnc de jure ordinationum tractandum est; quod Patriarchis adeo competit, singulari quodam privilegio, ut, cum ad honorem primatus, quo fruebatur Episcopus Constantinopolitanus, facta est auctoritatis illius patriarchicæ accessio ex decreto Concilii Chalcedonensis, saltem Metropolitanorum omnium, qui præerant viginti septem provinciis trium Diœceseon Thracicæ, Asianæ & Ponticæ, ordinationes illi addictæ fuerint, aut celebrandæ ab ipso Patriarcha in urbe regia, aut ejus mandato in provinciis; ut docet canon XXVIII. Concilii Chalcedonensis, & magistratuum interlocutio, quæ extat inter acta Concilii. Recisa est tunc aliquo pacto plena illa, quæ ad Patriarchas spectat, ordinandorum Episcoporum potestas, ut novæ auctoritati fovendæ faciles se præberent provinciarum Metropolitani. Alioqui certum est, antiquis illis & majorum gentium Patriarchis ordinationes omnium Episcoporum, non tantum Metropolitarum, competivisse. Id aperte docet Innocentius primus, qui Alexandro Antiocheno Episcopo, hac de re consultus, ita rescripsit: *Itaque arbitramur, frater charissime, ut, sicut Metropolitanos auctoritate ordinas singulari, sic & ceteros non sine permissa conscientiaque tua sinas Episcopos procreari. In quibus hunc modum recte servabis, ut longe positos literis datis ordinari censeas ab his, qui nunc eos suo tantum ordinant arbitratu. Vicinos autem, si æstimas, ad manus impositionem tuæ gratiæ statuas pervenire. Quorum enim te maxima expectat cura, præcipue tuum debent mereri judicium.* Non novum jus aliquod constituit Innocentius, etsi Metropolitanos Diœcesis Antiochenæ a quasi possessione ordinationum episcopalium depellat; sed jus quæsitum sedi Antiochenæ a synodo Nicæna & temporis injuria quodammodo interversum restituit. Præfatur enim Innocentius Antiochenam Ecclesiam non super aliquam provinciam, sed super Diœcesim suam a Nicæno Concilio constitutam. Unde sibi argumentum parat ad ordinationes Episcoporum totius Diœceseos Antiochenæ sedi addicendas.

Canon. 28. Concilii Chalcedon. Act. 16. εἶναι κατ' ἐπιτροπὴν αὐτοῦ ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ.

Innoc. in Decretis cap. 45.

II. Quod attinet ad Alexandrinum Episcopum, ex synodi epistola patet, omnes Episcopos Ægypti ejus decreto ordinatos. Sed illustrior erit hujus rei probatio, si testimonia Synesii expendantur. Pentapolitana regio Cyrenensium urbi Ptolemaidi suberat, ut totius provinciæ metropoli. Metropolitanam illam Ecclesiam Synesius obtinebat, & jure suo provincialium Episcoporum curam gerebat, adeo ut & in eorum mores & ordinationum vitia inquireret. Jus tamen constituendorum Episcoporum suæ provinciæ non sibi arrogat, sed Alexandrinæ sedi ex antiquis moribus; ea tamen lege, ut ordinandus Episcopus suffragio cleri & populi electus, a Metropolitano primum sit approbatus, deinde Alexandrini Episcopi decreto manus impositionem suscipiat. Unde patet summa Episcopi Alexandrini auctoritas; ita tamen, contra quam plerisque videatur, ut Metropolitani dignitas non sit omnino neglecta, cui sollicitudo totius provinciæ immineat; adeo, ut & synodum provinciæ cogere possit, quemadmodum a Synesio factum sæpissime; etsi omnia majoris momenti ad Patriarcham sint referenda. Quæ dixi perspecta erunt e duobus Synesii locis. Alter est de Palæbiscæ in Pentapolitana provincia Episcopo: *Quamobrem unum illum & solum Palæbiscæ Episcopum creatum, sed neque legitimum, contra jura vero omnia, quantum de senioribus accepi, cum neque sit Alexandriæ constitutus, neque a tribus hic ut maxime ordinandi signum datum.* Alter est de Olbiatis Episcopo in Pentapoli; cujus electionem Synesius suffragio suo probavit, sed decreto Theophili Alexandrini eam confirmari necesse esse docet: *Meo quoque illum suffragio renuntio; ac pergratum quidem mihi erit, si illum in episcopatu collegam & socium habuerim. Unum adhuc superest, sacra tua scilicet manus. Hoc uno Olbiatis opus est, mihi vero precibus.*

Epistola Niceni Conc. ad Alexandr. apud Theodor. lib. I. cap. 9. ἐπισφραγίζοντος τοῦ τῆς καθολικῆς Ἀλεξανδρείας ἐπισκόπου.

Synesius ep. 67. ad Theoph.

Ibid.

III. Sane ex comparatione Alexandrinæ & Antiochenæ sedis cum Ecclesia Romana, (quæ inita est, ut initio monui, in iis, quæ ad jura patriarchica pertinent) nulli dubium esse poterit, quin Romanus Pontifex Episcoporum ordinationes, non solum in provincia Romana, quo jure quamplures Metropolitani potiebantur, sed etiam in vicinis quibusdam provinciis obtineret. De provinciis Urbicariis, id est, de provinciis illis decem, quæ Vicario urbis parebant, & per Campaniam, Brutios, Apuliam, Calabriam, ad Siciliam usque protendebantur, non est aliquis dubitandi locus. Ut enim Diœcesis orientalis addicta fuit Antiocheno Episcopo a Nicæna synodo, unde jura ordinationum sequebantur, quemadmodum nos docuit Innocentius, ita

Provincias urbicarias eas esse, quæ Vicario Urbis parebant, docuit eruditissime V. Cl. R. P. Jac. Sirmondus.

ita etiam Diœcesis Urbicaria saltem urbis Episcopo concessa fuit a synodo Nicæna, unde etiam ordinationum jura per decem illas provincias constituuntur. Hoc etiam alio argumento conficietur, quod nobilioribus ingeniis gratum futurum existimo. Veteris disciplinæ hoc erat præcipuum caput, ut synodis se sisterent Episcopi apud eum, cujus arbitratu ordinati erant. Unde profectum est, ut *pertinere ad alicujus Concilium*, vel *ad consecrationem* promiscue & passim dicantur Episcopi, qui a Primatibus suis pendent. Hinc est, quod Justinianus Novella sua secundum canones statuat, *convenire apud beatissimos Patriarchas illos, qui ab ipsis ordinati sunt, & qui non habent jus alios Episcopos ordinandi, ut apud sanctissimos Metropolitas cujusque provinciæ eos, qui ab eis sunt ordinati*. Quam constitutionem ita Photius in Nomocanone interpretatur, ut Metropolitanorum synodos apud Patriarchas & Episcoporum apud Metropolitas cogendas esse dicat. Ex qua Photii explicatione colligitur elegans restitutio in contextu Novellæ Justinianeæ deleta particula (*) μὴ; ut descripti sint Metropolitani his verbis; *Ii, quia Patriarchis ordinati sunt, & habent jus alios ordinandi*. Alioqui, si negationem retineas, nullus erit verborum illorum sensus. Non enim moror Balsamonis explicationem, qui de Archiepiscopis & Metropolitanis, quibus nulli subsunt Episcopi, Justiniani Novellam interpretatur. Nondum enim invaluerat nupera illa & a posterioribus Principibus Græcorum excogitata Archiepiscoporum dignitas, qui a Metropolitarum synodo resecti, nullis Episcopis præerant, qua de re alibi. Porro, cum superius synodorum conventum tam Urbicariæ Diœceseos, quam Italicæ speciali jure ex antiqua consuetudine Romæ sæpe habitum demonstraverimus, quid aliud inde consequi potest, quam Episcopos earum provinciarum ab Episcopo Romano, aut ejus decreto ordinatos fuisse? Hæreo in Episcopis Italicæ Diœceseos, quibus manum impositam in Mediolanensi provincia ab Ambrosio, docent ejus epistolæ, & idem ab Aquilejensi usurpatum. Nec mirum; cum Italica illa synodus ad Romanam Aureliani Principis tempore accesserit, ut ante dicebamus; ideoque par erat jus integrum servari Metropolitis in suos Episcopos. Sane de ipsis metropolitanarum sedium Episcopis in Italica Diœcesi decreto Romani Pontificis, ad manus impositionem venisse, tentari posset e Pelagio & Gregorii regesto, qui auctoritatem ordinandæ Mediolanensis & Aquilejensis Ecclesiæ suæ sedi ex antiqua consuetudine vindicant; quamvis non me lateat, quid possit in contrarium dici.

Nov. 137. c. 4. συνιέναι δὲ τοῖς μακαριωτάτοις πατριάρχαις ἐκείνοις τοὺς παρ' αὐτῶν χειροτονουμένους, μὴ ἔχοντας δὲ ἄδειαν ἄλλους ἐπισκόπους χειροτονεῖν, ...
Photius T. 8. Nomoc. c. 8. συνόδους τῶν μητροπολιτῶν παρὰ τοῖς πατριάρχαις, καὶ τῶν ἐπισκόπων παρὰ τοῖς μητροπολίταις.
Balsam. in Supplem. ad canon. synod. in Trullo pag. 1122. edit. Paris. an. 1620.
Ambros. ep. 82. & alibi. Gregor. lib. 6. ep. 14.
Gregor. lib. 2. epist. 31. c. Illud est. 11. q. 1. c. Pudenda. 24. q. 1. Vide lib. 6. cap. 4. § 7.

IV. De Urbicariæ autem Diœceseos Episcopis, qui ab ipsa nascentis Ecclesiæ origine se urbis synodo sistebant, dubitare non sinit Cælestinus Pontifex, qui Apuliæ & Calabriæ ordinationes sibi arrogat: *Audivimus, quasdam propriis destitutas rectoribus civitates Episcopos sibi petere velle de laicis, tantumque fastigium tam vile credere, ut hoc his, qui non Deo, sed seculo, militaverunt, æstiment nos posse conferre; non solum male de suis clericis, in quorum contemptum hoc faciunt, judicantes, sed de nobis pessime, quos credunt hoc posse facere, sentientes*. Itaque non solius Metropolitani Episcopi, sed omnium Episcoporum per illas provincias constitutorum ordinationes sibi asserit. Metropolitani Episcopi mentionem feci; quia viris eruditis assentiri non possum, qui provincias istas Metropolitis destitutas fuisse putant, cum vera ratio in contrariam sententiam impellere debeat. Etenim cuique provinciæ suus præesse debet Metropolitanus; ut decrevit Nicæna synodus, & Innocentius atque Leo suis decretis sanxerunt. Si ergo in provinciarum censum Campaniam, Calabriam, Apuliam, Brutios, Siciliam & Sardiniam asciverimus, confecta erit probatio. Atqui Athanasius Campaniam, Apuliam & Calabriam iis provinciis annumerat, quæ ejus communionem retinuerant. De Apulia liquido Innocentius his verbis: *Innocentius Agapeto, Macedonio & Mariano, Episcopis Apulis. Multa in provincia vestra contra canones ecclesiasticos decretaque majorum usurpari a plurimis & relationes diversorum & suggestiones fidissimæ retulerunt*. Idem Episcopis per Brutios literas suas dedit. Calabriæ, Siciliæ, Sardiniæ Metropolitanos videre est in Gregorii regestis, & provinciarum Campaniæ, Calabriæ, Brutiorum & Siciliæ Episcopos in subscriptionibus epistolæ synodicæ illius Concilii, quod ab Agathone habitum est Romæ. Non me latet, quin objici possit, non fuisse perpetuum, ut singulis provinciis civilibus, quæ aliquando angustissimis limitibus finiebantur, sui præessent Metropolitani, imo vero in dicta Concilii Romani synodica epistola Picenum & Tusciam inter provincias Italiæ describi, quarum tamen maxima portio in ordine ecclesiastico a Romana metropoli penderet. Sed illud non impedit, quin extra Romanam metropolim, cujus fines ex veteri Notitia & ex Athanasio descripsimus, necessario assignandæ sint aliæ metropoles. Restant enim in Italiæ continenti quatuor provinciæ, Campania scilicet, quæ a Consulari, Samnium, quod a Præside regebatur, Apulia cum adjuncta Calabria, quæ Correctori suberat, & Brutia cum Lucania, quæ alteri Correctori parebat. Ex insulis, Sicilia erat sub Consulari, Sardinia & Corsica sub suis singulæ Præsidibus. Quin Siciliæ administrationem ecclesiasticam obtineret Metropolita Syracusarum, dubitare non sinit epistola Constantini Imperatoris ad Chrestum Syracusanum apud Eusebium, neque de Calaritano Episcopo Sardiniæ Metropolita Theodoretus. Capuam vero Campaniæ metropolim fuisse, disertis verbis testatur Athanasius; quæ tamen minuta capite pristinam dignitatem circa annum DCCCCLXX. recuperavit beneficio Joannis Papæ. Urbem autem Rhegium, quæ in Brutia sita est, metropoleos dignitate ornatam fuisse, discimus ex Notitia veteri Ecclesiæ Constantinopolitanæ, quæ inter metropoles avulsas a Romana Diœcesi Syracusas recenset, atque Rhegium ex Italiæ provinciis. Non est tamen dissimulandum, in eadem diatyposi seu laterculo provinciarum Metropolitam Rhegii collocatum esse in ordine trigesimo secundo Metropolitarum, qui a sede Constantinopolitana pendent, inscriptumque Calabriæ Metropolitam; cum tamen, ut dixi, Rhegii civitas sita sit in provincia Brutiæ. Unde nolim aliquis colligat mendum irrepsisse in textum, sed innovationem factam fuisse in provinciarum Italiæ inferioris appellatione & tributione. Perseverabat adhuc Agathonis Papæ temporibus provinciarum Calabriæ & Brutiæ antiqua distinctio. Etenim in subscriptionibus epistolæ synodicæ Concilii Romani recensentur inter Episcopos provinciæ Calabriæ Locrensis, Tarentinus, Thurinus, Taurianus, Tropejanus, Vibonensis & Hydruntinus in contextu Græco melius quam in contextu Latino, ubi provinciæ Brutiorum adscribitur. Inter Episcopos vero provinciæ Brutiorum annumerantur Consentinus, Crotonensis, Scyllaciensis & Tempsanus. Sed quadraginta sex posthæc annis pars illa Italiæ, quæ ab Imperatoribus Constantinopolitanis retenta est, Calabriæ nomen est indepta. Quod probatur eximie duobus testimoniis Hadriani & Eginhardi. Hic enim ait, Carolum Magnum obtinuisse *Italiam totam, quæ ab Augusta prætoria usque in Calabriam inferiorem, in qua Græcorum & Beneventanorum constat esse confinia*. Beneventum

Cælestinus universis Episcopis per Apuliam & Calabriam constitutis.
Nic. Syn. c. 5. Innocent. in Decr. c. 9. & 10 Leo in Decr. c. 32. & in ep. 88. c. 4.
Athan. in ep. ad solit.
Innoc. in ep. ad Apulos.
Idem ad Brutios.
Gregor. in regesto Ep. Syn. Concil. Rom. sub Agathone in Actis Concilii sexti.
Euseb. l. 10. c. 5 Theod. lib. 2. c. 15.
Athan. epist. ad solitar.
Leo Ostiens.
Diatyposis Leonis Philosophi.
Anno 680. In synodica epist. Concilii Rom. sub Agathone. Act. IV. sextæ syn.
Anno 726.
Eginh. in Vita Caroli.

(*) Quamvis conjectura illustrissimi Archiepiscopi videatur optima, admonendum est tamen, & Haloandri & Scrimgeri editiones habere negationem, eandem autem extare etiam in vetustissimo & optimo codice Græco bibliothecæ Colbertinæ signato numero 924. Illud quoque data occasione admonebo, constitutionis istius tempus in eodem codice Colbertino sic adnotatum esse: DATUM N. K. APRI. CONSTANTINOP. IMP. D.N. JUSTINIAN. PP. AUG. ANNO XXXVIII. POST CONSULATUM BASILII U. C. ANNO XXIII. (id est anno Christi DLXIV.)

tum est urbs primatia Samnii, cujus ducatui portio quædam Apuliæ & Lucaniæ fortasse erat adjuncta. Ceterum Calabriæ nomine tunc Brutia, Lucania, Apulia & Calabria specialiter dicta significabantur. Similis huic locus apud Hadrianum I. qui ad Carolum scripsit, Adalgisum Ducem accessisse *ad Missos Imperatoris* (scilicet Græci) *in partibus Calabriæ juxta confinium ducatus Beneventani*. Hinc factum, ut in diatyposi Græca Rhegium dicatur metropolis Calabriæ, quamvis pertineat ad provinciam Brutiæ, non autem ad Calabriam specialiter dictam. Duodecim autem episcopatus huic metropoli adscripti in illa diatyposi partim siti sunt in Brutia, ut Consentiæ, Crotonæ, Scyllacii, qui provinciæ Brutiæ accensentur in synodica Concilii Romani sub Agathone; partim siti sunt in Calabria, ut Locrensis, Vibonensis, Taurianus & Tropejanus, qui inter Episcopos Calabriæ describuntur in dicta epistola. In Calabria antiqua & in Apulia duæ metropoles excitatæ videntur a Græcis post tempora Leonis Isauri, Hydruntina scilicet & sanctæ Severinæ. Earum meminit diatyposis Leonis Philosophi, quæ nupero Græcorum invento nullum episcopatum Hydruntinæ subjicit; sanctæ Severinæ vero Metropoli, quæ Calabria quoque dicitur, quatuor episcopatus submittit, quorum unus est Acherontinus in Apulia. Ea tempestate ceteri episcopatus, ut Barensis, Brundusinus, aliique in Apulia distracti erant ab Imperio CP. per Ludovicum II. Imperatorem, Lotharii filium. Si Notitia vetus provinciarum Italiæ in manus nostras incidisset, certiorem antiquæ dispositionis ecclesiasticæ descriptionem dedissemus. Interim, quod ad præsens institutum attinet, certum est, comparationem Alexandrini Episcopi cum Romano non ruituram, etsi pauciores Metropolitanos in Diœcesi Urbicaria constitueremus, cum ea comparatio in eo præcipue versetur, quod utrique Diœceses suas pleno jure administrarent.

Hadrianus I. ep.90. in codice Carolino.

V. Ordinationes vero eo modo ab Episcopo Romano in iis provinciis celebratas, quem sequebatur Alexandrina Ecclesia necesse est; nempe ut electis cleri & populi consensu Episcopis, Metropolitani primum accederet auctoritas, deinde ad ejus relationem decretum apostolicæ sedis interponeretur. Eo jure usos fuisse Metropolitanos Ægyptiacæ Diœceseos docebat Synesius. Et hunc morem servatum in Diœcesi Illyriciana occidentalis Ecclesiæ, docet Leo Pontifex in epistola ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum illius Diœceseos præfectum; cui vices suas Leo delegarat, ut sedis Thessalonicensis dignitas apostolicæ sedis auctoritate augeretur: *De persona autem consecrandi Episcopi & de cleri plebisque consensu Metropolitanus Episcopus ad fraternitatem tuam referat, quodque in provincia bene placuit scire te faciat, ut ordinationem rite celebrandam tua quoque firmet auctoritas; quæ rectis dispositionibus nihil moræ aut difficultatis debebit afferre, ne gregibus Domini diu desit cura pastorum*. Unde colligitur, eundem ordinem observatum in Diœcesi Urbicaria, seu in decem provinciis suburbicariis.

Leo in epist. ad Anast. Thessal. & in Decret. c. 36.

VI. Quare, ut explicatio canonis sexti in pauca contrahatur, rectissime & ex usu recepto Ruffinus componi inter se Alexandrinum & Romanum Episcopum in eo scripsit, quod ille Ægyptiacæ Diœceseos ἐξουσίαν habere debeat, eodem jure, quo Episcopus Romanus utebatur in Diœcesi Urbicaria, seu, ut Ruffinus elegantissime loquitur, *in Ecclesiis suburbicariis*, id est, in iis Ecclesiis, quæ decem provinciis suburbicariis continebantur. Earum enim provinciarum & synodus, & ordinatio, & plana liberaque administratio, ad Episcopum Romanum pertinebat; ut Episcopo Alexandrino in Ægyptiaca Diœcesi, & Antiocheno in orientali. Sapienter autem Ruffinus comparationem his finibus coercuit, quia scilicet uberiori jure fruebatur Romanus Pontifex, quam ceteri Diœceseon singularum Exarchi. Etenim & plures majoresque Diœceses tenebat, ut cum synodo Arelatensi loquar, & principatum totius Ecclesiæ gerebat: in quibus duobus capitibus duos illos Patriarchas, cum Romano non componi Ruffinus censuit, sed tantum ratione habita Ecclesiarum suburbicariarum.

Ruffinus lib. 10. hist. cap. 6. *Ut apud Alexandriam & in urbe Roma vetusta consuetudo servetur, ut ille Ægypti, vel hic suburbicariarum Ecclesiarum sollicitudinem gerat.*

Usus est hac voce Ruffinus insuperhabito discrimine; quod inter *suburbicarias* & *urbicarias* regiones a viris eruditis est animadversum, qui suburbicarias dici eas, quæ non longe abessent ab urbe adnotarunt, urbicarias vero, quæ Vicario urbis parebant. Ceterum hanc κυριολογίαν, anxie & scrupulose observavit ille canonum interpres Dionysio antiquior, qui sexti canonis Nicæni sententiam his verbis expressit: *De primatu Ecclesiæ Romanæ & aliarum civitatum Episcopis. Antiqui moris est, ut suburbicaria loca & omnem provinciam sua sollicitudine gubernet*. His verbis, in quibus explicandis frustra viri eruditi laborarunt, metropolim & Diœcesim Romani Episcopi designavit. Per loca suburbicaria regiones illas quatuor intellexit, quæ, aliquot civitatibus adjectis, integram metropolim Romanam e sexaginta novem episcopatibus conflatam constituunt, ut dixi superius. Per *provinciam* autem more suo Diœcesim significat, nempe Urbicariam. Solet enim interpres ille διοικήσεως vocem, quæ in Concilii Constantinopolitani canone II. & in cap. IX. & XVII. Concilii Chalcedonensis extat, provinciæ vocabulo explicare, ut vidimus in veteri MS. codice. Itaque ex sententia hujus interpretis nostra opinio Ruffinique comparatio omni ex parte confirmatur.

Antiquus interpres canon. MS.

In dicto cod. Exarchum Diœceseos (cujus mentio in c. 17. Concilii Chal.) vetus ille interpres reddit *primam sedem provinciæ*.

Hæc distinctio, quæ nondum, ut existimo, observata fuit, novatorum argutias refellit; qui comparationem trium Patriarcharum ea conditione institutam putant a Concilio Nicæno, ut primas quidem partes Romanus obtineret, ceterum in sua Diœcesi quisque summo jure cum sua synodo uteretur. Perspicere enim debuerant, mores antiquos hoc canone firmari, atque adeo totam, quantacunque erat, Romani pontificis auctoritatem. Quare prudenter Ruffinus non in omnibus articulis, sed in eo jure patriarchico, quod obtinebat in Diœcesi urbicaria, Romanum Pontificem cum Alexandrino Episcopo conferri adnotavit.

VII. Si quis autem jus præcipuum Romani Pontificis in ceteras occidentis provincias curiosius expendat, summum quidem illud esse reperiet, sed non ita explicatum, ut synodos ordinationesque Episcoporum sibi ascisceret, quemadmodum in suburbicariis provinciis.

In majoribus tantum causis, in legibus ferendis, in relationibus discutiendis, ad conservandam unitatem Ecclesiæ, auctoritas illa patriarchica versabatur. Hac ratione Concilia Gallicanæ, Africanæ, & ceterarum Diœceseon, cum Romanis Conciliis connectebantur; ita, ut plena synodus occidentalium e synodo Romana constaret, conjunctis ceterarum Diœceseon synodis; quæ, si de causa communi ageretur, per legatos decreta sua referebant. Hæc est sententia Concilii illius Romani, quod sub Agathone habitum est adversus hæresim Monothelitarum; cujus epistola synodica ad Constantinum Pogonatum Imperatorem missa & actis sextæ synodi inserta testatur, omnes illas synodos, quæ per occidentis & septentrionis provincias ad oceanum usque porrectas ab Episcopis coguntur, qui apud Longobardos, Sclavos, Francos, Gothos atque Britannos degunt, ad synodum apostolicæ sedis pertinere. Cum enim moram Legatorum excusaret, quos a synodo Romana Constantinus expectabat, *Numerosa multitudo nostrorum*, inquit, *usque ad oceani regiones extenditur, cujus itineris longinquitas in multi temporis cursum protelatur. Sperabamus deinde de Britannia Theodorum confamulum & coepiscopum nostrum magnæ insulæ Britanniæ Archiepiscopum & Philosophum cum aliis, qui ibidem usque hactenus demorantur exinde, ad nostram humilitatem conjungere, atque diversos hujus Concilii Episcopos in diversis regionibus constitutos, ut a generalitate totius Concilii servilis nostræ*

Epistola Agathonis & synodi Romanæ Act. 4. Concilii VI. σὺν πάσαις ταῖς συνόδοις ταῖς ἀνηκούσαις τῇ συνόδῳ τοῦ Ἀποστολικοῦ θρόνου. Infra: καὶ διαφόροις ταύτης συνόδου ἐπισκόποις ἐν διαφόροις κλίμασι τυγχάνοντας.

B *sugge-*

ſuggeſtio fieret; ne, ſi pars tantum, quod agebatur, cognoſceret, partem lateret. Et maxime quia in medio gentium tam Longobardorum quamque Sclavorum, nec non Francorum & Gothorum, atque Britannorum, plurimi conſamulorum noſtrorum eſſe noſcuntur, & qui de hoc curioſe ſatagere non deſiſtunt, ut cognoſcant, quid in cauſa apoſtolicæ fidei peragatur.

VIII. Inter ceteras autem occidentis provincias, quæ ſedis apoſtolicæ principatum & jus illud patriarchicum ad Eccleſiarum diſſitarum rationes accommodatum colebant, illuſtriorem ſemper locum obtinuerunt Eccleſiæ Gallicanæ. Gallias enim recenſet Innocentius, cum de Eccleſiis a Romana ſede inſtitutis verba facit. Cui adſtipulantur Epiſcopi Gallicani in epiſtola ad Leonem, cum inde religionis fontem & originem manaſſe in Gallias profitentur. Idem ille Innocentius teſtatur etiam, Galliarum Epiſcopos de majoribus cauſis ex veteri conſuetudine ad Romanam Eccleſiam retuliſſe. Imo vero & legatos ſuos ad Concilium Romanum miſiſſe, cum fidei cauſa adverſus hæreticos eſſet ſtatuenda, docet ſynodus Romana habita ſub Damaſo apud Theodoretum, & occidentalium ſynodus ſub Agathone, cui tres Legati Galliarum interfuere. Quare, ut antea dicebam, apud Gallos Eccleſiæ Romanæ reverentia eo ſemper nomine floruit, quod eſſet communionis eccleſiaſticæ caput per univerſam Eccleſiam, & ſpeciali quodam jure per omnes occidentis provincias. Ea de cauſa in ſynodo Galliarum a Pipino & Carolomanno Ducibus coacta anno DCCXLIII. Galli profeſſi ſunt, ut teſtatur Bonifacius Moguntinus, *unitatem & ſubjectionem Romanæ Eccleſiæ fine tenus vitæ velle ſervare, ſancto Petro & ejus vicario velle ſubjici.* Non deſciverunt poſteri a tam laudabili & neceſſario propoſito. Quin potius omnibus ſeculis Reges Chriſtianiſſimi ipſumque Eccleſiæ Gallicanæ corpus egregiis facinoribus ſcriptiſque monumentis teſtatum fecerunt, nihil eſſe ſibi antiquius, quam ut antiquam conſuetudinem a jure divino manantem, quæ reverentiam apoſtolicæ ſedis ipſiuſque communionem exigit, frequentiſſimis officiis renovarent.

Innoc. in ep. ad Decentium.

Innoc. ad Victricium Rotomag.

Theodor. 1. ἐπιγράφοντα δὲ κοινωνικὸν ἔσχον γράμματα ἐξ Ἰταλίας, καὶ Γαλατίας τῆς νῦν Γαλλίας ὀνομαζομένης εἰς τὴν Ῥώμην συνεληλυθότας. Epiſt. Conc. Rom. ſub Agathon.

Bonifacius epiſt. 105.

CAPUT VIII.

De auctoritate Pontificis Romani in legibus condendis.

SYNOPSIS.

I. Auctoritas Romani Pontificis in condendis legibus eccleſiaſticis. Dictata Gregorii VII. Regula Baſilii, canones non condi ab uno Epiſcopo. Et Julii, Romanum Epiſcopum eſſe præcipuum, non ſolum.

II. Quicquid ſedes apoſtolica ſancit, pro lege habendum, ex conſtitutione Valentiniani. Uſus Codicis Theodoſiani in Gallia in rebus civilibus & eccleſiaſticis. Illuſtratus Agathias.

III. Valentinianus non tribuit eam auctoritatem Romanis Pontificibus, ſed fovit. Ante generalia decreta edebant. Ut Liberius in controverſia de baptiſmo Arrianorum. Juſtitia decreti nihil detrahit de auctoritate decernentis.

IV. Siricius aliquot decretis diſciplinam juvit. Superiores clericos ab uſu uxorum abſtinere juſſit, conſuetudinem in legem vertens, pœna adjecta auctoritate ſedis ſuæ.

V. Decreta Innocentii per occidentem, etiam in Antiochena Eccleſia. Unde illuſtratur Concilii Epheſini locus de Romanæ Eccleſiæ jure in Antiochenam.

VI. Zoſimi decreta adverſus monachorum & laicorum ambitum per provincias miſſa. De intempeſtivis neophytorum ordinationibus, quibus pœnam addidit, & prohibitionem extendit. Qui dicerentur neophyti. Cæleſtini decreta ante Valentiniani legem. Poſteriores Pontifices potiore jure in id incubuerunt.

I. A Communionis cum Romana Eccleſia neceſſitate ad eam auctoritatem inſpiciendam accedamus, qua per Gallias ac per univerſas, potiſſimum occidentis, ac etiam aliquando per orientis provincias, non reluctantibus Epiſcopis aut Imperatoribus, potita eſt. Hoc in tribus articulis præcipue verſatur, qui ſummæ juriſdictioni competere ſolent; nempe in legibus ferendis, in judiciis ſine provocatione reddendis, & in ea dignitate Principis, ut a nemine judicetur.

Primum illud condendarum legum privilegium in negotiis eccleſiaſticis, quod Romano Pontifici aſſerimus, ab adulatione profectum illi exiſtimabunt, qui poſtremis Eccleſiæ ſeculis poteſtatem illam ad ſe Pontifices revocaſſe putant, ut ſe Conciliorum auctoritati vel æquarent vel præferrent, quique jus illud a Gregorio VII. Romanæ ſedi vindicatum ſibi perſuadent his verbis, quæ in illius Dictatis habentur: *Quod illi ſoli licet pro temporis neceſſitate novas leges condere.* Alienum a veteris Eccleſiæ diſciplina dicent, ut canones Eccleſiis condantur ab uno tantum Epiſcopo; cum id Epiſcoporum cœtui competat, ut e Baſilio obſervavit Photius in Nomocanone. Addent, contendiſſe Julium cum orientalibus, Eccleſiæ univerſæ regulas conſtitui non poſſe Romano Epiſcopo inconſulto. Unde Socrates & Sozomenus hauſerunt, Eccleſiæ Romanæ hoc eſſe privilegium, ut ſine illius ſententia canones Eccleſiis non præfigantur, ſed ex eo tantum confici, in conſortium legum ferendarum adſcitum Epiſcopum Romanum, imo primum illi ſuffragium delatum, (quod prærogativam ſuffragii dixere veteres, cum de Principibus Romanis loquerentur) non autem factum, ut ſolus ſibi jura illa vindicet. Potiorem eum fuiſſe, non ſolum.

Photius in Nomoc. T. 1. c. 4. ὅτι οὐκ ὑφ' ἑνὸς ἐπισκόπου, ἀλλ' ὑπὸ τῆς κοινότητος οἱ κανόνες ἐκτίθενται. Julius apud Athan. Apol. 2. Socrates lib. 2. c. 5. μὴ δεῖν παρὰ τὴν γνώμην τοῦ ἐπισκόπου Ῥώμης τὰς ἐκκλησίας κανονίζειν. Vide lib. 5. c. 7.

II. Tamen diſcedere non poſſum ab eo privilegio, quod tributum fuiſſe Romanæ ſedi veteres Imperatores agnoſcunt, præcipue cum antiquæ regulæ Baſilii & Julii non adverſetur. Hilarius Epiſcopus Arelatenſis metropolitana dignitate cognitione Leonis I. ſummi Pontificis, in Concilio Romano habita dejectus eſt anno CCCCXLV. Quam ſententiam Valentiniani Imperatoris reſcripto muniri, ut illius executio nulla cavillatione impediretur, Leo facile impetravit. Sed illius conſtitutionis expendenda ſunt verba, quæ novatoribus hujus ſeculi ſanguinem ſuffundere poſſunt. *Cum igitur*, inquit, *ſedis apoſtolicæ primatum S. Petri meritum, qui princeps eſt ſacerdotalis coronæ, & Romanæ dignitas civitatis, ſacræ etiam ſynodi firmarit auctoritas.* Ex eo ſcilicet primatu comparat argumentum, quo fulciantur ea, quæ deinceps ſtatuit de jure ferendarum legum, his verbis: *Verum ne levis ſaltem inter Eccleſias turba naſcatur, vel in aliquo minui religionis diſciplina videatur, hoc perenni ſanctione decernimus, ne quid tam Epiſcopis Gallicanis quam aliarum provinciarum contra conſuetudinem veterem liceat ſine viri venerabilis Papæ urbis æternæ auctoritate tentare; ſed illis omnibuſque pro lege ſit, quicquid ſanxit vel ſanxerit apoſtolicæ ſedis auctoritas.* Hæc novella Valentiniani III. conſtitutione Codici Theodoſiano adjuncta eſt; cujus Codicis uſus apud Gallos Romanæ Legis nomine in rebus eccleſiaſticis invaluit. Id docent & canon primus Concilii Aurelianenſis congregati anno DXI. & canon XX. & XXI. ſynodi Turonenſis II. anno DLXVII. & Hincmarus Remenſis Archiepiſcopus. Imo etiam ex Clotarii Regis edicto Romanis legibus Codice Theodoſiano comprehenſis, Romanorum, id eſt, Gallorum, qui a Francis non trahebant originem, contentiones dirimebantur. Unde illuſtrari debet inſignis Agathiæ locus; qui ait, Francos politia Romana ut plurimum uti, & *legibus iiſdem*. Itaque profiteri poſſumus, Valentiniani conſtitutionem per Gallias vim legis, etiam poſt deletum imperium Romanum, conſenſu & edicto Regum obtinuiſſe.

Can. 1. Conc. Aurel. *De homicidis, adulteris, & furib. ſi ad Eccleſias confugerint, id obſervandum decernimus, quod eccleſiaſtici canones decreverunt & lex Romana conſtituit.* c. XX. Syn. Tur. *Quia etiam Lex Romana conſtituit.* c. XXI. *Sacra ſententia legum.* Edictum Clotarii anno 560. *inter Romanos negotia cauſarum Romanis legibus præcipimus terminari.* Agathias Hiſtor. l. 1.

III. Nolim tamen, quod e Valentiniano protuli, eo ſenſu accipi, ac ſi tum primum legis ferendæ auctoritas ſedi apoſtolicæ a Principe collata eſſet, cum tantum eo reſcripto fota ſit & confirmata. Etenim ante hujus

hujus constitutionis promulgationem decreta quædam generalia a Romanis Pontificibus edebantur, quæ missa per provincias, disciplinæ ecclesiasticæ ordinem ubique sancirent. Quæ a Liberio profecta sunt, ejus sunt generis, ut dignitate primum locum sibi facile vindicent. Trecentis e toto occidente per literas Constantii Principis evocatis Ariminum Italiæ urbem Episcopis, & dolo aut minis eo adactis, ut *consubstantialis* vocem e formula fidei Nicææ edita delerent, Liberius, qui Concilio Ariminensi non interfuerat, Concilii istius profanam sententiam, utpote fidei & Nicænæ formulæ adversam, decretis suis infregit; hoc insuper addito, in quo a plurimis peccabatur, ne baptizati ab Arrianis ad denuo suscipiendum baptisma redigerentur; decretaque sua hac de re edita per provincias emisit, ut testatur Siricius Pontifex his verbis: *Quod non licet*, (id est, baptismum ab Arrianis collatum iterari) *cum hoc fieri & Apostolus vetet, & canones contradicant, & post cassatum Ariminense Concilium missa ad provincias a venerandæ memoriæ prædecessore meo Liberio generalia decreta prohibeant*. Damnatio a Liberio de synodi Romanæ sententia in Concilium Ariminense prolata omnes occidentis Episcopos, qui se Arrianos esse mirabantur, ut loquar cum Hieronymo, eo adegit, ut per provincias frequentibus synodis habitis, quam in generali Concilio perfidiam amplexi erant, saniori mente damnarent, & Liberii communioni, a qua exciderant, hoc pacto restituerentur. Hoc testatur orientalibus Episcopis ipse Liberius: *Omnes illi fere Episcopi, qui Arimini convenerant, quique vel fallacibus inescati illecebris, vel vi compulsi, a fide tum quidem desciverant, nunc tamen ad sanam mentem reversi, fidei formulæ ab Episcopis Arimini convocatis editæ anathema denuntiarunt, & fidei catholicæ & apostolicæ Nicææ confirmatæ subscripserunt, & nobiscum jam una communicant*. Quod autem sincera fides & canonum disciplina his decretis confirmatur, eorum quidem justitiam commendat, nihil autem de auctoritate Pontificis detrahit: quæ in eo viget, quod decreta illa generalia sint & per provincias mittantur ad exemplum edictorum & principalium constitutionum, nec circumscripta sint finibus Romanæ Diœceseos, ut ceterorum Patriarcharum decreta, quæ suis cujusque Diœcesibus continentur.

Siricius in Decretis c. 1.

Liberius ep. XI. ad Orientales.

IV. Qui secuti sunt Liberium Pontifices constitutis generalibus fidei & disciplinæ caverunt ante Valentiniani imperium. Siricius (cujus tempus confertur in annum CCCXXCV. statim ab obitu Damasi) consultationi Himerii Tarraconensis Episcopi ea rescripsit, quæ ab omnibus custodiri jubet. Sane totius epistolæ contextus id unum spirat, ut non solum Episcopi quinque provinciarum Hispaniæ suis decretis pareant, sed omnes in universum sacerdotes & clerici. Enimvero quibusdam in locis vis illa præcipiendi sese prodit; ut capite VIII. quo cavetur, ne inexploratæ vitæ homines, quibus etiam fuerint numerosa conjugia, ad cleri dignitates promoveantur. Hanc definitionem verbis istis claudit: *Quid ab universis post hæc Ecclesiis sequendum sit, quid vitandum, generali pronuntiatione decernimus*. Quin & decreta sua canonibus exæquat his verbis: *Quamquam statuta sedis apostolicæ vel canonum venerabilia definita nulli ignorare sit liberum*. In nullo autem capite illustrius emicat eximia illa sedis apostolicæ auctoritas, quam in ea constitutione Siricii, quæ sacerdotibus, presbyteris & ministris fibulam imposuit, & usu conjugum, quas duxerant ante ordinationem, severe interdixit. Scio equidem, tres illos gradus universalis Ecclesiæ consuetudine (cujus testes sunt locupletissimi Eusebius, Hieronymus, Ambrosius & Epiphanius) ad eam temperantiam adstrictos fuisse. Sed multum interest inter consuetudinem & legem. Consuetudo violata pudore contemptores plectit. Lex vero contumaces gradibus suis mulctat. Paphnutius, cum de hac lege in Nicæno Concilio sancienda agere-

Siricius in Decretis. cap. 8. & 15.

Euseb. l. 1. dem. evang. c. 9. Epiph. hæres. 59. Ambros. de offic. l. 1. c. ult. Hieron. lib. 1. adversus Jovin. & sæpe alibi.

tur, scilicet, ut superioris gradus clerici ab uxoribus suis abstinerent, ab ea promulganda patres avertit, relinquendosque consilio suo clericos hac in parte suasit; cum satis cælibatui prospectum videretur canone Neocæsariensi, quo cautum est, ne Presbyter uxorem ducat, alioqui gradu suo pellatur; ut docent Socrates, Sozomenus & Gelasius Cyzicenus; quorum narratio apud me nulla suspicione laborat, licet viris celeberrimis aliud videatur. Sed quod in Concilio Nicæno tentatum fuerat, ratione temporum suadente Siricius in necessitatem vertit, & consuetudini vires legis addidit, pœnis in contemptores inflictis, sedis suæ auctoritate. *Hi vero*, inquit, *qui illiciti privilegii excusatione nituntur, & sibi asserunt veteri hoc lege concessum, noverint se ab omni ecclesiastico honore, quo indigne usi sunt, apostolicæ sedis auctoritate dejectos*. His verbis planum facit, pœnam illam e veteri consuetudine non esse profectam, sed nunc primum a se ex privilegio sedis suæ sancitam. Quod etiam eleganter colligitur ex Innocentio, qui aliquot annis post Siricii constitutum veniam legis facit iis, quibus nondum fuerat nota. *Si ad aliquos*, inquit, *forma illa ecclesiasticæ vitæ pariter & disciplinæ, quæ ab Episcopo Siricio ad provincias commeavit, non probatur pervenisse, his ignorationis venia remittetur, ita, ut de cetero penitus incipiant abstinere*. Subdit vero: *Si qui autem scisse formam vivendi missam a Siricio deteguntur, neque statim cupiditates libidinis abjecisse, illi sunt modis omnibus submovendi, qui, post admonitionem cognitam, præponendam arbitrati sunt voluptatem*. Hæc juris ignorantia locum habet ratione pœnæ novo quodam jure, quod nondum satis cognitum est, decretæ; non vero si qua legibus antiquis pœna indicta esset, a quibus se tueri ignorantia juris nemo potest, ut docent Jurisconsulti.

Conc. Neocæsar. cap. 1. quod Concilium editum est ante Concilium Nicænum. Socrates lib. 1. cap. 8. Sozom. l. 1. c. 22. Gelasius Cyzicen.

Siricius in Decretis cap. 7.

Innoc. in Decret. c. 21.

Porro isthæc Siricii constitutio non solis urbicariæ Diœceseos, vel etiam Italiæ finibus conclusa est, sed etiam ad Africanas provincias commeavit. Africani nulla certa lege scripta, ad continentiam illam clericorum obstringebantur ante Concilium, quod synodum Carthaginensem sub Genetlio habitam antecessit. Etenim secundo canone hujus synodi (quæ coacta est anno CCCXC.) refertur, *in Concilio præterito*, cum de continentiæ & castitatis moderatione tractaretur, tres gradus Episcoporum, Presbyterorum & Diaconorum, *conscriptione quadam castitati per consecrationes annexos fuisse*. Unde constat tunc primum, *in Concilio præterito*, (id est, ad summum anno CCCLXXXVIII.) ea de re scriptam fuisse legem apud Africanos. Atqui Siricii epistola ad eosdem decreta fuerat in synodo Romana anno CCCLXXXVI. ut necesse sit, post tempora Siriciani constituti ante annum CCCXC. de hac continentia tractasse Concilium Africanum; cujus definitio, ob quorundam refragationes, renovanda fuit canone secundo dictæ synodi Carthaginensis habitæ sub Genetlio. Porro, ut proniores redderentur clerici ad ejus continentiæ observationem, patres, exemplo Siricii, eam ab Apostolis & ab ipso antiquitatis usu arcessunt. Continentiam enim & pudicitiam, quam Episcopis præscribit Apostolus, ad hanc speciem, interpretatione sua ex usu petita, non ineleganter trahunt; etsi prima hujus disciplinæ necessitas a Siricii constitutione & a priore Concilio Africano initium sumpserit. Quare non absque ratione in Concilio Carthaginensi V. habito anno CCCXCVIII. cum de incontinentia clericorum referretur, placuit patribus Episcopos, Presbyteros & Diaconos, ab uxoribus abstinere, *secundum priora statuta*, id est, juxta duorum Conciliorum antecedentium definitionem. Tandem in Zellensi Concilio dubitantibus Episcopis, quid binis Siricii epistolis ad Africanos constitutum fuisset, relectæ illæ anno CDXVIII. & juxta earum præscriptum decreta sunt iterum aliquot disciplinæ capita; quorum summam retulit Ferrandus Diaconus in breviatione canonum. Inter cetera ve-

Conc. Carth. II. cap. 2.

Conc. Carth. V. cap. 3.

Concil. Zellensis fragmentum sub Zosimo, quod vulgo Telense dicitur. Ferrandus Diac. Tit. 16. *Ut Episcopi, Presbyteri & Diaconi*

ab uxoribus abstineant. Conc. Carth. cap. 1. Conc. Zelensi.

ro capita non omissum est illud, quod clericorum continentiam sancit.

Socrates, lib. 5. Histor. c. 22. Γενόμενος κληρικὸς ἐκεῖ. i.e. Thessalia. ἐὰν νόμῳ γαμήσας πρὶν κληρικὸς γένηται, μετὰ τὸ κληρικὸς γένεσθαι συγκαθευδήσας αὐτῇ ἀποκήρυκτος γίνεται. Infra: φυλάσσεται δὲ τοῦτο τὸ ἔθος ἐν Θεσσαλονίκῃ, καὶ ἐν Μακεδονίᾳ καὶ Ἑλλάδι.

Macedonia quoque, Thessalia & Græcia, quæ inter occidentis Ecclesias recensebantur, in hujus constitutionis observatione a finitimis orientis Ecclesiis dissidebant. Etenim Socrates, dum varias provinciarum consuetudines in jejuniis & aliis disciplinæ capitibus enumerat, hanc in Thessalia, Thessalonica, Macedonia & Græcia invaluisse observat, ut clero dejiciatur, qui non abstinuerit ab uxore, etiam legitime ante ordinationem ducta: quamvis, ut scribit idem auctor, in oriente hoc quidem ab Episcopis & illustrioribus clericis custodiretur, sed nulla legis necessitate adstrictis. Non meminit quidem Socrates constitutionis a Siricio editæ, qua Macedonicæ Diœceseos Episcopi tenerentur. Sed qui *dejectionis* pœnam in Macedonia, Thessalia & Græcia inflictam considerabit, non eam aliunde repetere poterit, quam a prima illius origine, id est, a Siricii auctoritate, qui Socratis historiam quinquaginta annis antecessit.

Extant decreta Innocentii in Codice Canonum Eccl. Rom.

V. Innocentius ipse decretis suis occidentis Ecclesias ornavit; imo & ipsam Antiochenam Ecclesiam, quæ caput est orientalis Diœceseos, constitutis suis disposuit. Etenim cum de jure ordinationum suborta esset apud Episcopos illarum partium contentio, hinc ex usu quodam provinciarum suarum ordinationes Metropolitanis sibi vindicantibus, inde Alexandro Episcopo Antiocheno Episcoporum non solum provinciæ suæ, sed etiam totius Diœceseos orientalis ordinandorum jus sibi ex præscripto Concilii Nicæni asserente, Innocentius consultus rescripsit, quæ illi æquiora videbantur, quæque vim suam per orientem obtinuerunt, ita, ut Antiochenus Episcopus plenam ordinationum auctoritatem receperit. Hinc est, (ut mihi quidem videtur) quod triginta exinde annis elapsis Juvenalis Episcopus Hierosolymorum in Concilio Ephesino dixit morem invaluisse, ut sedes Antiochena ex apostolica quadam consuetudine a Romano Episcopo disponeretur & judicium acciperet. Qui locus satis obscurus erit, nisi hinc lucem accipiat. Certum quidem est, Pauli Samosateni Antiochiæ Episcopi causam ultimo judicio in Concilio Romano decisam, quod referri potest ad τὸ δικάζεσθαι. Sed nihil est, quod respondeat τῷ ἰθύνεσθαι præter decreta Innocentii.

Innoc. in Decret. c. 45. 46. 47. Ephes. Concil. part. 2. Act. 4. πας' ᾧ μάλιστα ἔθος αὐτὴν Ἀντιοχείαν θρόνον ἐξ ἀποστολικῆς ἀκολουθίας καὶ παραδόσεως ἰθύνεσθαι, καὶ παρ' αὐτῇ δικάζεσθαι.

Zosimus monachorum (*quorum*, inquit ille, *solitudo omni frequentia major erat*) & laicorum ambitum, qui ad episcopatum contendebant, literis ad Gallias Hispaniasque, imo & in ipsam Africam transmissis, repressit, decretumque suum pœna sancivit: *Sciet quisquis hoc postposita patrum & apostolicæ sedis auctoritate neglexerit, a nobis districtius vindicandum; ut loci sui minime dubitet sibi non constare rationem, si hoc putat post tot prohibitiones impune posse tentari. Contumeliæ enim studio fit, quicquid interdictum toties usurpatur.* Sane vetita fuerat a Paulo & a Concilio Nicæno festinata neophytorum ordinatio; sed de neophytis loquebantur, qui recens essent fidei inserti. Inde tractum exemplum, ut neophyti dicerentur novitii clerici & nuper e monachorum vel laicorum numero in clerum adscripti, quos ad summum sacerdotium statim non admitti debere, Concilii Sardicensis canone XIII. decretum fuerat; sed nullo metu pœnæ coercebantur. Hanc auctoritate sua Zosimus addidit contra novitios istos clericos, quos ipse post Concilium Sardicense neophytos appellat; & ad presbyterii & diaconatus gradum prohibitionem extendit, ut docet ipse in epistola ad Patroclum Arelatensem: *Si enim Apostolus neophytum sacerdotio non statim cumulari jubet, & hoc idem canonum statuta sanxerunt, hoc addimus nostra sententia, ut, quisquis de cetero vel summo sacerdotio vel presbyterii gradu, vel diaconatus crediderit cumulandum, sciat & se gradus sui subire jacturam, nec in illum valitura esse, quæ contulit: ut saltem ab ordinatione præcipiti metus iste summoveat, quos examinata discussio coercere debuisset.*

Zosimus in Decr. c. 1. & 2.

Timoth. 3. Concil. Nic. can. 2.

De neophytis illis vide Sirmondum in Notis ad Goffrid. Vindoc. lib. 1. ep. 1.

Quid commemorem Cælestinum? qui literis ad Episcopos Viennensis & Narbonensis provinciæ datis, se in speculis a Deo constitutum officii sui instinctu provocari dicit, ut ab illicitis revocet, & vigilantiæ suæ diligentiam comprobando, quæ coercenda sunt, resecet, &, *quæ observanda sunt, sanciat;* statimque regulas quamplurimas decernit de iis, quæ ad clericorum quendam amictum superstitiosum vitandum, qui in Ecclesiis Gallicanis inoleverat, & quæ ad ordinationes pertinent. Ex quibus omnibus vel morosissimo cuique liquido constare poterit, apostolicam sedem ante Valentiniani rescriptum decretorum suorum per provincias mittendorum auctoritatem tenuisse. Quod a Leone, Hilaro, Gelasio, & ceteris Pontificibus tanto robustius usurpatum fuit, quod existimarent ea *convelli non posse, quæ & sacerdotali ecclesiastica præceptione fulcirentur & regia*, ut Hilarus Papa loquitur in epistola sua ad Galliarum Episcopos. Hilarus ep. XI.

CAPUT IX.

De scopo primario Decretorum Pontifici Romani, & eorum auctoritate in Gallia.

SYNOPSIS.

I. His decretis fides & disciplina constituta, & novitas exclusa. Forma antiqua Romanæ Ecclesiæ ceteris præscripta, ex Innocentio, Liberio & Leone.

II. Lex Valentiniani asserta adversus novatores: Quæ leges condendas a Romano Pontifice pro bono disciplinæ statuit; ut docent Leo & Hilarus Papa.

III. Decreta discussa in Concilio Romano, e Leone. Sed solius Pontificis nomine edebantur.

IV. Sincera decreta collegit Dionysius Exiguus. Recepta fuere in Gallia, e Concilio Turonensi. E Codice Dionysii dono sibi ab Hadriano dato varia capita in Capitularium libros Carolus M. transcripsit. Et decretis parendum sancivit.

V. Quique Pontifices decreta condere possunt, ut docet Concilium Pontigonense.

VI. Quod admissum a posteris in Gallia docent Decretalium volumina.

VII. Decretales editæ de assensu Cardinalium. Eorum auctoritas e Damiano, Bernardo, Othone Frisingensi, Ostiensi & Turrecremata.

VIII. Hodie eorum assensus non censetur necessarius.

I. Decreta quidem ista generalia non de nullius momenti rebus edebantur, sed ad constituendam canonum Nicænorum executionem, ad veteris disciplinæ mores novis pœnis sanciendos, & ut via præcluderetur novitati, quæ fidei sinceritatem aut disciplinæ tenorem corrumpere posset; in id præcipue incumbendo, ut Ecclesiæ Romanæ norma velut ab optimo institutionum capite per omnes provincias diffunderetur. Variis in locis Innocentius hanc sententiam testatur, sed maxime in epistola ad Victricium Rothomagensem his verbis: *Propter eos igitur, qui vel ignorantia, vel desidia non tenent ecclesiasticam disciplinam, & multa non præsumenda præsumunt, recte postulasti, ut in illis partibus istiusmodi, quam tenet Ecclesia Romana, forma servetur, non quo nova præcepta aliqua imperentur, sed ea, quæ per desidiam aliquorum neglecta sunt, ab omnibus observari cupiamus, quæ tamen apostolica & patrum traditione sunt constituta.* Quæ verba Innocentii transcripta videntur ex epistola Siricii ad Africanos. Recte itaque & ex ordine Liberius Constantio Imperatori, quia ejus in tuendis Concilii Romani decretis pervicacia lædebatur, rescripsit in hæc verba: *Nunquam mea statuta, sed apostolica, ut essent semper firmata & custodita, perfeci, secutus ordinem moremque majorum, nihil addi episcopatui urbis Romæ, nihil minui passus sum.* Maximus ille Pontifex Leo, qui Valentiniani rescriptum impetravit, quis sui animi motus esset, quamque rationem in condendis decretis sequeretur, satis

Leo in Decretis cap. 5.

satis explicavit, cum *omnia decretalia constituta tam beatæ recordationis Innocentii, quam omnium decessorum suorum, quæ de ecclesiasticis ordinibus & de canonum promulgata sunt disciplinis*, custodiri mandat.

II. Quare frustra sunt hujus seculi novatores, cum odio in Romanam sedem perciti, & Leonem ambitionis reum faciunt, & remissioris animi nimiæque facilitatis Valentinianum damnant, quod perenni edicto apostolicæ sedis auctoritatem tam effuso sermone amplificaverit, ut, quicquid illa sanxerit, omnibus Episcopis pro lege habeatur, atque ideo illis ecclesiastica disciplina prædæ cuidam exposita esse videatur unius hominis arbitrio, qui studio rei augendæ aut privatis odiis abripi se in transversum patiatur. Etenim Leo Pontifex auctoritatem apostolicæ sedis non alio inflectendam putat, quam, ut disciplinæ & fidei per eam prospiciatur: *Non nova instituentes, sed vetera renovantes; ut in statuts consuetudine, quæ a nostris patribus nobis est tradita, perduremus*, inquit ille in epistola ad Episcopos provinciæ Viennensis. Imo vero nec ipse Valentinianus aliud cogitavit peremptoriis illis verbis, quibus jus sit, ut pro lege sit omnibus Episcopis, quicquid sanxit vel sanxerit apostolicæ sedis auctoritas. Etenim quo illa tendere debeant, satis explicuit superioribus verbis: *Ne levis saltem inter Ecclesias turba nascatur, vel in aliquo minui religionis disciplina videatur*. Quid dicam amplius? Nempe Hilarum Papam in eam omnino sententiam disertissimis verbis edictum Valentiniani interpretatum fuisse in epistola ad Galliarum Episcopos. *Quia*, inquit, *Christianorum quoque Principum lege decretum est, ut, quicquid Ecclesiis earumque rectoribus pro quiete omnium Domini sacerdotum atque ipsius observantia disciplinæ in auferendis confusionibus apostolicæ sedis antistes suo pronuntiasset examine, veneranter accipi tenaciterque servari cum suis plebibus charitas vestra cognosceret, nec unquam possent convelli, quæ & sacerdotali ecclesiastica præceptione fulcirentur & regia.*

Novella Valentin.

Hilarus ep. XI. ad Episcopos Galliar.

III. Quæ decreta eo maturius perpensa erant, quod non impetu quodam cœco, & nulla habita cum Concilio collocutione, sed rebus diligenti & sollicito examine in Concilio Romanæ Diœceseos discussis ferrentur. Quod Leo docuit in epistola decretali: *quoniam adjuvante gratia Dei facilius poterit provideri, ut in Ecclesiis Christi nulla scandala, nulli nascantur errores, cum coram beatissimo Petro Apostolo id semper in communione tractandum sit, ut omnia ipsius constituta canonumque decreta apud omnes Domini sacerdotes inviolata permaneant*. Etsi enim solius Romani Pontificis nomen præferrent, non inde sequitur, nullos adhibitos fuisse in consilium Episcopos. Sed dignitati sedis id collatum fuit, quia apud eam erat τὸ κῦρος rerum agendarum, ut profitentur Julius & synodus Romana sub Felice iis locis, qui a me relati sunt capite VI. §. 2. & 3.

Leo in Decret. cap. 13.

IV. Sincera summorum Pontificum decreta in unum corpus redegit Dionysius Exiguus Abbas, qui ante annum quingentesimum floruit, eaque canonum collectioni adjunxit. Auspicatur collectionem a Siricio ad Anastasium, quæ CLXXXVII. articulis continetur: quibus deinde addita fuerunt Hilarii Papæ & aliorum constituta usque ad Gregorium juniorem XXXIX. capitibus comprehensa. Hoc canonum & decretorum corpus apud omnes occidentis provincias vim legis obtinuit statim atque a Dionysio editum fuit. De Africa abunde testabitur Cresconius Africanus, qui in suo canonum breviario per titulos digesto Romanorum Pontificum a Siricio ad Gelasium decreta laudat distincta iisdem numeris, qui habentur apud Dionysium. Quo autem cultu exciperentur ab Episcopis Gallicanis, docet Concilium Turonense II. anno DLXVII. habitum, quod de virginibus castitatem professis juxta Paulum & sententiam Innocentii Papæ decernit, qua relata, addit: *Quis sacerdotum contra decreta talia, quæ a sede apostolica processerunt, agere præsumat?* Infra: *quorum auctorum valere possit prædicatio, nisi quos sedes apostolica semper aut intromisit aut apocryphos fecit, & patres nostri hoc semper custodierunt, quod eorum præcepit auctoritas*. Hunc codicem canonum, (qui Moguntiæ excusus est anno MDXXV. deinde Parisiis anno MDCIX.) ut in occidentalibus Ecclesiis disciplina canonica restitueretur, Hadrianus I. Carolo Magno Regi dono dedit circa annum DCCLXXXVII. Id enim declarant plurima, quæ, teste V. Cl. R. P. Sirmondo, in bibliothecis Galliæ visuntur collectionis hujus exemplaria: quorum in fronte, velut oblati muneris dedicatio, præfixa est Hadriani ad Carolum epistola, quæ primis singulorum versuum litteris hunc titulum reddit: *Domino Excell. filio Carolo Regi Hadrianus Papa*. Unde statim occasionem arripuit Carolus Episcopos admonendi edicto suo, ut canonum & decretorum executioni invigilarent; atque adeo ipsa decretorum capita, quæ pro temporis ratione necessaria videbantur, in Capitulare Aquisgranense datum anno DCCLXXXIX. ex hoc codice transcripsit. Quinimo, ut palam faceret, quo in loco haberentur illa decreta, capite LVII. docuit: *Si quis sacerdotum contra constituta decretalia præsumptiose agat, & corrigi nolens, ab officio suo submoveatur*. Quod in Capitularium libros ab Ansegiso relatum est. Ut autem apertius sententiam suam promeret, constitutorum apostolicæ sedis reverentiam sanciendam putavit lege quidem sua, sed iisdem verbis, quæ in capitulis ab Hadriano Pontifice Angilramno Episcopo Metensi datis continebantur: *Constitutiones contra canones & decreta Præsulum Romanorum vel bonos mores nullius sunt momenti.*

Conc. Turon. II. can. 20.

Codex Canonum Ecclesiæ Romanæ.

V. Cl. Jacob. Sirm. tom. II. Conc. Gall. ad annum 787.

Capit. lib. 1. c. 56.

E Capitulis Hadr. c. 39. l. 7. Capit. c. 346.

Non eandem vero apud Gallos vim obtinuerunt decretales illæ epistolæ, quæ antiquorum Pontificum Clementis & ceterorum nomine usque ad Siricium circumferuntur, quas Isidori collectio est complexa: de quibus inter Nicolaum primum & Hincmarum non levis controversia mota est; de qua dicetur uberius libro tertio.

V. Porro, cum Hincmarus de epistolarum illarum decretalium viribus disputaret, non ea fuit Gallorum sententia, quin Pontificibus Romanis liberum esset, quemadmodum & eorum decessoribus fuerat olim, decreta condere ad sanciendam disciplinam, cum bono publico id profuturum existimarent. Quod illustriori testimonio comprobare non possum, quam eo canone, qui decretus fuit a plenario totius Galliæ Concilio, id est, ab Episcopis & proceribus regni a Carolo Calvo Rege Pontigone coactis, ubi inter ceteros aderat Hincmarus Remensis anno DCCCLXXVI.: *Ut honor domino & spiritali patri nostro Johanni summo Pontifici & venerabili universali Papæ ab omnibus conservetur, & quæ secundum sacrum suum ministerium auctoritate apostolica decreverit, cum summa veneratione ab omnibus suscipiantur, & debita illi obedientia in omnibus conservetur.*

Conc. Pontig. can. 1.

VI. Quam decretis generalibus sedis apostolicæ Francorum Reges, quos secundæ dynastiæ Principes vocamus, reverentiam detulerunt, eandem in posteros Hugonis Regis, qui felicibus auspiciis regnum Francorum indeptus est, propagatam fuisse, nemini dubium esse poterit, qui immensum illud decretalium corpus ab Alexandro III. & Innocentio ceterisque Pontificibus editarum respiciet. Ex enim ecclesiasticarum legum vires in judiciis & magistratuum regiorum tribunalibus obtinent; si paucas quasdam epistolas decretales demas, quæ usu receptæ non sunt ob eas rationes, quas alibi expendimus.

VII. Olim quidem una cum synodorum tractatu negotia universalis Ecclesiæ procurabant summi Pontifices. Sed posterioribus temporibus in consilium adhibuerunt Cardinales, postquam jurassent tempore inaugurationis (juxta veterem formulam, quæ extat in collectione canonum Cardinalis Deus dedit & in libro diurno (*) bibliothecæ Vati-

Cap. *Apostolicæ*. de re judic. cap. de schismat. 1. cap. *Licet*. cap. *Eccles.* de elect. cap. 1. de renunc. in 6. cap.

(*) Liber diurnus Pontificum Romanorum a Marca istic commemoratus diu latuit, quamvis olim multum cognitus & frequenti in usu fuerit. Illum vir recolendæ memoriæ Lucas Holstenius edere voluerat, & jam typis Romanis mandaverat,

Cum inter. de consuetud, Clem. *Ne Roma al.* Clem, *Plerisque.* de elec. & passim in Bullis,

Vaticanæ) se ministerium suum consilio Cardinalium gesturos. Unde factum, ut quamplurimæ constitutiones de consensu Cardinalium factæ dicantur. Jam inde a Petri Damiani temporibus, id est anno MLXI. Episcopi Cardinales eum locum tenebant, ut de illis Damianus dixerit: *Patriarcharum & Primatum jura transcendunt, & super ipsos quoque Pontifices authenticam prævalent proferre censuram.* Unde coadjutores & collaterales Papæ dicuntur a Bernardo; qui addit in eorum commendationem: *Annon eligendi de toto orbe orbem judicaturi?* Eo tempore jus illud sibi vindicabant Cardinales, ut unum essent cum Papa corpus ad universalem Ecclesiam ordinandam. Commoti enim contra Episcopos Gallicanos & beatum Bernardum, quod aliqua de fidei negotio definivissent, ajunt Eugenio; *Per nos tamquam per cardines universalis Ecclesiæ volvitur axis*; ut observavit Otho Frisingensis, qui alia eorum verba ad Eugenium subdit: *Ecce Galli isti etiam faciem nostram contemnentes, super capitulis, quæ his diebus, nobis assidentibus, agitata sunt, tamquam finitivæ sententiæ ultimam manum imponendo, nobis inconsultis fidem suam scribere præsumpserunt. Certe, si in oriente, utpote Alexandriæ, vel Antiochiæ, coram omnibus Patriarchis hujusmodi tractaretur negotium, nihil firma stabilitate solidum sine nostra definiri valeret auctoritate.* Quare mirandum non est, quod Ostiensis Cardinalis docet, *Cardinalem loco universalis Ecclesiæ suum habere officium.* Joannis de Turrecremata in eandem sententiam hæc sunt verba: *Dominorum Cardinalium consilio & assensu summus Pontifex regit, disponit atque gubernat universalem Ecclesiam.*

Bernard. de Consid. l. 4. c. 4.

Otho Frising. lib. 1. de gestis Frid. c. 57.

Joan. de Turrecrem. lib. 1. de Eccles. c. 80.

VIII. Hodie tamen eo jure utitur Romanus Pontifex, ut eos quidem in consilium adhibeat, sed eorum assensu non indigeat, testibus illustrissimo Cardinale Bellarmino, Azorio & ceteris scriptoribus.

CAPUT X.

De ultima cognitione summi Pontificis, & inprimis de relationibus ad sedem apostolicam.

SYNOPSIS.

I. Judicia Romani Pontificis in caussis e provinciis delatis. Probatio difficilis, si jure appellationum nitatur, ante Concilium Sardicense.

II. Nova ratio aperta per relationes & consultationes. Quibus Principum Romanorum cognitio constabat.

III. Earum usus in Ecclesia in dubiis fidei & disciplinæ. Jus relationis suscipiendæ Metropolitis & Patriarchis debetur, ex Hieronymo. Sed præcipue Romano Pontifici ex oriente & occidente, ut probatur ex Hieronymo & Cyrillo Alexandrino.

IV. In occidente relatio de dubiis fidei Romam missa a Conciliis Africanis, ut gesta firmarentur. Innocentius has relationes sedi suæ vindicat ex consuetudine & ex canone.

V. De dubia disciplina referebatur ad sedem apostolicam, e Siricio & Innocentio. Responsiones eorum pro jure constituto habitæ.

VI. Ante Concilium Nicænum caussæ dubiæ relatæ ad sedem apostolicam ex consuetudine, quæ confirmata est canone Concilii Nicæni, ut probatur ex Innocentio, nova interpretatione adhibita. Majores caussæ, id est, ambiguæ.

VII. Hincmari explicatio refellitur, qui alludi putat ad Sardicense Concilium.

VIII. Exemplum vetustissimum relationis e Cypriano. Marcianus Arelatensis Episcopus deponitur decreto Romani Pontificis ad relationem Episcoporum Gallicanorum, ex sententia Cypriani.

IX. Ante Concilium Sardicense Galli usi relationibus, & postea appellationibus ad sedem apostolicam.

X. De relatione Conciliorum generalium ad summum Pontificem.

I. Ut legis ferendæ jus, ita & ultima judicia penes Imperatores olim fuere; qui aut ipsi cognitionem suscipiebant, aut concessa jurisdictione Præfectis prætorio vel ceteris magistratibus vice sacra judicandi potestatem præbebant, appellandi ab eorum sententiis facultate interdicta. Nunc inspiciendum est, an Romani Pontificis judicia nulli essent appellationi obnoxia & in eo conferri possent cum cognitionibus Principis. Judicia autem illa exercebantur, aut ratione habita eorum negotiorum, quæ ad provinciam Romanæ metropoleos pertinebant, aut eorum, quæ in ceteris provinciis oriebantur. Utroque casu ab ipsius Ecclesiæ cunabulis Pontifices suprema & principali in judiciis reddendis auctoritate viguerunt. Quod ad Romanam metropolim attinet, non est, quod diu in eo capite probando hæream, cum nemo unquam cogitarit eam provinciam alterus Patriarchæ præceptis paruisse, imo vero, qui sententiæ nostræ refragantur, non alio nitantur argumento, quam rerum ecclesiasticarum ultima judicia unicuique synodo commissa fuisse. Sed articulus secundus magna contentione vexatur hodie a novatoribus hujus seculi & a viris quibusdam antiquitatis ecclesiasticæ peritissimis, qui Nicæno Concilio adeo sancitam synodorum provincialium auctoritatem putant, ut neque ipsis etiam Episcopis gradu suo dejectis appellandi facultas superesset. Unde conficiatur, nullam occasionem relictam, in qua se suprema illa in judiciis reddendis Romani Pontificis potestas explicaret. Sane dubitandum non est, quin magnis difficultatibus impedita sit hujus speciei probatio, si jure appellationum nitamur, quarum usus ante Concilium Sardicense est omnino controversus.

II. Sed alia via nobis aperienda est, quæ certum jus certis argumentis constituat. Duo ergo tempora expendenda sunt; unum, quod anterius est Concilio Sardicensi; alterum, quod est posterius. Si primorum temporum ratio habeatur, suprema quidem auctoritas cognitionum; etiam per

paulo ante quam ex vita decederet, non ex bibliotheca Vaticana, ubi compertum est illum non extare, sed ex veteri eoque optimo codice, quem ei subministraverat Hilario Rancatus monachus Cisterciensis. Ego testari possum, illam diurni editionem factam fuisse. Etenim cum Marca ad Holstenium scripsisset Kal. Januar. anni MDCLX. cogitare se de scribendo tractatu speciali de exemptionibus monachorum, ille ad eum rescribens sequentibus Kalendis Martiis, simul misit duo priora folia itemque postremum libri diurni, quod in illis extarent antiquæ formulæ privilegiorum monasteriis concessorum a Pontificibus Romanis. Hæc tria folia seu potius octerniones, si novo vocabulo uti licet, ego communicavi cum R. P. Philippo Labbeo, qui ea per satis longum temporis spatium retinuit. Interim excessit e vivis Holstenius initio anni sequentis. Et mox Cælius Picolomineus, apostolicæ tum sedis Nuntius in Gallia, occultans haud dubie consilium suum, uti postea patuit, ea folia recuperavit e manibus illustrissimi Archiepiscopi, neque illa unquam ei restituit. Post mortem itaque Holstenii, cum recuperata essent folia illa, cum certum jam esset, nihil ex illa editione extra vagari vel alibi extare quam Romæ, libri diurni editio omnino suppressa est *prudenti consilio*, ut ait Franciscus Marchesius, juxta cujus verba explicandus est vir clarissimus Joannes Mabillonius scribens, in itinere suo Italico diurni *impressionem prohibitam fuisse*. Impressio siquidem facta fuit & perfecta; sed non emissa, quia suppressa. Tandem anno MDCLXXX. R. P. Joannes Garnerius librum diurnum heic Lutetiæ edidit suis commentariis illustratum. Nos vero, si Deus nobis vitam otiumque concesserit, novam illius editionem daturi sumus & integriorem & meliorem, emendatam videlicet secundum fidem vetustissimorum exemplarium. Clausula porro de consilio Cardinalium adhibendo a Papa non habetur in formulis antiqui libri diurni a Garnerio editi, sed in alio recentiore, quem Cardinali Baronio suppeditavit Antonius Augustinus. Hujus novæ formulæ usus diu retentus est in Ecclesia Romana, uti probatur etiam exemplo Bonifacii VIII. qui professionem suam, in qua hæc clausula continetur, misit ad Philippum IV, cognomento pulcrum, Regem Francorum, scire volentem, an ipse habuisset canonicum introitum in Papatu. Quo loco observandum est, Petrum de Alliaco, qui hanc historiam refert in tractatu de auctoritate Ecclesiæ, scribere professionem illam libri diurni per lapsum temporis ampliatam fuisse.

Vindiciæ Honorii Papæ pag. 278.

Baron. tom. X. pag. 434.

Preuves des libertez pag. 19.

per Gallias, Pontifici aſſereretur, ſed eo more, qui in conſiſtorio Principis ſervabatur, non illo ordine, qui apud tribunalia magiſtratuum invaluerat. Negotia iſta non appellationibus, ſed relationibus vel conſultationibus ad ſedem apoſtolicam miſſis expediebantur. Relatio & conſultatio promiſcue accipiuntur in Digeſtis, Codice Theodoſiano & Juſtiniani; quas ad Principem mittebant Præſides provinciarum, & ipſi Præfecti prætorio, quando dubiæ litis occaſio id exigebat. Quem relationum morem a Plinio ſecundo, cum ad ordinandam Bithyniam & Pontum a Trajano Principe miſſus eſſet, frequenter uſurpatum fuiſſe legimus.

De relat. & conſult. Dig. C. Th. Juſtin. & Novellis.

Plin. l. X. ep.

III. In Eccleſia duorum generum cauſis relationum vel conſultationum uſus erat accommodatus, aut in iis, quæ fidei controverſæ, aut in iis, quæ dubiæ diſciplinæ capita reſpiciebant. Sane in univerſum hoc dicere liceat, relationum recipiendarum jus in Eccleſia ſummarum ſedium antiſtitibus competiviſſe; ne quis, cum de Romana Eccleſia agitur, exiſtimet, me novam quandam auctoritatem in eo genere commentum fuiſſe. Id docebit egregie Hieronymus; ex quo diſces, Epiſcopos aut Metropolitanis ſuis aut Patriarchis, ſi de fide ageretur, referre debuiſſe. Etenim cum Joanne Hieroſolymorum Epiſcopo, qui quidem de Origenis erroribus, quos plurimi velut redivivos amplectebantur in Palæſtina, ad Theophilum Alexandriæ Archiepiſcopum ſcripſerat, Hieronymus graviter expoſtulavit, eo ſolum nomine, quod ad Cæſareæ Metropolitanum vel Antiochiæ, quæ ſecundum Nicænos canones Metropolis erat orientis, ac proinde Palæſtinæ, referre debuiſſet. Itaque ex eo colligitur evidentiſſime, jura relationum deberi Patriarchis. Ceterum, quia præ aliis Romana ſedes principatu quodam vigebat, hinc factum, ut orientis & occidentis ſynodicæ conſultationes ad Romanum Pontificem mitterentur, teſte locupletiſſimo Hieronymo, qui ſe apud Damaſum iis reſpondendis operam navaſſe profitetur in epiſtola ad Ageruchiam. Hinc eſt, quod Cyrillus Alexandrinus, cum Neſtorium crebrioribus literis ad ſaniorem mentem hortatus eſſet, perfidia hæretici illius in dies erumpente, rem omnem ad Cæleſtinum *ex more Eccleſiarum* retulerit; ut ipſe tanto morbo, qui in Eccleſia graſſabatur, conjunctis viribus pro dignitate loci ſui mederetur. Hoc teſtatur ipſe Cyrillus Cæleſtino: *Longa Eccleſiarum conſuetudo ſuadet, ut ejuſmodi res ſanctitati tuæ communicentur*. Relatione facta, Cæleſtinus ſynodo Romæ coacta non ſolum de fidei capitibus decernit, ſed etiam ipſum Neſtorium hæreſeos auctorem a communione ſua & ab Eccleſia Conſtantinopolitana dejicit, niſi intra decem dies nefariam doctrinam conceptis verbis anathematizet; & Cyrillo dat in mandatis, ut Romanæ ſedis auctoritate adſcita, & Cæleſtini *vice & loco cum poteſtate uſus*, ſententiam iſtam exequatur & illi Eccleſiæ proſpiciat. Hoc Cæleſtini judicium probatum eſt a Concilio Epheſino; quod damnationis ſententiam in Neſtorium trinis literis evocatum ad ſynodum & judicio ſe ſiſtere recuſantem protulit quidem; ſed ad eam ſententiam ferendam coactos ſe fatentur Patres & a ſacris canonibus (ſcilicet ob contumaciam Neſtorii, quæ canonibus plectitur) & ab epiſtola ſanctiſſimi Epiſcopi Cæleſtini, qui Neſtorium ſacerdotio privarat ad relationem Cyrilli. Quare Juſtinianus legitime & ex ordine loquitur, cum omnia, quæ ad ſtatum & unitatem Eccleſiarum pertinent, referri a ſe ad beatitudinem Papæ veteris Romæ ſcripſit, quod ſit caput omnium Domini ſacerdotum.

Hieron. ep. 61. *Tu, qui regulas quæris eccleſiaſticas, & Nicæni Concilii canonibus uteris, reſponde mihi, ad Alexandrinum Epiſcopum Palæſtina quid pertinet? Ni fallor, hoc ibi decernitur, ut Palæſtinæ metropolis Cæſarea ſit, & totius orientis Antiochia. Aut igitur ad Cæſarienſem Epiſcopum referre debueras; aut ſi procul expetendum judicium erat, Antiochiam potius dirigendæ literæ. Maluiſti occupatis auribus moleſtiam facere* (Alexandrini Epiſcopi) *quam debitum Metropolitano tuo honorem reddere.* Hier. ep. XI. *Cum in chartis eccleſiaſticis juvarem Damaſum Romanæ urbis Epiſcopum, & orientis atque occidentis ſynodicis conſultationibus reſponderent.*

Epiſt. Cyrilli ad Cæleſt. part. 1. Concil. Epheſ. cap. 14. ϰαὶ τὰ μακρὰ τῶν ἐκκλησιῶν ἔθη πείθουσιν ἀνακοινοῦσθαι τῇ σῇ ὁσιότητι.

Cæleſtin. ep. ad Cyrill.

Sententia Concil. Eph. adverſus Neſtorium: ἀναγκαίως κατεπειχθέντες ἀπό τε τῶν κανόνων καὶ ἐκ τῆς ἐπιστολῆς τοῦ ἁγιωτάτου πατρὸς ἡμῶν.

L. 7. C. de ſum. Trinit. *In omnibus ſervato ſtatu unitatis ſanctiſſimarum Eccleſiarum cum ipſo ſanctiſſimo Papa veteris Romæ, ad quem ſimilia hiſce perſcripſimus. Nec enim pati-*

IV. Sed miſſo oriente, occidenti hærendum eſt, ne longius a deſtinatione mea aberrem. In occidentis provinciis relationes ad ſedem apoſtolicam in cauſis fidei mittebantur, ut de integro cognitione habita, quod a ſynodis judicatum erat, illius ſedis decreto firmaretur. Damnata Pelagii & Cæleſtini hæreſi, Concilium Milevitanum & Carthaginenſe ad Innocentium retulerunt. Sed quo fine, ex eorum verbis addiſcemus: *Hoc itaque geſtum, Domine frater; ſummæ charitati tuæ intimandum duximus, ut ſtatutis noſtræ mediocritatis etiam apoſtolicæ ſedis adhiberetur auctoritas*, inquiunt Milevitani Concilii patres. De relationibus utriuſque Concilii, & Carthaginenſis & Milevitani, cognitio habita eſt in ſynodo Romana ab Innocentio: qui Julium Epiſcopum Aurelio Epiſcopo Carthaginenſi reſtituit *cum apoſtolicæ ſedis ad relationem duplicis ſynodi judicatis*. Recte & ex ordine judiciorum relationem vocat ſynodicam epiſtolam ad ſe miſſam. Qua dictione etiam utitur in epiſtola ad Aurelium & Auguſtinum: *Veſtris relationibus reſpondentes reſcripſimus*. Et in literis ad Concilium Milevitanum datis: *Fiant enim neceſſe eſt cautiores, cum inventores malorum ad duplicis relationem ſynodi ſententiæ noſtræ ſtatutis viderint ab eccleſiaſtica communione ſejunctos*. Jus iſtud relationum ſedi apoſtolicæ & ex antiqua conſuetudine & e canonibus ſibi vindicavit Innocentius ea epiſtola, quam iis verbis conceptam obſervavit Auguſtinus, quæ ſedis apoſtolicæ ſacerdotem decebant; cujus epiſtolæ ad Concilium Milevitanum datæ ſententia eo tendit, ut doceat, antiquam eſſe regulam & canonem, ut de rebus dubiis, præſertim ſi de fide agatur, ex omnibus provinciis ad Romanam Eccleſiam referatur; ut, quæ ſequenda ſint, omnibus Eccleſiis promantur. *Diligenter*, inquit, *& congrue apoſtolici conſulitis honoris arcana, honoris in quam illius, quem, præter illa, quæ ſunt extrinſecus, ſollicitudo manet omnium Eccleſiarum, ſuper anxiis rebus quæ ſit tenenda ſententia, antiquam ſcilicet regulam ſecuti, quam toto ſemper orbe mecum noſtis eſſe ſervatam. Neque enim hoc veſtram credo latere prudentiam, qui id etiam actione firmaſtis, ſcientes, quod per omnes provincias de apoſtolico fonte petentibus reſponſa ſemper emanent. Præſertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres & coepiſcopos noſtros non niſi ad Petrum, id eſt, ſui nominis & honoris auctorem, referre debere, velut nunc retulit dilectio veſtra, quod per totum mundum proſit Eccleſiis omnibus.* Infra: *Gemino igitur bono charitas veſtra fungetur. Nam & canonum potiemini gratia ſervatorum, & beneficio veſtro totus orbis tutabitur.* Quinam ſint illi canones, a quibus relationum ordinem profectum ſcribit Innocentius, ſtatim diſcutiemus; ſi tamen mihi per lectorem liceat alterum Innocentii locum laudare, quo jus iſtud relationum ab antiqua traditione, ab eccleſiaſtica diſciplina, & a patrum inſtitutis divina ſententia decretis apertiſſime repetit, ea nempe epiſtola, qua ad Concilium Carthaginenſe reſcripſit: *Antiquæ traditionis exempla ſervantes, & eccleſiaſticæ memores diſciplinæ, veſtræ religionis vigorem non minus nunc in conſulendo, quam antea, cum pronuntiaretis, veneratione firmatis, qui ad noſtrum referendum approbaſtis eſſe judicium, ſcientes, quid apoſtolicæ ſedi debeatur; cum omnes hoc loco poſiti ipſum ſequi deſideremus Apoſtolum, a quo epiſcopatus & tota auctoritas nominis hujus emerſit, quem ſequentes, tam mala jam damnare novimus, quam probare laudanda, vel id vero, quod patrum inſtituta ſacerdotali officio cuſtodientes non cenſetis eſſe calcanda; quod illi non humana ſed divina decrevere ſententia; ut quicquid, quamvis de disjunctis remotiſque provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, niſi ad ſedis hujus notitiam perveniret, ut tota hujus auctoritate, juſta quæ fuerit pronuntiatio, firmaretur.* Verba illa indefinita, *quicquid, quamvis de remotis provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, quam ad ſedis hujus notitiam perveniret*, ad materiam, de qua agitur, coerceri debent atque reſtringi juxta vulgatam juris definitionem, ſcilicet cum de rebus dubiis & anxiis quæritur, ut idem Innocentius ſuperiori epiſtola adnotavit.

mur, ut quicquam eorum, quæ ad eccleſiaſticum ſpectant ſtatum, non etiam ad ejuſdem referatur beatitudinem, cum ea ſit caput omnium ſanctiſſimorum Dei ſacerdotum.

Epiſt. Conc. Milevitan. ad Innoc. I.

Innoc. in ep. ad Aurelium.

Epiſt. 91. & 96. inter epiſtolas Auguſtini.

Aug. ep. 106.

Innoc. ep. ad Concil. Mil. quæ eſt 91. inter ep. Aug.

V. Præter controverſias fidei, de rebus dubiæ diſciplinæ ad ſedem apoſtolicam referebatur: quia cum Eccleſiæ occidentis nondum aliquo canone ſcripto tenerentur, ſed tota ratio diſciplinæ conſuetudine & uſu quodam conſtaret, qui ſincerius in Eccleſia Romana ſervabatur, inde ſacræ politiæ

forma velut a capite inſtitutionum erat omnino repetenda. Quare cum Himerius Tarraconenſis Epiſcopus de quibuſdam diſciplinæ articulis, qui baptiſmum, pœnitentiam, & clericorum monachorumque officia contingebant, Siricium Pontificem conſuluiſſet, *ad Romanam Eccleſiam*, inquit ille, *utpote ad caput tui corporis retuliſti*. Quibus verbis debitam ex officio relationem eſſe ſignificat. Reſponſa vero non ante dedit conſultationi Himerii, quam in conventu fratrum ſollicitius relatio lecta fuiſſet, ut omnia diligentius tractarentur. Frequentiſſimus erat iſtarum conſultationum uſus ſub Damaſo, ut nos docuit Hieronymus, & tempore Innocentii, qui relationibus ab Epiſcopis Italiæ, Hiſpaniarum & Illyrici miſſis reſpondit, & conſultationibus Epiſcoporum Gallicanorum; ut patet ex literis datis ad Exuperium Epiſcopum Toloſanum; *Dilectio tua*, inquit, *inſtitutum ſequuta prudentum ad ſedem apoſtolicam referre maluit, quid de rebus dubiis cuſtodire deberet, quam uſurpatione præſumta, quæ ſibi viderentur, de ſingulis obtinere*. Porro relationes iſtæ ad eum finem mittebantur, ut ſynodis provinciarum pateret, quid in re illa dubia & controverſa poſt reſponſum apoſtolicæ ſedis ſequendum eſſet, tum in negotio, de quo emerſerat quæſtio, tum in ſimilibus ſpeciebus. Unde profectum eſt, ut decreta Pontificum, quæ in collectione Dionyſii continentur, ad relationes Epiſcoporum, nunc generaliter de re dubia, nunc de ſpecie quadam propoſita, conſtituta ſint. Qui mos etiam ſequentibus temporibus invaluit; adeo, ut magna illa decretalium moles e reſcriptis Pontificum ad varias Epiſcoporum conſultationes fere tota conſtet.

VI. Sed ut orationem meam in eam quæſtionem contraham, quam inſpiciendam initio hujus capitis propoſui, eam invaluiſſe conſuetudinem ante Nicænum Concilium aſſero, ut, ſi in dirimendis clericorum contentionibus dubitaretur de aliquo eccleſiaſticæ regulæ capite, vel ratione habita perſonarum vel rerum, ſynodus provinciæ ante vel poſt judicium redditum relationem ad ſedem apoſtolicam mitteret, ut juſta ſententia illius ſedis auctoritate firmaretur, vel executio injuſta ſuſpenderetur, quæ conſuetudo canone ſexto Nicæni Concilii confirmata eſt. Scio, quantum laborem in me recipiam, ut ſententiam meam probem, quæ apud multos quaſi nova periclitabitur. Sed cum ſummam in judiciis reddendis apoſtolicæ ſedis auctoritatem evincat ſine ullo appellationum adjumento, viris eruditis acceptiorem fore, non vano prorſus augurio mihi perſuaſi. Non longe arceſſenda eſt hujus rei probatio. Prodit ſeſe, ſi verba illa Innocentii ſincere expendantur, quæ apud viros eruditiſſimos moleſte habuerunt. Edamus verba; deinde ad interpretationem nos accingemus. *Si quæ autem cauſæ vel contentiones inter clericos tam ſuperioris ordinis quam etiam inferioris fuerint exortæ, ut ſecundum ſynodum Nicænam congregatis ejuſdem provinciæ Epiſcopis jurgium terminetur, nec alicui liceat, (ſine præjudicio tamen Romanæ Eccleſiæ, cui debet in omnibus cauſis reverentia cuſtodiri) relictis his ſacerdotibus, qui in eadem provincia Dei Eccleſiam nutu divino gubernant, ad alias convolare provincias. Si autem majores cauſæ in medio fuerint devolutæ, ad ſedem apoſtolicam, ſicut ſynodus ſtatuit & vetus conſuetudo exigit, poſt judicium epiſcopale referantur*. Ex hac epiſtola, quis eſſet ante Concilium Nicænum eccleſiaſticæ diſciplinæ ſtatus, licet alioqui quamplurimis difficultatibus involutus ſit, aliquo pacto expediri poteſt. Canone ſexto Concilii præcipitur, ut mores antiqui obtineant, tam ii, qui Alexandrinæ Eccleſiæ jura, quam illi, qui Romanæ privilegia & ceterarum Eccleſiarum reſpiciunt. Conſuetudo illa Romanæ Eccleſiæ fere nos latet; quia poſterioribus decretis in multis capitibus eſt amplificata. Attamen ex hoc Innocentii loco diſcimus, eam fuiſſe mentem ſynodi, cum de judiciis Epiſcoporum & reliquorum clericorum decerneret, ut nullum fieret præjudicium Romanæ Eccleſiæ & ei reverentiæ, quæ illi in omnibus cauſis debetur, reverentiam porro illam in majorum cauſarum relatione verſari. Si quis vero hunc Innocentii locum componat cum altero, qui ex epiſtola ad Concilium Milevitanum jam prolatus eſt, inveniet hos eſſe canones & hanc antiquam regulam toto orbe ſervatam, ut de rebus anxiis, quæ ſit ſequenda ſententia, ſedes Romana conſulatur, id eſt, in majoribus cauſis ex præſcripto Nicænæ ſynodi & veteris conſuetudinis ad eam referatur. Itaque ex Innocentio duorum canonum Nicænæ ſynodi ſinceram ſententiam conſtituere poſſumus, quinti ſcilicet & ſexti. Quinti hanc eſſe mentem, Innocentius æque ac ſynodus Africana teſtatur, ut clericorum cauſæ ſuis ſynodis finiendæ committantur, clericorum ſcilicet tam ſuperioris quam inferioris ordinis. Quod ita intelligendum eſt, ut juxta veterem conſuetudinem, quæ ſexto canone ſancita eſt, privilegium Romanæ ſedis in omnibus cauſis tam Epiſcoporum, quam clericorum cuſtodiatur, & reverentia debita ſedi apoſtolicæ ſervetur; nempe ut ad eam fiat relatio, ſi in earum contentionum examine de rebus majoribus quæratur, id eſt, de iis, quæ controverſa & dubia erunt, ſeu fidem reſpiciant, ſeu diſciplinam. Equidem e duobus Innocentii locis inter ſe comparatis confectum puto, ut majores cauſæ pro anxiis & dubiis ſint accipiendæ. Sed nihil vetat, quin ea interpretatio Pelagii Papæ quodam loco adjuvetur, qui in epiſtola ad Joannem Conſtantinopolitanum Epiſcopum majores cauſas eas eſſe apud Innocentium interpretatur, quæ ſunt difficiles: *Majores vero & difficiles quæſtiones, ut ſancta ſynodus ſtatuit & beata conſuetudo exigit, ad ſedem apoſtolicam ſemper referantur*. Itaque non ad omnes cauſas ſe Romanæ Eccleſiæ cura demittebat. Synodis provinciarum liberum erat cauſarum judicandarum arbitrium, ſi apertæ eſſent & liquidæ. Sed ſi res quædam dubia & dignus vindice nodus incideret, relatione a ſynodo facta, ſedes apoſtolica conſulebatur. Quod vicem appellationis ſubibat; ſed formulis legum & diſceptationum forenſium anguſtiis reos non atterebat.

Innoc. 1. in ep. ad Victric. Rotomag. c. 3.

VII. Non me latet Hincmaro Rhemenſi viſum de ſynodo Sardicenſi & de appellationibus Epiſcoporum gradu ſuo dejectorum agi apud Innocentium. *Beatus quoque Innocentius*, inquit, *ad Victricium Rothomagenſem Epiſcopum duo capitula magni Concilii Nicæni & capitulum Sardicenſis Concilii de Epiſcoporum ad ſedem apoſtolicam appellatione uno capitulo ſagaciter atque patenter explicat*. Sed multa me ab ejus ſententia diſcedere cogunt. Primum eſt, injecta Nicænæ ſynodi mentio prima parte capitis, quæ vetat, ut aliam ſynodum ſtatim verbis generalibus lectori incauto & non monito intruſiſſe videatur. Secundum eſt, majores cauſas non coerceri ſolis Epiſcoporum appellationibus, ſed ad omnes cauſas porrigi tam clericorum quam laicorum, in quibus reverentiam Romanæ ſedis cuſtodiendam docet Innocentius, ſcilicet ſi ejus generis ſint, ut inter dubias referri debeant. Quo ſolo caſu ipſas Epiſcoporum cognitiones ad ſedem apoſtolicam referendas aliquando cenſuit idem Hincmarus. Poſſet addi, a Siricio & Innocentio ſolos canones Nicænos in judiciis reddendis prolatos: ut fruſtra videatur Innocentius hoc loco ad Concilium Sardicenſe reſpexiſſe.

Hincmarus ep. 9. c. 12. & alibi.

Hincmar. in ep. ad Nicolaum apud Flodoardum, Siric. ep. 1. & 3. Innoc. ep. ad Alex. ad Maced. ad ſyn. Tolet. ad clerum Conſt. ad Theophilum.

VIII. Clariſſimum & vetuſtiſſimum extat hujus relationis exemplum apud Cyprianum, cujus teſtimonium eo lubentius uſurpo, quod adverſus appellationes a quibuſdam in partes trahatur. Per me licet dicant illi Cyprianum eo nomine graviter commotum, quod Epiſcopi quidam in Africa damnati Romam ſe contuliſſent; (*) *cum ſtatutum*

Vide lib. 7. c. 1.

Cyprian. ep. 55.

(*) Joannes David, vir, ut Apuleji verbo utar, notiſſimæ temeritatis, in libro de judiciis canonicis Epiſcoporum pag. 7. & ſeq. verbis arrogantiæ & contumeliæ plenis & homine, ut ait vir clariſſimus Paſchaſius Queſnellus, cauſis forenſibus procurandis addicto quam in theologicis verſato dignioribus intemperantius, ut idem Queſnellus ait, inſultat illuſtriſſimo

Queſnell. diſſert. 5. de S. Hilario Arelat. pag. 487. 489.

tum sit omnibus Episcopis, ut ipse loquitur, *& æquum sit pariter ac justum, ut uniuscujusque causa illic audiatur, ubi est crimen admissum, & singulis pastoribus portio gregis sit adscripta, quam regat unusquisque & gubernet, rationem sui actus Domino redditurus, nec oporteat Episcoporum concordiam cohærentem subdola & fallaci temeritate collidere, sed agere illic causam suam, ubi & accusatores habere & sui criminis testes possint: nisi si paucis desperatis & perditis minor esse videtur auctoritas Episcoporum in Africa constitutorum, qui jam de illis judicaverunt.* Proferant ejusdem Cypriani judicium de Basilide & Martiale Episcopis a synodo Bæticæ provinciæ in Hispania depositis & a Stephano Pontifice nimis propere in communionem suam receptis. Qui appellationum usum tuentur, facile se his difficultatibus expedient. Mihi vero planior & sincerior videtur respondendi ratio, si Cyprianum cum Cypriano conciliemus, & concedamus, ingratas quidem illi fuisse judiciorum in provinciis redditorum retractationes, quamvis summis Pontificibus non passim, sed aliquo casu, essent acceptæ, summum tamen jus Romanæ sedis in sententia de rebus ad se relatis ferenda disertissimis verbis Cyprianum agnovisse. Quod evidentissime patet in causa Marciani Arelatensis Episcopi, qui se Novatiani a sacerdotibus Dei per totum orbem abstenti partibus adjunxerat, & a catholicæ Ecclesiæ unitate atque a sacerdotii consensione discesserat. Faustinus Episcopus Lugdunensis & suæ provinciæ coepiscopi, (qui Marcianum sacerdotio dejicere non poterant, quod alterius provinciæ, nempe Narbonensis, esset Episcopus) hac de re Stephanum Papam relatione sua monuerunt, eamque Cypriano literis suis significarunt. De hæresi agebatur. Quo casu ex usu veteris disciplinæ subvenire poterant ceteri Episcopi, nulla habita ratione discriminis provinciarum; cum idcirco copiosum corpus sacerdotum concordiæ mutuæ glutino atque unitatis vinculo copulatum esset, ut, si quis ex collegio Episcoporum hæresim facere & gregem Christi lacerare & vastare tentaret, impiis conatibus obsisterent ceteri. Unde infert, deponendum esse Marcianum, qui jam ab omnibus Episcopis in damnatione Novatianorum fuerat prædamnatus. *Ex quibus*, inquit, *cum Marcianus esse cœperit, & se Novatiano conjungens, adversarius misericordiæ & pietatis extiterit, sententiam non dicat, sed accipiat; nec sic agat, quasi ipse judicaverit de collegio sacerdotum, cum ipse sit ab universis sacerdotibus judicatus.* Licet vero in consilium deponendi Marciani Cyprianus una cum collegio ceterorum Episcoporum consentiat, tamen quia Romanam Ecclesiam & Petri cathedram & principalem esse profitebatur, unde unitas sacerdotalis exorta sit, τὸ κῦρος rei judicatæ & summam illam pronuntiandi auctoritatem in eam Ecclesiam confert, in re communi, quæ unitatem respiciebat, & de qua relatio ad eam missa fuerat. *Quapropter*, inquit Cyprianus Stephanum Papam alloquens, *facere te oportet plenissimas literas ad coepiscopos nostros in Galliis constitutos, ne inimicum collegio nostro insultare patiantur.* Sed illustriora sunt verba, quæ sequuntur; quibus decernendi & pronuntiandi de re proposita juxta sententiam Gallicanorum & Africanorum Episcoporum potestas Romanæ Ecclesiæ asseritur, eique plenissima executionis cura demandatur: *Dirigantur in provinciam & ad plebem Arelate consistentem a te literæ; quibus abstento Marciano, alius in locum ejus substituatur.* Nulla industria novatores hoc testimonium Cypriani elevare possunt. Futilis est enim illa responsio, non deponi a Stephano Marcianum, sed deponendum declarari. Quinimo conceptis verbis Cyprianus exigit a Stephano, ut suis literis Marcianum damnet, atque adeo alium substituendum decernat.

Cyprian. epist. 68.

Vide lib. 7 c. 1. §. 5.

Cyprian. lib. 3. ep. 13. 97. Pamelii.

IX. Veteri consuetudini a Concilio Nicæno firmatæ successit Concilii Sardicensis decretum, quo appellationibus ad Romanam Ecclesiam modus quidam est præscriptus. Galliarum Episcopi, ut relationibus suis debitum officium apostolicæ sedi ante Nicænum Concilium impenderunt, ita & appellationibus damnatorum post Concilium Sardicense non obstiterunt. Id docet Leo I. in epistola ad Episcopos provinciæ Viennensis: *Nobiscum itaque fraternitas vestra recognoscat, apostolicam sedem pro sui reverentia a vestræ etiam provinciæ sacerdotibus innumeris relationibus esse consultam, & per diversarum, quemadmodum vetus consuetudo poscebat, appellationem causarum aut retractata, aut confirmata fuisse judicia.* Quæ apud Gallias a primis Ecclesiæ temporibus viguit hac in parte Romanæ Ecclesiæ auctoritas, locum suum etiam hodie apud nos obtinet, redintegrato aliqua ex parte usu Concilii Sardicensis, ut alibi dicetur. *

* Nimirum toto libro septimo hujus operis.

X. Alia est relationis species, qua synodi generales utebantur, ut rerum gestarum seriem apostolicæ sedi per literas insinuarent, quibus Romani Pontificis consensum & exequendi curam petebant. Extant in eo genere officii synodi Arelatensis ad Silvestrum & Sardicensis ad Julium epistolæ, item secundæ synodi & sequentium Conciliorum, unde patet, eo proposito missas, ut debita sedi apostolicæ reverentia servaretur. Quare Concilii Sardicensis Patres relationem illam ex officio deberi satis significant his verbis: *Hoc enim optimum & valde congruentissimum esse videbitur, si ad caput, id est, ad Petri Apostoli sedem, de singulis quibusque provinciis Domini referant sacerdotes.* Orientalium quoque Episcoporum relationem synodicam de Apollinaris hæresi ad se missam ita Damasus excepit, ac si debitum sedi apostolicæ munus exsolvissent. Quod testantur epistolæ Damasi ad orientales prima verba apud Theodoretum: *Quod vestra charitas debitam sedi apostolicæ reverentiam tribuit, vobis ipsis quoque maximo honori est.* Sed de consensu Romani Pontificis, qui recte etiam apud veteres confirmatio dicitur, quatenus necessarius esse censeretur, alibi accurate dicendum est, & de more mittendorum fidei decretorum ab occidente in orientem, & vice versa, quem synodus Chalcedonensis commendat in prosphonetico sermone ad Marcianum Augustum.

Synodica ep. Concilii Sardic.

Theod. l. 5. c. 10. ὅτι τῇ ἀποστολικῇ καθέδρᾳ τὴν ὀφειλομένην αἰδῶ ἡ ἀγάπη ὑμῶν ἀπονέμει. Vide infra lib. 7. cap. 14.

C A-

Archiepiscopo, contenditque, eum frustra hic usum auctoritate Cypriani, cum in laudata illius epistola non agatur de judicio Episcoporum, sed de judicio simplicium Presbyterorum, quos certum erat non potuisse appellare sedem apostolicam post judicium episcopale. Scio Fortunatum, unum videlicet ex quinque Presbyteris profugis Ecclesiæ Carthaginensis nuper abstentis Episcoporum sententia, habuisse tantum, ut verbo Cypriani utar ex hac ipsa epistola, inane nomen & umbram quamdam sacerdotis, & sæpe vocatum pseudo-episcopum a Cypriano, quia a paucis & inveteratis hæreticis fuerat constitutus, adeoque verum Episcopum non fuisse, cum Episcopi non de voluntate Dei fiant, qui extra Ecclesiam fiunt, sed contra dispositionem & traditionem evangelii fiant. Sed nihilominus certum est, eum habuisse nomen Episcopi, & de ejus aliorumque pseudo-episcoporum causa egisse Cyprianum apud Cornelium, adeoque hinc nihil certi colligere potuisse Davidem adversus sententiam illustrissimi Archiepiscopi. Quin potius existimare debemus, heic agi de causa Episcoporum, falsorum sane & hæreticorum ac schismaticorum, sed tamen Episcoporum, adeoque non simplicium Presbyterorum. Mera divinatio est Davidis, qui ultra omnem humani ingenii vim penetrasse se putat ad sensum opinionemque Cypriani, aliamque ei fuisse mentem hariolatur, quam quæ in illius verbis agnoscitur. Potest autem quis, ut Cicero ait, cum divinationem habeat, errare aliquando. Ceterum illud quoque admonebo, falsum esse vehementer eundem Davidem, quum dixit, Marcam sibi repugnantia scripsisse. Verius adversus hunc contentiosum & calliditatem fori exercentem intorqueri posset hoc telum: qui, cum istic dixisset, non licuisse olim Presbyteris Africanis a synodo provinciæ damnatis appellare sedem apostolicam, postea tamen pag. 647. ait, appellationes Presbyterorum obtinuisse in Africa ante tempora Papæ Zosimi.

CAPUT XI.

De summa Pontificis auctoritate, quod a nemine judicetur.

SYNOPSIS.

I. Persona Pontificis a nemine judicatur, ex synodo Romana sub Symmacho, & ex Ennodio. Quia Romanus Episcopus est caput omnium sacerdotum.

II. Eadem Ecclesiæ Gallicanæ sententia in causa Symmachi; imo pietas major quam Romanæ synodi, ex Avito.

III. Antiqua regula, majorem sedem a minore non judicari, ex Cyrillo, Concilio Ephesino, & Chalcedonensi, & Pelagio.

IV. Inde fluxit vulgatum illud, Primam sedem a nemine judicari, in actis dubiis Sinuessanæ synodi, & in canonibus Silvestri rejectis ab Hincmaro.

V. Discussus locus epistola Concilii Romani de Damaso apud Concilium aut consistorium Principis judicando.

VI. Romanum Pontificem a nemine judicandum professus est Carolus M. & cæteri Galli in synodo Romana. Purgatio Leonis Papæ & Paschalis.

VII. Privilegium illud Romanæ sedis confirmatum ab octava synodo. Joannis XII. exauctoratio reprobata. In causa hæreseos & schismatis cessat privilegium.

VIII. Ecclesia Gallicana canones Basileensis Concilii suscepit; sed Eugenii Pontificis depositioni & electioni Felicis non adhæsit.

IX. Pontifex ab Episcopis moneri potest, & satisfacere tenetur. Ex octava synodo, & Petro Damiani.

I. PRincipem legibus solutum esse, eo sensu, ut, etsi in leges impingat, pœnis legum coerceri non possit, communis est Theologorum & Jurisconsultorum sententia; ita, ut subditi, qui de Principis statu aliquid decernere sibi liberum esse putaverint, lege Julia majestatis teneantur. In hunc quoque dignitatis gradum adscitum fuisse Romanum Pontificem, Galliarum Reges & Episcopi una cum ceteris sæpissime censuerunt. Symmacho a clericis Ecclesiæ Romanæ de criminibus atrocissimis accusato & ab episcopatu per vim depulso, Theodoricus Rex Italiæ coegit plenariam synodum omnium regni sui sacerdotum, accedente ipsius Symmachi consensu. Liguriæ, Æmiliæ & Venetiarum Episcopi literis Regis evocati cum se Romam conferrent, Theodoricum Ravennæ commorantem invisunt, & Romanæ sedis sacerdotem a minoribus Episcopis judicari non posse significant: *Nec antedictæ sedis antistitem minorum subjacuisse judicio, in propositione simili, facile forma aliqua restaretur;* ut docet Romana synodus III. habita anno quingentesimo secundo. In eam sententiam concessit ipsa synodus; quæ ita decretum suum temperavit, ut liberum & immunem a criminibus Symmachum pronuntiaret, *quantum ad homines respicit*; sed totius negotii examen *arbitrio divino dimisit*, cum legatione sua prius monuisset senatum Romanum, qui discussionem accusationis urgebat, auctoritatem sedis injustis illis desideriis obstare. Etenim tunc ab omnibus publice asserebatur, *sedis apostolicæ præsulem minorum nunquam subjacuisse sententiæ*, ut e libello accusatorum refert Ennodius Ticinensis in apologetico; qui robustissimis verbis eam assertionem firmavit, quæ & a synodo quinta Romana probata est cum integro apologetici libello, & deinde a collectoribus in corpus canonum relata. *Aliorum*, inquit, *forte hominum causas Deus voluit homines terminare, sed sedis istius præsules suo sine quæstione reservavit arbitrio. Voluit B. Petri Apostoli successores cœlo tantum debere innocentiam & subtilissimi discussoris indagini inviolatam exhibere conscientiam.* Hujus

Quinta synod. sub Sym. *Hic libellus integerrime synodaliter ab omnibus teneatur, & ita sicut harum synodorum decreta habeatur.*

autem privilegii ratio inde petitur ab Ennodio, quod Romanus Episcopus sit caput omnium sacerdotum: *Sanctorum voce patet, Pontificum dignitatem sedis ejus factam toto orbe venerabilem, dum illi, quicquid fidelium est, ubique submittitur, dum totius corporis caput esse designatur.*

Ennodius in apol. c. *Aliorum.* 9. q. 3. apud Grat.

II. Dum hæc Romæ geruntur, Gallicani Episcopi nutare statum suum in lacessito vertice sentientes, & se in criminatione Principis peti, formulam decreti receperunt, quam de Papa Symmacho apud urbem synodus Romana ediderat; ut testatur Avitus Viennensis, qui ex mandato Galliæ Episcoporum ad Senatores urbis, ipse Senator Romanus & Christianus Episcopus, quæ mens esset omnium, unus perscripsit. Nolo in invidiam trahi Episcopos Italiæ. Sed si verum amamus, non est dissimulanda pietas Ecclesiæ Gallicanæ; quæ synodo Romanæ velut vitio vertit, quod judicium aliquod versus Symmachum suscepisset; Quia *non facile datur intelligi, qua vel ratione vel lege ab inferioribus eminentior judicetur*, ut loquitur Avitus. Et licet Dei cognitioni synodus rem ipsam servaverit, Episcopi tamen Gallicani concoquere non possunt, qua ratione in illam causam ne leviter quidem potuerit inquirere. *Quod synodus ipsa venerabilis*, inquit Avitus, *laudabili constitutione prospiciens, causam, quam, quod salva ejus reverentia dictum sit, pene temere susceperat inquirendam, divino potius servavit examini; perstringens tamen, prout breviter potuit, nihil vel sibi vel gloriosissimo viro Theodorico Regi de his, quæ Papæ dicebantur objecta, patuisse.* Nolo epistolam integram transcribere, quæ abunde mentem omnium Gallicanorum sacerdotum explicat: qui concedunt quidem in ceteris Episcopis, si quid nutaverit, posse reformari: *At si Papa urbis vocatur in dubium, episcopatus jam videbitur, non Episcopus, vacillare.*

Avitus Episc. Vien. epist. 31.

III. Sane non omnino aliena videtur a veterum disciplina synodi Romanæ, Ennodii Diaconi & Aviti Viennensis assertio, scilicet ex eo capite inscriptum adversus Romanum Episcopum crimen non subjacere synodorum judicio, quod major a minore judicari non debeat. Hoc fundamento enim inter cetera nititur Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, cum in Concilio Ephesino de temeraria & præcipiti adversum se & Memnonem Ephesinum a Joanne Patriarcha Antiocheno lata depositionis sententia conqueritur, nempe, quod adversus *majorem thronum* pronuntiarit. Sedes enim Alexandrina superiorem locum præ Antiochena juxta Nicænam synodum obtinebat. Rationem istam non contempsit synodus Ephesina; quinimo ut vitium hujus sententiæ Cælestino Pontifici probaret, hinc oritura discordiarum semina profitetur, si *majores sedes* injuria afficiendi facultas detur. Concilium Chalcedonense in eandem conspirat sententiam, cum inter præcipuas damnati Dioscori causas hanc recenset in relatione ad Leonem; quod excommunicationem adversus eum designasset, cui vineæ custodia a Domino credita est, quique indefessam uniendæ Ecclesiæ curam gerit, id est, adversus Leonem. Non enim de injusta excommunicatione conqueritur, sed de Dioscori audacia, qui contumaci animo superiorem Pontificem excommunicationis meditatæ contumelia læsit, quam depositione Dioscori ulti sunt Patres; adeo, ut Anatolius Episcopus Constantinopolitanus dixerit: *Propter fidem non est damnatus Dioscorus; sed quia excommunicationem fecit Domino Archiepiscopo Leoni*, & ter vocatus non accessit. Ceterum excommunicatio illa in Leonem a Dioscoro destinata non decreta fuit in Concilio Ephesino secundo, ut multi suspicantur, sed in conventu furtivo & clandestino aliquot Episcoporum Nicææ habito, ut docet libellus Theodori Diaconi Alexandrini actione III. Concilii Chalcedonensis. Ex eo Pelagius I. Childeberto Regi scripsit an. DLVII. adversum esse ecclesiasticæ legi, quod ipse jusserat, ut Sapaudus Arelatensis Episcopus, *cujus Ecclesia in Gallicanis regionibus primatus privilegio & sedis aposto-*

Libellus Cyrilli par. 2. Conc. Ephes. act. 4. *μάλιστα κατὰ μείζονος θρόνου.*

In ep. synodi Eph. ad Cælest. act. 5. *εἰ γὰρ δοθείη τοῖς ἐθέλουσιν ἄδεια, καὶ τοὺς μείζονας ὑβρίζειν θρόνους.*

Relatio Concilii ad Leonem: *καὶ ἀκοινωνησίαν κατὰ τοῦ τὸ σῶμα τῆς ἐκκλησίας ἑνοῦν σπουδάζοντος, ἐμελέτησεν.*

Act. III. Conc. Chalc. *διὰ τὴν πίστιν οὐ καθῃρέθη Διόσκορος, ἀλλ' ἐπειδὴ ἀκοινωνησίαν ἐποίησε τῷ Κυρίῳ Λέοντι τῷ Ἀρχιεπισκόπῳ.*

apostolicæ vicibus decoratur, ad petitionem Episcopi ab ipso ordinati in judicium sequentis civitatis Episcopi judicandus occurreret.

IV. Ex eo colligere possumus, secundum veteris disciplinæ ordinem Romanam sedem, quæ major est & prima, a ceteris Episcopis judicari non posse. Unde fluxit decantatum illud verbum, quod extat in actis Sinuessanæ synodi in causa Marcellini Pontificis coactæ anno CCCIII. *Prima sedes non judicabitur a quoquam*. Scio quidem, a viris eruditis hæc acta revocari in dubium, quasi a Donatistis conficta. Sed fatendum est, antiquitatem quandam redolere, licet quamplurimis mendis scateant. Pronuntiatum istud, primam sedem a nemine judicari, repetitum est in synodo Romana sub Silvestro, canone ultimo, cum illa adjectione, *ut neque ab Augusto, neque ab omni clero, neque a Regibus, neque a populo judicetur*. Sed viri emunctioris judicii hunc fœtum ut adulterinum damnant, & inter ceteras Isidori Mercatoris quisquilias reponunt. Moverant bilem Hincmaro canones istius Romanæ synodi sub Silvestro, adeo, ut nullam illis fidem in judiciis haberi velit; quia scilicet omnes fere istiusmodi definitiones antiquis canonibus repugnent.

[*Margin: Hincmarus ep. 7. c. 22. & seqq. edit. Mog. Quoniam quasi in auctoritate profertur sanctum Silvestrum Papam decrevisse talia, quæ catholica Ecclesia inter synodalia decreta non computat.*]

Prætermitto discussionem ceterorum articulorum, dum mihi venia lectoris liceat canonem ultimum dispungere. Scilicet hariolos esse oportuit Episcopos, qui non solum ab Augustorum consistorio, qui Romæ tempore Silvestri imperabant, sed a *Regum judiciis* Romanum Pontificem immunem esse decreverunt, cum Reges Romam non tenuerint, nisi ducentis fere post hæc annis elapsis, imo vero in contrarium Silvester ipse exemplo suo statuerit.

V. Etenim, ut loquitur Romanum Concilium in epistola ad Gratianum, *Silvester Papa a sacrilegis accusatus, apud parentem vestrum Constantinum causam propriam prosecutus est*. Occasio hujus epistolæ scribendæ inde orta est, quod Ursinus toties a Principibus & a Damaso Pontifice damnatus dolos composuisset, quibus sancti Pontificis caput petebatur; adeo ut accusatores subornaret, qui crimina Damaso intenderent, *ea fraude videlicet, ut dum causam dicit, qui in omnes judex fuerat constitutus, nemo esset, qui de lapsis vel de factiosis posset episcopatus invasoribus judicare*. Judicio Imperatoris probata quidem innocentia Damasi, sed post sententiam a Principe flagitandum putavit Concilium, ut Damasus, qui ceteris Episcopis cum esset æqualis munere, prærogativa tamen apostolicæ sedis excellebat, non esset iis inferior, qui judiciis publicis beneficio legis a Gratiano latæ non erant subjecti. Petunt ergo, ut causa Damasi, si quæ inciderit, in Concilio judicetur, quemadmodum in ceterorum Episcoporum causis fieri solebat, aut saltem in consistorio Principis causam suam defendat, non apud magistratus. Ad quæstionem, quam discutio, valde confert, ut severius examinentur verba hujus epistolæ: quæ ita castigata sunt, ut nihil de dignitate Pontificis Romani remittant, licet ad rationes temporum sint accommodata. Cognitionem illam Principibus *a Damaso* arrogari, Damasum severioribus Episcoporum judiciis *se ipsum dedere* pronuntiant, non autem cognitionem illam in arbitrio Principis aut Episcoporum esse positam; ita ut privilegium illud primæ sedis in mente habuisse patres illos non absurdum mihi videatur. *Severioribus se dedit ipse judiciis sacerdotum*, inquiunt illi. Subjungunt vero: *Accipite aliud quoque, quod vir sanctus vestræ magis conferre pietati, quam sibi præstare desiderat, nec derogare cuiquam, sed Principibus adrogare. Quoniam non novum aliquid petit, sed sequitur exempla majorum, ut Episcopus Romanus, si Concilio ejus causa non creditur, apud Consilium se imperiale defendat*.

[*Margin: Epistola Romani Concilii ad Gratianum edita [illegible] Sirm. in Appendice Cod. Theodosii.*]

VI. In causa Symmachi quanta fuerit Gallicanæ Ecclesiæ pietas, docuit Avitus, cum majorem & eminentiorem Pontificem ab inferioribus judicari non posse contenderet. Iisdem vestigiis hæserunt Episcopi & proceres Francorum una cum Romanis in causa Leonis III. qui variorum criminum accusatione petebatur. Etenim, cum frequentes adessent in Concilio Romano, præsente ipso Carolo Francorum Rege, in has voces eruperunt, quas retulit Anastasius: *Nos sedem Apostolorum, quæ est caput omnium Dei Ecclesiarum, judicare non audemus. Nam & ab ipsa nos omnes & ab ejus vicario judicamur. Ipsa autem a nemine judicatur; quemadmodum antiquitus mos fuit. Sed sicut ipse summus Pontifex censuerit, canonice obedimus*.

[*Margin: Anastasius in vita Leonis III. an. 800.*]

Leo tamen Pontifex, ne ulla suspicio penes Ecclesiam reliqua esset, etsi nemo accusationem illatam peragere vellet, adhibitis evangeliis & aliquot testibus suæ famæ adstipulatoribus ambonem ascendens objecta crimina jurejurando levavit; ut testantur Anastasius & Eginhardus in Annalibus. Unde profectum est, ut purgatio illa, qua suspecti Presbyteri adhibito sacramento tam suo quam quinque vel septem emendatæ vitæ hominum ex eadem aut vicina plebe petitorum se purgatos populo comprobabant, *exemplo Leonis Papæ* facta diceretur, ut docent Capitularia. Hanc purgandi sese rationem secutus est Paschalis I. ut suspicionem cædis in Theodoro Primicerio & Leone Nomenclatore patratæ dilueret.

[*Margin: Capitular. lib. 5. cap. 36.*]

Etenim, præsentibus Ludovici Pii legatis, *se ab hujus facti communione cum magno Episcoporum numero jurejurando purgavit*, ut loquitur Eginhardus.

[*Margin: Vide Baluzii Notas ad Agobardum pag. 123. Eginh. in Ann. ad an. 823.*]

VII. Quod a Concilio occidentali sancitum fuerat privilegium, octavæ synodi œcumenicæ canone firmatum est anno DCCCLXX. Cum enim sceleftus ille Photius in synodo a se coacta Constantinopoli in Nicolaum Pontificem anathema jecisset, nefarius ille conatus damnatus est, & vetitum, ne in posterum ipsius etiam synodi œcumenicæ judicio sententia adversus Romanos Pontifices audacter aliqua feratur. Itaque non sine ratione inter dictata Gregorii Papæ VII. hoc etiam caput circumfertur: *Quod a nemine ipse judicari debeat*, adeo, ut omnino cum illustrissimo Baronio consentiam, Joannis XII. exauctorationem ab Othone Imperatore & synodo Romana tentatam anno DCCCCLXIII. (cujus acta extant apud Luitprandum) nullius omnino fuisse momenti.

[*Margin: Nicetas in vita Ignatii. Syn. octava can. XIII. μὴ μέντοι θρασέως ἀποφέρεσθαι κατὰ τῶν πρεσβυτέρας Ῥώμης ἱεραρχῶν.*]

[*Margin: Baron. ad annum 963.*]

Sane in causa hæreseos publice professæ & schismatis, quin de Pontifice Romano judicium fieri possit, nullus unquam scriptor dubitavit: quamvis sententiam malint declaratoriam dici quam condemnatoriam, & in schismatis explicatione variæ sint sententiæ.

[*Margin: Vide infra l. 4. cap. 4. §. 8. Vide Odor. Raynald. ad an. 1328. §. 30. V. Jacobatium lib. 9. de Concilio, Bellarminum, & alios.*]

VIII. Sed illustriori testimonio probari non potest, quæ sit Ecclesiæ Gallicanæ in hac quæstione sententia, quam judicio, quod in comitiis Bituricensibus a Carolo VII. rege Francorum latum est. Non repetam, quæ sunt omnibus notissimæ, inter Eugenium & Basileense Concilium contentiones: quæ adeo exarserunt, ut non solum canones quidam ad disciplinam restaurandam ab illa synodo decreti sint; sed ipse quoque Eugenius Concilii judicio discinctus fuerit & exauctoratus, & in ejus locum Felix V. substitutus. Carolus Princeps gloriosissimus ex sententia Ecclesiæ Gallicanæ synodi Basileensis decreta pragmatica constitutione edita amplexus fuerat. Sed dum a Legatis, hinc Eugenii, illinc Concilii Basileensis & Felicis, urgeretur, prudenter respondit, se quidem decretis, quæ disciplinæ restaurationem respicerent, adhæsisse, a communione tamen Eugenii nunquam recessisse neque recedere velle. Et ne præfracta responsione patres Basileenses lædere videretur, eam lenitate verborum mitigavit; *Nempe apud viros graves dubitari num illa depositio & subsequens electio sint rite, juste, canonice & legitime celebratæ, & an congregatio Basileensis tunc sufficienter repræsentaverit Ecclesiam universalem ad tam arduos actus exequendos. Ideo Rex, quia non est sufficienter informatus super prædictis, perseverat & manet in obedientia Domini Eugenii, in qua nunc stat. Ubi autem debite informatus fuerit de veritate causæ istius per œcumenicum Concilium aut aliud generale, seu etiam per congregationem Ecclesiæ Galli-*

[*Margin: Preuves des Libertez pag. 763.*]

Gallicanæ melius & extensius convocandæ cum Ducibus, Baronibus aut confœderatis suis, aut in conventione Principum Christianorum, tunc veritate comperta & discussa, stabit cum ea, & adhærebit veritati catholicæ. Eugenii communionem retinent Galli, etsi Concilium Basileense aliter statuisset: cujus decretum, quod ad depositionem attinet, discussione in aliud tempus dilata, prudenter eludunt. Extant apud collectorem libertatum Ecclesiæ Gallicanæ rerum hac de re Biturigibus gestarum commentarii.

IX. Etiamsi judicium in Pontificem ferri non debeat, tamen ab Episcopis moneri potest, & illis satisfacere tenetur, a se male conceptam suspicionem criminis amoliendo, aut si facti reus teneatur, in meliorem frugem se recipiendo. In utrumque casum extant hinc Marcellini & Sixti, hinc Leonis & Paschalis exempla. Imo vero & canon ipse synodi octavæ huic officio Pontifices Romanos adstringit; cujus verba profero ex versione Anastasii: *Si synodus universalis fuerit congregata, & facta fuerit etiam de sancta Romanorum Ecclesia quævis ambiguitas & controversia, oportet venerabiliter & cum convenienti reverentia de proposita quæstione sciscitari, & solutionem accipere, aut proficere, aut profectum facere, non tamen audacter sententiam dicere contra summos senioris Romæ Pontifices.* Quam in rem multa verba facit Petrus Damiani in eo tractatu, quem de correctione Episcopi & Papæ inscripsit circa annum MLX. ubi Petri exemplo rem conficit: *Si igitur iste, cum a discipulis culparetur, auctoritatem, quam in sancta sortitus fuerat Ecclesia, voluisset obtendere, respondere potuerat, ut pastorem suum oves, quæ sibi commissæ fuerant, reprehendere non auderent. Sed si in querela fidelium potestatis suæ titulum objecisset, doctor profecto mansuetudinis non fuisset. Non ergo eos privilegii sui auctoritate repressit, sed humili potius satisfactione placavit, & tanquam solus ipse ad faciendam fidem non sufficeret, etiam testes adhibuit. Venerunt, inquit, mecum & sex fratres isti.* Plura vir ille infracti animi in eandem sententiam congerit, ut probet, *titulum præsulatus non esse opponendum, quo minus Ecclesiæ filiis, qui se gravatos asserunt, æquo judicio respondeatur.*

Can. XIII. Græcæ edit. Εἰ δὲ συγκροτηθείσης συνόδου οἰκουμενικῆς γένηταί τις καὶ περὶ τῆς ἐκκλησίας τῶν Ῥωμαίων ἀμφιβολία, ἐξεῖναι εὐλαβῶς καὶ μετὰ τῆς προσηκούσης αἰδοῦς διαπυνθάνεσθαι περὶ τοῦ προκειμένου ζητήματος καὶ δέχεσθαι τὴν λύσιν, ἢ ὠφελεῖσθαι ἢ ὠφελεῖν, μὴ μέντοι &c.

Vide S. Gregorium lib. 9. ep. 39. ad Theoctistam.

CAPUT XII.

De jure Protectionis sedis Romanæ, regibus Francorum competente, & jure Patriciatus.

SYNOPSIS.

I. Romanæ sedis auctoritatem tueri tenetur Rex Christianissimus jure protectionis, quod Francorum Regibus competit. Quid sit jus protectionis, ordinarium, extraordinarium & reale pactis constitutum.

II. Protectio Romanæ sedis est jus reale quæsitum Coronæ Francicæ. A Deo designata, ex Pelagio.

III. Initium hujus protectionis a Carolo Duce Francorum, & Gregorio, ob motus Longobardorum. Novis conditionibus aucta a Pipino Rege, & Stephano. Exarchatus Ravennæ donatus Ecclesiæ Romanæ a Pipino, huicque patriciatus Romanus collatus. Conventio de protectione non personalis, sed perpetua cum Rege & regno.

IV. Patriciatus datus filiis Pipini. Qui dicerentur Patricii. Primo nuda dignitas, patriciatus; deinde ei adjunctum imperium. Tuitio Ecclesiarum & inopum Patriciis competit, ex Paulo Diacono. Patriciatus collatus Regibus Francorum imperium & tuitionem complectebatur.

V. Carolo Magno in Augustum electo, Patricii nomen cessavit. Sed jus protectionis Regibus Francorum quæsitum, extinctum non est. Jus illud in solidum in filios Reges testamento suo partitus est Carolus Magnus.

VI. Et filiis suis ex æquo commisit Ludovicus Pius. Carolus Calvus hanc ad se una cum regno Francorum transmissam agnovit; ita tamen, ut a Romana sede honor debitus sibi reddatur. Is honor explicatus de processione Patriciorum.

VII. Auxilia lata Joanni VIII. Paschali II. Gelasio II. Innocentio II. Alexandro III. docent propagatum a secunda in tertiam Regum stirpem protectionis auxilium.

VIII. Gregorius IX. tuitionem ecclesiasticæ libertatis regno Francorum assignat. Ut Paulus I. hanc tuitionem implorarunt Innocentius IV. & Urbanus IV.

IX. Ceteri Reges novis officiis jus patrocinii confirmarunt. Et præ ceteris invictissimus Ludovicus XIII. consilio & opera Eminentissimi Cardinalis Ducis Richelii.

I. Abunde satis probatum est, apud Gallos sedis apostolicæ principatum omnibus officiis per omnes ætates excultum fuisse, seu in ea communionis suæ caput *jure divino* constitutum, seu supremam in Ecclesias auctoritatem venerarentur; ut merito a me dictum fuerit, primum libertatis Ecclesiæ Gallicanæ fundamentum in primatu Romani Pontificis esse positum. Addam vero hoc capite, pluribus nominibus ad ejus Ecclesiæ dignitatem tuendam & ornandam Reges Christianissimos obstringi, quam ceteros totius Europæ Reges & Principes, scilicet eximio illo jure patrocinii seu protectionis regiæ erga Romanam sedem, quod Francorum regno quæsitum est. Illud autem non sic accipi velim, quasi rhetorum more ambitiosis verbis a me dictum, sed ut ad normam legum & fori consulto propositum. Principes quidem Ecclesias in regnis suis constitutas ex officio tueri tenentur, quod jus protectionis ordinarium est, & a jurisdictione pendet. Sed aliud est jus quoddam protectionis extraordinarium, quod Ecclesiis sibi non subditis adversus potentiorum vim publicam aut privatam impertiri solent illi, qui alias ex munere suo ad id non obligantur. Hæc tuitio vel protectio ex eo profecta est, quod summi Pontifices aut ipsi etiam Imperatores proceribus viris aliquando demandarint, ut ab injuriis Ecclesias sibi creditas extra ordinem defenderent, vel etiam, quod Ecclesiarum Episcopi aut Abbates cum assensu capitulorum & monasteriorum se in defensionem procerum certis legibus tradiderint, mercedis annuæ & pensionis perpetuæ, ut plurimum stipulatione adhibita. Harum conventionum octingentis abhinc annis initarum exempla creberrima apud scriptores & vetera tabularia visuntur & in diversis mediæ ætatis canonibus, bellorum privatorum infando usu in id Episcopos & monasteriorum præfectos sæpissime compellente, ut sibi *Patronos*, *Defensores*, *Protectores* & *Advocatos*, quos vocabant, adsciscerent, qui protectionem & defensionem singularem Ecclesiis impenderent, præter eam, quæ a Regibus ex ordine disciplinæ publicæ expetebatur. Jure isto protectionis, defensionis vel *advocatiæ* hereditate ad se transmisso potiuntur etiamnum quamplurimi Principes in Germania, quod etiam quatuor abhinc seculis in Galliæ confiniis obtinebat, multis nobilium familiis se *Advocatorum* & *Vicedominorum* nomine jactantibus, donec jura illa protectionum ecclesiasticarum Rex Christianissimus ad se solum in regno revocavit. De hoc protectionis jure reali & hereditario amplissimos commentarios viri eruditi ex professo ediderunt.

Advoues, Vidames.

Commentarius de Advocatia Armata.

II. Quod ad meum institutum attinet, necesse est, ut probem, ejus generis esse protectionem illam Ecclesiæ Romanæ, cui impertiendæ quemadmodum hereditario jure Rex Christianissimus adstringitur, ita vice versa sedes Romana, in nulla parte suæ auctoritatis dignitate imminuta, Reges Francorum, ut protectores suis officiis ornare tenetur. Cum autem

autem protectionem istam aut mandatis Principum aut conventionibus quæri monuerim, non est, quod aliquis expectet, ut Regibus Francorum delegatam ab aliquo Principe defensionem probem; præsertim cum jus illud eis ex æquo vindicaturus sim, si conventionibus inter Pontifices & Reges initis constare ostendam. Enimvero si altius origo rerum repetenda sit, non frustra afferetur, tuitionem Romanæ Ecclesiæ Dei optimi maximi providentissimo consilio Francorum Regibus fuisse concreditam, quod vicem mandati & delegationis præstabit, si quis exigat, ut protectio nostra illo etiam jure fulciatur. Hujus rei illustrior probatio aliunde peti non potest, quam a Pelagio II. qui anno DLXXXII. cum a Longobardis Arianis Ecclesia Romana & bello & hæresi vexaretur, auxiliaque Imperatorum orientis lenta essent & invalida, nullam Tiberio Principi fieri injuriam censuit, si a Regibus Francorum in his angustiis constitutus subsidium peteret, & Aunacharii Episcopi Antisiodorensis gratiam, qua flagrabat apud Chilpericum Regem, ad impetrandum sollicitaret. *Nec enim*, inquit Pelagius, *sine magna divinæ providentiæ admiratione dispositum, quod vestri Reges Romano imperio in orthodoxæ fidei confessione sunt similes, nisi, ut huic urbi, ex qua fuerat oriunda, vel universæ Italiæ finitimos adjutoresque præstaret. Cavete igitur, charissime frater, ne, dum Regibus vestris juvandi nos virtus sit data divinitus charitatis vestræ circa nos levitas arguatur, qui illis & in fide & in consiliis vestro sacerdotio sic devotis suadere talia aut negligitis aut differtis.* Idem consilium inierat Vigilius Papa anno DXLIX. cum Gothis Romam tenentibus, Aureliano Episcopo Arelatensi dat in mandatis, ut Childebertum Regem, qui Christianitatis studio venerationem integram sedi apostolicæ exhibebat, precibus suis exoraret, ut sollicitudine sua Gothorum Regem ab injuria Romanæ Ecclesiæ inferenda revocaret.

III. Initium vero pactorum de protectione cum Ecclesia Romana conventorum in ea tempora conferendum est, quibus eam Regum Longobardorum impetus ad auxilia extraordinaria imploranda pene profligatam coegit. Annus DCCXXXIX. huic consilio originem dedit. Etenim Luitprandus & Hilprandus Reges Longobardorum, cum in Ravennæ exarchatus provinciis adversus imperii Constantinopolitani copias bellum gererent, Ecclesiæ Romanæ patrimonia perinde ac ceteros provincialium agros depopulati sunt; deinde translato in ducatum & episcopatum Romanum exercitu, omnia cædibus & vastatione terruerunt; nulla habita ratione, quod pagus ille Romanus *Parochiam B. Petri* constitueret, ac proinde peculiaris cujusdam immunitatis privilegium illi deberetur. Quare Gregorius III. Pontifex se suamque Ecclesiam tuitioni Caroli Francorum Ducis commisit literis illis, quas lacrymis perfusas ad Carolum subregulum magno cum animi sensu dedit. *Ad te post Deum confugium facimus*, inquit, *Conjuro te per Deum vivum & verum, & per ipsas sacratissimas claves confessionis beati Petri, quas vobis ad regnum direximus, ut non præponas amicitiam Regum Longobardorum amori Principis Apostolorum; sed velocius sub nimia festinatione sentiamus, post Deum, tuam consolationem ad nostram defensionem.* Protectio ista novis quibusdam legibus firmata fuit a Pipino Rege Francorum & Stephano II. Pontifice. Hic enim dum Aistulphi Longobardorum Regis armis undique premeretur, (qui quidem post exarchatus & provinciæ Romanæ civitates, depulsis inde Constantinopolitanorum præsidiis, valido exercitu occupatas, patrimonia Ecclesiæ Romanæ usurpaverat) ad Gallias magno procerum Romanorum comitatu stipatus accessit; ubi fœdus cum Pipino Rege pepigit iis conditionibus, ut Rex ejusque filii Patricii Romanorum dicerentur, & Ravennæ exarchatus a Longobardis armorum vi repetitus, donatione Pipini in Romanam Ecclesiam transferretur. Hæc conventa liquidius ostendi non possunt, quam ipsiusmet Stephani verbis: qui, cum denuo ab Aistulfo fœderibus infractis Romæ obsidionem pateretur, pacta illa Pipino refricat: *Dum vestris mellifluis obtutibus præsentati sumus, omnes causas Principis Apostolorum in vestris manibus commendavimus. Quoniam quidem inspirati a Deo aurem petitionibus nostris accommodare dignati estis, & vos beato Petro polliciti estis ejus justitiam exigere & defensionem sanctæ Dei Ecclesiæ procurare.* Ne quis vero existimet, protectionem istam, de qua convenerat Stephanus, personalem esse, & Pipino tantum concessam, sequentis epistolæ ab eodem Stephano ad Pipinum datæ verba velim diligenter expendas; unde manifestum fiet, contractum fuisse non solum cum Rege, sed etiam cum ejus filiis, imo etiam cum ipso regno Francorum. *Quoniam*, inquit, *nulli alio nisi tantummodo tuæ amantissimæ Excellentiæ vel dulcissimis filiis & cunctæ genti Francorum per Dei præceptionem & B. Petri sanctam Dei Ecclesiam & nostrum Romanorum Reipublicæ populum commisimus protegendum.*

IV. Patricii vero dignitatem, ut ante monebam, Stephanum & Romanos proceres Pipino Regi & ejus filiis contulisse, fidem facit epistola Stephani tertia, cujus inscriptio hæc est: *Dominis excellentissimis filiis Pipino Regi & nostro spiritali compatri, & Carolo & Carolomanno item Regibus, & utrisque Patriciis Romanorum, Stephanus Papa.* Retinuit hunc Patricii titulum Carolus Magnus, cujus frequentissima habetur mentio in epistolis Stephani tertii, Hadriani primi, & in edictis hujus Principis. Imo etiam Leo III. Pontifex, quo beneficii recens a Carolo accepti monumentum aliquod poneret, in camera palatii Lateranensis Petrum Apostolum depingi curavit Carolo patriciatus insignia & Leoni pallium pontificium tradentem. Patricii nomen duo quædam complectebatur; & jurisdictionem, qua Reges in urbe ex consensu Pontificis & populi Romani potiebantur; & protectionem seu defensionem, quam Romanæ Ecclesiæ polliciti erant. Patriciorum autem tanta erat dignitas, ut a Constantini tempore qui ejus auctor fuit, eminentissimos magistratus loco præcellerent; ita ut Theodoricus & Athalaricus Italiæ Reges non alienam a regni majestate patriciatus dignitatem, quæ illis ab Anastasio collata fuerat, esse censuerint. Jurisdictio cum patriciatu conjuncta non erat; etsi frequentissime, qui validissimis provinciis aut exercitibus erant præfecti, dignitate ista cohonestarentur. Inde profectum est, ut Italiæ Exarchi, qui ab Imperatoribus Constantinopolitanis Ravennam cum summo imperio ad Italiæ administrationem mittebantur, hujus etiam honoris essent participes. Unde Patricii Italiæ a scriptoribus aliquando dicuntur. Hoc exemplo Reges Francorum in Gallia etiam Patricios suos instituerunt, qui ob provincias sibi concreditas Patricii & Duces audiebant; ut Dynamius Patricius Galliarum apud Gregorium Magnum, & Mummolus Dux & Patricius, aliique apud Gregorium Turonensem. Sed propositi mei non est, ea nunc exequi, quæ Patriciorum auctoritate ultimis illis seculis continebantur. Id unum satis erit observasse, patriciatu collato. Ecclesias & inopes tuendi adversus vim potentiorum præbitam fuisse facultatem. Hoc patet ex ea formula, qua Princeps Patricium renunciabat, quæ relata est a Paulo Diacono. Sistebat se coram Principe hujus dignitatis candidatus: qui, cum prius Imperatoris pedes, deinde genu atque os ipsum, & ceteros magistratus deosculatus esset, his verbis a Principe excipiebatur: *Nobis nimium laboriosum esse videtur concessum nobis a Deo ministerium solum procurare. Quocirca nobis adjutorem facimus, & hunc honorem tibi concedimus, ut Ecclesiis Dei & pauperibus legem facias, & inde apud altissimum judicem rationem reddas. Tunc induat eum Imperator mantum, & ponat ei in dextro indice annulum, & det ei bombacinum propria manu scriptum: Esto Patricius misericors & justus. Tunc ponat ei in caput*

Parochia B. Petri dicitur a Pontificibus.

Epistola Gregor. 5. 6.

Steph. ep. 3. ad Pipinum.

Steph. ep. 4. ad Pipinum.

Nicolaus Aleman. in Parietinis Lateranensibus.

Paulus Diaconus Hist. Longob.

caput aureum circulum, & dimittat. Patriciatus itaque Romanorum, præter imperium in urbem & ducatum Romanum, defensionem illam complectebatur, quæ pactis cum Romanis Pontificibus initis erat constituta. Quare Carolus Magnus sibi nunc Patricii Romanorum titulum, nunc *devoti sanctæ Ecclesiæ defensoris* atque *adjutoris* in edictis suis adscribebat.

Capit. Lib. 7. c. 323.

V. Hanc patriciatus dignitatem ab anno DCCXXXIX. Reges nostri magno studio conservarunt usque ad annum octingentesimum. Tunc enim, desinente octavo seculo, Carolus Magnus acclamatione populi Romani & consensu Leonis cum Imperium recepisset, *omisso Patricii nomine Imperator & Augustus est appellatus*, ut testatur Eginhardus. Etsi vero novus imperii splendor patriciatus lucem extinxisset, attamen protectio Ecclesiæ Romanæ, coronæ Francorum ante quæsita, per confusionem patriciatus cum imperio sublata non est. Imperio accessit tuitionis impendendæ officium; sed de pristino protectionis jure, quod regno Francorum competebat, nihil imminutum fuit. Potestas quidem illa, qua jure patriciatus in urbe Romana potiebantur Reges Francorum, (quæ ab illis in solidum una cum Pontificibus exercebatur, ut dicam alibi) confusa fuit & imperio consolidata. Sed defensio Ecclesiæ Romanæ inter cetera domus regiæ jura a Principibus recensita fuit, ut in Caroli Magni filios transmitteretur, nec præcipuo jure ab eo possideretur, qui imperium retineret, sed ad omnes heredes pertineret ea lege, ut illis non liceret a communione hujus protectionis familiæ erciscundæ judicio discedere. Ita enim constituit Carolus Magnus tabulis testamenti sui; quibus inter filios regna Franciæ, Italiæ & Aquitaniæ distribuit; sed in solidum Ecclesiæ Romanæ defensionem reliquit, eadem conditione, qua a Patre suo Pipino & avo Carolo fuerat suscepta. *Super omnia autem jubemus*, inquit, *ut ipsi tres fratres curam & defensionem Ecclesiarum sancti Petri simul suscipiant, sicut quondam ab avo nostro Carolo & beatæ memoriæ genitore nostro Pipino Rege a nobis postea suscepta est; ut eam cum Dei adjutorio ab hostibus defendere nitantur, & justitiam suam, quantum ad ipsos pertinet & ratio postulaverit, habere faciant*. Hujus divisionis tabulæ a proceribus Francorum jurejurando & a Leone Pontifice subscriptione firmatæ sunt anno DCCCVI. ut docuit Eginhardus in annalibus. Unde primo colligimus, eam fuisse sententiam & Caroli, cum susciperet imperium, & Pontificis, senatus populique Romani, cum illud ei detulerunt, ut a pactis pristinæ protectionis non discederetur, præterea jus istud inter ceteras res hereditarias recenseri, & ab antiquis illis pactionibus a Carolo repeti, huicque legato assensisse Leonem.

Eginh. an. 801.

VI. Nolo mihi fidem haberi, nisi hoc sensu a Caroli Magni filiis & nepotibus legatum istud exceptum fuerit, ut sibi quisque portionem regni Francorum cum hoc onere vel potius jure relictam fuisse censuerit. Ludovicus Pius, Caroli filius, cum divisionem regni in tres filios ex consilio procerum instituisset, jussit iisdem plane verbis e testamento Caroli transcriptis, ut tres fratres, quos in consortium regni Francorum asciverat, defensionem Ecclesiæ sancti Petri *simul* susciperent. Hinc est, quod Ludovici filii Carolus Calvus Rex Francorum & Ludovicus Rex Germaniæ conventionibus illis, quas in Metensi conventu ex sententia Hincmari Archiepiscopi Remensis & aliorum quorundam procerum inierunt anno DCCCLXVIII. sibi quisque defensionem Ecclesiæ Romanæ servavit, ea lege tamen, ut sibi a Romano Pontifice debitus honor impendatur. *Mundeburdem autem & defensionem sanctæ Romanæ Ecclesiæ pariter conservabimus, in hoc, ut Romani Pontifices nobis debitum honorem conservent, sicut eorum antecessores nostris antecessoribus conservaverunt*. Duo hic observanda sunt. Unum est, defensionem istam a Principibus mundeburdem vocari, qua voce significatur tutela, quæ jure regio Ecclesiis a sacro palatio concedi solebat, cujus variæ formulæ extant apud Marculfum. Alterum est, Principes istos originem hujus defensionis ab antiquis conventionibus repetere, licet eas ipsi non renovassent, & imperio non potirentur, sed tantum regno Francorum. Quod attinet ad eum honorem, quem sibi Reges impendi cupiunt, is est, qui protectori debetur ab eo, qui in defensionem susceptus est, quem canones patrono in Ecclesiis tribuunt & *processionis aditum* vocant. Nempe iisdem solennibus eademque pompa excipi volunt, qua Carolum prosecuti sunt Romani, antequam imperio potiretur. Etenim cum Ticinum Carolus obsidione cingeret, Romam se contulit. Quid tum egerit Hadrianus Papa, malo verbis Anastasii quam meis referre: *Direxit in ejus occursum universos judices ad fere triginta millia ab hac Romana urbe, ubi eum cum bandora susceperunt*. Subjungit idem Anastasius in vita Hadriani: *Obviam illi ejus sanctitas dirigens venerandas cruces, id est, signa, sicut mos est ad Exarchum seu Patricium suscipiendum, eum cum ingenti honore suscipi fecit*.

Divisio Ludovici Pii ann. 837. c. XI.

In Capitulis Caroli Calvi apud S. Arnulfum.

Anastas. in Hadr. I.

VII. Temporis progressus nihil de hoc jure protectionis detrivit; imo vero magna accessio illi facta est frequentibus & validis auxiliis, quibus Reges Francorum, pristinarum conventionum memores, Romanam Ecclesiam juverunt. Joannes VIII. recessit in Gallias, ut suppetias adversus Lambertum Ducem Spoletanum impetraret a Rege Ludovico Balbo Caroli Calvi filio, cujus animum blandissimis literis ante demulserat; ita, ut ab illius consilio pendere velle profiteretur in omnibus negotiis, quæ in synodo Trecensi, quam cogebat, discutienda occurrerent. Sed in ipso Concilio ea oratione erga Regem usus est, ut omnes intelligerent, hereditarium esse jus istud protectionis in regno Francorum: *Vos, charissime fili Ludovice, precor in defensionem, liberationem atque exaltationem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, sicut prædecessores vestri fecerunt, & vobis sub attestatione facere mandaverunt, sine procrastinatione & ulla dilatione succurrite*. Paschalis II. ab Italia armis Henrici V. Imperatoris depulsus in Galliam se contulit, ut Regis auxilio se adversus hostes tueretur, quod auxilium ut impetraret, consuetudinem antiquam in sui patrocinium protulit, teste Sugerio: *Blande demulcens Regem, B. Petro sibique ejus vicario supplicat opem ferre, Ecclesiam manutenere, & sicut suorum antecessorum Regum Francorum Caroli Magni & aliorum mos inolevit, tyrannis & Ecclesiæ hostibus audacter resistere*. In eam sententiam Guibertus hujus temporis scriptor, Pontificibus in more positum fuisse adnotavit, ut in rebus afflictis opem a regibus Francorum implorarent. Gelasius II. sede & urbe ab eodem Henrico pulsus, (qui Burdidinum Archiepiscopum Bracarensem, * natione Hispanum, Romanæ Ecclesiæ intruserat) *ad tutelam*, inquit Sugerius, *& protectionem serenissimi Regis Ludovici & Gallicanæ Ecclesiæ compassionem, sicut antiquitus consueverunt, confugit*; nempe, ut clypeo Gallici nominis & Germaniæ vires & Hispaniæ ambitum infringeret. Quid memorem Innocentium II. qui factione Petri Leonis a sede deturbatus, succedit in Gallias, *tutum*, Sugerio teste, *& approbatum Ecclesiæ asylum*; *nuntiisque suis ad Regem Ludovicum destinatis, & personæ & Ecclesiæ opitulari efflagitat*. Quid Alexandrum III. qui suam dignitatem, in Gallias cum se recepisset, adversus Fridericum Imperatorem asseruit; quia, ut observavit Arnulfus, *quos devotio Gallicana suscepit, victoriam semper contulit & triumphum*. Cum itaque mos ille Pontificum auxilia petendi, & Regum Galliæ suppetias ferendi, post pristinas illas conventiones perduraverit, quis non perspiciat, in tertiam stirpem propagatum jus protectionis, quod in secundæ stirpis exordio initium sumpserat?

Joan. epist. 87. *In fonte tui cordis primum intingendus calamus; deinde manus nostra formabit characteris apices*.

Sugerius in vita Ludovici Grossi an. 1107. Guibertus l. 2. hist. Hierosol. *Apostolicæ sedis Pontificibus consuetudinarium fuit, si quam passi sunt a finitima gente molestiam, auxilia semper expetivisse a Francis*.

* Vide vitam ejus editam in libro tertio Miscellaneorum Stephani Baluzii.

Sugerius in vita Ludovici Grossi an. 1118. Sugerius anno 1130. Aimoini Contin. l. 5. c. 54.

Arnulfus Lexov. in ep. ad Arch. & ep. Angliæ.

VIII. Plane videtur Gregorius IX. eam induisse curam, ut fœdera ista aliquo pacto renovaret bullatis literis, quas ad sanctum Ludovicum Regem Gallo-

Gallorum dedit anno MCCXXXIX. ut Fridericum Romanæ Ecclesiæ imminentem repelleret. Etenim cum regni Gallicani gloriam præ ceteris regnis & in fide armis propaganda constantiam magnificis verbis prædicasset, eodemque gradu dignitatis præcellere dixisset, quo tribus Juda reliquas tribus exsuperabat; *Ex quibus*, inquit, *evidenti ratione perpendimus, quod regnum Franciæ prædictum, benedictum a Domino, redemptor noster quasi specialem divinarum voluntatum executorem eligens, & ipsum sibi sicut pharetram circa femur accingens, ex ipsa sæpius sagittas electas extrahit, & eas in tuitionem ecclesiasticæ libertatis & fidei, in contritionem impiorum, & defensionem justitiæ, in arcu brachii potentis emittit*. Iisdem laudibus Gallos ornaverat ante Paulus I. quas novis beneficiis a Gregorio deinde sunt promeriti. Ex his testimoniis patet, Pontifices Romanos non in Regis Galliarum unius vel alterius studio peculiari, sed in ipsius regiæ dignitatis nomine præsidium suum collocasse; ita volentibus divinæ providentiæ fatis, ut regnum Francorum sedis apostolicæ defensioni devotum consecratumque esset. Cui officio cum Reges cumulatissime satisfacerent, jus istud protectionis consuetudinis antiquissimæ præscriptione quæsivisse non sine ratione dici potest. Hunc morem obtestabatur Innocentius IV. cum a conventu patrum Cisterciensis ordinis peteret, ut Ludovicum IX. suis precibus exorarent, ne a pristina & receptissima Galliæ consuetudine discederet, sed avorum vestigia premendo, Romanum Pontificem ab injuriis Friderici vindicaret. Hoc jus protectionis provocabat Urbanus IV. cum ad eundem Regem Ludovicum tanquam *ad defensionis suæ dexteram*, teste Nangio, se contulit, ut a Manfredi Siciliæ Regis impetu se immunem præstaret.

T. 1. Libert. Eccles. Gall. c. 1. N. 5. & in Notis ad N. 4.

Paulus 1. ep. ad Francos: *Vere enim elevatum est nomen gentis vestræ super multas generationum nationes, & regnum Francorum vibrans emicat in conspectu Domini, quod talibus benignissimis catholicæ & apostolicæ sanctæ Dei Ecclesiæ liberatoribus præornatur Regibus*. Infra: *Vos quidem, charissimi, gens sancta, regale sacerdotium, populus acquisitionis, cui benedixit Deus Israel*. Matthæus Paris an. 1244. *Secundum antiquam & consuetam Franciæ consuetudinem & libertatem Romanum Pontificem contra insultus Imperatoris defenderet, & si necessitas expostularet, eum in suo regno reciperet, sicut bonæ memoriæ Alexandro Papæ exulanti & a facie Imperatoris Friderici persequentis fugienti*.

IX. Neque vero huic officio defuere Reges, qui illos exceperunt. Non defecit in posteris innata majoribus erga summos Pontifices singularis propensio; sed quasi hereditario jure ad omnes successores transmissa, ad nostram usque ætatem integra atque illibata pervenit; adeo, ut tot fere possit sedes apostolica laudare vindices, quot Reges Gallia. Quare non immorabor in recensendis, per quos summorum Pontificum res stetere, cum satis superque mihi sit hoc unum duntaxat monuisse, Galliam nullum Regem agnoscere, qui Ecclesiæ laboranti solenne patrocinium denegarit, cuique antiquius quicquam fuerit, quam protectoris insigne longa & justa possessione quæsitum novorum beneficiorum cumulo sibi confirmare. Quamvis autem inter summos Pontifices Regesque Galliæ quandoque simultates intercesserint, nihil tamen de protectionis jure eis decessisse certum est. Quos enim privatæ res aliquamdiu abalienaverant, in commune totius Ecclesiæ bonum conspirantia studia ita perfecte sacrosanctæ sedi conciliarunt, ut felici dissidio disjuncti videantur, quos arctiora deinceps amicitiæ vincula constrinxerunt. Ceterum præ aliis retro Galliæ Regibus augustissimo Principi nostro potissimum assertoris titulum deberi, consumptæ in præsidium sedis apostolicæ regni vires, exhaustum ærarium abunde testantur. Elanguerat in plerisque regni provinciis Christiana fides, religio prostrata jacebat, vixque Ecclesiæ Romanæ inane nomen in ludibrium supererat. Lugubrem matris sortem misertus Ludovicus, ut afflictæ pias vices exhiberet, in propria viscera arma convertit; subjectosque sibi populos ultore ferro prosecutus est, ut parenti suus splendor constaret, pristinaque dignitas restitueretur. Nondum apostolicæ sedis conjurati hostes spiritus deposuerant, quantumcunque amissis aliquot urbibus debilitati, adversisque præliis imminuti, artibus scilicet & sociorum auxiliis confisi, atque arce feroces. Accessit invictissimi Principis virtuti ac fortunæ grande incrementum eminentissimi Cardinalis Ducis Richelii prudentia, fortitudo, fides: cujus ministerio, cadente Romanæ Ecclesiæ æmula, elusisque factiosorum artibus, atque auxiliariis classibus dissipatis, fracti rebellium animi tandem ceciderunt, & debita sedi apostolicæ auctoritas rediit. Summi hujus viri, rerum divinarum atque humanarum consultissimi, solerti etiam prudentiæ debemus, quod Ecclesiæ & regni jura æquis ponderibus librando, ut Ecclesiæ Romanæ Principem purpuratum & Ducis corona Regis beneficio insignitum decebat, unicuique sua præstet intacta atque inviolata. Nec alius eventus expectandus erat sapientissimo Principi, cum religiosissimum sacerdotem interioribus consiliis admoveret, beato Remigio florentissimum imperium jam olim Regibus nostris prænuntiante, quamdiu Episcoporum operam in administrando regno adhiberent.

Elogium Cardinalis Richelii.

Epistola Remigii ad Clodoveum: *Sacerdotibus tuis honorem deferre & ad eorum consilia semper recurrere. Quod si tibi bene cum illis convenerit, provincia tua melius potest constare*.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

De secundo fundamento libertatis Gallicanæ, supremo Regis imperio, & in specie de finibus potestatis spiritualis & secularis.

SYNOPSIS.

I. Secundum fundamentum libertatis Ecclesiæ Gallicanæ est supremum Regis imperium. A tempore Clodovei in unam societatem coierunt in Galliis Christiana fides & Regum imperium.

II. Ecclesiasticus cœtus e clericis & laicis conflatus religionem respicit. Civilis ex iisdem constitutus, statum politicum. Ex utroque componitur Respublica Christiana, sub duobus summis Præfectis; quorum unus spiritualibus, alter secularibus præest, ex Conciliis Parisiensi & ad Theodonisvillam, & Bernardo.

III. Duarum potestatum consortium Ecclesiæ Gallicanæ nomine apud nos continetur.

IV. Fines utriusque potestatis notissimi. Pontifices spiritualia curant, Reges secularia. Quod probatur iis testimoniis veterum, ubi potestates invicem componuntur. Ex Osio apud Athanasium.

V. Ex Gregorio Nazianzeno: qui terrenam corporis, spiritualem animæ comparat. Qui locus explicatur. Ex Isidoro Pelusiota, Synesio & Chrysostomo.

VI. E Gelasio, & Symmacho.

VII. E Gregorio II. & Nicolao I. Pontificatus & Regnum conjuncta in Hasamonæorum familia.

VIII. Innocentius III. harum potestatum officia distinxit comparatione ducta a Sole & Luna. Explicata ejus sententia. Et illustrata e Berengosio Abbate.

IX. Patriarchæ comparati Soli & Lunæ in octava synodo, & Imperator cuidam splendori, quo ipsi Patriarchæ illustrentur.

X. Distinctio duarum potestatum probatur quoque testimoniis Principum Valentiniani, Justiniani, Ludovici Pii.

I.  Luribus fortasse, quam par sit, executi sumus eam partem, quæ primum libertatum Ecclesiæ Gallicanæ fundamentum in suprema Romanæ Ecclesiæ auctoritate constituit, cujus tuendæ cura Christianissimis Regibus est concredita. Sed in eo argumento diutius hærendum erat,

erat, ut præfracti ingenii viris, imo & ipsi hujus seculi novatoribus comprobaretur, apud nos sinceram de principatu sedis apostolicæ sententiam eodem gradu stare, quo viguit apud antiquioris Ecclesiæ Episcopos. Superest, ut alterum non minoris momenti fundamentum, quo libertas Ecclesiæ Gallicanæ constat, aggrediamur, quod in suprema Regis Christianissimi per Gallias auctoritate situm est. Jam ab ipso Clodoveo, regni istius florentissimi amplificandi auctore, in unam veluti societatem coierunt christiana fides & Regum imperium, nullo partium detrimento; adeo, ut de regni summo jure nihil per christianam professionem decesserit, quamvis Ecclesiæ magna & dignitatis & potentiæ facta fuerit accessio. Conjunctæ quidem fuerunt in hoc regno duæ illæ potestates, ecclesiastica & civilis, sed sine confusione personarum & munerum. Quod sincere explicandum est, ut a disputatione, quæ hac de re instituenda est, absint cavillationum fraudes & sophismatum involucra.

II. Ecclesiastica potestas, seu Respublica christiana, quæ sub nomine Ecclesiæ sæpissime explicatur, eam significat clericorum & laicorum collectionem, qui in unum corpus adunati, ecclesiasticis legibus se subjiciunt; non quidem quatenus homines civilem rempublicam componentes, sed quatenus in spiritualem cœtum admissi. Eadem ratione civilis respublica dici potest, quæ vel ex infidelibus Principibus & rebus publicis constat, vel, quæ ex christianis hominibus quidem, sed nullo ad religionem respectu habito, componitur. Quin & propter charitatis sanctos nexus & fidei communionem dicimus rempublicam politicam accedentem ad Christum ita jungi spirituali & ecclesiasticæ reipublicæ, ut jam ex utraque dici possit unam rempublicam christianam componi, in qua sint duo præfecti præcipui; quorum ille omnibus spiritualibus, hic vero omnino temporalibus præsit. In hunc sensum Concilium Parisiense sub Ludovico Pio habitum anno DCCCXXIX. *Principaliter itaque totius sanctæ Dei Ecclesiæ corpus in duas eximias personas, in sacerdotalem videlicet & regalem, sicut a sanctis patribus traditum accepimus, divisum esse novimus*. Et Concilium ad Theodonisvillam anno DCCCXLIV. *Quia bene nostis, ab illo, qui solus merito & Rex & Sacerdos fieri potuit, ita Ecclesiam dispositam esse, ut pontificali auctoritate & regali potestate gubernetur*. Eleganter quoque Bernardus hoc argumento utitur, ut Conrado Regi Romanorum conjunctionem animorum cum Pontifice persuadeat: *Nec dulcius & amabilius, sed nec arctius omnino regnum sacerdotiumque conjungi seu complantari in invicem potuerunt, quam, ut in persona Domini ambo hæc pariter convenirent, utpote qui factus est nobis ex utraque tribu secundum carnem summus & Sacerdos & Rex. Non solum autem; sed & commiscuit ea nihilominus ac confœderavit in suo corpore, quod est populus christianus, ipse caput illius, ita ut hoc genus hominum, apostolica voce, genus electum, regale sacerdotium appelletur. Ergo, quæ Deus conjunxit, homo non separet. Jungant se animis, qui juncti sunt institutis; invicem se foveant, invicem se defendant, invicem onera sua portent*.

Concilium Paris. lib. 1. c. 3.

Concilium ad Theodonisvillam c. 2.

S. Bernard. ep. 244.

III. Istud duarum potestatum consortium Ecclesiæ Gallicanæ nomine apud nos continetur; ita, ut libertates Ecclesiæ Gallicanæ munera potestatis utriusque, tam ecclesiasticæ, quam civilis, certis quibusdam hinc inde finibus circumscripta complectantur. Quare longe a proposito aberrant, qui Ecclesiam Gallicanam clero coercent. Latior est illius significatio, quæ laicos ipsumque Regem comprehendit. Diserte in hanc sententiam Philippus IV. Francorum Rex Bonifacio VIII. ante dissidium suggessit: *Sancta Mater Ecclesia, sponsa Christi, non solum est ex clericis, sed etiam ex laicis*. Et post pauca addit: *Quia clerici in Ecclesia sunt auctoritate & munere potiores, non debent nec possunt, nisi forsitan per abusum, sibi appropriare, quasi alios excludendo, ecclesiasticam libertatem, loquendo de libertate, qua Christus nos sua gratia liberavit*. Sed de libertate ista dicemus libro tertio. Sed interim monendus est lector, ne in eam sententiam se abripi patiatur, quam ex hac observatione nostra se colligere docuit vir eruditus in commentario de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, nempe ad regiam potestatem pertinere jus statuendi de rebus ecclesiasticis; cum nos id unum asseruerimus, majores nostros Ecclesiæ Gallicanæ nomine utramque potestatem complexos fuisse: quoniam (ut docuit Concilium Parisiense laudatum hoc capite §. 11.) Ecclesiæ corpus in duas præcipuas personas, sacerdotalem scilicet & regiam, divisum est, quod ex fidelium omnium compage constituitur. Atque adeo, sicut Christus Ecclesiam tum a peccato, tum a Mosaicæ legis onere sua gratia liberavit, ita, si novis decretorum inutilium sarcinis non solum clerici, sed etiam laici, onerarentur, aut, si jus regiæ majestatis læderetur, de violata Ecclesiæ Gallicanæ libertate conqueri fas esset. Quare illud tantum adnotari voluimus, licet Ecclesiæ Gallicanæ libertas specialiter sumpta ad solos viros ecclesiasticos Ecclesiarumque jura pertineat, de quibus latæ sunt pleræque tum canonicæ tum civiles constitutiones, libertatis istius significationem non ita ad clericos referri, quin etiam ad Regem & alios, si forte, laicos trahi possit ex mente Regis Philippi IV. ut uberius explicui lib. III. cap. I. §. VII. quemadmodum libro secundo integro docui de rebus ecclesiasticis decernendi potestatem penes solam Ecclesiam esse, jura vero constituta tuendi penes Principes.

In Actis Inter Bonifacium & Philip. pag. 21.

Vide epistolam Illustrissimi Episcopi Monspel. ad Baluzium, editam ante Prolegomena.

P. Puteanus.

IV. Quibus autem finibus regi debeant supremæ illæ potestates, satis antiqui patres nobis præiverunt; ut difficile non sit tritissima via eorum vestigia sectari, nisi quis malit consulto & data opera in errores impingere. Regium imperium quietem publicam, Episcoporum sollicitudo felicitatem æternam hominibus procurat, testante Apostolo. Reges secularibus, Pontifices spiritualibus ordinandis se impendunt. Quamdiu neutra potestatum in alienos limites insiliet, mutua concordia res christiana amplificabitur. Equidem hodie satis perspecta esse reor isthæc, quæ protuli axiomata, non solum juris humani atque divini callentibus, sed etiam cuilibet e trivio. Verum ne temere arrepta esse videantur, veterum testimonia advocanda sunt, qui potestatis utriusque ex professo comparationem instituunt. Constantius Imperator adeo se ecclesiasticis disceptationibus immiscebat, ut Ammiano Marcellino ea de causa vapulet. Sed gravioribus verbis officii sui ab Osio Cordubensi Episcopo admonetur, quæ relata sunt ab Athanasio: *Tibi Deus*, inquit, *imperium commisit; nobis quæ sunt Ecclesiæ concredidit. Et quemadmodum, qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinæ, ita & tu cave, ne, quæ sunt Ecclesiæ ad te trahens, magno crimini obnoxius fias. Date, scriptum est, quæ sunt Cæsaris Cæsari, &, quæ Dei, Deo. Neque igitur fas est nobis in terris imperium tenere; neque tu thymiamatum & sacrorum potestatem habes, Imperator*. His verbis soli Principi potestas in hæc terrena & temporalia imperandi asseritur; ut Ecclesiæ, sacra & spiritualia procurandi.

1. Tim. 2. Ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate. Eph. 4. Ad consummationem sanctorum.

Apud Athan. in ep. ad solit. vitam agentes. σοὶ βασιλείαν ὁ θεὸς ἐνεχείρισεν, ἡμῖν τὰ τῆς ἐκκλησίας ἐπίστευσεν. Infra: Ἀπόδοτε, γέγραπται, τὰ Καίσαρος Καίσαρι, καὶ τὰ τοῦ θεοῦ τῷ θεῷ. οὔτε τοίνυν ἡμῖν ἄρχειν ἐπὶ τῆς γῆς ἔξεστιν. οὔτε σὺ τοῦ θυμιᾶν ἐξουσίαν ἔχεις, βασιλεῦ.

V. Elegantissime versatur in hoc argumento Gregorius Nazianzenus: cujus oratio, licet sale christiano condita, venustate dictionum & sententiarum ornatur: Magistratibus denuntiat duo velut imperia constituta fuisse a Christo in Ecclesia; unum, quod sublimioribus potestatibus creditum est, quibus ut heris servi, maritis uxores, & Ecclesia Christo, parere debent omnes & tributa pendere, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam, alterum vero Episcopis commissum, quod priori dignitate præstat, ut anima corpori, & cœlestia terrenis. Unde patet, parem esse utramque potestatem in imperandi jure, sed imparem in mandatorum dignitate; duo esse & distincta imperia, sed nobilitate imparia; quia huic vitæ tranquillitas, illi animarum salus

Gregor. Nazianz. orat. 17.

falus commiſſa; neutrius vero libertatem ab altera infringendam.

Iſidor. Peluſiota lib. 3. epiſt. 249. ἐξ ἱερωσύνης καὶ βασιλείας τὰ πράγματα συνίστηκεν, εἰ γὰρ καὶ πολλῷ ἀλλήλων διαφέρουσιν (ἡ μὲν γὰρ ὡς ψυχὴ ἐστιν, ἡ δὲ ὡς σῶμα) ἀλλ' εἰς ἓν ὁρῶσι τέλος τὴν τῶν ὑπηκόων σωτηρίαν.

Iſidorus Peluſiota ad hunc Nazianzeni locum videtur reſpexiſſe, cum ſacerdotii & regni diſcrimen animæ & corporis differentia metitur: *Ex ſacerdotio & regno*, inquit, *rerum adminiſtratio conſlata eſt. Quamvis enim permagna utriuſque differentia ſit, (illud enim velut anima eſt, hoc veluti corpus) ad unum tamen & eundem finem tendunt, hoc eſt, ad hominum ſalutem.* Olim quidem imperium cum ſacrorum adminiſtratione apud Hebræos & Ægyptios conjunctum fuiſſe ſcripſit Syneſius, ſed deinde a Deo diſtincta fuiſſe hæc munera, ita, ut rebus ſacris unum, alterum imperio tenendo addictum eſſet. *Illi in negotiis, nos in oratione collocati ſumus*, ut ille loquitur.

Syneſius ep. 57. τετάχαται δὲ οἱ μὲν ἐν τοῖς πράγμασιν, ἡμεῖς δὲ ἐν ταῖς εὐχαῖς εἶναι.

Chryſoſtomus imperia Principum cum adminiſtratione rerum ſacrarum ita confert, ut duo principatuum genera eſſe decernat: quorum unum commendat Apoſtolus, cum ſublimioribus poteſtatibus omnes animas ſubdi præcipit, alterum vero, cum præpoſitis obediendum eſſe ſuadet. *Iſte autem principatus*, inquit ille, *civili tanto melior eſt, quanto terra cœlum, imo & multo magis; & non multa illi cura eſt de ſeculari vita, omnia autem de cœleſtibus rebus pronuntiat.*

Chryſoſt. homil. 15. in ep. 2 ad Corinthios.

VI. Enimvero non ſuperfluo labore me onerem in citandis ad teſtimonium auctoribus, conſulendus eſt Gelaſius Pontifex, & ejus decreto conſtituendi ſunt fines utriuſque poteſtatis. Imperatorem præſidere humano generi dignitate, ſed in perceptione ſacramentorum ſacerdotibus ſubdi, legibus Principis, quantum attinet ad ordinem publicæ diſciplinæ, parere religionis antiſtites, ſed in erogandis myſteriis & in cœleſtibus ſacramentis Principem ordine religionis a ſacerdotum judicio pendere, epiſtola ad Anaſtaſium Imperatorem definivit Gelaſius. Hanc definitionem amplexi ſunt Rex, Epiſcopi & Proceres Eccleſiæ Gallicanæ in Concilio Pariſienſi & in libris capitularium, eamque Gratianus in Collectione ſua retulit. *Duo ſunt*, inquit, *Imperator Auguſte, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas ſacra Pontificum, & regalis poteſtas. In quibus tanto gravius eſt pondus ſacerdotum, quanto etiam pro ipſis Regibus hominum in divino reddituri ſunt examine rationem. Noſti enim, fili clementiſſime, quod, licet præſideas humano generi dignitate, rerum tamen præſulibus divinarum devotus colla ſubmittis, atque ab eis cauſas tuæ ſalutis expetis, inque ſumendis cœleſtibus ſacramentis eiſque ut competit diſponendis ſubdi te debere cognoſcis religionis ordine potius quam præeſſe. Noſti itaque inter hæc* (id eſt, inter hæc ſacramentalia & ſpiritualia, ne quis hoc loco adverſus mentem auctoris abutatur) *ex illorum te pendere judicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem.* Symmacho certandum fuit cum eodem Anaſtaſio Imperatore, quem communione excluſerat ob Acacii cauſam. Videamus, quo diſcrimine poteſtatem utramque diſtinguat in apologetico: *Conferamus autem honorem Imperatoris cum honore Pontificis: inter quos tantum diſtat, quantum ille rerum humanarum curam gerit, iſte divinarum. Tu, Imperator, a Pontifice baptiſmum accipis, ſacramenta ſumis, orationem poſcis, benedictionem ſperas, pœnitentiam rogas. Poſtremo tu humana adminiſtras; ille tibi divina diſpenſat. Itaque, ut non dicam ſuperior, certe æqualis honor eſt.*

Vide libellum Marcæ pro defenſione libri de Concordia Sac. & Imp.

Concil. Pariſ. lib. 1. c. 3. lib. 5. Capitular. c. 319. Cap. *Duo ſunt*. di. t. 96. Vide Notas ad Capitularia p. 1213.

VII. Succedat Gelaſio & Symmacho Gregorius II. qui, ut ſedis apoſtolicæ, ita & doctrinæ heres, eccleſiaſticæ & civilis poteſtatis limites apertiſſimis verbis defixit in epiſtola ad Leonem Iſaurum Imperatorem. *Scis, Imperator, ſanctæ Eccleſiæ dogmata non Imperatorum eſſe, ſed Pontificum, quæ tuto debent prædicari. Idcirco Eccleſiis præfecti ſunt Pontifices, a Reipublicæ negotiis abſtinentes, ut Imperatores ſimiliter ab Eccleſiaſticis abſtineant, & quæ ſibi commiſſa ſunt capeſſant.* Hoc uberius exequitur in epiſtola ſecunda ad eundem Leonem, ubi profitetur, ſe Palatii & Eccleſiæ, Principum & Pontificum diſcrimen deſcripturum. Tum Principi negotia palatina & ornamenta regia aſſignat, a quibus temperare debeat Pontifex, ut etiam vice verſa Imperator abſtinere a ſollicitudine Eccleſiarum, adeo, ut neque ordinationibus clericorum ſe immiſceat, nec ſacramenta conficiat, nec Euchariſtiam ſibi vel aliis miniſtret. Quod diſcrimen perſeverat in genere pœnarum, quæ ab utraque poteſtate infliguntur. Etenim læſæ majeſtatis reus pœnas capite luit, vel etiam deportatione aut relegatione. Divini vero Numinis injuriam abſtentione, jejuniis & precibus Epiſcopi ulciſcuntur, & purgatum pœnitentia reum Deo conciliant. Non potuit liquidius oſtendere poteſtatis utriuſque limites. Leo IV. complexus eſt ſententiam illam duobus verbis apud Gratianum: *Sicut Reges præſunt in cauſis ſeculi, ita Sacerdotes in cauſis Dei.*

Greg. II. ep. ad Leonem, ante ſeptimæ ſynodi acta: οἶδας, βασιλεῦ, ὅτι τὰ δόγματα τῆς ἁγίας ἐκκλησίας οὐχὶ βασιλέων εἰσὶν, ἀλλὰ τῶν ἀρχιερέων, καὶ ἀσφαλῶς θέλουσι δογματίζεσθαι. διὰ τοῦτο οἱ ἀρχιερεῖς προτετάχθησαν εἰς τὰς ἐκκλησίας, ἀπέχοντες τῶν δημοσίων πραγμάτων, καὶ οἱ βασιλεῖς ὁμοίως ἀπέχεσθαι τῶν ἐκκλησιαστικῶν, καὶ ἔχεσθαι τῶν ἐγκεχειρισμένων αὐτοῖς.

Idem Gregor. ep. LI.

Cap. *Nos ſi incompetenter*. 2. q. 7.

Nicolaus I. qui de Romanæ Eccleſiæ privilegio nihil demi paſſus eſt, veſtigia deceſſorum premens, olim ſacerdotium cum imperio conjunctum fuiſſe & apud Regem illum Salem Melchiſedechum & apud Cæſares docet, ſed veri Regis & Pontificis adventu factam fuiſſe dignitatem & munerum diviſionem, non vero ſubjectionem aut ſubordinationem; *Sed cum ad verum ventum eſt eundem Regem atque Pontificem, ultra ſibi nec Imperator jura pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen imperatorium uſurpavit. Quoniam idem mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus ſic actibus propriis & dignitatibus diſtinctis officia poteſtatis utriuſque diſcrevit, ut & Chriſtiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro curſu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus uterentur; quatenus ſpiritalis actio carnalibus diſtaret incurſibus.* Antequam diſcedam a Nicolao, prætermittendum non eſt in familia Haſamonæorum apud Judæos uſque ad Herodis Regis tempora perpetuam regni & pontificatus conjunctionem fuiſſe. Sed fruſtra ſunt plerique veterum, qui a reditu ex captivitate Babylonica ad ſeculum, quo natus eſt Chriſtus, toto illo intervallo genti Hebræorum Pontifices præfuiſſe exiſtimant. Ut enim de Jaddua ſummo Pontifice, cum quo Alexander Macedo fœdus pepigit apud Joſephum hoc affirmari poſſit, & de Jaſone, quem Antiochus Epiphanes Rex Syriæ Pontificem atque Ethnarcham Judæis præfecit; de ceteris Pontificibus in univerſum hoc dici non poteſt. Non moror Juſtinum & Diodorum, qui ab ipſo Moſe hunc morem Judæis fuiſſe putant, ut *eoſdem Reges & Sacerdotes haberent, quorum juſtitia religione permiſta, incredibile quantum coaluere*, ut Juſtini verbis utar. Quorum error inde excuſari poteſt, quod ad Hebræorum politiam reſpicerent, quæ ſub Haſamonæis viguit: apud quos *honor ſacerdotii firmamentum potentiæ aſſumebatur*, ut monuit Tacitus lib. V. hiſtoriarum.

Nicolai I. ep. ad Michaelem, quæ refertur apud Gratianum diſt. 96. Cap. *Cum ad verum*.

Joſeph. l. 11. Idem in lib. de rationis imperio cap. 4.

Juſtin. lib. 36. Diodorus apud Photium.

Joan. Seldenus de ſucceſſ. in Pontif. Ebræ. cap. 13.

VIII. Non deſcivit a ceterorum Pontificum doctrina Innocentius III. qui ſolis radiis, ſi liceat cum Tertulliano loqui, veritatem iſtam deſcripſit. Etenim comparatione ducta a Solis & Lunæ officiis, quæ duo illa ſidera per diem & noctem mortalibus impendunt, eccleſiaſticam poteſtatem Soli, regiam vero Lunæ contulit; ut ſignificaret, tanta dignitate res ſpirituales præſtare temporalibus, quanta Sol Lunæ, & dies nocti præcellit, imo etiam ad bene beateque vivendum Reges ab Epiſcopis, ut Lunam a Sole, velut a radiis quibuſdam illuſtrari. Quod tamen ſic intelligendum eſt, ut, quemadmodum duo illa ſidera invicem non commiſcentur, nec in ipſa corporum ſubſtantia, nec in ordine, quem ſortita ſunt ab omnium conditore Deo; ſed Sol diei, Luna vero nocti prælucet, ſic utriuſque poteſtatis impermixta diſcretio conſervetur. Nec eſt, quod aliquis ingenio indulgens exiſtimet, eo modo, quo Luna alieno lumine, id eſt, e Sole accepto, fulget, regiam poteſtatem auctoritatis ſuæ lucem ab eccleſiaſtica mutuari. Etenim, quæ tam ſerio probavimus teſtimoniis veterum adductis de ſocietate illa &

Cap. *Solitæ*. de majoritate & obedientia.

Vide P. de Vineis lib. 1. ep. 31. & Eraſmum lib. 19. ep. 29. & lib. 24. ep. 15. & Theod. a Niem. initio libri de jurib. & privil. imperii.

libertate utriusque potestatis, hac una ludificatione subverterentur. Quin etiam si hoc argumentandi genere uti liceret, dissidium Regibus præ concordia esset optatius: quia scilicet * Luna in coitu Solis caligat, & in maximo recessu fulget orbe pleno. Hanc comparationem Solis & Lunæ deprompsit Innocentius tertius, ut mihi videtur, e Berengosio Abbate; qui sexcentis ab hinc annis prudenter explicuit, quo pacto sit instituenda, ne ad perniciem secularis potestatis trahi possit. *Sciendum est*, inquit, *quod nec catholicæ fidei, nec christianæ contrarium est legi, si ad honorem regni & sacerdotii Rex Pontifici & Pontifex obediat Regi. Isti sunt enim, qui ex antiquo, divinitatis dispensatione bifaria, in firmamento Ecclesiæ quasi duo magna convenere luminaria; quatenus in his, quæ sunt seculi, & in his, quæ sunt Dei, luminare minus nocti, & luminare majus debeat præesse diei. Et non immerito duobus illis luminaribus poterunt comparari, quæ ceteris sideribus videntur principari. Quia sicut in firmamento cœli eisdem luminaribus nulla stellarum creatura claritate videtur eximior, sic in firmamento Ecclesiæ duabus his personis ordine & dignitate nulla potest esse sublimior.* Eleganter Berengosius vim comparationis in eo constituit, quod hæc duo sidera ceteris videantur *principari*. Hoc est enim, quod e placitis veterum Astrologorum docuerunt Ptolemæus & Sextus Empiricus, Solem & Lunam, ut principes ceterorum, imperium exercere. Quo tendit locutio Geneseos, quæ in principatum seu dominium diei & noctis hæc sidera creata ostendit, εἰς ἀρχὰς ἡμέρας κ) νυκτός.

Berengosius Abbas sermone de mysterio ligni domini, in Bibliotheca Patrum.

Ptolem. Tetrab. l. 2. ὁ μὲ ἥλιος κ) ἡ σελήνη διατακτικοὶ ὥσπερ ἡγεμόνες εἰσὶ τῶν ἄλλων. Sext. Empir. l. 5. adversus Mathem. τῶν δ᾽ πλὰ ἡγεῖσθαι μὲ τ᾽ ἥλιον κ) τ᾽ σελήνην οἴονται.

IX. Aliam vim instituit Metrophanes Smyrnæ Metropolita in octava synodo, cum Basilium Imperatorem coram Concilio alloquens, Patriarcharum auctoritatem commendavit, ex duobus illis sideribus comparatione ducta, absque injuria imperatoriæ potestatis; quæ etsi nullum in ea similitudine locum obtineat, ipso etiam Lunæ fulgore Patriarchis tributo, tamen aliunde detrimentum illud cumulatissime compensatur, cum novum jubar Princeps esse dicitur, cujus splendore cetera Patriarcharum sidera illustrentur. Hæc sunt verba Metrophanis: *Sol justitiæ, & immensæ solus potentiæ & dominus noster, qui fecit duo luminaria magna, majus, ut præesset diei, minus, ut præesset nocti, iisque in firmamento collocatis, posuit & alia quædam luminaria magna in firmamento Ecclesiæ, rectos nempe vertices Patriarcharum ad universum terrarum orbem illustrandum, ut præsint diei & nocti, & lucem dividant a tenebris, hoc est, dividant ac separent facientes opera lucis & tenebrarum. Hæc igitur magna luminaria, religiosissime Princeps, perinde ac in magna domo multas faces ita in tua urbe congregasti, teque ipsum clarius jubar, ac tuum imperium illustrius, & Christi Ecclesiam splendidiorem reddidisti. Quinimo tua præsentia veluti luminare aliquod ingens sanctæ huic & œcumenicæ synodo exortum, dicta hæc visaque lumina multo fulgentiora effecisti.* Quare non est, quod hæc comparatio a Luna & Sole ducta incautis lectoribus obtrudatur quasi mutuatitia, vel saltem obnoxia luce Principum potestas fulgeret. Societate & mutuo obsequio, ut dixi, invicem connectuntur duæ potestates, non exerto alterius in alteram imperio, & ad subsidium Ecclesiæ præstandum æquali fœdere obstringuntur.

Concil. VIII. Act. 6. ἔθετο κἂν τῷ στερεώματι τ᾽ ἐκκλησίας, οἱονεί τινας μεγάλους φωστῆρας τὰς θείας πατριαρχικὰς κεφαλὰς εἰς φαῦσιν πάσης τ᾽ γῆς, ὥστε ἄρχειν τ᾽ ἡμέρας κ) τ᾽ νυκτὸς, κ) διαχωρίζειν ἀνὰ μέσον τοῦ φωτὸς κ) ἀνὰ μέσον τοῦ σκότους, τουτέστιν ἀνὰ μέσον τῶν πραττόντων τὰ ἔργα τοῦ φωτὸς κ) τοῦ σκότους. Infra: οἷόν τις Μέγιστος ἀνατείλας φωστὴρ τοὺς εἰρημένους φωστῆρας τηλαυγεστέρους ἀπέδειξας.

X. Sed ne videamur in re, quæ Principibus communis est, cum Episcopis ecclesiasticorum scripto-rum

* Siste heic paululum, quæso, lector, interim dum illustrissimum Archiepiscopum vindicare conabor adversus acrem ac vehementem Francisci Pinssonii Advocati Parisiensis criminationem: qui pro sua adversus Marcam velitandi prurigine, ne quid acerbius dicam, virum gravem ac valde prudentem, cujusmodi fuisse Marcam omnes norunt, imprudentiæ inficetæque scurrilitatis arguendum existimavit, ob eam videlicet causam, quod post arrestum Parlamenti Parisiensis latum anno MDCXXVI. comparationem adhuc Solis ac Lunæ usurpaverit, addideritque, ex hac comparatione colligi non debere, sic regiam potestatem auctoritatis suæ lucem ab ecclesiastica mutuari, quemadmodum Luna alieno lumine, id est, e Sole accepto, fulget; quippe si hoc argumentandi genere uti liceret, dissidium Regibus præ concordia fore optatius, *quia scilicet Luna in coitu Solis caligat, & in maximo recessu fulget orbe pleno*. Insurgit Pinssonius adversus postremum istud membrum orationis illustrissimi Archiepiscopi, censoriæque severitatis nota inurit; quod videlicet de re severissima jocatus sit, *jocos etiam*, ut ipsa Pinssonii verba ponamus, *quanquam in disputatione seria, interserens*, dum dissidium Regibus præ concordia fore dixit optatius, si illo quod proposuimus argumentandi genere uti liceret. Sed frigidæ huic valdeque levi criminationi si respondere velim, vereor, ne in me concitem severiora sapientium virorum judicia. Itaque supersedeo, & ad alterum caput accusationis transeo, ostensurus quam vana ac futilis sit tota illa Pinssonii argumentatio. Ait ergo non licuisse post damnatas ab augustissimo senatu celebri decreto odiosas illas comparationes, non licuisse inquam iisdem uti. Adferam autem ipsa viri verba, quæ adversus illustrissimum Archiepiscopum scripsit. *Verum enim post damnatas ab augustissimo senatu celebri decreto odiosas illas comparationes, iisdem uti non licuit, nec etiam qualicunque modificatione adhibita, vel devia expositione functionis separatæ & distinctæ utriusque luminaris. Cum enim alterum, cui regiam potestatem assimilat, nocti prælucere, alterum, cui spiritualem potestatem comparat, diei præfulgere contendat, non potuit ex damnata collatione nisi aliquid infelicius in regni dedecus inferri, quod augustissimi senatus indictæ censuræ subjaceret.* Damnata fuerit, esto, comparatio illa Solis & Lunæ, non tamen damnata fuerit ob comparationem ipsam, sed propter argumenta & consequentias, quæ inde peti ac deduci possunt. Immo, si recte loqui volumus, comparatio illa damnata non fuit, sed Thesis in Aurelianensi academia publice proposita a Johanne Jourdino, qui verbis Innocentii III. perperam detortis abusus erat adversus sacram Regum ac Principum auctoritatem, reos eximere conatus jurisdictioni magistratus civilis, etiam in casu privilegiato. Si Pinssonius ista diligenter attendisset, eruditamque illustrissimi Archiepiscopi interpretationem auctoritati Principum favere intellexisset, abstinuisset, opinor, ab importuna illa criminatione, gratesque pro conviciis egisset. Gregorium Heimburgium Jurisconsultum Germanum nemo dicet iniquum fuisse huic Principum causæ; & puto nec ipsum Pinssonium refragaturum. Et tamen hic Gregorius, ut auctoritatem Romani Pontificis in rebus temporalibus submoveret a capite Principum, etiam ista comparatione usus est, sed ita modificata ac inflexa, ut plane constet, illum favere voluisse causæ Principum. Hæc sunt ejus verba ex Admonitione de usurpationibus Paparum Romanorum pag. CXI. *Ridicula est etiam probatio, quam adulatores Paparum ad id consueverunt adducere ex cap.* de major. & obed. *de Luna & Sole. Nam quamvis Luna recipiat lumen a Sole, non tamen motum & influentiam. Ita quamvis Reges & temporales Domini per Lunam designati recipiant & recipere debeant lumen doctrinæ a Papa & suo clero per Solem designatis, non tamen eis ex hoc dominari concessum est. Imo similitudo bene intellecta efficit contrarium. Nam illa duo luminaria, scilicet Sol & Luna, sic creata sunt, ut Sol præsit diei, Luna nocti. Sic Papa & clerus præsunt diei, id est, doctrinæ spirituali & orationi ad impetrandam divinam misericordiam, ut notatur ad Hebr.* 11. *Illa autem, quæ Dei sunt, lux & dies sunt, quibus præesse debet Papa sub metaphora Solis. Quæ autem mundi, tenebræ, & nox sunt, quibus præesse debet Imperator, sub metaphora Lunæ. Sicut igitur Sol, quamquam illuminat Lunam, nullum tamen dominium habet in eam, sic Papa & clerus, etsi luce doctrinæ debeant Imperatorem & seculares illuminare, nullum tamen datum est eis dominium a Christi institutione in eos, sicut nec magistro in discipulos.* Hactenus Gregorius. Sed ne quis heic sit calumniandi ac cavillandi locus, admonendus est lector, ea, quæ Gregorius scribit in gratiam Imperatoris, intelligi debere de quovis Principe seculari, præsertim vero de Rege Francorum, qui non recognoscit superiorem in temporalibus, estque Imperator in regno. Longe enim absumus a sententia Bonifacii VIII. qui, ira inflammatus adversus Philippum IV. Francorum Regem, comparationem istam Solis ac Lunæ usurpans in oratione, quam habuit anno MCCCIII. pro confirmando Rege Romanorum Alberto, primum contendit, terrenam potestatem accipere omnem suam auctoritatem ab ecclesiastica potestate, sicut Luna lumen suum accipit a Sole, deinde universos orbis Principes debere esse subjectos Imperatori Romanorum, qui est Imperator & Monarcha, ut ait Bonifacius, omnium Regum & Principum terrenorum; nominatim vero, ut publice iram ac indignationem suam testaretur, contendit, Gallos, dum ajunt, se non recognoscere superiorem, mentiri, *quæ de jure sunt*, inquit, *& esse debent sub Rege Romano & Imperatore*. Longe, inquam, absumus a sententia Bonifacii, hostis tum Gallici nominis, & qui ruinam Regis & regni meditabatur. Docuit enim nos illustrissimus Archiepiscopus in libro secundo capite secundo istius operis, Reges nostros esse Imperatores in regno eisque competere imperialem potestatem; adeo, ut nemini dubium esse possit, quin, sicut Imperator jure supremo utitur in Germania & ceteris imperii ditionibus, sic Rex Francorum jure supremo ac potiori auctoritate regat Galliam absque ulla prorsus interventione alterius cujuspiam auctoritatis. Orationem porro illam Bonifacii, de qua mox dicebamus, edemus in Additione ad caput tertium hujus libri.

Vide Innoc. III. lib. 1. epist. 401. Pinssonius in Præfat. ad Pragm. Sanct. S. Ludovici pag. 17.

rum testimoniis tantum inniti, necesse est, ut doceamus, etiam ipsos Principes pro hac sententia stare. Valentinianus senior, cum Ambrosium, quem Liguriæ præfecerat, suffragiis cleri & populi Ecclesiæ Mediolanensi Episcopum delectum fuisse intellexisset, *Gratia sit tibi, Domine omnipotens & servator noster*, inquit ille apud Theodoretum, *quod, cum ipse corpora huic viro commisissem, tu etiam animas eidem commendasti*. Sed liquidius mentem omnium Principum expressit Justinianus, cujus hæc sunt verba initio Novellæ VI. *Maxima quidem in hominibus sunt dona Dei a superna collata clementia, sacerdotium & imperium; & illud quidem divinis ministrans, hoc autem humanis præsidens, ac diligentiam exhibens. Ex uno eodemque principio utraque procedentia, humanam exornant vitam*. Cui succedet Ludovicus Pius Imperator & Rex Francorum: qui Gelasii locum, quem superius protuli, in Capitularia transcripsit, adeo ut in Gallia hæc distinctio duarum potestatum, actibus & officiis impermixtis, constantissime viguerit. Possem in hanc sententiam plurimos Ecclesiæ Gallicanæ auctores laudare, Hincmarum, Ivonem, Bernardum, Petrum Blesensem. Sed satius esse duxi, in re nota parcere diligentiæ; quam nimia sedulitate fastidium movere lectori. Attamen a testimonio Lupi Abbatis Ferrariensis temperare non possum, cujus hæc sunt verba, *Rex Regum, idemque sacerdos sacerdotum, qui solus potuit Ecclesiam regere, quam redemit, postquam humanitatem suam in cœlum evexit, semper cum suis futurus divinitate, potestatem suam ad eandem gubernandam Ecclesiam in Sacerdotes divisit & Reges; ut, quod sancti docerent Pontifices, & ipsi implerent & impleri facerent devotissimi Reges*.

Theod. l. 4. c. 6. τῷ δὲ τῷ ἀνδρὶ ἐγὼ μὲν ἐνεχείρισα σώματα, σὺ δὲ ψυχάς.

Justin. Nov. VI. μέγιστα τῶν ἐν ἀνθρώποις ἐστὶ δῶρα θεοῦ, παρὰ τῆς ἄνωθεν δεδομένα φιλανθρωπίας, ἱερωσύνη τε καὶ βασιλεία. ἡ μὲν τοῖς θείοις ὑπηρετουμένη, ἡ δὲ τῶν ἀνθρωπίνων ἐξάρχουσά τε καὶ ἐπιμελουμένη.

Cap. l. 5. c. 310.

Lupus Ferrar. ep. 81. *Vide Innoc. III. l. 7. ep. 179. apud Odor. Raynaldum ad ann. 1204. §. 65.*

CAPUT II.

De majestate immediate a Deo Regibus collata, & ab ecclesiastica potestate independente, ut & de regno Francorum.

SYNOPSIS.

I. Non solum auctoritas regia manat a Deo, sed etiam specialiter singulis Regibus a Deo confertur immediate.

II. Populus Augusto jus suum contulit; sed Deus imperium Augusto dedit, ex Augustino & Tertulliano. In eoque Reges & Episcopi conveniunt.

III. Singuli Galliæ Reges non a parentibus, sed a Deo, regnum obtinent, ex Concilio Parisiensi.

IV. Regnum Francorum semper fuit liberum ab alieno imperio. Clodovei dignitas & potestas æqualis imperatoriæ, ex Avito. Clodoveus Augusti nomen assumpsit.

V. Jus cudendæ aureæ monetæ Regibus Francorum, æque ac Imperatoribus Romanis, competebat. Vetita conjugia Principum CP. cum peregrinis, præter Francos. Regnum Francorum ceteris regnis illustrius, ex Gregorio Magno. Galliæ Reges solius Dei arbitrio obnoxii, ex Gregorio Turonensi, & Remigio.

VI. In regni administratione ab ecclesiastica potestate non pendent. Quæ temporalia non attingit. Hoc jure nitebantur Carolus Calvus & proceres regni adversus Hadrianum II.

VII. Rex Francorum Imperator in regno vulgo dictus. Unde manaverit hoc loquendi genus, inquiritur. Quidam hoc tribuunt divisioni regni a filiis Ludovici Pii institutæ.

VIII. Hæc opinio expenditur. Quas provincias compleeteretur regnum Francorum ante delatum Carolo imperium. Novi nominis dignitas Carolo accessit, & auctoritas in Romanos; sed nulla in Francos. Imperii & regni Franciæ distinctio.

IX. Divisio Francorum decreta a Carolo. Dein a Ludovico, & a tribus ejus filiis.

Marca de Conc. Sacerd. & Imp.

X. Tres regni Francorum Reges æquo jure. Pares dicti. Explicata epistola Ludovici II. ad Basilium. Imperatoris titulus non est divisus. Quare petenda non est imperatoria potestas ex hoc capite.

I. E Collatione duarum potestatum egregie conficitur, regiam æque a Deo institutam fuisse ac spiritualem, & solidam humanarum rerum administrationem illi demandatam. Neque est, quod aliquis ea opinione se implicet, quæ animos quamplurimorum invasit, nempe principatum politicum seu auctoritatem regiam a Deo per insitam naturæ legem manasse quidem, sed ita ut populo & universitati concederetur primum, & eorum deinde suffragiis in Reges conferretur, qui plenum imperii sui beneficium non Deo tantum, sed populis accepto ferre debeant. Quæ sententia libertatem Regum aliquo pacto imminuit, dignitatem violat, factionibus vires subministrat; imo & in ipsas scripturas sacras peccare videtur, quæ Deo imperium uniuscujusque Principis adscribunt. Sane dubitandum non est, quin Regum persona vel suffragiis populorum specialiter eligatur, vel generaliter translato regnandi jure hereditario in aliquam generosam stirpem, natalium sorte, in regium culmen assurgat. Sed præterquam, quod & motum animis eligentium Deus inspirat, quo in illa suffragiorum sortitione unum alteri præferant, certum & constantissimum esse debet apud pios & devotos Regum cultores, unicuique Regum potestatem regiam *immediate* a divino Numine conferri.

Rom. 13. Sap. 6. *Data est a Domino potestas vobis, & virtus ab altissimo.*

II. Non me latet vulgatum illud ex Ulpiano & Justiniano petitum, scilicet populum Romanum in seipsum omne jus & imperium Augusto lege regia dedisse. Quod ita accipiendum est, ut summam imperii, quæ penes populum erat, populus Augusto cederet: quia pacis intererat, fessa bellis civilibus republica, imperium uni deferri, ut unum corpus unius spiritu regeretur. Cessit ergo populus juri suo, quod in Augustum transcripsit. Sed si verum amamus, & Pauli Apostoli potius, quam jureconsultorum aut Philosophorum verbis sinceras opiniones explicare malimus, pactionem illam Deus ratam habuit, jus vitæ & necis & liberam reipublicæ administrationem Augusto commisit. *Qui Augusto imperium dedit*, inquit Augustinus, *ipse & Neroni: qui Vespasianis vel patri vel filio suavissimis Imperatoribus, ipse & Domitiano crudelissimo*. Eleganter itaque Tertullianus: *Inde est Imperator, unde & homo antequam Imperator; inde potestas illi, unde & spiritus*. Nolo ire per omnia veterum scripta, ut rem apud illos certissimam probationibus inde haustis evincam adversus eas opiniones, quæ in Aristotelis officina conflatæ, magno studio etiam a Christianis arreptæ sunt, ut maximum discrimen ex eo capite constitueretur inter potestatem ecclesiasticam & regiam; cum illa ab ipso Christo per munus ordinationis conferatur Episcopis, qui antea suffragiis cleri & populi sunt electi, hæc autem a populis per suffragia in Principem electum transcribi dicatur. Par enim utrique ex hoc capite reverentia debetur; etsi spiritualis in se dignitate præcellat, & ejus origo conceptis verbis in evangelio a Christo sancita sit: quia perinde in Reges singulos ac in Episcopos hæc auctoritas a Deo immediate derivatur.

L. 1. ff. de Constit. Princ. Vide Polybium §. 6.

Augúst. l. 5. de civit. Dei c. 21.

Tertullian. Apol. cap. 30. Vide Irenæum l. 5. advers. hær. cap. 20. Epiph. hær. 40. Isidor. Pelus. l. 2. ep. 206. Chrys. homil. 23. in ep. ad Rom.

Aristot. l. 1. Politic.

III. Ab hac sententia discedere Galli nostri grande nefas & piaculum esse putabunt, si venerationem debitam ex ejus professione apud populos Principibus conciliari perpendant, eamque apud majores nostros ex scripturis sacris haustam constantissime retentam fuisse. Unde patres Concilii Parisiensis Ludovicum Imperatorem officii sui graviter admonent, & juris sui cuique reddendi perpetuam voluntatem ab eo exigunt, quod imperium suum Deo ipsi non autem decessoribus deberet: *Nemo Regum a progenitoribus regnum sibi administrari, sed a Deo veraciter atque humiliter credere debet dari, qui dicit: Meum est consilium & æquitas, mea est prudentia, mea est fortitudo; per me Re-*

Victorin. in relect. de potest. civili n. 8. *Dico Reges etiam a jure divino & naturali habere potestatem, & non ab ipsa republica, aut prorsus ab hominibus.*

Duvallius de suprem. Rom. Pont. p. 1. q. 1.

Concil. Paris. an. 829. l. 2. c. 5.

 ges

ges regnant, & legum conditores justa decernunt: per me Principes imperant, & potentes justitiam decernunt. Quod autem non ab hominibus, sed a Deo regnum terrenum tribuatur, Daniel propheta testatur. Tum adductis Danielis & Jeremiæ testimoniis addunt: *Hi vero, qui a primogenitoribus sibi succedere regnum terrenum, & non potius a Deo dari putant, illis aptantur, quos Dominus per Prophetam improbat dicens: ipsi regnaverunt, & non ex me; Principes extiterunt, & non cognovi. Ignorare quippe Dei procul dubio reprobare est. Quapropter, quisquis ceteris mortalibus temporaliter imperat, non ab hominibus, sed a Deo sibi commissum regnum credat. Multi namque munere divino, multi etiam Dei permissu regnant.*

Joannes Feraut de Privileg. Regni Franciæ, Privileg. 1.

IV. Regni autem Galliarum amplissimi & florentissimi libertatem quisquis prolatis juris interpretum testimoniis hodie probare contendit, (quo in genere se cujusdam e nostris olim exercuit industria) non abest a ridendo conatu illius Sophistæ, qui lucere Solem magno laterum anhelitu demonstrare laborabat. Attamen quia delicatis quibusdam satisfaciendum est, quorum palato præsentia non sapiunt, nisi rerum antiquarum veluti gustu quodam recreentur, quique persuasum apud se habent, veteribus, Francorum Principibus summi imperii rationem non constitisse, proferamus Avitum Viennensem Episcopum Senatorem Romanum & in Burgundionum regno constitutum, atque adeo a causis adulandi Regibus Francorum alienum. Ille non dubitat Clodoveum, Christianissimi regni fundatorem, recens ad fidem christianam conversum cum Romanorum Imperatore Anastasio componere, ejus literas *principale oraculum* & Burgundionum Regem Clodovei *Militem* nuncupare. *Respondetis proavis*, inquit, *quod regnatis in seculo; instituitis posteros, quod regnatis in cœlo. Gaudeat ergo quidem Græcia habere se Principem legis nostræ; sed non jam, quæ tanti muneris dono sola mereatur illustrari, quod non desit & reliquo orbi claritas sua. Siquidem & occiduis partibus in Rege non novo novi jubaris lumen effulgurat.* Infra: *In apice rerum omnium gubernacula continente non minus eminet sanctitas quam potestas. Ex qua utique factum est, ut dirigi ad vos servi vestri viri illustris Laurentii filium principali oraculo juberetis. Quod apud Dominum meum, suæ quidem gentis Regem, sed Militem vestrum, obtinuisse me suggero.* Quare mirum non est, si & Anastasius veluti participem Imperii Clodoveum salutaverit, missis Consulatus codicillis, clamyde & diademate, ut solenne erat Principibus Romanis, cum Reges socios cohonestare vellent, & muneribus susceptis Clodoveus Augusti nomen sumpserit, non contumeliæ Anastasio inferendæ causa, a quo fœdere & amicitia ornatus erat, sed, ut beneficio & communione sacratissimi nominis uteretur.

Avitus ep. 41.

Greg. Turon. l. 2. c. 39. *Ab ea die tamquam Consul & Augustus est appellatus.*

V. Inde profectum, ut Reges Francorum aureum nummum, non Imperatoris Romani, sed sua imagine percussum conflaverint; cum nec Regi Persarum, etsi ceteris barbarorum Principibus præcelleret & esset χρυσοῦ κύριος, liceret præter argenteos cudere, ut diserte scripsit Procopius. Quare Constantinopolitanis Imperatoribus in usu positum fuisse, ut connubia non miscerent cum ceteris peregrinis præter Francos, idque veritum Constantini magni sanctissima lege in altari sanctæ Sophiæ descripta testatur Constantinus Porphyrogenneta. Sed maxime eorum dignitatem commendat Gregorius Magnus his verbis in epistola ad Childebertum Francorum Regem data: *Quanto ceteros homines regia dignitas antecedit, tanto ceterarum gentium regna regni vestri culmen excellit.* Ex superioribus patet, quo fastigio auctoritatis æque ac dignitatis potirentur Reges Francorum in ipsis regni incunabulis. Cujus rei præterea fidem fecerit Gregorius Turonensis, qui solius Dei arbitrio obnoxios esse docet, cum ipsemet Regem Chilpericum alloquens sic inquit: *Si quis de nobis, o Rex, justitiæ tramites transcendere voluerit, a te corripi potest. Si vero tu excesseris, quis te corripiet? Loquimur enim tibi. Sed si volueris, audis. Si autem nolueris, quis te damnabit, nisi is, qui se pronuntiavit esse justitiam?* Et eadem sententia Remigius Remensis Episcopus solius Dei auspiciis regnum a Clodoveo Rege procurari scripsit literis ad eum Regem datis: *Manet vobis regnum administrandum & Deo auspice procurandum. Populorum caput estis, & regimen sustinetis.*

Procopius l. 3. de bello Goth. κ᾽ γὰρ ῥωμαίων αὐτοκράτορες, ὥσπερ εἰώθασι, ἀλλὰ τὴν σφετέραν αὐτῶν εἰκόνα.

Constantin. Porphyrogen. de adm. imp.

Gregor. M. l. 4. ep. 6.

Greg. Turon. l. 5. c. 19.

VI. De unoquoque Rege Francorum jactari posset, quod Aurelianus ad Theodebertum scripsit, illi generis *stemma sidereum* esse, eoque majestatem illius niti, quod sit *unicus sceptrix, multiplex populis, gente varius, solidus regno, diffusus imperio.* Quare cum tanto dignitatis splendore & auctoritatis robore Francorum Reges in ipsa prima dynastia commendentur, superfluum videretur, in eam quæstionem inquirere, quam posterorum immodesta curiositas excitavit, an juribus imperii hodie Reges nostri in regno potiantur, præcipue cum regii nominis ratio aliter constare non possit, quam si summum imperium illi tribuatur; adeo, ut ad vitandam invidiam Principes Romani nomen Imperatoris potius quam Regis olim usurpare maluerint, donec submissa tandem adulatione Reges salutati sunt. Attamen cum a Carolo VII. invictissimo Rege jactatum videam, se in regno suo Imperatorem esse, idemque Juvenalis Ursinus ad commendandam Regum nostrorum auctoritatem temporibus Caroli VII. scriptum reliquerit, non alienum erit a proposito nostro hujus locutionis originem indagare. Eam autem a temporibus Philippi IV. Regis recte mihi repetere videor, cum disputatione gravi de clericorum privilegiis accensa, eo processit contentionis æstus, ut clerici famosa illa Martini & Bulgari disputatione imbuti de supremo Imperatoris in orbem imperio exciperent, privilegia ordini suo ab Imperatoribus concessa atque adeo a Principibus nulla ratione lædi posse, cum magnum discrimen intercederet inter Francorum Reges & Imperatores. Quare tunc discutienda fuit quæstio, an æqualis esset imperatoriæ Regis Francorum auctoritas. In eam incubuit auctor disputationis Clerici & Militis, cujus verba recitabo emendata juxta fidem codicis MS. qui extat in bibliotheca S. Victoris Parisiensis, ut pateat, quænam esset majorum nostrorum sententia. *Imperatores ista sanxerunt, non Reges. Et ideo per vos etiam, o Miles, Imperator debet legum gubernacula moderari.* Miles. *Sacrilege est responsum hoc & blaspheme. Et quoniam, ut videtur, aut originem ignoratis regni, aut, quod videtur verius, illius altitudini invidetis, si Caroli M. registrum inspiciatis, & historias probatissimas revolvatis, invenietis, quod regnum Francorum dignissima imperii portio est, pari divisione discreta, & æquali dignitate & auctoritate a quingentis annis circiter insignita. Quicquid igitur privilegii & dignitatis retinet imperium, imperii nomine, in parte una, hoc regnum Franciæ in alia. Cum enim fraterna divisione Francorum regnum a reliqua parte imperii decessit, quicquid in parte decedente & penitus ab imperio existente imperium ipsum quondam obtinuit, aut ibidem jura altitudinis aut potestatis exercuit, hoc Principi seu Francorum Regi in eadem plenitudine cessit: Et ideo sicut omnia, quæ infra terminos imperii sunt, subjecta esse noscuntur imperio, sic, quæ infra terminos regni, regno. Et sicut Imperator supra totum imperium suum habet leges condere, addere eis, vel demere, sic Rex Francorum, aut leges Imperatoris repellere, aut quamlibet, cum placuerit, permutare, aut illis a toto regno suo proscriptis & abolitis, novas, si placet, promulgare. Alioqui si aliquid novi, ut sæpe accidit, visum fuerit statuendum, si Rex non possit hoc, qui est summus, tunc nullus poterit, quia ultra eum nullus est superior.* Eodem fundamento nisus e Germanis Lupoldus

Vide Synesium de Regno.

Constitutio Caroli VII.

Disputatio Clerici & Militis.

Baben-

Babenbergensis imperialem potestatem Regibus Francorum vindicabat anno MCCCCXL. in capite septimo libri de jure regni & imperii. *Historia Francorum refert regnum & imperium Francorum fuisse divisum, & non regnum tantum. Ex quibus videtur, quod quilibet ex Regibus, scilicet Rex Germaniæ, & Galliæ Belgicæ, Italiæ, &c. & Rex Galliæ occidentalis, sive Franciæ in eadem Gallia & in aliis provinciis suo regno subjectis possit ratione translationis ac etiam divisionis regni & imperii hujusmodi potestatem imperialem licite in omnibus exercere, nec alter ipsorum alteri subesse aliquatenus teneatur.*

VII. Ceterum hæc sententia in eo periclitari videtur, quod Francorum regnum imperii portionem fuisse contendat, & eam auctoritatem, quæ Imperatoribus competebat, ad Reges nostros pervenisse, cum inter se filii Ludovici Pii hereditatem patris, id est, imperium & regnum dividerent. Quare liquido & ex fide veterum annalium difficultas ista explicanda est. Quod assequi non poterimus, nisi prius nobis constet, quas provincias regnum Francorum complecteretur, cum Romanorum imperium Carolo M. delatum est, quidve novæ auctoritatis tunc Regibus Francorum accesserit. Quo patefacto, inspicienda erunt divisionis verba & conventionum a fratribus initarum; e quibus de hac quæstione statuendum erit. Regnum Francorum a Carolo Magno valde amplificatum est, adjectis quamplurimis provinciis ad eas, quas hereditario jure a Pipino patre susceperat, scilicet eas omnes, quæ intra Rhenum, Ligerim, Oceanum, & mare Balearicum continebantur, & in Germaniæ parte, quæ a Danubio ad Salam & Rhenum porrigitur. Huic amplo & vasto corpori regni Francorum nomen indidit Eginhardus, eique victoriis Caroli accessisse tradit Aquitaniam, Vasconiam, totumque Pyrenæi montis jugum usque ad Iberum amnem apud Hispanos, deinde Italiam, Saxoniam, & feras omnes nationes usque ad Vistulam fluvium & oceanum. Quare, si Eginhardum sequamur, Italia etiam ipsa regno Francorum accessisse dicenda erit. Licet autem cum Hadriano Romano Pontifice & variis diplomatibus regiis Caroli regium titulum duplicem agnoscamus, scilicet Regis Francorum & Longobardorum, idem tamen Hadrianus in unum regnum Francorum illas nationes coaluisse docet, antequam Carolus imperatoriam dignitatem susciperet. Ea quippe ornatus fuit a Leone III. Pontifice & a populo Romano anno DCCCI. Unde effectum, ut, *omisso Patritii Romanorum nomine, Imperator & Augustus appellatus sit*, quemadmodum observavit Eginhardus in annalibus. Quæ verba, si recte mentem auctoris assequor, eo tendunt, ut doceant, Romanorum patritiatum extinctum, & Imperatoris Romanorum nomen Carolo additum. Quare summum jus in Romanos illi delatum est, quod suis auspiciis exercere posset, cum antea Patritii Romanorum jurisdictione tantum frueretur. Uno verbo, e magistratus tribunali evectus est Romæ ad solium Principis. Nova ergo auctoritas coercita fuit intra fines Romani ducatus; & ad summum, Carolo jus aliquod tribuit ad recipiendas Italiæ inferioris maritimas provincias, quarum possessio penes Græcos Principes remanserat: qui graviter excanduerunt ob susceptum a Carolo Imperatoris nomen, veriti, ne illo prætextu eis *imperium præripere vellet*, ut testatur Eginhardus, donec missis legatis societatem cum illo pepigerunt. Quod autem attinet ad regnum Francorum, cum in eo Carolus supremo jure potiretur, nihil novi juris adeptus est ex illo Imperatoris titulo præter solam opinionem novæ cujusdam dignitatis, qua ob assumptum Augusti nomen religiosior illi, ut ita dicam, reverentia conciliari videbatur. Ceterum discrimen, quod observavi inter imperium & regnum, ex iis diplomatibus egregie probatur, quæ annos regni Francorum & Italiæ ab annis imperii distinguunt. Extant tabulæ Caroli apud Eginhardum, quibus pecuniam suam distribuit anno Domini DCCCXI. anno vero regni *in Francia* XLIII. & *in Italia* XXXVI. *imperii autem* XI. Attamen ratione habita dignitatis, quæ ex nova illa appellatione manat, solo Imperatoris titulo compellabatur a Conciliis Arelatensi, Cabilonensi, Moguntino, Remensi & Turonensi. Ipse vero Imperatoris & Regis Francorum nomen conjunctim usurpabat.

Eginhardus in vita Caroli: *Regnum Francorum, quod post patrem Pipinum magnum quidem & forte susceperat, ita nobiliter ampliavit, ut duplum illi adjecerit.*

Hadrianus in ep. ad Const. Imp. act. 2. Nic. syn. *Filius & spiritualis compater noster Dominus Carolus Rex Francorum & Longobardorum & Patritius Romanorum, omnis Hesperiæ occiduæque partis barbaras nationes sub suis prosternens conculcavit pedibus, omnipotentatum illarum domans, & suo subjiciens regno adunavit.*

Eginhardus in vita Caroli: *Cum quibus propter susceptum a se Imperatoris nomen, & ob hoc ei quasi, qui imperium eis præripere vellet, valde suspectum, fœdus firmissimum statuit.*

Eginh. in vita Caroli M.

Imperator Cæsar Carolus Rex Francorum.

VIII. Sed ad quæstionem, quam discutiendam proposui, accurate perpendenda sunt divisionis imperii a Carolo inter filios decretæ verba: quæ, licet effectu caruerit ob ereptum e vivis Carolum & Pipinum, animum ejus satis indicavit. Totum imperii seu regni corpus (ita enim loquitur) in tres æquas partes divisit anno DCCCVI. ex sententia & consensu procerum ipsiusque Papæ Leonis; attribuitque Ludovico Aquitaniam cum adjunctis quibusdam provinciis, Italiam, *quæ & Longobardia dicitur*, & Bajoariam Pipino, Franciam autem Burgundiæ partem & Germaniam Carolo. Hæc tria regna optimo jure ab unoquoque filiorum suorum Regum administrari voluit post obitum suum. Tuitionem Ecclesiæ Romanæ illis concessit in solidum. De imperatoria vero dignitate nihil omnino testamento suo cavit, quamvis imperii nomine regnum Francorum cohonestarit. Sed anno DCCCXIII. extinctis Carolo & Pipino filiis, habito Aquisgrani generali conventu, Ludovicum Aquitaniæ Regem ad se evocatum imperatorii nominis consortem fecit, & Bernardo nepoti ex filio Pipino Italiæ regnum detulit, ea lege, ut Ludovici majestatem coleret, qua læsa postea, oculis orbatus est. Ludovici filii Lotharius, Pipinus, & Ludovicus, & e secundis noptiis editus Carolus, post attritum funestissimis bellis regnum, divisionem illam regnorum constituerunt, quæ ad nostram usque ætatem, licet in varias discerpta dynastias, constanter perduravit, Gallia, Italia & Germania ab invicem discretis. Ac primo quidem Ludovicus anno DCCCXVII. Lotharium majorem natu nominis atque *imperii sui socium sibi constituit*, permissa illi interim Italiæ administratione; Pipinum Aquitaniæ, Ludovicum Bajoariæ præfecit, regio nomine concesso. Sed edito e Judith Carolo prospiciendum fuit: cui concessa Alemannia & Rhetia, deinde vero Aquitania & Francia, infanda bella civilia pepererunt, superstite Ludovico, quæ post illius obitum recruduerunt, Lothario universum imperium Francorum, quod olim illi delatum fuerat, ad se trahere volente, ut testatur Nithardus. Tandem post multas clades divisio regni ita instituta est anno DCCCXLIII. ut cuique fratrum pars regni obtigerit. Nempe Ludovico Germania omnis Transrhenana cum paucis aliquot cis Rhenum urbibus & pagis propter vini copiam, Carolo ad occidentem quicquid Galliæ ab oceano hinc ad Mosam & Scaldim, inde ad Rhodanum & Ararim porrigitur. Lotharius Imperator reliquas Galliæ provincias, quæ inter Mosam & Rhenum, quæque inter Rhodanum, Ararim & Alpes sitæ sunt, cum Italiæ regno sortitus est. Ita ex uno triplex Francorum regnum factum est. Omnes enim Francorum Reges appellabantur.

IX. Hic duo observanda sunt. Unum est, Lotharium ab eo jure depulsum, quod in ceterorum fratrum regnis ex prima divisione sibi quæsitum putabat. Itaque unusquisque Regum partem suam optimo jure obtinuit; adeo, ut in conventu apud Marsnam habito æqualitatem significare voluerint, se *Pares* appellando, totumque corpus trium dynastiarum unius regni nuncupatione comprehenderint in adnuntiationibus suis. Huc alludebat Ludovicus II. Imperator, Lotharii filius, in epistola ad Basilium CP. anno DCCCLXXXI. *Porro de eo, quod dicis nos in tota Francia non imperare, accipe, frater, breve responsum. In tota nempe imperamus Francia; quia nos procul dubio retinemus, quod illi retinent, cum quibus una caro & sanguis sumus & unus per Dominum spiritus.* Audiebat quidem ille & nuncupabatur Rex Francorum, etsi solius Italici regni & adjectarum provinciarum possessionem retine-

Eginh. in Annal. ad annum 813. Vide etiam Annales Fuldenses.

Nithardus l. 1. *Ludovicus universum Imperium inter filios ita divisit, ut Pipinus quidem Aquitaniam, Ludovicus autem Bajoariam, Lotharius vero post discessum ejus universum imperium haberet; cui & una secum Imperatoris nomen habere concessit.*

Eginh. in Annal. Nithardus lib. 1. *Audiens Lotharius patrem suum obiisse, confestim nuntios ubique, præsertim per totam Franciam mittit, qui se venturum in imperium, quod olim fuerat illi datum, affirment.*

Hincmarus ep. 1. cap. 4. edit. Mogunt.

P. Sirmond. in Notis ad Capit. Carol. Cal. p. 2. 3 Vide Notas Baluzii ad ep. 100. Lupi Ferrar.

Conventus apud Marsnam in Capit. Car. Cal. cap. 2. *Ut nemo suo pari suum regnum discupiat* cap. 3 *Unusquisque fideliter suum parem fideliter adjuvet.*

retineret. Sed universam Franciam non obtinebat: Unde nata occasio Basilio abdicandi a Ludovico II. imperatorii nominis, quod in Francorum Reges translatum fuerat. Alterum, quod observandum monui, hoc est, in divisione regni Francici a fratribus instituta imperatoriam dignitatem Lothario soli cessisse, nulla nominis illius communione fratribus Regibus facta. Qui titulus propagatus est in Ludovicum II. Lotharii filium, superstitibus patruis suis Carolo Calvo Galliarum Rege, & Ludovico Rege Germaniæ; qui hoc fine molestia tulerunt, ut profitetur Ludovicus in epistola superius laudata ad Basilium. Graviter enim & iniquo animo ferebat Basilius, Imperatoris Romanorum nomen a Ludovico retentum, atque ab ejus usu per Legatos eum dimovere satagebat. Sed repressus est iis literis a Ludovico datis, quæ significationem eandem verbis *Regis* & *Βασιλέως* inesse ostendunt; id autem solum præ ceteris eximium habere Imperatorem, quod a Pontifice Romano unctus, nomen illud adipiscatur. Quare, si verum amamus, Reges illi, qui Ludovici Pii hereditatem partiti sunt, ita existimarunt, regnum Francicum, Germanicum & Italicum cum supremo regnandi jure se a parentibus traxisse, solam autem imperatorii nominis dignitatem & in Romanam provinciam auctoritatem ab unctione Romani Pontificis tunc pependisse. Quod apertissime confirmatur ex electione Caroli Calvi, quem statim ab obitu Ludovici II. Joannes VIII. Imperatoris titulo insignivit. Sed necessaria fuit Episcoporum & optimatum Italici regni electio, ut illis provinciis præesset, & Gallicanorum procerum consensus, ut in suo Franciæ regno Imperatoris nomen assumeret, quemadmodum docent acta Concilii Pontigonensis. Imperii Romani status deinde immutatus est, translata in Othones Germanos a Pontificibus successoris deligendi potestate. Ex quo factum est, ut imperium Italici & Germanici regni provincias complexum fuerit. Itaque, ut initio monui, etsi Galliarum Reges eodem jure in regno utantur, quod per leges Imperatoribus competit, ratio tamen petenda non est, ut visum auctori anonymo & Lupoldo Babenbergensi supra laudatis, ex divisione regni Francorum a filiis Ludovici Pii instituta, sed ex ea auctoritate, quam gloriosissimus Rex Clodoveus in se coronamque Francicam felici armorum eventu transcripsit.

Concilium Pontigon. an. 876.

Unde patet, plenam & integram imperii auctoritatem, qualis in Theodosio ceterisque ejus ævi Romanis Principibus eminebat, in Reges Francorum, qui Gallias Codicis Theodosiani legibus ordinatas occuparunt, semel translatam, ad posteros cum eadem amplitudine propagatam fuisse. A quo jure longe recesserunt Imperatores Germanici: qui certis quibusdam conditionibus astricti, specie imperii retenta, vim ejus atque majestatem in rebus gerendis fere amiserunt. Itaque vulgatum illud, quod jactatur a nostris, *Reges in regno Imperatores esse*, de priscis Imperatoribus intelligendum est, non autem de Germanicis. Fatendum quidem est, Principes istos etiamnum quadam prærogativa frui, ob eam præcipue causam, quæ ruentem olim Imperatorum orientalium dignitatem in occidente sustentavit. Augustiorem enim ceteris Europæ regnis Imperialem dignitatem haberi ob Petri Apostolorum principis sedem, quæ in provincia imperii sita erat, testatur Concilium Romanum habitum sub Agathone in epistola synodica ad Constantinum Pogonatum. Par nominis Romani cultus (quod in titulis imperatoriis hodie fulget, B. Petri memoria, & summi Pontificis unctione consecratum) apud ceteros Christianos Principes non invitos primum locum Imperatoribus Romano-Germanicis conciliavit. Ceterum ea semper fuit hominum nostrorum persuasio, Reges Francorum etiam illis ipsis Imperatoribus præcellere, si Romani nominis dignitatem ob eam, quam dixi causam, excipias. Quod aperte professi sunt Legati a B. Ludovico Rege ad Fridericum II. missi, ut testarentur, a Rege ex consilio procerum repudiatum fuisse imperium, quod Gregorius Papa post Friderici abdicationem Roberto Comiti Regis fratri invadendum obtulerat. Sententiam ejus orationis, quam ad Fridericum habuerunt, Matthæus Paris retulit his verbis: *Nec nos pulsat ambitio. Credimus enim, Dominum nostrum Regem Galliæ, quem linea regii sanguinis provexit ad sceptra Francorum regendum, excellentiorem esse aliquo Imperatore, quem sola electio provehit voluntaria. Sufficit Domino Comiti Roberto, fratrem esse tanti Regis.* Quare, ut Reges nostri majestate & dignitate illis non cedunt, ita sine dubio potiores sunt auctoritate.

Epist. Synod. Concil. Romani relata act. IV. sextæ syn. anno 680. *Nos autem licet humillimi, summis viribus enitimur, ut Christiani vestri imperii respublica, in qua beati Petri Apostolorum principis sedes fundata est, cujus auctoritatem omnes Christianæ nobiscum nationes venerantur & colunt, per ipsius B. Petri Apostoli reverentiam, omnium gentium sublimior esse monstretur.*

De hac unctione videnda ep. Ludovici Imp. ad Basilium.

X. Hæc auctoritas ita accipienda est, ut Reges in rebus humanis administrandis nec ipsius ecclesiasticæ potestatis consortium admittant, quæ ita rebus spiritualibus est addicta, ut sine injuria Regum res temporales attingere non possit. Quippe magister edixit regnum suum de hoc mundo non esse, se judicem aut divisorem terrenæ hereditatis non fuisse constitutum; docuitque Paulus, Dei militem se non implicare negotiis secularibus, sed mysteriorum dispensationi, ut Christi ministrum. Quare eleganter Bernardus: *Non monstrabunt, puto, ubi aliquando quisquam Apostolorum judex sederit hominum, aut divisor terminorum, aut distributor terrarum. Stetisse denique Apostolos judicandos, sedisse judicantes non lego.* Infra: *Ergo in criminibus, non in possessionibus, potestas vestra: quoniam propter illa, & non propter has accepistis claves regni cœlorum.* Mox: *Habent hæc infirma & terrena judices suos, Reges & Principes terræ. Quid fines alios invaditis? Quid falcem in alienam messem extenditis?* Huc referri possunt ea, quæ ad discrimen utriusque potestatis explicandum superiore capite congessi. Quæ quidem cum vera sint in genere, ita & speciali modo in Galliis observanda sunt, Regibus nostris ecclesiasticæ potestatis præcepta in regni administratione non admittentibus. Cujus auctoritatis retinentissimum se præbuit Carolus Calvus, qui Reges Francorum *ex regio genere natos, non Episcoporum Vicedominos, sed terrarum dominos, non villicos & actores Episcoporum*, sed veros Reges esse, Hadriano II. graviter cum illo expostulans denuntiat. Et proceres regni ab antecessoribus Hadriani Ecclesiasticum ordinem, quod suum est, non rempublicam quod Regum est, dispositam fuisse, pontificiis mandatis refragantes dicebant apud Hincmarum. Hæc Gallorum sententia manavit in posteros, ut docet auctor disputationis Clerici & Militis his verbis: Clericus: *Jus voco decreta & statuta Romanorum Pontificum.* Miles. *Quæ illi statuunt, vobis jura esse possunt, nobis vera non sunt. Nullus enim potest de iis statuere, super quæ constat ipsum dominium non habere. Sicut nec Rex Francorum potest statuere super imperium, nec Imperator super regnum Franciæ. Et quemadmodum terreni Principes non possunt aliquid statuere de vestris spiritualibus, super quæ non acceperunt potestatem, sic nec vos de temporalibus, super quæ non habetis auctoritatem.* Qua de re uberius dicemus libro quarto.

Joan. 18. Luc. 12.

2. Tim. 2. 1. Cor. 6.

Bernard. l. 1. de consid. c. 6.

Carol. in epist. ad Had. apud Hincm. de qua libro 4. cap. 12. § 5.

Disputatio Clerici & Militis.

CAPUT III.

De suprema potestate Regum Francorum in temporalibus, ab Innocentio III. agnita.

SYNOPSIS.

I. Rex Francorum superiorem non agnoscit in temporalibus, nec ipsam sedem apostolicam, ex Innocentio III. Species Decretalis Per venerabilem. *Spontanea Regis subjectio jus tribuit Innocentio, ut liberos Philippi Regis natalibus restitueret.*

II. Quid sit liberior jurisdictio *in dicta decretali.*

Ex-

Explicatum jus feculare, quod Regi & fummo Pontifici in Magalonenfem Ecclefiam competebat. Quæ regum liberalitate ditata, & fpecialiter urbe Montifpeffuli. Hominium ratione illius urbis præftitum Regi ab Epifcopo. Et ipfi Epifcopo a Dominis Montifpeffuli.

III. De Comitibus Melgorii, qui beneficiario jure a fede apoftolica comitatum poffidere profeffi funt. Utile dominium comitatus pervenit ad Ecclefiam Romanam, damnato Raimundo Comite Tolofano. Quæ jus fuum in Ecclefiam Magalonenfem tranfcripfit, fervata penfione annua. B. Ludovicus fupremum imperium illius comitatus ad fe revocavit.

IV. Tectum loquendi genus Innocentii examinatur, cum agitur de feudo Montifpeffuli. Supremum jus in id fibi competere putabat. Regem tamen in poffeffione hominii effe fciebat.

V. In rebus ambiguis temporali jurifdictione uti Pontificem, ex Innocentio. Ejus fententia expenfa, & locus Deuteronomii explicatus. Detortus Innocentius in alium fenfum ab interpretibus. Eorum interpretatio recepta non fuit in Gallia.

VI. Quæftio feudi non competit Ecclefiæ, ex Innocentio. Qui tamen cognitionem peccati ad fe pertinere ait. Hæc fententia fora confundit, & in Gallia recepta non fuit.

VII. Ex opinione Theologorum, qui criminum fecularium coercitionem per cenfuras ab Ecclefia removebant, fola criminum ecclefiafticorum cognitione Epifcopis relicta. Hæc fententia inducta in forum; porrecta deinde ad crimen mixtum adulterii; cujus animadverfio in laicos vetita olim Epifcopis a Curia Parifienfi. Ex veteri Ecclefiæ difciplina, quatenus Epifcopis criminum cognitio competeret. Quod pene notum anonymo auctori anno 1303.

VIII. Bonifacii conftitutio de Pontificis in temporalia poteftate a Clemente refciffa, quod attinet ad Gallos.

I. GAllici imperii libertatem Romani Pontifices ingenue & aperte profeffi funt decretalibus epiftolis, quas in corpus juris canonici compingi voluerunt. Etenim Innocentius III. de regno Francorum loquens, fuperiorem in temporalibus minime recognofcere docuit; relatione habita non folum ad quæmcunque alium Principem fecularem, fed etiam ad ipfam fedem apoftolicam. Enim vero quia frequentiffime in hujufmodi difceptationibus laudari folet conftitutio illa, operæ pretium mihi vifum fuit, ejus fpeciem & explicationem aggredi. Willelmus Dominus Montifpeffulani, expulfa Mathilde uxore Manuelis Imperatoris Conftantinopolitani nepte, ex Agnete pellice liberos fufceperat, quos natalibus reftitui contendebat ab Innocentio: a quo hujus beneficii arbitrium pendere ex eo probabat, quod fedi apoftolicæ liberum effet, filiis naturalibus, etiam adulterinis, veniam natalium ad res fpirituales & epifcopatus adipifcendos indulgere, quæ indulgentia potiori jure ad res temporales trahi debebat. Hanc rationem juvabat exemplum Philippi Francorum Regis, cujus liberos natalibus reftituerat Innocentius, etfi apoftolicæ fedi Rex ille quoad fpiritualia tantum fubeffet, Guillelmus vero non tantum quoad fpiritualia, fed etiam quoad temporalia, Romanæ Ecclefiæ fubjiceretur. Hoc membrum, quod fuis difficultatibus implicitum eft, fic probat. Suorum bonorum partem hominii nexu ab Ecclefia Magalonenfi pendere ait; eam vero Ecclefiam jure feudi a fede apoftolica bona a Guillelmo poffeffa obtinere; unde fequatur, Willelmum Ecclefiæ Romanæ fecundo feudi gradu fubjici, *vaffum* effe Ecclefiæ Magalonenfis, & Romanæ *vaffalum*, fi libeat Capitularium verba ufurpare. Refpondet Innocentius, multum diftare caufam Philippi Regis a Willelmi negotio, & in perfonis majus effe difcrimen. Philippum Auguftum dimififfe quidem Ingeburgem Danorum Regis filiam, fed nuptias cum ea initas prætextu affinitatis ab Archiepifcopo Remenfi fedis apoftolicæ Legato diffolutas fuiffe, ftatimque Regem publice duxiffe Mariam Ducis Meraniæ feu mavis Moraviæ filiam, e qua liberos fufcepit. Refciffam quidem fuiffe a fede apoftolica Remenfis Archiepifcopi fententiam, quia prolata fuerat ordine judiciorum non fervato, adactumque Regem, ut Ingeburgem ad fe revocaret; fed tamen poft reftitutionem uxoris permiffum illi fuiffe, ut coram judicibus datis priorum nuptiarum inutilitatem ex affinitate Ingeburgis petitam profequeretur. Itaque dubium effe liberorum e Maria prognatorum ftatum & conditionem, quæ ex eventu litis pendeat. Quæ omnia a caufa Willelmi abfunt, qui nullum nuptiarum cum priore uxore impedimentum prætendat, quique fuo arbitratu eam domo expulerit, aliamque fuperduxerit. Hæc pertinent ad caufarum differentiam. Quod perfonas refpicit, ita fe habet. Regis Francorum majeftatem expendit Innocentius: qui, cum a nemine in temporalibus pendeat, potuit fe jurifdictioni Romani Pontificis fine ullius offenfione fubjicere; quemadmodum ad impetrandam reftitutionem natalium pro liberis fe utique fubjecit. Quamvis, ut fatetur Innocentius, ex plurimorum fententia potuiffet Philippus veniam natalium liberis fuis, non quidem jure patriæ poteftatis, fed jure regio tribuere. Willelmum vero ab aliis pendere; quibus injuria fieret, fi abfque eorum confenfu Innocentio fe fubjiceret, nec Willelmo competere jus natalium vitium remittendi. Quare non admittendam effe illius petitionem concludit, donec & *culpa levior & jurifdictio liberior oftendatur*. Unde patet, nihil fibi in temporalibus regni vindicaturum Innocentium, fi prorogatio jurifdictionis feu potius fpontanea Philippi Regis fubjectio abeffet. *Infuper*, inquit, *cum Rex ipfe fuperiorem in temporalibus minime recognofcat, fine juris alterius læfione in eo fe jurifdictioni noftræ fubjicere potuit & fubjecit.*

Cap. Per Venerabilem. *Qui filii funt legit. ex lib. 5. Regeft. Innoc. III. epift. 128. pag. 674. 684.*

En Fief de l'Eglife de Magalone, & en Rierefief de la Romaine.

Gefta Innoc. III. cap. 47. & feqq. Rigord. in Philippo Auguft. pag. 37 44 edit. Duchefn.

II. Quinimo a venia natalium Guillelmo concedenda Innocentius ceffat, donec liberiori jurifdictione fruatur, id eft, donec Regis affenfus hoc patiatur. Eum enim effe verborum illorum fenfum, mox patebit, cum jus feculare, quod Ecclefiæ Romanæ in Magalonenfem competebat, explicuero. Narbonenfi provincia in novem epifcopatus totidemque comitatus a Gothis poft deletum a Clodoveo regnum Tolofanum diftributa, eadem difpofitio fub Francorum Regibus viguit, qui Septimaniam a Sarracenis vi armorum receperant. Pietas vero Regum cladem & vaftationem Ecclefiis a perfida gente illatam refarcire cupientium plurimis patrimonii publici juribus, quos *fifcos* ea tempeftate vocabant, epifcopales reditus auxit, hinc comitatus Narbonenfis partem Ecclefiæ ejufdem civitatis, hinc Mimatenfi folidum fere comitatum Gabalitanum, aliifque prout res ferebat tribuendo. Hujus beneficii particeps fuit epifcopatus Magalonenfis, quem villis quamplurimis Reges noftri liberaliter ditaverunt, ea lege, quæ his conceffionibus innata erat, ut Epifcopus hominio, facramento & obfequio per Reges ea patrimonia obtineret. Reliquus comitatus Magalonenfis, inclinante fecunda Regum noftrorum dynaftia, eodem fato, quo ceteri Galliarum comitatus, hereditario jure Comitibus ceffit: qui, ne aliqua injuria Ecclefiæ Magalonenfi fieret, Comitum Melgorienfium nomen, non autem Magalonenfium, fumpferunt. Inter cetera vero patrimonia, quæ donatione Regum in Epifcopos Magalonenfes translata funt, vicus Montifpeffuli recenfetur in privilegio Ludovici VII. quo villarum a Regibus conceffarum poffeffionem Ecclefiæ illi confirmat; quod tranfcriptum eft in altero privilegio a Philippo Augufto indulto anno MCCVIII. Hæc funt autem refcripti verba: *Montifpeffulum cum omnibus adjacentiis fuis, feudum Domini Montifpeffuli, Montempeffulum utique cum parochia fua, & caftrum de Palude cum toto territorio fuo.* Quare in tabulis hominii, quod Petrus Epifcopus Maga-

Vide hift. Bearnui l. 8. c. 1. & 2. ubi hanc divifionem explicui.

Vide lib. 8. cap. 12. §. 13.

In veteri Regefto Curiæ Franciæ MS. quod extat Parifiis in Camera Computorum.

Magalonenſis juxta morem deceſſorum ſuorum præſtitit anno MCCLV. Petro de Antolio Militi Seneſchallo Bellicadri & Nemauſi & Guidoni Fulcodii a Ludovico IX. Rege Francorum delegatis, diſertis verbis expreſſum eſt Montiſpeſſuli feudum cum diſtinctione, quæ rem totam explicat: *Partem villæ, quæ dicitur Monſpeſſulanetus cum pertinentiis intra & extra muros, quam tenemus in dominio & ad manum noſtram a Domino Rege, & reſiduum dictæ villæ, & caſtrum de Palude, quod vulgo dicitur Latas, quod tenet a nobis in feudum vir illuſtris Rex Arragonum dominus Montiſpeſſuli & anteceſſores ejus a noſtris anteceſſoribus.* Tunc ſcilicet Jacobus Rex Arragonum hereditate Mariæ matris ad ſe tranſmiſſam proprietatem illius urbis obtinebat; cujus cauſa fidem & hominium præſtiterat Joanni de Montelauro Epiſcopo Magalonenſi anno MCCXXXVI.

Guido Fulcodii, poſtea Clemens IV.

In eodem Regeſto Curiæ.

III. Quod attinet ad Comites Melgorienſes, obſervandum eſt, comitatum duplici nomine inſignitum, tum comitatus Suſtantionenſis, tum Melgorienſis; hoc eſt a caſtro Melgorii, quæ illius pagi arx erat validiſſima & Comitum ſedes; illud a vico Suſtantione, qui in edito loco ſitus, Antonini itinerario & Hieroſolymitano tabulæque Peutingerianæ notus, ab urbe Montiſpeſſuli mille paſſibus aberat. Eo tranſlata fuerat Epiſcopi cathedra, Magalona urbe a Carolo Martello deleta, ne iterum inſulam illam Sarraceni ex Hiſpania eo navigiis delati invaderent oramque maritimam Septimaniæ deprædarentur. Inde epiſcopatus promiſcue Suſtantionenſis & Magalonenſis dictus, quod nomen comitatui facile communicatum eſt. Anno MLXXXV. hunc comitatum Suſtantionenſem ſive Melgorenſem Petrus Comes Melgorii Gregorio VII. & ſedi apoſtolicæ tradidit in *allodium*; id eſt, in eam ſedem dominium & proprietatem tranſcripſit ejus comitatus, quem ſtatim beneficiario jure ab eadem ſede apoſtolica ſe poſſidere profeſſus eſt ſub conditione fidelitatis & unciæ auri titulo annui cenſus perſolvendæ. Tandem, cum ad Beatricem Bernardi Peleti uxorem comitatus Melgorienſis perveniſſet, Beatrix Ermiſendæ filiæ Raimundi Comitis Toloſani uxori eum comitatum dotis nomine dedit anno MCLXXII. Ac ſane Raimundus, cui ſolemne erat bona Eccleſiarum invadere, hominium Guillelmi domini Montiſpeſſuli, quaſi Comiti Melgorienſi debitum, ſuſcepit anno MCLXXXIV. & MCLXXXIX. Quod in detrimentum Eccleſiæ Magalonenſis tentatum fuiſſe non dubitabit, qui, quæ ſuperius adnotata ſunt, expendet. Abdicata a Raimundo Albigenſium fautore poſſeſſione comitatus Melgorienſis una cum ceteris bonis, judicio Concilii Lateranenſis, ejus utile dominium cum directo conſolidatum eſt, ita, ut proprietas & uſusfructus ad ſedem apoſtolicam pervenerit, tum ratione damnationis in Raimundum latæ, tum ob ceſſationem diuturnam in canone ſolvendo. Sed Innocentius Eccleſiæ Magalonenſi beneficii & feudi jure comitatum conceſſit ſub cenſu annuo viginti marcarum argenti anno MCCXV. ut patet ex tabulis inveſtituræ. Controverſia mota tempore B. Ludovici de comitatus illius proprietate, Clemens IV. literis ad Regem datis, docet ad Eccleſiam Romanam perveniſſe ea ratione, quam recenſui. Sed jam tum cauſa ſua cecidiſſe videtur S. Ludovici decreto, quia ſuprema jura a Petro Melgorii Comite tranſcribi non poterant in Romanum Pontificem ſine conſenſu Regis.

Hiſt. Benearni l. 8. c. 3.

Prolata eſt donationis charta in Notis Ill. V. Fr. Boſqueti Epiſcopi Monſpel. ad l. 15. Reg. Innoc. ep. 102.

Catellus lib. 2. hiſt. Comit. Toloſ. c. 6.

Extant reſcripta Innocentii & Clementis in Notis ad l. 15. Reg. Innoc. ep. 168. & 171.

IV. Certum quidem eſt, feudum Montiſpeſſuli beneficiario jure ad Eccleſiam Magalonenſem pertinuiſſe, antequam comitatu Melgorienſi ab Innocentio III. aucta fuiſſet. Quare caute loquitur Innocentius in dicta decretali, cum *partem terræ ab Eccleſia Magalonenſi* Willelmum *poſſidere* dicit, non tamen diſerte feudum Montiſpeſſuli, a quo Willelmus agnomentum trahebat. Fieri enim poterat, ut reliqui patrimonii pars in comitatu Melgorienſi ſita eſſet, unde hominium deberetur Eccleſiæ Magalonenſi. Deinde in altero loco Willelmum alloquens his verbis utitur: *Tu autem aliis noſceris ſubjacere. Unde ſine ipſorum forſan injuria, niſi præſtarent aſſenſum, nobis in hoc te ſubdere non poſſes.* Pluralis illa locutio plures dominos ſignificat, & alium præter Eccleſiam Magalonenſem: cujus, utpote ſibi & temporaliter & ſpiritualiter ſubditæ, tantam rationem non habuiſſet, quin ſuperiori jure conceſſiſſet natalium reſtitutionem, niſi Regi Francorum, qui hoc loquendi genere inſinuatur, injuriam fieri perſpexiſſet. Mirabitur aliquis, cur tectum & ſuſpicioſum dicendi genus uſurpat Innocentius; præcipue cum repulſæ levius ferendæ occaſionem Willelmo præbuiſſet, ſi aperte excepiſſet de neceſſitate conſenſus Regis Francorum. Sed deſinet mirari, ſi has ambages conſulto ab eo quæſitas perpendat, ne videretur jus illud remiſiſſe, quod Raimundus Comes Toloſanus comitatui Melgorienſi adjecerat, hominiis a Domino Montiſpeſſuli exactis, ut ſuperius dixi: quæ tunc, cum præſtabantur, jura Eccleſiæ Magalonenſis intervertebant; ſed poſt comitatus Melgorienſis inveſtituram de jure Magalonenſis Epiſcopi nihil deterebant, inter Regem & Pontificem recidente quæſtione de ſuperiori jure feudi Montiſpeſſulani. Ex eo autem ſuſpicari licet, conſulto ambiguis verbis uſum & a jure Regis aperiendo abſtinuiſſe, quod aliunde conſtet, ratione comitatus Melgorienſis Innocentium ad ſe trahere conatum cognitionem controverſiæ, quæ de civitate Montiſpeſſuli mota eſt a Guillelmo nato ex Agnete pellice adverſus Mariam filiam Mathildis. Quare, ut antea monebam, natalium veniam indulgere aggreſſus non eſt Innocentius, *donec liberior juriſdictio oſtenderetur*, id eſt, donec de Regis Francorum aſſenſu conſtaret, aut de pleno & integro jure Romani Pontificis.

L. 15. Reg. Innoc. ep. 102.

V. Ceterum omittenda non eſt Innocentii obſervatio: qui occaſione ducta ex indulgentia, qua uſus eſt erga liberos Regis Philippi ad ejus poſtulationem, docet Romanum Pontificem non ſolum in Eccleſiæ patrimonio, *ſuper quo plenam in temporalibus gerit poteſtatem*, ut ejus verbis utar, *ſed etiam in aliis regionibus, certis cauſis inſpectis, temporalem juriſdictionem caſualiter exercere.* Unam autem e cauſis illis explicat; ſcilicet, ut ſi quid difficile & ambiguum emerſerit in negotiis eccleſiaſticis aut civilibus vel criminalibus, ad ſedis apoſtolicæ judicium ſit recurrendum. Quod probat adducto Deuteronomii loco, quo decernitur res ambiguas de ſanguine, lepra & cauſa, id eſt, de quæſtione criminali, civili & de ritibus, ſolvendas in loco, quem Dominus elegerit a ſacerdotibus Levitici generis & a judice, qui fuerit illo tempore; pœna capitis adjecta adverſus eum, qui ſacerdotis imperio & decreto judicis non paruerit. Locum delectum in lege gratiæ eſſe Romam, ſacerdotes Levitici generis Epiſcopos & Cardinales, judicem vero Romanum Pontificem: *cujus ſententiam qui ſuperbiens contempſerit obſervare, mori præcipitur, & auferri malum de Iſrael, id eſt, per excommunicationis ſententiam, velut mortuus, a communione fidelium ſeparari.* Tria adnotanda ſunt ad interpretationem hujus loci. Primum eſt, ſententiam Innocentii non eſſe, ut cuilibet e populo liberum ſit de rebus ambiguis in negotiis temporalibus Romanum Pontificem conſulere, qui deinde jus dicat & litigatorum controverſias dirimat. Hic enim agendi modus ſupremam Regum in judiciis reddendis auctoritatem everteret, quod a ſua mente alienum eſſe teſtatur ibidem Innocentius: *Non, quod alieno juri præjudicare velimus*, inquit, *vel poteſtatem nobis indebitam uſurpare; cum non ignoremus, Chriſtum in evangelio reſpondiſſe: Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo. Propter quod poſtulatus, ut hereditatem divideret inter duos, Quis*, inquit, *conſtituit me ſuper vos judicem?* Sed jus illud ſedi apoſtolicæ vindicavit, ſi a Principibus ipſis de re ambigua & difficili conſuleretur, aut ejus auctoritas imploraretur: quemadmodum accide-

acciderat in causa Regis Philippi, qui natalium restitutionem pro liberis ab Innocentio expetiverat. *Rationibus his inducti, Regi gratiam fecimus requisiti, causam tam ex veteri, quam ex novo testamento trahentes.* Deinde Deuteronomii loco recitato, in ejus interpretationem excurrit suo proposito congruentem, ut doceat, nec alienum esse ab auctoritate Regum, quod in his rerum articulis Romanum Pontificem adeant, nec a dignitate sedis apostolicæ, si ad hæc secularia tractanda se demittat, cum Paulus scripserit ad Corinthios: *Nescitis, quia angelos judicabimus, quanto magis secularia?* qui est locus alter, quem adducit Innocentius ad sententiæ suæ confirmationem. Alterum, quod adnotandum mihi videtur, hoc est, Deuteronomii locum intelligi de magistratibus inferioribus & collegiis judicum, qui ad portas urbis lites populi Judaici disceptabant; eo tamen judiciorum ordine, ut, si reus omnium suffragiis premeretur, appellandi locus non esset; sin judicum vota in varias sententias scinderentur, non propter facti probationem, sed propter juris & legum interpretationem, atque adeo constaret, rem controversam censeri ambiguam & difficilem, ad magni synedrii judicium referebatur, ut docet Maimonides, quod quidem synedrium conflatum erat e sacerdotibus & laicis, adjuncto reipublicæ judice, quem deinde Reges exceperunt, ut abunde dicam capite quarto & quinto. An vero hinc possit duci argumentnm ad consultationem, quæ in rebus temporalibus, cum negotia difficultate laborant, a Principibus, si res ita ferat, ad sedem apostolicam deferri potest, lectoris prudentiæ relinquo. Tertium est, juris canonici interpretes in hoc Innocentii loco interpretando dupliciter peccasse; tum, quod omnibus litigatoribus liberum reliquerunt res ambiguas a judicio seculari ad ecclesiasticum transferre; id quod uno casu, id est, Principibus id agentibus, ab Innocentio scriptum erat ad omnes personas contra sinceram auctoris sententiam porrigentes; tum, quod sibi persuaserint, si quid difficile & ambiguum in controversiis & litibus rerum humanarum accideret, id a judicibus ecclesiasticis, non autem a sola sede apostolica dirimi debere. Quod tamen a magistratibus in Gallia nunquam receptum fuit, ut conquerebatur Durandus Mimatensis Episcopus ante trecentos & triginta annos: *Item impediunt, si quid ambiguum inter judices seculares oriatur, ne ad ecclesiasticos judices recurratur, contra illud, Qui filii sint legit. Per Venerabilem, §. Licet.*

Durand. de modo Conc. gener. celebr. tit. 70.

VI. Constituta sententia decretalis. *Per venerabilem*, quæ supremum Regis in Gallias imperium agnoscit, & ab ejus communione sedem apostolicam removet, observanda est eadem mens Innocentii in altera ejus epistola ad Regem Philippum, qua docet, ad Regem pertinere feudi judicium, non autem ad sedem apostolicam, seque nolle jurisdictionem aut potestatem Regis minuere vel perturbare, quod etiam superiore decretali protestatus est. Agebatur de induciis vel pace inter Francorum & Angliæ Reges componenda, quod sui arbitrii esse Pontifex existimabat. Rex enim Angliæ copiis Francorum oppressus a sede apostolica subsidium ecclesiasticum petivit, probare paratus, injuste secum agi a Rege Francorum, quem juxta regulam evangelii monuerit, & renitentem suis postulationibus ad Ecclesiam detulerit. Unde concludit Innocentius, se, qui regimini universalis Ecclesiæ præsit, interpellatum ab Anglo, divino præcepto urgeri, ut juxta *formam ipsius procedat*, id est, ethnicum & publicanum denuntiet Francorum Regem, nisi jus suum apud ipsum Pontificem vel illius Legatum comprobaverit. Etsi enim de feudo, quod Rex Angliæ a Rege Francorum obtinebat, judicium ferre nolit, de peccato tamen decernere, illudque in cujuscunque gradus persona censuris ulcisci, ad sedem apostolicam pertinere contendit. Prima fronte Regum jura hac decretali foveri videntur; sed, ut integrum beneficium illi non debeamus, facit exceptio adhibita. Quæ profecto ejus generis est, ut admissa semel in judiciis, omnia fora confundat, quemadmodum monuit Navarrus in commentariis ad hunc locum. Quare a Gallis nostris nunquam suscepta fuit, non solum in specie, de qua tunc agebatur, ut dicetur libro quarto, sed nec in ceteris causis, teste locupletissimo Durando Mimatensi his verbis: *Item impediunt*, (scilicet judices seculares) *quando Ecclesia vult cogere aliquem ad satisfaciendum de peccato, in quo est, licet cognitio pertineat ad Ecclesiam, de judic. Novit. primo responso.*

Cap. Novit. de Judiciis.

Navarrus in d. cap. t. Novit. V. H. [illegible] eniem in d. c.

Durandus d. tit. 70.

VII. Theologorum illa ætate celeberrimorum Joannis de Parisiis & Guillelmi Ockam, quibus postea accessit Gerson, opinionem sequebantur, qui crimina distinguebant in ecclesiastica & secularia. Illa in admissis directe contra fidem & sacramenta constituebant, hæc in iis, quæ jure gentium aut civili sunt vetita. Criminum ecclesiasticorum coercitionem per censuras Episcopis competere, sed in secularibus distinguendum esse dicebant. Aut enim de jure agitur & de peccato *opinionis* vel *erroris*, ut ipsi loquuntur; id est, si quis sibi persuadeat id, quod committitur circa secularia, non esse peccatum: verbi gratia, furtum vel homicidium, vel agitur de facto; id est, de peccato, quod ipsi vocant *vendicationis*, id est, cum quis de facto res alienas sibi vendicat, vel aliud crimen seculare perpetrat. Itaque fatentur, penes Ecclesiam ex Christi institutione potestatem esse cognoscendi de peccato *erroris*, & definiendi an hoc vel illud factum crimini deputari debeat, eosque, qui huic definitioni refragentur, pœnis ecclesiasticis castigandi, ceterum de peccatis secularibus, quæ vocant *vendicationis*, judicia vel censuras ferre, non spectare ad jurisdictionem ecclesiasticam. *Et ita*, inquit Joannes Parisiensis, *de peccato in temporalibus non judicat, vel cognoscit judex ecclesiasticus, sed secularis tantum; nisi forte aliunde, quam a Christo concessum ei fuerit vel permissum.* In his ergo criminibus potestas ecclesiastica monita tantum & consilia adhibere potest, non autem laicos peccantes coercere pœnis, innuere quid sequendum sit & vitandum, non castigare, vel, ut ipsi loquuntur, judicare de peccato *innuitive*, non *coercitive*. Itaque sententiam Innocentii locum habere, cum domini seculares a scelerum vindicta per summam negligentiam cessant, aut in crimine occulto, in quod judex secularis animadvertere non potest. Hæc Theologorum Parisiensium sententia jam a trecentis & quadraginta annis in forum invecta, etiam hodie apud tribunalia magistratuum viget. Quin & ad crimina mixta porrecta fuit, scilicet ad adulterium, quod legem naturæ & matrimonii sacramentum violat; adeo, ut in laicos adulterii reos animadvertere Episcopis vetitum fuerit, ni desisterent, pœna indicta *captionis temporalitatis*, ut patet ex Curiæ Parisiensis Arrestis latis anno MCCCXXXVI. & MCCCXXC. De hac quæstione, in qua plurimi laborarunt, ex professo disseram in exercitatione de judiciis canonicis in laicos; ubi eorum originem, progressum & immutationem, quæ hodie viget, & mutandi causas expendam. Hic tantum dicam in antecessum, olim censuris, cum maxime vigerent, locum non fuisse, nisi in certis quibusdam criminibus manifestis, de quibus dubitari non posset, an inter crimina recenseri deberent, ea lege, ut emendatio ecclesiastica nihil de seculari jurisdictione demeret. Itaque Christiani criminum omnium vindictam apud judices publicos persequebantur. De contractibus, etiam injustis, nullo prætextu lis instituebatur apud Episcopos in consequentiam juris evangelici, quia color ille conventionis initæ dubiam reddebat peccati accusationem. Quare si quando lites fidelium dirimerent Episcopi, a lege harum disceptationum arbitri dati, non censuris ecclesiasticis ad judicatum exe-

Guill. Ockam l. 6. c. 8. & in fine Dialogi 1. parte.

Joann. Gerson. lect. 4. in vita spiritu.

Joan. Parif. de potest. regia & papali c. 14.

Vide secundam Præfationem Marcæ §. 2.

Vide Almainum de potest. eccl. & laica q. 1. c. 10. & q. 3. c. 2. qui utramque sententiam probabilem putat.

Tom. 2. Libert. cap. 36. N. 7. 8.

exequendum victos adigebant, sed officio & apparitione judicum juxta legem Constantini. Parum abest, quin solo rationis ductu ad veram solutionem pervenerit auctor anonymus; cui sola defuit cognitio antiquæ disciplinæ, ne rem ipsam omnino assequeretur. Hæc sunt ejus verba: Miles. *Ego ostendam vobis secundum Paulum, ubi vestra cognitio debet incipere. Principes suo jure de justo & injusto cognoscunt, & eis debetur obedientia, sicut præcipitur Deuter. 17. & eorum officium est judicare & coercere resistentes. Si quis autem tumens superbia non obedierit eorum imperio, nec Princeps, cujus fuit officium judicandi, habet potestatem resistendi vel coercendi, tunc incipit vestra cognitio; quia tunc accedere debet vestra monitio, dicente Paulo ad Tit. c. 3. Admone illos Principibus & potestatibus subjectos esse & subditos. Ubi autem maleficia & scelera manifesta sunt, veluti prædæ, rapinæ & similia, nec est Princeps, qui possit aut velit corrigere, tunc accedere debet monitio, & demum vestræ potestatis mucro; sed non de justo & injusto cognitio, quia de hoc non debetis cognoscere, aut manum ad hoc apponere. Sed cum manifestum fuerit, aut per sententiam juris, aut evidentiam sceleris, quæ nulla eget cognitione; tunc poterit ad vos ea, modo & forma, de quibus dictum est, pertinere ad vestrum finem, videlicet spiritualem, absque aliquo quæstu, debite monitis volentibusque aut impotentibus seculi Principibus. Alias, si propter peccati colligantiam vultis de casibus prænotatis cognoscere, non restat, nisi fores Principum claudere, silere leges & decreta Principum, & vestra sola resonare.*

Vide responsionem Marcæ ad Notas Holstenii.

Auctor disputationis Clerici & Militis, anno 1303.

VIII. Ceterum Bonifacius VIII. a sententia decessorum suorum deflexisse videtur. Odiis enim acerrimis inter eum & Philippum IV. accensis, eo provectus est Pontifex, ut Regem non solum anathemate feriret, sed etiam sibi subditum in rebus civilibus scripto denuntiaret, quam sententiam edita extravaganti constitutione firmavit anno ultimo pontificatus. Bonifacium animi mœrore confectum excepit Benedictus XI. & post annuum interregnum Benedicto Clemens V. origine Vasco decimo quarto seculo ineunte successit. Hic verbis in decessorem permodestis, & ad Regis dignitatem efficacibus contraria constitutione tum memoriæ Bonifacii sedisque apostolicæ auctoritati, tum regni Gallici juribus consuluit. *Hinc est*, inquit, *quod nos Regi & regno per definitionem & declarationem bonæ memoriæ Bonifacii VIII. prædecessoris nostri, quæ incipit* Unam sanctam, *nullum volumus vel intendimus præjudicium generari, nec quod per illam Rex, regnum, & regnicolæ prælibati amplius Ecclesiæ sint subjecti Romanæ, quam antea existebant, sed omnia in eodem esse statu, quo erant ante definitionem præfatam.* Status autem ultimus, quem inspicere oportet, petendus est e Decretalibus Innocentii III. qui superiorem in temporalibus a regia corona Francorum amovit, etsi res ambiguas & cognitionem de peccato sedi apostolicæ vindicaverit, quod ultimum nostri statim a constitutionibus illis editis suscipere recusarunt. Plura de Bonifacii & Philippi dissidio dixissem, nisi hanc operam occupasset vir clarissimus Henricus Spondanus Episcopus Appamiarum, in elaborato illo opere, quo illustrissimi Cardinalis Baronii desinentes annales excipiens, tribus voluminibus quatuor seculorum ecclesiasticam historiam ad nostram ætatem integra fide & sollicita diligentia suis auspiciis describit, quemadmodum superiorum temporum epitome Baronium expresserat.

C. Unam sanctam. de majorit. in Sext.

C. Meruit. de Privil.

ADDITIO STEPHANI BALUZII.

CRudelissimum illud Bonifacii VIII. & Philippi Pulchri dissidium, in ruinam & perniciem istius florentissimi regni exortum, tot scriptorum & annalium monumentis celebratum est, speciali etiam opere explicatum a clarissimo & amantissimo patriæ viro Petro Puteano, ut necesse non sit, heic a nobis eam camarinam rursum moveri. Verum quia simul & illustranda est pro modulo nostro explicatio capitis *Per venerabilem*, quam in hoc capite attulit illustrissimus Archiepiscopus, tum etiam ex ea occasione confutandus Bonifacius, qui in oratione, quam anno MCCCIII. Romæ in publico consistorio habuit pro confirmando Rege Romanorum Alberto (de qua supra meminimus in additione ad caput primum istius libri) ausus est pronuntiare Gallos, dum ajunt se non recognoscere superiorem, mentiri, & nescire, se ubi hoc invenerint, res postulare videtur, ut omissis ceteris argumentis, quæ adduci possunt ad asserendum supremum Regum nostrorum in Gallias imperium, quo in argumento feliciter versatus est hic noster Archiepiscopus, etiam id ostendamus auctoritate eorum, qui vel ævo Bonifacii vixerunt, vel certe non admodum remoti ab eo fuere. Ac primum quidem responderi posset, Gallos istud invenisse in decretali Innocentii III. quam Bonifacius, canonici juris peritissimus, ignorare non potuit, cum extet in libris Decretalium. Quod vel unicum sufficere poterat Romano Pontifici pacato & non irato. Sed habemus præterea disertum Guillelmi de Montelauduno Juris consulti per eas tempestates celeberrimi testimonium: qui in commentario ad Clementinam *Romani*, *de jurejurando*, Regem Francorum scribit non recognoscere Imperatorem superiorem; ad eamque rem probandam utitur etiam testimonio capitis *Per venerabilem*. Tum addit: *Joannes tamen Theutonicus non concordat his. Sed erat Almanus vel Theutonicus. Unde favor & caro & sanguis revelavit sibi*. In actis autem veteribus anni MCCCXLI. quæ extant Parisiis in Camera Computorum, cum describuntur ea, quæ gesta sunt apud Valentiam Prid. Non. Martii inter Petrum Regem Arragonum & Raimundum Rubei Nuntium Jacobi Regis Majoricarum, qui ex pactis olim initis inter eosdem Reges urgebat Arragonium, ut suppetias sibi ferret adversus Philippum Valesium Francorum Regem, qui Monspeliensem urbem & alia quædam loca ad Jacobum pertinentia occupaverat, dum hæc inquam describuntur, narratur inter cetera, quomodo Arragonius responderit, iniqua videri postulata Jacobi, ipsum quippe injuria voluisse privare Regem Francorum supremo dominio, quod ipsi competebat in ea loca, & hunc jure optimo ob eam causam illa occupasse; *quodque dictus Rex Franciæ*, QUI IN SUO REGNO SUPERIOREM IN TEMPORALIBUS NON COGNOSCIT, *pro tuitione juris & possessionis suæ prædictæ juxta morem antiquum sui regni apposuit vel apponi fecit manum suam regiam in villa & vicecomitatibus supra dictis*, &c. Adeo enim verum est, Regem Francorum non recognoscere superiorem in temporalibus, ut, si forte, seu ex successione, sive emptione, aut alio quovis modo, ad ipsum veniat proprietas alicujus feudi, propter quod hominium debeatur domino superiori, statim cesset jus illud dominii, quia Rex Francorum nulli facit homagium neque fidelitatem. Habemus multa vetera testimonia hujus moris. Anno MCLXXXV. cum comitatus Ambianensis, qui Ecclesiæ Ambianensi debebat hominium, transisset ad Philippum Augustum Regem Francorum, Ecclesia illa benigne concessit, ut Rex feudum suum absque faciendo hominio teneret, *cum utique nemini*, inquit Philippus Rex, *facere debeamus hominium vel possimus*. Anno MCCXIII. idem Rex Ecclesiæ Noviomensi nonnulla dona dedit, *in recompensationem hominagii, quod Domini Viromandenses*, quibus ipse successerat, *debebant Episcopo & Ecclesiæ Noviomensi, cum secundum consuetudinem regni Franciæ hactenus approbatam prædecessores nostri Reges Franciæ nulli consueverint hominagium facere*, quod suis literis eodem tempore datis confirmavit Stephanus Episcopus Noviomensis. Anno MCCXXVI. Ludovicus VIII. Augusti filius nonnulla etiam dedit Archiepiscopo Narbonensi in similem recompensationem, cum *nos nemini omagium facere debeamus*. Et in concordia postea sub sancto Ludovico edita inter Prælatos provinciæ Narbonensis & Guidonem Fulcodii clericum Domini Regis scriptum est, quod si Rex quædam feuda haberet moventia ab Ecclesia Biterrensi, in vicem fidelitatis, quam eum non decet alicui facere, recompensationem *Ecclesiæ faciat competentem*. Anno MCCLXX. extincto Alphonso Comite Tolosano, cui in vim veterum pactorum Rex Francorum successerat, Bertrandus Archiepiscopus Arelatensis contendebat, illum ratione successionis in comitatu Tolosano sibi & Ecclesiæ suæ Arelatensi debere præstare homagium. Demum res ita inter eos convenit, quod castrum Bellicadri cum Argentia Regi remaneret liberum ab omni fidelitate & homagio & recompensatione debita pro eisdem; si vero dictum castrum ad manum alicujus veniret, qui non esset Rex Franciæ, ille teneretur Archiepiscopo Arelatensi fidelitatem jurare & homagium facere. Anno MCCLXXXIV. Philippus III. Rex Franciæ, qui in villa Moyssiacensi successerat Comitibus Tolosanis, qui illam *a monasterio Moyssiacensi in feudum cum homagio tenuerunt*, statuit, ut Senescallus Cadurcensis in nova institutione sua fidelitatis sacramentum faceret Abbati & conventui Moyssiacensi, *quia Reges Franciæ non consueverunt alicui homagium facere*. Eodem anno, cum Philippus ejusdem Regis primogenitus Episcopo Lingonensi fecisset homagium de rebus, quas ab eo tenebat in feudum ratione uxoris suæ Comitissæ Campaniæ, contestatus est, *quod si contingat nos ad successionem regni Francorum venire, evanescet homagium & nullius firmitatis existet*. Anno MCCCVIII. idem Philippus tum Rex Franciæ quosdam reditus in præpositura Bajocensi concessit Episcopo Bajocensi in recompensationem homagii, quod ei debebatur pro villa de Thorigniaco, quam

Rex

Rex acquiſierat, *qui nulli homagium facimus*, inquit ille. Reliquum eſt, ut orationem Bonifacii, de qua ſuperius locuti ſumus, heic edamus ex codice 4467. bibliothecæ Colbertinæ, ex quo a nobis primum edita eſt anno MDCLXIX.

ALLEGATIO DOMINI PAPÆ BONIFACII pro confirmando Rege Romanorum Alberto.

A*Ffuit tempus, quo ſol refulſit, qui prius latebat in nubilo.* Machabæorum II. Fecit Deus duo luminaria magna, luminare majus, ut præeſſet diei, luminare minus, ut præeſſet nocti. Hæc duo luminaria fecit Deus ad literam, ſicut dicitur in Geneſi. Et nihilominus ſpiritualiter intellecta fecit luminaria prædicta, ſcilicet Solem, id eſt, eccleſiaſticam poteſtatem, & Lunam, hoc eſt, temporalem & imperialem, ut regeret univerſum. Et ſicut Luna nullum lumen habet, niſi, quod recipit a Sole, ſic nec aliqua terrena poteſtas aliquid habet, niſi quod recipit ab eccleſiaſtica poteſtate. Licet autem ita communiter conſueverit intelligi, nos autem accipimus hic Imperatorem, Solem, qui eſt futurus, hoc eſt Regem Romanorum, qui promovendus eſt in Imperatorem, qui eſt Sol, ſicut Monarcha, qui habet omnes illuminare & ſpiritualem poteſtatem defendere, quia ipſe eſt datus & miſſus in laudem bonorum & in vindictam malefactorum. Per dies autem intelligimus bonos, & per noctem intelligimus malos peccatores & tenebroſos, juxta illud: *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam.* Per dies autem intelligitur poteſtas eccleſiaſtica ſeu terrena, juxta illud: *Dies formabuntur, & nemo in eis.* Quia non poſſunt dicere: Ego Pauli, ego ſum Apollo. Sicut enim a Chriſto Chriſtiani dicuntur, ſic a Chriſto & Chriſti vicario ſucceſſore Petri formantur & defenduntur omnes dies, hoc eſt, omnes poteſtates; & nemo in eis, quia non poſſunt dicere, ego Pauli, ego ſum Apollo. Sed omnes ſunt a Chriſto & a nobis tanquam a vicario Jeſu Chriſti. Unde hæc nota & ſcripta ſunt, quod vicarius Jeſu Chriſti & ſucceſſor Petri poteſtatem imperii a Græcis tranſtulit in Germanos, ut ipſi Germani, id eſt, ſeptem Principes, quatuor laici, & tres clerici, poſſunt eligere Regem Romanorum, qui eſt promovendus in Imperatorem & Monarcham omnium Regum & Principum terrenorum. Nec inſurgat hic ſuperbia Gallicana, quæ dicit, quod non recognoſcit ſuperiorem. Mentiuntur: quia de jure ſunt & eſſe debent ſub Rege Romano & Imperatore. Et neſcimus, unde hoc habuerint vel adinvenerint, quia conſtat, quod Chriſtiani ſubditi fuerunt Monarchis Eccleſiæ Romanæ & eſſe debent. Nec habent hoc a lege veteri vel nova, nec aliquo Propheta, vel Evangelio, vel Apoſtolo. Unde hic dicimus, quod dicit Apoſtolus: *Et ſi quis evangelizaverit vobis aliud quam evangelizamus, etiamſi angelus de cælo, anathema ſit.* Et nos volumus, quod quicunque evangelizaverit aliud, anathema ſit. Ille quidem, videlicet electus in Regem Romanorum, prius fuit in nubilo arrogantiæ & ignorantiæ. Etenim non fuit devotus ad nos & Eccleſiam iſtam ſicut debuit. Nunc autem exhibet ſe devotum & promptum ad faciendum omnia, quæ volumus nos & fratres noſtri & Eccleſia iſta. Unde nunc venit & affuit tempus miſerendi ejus, ſicut alibi dicit Apoſtolus: *At ubi venit plenitudo temporis*. Venit quidem tempus, ut conſtituamus eum ſuper gentes & regna, ut evellat & deſtruat, diſſipet & diſperdat, & ædificet & plantet. In nomine Domini conſtituimus ſic eum a die, non in hodie æternitatis, de quo dictum eſt filio, *Ego hodie genui te*, ſed in hodie temporis. Sicut enim pater dedit filio poteſtatem non in tempore, ſed in æternitate, ſic Chriſtus homini & Chriſti vicario dedit poteſtatem in tempore, ut ipſe habeat jus conſtituendi Imperatorem & imperium transferendi. Et attendant hic Germani, quia ſicut translatum eſt imperium ab aliis in ipſos, ſic Chriſti vicarius ſucceſſor Petri habet poteſtatem transferendi imperium a Germanis in alios quoſcunque, ſi vellet, & hoc ſine juris injuria. Tamen dicit ſapiens: *Quod injuſtum eſt, juſte exequeris.* Unde, ſi ſubveniret juſta & legitima cauſa, juſte poſſet transferre; & juſta faceret, ſi eos privaret. Tamen hæc fuit ſemper patientia iſtius Eccleſiæ, quæ magis voluit cum eis de benignitate agere quam de rigore, ut non privaret eos, licet juſte privare potuiſſet. Et licet etiam multi eſſent defectus in electione iſtius, nos tamen volumus ſupplere omnem defectum, & magis de benignitate quam de rigore ſupplemus de plenitudine poteſtatis. Unde electionem de ipſo factam approbamus & ratificamus. Et quia, ſicut dicitur in jure, ratihabitio retrotrahitur & mandato comparatur, hodie vivificamus & roboramus omnes actus, quoſcunque fecit a tempore ipſius electionis, dum tamen ſint alias juſti & legitimi; quia injuſta nec in legitima non approbaremus nec approbare deberemus. Et hoc facimus, quia de eo bona præſumimus in futurum; quia, ſicut dicitur in Tobia, boni patris filius eſt, unde & alibi: *Sæpe ſolet filius ſimilis eſſe patri.* Pater vero ſuus Radulphus, catholicus, fidelis & devotus iſti Eccleſiæ, homo verax & veridicus. Unde vulgariter dicebatur in tota terra illa, quando aliquis decipiebatur in promiſſo: Non habet veritatem dictum iſtius, ſicut dictum Radulphi Comitis. Si autem ipſe vellet contrarium facere, non poſſet: quia nos non habemus alas, nec manus ligatas, nec pedes compeditos, quin bene poſſimus eum reprimere & quemcunque alium Principem terrenum. Quidam enim Principes faciunt colligationes ſuas. Et audacter dicimus, quod ſi omnes Principes terreni eſſent hodie colligati contra nos & contra Eccleſiam iſtam, dum tamen nos haberemus veritatem & ſtaremus pro veritate, appretiaremus eos unam feſtucam. Et ſine dubio, ſi veritatem & juſtitiam non haberemus, bene timeremus. Sed alias omnes confunderemus, & veritas confunderet eos. Unde hodie de iſto, quem hodie præficimus, dicimus, quod dicit Petrus in epiſtola hujuſmodi temporis: *Servi, ſubditi eſtote Regi tanquam præcellenti.* Iſte eſt Rex præcellens ſuper omnes Reges, & nullus eſt ab eo exemptus. Et ibidem: *Deum timete, Regem honorificate:* quia ſimul eſt Rex, ab omnibus tanquam præcellens timendus & honorificandus. Et bene ſubjunxit: *Regem honorificate*: quia ſimiliter hic eſt Rex ab omnibus tanquam præcellens timendus & honorifiandus. Igitur faciat bene Rex. Quia ſi bene defendet & recuperet jura ſua & jura regni & imperii, audacter dicimus, quod nos defendemus plus jura ſua quam noſtra, & hoc contra quemcunque de mundo, & per nos firmabitur ſententia ſua & non flectetur. Ipſe vero miſit huc procuratores ſuos, qui ſunt hic præſentes, cum plenario mandato jurandi in animam ſuam, & faciendi & exhibendi nobis omnia, quæ per ipſum ſunt facienda vel exhibenda, & volumus, quod prædicta faciant, ſicut eſt conſuetum.

CAPUT IV.

De poteſtate Principis circa eccleſiaſtica, & ſpeciatim de poteſtate ſpirituali, Principibus denegata, tam in novo quam veteri teſtamento.

SYNOPSIS.

I. Inſtituitur controverſia, an liceat Principi de rebus eccleſiaſticis leges ferre, quæ in partes aliquot dividitur.

II. Spiritualis poteſtas Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus collata in Reges non manavit: quorum jura Chriſtus quidem non læſit, ſed nec etiam auxit.

III. Quod non ſolum de infidelibus, ſed etiam de Chriſtianis Principibus intelligendum. Politia ſynagogæ diſcutitur, ut ſciatur, an jura Regum Judææ communicari poſſint Regibus Chriſtianis. Judæorum reſpublica conſtituta a Moſe, Rege, Pontifice & Conſiliis. Quod differt a Chriſtianorum ſtatu, ut toto capite explicatur.

IV. De Rege in futurum conſtituendo diſerte cautum in lege Moſis. Non ergo in pœnam datus Princeps. Exprobrata eſt ratio petendi Regem expulſo Samuele, non ipſa petitio. Reges uncti ſacrati unguento a Moſe confecto, quo Pontifices & vaſa ſacra ungebantur. Diſcrimen unctionis regiæ & pontificiæ. Honor delatus Regi, ob unctionem a Pontifice & Prophetis.

V. Rex ſedebat in ſacratioribus atrii ſpatiis, ſtantibus ſacerdotibus. Non ſolum res civiles, ſed etiam religioſas tractabat, quod probatur exemplis. Idque ab eo tentatum ratione unctionis.

VI. Pontificis inauguratio & munus in ſacrificiis peragendis quotidie, & in adeundis quotannis ſolenni die adytis templi. Ozias lepra percuſſus, quod ſacerdotum munus uſurparet.

I. AN Principi liceat de rebus eccleſiaſticis decernere, magna contentione diſputatur. In quo graviſſime peccatur a quamplurimis, qui præfracte & abſciſſe in alterutram partem hoc vel negant vel aſſerunt. Cum enim hæc tractatio in varias ſpecies deducatur, diſtinctione adhibita eſt peragenda. Ac primo quidem res eccleſiaſticæ in duo ſumma genera dividuntur, nempe in ea, quæ regulam fidei, & in ea, quæ diſciplinam reſpiciunt. Diſciplina autem vel in ſacrorum miniſterio verſatur, vel in cleri politia & cenſura, vel in Eccleſiarum diviſione, aut bonorum eccleſiaſticorum adminiſtratione. Quæ dixi, materiam legum reſpiciunt.

ciunt. Leges autem ipsæ de his rebus aut ex mero Principis imperio feruntur, aut in eum finem, ut Pontificum & synodorum decreta legibus illis foveantur, quæ omnia singillatim perstringemus.

II. Sane nullam penes Principes spiritualem auctoritatem esse, in confesso est apud omnes, cum ligandi & solvendi potestatem & pascendarum ovium curam Petro & Apostolis Christus tribuerit, & iis, quos ipsi hujus ministerii participes facturi essent. In quo nulla Regum mentio, quibus potestas asseri non potest, quæ omnem naturæ ordinem exsuperat, nisi disertissime illis a Deo collata sit. Christus quidem, cum Ecclesiam suam institueret, Regum dignitatem non læsit, sed eam non auxit. Reddite, inquit, quæ sunt Cæsaris Cæsari, quæ sunt Dei Deo. *Cum vero audis*, inquit Chrysostomus, *reddenda Cæsari, quæ sua sunt, illa solum dici non dubita, quæ pietati ac religioni nihil officiunt. Nam, quod fidei ac virtuti obest, non Cæsaris, sed diaboli tributum ac vectigal est*. Imo vero Apostolus gladio Principem accingit ad scelerum vindictam, non ad fidei canones sanciendos; ita, ut palatium & tribunal ad eum pertineat, non autem Ecclesia & cathedra Petri.

Chrysost. hom. 71. in Matth.

III. Enimvero quia referri contra potest, in ipsis Ecclesiæ primordiis imperium penes infideles fuisse, qui hostes fidei cum essent, nil mirum, si nulla regendæ Ecclesiæ cura illis fuerit commissa, sed cum Reges nutritii facti sunt Ecclesiæ Christianæ, ut futurum prædixerat Isaias, insignem injuriam fieri Principibus Christianis, si eam in Ecclesia potestatem illis denegemus, quam Reges Judæorum in synagoga obtinebant. Itaque, ut sincerius hujus quæstionis disquisitio instituatur, pontificiam & regiam dignitatem in republica Judæorum expendemus, ut sciatur, quid juris in Principes Christianos e synagoga derivari possit. Judæorum rempublicam suis constitutionibus in Arabum desertis fundaverat Moses; quæ deinde in Judæa devicta locum suum habuerunt. Totum corpus e Rege, Pontifice, Sacerdotibus, Levitis & Consiliis ita compactum est, ut regnum sacerdotale diceretur. Distincta quidem erant munia Regum & Sacerdotum, sed non iis finibus, quos in Ecclesia Christiana observamus. Belli gerendi & imperii administrandi ratio ad solum Regem pertinebat, ut sacrificiorum rerumque sacrarum in templo administratio penes Pontifices erat. Quæ vero de rebus sacris & prophanis oriebantur contentiones, ad Regem, ad Pontifices & Consilia devolvebantur, ita, ut quædam esset jurisdictionum commixtio. Quod paulo uberius explicandum est, ut respublica Judæorum cum Ecclesia Christiana in hac quidem parte accuratius conferri possit.

Vide Libellum Marcæ editum Parcinone pro defensione libri de Concordia.

Exodi 19.

IV. Moses Maimonides Judæos tria mandata a Deo accepisse observavit. Unum, ut Regem constituerent; alterum, ut Amalekitas delerent; tertium, ut templum conderent. Quæ quidem longo intervallo & diversis temporibus, sed eo ordine confecta sunt, quo jussa erant. Quippe Rex creatus fuit, antequam Amalekitæ internecione delerentur. Tum vero, postquam infandæ gentis istius obliterata memoria fuit, templum extructum est. De rege Israelitis dando cogitavit Deus, quod omnes in vicino gentes sub unius imperio viverent, ut diserte scriptum est Deuteronomii capite XVII. Suctum enim Regibus orientem graviter monet Claudius Civilis apud Tacitum. Itaque non est, quod ex eo capite imminutum eant Regibus majestatem, qui Reges in pœnam Israelitis datos docent; cum pateat, res Judæorum ab initio ita constitutas a divino Numine fuisse, ut Regis imperium illis esset subeundum. Quod cum ita sit, futurumque Regem pro genio & indole illius populi Deus edixerit, quærendum est, cur summam rei a Samuele ad Regem aliquem transferri indigne tulerit. Expedita est responsio, quam vir cordatus Moses Ægyptius protulit; non exprobrasse Samuelem Israelitis, quod Regem expeterent, sed quod, Samuelis imperium exosi, querelis & seditiosis vocibus Regis constitutionem urgerent, factione extorquerent, quod petitum oportuit, ea mente, ut legis præcepto fieret satis. Regum autem conditionem unctionis ceremoniæ sacraverunt. Quæ unctio tantam majestatem illis conciliavit, ut sacrosancti in terris haberentur. Etenim unguentum, quo ungebantur, confectum fuit semel a Mose e quatuor speciebus aromatum: quod vase corneo inclusum, ad ungendos Reges, Pontifices, arcam testimonii, mensam, candelabrum, utrumque altare, labrum amplissimum, ipsum tabernaculum, & vasa sanctuarii per novem secula usque ad Josiæ Regis tempus suffecit. Quamquam Reges in capite ad coronæ formam ungerentur, summis autem Pontificibus in capite oleo perfusis, etiam inter supercilia crucicula X. unguento effigiaretur, ut notat Maimonides. Samariæ novitios Reges balsamo tantum inunxit Elias, non unguento illo sacro, quod diligenter asservabatur in Templo Hierosolymitano, cum quo nullum erat commercium Samaritis. Quantam vero dignitatem Regi contulerit unguenti sacri delibutio, e Talmudicis retulit ille, quem laudavi, Moses; qui docet, decretum fuisse, ut Pontifex maximus Regem veneraretur, & staret adventante Rege, locumque illi suum cederet. E contra Regem non stetisse præsente Pontifice, nisi cum oraculum Urim consuleret. Præterea si quis e Prophetis ad Regem accederet, humiliter se in terram coram Rege submisisse, exemplo Nathan, qui coram Davide ore prono procubuit in terram.

Sigon. Cunæus de Republica Judæorum.

Tacitus lib. 4. hist.

V. Nec etiam illud omittendum est, Regem solum in sacratioribus atrii spatiis sedisse. Divisum quidem erat atrium in duas partes, ita, ut hæc sacerdotibus, illa populo esset assignata; intra præscriptos tamen terminos sacerdotes stantes manebant, Senatoribus vero Sanhedrin sedendi jus fuit, sed in medio ejus spatii loco, quem vulgus occupabat. Præterea ex ista unctione profectum est, ut Reges non solum res civicas domi militiæque procurarint, sed etiam ea tempestate religiones ceremoniasque constituerint aut restauraverint. David Rex octo sacerdotum stationes a Mose constitutas (e quibus quatuor ab Eleazaro, totidemque ab Ithamaro, gentem suam duxerant) sexdecim stationibus auxit, ita, ut viginti quatuor stationibus sacrificiorum ordo esset distributus. Harum seriem recitat Josephus: quæ ita vices suas servabant, ut singulæ Hierosolymam venirent per hebdomadam integram, sacris operaturæ. Has stationes ἐφημερίας B. Lucas appellat. Levitas in classes viginti-quatuor idem Rex edicto suo divisit, ut facilius sacerdotibus ministeria sua impenderent. Totidem familias alias Levitarum instituit, qui voce & organis inter sacra canerent, totidemque stationes æedituorum. Eadem cura Salomonem incessit; ne ceteros Reges enumerem, qui rerum divinarum curam gessere. Quod ab iis jure regio tentatum est; non autem eo nomine, quod Vates essent, ut vulgo dici solet. Si enim Davidem excipias, & forte Saulem, ceterorum nemo inter Prophetas recensitus est. Sed Salomon, Josafat, Ezechias & Josias jus & potestatem in Pontifices & in res divinas exercuerunt, quod sacro unguento essent delibuti.

Vide secundam præfationem Marcæ §. 3.

1. Paral. c. 23. & 28.

2. Paral. 8.

2. Paral. 19. 29. & 31. & 35.

VI. Proximus a regia dignitate honor in summis Pontificibus effulsit. E sacerdotalibus familiis una tantum pontificalis extitit, ex instituto Mosis; unde delectus summus Pontifex: qui sacra unctione & pontificia veste inaugurabatur primum; sed post restaurationem templi, sacro oleo deperdito, solius vestis amictu initiatus est. Sacerdotum munus in universum hoc fuit, ut victimas in templo cæderent, vota pro populo offerrent; Levitarum autem, ut sacrificantibus sacerdotibus ministrarent, arcam ferrent, & cetera id genus exequerentur, quæ libris sacris prodita sunt. Sed sacerdotum quidem ceterorum divisa functio erat

per

per vices, ut dixi. Soli autem Pontifici, ut docet Maimonides, omnia sacra & omni tempore obire fas fuit, nullo stationum ordine servato. Præcipuum autem munus Pontificis in eo versabatur, ut templi adyta intraret, quæ sancta sanctorum Hebræi appellant, solenni scilicet expiationum festo, quod die decimo mensis Tisri quotannis celebrabatur. Neque enim alio tempore, neque aliam ob causam, visere potuit secretissimum locum. Altare incensi velo separatum fuit ab ipsis adytis, ubi erat arca testimonii. Quotidie in hoc altari adolebat thura Pontifex; sed intra velum non adibat, nisi quotannis solenni die. Tota isthæc sacrificiorum peragendorum ratio Pontifici, Sacerdotibus & Levitis adeo erat addicta, ut Regibus nihil
2. Par. 26. in ea parte liceret. Quare Ozias lepra percussus est, quod, sacerdotum ministerio injuriam faciens, incensum in altari adolevisset. Tractare itaque sacra manibus suis Reges non poterant, sed jure suo munerum partitionem & executionem familiis Leviticis indicere.

C A P U T V.

De Synedriis & aliis consiliis Hierosolymitanis, a regibus Judæorum non dependentibus.

S Y N O P S I S.

I. Judicia Regi permissa, sed majora negotia ad synedrium pertinebant. Id constitutum a Mose. E viris LXXI. senatores lecti e splendidioribus familiis, & Sacerdotibus ac Levitis. Potestas collata manuum impositione, deinde verborum formula. Ab hoc senatu non provocabatur.

II. Princeps consessus a ceteris delectus. Pater Consistorii. *Quotidianus conventus. Cognitio de religione & republica. Pontifex adlectus in hoc Consilium Regem castigabat pœna ecclesiastica, Pontificem aliquando capite.*

III. Præter synedrium, duo alia Consilia Hierosolymis, & in ceteris oppidis Judææ, quæ reliqua negotia dirimebant. Synedrio Rex non intererat; sed in rebus arduis illud consulebat, ex Josepho. Politia Judaica permixta in judiciis reddendis; sed divisa in ministeriis belli, & regendæ reipublicæ, quæ Regi, & sacrificiorum, quæ Sacerdotibus competebant. Levitæ adjuncti ad rerum civilium curam.

IV. Synedrii potestas a Romanis paulatim imminuta; & post Archelai relegationem omnino extincta, quoad res civiles. Solæ controversiæ legales illi relictæ.

V. Usurpatio Romanorum, quæ Mosis politiam everterat, a Christo confirmata. De tributis, & de censu Judæorum, aliqua nondum accurate explicata. Unde sententia Christi potestas Cæsaris in Judæa quoad res civiles constituta & a Synedrio ablata.

VI. Eandem rationem sequitur Christus in republica Christiana instituenda. Res spirituales solum Petro committit. Cetera relinquit Cæsari. Injuria fit Pontifici & Regi, cum e republica Judæorum argumenta petuntur. Quæ in synagoga permixta erat rerum sacrarum & civilium jurisdictio, apud nos est distincta.

1. Reg. 8. I. Quod attinet ad judiciorum ordinem, Regibus quidem permissa erat judicandi potestas, ut & belli gerendi; sed graviora quæque synedrio communicabant, ut nullum apud me dubium sit, quin decreta Regum, quorum superius memini, de ordine Levitarum & de ceteris rebus sacris, de consensu magni Synedrii sint statuta. Hoc Consilium a Mose, Dei jussu, constitutum fuit e septuaginta viris Israel, in quos effusa est pars spiritus illius principalis, quo instructus Moses populum regebat. Adsessorum numerus unius erat supra septuaginta, Mose adjecto. Id Consilium usque ad extremam Judææ desolationem mansit in urbe, ejusque sedes in ipso sanctuario fuit. Septuaginta autem illi senatores non e plebe lecti, sed ex iis familiis, quæ amplitudine majorum & splendore commendabantur, Sacerdotibus & Levitis æque ac ceteris in hunc cœtum adsciti. Hæc vero dignitas nemini data est sine actu legitimo, id est, impositione manuum, ad exemplum Mosis, qui Josue & LXX. senioribus manum imposuit. Hæc autem manuum impositio tandem cessavit; eique formula quædam certis verbis concepta successit, qua illi senatores initiati sunt. Ab hoc senatu non erat provocatio. Quinimo, quicquid a ceteris magistratibus decidi non poterat, ad horum jurisdictionem pertinuit.

II. Qui auctoritate præcellerent, duo fuere; Princeps Consessus, quem *Nasi* vocabant, a ceteris delectus, qui Mosis locum tenebat. Inter ceteros, qui præstabat ætate, primum locum ad Principis dexteram obtinebat, quem *Patrem Consistorii* appellabant. Ceteri sexaginta novem sedebant ordine dignitatis & promotionis. Conveniebant quotidie, & considebant a matutinis horis usque ad vesperam; hac lege, ut cuique pro suorum negotiorum ratione abesse aut abire liceret, dummodo tertia pars Consilii, id est, viginti tres superessent. Senatus ille de rebus præcipuis cognoscebat religionem & rempublicam attinentibus, verbi gratia, de controversiis legalibus, anno intercalari, Pseudoprophetis, Apostatis, de Rege, Pontifice, bello, fœderibus, legatis, vectigalibus, publicis ædificiis, magistratibus inferioribus & ceteris ejusmodi. Ex eo autem, quod senatus ille divino imperio a Mose institutus est, judices a Mose & Davide *Dii* vocantur, & judicia dicuntur *judicia Dei*: qui non Principis vice, ut in ceteris imperiis, sed divina judicabant. Pontifex sæpissime in consessum illum adsciscebatur, si alias sapientia polleret. Alioqui, nisi a collegio admissus fuisset, judicia rerum nec sacrarum nec civilium attingebat. Et ut nostris verbis res Judaicas explicem; quæ erant *ordinis* exequebatur, non quæ *jurisdictionis*. Quod autem dixi de Rege judicium tulisse magnum synedrium, non ita intelligendum est, Guillelmus Schikardus de regio Hebræ. cap. 2.
ac si de ejus capite ac dignitate judicaret, cum solius Dei judicio ea in parte subjaceret, ut e Davide notant veteres; sed de violata lege, cujus pœna erat fustium privata castigatio, eo tamen modo infligenda, quem ipse Rex damnatus ad illud ἐπιτίμιον ecclesiasticum præscripsisset. Quod pœnitentiæ genus illi respondet, quam hodie *Disciplinam* voce octingentis abhinc annis in eum sensum usurpata vocamus. Pontifex autem non solum eodem ritu cædi, sed etiam capitis damnari a synedrio poterat.

III. Duo Consilia, præter illud magnum, Hierosolymæ considebant, quemadmodum & in ceteris Judææ oppidis, e viginti tribus Assessoribus composita, qui de capite & fortunis civium judicabant; exceptis causis illis, quæ ad magni sanedrin consessum referebantur, duorumque generum erant, ut dixi, tum sacrarum rerum, tum civilium disceptationi accommodatæ. Rex in senatum quidem illum non cooptabatur, ne suffragiorum libertatem præsentia sua infringeret; sed eum in rebus arduis consulebat. Hoc est, quod inter Mosis instituta Josephus posuit: *Nihil agat* Joseph.
Rex, nisi de Pontificis & Senatorum sententia. πρασσέτω δὲ μηδὲν ὁ βασιλεὺς δίχα τοῦ ἀρχιερέως, καὶ τῆς τῶν γερουσιαστῶν γνώμης.
Itaque, ut initio monui, regnum Judæorum sacerdotale fuit; id est, ejus cura tum in iis, quæ religionem & ceremonias respiciunt, tum quæ civilium rerum administrationem, viris lectissimis tam e Levitico genere, quam e ceteris tribubus fuit commissa; sola belli gerendi & regni constituendi ratione excepta, quæ Regi, excepto quoque sacrificiorum ministerio, quod Pontifici, Sacerdotibus & Levitis præcipuo jure competebat. Sane in secundo Chronicorum libro Josaphatus 2. Chron. 19. & 26.
Rex, cum Zebadiam iis negotiis præficit, quæ ad

ad Regem atque ad populum Judææ pertinebant, etiam Levitas ei adjungit, qui in partem curarum veniant. Et multo ante illum David Rex Hasabiæ & Jeriæ eorumque agnatis, qui Levitæ erant, imperium & potestatem in tribus Benjamini, Simeonis, Judæ, Ruben, Gad & dimidiam tribum Manassis dedit, atque res tam divinas, quam regias gubernare jussit.

IV. Post urbis templique restaurationem imperium, quod penes Davidis posteros fuerat, gens Levitica primum Pontificis nomine, deinde Principis sub Machabæis assumpto, usurpavit. Aristobulus, posito Principis nomine, Regem se tulit. Ita tandem post Sedeciam extinctum Reges iterum Judæa accepit, sed Levitas, quorum ultimus Antigonus fuit. Herodes Idumæus regnum a Romanis tenuit; & extincto Assamonæorum sanguine, repressisque septuaginta senibus, patria Judæorum instituta imminuit. Itaque, quæ de Consilii magna seu synedrii auctoritate dicta sunt, ad eam tempestatem referre oportet, cum Judæa nondum Romanum victorem acceperat. Multa enim Gabinius Proconsul Syriæ, cujus accessio erat Palæstina, retinendæ dominationi refixit; synedriique viribus dissipatis, quinque synedria pari auctoritate in totidem oppidis constituit. Quin & Judæa in provinciæ formulam redacta, quod tentatum ab Herode fuerat, post relegationem Regis Archelai est peractum, scilicet, ut imperium totius Palæstinæ optimo jure esset penes Cæsarem. Quod relictum fuit synedrio Hierosolymitano, in quæstionibus legis discutiendis versabatur, non autem in negotiis publicis dirimendis, quæ potestas fuit penes procuratores Cæsaris & Proconsules.

V. Ex iis, quæ dicta sunt juxta Josephi & Mosis Maimonidis fidem, egregie illustratur vis illius effati, quod Dominus noster morosis illis Judæis pronuntiavit, qui subdole agentes quærebant, an censum liceret pendere Cæsari. Aut enim, neglecto jure, quod reipublicæ Judæorum a Mose erat comparatum, de pietate erga patrias leges apud imperitam plebem periclitabatur; aut reus majestatis Cæsareæ fiebat, si de restituendo imperio a multis annis collapso cogitaret. Illud enim Pharisæorum propositum fuisse existimo, (ut paucis sententiam meam in re alioqui involuta aperiam) non solum quærere, an tributa pendenda essent, sed an liceret censum solvere Cæsari, hacque solutione profiteri summum in Judæam imperium esse penes Cæsarem. Infrunita enim & intempestiva fuisset hæc percontatio, an liberum esset Judæis tributorum pensitatione defungi, cum ab ipsis Alexandri temporibus nunc Syriæ Regibus, nunc Romanis tributa pependissent. Sane cum Alexandro Magno Jaddus Pontifex fœdus pepigit, ea lege, ut septimus quisque annus a tributorum exactione excusaretur, nullaque vis inferretur patriis legibus, teste Josepho. Per Pompejum deinde vectigales facti sunt Romanis Judæi; sed anni septimi indulgentiam bis concessit Julius Cæsar, ad exemplum Alexandri. Pulsis Assamonæis, Herodem Judæis Regem imposuit Augustus; non omissa tributorum exactione, quæ a tot annis sine querela tolerata erant, Judæorum legitimis Regibus horum munerum functioni non renitentibus. Imo vero, ut recte observavit Hieronymus, *Cæsar Augustus Herodem filium Antipatri alienigenam & proselytum Regem Judæis constituerat, qui tributis præesset, & Romano pareret imperio*. Quare non est, quod viri docti lectionem Appiani sollicitent, cum scribit, ab Antonio ad bellum Parthicum se accingente constitutos fuisse Reges Ponti, Pisidiæ & Ciliciæ, & Herodem Idumæorum, ἐπὶ φόροις τεταγμένοις, sub conditione pendendi certi tributi. Etsi enim Herodes optimo jure regnum Judæorum obtineret, αὐτάδθωος esset, & ab eo nulla exigi posset administrationis ratio, eo quod, ut recte monet Antonius, concessa dignitate & auctoritate regia, illius etiam usus concessus videatur, hoc non impedit, quin

Mach. 10. 11. & Joseph. lib. 12. cap. 3. lib. 3. c. 5. Jos. lib. 11. c. 8. χρήσασθαι τοῖς πατρῴοις νόμοις, καὶ τὸ ἕβδομον ἔτος ἀνείσφορον εἶναι. Jos. l. 14. c. 17. χάρεις τοῦ ἑβδόμου ἔτους.

Samuel Petitus lib. 2. Var. c. 1. Appianus lib. 5. bellor. civil.

antiqua vectigalia tempore Assamonæorum Regum constituta exsolvenda essent Cæsari a Judæis, urgente Herode per apparitores & milites suos. Unde tributorum exactores *Herodiani* dicti in evangelio, etiam post obitum Herodis. Tandem Archelao Rege Herodis filio in exilium pulso, bona ejus fisco adjudicata sunt; Judæaque in provinciam redacta, Syriæ accessio fuit, & Cæsari attributa. Tunc Judæi capite censi sunt, teste Hieronymo, integrumque Regis imperium in Cæsarem translatum. Quirinus enim Syriæ præses novum censum egit in Judæa, tributa agris imposita auxit, & capitatim didrachmum indixit. De utraque functione capiendus Appiani locus in Syriacis; qui duriorem in Judæo fuisse capitationem scribit præ tributis, quæ e facultatibus exigebantur: ἐστὶν Ἰουδαίοις ἅπασιν ὁ φόρος τῶν σωμάτων βαρύτερος τῆς ἄλλης περιουσίας. Census specialiter dicebatur nummus solvendæ capitationi apud Hesychium; Κῆνσος εἶδος νομίσματος ἐπικεφαλαίου. Apud Judæos didrachmum seu semisiclus pro capitatione pendebatur Cæsari; ut docet unice locus ille apud Matthæum, ubi Christus pro se & Petro staterem seu quatuor drachmas solvit didrachmi exactoribus. Interrogatio enim Christi, a quibus Reges terræ accipiant tributum, satis evincit, didrachmum illud pertinuisse ad functiones publicas, non autem ad capitationem illam sacram semisicli seu didrachmi, quæ quotannis templo inferenda erat ex lege Mosis. Ad hujus exemplum constitutus est census Cæsarianus, qui proprie dictus census, unde pecunia, qua capitatio præstabatur, *Numisma census* dicitur in evangelio, non quasi aliquod peculiare monetæ genus ad census solutionem cuderetur, sed quod pecunia Cæsaris nomine percussa in eam rem impenderetur. In hoc negotio tria occurrunt, quæ nova & acerbissima Judæis videbantur. Primum est, non tributi solutio, quæ solennis erat Judæis, ex quo vectigales exteris esse cœperunt, sed ejus incrementum, & pensitatio census per capitationem, quæ visa est imminuere libertatem personarum, quam inviolatam hucusque conservaverant. Secundum, regni Judaici extinctio, quod a Judæis translatum est ad Cæsarem, cum ex legis Mosaicæ præscripto Rex e fratrum & Israelitarum cœtu deligendus esset. Licet autem vis illata fuisset huic legi ab Augusto, cum Herodem Judæis imponeret, at proselytum saltem & religionis Judaicæ mysteriis initiatum Regem dederat. Tertium est, summum imperium, quod pleno jure in Judæa Cæsar exercebat. Non enim Regem Judæorum formulis legis Mosaicæ & judicii synedrii adstrictum, sed Cæsarem Tiberius agebat, & eadem jurisdictione utebatur, qua in ceteris provinciis. Quare census pensitatio, quæ Cæsari fiebat, professio erat apertissima & Judææ ad formulam provinciæ redactæ, & summi imperii, quo Cæsar potiebatur in Judæos. Inspecto ergo numismate census, *Reddite*, inquit Dominus, *quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo*. Quo oraculo non solum census pensitatio confirmata est, sed generalibus verbis sancitum est imperium Cæsaris in Judæam, & secretio duarum potestatum constituta; ita ut nec Pontifici nec magno synedrio jus aliquod residuum fuerit in civilium & criminalium causarum majoris momenti discussione, nec Cæsari in cognitione rerum sacrarum, ut patet ex variis locis novi testamenti.

Hieron. *Herodianis, id est, militibus Herodis.*

Hieron. in cap. 17. Matth. *Post Augustum Cæsarem Judæa facta est tributaria, & omnes capite censi ferebantur.*

Matth. 17.

Hilarius contra Const. *Censum capitum remittis, quem Christus, ne scandalo esset, exsolvit.*

IV. Quare non est mirandum, si Christus, cum rempublicam christianam institueret, eam rationem secutus fuerit in potestatum divisione, quam verbis suis religiose firmaverat. Petro namque & Ecclesiæ non familiæ erciscundæ arbitrium, quod a suo munere alienum esse ipsemet testatus fuerat, neque regiam dominationem, quæ gentibus tantum competeret, quamque Cæsari disertis verbis addixerat, sed ligandi solvendique animas pontificium, claves regni cœlorum, non vero terreni, & pascendas oves commisit. Itaque non bene merentur de Romano Pontifice, neque de Regibus Chri-

Christianis, qui auctoritatem harum dignitatum in Ecclesia Christiana ex institutis Judaicis metiuntur. Neque enim Pontifex maximus rerum sacrarum jurisdictione vi Pontificatus potiebatur, sed tantum, ut unus e collegio magni synedrii, si in id adlectus fuisset suffragiis senatorum. Neque penes Reges Judæorum adeo soluta & libera erat rerum administrandarum potestas, quin a magno synedrio sæpissime in rebus controversis penderent. Et ut rem uno verbo expediam, nulla potest, in hoc quidem capite, institui comparatio inter Synagogam & Ecclesiam: quia, quæ apud illam erant permixtæ & confusæ jurisdictiones, apud hanc sunt discretæ & omnino separatæ.

CAPUT VI.

De jure Principum circa sacra in novo Testamento, & inprimis circa controversias fidei, concilia & ritus ecclesiasticos.

SYNOPSIS.

I. Inquiritur, quid liceat Principibus circa res ecclesiasticas. Controversias fidei legibus suis dirimere non possunt. Probatur exemplis & rescripto Theodosii.

II. Item Valentiniani responso & rescripto.

III. Et ex Ambrosio & Concilio Aquilejensi.

IV. Iis Conciliis interesse poterant Principes, ubi agebatur de fide. Explicatum rescriptum Theodosii, quo decernit, ut Florentinus Patricius intersit synodo, quia agitur de fide. Cur laici possint interesse tractatibus fidei, ex Nicolao & octava synodo.

V. Rejecta a Maximo Abbate Græcorum opinio, qui Principi jus sacerdotii & de dogmatibus statuendi vindicabant. Imperator inter laicos recensetur in precibus sacrificii. Jus docendi & titulus Epistimonarchæ tributa Imperatori a posterioribus Græcis. Quod alienum a mente veterum docetur ex Theodoreto.

VI. De ritibus & ceremoniis decernere non potest Princeps. Notatus Justinianus.

I. Videamus ergo absque ullo veteris legis præjudicio, quid Principibus Christianis liceat circa res sacras & ecclesiasticas. Quod expendere oportet juxta divisionem initio capitis superioris propositam; non tantum ratione habita ejus juris, quod libris Decretalium continetur, sed etiam inspectis veterum Conciliorum & antiquorum patrum hac de re sententiis.

Principes Christiani de rebus fidei controversis leges ferre non possunt, cum hæc sit Ecclesiæ Christi potestas; cui, ut columnæ, fidei Christianæ prædicatio secundum scripturarum & veteris traditionis tenorem innititur. Unde perfidiam Arrii non Constantinus, sed synodus Nicæna discussit. Macedonium & Apollinaristas occidentalium libellus & synodus Constantinopoli coacta, non vero Theodosius Imperator, hæreseos damnarunt. Nestorii amentiam synodus Ephesina, & Eutychetis delirium Chalcedonense Concilium, non Theodosius, aut Marcianus, anathemate perculerunt. Hoc apertissime professi sunt ipsi Principes; ut in re certissima argumentis congerendis non sit opus. Sed quia minus sincere, qui discussioni quæstionis nostræ infudant, quæ de una specie dicta sunt, ad omnes rerum ecclesiasticarum species extendunt, ideo aliquot locos promam, qui suis limitibus coerceri debent, non autem ad alienam a mente auctorum sententiam torqueri. Hujus rei specimen præbebit Theodosii epistola ad synodum Ephesinam: *Nefas est enim, qui sanctissimorum Episcoporum catalogo adscriptus non est, illum ecclesiasticis negotiis & consultationibus sese immiscere.* Sed dissimulantur superiora verba, quæ rem omnem ad fidei quæstiones restringunt: *Candidianum ad sacram vestram synodum abire jussimus, sed ea lege & conditione, ut cum quæstionibus & controversiis, quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil quidquam commune habeat. Nefas est enim, &c.*

Synod. Ephes. part. I. cap. 35. ἀθέμιτον γὰρ τὸν μὴ τῷ καταλόγῳ τῶν ἁγιωτάτων ἐπισκόπων τυγχάνοντα, τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς σκέμμασιν ἐπιμίγνυσθαι.

Καὶ μηδὲν μὲν τὸ περὶ τῶν δογμάτων γινομέναις ζητήσεσιν κοινωνῆσαι. ἀθέμιτον γὰρ, &c.

II. Cum Valentinianus Imperator ad synodum indicendam sollicitatus esset ab Episcopis orientis anno CCCLXIV. pro restauranda consubstantialitatis fide, quæ a Constantio pessumdata erat, præclarum hoc responsum dedisse testatur Sozomenus: *Sibi, qui unus e laicorum numero erat, non licere, se ejusmodi negotiis interponere. Et ideo Sacerdotes & Episcopi, inquit, quibus hæc curæ sunt, seorsum per se, ubicunque ipsis libitum fuerit, in unum conveniant.* Quo responso ad legationem Hypatiani dato, Episcopi orientales Lampsaci Concilium cogunt. Ex ista Valentiniani professione interdictas quidem esse Principibus fidei quæstiones aperte patet. Non inde tamen sequitur, Imperatorem a se duxisse alienum, ut synodum indiceret; cum e contra, disertis verbis, ejus cogendæ Episcopis gratiam faciat. Hic locus sincere acceptus id tantum conficit, quod dixi, non autem, quod inde plurimi colligunt. Ceterum quod verbo testatus fuerat, rescripto constituit, nempe fidei causas a sacerdotibus esse judicandas. Exceptione hujus legis usus est sanctus Ambrosius, cum recusabat de fide cum Auxentio disputare in Consistorio Principis: *Nec quisquam*, inquit, *contumacem me judicare debet, hoc cum asseram, quod augustæ memoriæ pater tuus non solum sermone respondit, sed etiam legibus suis sanxit: In causa fidei vel ecclesiastici alicujus ordinis eum judicare debere, qui nec munere impar sit, nec jure dissimilis. Hæc enim verba rescripti sunt. Hoc est, sacerdotes de sacerdotibus voluit judicare.*

Sozom. l. 6. c. 7. ἐμοὶ μὲν, ἔφη, μετὰ λαοῦ τεταγμένῳ οὐ θέμις τοιαῦτα πολυπραγμονεῖν.

Ambros. lib. 5. epist. 35.

III. Et quia in hunc locum incidimus, ne res aperta testium nube obscuretur, satis erit unus Ambrosius, qui vehementi oratione sacrilegium istud a mente Principum dispellit. *Quando audisti, Clementissime Imperator, in causa fidei laicos de Episcopis judicasse? Ita ergo quadam adulatione curvamur, ut sacerdotalis juris simus immemores, & quod Deus donavit mihi, hoc ipse aliis putem esse credendum? Si docendus est Episcopus a laico, quid sequetur? Laicus ergo disputet, & Episcopus audiat; Episcopus discat a laico. At certe, si vel scripturarum seriem divinarum vel vetera tempora retractemus, quis est, qui abnuat in causa fidei, in causa inquam fidei, Episcopos solere de Imperatoribus Christianis, non Imperatores de Episcopis judicare?* Infra: *Si conferendum de fide, sacerdotum debet esse ista collatio; sicut factum est sub Constantino augustæ memoriæ Principe, qui nullas leges ante præmisit, sed liberum dedit judicium sacerdotibus.*

Huc trahi debent, quæ in Palladium Episcopum Arrianæ hæreseos professorem in Concilio Aquilejensi probra conjecit idem Ambrosius, quod, Episcopus cum esset, ad sententiam laicorum provocaret, quod de causa fidei intelligendum est. *Etsi in multis impietatibus deprehensus sit, erubescimus tamen, ut videatur, qui sacerdotium sibi vendicat, a laicis esse damnandus. Ac per hoc, quoniam & in hoc ipso damnandus est, qui laicorum expectat sententiam, cum magis de laicis sacerdotes debeant judicare, eum pronuntio sacerdotio indignum.* Quare prudentissime rescripsit Agapetus Pontifex Justiniano Principi, qui edictum aliquod de fide orthodoxa promulgarat, se illud laudare & amplecti; *non, quia laicis auctoritatem prædicationis admittimus, sed, quia studium fidei vestræ patrum nostrorum regulis conveniens confirmamus atque roboramus.*

Agapet. epist. 6.

IV. Quamvis autem de fide nihil decernerent Principes, tamen exemplo Constantini Magni Conciliis adesse poterant, ubi de fide tractabatur, quæ communis est æque laicis ac clericis. Hoc præ se tulit Marcianus Imperator in oratione sua ad synodum Chalcedonensem: *Nos enim ad fidem confirmandam, non ad potentiam aliquam exercendam, exemplo religiosi Principis Constantini synodo interesse voluimus, ne vel ulterius populi pravis suasionibus*

Vide libellum Marcæ editum Barcinone.

Conc. Chalced. Act. 6.

nibus separentur. Quare Patricius Florentius mandato Imperatoris Theodosii synodo Constantinopoli habitæ sub Flaviano contra Eutychem interfuit, quia tractabatur de fide, ut ait diserte Imperator in rescripto: ἐπειδὴ λόγος περὶ πίστεως ἐστίν. Quæ non sunt accipienda eo sensu, quasi de fide tractare Florentio fuerit liberum, sed, ut ostendatur, cur adversum regulas, quæ laicos a Conciliis arcent, licuerit Florentio interesse tractationibus illius synodi, nempe quia de fide agebatur. Sane, cum legerentur acta istius synodi, & interlocutio Florentii recitaretur his verbis: *Qui non dicit ex duabus naturis & duas naturas, non credit recte*, retulit ille, se nihil tale interlocutum, nefas enim sibi esse de dogmatibus decernere: οὐ δὲ γὰρ ἐγὼ οἷός τε ἤμην δογματίζειν.

Act. 1. Conc. Chal. pag. 219. in edit. Labbei.

Ibid. pag. 237.

Nicolaus I. rationem aperuit, cur tractatibus de fide interesse possint laici: *Dicite, quæsumus, ubinam legistis, Imperatores antecessores vestros in synodalibus conventibus interfuisse? Nisi forsitan, in quibus de fide tractatum est, quæ universalis est, quæ omnium communis est, quæ non solum ad clericos, verum etiam ad laicos & ad omnes omnino pertinet Christianos. Vos autem non solum synodo in causa sacerdotis* (id est, Ignatii) *collectæ interfuistis, verum etiam numerosa secularium millia ad videndum ejus opprobrium aggregastis*. Unde synodus octava hærens vestigiis Nicolai fatetur, Principibus liberum synodis œcumenicis interesse, cum de fide agitur; quamvis illos a ceteris Conciliis arceat, & ab ipsa fidei definitione, quam a Principibus omnino alienam esse diximus.

Nicolaus I. ep. 8. ad Michaelem apud Gratian. dist. 96. cap. 4. *Vbinam*.

Act. 8. syn. c. 12. ἔθεν οὐδὲ πλὴν τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων τὴν παρουσίαν αὐτῶν γεγενημένην εὑρίσκομεν.

V. Neque enim illam impietatem fovemus, qua magistratus Constantinopolitani ferebantur, cum editam legem seu typum a Constante Imperatore de unius voluntatis in Christo professione Maximo Abbati, ut ei consensum suum præberet, obtrudebant. Etenim respondente Maximo, non esse Principis partes, ut de dogmatibus decerneret, *quoniam sacerdotum est, quærere ac definire de salutaribus Ecclesiæ catholicæ dogmatibus*, replicant illi: *Ergo non est omnis Christianus Imperator etiam sacerdos*. Tum retulit Maximus: *Non est. Neque enim adstat altari, neque post sanctificationem panis exaltat eum, dicens* Sancta sanctis, *neque baptisat, neque chrismatis confectionem patrat, neque facit Episcopos vel Presbyteros aut Diaconos, neque linit Ecclesias, neque indicia sacerdotii fert, superhumerale scilicet & evangelium, quemadmodum imperii coronam & purpuram*. Deinde refellit argumentum adversariorum, qui ducebant exemplum a Melchisedeco Rege atque Sacerdote; quem ille typum immortalis Regis & Sacerdotis gessisse, nequaquam vero ceteris Regibus ad eandem dignitatem præivisse, ostendit, atque tandem ita sermonem istum claudit, ut doceat, in diptychis Ecclesiæ nomina Principum descripta cum plebe, non autem cum clero, & eodem discrimine eorum memoriam in sacrificiis celebratam. *Veruntamen quid volumus per multa discurrere? Inter sacras oblationes supra sanctam mensam, post Pontifices & Sacerdotes & Diaconos omnemque sacratum ordinem, cum laicis Imperatores memorantur, dicente Diacono: Et eorum, qui in fide dormierunt, laicorum Constantini, Constantis, & ceterorum. Sic autem & vivorum memoriam facit Imperatorum post sacratos omnes*. Attamen tam serio monenti non cessit adulatio aulicorum. Nam *hæc eo dicente, clamat Mennas: Hæc dicens, scidisti Ecclesiam*. Manavit hæc opinio, quamvis aliqua sui parte imminuta, in sequioris seculi Græculos: qui sacerdotii muneribus Imperatores adeo implicant, ut ipsum docendi officium, quod Episcopis tam severe vindicat Ambrosius, Principibus suis fœda & demissa humilitate communicent. Balsamonis hæc sunt verba: *Audiant hi, tam ad amplitudinem imperatoriam quam patriarchalem officia docendi pertinere propter unctionis sacræ vim atque potestatem. Hinc enim usu venit, ut fideles Principes & Imperatores catechetico more cum Christiano populo colloquantur, aut suffitum faciant more sacerdotum, & cum cera duplici obsignent*. Mox: *Imperatorum auxilium ad illuminationem & stabilimentum sese tam animi quam corporis porrigit, amplitudine Patriarcharum ad animi duntaxat utilitatem constricta*. Unde a Demetrio Chomateno Archiepiscopo Bulgariæ Princeps dicitur esse Κοινὸς τῶν Ἐκκλησιῶν Ἐπιστημονάρχης, quasi diceres doctrinæ Principem. Meminisse debuerant Eulogii Presbyteri: qui, cum a Valentis Præfecto urgeretur, ut cum Imperatore communicaret, nolle facere respondit apud Theodoretum: *Numquid cum imperio est etiam sacerdotii dignitatem consecutus?* Qua de re graviter Facundus Hermianensis, *Christi solius esse regnum cum sacerdotio simul habere; quoniam, etsi quidam Reges in ejus venturi figuram sacerdotio functi sunt, tamen, cum manifesta lux veniret in mundum, umbras removens futurorum, nulli alteri dedit, quod sibi singulare servavit; sed in diversos sua dona distribuens, sic, quæ propria sunt sacerdotii, Regibus interdixit. Quocirca, quemadmodum vir sapiens non profanum judicaret hoc velle videri, quod solus est Christus*.

Collatio Maximi cum Principibus in Secretario anno 655. edita a V. Cl. R. P. Sirmondo inter Collectanea Anastasii.

Theod. Balsamo in Medit. de Patriarch. οἱ βασιλεῖς καὶ οἱ πατριάρχαι μεγαλύνονται μὲν καὶ διδασκαλικοῖς ἀξιώμασι, διὰ τὴν τοῦ ἁγίου χρίσματος δύναμιν. ἐντεῦθεν γὰρ οἱ πιστοὶ δεσπόται καὶ αὐτοκράτορες κατηχητικῶς ὁμιλοῦσι τῷ χριστωνύμῳ λαῷ, καὶ θυμιῶσιν ὡς ἱερεῖς, καὶ μετὰ δικηρίου σφραγίζουσιν. Infrà: τῶν μὲν αὐτοκρατόρων ἡ ἀρωγὴ πρὸς φωτισμὸν καὶ σύστασιν ἐπεκτείνεται ψυχῆς τε καὶ σώματος, τὸ δὲ μεγαλεῖον τῶν πατριαρχῶν εἰς μόνην ψυχικὴν ἐστενοχώρηται λυσιτέλειαν.

Theod. lib. 4. c. 16. μὴ γὰρ καὶ μετὰ τῆς βασιλείας, καὶ τῆς ἱερωσύνης μετέλαχεν.

Facund. l. 12. c. 3.

VI. Quod attinet ad disciplinam, quæ versatur in ceremoniis & in sacrorum ministerio, de illa decretis suis statuere posse viderentur Principes Christiani ad exemplum Regum Judaicorum, qui sacerdotibus vices sacrificiorum & Levitis munia sua distribuerunt; nisi, quod ab iis regii sacerdotii privilegio factum est, ad Reges Christianos trahi non posse docuissemus capite superiori. Gelasius in iis, quæ sacramentorum perceptionem & mysteriorum erogationem respiciunt, Principes religionis ordine a sacerdotum judicio pendere docuit. Et Gregorius II. in Leonem invectus est, quod imagines, quæ ad ceremoniarum censum referri possunt, ab Ecclesiis edicto suo proscripsisset. Quare vereor, ne Justinianum damnare cogamur, quod de sacræ liturgiæ ritibus constitutionem ediderit, qua mystica verba consecrationis eucharistiæ elata voce, non autem demissa, ut solenne erat, proferri jubet, ut, qui locum tenet idiotæ, Amen succinere possit. Præterquam, quod enim de ritu sacrificiorum decernere tentat, quæ pars disciplinæ solis sacerdotibus competit, antiquos Ecclesiæ mores sollicitat, qui, ut reverentia mysteriis conciliaretur, preces mysticas demissa voce proferri induxerant, ut testatur Basilius in oriente, &, licet aliquot seculis posterior, Alcuinus in occidente, si tamen is liber est Alcuini.

Vide supra hoc libro c. 4. §. 5.

Gelasius in ep. ad Anastas.

Gregor. II. in ep. ad Leon.

Nov. 137. μὴ κατὰ τὸ σιωπώμενον, ἀλλὰ μετὰ φωνῆς.

Basil. de Spiritu sancto c. 17. οἱ τὰ περὶ τὰς ἐκκλησίας ἐξ ἀρχῆς διαθεσμοθετήσαντες ἀπόστολοι καὶ πατέρες, ἐν τῷ κεκρυμμένῳ καὶ ἀφθέγκτῳ τὸ σεμνὸν τοῖς μυστηρίοις ἐφύλασσον.

Alcuin. c. 40. l. de divin. offic.

CAPUT VII.

De exemptione clericorum, qua talium, a legibus Principum.

SYNOPSIS.

I. An censura clericorum legibus Principum subjaceat. De clericis agi, qua sunt clerici, vel qua sunt cives. Clericorum conditio, qua clerici sunt, a legibus Principum immunis, & a foro civili.

II. Probatur e dicto Constantini, & ex causa Cæciliani cum Donatistis.

III. Ex Athanasio, Liberio & Osio.

IV. Ex Valentiniani rescripto ab Ambrosio relato, quod explicatur. Judicium in causa ecclesiastici ordinis. Decreta edita de sacris ordinibus. Honorii rescriptum in causa Chrysostomi de canonicis quæstionibus intelligendum, quæ ibi religionis causa dicuntur.

V. Idem probatur e Basilio Imperatore in octava synodo; cujus locus explicatur.

VI. Canonicis quæstionibus interesse non debent laici, e Synodo Chalcedonensi, & Justiniano.

VII. Mar-

VII. Marcianus a Concilio Chalcedonensi edi tres canones de clericorum & monachorum disciplina postulat.

VIII. Canones de ecclesiasticis ordinibus eduntur. De Clericis, qua cives sunt, & de bonis ecclesiasticis alibi dicetur.

I. AN censura clericorum legibus & judiciis Principum subjaceat, non potest sine offensionis periculo tractari. Æquo tamen animo laturos esse Principes existimo, si aliquo dato & recento, de lite ista implicatissima transigatur. Proferamus, quæ sit veterum sententia: & negotium confectum erit absque ulla partium injuria. Duas species constituisse mihi videntur antiqui scriptores. Aut enim de Titio movetur quæstio sub ea ratione, qua clericus est, aut sub ea, qua inter cives recensetur. Si de clericorum gradibus, ordinibus, muneribus & conditionibus, quæ ordinandos decent, & de vitio ordinationum agatur, aut de judiciis, quæ ob violatos canones instituuntur, quæ criminis ecclesiastici nomine comprehendi solent, eo casu, cum ipsum clericorum ministerium jure divino sit institutum, quæ nerессario sunt ad illud explicandum aut vindicandum, ei potestati commissa censentur, quæ jus imponendarum manuum a Christo Domino nostro accepit. Criminis ecclesiastici meminere canon primus Concilii Constantinopolitani œcumenici sub Theodosio & Justiniani constitutiones. Res, quæ crimini ecclesiastico materiam præbent, canone perstringi debent, non autem lege publica, nisi in subsidium: quemadmodum nec judicium publicum de iis exerceri debet, sed tantum ecclesiasticum. Quare, cum a foro ad jus ferendæ legis argumentum trahi soleat, ad probandam speciem, quam tracto, nempe legibus Regum non subjici eas disceptationes, adducam aliquot testimonia veterum, quæ cleri censuram ante leges Theodosii a magistratuum tribunalibus in crimine ecclesiastico submovent.

II. Huc referri debent, quæ de Constantino tradit Ruffinus, qui judicium adversus Episcopos se mutuis contentionibus proscindentes in Concilio Nicæno suscipere recusavit: *Deus vos constituit sacerdotes, & nobis a Deo dati estis dii; & conveniens non est, ut homo judicet deos, sed ille solus, de quo scriptum est: Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos discernit.* Donatistarum funesta diffidia originem traxere a Cæciliani ordinatione, quam vitio factam contendebant principes factionis. Vitium autem in eo positum, quod Cæciliano manus imposita esset a traditoribus librorum sacrorum, eorum communione infectum Cæcilianum, atque ideo Ecclesia pellendum. Hoc erat purum putum crimen ecclesiasticum, in quo de communione repellenda vel suscipienda, de traditionibus scripturarum, de vitio ordinationis quærebatur. Ea de causa interpellatus Constantinus judices dedit ecclesiasticos cum Melchiade Papa Gallicanos Italosque Episcopos. Sed cum Donatistæ sententia judicum victi quererentur apud Imperatorem, ille primo quidem cognitionem repulit. *Neque* enim, ut inquit Augustinus, *ausus est Christianus Imperator sic eorum tumultuosas & fallaces querelas suscipere, ut de judicio Episcoporum, qui Romæ sederant, ipse judicaret.* Tandem importunis Donatistarum clamoribus vexatus, de appellatione cognovit; sed, ut observavit Augustinus, *eis ipse cessit, ut de illa causa post Episcopos judicaret, a sanctis antistitibus postea veniam petiturus; dum tamen illi, quod ulterius dicerent, non haberent.*

Ruffinus lib. 1. hist. c. 2.

S. August. ep. 162.

III. Quid dicam de Athanasio, in quo illustria extant in utramque partem exempla? Cædis accusatur apud Constantium Principem. Ille statim Dalmatio Censori judicium delegavit; sed calumnia comperta, Dalmatium a causæ cognitione desistere jussit, ut testatur Athanasius. Arriani Episcopi pari odio in fidem Nicænam & in Athanasium ejus vindicem inflammati, poculum mysticum confractum, altare eversum ab Athanasio læsæ religionis reo queruntur apud Principem, & Concilium Tyrium impetrant, ut de crimine ecclesiastico & simul de ceteris cognitio suscipiatur. Aderat Dionysius Comes satellitio militum cinctus, ut idem animadversor esset & custos observandæ æquabilitatis & ordinis. Inde arripuit occasionem Athanasius hoc Concilium insectandi, ex eo capite scilicet, quod universæ Ecclesiæ erat notissimum, in judicia ecclesiastica nihil Imperatori licere. *Si istud judicium Episcoporum*, inquit, *quid commune cum eo habet Imperator?* Sed, cum post aliquot annos a Concilio Antiocheno decreta fuisset executio sententiæ latæ in Concilio Tyrio adversus Athanasium, ille quidem Romam tanquam ad tutissimum communionis suæ portum confugit; deinde e Sardicensi Concilio, cum Julii decretum de suscipiendo in communionem Athanasio probatum fuisset, suam Ecclesiam recepit. At vero, cum post obitum Constantis fratris id unum Constantius Imperator ab Arrianis sollicitatus urgeret, ut Liberius Romanus Episcopus, Osius Cordubensis, & ceteri occidentis Episcopi damnationi Athanasii in Concilio Tyrio jam a sexdecim annis redditæ & novæ in Concilio orientali post cædem Magnentii decretæ subscriberent, viri illi gravissimi, disciplinæ ecclesiasticæ tunc assertores, quamvis postea desertores, excanduerunt ad impium conatum Principis, illa exceptione se tuentes, quod a judiciis ecclesiasticis abstinere debeat Imperator. Extat apud Theodoretum dialogus Constantii cum Liberio Mediolani habitus, qui ab ecclesiastici ordinis formula recedendi nullum esse locum constantissime urget; quemadmodum Osius serio eundem Principem monet, ne se ecclesiasticis rebus misceat. Quæ ad hanc speciem referenda esse epistolæ integræ contextus docet.

Athan. apol. 2.

Theodor. l. 2. c. 26.

Osii epistola apud Athan.

Eadem mens est Hilarii hortantis Constantium Augustum, ne permittat judicibus suis, ut clericos vi, minis & variis afflictationibus fractos iis Episcopis addicant & subjiciant, qui adulterinam doctrinam spargunt: *Provideat & decernat clementia tua, ut omnes se ubique judices, quibus provinciarum administrationes creditæ sunt, ad quos sola cura & solicitudo publicorum negotiorum pertinere debet, a religiosa se observantia abstineant, neque posthac præsumant atque usurpent & putent, se causas cognoscere clericorum.*

Hilarius ad Constant.

IV. Valentinianus senior rescripto suo apud Ambrosium relato hanc sententiam sancivit, cum *in causa fidei vel ecclesiastici alicujus ordinis eum judicare debere statuit, qui nec munere impar sit, nec jure dissimilis*, id est, cognitionem synodis deberi, si de clericis, qua clerici sunt, quæstio instituatur. Juvat hanc interpretationem Hincmarus Archiepiscopus Remensis, cum Leonis locum explicat, ubi decreta Pontificum de sacris ordinibus edita servanda esse docet. *De sacris autem ordinibus promulgare est, qui & quot sint, & quales ac qualiter, & a quibus vel quando sint ordinandi, & quomodo ac quantum in singulis gradibus debeant ministrare, qualiter etiam ab ostiario usque ad summum sacerdotium quique valeant provehi. Et quæ sint ex eis a sedis Romanæ Pontificibus promulgata, omnibus in ecclesiasticis dogmatibus exercitatis constat esse notissimum.* Quo referenda sunt Honorii ad Arcadium epistolæ verba in causa Chrysostomi a Theophilo Alexandrino, & a synodo ad Quercum, ordine judiciorum non servato, ob canonicas accusationes, non autem ob fidei quæstiones, damnati, & in exilium ab Arcadio pulsi: *cum, si quid de causa religionis ageretur, episcopale oportuerit esse judicium. Ad illos enim divinarum rerum interpretatio, ad nos religionis spectat obsequium. Sed esto, sibi de mysticis & catholicis quæstionibus amplius aliquid principalis cura præsumpserit.. Itane usque ad exilia sacerdotum, usque ad hominum cædes, debuit indignatio concitata procedere?*

Hincmarus in Opusc. 55. Capit. cap. 10.

Epistola Honorii Imp. ad Arcad.

V. Ea, quæ protuli testimonia, satis evincunt, illud axioma verum esse, quod probare contendo, nempe cleri censuram imperatoriis legibus non subjacere. Hoc sensu intelligendus est Basilius Imperator, qui in octava synodo iis verbis usus est, quæ suis finibus coerceri debent, ut illis sua ratio constet. De vitio ordinationis Photii, quæ contra canones celebrata erat, in illo Concilio agebatur, & de restitutione Ignatii Patriarchæ Constantinopolitani, quæ duæ quæstiones judicio illius synodi diremptæ sunt, & imaginum usus confirmatus. His ita peractis, Basilius ad synodum accessit, ut res decretæ etiam subscriptione sua robur acciperent; & addit: *Laico cuicunque nulla ratione de ecclesiasticis causis disputandi, aut universam Ecclesiam œcumenicamque synodum oppugnandi fas esse dico. Hæc enim excutiendi & in utramque partem agitandi Patriarcharum, Sacerdotum & Doctorum est officium, quibus a Deo ligandi & solvendi potestas est concessa. Nam laicus, etsi omni pietatis & sapientiæ laude præstet, tamen laicus est, & ovis, non pastor.*

Allocutio Basilii ad VIII. Synod. Act. X. Λαϊκῷ δὲ οἱῳδήποτε κατ' οὐδένα τρόπον ἐξεῖναι λέγω περὶ ἐκκλησιαστικῶν ὑποθέσεων λόγους ἀνακινεῖν, ἢ ἀντίστασθαι ὁλοκλήρῳ ἐκκλησίᾳ, ἢ οἰκουμενικῇ συνόδῳ. ταῦτα γὰρ ἀνιχνεύειν τε καὶ ζητεῖν, πατριαρχῶν ἔργον ἐστὶ, καὶ ἱερέων, καὶ διδασκάλων, οἷς τὸ λύειν τε καὶ δεσμεῖν δέδοται ἐκ Θεοῦ. ὁ γὰρ λαϊκὸς, κἂν πάσης ἐστὶν εὐλαβείας καὶ σοφίας μεστὸς, ἀλλὰ λαϊκὸς, καὶ πρόβατον, οὐ ποιμήν.

VI. Attamen abstinere non debeo a duobus locis e Concilio Chalcedonensi petitis, quibus hæc sententia pene conceptis verbis est expressa. Dioscorus Patriarcha Alexandrinus literis Concilii evocatus, ut libello Eusebii Dorylæorum Episcopi responderet, cum judicio synodi stare nollet, nisi adessent cognitioni accusationis adversum se delatæ gloriosissimi judices & sacer senatus, qui pridie locum Principis in Concilio obtinebant, Cecropius Episcopus Sebastopolis, unus e tribus Episcopis, qui missi erant ad vocandum Dioscorum, inanem hominis spem his verbis repulit: *Quando canonicæ quæstiones examinantur, neque judices, neque alios laicos interesse oportet, nisi tantummodo tuam sanctitatem, quæ in propria accusatur persona.* Idem fatetur ingenue Justinianus, jurisque illius rationem reddit: *Si vero ecclesiasticum sit delictum, egens castigatione ecclesiastica & mulcta, Deo amabilis Episcopus hoc discernat, nihil communicantibus clarissimis provinciæ judicibus. Neque enim volumus talia negotia omnino scire civiles judices; cum oporteat talia ecclesiastice examinari, & emendari animas delinquentium per ecclesiasticam mulctam secundum sacras & divinas regulas, quas etiam nostræ sequi non dedignantur leges.* Εἰ μέντοι ἐκκλησιαστικὸν εἴη τὸ ἁμάρτημα, δεόμενον σωφρονισμοῦ καὶ ἐπιτιμίων ἐκκλησιαστικῶν, ὁ θεοφιλέστατος ἐπίσκοπος τοῦτο κρινέτω, μηδὲν ἐπικοινωνούντων τῶν λαμπροτάτων ἀρχόντων τῆς ἐπαρχίας. οὐδὲ γὰρ βουλόμεθα τοιαύτας ὑποθέσεις ὅλως οὐδὲ γινώσκειν τοὺς πολιτικοὺς ἄρχοντας, δέον τὰ τοιαῦτα ἐκκλησιαστικῶς ἐξετάζεσθαι, καὶ ἐπανορθοῦσθαι ψυχὰς τῶν ἁμαρτανόντων διὰ τῶν ἐκκλησιαστικῶν ἐπιτιμίων, κατὰ τοὺς ἱεροὺς καὶ θείους κανόνας, οἷς καὶ ἡμέτεροι κατακολουθεῖν οὐκ ἀπαξιοῦσι νόμοι.

Concil. Chalcedon. Act. 3. Κανονικῶν γὰρ ἐξεταζομένων, οὔτε ἄρχοντας οὔτε ἑτέρους τινὰς λαϊκοὺς παρεῖναι χρὴ, εἰ μὴ μόνον τὴν σὴν ὁσιότητα, ἢ εἰς πρόσωπον κατηγορουμένων οἰκεῖον. Novel. 83.

VII. Sed, quoniam delicatioribus ingeniis est satisfaciendum, quibus omnia argumenta fastidium movent, nisi arte quadam & industria parata sint, docendum est, non tantum a judiciis canonicis abstinuisse magistratus, sed etiam a legibus ea de re ferendis Imperatores temperasse. Marcianus exemplo suo docuit, quid sequi debeant in posterum Principes, cum clericorum & monachorum disciplina constituenda est. Etenim, cum monachorum erga Episcopos cultum & obedientiam, monasteriorum cum consensu Episcopi ædificationem, clericorum a secularibus negotiis secessionem, & in sibi assignatis Ecclesiis assiduam & sedulam administrationem, Marcianus constitui vellet, quia plane hæc capita ecclesiasticos ordines attingunt, a quibus publicam auctoritatem Valentinianus senior summoverat, de his noluit legem ferre, sed satius esse putavit, ut synodi decreto statuerentur. Protulit hæc capita Marcianus, quæ relecta publice a Beroniciano, sacri Consistorii a secretis, in canones illius Concilii αὐτολεξεὶ relata sunt. *Divinissimus & piissimus Dominus noster ad sanctam synodum dixit: Quædam capitula sunt, quæ ad honorem vestræ reverentiæ vobis servavimus, decorum esse judicantes a vobis hæc regulariter potius formari per synodum, quam nostra lege sanciri.* Prudenter loquitur Marcianus, nec sibi potestatem istam decernendi arrogat, nec derogat majestati suæ; sed tamen rem totam non solum judicio & consensui synodi, sed etiam decreto committit.

Concil. Chalcedon. Act. 6. τινὰ ἐστὶ κεφάλαια, ἅτινα πρὸς τιμὴν τῆς ἡμετέρας εὐλαβείας ὑμῖν ἐφυλάξαμεν, πρέπον ἡγησάμενοι παρ' ὑμῶν ταῦτα κανονικῶς κατὰ σύνοδον τυπωθῆναι, ἢ νόμοις θεσπισθῆναι ἡμετέροις.

VIII. Unde est, quod de ritibus, ceremoniis, sacramentis, cleri censura, functione, conditionibus & disciplina, canones a Conciliis & decreta a Pontificibus Romanis, tanquam de materia sibi subjecta, frequentissime edantur, & vix ulla proferri possit constitutio Principum, quæ hac de re lata fuerit ex mero potestatis secularis imperio. Secutas quidem hac in parte leges publicas videmus, sed non antecessisse. Enimvero, quia clerici, non tantum qua clerici, sed etiam qua cives sunt, spectantur in republica, legibus Principum tenentur, nisi earum gratiam aut libertate generali toti clero indulta, aut alicui ordini ex beneficio Regum consecuti sint. De qua immunitate, quatenus in Gallia locum habet, dicendum est alibi copiose, & de bonis ecclesiasticis, quatenus jurisdictioni regiæ subjacent. Ubi etiam expendemus, qua ratione apud nos vim obtineat dictum illud Innocentii III. quod extat in Decretalibus, scilicet de personis & rebus ecclesiasticis nullam laicis attributam esse facultatem. Sed hæc disceptatio ad præsentem quæstionem non pertinet, in qua potestatem regiam a clericis, qua sunt clerici, & a rebus omnino spiritualibus & mere ecclesiasticis arcemus, præterquam si ad tuendos canones exerceatur.

Cap. Tua. de Decimis. Vide Innoc. III. lib. 1. epist. 341.

CAPUT VIII.

De jure Principum circa divisionem provinciarum ecclesiasticarum, eisque annexarum dignitatum.

SYNOPSIS.

I. An Princeps dividere possit provincias ecclesiasticas & episcopalem sedem in metropolitanam sedem evehere. Quod factum a Valente Imp. in Cappadocia secunda. Hoc illicitum docuit Innocentius primus. De Beryto in metropolim evecta a Theodosio quæsitum in synodo Chalcedonensi. Rescriptum probatum fuerat a synodo Constantinopolitana. Sed rescindi jussit Princeps, si canonibus esset adversum. Pragmaticæ legibus contrariæ inutiles.

II. Divisio Phœniciæ contraria Nicænis canonibus. Lex Principis illis adversa rescissa a Principe, idque synodus amplexa est.

III. Judices una cum synodo de possessione restituenda Ecclesiæ Tyri pronuntiant. Sed de ordinationibus ab Episcopo celebratis judicium integrum synodo relinquunt, quamvis judicium ab ea latum deinde confirment.

IV. Rescissionem rescriptorum, quæ canonibus contraria sunt, a Principe & a judicibus petit synodus Chalcedonensis, quod decretum est a judicibus in synodo.

V. Canon XII. synodi secutus est, ne quis Episcopus rescripta ad provinciarum divisionem impetret, pœna lata in Episcopum. Discussus canon XVII. qui superiori contrarius videtur. Explicatio Zonaræ, civitates de novo conditas in metropoles a Principibus evehi posse. Balsamo de quibuscunque civitatibus intelligit. Alexius Comnenus canones conciliat, non recte.

VI. Ex sententia auctoris conciliantur duo canones, ita, ut nec provincias dividere, nec civitatem episcopatu ornare Principi liceat.

VII. Patriarchatui Hierosolymorum adjectæ provinciæ Principum rescriptis, quæ ab Ecclesia Antiochena eas distraxerant. Contentio sopita transactione Episcoporum. Quæ decreto judicum & synodi confirmata, quia mixta causa.

I. NUnc inquirendum restat, an saltem Ecclesiarum dignitas a Principe pendeat; adeo, ut ho-

ut honor metropoliticus, quem civitatibus contulerit, ad earum civitatum Episcopos manare possit. Id quidem olim obtinuisse quamplurimis testimoniis probari posset; sed uno tantum utar. Cappadocia in duas provincias secta est a Valente Imp. in odium Basilii, constituta Cappadociæ secundæ metropoli in urbe Tyanorum: cujus Episcopus Anthimus synodum provinciæ in duas partes distraxit, invito licet Basilio, ut testatur Gregorius Nazianzenus. Sed cum Principes faciliores se præberent his innovationibus, Innocentius I. jam olim respondit Alexandro Antiocheno Episcopo, Ecclesiarum statum divisionibus provinciarum a Principe factis non immutari. *Nam quod sciscitaris*, inquit, *utrum divisis imperiali judicio provinciis, ut duæ metropoles fiant, sic duo Metropolitani Episcopi debeant nominari, non ergo visum est ad mobilitatem necessitatum mundanarum Dei Ecclesiam commutari, honoresque aut divisiones perpeti, quas pro suis causis faciendas duxerit Imperator. Ergo secundum pristinum provinciarum morem Metropolitanos Episcopos convenit numerari.* Sed nihil proferri potest illustrius ea cognitione, quæ hac de re peracta est in Concilio Chalcedonensi. Phœnicia subdita erat Tyro civitati, quæ erat provinciæ metropolis. Eustathius Episcopus Beryti in eadem provincia, ut dignitatem Ecclesiæ suæ & urbi conciliaret, divisionem Phœniciæ primæ a Theodosio Principe impetravit; atque hoc pacto quorundam Episcoporum ordinationem & administrationem Ecclesiarum a Tyri Ecclesia ad suam transtulit. Tamen Principis rescriptum vim non habuit, quod attinet ad ecclesiasticam divisionem, donec ab Anatolio Constantinopolitano Episcopo, a Maximo Antiocheno, (ad quem Phœnicia jure patriarchico pertinebat) & a ceteris Episcopis Constantinopoli congregatis hæc episcopatuum sectio confirmata est. Synodico decreto Photius Episcopus Tyri subscripsit, sed invitus, & excommunicatione a synodo Constantinopolitana ad consensum adactus. Itaque libello supplici rogat Marcianum, ut pragmatica forma ad Præfectos prætorio & ad Concilium Chalcedonense missa, antiqua jura Tyri Ecclesiæ restituat. Princeps magistratibus, qui Concilio aderant, dat in mandatis, ut sancto cœtui denuntient, sibi non esse in animo, ut Episcoporum negotia secundum leges suas, sed juxta canones, regantur. Quæ non sunt intelligenda in universum de omnibus Episcoporum negotiis, sed de episcopatuum divisione & Episcoporum ordinationibus huic vel illi Metropolitano addicendis. Itaque rescripto jam ipsa Principis interlocutione rescisso, sub ea conditione, si canonibus adversaretur, judices interlocuti sunt, ut canones de provinciarum institutione legerentur. Sed ante lectionem patres ipsos rogaverunt, an vellent causam istam e rescriptis datis discuti, an vero e canonibus. Et ut haberent, quod sequerentur, sacram synodum monuerunt, se jam prædixisse quid Principi videretur. Tunc synodus in liberam illam vocem constanter erupit: *Contra regulas pragmaticum nihil valebit. Regulæ patrum teneant.* Et a judicibus iterum interpellata, an liceret rescripto Principis *aliena Ecclesiæ jura ab aliis Episcopis averti*, respondit, hoc non licere secundum canones.

Gregor. Naz. Orat. 20. τὸ γὰρ κατατεμεῖν ἡμῶν εἰς δύο διαιρεθείσης ἡγεμονίας, καὶ μητροπόλεις, καὶ πολλὰ τῶν ἐκ τῆς προτέρας τῇ νέᾳ προσγενέσθαι. Infra: ὑπεσπῶντο σύνοδοι περὶ τοῦ νέου Μητροπολίτου.

L. un. C. de Metrop. Beryt.

Conc. Chalc. Act. 4. Σύνοδος εὐλαβεστάτων ἐπισκόπων γέγονεν ἐν Κωνσταντινουπόλει καὶ ὅρος ἐδόθη ᾧ τινι καὶ Μάξιμος ὁ εὐλαβέστατος ἐπίσκοπος Ἀντιοχείας ὑπέγραψεν.

Τῷ θειοτάτῳ δεσπότῃ τῆς οἰκουμένης ἤρεσε μὴ κατὰ θεῖα γράμματα ἢ πραγματικοὺς τύπους τὰ τῶν ὁσιωτάτων ἐπισκόπων προβαίνειν, ἀλλὰ κατὰ τοὺς κανόνας τοὺς παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων νομοθετηθέντας.

Κατὰ τῶν κανόνων πραγματικὸν μηδὲν ἰσχύσει. οἱ κανόνες τῶν πατέρων κρατείτωσαν. Infra: Εἰ ἔξεστι κατὰ θεῖον πραγματικὸν ἀλλοτρίας ἐκκλησίας δίκαια ἑτέρους ἐπισκόπους παρασπᾶσθαι. ἡ ἁγία σύνοδος εἶπεν. οὐκ ἔξεστι τοῦτο. παρὰ τοὺς κανόνας ἐστίν.

II. Relecto itaque Nicænæ synodi canone, qui singulis provinciis unum tantum Metropolitanum præesse decrevit, a quo Episcoporum ordinationes penderent, de Concilii totius sententia judices pronuntiant, Photium Tyriorum metropoleos Episcopum omnem potestatem ordinationum in civitatibus Phœniciæ primæ habiturum, Eustathium vero Berytensem nihil novi juris e pragmatica forma sibi vindicaturum. Quod judicium acclamationibus suis synodus Chalcedonensis prosecuta est. Unde si quis penitius cognitionis hujus ordinem inspiciat, nullo negotio colliget, leges canonibus adversas nullius esse momenti, cum in eam sententiam Marcianus Princeps & synodus consentiant.

Quæ regula locum habet in specie proposita, scilicet in iis, quæ Ecclesiarum ordinationes respiciunt; vel si quis velit eam ad alios casus porrigere, ad eos tantum extendere oportet, quibus canonum disciplina mere ecclesiastica continetur. Deinde advertet, synodum non usurpare potestatem legem latam a Principe antiquandi. Etenim prius a Marciano abrogata erat; & a judicibus de mandato Principis edictum fuerat Imperatori placere, ut episcopalia negotia canonibus, non legibus, regantur, quam sententiam synodus non prompsit, sed amplexa est. Itaque arbitrium revocatæ legis penes Principem integrum mansit.

III. Quinimo, cum de rescripto Theodosii in irritum mittendo & de restituenda Photio juris antiqui possessione actum est, judices ex sententia synodi, attamen judices, judicium reddiderunt. Quod tamen facere non tentarunt, cum in eadem causa suborta est quæstio mere spiritualis, scilicet de ordinationibus Episcoporum a Photio Tyrensi peractis in iis civitatibus, quæ a Tyriorum Ecclesia avulsæ, Ecclesiæ Beryti erant tributæ. Etenim ab hac cognitione, quia disceptatio canonica erat, & de ordinibus ecclesiasticis agebatur, judices omnino abstinuerunt. Interlocuti quidem sunt de Episcopis ordinatis a Photio, amotis vero ab Eustathio, & ad presbyteratum dejectis, quid videretur sanctæ synodo: quæ respondit, illos in Episcoporum numero esse habendos, cum manus impositionem a Metropolita suscepissent. Sed magistratus hac de re pronuntiare noluerunt. *De his*, inquiunt, *finaliter decernere ac definire sanctæ est synodi.* Et statim Legati Romanæ sedis, Anatolius Constantinopolis, Maximus Antiochiæ, Juvenalis Hierosolymorum, Thalassius Cæsareæ Cappadociæ, Eusebius Ancyræ Galatiæ Episcopi, sententiis ex ordine dictis, censuerunt sacrilegium esse, si Episcopus ad gradum presbyteri demittatur, atque adeo Episcopos a Photio ordinatos episcopali dignitati restituendos esse, nisi ab ea ob crimen admissum exciderint. Consensu totius synodi judicium patrum & Archiepiscoporum, ut ipsi vocant, probatum est. Judices, qui a pronuntiatione abstinuerant, suas partes post judicium interponunt, scilicet imperialis auctoritatis confirmationem. *Magnificentissimi & gloriosissimi judices dixerunt: Quæ placita sunt sanctæ synodo, in omne tempus firma custodiantur.* Si quis discrimen perpendat primæ & secundæ cognitionis, primæ quidem se judices immiscuisse reperiet, quia de rescindendo rescripto Principis & de restituenda possessione juris ab Ecclesia Tyriorum distracti agebatur, a secunda abstinuisse, quia de ordinationibus erat quæstio.

Τὰ περὶ τούτου τελείως ψηφίζεσθαι καὶ τυποῦν τῆς ἁγίας συνόδου.

Οἱ πατέρες δικαίως ἐψηφίσαντο. ἡ ψῆφος τῶν Ἀρχιεπισκόπων κρατείτω.

Οἱ μεγαλοπρεπέστατοι καὶ ἐνδοξότατοι ἄρχοντες εἶπον· τὰ ἀρέσαντα τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ, εἰς τὸν ἅπαντα χρόνον βέβαια φυλαττέσθω.

IV. Sane, cum Cecropius Episcopus exigeret, ut generali definitione rescripta omnia revocarentur, quæ provinciarum statum & ordinationum jura contra canones immutaverant, iis verbis utitur, quæ auctoritatem illam a Principe pendere docent. Etenim hoc decerni ab ipsis judicibus petit, & rationem addit, ne in singulis causis onerosum illis sit querentium petitionibus hac de re propositis satisfacere: *Ne potestas vestra accusationem & querimonias a quacunque persona accipiat & fatigetur, neve nos conteramur, petimus, ut sine contradictione cessent ea pragmatica, quæ in detrimentum canonum a quibusdam facta sunt in omni provincia. Canones autem per omnia teneant. Sic enim & fides custoditur, & unaquæque Ecclesia tutum statum habebit. Ac ne liceat aliquos præter canones ordinare.* Sed præstat audire ipsa verba synodi: quæ interpellata a judicibus, an iis adhæreret, quæ a Cecropio suggesta erant, acclamavit, omnes eadem dicere, rescripta in irritum mittenda, canones retinendos, illud tamen a judicibus decernendum. *Sancta synodus acclamavit. Omnes eadem dicimus, universa pragmatica cessabunt, regulæ teneant, & hoc a vobis fiat.* Quod cum a judicibus decretum fuisset, in votorum acclamationes pro salute Imperatoris & Augustæ, imo & ipsorum judicum, synodus

Ὑπὲρ τοῦ μηδὲ τὴν ἡμετέραν ἐξουσίαν αἰτίασιν παρ' ἑκάστου προσώπου δέχεσθαι, καὶ κάμνειν, μήτε ἡμᾶς συντρίβεσθαι, δεόμεθα ὥστε ἀργῆσαι ἀναντιῤῥήτως τὰ ἐπὶ βλάβῃ τῶν κανόνων πραγματικὰ προχθέντα τισὶν ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ, κρατῆσαι δὲ τοὺς κανόνας διὰ πάντων. οὕτω γὰρ καὶ ἡ πίστις φυλάττεται, καὶ ἑκάστη ἐκ-

κλησία ἕξει τὸ ἀσφαλὲς, καὶ μὴ ἐξεῖναι παρὰ κανόνας χειροτονεῖν τινάς. Πάντες τὰ αὐτὰ λέγομεν. ὅλα τὰ πραγματικὰ ἀργήσει, οἱ κανόνες κρατείτωσαν. καὶ τοῦτο παρ' ὑμῶν γένηται.

synodus erupit: *Multos annos Imperatoris, multos annos Augustæ, multos annos judicum. Hoc justum judicium. Justi juste judicarunt.*

Canon. 12. syn. Chalced.

Canon. 17. ejusdem synodi: τοῖς πολιτικοῖς καὶ δημοσίοις τύποις καὶ τῶν ἐκκλησιαστικῶν παροικιῶν ἡ τάξις ἀκολουθείτω.

Zonaras in c. 38. Synod. in Trullo: Καινίζουσι πόλεις οἱ βασιλεῖς, ἀντὶ τὰς Νέας ἀνεγείρουσι, καὶ τιμῶσιν αὐτὰς εἰς ἐπισκοπὰς ἢ καὶ μητροπόλεις τυχὸν, διὰ προσταγμάτων ἐγγράφων.

Balsamo in c. 17. Conc. Chal. & 38. sextæ Synodi in Trullo & in can. 16. Conc. Carth.

V. Principis decretum & judicum sententiam canon Concilii secutus est, qui vetat in futurum Episcopos, ne divisiones illas tentare Principum rescriptis moliantur; sed prudentissime pœnam suam ita temperat, ut, nullo vitio rescriptis imputato, solos Episcopos gradus periculo mulctet. *Statuit ergo sancta synodus, nihil ab Episcopis tale tentari. Alioqui, qui hoc adnisus fuerit, amissioni gradus proprii subjacebit.* In præteritum vero honorem præcipuum iis Episcopis indulget, qui civitates illas tenent, quæ metropoleos decus imperatorio rescripto sunt assecutæ, salvis Ecclesiæ metropolitanæ juribus suis. Videntur tamen hujus Concilii patres canonis illius decretum infregisse canone XVII. quo cavetur, ut civiles dispositiones & publicas ecclesiasticarum quoque parœciarum ordines subsequantur. Unde Zonaras commentariis ad canonem XXXVIII. sextæ synodi in Trullo, quo XVII. Concilii Chalcedonensis canon confirmatur, eam Principibus auctoritatem vindicavit, ut, si quam civitatem de novo excitarent, eique decus episcopatus aut metropoleos adderent, eodem gradu in negotiis ecclesiasticis civitas illa haberetur. In qua explicatione modestius se gessit, quam Theodorus Balsamo; qui secundum sententiam, quæ jam apud Græcos invaluerat, abscisse & in universum Principibus asserit jus metropoleon & episcopatuum instituendorum, non tantum in novis, sed etiam in quibuscunque civitatibus. Et in eam rem utitur aurea bulla Alexii Comneni: qui, cum sibi persuasisset, hoc privilegium a canone Imperatoribus esse concessum, hanc majestati suæ injuriam fieri non est passus, ut sibi jus illud querelis duorum Metropolitarum auferretur. Itaque, cum Heracleæ Metropolitanus vacante sede Ecclesiæ Madytanæ, quæ in metropoleos dignitatem rescripto Principis evecta fuerat, & Ancyræ Metropolitanus vacante itidem Ecclesia Basilæi, cui metropolis decus collatum fuerat, ordinationes earum Ecclesiarum sibi quisque vindicarent juxta canones, (a quibus repelli non posse dicerent eo nomine, quod metropoliticum honorem, cum essent literis Principis consecutæ, earum ordinatio, ut & ceterarum omnium metropolitanarum Ecclesiarum, Patriarchæ Constantinopolitano competebat) Alexius judicium hujus controversiæ præsente synodo suscepit, atque ex Concilii sententia instituendarum metropoleon & episcopatuum jus penes Principes esse decrevit ex canone XVII. Concilii Chalcedonensis. Canonis autem XII. sententiam hac distinctione elusit, illicitam esse provinciarum divisionem, si ambitu Episcopi procurentur, aliud esse, si nulla gratia intercedente Princeps ultro, vel urbis dignitate, vel Ecclesiæ splendore, vel Episcopi egregia virtute inductus, hoc beneficium indulgeat, & in eam rem causæ istius cognitionem Patriarchæ detulit, antequam consensum his rescriptis gratiosis præbeat. Sed nemo non videt, his interpretationibus Imperatorem & Patriarcham vim apertam canonibus intulisse, ut Ecclesiam Constantinopolitanam amplificarent.

VI. Mihi vero sincerior videtur esse canonis XVII. Chalcedonensis explicatio, quæ duodecimi sententiam non lædat, ita, ut fixum sit & certum, provincias a Principibus in duas metropoles dividi non posse ex illo canone duodecimo. Quam ad rem non pertinet canon XVII. cum eo id tantum cautum fuisse mihi videatur, ut, si urbem aliquam de novo conderet Princeps, ad cujus conventum & jurisdictionem pagos aliquot e vicina civitate distractos adjungeret, civili formæ se ecclesiasticus ordo accommodaret, adeoque remota triginta annorum vel longioris temporis præscriptione, pagi a vicino Episcopo avulsi, Episcopo illi tribuerentur, in cujus parœcia urbs nova sita est. Unde sequitur, ab Episcopo illius parœciæ, in qua urbs condita est, pagos novæ urbis territorio contributos & ab episcopatu vicino distractos vindicari, nulla possessionis antiquæ ratione habita. Attamen non conceditur Principi, ut novum episcopatum rescripto suo instituat. Multo minus ad omnes urbes, quæ civitatis honore decoratæ fuerint a Principe, vel ad provinciarum divisiones & metropoleon dignitates ab eo decretas, trahenda essent; etiamsi de episcopatu a synodo instituendo in urbe de novo condita hæc dici possent juxta Zonaræ mentem.

VII. Partes suas judices & Concilium Chalcedonense interposuerunt in dirimenda contentione, quæ orta erat a multis retro annis ob rescripta elicita ad instaurandum patriarchatum Hierosolymorum. Quartus honoris gradus post trium primarum sedium Episcopos firmatus fuerat Æliæ, seu mavis Hierosolymitano Episcopo canone septimo Concilii Nicæni. Sed nulla, ne in provinciis quidem Palæstinæ, quæ Cæsareæ Episcopo parebant, auctoritate potitus est, donec rescriptis Principum Phœnicias, Arabiam & tres Palæstinas a patriarchatu Antiocheno avulsas obtinuit. Ea res magnos motus in illis provinciis excitavit, qui transactione sopiti sunt, quam Maximus Antiochenus & Juvenalis Hierosolymitanus in Concilio Chalcedonensi iniverunt ea conditione, ut Phœniciæ & Arabia Antiochenæ Ecclesiæ redderentur, sed Palæstinæ Hierosolymitano Episcopo cederent. De rescriptis ex utraque parte impetratis, de constituendis novis Diœceseon finibus, & de ordinationibus Episcoporum addicendis agebatur. Itaque in re mixta decretum Principis & Concilii transactioni firmandæ interponendum erat. Magistratus imperatorii referunt Concilio, sibi mandatum a Principe; ut de lite mota cognoscerent, sed Episcopos pacta quædam iniisse, quæ videantur æquitate niti, ideoque sibi visum, ut communi decreto firmentur. Recitatis a Maximo & Juvenale transactis conditionibus, Legati Romani ceterique Episcopi sua interlocutione, & postremo judices suo decreto eas confirmaverunt. *Firma etiam*, inquiunt, *per nostrum decretum & sententiam sancti Concilii in omni tempore permanebit* Episcoporum consensio, *vacantibus scilicet secundum jussionem divinissimi & piissimi Principis omnibus pragmaticis & quocunque modo sacris ab utraque parte literis impetratis, insuper & mulctatione, quæ in eis hujus rei causa noscitur contineri.*

Act. 7. Conc. Chalced.

Marcianus: παρεκάλεσεν ἡμᾶς διαλαβεῖν μεταξὺ αὐτῶν περὶ τῶν κινουμένων κεφαλαίων.

Βεβαία καὶ ἐξ ἡμετέρας ἀποφάσεως καὶ ἀπὸ τῆς ψήφου τῆς ἁγίας συνόδου εἰς τὸν ἅπαντα χρόνον διαμενεῖ.

CAPUT IX.

An Principes potestate polleant, novos Archiepiscopatus aut Episcopatus instituendi.

SYNOPSIS.

I. Justinianus in urbe Justiniana archiepiscopatum constituit, adscriptis illi septem provinciis. Non constituit jus novum, sed antiquum partim restauravit. Vigilius Papa confirmat, quæ Princeps decreverat. Episcopus Justinianæ Patriarcha dictus.

II. Justinianopolis aucta quoque dignitate patriarchali. Sed differt a Justiniana. Est eadem urbs cum Constantia metropoli Cypri. Ea dignitas personalis collata Joanni Episcopo a synodo Trullana, consensu Imperatoris.

III. Utroque Ponto in unam provinciam redacto, nihil immutavit Justinianus quoad sacerdotia. Nec etiam in Paphlagonia. Solida illius provinciæ metropolis erat urbs Gangrarum, regia Dejotari. Ea imminuta, nova Honoriadis provincia constituta est, cum sua metropoli Claudiopoleos. Rediit in unum corpus Paphlagonia, utraque metropoli salva. Videtur aliquando Paphlagonia adjuncta fuisse Galatiæ.

IV. Ecclesia Gallicana non passa est a Regibus novos episcopatus institui, quod tentaverat Childebertus Meleduni, ad petitionem plebis.

V. Et

V. Et Sigebertus id fieri obtinuerat Castroduni in diœcesi Carnotena, quod rescissum a synodo Parisiensi.

VI. Rogerius in Sicilia episcopatum Troinensem instituit, Messanensi a se restaurato adjunxit, sed summi Pontificis auctoritate. Ut Otho Gnesnensem in Polonia.

VII. Damnata opinio eorum, qui hoc jus Principibus vindicant. Eorum tamen consensus necessarius.

I. JUstinianus Imperator videtur canones Concilii Chalcedonensis infregisse, cum Justinianæ patriæ suæ episcopatum in summum sacerdotii fastigium evexit, Archiepiscopi dignitate & auctoritate in septem provincias illi concessa, nempe in Daciam mediterraneam, Daciam ripensem, Mœsiam superiorem, Dardaniam, Prevalim, secundam Macedoniam, & partem secundæ Pannoniæ; ita, ut Archiepiscopus earum provinciarum Metropolitanis det jura & ordines, ipseque a Concilio suo ordinetur. Fateor, has provincias Illyricianæ Diœceseos distractas ab Ecclesia Thessalonicensi. Sed huic novitati eum colorem quæsivit Justinianus, ornandæ patriæ suæ avidus Princeps, quod veterem consuetudinem, quæ bellorum tempestatibus deleta erat, restitueret in integrum. *Cum enim*, inquit ille, *in antiquis temporibus Sirmii præfectum fuerit constituta, ibique omne fuerit Illyrici fastigium, tam in civilibus, quam in episcopalibus causis, postea autem Atilianis temporibus eisdem locis devastatis, Apenninus Præfectus pratorio de Sirmitana civitate in Thessalonicam profugus venerat, tum ipsam præfecturam & sacerdotalis honor secutus, & Thessalonicensis Episcopus, non sua auctoritate, sed sub umbra præfecturæ, meruit aliquam prærogativam.* Quare, cum plurimas Illyrici occidentalis provincias armis recepisset, æquum esse putavit, ut his imperii partibus pristina dignitas sacerdotii restauraretur. Quod Vigilius Pontifex ratum habuit, & Archiepiscopo Justinianæ vices suas delegavit per illas provincias, quæ in patriarchatu occidentis sitæ erant. Unde Patriarchæ nomen huic Archiepiscopo datum est a Curopalata & Barlaamo, & subscriptio ejus admissa in ordine Patriarcharum in Trullana synodo, juxta mentem illustrissimi Cardinalis Perronii.

Novell. 131. τὸν τόπον ἐπέχειν τοῦ Ἀποστολικοῦ Ῥώμης θρόνου, κατὰ τὰ ὁρισθέντα ἀπὸ τοῦ ἁγίου Πάπα Βιγιλίου.

Cap. 32. Repl.

II. Quamvis, ut verum fatear, in synodi Trullanæ subscriptionibus non agatur de Justinianæ primæ Archiepiscopo, sed de Joanne Archiepiscopo novæ Justinianopoleos. Porro urbs metropolitana insulæ Cypri, quæ Constantia dicebatur, a Justiniano Imperatore, cui familiare fuit clarioribus urbibus nomen suum imponere, Justinianopolis dicta est. Ejus urbis episcopatum gerebat Joannes; qui, Sarracenis Cyprum invadentibus, in Hellespontiorum provinciam una cum plerisque insulæ illius incolis commigravit. Quare synodus Trullana de consensu Imperatoris duo quædam in gratiam Joannis decrevit. Primum est, ut nova Justinianopolis, seu Constantia Cypri, privilegiis sibi a synodo Ephesina indultis potiatur; id est, ut sedi Antiochenæ non subjiciatur, sed fruatur plena libertate & αὐτοκεφαλίᾳ. Quod Trullano canone sic concipitur, *ut illi jus Constantinopolitanæ sedis competat*, τὸ δίκαιον ἔχειν τῆς Κωνσταντινουπόλεως. Alterum vero beneficium, quod Joanni indulgetur, hoc est, ut provincia Hellesponti pleno jure illi subjiciatur, ita, ut ipsius quoque Cyziceni Episcopi provinciæ Hellespontiacæ Metropolitani ordinationem celebret. Ex his duobus privilegiis primum, quod synodi œcumenicæ Ephesinæ judicio nitebatur, ad posteros manavit. Unde in veteri Notitia temporibus Leonis Philosophi concinnata recte observatum est, insulam Cypri non subesse apostolico throno Antiochiæ. Attamen in collectione Arabica ordinatio hujus Metropolitani tribuitur Antiocheno Patriarchæ. Quæ innovatio accidit post Leonis Philosophi ætatem, id est, post annum nongentesimum. Unde collectionis illius Arabicæ tempus colligere licet. Secundum vero privilegium videtur personale fuisse in gratiam Joannis Archiepiscopi. Unde factum, ut cum ipsius persona jus quoque illud extinctum fuerit. Quare non erat, quod Balsamo quærendum scriberet, quomodo jure illo Archiepiscopus Cypri cecidisset. Ceterum, quod attinet ad institutum meum, ex canone Trullano constat, novum quendam & extraordinarium, imo vero personalem patriarchatum in provincia Hellespontiaca constitutum, collatumque Joanni Archiepiscopo Cypri; id tamen factum auctoritate ecclesiastica, a plenaria synodo orientali, cui Patriarchæ quatuor intererant; quamvis huic innovationi Justiniani Rhinotmeti Principis consensus accesserit. Idque eo facilius tentatum est, quod dignitas exarchica Metropolitano Cypri antea competebat.

Notitia antiqua. δεῖ εἰδέναι ὅτι αὐτὴ αὐτοκέφαλός ἐστι μὴ τελοῦσα ὑπὸ Ἀποστολικὸν θρόνον.

Collectio Arabica can. XXXVII.

Balsamo ad can. 39. syn. in Trullo.

III. Ut autem redeam ad Justinianum nostrum, in eo maximopere laudandus est, quod, etsi, ut erat novi juris appetentissimus conditor, multa in provinciis innovarit, singularem tamen curam gessit, ne in sacerdotio aliquid mutaretur. Utrumque Pontum in unam provinciam redegit, ea lege, ut Amaseæ & Neocesareæ urbibus metropolis nomen non detraheretur. *Nihil enim*, inquit, *circa sacerdotium illarum innovamus.*

Nov. 28. περὶ δὲ τῆς ἱερωσύνης οὐδὲν καινίζομεν.

Idem jus in Paphlagonia constituit, ita ut, etsi illius edicto gens Paphlagonum in unam provinciam coaluerit, nihil a veteri forma, quoad sacerdotium & duorum Metropolitanorum dignitates, decederet. Paphlagonia testamento Philomenis Regis in Romanam rempublicam transcripta est & in provinciæ formulam redacta. In oppido Gangrarum Rex illius gentis Dejotarus regiam constituerat, ut docuit Strabo. Inde Gangrensi urbi conciliata est metropoleos totius gentis dignitas, quam in dispositione ecclesiastica constanter etiam retinuit. Accidit tamen huic provinciæ, ut temporibus Honorii Imperatoris aliquot urbibus minueretur; quæ cum tribus oppidis a Bithynia recisis in provinciæ specialis nomen concesserunt, cui Honoriadis nomen impositum. Huic novæ provinciæ sua metropolis non defuit, nempe Claudiopolis, una ex urbibus Bithyniæ; quæ statim eadem dignitate in Ecclesia aucta est. Unde Claudiopolis recensetur inter civitates metropolitanas in subscriptionibus Concilii Chalcedonensis æque ac civitas Gangrarum. Ex Honoriade & reliqua Paphlagonia unum provinciæ corpus Justinianus constituit, ea lege, ut de dignitate ecclesiastica utriusque metropoleos nihil deperiret. Ante conjunctionem istam videtur imminuta semel Paphlagonia, adjuncta fuisse Galatiæ. Unde vetus auctor scripsit: ἐν τῇ Γαλατίᾳ Παφλαγονία. Quod Gangrensibus clericis occasionem præbuit trium Episcoporum suorum ordinationem ab Episcopis Ancyræ metropolitanis Galatiæ petere.

Sextus Rufus.

Strabo lib. 12.

Nov. 29. τὸ τοίνυν Παφλαγόνων ἔθνος ἐπὶ τῶν Ὀνωρίου τοῦ εὐσεβοῦς λήξεως χρόνων ἐλαττωθὲν, καὶ πόλεις ἀποβαλόν τινας.

Ibid.: αὐτή γε ἡ μητρόπολις τῆς ἐπαρχίας, φαμὲν δὴ τὴν Κλαυδιούπολιν.

Ibid. μία τὸ λοιπὸν ἐπαρχία γενήσεται πλείους ἔχουσα μητροπόλεις.

Descriptio provinc. MS. adjuncta Ptolemæo.

Conc. Chalc. Act. XV.

Quam religionem in provinciarum conjunctionibus adhibuit Justinianus, ut nihil immutaret in sacerdotiis, eadem usus est in provinciarum sectionibus. Armenia tributa fuerat in primam & secundam, & suis Metropolitanis parebat. Sed Justiniano, qui devictis barbaris imperii fines protulit, visum est integram Armeniam in quatuor provincias partiri, quæ totidem magistratibus regenda committeretur. *Quæ vero*, inquit, *ad sacerdotia spectant, ea, ut sæpe diximus, volumus in pristina manere forma, negotio ipso neque circa jus metropoliticum, neque circa ordinationes vel mutationem vel novationem suscipiente.*

Nov. 31. De descriptione quatuor Præsidum Armeniæ c. 2. οὐδὲν οὐδὲ περὶ τὸ μητροπολιτικὸν δίκαιον, οὐδὲ περὶ τὰς χειροτονίας τοῦ πράγματος ἀμειβομένου.

IV. Gallicana Ecclesia in eandem sententiam cum synodo Chalcedonensi & Innocentii decreto conspiravit, putavitque nefas esse, Regum imperio episcopatus novos institui. Cum enim Childebertus Rex Francorum Meleduni, quæ urbs erat in diœcesi Senonensi sita, Episcopum ordinandum ad petitionem plebis curaret, & in eam rem cuperet Leonem Senonensem Episcopum metropolitanum adesse, ille constantissime respondit epi-

Epistola Leonis ad Childeb. an. 538.

ſtola ad Regem data: *Cuſtodite, quæſo, ſtatuta patrum & canonum ſeveritate conſtricti, non patiamini, ſicut ſcribitis, ad petitionem ejus plebis, ſuperſtite proprio ſacerdote, alterum Epiſcopum ordinari. Quia ſi hoc credunt, quod nefas eſt credi, deſertores potius judicandi ſunt quam fideles. Et non eorum preces facile audiri debent a Principe, quorum petitionibus potius generantur ſcandala, quam pax Deo amata ſervatur.* Epiſtolam vero his verbis concludit: *Nam gloria veſtra optime debet & credere & ſcire, quia, ſi contra ſtatuta canonum quicunque Epiſcoporum ſine conſenſu noſtro Mecledone Epiſcopum voluerit ordinare, uſque ad Papæ notitiam vel ſynodalem audientiam, tam hi, qui ordinaverint, quam qui ordinati fuerint, a noſtra erunt communione disjuncti.*

V. Novi epiſcopatus inſtitutionem tentaverat tantum Childebertus. Sed Sigeberti Regis conſenſu peracta fuerat in caſtro Dunenſi parœciæ Carnotenæ; ubi Promotus Presbyter, ſecta diœceſi, Epiſcopus fuerat inſtitutus. Ægre tulit hanc ſibi & Eccleſiæ Carnotenæ factam injuriam Pappolus Epiſcopus Carnotenſis, qui rem omnem ad Concilium Pariſienſe detulit. Et ſynodus quidem nefarium conatum damnans Promotum ab epiſcopali dignitate dejecit, & integræ diœceſeos adminiſtrationem Pappolo reſtituit; ſed præterea Regem gravi oratione officii ſui admonuit, ne Promoti cauſam conclamatam ultra tueretur: *Quantum ineffabili gaudio ſynodali Concilio nuntiatur, quandoquidem a catholico Principe res nova pro dilectione Chriſti concipitur, tantum lamentabile execrandumque cenſetur, cum in Eccleſia ſancta contra Deum & contra canonum diſciplinam diſſenſio generatur.* Tum recitata Promoti conſecratione, addit: *Quam rem, licet vix credere poſſumus, cum conſenſu gloriæ veſtræ fieri potuiſſe, tamen, ſi cujuſcunque prava ſuggeſtione præventi, in hac tam obſcœna & Eccleſiæ univerſæ contraria conſenſiſtis, ab hujuſmodi ſcandali defenſione ſinceritatis veſtræ conſcientiam expietis.*

Epiſtola Conc. Pariſ. IV. ad Sigebertum Regem an. 573.

VI. Cum Rogerius Calabriæ & Siciliæ Comes felicibus armis Siciliam a Sarracenis extorſit, in id omne ſtudium ſuum contulit, ut epiſcopatus in illa inſula reſtitueret, quod perfecit immani ſumptu & liberalitate, quæ hominem gente Gallum deceret. Ac primo Troinenſem epiſcopatum inſtituit: quem deinde cum Meſſanenſi, cujus reſtaurationem aggreſſus eſt, diplomate ſuo conjunxit quidem, ſed de ſummi Pontificis conſilio & auctoritate, ut patet ex ipſarum literarum Rogerii lectione, quas *Sigilli nomine* inſcripſit. Eadem auctoritate Pontificis Gneſnenſem archiepiſcopatum in Polonia ab Ottone III. conſtitutum fuiſſe anno DCCCCXCIX. ex Ditmaro recte cenſuit illuſtriſſimus Cardinalis Baronius.

VII. Quare non eſt, quod a communi univerſalis Eccleſiæ ſenſu recedamus fœda in Principes adulatione; ut contigit Marco Antonio de Dominis, qui epiſcopatuum inſtitutionem Regibus perperam & contra ipſos canones aſſeruit, cujus ſententiam recentiores aliqui amplexi ſunt. Tota rei iſtius diſponendæ ratio ad Eccleſiam pertinet, quemadmodum dixi, quam tamen ſine conſenſu Principum peragere non debet, ut oſtendam libro IV. cap. XIII.

Extat diploma Rogerii apud Albertum Picolin. diſſertation. de antiquo jure Eccleſiæ Siculæ parte 1. c. 5. Ill. Card. Bar. ad an. 999. M. Ant. de Dom. l. 6. de Rep. Eccl. c. 5. §. 136. & ſeqq.

CAPUT X.

De officio Principum in tuenda eccleſiæ auctoritate.

SYNOPSIS.

I. Etſi Principes leges eccleſiaſticas condere non poſſint, ad tuitionem canonum tenentur ex officio. De religione ſatagere debent etiam pagani Principes, ob civium tranquillitatem. Et legibus ſuis injurias Deo factas ulciſci Chriſtiani Reges, ad Dei cultum amplificandum adſtricti ex eo, quod Chriſto nomen dederint.

II. Garciæ opinio, putantis eundem eſſe finem legum civilium & eccleſiaſticarum apud Chriſtianos, ſcilicet felicitatem æternam civium. Diſcrimen harum legum ex ſententia auctoris. Canones ſingulis inſtrumenta felicitatis illius parant. Leges pacem publicam ſingulis civibus, & per conſequentiam, æternam felicitatem. Patris & Regis in hac capite comparatio.

III. Societas religionis & regni. Utrique proſpicere tenetur Princeps, ex Theodoſio & Concilio Epheſino.

IV. Tuitio Eccleſiæ Regibus Chriſtianis commiſſa a Chriſto. Probatur ex Paulo & Auguſtino.

V. Idem probatur e Pſalmo ſecundo & variis locis Auguſtini, & e Sixto I.

VI. Diſcuſſus Euſebii locus de Epiſcopo τῶν ἔξω, qui male vulgo explicatur. Conſtantinus dictus ab Euſebio Epiſcopus communis.

VII. Pacem Eccleſiæ conſervabant Principes indictis ſynodis & confirmatione decretorum ſynodalium, e Juſtiniano & quinta ſynodo.

VIII. Diſcrimen inter decreta fidei & diſciplinæ, quod attinet ad confirmationem Principum.

IX. Synodus Nicæna a Conſtantino confirmata, Conſtantinopolitana a Theodoſio, & Epheſina ab altero Theodoſio.

X. Marcianus confirmat Chalcedonenſem.

XI. Juſtinianus depoſitioni Anthimi imperialem auctoritatem adjunxit.

XII. Conſtantinus Pogonatus confirmat decreta ſextæ ſynodi, quod gratum Leoni ſecundo. Synodus in Trullo petit confirmationem a Principe. Septima & octava ſynodus ab Imperatoribus confirmatæ, poſtquam illis conſtitit libero conſenſu Epiſcoporum omnia decreta.

XIII. Principes non condunt novos canones, ſed conditorum executionem decernunt, ex Facundo Hermianenſi.

I. Etſi leges eccleſiaſticis & ſpiritualibus rebus indicere modo, quem capite ſeptimo explicui, non contineatur intra fines regiæ poteſtatis, attamen canonicas conſtitutiones ſuis etiam legibus tueri ex officio Principes tenentur. Quod ita velim intelligi, ut non ſolum interpellati & rogati Principes miniſterium ſuum ad canonum obſervationem commodare poſſint, ſed etiam ex officio in eam curam incumbere teneantur. Licet enim reipublicæ adminiſtratio eo fine illis a divino Numine concredita ſit, ut civium tranquillitatem procurent, atque ex illo capite de vera religione conſtituenda debeant eſſe ſolliciti, quia cives in officio ſuo erga ſe & erga Principem religionis cultu veluti vinculo quodam adſtringuntur, ut de Romanis obſervavit Auguſtinus, in nobiliores tamen curas ipſa natura duce aſſurgunt. Etenim cum naturæ auſpiciis unicuique ſit inſita superni alicujus Numinis cognitio, a quo cetera omnia pendent, ipſi etiam Principes, quibus veræ religionis lumen non effulſit, non ſolum privatis ſtudiis Numen illud colere tenentur, ſed etiam publicis legibus contumelias, quæ illi aut idololatria aut monſtris criminum a civibus inferuntur, ulciſci. Si paganos Principes huic officio addictos fatemur, quanto magis Principibus Chriſtianis, qui vera fide imbuti, auxiliis gratiæ, naturalis cognitionis fines exceſſerunt, religionis promovendæ & tuendæ curam impenſius incumbere dicemus; ita, ut omne ſtudium ſuum & operam conferant ad cultum divini Numinis amplificandum, qui in fide & diſciplina verſatur? Ad quæ officia Principes adigi putamus, non ex eo tantum capite, quod ea ad felicitatem imperii conducant, quæ quidem utplurimum cum illis eſt conjuncta, ſed ex eo etiam, quod nomen ſuum Chriſto dederint, eique caput ſuum & ipſam regiam dignitatem devoverint.

Auguſt. l. 4. de Civ. Dei c. 32.

II. Quod, ut accuratius intelligatur, obſervandum eſt, ſententiam meam abeſſe a Fortunii Garciæ opinione, qui eundem eſſe legum civilium & canonicarum finem contendit; adeo, ut legi civili non ſolum propoſitus ſit finis promovendæ tranquilli-

Fortunius Garcias de ultim. fine utriuſque Juris. Vide Suarem lib. 3. de legibus c. 114.

quillitatis publicæ, sed etiam veræ æternæque felicitatis civibus procurandæ. Fateor enim, hoc esse præcipuum discrimen inter canonum decreta & leges publicas, (ut ego quidem existimo, licet alii aliter interpretentur) quod illa *unicuique* Christiano felicitatem æternam parent, & ad eum finem instrumenta accommodata subministrent, hæ vero reipublicæ pacem & singulorum civium, quatenus sunt partes reipublicæ, promoveant, & cultum Christo debitum generaliter sanciant, pœnis in contumaces latis, unde per consequentiam amotis impedimentis, felicitas æterna singulorum civium procuretur. Par esse videtur hac in parte Regis & Patris officium. Ut enim parentibus incumbit præcipue quidem, ut liberos exhibeant, sed huic naturali curæ accedit etiam altera ex professione religionis christianæ profecta, ut eos in veram fidem & pietatem erudiendos magistris tradant: ita etiam Principes, quibus divinum Numen ad procurandam in republica pacem vices suas commisit, eo etiam studium suum porrigere debent, ut cives ad felicitatem æternam prosequendam compellant, quod omnino assequentur, si per Episcopos, quæ ad fidei sinceritatem & mores componendos pertinent, populis denuntiari curent, res in hoc genere ab Ecclesia decretas suis legibus sanciant, &, ne rebus constitutis vis aliqua fiat, sedulo invigilent. Ita enim fiet, ut imperii & Ecclesiæ pacem ex æquo inviolatam præstent.

III. Huic officio Theodosius Imperator, se adstringi fatetur iis literis, quas ad synodum Ephesinam dedit: quarum testimonio eo lubentius utor, quod œcumenicæ synodi judicio approbatæ & in acta relatæ sunt. Ex iis patet, societatem & cognationem quandam intercedere inter religionem & rempublicam; ad Principis studium pertinere ecclesiastici status æque ac imperii pacem; regii muneris esse, ut eum firmum & inviolatum præstet ex omnium consensu, pietatis religionisque sinceritatem tueatur, curetque, ut eorum, qui clero adscripti sunt, emendata sit castigataque vita. Quare non alienum erit, integra verba Theodosii referre, quæ præcipuas regulas complectuntur, quibus Ecclesiæ Gallicanæ libertas continetur. *Reipublicæ nostræ constitutio ea, quæ in Deum est, pietate præcipue nititur, multaque inter hanc & illam cognatio ac familiaritas intercedit. Nam & ex se invicem pendent, & utraque prosperis alterius successibus incrementa sumit: quandoquidem, ut vera religio justa actione perficitur, ita respublica utriusque ope nixa florescit. Cum itaque Deus imperii habenas nobis tradiderit, iisque, qui imperio nostro parent, pietatis & securitatis quoddam quasi vinculum nos esse voluerit, harum inter se societatem, providentia & hominibus medios nos præbentes, indivulsam perpetuo conservare contendimus.* Infra: *Ante omnia autem in id operam damus, ut ecclesiasticus status ejusmodi sit, qui & Deum deceat, & temporibus nostris quam maxime congruat, idemque ex omnium concordia & consensione suam tranquillitatem obtineat, tum ut ecclesiasticarum controversiarum a turbis & seditionibus liber existat, tum demum, ut pia religio ab omni reprehensione immunis perseveret, eorumque vita, qui vel inter clericos censentur, vel magno quoque inter illos sacerdotio funguntur, omni prorsus nævo & culpa vacet.*

Relatio synodi ad Theod. περιλάμπειν τῶν προκειμένων ὑπομνημάτων τυπώσαντες τὸ θεοφιλὲς γράμμα τῆς ὑμετέρας εὐσεβείας.

Concil. Ephes. part. 1. cap. 32. ἤρτηται τῆς εἰς Θεὸν εὐσεβείας ὑμετέρας πολιτείας κατάστασις, καὶ πολὺ ταύτης ἔνεστι τὸ συγγενὲς καὶ προσφυές.

Σπουδὴν τιθέμεθα πρὸ τῶν ἄλλων, τὴν τῆς ἐκκλησιαστικὴν κατάστασιν θεῷ πρέπουσαν, καὶ τοῖς ἡμετέροις πρόσφορον διαμένειν χρόνοις, ἔχειν τε ἐκ τῆς πάντων ὁμονοίας τὸ ἀτάραχον.

IV. Hæc autem Ecclesiæ tuendæ provincia Christianis Principibus ab ipso Christo mandata est, ut veterum auctoritate e sacris scripturis deprompta docemur. In eam sententiam Paulus Apostolus monet, acceptum esse Deo, ut Reges christianæ fidei adscribantur, regiamque majestatem Christiani facti retineant, utque perfidia ejurata ceteris Christianis tranquillam vitam præstent cum omni pietate & sanctitate conjunctam. Hic est enim genuinus sensus horum verborum: *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus & omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate. Hoc enim bonum est & acceptum coram salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire.* Officio autem illo Reges defungi non possunt, nisi merum imperium adhibeant, & jus gladii, quod Deus illis mandavit. Unde Augustinus: *Nam & terrenæ potestates, quando schismaticos persequuntur, ea regula se defendunt, qua dicit Apostolus: Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, non enim frustra gladium portat.* Mox Donatistas alloquens: *Cognoscentes vestri schismatis nefas constituunt adversus vos pro sua sollicitudine ac potestate, quod volunt.*

1. Timoth. 2.

Vide additionem ad §. VIII. cap. XII. hujus libri.

August. epist. 164.

V. Ad Ecclesiæ Christianæ tuitionem a Principibus præstandam referendus est etiam Psalmus secundus; qui plenius ad Christum pertinet, quam ad Davidem, ut ipsi Apostoli testantur. Is autem psalmus Principes omnes hortatur, ut Dei Filium venerabundi suscipiant, hoc est, ut se illi ministros, qua Reges sunt, exhibeant, quemadmodum vere interpretatur Augustinus: *In hoc*, inquit, *Reges, sicut eis divinitus præcipitur, Deo serviunt, in quantum Reges sunt, si in regno suo bona jubeant, mala prohibeant, non solum, quæ pertinent ad humanam societatem, verum etiam, quæ pertinent ad divinam religionem.* Et in epistola ad Bonifacium: *Quomodo ergo Reges Domino serviunt in timore, nisi ea, quæ contra jussum Domini fiunt, religiosa severitate prohibendo atque plectendo? Aliter enim servit, qua homo est, aliter, qua Rex est. In hoc ergo serviunt Domino Reges, in quantum sunt Reges, cum ea faciunt ad serviendum illi, quæ non possunt facere nisi Reges.* Sixtus Romanus Pontifex in eandem sententiam hujus psalmi verba excepit, cum Imperatoribus gratulatur de proscripta Nestorii hæresi: *Sciunt*, (nempe Imperatores) *se illi fœnerare sollicitudinem suam, qui eam cum grandi reddat usura. De qua re nos convenit gloriari, quia cœlestem Regem videmus fœderatos habere Reges terrarum. Intelligunt, sicut ait David, & eruditi sunt, qui judicant terram; quando, sicut dicit alibi, ipsi & omnes populi laudant nomen Domini.* Hanc potestatem legum ferendarum pro fidei & disciplinæ tuitione summo Christi munere Ecclesiæ concessam fuisse, ex eodem psalmo probat Augustinus Donatistas increpans, qui de latis adversum se ab Imperatore legibus conquerebantur. *Unde ergo præsumimus*, inquit, *si vultis nosse, illum cogitate, de quo Propheta pronuntiavit, dicens: Adorabunt eum omnes Reges terræ, & omnes gentes servient illi. Et ideo hac Ecclesiæ potestate utimur, quam ei Dominus & promisit & dedit. Imperatores enim, si in errore essent, quod absit, pro errore suo contra veritatem leges darent, &c. Quando autem Imperatores veritatem tenent, pro ipsa veritate contra errorem jubent. Quod quisque contempserit, ipse sibi judicium acquirit. Nam & inter homines pœnas luit, & apud Deum frontem non habebit, qui hoc facere noluit, quod ei per cor Regis ipsa veritas jussit.* Et mox: *Si jussiones Regum non pertinent ad prædicandam religionem & sacrilegia prohibenda, quare ad edictum Regis talia jubentis etiam ipsi vos* (Donatistæ) *signatis?*

Act. 4. & c. 1. & Hebræor. 5.

August. contra Crescon. lib. 3. cap. 51.

Idem ep. 50. ad Bonifacium.

Sixtus ep. ad Joan. Antioch.

Aug. ep. 166.

VI. Quare non dubitavit Leo Pontifex Leonem Imperatorem his verbis alloqui: *Debes incunctanter advertere, regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed etiam maxime ad Ecclesiæ præsidium esse collatam; ut ausus nefarios comprimendo, & quæ bene sunt statuta defendas, & veram pacem iis, quæ sunt turbata, restituas.* Alibi idem Pontifex profitetur, *res aliter tutas esse non posse, nisi, quæ ad divinam confessionem pertinent, & regia & sacerdotalis defendat auctoritas.* Quare & Theodosio non solum regium, sed etiam *sacerdotalem animum* inesse gaudet ob synodum Ephesinam indictam proscriptosque legibus suis hæreticos. Et Marcianum *Custodem fidei* vocat ob perculsum Eutychetem.

Leo epist. 81.

Idem epist. 33.

Idem epist. 9.

Idem epist. 57.

VII. Solet ad asserendam Principibus tuendæ Ecclesiæ auctoritatem proferri celebris illa Con-

ſtantini ad Epiſcopos oratio, qua illos intra Eccleſiam, ſe autem extra Eccleſiam Epiſcopum conſtitutum dixit apud Euſebium. Sed ſi hæc probatio in tetricum lectorem incideret, reponere poſſet, verbis Græcis aliam ineſſe ſententiam, quæ ad perſonas, non ad res ipſas, ſit referenda; ita, ut ſignificetur, Epiſcopos eorum curam gerere, qui Eccleſiæ adſcripti fidem chriſtianam profiterentur, ſe vero gentilium, qui eſſent extra Eccleſiam, ſaluti conſulere, ſacrificiis paganorum vetitis, dominici diei cultu & feriatione præcepta etiam ipſis gentilibus, quemadmodum ſuperioribus & ſequentibus capitibus explicuit Euſebius. Quare ſatius eſt, ab eo argumento abſtinere, præſertim cum manifeſtiora ſuppetant. Quod ſi cui illa Epiſcopi appellatio arrideat, poterit eam tueri Euſebii auctoritate; qui hunc ipſum Conſtantinum Epiſcoporum ſynodis a ſe indictis interfuiſſe, atque rerum in deliberationem vocatarum ſe participem feciſſe, communemque concordiam procuraſſe ſcripſit tanquam *communem Epiſcopum* a Deo conſtitutum. Ob eam curam Marciano Auguſto acclamatum eſt a Concilio Chalcedonenſi: τῷ ἱερεῖ, τῷ βασιλεῖ. *Sacerdoti, Imperatori*. Eccleſiaſticorum enim negotiorum ſtatui externo ab illo Principe, quemadmodum a ceteris Principibus Chriſtianis, optime cautum erat; quorum in eo articulo tanta vigebat auctoritas, ut Socrates ſcripſerit, ab Imperatorum arbitrio, ex quo chriſtianam fidem amplexi ſunt, res eccleſiaſticas pependiſſe.

Euſeb. l. 4. de vita Conſt. c. 24. ὑμεῖς μὲν τῶν εἴσω τῆς ἐκκλησίας, ἐγὼ δὲ τῶν ἐκτὸς ὑπὸ θεοῦ καθεσταμένος ἐπίσκοπος ἂν εἴην.

Euſeb. l. 1. de Vit Conſt. cap. 37. οἷά τις κοινὸς ἐπίσκοπος ἐκ θεοῦ καθεσταμένος συνόδους ... τῶν τοῦ θεοῦ λειτουργῶν συνεκρότει.

Conc. Chalc. act. 6.

Socrates lib. 5. hiſt. in proœmio: ἀφ' οὗ χριστιανίζειν ἤρξαντο, τὰ τῆς ἐκκλησίας πράγματα ἤρτητο ἐξ αὐτῶν, καὶ αἱ μέγισται σύνοδοι τῇ αὐτῶν γνώμῃ γεγόνασι καὶ γίνονται.

VIII. Poſſem alia quamplurima in eandem ſententiam teſtimonia congerere, quibus probatur, ex officio Principibus incumbere, ut pacem Eccleſiæ tueantur. Sed abſtineo a re notiſſima comprobanda, ut gradum faciam ad ea, quæ ſunt remotiora a cognitione vulgi, ſcilicet ad diſquiſitionem ordinis, quo in fide aut diſciplina vindicanda utebantur Principes. Id eleganter explicuit Juſtinianus in libello, quem quinta ſynodus ſibi oblatum probavit; ita, ut teſtimonium hinc prolatum & Juſtiniani & quintæ ſynodi œcumenicæ dici debeat. Ex eo diſcimus emergentes hæreſes a Principibus compreſſas, & pacem Eccleſiæ conſtitutam per ſynodos Epiſcoporum, quas indixerunt Conſtantinus, Theodoſii ambo, & Marcianus. Sed prætere a teſtatur, quæ a ſynodis definita ſunt, legibus ſuis Principes confirmaſſe: *His itaque omnibus per diverſa tempora ſubſecutis, prædicti piæ recordationis noſtri patres ea, quæ in unoquoque Concilio judicata ſunt, legibus ſuis corroboraverunt & confirmaverunt, & hæreticos, qui definitionibus prædictorum ſanctorum quatuor Conciliorum reſiſtere & Eccleſias conturbare conati ſunt, expulerunt.*

Conc. V. collat. 1. *Semper ſtudium fuit orthodoxis & piis Imperatoribus patribus noſtris pro tempore exortas hæreſes per congregationem religioſiſſimorum Epiſcoporum amputare, & recta fide ſincere prædicata, in pace ſanctam Dei Eccleſiam cuſtodire.*

IX. Cum autem de confirmatione decretorum a Conciliis editorum agitur, diſtinguenda ſunt ea, quæ fidem reſpiciunt, ab iis, quæ de diſciplina referuntur. Vis enim eorum, quæ fidei controverſias ex ſcripturis & antiqua traditione dirimunt, non a Principum, ſed ab Epiſcoporum auctoritate pendet; quibus ſolis paſcendas oves, non autem Cæſari, Chriſtus commiſit. Quare ſolis Epiſcopis datum eſt, ut de jure cognoſcant, ſcilicet, an opinio controverſa inter hæreſes recenſenda ſit, Princeps vero res jam deciſas auctoritate ſua tuetur, & pœnas excommunicationis aut degradationis ab Eccleſia irrogatas ſecularibus pœnis intendit, ſcilicet mulctis pecuniariis, aut exilio, & relegatione, vel etiam ultimo ſupplicio. Quod attinet ad canones, qui non quidem de fide aut ſacramentorum ritibus, ſed de reliqua diſciplina feruntur, quia legum perpetuarum vires obtinere debent, & clericorum, imo, etiam ſæpiſſime laicorum, perſonas reſpiciunt, ex quibus reipublicæ corpus componitur, novamque aliquando diſciplinæ formam conſtituunt, quamplurimi Principum intereſt, ut ea decreta mature diſcutiant, antequam eorum executionem publicam & forenſem lege ſua indulgeant, ne fortaſſis aut publicæ utilitati aut tranquillitati adverſentur. Confirmati autem a Principe canones vim legis publicæ adipiſcuntur: quæ neceſſaria eſt, ut per omnes imperii provincias executioni tradi poſſint, & ſi qui contradicant, auctoritate publica coerceantur. Confirmatis de fide decretis, contumacia quidem refragantium legibus plectitur, ac ſi in leges imperatorias peccatum fuiſſet. Sed non indigent ea decreta imperio Principis, ut Chriſtianos adſtringant, cum jure divino nitantur, quod ceteris omnibus præcellit. Quare, cum illa decreta Principes confirmabant, non res judicatas iterum tractabant, ſed de conſenſu Epiſcoporum & ſuffragiorum libertate ad ſummum cognitione extraordinaria inquirebant; ut Theodoſii, Marciani & Baſilii exemplis demonſtrari poteſt.

Vide ſecundam præfationem Marcæ §. 4.

X. Obvia ſunt confirmationum exempla, ſi quis etiam iſta requirat. Conſtantinus anathema prolatum a Nicæna ſynodo adverſus Arrium & ejus conſortes infamiæ pœna auxit; Porphyrianoſque vocari, id eſt, Chriſtiani nominis oſores & hoſtes, Arrianos juſſit, eorumque libros publice concremari. Sed illuſtrius teſtimonium proferri non poteſt quam epiſtola ſynodica Concilii ſecundi œcumenici ad Theodoſium, qua patres profitentur, ſe ex officio teneri ad relationem eorum, quæ in ſynodo geſta ſunt, Principi mittendam; ſtatimque referunt, hæreſes a ſe damnatas fuiſſe, ac præterea quaſdam regulas pro diſciplina Eccleſiæ conſtituenda decretas, quas epiſtolæ adjungunt, firmarique a Principe obnixe petunt: *Rogamus itaque tuam clementiam, ut per literas quoque tuæ pietatis confirmetur Concilii decretum; ut, ſicut literis, quibus nos convocaſti, Eccleſiam honore proſecutus es, ita etiam finem eorum, quæ decreta ſunt, obſignes.*

Socrates lib. 1. cap. 6. Extat Conſtantini conſtitutio.

Epiſtola ſyn. Conc. Conſt. ad Theodoſ. ἀναγκαίως καὶ τὰ γεγενημένα κατὰ τὴν ἁγίαν σύνοδον πρὸς τὴν σὴν εὐσέβειαν ἀναφέρομεν. Infrà: πρὸς δὲ τούτοις καὶ ὑπὲρ τῆς εὐταξίας τῶν ἐκκλησιῶν ῥητοὺς κανόνας ὡρίσαμεν. δεόμεθα τοίνυν τῆς σῆς ἡμερότητος, γράμματι τῆς σῆς εὐσεβείας ἐπικυρωθῆναι τῆς συνόδου τὴν ψῆφον, ἵν' ὥσπερ τοῖς τῆς κλήσεως γράμμασι τὴν ἐκκλησίαν τετίμηκας, οὕτω καὶ τῶν δοξάντων ἐπισφραγίσῃς τὸ τέλος.

Concilium Epheſinum Theodoſium obſecrat, ne pro ſynodo habeat Joannis Antiocheni Epiſcopi conventiculum; qui a ſacro Concilio ſecedens, ſententiam adverſus Cyrillum & Memnonem tulerat. In eam rem Conſtantini exemplum proferunt, qui ſynodi loco non habuit eorum cœtum, qui a Nicæna ſynodo diſceſſerant, ſed eos meritis pœnis excepit. Quin ex eo capite Theodoſium invitant ad confirmandum Concilii œcumenici decretum & refellendum Joannis Antiocheni conciliabulum, quod ducenti & decem Epiſcopi una cum occidentis Epiſcopis in eandem conſpirarent ſententiam, Joanni autem triginta tantum Epiſcopi ſuffragarentur. *Jubeatis*, inquiunt, *ut ea, quæ conſtituta ſunt ab œcumenica & ſancta ſynodo ad pietatis confirmationem contra Neſtorium & ejus impium dogma, ſuum robur obtineant, aſſenſu veſtræ pietatis ſtabilita.*

Concil. Eph. act. 5. τὴν ἰδίαν ἰσχὺν ἔχειν κρατυνθέντα τῇ ἐπινεύσει καὶ κελεύσει τῆς ὑμετέρας εὐσεβείας.

XI. Marcianus Imperator Concilii Chalcedonenſis decreta tribus edictis confirmavit, pœnis in clericos & laicos adjectis. Ac primum quidem edictum, cum ad ſynodum acceſſiſſet, viva voce decrevit; teſtatus patribus; ſe ſynodo intereſſe, non, ut vim inferret, ſed, ut res judicatas & geſtas auctoritate ſua confirmaret. Quare etiam edicto ſecundo teſtatur, ſe primo edicto venerandam ſynodum confirmaſſe. Quod loquendi genus ſynodo nequaquam diſplicuit; quin potius ipſa eundem dicendi modum uſurpavit in epiſtola ſynodica ad Leonem Pontificem; cui ſignificat ejus ſententiam adverſus Eutychetem, veluti legem quandam, ab Imperatoribus confirmatam. Tertio Marciani edicto, quæ definita fuerant a Concilio Chalcedonenſi, iterum confirmantur, exilii & confiſcationis pœna irrogata, ita, ut hæreticis ab urbe regia & civitatibus metropolitanis ſit omnino interdictum. Eos autem hæreticos eſſe definit, qui ab Eccleſiæ canonibus & Principum conſtitutionibus damnati ſunt, non quaſi damnandæ hæreſeos auctoritatem Principibus aſſerere velit, ſed, ut omnem tergiverſandi locum hæreticis adimeret, qui ſcirent, eos canones ratos apud omnes haberi debere, qui Principum legibus eſſent recepti.

Allocutio Marciani Conc. Chalc. act. 6. βεβαιῶσαι τὰ πεπραγμένα, ... προθυμήσαντες.

Edictum ſecundum Marciani: ἱερὰ τῆς ἡμετέρας ἡμερότητος διατάγματι τὴν ἁγίαν βεβαιώσαντες σύνοδον.

Ep. ſyn. Conc. οἱ ... τῆς σῆς ὁσιότητος, ὡς νόμον βεβαιώσαντες κρίσιν.

Edictum III. Marciani: οἱ τῆς ἐκκλησίας κανόνες καὶ αἱ θεῖαι διατάξεις τῶν πάλαι βασιλέων καταδικάζουσι.

XII. Quod Juſtinianus a deceſſoribus ſuis factum obſervaverat, ipſe legibus ſuis ſecutus eſt, quas contra Anthimum edidit. Hic ex epiſcopatu

Tra-

Trapezuntis a Theodora Augusta evocatus, Ecclesiæ Constantinopolitanæ constitutus fuerat Patriarcha, qua sede primum dejectus Agapeti Pontificis sententia, deinde judicio synodi habitæ Constantinopoli, ipsa Episcopi dignitate privatus est. Utramque sententiam Agapeti & synodi lege sua firmavit Justinianus: cujus verba proferre necesse est, ut constet, regiæ & sacerdotalis auctoritatis consensionem maximam semper fuisse; ita, ut non tantum nudum ministerium, velut apparitores, exequendæ Conciliorum sententiæ Principes præstiterint, sed jure etiam regio ad eandem damnationem post synodorum judicium suffragium suum adjunxerint ratione habita executionis publicæ, quæ proscriptionem illam sequebatur. *Rem non insolitam imperio & nos facientes, ad præsentem venimus legem. Quoties enim sacerdotum sententia quosdam indignos sacerdotio de sacris sedibus deposuit, quemadmodum Nestorium, Eutychem, Arium, Macedonium & Eunomium, & quosdam non minores aliis,* 1 *toties imperium ejusdem sententia & ordinationis cum sacerdotum auctoritate fuit. Sicque divina pariter & humana concurrentia unam consonantiam rectis sententiis fecere.* Quare & ipse sententiam adversus Anthimum latam κυρίαν fecit, ut ipse loquitur, id est, quemadmodum explicat capite tertio, 2 *hoc firmius ponit, & imperialibus legibus corroborat, ac si ab imperio ipso provenisset.* Deinde Menæ Patriarchæ dat in mandatis, ut ad Metropolitas suæ Diœcesеos mittat, *quæ sacerdotio visa sunt & ab imperio confirmata*, τάτε τῇ ἀρχιερωσύνῃ δόξαντα, τάτε ὑπὸ τῆς βασιλείας κεκυρωμένα.

Novell. 42. πρᾶγμα οὐκ ἀήθες τῇ βασιλείᾳ.

1 Τοσαυτάκις καὶ ἡ βασιλεία σύμψηφος γέγονε τῇ τῶν ἱερέων αὐθεντίᾳ. ὥστε θεόθεν καὶ ἀνθρώπινα συνδραμόντα μίαν συμφωνίαν ταῖς ὀρθαῖς ποιήσασθαι ψήφοις.

2 Κύριον δὴ καὶ τοῦτο τίθεμεν, καὶ τοῖς βασιλικοῖς ἡμῶν αὐτῶν νόμοις ἐπικυροῦμεν, ὡς ἂν εἰ παρὰ τῆς βασιλείας αὐτῆς προῆλθον ἐπιτυγχάνον.

XIII. More veterum Principum Constantinus Pogonatus definitionem sextæ synodi adversus Monothelitas suo edicto se confirmasse ad Leonem II. Pontificem scripsit. Quod adeo gratum fuit Leoni, ut in hæc verba Constantino gratulabundus rescripserit: *Synodali igitur sententia & imperialis edicti censura, tanquam ancipiti spiritus gladio, cum priscis hæresibus etiam nova pravitatis error expunctus est.*

Epist. Const. Pog. ad Leon. διὰ δυσσεβῶν ἡμῶν θεσπίσματων ἐπικυρώσαμεν.

Synodus orientalium Episcoporum, a Justiniano Rhinothmeto coacta in Trullo palatii, sub nomine sextæ synodi canones edidit: quorum confirmationem ut impetraret a Principe, eadem verba usurpavit, quibus usa fuerat synodus œcumenica secunda erga Theodosium. Constantinus & Irene relecta coram se fidei definitione a septima synodo edita, eam subscriptione sua muniverunt, postquam illis constitit, de consensu omnium decretam fuisse. Eodem pacto (postquam præsente Basilio Imperatore, relectis canonibus ab octava synodo editis, fidei symbolo, & Photii depositione, consensum suum Episcopi testati sunt) *Allocutione* sua Basilius edixit, ut, si quis clericus aut laicus contra synodi canones aliquid haberet dicendum, prodiret in medium, & aperiret, quid illi videretur. Nam soluta synodo, nullam illum veniam ab Imperatore consecuturum, qui res constitutas oppugnaverit, sed jure damnandum, & urbe expellendum.

Act. 10. Conc. συγγνώμην παρὰ τῆς βασιλείας ἡμῶν οὐχ εὑρήσει, ἀλλ' ἐνδίκως καταχρισθήσεται, καὶ τῆς πόλεως ἡμῶν ἀπελαθήσεται.

XIV. Sed quo proposito leges illæ de confirmandis Conciliorum decretis ab Imperatoribus ferrentur, Facundus Hermianensis in Africa Episcopus accurate expressit. Florebat sub Justiniano, a quo trium capitulorum causam discuti ægerrime ferebat; ideoque multis verbis Principum audaciam exagitat, qui canonicas quæstiones ad suum judicium revocare tentant, eosque ad exemplum Marciani Principis provocat, de quo hæc sunt ejus verba: *Sciens igitur ille modestissimus Princeps Oziæ Regi non impune cessisse, quia sacrificare præsumpsit, quod licitum est singulo cuique etiam secundi ordinis sacerdoti, multo magis sibi impune cedere non posse cognovit, vel, quæ jam de fide christiana rite fuerant constituta, discutere, quod nullatenus licet, vel novos constituere canones, quod nonnisi multis & in unum congregatis primi ordinis sacerdotibus licet. Ob hoc itaque vir temperans & suo contentus officio ecclesiasticorum canonum executor esse voluit, non conditor, non exactor.* Hic est certus limes, quem regiæ auctoritati in his negotiis præfigere oportet; ne inconsulto trahamur ad eam adulationem, qua Principibus suis totius disciplinæ ecclesiasticæ summam Græci deferebant. Hæc sunt verba Demetrii Chomatiani Bulgariæ Archiepiscopi in responsione prima ad Cabasilam: *Imperator, ut communis Epistimonarcha existens & dictus, synodalibus præest sententiis & robur tribuit, ecclesiasticos ordines componit, & legem dat vitæ politiæque eorum, qui altari serviunt; hoc amplius, & judiciis Episcoporum & clericorum, & vacantium Ecclesiarum electionibus.* Ὁ βασιλεὺς γὰρ οἷα κοινὸς τῶν ἐκκλησιῶν Ἐπιστημονάρχης καὶ ὢν καὶ ὀνομαζόμενος, καὶ συνοδικαῖς γνώμαις ἐπιστατεῖ, καὶ τὸ κῦρος ταύταις χαρίζεται. ἐκκλησιαστικὰς τάξεις ῥυθμίζει, καὶ νομοθετεῖ βίῳ καὶ πολιτείᾳ τῶν βήματος, καὶ μὴν καὶ δίκαις ἐπισκόπων, καὶ κληρικῶν, καὶ πρόσγε χηρευουσῶν ψήφοις ἐκκλησιῶν. Quæ magnifica verba omnino aliena sunt a mente veterum, nisi intra fines patrocinii ecclesiastici contineantur. Alia est electionum ratio, de quibus agere non est præsentis instituti. [*Vide librum octavum.*]

Facund. Hermian. l. 12. c. 3.

Lib. 5. Juris Græco Rom.

Vide libellum Marcæ editum Barcinone.

CAPUT XI.

De legibus Principum circa negotia ecclesiastica, earumque auctoritate.

SYNOPSIS.

I. Non solum in universum decreta Conciliorum Principes confirmant, sed etiam canones aliquos specialibus legibus. Probatur exemplo Theodosii, qui vetuit clericis consortia extranearum mulierum ex sententia Concilii Nicæni, quam lege explicuit. E Leone de monachis & simoniacis decernente juxta canones synodi Chalcedonensis.

II. Justiniani constitutiones de causis ecclesiasticis a quibusdam damnatæ, ab aliis male acceptæ. Jure tuitionis latæ sunt ad canonum executiones.

III. Discussæ Justiniani constitutiones, quæ personas aut res ipsas respiciunt. Illæ desumptæ e canonibus, qui supplentur, agendi modo præscripto: Quæ de rebus, de nuptiis, & de foro latæ, tunc a jurisdictione mera Principis pendebant.

IV. Joannes Scholasticus collationem Novellarum Justiniani cum canonibus a Theodoreto collectis composuit. Ex sensu Joannis, Novellæ canonibus contulerunt auctoritatem, interpretationem & supplementum.

V. Novellarum istarum usus commendatus ab Ecclesia Romana ex Gregorio M. Joanne VIII. Hincmaro & Ivone.

VI. Quæritur, an leges canonibus contrariæ in causis ecclesiasticis vim habeant. Nullæ sunt ex rescripto Valentiniani, & ex sententia synodi Chalcedonensis, de qua dictum cap. VIII. hujus libri. Quod intelligendum de canonibus receptis, ex Balsamone.

VII. Eo sensu explicatur constitutio Friderici II. & decretalis Honorii, verbaque Nicolai I. nempe de canonibus & decretis receptis.

VIII. Si leges canonibus contrariæ essent irritæ, rescindebantur a Principe, non a synodo, e Concilio Chalcedonensi. Discutitur locus Gregorii M. de lege Mauritii: quam Pontifex promulgavit, etsi adversaretur libertati Christianæ. Primum caput clericorum conditiones respicit, sed verbis in laicos conceptis, antequam adsciti essent in clerum. Quod a Principibus fieri posse docent Theodosius, Honorius & Innocentius I.

IX. Secundum caput legis Mauritii de militibus, qui monachismum expeterent, quod Gregorius non approbat. Sed legem promulgat juxta ordinem præscriptum, missis exemplis ad Metropolitas. Suspendit executionem illius capitis, ea auctoritate, qua Præfectis prætorio & aliis delegatis ad promulgan-

mulgandas leges ex Novella Justiniani competit. Quare non est recurrendum ad summam potestatem Romanæ sedis.

X. De altero Mauritii & Phocæ rescripto canonibus contrario agit Gregorius cum summa modestia. Ejus rescissionem Principi servat.

I. NOn solum autem edictis generalibus, quæ a Conciliis constituta erant, Imperatores confirmabant; sed etiam legibus & rescriptis specialibus nunc hereticos reprimebant, nunc intervers[æ] disciplinæ consulebant, definitiones canonum amplexi, Honorius & Theodosius extranearum mulierum consortia clericis interdicunt, hac tantum facultate concessa, ut matres, filias atque germanas intra domorum suarum septa contineant, in quibus nihil sævi criminis suspicari fœdus naturale permittit. Sed quis non videt expressam verbis legis canonis tertii Nicæni sententiam? Id unum ad canonis interpretationem omnino necessarium addunt, ne domo expellantur uxores, quæ ante sacerdotium maritorum legitimo fœdere illis conjunctæ sunt. Quæ exceptio, & e canone septimo apostolico transcripta, & e quotidiana praxi hausta, legi Principum adjungi potuit; eamque deinde Leo I. decreto suo approbavit. *Unde, ut de carnali fiat spiritale conjugium, oportet eos nec dimittere uxores, &, quasi non habeant, sic habere; quo & salva sit charitas connubiorum, & cesset operatio nuptiarum.* Monachis exeundi e monasteriis facultatem interdicit Leo Imperator, exceptis apocrisiariis seu monasterii procuratoribus; sed prohibitionem illam ex antiqua regula monachis præscripta & a Concilio Chalcedonensi approbata desumpsit. Ex ejusdem Concilii canonibus sanctissimæ legis ferendæ occasionem hausit adversus ambitum eorum, qui sacerdotia mercantur, quos a gradu sacerdotii per pecunias turpiter redempti retrahi jubet, quæ est pœna canonica dejectionis, hac lege confirmata. Præterea ad instar criminis læsæ majestatis accusationem institui, reosque infamiæ perpetuæ damnari, suo jure decernit.

Can. Apost. VIII. *Episcopus aut Presbyter uxorem propriam nequaquam sub obtentu religionis abjiciat.* μηδὲ ἐκβαλλέτω. Leo ad Rustic. In decretis c. 17. & apud Gratian. L. *Qui in monasteriis.* C. de Episc. & Cleric. Conc. Chalc. can. 4. τὰ ἴδια μοναστήρια μὴ καταλιμπάνοντας. L. *Si quemquam.* C. eod. Syn. Chalc. c. 2.

II. Plura in hoc genere unus Justinianus præstitit, quam ceteri Imperatores. Quod nemo sane mirabitur, cui hominis studium in restituendo & interpretando jure compertum erit. Neque enim apud nos inscitiæ infamia laborabit, quam illi e corrupto Suidæ loco omnes scriptores affinxerunt, Justini patrui vitio, qui ἀναλφάβητος erat, in Justinianum transcripto. Hanc enim labem ab eo Principe Procopii Anecdota depulerunt, quamvis aliunde ejus truculentiam, aut potius Theodoræ conjugis atrocitatem, pudenda scriptione dehonestarint. De constitutionibus autem ecclesiasticis Justiniani solet in utramque partem disputari. Qua in re a plerisque gravissime peccatum est. Quidam enim, parum perpenso hujus Principis consilio, eum sacra divinaque profanis miscuisse existimant, ejusque leges, de causis ecclesiasticis latas, nullas & irritas fuisse, donec ab Ecclesia in usum & auctoritatem receptæ fuerint. Contra vero quamplurimi, qui tantum res forenses attigerunt, præjudicio harum constitutionum potestatem liberam de disciplina ecclesiastica decernendi Principibus vindicant. Mihi autem videtur, jure suo usum fuisse Justinianum, qui legibus latis non canones condidit, sed conditos fovit & amplificavit; quia jus illud tuitionis ecclesiasticæ, Principibus Christianis a Deo commissæ, exigit, ut leges pro religione divina ferant, quemadmodum docuit Augustinus capite superiori.

Carolus Molinæus.

Hanc sibi mentem fuisse, docet quoque Justinianus, ut vetustatis & canonum se vindicem præstaret, non novas regulas in Ecclesiam invehendo, sed veteres augendo in melius. In eam rem expendenda sunt verba rescripti, quod dedit ad Dacianum Metropolitam Concilii Byzaceni in Africa: *Semper nostræ serenitati cura fuit servandæ vetustatis, maximæ disciplinæ, quam nunquam contempsimus, nisi ut in melius augeremus, præsertim quotiens de ecclesiasticis negotiis contingit quæstio, quæ patrum constat regulis definita, imo adventu superni numinis inspirata; quia constat, esse cœlitus constitutum, quicquid apostolica decernit auctoritas.* Infra: *Nos tutores sumus vetustatis & vindices.*

Jussio Justin. pro privilegio Concilii Byzac.

III. Ceterum constitutiones illæ Justiniani, quæ numero suo terrent, in duo capita dividi possunt. Aut enim personas, aut res ecclesiasticas respiciunt. Quæ de clericis latæ sunt, aut circa Patriarcharum, Metropolitarum & ceterorum Episcoporum jura, privilegia & officia versantur, quæ tam ordinationibus, quam administrationibus, id est, judiciis reddendis, & ecclesiasticis negotiis exercendis sunt addicta, aut totius cleri functionem, assiduum in Ecclesiis obsequium respiciunt, & eorum, qui clero adscribi debent, mores & statum, monachorum & sanctimonialium ἄσκησιν. Quæ omnia hausta sunt e canonibus, aut e receptis moribus; quemadmodum Justinianus ipse profitetur, qui, se illa omnia secundum canones decernere, diserte pluribus in locis scribit. Sane de ordinandorum electionibus multa interpretatione supplevit, quæ canonibus non continentur. Nam tres personas a clero & populo propositis sacris evangeliis eligendas & decretum electionis ad Metropolitanum mittendum, quæ uni e tribus electis suffragium suum conferat, primus ille statuit. Deinde ordinem judicii præscribit, quem sequi oporteat, si quæ incidant contentiones de persona electi, de vitio electionis, de simoniæ crimine, & ceteris hujusmodi, quod etiam illi solenne est in multis aliis articulis, ut modum rei gerendæ vel ordinem judiciorum constituat. Quod autem attinet ad res ecclesiasticas, de earum conservatione sollicitum se ubique præstat. Oeconomum juxta canones Chalcedonenses constitui jubet; administrationisque modum, redituum augendorum, & rationum reddendarum illi præscribit; numerum clericorum Ecclesiæ Constantipolitanæ coercet, ne reditus exhauriantur: multaque de emphyteusibus & impedienda bonorum alienatione constituit. Hæc omnia, quæ res ipsas respiciunt, non in consequentiam canonum, sed jure suo se decernere profitetur. Plurima etiam Princeps ille constituit, quæ dirimant Christianorum matrimonia. Sed pars illa juris tunc erat penes Principes sine ulla controversia, ut docet Bellarminus. Quæ vero de clericis conveniendis apud judices publicos vel ecclesiasticos decernit, tunc a jurisdictione Principis pendebant, qui fines suæ potestatis legibus suis regere debet.

De ordinationibus & administrationibus vide lib. VI.

Nov. 6. cap. 1. θεσπίζομεν τοίνυν, τοῖς θείοις διὰ πάντων ἑπόμενοι κανόσι. Nov. 123. c. 36. κελεύομεν κατὰ τοὺς μοναχικοὺς κανόνας & passim similia verba occurrunt.

Nov. 123. c. 1.

Quæ cum ita sint, mirandum non est, si constitutiones illæ summo applausu a Patriarchis exceptæ fuerint, ad quos mittebantur, ut eas in Ecclesiis publice proponerent, & earum usum a Metropolitis exigerent. Imo & post obitum Justiniani earum usus in judiciis ecclesiasticis obtinuit: quia nempe, quæ generaliter a canonibus erant decreta, modo rei gerendæ & judiciorum ordine præscripto, his constitutionibus erant sigillatim comprehensa; ut magnum inde emolumentum perciperet ecclesiastica jurisdictio, quo facilius in causis dirimendis se expediret.

Quare in epistola synodica Papæ Agathonis & synodi Romanæ summis laudibus celebratur Justinianus, quod, quemadmodum virtute sua, ita quoque & pietate in meliorem ordinem cuncta restituerit. Unde inter faustas acclamationes, quibus sexta synodus Constantinum Pogonatum ob vindicatam religionem prosequebatur, nempe, *Novo Magno Constantino multos annos, novo Theodosio, novo Marciano*, hæc quoque additur, *Novo Justiniano Imperatori multos annos*, Νέῳ Ἰουστινιανῷ βασιλέως πολλὰ τὰ ἔτη.

Act. 4. VI. syn. in ep. syn. Agath. οὗτινος, ὡς ἡ ἀρετή, οὕτω καὶ ἡ εὐσέβεια εἰς κρείττονα τάξιν ἀνεκαίνισε πάντα.

IV. Joannes Scholasticus Patriarcha Constantinopolitanus, qui sub Justiniano quidem floruit: sed ei superstes fuit, harum constitutionum usum valde commendat. Etenim collectioni canonum, quam Theodoretus Episcopus Cyri in quinquaginta titu-

E Cod. MS. bibliothecæ regiæ: Εἰς δόξαν μεγάλου Θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ τὰ νῦν

συντεθειμένα τοῖς ἱεροῖς κανόσι τῶν τε ἁγίων καὶ μακαρίων ἀποστόλων, καὶ τοῖς ἴχνεσιν αὐτῶν καθ' ἑκάστην σύνοδον ἀκολουθησάντων ἁγίων πατέρων, μετέγραψα ἐκ τῶν σποράδην κειμένων ἐκφωνηθεισῶν ὑπὸ τῆς θείας λήξεως Ἰουστινιανοῦ, μετὰ τὸν κώδικα τῶν θείων νεαρῶν διατάξεων. αἵ τινες οὐ μόνον τοῖς τῶν ὀρθοδόξων ἡμῶν πατέρων κανόσιν ἀκολουθοῦσιν, ἀλλὰ καὶ τὸ ἐκ βασιλικῆς ἰσχύος αὐθεντίαν χαρίζονται; μετὰ προσθήκης ἐννόμου τε καὶ θεαρέστου τὸ συμφέρον πάσῃ τῇ ἀνθρωπίνῃ κτίσει θεομιμήτως προσκοπούσης.

titulos digestam adornarat, collationem legum & præcipue Novellarum constitutionum Justiniani adjunxit, præfatione sua testatus, quid leges canonibus conferant: *Ad gloriam magni Dei*, inquit, *& servatoris nostri Jesu Christi, quæ nunc collata sunt cum sacris canonibus sanctorum & beatorum Apostolorum, & qui eorum vestigia secuti sunt per unamquamque synodum sanctorum patrum, transcripsi e Novellis constitutionibus a Justiniano felicis memoriæ post Codicem sparsim editis. Quæ quidem non solum sequuntur orthodoxorum nostrorum patrum canones, sed etiam ex Principis imperio auctoritatem illis largiuntur; una cum adjectionibus quibusdam legitimis & Deo gratis, quæ commodis hominum ad exemplum Dei consulunt.* Hæc ille: qui non solum eos articulos Novellarum amplectitur, qui canonum verba κατὰ πόδας sequuntur, sed etiam eos, qui canonum mentem jurisdictione suppleverunt, id est, *adjectionibus quibusdam legitimis & Deo gratis*, ut loquitur ille, canonum sententiam interpretando, quæ videbantur omissa, addiderunt. Quin etiam eas leges, quæ canonibus per interpretationem aliquid adjiciunt, quæque modum rei gerendæ & ordinem judiciorum præscribunt, inter ea recenset, quæ vocant συνᾴδοντα νόμιμα τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς κανόσιν. Quamvis alios quosdam articulos, qui canonibus non continentur, inter ea reponat, quæ vocat ἕτερα κεφάλαια ἐκκλησιαστικά. Quale est de Abbatum electione, ne clerici sint literarum expertes aut curiæ addicti, & de bonorum ecclesiasticorum alienatione, & aliquot ejusmodi. Exemplo Joannis Scholastici Photius Nomocanonem suum edidit; ubi leges cum canonibus componit, quamvis alia methodo.

V. Novellarum ecclesiasticarum usus obtinuit etiam in occidente; ut videre est apud Gregorium Magnum, qui Joannem Defensorem abeuntem in Hispaniam monet, quid sequi debeat in judicio, quod illi delegarat. Et initio commonitorii profert Novellam constitutionem CXXIII. quæ pene totius antiqui juris canonici synopsin complectitur ipsumque interpretatur. *De persona Presbyteri*, inquit, *hoc attendendum est, quia, si quam causam habuit, non ab alio teneri, sed Episcopus ipsius adiri debuit, sicut Novella constitutio manifestat, quæ loquitur de sanctissimis & Deo amabilibus ac reverendissimis Episcopis, clericis, & monachis. Imperator Justinianus Augustus Petro gloriosissimo Præfecto prætorio; Si quis contra aliquem clericum &c.* Plurium legum testimonia deinde profert, ex quarum præscripto judex delegatus judicium ferat. Joannes etiam VIII. Novella constitutione nititur adversus quosdam Episcopos, qui Bicbertinum laicum sine causæ cognitione a communione removere tentabant. *Insuper*, inquit, *nostro apostolatui intimavit*, (Bicbertinus) *ut eum sine ratione discussa excommunicare vultis. Quapropter apostolica auctoritate jubemus, ut nemo vestrum eum excommunicet, antequam ad legis examen proveniat. Scitote, quemadmodum in centesimo capitulo Africani Concilii legitur, similiter in secundo Novellarum Justiniani libro, ut nemo Episcopus aut Presbyter aliquem excommunicet, antequam causa probetur &c.* Quare non immerito Hincmarus & Ivo Novellas constitutiones Justiniani a Romana Ecclesia servari scripserunt, ille in opusculis, hic in epistolis.

Greg. lib. 11. epist. 54. apud Gratia. 11. q. 1. *De persona.*

Joannes epist. 163.

Hincmarus Opusc. cap. 17. *Sed & leges Romana ab Imperatore Justiniano promulgatas, quas probat Ecclesia, decernunt: De Episcoporum sine Metropolitani sui auctoritate profectione.* Ivo ep. 280. *Dicunt instituta legum Novellarum, quas commendat & servat Romana Ecclesia.* L. *Privilegia.* 22. C. de sacros. Eccles.

VI. Constitutiones Justiniani in judiciis ecclesiasticis viguisse dixi, quia secundum canones erant decretæ. Unde quæri solet de legibus, quæ de causis ecclesiasticis latæ canonibus adversantur, quem locum obtinere debeant. In eam rem extat Valentiniani III. & Marciani constitutio edita anno CDLIV. a qua discedere non licet: *Omnes sane pragmaticas sanctiones, quæ contra canones ecclesiasticos interventu gratiæ & ambitionis elicitæ sunt, robore suo & firmitate vacuatas cessare præcipimus.* Hoc suum propositum Marcianus per Judices cognitores synodo Chalcedonensi expresserat; quæ solitis acclamationibus justam sententiam excepit, & in eas voces erupit, quæ Actione quarta Concilii continentur, ut nullæ pragmaticæ leges adversum canones vim habeant, quemadmodum uberius dixi superiori capite octavo. Id tantum moneo, Principum eam fuisse mentem, ut nihil sibi licere putarent in eos canones, qui editi fuissent a synodis œcumenicis & edicto publice recepti. Quare Theodorus Balsamo graviter refellit Græculorum illorum adulationem, qui canones non esse servandos dicerent, cum legibus adversantur, quia, inquit ille, *canones ab Imperatoribus & a sanctis patribus editi & confirmati, tanquam divinæ scripturæ suscipiuntur, leges autem a solis Imperatoribus aut editæ, at receptæ sunt, & propterea vim non obtinebunt adversus divinas scripturas aut canones.*

Balsamo ad T. ... Nomoc. Photii: οἱ κανόνες παρὰ βασιλέων καὶ ἁγίων πατέρων ἐκτεθέντες καὶ στοιχηθέντες ὡς αἱ θεῖαι γραφαὶ δέχονται, οἱ δὲ νόμοι παρὰ βασιλέων μόνων ἐδέχθησαν ἢ συνετέθησαν. καὶ διὰ τοῦτο οὐ κατισχύουσι τῶν θείων γραφῶν, οὐδὲ τῶν κανόνων.

VII. Eadem est omnino sententia Friderici II. Imperatoris, cujus constitutio extat inter Honorii III. epistolas; quam Romæ ipso die inaugurationis suæ edidit anno MCCXX. quæque relata est in Codice post Marciani legem. Etenim Fridericus irrita esse jubet omnia statuta & consuetudines, quæ contra libertatem Ecclesiæ edita sunt adversus canones, qui ex Principum edicto aut consensu promulgati fuerint. Eodem tempore Honorius decretali epistola excommunicatione percellendos statuit, qui ea statuta & consuetudines introductas contra Ecclesiæ libertatem retinere & juxta earum præscriptum judicare præsumpserint. Quæ verba lucem accipere debent e constitutione Friderici; scilicet quatenus Ecclesiæ libertas contra canonicas & imperiales sanctiones oppugnabitur. Eodem pacto intelligendus est Nicolaus primus in epistola, quam ad Concilium Silvanectense scripsit, cum ait, *Imperatorum leges non esse penitus renuendas, sed evangelicis, apostolicis, atque canonicis decretis, quibus postponenda sunt, nullum posse inferre præjudicium.* De illis enim decretis canonicis loqui censendus est, quæ recepta fuerunt.

Extat etiam in quinta compilatione Decretal. cap. 3. de constitutionib. Authent. *Cassa.* Cod. de sacros. Eccles. lib. 5. ep. Honor. 483. C. *Noverit.* de sentent. excomm.

Nicolaus ep. 32. relatus a Gratiano.

VIII. Ceterum non pigebit hic refricare, quod supra dicto capite octavo monui, nempe leges, quæ canones infringunt, esse quidem nullas ipso jure, sed nec Pontifices, nec synodum œcumenicam hoc sibi arrogasse, ut eas decretorum suorum auctoritate rescinderent, verum id a Principibus exorasse. Id docuit Photius Tyri Episcopus suo exemplo, ipsaque synodus Chalcedonensis, quæ rescriptum de metropoli Beryti datum adversus canones a judicibus rescindendum esse professa est. Sed præcipue hanc reverentiam Principibus detulit Gregorius Magnus: qui legem a Mauritio latam, qua decernebatur, ne militibus liceret monachismum amplecti, per omnes provincias, ut illi mandatum erat a Principe, publicavit, etsi Christianæ libertati contrariam existimaret. *Ego quidem*, inquit, *jussioni subjectus eandem legem per diversas partes transmitti feci. Et quia lex ipsa omnipotenti Deo minime concordat, ecce per suggestionis meæ paginam serenissimis Dominis nuntiavi. Utrobique ergo, quæ debui, exsolvi: quia & Imperatori obedientiam præbui, & pro Deo, quod sensi, minime tacui.*

Gregor. lib. 2 Indict. 11. ep. 62.

Vexatus est iste locus variis eruditorum interpretationibus; quibus, ne sit apud me locus, verborum simplicitas facit. Duo capita lex ista Mauritii continebat. Primum, ut ei, qui publicis actionibus se immiscuisset, & reddendis rationibus esset obnoxius, liberum non esset clero adscribi. Quod Gregorius amplectitur, nec excipit, a non competente judice rem fuisse decretam. *Dominorum pietas sanxit*, inquit, *ut, quisquis publicis administrationibus fuerit implicatus, ei ad officium ecclesiasticum venire non liceat. Quod valde laudavi, evidentissime sciens, quia, qui habitum secularem deferens, ad ecclesiastica officia venire festinat, mutare vult seculum, non relinquere.* Quod alienum esse videtur a regula superius proposita, ut hoc etiam obiter adnotetur; qua contendi, non licere Principibus de ordinibus ecclesiasticis leges ferre suis auspiciis, sed tantum in consequentiam canonum,

aut

aut etiam regularum monasticarum, si de monachis agatur. Hic autem Mauritius de clericorum conditionibus decernit, non reluctante Pontifice. Sed observandum est, leges in hoc genere admitti, cum in personam laicorum conceptæ sunt, & eo proposito feruntur, ut reipublicæ commodis consulatur, quemadmodum confirmari potest antiquiori exemplo. Vetuerat Imperator Constantius anno CCCLXI. ne officiales rationalium ad clerum proveherentur; idemque de curialibus præceperat Honorius anno CCCCXVIII. alioquin auctoritate Principis a clero revocati, ad priorem conditionem retraherentur. Eam ob causam Innocentius I. hanc curialium ordinationem vetuit post annum quadringentesimum. *Præterea*, inquit, *frequenter quidam ex fratribus nostris curiales vel quoslibet publicis functionibus occupatos, clericos facere contendunt: quibus postea major tristitia, cum de revocandis eis aliquid ab Imperatore præcipitur, quam gratia nascitur de adscitis*. Infra: *Sit certe in exemplum sollicitudo & tristitia fratrum, quam sæpe pertulimus Imperatore præsente; cum pro his sæpius rogaremus, quam ipse nobiscum positus cognovisti; quibus non solum inferiores clerici ex curialibus, verum etiam jam in sacerdotio constituti, ingens molestia, ut redderentur, imminebat*. Eo jure utebantur Imperatores temporibus Gelasii Papæ, ut patet ex fragmento epistolæ hujus Pontificis relato apud Gratianum. Quod ad Reges nostros manavit, secularibus ad clericatum non admissis, nisi cum jussione Regis, exceptis clericorum liberis, ut docet Concilium Aurelianense primum. Eum morem Carolus Magnus lege capitulari edita confirmavit. Qua de re dicetur alibi.

L. *Officiales*. 4. l. *Si quis*, 12. C. de Ep. & Cleric.

Innoc. in decretis cap. 18. apud Grat. dist. 51. cap. *Præterea*.

Cap. *Ex antiquis*. dist. 54.

Vide Seldenum in Notis ad Eadmer. pag. 195.

IX. Secundum caput legis Mauritianæ vetat, ne illi, qui publicas actiones egisset, aut *manu signatus* inter milites fuisset, in monasterio *converti* liceret. Quod Gregorius alienum omnino a Christiano Principe putat in eo capite, quod monachos respicit: quia via salutis plurimis occluditur, *qui, nisi omnia reliquerint*, inquit ille, *salvari apud Deum nullatenus possunt*. Quare impense rogat Imperatorem, ut legem illam inflectat. Interim vero ab ea promulganda non destitit. Eum autem ordinem observavit, quem Justinianus præscribit in iis constitutionibus, quas ad Patriarchas dirigit, ut ipsi deinde ad Metropolitanos Episcopos promulgandas mittant, quemadmodum dicemus capite decimo quinto. Etenim ad undecim Metropolitanos Italiæ, Illyrici, & Græciæ, qui in Romano patriarchatu constituti, orientis imperio parebant, legem Mauritii transmisit, nempe ad Thessalonicensem Episcopum Macedoniæ Metropolitam, ad Nicopolitanum Epiri, ad Corinthium Achajæ, ad Larissæum Hellados secundæ, ad Justianæum Illyrici occidentalis, ad Gortynensem Cretæ, ad Dyrachitanum alterius Epiri, ad Calaritanum Sardiniæ, ad Episcopos Siciliæ, ad Mediolanensem & Ravennatem in Italia. Sed adeo prudenter ea in parte se gessit, ut Imperatoris jussioni paruerit, &, quæ decerent Episcopum, peregerit. Etenim delegata auctoritate usus, dum legem Metropolitanis mittit, eos hortatur, ne in clerum adsciscant, aut in monasteriis suscipiant eos, qui actionibus publicis sunt implicati, donec rationes reddiderint. Quod vero ad milites attinet, qui *converti* cupiunt, docet non esse temere suscipiendos, sed cum delectu. His verbis legem temperat, vel potius, quoad illam partem, ejus executionem suspendit: eadem scilicet auctoritate usus, qua legem proponebat, nempe delegatione Principis, quæ delegatio secundum morem receptum & legis inscriptione & *epilogo* continebatur, ut videre est in Novella sexta Justiniani & alibi. Fas enim erat Præfectis prætorio, ad quorum exemplum edicta de rebus ecclesiasticis mittebantur ad Patriarchas, leges novas ad se missas in aliquo capite temperare, aut ab executione abstinere, donec, quæ videbantur pro utilitate publica, relationibus suis suggessissent. Hoc statuit Justinianus Novella constitutione: qua cavet, ne jussiones Principis, quæ de rebus publicis eduntur, antea ratæ sint, quam Præfectis prætorio insinuatæ sint. *Omnino insinuentur*, inquit, *& judicio excellentiæ tuæ mittantur in provinciam: ut quæ quidem sacræ formæ ad detrimentum reipublicæ factæ non sunt, hæ & suscipiantur conjiciantur que in præceptiones, & ab excellentia tua mittantur in provincias, quatenus certo fini tradantur. Quæ vero ad detrimentum reipublicæ per obreptionem fiunt, has quidem sacras formas tua suscipiat excellentia; non tamen prius, quæ inibi sunt reposita, faciat, quam ad nos relationem ex de re pertulerit; quo magis, si quid, ut potest fieri, ad detrimentum factum est reipublicæ, id corrigamus*. Verba Novellæ integra protuli, ut unicuique constaret, quam Gregorius Magnus in lege Mauritii temperanda auctoritatem adhibuit, jam ab ipso Justiniano Præfectis prætorio fuisse collatam: ne quis plenitudine apostolicæ potestatis ad Principum leges expungendas usum fuisse Gregorium cum viris eruditissimis sibi persuadeat. Imo vero ita modeste se gerit, ut partem legis servandam præscribat, partem vero ad mores, qui antea recepti erant, revocet, idque gratum esse Principi rescribat. Quod ille non asseruit, ac si jam certior factus esset de novo Mauritii consilio, (ut quibusdam visum est ob perturbatum epistolarum ordinem in regesto Gregorii, cum epistola ad Mauritium extet libro secundo, & epistola ad Metropolitanos libro septimo) sed, quod eodem tempore relatione sua significabat Imperatori, quid agendum esset, eique temperamentum illud gratum omnino futurum existimabat. *Qua de re*, inquit, *etiam serenissimus & christianissimus Imperator, mihi credite, omni modo placatur, & libenter eorum conversionem suscipit, quos in rationibus publicis implicatos non esse cognoscit*. Observanda vero est cautio, quam adhibuit in tradenda epistola; quam non a responsali Romanæ Ecclesiæ publice reddi, sed a Theodoro medico & familiari Principis amico secreto offerri voluerit.

Vide secundam præfationem Marcæ §. 5.

Greg. l. 7. ep. 22.

Nov. 152. *Ne sacra forma*, &c.

Ὅσαι δὲ πρὸς βλάβην τοῦ δημοσίου κατὰ συναρπαγὴν γίνονται, δέχεσθαι μὲν τὴν σὴν ὑπεροχὴν τοὺς τοιούτους θείους τύπους, μὴ πράττειν δὲ τὰ ἐν αὐτοῖς ἐγκείμενα, πρὶν ἢ πρότερον εἰς ἡμᾶς ἀνενέγκοι, ἵνα εἴτι, ὡς εἰκὸς, πρὸς βλάβην τοῦ δημοσίου γέγονε, τοῦτο ἐπανορθωθῇ.

Vide Baronium Tom. 8. an. 583. §. 21. M. A. de Dom. l. 6. de Rep. c. 4.

Greg. l. 2. ep. 62.

De responsalibus vide lib. V. c. XVI.

X. Modestiæ & prudentiæ, qua uti oportet in componendis cum Principe, quæ super ecclesiastica jurisdictione emergunt controversiis aliud illustre exemplum suppeditat Gregorius. Occupata ab hostibus Isauriæ civitate in provincia Epiri, Episcopus cum clero in Corcyram insulam concesserat, delatis Donati martyris reliquiis; & rescriptum a Mauritio Principe impetrarat, quo castrum Cassiopi, & in eo posita Ecclesia sancti Joannis, a Corcyritanæ Ecclesiæ diœcesi recisa, Episcopo Isauriæ tribuebatur. Sed, ut monet Gregorius, jussio Mauritii, *quia contra leges & sacros canones data fuerat, non habuit effectum*: quia nempe Alcysonus Episcopus Corcyræ intercessit executioni rescripti, quo sine causæ cognitione ab antiqua possessione castri Cassiopi dejiciebatur. Lis commissa est Nicopoleos Episcopo, qui jure metropolitico provinciam regebat, *innitente sibi quoque principali jussione, in qua ei hujus causæ fuerat injuncta cognitio*, ut loquitur Gregorius. Metropolita litem addicit Corcyritano Episcopo. Sententiam confirmat Gregorius, ea tamen benignitate in peregrinum Episcopum Isauriæ usus, ut, donec pax redintegrata esset in civitate Isauriæ, precario castrum Cassiopi retinere posset. Tamen inter ipsa Phocæ Imperatoris exordia per subreptionem ab eo elicitum rescriptum fuit, quo Cassiopi possessio Episcopo Isauriæ confirmatur. Quid faceret Gregorius, qui canones infractos, judicium redditum a Metropolita & a sede apostolica rescripto Principis eversum videret? Bonifacio Diacono responsali suo in urbe regia degenti dat in mandatis, ut Phocæ rei gestæ ordinem suggerat, *atque id agere studeat, ut cum ejus jussione nostra illic sententia transmittatur*, inquit ille, *quatenus & serenitati ipsius, sicut dignum est, reservasse & rationabiliter correxisse, quæ male præsumpta sunt, videamur. Qua in re omnino danda opera est, ut, si fieri potest, etiam jussionem suam ipse tribuat, in qua ea, quæ a nobis definita sunt, servari*

Gregor. l. 12. Reg. ep. 2. & 3

præci-

præcipiat. Nam hoc facto omnis de cetero surreptioni locus obstruitur. Egregie utrumque exsequitur. Injuriam illatam ab Episcopo Isauriæ vult coercere, &, quæ ab eo male præsumpta sunt, corrigere. Sed rescripti abolitionem Principi servavit, ut par erat, & dignum; suamque sententiam altero rescripto Principis muniri curavit. Spes non destituit Gregorium; qui statim post datas priores literas dissidium partium composuit.

Eadem modestia se gesserat Pelagius erga Childebertum Regem, qui jusserat Sapaudo Arelatensi, ut inferioris Episcopi examen subiret. Hoc alienum ab ecclesiastica lege & a ratione cum dixisset Pontifex, subjungit: *Pro quibus, Christianitatis vestræ confidentia freti, paterno studio postulamus, ut, si quid tale factum est, congrua satisfactione celeriter amputetur, nec ullum sui exemplum in perturbatione Ecclesiarum, quas vobis Deus credidit, relinquere concedatur. Et in hujusmodi causis sollicitam vos in reliquo decet adhibere cautelam, ne quid contra ecclesiasticas regulas petentibus concedatis*. In eandem sententiam extant epistolæ Gallicanorum Episcoporum ad suos Reges in alia specie, quæ relatæ sunt capite nono §. IV. & V. hujus libri.

CAPUT XII.

De tuitione Ecclesiæ Regum Francorum, & variis inde fluentibus effectibus.

SYNOPSIS.

I. Tuitio Ecclesiæ ejusque decretorum Regibus Francorum in regno competit. Initium illius juris repetendum a Clodoveo, qui Defensor fidei *dictus a Remigio. Ejus in rebus canonicis potestas.*

II. Defensores Ecclesiæ dicti Reges secundæ dynastiæ a Concilio Parisiensi & Aquisgranensi. A Christo tuendam susceperunt Ecclesiam ejusque disciplinam, ut docent ea Concilia, ex Isidoro & Fulgentio.

III. Effectus tuitionis erat confirmatio canonum. Cur eam ab Imperatoribus synodi œcumenicæ postulaverint, non autem a Regibus Francorum. A Regum nostrorum sollicitudine pendet ecclesiasticorum ordinum integritas, e Pelagio. Præsidium Childeberti implorat Gregorius M. ad statutorum suorum executionem.

IV. Non solum manu regia, sed etiam legibus latis canonum executioni prospiciebant; ut Clotarius Rex, Pipinus & Carlomannus Duces Francorum. Et præ ceteris, Carolus Magnus Capitulari Aquisgranensi Episcopos officii monet, transcriptis verbis canonum, quibus legis robur addit. Ita se monitorem præstat, ut emendet, exemplo Josuæ Regis.

V. Hoc capitulare transcriptum est a Lothario Imp. in edictum suum, quo mulctam irrogat iis, qui leges illas infringunt. Leo IV. spondet, se capitula illa observaturum. Leo I. legibus a Marciano latis in præsidium legum ecclesiasticarum se subjecit. Capitularia Regum nostrorum accepta Ecclesiæ Gallicanæ. Explicata synodus Meldensis.

VI. Non solum antiquos canones, sed etiam nova decreta Romanæ sedis, legibus suis tuebantur Reges. Quod probatur duobus exemplis. Unum respicit Presbyteros suspectos, sed canonice non convictos. Consulitur Leo III. a Carolo M. ejus responsio in conventu regni expensa, & de consensu Episcoporum & procerum edicto regio confirmata, In quo versaretur hæc difficultas explicatur. Presbyteri suspecti, purgati jurejurando.

VII. Alterum exemplum respicit Chorepiscopos. Dubitatum de ordinationibus Presbyterorum, Diaconorum & Subdiaconorum, quas illi peregerant, & de ceteris quibusdam capitibus. Consultus Leo III. a Carolo M. respondet, omnia esse irrita, damnandos Chorepiscopos, & trudendos in exilium. Responsum Leonis in synodo probatum, & regio edicto confirmatum; exceptis pœnis, quas Episcopi molliverunt. Explicata hæc clausula, Permittente Apostolico.

VIII. Reges tertiæ dynastiæ ad tuitionem libertatis ecclesiasticæ a Deo designati dicuntur a Gregorio nono. Legibus munierunt ecclesiasticam disciplinam. B. Ludovicus edicto canonum executioni consulit. Eumque secuti Reges a Carolo V. usque ad hanc ætatem.

IX. De altero hujus tuitionis effectu dicetur libro quarto. Necessitas concordiæ sacerdotii cum imperio probatur e Gregorio secundo, septima synodo, Ecloga Leonis, Damiano, Arnulfo, Bernardo, & auctore anonymo.

I. QUam Principibus ex jure divino & ex universalis Ecclesiæ praxi asseruimus Ecclesiæ ejusque decretorum tuitionem, Regibus Francorum a Gallicanæ Ecclesiæ Episcopis vindicata est. Huic patrocinio regiam Francorum dignitatem devovit Clodoveus, cum sacro baptismo tinctus solennem fidei professionem emisit; ita tamen ut manumissus a servitute peccati & gratiæ vindicta in libertatem Christi assertus, a regni libertate non exciderit, sed eam ad Ecclesiæ libertatem fovendam æterno fœdere conjunxerit. Pagani & Ariani occidentem miserę lacerabant, & variæ per orientem hæreses late grassabantur, cum divini Numinis benignitas laboranti Ecclesiæ prospexit, procurato libertatis Christianæ acerrimo vindice Clodoveo: qui repudiato idolorum cultu, & Ariana hæresi calcata, quæ Aquitaniam, Hispanias & Italiam imperio tenebat, se catholicæ Ecclesiæ partibus addixit, eique arbitrio suo & delectu veræ fidei victoriam peperit. Unde non dubitavit Avitus de hoc religionis triumpho invictissimo Clodoveo literis suis gratulari. *Invenit quippe tempori nostro*, inquit, *arbitrum quendam divina provisio. Dum vobis eligitis, omnibus judicatis. Vestra fides, nostra victoria est*. Itaque statim assecutus est *Defensoris fidei* nomen, quod regno suo felicibus auspiciis adscriptum in posteros transmisit, meliori fato ab iis retinendum, quam Pontificis Maximi quondam titulus ab Imperatoribus Romanis conservatus fuerit, quem una cum imperio adipiscebantur, donec Gratiani pietas superstitionem profanæ vocis exosa pontificium amictum & Pontificis appellationem constanter repulit. Existimabit forte aliquis hoc a me datum summæ Clodovei pietati & gloriosissimis triumphis, quos de hæresi devicta reportavit, ut Defensorem fidei scholastico more nuncupaverim. Sed velim intelligat, id arbitratu meo a me factum non esse; quin potius id e verbis Remigii Episcopi Remensis, qui salutaribus aquis Regem lustraverat, a me petitum. Claudium alienæ parœciæ hominem, in Presbyterum ordinaverat Remigius, *præcellentissimi Regis testimonio, qui erat non solum prædicator fidei catholicæ, sed defensor*, inquit ille in epistola ad Episcopos. Conquerebantur illi de vitiosa ordinatione contra canones a Remigio tentata. Sed excipit iste de Regis jussu, cujus arbitrium in disciplinæ ecclesiasticæ dispositione magni momenti esse debeat. *Scribitis canonicum non esse, quod jussit. Summo fungamini sacerdotio. Regionum præsul, custos patriæ, gentium triumphator injunxit*. Sane videtur his verbis ad Constantinum respexisse, qui Κοινὸς Ἐπίσκοπος ab Eusebio dicitur; ut *Regionum præsul* vocatur Clodoveus a Remigio.

Avitus ep. 41.

Zosimus.

Remig. ep. ad Heraclium, Leonem, & Theod. Episc.

Vide supra hoc lib. cap. 10. §. 7.

II. In secundam Regum dynastiam Defensoris Ecclesiæ titulus transfusus est, ut docet Concilium Parisiense anno DCCCXXIX. quod regalis ministerii præcipuam partem in eo constituit, ut Rex sit *Defensor Ecclesiarum*; laudatque locum Isidori Hispalensis, qui extat apud Gratianum, his verbis: *Principes seculi nonnunquam intra Ecclesiam potestatis adepta culmina tenent, ut per eandem potestatem disci-*

Concil. Paris. l. 2. c. 22. Additio 2. c. 22.

Isidorus de summo bono cap. 53. apud Gratianum 23. q. 5. c. *Principes*.

disciplinam ecclesiasticam muniant. Ceterum intra Ecclesiam potestates necessariæ non essent, nisi, ut, quod non prævalet sacerdos efficere per doctrinæ sermonem, potestas hoc imperet per disciplinæ terrorem. Sæpe per regnum terrenum cœleste regnum proficit; ut, qui intra Ecclesiam positi contra fidem & disciplinam Ecclesiæ agunt, rigore Principum conterantur, ipsamque disciplinam, quam Ecclesiæ utilitas exercere non prævalet, cervicibus superborum potestas principalis imponat, &, ut venerationem mereatur, potestas impertiat. Cognoscant Principes seculi Deo debere se reddere rationem propter Ecclesiam, quam a Christo tuendam suscipiunt. Nam sive augeatur pax & disciplina Ecclesiæ per fideles Principes, sive solvatur, ille ab eis rationem exiget, qui eorum potestati suam Ecclesiam credidit. Eundem locum profert Concilium Aquisgranense habitum anno octingentesimo sexto, ut doceat Principem tuendæ Ecclesiæ causa constitutum. Quod etiam probat e Fulgentio, qui Principem officii sui commonefaciendo ait: *Præ omnibus ita se sanctæ matris Ecclesiæ catholicæ meminerit filium, ut ejus paci atque tranquillitati per universum mundum suum prodesse faciat principatum. Magis enim Christianum regitur ac propagatur imperium, dum ecclesiastico statui per omnem terram consulitur, quam cum in parte quacunque terrarum pro temporali securitate pugnatur.*

Conc. Aquisgr. cap. 3. can. 2.

III. Tuitionis effectus in Gallia idem erat plane cum eo, quem in Romano imperio viguisse diximus, scilicet, ut canones & decreta a Regibus confirmarentur. In eo tamen discrimen intercedebat, quod synodi œcumenicæ, cum a Principibus Romanis cogerentur, eorum opem ad exequendas definitiones suas implorabant, Regum potestate non interpellata. Quod mirandum non est, cum, etsi regnum Francorum in Galliis ineunte seculo quinto emerserit, Reges tamen nonnisi desinente seculo Christianæ fidei nomen dederint. Iis vero temporibus omnes canones decretaque Pontificum, quorum usus in judiciis ecclesiasticis receptus est, per Gallias promulgata & synodorum Gallicanæ Diœceseos consensione admissa erant. Quod autem veteribus canonibus ad accuratum disciplinæ ecclesiasticæ usum deesse videbatur, Concilia Gallicanorum Episcoporum auctoritate sua supplebant. Ea vero Concilia a Regibus nostris indicebantur; qui res definitas postquam judicio suo probassent, edictis confirmabant, ut facilius executioni traderentur; ita, ut in provinciis regni eodem jure omnino Reges nostri potirentur, quo Principes Romani olim in universo imperio fruebantur. Qua de re copiose tomo secundo, ubi dissertationem de Conciliis Gallicanæ Diœceseos edemus.

Vide Baluzii Notas ad librum Agobardi de Jud. superstit. cap. 6.

Vide ergo librum VI.

Ceterum Romani Pontifices Ecclesiæ tranquillitatem a Regum nostrorum sollicitudine pendere, illis Ecclesias a Deo creditas, eorumque studio commissam esse ecclesiasticorum ordinum integritatem, non inficiati sunt. Pelagius Childebertum Regem ex eo capite debita laude prosequitur. *Cum celsitudini vestræ*, inquit, *multa dona misericordia divina contulerit, pro amore tamen, quem Ecclesiæ ejus sinceriter exhibetis, fecit vos multis regnantibus clariores; quoniam inter alias regni vestri curas pro tranquillitate sanctæ Ecclesiæ præcipuam sollicitudinem vos certum est exhibere.* Infra: *Non aliter Deo nostro recte potest regalis devotio famulari, nisi providentia ejus ecclesiasticorum ordinum servetur integritas.* Gregorius Magnus præsidium Childeberti Regis advocat, ut, quæ, ad restaurationem ecclesiasticæ disciplinæ Virgilio Episcopo Arelatensi exequenda commiserat, amotis impedimentis effectum sortiantur. *Salutantes*, inquit, *excellentiam vestram paternæ charitatis affectu, petimus, ut cuncta, quæ suprascripto fratri & coepiscopo nostro fieri servarique mandavimus, favoris vestri præsidio compleantur, nec cujusquam ea aliquo modo elatione aut superbia convelli permittatis.* Mox: *Oportet ergo, ut hoc nobis vicarie rependatur, & sicut nos vestram implere non distulimus voluntatem, & vos propter Deum & B. Petrum Apostolorum principem nostra faciatis in omnibus servari statuta; quatenus excellentiæ vestræ laudabilis & Deo placita se circumquaque tendat opinio.*

Pelag. ep. ad Childebert. an. 557. *In perturbatione Ecclesiarum, quas vobis Deus credidit.*

Greg. l. 4. ep. 53. anno 595.

IV. Non solum vero facti executione, sed legum suarum auctoritate, legum ecclesiasticarum executioni imminebant; ut patet ex edicto Clotarii Regis & decreto Pipini Ducis Francorum, qui canones antiquos toto regno promulgari jussit. Quin etiam ad exemplum Justiniani easdem regulas suis verbis Reges præscribebant, quæ a canonibus antiquis erant præstitutæ, conceptis verbis hoc se a canonibus trahere testati. *Decrevimus juxta sanctorum canones*, inquit Carolomannus Dux & Princeps in synodo Liptinensi, habita anno septingentesimo quadragesimo tertio. Præ ceteris vero in restitutione collapsæ disciplinæ laboravit Carolus M. Rex Francorum, non solum synodorum ope, quas in eam rem frequentes collegit, sed etiam edictis suis de consilii sui sententia promulgatis. Insigne est capitulare ab eo Principe anno DCCLXXXIX. in palatio Aquensi constitutum, quod inde *Aquisgranense* dicitur; quo Episcopos, Presbyteros & laicos officii sui admonet, verbis ipsis canonum & decretorum transcriptis. Quo in opere id studium adhibuit, ut lemmate sententiam canonis comprehenderet, simulque significaret, ad quos regula dirigeretur, his verbis solennibus: *Episcopis, Sacerdotibus, Monachis, Omnibus.* Hoc edictum latum est, non ex synodi alicujus, sed ex consilii seu placiti sententia; quod conflatum erat ex Episcopis & proceribus, ut docet Hincmarus. Propositum suum illud esse docet Princeps, ut *devoti sanctæ Dei Ecclesiæ Defensoris humilisque Adjutoris*, qualem se inscribit, partes studiose præstet, suamque diligentiam Episcoporum studio adjungat, quo paternæ & canonicæ sanctiones non convellantur. Duo ergo in eam rem præstat. Capita quædam e Canonibus excerpit, quorum executionem urget; & legatos suos mittit, qui regia auctoritate, quæ fuerint corrigenda, una cum Episcopis corrigant. De hoc articulo dicemus libro quarto. Quod attinet ad primum; ea modestia se gerit, ut Episcopos roget, monitoris officium sibi vindicando; ita tamen, ut se Regem esse meminerit, & monitioni adjunctam correctionem doceat, exemplo Josiæ Regis. *Sed & aliqua capitula ex canonicis institutionibus, quæ magis vobis necessaria videbantur, subjunximus. Ne aliquis, quæso, hujus pietatis admonitionem esse præsumptiosam judicet, qua nos errata corrigere, superflua abscindere, recta coarctare studuimus, sed magis benevolo charitatis animo suscipiat. Nam legimus in regnorum libris, quomodo sanctus Josias regnum sibi a Deo datum circumeundo, corrigendo, admonendo, ad cultum veri Dei studuit revocare. Non, ut me ejus sanctitati æquiparabilem faciam; sed, quod nobis sint ubique sanctorum semper exempla sequenda.* Sub finem capitularis, *injungendi* voce utitur, cum Episcopos monet, ut prædicationibus suis fideles populos a patrandis sceleribus revocent. Hoc capitulare per LXXXII. capita expansum, ea præcipue complectitur, quæ ordinationes, excommunicationes, munera Episcoporum & clericorum, ordinem judiciorum, & reliquam ecclesiasticam disciplinam respiciunt, ita, ut breviarium aliquod juris canonici dici possit.

Edictum Clotarii I. an. 615. *Definitionis nostræ est, ut canonum statuta in omnibus conserventur; &, quod per tempora ex hoc prætermissum, vel dehinc perpetualiter observetur.* Canone 1. Concil. Suession. ann. 744.

Capit. Aquisgran. in præfat. *Considerans una cum sacerdotibus & consiliariis nostris.*

Hincmar. ep. 3. c. 31. 32. 33.

Quapropter placuit nobis vestram rogare solertiam, o pastores Ecclesiarum Christi.

Capitularis Aquisgran. utilitas.

V. Hoc edictum transcriptum est libro primo Capitularium; idque deinde Lotharius Imperator, filius Ludovicii Pii, in constitutionem suam retulit, quæ *Capitulare Lotharii* dicitur, quo plurima alia capita ad constituendam regni Italiæ politiam & Ecclesiæ disciplinam pertinent, e capitulis Caroli & Ludovici excerpta. Huic capitulari Lotharius sanctionem suam addidit his verbis: *Placuit nobis, ut hæc capitula, quæ excerpsimus de Capitulis sanctæ memoriæ avi nostri Caroli ac Domini nostri Ludovici Imperatoris, ab omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ seu*

Capitulare Lotharii editum a Goldasto. T. 2. Capitular. pag. 325. c. 26. & p. 331. c. 12.

seu nostris fidelibus, in regno Italiæ consistentibus, pro lege teneantur & conserventur; & quicunque hujus capitularis contemptor extiterit, sexaginta solidos componat, sicut in Capitulis prædicti avi Domini nostri Caroli continetur. Cæterum, si quis dubitet, an hæ Principum constitutiones gratæ fuerint Pontificibus Romanis, consulat fragmentum epistolæ Leonis IV. Papæ ad Lotharium, qua spondet, se *capitula illa & præcepta Lotharii ejusque prædecessorum in omnibus observaturum.* Neque est, quod aliquis sibi persuadeat, insolitam esse sponsionem Leonis IV. de servandis legibus a Principe latis ad præsidium legum ecclesiasticarum, præsertim cum Leonis I. professio successoribus suis præiverit. Is enim ad Leonem Augustum his verbis utitur: *Si quæ destruxi, hæc ædifico, prævaricatorem me constituo, & eis me ultionum conditionibus subdo, quas non solum auctoritas beatæ memoriæ Principis Martiani, sed etiam ego mea consensione firmavi.* Dubitandum etiam non est, quin gratissimæ fuerint Ecclesiæ Gallicanæ constitutiones ecclesiasticæ a Carolo & a Ludovico conditæ, cum ex Episcoporum & optimatum regni consilio latæ fuerint, & in unum postea corpus redactæ ab Ansegiso Abbate & Benedicto Levita, qui libros Capitularium collegerunt, quos in synodis posterioribus laudatos videmus. Sed illustrius testimonium proferri non potest, quam synodi Meldensis habitæ anno DCCCXLV. quæ a Carolo Calvo Rege Francorum postulat, ut Capitula illa per Gallias observari præcipiat. Hujus synodi verba ad Capitulare Lotharii pertinere putavit illustrissimus annalium conditor, ac si promulgatum fuisset Episcoporum illorum præcepto. Sed synodus Meldensis ad Gallias pertinet, precibusque tantum a Carolo contendit, ut leges a Principibus latas de rebus ecclesiasticis ipse novo edicto custodiri præcipiat. At vero Capitulare Lotharii in Italia promulgatum est, ubi Lotharius imperabat; ad quem synodi Meldensis preces non pertinebant.

C. De Capitulis. Dist. 10. apud Gratianum.

Leo ep. 78.

Syn. Meldensis c. 78. *Vt capitula ecclesiastica a Domino Carolo Magno Imperatore, necnon & a Domino Ludovico Pio Augusto promulgata obnixe observari præcipiantur, sicut & legalia esse noscuntur.*

VI. Non solum autem antiquis canonibus & decretis apostolicæ sedis tuitionem suam Reges præstabant, sed etiam novis Romanorum Pontificum constitutis; cujus moris expressa supersunt vestigia in Capitularium libris. Unum Presbyteros suspectos respicit, alterum Chorepiscopos. De Presbyteris, reis vehementi criminum suspicione laborantibus, sed plena probatione non convictis, a temporibus Pipini Reges per plures annos vexatissima in synodis Gallicanis quæstio volvebatur, quæ necdum judicio aliquo definita erat; adeo, ut in synodo plenaria Francofordiensi accusatio hujus generis adversus Presbyterum instituta, non Episcopo aut Concilio provinciali, sed universali Galliarum synodo committatur. Tandem Carolo Magno visum, jus istud controversum componere. Eapropter consuetudinem secutus majorum, qui majores causas ad sedem apostolicam referebant, ut rebus dubiis certa forma præstitueretur, aliquot Episcopis legationem injunxit, qui Romam hac de re Leonem III. consulturi adirent. Interim Episcopos & regni proceres hujus legationis certiores reddit, monetque ut invicem de hoc negotio conferant, quo maturius his difficultatibus una cum illis & sancti Patris institutionibus ad amovendas populi offensiones prospicere possit. Summus Pontifex, consultatione in synodo Romana discussa, respondit, quæ sibi æquiora videbantur. Ejus decretum in conventu generali Episcoporum & procerum expenditur; ex eorumque sententia & consensu constitutio sub Regis nomine fertur, quæ modum harum litium finiendarum præscribit. Unde patet, summi Pontificis decretum in negotio canonico a Rege, præsidio legis regiæ de consensu Ecclesiæ Gallicanæ latæ, munitum fuisse, ut res a Romano Pontifice constitutæ traderentur executioni sub nomine Principis juxta præscripta illa decernentis. Si quis autem & illud scire cupiat, quid in hac controversia definitum fuerit, ex edicti lectione constabit. Decretum ergo fuit, Presbyterum canonicæ pœnæ subdendum, si ab accusatore & testibus, quos leges & canones ad accusationem & testimonium admittant, reus peractus fuerit, sin probationem accusator implere non possit, juxta canones negotium finiendum; attamen, si vehementi suspicione reus urgeretur apud plebem, criminis infamiam amoliendam sacramento, ad evangelia præstando, & adhibitis tribus, quinque, vel septem Presbyteris, ejus integritatis astipulatoribus, ad exemplum Papæ Leonis, vel etiam aliquot aliis probatæ & laudabilis famæ viris, qui accusati innocentiam testentur, si ad tumultum populi sedandum id Episcopo visum fuerit. Hujus judicii ordinem Hincmarus copiose edisserit, docetque, ut plurimum perplexas istas accusationes ex familiaritate probrosarum mulierum, vel etiam ex consortio extranearum intra domum admissarum, profectas esse; quæ canonibus vetita, pœnam dejectionis Presbyteris, qui regulas violassent, irrogabant, etsi nullius alterius probri insimulati essent. Videbitur statim alicui criminis probatio esse in promptu, cum accusator non astringatur ad ea docenda, quæ in tenebris patrari solent. Attamen multis difficultatibus implicata erat hujus accusationis series, quæ instruenda erat ab accusatore & a septem testibus, quos leges & canones admitterent: qui, si aut numero aut conditionibus a lege præscriptis destituerentur, arbitrio Episcoporum mulctabantur, & pudoris periculum subibant. Hoc tamen suspicionem a populo semel conceptam non levabat; quæ jurejurando Presbyteri accusati, & sex aliorum sacerdotum purgabatur. Sed de his alias in dissertatione de canonicis judiciis clericorum.

Capit. l. 5. tit. 35. *Vos interdum vicissim tractate attentius, quid de his vobiscum constituamus una cum prædictis sancti Patris institutionibus, ut murmur cesset populi.*

Cap. l. 5. c. 36. *Consultu Domini & Patris nostri Leonis Apostolici ceterorumque Romanæ Ecclesiæ Episcoporum, & reliquorum sacerdotum, sive orientalium & Græcorum Patriarcharum & multorum sanctorum Episcoporum & sacerdotum, necnon & nostrorum Episcoporum omnium, ceterorumque sacerdotum & Levitarum auctoritate & consensu, atque reliquorum fidelium, & cunctorum Consiliariorum nostrorum consultu definitum est.*

Hincmarus ep. … editionis Moguntinæ.

VII. Alterum exemplum fovendorum per edicta regia Romanæ sedis decretorum petitur a Chorepiscoporum negotio. Sæpe in conventibus & synodis regni controversum fuerat, an ordinationes Presbyterorum, Diaconorum & Subdiaconorum a Chorepiscopis celebratæ, confirmationes baptizatis tributæ, Ecclesiarum & virginum benedictiones ab iis tentatæ, vitiosæ essent, an canonicæ. Carolus M. in re tam seria & ambigua sedem apostolicam consulendam esse decrevit, & inter cetera Arnonis Archiepiscopi ad Leonem III. delegati mandata hoc etiam caput adjunxit. Respondit Pontifex, per canones liberum non esse, Chorepiscopis ullam muneris episcopalis partem attingere, atque adeo, quicquid ab iis præsumptum fuerat in ordinationibus & benedictionibus, vitiosum esse & penitus irritum; decrevitque damnandos, id est, deponendos Chorepiscopos & plectendos exilio, huncque gradum esse delendum. Post reditum Arnonis conventum generalem regni Ratisbonæ Imperator cogit, ut rebus a Romano Pontifice secundum canones judicatis consensus adhiberetur. Responsum Leonis in synodo probatum fuit & regio edicto confirmatum. Sed temperata fuit jurisdictio in pœnis a Leone adversus Chorepiscopos decretis, atque ab eorum dejectione & exilio cessatum; quamvis in Presbyterorum gradum redacti sint, juxta canones. Quæ omnia grata futura summo Pontifici sibi persuaserunt. *Prædictos autem Chorepiscopos omnes præcepit Leo damnare & in exilio detrudi. Ista vero omnes, maxime regni nobis a Deo commissi Episcopi, cum eodem Arnone, permittente præfato Apostolico, mitius tractantes, jamdictos villanos Episcopos inter Presbyteros statuerant.* Verba illa, *Permittente Apostolico*, formulam redolent, qua magistratus utebantur, cum rescriptorum principalium tristitiam molliebant, quaque usus est Gregorius Magnus, cum legem Mauritii de militibus ad monachismum properantibus temperavit. *Nam his placatur Imperator*, inquit ille in epistola ad Metropolitas. Quod nos hodie *cum bona venia aut sub beneplacito Pontificis* fieri dicimus. In hoc negotio observandum est, quod supra monui, decretum Papæ & definitionem synodi edicto regio Caroli nomine concepto promulgata fuisse; quamvis de re omnino spirituali, id est, de ordinationibus & bene-

Capit. l. 7. 423. *Placuit, sicut Leonis Papæ & omnium Episcoporum nostrorum atque reliquorum fidelium generali & synodali consultu decrevimus, ut nullus Chorepiscopus &c.*

Capit. l. 7. cap. 360.

benedictionibus ageretur. Sed de Chorepiscopis dicemus capite sequenti.

VIII. Tertiam Regum nostrorum dynastiam laus illa tuendæ Ecclesiæ non deseruit; quin potius novis præsidiis collatis id promeruit, ut a Gregorio IX. regnum Francorum * ad tuitionem fidei & libertatis ecclesiasticæ a divino Numine designatum esse dicatur. Non solum autem armis, sed etiam legibus disciplinam muniebant, cum ea tempora incidissent, quæ regiam manum expectabant. Quo in genere eximia est sancti Ludovici Christianissimi Regis constitutio: qui vix officio suo erga Ecclesiam satisfactum putavit, tot bellis labore maximo immanique dispendio adversus Muhammedanam perfidiam in oriente gestis, nisi hoc etiam edicto suam pietatem cumulasset. Ea lege decernit, ut Episcopis & patronis sua jura plenissime serventur, &, ut beneficia atque officia ecclesiastica regni secundum præscripta juris communis & Conciliorum, atque instituta veterum patrum conferantur, nullusque curiæ Romanæ supersit locus exigendæ pecuniæ ab Ecclesia Gallicana, libertatesque & privilegia a Regibus Francorum Ecclesiis collata intemerata maneant. Tum magistratibus regni dat in mandatis, ut hujus edicti executioni & custodiæ invigilent, pœnis a contumacibus exactis. Ceterum præfatio edicti hic inserenda mihi videtur, quod majestatem quandam pietatemque Christianam simul præ se ferat, iisque verbis concepta sit, quibus antiqui Romani Imperatores in simili negotio utebantur: *Ludovicus Dei gratia Francorum Rex ad perpetuam rei memoriam. Pro salubri ac tranquillo statu Ecclesiæ regni nostri, nec non pro divini cultus augmento, & Christi fidelium animarum salute, utque gratiam & auxilium omnipotentis Dei, cujus soli ditioni atque protectioni regnum nostrum semper subjectum extitit, & nunc esse volumus, consequi valeamus, quæ sequuntur hoc edicto consultissimo in perpetuum valituro statuimus & ordinamus.*

Vide l. 1. c. 12. §. 8.

Exemplum B. Ludovici secuti ejus nepotes Philippi, Carolus V. VI. VII. disciplinam, jam tum fere collapsam, regiis constitutionibus non solum muniverunt, sed etiam in plurimis articulis restaurarunt. In eo etiam genere extant quamplurimæ Francisci I. Henrici II. Caroli IX. Henrici III. & IV. & Ludovici XIII. Augustissimi Principis constitutiones; quæ juxta canones Conciliorum & decreta Romanorum Pontificum, consuetudinesque in regno receptas, jure patrocinii, disciplinæ ecclesiasticæ prospiciunt.

Enimvero non solum constitutionibus generalibus editis disciplinam Reges nostri semper foverunt, sed etiam rescriptis specialibus nova Romanæ curiæ rescripta muniverunt; quemadmodum de Carolo Magno superius adnotatum est. Hic usus manavit in posteros, locumque habuit in ipsis tertiæ Regum dynastiæ primordiis. Quod docemur testimonio Eadmeri, qui consuetudines quasdam describens, quas Willelmus Dux Normanniæ in Angliam a se subactam e Normannia transtulit, hanc quoque inter ceteras recenset, scilicet Principem illum inhibuisse, ne Romanæ curiæ rescripta susciperentur, ante quam sibi porrecta fuissent; *Non ergo pati valebant, quemquam in omni dominatione sua constitutum Romanæ urbis Pontificem pro Apostolico, nisi se jubente, recipere;* (id est, ante quam ipse certior factus esset de novi Pontificis electione) *aut ejus literas, si primitus sibi ostensæ non fuissent ullo pacto suscipere.* Per aliquot secula intermissum hujusmodi usum constitutionibus, a ducentis abhinc annis promulgatis Principes nostri restaurarunt; ita, ut bullarum executio impediretur, nisi prius a judicibus delegatis, vel a supremis regni curiis ex Regis mandato inquisitum esset, an per illas aliquid libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ contrarium induceretur. Quod in Germania quoque observari notum est. Eundem morem in Benearni provincia, antequam regiæ coronæ Gallorum accederet, retentum fuisse, docent veteres chartæ. Qui usus inter cetera significatur iis verbis, quæ in novæ consuetudinis codice habentur, nempe, rescripta ab extera provincia in Benearnum delata executioni non esse mandanda, antequam aut ipsi supremo Domino, aut ejus Consilio porrecta fuerint. In Gallia autem, ut dixi, auctoritate Principis bullæ ad curias regni discutiendæ referebantur. Quod tamen illæ suo deinde arbitrio assumpserunt, non expectato diplomate Principis. Id vero fieri in dignitatis suæ & plerumque in jurisdictionis injuriam interpretati sunt Episcopi Gallicani, eo, quod Brevia sæpe per subreptionem elicita clanculum in curiis insinuarentur, Episcopis non vocatis. Decreto itaque regii consistorii constitutum fuit juxta veteres regni constitutiones, ne ulla Brevia apostolica (exceptis indultis, quæ in foro secreto pœnitentiariæ expediuntur) curiis supremis regni insinuentur, ut deinde more solito executioni tradantur, nisi diplomate regio munita sint. Ne autem in posterum Brevibus per subreptionem elicitis lædatur jurisdictio Episcoporum, præcipitur, ut partes Brevia sua offerant Episcopis, in quorum diœcesi executio fieri debet; qui quidem intra triduum scripto, quid ea de re sibi videatur, exponent; ut porrectis Brevibus una cum Episcoporum relatione, Princeps, quod utilius erit, constituat. Tunc enim aut rescripto executionem permittet; vel, si causæ majoris fuerint momenti, quæ futuris negotiis formam dare possent, curiis supremis insinuationem delegabit. Hac ratione Brevia apostolica præsidio & auctoritate Principis munita erunt; cognitio vero causæ, non quidem de rescripti æquitate, sed de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ curiis relinquetur.

Vide Eadmerum lib. 5. p. 113. & Notas Jo. Seldeni pag. 163. Eadmerus Historiæ Novorum l. 1. *Usus ergo atque leges, quas patres sui & ipse in*

Normanniæ habere solebant, in Anglia servare volens.

Tom. II. Lib. Eccl. Gall. c. X.

Hujus decreti verba referuntur in calce hujus primi tomi.

IX. Ex isto tuitionis jure sequitur, ut, si quid tentaretur contra decreta canonum, Principes violatæ legis vindices se præstarent, & omnia in integrum aliquando restituerent. Quod ab Imperatoribus Romanis & a Francorum Regibus factum fuisse, ostendam libro quarto. Ceterum monendus est lector, ex hoc tuitionis & patrocinii jure, quod Reges exercent, illud commodi in Ecclesiam totamque rempublicam Christianam redundare, ut ecclesiastica & civilis potestas amico & perpetuo fœdere invicem conjunctæ mutuis auxiliis ad comprimendos improborum conatus & juvanda bonorum studia inter se conspirent. Id olim docuerat Justinianus, quemadmodum in hujus operis præfatione dixi. Sed Pontifices quoque necessitatem hujus concordiæ conceptis verbis professi sunt. *Consensus Christi amantium Imperatorum & piorum Pontificum,* inquit Gregorius II. ad Leonem Isaurum, *est vis una, quando cum pace & charitate res administrantur.* Eodem seculo orientis Patriarchæ in synodica epistola ad Tarasium missa, quæ inserta est actis septimæ synodi, recita-

Gregorii II. in epist. ad Leonem: Συμβουλία δὲ τῶν φιλοχρίστων βασιλέων, καὶ τῶν

* Cum illustrissimus Archiepiscopus supra cap. X. §. IV. hujus libri adnotaverit, jus gladii Regibus a Deo mandatum esse ad tuendam Ecclesiam, Defensorisque Ecclesiæ titulum ob hoc promeritos esse Reges nostros §. 2. & 3. hujus capitis observaverit, quorum regnum Gregorius IX. ad tuitionem fidei & libertatis ecclesiasticæ a divino Numine designatum esse dicit, visum est, eam observationem firmare auctoritate Ludovici VII. Regis Franciæ, cujus præclara in eam rem verba extant in literis ejus, datis Parisiis anno MCLXXI. quibus auctoritatem suam adhibet ad vindicandum in libertatem Episcopum Aniciensem, qui potentia Vicecomitis Podomniacensis opprimebatur. *Ludovicus Dei gratia Francorum Rex omnibus in perpetuum. Digna vox est maiestate regnantis, Dei servum & Ecclesiæ Defensorem se Principem profiteri. Adeo de divinæ promissionis & clementiæ culmine nostra pendet auctoritas, ut ad honorem, laudem & gloriam ipsius & opera nostra & ipsorum intentionem operum referamus. Inde est, quod commissum a Deo nobis gladium & in defensionem Ecclesiarum & in oppressionem debemus ac volumus exercere tyrannorum.* Literæ ille extant integræ in archivo Episcopi Aniciensis, unde illas describi curaverat Marca; eoque loco uti decreverat in secunda editione hujus operis. Ejus itaque consilium sequi placuit. Sed & illud admonendum est, præfationem harum literarum Regis Ludovici imitationem esse rescripti Impp. Theodosii & Valentiniani dati ad Volusianum Præfectum prætorio, *l. 4. C. de legib. & constitut. Princip.*

Συστοιχοῦν ἀρχιερέων μία δυνάμις ἐστιν, ὅταν μετ' εἰρήνης καὶ ἀγάπης τὰ πράγματα διοικῶντα. Epist. ad Tarasium. Act. 3. Septimæ Syn. Ἱερωσύνη γὰρ βασιλείας ἁγιασμός ἐστι καὶ ἀνασυστοιχείωσις; καὶ βασιλεία ἱερωσύνης ἰσχύς, καὶ κραταίωμα. Ecloga Leonis & constit. tit. III. §. 8.

recitata Justiniani sententia, suffragium illi quoque suum conferunt, in sacerdotio imperii sanctificationem & instaurationem, in imperio autem sacerdotii robur & firmamentum constituta esse profitentes. Sed præstat e Leonis Augusti ecloga anno DCCCXXXVIII. apud Græcos edita, hanc concordiæ necessitatem breviter quidem, sed eleganter expressam addiscere. Tit. III. *Cum respublica ex partibus suis & membris proportione quadam ad hominem constituta sit, maximæ ejus & in primis necessariæ partes sunt Princeps & Patriarcha. Quapropter & subditorum quies & felicitas tam animæ quam corporis consistit in consensione & concordia imperii cum summo sacerdotio.* *Τῆς πολιτείας ἐκ μερῶν καὶ μορίων ἀναλόγως τῷ ἀνθρώπῳ συνισταμένης, τὰ μέγιστα καὶ ἀναγκαιότατα μέρη, Βασιλεύς ἐστι καὶ Πατριάρχης. διὸ καὶ ἡ κατὰ ψυχὴν καὶ σῶμα τῶν ὑπηκόων εἰρήνη καὶ εὐδαιμονία, βασιλείας ἐστὶ καὶ ἀρχιερωσύνης ἐν πᾶσιν ὁμοφροσύνη καὶ συμφωνία.*

Non pigebit ad eandem concordiam commendandam aliqua transcribere e Damiano, auctore Disputationis Advocati regii & Defensoris Ecclesiæ Romanæ, quæ felicibus auspiciis habita est præsente Henrico IV. Rege Germaniæ anno MLXII. ubi, damnato Cadaloo pseudopontifice, Alexandri II. electio est confirmata: *A modo, igitur, dilectissimi, illinc regalis aulæ Consiliarii, hinc sedis apostolicæ comministri, utraque pars in hoc uno studio conspiremus laborantes, ut summum sacerdotium & Romanum* (seu Gallicum) *simul confœderetur imperium; quatenus humanum genus, quod per hos duos apices in utraque substantia regitur, nullis, quod absit, partibus, quod per Cadaloum nuper factum est, rescindatur, sicque mundi vertices in perpetuæ charitatis unione occurrant, ut inferiora membra per eorum discordiam non resiliant; & quatenus ab uno mediatore Dei & hominum hæc duo, regnum scilicet & sacerdotium, divino sunt conflata mysterio, ita sublimes istæ duæ personæ tanta sibimet unanimitate jungantur, ut Rex in Romano Pontifice & Romanus Pontifex inveniatur in Rege; salvo scilicet pro suo privilegio Papæ, quod nemo præter eum usurpare permittitur.* Hanc consensionem necessariam docuit aliquot annis postea Gregorius VII. qui duobus oculis ambarum potestatum consortium eleganter comparavit. Nec defuerunt Galli nostri huic officio promovendæ concordiæ & impedimentis amoliendis, quæ ex mutua suspicione aliquando suboriebantur. Hinc extant præclara Arnulfi Lexoviensis Episcopi verba: *Dignitas ecclesiastica regiam provehit potius, quam adimit dignitatem, & regalis dignitas ecclesiasticam conservare potius consuevit, quam tollere libertatem. Etenim quasi quibusdam sibi invicem complexibus dignitas ecclesiastica & regalis occurrunt; cum nec Reges salutem sine Ecclesia, nec Ecclesia pacem sine protectione regia consequatur.* Bernardus quoque in eandem sententiam: *Non veniat anima mea in consilium eorum, qui dicunt, vel imperio pacem & libertatem Ecclesiarum, vel Ecclesiis prosperitatem & exaltationem imperii nocituram. Non enim utriusque institutor Deus in destructionem ea connexuit, sed in ædificationem.* Non omittenda est adnotatio auctoris anonymi, qui scripsit anno MCCCCVI. se a Gallo quodam summæ dignitatis viro accepisse, concordiam regni cum Romana Ecclesia diligentissime foveri apud Gallos, & ad illa officia filios a patribus erudiri hoc rythmico proverbio:

Mariage est de bon devis
De l'Eglise & des Fleurs de lis.
Quand l'un de l'autre partira,
Chacun d'eux si s'en sentira.

Disputatio Advoc. reg. & Defensoris Eccles. Rom. in Concilio Osboriensi.

Gregor. VII. laudatus in præfatione.

Arnulfus Lexov. ep. 52.

Bernardus ep. 243.

E MS. cod. dialogorum de Hierarchia subcœlesti lib. 4. cap. 11. *Quidam stipes egregius dictæ domus Franciæ semel mihi post ejus confessionem aperuit, inter dictos Dominos Francos esse unum secretum proverbium, quod patres docent filios vulgari Gallico, sic.*

CAPUT XIII.

De Chorepiscopis & eorum officio.

SYNOPSIS.

I. Agitur de Chorepiscopis, ut sciatur status quæstionis propositæ Leoni III. a Carolo M. & Ecclesia Gallicana, Chorepiscopis validas esse ordinationes a se peractas contendentibus, Episcopis autem eas esse vitiosas. Chorepiscopatus in clero recensitus, & presbytero prælatus a Conciliis.

II. Chorepiscopi non obtinebant episcopatus apicem e Conciliis Neocæsariensi, Antiocheno, Regensi, & e Leonis I. Papæ epistola, quæ est genuina, & synodo Hispalensi.

III. Huic sententiæ opponuntur prima verba canonis Antiocheni. Ut solvatur difficultas, distinguitur chorepiscopatus a Chorepiscopo. Chorepiscopatus est ministerium, quod conferri potest Presbytero vel Episcopo, ut administret Ecclesias vicanas parœciæ episcopalis. Sub Episcopo erant Presbyteri civitatis, qui sacramenta erogabant in civitate. Idem munus exercebant in pagis Presbyteri vicani.

IV. Præter Presbyteros Episcopus habebat aliquot ministros, Chorepiscopum, Archipresbyterum & Archidiaconum. Chorepiscopus vices gerit Episcopi in disponendis Ecclesiis vicanis. Concilium Antiochenum tribuit administrationem Ecclesiarum Chorepiscopis. Origo hujus nominis. Vicarii Episcoporum dicti ratione muneris, non ratione nominis, apud Ferrandum, & in Capitularibus, & in Canonibus Arabicis.

V. Chorepiscopatus conferebatur cum presbyteratu. Aliquando conceditur Episcopo vacanti. Ut in canone Nicæno conceditur Episcopo Novatiano redeunti ad communionem Ecclesiæ. Poterat etiam conferri ceteris Episcopis vacantibus. Tunc Chorepiscopus, ob priorem ordinationem, erat Episcopus. Germana sententia priorum verborum canonis Antiocheni, quæ sunt exceptio regulæ. Non omnis Episcopus vacans est Chorepiscopus, sed is, cui delatum est illud ministerium.

VI. Describuntur munia Chorepiscopi. De administratione dictum superius. Subdiaconos & inferioris gradus clericos ordinabant. Id faciendum consulto Episcopo docet Basilius, juxta canones. Quod intelligendum est de synodo Laodicena, quæ περιοδευτῶν mentionem facit. Iidem erant cum Chorepiscopis. Explicatus Zonaras. Periodeutæ in Concilio Chalcedonensi.

I. NOn alienum erit ab instituto de Chorepiscopis breviter agere, & dubitandi causas, quæ synodos Galliæ adeo suspensas tenuerunt, decretique a Leone lati rationes discutere, præsertim, cum antiqui canones, qui majores nostros adeo moleste habuerunt variis eruditorum interpretationibus etiam hodie torqueantur. Integrum sibi esse Chorepiscopi existimabant episcopali munere in omnibus fungi, quod in canone decimo synodi Antiochenæ *manus impositionem Episcoporum percepisse, & ut Episcopi consecrati fuisse dicantur*, eisque disertis verbis Subdiaconorum & gradus inferioris clericorum ordinatio permissa sit, & subjectarum sibi Ecclesiarum gubernatio & cura commissa. Etsi autem eodem canone & Ancyrano vetita fuerit Chorepiscopis Presbyterorum & Diaconorum ordinatio, attamen non videtur omnino prohiberi, sed tantum, si tentata fuerit sine Episcopo, ut loquitur Concilium Antiochenum, id est, absque ejus mandato, ut illi interpretabantur. Deinde illa ordinatio non rescinditur, ut vitiosa, sed pœna dejectionis indicitur Chorepiscopo, quæ pœna desuetudine aboleverat tempore Caroli Magni. Contra vero reponebant Episcopi, eodem canone Antiocheno Chorepiscopi ordinationem civitatis Episcopo tributam, ideoque Chorepiscopum inter Episcopos

recensendum non esse, qui a tributis Episcopis ordinari debent ex præscripto Nicænæ synodi. Addebant ex Concilio Sardicensi & Laodiceno, Episcopos in civitatibus tantum instituendos esse, non autem in vicis & pagis, ut Chorepiscopos, quos inde *villanos* Episcopos Capitularia vocant; ut ex adverso veros & legitimos Episcopos *regularium*, *cathedralium & canonice ordinatorum* Episcoporum nomine significant. Hæc sunt verba Capitularis: *Nam Episcopi non erant; quia nec ad quandam civitatis episcopalem sedem titulati erant, nec canonice a tribus Episcopis ordinati*. Expendenda est canonum synodi Ancyranæ, Neocæsariensis & Antiochenæ sententia, ut Chorepiscoporum munus intelligatur. Sane frequentes in oriente fuisse Chorepiscopos, e subscriptionibus Concilii Nicæni colligitur; ubi inter Episcopos duo Chorepiscopi provinciæ Cœlesyriæ, unus provinciæ Ciliciæ, quinque provinciæ Isauriæ, & duo provinciæ Bithiniæ subscribunt vices suorum Episcoporum agentes, ut mihi quidem videtur. Subscripsit etiam Ephesino Concilio Cæsarius Chorepiscopus Cappadociæ. Eorum gradus a veteribus probatus est, cum octavo canone Nicænæ synodi chorepiscopatus æque ac presbyterium in clero recenseatur, & in synodo Neocæsariensi Chorepiscopi inter Ecclesiæ comministros numerentur, eorumque munia synodis Ancyrana & Antiochena præscripta sint. Superiorem dignitatis gradum præ ceteris Presbyteris, non solum ruris, sed etiam civitatis, obtinuisse, unice docet laudatus canon Nicænæ synodi, & secundus Concilii Chalcedonensis, si ordinem scripturæ sequi velimus.

Capitul. l. 7. c. 260.

Can. VIII. Nic. syn. *Providebit ei chorepiscopatus aut presbyterii locum.*

Syn. Neocæs. c. 13. Can. 11. synod. Chalc. *Καὶ χειροτονήσειν ἐπὶ χρήμασιν Ἐπίσκοπον, ἢ χωρεπίσκοπον, ἢ πρεσβυτέρους, ἢ διακόνους.*

II. Ceterum episcopatus apicem non obtinebant, ut docet apertissime Concilium Neocæsariense; quod ad similitudinem septuaginta discipulorum institutos fuisse Chorepiscopos adnotavit, ut hoc discrimine eos ab Episcopis separaret, qui Apostolis successerunt. Cui addenda sunt verba ultima canonis Antiocheni, quæ Chorepiscopum ab Episcopo civitatis ordinandum præcipiunt: *Chorepiscopum vero civitatis Episcopus ordinet, cui ille subjectus est*. Quare cum canone quarto Nicænæ synodi cæterisque canonibus antiquis constet, ordinationem Episcopi ab omnibus vel saltem a tribus provinciæ Episcopis celebrari debere, planum est, ordinationem Chorepiscopi a civitatis Episcopo peractam non tribuere consecrato dignitatem episcopatus. Unde recte Leo I. Galliarum & Germaniarum Episcopis rescripsit, Chorepiscopos eosdem esse secundum canones cum Presbyteris & pontificatus apicem non habere. Cujus epistolæ verba a synodo Hispalensi post ducentos annos transcripta sunt: quamvis emunctæ naris hominibus Leonis epistola e verbis Hispalensis synodi consarcinata videatur. Quam sententiam sequi non possum, quia ultima clausula (*) canonis *ex auctoritate apostolica se illa definivisse* synodus testatur, Leonis rescriptum significando. Deinde synodus Regensis, postquam irritam ordinationis speciem a duobus temere convenientibus Episcopis circa Armentarium esse declarasset, in una Ecclesia Chorepiscopum institui permittit. Ubi chorepiscopatus conceditur ei, qui nunquam fuit Episcopus.

Syn. Neocæs. d. c.

Conc. Antioc. c. 10. *Χωρεπίσκοπον δὲ γίνεσθαι ὑπὸ τοῦ τῆς πόλεως ᾧ ὑπόκειται Ἐπισκόπου.*

Nic. syn. c. 4. Arelat. 1. c. 2. Carthag. 2. c. 3.

Leo I. in ep. ad Episc. Gall. & Germ.

Conc. Hispal. 2. c. 7. *Chorepiscopos vel Presbyteros destinassi, qui tamen juxta canones unum sunt.*

Synodus Regensis an. 439.

III. Sed ejusdem canonis Antiocheni prima verba opponuntur, quæ secundum Dionysii Exigui interpretationem Chorepiscopis ordinationem episcopalem tribuunt. Græca enim illa, *εἰ καὶ χειροθεσίαν εἶεν Ἐπισκόπων εἰληφότες*, his verbis sincere reddit: *quamvis manus impositionem Episcoporum acceperint*; & vice glossematis addit, *& ut Episcopi consecrati sint*. Hæc sunt verba, quæ synodos Gallicanas olim in varias sententias distraxerunt, quæque viris eruditissimis hodie persuaserunt, chorepiscopatui adjunctam olim fuisse episcopalem ordinationem. Attamen hæc controversia facili negotio componi posse videtur, si chorepiscopatum distinguamus ab eo, cui collatum est illud ministerium. Itaque hæc erit certissima regula, chorepiscopatum esse ministerium, cui Presbyteri & aliquando etiam Episcopi admoventur. Chorepiscopatus enim est ministerium ad levandam Episcopi sollicitudinem in pagis & vicis parœciæ sive diœceseos episcopalis. Presbyterium vero est ordo, qui manuum impositione confertur ad conficienda & dispensanda sacramenta; quemadmodum episcopatus ordinis potestate censetur, adjuncta administratione parœciæ. Porro, cum civitatis nomen, cui præest Episcopus, agrum omnem seu regionem complectatur, quæ in laterculo imperii illi civitati contribui solet, quæ per castella, oppida, vicos & possessiones sparsa, in antiquis canonibus *παροικία* dicitur, Episcopus quidem curam universæ parœciæ gerit, sed ita, ut sollicitudinem suam inter plures dividat. Quare præter Presbyteros civitatis, qui matrici Ecclesiæ operam suam navant in sacrificiis peragendis, sacramentis erogandis, fundendis precibus, homiliis recitandis, ceterisque hujusmodi sacris ministeriis, per vicos ordinat Presbyteros ad eadem munia in vicanis Ecclesiis exercenda; quo se conferunt possessores ex rusticanis parœciis, ut verbis synodi Chalcedonensis utar. Parœciæ enim vocabulum nunc universam Episcopi diœcesim significat, nunc villas seu rusticas vicorum appendices, ubi possessores & rustici agros exercent. Olim autem in oppidis tantum aut vicis Presbyteri instituti erant, qui inde *πρεσβύτεροι ἐπιχώριοι* dicuntur, id est, *ἐν τοῖς χωρίοις*, seu vicis ordinati; quos recte Gentianus Hervetus *vicanos* reddidit, Dionysius *Presbyteros ruris*, & alibi *Presbyteros qui sunt in agris*, Martinus Bracarensis *forasticos* Presbyteros reddidit. Ea enim tempestate Ecclesiæ in vicis constructæ erant; villis autem & possessionibus oratoria tantum privata de consensu Episcoporum excitabantur, orationis causa, non autem ad celebrandam liturgiam, quod a canonibus & a Justiniano vetitum erat, ut pluribus alibi dicetur.

Synod. Chalc. c. 17. *ἀγροικικὰς καὶ παροικίας.*

Can. 13. syn. Neocæsar. Can. 8. synod. Ant. *πρεσβύτεροι οἱ ἐν ταῖς χώραις.* Martin. Bracar. c. 56.

IV. Sed præter Presbyteros, aliquot etiam administros muneris sui habebat Episcopus, in iis scilicet, quæ administrationem respiciebant. Præcipui erant Chorepiscopus, Archidiaconus & Archipresbyter; quibus addi possunt Oeconomus & Defensor. Non est hujus instituti, officia Ecclesiarum orientalium & occidentalium expendere. Satis erit, id unum observasse; chorepiscopatum inter officia recenseri, ut archidiaconatum & archipresbyteratum, quemadmodum recte adnotavit Concilium Aquisgranense anno octingentesimo trigesimo sexto. Presbyteri & Diaconi gradus sunt in Ecclesia, & ad sacramentum ordinis pertinent. Sed archidiaconatus complectitur ministerium adjunctum gradui, ut archipresbyteratus ministerium adjunctum presbyteratui; quemadmodum explicat Isidorus Hispalensis. Eodem pacto chorepiscopatus est officium & ministerium ab Episcopo civitatis delatum ad vicanas Ecclesias, quæ Presbyteris erant commissæ, administratione sua disponendas. Administrationem enim & *διοίκησιν*, non autem solam sacramentorum erogationem & verbi prædicationem, Chorepiscopis tribuit Concilium Antiochenum. *Sanctæ synodo placuit, ut modum proprium recognoscant, ut gubernent subjectas sibi Ecclesias, earumque moderamine curaque contenti sint.* Inde

Conc. Aquisgran. II. capitulo II. De vita & doctr. inter. ord. can. 4. *Comperimus quorundam Episcoporum ministros, id est, Chorepiscopos, Archipresbyteros & Archidiaconos, non solum in Presbyteris, sed etiam in plebibus parochiæ suæ avaritiam potius exercere, quam utilitati ecclesiasticæ dignitatis inservire populique saluti consulere.*

(*) Imposuit illustrissimo Archiepiscopo auctoritas collectionis, quæ vulgo tribuitur Isidoro, ubi in fine canonis VII. Concilii secundi Hispalensis hæc verba leguntur: *quæ omnia eis a sede apostolica prohibita esse noscuntur*. Verum illud pro certo tenendum est, hoc additamentum nuspiam extare, quam in collectione illa Pseudo-Isidori, abesse a ceteris editionibus. Immo vetustissima collectio canonum Hispanica MS. in bibliotheca Colbertina, quæ post Concilium Toletanum XII. composita esse videtur, sic canonem istum Hispalensem refert, ut nulla in eo mentio habeatur Chorepiscoporum, sed Presbyterorum, ut in editione Loaisæ. Quo etiam modo eum refert vetustissimus codex Conciliorum Ecclesiæ Urgellensis. Præterea neque eadem collectio Hispanica, neque codex Urgellensis habent additamentum illud. Vide, quæ nos de ea re diximus in Notis ad Gratianum dist. 68. cap. 4. *Quamvis*.

Concil. Ant. διοικεῖν τὰς ὑποκειμένας αὐτοῖς ἐκκλησίας, καὶ τῇ τούτων ἀρκεῖσθαι φροντίδι καὶ κηδεμονίᾳ.

Inde profectum Chorepiscopi nomen, quod ἐν τῇ χώρᾳ, id est, in pago civitati contributo, administratione episcopali uteretur, & vicariam Episcopis operam præstaret. Unde eleganter Ferrandus Diaconus in Breviario canonum Chorepiscopos *vicarios Episcoporum* interpretatur, ratione habita muneris, quod gerunt erga vicanas Ecclesias & parœcias rusticanas. Non enim ad nominis originem respexit, sed ad sollicitudinem, quam subjectis sibi Ecclesiis Chorepiscopi impendebant. Interpretationi canonum, quam secutus est Ferrandus, apprime convenit illa, qua usus est Carolus Magnus in Capitulari Aquisgranensi, & Isidorus in collectione sua, ubi Chorepiscopi *vicarii Episcoporum* esse dicuntur. Quæ dixi, probari etiam possunt e collectione canonum Arabicorum, quorum usus in oriente: *Chorepiscopus est loco Episcopi super villas & monasteria & sacerdotes villarum, quæ sub potestate ejus sunt.* cap. 58. *Chorepiscopus & Archidiaconus sunt tanquam duæ manus & duæ alæ, quibus Episcopus volat.* cap. 64. *Diaconus memoriam faciat nominatim primum Patriarchæ, deinde Archiepiscopi, Episcopi, Chorepiscopi, Archipresbyteri, Archidiaconi; quia isti sunt gubernatores Ecclesiæ; idcirco nominandi sunt ad altare, quandoquidem per eos omnia Ecclesiastica administrantur, & ipsi sunt in Ecclesia superiores.*

Canones Arabici e versione Alfonsi Pisani.

V. Quare, ut supra monui, chorepiscopatus ministerium est & officium, quod Presbytero alicui sedulo ab Episcopo civitatis imponebatur, collato utplurimum chorepiscopatu cum ordinatione ad presbyteratum. Ceterum accidebat aliquando, ut chorepiscopatus conferretur alicui Episcopo vacanti, qui jam episcopalem consecrationem aliunde accepisset. Tunc chorepiscopatus delatus solum ministerium & Ecclesiarum, quæ in agris essent, administrationem concedebat; sed is, cui deferebatur, verus Episcopus erat ob susceptam ante chorepiscopatum manus impositionem. Ne quis autem speciem, quam propono, a me confictam putet de chorepiscopatu concesso ei, qui jam Episcopus esset, canonem octavum Nicænæ synodi perpendat velim, qui Novatianis Episcopis a schismate potius, quam ab hæresi, redeuntibus gratiam facit retinendæ dignitatis episcopalis, vel saltem chorepiscopatus locum obtinendi. Sane nemo diffiteri potest, quin iste a Novatianis transfuga χειροθεσίαν τῶν ἐπισκόπων susceperit, ut loquitur Concilium Antiochenum; sed eam consecrationem aliunde sumpsit, quam e ministerio chorepiscopatus. Deinde in eodem Concilio Antiocheno videmus Episcopos vacantes sive σχολάζοντας, qui ordinati ad parœciam suam non accedunt ob contumaciam populi vel aliam ob causam, sine vitio tamen suo: quibus permittitur honoris & ministerii communio, ea conditione, ut negotiis Ecclesiæ, in qua morantur, se non permisceant. Si Episcopi hujus repulsam ægre ferens vicinus Episcopus chorepiscopatus ministerium ei contulerit, plane huic Chorepiscopo tribuendum erit, quod observavit synodus Antiochena, eum ut Episcopum consecratum fuisse. Itaque prima illa verba, quæ nostræ sententiæ objiciebantur, regulam non labefactant, quæ Chorepiscoporum ordinationem Episcopo tribuit, eosque in Presbyterorum numero recenset, sed exceptionem adhibent; quia fieri potest ex variis negotiorum figuris, ut Episcopus adsciscì possit in chorepiscopatum. Eam autem exceptionem iis verbis explicant, ut proclive sit ex ea regulam firmare: *Qui in vicis vel possessionibus Chorepiscopi nominantur, quamvis manus impositionem Episcoporum perceperint, & ut Episcopi consecrati sint, tamen sanctæ synodo placuit, ut modum suum recognoscant.* Quasi diceret: Etiamsi accidere possit, ut præter regulam chorepiscopatus ab Episcopo aliquo exerceatur, tamen modum ministerii sui excedere non potest. Ex eo autem, quod vacantibus Episcopis chorepiscopatus conferri potest, non existimandum est, omnes Episcopos vacantes, aut in presbyterii gradum judi-

Synod. Regensis cap. 3. schismaticis magis quam hæreticis.

Syn. Antioch. cap. 13.

cio canonico dejectos, Chorepiscopos dici posse. Soli enim illi eo nomine fruentur, quibus Episcopus civitatis ministerium illud imposuerit, cum canones Episcopi arbitrio illud reliquerint.

VI. Dejectis Chorepiscopis a dignitate episcopali, reliqua est administratio & cura, qua Presbyteris rusticanarum Ecclesiarum & vicorum imminebant, plebes in officio pietatis continebant, promovendos in clerum discutiebant, Subdiaconos, Lectores, Exorcistas, & ceteros inferioris gradus clericos auctoritate sua ex Episcopi sententia constituebant, de Presbyteris & Diaconis ad Episcopum referebant, præcipuam & singularem pauperum curam gerebant. Ecclesias aliquot Chorepiscoporum administrationi subjectas fuisse, docui supra e Concilio Antiocheno; quod etiam Subdiaconorum & inferioris gradus clericorum ordinationes illis permittit. Quo in negotio sic versabantur, ut Presbyteri & Diaconi, qui cum promovendis familiarius egerant, de illis ad Chorepiscopos referrent: qui deinde testimoniis discussis, & Episcopo consulto, ministros cooptabant in clerum. A consuetudine, quam e patrum canonibus profectam ait Basilius, Chorepiscopos discessisse conqueritur, plurimosque in unoquoque pago a solis Presbyteris & Diaconis in clerum allectos φόβῳ τῆς στρατολογίας, id est, metu tirocinii seu delectus militum. Itaque adscriptos clero a Presbyteris in laicos redegit, & præcepit, ne deinceps Chorepiscopi aliquem etiam inferioris gradus clericum constituant, ante quam ad Episcopum retulerint, qui promovendorum meritis suffragetur. Cum autem canonicæ disciplinæ peritissimus Basilius repetat a canonibus patrum, quos ipse renovat, Chorepiscopis injunctam necessitatem, ne Subdiaconos & ceteros ministros in clerum adscribant sine sententia Episcopi, non incogitanti effluxisse verba illa existimandum est. Hoc autem a canone Antiocheno manare potest. Quin potius inde colligitur, liberas tunc fuisse Chorepiscopis promotiones illas absque Episcoporum mandato vel consilio. Quare aliunde trahenda est hæc restrictio, quæ ordinationem quidem Chorepiscopis relinquit, sed de meritis aut numero promovendorum sententiam Episcopi expectari debere præcipit. Quod a synodo Laodicena ducendum est; qua cavetur, ne in villulis, aut in agris Episcopi constituantur, sed περιοδευταί, id est, *Visitatores*, ut reddit Dionysius Exiguus, quod idem est cum Chorepiscopis, ut mox dicam. Aliquot annis ante hanc synodum decretum fuerat a Concilio Sardicensi, ne Episcopi ordinarentur per vicos & modicas civitates: *Licentia danda non est ordinandi Episcopum aut in vico aliquo aut in modica civitate, cui sufficit unus Presbyter: quia non est necesse, ibi Episcopum fieri, ne vilescat nomen Episcopi & auctoritas.* Amovet ergo synodus Laodicena Episcopos a vicis, eisque, qui jam constituti erant, eam legem præscribit, ut *nihil faciant præter conscientiam Episcopi civitatis;* id est, ut nihil eorum tentent, quæ muneris episcopalis partes attingunt, quin prius ad civitatis Episcopum retulerint. Tum subdit canon: *Similiter & Presbyteri præter consilium Episcopi nihil agant.* Quod pertinet ad Presbyteros περιοδευτὰς seu Visitatores, de quibus locutus est, qui nihil agere debent absque consilio & sententia Episcopi in iis, quæ munus Visitatoris respiciunt, id est, chorepiscopatus ministerium. Huc plane respexit Basilius. Quod non solum colligitur ex eo, quod nullus canon proferri potest, præter istum, qui illius sententiæ suffragetur, sed etiam e verbis, quæ mutuatur e canone Laodiceno: *Ne quem adscribatis in clerum, ante quam ad nos retuleritis; aut sciatis, quod laicus censebitur, qui præter sententiam nostram in ministerium receptus fuerit*, ἄνευ ἡμετέρας γνώμης. Hæc verba deprompta sunt e canone Laodiceno, ἄνευ γνώμης τοῦ ἐπισκόπου. Unde constanter asserere audeo, eundem esse Chorepiscopum & περιοδευτήν. Uterque in agris instituitur, ut rusticanas parœcias visitet, unde περιοδευτοῦ nomen;

Can. 10. Conc. Antioch. *Ordinent etiam Lectores & Subdiaconos atque exorcistas; quibus promotiones istæ sufficiant.*

Basilius epist. canonica ad Chorepiscopos.

Basilius ep. ad Chorepiscopos: ἀνανεώσασθαι τοὺς πατέρων κανόνας.

Synod. Laodic. ὅτι οὐ δεῖ ἐν ταῖς χώραις καθίστασθαι ἐπισκόπους, ἀλλὰ περιοδευτάς.

Concil. Sardic. can. 6.

Synod. Laodic. μηδὲν πράττειν ἄνευ γνώμης τοῦ ἐπισκόπου τοῦ ἐν τῇ πόλει. ὡσαύτως δὲ καὶ τοὺς πρεσβυτέρους μηδὲν πράττειν ἄνευ γνώμης τοῦ ἐπισκόπου.

Basil. d. ep.

nomen; ne quis scilicet existimaret vico alicui sic addictum, ut in alias curas assurgere non posset. Quo sensu accipiendus est Zonaras, cum adnotat, circuitores istos & lustratores hac & illac circumcursare ad fidelium salutem, *καθέδραν οἰκείαν μὴ ἔχοντας*, id est, nulli sedi adscriptos: quia scilicet ex se Chorepiscopi munus nulli vico specialiter addicit, cum in generali aliquo ministerio versetur, nisi aliter visum fuerit Episcopo, qui Periodeutam alicui Ecclesiæ vicanæ adscribere potest, collato & adjuncto munere ceteras visitandi. Quæ videtur mens fuisse synodi Laodicenæ, cum ante Chorepiscopi ministerium clero civitatis adscriptum potius videretur, quam vicanæ alicui Ecclesiæ affixum. Nova appellatio Periodeutarum a synodo Laodicena profecta, quæ Chorepiscopi nomen ad comprimendos ministros illos aversata videtur, in oriente obtinuit. Unde actione quarta Concilii Chalcedonensis fit mentio Alexandri Presbyteri & Periodeutæ, & actione decima Valentini, qui Presbyter erat & Periodeuta. Modum, quem in visitandis Ecclesiis & monasteriis sibi subjectis observabant Chorepiscopi in oriente, docet collectio canonum Arabicorum canone quinquagesimo quinto.

CAPUT XIV.

De aliis variis Chorepiscoporum officiis, & eorum pro diversitate temporum varietate.

SYNOPSIS.

I. Presbyterorum & Diaconorum ordinationes vetitæ Chorepiscopis a Concilio Antiocheno, sine Episcopo. *Ea verba explicata ex mente Balsamonis adversus Zonaram. Eadem interdictio in canone Ancyrano. Duæ interpretationes, quæ eliciuntur e textu Græco, absurdæ.*

II. Mendosum esse textum, probatur e versionibus Latinis, tum Dionysii Exigui, quæ mutila est, & restituitur, tum ejus, qua usus est Carolus Magnus, tum Ferrandi Diaconi. E collatione trium interpretationum emendatur textus Græcus canonis, quo vetatur Chorepiscopis Presbyterorum & Diaconorum ordinatio, & Presbyteris, ne aliquid agant sine jussu Episcopi. De Presbyteris promovendis Chorepiscopi referebant ad Episcopum.

III. Curam pauperum gerebant, e synodo Neocæsariensi, cujus canon explicatur. Chorepiscopi ad formam septuaginta discipulorum constituti; qui erant secundi ordinis præceptores ex Hieronymo: Etsi autem secundi ordinis essent, id est, Presbyteri, offerebant cum solenni pompa.

IV. Aliquando chorepiscopatus concedebatur, recisis plurimis facultatibus, quæ huic ministerio competebant; ut patet e synodo Regensi in causa Armentarii, cui tamen confirmatio neophytorum relinquitur.

V. Explicatur Sidonii locus famosus de Claudiano, qui erat antistes ordine in secundo, *id est, Chorepiscopus. Savaro interpretatur de archidiaconatu. Sed Presbyteri erant ordinis secundi, & Diaconi tertii.*

VI. Leo I. Chorepiscoporum potestatem restrinxit, vetita confirmatione, altarium & virginum benedictione; Subdiaconorum ordinatione illis relicta. De Chorepiscopis referunt Galli ad Zachariam. Et iterum ad Leonem III. qui irritas esse decrevit etiam ordinationes Subdiaconorum. Ratio hujus novi responsi inquiritur. Explicatur canon septimæ synodi de Lectorum ordinatione.

VII. Licet vetitum a Leone & a Synodis Gallicanis, ne Chorepiscopi deinceps fierent, retenti sunt tamen ab Episcopis, quia eorum curas levabant, ut colligitur e Capitularibus & synodo Meldensi.

VIII. In quo versaretur eorum ministerium anno 840. Cujus occasione electio Episcoporum differebatur a Regibus, qui reditus Ecclesiæ vacantis relegebant. Synodus Meldensis explicata e Flodoardo.

IX. Dubitatum iterum in Gallia de ordinibus presbyterii collatis a Chorepiscopis. Consultus Nicolaus I. respondit esse validos, sed abstinendum ab illis in posterum. Contrarium senserunt post aliquot annos provinciæ Belgicæ Episcopi. Cessatum deinceps a Chorepiscoporum institutione. Pars sollicitudinis translata in Archidiaconos. Unde lapsus Sigeberti, qui Archidiaconos cum Chorepiscopis confundit. In patriarchatu Alexandrino hodie nulli Episcopi, sed Chorepiscopi.

I. Ceterum, quod attinet ad Presbyterorum & Diaconorum ordinationes, Chorepiscopis omnino eas adimit canon Antiochenus: *Nec Presbyterum vero, nec Diaconum audeant ordinare præter civitatis Episcopum, cui ipse cum possessione subjectus est.* Quod non ita est intelligendum, ac si ex mandato Episcopi permitti illis posset ea ordinatio. Accedere quidem potest ordinationi ab Episcopo celebrandæ; sed solus eam peragere non potest. Eleganter Balsamo: *Illud autem, sine Episcopo, qui est in urbe, non accipitur pro eo, quod est sine ejus mandato, sed pro eo, quod est sine illius consecratione. Etsi enim fuerit Chorepiscopo mandatum, ut Presbyterum ordinet, & hoc fecerit, irrita erit ordinatio, quod non sit ei a canonibus data Presbyterum ordinandi potestas.* Quæ contra sententiam Zonaræ, etsi tacito ejus nomine, Balsamo disputat. Hoc decretum hauserat synodus Antiochena e Concilio Ancyrano; cujus canonem Græcum recitabo, ut restituam veram lectionem & eadem opera sinceram ejus explicationem aperiam, quæ ob illud vitium viros eruditissimos latuit: *χωρεπισκόποις μὴ ἐξεῖναι πρεσβυτέροις ἢ διακόνοις χειροτονεῖν· ἀλλὰ μηδὲ πρεσβυτέροις πόλεως, χωρὶς τοῦ ἐπιτραπῆναι ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου μετὰ γραμμάτων, ἐν ἑτέρᾳ παροικίᾳ.* Ex hac lectione, quam collectio Canonum Zonaræ & Balsamonis exhibet, duplex sensus elici potest juxta varias interpretationes, quas ambigua phrasis Græca ferre potest. Ita enim verti potest: *Chorepiscopis non licere Presbyteros aut Diaconos ordinare, sed neque Presbyteris civitatis, nisi eis permittatur ab Episcopo per literas in aliena parœcia.* Vel ita, *sed neque Presbyteros civitatis*, accusandi casu, non dandi, ut in superiori interpretatione. Juxta priorem explicationem potestatem adimit Presbyteris urbicis, ne Presbyteros aut Diaconos ordinent, nisi eis licentia per literas facta fuerit ab Episcopo, in aliena parœcia. Quod ineptum est & alienum a regula, quæ Presbyterorum ordinationes solis Episcopis tribuit, idque in sua cujusque parochia, cum *ὑπερόριοι χειροτονίαι* omnino sint vetitæ. Si accusandi casu legas, prohibebitur Chorepiscopis Presbyteros & Diaconos ordinare, imo etiam Presbyteros urbicos, sine literis Episcopi, in aliena parœcia. Quo quid absurdius dici possit, non video. Anne, cui vetita est Presbyteri vicani ordinatio, non etiam potiori jure vetita est urbici, ut de hac iterum urgenda non sit interdictio, quasi de re minoris momenti ageretur, quæque superiori prohibitione non esset comprehensa? Deinde, quid est illud, *in aliena parœcia*? ac si Chorepiscopis libera esset ordinatio Presbyteri in sua parœcia sine literis, vel ab iis tentari posset ordinatio Presbyterorum cum Episcopi consensione ac literis in aliena parœcia. A Zonara vel Balsamone, qui hanc ultimam interpretationem sequuntur, nullum subsidium sperari potest: quia, ut fatetur Balsamo, seculo illo Chorepiscoporum gradus omnino exoleverat. Ideo commentandi labore supersedit. Vel forte, quod desperaret sinceram sententiam canonis se assecuturum.

Can. Antioch. *μήτε δὲ πρεσβύτερον μήτε διάκονον χειροτονεῖν τολμᾶν, δίχα τοῦ ἐν τῇ πόλει ἐπισκόπου, ᾗ ὑπόκειται αὐτός τε καὶ ἡ χώρα.*

Balsamo: *οὐκ ἐκλαμβάνεται εἰς τὸ ἄνευ ἐντολῆς τούτου, ἀλλὰ εἰς τὸ ἄνευ τελεσιουργίας ἐκείνου.*

Synod. Ancyr. cap. 13.

II. Mendosus omnino canon Græcus, e quo tot ineptiæ sequantur. Ejus vero lectio constituenda est ex antiquis versionibus. Dionysius Exiguus, qui veterem satis confusam castigavit, sic habet: *Chorepiscopis non licere Presbyteros aut Diaconos ordinare, sed nec Presbyteris civitatis sine præcepto Episcopi vel literis in unaquaque parochia.* Sed editio

vulga-

vulgata Dionysii mutila est; ubi restituenda sunt hæc verba, *aliquid agere*, quæ inserere oportet post ista, *Presbyteris civitatis*. Etenim epitome canonum, ab Hadriano I. concinnata e versione Dionysii Exigui, integra verba illa retinuit, quæ desunt in editione Codicis canonum: *Ut Chorepiscopi Presbyterum vel Diaconum non ordinent, nec Presbyter aliquid agat in parochia sine præcepto Episcopi*. In Capitulari Aquisgranensi Caroli M. canon his verbis profertur, quæ concinunt cum interpretatione, quæ extat in collectione Isidori: *Vicariis Episcoporum, quos Græci Chorepiscopos dicunt, non licere Presbyteros vel Diaconos ordinare, sed nec Presbyteris civitatis sine Episcopi præcepto amplius aliquid jubere, vel sine auctoritate literarum ejus in unaquaque parochia aliquid agere*. Ferrandus Diaconus Carthaginensis, qui eodem tempore floruit, quo Dionysius, videtur hæsisse interpretationi a superiore non dissimili. Ait enim in Breviatione canonum titulo LXXIX. *Ut Chorepiscopi, id est, vicarii Episcoporum, nec Presbyteros, nec Diaconos ordinent, nisi tantum Subdiaconos. Concil. Anquiritan. tit.* 13. *Conc. Antioch. tit.* 10. Superest alterum membrum canonis Ancyrani, quod agit de Presbyteris civitatis. Ejus sententiam refert Ferrandus titulo XCII. *Ut Presbyteri civitatis sine jussu Episcopi, nihil jubeant, nec in unaquaque parochia aliquid agant. Concil. Sardic. tit.* 13. Legendum * *Concil. Anquir.* Nulla enim fit mentio Presbyterorum civitatis in Concilio Sardicensi, sed in solo Ancyrano, dicto canone. Tres istæ interpretationes constanter legunt, *Presbyteris civitatis*, dandi casu, *& in unaquaque parochia*. Unde sine dubio emendari debet textus Græcus, legique ἐν ἑκάστῃ παροικίᾳ; non autem ἐν ἑτέρᾳ, ut præfert lectio Zonaræ. Mutilum etiam alia ex parte Græcum contextum esse, constat ex iisdem interpretationibus. Hiatum enim hujus sententiæ, *sed nec Presbyteris civitatis sine literis Episcopi & jussu in unaquaque parochia*, his verbis supplent *aliquid agere*. Itaque in Græco contextu deest τὶ πράττειν, aut quid simile. Quo loquendi modo utitur synodus Laodicena in simili specie: *Presbyteri præter consilium Episcopi nihil agant*, μηδὲν πράττειν. Scilicet coercita est Presbyterorum urbicorum functio ad arbitrium Episcopi, de quo literis constare oportuit. Quod esset Chorepiscopi munus erga promovendos ad presbyteratum in agris & vicis, colligere licet ex administratione rusticarum parœciarum, quæ illi credita erat. Scilicet morum inquisitio, imo & delectus eorum, qui adscribendi erant, ad eum pertinebat. Quod in oriente locum habuit, ut docet collectio canonum Arabicorum can. LX. *Non enim licet, ut ullus ministret in sacello sive capella diœcesis sine licentia Chorepiscopi, quandoquidem ipse est caput illorum*. Istud omnibus Presbyteris arrogat epistolæ Nicænæ synodi, ut designent eos, qui mererentur adscisci in clerum προχειρίζεσθαι, καὶ ὄνομα ἐκλέγεσθαι τῶν ἀξίων τοῦ κλήρου, quæ curam Chorepiscopi non excludunt.

Capitulare Aquisgran. c. 9.

Synod. Laodic. cap. 57.

Epist. Nic. Syn. apud Theod. l. 1. cap. 11.

III. Eximiam pauperum curam Chorepiscopos gessisse dixi, secundum mentem synodi Neocæsariensis, cujus hæc est sententia. Presbyteris agrorum liberum non esse, ut orationem faciant in Ecclesia civitatis coram Episcopo vel urbis Presbyteris. Unde sequi videbatur, idem statuendum de Chorepiscopis, qui rusticanis parœciis præerant; maxime, cum essent secundi ordinis sacerdotes. Hoc enim significant verba illa, *ad similitudinem septuaginta* constitutos esse. Presbyteros enim, sive minoris gradus præceptores, cum septuaginta discipulis componebant veteres; ut patet ex Hieronymo, qui duodecim fontes explicans allegorice in epistola ad Fabiolam de LII. mansionibus, *Nec dubium*, inquit, *quin de duodecim Apostolis sermo sit, de quorum fontibus aquæ derivatæ totius mundi siccitatem rigant. Juxta has aquas septuaginta creverunt palmæ, quas & ipsos secundi ordinis intelligimus præceptores, Luca Evangelista testante duodecim fuisse Apostolos & septuaginta discipulos minoris gradus, quos & binos ante se Dominus præmittebat*. Attamen, etsi inter Presbyteros recenseantur Chorepiscopi, canon decernit eum honorem illis deferri, ut offerant *honorati*, præsente Episcopo & Presbyteris civitatis. Cujus moris eam rationem reddit, quia comministri sunt, & impensum studium pauperibus exhibent. Quorum verborum hic est sensus; Chorepiscopos non esse adscribendos, quia Episcopum sollicitudine episcopali in pagis visitandis levant, ejusque vices gerunt, ideoque συλλειτουργοὶ dici possunt. Unde fit, & ex studio, quod erga pauperes exhibent, ut *offerant honorati*, προσφέρουσι τιμώμενοι. Quæ synodi verba, ne sint otiosa, ita intelligi debent, ut Chorepiscopi solenniori & celebriori pompa in sacris ministeriis obeundis procederent, quam Presbyteri civitatis, eo satellitio clericorum stipati, quod episcopalem quendam honorem referret, licet revera eorum gradus ad typum septuaginta discipulorum esset expressus. Curam vero pauperum præcipuam gerebant, quos arbitrio Episcopi & suo ministerio procurabant, ita, ut miseris species quædam frumentationis præberetur. Quare inter cetera Chorepiscopi munia in opusculo Ebbonis refertur peregrinorum & pauperum exhibendorum studium, maxime cum morbo vexantur: *Hospitalitatem sectari, infirmos visitando, obsequia benignitatis & benedictionis & sanctæ unctionis inferre*. Ex eo profectum, ut in canonibus Arabicis Chorepiscopis cura immineat præficiendi aliquem, qui juxta vires unjuscujusque vici eos reditus colligat, qui ab Episcopo ad alendos pauperes & recreandos peregrinos impendi debent.

Syn. Neocæs. c. 14. οἱ δὲ χωρεπίσκοποι εἰσὶ μὲν εἰς τύπον τῶν ἑβδομήκοντα. ὡς δὲ συλλειτουργοὶ διὰ τὴν σπουδὴν εἰς τοὺς πτωχοὺς, προσφέρουσι τιμώμενοι.

Vide admonitionem synodalem antiquam editam in appendice Reginonis.

Opusc. Ebbonis Archiep. Rem. in appendice Flodoardi.

IV. Aliquando tamen chorepiscopatus conferebatur angustioribus finibus exercendus; ut contigit in causa Armentarii, cujus ordinatio ad episcopatum Ebrodunensem a duobus tantum Episcopis peracta, rescissa est a synodo Regensi anno quadringentesimo nono. Concessum tamen est Armentario, ut Chorepiscopi nomine Ecclesiam unam obtinere posset, si quis Episcopus eam illi conferre voluerit, sed iis legibus, quæ chorepiscopatum illum in angustias redigunt. Vetatur enim, ne duarum Ecclesiarum gubernationem obtinere possit, ne quis ei locus decernatur, quem curiæ & civitatis species aut ordo nobilitat, ne vel ultimum clericum ordinet in sua Ecclesia, ne unquam in civitatibus offerre præsumat, etiam sub Episcoporum absentia. Attamen hoc unum chorepiscopatus vestigium illi relinquunt, ut *in sua Ecclesia neophytos confirmare & ante Presbyteros offerre possit*. Sed recisæ illæ facultates satis evincunt, ordinario jure Chorepiscopis eas competivisse, etsi aliis probationibus destitueremur.

Syn. Reg. c. 3.

V. Ex iis, quæ hucusque disseruimus, manifeste constat, cur Ferrandus Diaconus, Isidorus Hispalensis, & antiqua canonum interpretatio Chorepiscopos vicarios Episcoporum, & Concilium Parisiense ministros esse dixerint. Hinc explicandus est locus Sidonii eruditorum disputationibus famosus, qui de Claudiano Mamerti Viennensis Episcopi fratre loquens, quem ejus *consiliarium in judiciis, vicarium in Ecclesiis, & procuratorem in negotiis* fuisse observat, antistitem ordine in secundo esse scripsit:

Antistes fuit ordine in secundo,
Fratrem fasce levans episcopali,
Nam de Pontificis tenore summi
Ille insignia sumpsit, hic laborem.

Sidon. l. 4. ep. 11.

Vel

* Quamvis emendatio illustrissimi Archiepiscopi certa sit, hinc tamen emendandus non erat Ferrandus, cum omnia breviationis illius exemplaria habeant *Concilio Sardicensi*. Quod ideo moneo, quia in ea breviationis editione, quæ extat inter opera Ferrandi Diaconi & in Bibliotheca juris canonici tom. 1. pag. 451. editum est contra fidem veterum librorum & editionum *Concilio Anquiritano tit.* 13. Fatetur autem Chifletius, se ita emendasse contra fidem veterum librorum, quia illi constabat, istic Concilium Sardicense perperam pro Ancyrano subnotatum esse per oscitantiam librarii.

Vel me tacente nemo est, qui non videat, merum Chorepiscopum describi, qui vices Episcopi gerit, etsi nomine & dignitate episcopali non fruatur. Secundus ordo presbyteratum significat; in quo ita constitutus erat Claudianus, ut antistes esset, id est, primas partes presbyterii obtineret in sollicitudine episcopali. Quare emendandus est Gennadii locus; qui Claudianum istum Episcopum Viennensem appellat. Ait enim de Salviano loquens: *Scripsit expositiones extremæ partis Ecclesiastis ad Claudianum Episcopum Viennensem*. Rescribendum est, *Chorepiscopum*. Nunquam enim episcopatum Viennensem obtinuit, cum illi Mamertus superstes fuerit. Vir eruditus Joannes Savaro in Notis ad Sidonium putabat, Claudianum Archidiaconi munus exercuisse in Ecclesia Viennensi, unde adeptus esset antistitis nomen ordine in secundo. Quæ explicatio aliena est a modo loquendi veterum, qui 1 Presbyteros in secundo sacerdotio, Diaconos in tertio constitutos dicebant, 2 quartum ordinem a capite subdiaconatum, 3 Presbyteros secundi ordinis præceptores, 4 secundi in Ecclesia ordinis; quemadmodum apud Græcos Gregorius Nazianzenus, a patre in presbyterium adscriptus, se in secundas sedes promotum scripsit, εἰς θρόνων τοὺς δευτέρους. Itaque Archidiaconus erat Primicerius tertii ordinis Diaconorum. Sed Chorepiscopus erat antistes ordine in secundo.

Gennadius de viris illustr. in Salviano. Vide præf. Baluzii ad librum Rhabani de Chorepiscopis.

1 Optatus Mil. l.5. contra Parmen. Facund. Hermian. l.12. cap. 3. Sidon. l.4. ep.25. Lex 30. in Appendice C.Theod. 2 Leo I. ep. ad Anast. Thessal. cap. 4. 3 Hier. ep. ad Fabiol. supra laudatus. 4 Syn. Rom. sub Symm. c.6. Greg. Naz. in carm. de vita sua.

VI. Tandem Leo primus Galliarum & Germaniarum Episcopis respondens aliquot annis post synodum Regensem, Chorepiscoporum ministerio fines quosdam præscripsit arctiores, quam essent antiquitus. Nam præter Diaconorum & Presbyterorum ordinationes, quæ antiquis canonibus erant vetitæ, baptizatorum consignatione, quæ etiam ipsi Armentario relicta fuerat a synodo Regensi, altarium & virginum benedictione illis interdixit, licet Presbyteris committi solerent. Sed ordinationem Subdiaconorum liberam illis reliquit, quæ etiam a Concilio Hispalensi habito anno DCXIX. vetita non est; licet eo tempore huic gradui lex cœlibatus adjuncta fuisset, non solum ex Gregorii Magni decreto, sed etiam ex consuetudine antiquiori, quæ canone Concilii Agathensis confirmata est anno quingentesimo sexto.

Leo ep. 88. ad Ep. Germ. & Gall. Vide Notam Baluzii ad §.2. c.13. hujus libri.

Dubitarunt Galli de Chorepiscoporum ministerio anno DCCXLVII. Qua de re Pipinus Major domus Francorum retulit ad Zachariam summum Pontificem; qui canonem decimum Concilii Antiocheni servandum esse decrevit, quo Subdiaconorum ordinatio diserte illis permittitur. Eo responso plene satisfactum non est iis dubitationibus, quæ ancipitem tenebant Ecclesiam Gallicanam. Cuique enim comperta erat definitio synodi Antiochenæ. Sed de verborum genuino sensu erat quæstio. Quare necessaria fuit altera relatio, quæ temporibus Caroli Magni missa est ad Leonem III. qui controversiam solvit juxta definitiones decessorum suorum, id est, Leonis I. & Zachariæ, & juxta præscripta canonum, id est, synodi Ancyranæ, Antiochenæ & Neocæsariensis; decrevitque, irritas esse Presbyterorum, Diaconorum & Subdiaconorum ordinationes, infantium consignationes, Ecclesiarum & virginum benedictiones; quæ omnia ab Episcopis iterum erant rite peragenda. Recte quidem & canonice Presbyterorum & Diaconorum ordinationes a Chorepiscopis tentatas rescidit. Sed hæreo in ordinationibus Subdiaconorum; quæ illis diserte permissæ cum essent a Concilio Antiocheno, necdum erant vetitæ ullo decreto. Non moror enim stramentitiam epistolam sub Damasi nomine in collectione Isidori publicatam. Occasionem tamen sumpsisse videntur Leo III. & Episcopi Gallicani e verbis ambiguis epitomes canonum ab Hadriano I. concinnatæ; cujus usus frequens erat in Gallia, ut patet e variis locis Capitularium, ubi verba ipsa hujus epitomes referuntur. Etenim breviarium decimi canonis Antiocheni ita conceptum est: *Quod Chorepiscopi ordines inferiores usque ad subdiaconatum dare possint*. Unde Leo & synodus Gallicana in re dubia interpretationem adversus Chorepiscopos facientes, subdiaconatum ab eorum ordinatione subduxerunt. Quare synodus Meldensis anno DCCCXLV. eisdem verbis usa est, dum vetat, ne ordines ecclesiasticos tribuant, *nisi usque ad subdiaconatum*. Suspicabitur aliquis hac tempestate in oriente restrictam fuisse Chorepiscoporum auctoritatem ad Lectorum solas ordinationes, ex canone XIV. septimæ synodi, quæ juxta veterem consuetudinem a Chorepiscopis promovendos esse Lectores decernit. Sed observandum est, eo canone non agi de jure Chorepiscoporum in clericis cooptandis, sed de lectione publica sacrarum scripturarum e suggestu & ambone Ecclesiæ; quæ a pueris pronuntiabatur ad clerum designatis, sed nondum ab Episcopo adscriptis. Canon vetat a quoquam in synaxi eas prælegi, nisi manus impositionem acceperint ab Episcopo, aut a monasterii Abbate, aut a Chorepiscopo de sententia Episcopi, juxta veterem consuetudinem.

Zacharias ep. ad Pipinum cap. I.

Sept. syn. c. 14. ὡσαύτως καὶ κατὰ τὸ ἀρχαῖον ἔθος τοὺς χωρεπισκόπους κατ' ἐπιτροπὴν τοῦ ἐπισκόπου δεῖ προχειρίζεσθαι ἀναγνώστας.

VII. Licet autem Chorepiscoporum ministerium damnatum fuerit a Leone Papa & a synodo totius regni, vetitumque, ne Chorepiscopi, a quibuscunque Episcopis deinceps fierent, attamen eruperunt iterum, egeruntque altas radices in Galliis. Sed repressa est eorum audacia a Concilio Parisiensi anno DCCCXXIX. quod præcipue in id invehitur, in quo ab iis tunc peccabatur, nempe in baptizatorum confirmatione; qua illis a patribus interdicitur, ea ratione, quod in Concilio Neocæsariensi ad formam septuaginta discipulorum constituti fuisse dicantur, ut Episcopi Apostolorum locum obtinerent; quibus donum sancti Spiritus per manuum impositionem tradendi facultas, non autem discipulis, concessa fuisse legitur in Actis. Mirabitur forte aliquis, nec immerito, quis redivivos excitaverit Chorepiscopos, & unde tanta illorum pervicacia proficisceretur, ut rebus tam gravi auctoritate definitis stare nollent. Sed omnem admirationem deponet, si is consideraverit, imperfectam esse legem, quæ vetat, sed, si quid contra factum sit, non irritum decernit, cujus generis erat hæc interdictio, ne Chorepiscopi ordinentur. Quare, cum ab arbitratu Episcoporum hæc institutio penderet, eadem ratione, qua fovebantur olim a quamplurimis Episcopis, ab iisdem vel retenti, vel restituti sunt. Causa vero, quæ gratiosos Episcopis reddebat Chorepiscopos, ea est, quod in se susciperent omnem curam & laborem episcopalis ministerii, & desidiæ Episcoporum patrocinarentur: qui sollicitudine pascendi gregis levati, secularium more, genio suo indulgebant, ut elicitur e Capitularibus & e synodo Meldensi. In Capitularibus diserte scriptum est, Chorepiscopos factos ab Episcopis *suis quietibus ac delectationibus inhærentibus*. Synodus Meldensis animadverti statuit in Episcopum, qui *propter desidiam, aut secularem pervagationem, vel propter infirmitatem modum suum Chorepiscopis transcendere consenserit*. *

Lib. 6. Capitul. c. 121. *Placuit, ne Chorepiscopi a quibusquam deinceps fiant.*

Concilium Parisiense supra laudatum.

Capit. lib. 6. c. 121.

Synod. Meld. c. 44.

VIII. Quænam autem esset hac tempestate Chorepiscopi potestas, accurate docet Ebbo Remensis Episcopus in eo opusculo, quod de ministris Ecclesiæ Remensis scripsit, id est, Præposito, Archidiacono & Chorepiscopo: *Chorepiscopi vero ministerium est, omnem sacerdotalem totius regionis sibi commissæ conversationem corrigere atque dirigere*, & quæ sequun-

Opusculum Ebbonis de min. Eccl. Rem. editum a R.P. Sirm. in Append. Flodoardi.

* Istud ipsum paulo asperioribus verbis urget Hincmarus in epistola XLV. cujus meminit Flodoardus lib. III. hist. Remensis cap. XXIX. quæ ante hos quadraginta annos ex codice Virdunensi edita est ab eruditissimo viro Jacobo Sirmondo. Hincmarus ergo respondens cujusdam Episcopi consultationibus, hæc adversus Episcoporum desidiam scribit. in capite XVI. illius epistolæ: *Sed & scandalum in Ecclesia misit, sicut & quidam Episcopi etiam a longe præcedentibus temporibus scandalum pro sua quiete & voluptatibus in Ecclesiam intromiserunt, ordinantes Chorepiscopos, & eis, quæ summis Pontificibus conveniunt, agere permittentes; quos apostolica sedes sæpius reprobavit & apostolico mucrone recidit, sicut in decretalibus eorum, qui volueris recensere, invenies.*

sequuntur. Jus dandæ consecrationis ex præcepto Episcopi Ebbo metitur. Synodus Meldensis Chorepiscopis modum præfixit juxta canones, præcipueque prospexit, ne post obitum Episcopi aliquid *ex episcopali ministerio, specialiter Episcopo debito, attentarent: quia*, inquiunt, *ex hoc magnum scandalum & divisionem rerum ecclesiasticarum atque dilationem in canonice ordinandis Episcopis Dei Ecclesiis accidisse conspeximus*. Quæ verba lucem accipient e Flodoardo; qui Leonem IV. interpellatum ab Hincmaro scripsit de ordinationibus a Chorepiscopis peractis, præcipue post obitum alicujus Episcopi. Occasione enim ministerii Chorepiscoporum, quo satis consultum videbatur ecclesiasticæ administrationi, Reges differebant electiones Episcoporum, & interim ecclesiasticæ facultates secularium usibus cedebant. *In hac vero epistola*, inquit Flodoardus, *de his, quos temeritas chorepiscopalis ordinare, vel, quod spiritum sanctum consignando tradere præsumebat, requisivit. Et, quod terrena potestas hac materia sæpe offenderet, ut videlicet Episcopo quolibet defuncto, per Chorepiscopum solis Pontificibus debitum ministerium perageret, & res ac facultates Ecclesiæ secularium usibus expenderentur, sicut & in nostra Ecclesia jam secundo actum fuisset*.

Synod. Meld. c. 4.

IX. Si extarent Hincmari epistola & Leonis IV. rescriptum, profecto magnum adjumentum afferrent ad hujus materiæ discussionem: quæ licet a synodo Meldensi sincere decisa esset, si ambiguitatem circa Subdiaconos demas, attamen variis desidum Episcoporum contentionibus iterum revocata est in dubium, adeo, ut Nicolaus I. tractus fuerit in partes pro Chorepiscopis. Etenim anno octingentesimo sexagesimo quarto consultus a Rodulfo Archiepiscopo Bituricensi de Presbyterorum & Diaconorum ordinationibus collatis a Chorepiscopis in Gallia, respondit, validas quidem esse ordinationes illas; sed vetuit similia a Chorepiscopiscopis præter regulas tentari in posterum, ne ad eos dignitas Episcoporum transferretur. Hoc autem argumentum ad sententiam suam fulciendam adducit; *Ad formam enim septuaginta Chorepiscopi facti sunt; quos quis dubitet Episcoporum habuisse officia?* Quæ responsio, quamvis a canonibus omnino aliena, excusatos tamen reddit Gallicanos Episcopos, si varias in partes distraherentur, cum ipsi Romani Pontifices in hac quæstione contraria rescripta ediderint. Hoc solum pro defensione Nicolai proferri potest, quod *diversis occupatos negotiis, cursim* respondere coactus fuerit, ut ipse præfatur in dicta epistola. Non obtinuit tamen apud Belgicos Episcopos hæc responsio; ut colligere licet e synodo Metensi, quæ anno DCCCLXXXVIII. coacta hæc statuit: *Ut basilicæ a Chorepiscopis consecratæ ab Episcopis consecrentur*, roboratum *est: quia juxta decreta Damasi Papæ, Innocentii & Leonis vacuum est & inane, quicquid in summi sacerdotii Chorepiscopi egerunt ministerio, & quod ipsi iidem sint, qui & Presbyteri, sufficienter invenitur*. Plus detrimenti Chorepiscopis attulit invidiosa hæc Nicolai sententia, quam tot synodorum definitiones; cum nihil sibi reliqui esse viderent Episcopi, si Presbyterorum ordinationes a Chorepiscopis tentatæ, irritæ non essent, etsi a canonibus vetitæ. Accedebat incommodum, quo vacantes Ecclesiæ laborabant, cum prætextu ministerii, quod a Chorepiscopis impendebatur, Principes ab electionibus concedendis cessarent, ecclesiasticis proventibus ad suorum utilitatem revocatis. Tacita ergo definitione potius, quam expressa, ad executionem Capitularis rerum experimento consultiores facti, Episcopi conspirarunt, a constituendis Chorepiscopis abstinentes; tuncque sollicitudinem animadvertendi in Presbyteros & pagorum visitandorum, quæ præter cetera Chorepiscopis competebat, Archidiaconis concesserunt. Desierant Chorepiscopi sub finem seculi undecimi, ut colligere licet ex Sigeberti historici hallucinatione, qui ex hac muneris accessione, quæ sua tempestate penes Archidiaconos erat, eos cum

Flodoard. l. 3. hist Rem. c. 10. Nicolaus I. ep. ad Rodulf. Bitur. tom. 3. Conc. Gall. pag. 235.

Concil. Met. can. 8.

Chorepiscopis confudit. *Damasus*, inquit, *Papa decrevit, ne quid contra Episcopos præsumant Archidiaconi, qui dicuntur Chorepiscopi, id est, villarum & regionum Episcopi*. Desuetudo hujus ministerii in patriarchatu Constantinopolitano id quoque induxit, ut Chorepiscopi munus idem esset cum eo, quod delegatis a Patriarcha vel Metropolitano impositum erat, qui monasteria visitabant ad coercendos immorigeros, controversias Abbatum & monachorum dirimendas, & restaurandam disciplinam monasticam mittebantur. Delegati ejusmodi Ἔξαρχοι seu Præfecti dicuntur; quorum potestas iis mandatis comprehenditur, quæ relata sunt in collectione Juris Græco-Romani. Scholiastes Harmenopuli Exarchos istos cum antiquis Chorepiscopis temere confudit, in eam opinionem ductus, quod reliquo Chorepiscoporum ministerio hæc quoque pars visitandorum monasteriorum in oriente adjuncta sit, ut patet ex collectione Arabica. Perseverant namque adhuc in oriente Chorepiscopi. Sed in patriarchatu Alexandrino, deletis Episcopis, soli Chorepiscopi curam Patriarchæ in administratione Ecclesiarum levant, quod ducentis abhinc annis inductum fuisse, testatur Cyrillus Alexandriæ Patriarcha iis literis, quas in Valachia scripsit anno millesimo sexcentesimo duodecimo. Hic est Cyrillus, qui post aliquot annos in sedem Constantinopolitanam provectus, meritas pœnas dedit, quod a veteri ecclesiæ illius traditione desciscens, & ab Hieremiæ Patriarchæ censura, qua Confessionem Augustanam olim notaverat, aliquot articulis professionis Hollandicæ subscripsisset.

Sigebertus in Chron.

Lib. VI. Juris Græco Rom. Scholion ad tit. IX. epitomes canonum Harmen. χωρεπίσκοποι, οἱ νῦν λεγόμενοι Ἔξαρχοι, εἴτε Πατριάρχου εἰσὶν, εἴτε μητροπολίτου.

Vide lib. 5. c. 14. §. 9. & Morin. de sacr. ordinat. par. 3. c. 6. §. 4.

CAPUT XV.

De Principum tuitione legum ecclesiasticarum, & speciatim de legitima legum ecclesiasticarum promulgatione.

SYNOPSIS.

I. Principes tuentur constitutiones ecclesiasticas, quæ sunt promulgatæ & usu receptæ. Promulgatio legum necessaria, ut sint notæ, e Novella Justiniani. Ordo promulgationis in Imperio; Et in Gallia.

II. An constitutionum ecclesiasticarum promulgatio Romæ facta sufficiat. Communior & verior opinio, non sufficere. Quod congruit cum lege naturali & civili. Et exemplo Justiniani, qui leges ecclesiasticas per provincias edebat, directis literis ad Patriarchas, ut eas Metropolitis, hi autem Episcopis insinuarent. Hæc necessitas probatur ex discrimine legum pontificiarum & regiarum.

III. Probatur etiam e Conciliis Lateranensi & Tridentino.

IV. Et praxi universalis Ecclesiæ in definitionibus Conciliorum generalium per provincias publicandis; ut constat e Concilio Arelatensi primo, & Nicæno.

V. E synodo quoque Sardicensi. Explicatus Athanasius de numero Episcoporum, qui ejus restitutioni subscripserunt. Et ex Hilario.

VI. E Concilio quoque Ephesino.

VII: Idem mos usurpatus ab antiquis Romanis Pontificibus in decretis suis edendis per provincias. Siricius eam curam imponit Himerio Tarraconensi Episcopo. Necessaria erat decretorum novorum Siricii editio, ex Innocentio. Qui decreta quoque sua publicari jubet.

VIII. Eo jure usus Zosimus, & Leo I. in capitibus fidei & disciplinæ. Gallicani Episcopi decreta Romanæ sedis in synodis edebant & canonibus inserebant.

IX. Explicatur, quod objici solet e Nicolao, qui decretis Pontificum non editis in Græcia obstringi Photium scripsit. E cujus verbis necessitas promulgationis colligitur.

X. Respondetur objectioni de vitandis excommunicatis ante promulgationem. Id novo & singulari jure receptum. Imo vero Innocentius in explicatione hujus

novi juris ſtat pro priore ſententia. De tempore, quo leges teneant poſt editionem, fuſe Menochius.

I. Tuitio, quam Principes canonibus & decretis Pontificum præſtant, ad eas conſtitutiones eccleſiaſticas refertur, quæ vim legum obtinent, Duæ autem conditiones omnino requiruntur, ut leges omnes, tam eccleſiaſticæ, quam civiles, effectum ſuum ſortiantur. Una eſt, ut legitime inſinuatæ ſint & promulgatæ; altera, ut ſint uſu receptæ.

Promulgatio legum ideo neceſſaria eſt, quoniam qui legum ſententiam ignorant, nulla religione ad obſervationem teneri poſſunt. Unde præcipua cura poſt leges conditas hæc fuit apud Græcos & Romanos, ut publice proponerentur, & tabulis, columnis, vel axonibus affigerentur. Nolo antiquos mores repetere, cum ſatius ſit iis diſcutiendis immorari, quorum uſu quotidiano calent omnia judiciorum tribunalia. Extat apud Juſtinianum Novella conſtitutio, quæ modum publicandarum legum præſcribit, & earum vim cohibet, donec redditæ fuerint *καταφανεῖς ἐν κοινῷ*, *in commune manifeſtæ*, ut vertit vetus interpres, & elapſi fuerint duo menſes a die inſinuationis. Hæc autem promulgatio eo ordine procedit, ut conſtitutio a Principe ad Præfectos prætorio dirigatur: qui edictis publice propoſitis eam in civitate, ubi ſedes præfectoriana inſtituta eſt, omnibus notam reddant, deinde eam mittant ad omnes Præſides provinciarum, qui legem in metropolitana civitate & in ceteris civitatibus provinciæ publicari curabunt. Civitatis nomine non ſingulæ urbes & oppida alicujus provinciæ intelligebantur, ſed illæ tantum, quæ in laterculo imperii deſcriptæ, civitatum nomine & dignitate erant inſignitæ; quæ fere omnes, ſub Chriſtianis Imperatoribus, epiſcopatibus decoratæ ſunt. Idem ordo per Gallias etiam hodie obtinet quoad Principum noſtrorum conſtitutiones. Nam, etſi Galliæ regnum juris Romani auctoritate non teneatur, ejus rationes amplectitur. Edicta autem Principum noſtrorum ad curias Parlamenti (a quibus vice ſacra judicatur, æque ac olim a Præfectis prætorio) eo conſilio mittuntur, ut in earum auditoriis publicentur, in acta redigantur, & præcepto curiarum deinde ad Seneſchallos exempla conſtitutionum deferantur, qui promulgationi curandæ in civitate, cui præſunt, incumbant. Adminiſtrationis publicæ forma, quæ hodie apud nos viget, paululum a Romani imperii ordine diſcedit. Sed diſcrimen illud in provinciarum finibus, qui anguſtiores apud nos, potius quam in re ipſa verſatur. Etenim illi provincias ſolidas, id eſt, metropolitanam civitatem cum ceteris civitatibus, quæ ab illa pendebant, Præſidibus provinciarum credebant: cum apud nos Seneſchallis aut Bajulis, qui vices præſidum obtinent, civitas una vel altera cum pago illius civitatis committi ſoleat. In prima Regum dynaſtia conſtitutiones generales mittebantur ad Epiſcopos omnes & judices, quos Comites frequentius nuncupabant, quorum miniſterium per unamquamque civitatem & pagum illi contributum diffundebatur. Qui ordo propagatus eſt in ſecundæ dynaſtiæ tempora, ante quam regia curia magiſtratibus ordinariis commiſſa eſſet. Capitula enim ſeu edicta Principum a ſummo Cancellario Epiſcopis & Comitibus præbebantur, ut ea in ſuis diœceſibus & comitatibus quiſque recitari procuraret; ut docet Capitulare ſecundum Ludovici Pii. Summus Cancellarius edicta regia condebat, teſte Adalardo apud Hincmarum; quemadmodum Comes palatii judiciis palatinis præerat, & Archicapellanus controverſiis canonicis, quæ a Rege dirimebantur. Quæ judicandi munera deinde in tertia dynaſtia in unam Cancellarii dignitatem coierunt.

Novell. 66. *Ut factæ novæ Conſt.* c. 3. §. 1. & 3.

Vide Præceptionem Guntramni Regis an. 585. tom. 1. Conc. Gall.

Caplt. Lud. Pii ann. 823. l. 2. c. 24. *In ſuis comitatibus coram omnibus relegant, ut cunctis noſtra ordinatio & voluntas nota fieri poſſit.* Hincmar. ep. 3. cap. 16.

II. Sed in controverſiam deducitur, an leges eccleſiaſticæ promulgari debeant per provincias, an vero ſufficiat, eas in Romana curia publicatas fuiſſe. Hinc ſtat Joannes Andreæ & plerique ex Italia auctores, qui ſolam in curia Romana promulgationem requirunt. Panormitanus vero & omnes fere Galli, Germani, & Hiſpani, qui quæſtionem iſtam attigerunt, imo & Cajetanus unus e purpuratis patribus, neceſſariam eſſe per ſingulas provincias legis eccleſiaſticæ publicationem contendunt validiſſimis argumentis. Cum enim ex naturalis rationis præſcripto, imperatoria lege Juſtiniani, quæ vim in rebus ipſis obtinet, cautum fuerit, ut nemo teneri debeat nova conſtitutione, donec in provinciis auctoritate publica fuerit promulgata, etſi in urbe regia publicis edictis propoſita fuerit, indeque cognitio novæ legis manare & per provincias ob frequentem provincialium commeatum diffundi poſſit, cur alio jure utemur, cum de lege eccleſiaſtica Romæ promulgata agetur, quo non adeo frequenter ſe conferunt hodie provinciales, quam olim, cum eſſet orbis gentiumque domina? Præſertim, cum fama legis editæ non ſufficiat; ſed neceſſaria ſit legis evulgatio, quæ fiat auctoritate publica, ne quis eam in dubium revocare poſſit. Huic rationi addenda eſt illa, quæ apud omnes obtinet, nempe leges Imperatorum etiam ab Eccleſia obſervari, niſi in contrarium eccleſiaſtica lege fuerit ſtatutum. Itaque conſtitutiones eccleſiaſticæ eodem juris ordine & publicationis ſolemnibus adſtringentur ex vi Novellæ Juſtiniani; præſertim cum Novellarum corpus aut ſaltem Juliani epitome olim a Romanis Pontificibus recepta fuerit, ut ante monui.

Ioan. Andrea ſuper ultima verba 6. Decretal. *Datur Romæ*. Silvſter verbo *Lex* q. 6. Azor. l. 5 Inſtit. c. 3. q. 3. Panorm. in c. *Cognoſcentes*. de conſtit. Molina diſp. 95. Cajetanus 1. 2. qu. 90. artic. 4. Dom. Soto l. 1. de Ju. q. 2. a. 4. Nicol. Serarius diſput. de legib. n. 56. 57. 58. 59. 60. 61. *Quam enim jocularem, inquit, quæ lex Romæ ſit, eandem eodem temporis momento in Gallia, Hiſpania, India, extremiſque Chriſtianarum gentium partibus fixam & promulgatam cenſeri.*

L. un. Cod. de novi oper. nuntiat. Diſt. 10. cap. *Si in adjutorium*.

Hæc ratio inde multum juvari poſſe mihi videtur, quod Juſtinianus hunc morem non ſolum in civilibus negotiis, ſed etiam in legibus eccleſiaſticis obſervaverit: quas ad Patriarchas cujuſque Diœceſeos direxit, ut eas in Eccleſiis ſuarum ſedium publice proponerent, deinde ad Metropolitas mitterent, qui promulgatione in Eccleſiis facta, earundem legum inſinuationem Epiſcopis ſub ſe conſtitutis demandarent. Elegans eſt locus in Juſtiniani Novella ſexta, quæ de Epiſcoporum & clericorum ordinationibus quamplurima ſtatuit. *Sanctiſſimi ſiquidem Patriarchæ uniuſcujuſque Diœceſis hæc proponant in Eccleſiis ſub ſe conſtitutis, & manifeſta faciant Deo amabilibus Metropolitis, quæ a nobis conſtituta ſunt. Illi quoque rurſus proponant ea in metropolitana ſanctiſſima Eccleſia, & conſtitutis ſub ſe Epiſcopis manifeſta faciant. Illorum vero ſinguli in propria Eccleſia hæc proponant; ut nullus noſtræ reipublicæ ignoret, quæ a nobis ad honorem & ad augmentum magni Dei & ſalvatoris noſtri Jeſu Chriſti diſpoſita ſunt.* Eundem ergo ordinem ſequi decet ſummos Pontifices, ſeu legem novam ex fratrum conſilio ferant, ſeu de Concilii generalis ſententia, cum Eccleſiæ juriſdictio ſedatior & temperatior ſit, quam civilis & regia. Non parum momenti confert etiam ad ordinis hujus neceſſitatem magnum, quod ex alio capite diſcrimen intercedit inter pontificiam & regiam auctoritatem. Etenim a ſynodis provinciarum canones condi ſolent, quibus Eccleſiarum ſtatus componi poteſt, ut neceſſaria omnino non ſit in ſingulis articulis ſollicitudo ſummi Pontificis; ac proinde mirum eſſe non debet, ſi Chriſtiani non adeo ſe curioſos exhibeant earum legum, quæ Romæ feruntur ac promulgantur. Alia eſt regnorum ratio, in quibus nihil conſtituitur prǽterquam edictis regiis. Et tamen Principum benignitas tantopere hac in parte ſubditis ſuis conſulit, ut eos cura & labore ſolvat inquirendarum promulgationum, quæ fieri poſſent in comitatu, neque velit ſuis legibus teneri, donec publice propoſitæ ſint in provinciis.

Novell. VI. in epilogo §. 1. *Πατριάρχαι διοικήσεως ἑκάστης ταῦτα προθήσουσιν ἐν ταῖς ὑφ' ἑαυτοὺς ἁγιωτάταις ἐκκλησίαις, δῆλα δὲ ποιήσουσι τοῖς θεοφιλεστάτοις μητροπολίταις.* Infra: *ὥστε μηδένα τῶν τῆς ἡμετέρας πολιτείας ἀγνοεῖν τὰ παρ' ἡμῶν διατετυπωμένα.*

III. Neque eſt, quod in hac quæſtione torqueamur, cum ipſa etiam Concilia generalia his ſolemnibus ſua conſtituta obſtringi ſatis aperte ſignificaverint. Etenim Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. habitum, cum præcepiſſet medicis, ut ægros inducerent ad conſulendum ſuarum animarum ſaluti, ante quam morbo remedia parentur, addit tamen, pœnæ canoni adjectæ non eſſe locum, ante quam promulgatio canonis iſtius facta fuerit ab Epiſcopo: *Si quis autem medicorum, hujus noſtræ conſtitutionis, poſtquam per Prælatos locorum fueri publicata,* *tranſ-*

Conc. Later. c. 22. C. *Cum infirmitas*. De pœnit. & remiſſ.

transgressor extiterit, tamdiu ab Ecclesiæ ingressu arceatur, donec pro transgressione hujusmodi satisfecerit competenter. Quin etiam Concilium Tridentinum, cum matrimonia clandestina rescidisset, ea tamen huic pœnæ obnoxia esse noluit, nisi post lapsum triginta dierum a die publicationis per singulas parochias factæ. Adeo necessaria visa est illius Concilii patribus novorum decretorum promulgatio.

Concil. Trid. c.1.deReform. sess. 24.

IV. Ceterum, si veteris Ecclesiæ consuetudinem inspiciamus, eam fuisse sapientissimorum illorum Episcoporum sententiam, inveniemus, ut canonum etiam in Conciliis plenariis editorum promulgatio per provincias semper necessaria visa fuerit. Arelatense Concilium primum, quod ex omnibus fere occidentis provinciis Constantini voluntate convenit, post damnatos Donatistas, viginti duos canones constituit. Sed æquum esse non putavit, iis clerum aut plebem teneri, donec per provincias editi fuissent. Hujus editionis curam Silvestro summo Pontifici, quem reverentia commerita salutaverat, epistola ad illum scripta commisit. *Placuit etiam*, inquiunt patres, *a te, qui majores diœceses tenes, per te potissimum omnibus insinuari.* Nicæna synodus suis literis ad Ægyptios & ceteros Episcopos, qui cœtui non interfuerant perscriptis, quæ decreta fuerant, significavit; *eaque literis ad vos perscribere necessarium visum est*, inquit, *ut intelligere possitis, cum, quæ ibi in quæstionem & disquisitionem vocata, tum, quæ decreta sancitaque sunt.* Imo vero Alexandrum Episcopum Alexandrinum iis canonibus instructum redire monet, qui de rebus controversis editi essent, quod ultimum ad Ægyptios Episcopos referendum est. Ceteris enim provinciis decreta per eos Episcopos transmissa sunt, qui Concilio intererant: quorum catalogum edidit Gelasius Cyzicenus in actis Concilii Nicæni, cujus inscriptio hæc est: *Catalogus sanctorum Episcoporum, per quos sancta, magna & universalis synodus Nicææ coacta misit omnibus in toto orbe terrarum Dei Ecclesiis ea, quæ ab ipsis per spiritum sanctum in ea constituta sunt.* Inter quos principem locum obtinet Osius, qui cum Bitone & Vincentio Romanis Presbyteris ea decreta in occidentem detulit, ut Romæ, Italiæ, Hispaniæ, & ceteris usque ad oceanum Ecclesiis publice proponerentur. Par cura quamplurimis Episcopis per orientem imposita est.

Epist. Synod. Conc. Nicen. ἔτινα ἀναγκαῖον ἡμῖν ἐφάνη ἐπιστεῖλαι παρ' ἡμῶν πρὸς ὑμᾶς διὰ γραμμάτων, ἵνα εἰδέναι ἔχοιτε τίνα μὲν ἐκινήθη καὶ ἐξητάσθη, τίνα δὲ ἔδοξε καὶ ἐκρατύνθη. εἰ δέ τι ἄλλο ἐκανονίσθη, ἢ ἐδογματίσθη ἀνοίσει ταῦτα πρὸς ὑμᾶς.

Gelasius Cyzicenus lib. 3. δι' ὧν ἡ ἁγία σύνοδος ἡ ἐν Νικαίᾳ συνοδος ἡ ἀνὰ τὴν οἰκουμένην ἐκκλησίαις τοῦ θεοῦ διεπέμψατο τὰ ἐν αὐτῇ δι' αὐτῆς κεκριμένα ὑπὸ τοῦ ἁγίου πνεύματος.

V. Sardicensis synodus definitiones suas ad Julium Romanum Episcopum perscripsit, consiliumque suum his verbis explicuit: *Tua autem excellens prudentia disponere debet, ut per tua scripta, qui in Sicilia, in Sardinia & in Italia sunt fratres nostri, quæ acta sunt & quæ definita, cognoscant, & ne ignorantes eorum accipiant literas communicatorias, quos extra episcopatum justa sententia declaravit.* Quin etiam encyclicam epistolam ad omnes Episcopos dedit, ut subscriptione sua rebus definitis suffragarentur. Unde profectum est, ut in numero Episcoporum, qui Sardicæ convenerunt, ineundo gravissime peccetur. Etenim, ut hoc etiam obiter adnotemus, cum octoginta tantum Episcopi ex occidente & totidem ex oriente literis Constantis Constantiique evocati Sardicam convenire deberent ad constituendam synodum œcumenicam, quemadmodum loquitur Socrates, orientalium secessio locum sane dedit Concilio occidentalium de rebus propositis pleno jure decernendi & Athanasium restituendi, sed eorum numerum non auxit, qui judicium ferre debebant, si paucos Episcopos excipias, qui e Concilio orientalium discedentes occidentalibus se adjunxerunt. In Synodo Sardicensi LIX. Episcopos judicium tulisse, testatur Hilarius in Fragmentis, quamvis sententiæ synodicæ a paucis latæ subscripserint per varias provincias Episcopi plusquam trecenti numero. Hoc est, quod significat Athanasius in apologia de fuga, si recte & ut decet verborum interpunctio, & quæ inde pendet sententia, constituatur. Cum enim causam suam discussam & innocentiam probatam in Concilio Sardicensi dixisset, addit: *Atque iis, quæ pro nobis definita sunt, consenserunt Episcopi plures, quam trecenti.* Quod referendum non est ad suffragium in Concilio latum, ut a plerisque fieri solet, cum tantus non adesset Episcoporum judicum numerus, sed ad subscriptiones Episcoporum, qui Sardicæ cum essent, sententiæ synodicæ adhæserunt, tum alii invitati ab Athanasio, cum provincias illas ab Italiæ finibus Ecclesiam Alexandrinam repetendo peragraret. Quod disertis verbis scriptum est ad calcem epistolæ synodicæ illius Concilii: *Hæc ita scriptis mandata sacrum Sardicense Concilium ad eos, qui interesse non poterant, misit; qui ipsi quoque suis suffragiis decreta synodi approbarunt. Eorum autem, qui in synodo subscripserunt, ceterorumque aliorum, ista sunt nomina.*

Epist. Conc. Sardic. ad Julium.

Vide lib. 7. c. 3. §. 4. 5. Socr. l. 2. c. 20. οἰκουμενικὴν σύνοδον.

Athanasius in apol. de fuga: τοῖς τε κριθεῖσιν ὑπὲρ ἡμῶν συνεψηφίσαντο πλεῖον ἐπίσκοποι πλείους τριακοσίων.

Epist. synod. Concil. Sard. ἀπέστειλε καὶ πρὸς τοὺς μὴ δυνηθέντας ἀπαντῆσαι, καὶ αὐτοὶ συμψηφοι τοῖς κριθεῖσι, &c.

Duobus annis post synodum Sardicensem Photinus Episcopus Sirmii, quæ Illyrici occidentalis metropolis erat, ob renovatam Pauli Samosateni hæresim Mediolani in Concilio occidentalium damnatur; atque iterum in Romana synodo de pellendo ab episcopatu Photino tractatur. Damnationis istius decretum pro more a Romanis ad orientales mittitur. *Decretum*, inquit Hilarius, *ab occidentalibus, sicut mos poscebat, ad orientales mittitur, non injuria extorquendi, ut nunc agitur, adsensum, sed instruendæ universorum conscientiæ consuetudine.*

Hilarius in Fragmentis.

VI. Sed, ut ego quidem existimo, nihil ad præsentem disputationem accommodatius proferri potest epistola Concilii Ephesini ad singularum provinciarum & civitatum Episcopos, Presbyteros, Diaconos, & universum populum data, qua synodus omnes certiores reddit de iis, quæ adversus Cælestii Pelagiique hæresim, Joannem Antiochenum & consortes ejus factionis decreta erant, his verbis peremptoriis: *Quoniam autem oportebat & absentes a sancta synodo morantesque in urbibus & provinciis ob aliquod impedimentum, sive ecclesiasticum, sive corporeum, non ignorare, quæ de ipsis sunt constituta.* Qua epistola describuntur nomina Episcoporum, quos a communione Concilium excluserat; ne scilicet formatas & communicatorias ab illis acciperent, vel ad illos darent, ut Concilii Sardicensis epistola jam olim hunc ritum explicuerat, a quo comprobando nunc abstineo, quia res est omnibus notissima.

Can. 1. Conc. Eph. ἐπειδὴ ἐχρῆν καὶ τοὺς ἀπολειφθέντας τῆς ἁγίας συνόδου, καὶ μείναντας κατὰ χώραν ἢ πόλιν διά τινα αἰτίαν ἢ ἐκκλησιαστικήν, ἢ σωματικὴν μὴ ἀγνοῆσαι τὰ ἐν αὐτῇ τετυπωμένα.

VII. Eandem rationem secuti sunt Romani Pontifices in decretis suis per provincias promulgandis. Quod patet ex verbis Siricii: qui ad Himerii Tarraconensis Episcopi consultationes cum graviter respondisset, illi dat in mandatis, ut quinque provinciarum Hispaniæ Episcopis, id est, Tarraconensis, Carthaginensis, quæ deinde Toletana vocata est, Bæticæ, Lusitaniæ & Galliciæ, vicinis hinc & inde provinciis, id est, Narbonensi & Elusanæ, decreta sua insinuet, ne scilicet in posterum se ignorantia juris tueri possint. *Quamquam nulli Episcoporum statuta sedis apostolicæ vel canonum definita ignorare sit liberum*, ut ait ille, scilicet ea, quæ semel edita sunt, qualia erant pleraque, quæ tantum Siricius decretis suis renovabat, *& hæc ad tua consulta rescripsimus*, inquit, *ut in omnium coepiscoporum nostrorum perferri facias notionem, & non solum eorum, qui in tua sunt diœcesi* (id est, provincia) *constituti, sed etiam ad universos Carthaginenses, Bæticos, Lusitanos atque Callaicos, vel eos, qui vicinis collimitant hinc inde provinciis, hæc, quæ a nobis sunt salubri ordinatione disposita, sub literarum tuarum prosecutione mittantur. Et quamquam statuta sedis apostolicæ vel canonum venerabilia definita nulli sacerdotum Domini ignorare sit liberum, utilius tamen & pro antiquitate sacerdotii tui dilectioni tuæ admodum poterit esse gloriosum, si ea, quæ ad te speciali nomine generaliter scripta sunt, per unanimitatis tuæ sollicitudinem in universorum fratrum nostrorum notitiam perferantur; quatenus & quæ a nobis non inconsulte,*

Siricius in decretis cap. 15.

consulte, sed provide, & sub nimia cautela & deliberatione sunt salubriter constituta, intemerata permaneant, & omnibus in posterum excusationibus aditus, qui apud nos nulli patere poterit, obstruatur.

Sane adeo erat necessaria decretorum Siricii per provincias promulgatio, in eo saltem jure, quod novum condebat, nempe de sacerdotum dejectione, qui ab uxoribus non abstinebant, ut Innocentius de hoc capite ab Exuperio Episcopo Tolosano consultus rescripserit, disparem esse conditionem illorum, ad quos non pervenit forma ecclesiasticæ disciplinæ, quæ ab Episcopo Siricio per provincias commeavit, & eorum, qui formam

Innoc. in Decret. c. 21. vivendi a Siricio missam scivisse deteguntur. Illis enim *ignorationis venia remittetur, ita, ut de cetero penitus incipiant abstinere; hi autem sunt omnibus*

Ibid. c. 47. *modis submovendi*. Idem Innocentius, cum relationi Antiocheni Episcopi respondisset, *Gravitas itaque tua*, inquit, *hæc ad notitiam coepiscoporum vel per synodum, si potest, vel per harum recitationem faciat pervenire; ut, quæ ipse tam necessario percunctatus es, & nos elimate respondimus, communi omnium consensu studioque serventur.*

VIII. Cum Zosimus Episcopum Arelatensem nova dignitate ornare vellet, nempe, ut sine illius Episcopi formata epistola nullus clericorum e Galliarum provinciis Romam veniens in communionem Romani Pontificis susciperetur, decretum suum publice per provincias proposuit. *Quam auctoritatem*, inquit, *ubique nos misisse manifestum est,*

Zosim. ep. ad Ep. Arel. *ut cunctis regionibus innotescat id, quod statuimus omnimodis esse servandum.*

Leo in Decret. cap. 48. Hanc regulam amplexus est summus ille Pontifex Leo, qui datam ad Nicetam Aquilejensem Metropolitanum epistolam hoc mandato claudit: *Hanc autem epistolam nostram, quam ad consultationem fraternitatis tuæ emisimus, ad omnes fratres & comprovinciales tuos Episcopos facias pervenire, ut omnium observantiæ data prosit auctoritas.* Ab hac consuetudine manat, quod idem Leo Galliarum Episcopos certiores reddit de damnata Eutychetis hæresi in synodo Chalcedonensi & dejecto Dioscoro: *Nam fratres mei, qui vice mea orientali synodo præsederunt, quæ acta retulerint, significo.* Non solum autem in iis, quæ fidem respiciunt, sed etiam in iis, quæ ad disciplinam pertinent, hunc ordinem secutus est Leo in Galliarum provinciis. Etenim cum Theodorum Forojuliensem, qua ratione pœnitentiæ beneficium ægris concedendum esset, literis suis monuisset, addidit:

Leo ep. 91. ad Theodor. Forojul. *Hæc autem, quæ ad interrogationem tuam respondi, ne aliquid contrarium sub ignorantiæ excusatione generetur, in Metropolitani tui notitiam facias pervenire; ut, si qui forte sunt fratrum, qui de his ante putaverint ambigendum, per ipsum de omnibus, quæ ad te scripta sunt, instruantur.* Ecclesiæ Gallicanæ Episcopi decreta Romanorum Pontificum in synodis suis edebant & canonibus inserebant, ut clerum iis servandis obligarent. Elegans est Concilii Agathensis canon nonus: *Placuit etiam, ut, si Diacones aut Presbyteri conjugati ad thorum uxorum suarum redire voluerint, Papæ Innocentii ordinatio & Siricii Episcopi auctoritas, quæ est his canonibus inserta,*

Ferrandus in Brev. tit. 6. 130. 138. Concil. Zell. ex epistola Papæ Siricii. *conservetur.* Qua in re Africanorum exemplum sequebantur, qui juxta Siricii Papæ epistolam decreverunt in Concilio Zellensi, ne viduæ maritus admittatur ad clerum, neve abjectum clericum alia Ecclesia suscipiat, ne unus Episcopus Episcopum ordinet, excepta Ecclesia Romana. Eodem sensu accipienda sunt hæc verba Concilii Africani:

Concil. Afric. cap. 61. *Recitatæ sunt literæ Papæ Innocentii, ut Episcopi ad transmarina pergere facile non debeant. Quod hoc ipsum Episcoporum sententiis confirmatur.*

IX. Qui contrariam sententiam tuentur, scilicet necessariam non esse legum promulgationem,

C. Quod dicitis. Dist. 16. existimant, se juvari posse verbis quibusdam Nicolai I. quæ referuntur a Gratiano; in quibus excusationem Constantinopolitanorum repellit, qui dicebant, se canonibus Sardicensibus non teneri, quod Græcis canones illi omnino ignoti essent. Sed, ni fallor, pro nobis stabit Nicolaus, si non hæreamus nudis verbis, quæ a Gratiano adducuntur, sed ejusdem Nicolai epistolæ ad Photium verba, quæ uberius rem istam exequuntur, sincere explicemus. Disputat Nicolaus adversus Photium, qui e laicorum grege & e palatinis administrationibus ad patriarchalem sedem provectus fuerat, prætermissis clericis Ecclesiæ Constantinopolitanæ, qui omnem in dominicis castris ætatem exegerant. Protulerat Nicolaus decreta Cælestini & Leonis, qui vetant neophytorum laicorum ordinationes, & juxta tantorum patrum sententiam, Photii recens ordinati communionem repulerat. Respondit Photius, has leges orienti non fuisse Nicolai I. ep. XI. ad Photium.
datas: *Sed dicis: Hæc non in lege suscepimus, & prævaricatores, qui significantius Græce παραβάται dicuntur, non sunt, nisi, qui præter legem acceptam aliquid pravitatis committunt, sicut Apostolus ait? Ubi non est lex, ibi non est prævaricatio.* Replicat Nicolaus de lege naturali, cujus præscripto omnes tenentur; quæ vetat ullum lædi & alteri fieri, quæ quis sibi facta nollet, hac juris naturalis æquitate niti decreta Pontificum, quæ clericis provectioribus injuriam fieri vetant per laicorum præcipites ordinationes. Sed quia nimis longe petita videbatur ratio desumpta e lege naturali, canone Sardicensis Concilii constituta Pontificum adversus laicos edita confirmat: *Noli, quia decreta ipsorum non susceperis, amplius asseverare, cum ipsi nihil, nisi, quod naturalis, quod Mosaica, necnon & gratiæ lex jussit, instituunt, & quicquid in Sardicensi sancti patres Concilio statuerunt, custodiendum prorsus diffiniant.* Ex quo sequitur, Nicolao nullam patuisse viam, qua Photium servandis decretis in Græcia nondum promulgatis obstringeret, nisi, quod specialiter illa, de quibus erat quæstio, lege naturali & Concilio niti existimaret. Quare aliud pronuntiandum erit, ex ipsius Nicolai mente, si quæ decreta proferantur, quæ lege naturali vel canonibus jam editis non fulciantur. Sed, quia replicabat Photius, ignotos esse orienti Concilii Sardicensis canones, ideoque se illorum auctoritate non lædi, quid retulit Nicolaus? An fortasse, quod nos impugnamus, necessariam non esse canonum per provincias editionem? Minime vero. Quin potius contrariæ sententiæ principiis acquiescens, non de jure cum Photio disputat, sed de facto, nempe receptos esse apud Græcos Concilii Sardicensis canones. Quod ille liquidissime demonstrat, docetque, illo codice canonum contineri, quo Græci uterentur quotidie, imo, & altera quadam collectione quinquaginta titulis distincta: *Aut quomodo non sunt penes vos canones Sardicenses, quando inter quinquaginta titulos, quibus concordia canonum apud vos texitur, ipsi quoque reperiuntur.* De hac collectione agetur libro III. cap. III. §. VIII.

X. Opponitur nostræ sententiæ, quod traditur in Decretalibus de vitandis excommunicatis per omnes provincias, etsi excommunicationis sententia in una tantum diœcesi promulgata fuerit. Fateor, hac in parte recessum fuisse ab antiquo jure, quod Episcopis consortium excommunicati prohibebat, si admoniti essent per literas, ut patet ex Concilio Arausicano & Turonensi secundo, & Concil. Arauf. cap. XI. anno 441. Turon. II. cap. 8. an. 567.
aliis quamplurimis, imo etiam ex canone primo Concilii Ephesini, quem superius laudavi. Quin etiam tempore Ivonis excommunicatus ab uno Episcopo, a ceteris Episcopis erat excommunicandus, ut omnibus nota esset sententia lata in reum: *Sic* Ivo ep. 76.
enim antiquitus est institutum, & nuper in Arvernensi Concilio omnium Episcoporum, qui aderant, consensu confirmatum, ut ab uno Episcopo quemlibet pro injuriis ecclesiasticis excommunicatum vicini quoque Episcopi excommunicent. Hinc tamen recentior usus receptus, quoad excommunicationes & interdicta nihil officit nostræ opinioni. Etenim, etsi

sententia

ſententia reddita in excommunicatum eum effectum habeat, ut abſtentus vitari debeat, attamen, ut in aliis etiam diœceſibus ſervetur, in quibus non eſt promulgata, hoc a recentiori lege eccleſiaſtica proficiſcitur, quæ ſpecialiter id ſtatuit. Quare trahenda non eſt ad conſequentiam. Imo vero, ſi recte capio verba Innocentii III. qui ad probationem hujus conſuetudinis adduci ſolet, cum de legum editione agit, omnino noſtras partes tuetur. Ait enim, cum lex ſolenniter promulgata fuerit, non eſſe neceſſe, ut ſpeciali mandato auribus ſingulorum inſinuetur. De ſingulis hominibus loquitur, non autem de provinciis, in quibus ſolenniter editam fuiſſe legem ſupponit.

C. 1. de poſtul. Prælat.

An vero duorum menſium vel anguſtioris temporis lapſus a die legis editæ expectari debeat, recte tradidit præ ceteris Menochius.

Menochius l. de Arbitr. cauſ. Cent. 185.

CAPUT XVI.

De legitima legum eccleſiaſticarum per receptionem approbatione.

SYNOPSIS.

I. Jus ferendæ legis penes Principem ſolum. Sed aliter non tenet, niſi tacito populi judicio recepta ſit. Unde lex dicta communis reipublicæ ſponſio, *non ſolum a Demoſthene, ſed etiam a Papiniano.*

II. Summa cura adhibita olim a Principibus in legibus ferendis, ut civium utilitati conſulere poſſent. Quare communis utilitas eſt legum propoſitum. Ab earum uſu recedi poteſt, ſi ſint incommodæ.

III. Inde fit, ut, ſi ſtatim a promulgatione lex officere videatur utilitati publicæ, Principes cenſeantur ea nolle cives obſtringi. Quare uſus publicus neceſſarius eſt, ut recepta eſſe dicatur. Ex eo non ſequi, Principum arbitria populis ſubjici, probatur exemplo tutorum.

IV. Tacitus populi conſenſus neceſſarius eſt in legibus, quæ de jure privato feruntur. Jus autem publicum a mero Principis arbitrio pendet; etſi ad utilitatem reipublicæ referri debeat. Ideo belli, pacis & vectigalium rationes ad ſolum Principem pertinent.

V. Eadem conditio ineſt legibus eccleſiaſticis, ut obligare non cenſeantur, donec ſint uſu receptæ. Quæ eſt frequentior ſententia Theologorum & Juriſconſultorum.

VI. Huic conditioni magis obnoxia videtur lex eccleſiaſtica quam civilis, tum, quia data in ædificationem, tum, quia Epiſcopis dominatus conceſſus non eſt, ut Regibus gentium, apud Matthæum; qui explicatur. Dominatus abdicatur illis verbis a Sacerdotibus, ex Bernardo, Origene, Nazianzeno, Hieronymo & Chryſoſtomo.

VII. Diſcrimen eccleſiaſticæ & civilis poteſtatis in hac ſpecie expenditur. Imperium regium totius reipublicæ ſalutem curat, aliquando etiam cum pernicie privata. Sacerdotium nullum premere poteſt, ut ceteros ſervet. Deinde juris dubii executionem ſummo jure urgere poſſunt Reges, non autem Epiſcopi. Pœnas lex civilis exigit a reo, ut eum perdat; lex eccleſiaſtica, ut ſervet.

VIII. Innocentius & Gelaſius requirunt conſenſum Epiſcoporum ad executionem decretorum. Galli, quadringentis abhinc annis, iis tantum legibus & canonibus ſe obſtringi putabant, qui uſu recepti eſſent. Olim omnia decreta communi ſententia ferebantur. Ideo ſaltem tacitus conſenſus hodie neceſſarius eſt, ex Cuſano.

IX. Vis conſtituendi penes ſolam Eccleſiam, ſed executio pendet a conſenſu eorum, quorum intereſt, in iis nempe, quæ diſciplinam reſpiciunt. Quæ res, cum facti ſint, prudentes ſæpe fallunt. Explicatur Concilium Triburienſe, quo non præcipitur, decreta omnino incommoda recipienda eſſe.

I. Condendarum legum auctoritatem penes Principes eſſe, nullus hodie dubitat. Olim quidem jura a populo, deinde a ſenatu conſtituebantur; quorum interpretatio reſponſis prudentum & Prætorum edictis conſtitit, donec rebus ipſis dictantibus per partes evenit, ut neceſſe eſſet, reipublicæ per unum conſuli. Igitur conſtituto Principe datum eſt ei jus, ut, quod conſtituiſſet, ratum eſſet, adeoque, quod Principi placuiſſet, legis haberet vigorem, quemadmodum docent Pomponius & Ulpianus. Imo vero, ut obſervavit Juſtinianus, *in præſenti leges condere ſoli Imperatori conceſſum eſt.* Enimvero, etſi vis imperii ſit penes Principem, tamen, cum ad ſalutem omnium, civitatis incolumitatem, vitamque hominum & quietem conditæ ſint leges, earum executione cives teneri Principibus placuit, ea conditione, ſi commodas & utiles ſuis rebus futuras populus ipſe judicaverit. *Ipſæ leges nulla alia ex cauſa nos tenent, quam, quod judicio populi receptæ ſunt,* inquit Julianus Juriſconſultus. Unde a Papiniano eleganter lex dicitur eſſe *communis reipublicæ ſponſio;* quia ſcilicet reipublicæ cives, quaſi collatis tacite ſuffragiis, ad ejus præſcriptum vitam inſtituere ſpondent. Quod a Juliano primum, & a Papiniano, qui præfecturam prætorii ſub Caracalla geſſit, uſurpatum non eſſet, nec in Digeſtorum corpus a Juſtiniano conjectum, ſi tacito illo populi judicio Principis auctoritas in aliquo infringeretur. Hauſerat quidem e Demoſthene Papinianus, legem eſſe veluti communem reipublicæ ſponſionem, ſeu mavis τῆς πόλεως κοινὴ συνθήκη, ut ſe habent verba Oratoris a Marciano Juriſconſulto relata. Sed, quod apud Demoſthenem ad rempublicam Athenienſium accommodatum erat, in qua penes populum legum ferendarum jus fuit, hoc ad Romani imperii majeſtatem retulit Papinianus; cujus dignitatem læſam non eſſe exiſtimavit, ſi tacito ſuffragio populi aliquem locum daret.

L. 1. §. noviſſime. ff. de orig. jur.

L. 1. ff. de Conſt. Princ. L. ult. C. de Legib.

Cicero l. 1. de Legib.

L. De quibus. §. 2. ff. de legibus.

L. 2. ff. eodem Demoſth. orat. 1. adverſus Ariſtogit.

II. Magna ſane in conſtitutionibus imperatoriis vigebat ſapientia & æquitas. Non enim, niſi de conſilio juriſperitorum & prudentium ferebantur, ut de Auguſto dicitur a Juſtiniano. De Alexandro Severo refert Lampridius, nullam legem ſacraviſſe ſine viginti juriſperitis & quinquaginta ſapientiſſimis diſſertiſſimiſque viris. Memorabilis eſt etiam illa cura & diligentia, quam novis legibus promulgandis Theodoſius & Valentinianus ſibi præſcripſerunt, & Juſtinianus amplexus eſt; nempe, ut, quod ſanciendum eſſet, ab omnibus antea tractaretur, tam proceribus ſacri palatii, qui conſilio Principis interſunt, quam ipſo ſenatu, atque *denuo collectis omnibus recenſeretur, & cum omnes conſenſiſſent, tunc demum in ſacro conſiſtorio recitaretur, ut univerſorum conſenſus Principis auctoritate firmaretur.* Unde non ineleganter ſcripſit Themiſtius, Anaxarchum ſecutus, Regibus aſſidere Themidem & Dicem, (quod Heſiodus de Jove dixerat) & fabulis poetarum decantatum illud, prognatam e Jovis cerebro Palladem, ad Reges traxit: quia matura conſilia de rebus propoſitis ineunt, & eorum executioni ſumma ſedulitate imminent, ut civium utilitati proſpicere poſſint. *Finis enim juſti imperii,* inquit Ammianus, *ut ſapientes docent, utilitas obedientium æſtimatur & ſalus,* quod ille hauſit e Platone: eoque reſpiciebat Pythagoricus ille apud Stobæum, qui Regem ad regnum pertinere acute & graviter ſcripſit.

Lampridius in Alexand. Sev. Initit. de Codic. init. tit.

L. 8. Humanum. C. de Legib.

Plutarchus in Alex. vita. Them. Orat. XI. Idem. Orat. X.

Ammianus lib. 29.

Plato l. 5. Polit.

Itaque, cum leges perferunt, id unum ſpectant Principes, quod communiter conducit reipublicæ, ut alicubi dictum eſt ab Ariſtotele. Unde apud Romanos olim ferendis legibus ſolennis illa clauſula adhibebatur: *Ut, ſi quid jus non eſſet rogari, rogatum ne eſſet,* id eſt, ſi quid utilitati publicæ officeret, id pro non conſtituto haberetur. Hujus formulæ ſententiam a ſuis conſtitutionibus abeſſe noluerunt Principes, qui, ut cum Juſtiniano loquar, *ſuum eſſe proprium ſubjectorum commodum imperialiter exiſtimant.* Neque ideo placita dicuntur Principum conſtitutiones, quaſi eorum arbitria ſint pro lege, quod de antiquis Regibus ſcripſit

Ariſt. l. 8. Ethic. ad Nicomed. τοῦτο γὰρ καὶ οἱ νομοθέται στοχάζονται, καὶ δίκαιον εἶναί φασιν τὸ κοινῇ συμφέρον.

Barnabas Briſſon. lib. 2. de Formul.

L. un. §. ult. C. de caduc. tollend. V. Cl. Guillelm. Maranus Anteceſſor. Tol. in com. altero de Æquit.

psit Justinus, ut nempe, quicquid libuisset, liceret, sed placita juris, quo sensu verbum quoque *Placet* usurpatur frequenter in senatusconsultis, prudentum responsis, & judicum sententiis. Quare, si rerum experientia doceat, eas leges utilitati publicæ officere, quin ab earum usu absque injuria Principis recedi possit, nemo unquam dubitabit.

Brisson. de Verb.signif. in verbo *Placet*.

III. Ex eodem fonte manat, ut legibus servandis cives suos adstringere Principes non censeantur, si statim atque publice propositæ sunt, viris sapientibus & cordatis, vel etiam ipsi universitati, earum usus parum commodus esse videatur: quia utilitas est *justi prope mater & æqui*, ut dicebat Horatius. Quare non immerito apud omnes recepta est illa Juliani sententia, quam initio protuli, ut, quod a prudentissimis viris in consistorio Principis tractatum est, etiam ipso usu & tacito populi consensu confirmetur. Hoc est, quod dicebat Leo Imperator: *Novum jus inveterato usu stabiliendum est*. Quod e veterum philosophorum doctrina haustum est, qui leges ad parendi necessitatem adigere non posse nisi ex more & consuetudine observant, ut retulit Aristoteles. Sane, si contrario usu & tacito consensu omnium leges per desuetudinem abrogantur, & non solum suffragio legislatoris, ut dicebat Julianus, ita etiam, etsi non suffragium, consensus saltem tacitus populi, qui rebus ipsis & factis constat, necessarius erit, ut leges receptæ dici possint. Hoc axioma adeo verum est, nempe legibus neminem teneri, nisi usu receptæ sint, ut Menochius celeberrimus Jurisconsultus scribere non dubitarit cum Socino, etsi lex promolgata fuerit, non præsumi usu hominum receptam & comprobatam: quia scilicet usus ille est quid facti, factum autem secundum regulas juris non præsumitur; ideoque ait, eum, qui lege nititur, adstringi ad probationem usus publici & constantis illius legis.

l. Cum de novo, C. de legib.

Arist. l. 2. Polit. cap. 6.

Menoch. l. 2. præsumpt. c. 2. n. 2. & 3. *l. In bello*, §. *facta*. ff. de captivis & postlim. reversi.

Ceterum non est, quod aliquis e trivio philosophorum colligat, ex eo, quod regni jura eorum, qui reguntur, causa sunt parata; sequi eos, qui reguntur, superiores esse Principe, qui eos regit. Si enim de Principibus agatur, qui potiuntur summo imperio, hujus argumenti vim metiri oportebit a jure tutorum. Nam tutela moribus inducta est pupillorum causa, nec eo minus tutela est jus ac potestas in pupillos ipsos. Sane tutor, si male rem pupilli administret, amoveri potest, quia magistratibus subjicitur. At in summis imperiis soli Deo Regum peccantium judicia relicta sunt; quia, ut recte inquit Marcus Aurelius, magistratus de privatis, Principes de magistratibus, Deus de Principibus judicat, quod jus αὐτοδίκαιον Regibus Francorum vindicavit Gregorius Turonensis.

Vide V. Cl. Hugonis Grotii l. 1. de jure belli & pacis c. 3. n. 8.

Gregor. Turon. laudatus c. 2. hujus libri.

IV. Quæ autem de legibus dixi, ut necessarius sit usus & tacitus populi consensus, ad eas pertinet, quæ de jure privato feruntur. Ceterum, quæ de summa republica decernuntur & de jure publico, non adstringuntur his conditionibus. Discrimen enim intercedere inter jus privatum & publicum, præter Jurisconsultos, docet etiam Aristoteles, qui summam potestatem partitur in ἀρχιτεκτονικὴν, quæ in jure ferendarum & tollendarum legum versatur, & in πολιτικὴν seu βουλευτικὴν, quæ aut publicas actiones respicit, ut pacis, fœderum, & belli, aut res ipsas, ut tributa & vectigalia; in quibus comprehenditur dominium eminens, quod habet civitas in cives & res civium ad usum publicum. Addit & δικαστικὴν, quæ res controversas inter singulos dirimit, atque per magistratus exercetur. Leges, quæ ad δικαστικὴν pertinent, & ad singulorum controversias dirimendas, egent tacito populi suffragio, ut dixi. Sed belli, pacis, fœderum, vectigalium & dominii illius eminentis arbitrium integrum ad summos Principes transcriptum est, sola populis obsequii gloria relicta. Hoc significatum voluit Samuel, ut quibusdam visum est, cum jura regis recenset; quorum usus ab arbitrio quidem Regis pendebat, sed ita tamen, ut cum utilitate publica conjunctus esset. Hic enim locum habet prudentissimum illud Platonis monitum, quod Ciceronis verbis referre malo, quam meis: *Omnino, qui Reipublicæ præfuturi sunt, duo Platonis præcepta teneant, ut, quicquid agunt, ad eam referant, obliti commodorum suorum; alterum, ut totum corpus reipublicæ curent; ne, dum partem aliquam tuentur, reliquas deserant*. Quare, cum ea tempora sæpissime incidant, in quibus aut propulsandus sit hostis, aut socii juvandi, vel aliud quid simile tentandum, & in eam rem pecuniæ parandæ sint, quas belli nervos esse dicebat Demosthenes, tum consilia rerum agendarum cum paucis communicanda sunt, ne in plures sparsa, hostibus pateant; tum pecuniarum exigendarum modus a solo Principe præscribendus est; ne, dum populi consensus expectatur, aut occasiones rei bene gerendæ prælerlabantur, aut in necessitatem adigatur Princeps publicandi consilii. Inde merito profectum est, ut Principes belli, pacis, fœderum & tributorum rationem solis sibi reddi velint. Quod sæpe civium querelas immodestas provocat, qui sibi injuriam factam putant, cum dominio illo eminenti, quod vocat Aristoteles, facultatibus singulorum ad tuendum reipublicæ corpus Principes utuntur, cum potius nunquam satis memorata Periclis sententia apud Thucydidem in uniuscujusque animo obversari deberet: *Sic existimo, etiam singulis hominibus plus eam prodesse civitatem, quæ tota recte se habeat, quam si qua privatis floreat utilitatibus, ipsa autem universim laboret. Qui enim domesticas fortunas bene collocatas habet, patria tamen eversa pereat & ipse necesse est. Contra vero, etiamsi quis in beata republica parum felix est, multo tamen facilius per illam incolumis servatur. Quare, cum civitas quidem singulorum possit sustentare calamitates, singuli autem publicas non item, quid est, cur non universim ipsi consulere ipsamque tueri oporteat, nec id facere, quod vos facitis, dum quasi attoniti jactura rei familiaris, salutem proditis reipublicæ*. Quem sensum ita expressit Livius: *Respublica incolumis & privatas res salvas facile præstat. Publica perdendo, tua nequicquam serves*.

Cicero offic. lib. 1.

V. Leges ecclesiasticæ eadem tacita conditione, qua civiles adstringuntur, scilicet, ut parendi necessitate Christianos non teneant, donec usu sint receptæ. Hæc est non solum Gallorum omnium, sed etiam celeberrimorum quorumque Doctorum sententia: quam trahunt e Gratiano, qui prolato Juliani responso subdit: *Leges instituuntur, cum promulgantur; firmantur, cum moribus utentium approbantur*. Quo videtur inclinare, Augustinus, cum scribit, de legibus temporalibus homines judicare, cum eas instituunt, sed cum fuerint institutæ & firmatæ, non licere judici de ipsis judicare, sed secundum ipsas. Hanc sententiam tuentur celeberrimi auctores Covarruvias & Navarrus. Illius hæc sunt verba: *Certum est, legem nullam vim obtinere, si ab initio recepta non fuerit a subditis, quod Aristoteles docet II. Polit. cap. VI. & probatur l. De quibus. ff. de legibus. cap. In istis. §. leges. 4. dist. ubi scribit Domi. leges a Principe dari ea conditione & intentione, ut non aliter obligent, quam si fuerint a republica receptæ. Ad idem Glossa in cap. I. de treuga & pace. gl. in l. Rem non novam. §. Patroni. C. De judiciis. Et est communis opinio. Nam & maxime præsumendum est, eam legem, quæ a republica non recipitur, minime ei convenire*. Contra nituntur plerique, qui canonicas leges & pontificias eximium aliquid præ se ferre volunt. Illi ipsi tamen auctores hoc asserere non audent, nisi eo casu, quo facilis sit & innoxia legis ecclesiasticæ executio. Nam, si aliquo pacto utilitatem publicam lædat, ab ea recipienda fideles abstinere posse non invitus fatetur Suares. Quod fere in priorem sententiam incidit.

Dist. 4.

Aug. de vera relig. c. 31.

Gerson. Tract. de vita spirit. Lect. 4. Covarruvias l. 2. Var. Resol. c. 16. n. 6. Navarr. in summa cap. 23. n. 41. Joannes Major Doctor Paris. in 4. dist. 15. q. 4. Driedo l. 1. de libert. Christian. c. 9. docum. 2. Armilla verbo *Lex*. n. XI. Angelus. Silvester.

Suares l. 4. de legib. cap. 16.

VI. Sane, si quis diligenter utrasque leges expendat, huic conditioni magis videtur obnoxia lex ecclesiastica quam civilis, duplici ratione. Prima est, quia potestas ecclesiastica conceptis verbis data est

ta est *in ædificationem, non autem in destructionem*, ut testatur Apostolus. Unde sequitur, nihil obtrudendum esse fidelibus, quod eos offendere aliquo pacto possit, atque adeo legem ecclesiasticam minus commodam pro non scripta esse habendam. Quia, ut inquit Chrysostomus, *hæc est Christianismi regula, hæc illius exacta definitio, hic est vertex supra omnia eminens, publicæ utilitati consulere*. Secunda vero ratio hæc est, quia Christus ipse discrimen utriusque potestatis in præceptis dandis auctoritate sua constituit. *Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur, vos autem non sic*, inquit ille apud Matthæum & Lucam. His verbis de legitima Regum auctoritate Christus agit, non vero de tyrannica, cum de iis Regibus loquatur, qui benefici & εὐεργέται a populis dicerentur. Et si quis abuti velit voce Græca κατακυριεύουσιν, quæ extat apud Matthæum, reponetur illi, Lucam simplici verbo κυριεύειν usum. In eo autem discrimen versatur, quod Regibus summo imperio multa peragere liberum sit, quam effusam licentiam suis Apostolis Christus adimit; ita, ut verus dominatus sit penes Reges, non autem penes sacerdotes; quorum potestas non est despotica, sed temperata, & ad populorum usum accommodata; ita, ut monarchia ecclesiastica ex aristocratico regimine sit commixta; contra quàm accidit in plerisque regnis, quæ jure optimo a Principibus possidentur. Vehemens est Bernardus & fere totus in eo, ut hanc sententiam Eugenio Pontifici persuadeat: *Nec enim tibi ille* (Petrus sc.) *dare, quod non habuit, potuit; quod habuit, hoc dedit, sollicitudinem, ut dixi, super Ecclesias. Numquid dominationem? Audi ipsum: Non dominantes in clero, sed forma facti gregis. Et ne dictum sola humilitate putes, non etiam veritate, vox Domini est in evangelio: Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Et infert: Vos autem non sic. Planum est, Apostolis interdicitur dominatus. I ergo tu, & tibi usurpare aude, aut dominans apostolatum, aut Apostolicus dominatum. Plane ab alterutro prohiberis. Si utrumque similiter habere velis, perdes utrumque.* Nec aliena est Bernardi explicatio a veterum sensu. Etenim Origenes hunc locum evangelii sic edisserit: *Principes gentium non contenti tantum regere subjectos suos, violenter eis dominari nituntur. Inter vos autem, qui estis mei, non erunt hæc. Ne forte, qui videntur habere aliquem in Ecclesia principatum, dominentur fratribus propriis, vel potestatem in eos exerceant. Quoniam, sicut omnia carnalia in necessitate sunt posita, non in voluntate, spiritualia autem in voluntate, non necessitate, sic & principes spirituales. Principatus eorum in dilectione debet esse positus, non in timore corporali.* Ex quo sequitur, leges ecclesiasticas, quæ de rebus jure naturali vel divino non vetitis ad εὐταξίαν & ordinem Ecclesiæ externum tantummodo componendum feruntur, non necessitate, sed voluntate, non timore corporali, sed dilectione subjectorum niti debere. Quod Gregorius Nazianzenus conceptis verbis testatur: *Vel maxime id lex nostra & legislator noster sanxit, ut grex non coacte, sed sponte ac libenti animo pascatur.* Possem, si pluribus testimoniis opus esset, Hieronymum quoque laudare, qui Regem nolentibus, Episcopum volentibus præesse scribit, & Chrysostomum, cujus hæc sunt verba, dum potestatem utramque composuit: *Legibus ac mandatis omnia peraguntur*, scilicet apud Principes, *hic vero nihil tale. Neque enim licet ex auctoritate præcipere.*

2. Corinth. c. 13.

Chrys. hom. 25. in priore ad Cor. τοῦτο κανὼν χριστιανισμοῦ, τοῦτο ὅρος ἠκριβωμένος αὕτη ἡ κορυφὴ ἡ ἀνωτάτω, τὸ τὰ κοινῇ συμφέροντα ζητεῖν.

Matth. 20. Luc. 22.

Vide secundam præfationem Marcæ §. 6.

Bernard. de Consid. l. 2. c. 6.

Origen. tract. 12. in Matth.

Gregor. Naz. in Apolog.

Hieron. in epitaph. Nepot.

Chrysost. in Acta Apost. hom. 3.

VII. Occurret aliquis, nos jam asseruisse, Regibus ipsis non esse liberum, invitos cives ad legem amplectendam cogere, ideoque non esse tam anxie hærendum huic discrimini inter utramque potestatem, quod hoc loco urgemus. Præterea æque licere sacerdotibus contumaciam impiorum excommunicatione plectere, ac Regibus facinorosos animadvertere gladio. Hanc difficultatem solvere oportet tam ex iis, quæ jam observavimus, quam ex iis, quæ in hanc partem distulimus, commodioris doctrinæ causa. Regium imperium a sacerdotali in eo maxime distat, quod illi non solæ singulorum civium rationes commissæ sint, sed totius reipublicæ salus, unde fit, ut in cives, etiam invitos, ad fovendum totius reipublicæ corpus, jus illi competat, quemadmodum ante dixi. Quod aliter se habet in episcopali ministerio; cui Ecclesiæ sollicitudo ita est commissa, ut singulorum saluti præcipue invigilare debeat, nec curare possit universum corpus aliquorum membrorum pernicie; sed ad exemplum magistri nonaginta novem oves deserendæ illi sunt, ut centesimam ad caulas reportet. Deinde in ipsa ratione legum ferendarum, quæ singulorum civium controversias respiciunt, Principes quidem eorum utilitatibus consulere debent, adeo, ut eos tacita conditione suis legibus obstringi nolint, nisi usu ipso constiterit, eas leges reipublicæ commodas & utiles esse. Attamen si non jure ordinario, sed summo jure agere velint, earum constitutionum executionem urgere, quæ de jure dubio feruntur, & ab invitis civibus obsequium extorquere possunt sine ulla tyrannici imperii exprobratione. Etsi enim dura sint aliquando Regum imperia, ordo ille imperandi & parendi id exigit, ut subditi dominorum mandatis cedant, quemadmodum Apostoli disertissime docuerunt. Sed in legibus ecclesiasticis, quæ jus naturale aut divinum non exsequuntur, summum illud imperium locum non habet, quo sensu accipienda sunt, quæ adduxi testimonia e Gregorio Nazianzeno, Hieronymo, Chrysostomo & Bernardo, ad loci evangelici explicationem. Quin etiam magnum discrimen intercedit inter supplicia, quæ leges publicæ contumacibus irrogant, & excommunicationes aut ceteras censuras, quibus utitur Ecclesia adversus sceleratos. Princeps enim adulterum aut cædis reum gladio plectit, id est, maleficum commerita pœna afficit, in eoque vim imperii sui ostendit. Ecclesia vero non exigit pœnam, sed morborum curationem. Itaque non infligit excommunicationem, ut mactet, sed ut pœnitenti salutem conciliet, quemadmodum diserte interpretatur alicubi Chrysostomus. Unde Theodoretus in synagoge canonum adnotavit, aliam esse rationem legum regiarum & canonum; quod illæ severas pœnas a reis exigant, hi autem errantes in viam reducere & ægris remedia parare conentur, quando peccatum est in leges evangelicas aut mores receptos.

VIII. Si quis autem de quæstione proposita, quæ fuerit sententia veterum, requirat, definiri posse videtur ex Innocentio I. & Gelasio. Etenim ille non solam editionem decretorum, quæ complexus erat epistola, quam dederat ad Alexandrum Antiochenum, sed etiam consensum Episcoporum provincialium requirit: *Ut, quæ ipse tam necessario percunctatus es*, inquit, *& nos elimate respondimus, communi omnium consensu studioque serventur.* In eandem sententiam Gelasius dixit, primam sedem exequi *uniuscujusque synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus*. Imo & Hilarius a me supra laudatus decreta ab occidente in orientem mitti consuevisse scripsit, non extorquendi assensus injuria, sed instruendæ omnium conscientiæ cognitione.

Ad hanc disputationem illustrandam non omitti debet insigne Anastasii Bibliothecarii testimonium, qui ad marginem sexti canonis septimæ synodi, ubi mentio habetur cujusdam canonis Trullani Concilii, hæc adnotavit: *Nec te moveat, si hanc definitionem nos minime habeamus, cum & earum nonnullas, quas inter canones habemus, in auctoritatem non recipiamus, sicut quasdam ex Conciliis. Aliæ namque apud Græcos tantum, aliæ vero apud certas solum provincias in observantia ecclesiastica assumuntur, sicut sunt Laodicensis Concilii 16. & 17. regulæ, quæ apud Græcos tantum servantur, necnon & Africanorum Conciliorum 6. & 8. capitula, quæ nulla*

Vide secundam præfationem Marcæ §. 6.

Paulus Rom. 13. & Petrus 1. ep. c. 2.

Chrys. hom. 15. in 2. Cor. Theodoretus in præfat. ad synagogen canonum: οὐκ αὐτὸ δεῖν ὥσπερ οἱ πολιτικοὶ νόμοι, τοὺς πλημμελοῦντας αἰκίζεσθαι.

Hinc referri possunt pleraque ex iis, quæ diximus capite superiori, & præcipue §. 8.

nulla provincia servare nisi Africana, dignoscitur. Hanc ob causam ipsi etiam Romani Pontifices in formula professionis, quæ habetur in Diurno Ecclesiæ Romanæ, spondent, se observaturos & confirmaturos *omnia decreta canonica prædecessorum apostolicorum nostrorum Pontificum, quæcunque ipsi synodaliter statuerunt & probata sunt*. Non inutiliter hæc ultima verba addiderunt. Sciebant etenim, præter constitutionem factam synodi assensu necessarium fuisse, ut tacito provinciarum consensu probaretur.

De libro diurno vide supra pag. 55.

Communem omnium seculorum sententiam etiam hac in parte secuti sunt Galli nostri; qui se solis illis canonibus teneri putaverunt, qui aut contrario usu aboliti non essent, aut qui ab initio usu recepti fuissent. Id testatur Philippus Rex Francorum in Pragmatica, qua privilegia quædam Academiæ Aurelianensi indulsit anno MCCCXII.: *Non putet igitur aliquis, nos recipere, vel progenitores nostros recepisse consuetudines quaslibet sive leges ex eo, quod eas in diversis locis & studiis regni nostri per scholasticos legi sinantur. Multa namque eruditioni & doctrinæ proficiunt, licet recepta non fuerint. Sicut nec Ecclesia recipit quamplures canones, qui per desuetudinem abierunt, vel ab initio non fuere recepti, licet in scholis a studiosis propter eruditionem legantur. Scire namque sensus, ritus & mores hominum diversorum, locorum & temporum, valde proficit ad cujuscunque doctrinam.*

Franc. Florens Antecessor meritissimus protulit hæc verba in dissert. de orig. jur. can. sub finem.

Consensus necessitatem hac etiam ratione probavit Nicolaus Cusanus, quod olim omnia disciplinæ capita decernerentur in Conciliis ex communi Episcoporum suffragio & consensu secundum formam ab Apostolis præscriptam, qui ex sua & seniorum sententia decreta de suffocato & de sanguine ediderunt. Unde sequi ait, constitutiones pontificias aut e canonibus receptis petendas, aut, si potestatem statuendi, quam summus Pontifex a Deo habet, in rebus nondum canone decisis explicare velit, *ad hoc, quod statutum ejus liget, non sufficit, quod sit publice promulgatum, sed oportet, quod acceptetur & per usum approbetur secundum superiora, & ea, quæ notantur de Constitutionibus super rubrica; ubi dicitur per Doctores, quod ad validitatem statuti tria sunt necessaria, potestas instatuente, publicatio statuti, & ejusdem approbatio per usum. Unde videmus innumera apostolica statuta etiam a principio, postquam edita fuere, non fuisse acceptata.*

Cusanus Cardinalis de concord. cath. l. 2. c. 9. 10. & 11.

IX. Quæ in contrarium afferuntur, ejusmodi sunt, ut a recepta sententia discedere non cogant. Neque enim subditis idcirco legis ferendæ potestatem asserimus, quod consensum eorum expressum vel tacitum exigamus. Quamquam enim liberam, & a nemine pendentem solvendi & ligandi auctoritatem fateamur, attamen, cum in externo regimine versatur, & se ad ea porrigit, quæ neque fidem, nec sacramenta scelerumve censuram respiciunt, tum maxime subditorum assensum exigit, in quorum ædificationem est a Christo instituta. Vis ergo & imperium legis a sola Ecclesia pendet; sed executio vim sortitur a consensu eorum, quorum maxime interest; qui sola repulsa legis satis docent, eam sibi non esse commodam. Neque est, quod aliquis aut Pontificis, aut Conciliorum privilegium illis a Christo collatum proferat: quia exceptis canonibus, qui de fide aut de morum doctrina feruntur, ceteri, qui ἀταξίαν respiciunt, & in facto versantur, (quod prudentissimos sæpe fallit) non debent summo illo non errandi privilegio censeri; maxime, cum id proprium sit legibus ecclesiasticis de disciplina latis, ut eas pro ratione temporum aut locorum mutari necesse sit, quemadmodum docet Augustinus, *ipsa plenaria Concilia sæpe priora posterioribus emendari, cum aliquo experimento aperitur, quod clausum erat, & cognoscitur, quod latebat, sine ullo typho sacrilegæ superbiæ, sine ulla inflata cervice arrogantiæ, sine ulla contentione lividæ invidiæ, cum sancta humilitate, cum pace catholica, cum charitate Christiana*. Quod autem e Gratiano profertur Concilii Triburiensis decretum, non vetat, quin Pontificum Romanorum decreta provinciarum usibus obfutura repudiari possint; sed modum quendam examini præscribit, scilicet, ut, quantum fieri potest, *etsi jugum vix ferendum sit, suscipiatur tamen ob memoriam B. Petri*. Sed, si omnino ferendum non sit, quia scilicet utilitati publicæ graviter obest, ex illo decreto sequitur, situm esse in populi potestate, ut a se jugum illud amoveat. Hæc sunt verba canonis: *In memoriam B. Petri Apostoli honoremus Romanam & apostolicam sedem; ut, quæ nobis sacerdotalis mater est dignitatis, esse debeat magistra ecclesiasticæ rationis. Quare servanda est cum mansuetudine humilitas; ut, licet vix ferendum ab illa sancta sede imponatur jugum, conferamus, & pia devotione toleremus.*

Augustinus L. 3. conf. c. 7. & ep. ad Marcellinum & l. 2. de bap. c. 3.

Concil. Tribur. c. XXX. ann. 895. Habetur apud Grat. dist. 19.

ADDITIO STEPHANI BALUZII.

Caput istud Concilii Triburiensis apud Ivonem parte V. cap. L. & Gratiannm dist. XIX. refertur ex Capitulis Caroli Magni Imperatoris. Nauclerus autem adnotat, hoc esse unum ex XXIII. legum capitulis, quæ idem Imperator, ut Sigebertus scribit, anno primo imperii sui instituit, cum per omne imperium suum legatos ad faciendum judicium & justitiam cunctis direxit. Itaque, cum decretum istud extet etiam in capite XXX. Concilii Triburiensis, quod anno DCCCXCV. habitum fuit sub Rege Arnulfo, & ex eodem Concilio laudetur a Burchardo, par est existimare, patres synodi Triburiensis illud mutuatos esse ex legibus Caroli, atque ita suam fecisse legem, quam approbaverunt. Sed utcunque se res habeat, magni momenti sunt verba istius capitis. Nam, cum auctor vellet gratificari Romano Pontifici in causis ecclesiasticæ disciplinæ, videretque hoc pacto nonnulla tentari contra consuetudines receptas, usus est eadem dexteritate, qua usus olim erat in Concilio Sardicensi Osius Cordubensis Episcopus, ut Episcoporum dejectorum appellationes ad Romanam sedem approbari procuraret ab ea synodo, nimirum adducta reverentia, quæ beato Petro sedique ejus debetur. Sed, ut res ista clarius elucescat, adferenda sunt ipsamet Osii verba ex canone tertio Concilii Sardicensis: *Quod si aliquis Episcopus*, inquit, *judicatus fuerit in aliqua causa, & putat, se bonam causam habere, ut iterum Concilium renovetur, si vobis placet, sancti Petri Apostoli memoriam honoremus, ut scribatur ab his, qui causam examinarunt Julio Romano Pontifici*. Hujus juris novam esse institutionem, Marca probat ex his verbis in lib. VII. cap. III. & VIII. ubi observat, Osium non dicere, confirmandam esse antiquam traditionem, quemadmodum fieri consuevit in negotiis, quæ renovatione tantum aut observatione indigent. Sic in capite isto, quod explicandum suscepimus, auctor ait, servandam esse cum mansuetudine humilitatem, ut, licet vix ferendum ab illa sancta sede imponatur jugum, feratur tamen ob memoriam beati Petri Apostoli, ob quam honoranda est Romana & apostolica sedes. Sic in Concilio Remensi adversus Arnulphum cap. XXVIII. Arnulphus Aurelianansis Episcopus dixit: *Nos vero, reverendissimi patres, Romanam Ecclesiam propter beati Petri memoriam semper honorandam decernimus, nec decretis Romanorum Pontificum obviare contendimus; salva tamen auctoritate Nicæni Concilii, quod eadem Romana Ecclesia semper venerata est*. Eadem prudentia usus est Bonifacius sedis apostolicæ per Germaniam Legatus, cum Episcopos in legatione sua consistentes jurejurando adegit polliceri subjectionem Romano Pontifici, aliaque nonnulla tentavit contra priscum morem. Quod adeo gratum fuit Romanis auribus, ut nuntiis a Bonifacio missis, qui de rebus istis certiorem facerent Romanam Ecclesiam, maxima gratulatio facta fuerit. Testatur id ipsemet Bonifacius in epistola centesima quinta, quæ data est ad Cudbertum Cantuariensem Archiepiscopum, in qua hæc leguntur: *Decrevimus autem in nostro synodali conventu, & confessi sumus, fidem catholicam & unitatem & subjectionem Romanæ Ecclesiæ fine tenus vitæ nostræ velle servare, sancto Petro & Vicario ejus velle subjici, synodum per omnes annos congregare, Metropolitanos Pallia ab illa sede quærere, & per omnia, præcepta Petri canonice sequi desiderare, ut inter oves sibi commendatas numeremur. Et isti confessioni universi consensimus & subscripsimus, & ad corpus sancti Petri principis Apostolorum direximus. Quod gratulando clerus & Pontifex Romanus suscepit*. Hanc formulam sequens ætas servavit in professionibus Episcoporum, ut patet ex formula XIII. in appendice tomi secundi Conciliorum Galliæ, quæ sic habet: *Beato vero Petro & Vicario ejus debitam subjectionem & obedientiam, suffraganeis vero nostris adjutorium me exhibiturum profiteor*. Quin etiam in formula juramenti, quod Episcopi præstare tenentur Pontifici Romano, Gregorius VII. ejus inventor retinendum putavit beati Petri nomen ob reverentiam nominis apostolici. Extat in regesto Gregorii VII. & in libris Decretalium. Vide Notas ad Capitularia Caroli M. pag. 1055.

CA

CAPUT XVII.

De jure Gallicanæ ecclesiæ, canones examinandi, an utiles sint ecclesiæ, & recipiendi.

SYNOPSIS.

I. Ad quorum curam pertineat novæ legis examen. Docetur hoc competere, in Gallia, Ecclesiæ Gallicanæ. E Concilio Turonico, quo Siricii & Innocentii decreta de cælibatu recipiuntur, cum exceptione, quod attinet ad privationem communionis. Et canones apostolici non admissi olim ab Ecclesia Gallicana.

II. Septima synodus explosa est a Concilio Francofordiensi, ob quæstionem de imaginibus. Verborum sono, non autem re ipsa discrepabant. E perversa interpretatione Latina verborum Constantini Episcopi natum præcipue *dissidium. Gallicana Ecclesia de recipienda synodo œcumenica deliberat. Quod locum habet maxime, quando per legatos non adfuit Concilio, quod observat Anastasius.*

III. Multi canones octavæ synodi non sunt statim recepti ab Ecclesia Gallicana, quod adversi essent antiquis moribus regni.

IV. Hoc jure expendendorum canonum usa est Ecclesia Gallicana in conventu Bituricensi.

V. Non solum Ecclesiæ Gallicanæ, sed etiam Regis consensus necessarius est ad executionem publicam *novorum canonum. Episcopi de legis æquitate disceptant: Princeps de reipublicæ tranquillitate. Consilium Burgundiæ Ducis, ne quid novi constituatur in regno absque consensu Regis. Qua ratione receptus non est in Gallia liber sextus Decretalium.*

VI. Concilii Basileensis decreta legis publicæ vim non habuerunt, donec regia lege firmata sunt. Concilii Tridentini definitiones fidei admissæ edicto regio. Sed decreta disciplinæ non servantur, nisi quatenus eorum sententia in constitutiones regias transcripta est. Inquiritur breviter in causas non admissorum Concilii Tridentini decretorum; idque totum a prudentia Regum pendere ostenditur.

VII. Antiqua illa Gallorum opinio de necessitate publicationis & acceptationis tam Ecclesiæ Gallicanæ, quam Regis, confirmata est Concordatis.

I. NUnc discutiendum restat, ad quorum curam pertineat examen illud, an nova lex ecclesiastica sit utilis vel noxia. Quod uno verbo explicari potest; nempe, ad eos pertinere, quorum interest legem ferri aut non ferri, ideoque ad Ecclesiam Gallicanam in Gallia, id est, ad Episcopos & ceteros e clero, qui conventibus publicis interesse solent.

Rem satis apertam uno aut altero exemplo confirmabimus. Siricii & Innocentii I. decretales epistolas, quæ Sacerdotibus & Diaconis uxorum usum ita interdixerunt, ut contumaces a communione abstinerent, Ecclesia Gallicana non statim admisit in eo capite, quo a communione pelluntur, sed rem totam initio ita temperavit, ut officio suspensis communione concessa ad altiores gradus adscendendi spes adimeretur. Quod probatur canone secundo Concilii Turonici primi, habiti anno CDLXI. *Et licet a patribus nostris emissa auctoritate id fuerit constitutum, ut, quicunque Sacerdos vel Levita filiorum procreationi operam dare fuisset convictus, a communione dominica abstineretur, nos tamen huic districtioni moderationem adhibentes, & justam constitutionem mollientes, id decrevimus, ut Sacerdos vel Levita conjugali concupiscentiæ inhærens, vel a filiorum procreatione non desinens, ad altiorem gradum non ascendat, neque sacrificium Deo offerre vel plebi ministrare præsumat. Sufficiat his tantum, ut a communione non efficiantur alieni.* Integram tamen Siricii & Innocentii constitutionem absque ulla exceptione vel indulgentia suscepit synodus Agathensis anno quingentesimo sexto. Eadem libertate usus est Ecclesia Gallicana in non admittendis canonibus apostolicis, etiam post editam a Dionysio Exiguo collectionem suam, ut demonstratur libro III. cap. 4. §. 3. *Syn. Agath. cap. 9.*

II. Secunda Nicæna synodus, (quæ sub Hadriano Pontifice Nicææ primum coacta literis Constantini Imperatoris & Irenes ejus matris, deinde Constantinopolim translata, utriusque urbis nomine a scriptoribus Constantinopolitana vel Nicæna dicitur) ab Ecclesia Gallicana in Concilio Francofordiensi repudiata est. Cujus dissensionis occasio inspicienda est; & quid inde ad theorematis nostri probationem trahi possit, sincere colligendum. Convenerunt anno DCCXCIV. regni Francorum & Italiæ Episcopi in urbe Francofordiensi, apostolica Adriani I. auctoritate & jussione Caroli Regis congregati. Proposita est sacro conventui synodus Nicææ habita; quam illi œcumenicam dici posse negarunt, quod occidentis provinciæ per epistolas more ecclesiastico sententiam rogatæ non fuissent. Imo synodum omnino exploserunt, quod imaginibus divinum cultum ab ea decretum existimarent, non quidem aperta definitione, sed conniventia. Ita enim indignationem suam canone secundo expresserunt: *Allata in medium quæstio de nova Græcorum synodo, quam de adorandis imaginibus Constantinopoli fecerunt; in qua scriptum habebatur, ut, qui imaginibus sanctorum, ut Deificæ Trinitati, servitium aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur. Qui supra sanctissimi patres nostri omnimodis adorationem & servitutem renuentes contempserunt, atque consentientes condemnaverunt.* Hanc damnationem secutus est liber a Carolo Rege ad Hadrianum Pontificem missus, cujus meminit Hincmarus: quo libro synodi Nicænæ acta discutiuntur, & docetur, eam esse Gallorum sententiam, ut imaginum usus in Ecclesiis retineatur quidem, sed nemo eas cogatur adorare. De hoc dissidio egerunt viri eruditi: quod mihi semper visum fuit ita componendum, ut dicamus, verborum sono tantum Græcos a nostris, non re ipsa, dissensisse, cum illi venerationem tantum *τιμητικὴν* sive *honorariam* imaginibus tribuerent. Quod verbum e foro in Ecclesiam transtulit Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus, origine ducta a magistratibus, qui non erant in actu rerum, sed *honorari* tantum. Quod ceteri Græcorum Theologi, qui dialectica locutione utebantur, ita expresserunt, ut *συνωνύμως*, seu mavis *æquivoce*, imagines coli dicerent generali illo *προσκυνήσεως* aut adorationis vocabulo, quod omnia venerationum genera complectitur, & a materia, seu mavis objecto, modum recipit. Quare scholion illud, quod adjectum erat ad textum Exodi in eo codice veteris testamenti, qui servabatur in patriarchio Constantinopolitano, summo applausu exceptum est a patribus in actione quinta septimæ synodi, cujus scholii hæc sunt verba: *At vero, si facimus similitudines Christi, non ut similitudinem adoremus, sed ut mens videndo ad superiora volet.* Quod omnino concinit cum iis, quæ Gregorius Magnus docuit in epistolis ad Serenum Massiliensem Episcopum; quem sequi velle & Gallicani Episcopi, & Hadrianus in apologetico ad Carolum profitebantur. Non est autem, quod aliquis miretur a Concilio Francofordiensi tam alienam sententiam Nicænæ synodo affingi, ut par imaginibus honor cum eo, qui defertur sanctæ Trinitati, ab ea decretus fuisse dicatur. Neque enim abscisse hoc a synodo decretum fuisse affirmari poterat, cum in fidei definitione a patribus edita ex majorum traditione usus imaginum confirmetur tanquam utilissimus ad renovandam *προτοτύπων μνήμην* seu recordationem, & earum imaginum sola honoraria veneratio, ei similis, quæ codici evangeliorum & vasis sacris defertur, diserte sanciatur, *non autem vera latria, quæ divino Numini competit*, ut conceptis

Hincmarus opusc. cap. 19. cujus temporibus nondum erat admissa a Gallis septima synodus.

In definitione fidei act. VII. Nicen. synod. *τιμητικὴν προσκύνησιν ἀπονέμειν.*

Conc. Nic. act. V. Cosmas legit scholion: *εἰ δὲ ποιοῦμεν ὁμοίωμα τοῦ Χριστοῦ, οὐχ ἵνα τῷ ὁμοιώματι προσκυνῶμεν, ἀλλ' ἵνα ὁ νοῦς διὰ τοῦ ὁρᾶν ἀναπτερωθῇ.*

Gregor. l. 7. ep. 109. l. 9. ep. 9.

Definitio fidei act. VII. *καὶ ταύταις ἀσπασμὸν, καὶ τιμητικὴν προσκύνησιν ἀπονέμειν, οὐ μὴν τὴν κατὰ πίστιν ἡμῶν ἀληθινὴν λατρείαν, ἣ πρέπει μόνῃ τῇ θείᾳ φύσει.* Act. 8.

ceptis verbis synodus profitetur. Ea definitio præsente synodo (quæ Nicæa Constantinopolim jussu Principum translata erat, unde synodi Constantinopolitanæ nomen accepit) coram Constantino Augusto & Irene ejus matre relecta est, & totius synodi acclamationibus & Principum subscriptionibus confirmata. Quare Concilium Francofordiense non repudiavit definitionem septimæ synodi, (quod observatione dignum mihi videtur) sed, quod *scriptum habebatur*, ut loquitur Concilium, nempe in actis septimæ synodi, scilicet honorem Deo debitum imaginibus esse tribuendum. Non est autem, quod dubitemus quin Synodus Francofordiensis sibi persuaserit, illam blasphemiam actis insertam fuisse. Hoc autem profectum est, ut docet liber Caroli, quod verba Constantini Constantiæ Cypri Episcopi, quasi in eo sensu prolata essent præsente & non refragante Nicæna Synodo, Galli nostri interpretati sint. *Infauste*, inquit Carolus, *& præcipitanter sive insipienter Constantinus Constantiæ Cypri Episcopus dixit: Suscipio & amplector honorabiliter sanctas & venerandas imagines, & quæ secundum servitium adorationis, quæ substantiali & vivificatrici Trinitati emitto.* Huic reprehensioni respondet quidem Hadrianus, sed Constantini lapsum non excusat; quamvis aliam fuisse mentem synodi Nicænæ, ex definitione fidei doceat, quæ divinum cultum soli Deo asserit. Mihi autem ipsa Constantini verba perpendenti, & Latina, prout a Carolo prolata sunt, cum Græcis comparanti, constat vitio interpunctionis & barbaræ interpretationis accidisse, ut contraria sententia a Concilio Francofordiensi Constantino affingatur. Verba enim illa, *suscipio & amplector honorabiliter sanctas imagines*, participiis expressa sunt in Græco contextu, & a prioribus pendent. Deinde sequitur altera pars pericopæ, quæ divinum cultum soli Trinitati vindicat. Integer autem locus e Græco ita efferendus est: *Cum in nulla sententiæ parte alienas esse videam, quæ nunc lectæ sunt, literas ab oriente missas ad Tarasium sanctissimum Archiepiscopum & Patriarcham œcumenicum ab ea definitione fidei, quam ipse antea professus fuerat, ego etiam indignus his consentio, & ejusdem sum sententiæ, suscipiens & honorarie amplectens sanctas & venerabiles imagines. Et adorationem secundum latriam soli supersubstantiali & vivificæ Trinitati impendo.* Itaque, præter ceteras causas, vitium unius interpunctionis & ineptæ interpretationis occidentis Episcopos ad explodendam Nicænam synodum præcipue adegit. Quod imputari non debet Gallicanis Episcopis, nec dolo Iconoclastarum; quos, ut Gallis imponerent, falsa Nicænæ synodi exemplaria supposuisse vir illustr. Bellarminus & plerique omnes existimarunt. Sed vitium illud tribuendum est interpreti, qui Græcam illam synodum Latine verterat jussu Adriani I. de cujus interpretis imperitia conqueritur Anastasius Bibliothecarius, qui secundam interpretationem aggressus est tempore Joannis VIII. *Interpres*, inquit, *pene per singula, relicto utriusque linguæ idiomate, adeo est verbum e verbo secutus, ut, quid in eadem editione intelligatur, aut vix, aut numquam possit adverti, in fastidiumque versa legentium pene ab omnibus hac pro causa contemnatur.* Discussa occasione, quæ Gallicanos Episcopos & Carolum Regem ad repudiandam synodum Nicænam per errorem facti movit, id tantum ex eo colligi velim, * Reges Franco-

Carolus M. in capitulari de non ador. imag. lib. 3. c. 17.

Hadrian. in apolog. ad Calum.

Syn. Nic. act. III. δεχόμενος καὶ ἀσπαζόμενος τιμητικῶς τὰς ἁγίας καὶ σεπτὰς εἰκόνας.

Κἀγὼ ὁ ἀνάξιος τούτοις συντίθημι, καὶ ὁμόφρων γίνομαι, δεχόμενος καὶ ἀσπαζόμενος τιμητικῶς τὰς ἁγίας καὶ σεπτὰς εἰκόνας, καὶ τὴν κατὰ λατρείαν προσκύνησιν μόνῃ τῇ ὑπερουσίῳ καὶ ζωαρχικῇ τριάδι ἀναπέμπω.

Anastasius in vita Hadriani.

Idem Anastasius Præfatione in septimam synodum.

*Vide quæ imperite & invi-

rum cum Gallicana Ecclesia eam facultatem sibi arrogasse, ut de synodis recipiendis vel rejiciendis disceptatio sibi libera esset, præsertim, si per legatos suos rebus gerendis non interfuissent. Qua ratione usus est Anastasius, cum de synodi Trullanæ Constantinopoli habitæ canonibus loquitur, quos a ceteris patriarchalibus sedibus repudiatos fuisse, docet; *nimirum, quia nulla earum, cum ederentur, aut promulgans, aut consentiens, aut saltem præsens inventa est.*

diose adversus ista scripsit Christ. Lupus tom. 2. pag. 1258. quem refutavit P. Hallix in dissertatione de septima synodo p. 43. Idem Anast. in Præfat.

III. Octava synodus, quæ sub Hadriano secundo coacta est Constantinopoli, canones aliquot edidit, qui a Gallicanis Episcopis non videntur statim recepti. Etenim Hincmarus Episcopus nunquam eorum meminit in epistolis suis, & Ademarus monachus Engolisinensis laudatus a Pithœo quædam contra veteres canones illic decreta fuisse observat. Plane (*) mores in Gallia receptos & jura regia variis canonibus videtur synodus illa petivisse. Etenim Principum suffragia ab electionibus Episcoporum arcet canone XII. cum tamen absque Regis consensu, etiam post octavam synodum, electiones in Galliam non fierent. Episcopos omnes sistere se Concilio Patriarchæ jubet canon XVII. neque Principum jussu impediri; cum tamen a regno discedere & synodo interesse absque consensu principis vetitum esse Gallicanis Episcopis doceat Hincmarus, & plerique auctores post octavam synodum. Eodem canone vetatur, ne synodus fiat præsente Principe, quod moribus Gallorum adversabatur, qui Synodos in palatio ut plurimum celebrabant, etiam sub Carolo Calvo post octavam synodum. Electiones Episcoporum soli clero, expulsis laicis, asserit canon vigesimus secundus. Sed populum habuisse suas partes in electionibus usque ad seculum undecimum, omnibus notum est.

Vide lib. 6. c. 15. §. 2.

Pithœus in Præfat. ad Histor. miscell.

Vide lib. VI. c. 28. §. 15.

IV. Hoc jure expendendorum canonum usa est Ecclesia Gallicana in Conventu Bituricensi a Carolo VII. Rege Francorum indicto. Etenim cum a Legatis Concilii Basileensis, quod apud Gallos tunc Concilii generalis nomine censebatur, Ecclesiæ Gallicanæ congregatio rogaretur, *ut decreta & statuta ejusdem sacri Concilii recipere, acceptare & observare, observarique facere vellet, decrevit præfata sancta congregatio decreta ipsa visitare ad sciendum, si, quæ essent simpliciter recipienda, & quæ cum certis modificationibus seu interpretationibus acceptanda, congruere viderentur utilitati & moribus Regni & Delphinatus prædictorum. Quibus decretis diligenter matureque inspectis ac visitatis, censuit eadem sacra congregatio, plurima ex ipsis decretis & statutis recipienda, cum certis tamen, licet paucis, modificationibus.*

Probat. Libert. Eccles. Gallic. pag. 534.

V. Non solum autem Gallicanæ Ecclesiæ consensus expectandus est, ut novi canones vigeant, sed Regi quoque ea sollicitudo maxime incumbit. Cum enim pars nobilissima regii muneris in tuendis canonibus & receptis moribus versetur, & antiqui patres eum ordinem secuti fuerint, ut a Principibus confirmationem rerum definitarum postularent, præjudicio suo id Principibus arrogasse videntur, ut novæ leges executioni publicæ mandari non possint, si eorum consensu expresso vel tacito destituantur, etsi fortasse quamplurimis Ecclesiæ Gallicanæ proceribus acceptæ fuerint. Neque obstat, quod objici posset, quemadmodum in abroganda lege per novæ consuetudinis usum sufficit,

(*) Vir his virtutibus lenioribus, quas in homine probo commendat Tullius, modestia nimirum, temperantia & justitia ornatus Christianus Lupus, ut ejus scripta satis ostendunt, acriter & infenso atque inimico animo istic insurgit in Marcam, quod ausus sit scribere, octavam synodum mores in Gallia receptos & jura regia variis canonibus petivisse, verba ista inquiens indigna esse homine Archiepiscopo. Et quia Marca statim annotavit ex Hincmaro, non licere Episcopis a regno discedere absque permissu Regis, quod est certissimum & usu receptum, non solum in Gallia, sed apud omnes ubique nationes, Hincmarum, quem alibi malo animo comparat cum Marca & Photio, propterea vocat secundum Dioscorum & novum Pharaonem, sicut alibi Carolum cognomento calvum vocat secundum Sennacherib ac novum Pharaonem. Si isto argumentandi genere uti liceret, satis vastum & amplum campum insurgendi adversus Lupum nobis aperirent ejus lucubrationes. Sed ista nobis, qui literarias controversias civilius tractamus, non conveniunt. Illud tantum dicemus paucissimis omnino verbis, nihil esse facilius, quam ostendere, ea omnia esse verissima, quæ istic Lupus ait esse falsissima.

Tom. 2. pag. 1334.

Ibid. pag. 1341.

ficit, ut major pars populi in eam consuetudinem consenserit, ita etiam sufficere, ut novæ leges receptæ videantur, si numero vincant, qui earum utilitatem commendant. Etenim diversa est ratio Principis & Episcoporum. Illis enim de novæ legis æquitate disceptare liberum erit. Sed de juribus regni, & de civium tranquillitate, quæ novitate illa fortasse concuteretur, solus Princeps decernit vi illius juris divini, quod ei tuitionem canonum & consuetudinum antiquarum asseruit; præsertim, si legibus suis aut decessorum moribusque receptis canones illos adversos esse videat. Hoc est satis antiquum imperii Gallici arcanum; de quo retinendo monuit graviter Philippum IV. Regem Odo Dux Burgundiæ. *Consulimus etiam vobis*, inquit, *quod nullo modo patiamini, quod aliquis in regno vestro aliquid novum instituat, quod temporibus prædecessorum vestrorum institutum non fuerit, vel ordinatum, vel usitatum.* De novis Bonifacii VIII. & ceterorum Pontificum constitutionibus loquitur. Quibus in Gallia locus non fuit ob dissidium Regis cum Pontifice, ut observat glossator Joannes Andreas in cap. *Generali. De electione, in Sexto.* Ubi relato divortio Bonifacii & Philippi ob jura Regalium, hæc addit; *Ideo secundum aliquos constitutiones istius compilationis non fuerunt receptæ in hoc regno propter istam controversiam*, (*) Quæ verba recisa sunt ab editione Romana. Ceterum plurimæ decretales hoc sexto libro comprehensæ hodie vigent in judiciis, & frequenter apud summa curiarum tribunalia a causidicis laudantur.

VI. Duobus exemplis recentioribus regiæ auctoritatis consensus necessarius esse probatur: quorum alterum e Concilio Basileensi, alterum e Tridentino petitum est. Ecclesiæ Gallicanæ precibus & monitis sollicitatus Carolus VII. quæ de recipiendis Concilii Basileensis decretis tractata fuerant, consilio cum proceribus habito, postquam omnia æquitati congruere vidisset, celebri illa Pragmatica sanctione confirmavit, vimque & robur legis publicæ Concilii Basileensis capitibus addidit. Quod eo sensu accipiendum est, ut eorum decretorum vigor non ab eo tempore, quo Basileæ edita fuerant, sed a die promulgatæ Pragmaticæ sanctionis obtineret, quemadmodum edicto suo Princeps invictissimus constituit anno millesimo quadringentesimo quadragesimo. Concilii Tridentini definitiones fidei admissæ sunt edicto publico, quod ea de re latum est anno 1579. Sed decreta, quæ disciplinam respiciunt, non servantur in Gallia, quia lege Principis destituuntur: quamvis præcipua capita, quæ Gallicanæ Ecclesiæ receptos mores & jura antiqua non infringunt, comprehensa sint constitutionibus regiis, quæ hac de re variis temporibus editæ sunt. Quod gratum & acceptum fuisse summo Pontifici Clementi VIII. testatur Henricus Magnus felicis memoriæ Princeps in rescripto anni MDCVI.

Ceterum nemo est in Gallia hodie, cui non perspectæ sint regiæ auctoritatis partes in canonum a Conciliis decretorum editione, cum frequentissime totius cleri Gallicani conventus Concilii Tridentini promulgationem a Regibus nostris supplicibus libellis postulaverit, ea lege, ut imperio suo ea capita exciperent, quæ moribus regni, id est, libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ adversarentur. Quorum desideriis Principes, toto hoc negotio sæpe in consilium prudentissimorum virorum relato, se accommodare non potuerunt. Quod non ita interpretari oportet, ac si contumaci animo ejus Concilii communionem respuerent, quam in negotio fidei sanctissime colunt. Quin potius eam sententiam amplexi sunt studio tuendæ libertatis Ecclesiæ Gallicanæ, quæ in quamplurimis capitibus hujus Concilii decretis pessumdatur. Eam perniciem non admissis synodi constitutis amoliri tutius esse duxerunt, quam receptæ semel auctoritati, quæ pondere suo delicata ingenia premere posset, exceptionibus quibusdam jura Gallici imperii subducere. Sane legatorum ab Henrico II. & Carolo IX. ad synodum missorum de regia dignitate imminuta conquerentium secessio non admittendæ synodi consilium juvit; existimantibus nostris hoc non alienum esse a vetere disciplina, de qua dictum §. II. Qua in re exemplum Joannis VII. sequendum putarunt, qui anno DCCV. canones sub sextæ synodi nomine in Trullo a Græcis editos, quibus Romanæ Ecclesiæ consuetudines quædam convelluntur, suscipere renuit, etsi per legatos Justinianus Rhinotmetus Imperator id a Pontifice suppliciter contenderet, arbitrio permisso, ut, quos vellet, canones expungeret. Non compono invicem Trullanam synodum, quæ a Beda erratica dicitur, & inconsulto Romano Pontifice habita est, cum Tridentino Concilio, quod apostolicæ sedis auctoritate legitime est indictum & habitum, sed prudentiam Joannis VII. cum Regum nostrorum providentia; qui tanto cautius juribus suis consulere debent, quanto minus illis in canones licet quam Romano Pontifici, cujus est rebus definitis τὸ κῦρος & auctoritatem interponere. Ex eo est, quod Anastasius Bibliothecarius factum Joannis hac in parte non probet, quem a canonum emendatione *humana fragilitate timidum* cessasse scribit, quamvis a recentioribus hæc repulsa inter præclara Joannis facinora adscribatur. Itaque Concilii Tridentini publicatio dilata est ad concordiam alendam: quæ, si alia ætate alios mores postulet, integrum erit Regibus nostris ea de re, quæ usui futura erunt, decernere.

Anastasius in vita Joan. VII. de Justiniano: *Qui illico, ut palatium ingressus est, propriumque adeptus est imperium, tomos, quos antea sub Domino Sergio apostolicæ memoriæ Pontifice Romam direxerat, in quibus diversa capitula Romanæ Ecclesiæ contraria scripta inerant, per duos Metropolitanos Episcopos demandavit, dirigens per eos & sacram, per quam denominatum Pontificem conjuravit ac adhortatus est, ut Apostolicæ Ecclesiæ Concilium aggregaret, & quæque ei visa essent, stabiliret, & quæ adversa, renuendo excluderet. Sed hic humana fragilitate timidus, hos nequaquam tomos emendans, per supradictos Metropolitas direxit ad Principem.*

VII. Aliquis fortasse existimare posset, tria illa capita, quæ hucusque variis probationibus & testimoniis vera esse ostendimus de necessitate promulgandarum & usu recipiendarum legum ecclesiasticarum, deque regii consensus adstipulatione, apud nos quidem haberi indubitata, sed hanc sententiam a Romanis Pontificibus nunquam fuisse approbatam, & in earum opinionum censum redigi debere, quæ inter ambas potestates sunt controversæ. Sed præterquam, quod excipere possum de gravium auctorum numero, tam theologiæ, quam juris peritorum, qui constanter horum axiomatum veritatem profitentur, saltem, quod attinet ad necessitatem edendæ & recipiendæ legis, qui nulla censura hac in parte perstricti sunt, id unum observasse sufficiet ad Ecclesiæ Gallicanæ rationes constituendas, hanc sententiam, quam asseruimus, Concordatis esse confirmatam. Invaluerat, ante pacta illa publica, hæc opinio in regno, decreta Conciliorum vel Pontificum legis vim per Gallias non obtinere, donec discussa & recepta fuissent ab Ecclesia Gallicana, & regii consensus auctoritate munita, quemadmodum docent conventus Bituricensis & Pragmaticæ sanctionis verba, pluribusque probant Guillelmus Benedictus & Aufrerius, qui commentarios suos ante Concordatorum pactionem ediderunt. Huic sententiæ Gallorum Leo X. ultro se accommodavit, ipsaque Concordata post publicationem & acceptationem tantum vim suam habitura consensit, specialiter regiæ *acceptationis* mentione habita, mandataque Francorum Regibus Concordatorum executione. Quare, cum ea pactio per modum contractus inita sit, omniaque & singula contractuum verba ad amussim observanda sint ex utraque

Guillelm. Bened. in c. Raynutius, in verbo *& uxorem*. n. 233. & seqq. Aufrer. in rep. Clem. *Notab.* X. de offic. ord.

(*) QUÆ VERBA RECISA SUNT] Non ideo tamen culpam commiserunt Correctores Romani, neque Carolus Molinæus, qui primus hanc clausulam exemit ex glossa libri sexti Decretalium. Recte sane. Non est enim Joannis Andreæ, cum non reperiatur in antiquis illius exemplaribus manuscriptis. Primus illam addidit Helias Regnier. Sed tamen Correctores non omnino extra culpam sunt. Qui enim casum Domini Heliæ, ut ipsi annotant in margine, non omiserunt, videntur eadem ratione non debuisse omittere additionem ejusdem Heliæ, quæ antecedit. Melius Molinæus, qui & additionem & casum Heliæ resecavit in sua editione.

utraque parte, nullum superest dubium, quin opinio de publicationis & acceptationis, regiique consensus necessitate inter cetera Concordatorum capita referri debeat; præsertim, cum *particula quæque* hujus pactionis bona fide custodiri debeat, ut ibi cautum est.

§. de firma & irrevoc. Concord. stabil.

LIBER TERTIUS.

CAPUT PRIMUM.

Quid sint ecclesiæ Gallicanæ, quid libertas earundem?

SYNOPSIS.

I. Quid sit libertas Ecclesiæ Gallicanæ, libro tertio differitur. Unde fluxerit appellatio Ecclesiæ Gallicanæ. Variæ provinciæ in unum Diœceseos corpus compactæ. Permissa synodorum Diœceseos congregatio. Inde factum, ut Episcopi ab invicem per Diœceses sive regionum tractus distincti sint. Unde Episcopi Gallicani, id est, Diœceseos Gallicanæ. Gallicanæ Ecclesiæ apud Hilarum Papam.

II. Ecclesia Gallicana apud Gregorium Magnum; quæ deinceps ab omnibus scriptoribus celebrata. Aliquando regiam dignitatem significatione sua complectitur.

III. Quid sit libertas illius Ecclesiæ. Variæ significationes libertatis ecclesiasticæ proponuntur; quæ significat in evangelio liberationem a peccato & a lege Mosaica, scriptoribus ecclesiasticis libertatem conveniendi, vel aliquas immunitates personarum & rerum.

IV. Libertas constituta est a Felice III. in eo, ut Ecclesia sinatur uti legibus suis in causis Dei.

V. Hanc libertatem extendit Gregorius VII. ad capita politiæ in dissidio cum Henrico. Ecclesia libertate donata a Christo non debet subjici servituti. Ex consilio Goffridi vitanda est discordia, cum agitur de libertate Ecclesiæ, vel de regni consuetudine.

VI. Libertas Ecclesiæ constituitur a synodo Ephesina in observatione canonum & consuetudinis antiquæ. Explicatur species canonis Ephesini de Joanne Antiocheno Patriarcha, qui Metropolitani Cyprii ordinationem sibi asserebat. Verba canonis nove expenduntur, & docetur, ad ceteros etiam Patriarchas pertinere.

VII. Inde haustum nomen libertatis ecclesiasticæ apud Gallos. Quod magnopere invaluit tempore Caroli VI. cum Ecclesia schismate vexata variis oneribus premeretur. Quo sensu dicatur a Christo collata Ecclesiæ. Hæc libertas clericis & laicis indulta. Res & nomen libertatis Ecclesiæ Gallicanæ vigebat tempore B. Ludovici. Antea dicebatur libertas canonica.

VIII. An libertates istæ recte dicantur privilegia. Jura eximia Ecclesiarum πρεσβεῖα dicuntur in synodo Nicæna: quæ privilegia *reddit interpres. Qua voce usi summi quoque Pontifices & Leo Imperator. Primatus quoque Romani Pontificis dicitur Privilegium. Hæc privilegia dicuntur canonica. Cur ea privilegiis apostolicæ sedis augeri vellent Episcopi Gallicani, ex Hincmaro. Ambigua vox privilegii minus frequentem ejus usum reddit in hoc negotio.*

I. ORdo rei, quam tracto, nunc a me postulat, ut hoc libro tertio edisseram, quid libertas Ecclesiæ Gallicanæ significet. Quod recte præstari non poterat, donec jacta essent illa fundamenta, de quibus hucusque actum est. Duo capita his verbis continentur, quæ discutere sit operæ pretium, nempe quid Ecclesiæ Gallicanæ, & quid libertatis nomine intelligatur. Quibus dispositio veteris Ecclesiæ nondum perspecta est, Ecclesiæ Gallicanæ appellatio displicet, quasi membrum aliquod a reliquo corpore avulsum significaret. Sed observandum est, episcopatus Christiani unitatem non dividi, etsi per plures provincias spargatur: quia omnes Ecclesiæ & nexu charitatis & officio communionis cathedræ principali beati Petri conjunguntur. Porro Ecclesiæ per provincias ab Apostolis ad exemplum imperii divisæ, in unum Diœceseos corpus coaluerunt. Diœcesim cum dico, eo sensu eam dictionem usurpo, quæ tunc in civili & ecclesiastica administratione locum habebat, scilicet pro tractu quodam & diversarum provinciarum collectione, quæ Præfecto prætorio aut ejus Vicario parebat. Occidentis imperium sex & aliquando plures hujus generis complectebatur: quarum una erat Diœcesis Galliarum, XVII. provinciis constans. Primi omnium Valens, Gratianus & Valentinianus Imperatores Episcopis unius Diœceseos ad exemplum judicum & honoratorum concesserunt, ut non solum in singularum provinciarum synodis, sed etiam in generali totius Diœceseos synodo in unum corpus jure ordinario, sine mandato speciali, coire possent. Quod egregie probatur e lege inserta Codici Theodosiano, cujus hæc sunt verba: *Qui mos est causarum civilium, iidem in negotiis ecclesiasticis obtinendi sunt; ut, si qua sint ex quibusdam dissensionibus levibusque delictis ad religionis observantiam pertinentia, locis suis & a suæ Diœceseos synodis audiantur.* Hujus loci sensum scholio suo Anianus perturbavit, cum synodum Diœceseos pro uniuscujusque Episcopi conventu capi existimavit. Absurde, ut dixi, cum integræ & solidæ Diœceseos synodum hic pro more imperii intelligi oporteat. Has Diœceseon & regionum synodos Concilium Constantinopolitanum aliquot annis postea (scilicet anno CCCLXXXI.) canone suo confirmavit. Ex ea Diœceseon divisione manavit mos, ut illi Episcopi non amplius provinciis tantum distinguerentur, sed Diœcesibus, & Conciliis Diœceseon. Inde frequens mentio Episcoporum Illyrici, Italiæ, Hispaniæ & Africæ. Inde etiam Galliarum, seu mavis *Gallicani Episcopi* passim occurrunt, etiam ante constitutas synodos generales Diœceseon: quia scilicet extraordinario Principum imperio in unum conventum aliquando cogebantur. Cujus rei probationem petere possumus e Concilio Parisiensi anni CCCLXII. cujus epistola synodica ad orientales Episcopos, damnatum a se fuisse Concilium Ariminense & Saturninum Episcopum Arelatensem, docet his verbis: *Saturninum excommunicatum ab omnibus Gallicanis Episcopis charitas vestra cognoscat.* Concilii etiam Gallicani meminit synodus Illyrici habita anno CCCLXVII. iis literis, quas ad synodum Asianam dedit; quibus testatur, se omnino eadem sentire de fide cum duobus Conciliis; quorum *alterum Romæ, alterum habebatur in Gallia.* Et ne singula testimonia singillatim persequendo tædium lectoribus adferam, sufficiet observasse, *Galliarum* Episcopos, aut *Gallicanos*, seu *per Gallias constitutos*, a Pontificibus Romanis dici eos, qui Galliarum Diœcesi continerentur, & a ceteris Diœcesibus Occidentis, scilicet Hispaniæ, Africæ, Italiæ & Illyrici, distinguerentur; ut videre est in Concilio Taurinatensi, & in epistolis Zosimi, Cœlestini, Novella Valentiniani, Leonis & Gelasii epistolis. Meminit etiam Gallicanarum Ecclesiarum Hilarus Papa anno CCCCLXII.

Vide supra l. 1. c. 3. §. 2. & seqq.

L. 13. C. Theodosiano, de Ep. & Cleric. Vide infra lib. 6. c. 16. §. 2.

Theodor. l. 4. cap. 8. ὑμεῖς φρονοῦμεν ὡς καὶ αἱ σύνοδοι νῦν ἥ τε κατὰ Ῥώμην, καὶ ἡ κατὰ Γαλλίαν.
Conc. Taurin. in præf. an. 397.
Zosimus ep. 5. & 6. an. 317.
Cœlest. ep. an. 431.
Nov. Valent. an. 445.
Leo ep. 52. 95. an. 452.
Gelasius ep. 12. an. 494.
Hilarus ep. 6.

II. Obscurius deinde Gallicanæ Diœceseos nomen fuit; quia ob diversa Francorum, Burgundionum, Wisigothorum, & Italiæ regna, in plures partes discerpta fuit. Emersit tamen felicioribus auspiciis sub Ecclesiæ Gallicanæ appellatione, ut eam vocavit Gregorius Magnus in epistola ad Augustinum Anglorum Episcopum: *Sed mihi placet*, inquit, *ut sive in Romana, sive in Gallicana, sive in qualibet Ecclesia aliquid invenisti, quod plus omnipotenti Deo placere possit, sollicite eligas.* Gratianus legit *Gallicorum*; sed apud Ivonem extat vera lectio, *Gallicana*. Ab omnibus deinde scriptoribus celebratum est Ecclesiæ Gallicanæ nomen:

Apud Grat. cap. *Novit.* 12. dist.

Ivo Decreti p. 2. c. 80.

nomen: quo uſi ſunt paſſim, non ſolum noſtri Fulbertus & Ivo Carnotenſes Epiſcopi, Sugerius Abbas, Arnulphus Lexovienſis, Stephanus Tornacenſis, ſed etiam exteri, Otto Friſingenſis, Joannes Sariſberienſis, Thomas Cantuarienſis, Matthæus Paris, & ipſi Summi Pontifices in decretalibus ſuis Alexander & Innocentius III. quorum teſtimonia laudata ſunt a viris eruditis. Porro Eccleſia Gallicana non ſolum epiſcopalem, ſed etiam aliquando ipſam regiam dignitatem complectitur, ut monui capite primo libri ſecundi. Eo ſenſu accipiendus eſt auctor vitæ ſancti Bernardi, cum Innocentium ſecundum a Gallicana Eccleſia ſuſceptum ſcribit, quod factum fuit convocato a Rege Stampenſi Concilio, in quo Bernardi monitu damnatus eſt Anacletus Antipapa de ſententia Regis, Epiſcoporum, & regni procerum.

Tom. I. Libert. Eccleſ. Gallic. a p. 647. ad p. 660.

Bern. Abbas in vita S. Bern. l. I. c. I. *Rex & Epiſcopi, cum Principibus.* Vide lib. 6. c. 31. §. 4.

III. Supereſt, ut perſpiciamus, quid ſibi velit famoſa illa Eccleſiæ Gallicanæ libertas. Quæ diſputatio, ut manifeſtior evadat, a capite eſt arceſſenda. Libertas Eccleſiæ in varias ſignificationes diffunditur pro temporum & rerum diverſitate. Ac Chriſtianorum quidem omnium libertatem aliquando complexa, duo quædam ſignificat, & liberationem a peccato apud Joannem: *Si vos filius liberaverit, vere liberi eritis*, & a Moſaicæ legis rigida obſervatione apud Paulum. Hic enim, poſt expoſitum libertatis hujus typum in Sara & Agar, concludit ad extremum: *Non ſumus ancillæ filii, ſed liberæ. Qua libertate igitur Chriſtus vos liberavit, in ea ſtate, & nolite rurſus jugo ſervitutis contineri.* Deinde liberam conveniendi ad cultum Dei & ad ſynodos facultatem, & munerum immunitatem ab Imperatoribus conceſſam Euſebius, Optatus & ceteri antiquiores libertatem Eccleſiæ vocavere. Unde tandem effectum, ut privilegia clericis aut eccleſiis a Principibus indulta *libertates* dicerentur; ut videre eſt paſſim in Capitularibus Regum, & in tabulis antiquis. Quin & privilegia monaſteriis conceſſa, quibus ab Epiſcoporum juriſdictione eximerentur, libertates monaſteriorum dicebantur; ut patet ex Marculfo, & ex ipſis libertatum tabulis; & apud recentiores Græcos eodem ſenſu dicuntur monaſteria libera, ſive ἐλεύθερα καὶ αὐτεξούσια in Conſtitutione Alexii Comneni. Sed de libertatis illo genere, quo perſonarum & rerum immunitas Eccleſiis conceſſa continetur, tomo ſecundo copioſe diſputabitur.

Joan. c. 8.

Galat. c. 4.

IV. Succedit alia libertatis eccleſiaſticæ ſignificatio, quam a Felice III. primum aſſertam Gregorius VII. ad plures articulos extendit, ut mox dicam. Sed prius expendenda eſt Felicis ſententia; qui libertatem in eo conſtituit, ut Eccleſia ſinatur uti legibus ſuis in cauſis Dei. Agebatur de Petro Alexandrino Epiſcopo ob hæreſim Eutychianam damnato, & de Acacio Conſtantinopolitano, quem Felix a communione ſua repulerat, quod abſque ſedis apoſtolicæ mandato Petrum anathemate ſolviſſet. Legatis ob eam rem in urbem regiam miſſis a Zenone violatis, Felix de contumelia illata conqueritur, ſuadetque Principi, ut acquieſcat damnationi Petri & Acacii. *Puto*, inquit, *quod vobis ſine ulla dubitatione ſit utile, ſi Eccleſiam catholicam veſtri tempore principatus ſinatis uti legibus ſuis, nec libertati ejus quemquam permittatis obſiſtere, quæ regni vobis reſtituit poteſtatem*, (ſcilicet Baſiliſco tyranno ab orthodoxis repulſo) *Certum eſt enim, hoc rebus veſtris eſſe ſalutare, ut, cum de cauſis Dei agitur, juxta ipſius conſtitutum regiam voluntatem ſacerdotibus Chriſti ſtudeatis ſubdere, non præferre, & ſacroſancta per eorum præſules diſcere potius, quam docere, Eccleſiæ formam ſequi, non huic humanitus ſequenda jura præfigere, neque ejus ſanctionibus velle dominari, cui Deus voluit clementiam tuam piæ devotionis colla ſubmittere; ne, dum menſura cœleſtis diſpoſitionis exceditur, eatur in contumeliam diſponentis.* Totum locum conſulto deſcripſi; quia graviter officii ſui Principes admonet, ne, cum de fidei negotiis agitur, auctoritate ſua, quæ in Eccleſiæ ſubſidium illis data eſt, decretis apoſtolicæ ſedis renitantur, atque ita ſibi humanarum rerum faſtigium noverint eſſe commiſſum, ut tamen ea, quæ divina ſunt, per diſpenſatores divinitus attributos percipienda non ambigant.

Felix ep. ad Zenon. Auguſt. edita a R. P. Sirmondo in App. Cod. Theodoſ. pag. 128.

Diſt. 10. c. 3. *Certum eſt.*

V. Certiſſima eſt ergo regula, quam Felix præſcribit, libertatem Eccleſiæ in eo verſari, ut legibus ſuis utatur in cauſis Dei. Sed Gregorius VII. eam libertatem ad certa quædam diſciplinæ capita extendit. Unde factum, ut ſacerdotium & imperium inter ſe commiſſa ſint, populique Chriſtiani in Europa diriſſimis & diuturnis bellis lugubriter attriti, cum Gregorius pro libertate Eccleſiæ reſtituenda, & Henricus Imperator pro juribus Imperii retinendis contenderent. Libertas a Gregorio vindicata Principes ab epiſcopatuum inveſtituris arcebat; quæ deinde porrecta fuit ad eas immunitates ſignificandas, quæ omnem omnino in perſonas & res eccleſiaſticas auctoritatem Principibus adimunt. Gregorius VII. in diſſidio cum Henrico paſſim libertatem Eccleſiæ obtendit: *Nobilius eſſe dignoſcitur, multo tempore pro libertate ſanctæ Eccleſiæ decertare, quam miſere ac diabolice ſervituti ſubjacere.* Eadem ſententia Paſchalis II. reſpondit, apud Sugerium, legatis Henrici, qui inveſtiturarum uſum retinere volebat, *Eccleſiam pretioſo ſanguine Jeſu Chriſti redemptam, & liberam conſtitutam, nullo modo ancillari oportere.* Goffridus Vindocinenſis multus eſt in ea controverſia; & commendat libertatem Eccleſiæ, quam profectam contendit a Chriſto, hac collectione, quæ fortaſſe laborat vitio ſynonymiæ: *Quando Eccleſia ſeculari poteſtati ſubjicitur, quæ ante domina erat, ancilla efficitur, & quam Chriſtus Dominus dictavit in cruce, & quaſi propriis manibus de ſuo ſanguine ſcripſit, chartam libertatis amittit. Hanc enim libertatis chartam Chriſtus vindicavit in cruce, & ſuæ ſponſæ Eccleſiæ per ſemetipſum dedit; ut homines alios per peccatum factos diaboli ſervos ipſa libera liberos & Dei filios faceret & ſuos, qui ſibi diligenter ſervirent, & tanquam bonæ matri devoti filii humiliter obedirent.* Attamen ſapienter monuit idem Goffridus, his contentionibus minui libertatem Eccleſiæ, ideoque maxime cavendum, ne nimis præfracte exigatur: *Nam Rex & Romanus Pontifex, cum unus contra alium, alter pro regni conſuetudine, alter pro Eccleſiæ libertate, erigitur, regnum illam conſuetudinem obtinere non poteſt nec poterit, & Eccleſia ſuæ libertatis amittit plurimum.* Infra: *Habeat Eccleſia ſuam libertatem; ſed ſummopere caveat, ne, dum nimis emunxerit, eliciat ſanguinem, & dum rubiginem de vaſe conatur eradere, vas ipſum frangatur.*

Greg. L. 9. ep. 3.

Sugerius in vita Ludovici.

Goffridus in opuſculis, ad Callixtum Papam, cap. 6.

Cap. 4.

VI. Imminuta eſſet libertas Eccleſiæ, ſi a Principum ſecularium imperio libera, ab Epiſcopis iniqua ſervitute premeretur. Quare Synodus Epheſina œcumenica libertatem Eccleſiæ in veterum canonum & antiquæ conſuetudinis obſervatione collocavit adverſus Antiochenum Patriarcham, cum de Cypriis Epiſcopis controverſia incidiſſet. Etenim Joannes Antiochenus poſt obitum Troili Epiſcopi Conſtantiæ, quæ urbs erat metropolitana inſulæ Cypri, ordinationem ejus Eccleſiæ uſurpare moliens, literas a Dionyſio Duce orientis ad Præſidem Cypri & clerum Conſtantienſem impetravit, quibus præceptum erat clero, ut ab ordinatione Epiſcopi abſtineret, donec judicio ſynodi Epheſinæ, quæ tunc temporis cogebatur, Eccleſiæ Conſtantienſi proſpectum fuiſſet. Id ſcilicet Joannes a Concilio ſe impetraturum ſperabat, ſi res integræ forent, ut libera ſibi metropoleos Cypri ordinatio permitteretur, quia Cyprus erat una e quindecim provinciis Diœceſeos orientalis, quæ a Nicæna ſynodo Antiocheni Epiſcopi adminiſtrationi creditæ fuerant. Qua ratione fultus Alexander Antiochenus jam olim Innocentio I. retulerat, Cyprios Epiſcopos fatigatos Arrianæ impietatis potentia, cujus virus Epiſcopos Antiochenos invaſerat, non tenuiſſe Nicænos canones in ordinandis ſibi Epiſcopis, & *uſque adhuc*

habere præsumptum, ut suo arbitratu eos ordinent, neminem consulentes. Sed Innocentius persuasit tantum Cypriis, ut curarent juxta canonum fidem unum cum ceteris sentire provinciis. Atque hoc pacto contentionem non diremit, quamvis aliter visum fuerit eruditis. Quippe Nicæna synodus ita privilegia Antiochenæ Ecclesiæ in orientem integra servavit, ut nihil de privilegiis Metropolitanorum detraheret. Episcopi Cyprii Ephesum accedunt, ut Joannis Antiocheni novos conatus repellant. Electum a se Rheginum in locum Troili docent, & suæ provinciæ privilegia secundum Nicænos canones servari postulant. Synodus Ephesina prudenti interlocutione docuit, Nicænam canonem utriusque partis votis suffragari, sed causæ jugulum in eo esse, an ex veteri more Antiochenus Cyprios Episcopos ordinarit. Quod illi nunquam factum magna contentione asserunt, sed a synodo provinciæ perpetuo Metropolitanum constitutum fuisse. Itaque Decretum editum est, quo novus ille conatus Antiocheni Episcopi reprimitur, & Cypriis Episcoporum ordinationes ex veteri consuetudine adjudicantur secundum canones. Observandus autem est modus loquendi, quo tentata innovatio contra canones & mores antiquos dicitur a synodo omnium libertatem attingere: quia scilicet exemplum illud trahi potuisset in consequentiam ad perniciem omnium provinciarum. Quare generaliter constituit synodus: *In aliis etiam Diœcesibus & provinciis servetur, ut nullus Episcoporum aliam provinciam occupet, quæ antea & ab initio sub sua vel antecessorum suorum potestate non fuerit; sed &, si quis occupaverit, vel per vim sibi subegerit, ipsam restituat, ne patrum canones prætereantur, neve sub sacerdotii prætextu mundanæ potestatis fastus irrepat; ne clam paulatim libertas amittatur, quam nobis donavit sanguine suo Dominus noster Jesus Christus omnium hominum liberator*. Unde patet, non adversus solum Antiochenum Patriarcham, sed etiam adversus ceteros Patriarchas constitutum, ne plus sibi licere præsumant in suis Diœcesibus, quam sit illis & canone & veteri consuetudine concessum. Diœcesis dictio regiones & tractus provinciarum Patriarchis subditos significat, ut monui. Quo sensu hic accipi ex eo manifestum est, quod canon Diœcesibus provincias subjungat. *Istud autem*, inquit, *in aliis Diœcesibus & in omnibus provinciis servetur*. Quare Theodoretus in Synagoge canonum, titulo primo, canonem istum synodi Ephesinæ notavit, ut probaret, Patriarchis non licere provincias invadere.

Innocent. in Decret. c. 46.

Conc. Ephes. can. 8. προσ͂ημα περὶ τοὺς ἐκκλησιαστικοὺς θεσμοὺς καὶ τοὺς κανόνας τῶν ἁγίων πατέρων, καὶ τῆς πάντων ἐλευθερίας ἁπτόμενον.

Conc. Ephes. d. c. 8. ἵνα μὴ τῶν πατέρων οἱ κανόνες παραβαίνωνται, μηδὲ ἐν ἱερουργίας προσχήματι ἐξουσίας τῦφος κοσμικῆς παρεισδύνηται, μηδὲ λάθωμεν τὴν ἐλευθερίαν κατὰ μικρὸν ἀπολέσαντες, ἣν ἡμῖν ἐδωρήσατο τῷ ἰδίῳ αἵματι ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς, ὁ πάντων ἀνθρώπων ἐλευθερωτής.

Theodoretus in Synagoge canonum tit. 1. relatus l. 1. c. 3. §. 7.

VII. Hinc profectum est, ut Ecclesia Gallicana nomen libertatis ecclesiasticæ usurpaverit, cum adversus nova Pontificum decreta, aut novos Episcoporum conatus, vel etiam secularis potestatis illicitam usurpationem de antiquis canonibus aut moribus excipit. Quidam novitium nomen apud nos esse putant, quo a tempore Regis Caroli VI. tantum usi fuerimus. Certum quidem est, tunc magnopere celebratum fuisse nomen illud libertatis, cum tempore schismatis Romani Pontifices dignitati suæ in partes dissipatæ præsidiis undique conquirendis intenti, Ecclesiam novitatibus quamplurimis vexarent, gratiis, expectativis, episcopatuum & abbatiarum reservationibus, annatis, & aliis hujusmodi. Quæ tempestas Concilium Ecclesiæ Gallicanæ eo impulit anno MCCCCVI. & MCCCCVIII. ut a Rege regni sui Ecclesiam & viros ecclesiasticos *ad suam libertatem antiquam & juris communis dispositionem* restitui peteret. Unde patet vera & genuina definitio hujus libertatis ex sensu Ecclesiæ Gallicanæ; ut sit nempe *usus antiqui juris communis*. Inde frequentissime usurpatum fuit in constitutionibus regiis, in actis comitiorum regni, in curiarum supremarum judiciis, & in cleri Gallicani conventibus nomen illud *libertatis Ecclesiæ Gallicanæ*. Sed non est, quod intra illud tempus usurpationem hujus nominis coerceamus. Etenim anno MCCCLXXXV. idem Carolus constitutione illa celeberrima, quæ curiæ Romanæ Cardinalium varias exactiones inhibuit, eo proposito id a se decerni testatur, ut *Ecclesia regni sui*, inquit, *in pace & tranquillitate sedeat, in franchisia & libertate propagetur, attento, quod Dominus noster Jesus Christus Ecclesiam tanta voluit libertate gaudere, ut nullius utilitatis obtentu subjici debeat servituti*. Libertatem a Christo Ecclesiæ indultam trahit in argumentum, exemplo Concilii Ephesini: quia scilicet Christiani a jugo legis Mosaicæ liberati, novis præceptorum inutilium sarcinis non debent onerari. Quare, cum hæc libertas æque laicis ac clericis competat, libertas Ecclesiæ Gallicanæ ad utrumque gradum laicorum & clericorum pertinebit, ut Philippus IV. Rex Francorum recte urgebat in disceptatione cum Bonifacio VIII. antequam ab invicem dissiderent: quamvis fateatur, a Pontificibus & Regibus libertates quasdam clericis specialiter fuisse concessas, quæ tamen jus regium tollere non debeant. Unde monui superiore libro, libertatem Gallicanam, si ad integrum Ecclesiæ Gallicanæ corpus referatur, quod ex regia & episcopali dignitate constat, utriusque ministerii jura complecti. Eo sensu rescriptis regiis bullarum executio conceditur solenni illa formula, quod nihil adversum juribus & libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ contineat, id est, nec privilegiis canonicis Ecclesiarum, nec juribus regiis. Sane reticere non debeo, quod valde commendabit usum harum libertatum; nempe a B. Ludovico Rege Christianissimo nomen & rem ipsam libertatis Ecclesiæ Gallicanæ restituta fuisse. De re ipsa nemo dubitat, cum edicto illo celeberrimo caverit, ut Ecclesia regni sui administretur *secundum dispositionem juris communis, sacrorum Conciliorum Ecclesiæ Dei, & statutorum sanctorum antiquorum patrum*. Nomen autem extat in iis literis, mense Aprili datis anno MCCXXVIII. quibus immunitates Episcoporum provinciæ Narbonensis aliorumque confirmat & auget his verbis: *Ludovicus Dei gratia Rex Francorum universis Baronibus, Vasallis fidelibus suis, Ballivis, & bonis villis in Arelatensi, Narbonensi provincia, & Ruthenensi, Caturcensi, Aginnensi & Albigensi diœcesibus constitutis. De magnorum & prudentum virorum consilio statuimus, quod Ecclesia & viri ecclesiastici in terris illis constituti, libertatibus & immunitatibus utantur, quibus utitur Ecclesia Gallicana, & eis plene gaudeant secundum consuetudinem Ecclesiæ memoratæ*. Ante ista tempora libertas canonica dicebatur in Gallia usus canonum, nulla vi vel impressione externa imminutus; ut constat e privilegio concesso Ecclesiis provinciæ Burdigalensis a Rege Ludovico juniore anno millesimo centesimo trigesimo septimo. Sed debilitata in ceteris regnis canonum auctoritate, ut significaretur, apud nos aliquam partem canonicæ libertatis retineri, libertatis Ecclesiæ Gallicanæ speciale nomen inductum est.

Vide librum VI. cap. IX. & seqq.

Edicta Caroli VI.

Constitutio Caroli VI.

In actis inter Bonif. & Philippum pag. 21.

Edictum B. Ludovici anno 1268.

Constitutio B. Ludovici, quæ ad calcem hujus capitis edetur integra.

Privilegium Ludovici junioris, de quo vide librum 8. cap. 27. §. 2.

VIII. Quæri solet, an libertates istæ recte privilegia dicantur. Attigit hanc quæstionem Leschasserius, qui erudite observat, synodum Nicænam provincialium Ecclesiarum eximia jura πρεσβείων nomine complexam fuisse, quæ Dionysius Exiguus *privilegia* vertit: *Similiter apud Antiochiam ceterasque provincias privilegia serventur Ecclesiis*. Quo etiam verbo usum fuisse veterem interpretem animadverti. Ceterum ad Leschasserii observationem addendum est, ante Dionysium Leonem Pontificem Metropolitarum dignitatem privilegii nomine passim cohonestasse; quem sequuntur Hilarius & Gelasius, Hormisda, Gregorius Magnus, Joannes VIII. Leo IX. Gregorius VII. quorum locis exscribendis non est quod immorer. Quin etiam Leo Imperator privilegium Metropolitanum & Patriarchicum vocat jura sedium, seu Patriarchalium, seu Metropolitanarum. Imo vero ipse primatus Romani Pontificis privilegium dicitur a Leone primo, Gelasio, Nicolao, ceterisque Pontificibus. Quæ jura eximia

Syn. Nic. c. 6.

L. 16. C. de sacros. Eccl.

mia ideo privilegia dicuntur, quod ceterarum Ecclesiarum juribus præcellant, & a Christo ipso, ab Apostolis, aut a synodis sint olim indulta. Unde ab Hincmaro & ceteris Ecclesiæ Gallicanæ Episcopis privilegia a canonibus decreta dicuntur, verbis e Leone I. petitis; scilicet, ut in eo differant a privilegiis, quæ a Principibus, aut etiam a Summis Pontificibus concessa erant Ecclesiis. Quo vero proposito Metropolitani Episcopi privilegia canonica privilegiis apostolicæ sedis augeri vellent, docet idem Hincmarus in epistola ad Nicolaum: *Privilegia autem sedis apostolicæ non ideo petii, ut mihi non sufficeret, quod sacri canones & decreta sedis Romanæ Pontificum cuique metropoli sedi concedunt, & nec alia vel amplius, quam Ecclesiæ Remorum collatum est, ex antiquo mihi largiri specialiter petii, neque appeto. Sed, quia non solum diœcesis, sed etiam parœcia mea inter duo regna sub duobus Regibus habetur divisa, & res mihi commissæ Ecclesiæ sub multorum Principum potestate conjacere videntur, de quibus nihil aut parum utilitatis Ecclesia nostra potest habere, quia veteres constitutiones jam pro vili apud quosdam habentur, his novis decretis carnales & animales homines territi quiddam reverentius contra Ecclesiam indignitati meæ commissam agerent.* Ceterum quando Reges sub tempus inaugurationis suæ sacramenta præstabant Episcopis & regni proceribus, juxta formulam, quam conceperat Hincmarus, *privilegii canonici* tuitionem se pollicebantur impensuros. De quo sacramento dicam libro IV. cap. IX. §. VI. Itaque cum privilegii significatio ambigua sit, & ad privilegium canonicum aut pontificium trahi possit, constitutiones & rescripta Principum fere semper ab ea dictione abstinent; ne fortasse, quod jure ipso competit Ecclesiæ Gallicanæ, precario tantum concessum fuisse videatur, & cum iis privilegiis confundatur, quæ a sede apostolica Regibus nostris in quampluri-mis capitibus ecclesiasticis indulta sunt. Satis aliunde fit observantiæ singulari, quæ Romanæ sedi debetur, si ejus beneficio & novis privilegiis antiqua jura seu privilegia canonica confirmata, & aliquando amplificata fuisse dicamus; ne quis nobis jurium antiquorum usum, ac si in apostolicæ sedis injuriam usurpatus fuisset, merito exprobrare possit, vel animi ingrati vitium, si collata beneficia reticeamus.

Leo ep. 54. *Privilegia Ecclesiarum, sanctorum patrum canonibus instituta, & venerabilibus Nicænæ synodi fixa decretis, nulla possunt improbitate convelli, nulla novitate mutari.*

Hincmarus ep. ad Nicol. edit. Paris.

Vide lib. 6. c. 7. §. 4.

ADDITIO STEPHANI BALUZII.

TAnti momenti est constitutio illa B. Ludovici, data pro libertate ecclesiastica, cujus mentio fit in §. VII. hujus capitis, ut visum sit, eam heic integram exhibere ex authentico, quod extat in archivo Archiepiscopi Narbonensis, unde a me descripta est anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo nono. Scio quidem, editam illam fuisse a clarissimis viris Catello, Duchesnio & Dufresnio. Sed tam multis illic mendis scatet, ut vel ob hoc ipsum nova ejus editio procurari debeat.

LUDOVICUS DEI GRATIA FRANCORUM REX *universis civibus Narbonensibus & aliis fidelibus suis per Narbonensem diœcesim constitutis salutem & dilectionem. Cupientes in primis ætatis & regni nostri primordiis illi servire, a quo regnum recognoscimus, & id, quod sumus, desideramus ad honorem ipsius, qui nobis culmen dedit honoris, quod Ecclesia Dei, quæ in partibus vestris longo tempore fuit afflicta & tribulationibus innumeris conquassata, in nostro dominio honoretur & feliciter gubernetur. Vnde de magnorum & prudentum consilio statuimus, quod Ecclesiæ & viri ecclesiastici in terris constituti prædictis libertatibus & immunitatibus utantur, quibus utitur Ecclesia Gallicana, & eis plene gaudeant secundum consuetudinem Ecclesiæ memoratæ. Et quia hæretici longo tempore virus suum in vestris partibus effuderunt, Ecclesiam matrem nostram multipliciter maculantes, ad ipsorum extirpationem statuimus, quod hæretici, qui a fide catholica deviant, quocunque nomine censeantur, postquam fuerint de hæresi per Episcopum loci vel per aliam ecclesiasticam personam, quæ potestatem habeat, condemnati, indilate animadversione debita puniantur. Ordinantes etiam & firmiter decernentes, ne quis hæreticos receptare vel defensare quomodolibet, aut ipsis favere aut credere quoquo modo præsumat. Et si aliquis contra prædicta facere præsumpserit; nec ad testimonium, nec ad honorem aliquem de cetero admittatur, nec possit facere testamentum, nec successionem alicujus hereditatis habere. Omnia bona ipsius mobilia & immobilia, quæ sint ipso facto publicata, decernimus ad ipsum vel ad posteritatem ipsius nullatenus reversura. Statuimus etiam & mandamus, ut Barones terræ, & Ballivi nostri, & alii subditi nostri præsentes & futuri solliciti sint & intenti terram purgare hæreticis & hæretica fœditate. Et præcipientes, quod prædicti diligenter & ipsos investigare studeant & fideliter invenire; & cum eos invenerint, præsentent sine moræ dispendio personis ecclesiasticis superius memoratis; ut eis præsentibus de errore & hæresi condemnatis, omni odio, prece, pretio, timore, gratia & amore postpositis, de ipsis festinate faciant, quod debebunt. Verum, quia honorandi sunt & muneribus provocandi, qui ad inveniendum & capiendum hæreticos sollicite diligentiam suam exercent, statuimus & volumus & mandamus, ut Ballivi nostri, in quorum balliviis capti fuerint hæretici, pro quolibet hæretico, postquam fuerit de hæresi condemnatus, usque ad biennium solvant duas marchas integre capienti, post biennium autem unam. Sane, quia ruptarii solent devastare ac demoliri terram prædictam, & quietem Ecclesiæ & ecclesiasticorum virorum turbare, statuimus, ut omnino, ruptariis illis expulsis, pax perpetuo servetur in terra; ad quam servandam dent omnes operam efficacem. Ad hæc, quia claves Ecclesiæ consueverunt in terra illa contemni, statuimus, ut excommunicati vitentur secundum canonicas sanctiones. Et si aliqui per annum contumaciter in excommunicatione perstiterint, ex tunc temporaliter compellantur redire ad ecclesiasticam unitatem; ut, quos a malo non retrahit timor Dei, saltem pœna temporalis compellat. Vnde præcipimus, quod Ballivi nostri omnia bona talium excommunicatorum mobilia & immobilia post annum capiant, nec eis aliquo modo restituant, donec prædicti absoluti fuerint & Ecclesiæ satisfactum; nec tunc etiam, nisi de nostro speciali mandato. Decimæ sane, quibus fuit Ecclesia longo tempore per malitiam inhabitantium defraudata, statuimus & ordinamus, quod restituantur Ecclesiis; & amplius laici decimas non detineant, sed eas Ecclesias libere habere permittant. Hæc statuta inviolabiliter servari jubemus. Mandantes, quod Barones & Vasalli & bonæ villæ jurent ista servare, Ballivis nostris ad hoc executoribus deputatis: qui infra mensem, postquam fuerint in balliviis constituti, publice & in loco publico & die solemni jurent, quod hæc servabunt & facient ab omnibus bona fide servari. Quod si non fecerint, pœnam bonorum omnium & corporis poterunt formidare. Noveritis etiam, quod ista statuta sic volumus observari, quod etiam, quando frater noster terram tenebit, jurabit hoc servare, & quod faciet a suis fidelibus observari. Vt autem hæc statuta firma & inconcussa permaneant, ea sigilli nostri munimine fecimus communiri. Actum Parisiis anno gratiæ MCCXXVIII. mense Aprilis.*

De ruptariis vide Marcam lib. 6. hist. Benearn. c. 14.

Hanc Ludovici constitutionem mirifice laudat Innocentius IV. in literis ad Reginam Franciæ scriptis anno MCCL. quæ a nobis editæ sunt in appendice Conciliorum Galliæ Narbonensis tit. XIX. Ejusdem executionem quoad excommunicatos præcipit Concilium apud Valentiam in Gallia celebratum anno MCCXLVIII. cap. XIII.

Jam, cum in §. 2. hujus capitis adnotatum sit, Ecclesiæ Gallicanæ nomen celebratum esse ab ipsis summis Pontificibus Alexandro III. & Innocentio III. discedere ab hoc loco non possum, quin Innocentii IV. auctoritatem addam ex ejus literis ad Archiepiscopum Narbonensem & Episcopum Helenensem datis Perusii VIII. Kalendas Augusti anno MCCLII. quæ extant in eodem archivo Archiepiscopi Narbonensis, & a nobis editæ sunt in additione ad cap. XVIII. libri VIII. harum dissertationum: *Ad aures nostras Ecclesiæ Gallicanæ querela perferente pervenit, quod nonnulli regni Francorum Barones, Ballivi, Præpositi, ac eorum & aliorum nobilium ejusdem regni Officiales eandem Ecclesiam contra libertatem ipsius graviter comprimentes, &c.*

CAPUT II.

De fundamento libertatis ecclesiæ Gallicanæ, executione Canonum, & prima eorum collectione.

SYNOPSIS.

I. Libertas Ecclesiæ Gallicanæ non solis antiquis canonibus constat, sed jure canonico e canonibus & decretalibus temperato. Instituitur refutatio eorum, qui libertatem genuinam in solo usu veterum canonum collocant. Ut res manifestior fiat, agendum breviter de antiquis & recentioribus juris canonici collectionibus. Ecclesia Romana ante Innocentii primi tempora nullis canonibus utebatur, præterquam Nicænis, ex Innocentio.

II. Canonum collectiones ab oriente in occidentem manarunt. Ideo de iis prius agendum. Vetustissima collectio est illa, quæ canonum apostolicorum nomine inscribi-

inscribitur. Eos canones apostolicos vocant Constantinus Imperator, synodus CP. sub Nectario, Concilium Ephesinum, Theodosius & Justinianus.

III. Synodus Nicæna & Antiochena, Athanasius & Basilius eos laudant sub nomine antiquorum canonum.

IV. Numerus octoginta quinque canonum olim receptus in oriente.

V. Indagatur tempus hujus collectionis; quæ anterior synodo Nicæna, sed posterior videtur anno CCLVIII. Firmilianus Cesareæ Episcopus iis usus non est ad probandam consuetudinem, quæ vigebat in oriente repudiandi hæreticorum baptismi. Conjicitur post synodum Iconii ea de re habitam initum fuisse consilium edendæ hujus collectionis sub nomine Clementis Romani & Apostolorum, ut Stephano summo Pontifici opponeretur Petri Apostoli auctoritas, & traditiones scripto complecti, ne revocarentur in dubium. Ea collectio utitur mense Hyperberetæo, quo utebatur oriens.

VI. Respondetur objectioni, quæ trahi posset e canone XLVI. quo damnatur baptismus hæreticorum. Orientalium fuit hæc sententia, etiam post synodum Nicænam; sed per indulgentiam illum baptismum recipi debere, ex Basilio.

VII. Quo tempore migraverit in occidentem hæc collectio. Gelasius eam rejecit, ut apocrypham. Post aliquot annos Dionysius Exiguus eam Latina interpretatione donavit. Ut locus esset aliquo pacto decreto Gelasii, quinquaginta tantum canones vertit, ceteris omissis. Discutitur ejus dictum, videri Pontifices Romanos constituta aliquot ab iis canonibus traxisse.

I. Libertatem Ecclesiæ Gallicanæ canonum & juris communis executione contineri diximus. Sed jus illud commune varie sumi potest. Aliud est enim jus commune antiquissimum, quod antiquos canones & decreta Pontificum complectitur; aliud jus commune, quod illis canonibus & præterea decretalibus recentioribus Pontificum constat, prout apud nos usu recepto temperatæ sunt. Hoc ultimo jure libertatem Ecclesiæ Gallicanæ contineri contendimus, non autem primo. In quo longissime recedimus a Leschasserii sententia, qui asserit, curiis supremis Galliæ concreditam, non solum libertatis ecclesiasticæ *præsentis* tuitionem, sed veræ illius, germanæ & canonicæ, quæ apostolico & primitivo jure canonico nititur, adeo, ut magistratibus incumbat decretis suis disciplinam illam antiquam paulatim restituere, cum per temporum injuriam id fieri non possit aperte constitutionibus regiis.

Quod ut intelligatur, de antiquis & recentioribus juris canonici collectionibus agendum est, cum disputationis hujus cardo inde maxime pendeat; ita tamen, ut non quæcunque dici hac de re possunt, sed quæ omitti non debent & a nobis in hoc genere observata sunt, proferamus. Ecclesia occidentalis ante Concilium Nicænum nullos canones noverat, sed moribus tantum & jure non scripto regebatur. Deinde solos synodi illius œcumenicæ canones amplexa est usque ad tempora Innocentii primi, id est, ad annum quadringentesimum, ut docent apertissima verba illius Pontificis in epistola ad clerum Constantinopolitanum: *Canonibus porro obsequendum esse scribimus, qui Nicææ sunt decreti, quos solos consectari decet Ecclesiam catholicam & juxta eos judicare. Si enim alii a quopiam proferuntur a Nicænis canonibus dissonantes & hæreticos auctores referentes, ii a catholicis Episcopis rejiciuntur. Hæreticorum namque inventa catholicis canonibus non sunt annectenda.* Insignis profecto locus, ex quo multa colliguntur, quæ studiosis antiquitatis ecclesiasticæ multum prodesse possint. Sed, ut ejus mentem perfecte capiamus, observandum est, aliam tunc fuisse rationem Ecclesiæ orientalis, aliam vero Ecclesiæ occidentalis: quia, etsi hæc solis canonibus Nicænis uteretur, illa plures synodorum canones amplexa fuerat. De quibus necessario agendum est, quia eorum canonum usus tandem ab oriente in occidentem manavit, & necdum ab aliquo hac de re satis accurate disceptatum est. Turrianus enim omnia miscet, nec omnia attingit.

Epist. Innoc. apud Sozom. lib. 8. cap. 26. περὶ τῆς τῶν κανόνων παραφυλακῆς τούτοις δεῖν ἕπεσθαι γεγράφαμεν, οἵτινες ἐν Νικαίᾳ εἰσὶν ὡρισμένοι, οἷς μόνοις ὀφείλει ἐξακολουθεῖν ἡ καθολικὴ ἐκκλησία.

II. Omnium antiquissima est collectio illa, quæ canonum apostolicorum nomine circumfertur: cujus vetustas eadem origine censeri debet, qua liber constitutionum apostolicarum sub nomine Clementis Romani editus, cum eos canones ultimo capite integros liber constitutionum complectatur, quemadmodum Photius observavit in Bibliotheca: ἐν ᾧ καὶ τῶν ἀποστόλων κανόνες ἐπιγραφόμενοι περιέχονται. Sane, ut Clementis Romani fœtum non esse, ita etiam erudito scriptori, qui tertio saltem seculo floruerit, vindicandum, omnibus hodie persuasum esse video, cum in illo commentario antiquæ disciplinæ satis expressa vestigia supersint. Cujus auctoritas quanta fuerit apud veteres Christianos, inde colligitur, quod hæretici corruptiore stylo aliquot locis eum violarint, ut conqueritur Epiphanius, qui eo libro contineri πᾶσαν κανονικὴν τάξιν testatur. Ceterum corpus illud canonum apostolicorum octoginta quinque capitulis constans, quæ ab Apostolis per orientem manaverunt, traditiones ad disciplinam ecclesiasticam constituendam complectitur. Ejus collectionis usus maxime viguit in orientalibus Ecclesiis. Quod duplici probationem genere demonstrari potest. Primo iis testimoniis, quæ conceptis verbis apostolicorum canonum meminere. Antiquior mihi videtur esse in eo genere Alexander Episcopus Alexandrinus, qui eos Episcopos objurgat, a quibus clerici suscipiebantur, quos ipse excommunicaverat, idque ait contrarium esse canoni apostolico, μήτε τὸν ἀποστολικὸν κανόνα τοῦτο συγχωρεῖν, quibus verbis apertissime canon XVI. apostolicus insinuatur. Extat epistola Constantini Imperatoris ad Eusebium data, qua illius pietatem laudat, quod ab Antiochenis ad Ecclesiam illam, quæ metropolis erat orientis, civium & cleri suffragiis electus, Cæsareæ episcopatum deserere noluerit, ab una in alteram Ecclesiam migrando, sed maluerit *apostolicum canonem* rigide observare. Is autem est canon apostolicus decimus quartus, quo migrationes istæ prohibentur. In synodo Constantinopolitana habita sub Nectario in causa Agapii, quærente Arabiano Ancyræ Episcopo, an liceret duobus Episcopis Episcopum accusatum gradu dejicere, ex sententia Nectarii & Theophili Alexandrini, totiusque synodi, decernitur, Episcopum dejici non posse, præterquam a synodo Episcoporum provinciæ, *ut apostolici canones constituerunt.* Quibus verbis canon apostolicus septuagesimus quartus significatur. In Concilio Ephesino refertur, Antiochenum Episcopum ordinationes provinciæ Cypri ad se trahere conatum, *contra leges ecclesiasticas & canones sanctorum Apostolorum*, id est, 34. & 35. canones apostolicos, qui vetant Episcopos, ne extra provinciam quique suam manus imponant. Imperator quoque Theodosius an. CCCCXL. Irenæum quendam, post *binas nuptias prater apostolicos canones Tyriorum civitatis Episcopum factum*, ab ea Ecclesia constitutione sua dejecit. Quibus verbis canonem XVII. apostolicum respicit. Justinianus canones apostolicos aut ipsis Apostolis, aut saltem doctrinæ ab iis traditæ, asserere videtur in Novella sexta.

Theod. l. 1. c. 4.

Euseb. lib. 3. de vita Const. c. 9. ἀποστολικὸν κανόνα.

Syn. CP. sub Nectario: καθὼς οἱ ἀποστολικοὶ κανόνες διωρίζαντο.

Conc. Ephes. act. 7. παρὰ τοὺς ἐκκλησιαστικοὺς θεσμοὺς, καὶ τοὺς κανόνας τῶν ἁγίων ἀποστόλων.

L. 3. C. de summa Trinit.

Novell. 6. ἡ τῶν ἱερῶν κανόνων παρατήρησις ἣν παραδεδώκασιν ἀπόστολοι.

III. Secundum genus probationis petitur e synodo Nicæna; cujus canone XV. vetantur migrationes ab una parœcia in aliam; quas tunc factas fuisse *prater canonem* observat synodus. Aliquo ergo canone anteriori vetitæ erant translationes; qui porro alius non est, quam XV. canon apostolicus. Sed disertis verbis in canone quinto laudatur canon antiquus, quo interdictum est Episcopis, ne ab uno excommunicatos alii admittant in communionem: κατὰ τὸν κανόνα τὸν διαγορεύοντα τοὺς ὑφ' ἑτέρων ἀποβληθέντας, ὑφ' ἑτέρων μὴ προσίεσθαι, quibus verbis aperte significatur

Conc. Nic. c. 15. παρὰ τὸν κανόνα.

ficatur canon apoſtolicus XII. & XXXVI. Non omittendus eſt canon X. Nicænus, quo canon apoſtolicus LXII. inſinuatur & explicatur. Hoc apoſtolico canone, qui metu ſupplicii Chriſtum negat, gradu dejicitur & pellitur ab Eccleſia, ſed de eo, qui poſt lapſum ordinatus fuerit, nihil cavetur. Ad hanc tamen ſpeciem Nicæna ſynodus dejectionem extendit his verbis: *Quicunque de lapſis ad ordinem cleri promoti ſunt per ignorantiam, vel per ordinantium diſſimulationem, hoc eccleſiaſticæ non præjudicat regulæ, cogniti namque deponantur*, quaſi diceret: Subſecuta lapſum ordinatio non effugiet pœnam canonis eccleſiaſtici, id eſt, apoſtolici LXII. licet canon iſte de eo loquatur, qui adſcriptus erat in clero ante lapſum, cum par ſit in utraque ſpecie ratio. Synodus Antiochena frequenter etiam alludit ad canones iſtos apoſtolicos, ita, ut pene tranſcripſerit canones XL. & XLI. qui explicantur canonibus Antiochenis XXIV. & XXV. Sed diſertiſſime canone IX. ſignificatur canon apoſtolicus XXXIV. quo inhibetur, ne quid gravioris momenti agant Epiſcopi provinciales ſine ſententia ejus, qui præeſt metropoli, quod iiſdem fere verbis ſtatuitur in canone IX. ſynodi Antiochenæ, *ſecundum antiquam a patribus noſtris regulam conſtitutam*. Ejuſdem Concilii canone XXIII. prohibetur, ne quis Epiſcopus ſibi ſucceſſorem eligat, ſed electio fiat *ſecundum regulam eccleſiaſticam*; qua ſignificatur canon apoſtolicus LXXVI.

Can. 10. d. C. τοῦτο οὐ προκρίνει τῷ κανόνι τῷ ἐκκλησιαστικῷ.

Syn. Ant. c. 24. 25. Et can. 9. κατὰ τὸν ἀρχαῖον κρατήσαντα τῶν πατέρων ἡμῶν κανόνα. Canone 22. φυλάττεσθαι δὲ τὸν θεσμὸν τὸν ἐκκλησιαστικόν.

Athanaſius quoque & Baſilius non obſcure his canonibus utuntur. Ille quidem, cum de Georgii Cappadocis Arriani audacia conqueritur, qui juſſu Comitis per vim ſedem Alexandrinam occupavit, violatos ab eo canones eccleſiaſticos palam profitetur, id eſt, canonem apoſtolicum XXXI. quo præcipitur, ut, ſi quis ſeculi poteſtatibus uſus Eccleſiam per ipſos obtineat, deponatur. Baſilius Diaconum a gradu dejectum ob crimen, non arcet communione; *quoniam antiquus eſt canon*, ut, qui a gradu exciderunt, hac ſola pœna caſtigentur. Vetus ille canon, quem laudat, eſt XXV. canon apoſtolicus.

Athan. epiſt. ad Orth.

Baſilius ep. ad Amphil. can. 3. διότι ἀρχαῖός ἐστι κανών.

IV. Ex iis autem, quæ diximus, non ſolum colligitur vetuſtas & auctoritas canonum apoſtolicorum, ſed etiam eorum numerus. Etenim octoginta quinque canones recenſent Græci in collectionibus ſuis juxta definitionem ſynodi in Trullo. Quo in capite recte illis convenit cum libro conſtitutionum apoſtolicarum, ubi canones illi eadem ſerie eodemque numero referuntur. Laudatum etiam vidimus canonem LXXIV. a ſynodo Conſtantinopolitana ſub Nectario, & LXII. a ſynodo Nicæna, & LXXVI. a Concilio Antiocheno. Quin etiam Theodoretus in collectione ſua eundem numerum octoginta quinque canonum apoſtolicorum ſervavit.

Syn. in Trullo can. 2. τῶν ἐνδόξων ἀποστόλων ὀγδοήκοντα πέντε κανόνας.

Theodoretus in Synagoge can.

V. Difficile eſt, in tam alto veterum ſcriptorum ſilentio tempus hujus collectionis indagare, quam tamen certum eſt Concilii Nicæni tempora anteceſſiſſe. Tentari fortaſſe poſſet, nondum cognitam fuiſſe orientalibus, quando controverſia incidit de baptiſmo hæreticorum, quæ Cyprianum in Africa & Firmilianum in Cappadocia cum Stephano ſummo Pontifice commiſit. Ajebant illi, tinctos ab hæreticis Spiritum ſanctum, qui ad ſolam Eccleſiam pertinet, ſuſcipere non potuiſſe. Stephanus aſſerebat, traditionem veterum non eſſe innovandam, neque repetendum baptiſmum ab hæreticis collatum, ſed manus in pœnitentiam baptizatis imponendas. Stephanus nitebatur antiqua conſuetudine; cui Cyprianus ſcripturas opponebat. Sed Firmilianus Stephano objiciebat contrariam conſuetudinem, quæ vigebat in oriente: *Quod quidem adverſus Stephanum vos Afri dicere poteſtis*, inquit ille ad Cyprianum, *cognita veritate errorem vos conſuetudinis reliquiſſe. Ceterum nos veritati & conſuetudinem jungimus, & conſuetudini Romanorum conſuetudinem, ſed veritatis, opponimus ab initio hoc tenentes, quod a Chriſto & ab Apoſtolis traditum eſt*. Petri & Pauli locos, quos in ſuperiori parte epiſtolæ laudaverat, intelligit. Nihil opportunius accidere poterat hac diſputatione ad citandos in teſtimonium canones apoſtolicos, ſi ea tempeſtate compacta fuiſſet collectio, qua hodie utimur. Etenim ad confirmandam conſuetudinem illam conſtantem, quam Firmilianus Stephano obtendebat, proferre poterat canonem apoſtolicum XLVI. conceptum in hæc verba e verſione Dionyſii Exigui: *Epiſcopum aut Presbyterum hæreticorum ſuſcipientem baptiſma damnari præcipimus. Quæ enim conventio Chriſti ad Belial, aut quæ pars fideli cum infideli?* & canonem XLVII. *Epiſcopus aut Presbyter, ſi eum, qui ſecundum veritatem habuerit baptiſma, denuo baptizaverit, aut pollutum ab impiis non baptizaverit, deponatur tanquam deridens crucem & mortem Domini, nec ſacerdotes a falſis ſacerdotibus jure diſcernens*. Itaque e ſilentio Firmiliani colligere licet, incognitos ea ætate orientalibus fuiſſe canones apoſtolicos. Quid, ſi hæc contentio collectionis hujus occaſionem præbuerit, & ut Romanæ Eccleſiæ traditio & auctoritas a Stephano prolata objecto veluti clypeo repelleretur, huic collectioni, (quæ antiquæ diſciplinæ in oriente vigentis capita omnia, imo vero & ſacramentorum ritum complectitur) conſtitutionum apoſtolicarum & canonum a Clemente Romano editorum nomen inſcriptum fuerit? Conquerebatur enim Firmilianus, injuriam fieri Apoſtolis Petro & Paulo, quod eos auctores tam alienæ traditionis Stephanus faceret. *Adhuc etiam*, inquit, *infamans Petrum & Paulum beatos Apoſtolos, quaſi hoc ipſi tradiderint, qui in epiſtolis ſuis hæreticos execrati ſunt, &, ut eos evitemus, monuerunt*. Quare, ne dignitate apoſtolicæ ſedis, epiſcopatus ſui loco, & cathedræ Petri, quam ſe per ſucceſſionem tenere Stephanus profitebatur, Chriſtianorum animos a Firmiliani ſententia averteret, neceſſarium viſum eſt teſtimonium aliquod, quo Petri auctoritas Petri ſucceſſori opponeretur. Et, ne ullus ſupereſſet dubitandi locus in controverſiis, quæ traditionum antiquarum occaſione accidere poſſent, placuit, eas libro conſtitutionum apoſtolicarum & breviario canonum apoſtolicorum complecti, prout in oriente traditionum uſus invaluerat. Commodum accidit, ut frequentes orientalium Eccleſiarum Epiſcopi Iconium convenirent anno CCLVIII. ad controverſiam illam de baptiſmo hæreticorum dirimendam; ubi eadem ſententia conſtituta eſt, quam apoſtolici canones XLVI. & XLVII. exhibent. Hæc ſunt Firmiliani verba rem geſtam narrantis: *Hæretico enim, ſicut ordinare non licet nec manum imponere, ita nec baptizare, nec quicquam ſancte & ſpiritaliter gerere, quando alienus ſit a ſpiritali & deifica ſanctitate. Quod totum nos jampridem in Iconio, qui Phrygiæ locus eſt, collecti in unum, convenientibus ex Galatia, & Cilicia & ceteris proximis regionibus, confirmavimus, tenendum contra hæreticos firmiter & vindicandum, cum a quibuſdam de iſta re dubitaretur*. Quare in eam conjecturam facile adducor, ut exiſtimem, decretum Iconienſis Concilii tranſcriptum in eam collectionem, quæ tunc conſarcinata eſt, & auguſto Clementis Romani nomine ornata in publicum prodiit. Quod egregie confirmatur e canone apoſtolico XXXVIII. qui menſis Hyperberetæi meminit; quo ſignificatur Octobe lingua Syromacedonica, cujus erat uſus per orientem. Ut hinc pateat, nec ab Ægyptiis, nec a Græcis Europæis, qui menſibus alia nomina indiderant, conſcriptam eſſe collectionem illam, ſed a Chriſtianis orientalibus. Unde ſynodus Antiochena eundem menſem Hyperberetæi nomine in ſimili ſpecie deſignavit.

Firmilianus in epiſt. ad Cyprian.

Canon apoſt. 46. & 47.

Vide Seldenum in Notis ad Eadmer. pag. 167.

VI. Exiſtimabit forte aliquis, alienum videri ab auctoritate illa, quam huic collectioni vindicavimus, ſi fateamur, hæreſis eſſe infectam in eo capite, quod tinctionem hæreticorum reſpicit. Sed velim, cogitationem illam deponat, perpendatque, hanc ſententiam in oriente retentam fuiſſe, donec

Concilii plenarii auctoritate eliquata fuit, ut cum Augustino loquar. Qua in re adeo pertinaciter Firmiliani decessoris sui opinionem Basilius Cæsareæ Episcopus fovit, ut propter bonum pacis cum Asiaticis retinendæ hæreticorum baptisma ab orientalibus admissum scripserit. Quare mirandum non est, si erasa non fuerit a canonibus apostolicis regula, quæ summo jure niti quamplurimis videbatur, & contraria sententia per indulgentiam tantum recipi. Ceterum, post Nicænam synodum, quæ Paulicianos damnavit, hocque præjudicio docuit quorundam hæreticorum repudiandum esse baptisma, nihil vetat, quin retineri possit canon apostolicus etiam post sopitam contentionem, cum divisione quæstio dirempta fuerit, & in certa specie regulæ locus esse possit.

Basilius epist. ad Amphil. ἐπειδὴ δὲ ὅλως ἔδοξέ τισι τῶν κατὰ τὴν Ἀσίαν, οἰκονομίας ἕνεκα τῶν πολλῶν, δεχθῆναι αὐτῶν τὸ βάπτισμα, ἔστω δεκτόν.

VII. Nunc discutiendum restat, quo tempore ab oriente in occidentem migraverit hæc collectio canonum apostolicorum. Sane Gelasius Pontifex in Concilio Romano habito anno CCCCXCIV. eam inter cetera apocrypha rejecit: *Liber canonum apostolicorum apocryphus*. Variæ sunt classes apocryphorum in Notitia Gelasii, ut observarunt viri eruditi; cum non tantum figmenta hæreticorum veniant in hunc censum, sed etiam opuscula tractatorum, in quibus sunt nævi quidam. Apocryphus ergo dicetur, juxta mentem Gelasii, liber horum canonum, quod in judiciis non obtineat auctoritatem, & Apostolorum nomen falso præferat. Attamen post aliquot annos Dionysius Exiguus Latinam interpretationem Græcorum canonum aggressus, quinquaginta canones apostolicos Romanis communicavit, ceteris omissis. Quod ab eo consultò factum puto, ut aliquam rationem haberet Concilii Romani, cujus interdictio in triginta quinque omissis locum haberet; præsertim, cum canon LXVI. ingratus Romanis auribus futurus esset, quo damnatur, secundum veterem orientalium Ecclesiarum consuetudinem, sabbathi jejunium, quod tantopere in occidente commendabatur. *In Principio itaque*, inquit Dionysius, *canones, qui dicuntur Apostolorum, de Græco transtulimus: quibus, quia plurimi consensum non præbuere facilem, hoc ipsum vestram noluimus ignorare sanctitatem: quamvis quædam constituta Pontificum ex ipsis canonibus assumpta esse videantur*. Ne repudientur a Romanis, quædam decreta Pontificum ab his canonibus hausta videri observat. Nempe respicit ad epistolas Innocentii primi & Leonis, qui consuetudines Ecclesiæ Romanæ ceteris præscribebant. Sed caute loquitur Leo; qui eadem definiens, quæ XXV. canone apostolico continentur, ne videretur eam regulam inde sumpsisse, illam a consuetudine & traditione apostolica manasse scripsit, ut canonem scriptum repelleret. *Alienum est*, inquit, *a consuetudine ecclesiastica, ut, qui in presbyterali honore aut Diaconi gradu fuerint consecrati, hi pro crimine aliquo suo per manus impositionem remedium accipiant pœnitendi, quod sine dubio ex apostolica traditione descendit*. Quo autem loco habiti fuerint canones illi per occidentem, & præcipue per Gallias, mox dicemus, cum de Dionysii Exigui editione disseremus.

Dionysius in præfat. can.

Leo in epist. ad Rustic. Narbon.

CAPUT III.

De secunda canonum collectione, & ejus auctoritate.

SYNOPSIS.

I. Secunda collectio post Concilium Constantinopolitanum. Antea Diœceses canonibus a se editis regebantur; ut patet ex Ancyrana synodo, Neocæsariensi, Antiochena & Laodicena. Hujus tempus inquiritur.

II. Canones secundæ synodi recepti non erant in occidente temporibus Innocentii & Leonis. Canones Antiocheni nec in occidente, nec in Thracica Diœcesi. Chrysostomus & Innocentius rejiciunt eos canones. Cur ab Arrianis compositos dicant, cum orthodoxi Episcopi numero vincerent.

III. An canones Antiocheni recepti ab Ecclesia sint iidem cum iis, quos rejiciunt Innocentius & Chrysostomus. Tres conjecturæ virorum eruditorum refutatæ. Aperitur nova conciliationis ratio.

IV. Collectio secunda canonum quando & a quo instituta. Confirmata a Concilio Chalcedonensi, & aucta canonibus ejus Concilii. Confirmata etiam a Justiniano.

V. Quæritur, an canones Chalcedonenses recepti fuerint ab Ecclesia Romana. Opinio Bellarmini expensa. Docetur receptos fuisse, e Facundo, Gelasio & Leone ipso. Solus XXVIII. canon repudiatus, ex consensu Anatolii. Ratio concordiæ tunc initæ explicata. Error Hincmari. Canones synodi Constantinopolitanæ non admissi, etiam post Dionysii publicationem, ut Constantinopolitani retinerentur in officio.

VI. Canones Græci post synodum Chalcedonensem Latine redditi, non una, sed pluribus interpretationibus. Ea collectione usus est Gelasius; qui utitur canonibus Chalcedonensibus, quemadmodum & Gregorius. Symmachus laudat canones Gangrenses ex ea collectione.

VII. Nova interpretatio canonum a Dionysio Exiguo edita, quæ canones Græcos, & præterea Sardicenses atque Africanos, complexa est, & Romanorum Pontificum decreta. Ejus usus probatus a sede apostolica, e Cassiodoro & Joanne II.

VIII. De collectione canonum a Theodoreto digesta in quinquaginta titulos. Genuina esse ostenditur, solutis difficultatibus, quæ objici solent.

I. Secunda collectio prodiit post Concilium Constantinopolitanum. Antea non communi quodam jure tenebantur orientales Ecclesiæ, si canones apostolicos & Nicænos excipias, sed sua sibi decreta duæ tresve Diœceses conjunctis suffragiis constituerant, quibus in disceptandis negotiis suis uterentur. Etenim in provinciis Diœceseon Asianæ, Ponticæ & orientalis, varii canones editi fuerant a Conciliis Ancyrano, Neocæsariensi, Gangrensi, Antiocheno & Laodiceno, qui obtinebant apud eos Episcopos, quorum suffragiis erant decreti, quemadmodum Constantinopolitani auctoritate omnes deinde orientales Ecclesiæ adstrictæ sunt. Etenim in Ancyrana synodo, coacta anno CCCXIV. ante ipsam synodum Nicænam, statim post libertatem Ecclesiæ redditam, in civitate Ancyræ, quæ erat metropolis Galatiæ, decem & octo Episcopi e Diœcesibus orientis, Asiana & Pontica, XXV. canones ediderunt; quorum vis per tres illas Diœceses extendi poterat, non autem per Diœcesim Ægyptiacam, aut Thracicam, multo minus per Diœceses occidentis. Idem dicendum est de synodo Neocæsareæ habita, quæ est metropolis Ponti Polemoniaci; quò se contulerunt iidem illi decem & octo Episcopi post solutam Ancyranam Synodum. Gangris, quæ est metropolis Paphlagoniæ, habitum est Concilium anno CCCXXV. a sedecim Episcopis Ponticæ Diœceseos. Concilium vero Antiochenum habitum anno CCCXLI. iis provinciis constitit, quæ ad Diœcesim orientis seu Antiocheni patriarchatus pertinebant, Syria nempe, Phœnicia, Palæstina, Arabia, Mesopotamia, Cilicia & Isauria, ut patet ex epistola synodica. Superest synodus coacta Laodiceæ, quæ est Phrygiæ metropolis; quo e variis Diœceseos Asianæ provinciis Episcopi convenerunt, ut testatur inscriptio synodi. De tempore hujus Concilii quæritur. Illustrissimus annalium conditor ante Concilii Nicæni tempora coactum suspicatur. Sed canone septimo damnantur Photiniani hæretici, qui aliquot annis post synodum Nicænam emerserunt. Deinde in antiqua collectione locum suum post Antiochenam obtinet synodus Laodicena, cujus tempora in annum CCCLXV. conjici posse puto. Illo etenim anno synodus habebatur ab Episcopis Asianæ Diœceseos, ad quos literas suas & synodicam Illyriciani Concilii Valentinianus Imperator transmisit

Epist. synod. Concil. Antioch.

Inscriptio synodus Laodic. ἐκ διαφόρων ἐπαρχιῶν τῆς Ἀσιανῆς.

Theod. lib. 4. cap. 8.

misit cum hac epigraphe apud Theodoretum: *Episcopis Diœcesis Asianæ, Phrygiæ, Carophrygiæ Pacatianæ*. Porro synodus Laodicena, ut dixi, e diversis provinciis Asianæ Diœcesis habita est Laodiceæ, quæ est metropolis Phrygiæ Pacatianæ.

II. Canonibus Concilii Constantinopolitani omnes quidem Ecclesiæ orientales adstringi poterant; quia ex omnium Episcoporum consensu, qui Diœceses Ægypti, orientis, Asiæ, Ponti & Thraciæ regebant, Constantinopoli decreti sunt anno trecentesimo octuagesimo primo. Sed occidentis Ecclesiæ iis teneri non poterant, quibus omnino erant incogniti anno CCCCLII. ut testatur Leo primus. Itaque Innocentius I. recte juxta sensum Ecclesiæ occidentalis scripserat anno CDV. Ecclesiam nullis canonibus regi, præterquam Nicænis, ut monui §. I. capitis superioris. Adeoque mirum non est, si canonem Antiochenum, quo nitebantur orientales adversus Joannem Chrysostomum, constanter exploserit. Nondum enim, ut dixi, nec synodus Antiochena, nec ceteræ receptæ fuerant ab occidentis Ecclesiis, nec etiam ab Ecclesia Constantinopolitana; quæ cum Diœcesi Thracicæ accenseretur, Ancyranæ synodi, Neocæsariensis, Gangrensis, Antiochenæ, vel Laodicenæ canonibus, ab aliis Diœcesibus editis, non tenebatur. Quare etiam Chrysostomus ipse Constantinopolitanus Archiepiscopus, cum ab adversariis canone XII. Concilii Antiocheni premeretur, (quo non prohibetur appellatio, ut quibusdam visum, sed spes restitutionis denegatur Episcopo, qui a synodo dejectus sedem suam repetit absque majoris synodi instaurato judicio) in quem peccavisse dicebatur, excipit dupliciter. Nam & se majori Episcoporum numero fultum sedem suam repetivisse contendebat, ut hac etiam in parte canoni Antiocheno, cujus auctoritatem adversarii obtendebant, satisfecisse constaret. Et aliunde canonem illum Antiochenum refellebat, quod editus esset ab Arianis. Unde sequitur, Antiochenos canones in Thracica Diœcesi tunc temporis receptos non fuisse, quemadmodum nec recepti erant in occidente. Certum quidem est, patres, qui Antiochiæ convenerant, majori ex parte orthodoxos fuisse, cum e numero XCVII. aut XCIX. Episcoporum, ex quo conventus ille constabat, triginta tantum Eusebianas partes sequerentur, & clanculum Arianæ hæresi faverent, etsi aperte a communione catholica non discessissent, ut constat ex Julii epistola apud Athanasium. Attamen apud posteros Arianæ hæresis suspicione laborarunt, quod in eo conventu Eusebiani primas partes tenerent, & eo ad fidem consubstantialis convellendam convenissent, eoque proposito expulsionem Athanasii, in Concilio Tyrio decretam, olim judiciis suis ex omnium consensu redditis confirmassent. Quod eos deinde ad eam necessitatem impulit, ut orthodoxi æque ac Semiariani ab occidentalibus in Concilio Sardicensi discesserint. Unde Ecclesiis occidentis orientalium cœtum Arianæ impietatis infamia notandi occasio data est, præcipue, cum Georgium Cappadocem Arianum Athanasio substituerint. Quod ultimum etsi a triginta sex Episcopis Arianis constitutum fuerit, ut observat Julius, dedecus tamen nefarii hujus facinoris ad omnes Episcopos, qui synodo intererant, redundavit.

Vide infr. lib. 7. cap. 9.

Socrates lib. 6. cap. 17.

Julius apud Athan. in Apolog. 2.

III. Ex hac animadversione componi posse videtur disceptatio illa de canonibus Antiochenis, quæ virorum eruditorum ingenia torsit: qui concoquere non poterant, quo pacto refelli possent a Chrysostomo & Innocentio, tanquam ab Arianis editi, cum certum sit, in censum canonum adscriptos fuisse ab Ecclesia universali & prolatos in Concilio Chalcedonensi, ut canones a sanctis patribus editos. Illustrissimus annalium conditor, qui sibi persuasit integrum Concilium Antiochenum ex Arianis constitisse, putat, canones illos laudatos in Concilio Chalcedonensi ex alia canonum collectione, quam e synodo Antiochena, petitos fuisse. Alii censuerunt, in causa Chrysostomi, non ipsum canonem XII. synodi Antiochenæ, sed alium quendam ab hæreticis confictum canonem in altera synodo Antiochena ab Innocentio & Chrysostomo explosum fuisse, cum tamen e Socrate & Palladio satis constet, de canone XII. Antiocheno agi. Aliis placuit, non omnes canones Antiochenos, sed solum XII. oppugnatum a Chrysostomo, quasi ille solus conflatus fuerit ab Arianis adversus Athanasium. Quam conjecturam eo argumento juvari putant, quod ex hac sententia eliciatur verus modus conciliandi numeros canonum juxta collectionem Zonaræ & Balsamonis cum numeris collectionis antiquæ, quæ prolata est in Concilio Chalcedonensi. Etenim in illa vetere collectione canon XVI. Antiochenus numeratur nonagesimus quintus, a primo canone Concilii Nicæni, qui calculus est sine errore, si expungatur XII. canon Antiochenus. At vero in collectione Zonaræ idem canon XVI. numeratur nonagesimus sextus, ob male admissum canonem XII. in collectione recentiori. Sed non erat, cur vir eruditus nodum in scirpo quæreret. Apertissima est enim ratio discriminis in numeris illis inter utramque collectionem, a viris eruditis prolata, & ab ipso laudata, quæ sincere refutari nequit. Nempe peccatum est in collectione Zonaræ in numero canonum synodi Neocæsariensis, quos quindecim recenset, distracto in duos canone decimo tertio, cum revera quatuordecim tantum canones Neocæsariensis Concilii numerent Theodoretus in synagoge canonum, vetus interpretatio Latina edita statim a Concilio Chalcedonensi, Dionysius Exiguus, Epitome Hadriani, Cresconius & Photius in Nomocanone: quorum auctoritati opponi non debet error, qui irrepsit in collectionem Zonaræ. Deinde; cujus decreto rejectandus ille canon omnia universæ Ecclesiæ exemplaria invasisset, si daremus, a codice Chalcedonensi proscriptum fuisse? Addere possumus, nihil iniqui XII. illo canone Antiocheno constitui, nec ad detrimentum Athanasii trahi potuisse, nisi per summam injuriam, cum futuris negotiis formam dare censendus esset, non præteritis, qualis erat Athanasii causa. Quare Athanasii damnatio Antiochiæ decreta non eo solo canone nitebatur, ut docebimus tomo secundo, cum agetur de Athanasii judicio. Itaque sola superest ratio conciliandi exceptiones Chrysostomi & Innocentii cum auctoritate legitima canonum Antiochenorum, quod nondum recepti fuissent, nec in occidente, nec in Thracica Diœcesi, ut explicui §. superiore.

M. Antonius de Dominis.

Socr. lib. 6. c. 16.

Pallad. in vita Chrys.

Samuel Petitus lib. 3. Var. Lect. cap. 4.

Concil. Chalcedon. act. XI.

Photius t. 3 Nomoc. cap. 4. t. 1. c. 29.

IV. Post Chrysostomum, ante Concilii Chalcedonensis tempus, canones Nicæni, Ancyrani, Neocæsarienses, Gangrenses, Antiocheni, Laodiceni & Constantinopolitani, numero centum sexaginta quinque, in unum corpus collecti sunt Episcopi alicujus industria, fortasse Stephani Ephesini Episcopi, (*) ut præferebat vetus codex MS. in bibliotheca Palatina, quemadmodum accepi a viro fide

(*) Joannes David in libro de judiciis canonicis Episcoporum pag. 63. reprehendit illustrissimum Archiepiscopum, ei imputans, quod existimaverit, Justellum in ea fuisse sententia, ut putaret, Stephanum Episcopum Ephesinum esse auctorem primæ collectionis canonum orientalium. Verum Marca istud non dixit, ut manifestum est, sed tantum eam collectionem factam fuisse ab aliquo Episcopo, fortasse Stephano Ephesino, cujus nomen prætulisse veterem codicem bibliothecæ Palatinæ, accepisse se ait a viro clarissimo Christophoro Justello. Sed neque ipse Justellus affirmabat, hujus collectionis auctorem esse hunc Stephanum, sed tantum ajebat, illam forte consarcinatam ab eo fuisse, extare enim sub ejus nomine collectionem nondum editam, quæ omnino convenit cum veteri codice Ecclesiæ universæ. *Hæc vero*, inquit, *in bibliotheca Palatina apud heredes Gelharti Ermenhorstii Hamburgi asservatur, a quibus huc usque nancisci non potuimus*. Hæc verba Justelii, quæ non habentur in præfatione ab eo præfixa anno MDCX. codici canonum Ecclesiæ universæ sumpta sunt ex secunda præfatione edita anno 1661. studio Henrici Justelli ejus filii.

V. Cl. Christ. Justellus.

fide dignissimo, aut fortasse synodi cujusdam orientalis decreto. Etenim e collectione illa, in qua numerorum continua serie canones recensiti erant a primo ad ultimum, recitati sunt in Concilio Chalcedonensi quatuor canones Concilii Antiocheni, suppresso nomine Concilii & numero, quem inter ceteros Antiochenos obtinent. Sed relecti sunt e codice canonum eo ordine eaque numerorum serie, qua digesti sunt in collectione generali; ita, ut canones Antiocheni quartus & quintus recitentur sub titulo octuagesimæ tertiæ & octuagesimæ quartæ regulæ, & canones decimus sextus & decimus septimus sub titulo nonagesimæ quintæ & nonagesimæ sextæ. Ex eodem codice relectus est canon quartus Concilii Nicæni XVI. Iterum ex eodem libro synodicum Concilii Constantipolitani, id est, definitio synodica complectens primum, secundum & tertium canonem illius synodi.

Concil. Chalced. Act. IV. — Act. XI. — Act. XIII.

Sed, quia canones collectione illa comprehensi, quamvis utilitate sua satis commendarentur, nondum tamen ab omnibus Ecclesiis, & præcipue ab occidentali & Ægyptiaca, probati fuerant, statutum est canone primo Concilii Chalcedonensis, ut apud omnes valerent. Verba canonis hæc sunt ex versione Dionysii Exigui: *Regulas sanctorum patrum, per singula nunc usque Concilia constitutas, proprium robur obtinere decrevimus*. Adjecti sunt canones Concilii Chalcedonensis huic collectioni: quæ his regulis aucta, non solum per omnes orientales Ecclesias, sed etiam in occidente, plena auctoritate viguit. Ad hanc canonum collectionem Justinianus respiciebat, cum Novella constitutione vim legis canonibus illis tribuit, qui editi erant a quatuor synodis œcumenicis aut etiam confirmati, id est, qui decreti quidem erant a synodis particularibus, sed confirmati erant canone primo Concilii Chalcedonensis.

Canon I. Concil. Chalced. τοὺς παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων καθ' ἑκάστην σύνοδον ἄχρι τοῦ νῦν ἐκτεθέντας κανόνας κρατεῖν ἐδικαιώσαμεν. Nov. 131 ἐκτεθέντας, ἢ βεβαιωθέντας,

V. Posset aliquis dubitare de canonibus Concilii Chalcedonensis, quos Ill. Card. Bellarminus robur non habuisse scribit, nisi, quatenus a Pontificibus vel aliis Conciliis renovati sunt, eo argumento ductus, quod a Leone I. approbati non sint; qui scribit, se non tantum per Legatos, qui vicem suam executi sunt, *sed etiam per approbationem gestorum synodalium* eandem cum Concilio Chalcedonensi iniviffe sententiam, *in sola videlicet fidei causa, propter quam generale Concilium & ex præcepto Christianorum Principum, & ex consensu apostolicæ sedis placuit congregari*. Cum ergo gesta in sola fidei causa Leo approbarit, inde sequi Bellarminus existimat, canones Concilii inutiles & irritos fuisse. Sed eam sententiam deposuisset, si perpendisset, quanta injuria ex hac assertione sedi apostolicæ inferretur. Etenim necessitas illa confirmandorum Conciliorum totius orbis testimonio subruitur, si rejecti a Leone canones perinde in Ecclesia viguerint. Atqui nihil certius, quam canones istos Chalcedonenses, saltem in oriente statim receptos æqua cum ceteris canonibus auctoritate. Testis collectio Græca, quam Dionysius Latine vertit, quæ Chalcedonensibus canonibus erat instructa. Testis Theodoretus, qui eos in sua Synagoge recenset. Testis Justinianus, qui vires legis addit omnibus canonibus editis, aut confirmatis a quatuor synodis œcumenicis. Robustius & sincerius agitur causa Summi Pontificis, si dicamus, a Leone probatos fuisse canones hujus synodi, præter XXVIII. quo Episcopo CP. nova quædam auctoritas adversus canones Nicænos deferebatur. Hanc Leonis mentem fuisse, docet eleganter Facundus Hermianensis: *Beatissimus Leo scribens, non sententiam super epistolam Ibæ prolatam, neque episcopatum prædicto Ibæ redditum, & cætera, quæ in synodo Chalcedonensi de quibusdam personis decreta sunt, neque canones ecclesiasticæ disciplinæ salubriter illic a sanctis patribus constitutos attendit, cum diceret, Ut sanctam synodum ad extinguendam solum hæresim, & ad confirmationem fidei catholicæ studio Christianissimi Principis congregatam, in occasionem ambitus trahas, & his similia, sed superbam potius elationem Constantinopolitani Episcopi, sicut ipsa verba ejus indicant*. Eadem fuit sententia Gelasii, qui ante Facundum responderat hæreticis, synodi Chalcedonensis oppugnatoribus, aut ex toto admittendam dicentibus, aut, si ex parte repudianda sit, firmam ex toto esse non posse, scilicet, quæ per incompetentem præsumptionem Anatolii illic tentata sunt, nulla ratione subsistere, sed cetera omnia, *quæ secundum scripturas traditionemque majorum, secundum canones regulasque Ecclesiæ, pro fide communi & veritate catholica & apostolica, pro qua hanc fieri sedes apostolica delegavit, factamque firmavit, a tota Ecclesia indubitanter admitti*. Gelasii & Facundi testimonio fretus possem Leonis sententiam, alioqui obscuram, constituere. Sed ipsemet adeo liquido mentem suam expressit in epistola ad synodum Chalcedone habitam & ad Maximum Antiochenum; ut de ea dubitari non possit. Tria præcipue docet, quæ de fide in synodo decreta sunt, a se probari, quæ contra regulas Nicænas tentata sunt, se nunquam apostolicæ sedis consensu firmaturum; quæ autem ab Episcopis discussa fuerint, se non repudiaturum, ea lege, ne Nicænis canonibus adversentur. Itaque dicendum est, Leonem conceptis verbis decretoque suo, quæ de fide gesta fuerant, approbasse: damnasseque ambitum Anatolii, cetera vero omnia tacito veluti decreto admisisse, id est, iis non reluctatum fuisse. Quod sufficit non solum in canonibus Concilii generalis, sed etiam in canonibus synodi provincialis. Ceterum canon XXVIII. cui Legati apostolicæ sedis contradixerant, e numero canonum expunctus est a Græcis ipsis. Quo facto concordia redintegrata est inter Leonem & Anatolium. *Sed gratum mihi est, frater charissime*, inquit, *quod dilectio tua profitetur sibi displicere, quod tunc etiam placere non debuit. Sufficit in gratiæ communis regressum professio dilectionis tuæ & attestatio Principis Christiani. Nec videtur tarda correctio, cui tam venerabilis assertor accessit*. Compositum itaque est hoc dissidium, non deposita dignitate secundæ sedis, vel administratione trium Diœceseon, quam Anatolius semper retinuit, sed expuncto, ut dixi, & repudiato canone XXVIII. Concilii Calcedonensis. Rationem sopiendæ hujus controversiæ aperuisse videtur Lucentius, cum ambitum istum perstringendo dixit, cur novos canones adhiberent, si secunda synodus privilegium illud indulsisset ante aliquot annos, ut Græci jactabant. Quare, ut Leoni mos gereretur; rejectus est novus canon. Sed usi sunt antiquo quoad dignitatem sedis, & consuetudine consensuque Episcoporum Asianæ & Thracicæ Diœceseon quoad administrationem.

Bellarm. l. 2. de Rom. Pont. cap. 22.

Leo ep. 61. ad Syn. Chalced. habitam.

Facund. Hermian. l. 5. c. 4.

Idem ad Ep. Dardan. ait: Leonem, *quicquid ultra, quam ab eodem pro fide & communione catholica & apostolica illic agendum constaret esse delegatum, per occasionem congregationis illius præter Nicænos canones nova videretur actione tentatum, competenti refutatione vacuasse*.

Leo epist. 66. *Quicquid præter causas synodalium Conciliorum ad examen episcopale defertur, potest aliquam dijudicandi habere rationem, si nihil de eo est a sanctis Patribus apud Nicæam definitum. Nam quod ab illorum regulis & constitutione discordat, apostolicæ sedis numquam poterit obtinere consensum*.

Leo in ep. ad Anatol.

Concil. Chalced. Act. XVI. *Lucentius reverendus Episcopus Vicarius sedis apostolicæ dixit: Accedit ad cumulum, quod trecentorum decem & octo constitutionibus postpositis, centum quinquaginta, qui in synodicis canonibus non habentur, mentionem tantum fecisse noscuntur, quæ dicunt ante octoginta prope annos constituta fuisse. Si ergo his temporibus hoc beneficio usi sunt, quid nunc requirunt: Si nunquam usi sunt, quare requirunt?*

Itaque Zeno Imperator anno quindecimo post Concilium Chalcedonense acta Basilisci tyranni rescindens, (qui aliquot provincias a sedis Constantinopolitanæ dispositione avulserat) omnia quidem in integrum restituit, & confessus prærogativam ordinationumque privilegia Ecclesiæ Constantinopolitanæ in perpetuum sancit; sed iis verbis utitur, quæ Romanum Pontificem lædere non possint. Ad usum enim, qui jam invaluerat, non autem ad canones aliquos, ea privilegia refert: *Privilegia*, inquit, *& honores omnes super Episcoporum creationibus & jure ante alios residendi, & cetera omnia, quæ ante nostrum imperium vel nobis imperantibus habuisse dignoscitur, habere in perpetuum firmiter regiæ urbis intuitu judicamus & sancimus*. Justinianus etiam Novella sua constitutione secundum locum sedi CP. tribuit juxta canones, id est, secundæ synodi; sed de jure novo collato a canone XXVIII. Concilii Chalcedonensis de industria nihil decernit, quia expunctus erat a collectione canonum, quæ temporibus illius Principis vigebat apud Græcos. Attamen tuendæ dignitati ejus Ecclesiæ in jure ordinationum juxta mentem Synodi Chalcedonensis non deerant Imperatores; etsi apertis verbis

L. Decernimus. 16. C. de sacrosanct. Eccl.

Nov. 131. c. 2.

verbis non profiterentur hoc privilegium a canone Chalcedonensi profectum, sed potius a consuetudine. Hoc significare voluit Liberatus Diaconus his verbis: *Et licet sedes apostolica nunc usque contradicat, quod a synodo firmatum est, Imperatoris patrocinio permanet quodam modo*, id est, refragationem Romanorum Pontificum obtinuisse quidem, ut aperte definitio synodi Chalcedonensis non admittatur, ceterum rem ipsam quodam modo perseverare præsidio Principis, qui consuetudini vires addebat. Nullatenus enim, ut dixi, intercedente & vetante Leone, inter canones receptus est canon ille XXVIII. Concilii Chalcedonensis.

Liberatus in Breviar. c. 13.

Quare fallitur Hincmarus, qui existimat, canonis IX. & XVII. partem a Leone rejectam. In quo lapsus est necessitate, quia videbat, dignitatem quandam sedi CP. iis locis asseri, ignotusque erat illi canon XXVIII. de quo proscribendo Leo tantopere laborabat. De sententia autem canonis IX. & XVII. dicemus alibi. Dissimulandum vero non est, canones secundæ synodi ad Romanam Ecclesiam nunquam fuisse relatos, neque ab ea receptos, ut testatur Leo in epistola ad Anatolium. *Persuasioni enim tuæ*, inquit, *in nullo penitus suffragatur quorundam Episcoporum ante sexaginta, ut jactas, annos facta subscriptio, nunquamque a prædecessoribus tuis ad apostolicæ sedis transmissa notitia; cui ab initio sui caducæ dudumque collapsæ sera nunc & inutilia subjicere fulcimenta voluisti, eliciendo a fratribus speciem consensionis, quam tibi in suam injuriam verecundia fatigata præberet.* Quare in vetustissima canonum Latina collectione canones synodi Constantinopolitanæ adjuncti sunt canoni XXVIII. Chalcedonensi, extra legitimorum canonum corpus. Imo & post Dionysii Exigui collectionem, licet ille juxta fidem Græcorum codicum tres canones synodi Constantinopolitanæ suo loco recensuerit, Ecclesia Romana, quæ ceteros canones amplexa est, istos tamen in auctoritatem admittere noluit, teste Gregorio Magno: *Romana Ecclesia eosdem canones* (nempe CP.) *vel gesta synodi illius hactenus non habet nec accipit, in hoc autem eandem synodum accepit, quod est per eam contra Macedonium definitum.* Attamen iis canonibus Græci utebantur non invita sede apostolica, quæ tacite eorum executioni consentiebat, etsi disertis verbis non approbaret; eo consilio scilicet, ut Constantinopolitanorum superba elatio, si quando limites egrederetur, hac una exceptione reprimi posset, quam toties urget Gelasius, Ecclesiam Constantinopolitanam inter sedes minime numerari. Quare, ut redeam, unde discessi, canones Chalcedonenses dempto XXVIII. plenam auctoritatem una cum ceteris codice Græco comprehensis obtinuerunt.

Vide infr. lib. 7. cap. 5. §. 9.

Greg. l. 6. ep. 31.

Gelas. ad Ep. Dard. *Si certe de dignitate agitur civitatum, secundæ sedis & tertiæ major est dignitas sacerdotum, quam ejus civitatis, quæ non solum inter sedes minime numeratur, sed nec inter Metropolitanorum jura censetur. Nam quod dicitis, Regiæ civitatis, alia potestas est regni secularis, alia ecclesiasticarum distributio dignitatum.*

VI. Post synodum Chalcedone habitam, canones Græci Latinitate donati sunt & occidentalibus communicati, interpretatione in eam rem elaborata, cujus meminit Dionysius Exiguus, ejusque exemplar antiquissimum retinet adhuc bibliotheca Vaticana a viris eruditis laudatum, & alterum venerandæ antiquitatis codicem manuscriptum vir de antiquitate canonica optime meritus (*) Christophorus Justellus, in quo descripti sunt, post ceteros, canones XXVII. Concilii Chalcedonensis. Observandum tamen est, non unica interpretatione, sed variis canonum versionibus usos fuisse Episcopos in occidente; cum manifeste constet, aliam esse, qua utuntur Ferrandus, Isidorus & Carolus Magnus interpretationem a vetere illa, quam manuscripti codices hodie exhibent. Hac collectione utebatur Gelasius, cum toties canonum custodiam epistolis suis commendat: qui etiam canonis XX. Chalcedonensis sententiam expressit, eumque reverendorum canonum appellatione cohonestat in decretali epistola ad Episcopos Lucaniæ: *Quisquis desertor Ecclesiæ nullis existentibus causis ad aliam putaverit transeundum, temereque susceptus fuerit & promotus, reverendorum canonum vel ipse, vel receptor ejus atque provector constituta non effugiet, quæ de hujusmodi præsumptoribus præfixere servanda.* Quemadmodum Gregorius Magnus sacrorum canonum nomine Chalcedonenses intelligit, ut recte observavit Hincmarus. *Sacri canones simoniacam hæresim damnant*, inquit Gregorius, ad quæ verba notavit Hincmarus, nullam synodum ea de re statuisse præter Chalcedonensem. Ex antiqua collectione Symmachus Papa in Concilio Romano duos canones Gangrensis synodi protulit de oblationibus fructuum.

Gelasius in ep. ad Ep. Lucan.

Can. XX. Concil. Chalc.

Gregorius M. homil. XVII. in evang.

Hincm. Opusc. LV. capitul. c. 24 p. 473.

Syn. Rom. VI. sub Symm. anno 504.

VII. Antiquæ interpretationi nova successit, quam Dionysius Exiguus Abbas, qui sub Justiniano floruit, interpellatus a Laurentio Romanæ Ecclesiæ Presbytero, aggressus est, quia prisca illa, de qua diximus, confusione laborabat. Quo in opere eam rationem secutus est, ut Græcæ collectioni adhæreret. Itaque & canonum consequentiam per numerorum seriem a primo Nicæno usque ad canonem tertium Constantinopolitanum, qui est ultimus canon & centesimus sexagesimus quintus totius collectionis, observat. Tum omissis canonibus Concilii Ephesini, canones Concilii Chalcedonensis subjungit, atque testatur, *in his Græcorum canonum finem esse.* Collectioni, qua Ecclesia universalis tenebatur, adjungit ille quinquaginta canones apostolicos, Concilii Sardicensis canones, & Conciliorum Africanorum, quos Latine editos fuisse ait: de quorum canonum, ac præcipue Sardicensium, auctoritate plenissime dixi in exercitatione de judiciis canonicis Episcoporum. Integra collectio constat e centum sexaginta quinque canonibus antiquissimæ collectionis Græcorum, deinde XXVII. canonibus Concilii Chalcedonensis, XXI. Sardicensis, & CXXXVIII. Conciliorum Africanorum, præter quinquaginta apostolicos canones: quorum omnium summa redit ad CCCXCIV. canonum capita. Ceterum Dionysius, ut collectioni suæ nihil deesset, Pontificum Romanorum decreta, quæ ad disciplinam ecclesiasticam pertinebant, a Siricio usque ad Hormisdam, post canones subjunxit. Hæc secunda canonum interpretatio & collectio statim ab Ecclesia Romana obviis ulnis excepta est, ut testis est locupletissimus Cassiodorus, auctor illius seculi. *Ex Græcis exemplaribus*, inquit de Dionysio loquens, *canones ecclesiasticos moribus suis, ut erat planus atque disertus, magna eloquentiæ luce composuit, quod hodie usu celeberrimo Ecclesia Romana complectitur.* Canonum ex hac collectione petitorum auctoritate Contumeliosum Regensem Episcopum in Gallia ab episcopatus ordine suspendit Joannes II. Pontifex Romanus anno DXXXIV. literis hac de re ad Cæsarium Arelatensem datis, quibus capita canonum adjunxit, scilicet capitulum XXV. & XXIX. ex canonibus Antiochenis capitulum IX. & XV. quæ ad verbum e Dionysii interpretatione sunt expressa. Receptis a sede apostolica canonibus, omnes occidentis provinciæ

Dionysius in præf. *Quamvis charissimus frater noster Laurentius assidua & familiari cohortatione parvitatem nostram regulas ecclesiasticas de Græco transferre pepulerit, confusione credo priscæ translationis offensus.*

Vide lib. 7. c. 11. 12. 15. 16. 17.

Cassiod. c. 23. divin. lect.

Joannis II. ep. ad Cæsar. Arelat. Tom. 1. Concil. Gall. ex antiquis exemplaribus edita.

(*) Solent posteriores curæ derogare conceptis jam sententiis. Usurpatum id ab illustrissimo Archiepiscopo: qui negotio isto accuratius expenso adnotatum reliquit, collectionem illam, quæ in codice Justelli habebatur, quæque ante hos annos editionis honore donata est, anteriorem fuisse Concilio Chalcedonensi. Admonet deinde, novam canonum collectionem auctoritate Leonis Papæ I. confectam esse, post habitum illud Concilium, quæ sola viguit in occidente per sexaginta & amplius annos, donec altera quoque accessit Dionysii Exigui, quæ in quibusdam discrepat ab ea, quæ auctoritate Leonis composita est, ac nominatim in eo, quod canones apostolicos exhibet, quibus carebat vetus illa Concilio Chalcedonensi posterior. Unde Marca trahit argumentum, hanc esse collectionem canonum, qua Gallicana Ecclesia utebatur, quod ex Gregorio Turonensi pateat, canones illos apostolicos abfuisse ab ea, quæ apud Gallos recepta erat, ut adnotatum est in libro III. de concord. Sac. & Imp. cap. IV. §. III. Hujus porro collectionis, quæ post Concilium Chalcedonense prodiit, duo manuscripta exemplaria extare, affirmat Marca in bibliotheca monasterii Rivipullensis apud Catalanos, unde fortassis in lucem poterit emitti.

vinciæ ad dirimendas lites & judicia Clericorum exercenda statim usæ sunt.

Vide supra lib. 1. c. 3. §. 7. & lib. 7. cap. 8. §. 6. VIII. Cæterum prætermittenda non est canonum collectio, quæ in quinquaginta titulos distributa, Theodoreti Cyrensis Episcopi nomine extat in manuscripto codice bibliothecæ regiæ; præcipue, cum aliquoties ejus meminerimus in hoc opere, & nobis usui futura sit in iis, quæ sequuntur. Eam collectionem Joannes Scholasticus Patriarcha Constantinopolitanus, qui Justiniani temporibus floruit, collatione legum, sed præsertim Novellarum constitutionum ejusdem Principis, ad singulos titulos addita, ornavit. Unde sequitur, hanc collectionem Justiniani tempus antecessisse, atque adeo temporis rationem iis suffragari, qui Theodoreti genuinum opus esse censent. Quam ille ad usum privatum studiosorum concinnavit, ut in numerato haberent canones omnes, qui ad unum negotii genus referuntur, quorum sententiam & numerum tantum adnotavit. In judiciis autem, ubi solidæ & integræ leges, non vero synopses legum vel canonum proferebantur, collectioni isti nullus erat locus. Quidam eruditi viri eam a Theodoreto abjudicant, tribus potissimum de causis; tum ob canones apostolicos, quos laudat numero LXXXV. (qua de re abunde diximus capite superiori) tum ob canonem XXVIII. Chalcedonensis Concilii, quem expungit, licet collectio Græcorum eum agnoscat. Quod quidem verum est, si de collectione Photii & Zonaræ agatur. Sed antiqua collectio Græca, quam Dionysius Latine reddidit, viginti septem canones solum recenset, omisso XXVIII. quemadmodum & Theodorus Anagnostes libro primo collectaneorum. Tertia causa dubitandi petitur e canonibus Sardicensibus, quos Græci non admiserunt in vetere collectione. Quod sane certum est. Attamen aperta est ratio, cur Theodoretus eos in collectionem suam conjecerit: nempe, quod sede sua a Dioscoro Alexandrino in synodo Ephesina secunda depulsus, eorum canonum beneficio usus sedem apostolicam appellavit; & a Leone in communionem receptus, episcopalique dignitate restitutus, Imperatoris decreto & synodi Chalcedonensis irretractabili judicio, (ut cum Leone loquar) locum suum obtinuit. Quare nihil aliud a Theodoreto expectandum erat, quam ut canonibus Sardicensibus recensendis benignum se præstaret. Quod effecit, ut tandem Græci in Synodo Trullana Sardicenses canones susceperint, eosque collectioni antiquæ adjunxerint. Merito itaque Photium Nicolaus malæ fidei arguit, quod ignotos Græcis hos canones esse simularet, cum & in codice canonum, & in collectione quinquaginta titulorum publice apud illos legerentur. Qua de re dixi libri II. c. XV. §. IX. Hanc autem collectionem seu Nomocanonem in quinquaginta titulos digestum, quo legum & canonum collatio quædam continetur, nullo fere loco habitum temporibus suis testatur Balsamo, eo, quod Photii collectio uberior & utilior omnino visa esset.

Theod. Anagn. κζ, κανόνων κ' ἔθηκε.

Balsamo in supplemento p. 1222.

CAPUT IV.

De auctoritate collectionis canonum per Galliam, & Hispaniam, ut & collectione Martini Bracarensis.

SYNOPSIS.

I. Galli collectione antiqua a Concilio Chalcedonensi probata usi sunt, ex Conciliis Agathensi, Aurelianensi, Epaonensi & Cæsario Arelatensi.

II. Probabile videtur, amplexos deinde interpretationem Dionysii, ex Concilio Aurelianensi.

III. Liber canonum *dicitur a Gregorio Turonensi, ex quo patet, canones apostolicos olim a Gallis receptos non fuisse. Corruptus canon XXV. in causa Prætextati. Nondum admissi erant in censum canonum temporibus Hincmari. Dubiæ auctoritatis dicuntur esse in collectione Isidori. Recepti tamen olim quinquaginta priores a sede Romana.*

IV. Codex canonum non solum receptus in Galliis, sed etiam in Hispania; ubi nova collectio concinnata est a Martino Bracarensi. Zacharias, responso ad consultationem Pipini, extinctam codicis illius in Gallia memoriam renovat. Eum codicem dono dedit Carolo M. Hadrianus Papa.

V. Codex ille vigebat adhuc sub Leone quarto. Ejus verba explicata de decretalibus, quæ habentur in canone.

VI. Ecclesia Gallicana non solum utebatur in judiciis codice canonum, sed etiam canonibus Gallicanis, e synodo Vasensi, & Cæsario & Agobardo. Qui etiam obtinebant in Hispania.

I. Ecclesia Gallicana canones antiquos, qui a Concilio Chalcedonensi probati fuerant, & collectione antiqua continebantur, tenacissime observavit. Huc referenda sunt verba Concilii Agathensis, canone primo: *In primis id placuit, ut canones & statuta patrum per ordinem legerentur*, id est, ut codex canonum antiquorum, imo & Gallicanorum, coram synodo, serie temporum servata, recitaretur. Sane ad canones Ancyranos, Gangrenses & Africanos respexit canon septimus Concilii Agathensis, cum de rebus Ecclesiæ conservandis aut alienandis decernit, *sicut prisca canonum præcepit auctoritas*. In Concilio Aurelianensi primo *antiquorum canonum statuta* servanda præcipiuntur, ut omnia bona ecclesiastica in Episcopi potestate consistant, quod ad canones Antiochenos referre oportet. Concilium Epaonense pœnitentiam homicidis indicendam statuit, *quam Ancyritani canones decreverunt*. Quantam vero reverentiam canonibus antiquis in ea collectione comprehensis Gallicani Episcopi deferrent, docet Cæsarius Arelatensis; qui acceptis canonum titulis, quos e collectione Dionysii transcriptos Joannes II. ad Cæsarium miserat, illorum canonum auctoritate Contumeliosi conatus repellit. *Nemo mihi alia qualibet*, inquit, *contra auctoritatem sedis apostolicæ, aut contra CCCXVIII. Episcoporum præcepta*, (id est, Synodi Nicænæ) *vel reliquorum canonum statuta objiciat: quia, quicquid contra illorum definitionem, in quibus spiritum sanctum locutum esse credimus, dictum fuerit, recipere non solum temerarium, sed etiam periculosum esse non dubito.*

Concil. Aurel. c. 15. an. 511.

Concil. Epaon. c. 31. an. 517.

Concil. Arelat. T. 1. Concil. Gall. an. 534.

II. Usum autem collectionis Dionysianæ statim atque edita fuit, priore interpretatione spreta, per Gallias invaluisse, mihi facile persuadeo, tum, quia apud sedem apostolicam vigebat, tum etiam, quod nitore suo commendabatur præ squalore veteris interpretationis; etsi hanc omnino Galli non deseruerint. Quibus conjecturis addenda est probatio desumpta e canone III. Aurelianensis Concilii habiti anno DXXXVIII. ubi decreta Leonis Papæ de Metropolitanorum electione proferuntur; quæ petita cum sint ex epistola data ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum, apud Gallos decretorum nomine valere non poterant, nisi ex eo, quod collectioni Dionysii sub decretorum appellatione inserta essent, cujus auctoritatem Gallicani Episcopi amplexi fuerant.

Concil. Aurel. III. can. 3. *Ipsi tamen Metropolitanus a comprovincialibus Episcopis, sicut decreta sedis apostolicæ continent, cum consensu cleri vel civium eligatur.*

III. Hic est liber canonum, quem Rex Chilpericus ad Episcopos transmisit anno DLXXVII. cum damnationem Prætextati Rothomagensis Episcopi urgeret. De quo ista sunt Gregorii Turon. verba: *Ipse vero*, scilicet Rex, *ad metatum discessit, transmittens librum canonum; in quo erat quaternio novus adnexus habens canones quasi apostolicos continentes hæc: Episcopus in homicidio, adulterio & perjurio deprehensus a sacerdotio divellatur.* Hic locus duo ostendit, librum seu codicem canonum apud Gallos ad controversias dirimendas usurpatum fuisse, & canones apostolicos, etiam post editum Dionysii codicem, a Gallicanis Episcopis rece-

Gregor. Turon. l. 5. c. 19.

receptos non fuisse. Canon relectus in synodo Parisiensi, cujus summam retulit Gregorius, est canon apostolicus XXV. in quo nulla mentio homicidii, sed perjurii, adulterii & furti; ita, ut corruptus esse videatur ad premendum Prætextatum, qui se designati homicidii reum esse spe veniæ professus est. Novus ille quaternio adjectus ad codicem canonum complectebatur canones apostolicos. Unde colligere licet, codicem Gallicanum iis caruisse: quia, cum extra numerum & consequentiam canonum antiquæ collectionis in limine libri a Dionysio sint adjecti, facile fuit Episcopis Gallicanis, qui eorum auctoritate teneri nolebant, ab iis exscribendis sibi temperare. Eadem sententia resedit majoribus nostris, etiam in secunda dynastia: qui, licet eos canones in codices suos transcripserint, non eo tamen consilio id egerunt, ut eorum decretis omnino adstringerentur, quemadmodum testatur Hincmarus. *Canones, qui vocantur Apostolorum*, inquit, *antequam Episcopi Concilia libere inciperent celebrare, a devotis quibusque collecti, in quibus quædam receptabilia, quædam vero sunt non servanda. De quibus interdum quædam assumpta sunt in Conciliis, quædam a maximis & precipuæ auctoritatis viris in suis opusculis, sicut & de apocryphis, assumpta fuisse legimus, quoniam in quibusdam ad instructionem valent. Et ideo, sicut majorum traditione dicimus, seorsum ante Concilia in canonum libris ad instructionem & propter vulgatam eorum famam ponuntur.* Infra: *Ceterum iidem canones, qui vocantur Apostolorum, non ab Apostolis conscripti esse creduntur.* Mox: *Sed & B. Gelasius in cathalogo, qui libri ab Ecclesia recipiantur, de his Apostolorum canonibus penitus tacuit, sed nec inter apocrypha eos misit. Quapropter in lectione illorum sequenda est cautela, ab eodem S. Gelasio præmonita. Cum hæc*, inquit *ad catholicorum manum advenerint, beati Pauli Apostoli præcedat sententia, quæ dicit: Omnia probate, quod bonum est, tenete.* Incidit Hincmarus in codicem mutilum synodi Romanæ sub Gelasio, in quo liber canonum apostolicorum erat omissus, qui in vulgatis codicibus inter apocryphos recensetur, ut dixi capite superiori. Ceterum collectio Isidori non dissimulavit etiam, quinquaginta capitula horum canonum ab omnibus non probari, cum in genere antea de omnibus dixisset, ab hæreticis esse confictos & a sede apostolica repudiatos. Quod sane de quinquaginta canonibus dici non potest, quos sedes apostolica inter ceteros canones numeravit; ut patet e Joannis II. epistola & decretis Zachariæ, quæ Isidori collectionem præcedunt. Itaque recte Leo IV. ceteris canonibus, quos Ecclesia Romana in judiciis sequebatur, apostolicos quinquaginta adjungit; & Humbertus Silvæ-Candidæ Episcopus in disputatione adversus Nicetam his solis vim canonum tribuit, ceteris in numerum apocryphorum rejectis.

Vide Baluzii Notas ad Agobardum pag. 121.

Hincm. opusc. LV. Capitul. cap. 24.

Isidorus in Præfat. *Propter eorum auctoritatem ceteris præponimus canones, qui dicuntur Apostolorum, licet a quibusdam apocryphi dicantur.*

Joannes II. an 534. Zacharias an. 747.

Humbertus anno 1049. *Canones Apostolorum numerant inter apocryphos, exceptis capitulis 50. quæ decreverunt regulis orthodoxiæ adjungenda.*

IV. Ceterum e loco Gregorii Turonensis egregie probatur usus codicis canonum, qui obtinebat in Gallia. Ejus auctoritas recepta quoque erat in Hispania, ut patet ex Concilio Bracarensi habito anno quingentesimo sexagesimo tertio. Verum Martinus Bracarensis Episcopus, qui e Græcia migraverat in Hispaniam, novam collectionem instituit, eo consilio, ut Latinæ interpretationi vel obscuræ, vel minus emendate scriptæ consuleret, atque contractis in pauca canonum verbis unum capitulum e variis locis interpolaret; ea methodo usus, ut, quæ ad Episcopos & clerum pertinerent, in prima parte, quæ ad laicos, in secunda conscriberet. Hæc collectio a Concilio Lucensi in Gallæcia probata fuit anno DLXXI. quam sæpe laudat Gratianus sub nomine Martini Papæ in Concilio. Eversa tandem per bellorum civilium motus in Galliis ecclesiastica disciplina, cum Pipinus Major domus de ea restituenda sollicitus, consilio Ecclesiæ Gallicanæ Zachariam Papam de quibusdam articulis consuluisset anno DCCXLVII. summus Pontifex viginti septem capitulis consultationi respondit, quæ canonibus & decretis Pontificum e collectione Dionysii ad verbum transcriptis munivit. Ubi profert canones apostolicos, Ancyranos, Neocæsarienses, Antiochenos, Chalcedonenses, Africanos, & decreta Siricii, Innocentii, Leonis & Gelasii, iisdem numeris distincta, quibus apud Dionysium. Tandem Hadrianus primus codicem illum Carolo Magno dono dedit, ut testantur versus Hadriani ad Carolum perscripti: *A lege nunquam discede, hæc observans statuta*; non, quod Gallia eo libro careret; sed, ut munere illo, quæ partes Regis essent, & omne studium ad tuendos canones & decreta Pontificum, illo codice comprehensa, impendere admoneretur. Quod ille sane egregie præstitit, & successoribus suis exemplum hujus curæ subeundæ præbuit. Porro in Capitularibus suis non solum Dionysii interpretatione, sed etiam veteri, quæ extat in collectione Isidori, promiscue utitur.

V. Codex ille canonum auctoritatem suam inviolatam retinebat anno DCCCXLIX. cum Leo IV. Pontifex, relatione Episcoporum Britanniæ consultus, respondit, apostolicam sedem in ecclesiasticis judiciis canones tantum usurpare & *decretalium regulas, id est*, inquit, *quæ habentur apud nos simul cum illis in canone*. Tum canones recenset & decreta Pontificum, quæ collectione Dionysii continentur. Locus hujus epistolæ, quæ integra extat tomo tertio Conciliorum Galliæ, relatus apud Gratianum, sinceram genuinamque Leonis mentem prodit. Etenim supposititiis antiquorum Pontificum epistolis, quæ jam a sexaginta annis sub Isidori nomine consarcinatæ, per Europam sparsæ vulgabantur, locum inter canones dare noluit. Hæc est enim verborum illorum sententia, cum de regulis decretalium loquitur, *id est, quæ habentur apud nos simul cum illis in canone*; statimque non Anacleti, Evaristi, ceterorumque Pontificum ψευδεπιγράφους epistolas enumerat, sed Siricii, Innocentii, Zosimi & aliorum Pontificum, quæ habentur in collectione Dionysii. Quare, quod Leo Pontifex ad cetera decreta Silvestri canones adjungit, omnino delendum est; quia, sine dubio, vitio exscriptoris in textum irrepsit; præsertim cum illa tempestate nondum canones Silvestri nec apud sedem apostolicam, nec apud provincias recepti fuissent, ut docet Hincmarus.

C. *De libellis*. Dist. 20.

Hincmarus ep. 7. c. 22. & seqq. edit. Mogunt.

VI. Observandum tamen est, Ecclesiam Gallicanam in controversiis dirimendis non solo codice canonum usam, sed etiam Gallicanarum synodorum canones usurpasse, quorum apud majores nostros non vilis erat auctoritas. Etenim, ut inquit Concilium Vasense, *omnia, quæ a sanctis sacerdotibus vel clericis observari debent, & antiqui & novelli canones probare videntur*. Quare Cæsarius Arelatensis in causa Contumeliosi Regensis Episcopi non solum canones a Joanne II. prolatos encyclica sua epistola complexus est, sed etiam Gallicanos canones, quos a ceteris hoc lemmate distinxit: *Incipiunt tituli canonum Gallicani*. Statimque subjungit canonem IV. Concilii Valentini, canonem IX. Concilii Aurelianensis, XXIII. Arausicani primi, & XXII. Concilii Epaonensis. Tum epistolam suam his verbis claudit: *Ecce manifestissime constat, quia secundum quod & tituli antiquorum patrum, sed & canones Gallicani continere videntur, clerici in adulterio deprehensi, aut ipsi confessi, aut ab aliis revicti, ad honorem redire non possint*. Canonum Gallicanorum usum in Hispania propagatum fuisse, docet Concilium Tarraconense habitum an. DXVII. cum decernit de monachis, *canonum ante omnia Gallicanorum constitutionem esse servandam*. Quoniam vero, ut docuit Augustinus, Concilia provinciarum plenariorum Conciliorum auctoritati, quæ fiunt ex universo orbe Christiano, sine ullis ambagibus cedunt, canones Gallicani in iis causis obtinent, quæ canonibus antiquis definitæ non sunt. Hoc monuit Agobardus Episcopus Lugdunensis, qui sub Ludovico Pio

Conc. Vasense an. 529.

Cæsarii ep. an. 534.

August. l. 2. de Bapt. c. 3.

Agobardus in libro adversus legem Gundobadi c. 13.

Pio floruit, canonum Gallicanorum sanctiones non esse passim æquali auctoritate recipiendas, *ut Niceni, Chalcedonensis, & ceterorum generalium ex totius mundi consensu congregatorum & receptorum; sed, quia congrua veneratione pro causis necessariis, quarum definitiones in illis generalibus non inveniuntur, fides sit eis adhibenda religione debita.*

CAPUT V.

De collectione Isidori, & ejus per Galliam auctoritate.

SYNOPSIS.

I. Antiquo juri successit jus novum ex collectione Isidori. Hæc, præter canones, complectitur epistolas veterum Pontificum. Quæ germanæ non sunt, ut colligitur e Dionysio Exiguo. Quod etiam probatur e Bellarmino & Baronio Ill. Cardinale & auctore Pseudo-Isidori. Concinnata sunt ex antiquis epistolis & canonibus, ut plurimum.

II. Riculfus ex Hispania in Gallias hanc collectionem detulit. Isidoro Hispalensi tributa, Hincmari ætate. Quare non affingenda, ut fit vulgo, Isidoro Mercatori. Qui peccator dicitur in aliis codicibus. Isidoro Hispalensi tribui non potest. Chronicon Juliani meminit Isidori Mercatoris Episcopi Setubensis.

III. Riculfus Moguntinus Episcopus devotus Ecclesiæ Romanæ. Sententiæ harum epistolarum transcriptæ primo in Concilia Gallicana; tacito auctorum nomine. Deinde auctoribus aperte laudatis.

IV. Emersit per Gallias alia collectio sub nomine Capitulorum Hadriani Papæ; unde aliqua transcripta in collectionem Isidori, quæ apud Gallos auctoritate canonica non vigebat ætate Hincmari.

V. Ejus sententia de his epistolis, suscipiendas venerabiliter, *sed canones servandos* inviolabiliter.

VI. Nicolaus urget Gallicanos Episcopos, ut has epistolas admittant in canonem. Quod illi facere recusant.

I. ANtiquo juri universalis Ecclesiæ assensu roborato successit jus novum, quod ab anno DCCCXXXVI. publicari cœpit, & adnitente Nicolao I. & ceteris Romanis Pontificibus paulatim usu invaluit per occidentis provincias. Jus illud comprehensum est collectione Isidori; quæ ex Clementis, Anacleti, Evaristi, & antiquorum Pontificum epistolis, qui tempora Siricii præcesserunt, & e canonibus tam antiquis quam Gallicanis & Hispanicis compacta est. Epistolæ illæ apud eruditos viros gravi suspicione laborant; tum ob verborum sordes a secundi seculi, quo datæ dicuntur, elegantia & nitore alienas, tum ob styli similitudinem & eundem scribendi characterem, qui in omnibus epistolis occurrit; ita, ut ab uno auctore, non a diversis Pontificibus, conscriptæ esse videantur. Accedit usus frequentissimus vulgatæ scripturarum versionis. Unde fit, ut post Hieronymi ætatem effictas esse, necesse sit. Deinde & Hieronymo, qui scriptorum ecclesiasticorum cathalogum texuit, & Innocentio, Leoni, ceterisque Pontificibus, quorum germanæ epistolæ ad nos pervenerunt, omnino fuerunt incognitæ. Turrianus his similibusque argumentis a Magdeburgensibus prolatis satisfacere conatur, edito in eam rem volumine. Sed fortasse cessisset Dionysii Exigui testimonio: qui, cum veterum Pontificum epistolas jam a centum & mille annis cum summa diligentia colligeret, a Siricio initium suæ compilationis facit. Hæc sunt ejus verba in epistola ad Julianum Ecclesiæ Romanæ Presbyterum: *Præteritorum apostolicæ sedis Præsulum constituta, qua valui cura & diligentia, collegi, & in quendam redigens ordinem, titulis distinxi compositis; ita duntaxat, ut singulorum Pontificum, quotquot a me præcepta reperta sunt, sub una numerorum serie terminarem.*

Dionysii Exigui epistola ad Julianum Presbyterum, edita a Fr. Florente.

Fortius vero urget Antonii Augustini Archiepiscopi Tarraconensis observatio: qui primus adnotavit ipsa legum imperatoriarum verba, & quæ sub Aniani nomine extant ad codicem Theodosianum scholia, in illis epistolis usurpata fuisse, quamvis Pontifices, quibus epistolæ tribuuntur, duobus & tribus seculis Codicis Theodosiani editionem præcesserint. His argumentis victus Ill. Bellarminus has epistolas *indubitatas*, inquit, *esse, affirmare non audeam*. Sed apertioribus verbis Illustr. Baronius eas ab iis auctoribus, quibus tribui solent, data opera abdicavit: *Ex multis eas reddi suspectas epistolas, quæ dicta sunt secundo Annalium tomo, dum de singulis mentio facta est, satis est demonstratum; simulque ostensum, illis non indigere Romanam Ecclesiam, ut, si falsitatis arguantur, suis ipsa destituatur juribus & privilegiis; cum, etsi illis careat, ex legitimis germanisque aliorum Pontificum epistolis decretalibus satis superque corroborata consistat. Ceterum, quod excerpta ex illis capita Benedicto Levita primum, ut canonibus consentientia probata essent, ut ipse testatur, auctoritate Romanorum Pontificum, quod & a posterioribus factum est collectoribus, eadem usupotius recipi contigerunt, quam constanti ipsorum firmitate.* Bellarmini & Baronii auctoritate fultis liberum erit venerandos Pontificum veterum titulos epistolis illis detrahere; præsertim, cum eruditissimi viri industria ab aliquot annis eo processerit, ut sententiæ & verba ipsa, ex quibus epistolæ contextæ sunt, a quibus auctoribus petita sint, accuratissime demonstraverit. Cui tamen in eo suffragari non possum, quod atrocioribus verbis epistolas dilacerat: quas e sententiis & verbis legum, canonum antiquorum, & sanctorum patrum, qui quarto & quinto seculo floruerunt, si pauca demas, concinnatas esse constat.

Ant. Augustin. in Notis ad Capitula Hadr.

Bell. de Rom. Pont. l. 2. c. 14.

Baron. ad ann. 865. §. 8.

David Blondellus in Pseudo-Isidoro, edito ann. 1628.

Epistolæ illæ suppositiciæ non extant in veteri codice MS. Ecclesiæ Vrgellensis, quo Isidori collectio continetur.

II. Hanc vero epistolarum & canonum collectionem Riculfo Episcopo Moguntino debemus, qui eam ex Hispania allatam penes se habuit & Gallis communicavit, teste Hincmaro: *De libro collectarum epistolarum ab Isidoro, quem de Hispania allatum Riculfus Episcopus Moguntinus in hujusmodi, sicut & in capitulis regiis, studiosus obtinuit; & istas regiones ex illo repleri fecit.* Quisquis auctor hujus collectionis fuerit, illustri nomine Isidori Hispalensis eam commendare voluit. Eo enim nomine insigniebatur temporibus Hincmari, id est, anno octingentesimo septuagesimo. Quare non assentimur viris doctis, qui manuscriptos codices secuti, Isidorum Mercatorem collectionis auctorem faciunt. Etenim, etsi fateamur, in quibusdam codicibus eam lectionem extare, in plerisque tamen & melioris notæ libris compilator iste Isidorus *peccator* dicitur, unde manavit, vitio amanuensium, Mercatoris dictio. Peccatoris autem appellatio inde fluxit, quod Episcopis quibusdam solenne fuerit, in Conciliis peccatores se ipsos inscribere; quemadmodum videre est in Concilio Turonensi primo, in Parisiensi tertio, in Turonensi secundo, & in Matisconensi primo. Qua ratione & apud Græcos Episcopi ἁμαρτωλοὶ vocari amabant. Certum quidem est & omnino indubitatum ex sententia illustrissimi Cardinalis Baronii, sordes verborum, quæ aliquoties in illa collectione occurrunt, in Isidorum Hispalensem laudatissimum & eruditissimum virum non esse rejiciendas: qui, etsi in Originum libris aliquando lapsus fuerit, variæ tamen & reconditæ lectionis specimen præbet, unde antiquariorum studia maxime juvantur. Inde autem colligitur, Isidoro Hispalensi non esse tribuendam istam collectionem, quia & Concilii Toletani undecimi habiti anno DCLXXV. & Concilii sexti coacti an. DCLXXXI. meminit, quadraginta & amplius annis post obitum Isidori, qui accidit anno DCXXXVI. ut docet Redemptus Diaconus

Hincmarus in opusc. LV. Capitul. c. 24.

Hincmarus ep. 7. cap. 12.

Isidorus Hispalensis Episcopus collegit cum epistolis Romanæ sedis Pontificum a S. Clemente usque ad B. Gregorium.

Baron. ad annum 865. §. 5.

Vide infr. lib. 7. cap. 20.

conus in ejus vita. Imo vero & Gregorii II. & III. & Zachariæ summorum Pontificum, qui post annum septingentesimum vixerunt, epistolas auctor ille collectioni suæ inseruit. Si fides habenda esset Chronico Juliani Toletani a viro clarissimo Laurentio Ramiresio Parisiis edito, non laborandum esset de collectionis auctore. Etenim juxta Chronici illius fidem Isidorus Mercator Episcopus Setubensis ope monachi cujusdam compilationi operam dedisse dicitur, & obiisse anno octingentesimo quinto. Verum, quia Chronicum illud apud eruditos viros suspicione non caret, satius est Hincmari testimonio hærere; qui non Mercatori Setubensi Episcopo, sed Isidoro Hispalensi, ætate sua collectionem tributam fuisse testatur.

III. Riculfus autem, a quo publicatam fuisse docet Hincmarus, Ecclesiam Moguntiacam tenuit ab anno DCCLXXXVII. usque ad annum DCCCXIV. & sedem apostolicam devote coluit, ut testis est auctor præfationis ad Benedicti Levitæ collectionem. Quod fortasse illi epistolarum interpolandarum desiderium injecit, ut labantem Romanæ Ecclesiæ auctoritatem in Galliis restauraret. Sane, post tempora Riculfi sententiæ aliquot selectæ ex supposititiis epistolis a Gallicanis Episcopis in canones suos transcriptæ sunt. In Concilio Aquisgranensi habito an. DCCCXXXVI. quæ de unctione olei infirmorum seu chrismate ab Episcopis quotannis consecrando in cœna Domini decernuntur *juxta statuta decretalium*, e secunda epistola Fabiani hausta sunt, etsi tacito Fabiani nomine. Ceterum frequentissime ab Episcopis laudata fuisse verba epistolarum illarum decretalium & earum auctoritatem usurpatam, probant tres ultimi capitularium libri: quos e scriniis Ecclesiæ Moguntiacensis in unum corpus compegit Benedictus Levita jussu Autgarii ejus Ecclesiæ Episcopi, eosque Lothario, Ludovico & Carolo nobilissimis Regibus, filiis Ludovicii Pii, inscripsit circa annum octingentesimum quinquagesimum. In iis libris passim e Clementis, Anacleti Pii, Evaristi, Fabiani, & ceterorum Pontificum apocryphis epistolis, quamvis suppresso auctorum nomine, auctoritas petitur, quod usurpatum etiam ab auctoribus Additionum, quæ libris capitularium adjunctæ sunt. Quin & Hincmarus ipse Anacleti, Evaristi, Fabiani, Stephani, Lucii, Alexandri, Pii, Callisti, Julii, Melchiadis testimoniis aperte usus est in epistolis suis & aliis opusculis.

Conc. Aquisgran. parte 2. cap. 8.

Hincmarus ep. 8. & ep. ad Ludov. in tract. de divortio Lotharii, in Opusc. c. 15. Vide Baluzii præfat. ad Dial. Ant. Augustini §. 4.

IV. Non solum autem Isidori collectio Riculfi tempestate emersit, sed alia etiam collectio, quæ sub nomine Capitulorum Hadriani Papæ per Gallias ab Ingilramno Metensi Episcopo an. DCCLXXXV. divulgata est. Ex his capitulis quædam in epistolas Pontificum, qui eas interpolavit, ipsis verbis transcripsit, imo & ipsæ Capitularium Additiones Capitulis Hadriani aliquoties utuntur.

Attamen observandum est, etsi Gallicanæ synodi veterum Pontificum nominibus perstrictæ selectis sententiis epistolarum ejusmodi uterentur, collectionem Ingilramni aut Isidori non recepisse in canonum censum, ut testatur Hincmarus Remensis in Opusculo, quo Hincmarum Laudunensem refellit, qui ex illis epistolis collectionem privatam ad usum Ecclesiæ suæ consuerat. De Capitulis enim Hadriani ita censet: *De sententiis, quæ dicuntur ex Græcis & Latinis canonibus, & synodis Romanis atque decretis Præsulum ac Ducum Romanorum collectæ ab Hadriano Papa, & Engelramno Metensium Episcopo datæ, quando pro sui negotii causa agebatur, quam dissonæ inter se habeantur, qui legit, satis intelligit, & quam diversæ a sacris canonibus, & quam discrepantes in quibusdam ab ecclesiasticis judiciis habeantur.*

Hincm. in Opusc. cap. 24.

V. Quid autem de veterum Pontificum epistolis sentiret, apertissime ostendit eodem loco. Docet enim ex Innocentii, Leonis & Gelasii receptis decretis accurate servanda, quæ canones Conciliorum præscribunt; a quibus tamen discederetur, si varia capita controversis epistolis comprehensa servarentur, quæ adversa sunt canonibus: qui posteriores cum sint iis epistolis, illis, utpote prioribus, derogare censendi sunt. Unde tandem orationem suam hac definitione concludit, honorem quidem iis epistolis deberi ob dignitatem auctorum, quorum nomina præferunt; sed Concilia servanda, quorum decreta universalis Ecclesia & sedes apostolica custodit. *Tu hac discretione*, inquit, *ut præmissi ex verbis Gelasii, suscipe ad instructionem, illas epistolas, quas beatissimi Papæ diversis temporibus ad urbe Roma pro diversorum patrum consolatione dederunt legendas venerabiliter, & serva sacra Concilia, quæ sedes apostolica & omnis sequitur Ecclesia inviolabiliter.* Uberius quæstionem istam exequitur, cum Laudunensis Hincmari verba refellit: qui prolatis Anacleti, Victoris, Callisti & Eleutherii testimoniis, his verbis usus erat ad Hincmarum Remensem: *Ecce Pater, qui canones recipiendi, venerandi ac observandi habeantur.* Excipit Hincmarus noster: *Si isti sunt canones recipiendi, venerandi, ac observandi, quos commemorasti, qui sunt illi, quos & apostolica sedes & omnes Episcopi per universum orbem a primæ sedis apostolicæ Pontifice usque ad illum, qui modo novissime etiam post te est ordinatus Episcopus, imo & omnis catholica Ecclesia, canones appellant, quique a Niceno Concilio, quod primum in nostris codicibus, quos ab apostolica sede majores nostri acceperunt, sequendos per ordinem, usque ad Africanum Concilium, pro canonibus recipiendis, venerandis & observandis retinent, & Innocentius, Zosimus & ceteri quique observandos canones nominant. Inter quos & istas epistolas apostolicæ sedis Pontificum, quas canones appellas, Gelasius, ut supra posui, differentiam facit, & illa Concilia canonum observanda decrevit, has autem epistolas pro consolatione quorundam directas venerabiliter suscipiendas dicit.* Quod iterum confirmat in epistola, quam retulit Flodoardus auctor historiæ Remensis. Ex isto Hincmari loco discimus, apud Episcopos Ecclesiæ Gallicanæ solum codicem canonum ex collectione Dionysii Exigui, quem superioribus verbis descripsit circa annum DCCCLXX. auctoritatem obtinuisse, epistolas vero contentas in collectione Isidori, non repudiatas quidem ab Episcopis, quia de falsitate illarum nondum constabat, sed in auctoritatem canonum non fuisse receptas. Qua in re præjudicio Leonis IV. utebantur, qui has epistolas decretales in canone non recensebat, ut monui capite superiori §. V.

Hincm. in Opusc. cap. 25.

Hincm. in Opusc. cap. 43.

Flodoardus l. 3. hist. Rem c. 22.

VI. Contenderat tamen Nicolaus literis ad universos Galliæ Episcopos datis an. DCCCLXV. ut Decreta illa reciperentur, & magno conatu Gallicanorum Episcoporum argumenta repulerat. Excipiebant enim illi, decretales epistolas priscorum Pontificum ideo non admittendas, quod in codicem canonum non essent relatæ. Reponit Nicolaus, ex hoc sequi, nec ipsas scripturas sacras veteris & novi testamenti suscipiendas, quia codici ecclesiasticorum canonum non sunt insertæ. Si autem Galli respondeant Innocentii decreto, quod in codicem canonum relatum est, statui, ut testamentum vetus & novum recipiatur, eadem ratione dici posse, decretales illas epistolas esse recipiendas, quia decreto Leonis Papæ cavetur, omnia decretalia constituta decessorum suorum custodienda esse. Itaque nihil interesse, *utrum sint omnia decretalia sedis apostolicæ constituta inter canones Conciliorum immixta, cum omnia in uno corpore compaginari non possint.* Quod Nicolaus confirmat Gelasii Papæ definitione, cujus hæc sunt verba: *Decretales epistolas, quas beatissimi Papæ diversis temporibus de urbe Roma pro diversorum patrum consultatione dederunt, venerabiliter suscipiendas decernimus.* Hic Gelasii locus a Nicolao & Hincmaro trahitur in partes. Sane, si commentitiæ non essent epistolæ veterum Pontificum, Gelasius Nicolai causam juvaret potius, quam Hincmari. Sed aliud Hincmari argumentum invictum

Nicolaus ep. 42.

Gratianus cap. Si Romanorum. dist. 19.

victum remanet, nempe canonibus posterioribus derogatum fuisse priscis illis decretalibus, etsi veræ forent; quarum ratio habenda non sit in iis capitibus, quæ codici Canonum adversantur. In ceteris enim articulis Galliæ Episcopi testimoniis harum epistolarum utebantur, ut ante dixi. Quod illis Nicolaus objiciebat. *Cum ipsi*, inquit, *suæ intentioni hæc suffragari conspiciunt, illis indifferenter utuntur.*

CAPUT VI.

De receptione epistolarum Pontificum veterum in Gallia, & variis aliis collectionibus & incrementis juris canonici.

SYNOPSIS.

I. Quæritur causa contentionis inter Nicolaum & Episcopos Gallicanos ob antiquas decretales. Scilicet, ut nova regula illis epistolis asserta constitueretur in synodis & judiciis Episcoporum, quæ inconsulto Romano Pontifice peragi prohibentur, etiamsi appellatum non fuerit.

II. Tandem epistolæ illæ receptæ sunt initio tertiæ Regum dynastiæ, ut patet e Concilio Remensi. Collectio Burchardi his epistolis aucta. Ivonis quoque, qui primus in occidente jus civile cum canonico in unum corpus compegit. Ecclesia Gallicana usa olim codicis Theodos. libro XVI. Gratiani collectio ejusque auctoritas.

III. De collectionibus decretalium breviter.

IV. De novi juris incremento, unde processerit. Juris constituendi auctoritas revocata fere ad summum Pontificem & novæ negotiorum species corpus juris auxerunt. Novus ordo judiciorum ecclesiasticorum. Beneficiorum institutio. Matrimoniorum impedimenta & judicia. Novæ constitutiones de excommunicationibus, de religiosis, de privilegiis & exemptionibus. Is est rerum status, ut antiquum jus sufficere non possit ad dirimendas controversias.

V. Ex superioribus confutatur Leschasserii sententia, qui veram libertatem Ecclesiæ Gallicanæ constituit in jure antiquo. Ea sita est in recto antiqui & novi juris usu. Hæc est sententia B. Ludovici, Caroli VI. & Ecclesiæ Gallicanæ.

VI. Decretales Episcoporum administrationem temperarunt, non abstulerunt. Cui locus esset juxta juris antiqui regulas cogente necessitate.

I. Cum tantopere Nicolaus exegerit a Gallis, ut his epistolis in canonum censum admittendis faciles se præberent, ipsique tam constanter sententiam suam retinuerint, non alienum erit, in causam hujus contentionis inquirere. Eam mihi collegisse videor ex Hincmaro: qui prolato in Concilio Attiniacensi decem provinciarum an. DCCCLXX. quinquaginta quinque capitulorum opusculo, adversus Hincmari Laudunensis Episcopi collectionem edito, ejus consilium in illa collectione adornanda his verbis aperit: *Quærens adinventiones, ut te metropolitana subjectione posses exuere, libellum de patrum antiquorum scriptis ante sacros Nicænæ synodi & aliorum sanctorum canones editis collegisti, in quibus sententias inter se dissonas, & contra evangelicam & apostolicam atque canonicam & apostolicæ sedis auctoritatem immiscuisti.* Hæc una ratio Nicolao I. persuasit, ut se acerrimum vindicem earum epistolarum præstaret, quo facilius Episcopos Romanæ sedi *sine medio* subjiceret. Ex iis enim novam illam regulam veteribus canonibus incognitam constituit, scilicet Episcopum, etiamsi non appellaverit Romanam sedem, a synodo provinciæ inconsulto Romano Pontifice deponi non posse. Nicolai verba hæc sunt in epistola ad Episcopos Galliæ de Rothadi Episcopi Suessionensis causa loquentis: *Etsi sedem apostolicam nullatenus appellasset, contra tot tamen & tanta vos decretalia efferre statuta & Episcopum inconsultis nobis deponere nullo modo debuistis.* In eandem sententiam in Concilio Romano peroraverat, cum Rothadum restitueret: *Quanquam, etsi nunquam provocasset, nunquam omnino præter scientiam nostram deponi debuerit: quia sacra statuta & veneranda decreta Episcoporum causas, utpote majora negotia, nostræ definiendas censuræ mandarunt.* Statuta illa decretalia, quorum meminit Nicolaus, referri debent ad epistolas Victoris, Sixti, Marcelli, Zephyrini, Julii & aliorum Pontificum. Iis duo præcipue caventur. Primum, ut nulla synodus provincialis Episcoporum criminales causas definiat inconsulta Romana sede. Secundum, ut nulla synodus præter sedis illius auctoritatem cogatur. His duobus capitibus præcipuum discrimen juris antiqui & novi continetur. Unde effectum est, ut Metropolitanorum dignitas, & synodorum provincialium auctoritas, quæ in canonibus decernendis, aut judiciis reddendis vigebat, maxime debilitata sit, atque adeo novæ, quæ in dies emergere solent negotiorum species, non amplius in Conciliis Gallicanis, ut fieri solebat juxta mores antiquos, sed in Conciliis Romanis primum, deinde a solis Pontificibus discussæ & decisæ fuerint, licet synodorum provincialium congregationi & canonum condendorum potestati in universum Episcopi Gallicani renuntiare noluerint. Qua de re uberius tractavi in dissertatione de Conciliis Diœceseon. Quare mirandum non est, si Ecclesia Gallicana adeo rigide collectionem Isidori, quod ad illos articulos attinet, exploserit, & antiquos canones adversus novas decretalium regulas constantissime asseruerit, cum de judiciis Episcoporum & de synodorum provincialium potestate post Nicolai obitum cum Hadriano II. & Joanne VIII. disceptaret; ut docui in exercitatione de judiciis canonicis Episcoporum. [*Vide librum septimum.*]

II. Tandem vero eo deventum est, ut tantis nominibus veterum Pontificum cesserint una cum reliquis Episcopis etiam Gallicanæ Ecclesiæ rectores: qui in Concilio Remensi ab Hugone & Roberto Regibus Francorum coacto anno nongentesimo nonagesimo secundo, Anacleti, Julii, Damasi, & aliorum Pontificum epistolas expenderunt in causa Arnulphi, ac si in canonum censum receptæ essent. Quare Burchardus Wormatiensis Episcopus, cum novam collectionem canonum institueret circa annum millesimum vigesimum, eam, ex seculi sui sensu, primorum Pontificum epistolis auxit: quibus & selectos ex Augustino, Hieronymo, Gregorio & Isidoro locos adjunxit. Eandem rationem secutus est Ivo Carnotensis in ea collectione canonum, quam ad Ecclesiæ Gallicanæ usum circa annum millesimum & centesimum publicavit. Sed Burchardo in eo superior fuit, quod ante juris civilis promulgationem (quæ post obitum Lotharii II. studio Mathildis Comitissæ procurata est) quamplurima ex Digestis, Codice & Novellis transcripta in collectionem suam retulerit; ita, ut exemplo Joannis Scholastici & Photii Patriarcharum Constantinopolitanorum jus civile cum canonico conjunxerit. Utebatur quidem olim Ecclesia imperatoriis legibus ad judicia ordinanda; & Galliarum Episcopi Codicem Theodosianum sequebantur, ut docuit Hincmarus. Sed in occidente prima utriusque juris collectio debetur Ivoni Carnotensi; qui etiam canones in synodis provincialibus editos non omisit. Successit Gratianus, qui decretorum corpus nova quidem methodo adornavit; sed collectionem tam Dionysii Exigui, quam Isidori & Ivonis in partes dissectam in unum corpus industria sua temperatum compegit, & aliquot legibus, constitutionibus novis Pontificum & Conciliorum, & patrum locis amplificavit circa annum millesimum centesimum quinquagesimum. In scholis publice recitatur & quotidie prælegitur Gratiani Decretum. Sed, ut recte monuit vir

Flodoardus l. 3. hist. Rem. cap. 21. & 22.

Vide lib. 7. c. 23. & 24.

Nicol. ep. 42.

Nicol. in Concilio Rom. anno 865.

Vide librum sextum.

Hincmarus ep. 4. c. 6. edition. Mog. *Sextus decimus liber legum, quibus una cum sacris canonibus sancta moderatur Ecclesia.* Is est liber 16. Codicis Theodosiani.

vir eruditissimus Antonius Augustinus, cum Gratiani collectio privato studio instituta sit, quæ refert auctorum testimonia, non majori pollent auctoritate, quam antea obtinebant. Quare canonum & pontificiarum constitutionum excerpta suprema auctoritate apud omnes excellunt. Quæ vero e provincialibus Conciliis aut patrum libris accepta sunt, non omnes tenere possunt.

III. Gratiani Decretum subsecutæ sunt quinque decretalium epistolarum Alexandri III. Innocentii III. & Honorii III. Collectiones: quas excepit ultima Gregorii IX. de qua loquitur Matthæus Paris: *His quoque Gregorius IX. videns tædiosam decretalium prolixitatem, sub quodam compendio eas eleganter abbreviatas & collectas solenniter & authentice per totius mundi latitudinem legi præcepit & publicari*. Gregorium secuti, Bonifacius VIII. sextum librum decretalium, Clemens Clementinas constitutiones, Joannes Extravagantes suas, & alius quidam Extravagantes communes ediderunt. Quæ ideo Extravagantes dicuntur, quia extra Gratiani Decretum vagantur. His voluminibus comprehenduntur capita Conciliorum Lateranensium, Lugdunensis & Viennensis, quæ per varios titulos secundum subjectam materiam sparsa sunt.

Matthæus Paris in Henrico III. Vide eruditissimam Dissertationem Fr Florentii Antecessoris meritissimi de Origine Juris Canonici parte secunda.

IV. Quæri solet, qua ratione effectum sit, ut jus canonicum, quod per octingentos annos unico codice eoque non valde amplo continebatur, in tantam molem excreverit, ut lacertorum perinde ac ingenii viribus opus sit ad volumina illa terenda, & an jus novum a veteri magnopere deflexerit. Ardua quidem est quæstio proposita, cui secundum dignitatem discutiendæ multis verbis opus esset. Sed paucis, quod attinet ad præsens institutum, sententiam meam promam. Summum caput, in quo jus novum ab antiquo differt, in eo jam constitui, quod suprema potestas, quam in plerisque causis judicandis synodi provinciales obtinebant, penitus extincta sit, & ad solum summum Pontificem revocata, & ea, quæ in canonibus condendis versatur, sit adeo imminuta, ut Pontifici soli constitutionum condendarum onus incubuerit, quibus earum rerum formam præscribebat, de quibus apud illum erat disceptandum. Hinc secutus est novus judiciorum ecclesiasticorum ordo ad cognitiones per rescripta Pontificum instituendas in provinciis. Unde tot constitutiones emanarunt de rescriptis, de judicibus delegatis, de officio judicis ordinarii, de dilationibus, exceptionibus, sententiis & appellationibus; & de toto, ut generaliter loquar, judiciorum ordine. Hæc omnia olim non adeo exacte & solenniter exercebantur, ut novis constitutionibus est decretum; quæ magna ex parte in formulis actionum, & in tritura fori, anxie & scrupulose versantur. Ex alio deinde capite nova ecclesiasticæ politiæ facies oborta est, scilicet ex beneficiorum ab ordinationibus discretione. Antiquo jure, quod canone Concilii Chalcedonensis probatum erat, nullus ad clerum adsciscebatur, quin ad certam Ecclesiam sub Episcopi, Presbyteri, Diaconi & ceterorum ordinum gradu adscriberetur, adeo, ut manus impositionem sequeretur adscriptio in canonem, seu laterculum & matriculam Ecclesiæ. Hoc obtinet adhuc in Episcopis; sed in ceteris gradibus ordinationes ἀπολελυμένως & absolute fiunt, & absque titulo Ecclesiæ, contra præscriptum Concilii Chalcedonensis. Constitutum quidem fuit in Concilio Lateranensi, ne clerici ordinarentur absque titulo, saltem patrimonii; scilicet, ne in opprobrium cleri mendicare cogerentur. Sed hoc decreto non est restituta vetus disciplina, quæ clericos per manuum impositionem suis Ecclesiis addicebat. Separatio ista & discretio ordinationis ab Ecclesiæ seu beneficii collatione & pinguissimorum reddituum copia, novas in jus canonicum regulas invexit, antiquo juri prorsus incognitas, de beneficiis acquirendis, conservandis & amittendis, quæ fere utramque paginam novi juris faciunt. Matrimoniorum impedimenta novis interdictis ad tuendam honestatem publicam introducta, & revocatæ ad solam Ecclesiam earum causarum cognitiones, & cognitionum, quæ hac de re habentur, adstrictus forensibus formulis ordo, novam juri canonico materiam subministrarunt. Excommunicationum infligendarum & pœnitentiarum publicarum, quæ antiquo jure vigebant, temperatus jure novo rigor novis constitutionibus explicandus erat. Non omittendæ sunt multiplices monachorum species, & religiosarum domuum diffusa per Europam multitudo, quæ novis regulis & institutis Pontificum curam ad se traxerunt. Quin & indultæ monasteriis aut Canonicorum Capitulis exemptiones ab Episcoporum jurisdictione, & privilegia varia illis concessa, varias causarum figuras a Pontificibus disceptandas præbuerunt. Quæ omnia si quis accurate expendat, non adeo laborabit de discrimine antiqui juris & recentioris, quod rerum & negotiorum varietas ab invitis Pontificibus pro utilitate reipublicæ Christianæ extorsit. Itaque eo statu res Ecclesiæ nunc positæ sunt, ut, si quis de absoluta & integra restitutione juris antiqui, & novi abolitione contendat, perinde agat, ac si imperiorum inveteratorum administrationem ad eam formam revocare velit, quæ in ipsis regnorum initiis obtinebat. Hinc etiam sequitur, necessariam esse hodie decretalium cognitionem iis omnibus, qui juris canonici peritia censeri velint, ea tamen lege, ut antiqui juris cognitio non deferatur, quo vitio laborarunt superiora aliquot secula. Quod ab auctore librorum de hierarchia subcœlesti hæc verba expressit anno millesimo quadringentesimo sexto: *In Ecclesia Græca multi sunt Canonistæ, id est, scientes canones universalium & generalium Conciliorum; in Latina nulli sunt Canonistæ, sed multi Decretalistæ*.

Auctor MS. Hier. sub l. 1. cap. 15.

V. Eo tamen tendere videtur Leschasserii sententia, qui veram libertatem Ecclesiæ Gallicanæ antiquo jure metitur, quod curiarum decretis in usum paulatim revocari debere contendit. Nos vero, qui veteres laudamus, nostris tamen annis utendum esse censemus, & libertatem in recto antiqui & novi juris usu constituimus, necessariasque nostro seculo decretalium definitiones, quæ novis negotiis prospexerunt, non absque manifesta ratione existimamus. Non alia mens est aut B. Ludovici, aut Caroli VI. & totius Ecclesiæ Gallicanæ, cum libertatem Ecclesiæ in *jure communi* versari contendunt. Antiquos enim canones & jus commune intelligebant, quod Gratiani Decreto & Decretalibus erat comprehensum. Id manifeste probatur, non solum ex eo, quod vetus codex canonum illis esset incognitus, sed etiam e Concilio Constantiensi. Etenim sessione XXXIX. cum de fidei professione a Papa edenda caveret, non solum octo Concilia œcumenica ab illo conservanda decernit, sed etiam Lateranense, Lugdunense & Viennense. Quare seculo Caroli VI. Conciliorum generalium nomine Ecclesia Gallicana non solum vetera, sed etiam recentiora illa intelligebat. Enimvero in Gallia, quod ad disciplinam attinet, decretalium constitutis locum damus, cum bona Romanorum Pontificum venia, quæ nostris rebus, & utilitati publicæ accommodatæ sunt, id est, omnibus fere, paucissimis exceptis.

VI. Sane dissimulandum non est, eam, quæ jure divino Episcopis quæsita est, Ecclesiæ administrationem nullis decretalibus ablatam fuisse; quamvis potestatis illius exercendæ modus variis constitutionibus varie pro temporum ratione præscriptus fuerit. Itaque, si ea tempora incidant, ut regendæ Ecclesiæ necessitas Episcopos a regulis recentioribus discedere cogat, nihil vetat, quo minus jus naturale & divinum, omissis formulis, quæ jure novo præscriptæ sunt, locum habeat. Exempli causa; si sedis Romanæ vacatio per multos annos protraheretur, si hostium armis obsessa tenerentur itinera, ita, ut secure Romanus Pontifex adiri

Vide Rutaum in quæstione finali de præeminentia Archiepisc.

adiri non posset, aut, si qui alii similes aut graviores casus inciderent, jure divino aut antiquo illo jure ecclesiastico administranda esset Ecclesia.

CAPUT VII.

De restricta potestate Pontificis Romani in mutandis antiquis canonibus.

SYNOPSIS.

I. Confutatur communis opinio, quæ docet, præcipuam libertatum regulam hanc esse, ut Concilium œcumenicum superius Romano Pontifice dicatur. Quamvis hæc sit scholæ Gallicanæ sententia, non est una ex libertatibus Gallicanis. In foro perinde est, si summus Pontifex æquo vel superiori jure cum Conciliis utatur. Ubi id tantum expenditur, an nova rescripta noceant Ecclesiæ Gallicanæ.

II. Canonum executionem ex pollicitatione exigimus. Pontifices Romani, canones non posse infringi, docent factis & scriptis; ut Innocentius I. in causa Chrysostomi.

III. Zosimus in causa Arelatensis Episcopi, & in epistola generali. Et Bonifacius I.

IV. Sed præcipue Leo in reprobatione canonis XXVIII. synodi Chalcedonensis. Hujus quæstionis, quæ illustris est, status constituitur. Secundus dignitatis gradus delatus Episcopis CP. a secunda synodo. Quo usi sunt in oriente, ut probatur variis testimoniis, e C. Th. & synodo Chalced. Solvitur objectio, petita e rescripto Theodosii de Flaviano.

V. Nec administratio, nec ordinatio Diœceseon Asianæ & Ponticæ tributa est hoc canone; sed usu, in quibusdam Ecclesiis. Canon XXVIII. expensus, & sententia viri eruditi circa ejus explicationem, quæ refellitur; & verus sensus illius canonis exponitur, restituta interpunctione.

VI. Leo approbare noluit canonem XXVIII. quod contrarius esset canonibus Nicænis. Duæ regulæ elicitæ ex epistolis Leonis. Prima, nullos esse canones adversos Nicænæ synodo. Secunda, summum Pontificem esse custodem canonum.

VII. Leo decernit irritum hunc canonem, eo nomine, quod sit contrarius Nicænæ synodo.

I. SOlet a plerisque pragmaticis hoc fere præcipuum constitui libertatis Gallicanæ theorema, Concilium œcumenicum superius esse summo Pontifice, unde sequatur, nihil a sedis apostolicæ præsulibus tentari posse, quod synodorum generalium definitionibus adversetur. Invidiosam quæstionem fecit nimium partium studium: quod si abesset, vexatissima illa contentio facile componi posse videretur. Scio, quid theologi Parisienses constanter professi fuerint in Concilio Constantiensi, Gersonis auspiciis, quod omnes Ecclesiæ patres tunc amplexi sunt, in unum conspirantibus omnium Episcoporum & nationum votis. Scio, quid Basileensis synodus, quæ, paucis exceptis, omnes fere occidentis Episcopos continebat, de hac re decreverit, quidque a Gallicanæ Ecclesiæ theologis passim doceatur. Attamen si cum bona magistrorum venia id, quod sentio, libere profiteri liceat, existimo, libertates Ecclesiæ Gallicanæ hoc axiomate non omnino niti. Qui Romani Pontificis odium in has libertates concitant, id præcipue urgent, eas alia ratione constare non posse, quam apostolicæ sedis dignitate in eo maxima imminuta, quod Pontifex Concilii generalis auctoritati subjiciatur. Attamen hæc sententia, etsi in schola Parisiensi & ceteris hujus regni academiis certissima habeatur, in foro apud nos disceptatur, qui libertates perinde tuemur, si de Concilii generalis novis decretis, ac si de Romani Pontificis constitutionibus agatur. Quin etiam receptos mores & consuetudines Ecclesiæ Gallicanæ nostro usui commodas adeo retinemus, ut, etsi canone Concilii generalis destituamur, quo illæ firmatæ sint, tamen ab iis nobis discedendum esse non censeamus. Quare non est, quod hæreamus in ea regula, quæ Romanis stomachum movet, & quæ rebus nostris non prospicit, ut par est. Fruatur summus Pontifex aut æquo jure cum Conciliis generalibus, aut superiori. Illud unum in foro expenditur, an nova constitutio vel novum rescriptum rebus Gallicanis consulat aut noceat. Si receptos canones vel receptos mores infringat aliquo pacto, ejus ratio non habebitur, nisi consensu publico accedente. Præterquam enim, quod hæc est novarum legum conditio, & præcipue ecclesiasticarum, ut assensu eorum, quorum interest, probentur, id sibi præcipue vendicat canonum reverentia, ut iis Pontifices Romani derogare velle non censeantur, etsi fortasse formulis rescripti ex stylo curiæ aliter cautum sit. Hæc est enim innata canonum & decretorum conditio, ut perpetuo vim suam obtinere debeant, nec mutationibus illis subjaceant, quæ in legibus secularibus sunt frequentissimæ ob rerum mundanarum mobilitatem, ut loquar cum Innocentio primo. Tribus autem modis præcipue antiquis legibus & canonibus derogari solet. Vel nova lege promulgata, quæ priorem abroget, vel dispensatione & venia legis, aut derogatione certo quodam casu alicui concessa, vel privilegio perpetuo indulto. Novæ leges ferri non debent, nisi magna & evidenti utilitate cogente: quia durum est, ab eo jure, quod diu æquum visum est, recedere, ut dixit Ulpianus. Quod præcipue locum habet in legibus ecclesiasticis, quæ a Spiritu sancto conditæ dicuntur a Leone primo. Quam ob causam venia quoque canonum non facile indulgenda est, nec dispensationibus privatis, nec privilegiis personalibus aut perpetuis.

II. Itaque non agimus cum sede apostolica, quasi cum potestate quadam certis regulis ita devincta, ut eas nullo casu egredi possit, cum sciamus, canonum dispensationem, cujus est in politia ecclesiastica frequentissimus usus, summo Pontifici præcipue concreditam, sed veluti ex pollicitatione, quam suis decretis canonum & constitutionum executionem spoponderunt, a B. Petri successoribus cum debita reverentia exigimus. Quantum vero canonibus detulerint Romani Pontifices, per omnes ætates perpetuo & verbis & factis testati sunt; eademque opera libertates nostras inviolatas spondere visi sunt. Cujus rei insigne præbet exemplum Joannis Chrysostomi contra canonum præscripta in synodo ad Quercum damnatio decreta ab orientalibus Episcopis: cui & Innocentius I. & ceteri Italiæ Episcopi consensum præbere noluerunt, quia, quæ canonibus violatis peraguntur, rata esse non possunt. Unde occidentis & orientis communio interrupta fuit ad tempus. Sed tandem Joannis nomen in diptycha Ecclesiæ relatum fuit, & restitutum inter Ecclesias communionis consortium. Servandorum canonum studium eo Romanos impulit, ut satius duxerint in specie proposita scissionem Ecclesiæ perpeti, quam connivere, ut canonibus aperta vis inferretur. *Nam longe præstiterit*, inquit Innocentius in epistola ad clerum Constantinopolitanum, *vel ea condemnare, fratres charissimi, quæ recte facta sunt, quam ea robur ullum sortiri, quæ adversus canones gesta sunt.*

III. Zosimus Pontifex Episcopis provinciæ Viennensis & Narbonensis secundæ graviter exprobrat divisionem provinciæ Viennensis, quam contra patrum statuta tentaverant in Concilio Taurinatensi. Etenim canone secundo certantibus de Primatus honore Arelatensi & Viennensi Episcopis, a synodo definitum est, ut, qui ex eis probaret, suam civitatem esse metropolim in laterculo imperii, is totius provinciæ primatum etiam in rebus ecclesiasticis obtineret, & jura ordinationum juxta canones, interim vero, concordiæ & pacis causa, viciniores sibi quisque civitates intra provinciam vindicaret. Hanc Concilii temeritatem, quæ delatam ab aposto-

Vide lib. 7. c. 9.

Ep. Innoc. apud Sozom. lib. 8. cap. 16. τὰ γὰρ καλῶς πραχθέντα κατακρίνεσθαι μᾶλλον προσῆκεν, ἢ αὐτὰ τῶν κανόνων γινόμενα ἔχειν τινὰ βεβαιότητα.

Conc. Taurin. c. 2. anno 397.

Vide epistolam Marcæ ad H. Valesium, editam in Prolegomenis ad historiam eccles. Eusebii.

apostolica sede jam olim Arelatensi Ecclesiæ potestatem subvertebat, Zosimus quidem decreto suo repressit, & intermissum ordinem restituit; sed iis verbis usus est, quæ ab Hincmaro, Ivone & Gratiano adnotata sunt, ut constet, Pontifices nolle sibi liberum esse antiqua decreta immutare: *Apud nos enim inconvulsis radicibus vivit antiquitas, cui statuta patrum sanxere reverentiam*. Idem testatum voluit Episcopis Africæ, Galliæ & Hispaniæ, quid de hac re censeret. *Cum adversus patrum statuta venitur, non tantum illorum prudentiæ atque sententiæ, qui in ævum victura sanxerunt, sed ipsi quodammodo fidei & catholicæ disciplinæ irrogatur injuria. Quid enim tam sanctum ac venerabile est, quam penitus non exorbitare ab itinere majorum, quorum canonica instituta velut quædam fundamenta sunt ferendis fidei jacta ponderibus*? Bonifacii par cura fuit anno CDXXII. in evertenda Patrocli Arelatensis Episcopi præsumptione, qui Lutubensi Ecclesiæ prætermisso Metropolitano, Episcopum ordinarat contra patrum regulas. *Quod nequaquam possumus ferre patienter*, inquit, *quia convenit nos paternarum sanctionum diligentes esse custodes*.

Anno 417. Zosimus ep. 7. Ivo P. 4. c. 226. Grat. 25. q. 1. c. *contra*.

Vide Additionem ad cap. 13. hujus libri. Zosim. ep. 7.

Bonif. ep. 3. ad Hilarium ep. Narbon.

IV. Sed illustrius testimonium proferri non potest, quam id, quod e variis Leonis Papæ epistolis petitur, cum de Concilii Chalcedonensis confirmando canone XXVIII. quæstio incidisset: de qua paulo uberius dicendum est, ut hinc etiam primatus Romani Pontificis adversus Novatorum ludificationes asseratur. Sed ante omnia controversiæ status constituendus est. Secundæ sedis gradus delatus fuerat Ecclesiæ Constantinopolitanæ canone tertio secundi Concilii œcumenici jam ab anno trecentesimo octuagesimo primo. Ejus honoris quasi possessionem statim indeptus Nectarius in ejus Concilii subscriptione, quam primo loco, ante Theophilum Alexandrinum Patriarcham, apposuit. Lex etiam, quæ a Theodosio lata est de confirmatione disciplinæ ab ea synodo decretæ, Nectarium Theophilo præponit. Eodem ordine venerabilium Ecclesiarum Constantinopolitanæ & Alexandrinæ meminit lex altera Codicis Theodosiani ab Honorio & Theodosio lata. Synodus quoque habita sub Domno Patriarcha Antiocheno in causa Athanasii Perrheni Episcopi perpetuo Archiepiscopum Constantinopoleos Proclum Cyrillo Archiepiscopo Alexandrino anteponit. Elegans est locus actionis primæ synodi Chalcedonensis; in qua, dum releguntur acta prædatoriæ synodi Ephesinæ sub Dioscoro, quæ Flavianum CP. post Domnum Antiochenum & Juvenalem Hierosolymorum collocabant, orientales Episcopi in has exclamationes eruperunt: *Flavianus quare in proprio loco non sedit? Constantinopolitanum Episcopum quare quintum posuerunt? Paschasinus reverendissimus Episcopus dixit: Ecce nos Deo volente Dominum Anatolium primum habemus; hi quintum posuerunt beatum Flavianum. Diogenes reverendissimus Episcopus Cyzici Ecclesiæ dixit: Quoniam vos regulas scitis*. Nihil apertius adferri potest. Orientales Episcopi, quibus cara esse debuerat Antiochenæ Ecclesiæ dignitas, queruntur & vociferantur, cur Flavianus quinto loco sederit. Paschasinus vero Legatus Romani Pontificis huic justæ expostulationi veluti succinens Anatolium proximo a se loco sedere demonstrat, ut synodi Chalcedonensis canonicum ordinem justitiamque præ latrocinio Ephesino commendet. Diogenes Cyzici hoc tribuit canonum auctoritati, quam Paschasinus sequeretur, hac in parte non reclamante Paschasino. Itaque & Legatorum judicio & synodi Chalcedonensis approbatione in ipsis Concilii exordiis secundæ sedis honor delatus est Anatolio ex vi canonum ecclesiasticorum. Quare mirum videri non debet, si Nectario & Gregorio orientalium omnium Ecclesiarum principatum & per eos sedi Constantinopolitanæ tribuant patres Chalcedonenses in prosphonetico ad Marcianum Augustum.

L. 3. C. de fide cath. L. 6. C. Th. de patrociniis vicorum. Lib. XI. Tit. XXIV.

In Conc. Chalced. act. XIV.

Idem Concil. act. I. Φλαβιανὸς ἐν τῷ ἰδίῳ τόπῳ διὰ τί οὐκ ἐκαθέσθη; τὸν ἐπίσκοπον διὰ τί πέμπτον ἔταξαν; Πασχασῖνος ὁ εὐλαβέστατος ἐπίσκοπος εἶπεν, ἰδὲ, ἡμεῖς Θεοῦ θέλοντος, κύριον τὸν Ἀνατόλιον πρῶτον ἔχομεν. οὗτοι πέμπτον ἔταξαν τὸν μακάριον Φλαβιανόν. Διογένης ὁ εὐλαβέστατος ἐπίσκοπος ἐκκλησίας Κυζίκου εἶπεν· ἐπειδὴ ὑμεῖς τοὺς κανόνας οἴδατε.

Syn. Chalc. in Prosphon. ad Marc. τῶν δὲ, id est orientalium, Νεκταρίῳ σὺν Γρηγορίῳ ἡγεμονίαν ἔνεμον.

Attamen hoc loco dissimulare non possum, quid contra referri possit e rescripto Theodosii Principis ad Dioscorum Alexandrinum, quo primatum illi *secundum canones* in synodo Ephesina secunda se deferre testatur Theodosius. Quod uno ictu & dignitatem Romani Pontificis & jus Constantinopolitanæ sedis convellere videtur. Sed de Romanis Legatis dicetur libro quinto. Quod autem attinet ad sedem Constantinopolitanam, huic difficultati occurritur iisdem Theodosii literis: quibus omnis Flaviano Episcopo auctoritas derogatur, & judicandus sistitur, non vero inter judices adsciscitur. Unde Elpidius Comes synodo Ephesinæ suggessit a Principe jussum, ut, qui sibi judicium in synodo Constantinopolitana contra Eutychem arrogaverant, inter reos habeantur, & de utraque parte judicium feratur, de Flaviano scilicet, Eusebio Dorylæi, & Eutychete, παρεκελεύσατο τοὺς κρίναντας ἤδη, ἐν τάξει κρινομένων ὑπάρχειν. Quare dignitas Constantinopolitanæ sedi a secunda synodo tributa, illæsa remansit; etsi Flavianus insigni contumelia affectus fuerit, quod e judicum albo in reorum numerum sit translatus.

Rescriptum Theod. ἑπόμενοι τοῖς κανόσι, τὴν αὐθεντίαν, καὶ τὰ πρωτεῖα τῇ σῇ θεοσεβείᾳ παρέχομεν.

Rescriptum Theod. οὐδεμίαν παντελῶς παῤῥησίαν ἐν τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ ἔχειν ἀνεχόμεθα, ἀλλὰ καὶ ὑπὸ τὴν ὑμετέραν τὴν κρίσιν βουλόμεθα.

V. Observandum est tamen, jura ordinationum vel administrationis in Asianas & Ponticas provincias canone secundæ synodi concessa non fuisse. Usu tamen invaluerat, ut in viciniores quasdam civitates, ad sedandos electionum tumultus, curam suam rogatus Episcopus Constantinopolitanus extenderet. Unde factum, ut canone XXVIII. Concilii Chalcedonensis de omnium Episcoporum orientalium consensu plena Ponticæ, Asianæ & Thracicæ Diœceseos administratio jure patriarchico sedi Constantinopolitanæ decreta fuerit. Itaque, ut dixi, & nunc repeto, dignitas patriarchica & secundus gradus honoris, depulso Alexandrino Episcopo, novæ Romæ Episcopo delatus fuerat a secunda synodo, sed vis patriarchatus & Metropolitarum ordinatio illi collata est a Concilio Chalcedonensi. Aliud tamen elici videtur ex illo canone XXVIII. cujus verba ita concepta sunt, ut in Diœcesibus Thracicæ, Ponticæ & Asianæ Metropolitarum ordinationes a synodo secunda jam olim tributæ fuisse videantur, & a synodo Chalcedonensi tantum confirmatæ. Unde occasionem sumpsit vir illustrissimus & eruditissimus hunc canonem convellendi & falsi crimen Constantinopolitanis clericis, qui canonem illum texuerant, acriter objiciendi. Sed vix mihi persuadere possum, eos adeo inverecundi oris fuisse, ut scientes volentes coram honoratissimo illo Concilii Chalcedonensis cœtu in legem Corneliam de falsis se præcipites darent, neque adeo incuriosos Concilii patres, ut sibi os ab Aetio Archidiacono sublini, seque ludibrio haberi passi fuerint, quasi nullus ex illis literas novisset. Imo vero patres Chalcedonenses in epistola synodica ad Leonem disertis verbis hæc duo distinguunt, honoris privilegia, & Metropolitarum ordinationes. Dignitatem quidem & privilegia honoris a canone secundæ synodi indulta se decreto suo *confirmasse*, Metropolitarum vero ordinationes consuetudine introductas se *nunc* synodali decreto *contulisse* profitentur. Quod autem contraria sententia e canone XXVIII. Chalcedonensi trahi posse videatur, a vitio interpunctionis & a leviusculo Latinæ interpretationis errore proficiscitur. Verus germanusque sensus canonis in hæc verba contrahitur. Canonem centum quinquaginta patrum recensentes, eadem quoque & nos definimus & statuimus de privilegiis Constantinopoleos novæ Romæ, ut æqualibus privilegiis cum vetere Roma, etiam in rebus ecclesiasticis, fruatur: Et ut Ponticæ, & Thracicæ & Asianæ Diœcesis Metropolitani ab sede Constantinopolitana ordinentur. Itaque definitio de Metropolitarum ordinationibus, interpunctione a superioribus verbis distincta, ad synodum Chalcedonensem refertur, non ad canonem secundæ synodi. Cui nostræ interpretationi favet lectio Græca: ὥστε τοὺς τῆς καὶ ποντικῆς, & quod

Ill. Card. Perron. in Replic. cap. 34.

Ep. synod. Concil. Chalc. τὸ ἐκ πολλοῦ κρατῆσαν ἔθος καὶ νῦν κατὰ συνοδικὴν ἐκυρώσαμεν ψῆφον. Infra: ἐβεβαιώσαμεν δὲ καὶ τὸν κανόνα.

& quod sequitur, id est, *Et ut Ponticæ*, ita ut oratio trahenda sit ad superiora verba, ὁριζόμεθά τε καὶ ψηφιζόμεθα. In editione Conciliorum vetus interpretatio Latina ita reddit, inversis particulis, *ut & Ponticæ*, quasi, quæ de Pontica Diœcesi, Thracica & Asiana dicuntur, cum præcedentibus immediate verbis connecterentur, atque adeo ad canonem secundæ synodi referrentur, quod viris eru-
Codex MS. cui extat in Biblioth. Thu. & apud Chr. Justellum. ditis fraudi fuit. Antiquissima tamen canonum interpretatio rectum ordinem harum particularum juxta exemplar Græcum conservavit, & novam istam definitionem synodo Chalcedonensi, non Constantinopolitanæ, tribuit.

VI. Novam constitutionem, quæ tot Metropolitanorum jura infringebat contra Nicænæ synodi canones, a Leone confirmari synodus Chalcedonensis, blandissimis verbis Pontificem demulcendo, per synodicam epistolam petivit, rem gratam Imperatori, Senatui & urbi Constantinopolitanæ facturum docens; imo vero eam gratiam illi tributum iri ut patri, ad quem egregia filiorum facinora redundare solent. Attamen ab exactissimo illo sacerdote, ut consensum suum huic innovationi præberet, extorquere non potuerunt, ea præcipue ratione, quod canon XXVIII. synodi Chalcedonesis regulas Nicænas a nullo synodali conventu violandas infringeret. *Tanquam*, inquit Leo epistola ad Anatolium, *refutari nequeat, quod illicite voluerit multitudo, & illa Nicænorum canonum per sanctum vere spiritum ordinata conditio in aliqua unquam sit parte solubilis. Nulla sibimet de multiplicatione congregationis synodalia Concilia blandiantur, neque trecentis illis decem & octo quantumlibet copiosior numerus sacerdotum comparare se audeat vel præferre, cum tanto divinitus privilegio Nicæna sit synodus consecrata, ut, sive per pauciores, sive per plures ecclesiastica judicia celebrentur, omni penitus auctoritate sit vacuum, quicquid ab illorum fuerit constitutione diversum*. Idem in epistola ad Marcianum Augustum, de Anatolio loquens: *Non dedignetur regiam civitatem, quam apostolicam non potest facere sedem, nec ullo speret modo, quod per aliorum offensiones possit augeri. Privilegia enim Ecclesiarum, sanctorum patrum canonibus instituta, & venerabilis Nicænæ synodi fixa decretis, nulla possunt improbitate convelli, nulla novitate mutari. In quo opere, auxiliante Christo, fideliter exequendo necesse est, me perseverantem exhibere famulatum; quoniam dispensatio mihi credita est, & ad meum tendit reatum, si paternarum regulæ sanctionum me, quod absit, connivente violentur, & major sit apud me unius fratris voluntas, quam universæ domus Domini communis utilitas*. In eandem sententiam præclare idem Leo in epistola ad sanctam synodum habitam Chalcedone: *De custodiendis quoque sanctorum patrum statutis, quæ in synodo Nicæna inviolabilibus sunt fixa decretis, observantiam vestræ sanctitatis admoneo, ut jura Ecclesiarum, sicut ab illis trecentis decem & octo patribus divinitus inspiratis sunt ordinata, permaneant. Nihil alienum improbus ambitus concupiscat, nec per alterius imminutionem suum aliquis quærat augmentum. Quantumlibet enim extortis assentationibus sese instruat vanitatis elatio, & appetitus suos Conciliorum æstimet nomine roborandos, infirmum atque irritum erit, quicquid a prædictorum patrum canonibus discreparit. Quorum regulis quam reverenter apostolica sedes utatur, scriptorum meorum, quibus Constantinopolitani antistitis conatus repuli, poterit sanctitas vestra lectione cognoscere, & me, auxiliante Domino nostro, & catholicæ fidei & paternarum traditionum esse custodem*. Ex his locis duæ præcipue regulæ eliciuntur. Prima est, nullos esse *ipso jure* Conciliorum canones, si Nicænæ synodi regulis sint adversi. Secunda est, Romano Pontifici dispensationem ita creditam, ut paternas regulas violari non sinat, cum sit *paternarum traditionum custos*, ut idem Leo loquitur.

VII. Quare sui muneris conscius, quam aliis literis auctoritate vacuam dixerat synodi Chalcedonensis definitionem, utpote Nicænis canonibus contrariam, ipse in irritum mittit, id est, nullitatem declarat epistola data ad Pulcheriam Augustam, quæ hoc sibi gratum fore significaverat. *Consensiones vero Episcoporum*, inquit, *sanctorum canonum apud Nicæam conditorum regulis repugnantes, unita nobiscum vestræ fidei pietate, in irritum mittimus, & per auctoritatem B. Petri Apostoli generali prorsus definitione cassamus, in omnibus ecclesiasticis his legibus obsequentes, quas ad pacificationem omnium sacerdotum per 318. antistites Spiritus sanctus instituit, ita, ut si multo plures aliud quam illi statuere decernerent, in nulla reverentia sit habendum, quicquid fuerit a prædictorum constitutione diversum*. Ex quibus verbis colligitur evidentissime, non solum Leonem denegasse consensum suum novis decretis, (qui tamen necessarius erat in hac specie, ex recepta juris regula, ut, quæ omnes tangunt, ab omnibus probari debeant, & e novarum legum conditione, quæ illos non tenent, a quibus receptæ non sunt) sed canonem illum B. Petri auctoritate irritum decrevisse. In qua definitione non adeo nisus est superiori quadam in synodum jurisdictione & auctoritate, quam reverentiam Nicænis canonibus debitam prætendit, ut ea ratione se a canonis XXVIII. ipso jure nullius, utpote Nicænas regulas infringentis, approbatione excusaret. Etenim cum Romanus Pontifex sit præcipue canonum & traditionum antiquarum custos, assertor & executor, ad illius reatum pertinet, si in rebus gravissimis illo conveniente violentur. Quare illius sententia obtinuit; adeo, ut e canonum numero expunctus fuerit canon ille tantopere controversus, quemadmodum dixi cap. III. hujus libri §. V.

CAPUT VIII.

De obligatione Pontificis Romani ad servanda Decreta antecessorum, & statuta primitivæ ecclesiæ.

SYNOPSIS.

I. Rescripta contra canones elicita sunt nulla; Deoque injuriam inferunt, ex Hilaro. Summus Pontifex, qui est potissimus sacerdos, reus est culpæ, si canones vel decreta violari sinat, ex eodem Hilaro.

II. Propositum Romanæ sedis: ut canones custodiat, e Gelasio. Quos præ ceteris sedibus exequi debet. Non sustinet, quæ sunt contraria privilegiis universalis Ecclesiæ, ex eodem Gelasio.

III. Pontifices decreta decessorum suorum infringere non debent, quia sunt perpetua, & eorum violatio tendit ad religionis & Pontificum injuriam, e Symmacho. Quæ verba de justis decretis, ex æquitate B. Petri latis, intelligit Hincmarus.

IV. Statuta decessorum servare justitia suadet, injuriamque sibi facit Romanus Pontifex, si fratrum jura perturbet, e Gregorio Magno. Ideo pastor effectus, ut canones & leges non excedat, e Leone IV. In consecratione sua professionem emittebat servandi, quæ canonice essent decreta a decessoribus suis.

V. Summa Pontificis auctoritas & canonum observatio sanciuntur decreto Concilii Florentini, quod nondum expensum est. Contentio inter Græcos & Latinos de primatu Papæ recensetur. Latini eum intelligi volebant secundum dicta sanctorum. Græci, secundum canones. Decreto statuitur, Papæ, in B. Petro traditam plenam potestatem regendi Ecclesiam ad eum modum, quem canones & acta synodorum docent. Corruptus leviter textus Latinus sensum mutat. Legendum, quem ad modum & in gestis Conciliorum. *Vulgata lectio*

præ-

præfert, quemadmodum etiam *Græci primatum Papæ colunt in dicto Concilio Florentino* salvis privilegiis & juribus Patriarcharum. *Sic nostri*, salvis libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ.

I. LEonem excipit Hilarus Papa, qui candide & ingenue fatetur, rescriptum, quod a se per obreptionem contra canones Ecclesiarumque privilegia elicitum fuerat, esse nullum, vimque regulis illatam in Domini injuriam tendere. Ingenuus Ebrodunensis Alpium maritimarum provinciæ Metropolitanus conqueritur de jure provinciæ suæ imminuto ab Auxanio Episcopo, qui ab Hilaro Pontifice rescriptum aliquod impetraverat canonibus contrarium. Querelæ istius cognitionem Hilarus Episcopis quibusdam Gallicanis delegavit his verbis: *Ita vestræ charitati cognitionem adnexæ querimoniæ delegamus, ut nihil adversum venerandos canones, nihil contra sanctæ memoriæ decessoris mei judicium valeat, quicquid obreptum nobis esse constiterit. Nolumus namque Ecclesiarum privilegia, quæ semper sunt servanda, confundi; quia per hoc non minus in sanctarum traditionum delinquitur sanctiones, quam in injuria ipsius Domini prosilitur.* Idem Hilarus in Concilio Romano habito anno CDLXVII. vestigia Leonis premens, in se, qui potissimus est sacerdos, reatum omnem transfert, si constitutiones canonum vel apostolicæ sedis infringi patiatur: *Nulli fas sit, sine status sui periculo, vel divinas constitutiones vel apostolicæ sedis decreta temerare; quia nos, qui potissimi sacerdotis administramus officia, talium transgressionum culpa respiciet, si in causis Dei desides fuerimus inventi; quia meminimus, qualiter comminetur Dominus negligentiæ sacerdotum. Siquidem reatu majore delinquit, qui potiori honore perfruitur, & graviora facit vitia peccatorum sublimitas dignitatum.*

Vide lib. 5. cap. 31. 34.

Hilarus ep. 4. an. 465.

II. Multus est in commendanda canonum custodia Gelasius, docetque, pium & devotum esse Romanæ sedis propositum, ut paternas regulas retineat, in epistola ad Episcopos Lucaniæ. *Cum*, inquit, *nobis contra salutarium reverentiam regularum cupiamus temere nihil licere, & cum sedes apostolica superior his omnibus, favente Domino, quæ paternis sunt canonibus præfixa, pio devotoque studeat tenere proposito, satis indignum est, quemquam vel Pontificum vel ordinum subsequentium hanc observantiam refutare, quam B. Petri sedem & sequi videat & docere; satisque conveniens sit, ut totum corpus Ecclesiæ in hac sibimet observatione concordet, quam illic vigere conspiciat, ubi Dominus totius Ecclesiæ posuit principatum.* Hic non dissimulanda videtur antiqua lectio hujus loci, quæ extat apud Hincmarum in opusculo, & in epistola Caroli ad Hadrianum, ubi αὐτὶ τῶ *superior his omnibus* legitur (*) *super his omnibus*, id est, super his capitibus. Idem Gelasius in epistola ad Episcopos Dardaniæ: *Confidimus, quod nullus jam veraciter Christianus ignoret uniuscujusque synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, nullam magis exequi sedem præ ceteris oportere quam primam, quæ unamquamque synodum & sua auctoritate confirmat, & continuata moderatione custodit.* Primæ sedi præcipuam canonum executionem vindicat, sed eorum canonum, qui jam recepti sunt, & quos universalis Ecclesiæ probavit assensus. Non omittendus est locus ejusdem Gelasii: qui de privilegiis universalis Ecclesiæ cum loquitur, ad Ecclesiæ Gallicanæ privilegia, quæ illis accedunt, trahi non ineleganter potest: *Sedes apostolica*, inquit, *quæ privilegiis universalis Ecclesiæ contraria probantur, nulla ratione sustinet.*

Gelas. ad Episc. Lucan. cap. XI.

Hincmarus in Opusc. c. 10. & in ep. Caroli ad Hadr.

Gelasius initio Tomi de Anathemate.

III. Non solum autem de canonibus custodiendis solliciti fuerunt Pontifices Romani, sed etiam de constitutis decessorum suorum; etsi ex vulgata juris regula par in parem non habeat imperium, & successori par auctoritas competat cum decessore. Unde colligere licet, nihil referre ad canonum custodiam, an summus Pontifex sit superior Concilio. Elegans est Symmachi locus in epistola ad Æonium Arelatensem Episcopum; qui docet decreta decessorum non esse violanda, quod unum sit Pontificum sacerdotium, quod ex sui natura decreta perpetua sint, quod religio illis infractis violetur, & in Pontificum contemptum redundet. *Dum ad Trinitatis instar, cui una est atque individua potestas, unum sit per diversos antistites sacerdotium, quomodo priorum statuta a sequentibus convenit violari? Huc accedit, quod si hæc eveniat sententiarum varietas, ad ipsam sacrosanctam credimus religionem pertinere; cujus omnis potestas infringitur, nisi universa, quæ a Domini sacerdotibus semel statuuntur, perpetua sint. Quod alias contingere poterit, si successor decessoris actibus non tribuerit firmitatem, & roborando, quæ gesta sunt, faciat rata, quæ gesserit. Quanta enim vicarius B. Petri judicabitur reverentia, si, quæ in sacerdotio præcipiunt, eisdem transeuntibus dissolvantur?* Sed prætermittenda non est Hincmari adnotatio, qui locum istum cum produxisset in epistola Caroli Calvi ad Hadrianum II. de justis decretis, & quæ a vicariis B. Petri ex ejus Apostoli æquitate proferuntur, intelligendum esse Symmachum, observavit his verbis: *Universa*, inquit, (scilicet Symmachus) *perpetua sint, quæ a Domini sacerdotibus statuuntur: qui, ut Moyses, ea, quæ statuunt, ab oraculo divino suscipiunt, non quæ ab his statuuntur, de quibus per Prophetam dicitur: Væ his, qui condunt leges iniquas, & scribentes injustitiam scripserunt. Ea nihilominus, quæ a vicariis B. Petri constituuntur, maneant inconvulsa. Quia, ut Leo dicit, nec nimia est severitas vel remissio, ubi nihil constituitur, nisi quod ex B. Petri æquitate profertur. Hæc enim scimus esse canonice, scimus esse apostolica auctoritate roborata, & apostolicæ sedis decreta.*

Carolus Calvus in ep. ad Hadrian. II.

IV. Gregorius Magnus idem cum Symmacho profitetur. *Justitiæ*, inquit, *ac rationis ordo suadet, ut, qui sua a successoribus desiderat mandata servari, decessoris sui procul dubio voluntatem & statuta custodiat.* Eodem sensu ad Natalem Salonitanum: *Quod dicitis, nostris temporibus debere servari, quæ a meis quoque prædecessoribus tradita atque custodita sunt, absit hoc a me, ut statuta majorum consacerdotibus meis in qualibet Ecclesia infringam; quia mihi injuriam facio, si fratrum meorum jura perturbo.*

Gregor. l. 5. ep. 12. apud Grat. 25. q. 1. *Justitiæ*.

Idem lib. 2. ind. 10. ep. 37.

Non descivit a sententia decessorum Leo IV. cujus hæc verba referuntur apud Gratianum: *Ideo permittente Domino pastores hominum sumus effecti, ut quod patres nostri sive in sanctis canonibus, sive in mundanis affixere legibus, excedere minime debeamus. Contra eorum quippe saluberrima agimus instituta, si, quod ipsi divino instituerunt consulto, intactum non conservamus.*

Apud Grat. 25. q. 2. c. *Quod vero*.

Necessitas illa servandorum canonum solennibus Romanorum Pontificum professionibus sanciebatur, quas tempore inaugurationis suæ edebant. Earum exempla pleraque extant in annalibus ecclesiasticis, quarum fragmentum Ivo retulit in Decreto. Iis profitentur Pontifices *omnia decreta canonica prædecessorum suorum Pontificum, quæ vel synodaliter statuerunt, & quæ probata sunt, confirmare & indiminuta conservare, & sicut ab eis statuta sunt, in sui vigoris stabilitate custodire.* Extat etiam apud Gratianum formula illius professionis, qua Pontifex pollicetur octo Concilia usque ad unum apicem se servaturum, *& quæ statuerunt & prædicaverunt, omnibus modis sequi.* Quod & fidei definitiones & canonum statuta complectitur.

Vide supra pag. 55.

Videndus Baronius tom. X. annalium an. 869. Ivo Decreti p. 4. & ep. 60. & 73. *Summus Pontifex, antequam consecrationis gratiam consequatur, consuetudines Romanæ Ecclesiæ & decreta prædecessorum suorum se inviolabiliter servaturum profitetur.*

Possem per singula secula prolixis testimoniorum recitationibus decurrere, quæ canonum, decreto-

(*) Hanc lectionem habet etiam vetustissimus codex S. Remigii Remensis, qui fuit olim Nicolai Fabri. Plerique tamen veteres libri legunt *superior his omnibus*.

cretorum & vetustarum consuetudinum custodiam Romanis Pontificibus summo studio commendant, nisi lectoris tædio parcere vellem. Multa congessit Gratianus in Decretum suum; quæ docere possint Gallicanam Ecclesiam, cum ad veteres receptosque mores provocat, non obliteratis monumentis niti, sed iis, quæ quotidie in scholis prælegunturs.

Vide Grat. 20. & 25. causa.

V. Attamen egregium Concilii Florentini locum prætermittere non debeo, petitum e decreto unionis Græcarum Ecclesiarum cum Romana, quo summa Pontificis auctoritas & canonum observatio simul vindicantur. Unde patebit, injustam esse adversus Ecclesiam Gallicanam expostulationem eorum, qui principatum sedis apostolicæ lædi existimant, cum novis rescriptis antiqua jura opponuntur. Sed ante omnia rei gestæ ordo pandendus est. Cum in unam sententiam Græci cum nostris de processione sancti Spiritus ex Patre & Filio tanquam ex unico principio convenissent, disceptatum est de purgatorio, de azymo, de formula consecrationis eucharistiæ, & de primatu Papæ. Eugenius coram Imperatore Græco & ejus Metropolitanis primatus jura per Joannem de Montenigro Provincialem fratrum Prædicatorum explicari curavit. Tum collatione habita, Græci scripto sententiam suam ediderunt, confitentes, *Papam esse summum Pontificem, vicarium Christi, omnium Christianorum pastorem & magistrum, cum jure administrandæ Ecclesiæ Dei, salvis privilegiis & juribus Patriarcharum orientis.*

Concil. Florent. sess. 25.

Cum describeretur decretum unionis, Palæologus Imperator noluit illud solo Eugenii nomine concipi, addi postulans, id consensu suo & Patriarcharum factum, quod obtinuit statim. Diutius contendendum fuit de reliquis verbis decreti, quæ privilegia Papæ tribuebant, *ut habeat illa juxta determinationem sacræ scripturæ & dicta sanctorum.* Effusa nimis esse dicebat Princeps verba illa, quæ Papæ privilegia ad dicta sanctorum referebant. *An si quis sanctorum*, inquit, *in epistola honorat Papam, excipiet hoc privilegio?* Itaque significavit Eugenio, aut verba illa delenda, aut sibi de reditu cogitandum. Tractatu habito cum Cardinalibus, qui se non aliunde melius primatum asserere posse dicebant, quam ex *scriptis sanctorum*, Imperator respondit, non *secundum dicta sanctorum*, sed *juxta tenorem canonum*, primatum esse explicandum. Altera die Cardinales, Archiepiscopi, & quamplurimi docti viri adeunt Imperatorem & orientales Episcopos, quibus Julianus Cardinalis persuadere conatus est, ut admitterent clausulam illam controversam; præsertim cum fidei symbolum & ipsi canones *a sanctis* editi fuerint; proinde æquum non esse, ut propter *dicta sanctorum* Dei opus, id est, unio Ecclesiarum impediatur. Imperator collocutus cum Episcoporum suorum consilio, respondit, *habenda esse a Papa sua privilegia juxta canones & dicta sanctorum sacramque scripturam & acta synodorum.* Quæ scripto tradita sunt Cardinalibus, qui Eugenio omnia se relaturos spoponderunt; & postridie decretum unionis relectum est Græcis ea verborum formula, quæ illis grata fuit, descriptumque in charta Latine, & ex adverso Græce, hinc bulla plumbea Papæ appensa, inde chrysobullo Palæologi Imperatoris. Quare eadem sententia contineri debet in contextu Latino, quæ est in contextu Græco. *Item definimus*, inquit Concilium juxta Græcorum verborum significationem, *sanctam apostolicam sedem & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere, & ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quem ad modum & in gestis œcumenicorum Conciliorum & in sacris omnibus continetur.*

ἵνα ἔχῃ αὐτὰ καθὼς ὁρίζεται ἡ θεία γραφὴ, καὶ τὰ ῥητὰ τῶν ἁγίων. μώπως, φησὶ, τις τῶν ἁγίων ἐν ἐπιστολῇ τιμᾷ τὸν Πάπαν, καὶ ἐκλάβῃ τοῦτο ἀντὶ προνομίων, Mox; Καὶ διὰ τοὺς τρόπους τούτους μόνον τοῦ Πάπα, ἢ διορθῶσαι τοῦτο, ἢ οἰκονομῆσαι αὐτὸν τοῦ ἀπελθεῖν. T. 13. Concil. p. 500.

Ὅτι ἵνα ἔχῃ ὁ Πάπας τὰ προνόμια αὐτοῦ κατὰ τοὺς κανόνας, καὶ τὰ ῥητὰ τῶν ἁγίων, καὶ τὴν θείαν γραφὴν, καὶ τὰ πρακτικὰ τῶν συνόδων.

Decretum unionis editum in Concilio Florentino: κυβερνᾶν τὴν καθολικὴν ἐκκλησίαν, ὑπὸ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ πλήρη ἐξουσίαν παραδεδόσθαι, καθ' ὃν τρόπον, καὶ ἐν τοῖς πρακτικοῖς τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων, καὶ ἐν τοῖς ἱεροῖς κανόσι διαλαμβάνεται.

Sententia hujus decreti hæc est, summam & plenam administrandæ Ecclesiæ potestatem a Christo fuisse Pontifici traditam, ea lege, ut ea utatur juxta modum, qui & in actis Conciliorum œcumenicorum & in canonibus continetur. Itaque Græci obtinuerunt, quod tantopere urgebant, scilicet privilegia Papæ secundum canonum præscriptum esse interpretanda. Eadem esse debet mens verborum Latinorum; quæ tamen a contextu Græco descisçunt, propter leve mendum, quod incuria amanuensium irrepsit in his verbis, *quem ad modum & in gestis Conciliorum*. Nam Latina lectio præfert, *quemadmodum etiam in gestis*. Qui error primam Concilii hujus e Græco in Latinum versi editionem invasit. Ejus versionis auctor est Bartholomæus Abramus Cretensis, Episcopus Ariensis, quam anno MDXXVI. publicavit: in qua multoties hallucinatus est, ut observat Arcudius. Suspicari licet, de industria hunc locum ab eo minus sincere redditum, quia contentiones, quæ de canonibus inter Græcos & Latinos emerserunt, in Latina interpretatione Concilii omnino dissimulat. Quod discrimen alienam a pactis conventis cum orientalibus sententiam decreto affingit, cum e Græco contextu conficiatur, Papæ privilegia esse explicanda & exercenda secundum canones & secundum acta Conciliorum œcumenicorum, id est, octo Conciliorum, quæ ex occidentali & orientali Ecclesia constabant. At e contextus Latini depravata lectione eruitur, plenam esse Papæ potestatem, idque probari actis Conciliorum & canonibus. Si quis sibi persuadere malit, delusos a Latinis Græcos ambigua scribendi ratione, per me licet; præcipue, cum apud Antoninum eadem lectio Latina repræsentetur. Verba autem Græca in sincero sensu accepta modum exercitio potestatis pontificiæ imponunt ei similem, quem Ecclesia Gallicana tuetur. Imo vero Græci videntur formula nostræ pene simili juribus Ecclesiæ suæ cavisse. Etenim decretum illud, quod liberam Papæ administrationem agnoscit his verbis concludunt, *salvis videlicet privilegiis omnibus & juribus Patriarcharum*. Quemadmodum solenne est, in Gallia summi Pontificis auctoritatem colere, *salvis juribus & libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ.*

Vide secundam præfationem Marcæ §. 7.

Vide opuscula P. de Marca pag. 416.

P. Arcudius l. 3. cap. 9. de Concord. Eccles. Occid. & Orient. in Sacrament. administr. Concilium illud in versione Latina multis mendis scatet.

Σωζομένων δὲ καθ' ὅλον καὶ τῶν προνομίων ἁπάντων, καὶ τῶν δικαίων αὐτῶν, id est Patriarcharum.

CAPUT IX.

De obligatione Pontificis Romani ad conservandas consuetudines & mores ritusque particularium ecclesiarum.

SYNOPSIS.

I. Consuetudinum receptarum usus a Pontificibus probatus. Jus canonicum constat canonibus & moribus. Magna vis consuetudinis in Ecclesiæ administratione. Disciplina complectitur ritus sacros & jurisdictionem. In utroque capite par auctoritas consuetudinis. Duplex consuetudo, vel universalis Ecclesiæ, vel quarundam provinciarum.

II. In consuetudine particulari hæc est regula, eos mores retineri posse, qui fidei non officiunt. Gregorii Magni ea de re locus.

III. Hac regula utitur Theophylactus ad conservandam communionem Ecclesiæ occidentalis & orientalis, quarum ritus varii. Et Leo IX. atque Fulbertus.

IV. Et ante ceteros Irenæus; qui Victorem monuit, ne Ecclesias Asiaticas recideret ab Ecclesiæ communione ob diversam consuetudinem. Acquievit Victor Irenæo. Unde refelluntur Novatorum argutiæ ex hac nova animadversione.

V. Quod de ritibus dicitur, trahi debet ad reliqua disciplinæ capita. Gallicanas consuetudines laudat Gregorius M. & Alexander III. tolerat, licet Romanis contrarias.

VI. Expenditur regula Decretalium, consuetudines esse nullas, quæ violant libertatem ecclesiasticam

cam & Principibus ecclesiastica negotia permittunt. Quod verum, si libertas omnino tolleretur, non autem si restringatur, e Covarruvia. Aliis placet, consuetudinem esse nullam; sed si privilegium allegetur, præsumi concessum fuisse, ex possessione immemoriali.

VII. Hanc solutionem amplexi sunt majores nostri. Hinc manaverunt privilegia Ecclesiæ Gallicanæ & crimina privilegiata apud Pragmaticos. Has consuetudines Galliæ excusant Bellarminus & Suarez sub nomine privilegii.

VIII. Alio etiam modo responderi potest; in dubio, an Principibus hæc potestas competat, sedem apostolicam connivere. Quæ conniventia dispensationis vicem subit, si necessaria sit. Quæstio excitata, an ex hac tolerantia nascatur præscriptio, non est necessaria. Theologi quidam negant. Jurisconsulti asserunt, ex hac tolerantia sequi præscriptionem.

IX. Canones & receptæ consuetudines mutari non possunt sine dissidio. Observatione canonum concordia retinetur. Consuetudines toleratæ a Pontificibus, ne dissensiones orientur ex novitate.

I. NOn solum autem canonum & decretorum perpetuam executionem polliciti sunt summi Pontifices, sed etiam, benigno in subjectas Ecclesias animo usi, consuetudines antiquas in provinciis inviolatas servari voluerunt. Jus enim canonicum, perinde ac civile, scripto & non scripto constat. Unde judices cognitores in Concilio Chalcedonensi recte petunt ab Anastasio Episcopo Nicæno, qua ratione probare vellet, Ecclesiam Basilinopoleos subjectam esse Nicænæ, *an secundum canones, an ex consuetudine aliqua*. Et annis aliquot superioribus Faustinus Legatus Romanæ Ecclesiæ dixerat, in Concilio Africano aliqua teneri canone, aliqua vero consuetudine. Quare Photius in Nomocanone recte adnotavit, ecclesiasticam consuetudinem non scriptam perinde ac legem servari, quod probat e Synodo sexta, & e Basilii locis aliquot. Eandem consuetudinis antiquæ auctoritatem probant Ivo & Gratianus in collectionibus suis, ex Augustino & Isidoro, aliisque testimoniis. Plane dubitari non potest, quin magna debeat esse vis consuetudinis in disciplinæ ecclesiasticæ administratione, cum ex ea provinciarum privilegia metienda esse, synodus Nicæna velut edicto perpetuo definiverit, *Antiqui mores obtineant*, inquit, idemque postea synodus Ephesina generalibus verbis constituerit, ut omnibus provinciis jura intemerata serventur, quæ illis ex antiqua consuetudine competunt.

Act. 13. Conc. Chalc. πότερον κατὰ τοὺς κανόνας, ἢ ἐκ συνηθείας τινός.

In præfat. Concil. Afric. *Quia & aliqua ordine & canone tenentur, aliqua consuetudine firmata sunt.*

Photius in Nomoc. Tit. 1. c. 3. περὶ τοῦ φυλάττεσθαι τὸ ἄγραφον ἐκκλησιαστικὸν ἔθος ὡς νόμον.

Ivo 4. p. Decret. Grat. d. 1. 8. 11. 12. & alibi.

Synod. Nicæn. c. 6. τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω.

Synod. Ephes. c. 7. Ἔδοξε τῇ ἁγίᾳ καὶ οἰκουμενικῇ συνόδῳ σώζεσθαι ἑκάστῃ ἐπαρχίᾳ καθαρὰ καὶ ἀβίαστα τὰ αὐτῇ προσόντα δίκαια ἐξ ἀρχῆς ἄνωθεν κατὰ τὸ ἀρχαῖον κρατῆσαν ἔθος.

Cum autem disciplina ecclesiastica duo summa capita complectatur, ritus scilicet, & jurisdictionem, consuetudinis in utramque partem par omnino est auctoritas; etsi religiosius tractanda sint, quæ ritus sacros respiciunt, cum pietatem atque externum divini Numinis cultum contingant. Sed, ut eleganter monuit D. Augustinus, de consuetudine dupliciter disputare possumus; vel, ut est universalis Ecclesiæ traditio, vel, ut est propria & particularis quarundam Ecclesiarum institutio. Universalis illa traditio, quæ per universam servabatur Ecclesiam, nec a Conciliis decreta erat, quin ab Apostolis profecta esset, non dubitabat Augustinus. Sed traditionem illam missam facimus, quæ ad propositum nostrum non pertinet.

Grat. c. 8. d. 11. Aug. ep. 117. Apud Grat. d. 11. & 12.

II. De particularibus provinciarum moribus est agendum, in quibus hæc regula tenenda est, ut, si fidei non officiant, usurpari possint, prout a majoribus sunt traditi, nec aliorum consuetudo aliorum contrario more subverti debeat, ut docet Gratianus ex Augustino, Hieronymo, & aliis.

August. ep. ad Casulanum: *In his rebus, in quibus nihil certi statuit scriptura divina, mos populi Dei vel instituta majorum pro lege tenenda sunt: de quibus si disputare voluerimus, & ex aliorum*

Quare Gregorius Magnus, divini & humani juris callentissimus Pontifex, inveteratas consuetudines, quas in administranda Ecclesia sequebantur, Africanis integras reliquit. Concilium Numidiæ a Pelagio Gregorii decessore petierat, ut vetusti mores, qui per Numidiam ab ipsius B. Petri temporibus invaluerant, inviolati servarentur. Gregorius post obitum Pelagii rescripsit, se omnia antiqua capitula illis permittere, quæ fidei contraria non essent. Prudens sane responsum, quo pax Ecclesiarum continetur, & contentionibus, quæ de disciplina sæpissime emergunt, via penitus occluditur. *Petistis*, inquit, *per Hilarium Chartularium nostrum a beatæ memoriæ prædecessore nostro, ut omnes vobis retro temporum consuetudines servarentur, quas a B. Petri Apostolorum principis ordinationum initiis hactenus vetustas longa servavit. Et nos quidem juxta seriem relationis vestræ, consuetudinem, quæ tamen contra fidem catholicam nihil usurpare dignoscitur, immotam permanere concedimus, sive de Primatibus constituendis, sive de ceteris capitulis.* Eodem sensu rescripsit ad Dominicum Carthaginensem Episcopum: *De ecclesiasticis privilegiis, quod vestra fraternitas scribit, hoc postposita dubitatione teneat, quia, sicut nostra defendimus, ita singulis quibusque Ecclesiis sua jura servamus.*

consuetudine alios improbare, oritur interminata luctatio. Gregor. l. 2. ep. 75. apud Grat. d. 12. c. 8.

Vide lib. 7. c. 18. §. 6. & Baluzii Notas ad Agobardum pag. 44. 140.

Idem l. 2. ep. 39. apud Grat. 25. q. 2. c. *De ecclesiasticis*.

III. Quicquid ab Africanis usurpabatur, dummodo fidei regulam non violaret, Gregorius diserte confirmat. Eadem regula usus est Theophylactus Bulgariæ Archiepiscopus in epistola ad Nicolaum Diaconum & Castrinsium, qui ab eo petierant, an Græcis liberum esset, Ecclesiæ occidentalis communionem amplecti ob discrimen, quod in jejuniis, in sacerdotum cœlibatu, in azymis, & plerisque aliis mysticæ disciplinæ articulis intercedebat. Respondet graviter his verbis inter cetera: *Non omnis consuetudo ad dissociandas Ecclesias valet, sed quæ dogmatis differentiam inducit*, ubi alludit ad contentionem de processione sancti Spiritus. Eadem fuit sententia Leonis Papæ IX. qui circa annum ML. Michaelem Constantinopolitanum Episcopum & Leonem Acridanum acriter objurgat, quod Romanam Ecclesiam ob ritus suos & azymum panem in sacrificiis adhibitum damnarent, & unumquemque cogerent ad Græca instituta amplectenda; quamvis alio jure uterentur Romani, qui liberam in urbe Græcorum rituum observationem relinquebant, nequa dissidii occasio inter Ecclesias oriretur. Hæc sunt verba Leonis: *Ut enim fertur, omnes Latinorum basilicas pene clausistis, monachis monasteria & Abbatibus tulistis, donec vestris viverent institutis. Ecce in hac parte Romana Ecclesia quanto discretior, moderatior & clementior vobis est. Si quidem cum intra & extra Romam plurima Græcorum reperiantur monasteria sive Ecclesiæ, nullum eorum adhuc perturbatur vel prohibetur a paterna traditione sive sua consuetudine; quin potius suadetur & admonetur eam observare. Nec enim animositatem impiæ hæreseos habet, quæ semper divisione gaudet, dicens per parricidam meretricem: Nec mihi, nec tibi sit, sed incidatur. Sed pietate veræ matris sic Salomonem deprecatur: Obsecro, Domine, date huic infantem vivum, & nolite interficere eum. Scit namque, quia nihil obsunt saluti credentium diversæ pro loco & tempore consuetudines, quando fides per dilectionem operatur bona, quæ potest, uni Deo commendans omnes.* Aliquot annis ante Leonem Fulbertus Carnotensis de variis observationibus Ecclesiarum orientis & occidentis, eadem regula usus, judicium tulit: *Sed nec parva, nec rara sunt, quæ ab aliis necessario servanda, aliis non adeo curanda affirmantur. Nec tamen nos offendit observantiæ diversitas, ubi fidei non scinditur unitas. Porro in multis Græcia ab Hispania, ab illis Romana & Gallicana discrepat Ecclesia. Sed neque in hoc scandalizamur, si audimus diversam observationem, sed non diversam fidem in Christi semper Ecclesiis extitisse. Stet enim Regina Ecclesia a dextris Regis sui, in vestitu deaurato, circumdata varietate.*

Theophyl. relatus a Demetrio Chomateno l. 5. Juris Græco Rom. pag. 319. οὐ πᾶν ἔθος ἀποσχίζειν ἐκκλησίας ἰσχύει, ἀλλὰ τὸ περὶ διαφορὰν ἄγον δόγματος.

Leo IX. ep. ad Michael. c. 5. *Dicimini apostolicam & Latinam Ecclesiam nova præsumptione atque incredibili audacia, nec auditam nec convictam palam damnasse pro eo maxime, quod de azymis audeat commemorationem dominicæ passionis celebrare.*

Idem cap. 29.

Adde Petrum Abbatem Cluniacensem l. 1. ep. 2. *Sunt innumerabiles & diversissimæ diversarum Ecclesiarum ad unam catholicam pertinentium consuetudines; ut pene tanta sit varietas usuum, quanta multiplicitas Ecclesiarum. Sed non damnat aliquem diversa institutio, quæ & veræ fidei inservit & charitatis compaginem non dissolvit. Ubi vero aut fides læditur, aut charitatis unitas periclitatur, si occulte fit, damnabile est; si publice, damnabile simul & hæreticum.*

Fulbertus ep. 2. ad Einardum.

IV. Sane varias jam olim invaluisse consuetudines in quadragesimæ ceterisque statorum dierum jejuniis, adnotavit Irenæus, eamque observationum discrepantiam nullum in Ecclesiam dissidium intu-

Iren. apud Euseb. l. 5. cap. 26. Græc. ed. οὐδὲν ἔλαττον πάντες οὗτοι εἰρήνευσαν τε, καὶ εἰρηνεύομεν πρὸς ἀλλήλους, καὶ ἡ διαφωνία τῆς νηστείας τὴν ὁμόνοιαν τῆς πίστεως συνίστησι.

intulisse, sed æquo animo pacem inter sacerdotes retentam. Quo argumento & aliquot Pontificum Romanorum exemplis adductis, persuasit Victori Papæ anno CXCVIII. ut pacem Polycrati ceterisque Asiaticis Episcopis restitueret, quos Ecclesiæ communione privarat, quod a reliquis orbis Christiani Episcopis dissentientes, decimaquarta Luna, non autem die dominica, Pascha celebrarent. Censuit enim Irenæus, æquum non esse, ut Victor tot Ecclesias a 1 communi unitate recideret 2 ob morem antiquum, cujus se retinentes præstabant. Exoratus Victor, ut præcipuæ auctoritatis, quæ in Romana sede viget, specimen edidit excommunicatione in Asianos lata, universalis Ecclesiæ traditionem comprobatam a quamplurimis synodis nutu ejus indictis constantissime vindicando, ita quoque humanitatis remissionisque in toleranda consuetudine particulari singulare exemplum præbuit. In gratiam enim statim rediisse Polycratem & Asiaticos cum Victore, retento Ecclesiarum suarum usu, testatur Sozomenus: *Decreto communi singuli, ut consueverant, festum agentes, a mutua communione non recesserunt. Frivolum enim & merito, judicarunt, consuetudinis gratia a se mutuo separari eos, qui in præcipuis religionis capitibus consentirent.* Dissimulandum tamen non est, errorem irrepsisse in textum Sozomeni in Polycratis nomine, cum lectio integra remanserit in nomine Victoris: *Sapientissime autem arbitror*, inquit, *solvisse subortam olim de eo controversiam Victorem, tunc temporis Romæ Episcopum, & Polycarpum Smyrnensem.* Legendum est, (*) *Polycratem*, qui error proclivis est. Ex sola rei gestæ narratione non solum probatur assertio nostra de retinenda communione cum diversis ritibus, sed etiam Novatorum calumniæ refelluntur, qui Victoris excommunicationem a ceteris Ecclesiis spretam & Ecclesiarum Asiaticarum consortium ab omnibus retentum prædicant, adeo, ut, quæ adversus illos directa erat machina, in nostros contorqueant, nec vano quidem ictu, nisi exceptione a nobis proposita repellantur. Probent enim, (quod facillimum est) non rejectos Asiaticos a communione orientalium post Victoris censuram; hoc de dignitate sedis apostolicæ nihil demit, cum ad Irenæi suggestionem pacem redditam a Victore docuerimus. Ex Eusebio enim & Socrate constat de excommunicatione a Victore inflicta & de Irenæi epistola. Ex Sozomeno autem de communione Victoris & Polycratis non interrupta. Quod aliter contingere non potuit, nisi suspenso a Victore excommunicationis effectu post monita Irenæi. Ceterum Sozomenus & Socrates varios Ecclesiarum ritus observant, qui earum concordiæ non officiebant. *Qui in eadem fide consentiunt*, inquit Socrates, *iidem in ritibus & ceremoniis inter ipsos discrepant.*

1 Euseb. ἀποτέμνειν τῆς κοινῆς ἑνώσεως.

2 Ὡς μὴ ἀποκόπτοι ὅλας ἐκκλησίας Θεοῦ, ἀρχαίου ἔθους παράδοσιν ἐπιτηρούσας.

Sozom. l. 7. c. 19 τοῦτο κοινῇ δόξαν ἕκαστοι ὡς εἰώθασιν ἑορτάζοντες τῆς πρὸς σφᾶς κοινωνίας οὐκ ἐχωρίσθησαν. εὐήθες γὰρ καὶ μάλα δικαίως ὑπέλαβον ἐθῶν ἕνεκεν ἀλλήλων χωρίζεσθαι, περὶ τὰ κύρια τῆς θρησκείας συμφωνοῦντας.

Ex retento Victoris nomine apud Sozomenum recte asseritur lectio de Polycratis nomine.

Καὶ γὰρ οἱ τῆς αὐτῆς πίστεως διαφωνοῦσι περὶ τὰ ἔθη πρὸς ἑαυτούς.

V. Ex antiquissima & recentiore Ecclesiæ praxi demonstratum est, varios ritus in sacrorum administratione externique cultus disciplina non interrupisse mutuum Episcoporum consortium, tolerataque a Romanis Pontificibus in aliis provinciis consuetudines, quæ fidem non violarent. Unde colligere licet, eadem benignitate usuros quoque summos Pontifices in altero disciplinæ capite, quod personas vel res ecclesiasticas, non autem ritus ipsos respicit. Hac indulgentia Africanis consuluit Gregorius, quibus veteres consuetudines intactas præstitit, quæ fidei non adversarentur. Idem ejus consilium fuit de Gallicanæ Ecclesiæ consuetudinibus, ut patet ex epistola ad Augustinum Anglorum Episcopum. *Mihi placet*, inquit, *ut, sive in Romana, sive in qualibet Ecclesia invenisti, quod plus omnipotenti Deo placere possit, sollicite eligas.* Alexander III. decessorum vestigiis hærens, in re gravissima, id est, in matrimonii nullitate, Ecclesiæ Gallicanæ consuetudinem, licet Romanæ contrariam, tolerandam esse rescripsit: *Licet Ecclesia Romana, propter maleficia, legitime conjunctos dividere non consueverit, si tamen consuetudo generalis Ecclesiæ Gallicanæ habet, ut hujusmodi matrimonium dissolvatur, nos patienter tolerabimus.*

Alexander III. in Appendice Concil. Later. c. 2. de frigidis.

VI. Quæ disputata sunt, docent remissionis usum a majoribus nostris adhibitum in tolerandis consuetudinibus, quæ fidei non officerent. Sed novo jure Decretalium addita est altera exceptio, nempe, ut inutiles habeantur omnes consuetudines, quæ aliquo pacto libertatem & immunitatem ecclesiasticam violant, id est, quæ Principibus laicis potestatem quandam in res aut personas ecclesiasticas indulgent: quia cum rerum spiritualium tractandarum sint incapaces, ratione destituta censetur consuetudo, quæ rerum conditionem evertit: ideoque nullo tempore, etiam immemoriali, vires obtinere potest, ut docent plerique juris canonici interpretes.

C. *Clerici*. De judiciis. c. *Cum terra*. De elect. c. *Ad nostram*. c. *Cum inter*. De consuet. c. *Noverit*. De sent. excomm. c. *Sacrosancta Messana*. De elect. c. *Causam quæ*. De præscript.

Hac difficultate se quidam expediunt adhibita distinctione, ita, ut immunitas omnino & in universum abrogari non possit vel adeo restringi, ut maxima ordini ecclesiastico fiat injuria, sed in quibusdam articulis ei derogari possit, consuetudine quadam mixta, quæ ex clericorum & laicorum consensu proficiscatur, ut recte observat Covarruvias. Ob quam rationem se forensem Gallorum usum non damnare profitetur de conveniendis clericis coram judice seculari in actionibus realibus. Alii vero hunc nodum ita solvunt. Fatentur, ex possessione immemoriali nec præscriptionis, nec consuetudinis titulo rerum spiritualium administrationem laicis acquiri posse; attamen ex consuetudine præscripta, per possessionem illam immemorialem instrui probationem privilegii a summo Pontifice concessi. Itaque ajunt, in hac specie sufficere, ut allegetur titulus, id est, privilegium a superiore indultum. Ejus enim probatio sola possessione centenaria vel immemoriali conficietur, etiamsi nullæ exhibeantur privilegii tabulæ. Morosiores requirunt, ad summum, probationem famæ, quæ doceat, privilegium illud concessum fuisse; quamvis hæc conditio a multis necessaria non esse dicatur. In eum autem finem requiritur privilegii allegatio, ut constet, vel saltem censeatur, laico idoneitatem seu capacitatem rei ecclesiasticæ tractandæ indultam fuisse a summo Pontifice.

Covarruvias Practic. quæstion. c. 7. §. 5.

Peregrin. de jure fisci. l. 1. tit. 2. §. 61. Mascardus de probat. tom. 3. Conc. 1372. Menoch. lib. 3. Præs. 131. §. 46. 47. 48. Carolus Molin. in Consf. Paris. §. 7 n. 12. Petrus Barbosa ad l. omnes. C. de præs. 30. vel 40. an. *qui loquuntur in genere de præscriptione, quando obstat incapacitas præscribentis.*

VII. Hunc loquendi modum secuti sunt Gallicani auctores Aufrerius & Benedictus, aliique pragmatici; qui ex privilegio sedis apostolicæ Principibus nostris in plerisque ecclesiasticis negotiis jurisdictionem vindicant, & privilegii probationem e vetustissima possessione petunt in iis capitibus, in quibus desunt privilegiorum tabulæ. Unde Franciscus I. constitutionibus editis profitetur; se privi-

Joannes Faber Aufrer. in tract. de Pot. secul. super Eccles. fallentia 1. & 12. regulæ primæ. Benedict. in verbo *& uxorem*, decis. 2. n. 143. & 144. 461. & seq.

(*) Fuit nuper homo quidam, qui summa confidentia asseveraret, hanc illustrissimi Archiepiscopi conjecturam esse falsam, idque luce clarius constare. Itaque censet retinendum esse nomen Polycarpi apud Sozomenum, eo etiam argumento, quod scriptor ille eum vocat Episcopum Smyrnæum, quod convenire nullo modo potest Polycrati Episcopo Ephesino, & quod Victor non fuit Papa Romæ vivente Polycarpo Smyrnæo. Quare illud quoque addit, pro nomine Victoris reponendum esse nomen Aniceti apud eumdem Sozomenum, eamque esse sententiam Henrici Valesii & aliorum, qui operam suam collocarunt in Sozomeno explicando aut illustrando. Quod ego neque apud Valesium hactenus, neque apud alios reperire potui. Puto autem, verissimam esse conjecturam illustrissimi Archiepiscopi, & vocem *Smyrnæum* nihil adjumenti adferre posse opinioni contrariæ. Certum enim est ex Eusebio lib. 5. cap. 24. & Hieronymo in libro de viris illustribus, isthic agi de Polycrate Episcopo Asiæ, quem Ephesinum Episcopum propterea vocant Hieronymus & Nicephorus Callistus lib. 4. cap. 37. Eusebium describentes. Polycratem autem vixisse sub pontificatu Victoris, ambigi non potest. Quare necesse est, e libris Sozomeni tollere in hoc loco nomen Polycarpi Smyrnæi, quod per oscitantiam, ut sæpe contingit, Sozomeni aut illius qui Sozomeni historiam excripsit, irrepsit pro nomine Polycratis. Ei enim, qui commutasset hæc nomina, facile ac proclive fuit addere mentionem episcopatus Smyrnensis post nomen Polycarpi viri celeberrimi. Maneat ergo fixum constansque, certam esse emendationem illustrissimi Archiepiscopi.

privilegiis a summis Pontificibus indultis auctoritatem in quibusdam rebus consecutum esse. Hac privilegii allegatione, cui adjecta erat vetustissima possessio, jura sua a Decretalibus infracta conservabat juxta pragmaticorum Doctorum receptam sententiam. Quare nulla est suggillandi majores nostros relicta occasio, quod crimina quædam *privilegiata* dixerint, (qui mos loquendi retinetur etiam hodie apud omnia tribunalia) quodque libertates Gallicanas *privilegia* vocaverint. Id enim profectum e doctrina interpretum juris, qui præscriptionem & consuetudinem inveteratam rejiciebant in hac specie, nisi accederet privilegii allegatio, quo vitium personæ laicæ non idoneæ ad spiritualia possidenda purgaretur, unde privilegii vocem recte Principes nostri usurparunt. Neque enim, si quod jus aliunde iis competebat, ut se his negotiis interponerent, novo privilegio confusum vel abolitum erat, ut supra monuimus ex Hincmaro cap. I. hujus libri §. ultimo. Licet enim jura cumulare, ut docent interpretes, & privilegium adhibere ad munienda illa, quæ jure communi competunt. Hoc autem loquendi modo id consecuti sunt, ut etiam Romanæ curiæ lumen illustrissimum Cardinalem Bellarminum ad juris nostri confirmationem hujus tituli specie traxerint, & Franciscum Suarem, licet alioqui Principum causæ sæpe minus æquum. Recitabo ejus verba: *Non audeo damnare usum talium privilegiorum; sed hoc apostolicæ sedi remitto. Nam etiam Cardinalis Bellarminus cap.* 35. *contra Barclajum, cum ille diceret, esse in Gallia delicta quædam gravia, quæ privilegiata dicuntur, ipse respondet, ideo dici privilegiata, quia privilegio sedis apostolicæ indultum est Regibus Francorum, ut ea delicta cognoscere possint. Quibus verbis videtur illam excusationem non improbare, sicut eam non improbant Julius Clarius & Aufrerius, quos allegat.*

Chassan. in consuet. Burg. T. *des Justices*. Carolus de Grassalio lib. 2. Regal. Franc. cap. 17.

L. 4. ff. ad legem Falc. Abbas in c. *Post electionem*. De concess. præb. Felinus in c. *In nostra*. n. 2. de rescr. L. forma §. fin. ff. de censibus.

Suarez l. 4. defens. fidei c. 34. n. 29.

VIII. Ceterum, etsi formulæ Pragmaticorum satisfecerimus, privilegiorum mentione injecta, sincerior mihi videtur hæc respondendi ratio, si mero jure regio in certis articulis, in aliis vero jure patrocinii & tuitionis Principes ad se quamplurima olim traxisse dicamus, quæ a summis Pontificibus perstricta non sunt, ab illis deinde aliquanto tempore cessasse, cum novis decretis sint vetita, quorum cognitionem iterum resumpserint ad procurandam regnorum suorum ipsiusque Ecclesiæ Gallicanæ salutem, hanc vero possessionem sine ulla interpellatione summi Pontificis retinuerint ab aliquot seculis, hodieque retineant. Quæ conniventia sedis apostolicæ id maxime præstat, ut bona fide Principes in eo negotio tractando versentur, quod ad se pertinere non improbabili ratione putant; ita, ut patientia illa, si necesse sit, vicem privilegii & dispensationis subeat, etiamsi in singulis speciebus privilegium exhiberi non possit; quod tamen in gravioribus & majoris momenti capitibus Regibus nostris non deest. Qua de re specialiter dicemus sequentibus libris; ubi per capita ostendemus, quæ hic per aversionem & generaliter adnotamus. Huic autem cognitioni Principum faciles se præbent summi Pontifices, vel ob maximam, quæ inde consequitur, in Ecclesia Gallicana utilitatem, vel, ut vitetur offensio Principum, qui ægre paterentur, se ab ea auctoritate dejici, quam hereditario jure a majoribus suis ad se transmissam retinent, & inter præcipua regiæ Coronæ jura recensent.

Excitatur a quibusdam gravis quæstio, an ex tolerantia Papæ sequatur legitima præscriptio, qua Principes jura sibi tempore quæsita tueri possint. Eam præscriptionem concordiæ sacerdotii & imperii necessariam esse, non existimo: cui sufficiet, ut conniventia illa & benignitas apostolicæ sedis erga Gallicanam Ecclesiam per singulos quosque Pontifices, paci publicæ consulentes, prudentiæ consuetæ officiis continuetur. Attamen non est dissimulandum, quid hac in parte a viris doctis sit disputatum. Theologi enim quamplurimi existimant, e sola Papæ tolerantia nec Papæ consensum colligi, nec jurisdictioni ecclesiasticæ præjudicium aliquod inferri: *cum multa per patientiam tolerentur, quæ, si deducta fuerint in judicium, non deberent tolerari*, ut inquit Innocentius III. Quorum verborum sententiam eos assecutos non fuisse, viri eruditi contendunt. Etenim certum est, e domini patientia legitimam præscribendi causam præstari, ita, ut emenso præscriptionis spatio jus integrum acquiratur, quamvis interim patientia domino non officiat, quin rem suam persequi possit. Quod in causa Romanæ Ecclesiæ locum habere, docet caput secundum de præscriptionibus; cujus sententiam ita concipit Joannes Andreæ: *Taciturnitas Prælati non nocet Ecclesiæ, donec sit præscriptum*. Itaque, ut colligunt illi, e patientia & tolerantia Papæ oritur legitimus titulus, qui perficitur præscriptione. Hoc etiam alio capite Alexandri III. probatur, qui decretam a judicibus delegatis pensionem uni e collitigantibus, quæ summo jure constare non poterat, confirmat illam tolerando: *Nos eam hoc adhibito moderamine toleramus*, inquit ille. Quæ dicta sunt in genere de tolerantia Papæ, maxime locum habent, cum ad vitandum scandalum & contentiones cum Principibus ecclesiasticis juribus connivere videtur. Quia valde interest reipublicæ, scandala vitari; *cum nonnulla pro utilitate communi contra juris asperitatem ex æquitatis mansuetudine tolerari noscantur*, ut verbis Decretalium utar. Unde Navarro post D. Thomam placuit, ad extinguendas lites, ex quibus scandala oriri solent, justam esse causam dispensandi in prohibitis & vetitis. Sed de hoc dispensationum genere secundum mentem veterum multa dicemus sequentibus capitibus.

Suarez de legib. l. 7. c. 13. n. 12.

C. *Cum jam dudum*. De præb.

Salgado de supplicatione ... sanct. 1. P. c. 2. n. 207. & seqq.

C. *Nisi essent*. De præb. c. *Abbate*. §. fin. De sent. & re judic.

Navar. in Summa Latina c. 23. addit. ad n. 85. D. Th. 2. 2. q. 63. art. 2. ad 2.

IX. Constituto in Ecclesia Gallicana canonum, decretorum & consuetudinum receptarum usu, nihil aliud expectandum erit a nostris, quam ut se difficiles & tetricos præstent, si qua in re gravi immutatio acciderit. Cum enim plerisque populis innata sit vetustatis retinendæ cupido, hæc est Gallorum indoles, ut iisdem semper legibus uti velint, quemadmodum jam olim observavit Agathias. Quare, cum prudentes monuerint, magnos in republica fluctus excitari legum receptarum mutatione, dubitandum non est, quin ad leges ecclesiasticas hæc regula trahi debeat. Etenim, quæ in genere dicuntur de periculo, quod ex legibus immutatis sequitur, Augustinus ad consuetudinem ecclesiasticam retulit: *Ipsa quippe mutatio consuetudinis*, inquit, *etiam, quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat*. Quod potiori jure ad canones referri debet; qui negligi non possunt sine magno dissidio, ut eleganter observat auctor constitutionum apostolicarum: *Hos canones vobis constituimus, Episcopi. Vos autem in iis perseverantes salvi eritis, & pacem habebitis; non obedientes vero, puniemini, & perpetuum bellum vobiscum geretis, pœnas inobedientiæ debitas persolventes*. Unde canone XXXIII. apostolico, quo Episcoporum inter se officia præscribuntur, recte adjicitur, his observatis concordiam retineri; ἔσω γὰρ ὁμόνοια ἔσαι. Hanc regulam Leo I. eleganter expressit in epistola ad Maximum Antiochenum: *Universæ pacis tranquillitas non aliter poterit custodiri, nisi sua canonibus reverentia intemerata servetur*. Unde videtur hausisse Symmachus Papa, quæ ad Episcopos Galliæ scripsit; qui hujus sententiæ memores, viam, quæ illis ad concordiam a summo Pontifice præmonstrata est, quantum fieri potest, sedulo insistunt. *Sedis apostolicæ instituta prædicanda sollicitant*, inquit, *ut de concordia universalis Ecclesiæ, quæ toto orbe diffusa est, pervigili cura tractemus. Quæ tunc præcipue adolescit, si ea, quæ a patribus statuta sunt, ætas subsequens reverenter observet*.

Agath. lib. 1. αὐτοῖς χρώμενοι τοῖς νόμοις.

Plato lib. 6. de leg. Demosth. contra Timocr. Augustus apud Dionem lib. 53. Agath. lib. 2. August. ep. 118. cap. 5.

Const. apost. l. 8. cap. ult. ταῦτα δὲ περὶ κανόνων διατετάχθω ὑμῖν παρ' ἡμῶν, ὦ ἐπίσκοποι. ὑμεῖς δὲ ἐμμένοντες αὐτοῖς σωθήσεσθε καὶ εἰρήνην ἕξετε. ἀπειθοῦντες δὲ κολασθήσεσθε, καὶ πόλεμον μετ' ἀλλήλων αἴδιον ἕξετε, δίκην τῆς ἀνηκοΐας τὴν προσήκουσαν τιννῦντες.

Leo ep. 66.

Symm. ep. ad Ep. Galliæ.

Non incognita fuit hæc antiqua regula Decretalium conditoribus, qui concordiam novitate convelli

C. Cum consuetudinis. De consuet.

velli professi sunt. *Plerumque discordiam pariunt novitates*, inquit Honorius tertius. Quare Cœlestinus III. antiquæ consuetudini deferre maluit, quam dissidiis causam præbere inducta novitate in provinciam: *In hac parte consultius duximus multitudini & observatæ consuetudini deferendum, quam aliud in dissensionem & scandalum populi statuendum, quadam adhibita novitate*. Hac benignitate utuntur quotidie summi Pontifices erga Ecclesiam Gallicanam; cujus varias consuetudines ideo non convellunt, quia cum ejus administrationi eas commodas esse videant, etsi aliquando a decretalium jure descifcentes, malunt dissimulare hoc vulnus, quam novitate inducta dissidiis & offensionibus occasionem præbere.

C. Quod dilectio. De consang. & affin.

CAPUT X.

De singularibus privilegiis Regum Franciæ tum contra bullam in cœna Domini, tum ratione rerum ecclesiasticarum, ob singularia bene merita concessis.

SYNOPSIS.

I. An publicatio bullæ in cœna Domini tolerantiam interrumpat & privilegia revocet. In iis, quæ jure regio agunt, non perstringuntur Reges; in ceteris est tantum comminatio & protestatio. Deinde bulla illa non est recepta in Gallia. Reges Galliæ, ex privilegio, non comprehenduntur excommunicatione generali.

II. Antiqua consuetudo privilegii vim sortitur. Privilegium autem ob merita concessum revocari non potest. Unde consuetudines privilegiatæ regni Francorum non censentur revocatæ per bullam, ex Navarro.

III. Eximia quædam jura sunt penes Reges nostros in rebus ecclesiasticis, quæ alii Reges non obtinent. Quia eos vincunt beneficiis in Romanam Ecclesiam. Beneficia Ecclesiæ Romanæ collata, non in latifundiis, sed in provinciis, & supremo imperio.

IV. Harum donationum origo discutitur. Exarchi in Italia, & sub iis Duces post irruptionem Longobardorum. Hi Ravennæ infesti, capta ea urbe, & Eutychio Exarcho e finibus Italiæ pulso, Aistulphus Romam obsidet. Pipinus obsidionem solvit, & Exarchatum ab Aistulpho repetit.

V. Hunc dono dedit Ecclesiæ Romanæ, nec detulit frequentibus Græcorum Impp. petitionibus, ea præcipue ratione, quod aliter Romana Ecclesia tuta esse non posset sub dominatu hæreticorum. Quid comprehenderetur illa donatione. Desiderio victo, Carolus M. munificentiam patris auxit, additis aliquot provinciis.

VI. Ludovicus Pius & Carolus Calvus suis beneficiis cumularunt avorum patrumque dona.

I. NOn dissimulanda hoc loco mihi videtur gravissima difficultas, quæ sæpissime a quamplurimis rerum nostrarum minus æquis æstimatoribus moveri solet, ab hac tolerantia consuetudinum nostrarum recedere Pontifices, idque publice quotannis testari solenni promulgatione bullæ illius famosæ, quæ fit die cœnæ Domini, unde illi nomen. Anathemati enim addicuntur, quicunque rerum ecclesiasticarum jurisdictionem ad se trahunt, etiam prætextu *gratiarum illis concessarum*. Sed viri gravissimi causam nostram egerunt, ita, ut longa oratione non sit opus. Id unum tantum præfabor, antequam illorum verba referam, Reges nostros vel ex mero jure regio quamplurima ad suam suorumque magistratuum cognitionem traxisse, vel ex longissima consuetudine & Romanæ sedis tolerantia id juris sibi quæsivisse. Primo casu, cum jure suo utantur, a bullæ ictibus tuti sunt. Secundo vero casu, etsi daremus, formula illa generali comprehendi Reges nostros, cum scripto damnati, facto ipso & continuato tolerantiæ effectu absoluti sint, recte sequitur, ad summum minas tantum excommunicationis injectas & potius contestationem publice adhibitam ad repetenda quandoque jura sua, a quibus fortasse præscriptione cadere posset. Ecclesia Romana, quam ut Reges nostri anathemate feriantur. Prætermitto regulam illam generalem, (de qua disseruimus libro II. cap. XVI.) legibus ecclesiasticis provincias non obstringi, in quibus promulgatæ & usu receptæ non fuerint; ut accidit huic bullæ, cui exceptio illa apud Gallos objici solet. Quamvis enim ea sola respondendi ratio sufficeret, alio tamen modo a minis illis sunt tuti Reges nostri; quibus Romani Pontifices indulserunt, ut nullis censuris teneantur a sede apostolica inflictis, quacunque verborum formula conceptæ sint, nisi disertis verbis cautum sit, Reges Francorum iis quoque comprehendi. Qua de re copiose alibi.

II. Præter eas rationes, aliud quoque & egregium superest nobis remedium, quo omnem hujus bullæ metum a capite regio & eorum, qui vice sacra judicant, arceamus. Nempe consuetudinis antiquissimæ usum vim privilegii sortiri, superius probavimus, etsi nullæ proferri possent privilegiorum tabulæ. Porro, etsi disceptetur inter Jurisconsultos, an privilegium semel a Principe indultum rescindi possit sine causa, nullus tamen dubitat, quin privilegia, quæ propter merita conceduntur, in contractus naturam transeant, ideoque revocari nullo modo possint. Tot autem tantaque sunt in Romanam sedem Regum nostrorum merita, ut privilegia consuetudine firmata per bullam in cœna Domini Regibus nostris non adimi profiteantur Bellarminus & Suarez, quos laudavi capite superiori. Quibus addo Navarrum, ut in ore trium hoc verbum stare possit. *Hæc declaratio*, inquit, *tollit privilegia data etiam Regibus. Per quod dubitari posset de judicibus Galliarum, qui judicant clericos pro portu sive delatione armorum & aliis casibus, quos vocant privilegiatos. Equidem arbitror difficile ab iis absenturos; sive, quod præsupponant, privilegia illa esse remuneratoria obsequiorum a se magnis impensis sanguinis & fortunarum præstitorum; sive, quod sint immemorialia, & super criminibus levibus concessa, sive alia. Quæ, an audiri debeant, judicio sanctissimi D. N. relinquo*. Periclitari non potest Regum nostrorum causa, quam Navarrus summorum Pontificum judicio relinquit, cum præjudicio suo Clemens V. ostenderit, quid successores sui amplecti deberent, quando de Franciæ Regum negotiis agitur. Nempe proniores esse debent erga res nostras ob magna Gallorum in sedem apostolicam merita, quam in ceteros Reges. Apud Clementem enim, *Meruit*, ut ille loquitur, *& Philippi Regis integritas, & progenitorum suorum præclara merita meruerunt, meruit etiam regnicolarum puritas ac devotionis sinceritas, ut tam Regem, quam regnum speciali favore prosequamur*.

Peregrinus de jure fisci lib. I. tit. 3.

Vide secundam præfationem Marcæ. §. 8.

Navarrus c. 17. Enchiridii num. 70.

C. Meruit. De privileg. in extrav.

III. Sane dubitandum non est, quin eximia quædam jura in rebus ecclesiasticis nostri Reges obtineant, quæ ceteris Principibus hodie non competunt. Quod nulli mirum videri debet, qui privilegiorum multitudinem ex officiorum magnitudine metietur. Conturbaret profecto Ecclesia Romana, nec suppeterent illi facultates, quibus cum Gallorum Regibus decideret, nisi liberalitatis & perfectæ donationis titulo immensam beneficiorum suorum molem in eam contulissent. Si ergo liberalitate summi Pontifices rependere volunt, quod ex mera donantium liberalitate consecuti sunt, non est, cur ceteri Principes nobis invideant benigniorem erga Reges nostros Romanæ sedis remissionem. Certent nobiscum liberalitate; tunc integrum illis erit, de privilegiis quoque nobiscum certare. Porro tanta sunt tamque illustria Regum nostrorum non solum erga Pontifices, sed etiam erga

erga sedem apostolicam beneficia, ut, si taceam, prævaricari, si ea recenseam, importunus in narratione rei notissimæ esse videar; præsertim, cum in eo argumento accuratissime versatus sit summa eruditione & pietate insignis vir Joannes Morinus; qui magnitudinem secularis imperii, quo potitur Ecclesia Romana, a Regum Francorum munificentia profectam ostendit, fines provinciarum collatarum investigat, commentitiam Constantini donationem evertit, temporum illorum historiam solertissime discutit. Quare non dubitat, Regum nostrorum in Romanam sedem beneficia cum beneficiis a Constantino Ecclesiæ collatis conferre. Constantinus enim ab infidelium tyrannide Ecclesiam Christianam liberavit, Reges Francorum ab Ecclesia Romana servitutem, qua ab Imperatoribus premebatur, armis suis depulerunt. Constantinus Christianos libertati restituit. Reges Francorum durum Græcorum & Longobardorum jugum perfregerunt, quo cervices summorum Pontificum deprimebantur. Constantinus infamia damnatum quondam Christianum nomen splendore adjecto commendatum reddidit, Romanamque Ecclesiam aliquot latifundiis & reditibus auxit. Reges Francorum primi solique merum mixtumque, imo & summum imperium in aliquot provincias eidem Ecclesiæ contulerunt, eique tranquillitatem procurarunt contra infestas Græcorum hæresi infectorum quotidianas minas & adversus impetum Longobardorum. Horum beneficiorum conscius Paulus Papa scripsit Pipino Regi ejusque filiis: *Etsi omnes capitis nostri capilli lingua effecti fuerint, non valebunt ob tanta vestra beneficia dignas referre gratiarum actiones.*

V. C. Joannes Morinus Presbyter Oratorii Jesu in tractatu *De la Grandeur & Souveraineté temporelle donnee a l'Eglise Romaine par les Roys de France.*

Paulus I. ep. 36. in Codice Carolino.

IV. Ut autem, quod dicturi sumus, hoc capite facilius intelligatur, observandum est, evocatos a Narsete Longobardos in Italiam a Gothis ereptam & imperio restitutam irrupisse Alboino duce, adeo felicibus auspiciis, ut regnum in Transpadanis regionibus regiamque Ticini constituerent. Fama gentis concussus Imperator Justinus II. Longinum Exarchi titulo ornatum mittit anno DLXIX. qui hostium impetum exciperet & Italiæ statum ordinaret. Ille præsidia in præcipuis civitatibus constituit sub Præfectorum imperio; qui relicta veteri Correctorum, Comitum, Præsidum, & si qua al[...]esset, appellatione, Duces militari nomine dicerentur, & ab Exarcho penderent, qui Ravennæ sedem suam collocaverat. Hinc Roma, Neapolis, Beneventum, Spoletum, Duces suos acceperunt. Anno DCCXXV. Luitprandus Rex Longobardorum attritam superioribus bellis Exarchorum potentiam & dissidiis intestinis laborantem evertere studuit; Ravennam capit & diripit. Fugatum Paulum Exarchum Venetorum copiæ in urbem atque ditionem reposuerunt. Sed Aistulfus Rex benigniore fato usus, anno DCCLII. Ravennam iterum obsessam ad deditionem compulit, Eutychium Exarchorum ultimum, a ceteris urbibus destitutum, in Græciam abire coegit. Ravenna capta, Romam sibi obnoxiam putavit eodem jure, quo Exarchis paruerat. Stephano Papa conditionem tributi rejiciente, urbem invadit. Sed Pipini Regis Francorum auxiliis bina expeditione in Italiam illatis Aistulfus ad modestiam redigitur; restitutis non solum Romanæ Ecclesiæ patrimoniis, quæ nefarie invaserat, sed etiam Exarchatu Ravennæ & adjunctis provinciis, quas subegerat jure belli.

V. Has provincias Romanæ Ecclesiæ Pipinus donavit, etsi a Legato Imperatoris Constantinopolitani rogaretur impensissime, ut eas imperio restitueret. Sed generosus Princeps pietatem suam lædi passus non est, neque a liberandæ Ecclesiæ Romanæ proposito dimoveri, quam Græci, hæresibus infames, æque premebant ac Longobardorum avaritia & ambitio. Quare, postquam Legato denuntiasset, se bellum adeo arduum non suscepisse, nisi in B. Petri honorem, donationem scriptam Exarchatus Romam transmisit anno septingentesimo sexagesimo octavo. Contenderunt per aliquot annos a Pipino Constantinopolitani missis legatis, ut res donatas imperio restitueret; sed immotus permansit, eam præcipue ob causam, quod fide Christiana a Græcis violata, tuta sub illorum principatu esse non posset Ecclesia Romana, quemadmodum illi per epistolas suas identidem suggerebant Stephanus III. & Paulus Pontifices. Conatio vero Pipini ita pœnitenda non erat, quin tres provincias, Picenum, Flaminiam & Æmiliam, & in iis viginti præcipuas civitates complecteretur, enumeratas ab Anastasio & a Stephano; in quibus Ravenna, Ancona, Bononia & Ferraria eminebant. Desiderii Longobardorum Regis ultimi audacia iterum mota sunt arma in Adrianum Pontificem; Ferraria, Faventia, Comaclum occupatæ; jamque Desiderius urbi infestus minatur. Pontifex, in illa rerum calamitate, patriæ donationis evictionem a Carolo Magno Francorum Rege petit; atque ita Desiderii impietas Gallorum arma in se provocavit, qui regni fortunam Ticini secum obsessam deditione tandem in Carolum transtulit anno septingentesimo septuagesimo tertio. Novo regno auctus Carolus non solum primam Pipini beneficentiam confirmavit, sed immensis quoque largitionibus eam variis temporibus amplificavit, ut testantur Anastasius & Adriani epistolæ. Tusciam solidam cum insula Corsica, Capuanam provinciam sive Campaniam, Beneventanum & Spoletanum Ducatus, & provincias Venetiarum & Istriæ antiquis donationibus adjunxit: quæ hodie in varias dynastias discerpta, a Romana Ecclesia per temporum injuriam fere omnia abjudicata sunt. Tuscia a Ducibus Florentinis majori ex parte occupatur, Corsica a Januensibus. Venetiarum & Istriæ provincias Respublica Venetorum & Austriaca domus partitæ sunt. Neapolim, Campaniam, Aprutios & Apuliam retinet quidem Hispanus, sed feudi jure, in quo Gallicanæ liberalitatis vestigia supersunt.

Anastasius in vita Stephani III. de Legato: *Deprecans atque plura spondens tribui imperialia munera, ut Ravennatium urbem vel ceteras ejusdem Exarchatus civitates & castra imperiali tribueret ditioni.* Infra de Pipino: *Affirmans etiam sub juramento, quod per nullius hominis favorem sese certamini sæpius dedisset, nisi pro amore S. Petri & venia delictorum, asserens & hoc, quod nulla eum thesauri copia suadere valeret, ut, quod semel beato Petro obtulit, auferret.*

Existimabit forte aliquis, munificentiæ illius omne decus in Pipinum & Carolum ita redundasse, ut in hodiernos Reges nihil præter honestam recordationem derivari possit; ideoque, ut obstrictam quidem Romanam sedem summis Caroli Magni beneficiis nullus diffiteri possit, ita propagatum in hanc usque ætatem obligationis hujus vinculum non sine pudendæ adulationis suspicione dici posse videatur. Sed cum donationes modum, conditionem & legem accipiant, quas donator dicere voluerit tempore contractus, videndum est, an id fuerit Pipini & Caroli consilium, ut in futurum quoque regno suo prospicerent. Sane inveniemus, ut perpetuum erat beneficium, neque iis, quæ usu consumuntur, rebus mobilibus, aut, quæ functionem accipiunt in suo genere, sed rebus soli & immobili provinciarum possessione constabat, ita quoque Pipinum & Carolum æternam expectasse, in gratiam regni Francorum, naturalem ad ἀντίδωρα obligationem. Eam vero legem a Pipino dictam, ut res donatæ pignus quoddam essent æternum mutuæ inter Romanam sedem regnumque Francorum benevolentiæ, docet Paulus Papa in epistola ad Pipinum. Laudata enim ejus Principis constantia, quod Græcorum munera respuisset, & donorum suorum perennitatem Ecclesiæ Romanæ spopondisset, subjungit: *De nostra itaque puritate & dilectione, quam erga vos & cunctum a Deo protectum regnum Francorum habere dignoscimur, credimus, jam vos plene esse satisfactos. Pro quo, & ampliori certificatione, Deum cœli testem proferentes, in ea nos charitatis dilectione, quam cum sanctæ recordationis domno & germano nostro beatissimo Stephano Papa, & per eum cum omnibus Pontificibus, vos vestræque suboles, & cuncta vestra proles atque universum regnum Francorum usque in finem seculi conservare spopondistis, & nos etiam atque nostros successores Pontifices confitemur esse permansuros*

Paulus Papa ep. 26. in Cod. Carolino.

pro

pro exaltatione ſanctæ Dei Eccleſiæ & fidei orthodoxæ defenſione. Caroli quoque conſilium luculenter explicat Anaſtaſius, ſi recte ejus verba capio, cum donationis ſuæ inſtrumentum corpori B. Petri manibus ſuis impoſuiſſe dicit *pro firmiſſima cautela & æterna nominis ſui & regni Francorum memoria*.

Anaſtaſ. in vita Hadr. I.

VI. Ludovicus Pius Imperator beneficia patris & avi Sardiniæ & Siciliæ donatione cumulavit: cui dono hanc legem addidit, ut electi Pontifices poſt conſecrationem ſuam Legatos ſuos ad Reges Francorum mittant, qui inter eos amicitiam, charitatem & pacem ſocient, ut ille loquitur. Reliquam Apuliæ partem & Calabriam a Saracenis & Græcis Ludovici II. armis ereptam Carolus Calvus Romanæ Eccleſiæ conceſſit, ut teſtantur Annales Fuldenſes, una cum mero jure ſupremi dominii ſine conſortio Imperatorum retinendo. *Ab illo autem die*, inquit Eutropius Longobardus, *honorificas conſuetudines regiæ dignitatis nemo Regum, nemo Imperatorum acquiſivit*.

Leo Hoſt. c. 18. lib. 1. Chron. Caſſin. Gratianus d. 63.

Annales Fuldenſes an. 876. Eutropius Longobardus editus a Matthia Flacio Illyrico, & dein a Goldaſto.

CAPUT XI.

De variis benemeritis in ſedem Romanam a Regibus Franciæ collatis, & ſpeciatim de acquiſitione urbis Romæ, exarchatus, Dignitatis Patriciatus.

SYNOPSIS.

I. Qua ratione Roma ad Romanam Eccleſiam pervenerit, diſputatur. Leo Iſauricus Gregorium II. ob novum cenſum, quem a Romanis exigi non ſinebat, interficiendum curat. Quis ille cenſus. Edictum deinde de imaginibus dejiciendis Romam miſſum. Omnes Itali conſpirant pro ſalute Pontificis, & Duces ſibi eligunt.

II. In Romani Ducis electione quæ fuerint partes Pontificis. Illi licuit, quod libuit. Sed jure ordinario hoc populo competebat. Magna tunc Pontificis reverentia per occidentem. Ejus ſedes Romæ conſtituta, ut pacem Regibus procuret. S. Petrus, ut terrenus Deus. Gregorius Italos compeſcuit a rebellione.

III. Conciliatio Græcorum hiſtoricorum cum Latinis. Qua ratione intelligendum videatur, quod ajunt Græci, Gregorium ab Imperio abduxiſſe provincias Italiæ. Cum Exarcho rediit in gratiam, & ejus auctoritatem Romæ quoque reſtauravit. Leonem non excommunicavit, ſed Gregorius III. generalibus verbis.

IV. Leo Imp. Eccleſiæ Romanæ patrimonia invaſit. Eorum reditus, e Theophane. Qui perperam explicatus ab Alemanno. Ejuſdem error in donatione Ludovici Pii explicanda.

V. Pontifices poſt latifundia invaſa & hæreſim Leonis ejus imperium coluerunt, & reipublicæ curam amplexi ſunt; ut patet e Gregorio III. & Zacharia. Exarcho pulſo, Aiſtulfus Rex Romæ minatur. Legatus Conſtantini Copronymi in urbem advenit. Stephanus III. illi ſe adjungit ad repetendam Ravennam a Longobardis. Auxilium petit ab Imperatore orientis, ſub cujus imperio Roma hucuſque ſtetit. Cum nulla ſpes præſidii e Græcia, Stephanus arma Pipini implorat.

VI. Immutatio in Romanæ urbis adminiſtratione poſt victoriam Pipini & donationem Exarchatus. Una cum provinciis Pipinus contulit Eccleſiæ Romanæ patriciatus dignitatem & auctoritatem. Patriciatus quoque Romanorum delatus Pipino, electione. Roma duobus Patriciis in ſolidum ſubdita, Romano Pontifici, & Regibus Francorum. Probatur, patriciatum collatum fuiſſe a Pipino, ex Hadriano, unde quoque patriciatus auctoritas oſtenditur. Communio patriciatus Romani probatur ex epiſtolis Pauli Papæ.

VII. Plenam adminiſtrationem rerum civilium in urbe Roma poſthac Pontifices exercent; ut patet e geſtis Hadriani I. Ceterum nondum reverentiam imperio CP. debitam depoſuerant, quod oſtenditur ex epiſtolis Hadriani. Inde petitur ratio, cur patriciatus ſolum collatus fuerit Stephano a Pipino, & vice verſa, cur etiam in donationibus mentio Romanæ urbis facta non ſit. Adminiſtratio Rom. Pontificum probatur quoque e Ludovici Pii donatione.

VIII. Patriciatus Romanorum conceſſus Regibus noſtris æquo jure cum patriciatu Exarchorum; e facto Hadriani, e liberis Caroli ad Leonem III. & ex Eginhardo. Populus Rom. ſacramentum fidei præſtat Carolo Patricio.

IX. Angilbertus Romam a Carolo miſſus, ut de utriuſque patriciatu confirmando cum Leone tractaret. Patriciatum vertunt in dominatum urbis. Quod ſignificatur Lateranenſibus picturis, ex conjectura auctoris. Tunc dictus Leo III. a Romanis Dominus Noſter; *& Carolus quoque. Cujus eſſe dicitur civitas Romana, a Paulo Diacono.*

X. Ex hoc dominio gradus factus ad Imperatoris titulum. Eum Carolo Pontifex contulit jure ſupremi dominii, quo potiebatur in Romanam civitatem. Non illum inſtituit, ſed inſtauravit. Qui ſocius erat in dominio, de ſua dignitate aliquid detrivit. Carolum adoravit. Tunc omnino diſceſſum a Græcorum imperio. Explicatus Theophanes.

XI. Poſt imperium delatum Carolo, conſortium dominii remanſit. Carolus reos capite damnat Romæ, qui rei erant læſæ majeſtatis erga Leonem. Conſortium quoque probatur e conſtitutione Lotharii, qui legem condit Romanis ex auctoritate Papæ & ſua. Sententia illius legis. Carolus Calvus conſortium amovit, & omnibus regiis juribus ceſſit. Roma deinceps ſub ſolius Pontificis dominio, e Conſtantino Porphyrogenneta.

XII. Quibus gradibus Reges Francorum ſupremum Romanæ civitatis dominium in Romanos Pontifices contulerint, breviter recenſetur, & explicatur donatio Ludovici. Poſtquam ſoli Pontifices ſine communione domini ſunt effecti, nomen ſuum in annorum computationibus adhibuerunt. Omnem auctoritatem ſecularem a Regibus Francorum trahunt.

I. IN enumeranda rerum donatarum ſerie Romam ejuſque Ducatum conſulto omiſi, quia vix conſtat, quo pacto ſummorum Pontificum dominio adſcripta fuerit. Attamen, ſi attentius rerum geſtarum ordo expendatur, ad illius arcani cognitionem perveniri poterit. Nicolaus Alemannus id unum ſibi expedire viſus eſt, a Carolo non fuiſſe collatam. Quo autem jure a Græcis ad Romanam Eccleſiam confluxerit, omnino diſſimulat. Vir doctiſſimus exiſtimat, Carolo accepto ferendam Romani Ducatus donationem. Sed non minor reſtat difficultas diſcutienda, de jure Caroli; qui nec bello a Græcis Romanam civitatem, ut ceteras quaſdam provincias, repetivit, nec in eam jure Longobardici regni aliquid ſibi vindicare potuit. Quare paulo altius hiſtoriæ ſeries repetenda eſt, maxime, cum illuſtriores aliquot eventus, nondum ſatis plane diſcuſſi, occurrant. Leo Iſauricus Conſtantinopolitanus Imperator infenſus Gregorio II. non ob novas opiniones, ſed quod novum cenſum agi in Romana provincia non pateretur, eum per Marinum Spatharium Ducem Romanum, deinde vero per Paulum Patricium & Exarchum interfici curavit. Sed impius conatus auxiliis Longobardorum & Spoletanorum eluſus eſt. Cenſus ille, cujus exactionem Gregorius impedivit, erat capitatio ei ſimilis, quam Siciliæ & Calabriæ indixit; de qua hæc ſunt Theophanis verba: φόρους κεφαλικοὺς τῷ τρίτῳ μέρει Σικελίας καὶ Καλαβρίας τοῦ λαοῦ ἐπέθηκεν, *Tributum impoſuit in capita tertiæ partis populorum Siciliæ atque Calabriæ*. Miſſo deinde edicto, quo imagines dejici præcipiebat, Romano Pontifici gratiam ſuam Leo pollicetur, ſi nefariæ definitioni ſubſcriberet, alioqui ſuo gradu

Anaſtaſius in vita Gregorii II. *Paulus vero Exarchus Imperatoris Pontificem conabatur interficere, eo, quod cenſum in provincia ponere præpediebat.*

gradu quantocyus pellendum minatur. Gregorius statim se adversus *hostilem* Principis animum parat, monetque Pentapoleos & Venetiarum exercitus, ut ab ea impietate sibi caveant. Subita rerum conversio; omnium mentes ad Pontificem tuendum inclinatæ, ab Exarchi obsequio desciscunt, & delectu suo quique sibi Duces præficiunt, ut testatur Anastasius. Tunc ergo Ducem Romana provincia, quemadmodum & ceteræ, suo arbitratu, id est, procerum delectu, habuit, qui eodem jure uteretur in administranda republica, quo Duces ab Imperatore missi.

Anast. Anathemati Paulum Exarchum, vel qui eum direxerat, ejusque consentaneos submittunt, spernentes ordinationem ejus, sibi omnes ubique in Italia Duces elegerunt, atque sic de Pontificis deque sua immunitate cuncti studebant.

II. Si quæratur, quænam fuerint partes Romani Pontificis in Ducis creatione, non obscure responderi potest ex Anastasio, procerum suffragiis electum, quemadmodum in ceteris civitatibus. Attamen ea erat summi Pontificis auctoritas, ut illi in eo negotio licuerit, quod libuerit. Ceterum, si de ordinario jure agatur, ea omnia a Senatu populoque Romano peracta sunt. Nullum enim imperium in Italia vel in Romana provincia exercebat Romanus Pontifex. Verum tanta ejus erat apud omnes reverentia, ut difficiliores Principum controversias componeret, & bellorum pacisque momenta temperaret. Hoc observat Gregorius II. in epistola ad Leonem; docetque, Pontificis solium Romæ eo consilio constitutum: ut pacem orientis & occidentis conciliet, seque medium, veluti parietem quendam intergerinum, Principum collisionibus interponat. Addit, universum occidentem oculos ad se conversos habere, & ab omnibus occidentis regnis beatum Petrum terreni cujusdam Dei loco haberi. Quid ergo tantæ auctoritatis viro non licuit in nova Romani Ducis constitutione? præcipue, cum ad ejus tuitionem & religionis securitatem hæc consilia caperentur. Sed aliud est, majestate nominis & dignitate sedis aliquid a volentibus impetrare, aliud jure suo agere, quod nondum Gregorio competebat. Voluerunt Itali in apertam defectionem erumpere & novum Principem creare. Sed Pontifex intercessit, & hortatu Luitprandi Regis in amicitiam rediit cum Eutychio Exarcho, eique suam auctoritatem, teste Anastasio, restituit in Romana civitate.

Gregor. II. in ep. 1. ad Leon. οἱ ἀρχιερεῖς, οἱ κατὰ καιρὸν ἐν Ῥώμῃ διὰ τῆς εἰρήνης καθέζονται τῆς ἀνατολῆς, καὶ τῆς δύσεως, μεσότοιχον καὶ μεσόφραγμα τυγχάνοντες τῆς εἰρήνης βραβεύουσιν. Infra: πᾶσα ἡ δύσις εἰς τὴν ἡμετέραν ἀποβλέπει ταπείνωσιν. Mox: ὃν, id est, Petrum, αἱ πᾶσαι βασιλεῖαι τῆς δύσεως Θεὸν ἐπίγειον ἔχουσιν.

Anastasius: *Cognita Imp. nequitia omnis Italia consilium iniit, ut sibi eligerent Imp. & Constantinopolim ducerent. Sed compescuit tale consilium Pontifex, sperans conversionem Principis.* Infra: *Ne desisterent ab amore vel fide Romani Imperii, admonebat.*

III. Ex iis, quæ retuli, componi potest discrimen, quod intercedit inter Latinos historicos & Græcos. Theophanes enim eumque secuti Zonaras & Cedrenus docent, Gregorium II. Romam atque Italiam, ceterasque occidentis provincias ab obedientia imperioque Leonis abduxisse. Nostri vero constanter asserunt, eum in officio populos continuisse & in fide imperio debita. Itaque dicendum est, ex hæresi a Gregorio damnata occasionem quidem sumpsisse Italos pellendorum Ducum ab Imperatore constitutorum & vectigalium retinendorum, sed illum tantum abfuisse a rebellione fovenda, ut Exarchum in integrum restituerit. Vel plane dicendum est, Græcos scriptores ea omnia velut in unum fascem conjecisse, quæ diversis temporibus acciderunt, remque totam ad Gregorium II. retulisse, cujus origo tantum inde peti debeat. Revera enim Gregorius II. Leonem binis literis monuit, sed non excommunicavit; quamvis ita ferat communis opinio, quam nos quoque secuti sumus libro primo cap. I. §. IV. Gregorius vero III. monitum per literas suas Principem, inter ceteros, non autem nominatim, excommunicavit in synodo Romana.

Theophanes in Chronico: ἀπέστησε Ῥώμην, καὶ Ἰταλίαν, καὶ πάντα τὰ ἑσπέρια τῆς τε πολιτικῆς, καὶ ἐκκλησιαστικῆς ὑπακοῆς Λέοντος, καὶ τῆς ὑπ' αὐτὸν βασιλείας.

IV. Leo autem adeo exarsit, ut patrimonia Ecclesiæ Romanæ in Calabria & Sicilia sita in fiscum redegerit, quemadmodum observant Adrianus & Nicolaus, qui ea incassum ab sequentibus Imperatoribus, etiam orthodoxis, repetiverunt. Eorum patrimoniorum reditus annuus auri talenta tria & semis conficiebat, ut ait Theophanes: *Appellata patrimonia sanctorum principum Apostolorum, qui apud veterem Romam in veneratione sunt, illorum Ecclesiis jam olim persolvi solita, auri talenta tria & semis, ærario publico solvi jussit.* Sciunt omnes, patrimonia illa Calabriæ & Siciliæ latifundia fuisse, quæ per Defensores eo missos summi Pontifices curabant, ut patet e variis epistolis Gregorii Magni, vel, ut loquitur Nicolaus, *disponendo per familiares suos regere studebant.* Attamen Nicolao Alemanno viro eruditissimo placuit, ea patrimonia census & tributa fuisse, quæ ab Imperatoribus Ecclesiæ Romanæ, non munificentiæ & largitatis nomine, sed ut jure debita penderentur. Atqui e Theophanis verbis, quibus innititur, contrarium colligere poterat, etsi alia deessent argumenta. Qua enim ratione Leo hanc auri summam ærario inferri præcepit, si a fisco solvenda erat, & non aliunde exigenda? Nec felicius illi cedit conjectura, cum existimat: Ludovicum Pium donatione sua restituisse Ecclesiæ Romanæ ea tributa, quæ illi quondam Imperatoris nomine Exarchi persolvebant. Ludovicus enim de iis pensionibus, censibus & donationibus loquitur conceptis verbis, quæ Reges Longobardorum e Tuscia & Ducatu Spoletano exigere soliti erant, quas a regio Longobardici regni ærario recidit, & Romanæ Ecclesiæ liberaliter dedit.

Hadriani in epist. ad Carolum M. Nicolaus in epist. ad Michaelem. Theophanes: τὰ λεγόμενα πατριμόνια τῶν ἁγίων καὶ κορυφαίων ἀποστόλων τῶν ἐν τῇ πρεσβυτέρᾳ Ῥώμῃ τιμωμένων ταῖς ἐκκλησίαις ἐκ παλαιοῦ τελούμενα χρυσίου τάλαντα τρία ἥμισυ τῷ δημοσίῳ λόγῳ τελεῖσθαι προσέταξεν.

Nicolau. Alem. in Dissert. de Lateran. Parietinis c. 15.

Donatio Ludovici: *Necnon & censum, & pensiones, seu ceteras donationes, quæ annuatim in palatium Regis Longobardorum inferri solebant, sive de Tuscia Longobardorum, sive de Ducatu Spoletano.*

V. Latifundiorum & patrimoniorum capiones ab hæreticis Principibus profectæ non abalienarunt Pontificum animos, quin imperii majestatem colerent; ut patet ex epistola Gregorii III. ad Bonifacium, quæ data est *imperante Domino piissimo Augusto Leone, imperii ejus anno vicesimo tertio, sed & Constantino Imperatore ejus filio anno vicesimo.* Stephanus quoque Patritius & Dux Romanæ civitatis celebratur sub Gregorio III. & in initiis Zachariæ. Hic Pontifex quatuor oppida, quæ a Romano Ducatu Longobardorum Rex Luitprandus avulserat, restitui impetravit, adjecto viginti annorum fœdere. Ticinum profectus, iterum exorato Rege, infestas Longobardorum copias a finibus Ravennatum ab Eutychio Patritio & Exarcho rogatus avertit, atque duas partes territorii Cæsenatis a Longobardis invasi reipublicæ restituendas obtinuit; tertia parte pignoris jure retenta, donec Legati redirent, quos Constantinopolim Rex Longobardorum miserat. Non potest liquidius demonstrari, retentam hac tempestate a summis Pontificibus imperii curam, & imperatorios magistratus Ravennæ & Romæ rebus administrandis præfuisse; ita tamen, ut spes omnis conservandæ Italiæ in summa Pontificis dignitate collocata esset. Quare Zachariæ iterum laborandum fuit adversus Rachim Regem Longobardorum Romanæ provinciæ infestum; quem oratione sua exuit armis & sceptro, & ad monachicam vitam amplectendam impulit.

Anastasius in vita Zachariæ.

Hactenus fœdera satis bene cesserant, & dignitatis pontificiæ ratio habita fuerat, cum etiam Aistulfus fœdus in annos undecim pepigisset. Sed potentiori belli causæ non defuerunt. Ravenna capta, Eutychio pulso, ut ante dixi, Stephanus Pontifex a fœdifrago Rege ipsaque Roma petitur. Nondum Romani deseruerant Imperatoris obsequium. Adest missus Romam a Constantino Copronymo Joannes Silentiarius cum literis ad Papam & Aistulfum. Legatum Ravennam adeuntem comitatur Paulus Diaconus frater Stephani III. ut provinciarum restitutionem impetret ab Aistulfo; sed frustra. Quare Stephanus suis quoque Legatis cum Imperatore, licet hæretico, summopere contendit, ut valido exercitu instructus quantocyus adventet ad tuendas Italiæ provincias urbemque ipsam. Cum autem nulla spes præsidii e Græcia superesset, unicum salutis subsidium Stephanus censuit Gallicanæ pietatis arma implorare. *Cernens*, inquit Anastasius, *ab imperiali potentia nullum esse subveniendi auxilium*, tunc decessorum exemplo Regem Francorum suis literis ad auxilia mittenda sollicitavit. Huc usque Romana civitas, licet calamitatibus belli vexata, imperium Constantini Copronymi agnovit.

Anastasius in vita Stephani II. *Suæ jurisdictioni civitatem hanc Romanam vel subjacentia ei castra subdere indignanter asserebat.* Ibidem: *Contendit Romam Joannes imperialis Silentiarius, deferens eidem sanctissimo Pontifici regiam jussionem, simulque & aliam ad nomen prædicti Regis impii detulit adhortationis annexam jussionem, ut Reipublicæ loca diabolico ab eo usurpata ingenio, proprio restitueret dominio.* Infra: *Tunc sanctissimus vir agnito maligni Regis consilio, misit in regiam*

VI. Pipini de Aistulfo victoria & collatus Romanæ

urbem suos missos & apostolicos affatus cum imperiali præfato misso, deprecans imperialem clementiam, ut juxta quod ei sæpius scripserat, cum exercitu ad tuendas has Italiæ partes modis omnibus adveniret, & de iniquitatis filii morsibus Romanam hanc urbem vel cunctam Italicam provinciam liberaret.

manæ Ecclesiæ Exarchatus statum Romani Ducatus immutarunt. Si tabulæ fœderis in Carisiaco icti a Stephano cum Pipino extarent, non esset laborandum de conditionibus; quas tamen ex eventu colligere licet. Monui libri primi capite ultimo, a Stephano & Proceribus Romanis patritiatum Romanum Pipino & ejus filiis collatum; ut vice versa Pipinus Stephano Exarchatum spopondit. Non opus est verborum circuitu. Pipinus non solum provincias Ravennæ subjectas, sed etiam omnem Exarchorum dignitatem & imperium Romanæ sedi contulit; quod Romanæ quoque civitatis administrationem complectebatur, quæ summæ jurisdictioni Exarchorum parebat. Pipinus quoque patritiatum Romanum suscepit, id est, consortium imperii in Romana urbe & provincia. Quod in hac calamitate Romani liberum sibi esse putarunt, propter necessitatem defensionis, sine injuria Constantinopolitanorum, ut inferius dicetur. Itaque duobus in solidum Patritiis exinde Roma paruit, quod deinde continuatum est sub Imperatoribus occidentis, ut statim dicam. Hac nova animadversione res alioqui obscura poterit illustrari. Quod quidem apertius erit ex quotidiano usu alienationum patrimonii regii; quibus sæpissime reditus annui tantum & jurisdictio ordinaria transferuntur, sed aliquando etiam Ducis vel Comitis dignitas una cum imperio confertur. Hujus generis erat Pipini munificentia. Non enim solas provincias & civitates, sed solidam Exarchatus seu patritiatus dignitatem contulit. Cujus rei testis est Hadrianus I. qui a Carolo postulavit, ne Ravennianos vel Pentapolenses ad se commeantes sine pontificiis literis susciperet, &, si qua de re conquererentur, ad judicium Romanæ sedis eos remitteret, ut integer & illibatus permaneret patritiatus a Pipino collatus. Sed præstat integrum locum describere, ex quo id constabit, quod proposui, & præterea, quæ tunc esset patritiatus significatio, nempe summum imperium cum dignitate conjunctum. *Sed quæsumus vestram regalem potentiam, nullam novitatem in holocaustum, quod B. Petro sanctæ recordationis genitor vester obtulit, & vestra excellentia amplius confirmavit, imponere satagat: quia, ut fati estis, honor patritiatus vestri a nobis irrefragabiliter conservatur, etiam & plus amplius honorifice honoratur, simili modo ipse patritiatus B. Petri fautoris vestri, tum a sanctæ recordationis Domno Pipino magno Rege genitore vestro in scriptis in integro concessus, & a vobis amplius confirmatus, irrefragabili jure permaneat.* Patritii dicti illo seculo & superioribus, qui provincias cum summa auctoritate sub Principum imperio administrabant. Hinc Narses Patritius in Italia apud Justinianum, Salomon Patritius Africæ apud Victorem Tunnunensem, Priscus Patritius orientis apud Gregorium M. & alii apud auctores, quorum testimonia sunt notissima. Ejus generis fuit patritiatus uterque Romani Pontificis & Regum Francorum. Communio hujus patritiatus patet ex epistola Senatus populique Romani ad Pipinum; qua juxta Regis illius monita profitentur, se *fideles servos* esse Romanæ Ecclesiæ & Pauli Papæ, quemadmodum se *fideles* Pipini inscribunt. Ex eo etiam manavit, quod Paulus Papa ait, Spoletanum Ducem ejusque satrapas *in fide B. Petri & Pipini* sacramentum præbuisse.

Hadrianus ep. 85. Codicis Carolini.

Epist. 15. & 36. in Codic. Carolino.

Anastasius in vita Hadriani I. *Eadem hora, qua electus est, reverti fecit judices illos hujus Romanæ urbis tam de clero, quam de militia, qui in exilium ad transitum D. Stephani missi fuerant a Paulo Cubiculario. Sed & reliquos, qui in arcta custodia*

VII. Itaque post ista tempora plenam in rebus civilibus administrationem Romæ Pontifices exercuerunt, nisi rebellionum motibus aliquando impedirentur. Unde statim atque Hadrianus I. electus fuit, quosdam proceres exilio damnatos per tumultum revocavit in urbem, alios e carceribus dimisit, teste Anastasio. Deinde, cum de Sergii Secundicerii nece ulciscenda ageretur, Primates Ecclesiæ & judices militiæ Hadrianum adierunt enixe rogantes, ut de reis quæstionem fieri decerneret. Quorum alii quidem erant adscripti clero, alii e laico ordine, & inter ceteros Leonatius Tribunus. *Tunc*, inquit Anastasius, *præfatus sanctissimus Præsul precibus judicum universique populi Romani jussit contradere antefatum Calvulum Cubicularium & prænominatos Campanos Præfecto urbis, ut more homicidarum eos coram universo populo examinaret.* Auctor vero nefandæ illius cædis Paulus Cubicularius Ravennæ tanti facinoris pœnas luit. Ceterum non dissimulandum est, Pontifices ea tempestate nondum ab Imperatorum majestate colenda recessisse, & iisdem conditionibus cum illis egisse, quas Exarchi & Patritii olim implebant. Id colligitur ex eo, quod Hadrianus pœnam capitis a Paulo amoliri cupiens, illi exilium indixit, deportarique in Græciam jussit; sed plenam criminis indulgentiam & deportationis locum ab Imperatoribus postulavit, quamvis literæ perlatæ non fuerint dolo Ravennatis Episcopi. *Adscribi fecit suggestionem suam Constantino & Leoni Augustis magnisque Imperatoribus*, inquit Anastasius, *significans de ipsius Sergii cœci impia morte, atque deprecans eorum imperialem clementiam, ut ad emendationem tanti reatus ipsum Paulum suscipi & in ipsis Græciæ partibus in exilio mancipatum retineri præciperent.* Extat in actis septimæ synodi ejusdem Hadriani epistola ad Constantinum & Irenem, qua illos tanquam dominos verbis quam submissis affatur; ut dubitari non possit, quin supremum imperium Principum Constantinopolitanorum agnosceret. Unde patet ratio, cur Pipino a Romanis collata fuerit sola patritiatus dignitas, vicissimque Pipinus Stephano solum patritiatum contulerit, non autem regium vel imperatorium nomen; quoniam, ut dixi, nondum Græcorum jugum omnino deposuerant; ideoque iisdem dignitatum titulis utebantur, quos Imperatores conferre solebant. Eadem ratione in donationibus Pipini Romæ nulla mentio facta est; quia sine injuria imperii, ejus urbis proprietatem in Romanum Pontificem specialiter transcribere non poterat, quemadmodum ceteras Exarchatus provincias, quas jure belli a Longobardis eripuerat, invalidis ad ea bella suscipienda & recusantibus Græcis. Itaque satius visum est, patritiatu collato, imperium Exarchorum in ceteras provincias & per consequentiam in Romanam civitatem, ejusque Ducatum transferre, majestate imperii orientalis non omnino læsa. Hoc suum esse consilium, Pipinus satis docuit iis literis, quibus post collatum Exarchatum, Senatum populumque Romanum monuit, ut constantiam fidei suæ B. Petro & Paulo Pontifici demonstrarent. Præter eas probationes, quæ petuntur ex historia, Ludovicus Pius in donationis instrumento satis testatur, ante sua tempora possessam a Pontificibus Romanam provinciam, non solum a Leone, cui concessam a Carolo vir doctissimus putavit, sed etiam ab aliis. Etenim Paschali I. qui Leonem exceperat, *Concedo*, inquit Ludovicus, *per hoc pactum confirmationis nostræ, sicut a prædecessoribus vestris usque nunc in vestra potestate & ditione tenuistis & disposuistis, civitatem Romanam cum Ducatu suo &c.* etsi non omnino anxie de variis administrationis gradibus sollicitus fuerit.

mancipati ac retrusi erant, absolvi fecit.

Ep. 36. in Cod. Carol.

VIII. Restat, ut aliqua dicamus de patriciatu Pipini & Caroli. Superius observatum est ex Hadriani epistola, utrumque patritiatum æquali gradu stetisse. Nec profecto ulla ratio evincit, cur novam patritiatus significationem comminiscamur, alienam ab ejus seculi usu, ut de Regum nostrorum dignitate & auctoritate detrahamus. Quare iterum dico, merus patritiatus Romanorum Pipino a Stephano & Romanis per electionem collatus est, quo defensio & patrocinium Ecclesiæ Romanæ præcipue continebatur, (qua de re alibi dixi) sed præterea etiam integra & solida Patritii dignitas & auctoritas. Hoc professi sunt Romani, quando Carolum a Papiæ obsidione Romam advenientem veluti Exarchum & Patritium susceperunt: *Obviam illi ejus sanctitas* (id est, Hadrianus)

Vide lib. 1. cap. 11.

Anastasius.

drianus) *dirigens venerandas cruces , id est , signa, sicut mos est ad Exarchum aut Patritium suscipiendum , eum cum ingenti honore suscipi fecit .* Post obitum Hadriani Leo III. statim a pontificatu suscepto suæ electionis certiorem reddidit Carolum , & obedientiam illi atque fidelitatem spopondit; ut docent Caroli literæ ad Leonem , apud Alcuinum.

Carolus ad Leonem ep. 84. apud Alcuinum : *Perlectis excellentiæ vestræ literis, & audita decretali chartula, valde, ut fateor , gavisi sumus , seu in electionis unanimitate , seu in humilitatis nostræ obedientia , & in promissionis ad nos fidelitate.*

Quæ obedientia non ad personam Pontificis referenda , sed de populo Romano intelligenda est ; ut ego quidem existimo , fultus egregio Eginhardi loco , qui difficultatem omnem de patritiatus auctoritate solvit . *Romæ* , inquit , *Hadriano defuncto, Leo pontificatum suscepit. Et mox per Legatos suos claves confessionis S. Petri ac vexillum Romanæ urbis cum aliis muneribus Regi misit ; rogavitque , ut aliquem de suis optimatibus Romam mitteret , qui populum Romanum ad suam fidem atque subjectionem per sacramenta firmaret . Missus est ad hoc Angilbertus Abbas monasterii S. Richarii.* Fides illa & subjectio populi Romani jure patriciatus debebatur Carolo ; quam novis sacramentis adhibitis confirmari Leo cupiebat. In eam rem missus est Angilbertus , cui hoc non solum Carolus mandavit , sed etiam , ut tractaret cum Leone , quid ad stabiliendam utriusque potestatem necessarium foret , cum sibi esset in votis , fœdus ictum cum Hadriano renovare cum Leone ejus successore.

Nicolaus Alemannus legi vult *ad vos* , nullo sensu , & contra codicum fidem

Eginhardus in Annalibus ad an. 796.

Ep.Car.adLeonem : *Angilbertum vestræ sanctitati dereximus ; ut ex collatione mutua conferatis , quicquid ad exaltationem sanctæ Dei Ecclesiæ , vel ad stabilitatem honoris vestri , vel patritiatus nostri firmitatem necessarium intelligeretis . Sicut enim cum beatissimo prædecessore vestro sanctæ paternitatis pactum inii , sic cum beatitudine vestra ejusdem fidei & caritatis inviolabile fœdus statuere desidero.* Ffuilra ai. Alemannus *sanctæ paternitatis* , quæ est vera lectio , mutat in *sancta* , ut Carolus doceat *filium per arma* fuisse Hadriani , non vero *filium spiritualem* , ut clare apertissime hic locus.

IX. Tractatus habiti cum Carolo monumentum Leo posuit in pictura illa, qua triclinii a se in Lateranensi palatio ædificati cameram exornavit . Extant ex opere vermiculato imagines S. Petri , Leonis Papæ , & Caroli . Sedet Petrus in solio , dextra porrigens orarium Leoni , & sinistra vexillum Carolo . Adsunt quoque inscriptiones hujus negotii interpretes , hinc *Sanctissimus D. N. Leo Papa* , illinc *D. N. Carolo Regi* . Nicolaus Alemannus existimabat , aliquid arcani hac tabula significari , scilicet translationem imperii ad Carolum , & restitutionem Leonis in sedem suam . Goldastus censuit , historiam rei gestæ insinuari , nempe electionem Papæ , & vexillum patritiatus ab eo missum ad Carolum . Mea vero conjectura hæc est , innovationem , quæ post colloquium Angilberti cum Leone in Romanæ civitatis imperio accidit , hac tabula posteris designari . Patritiatum enim uterque , Leo & Carolus , in dominationem verterunt , & supremæ jurisdictioni , quam exercebant , proprietatem & dominium urbis adjunxerunt . Hæc est *honoris stabilitas* , & *patritiatus firmitas* , de qua constituenda consilium iniri volebat Carolus . Nullus Pontificum ante Leonem III. *Dominus noster* inscriptus est , ut fatetur Alemannus . Post illum eo titulo in scriptis & in acclamationibus Pontifices *Domini Nostri* apud Romanos audire cœperunt . Ad perpetuam hujus rei memoriam numisma quoque cusum est ; in cujus altera facie simulacrum Petri cum clavibus humero impositis , in aversa hæc inscriptio expressa est , *D. N. Leoni Papæ* . Titulus dominii vetat , ne Leoni I. tribui possit , ut placuerat illustrissimo annalium conditori . *Dominus* quoque dicitur Carolus in hac inscriptione . Unde fluxit , ut Paulus Diaconus , cum breviationem Festi Carolo nondum Imperatori dedicaret , *Romuleam vestram civitatem* diceret.

Nicol. Alem. Dissert. c 12.

Paulus Diacon. in ep. dedicat. Festi. *Et præcipue civitatis vestræ Romuleæ, &c.*

X. Hic dominii titulus Leoni & Carolo adscriptus , gradus fuit ad imperii dignitatem adipiscendam . Quod accidit post quatuor annos . Cum enim Romam se Princeps contulisset , ut injuriam illatam Leoni ulcisceretur , vicem tanti beneficii Leo rependens , ut loquitur Theophanes , Carolum imperii corona auxit . Id factum die natalis Domini , inter Missarum solennia , cuncto Romano populo acclamante : *Carolo Augusto a Deo coronato, magno & pacifico Imperatori Romanorum, vita, victoria* . Quæri solet magna contentione , quis imperium Carolo contulerit . Duobus verbis Anastasius eam controversiam dirimit : *Ab omnibus constitutus est Imperator Romanorum* . Sane , ut diffitendum non est , tanti momenti negotium sine consensu populi Romani , cujus maxime intererat, confici non debuisse, ita negari non potest, quin præcipuæ partes essent Romani Pontificis ; non solum ratione unctionis & sacræ inaugurationis, sed etiam ratione novæ auctoritatis, quæ tunc Carolo conferebatur . Itaque vere dici potest , Leonem III. contulisse dignitatem imperatoriam Carolo ; quam non instituit de novo , sed jure supremi dominii, quod Romæ obtinebat , in ruderibus antiquæ urbis latentem restauravit . Qua in re de suo quoque aliquid contulit. Etenim , qui antea consortes erant & socii ejusdem dominii , nunc inæquali fœdere conjungi videntur , in detrimentum aliquod pontificiæ dignitatis . Quare statim post illam renuntiationem Carolus a Leone Pontifice *more antiquorum Principum adoratus est ; ac deinde, omisso Patritii nomine, Imperator & Augustus appellatus* ; ut observat Eginhardus . Adoratio illa pro hominum conditionibus varia . Infimæ sortis homines purpuram Principis aut pedes , hi manus, pro sua quisque dignitate, Patritii vero pectus , deosculabantur . Leo pectoris vel etiam oris osculo novam Augusti dignitatem prosecutus est . Et Carolus ipse , ut splendorem sibi adjectum testaretur , omisit Patritii nomen , & imperatorium assumpsit . Tunc aperte professi sunt Romani , se ab imperio Græcorum discessisse. Quæ ratio Theophanem impulit , ut scriberet ab eo tempore Romam ad Francorum potestatem redactam: ὑποχείριος τῆς ῥώμης ἀπ' ἐκείνων χρόνων ὑπὸ τὴν ἐξουσίαν τῶν φράγκων.

Theophanes in Chronic. ὁ δὲ τὸ Κάρουλον ἀμειβόμενος, ἔστεψεν αὐτὸν εἰς βασιλέα Ῥωμαίων. Eginh.an.801.

Anastasius in vita Leonis III.

Eginh. in Annal.

XI. Attamen consortium dominii obliteratum non est , etsi accessione dignitatis in Carolo pontificia majestas aliquo pacto premi videretur . Quare post imperium susceptum Carolus , ut *majestatis læsæ* reos, capite damnavit Romanos illos, qui vitæ Leonis insidiati erant . Qua sententia summum Leonis in urbem imperium , suumque sancivit ; maxime , cum precibus Leonis pœnam damnatis condonasset . Consortium quoque dominii probatur luculentissime ex constitutione Lotharii Imperatoris, qua prudentissime cavet, ut populus Romanus delectum unius legis faciat , ex cujus præscripto judicia peragi possint . Perturbata enim erat ratio judiciorum ob multitudinem populi e variis regionibus in urbem confluentis , qui Longobardica , Francica vel Romana lege , pro suo quisque arbitratu , nunc hac, deinde illa , judicia reddi contendebat . Præcipit ergo Lotharius , ut , quam legem ex illis populus selegerit , ejus præcepta sectetur ; cujus violatæ pœna illi infligetur *per dispensationem Pontificis & nostram* , inquit Lotharius . Carolus Calvus Imperator a Joanne VIII. renunciatus , consortium illud amovit anno DCCCLXXVI. solidumque jus in civitatem Romanam sedi apostolicæ tribuit . Unde post aliquot annos conquerebatur Eutropius Presbyter Longobardus jura & consuetudines regni a Carolo in Pontifices transcripta ; adeo , ut, qui vice Imperatoris præfectus erat Romanis , tunc illis subjectus esset . Quare eleganter Constantinus Porphyrogenneta Imperator CP. juxta seculi sui statum scripsit circa annum DCCCCIV. triginta annis post Caroli Calvi liberalitatem , a Romano Pontifice Romam jure dominii teneri ; ἰδιοκρατορίαν ἔχειν καὶ δεσπόζειν κυρίως παρὰ τινὸς κατὰ καιρὸν Πάπα.

Eginh. in Annal.

Lib. 2. Leg. Longob.T.17. *Volumus , ut cunctus populus Romanus interrogetur , quali lege vult vivere , ut tali lege, quali vivere professi sunt , vivant; illisque denuntietur,ut hoc unusquisque , tam judices quam Duces,vel reliquus populus sciat , quod si offensionem contra eandem legem fecerint , eidem legi , qua profitentur vivere , per dispositionem Pontificis ac nostram subjaceant .* Eutropius Presbyter: *Renovavit pactum cum Romanis , perdonans illis jura regni & consuetudines illius* . Infra: *Cuncta illis contulit , quæ voluerunt* . Constant. Porphyrog. l.2.de Themat.

XII. Ceterum non est prætermittenda gravis difficultas , quæ oritur ex donatione Ludovici Pii ; qui nihil sibi auctoritatis , neque in Romanam provinciam, neque in ceteras reservavit , præter solas preces & *intercessionem* suam erga Pontificem , si quis a judicibus oppressus ad se confugeret . Sed nostræ sententiæ hoc nihil adversatur , quin potius Regum nostrorum pietatem commendat . Etenim Pipinus patritiatum Ecclesiæ Romanæ contulit, id est , supremam administrationem , reservato sibi quoque patriciatu suo . Carolus Magnus ex fœdere cum Leone inito dominium administrationi adjecit,

adjecit, dominio quoque sibi in solidum retento absque usufructu, quod illi cum Imperatoris dignitate magis confirmatum est. Ludovicus communionem exercendæ jurisdictionis, quam in gravibus saltem causis, patris exemplo, exercere potuisset, ab imperio removit. Solum supererat jus regni, id est, potestas condendæ legis, & fidei sacramento firmatæ præstatio, qua Lotharius usus erat. Hoc dominii consortium, quod in hoc articulo superesse videbatur, Carolus Calvus in Romanam sedem summa liberalitate contulit. Inde fluxit mos ille adnotandi Pontificum annos in subscriptionibus diplomatum. Antea enim solis Principum annis temporum ratio constabat juxta Novellæ Justiniani præscriptum. Quod secuti sunt omnes Romani Pontifices in actis publicis, usque ad Caroli Magni inaugurationem. Tunc enim substituerunt orientalibus occidentalium Imperatorum annos, non adhibita sui pontificatus annorum computatione. Sed post seculum nonum jure illo regio usi sunt Romani Pontifices in suis diplomatibus. Etsi enim Judæorum Pontifices ea prærogativa fruerentur, ut eorum nomina in actis publicis adnotarentur, idemque jus obtinerent olim sacerdotes Augustales Nicopoleos, ut docet Arrianus, attamen penes Christianos solis Imperatoribus hoc dabatur, donec Pontifices Romani hoc quoque jus sibi vindicarunt, postquam soli supremo urbis Romanæ dominio potiti sunt. Quare constanter asserere licet, quicquid juris, dignitatis & auctoritatis civilis & publicæ, in Italiæ provinciis Romanæ Ecclesiæ competit, a Regum Galliæ munificentia profectum, qui jure patrocinii ad ejus quoque auctoritatis, quemadmodum etiam ad supremæ jurisdictionis spiritualis, tuitionem tenentur. Nemo itaque Principibus nostris invidere debet, si erga nos nostraque sedes apostolica indulgentius se gerit, antiquis hujus regni moribus, quæ ad salutem Ecclesiæ Gallicanæ conferunt, prudenter connivendo.

Lib. 1. Mach. de Simone Pontifice: ὅπως γράφονται ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ πᾶσαι συγγραφαὶ ἐν τῇ χώρᾳ. Arrian. lib. 1. Dissert. Epict. c. 19. σύμφωνα γράφοντες γράφουσι τὸ ἐμὸν ὄνομα.

CAPUT XII.

De ficta Constantini Magni donatione.

SYNOPSIS.

I. Agitur de donatione ficta Constantini, ut consilium commenti expendatur. Card. Baronius putat a Græcis confictam. Quod refellit vir eruditus, qui Joanni Diacono tribuit hoc figmentum sub Othone primo. Hujus conjecturæ rationes. Schismaticus fuisse existimatur vulgo hujus edicti interpolator.

II. Ex sententia auctoris erat potius Romanæ Ecclesiæ studiosissimus. Non refert acceptam Constantino primatus auctoritatem, sed Christo. De illo primatu hic decernitur ad executionem legis divinæ, exemplo Phocæ, Valentiniani & Justiniani. Leo IX. & Petrus Damiani utuntur hoc edicto ad probandum principatum spiritualem æque ac terrenum.

III. Probabile est, interpolatum mandato Pauli Papæ adversus Græcos. Disceptatio Legatorum Pontificis & Imp. CP. coram Pipino. Tria capita hujus edicti adversus Græcos. Primum, donatio Italiæ & occidentis a Constantino. Quæ explicatur.

IV. Secundum caput reprimit fastum Patriarchæ CP. Non ex imperitia, sed astu, tribuitur Constantino dignitas patriarchalis Ecclesiæ Constantinopolitanæ, juxta mentem Græcorum mediæ ætatis. Sed Romana illi præfertur & ceteris. Tertio capite judicium in rebus disciplinæ & fidei tribuitur Romano Episcopo.

V. Stylus edicti non alienus ab ætate Pauli. Donationis illius meminit Hadrianus I. octo annis post Paulum. Extat in collectione Isidori eodem seculo. Eam allegant Hincmarus & Ado ante Othonis I. tempora.

VI. Otho III. ait, a Joanne Diacono confictum edictum. Quis fuerit ille Joannes, ex sententia Freheri & Card. Baronii. Probabile est, hoc edictum objectum Carolo Calvo. Expenduntur verba Othonis de dilapidatione, quam Pontificibus objicit.

I. QUod unum superest, de donatione Constantini pauca dicenda sunt; non, ut eam a Constantino abjudicem, cum a præclaris viris confossa & profligata sit; sed, ut meam sententiam de consilio auctoris promam. Illustrissimus Baronius existimavit, hoc edictum a Græcis confictum, ut Romanæ Ecclesiæ principatum ab Imperatore constitutum, non autem a Christo D. N. probarent. Sed illam tanti viri conjecturam refellit vir eruditissimus Joannes Morinus variis argumentis, illoque præcipue, quod superior illa jurisdictio Papæ in ceteros Patriarchas, a qua tantopere sunt alieni recentiores Græci, hoc edicto constituta sit; in quam sententiam laudatur a Leone IX. adversus Michaelem Patriarcham Constantinopolitanum. Deinde hoc edicto jura orientalium Imperatorum in provincias occidentis ita convelluntur, ut nemo suspicari possit, procusum fuisse a Græcis in suorum Principum manifestam perniciem. His addit, centum & quinquaginta annis, antequam a Theodoro Balsamone transcriberetur hæc donatio, laudatam fuisse a Latinis, nempe a Leone IX. anno MLIV. a Damiano anno MLXII. ab Anselmo Lucensi, & ab Ivone. Quare ipse existimat, a Græcis quidem non esse consarcinatum hoc edictum, sed a Joanne Diacono in gratiam Ottonis Imperatoris & Teutonicorum; tum, ut paulatim beneficia Regum Francorum, quibus Teutonici erant infesti, injecta mentione Constantini delerentur ex hominum memoria, aut collata cum illius munificentia, præ tenuitate obsolescerent; tum, ut Pontificum electio ipsorumque rationes omnes ab Imperatorum arbitrio penderent. Joannem Diaconum auctorem hujus figmenti fuisse, docet e diplomate Ottonis III. Imperatoris, cujus hæc sunt verba: *Hæc sunt enim commenta ab illis ipsis* (id est, Pontificibus) *inventa, quibus Joannes Diaconus, cognomento Digitorum, mutuis, Præceptum aureis literis scripsit sub titulo Magni Constantini, longa mendacii tempora finxit. Hæc sunt etiam commenta, quibus dicunt, quendam Carolum S. Petro nostra publica tribuisse.* Recte autem aliquot difficultatibus satisfacit Morinus, ut asserat Ottoni III. illud diploma, de quo controversiam moverat Cardinalis Baronius. In tempora vero Ottonis I. id est, in annum DCCCCLXIII. conjicit hunc Joannem Diaconum, quod tunc Joannes XII. pontificia sede ab Ottone dejectus, injuriam suam ultus est adversus quendam Joannem Diaconum naso, lingua & duobus digitis truncatum; quem designare videtur diploma Ottonis, mutilos digitos tribuendo auctori suppostitii edicti Constantiniani. Sed conjectura ista repugnat tum Ottoni I. qui liberalitates Regum Francorum noluit obliterari, cum eas diserte privilegio suo confirmarit, tum ipsi Ottoni III. qui donationem sub nomine Constantini publicatam, non ab aliquo jurium regiorum studioso, sed a viro Romanæ Ecclesiæ commodis addicto interpolatam fuisse profitetur.

Diploma Ottonis III. editum ab anonymo, id est, a Marquardo Frehero, & inde a Baronio ad an. 1191. §. 68.

Luitprandus.

II. Ego vero, ut antiquitatis ecclesiasticæ peritum præstare nolim hujus edicti consarcinatorem, ita flagrantissimum auctoritatis & amplitudinis pontificiæ assertorem polliceri non dubito; tantum abest, ut eum schismaticis accenseam, quemadmodum viris eruditissimis placuit. Eum sane non solum schismatis nefandi, sed etiam hæreseos damnare non dubitarem, si primatum Ecclesiæ Romanæ Constantino Imperatori acceptum referret, ut putarunt auctores superius laudati; cum jure divino in beato Petro constitutus sit apostolicæ sedis principatus. Illud autem est, quod conceptis verbis profitetur auctor illius edicti; ut mirari subeat, a viris alioqui perspicacissimis non animadversum,

III. Card. Baron. Bin. & aliis.

versum. Rationem reddens Constantinus, cur Roma discedat & imperii sedem in partes orientis transferat, *Quoniam*, inquit, *ubi principatus sacerdotum & Christianæ religionis caput ab Imperatore cœlesti constitutum est, justum non est, ut illic Imperator terrenus habeat potestatem*. Causas quoque referens, cur potiorem ceteris sedibus decernat esse Romanam, has recenset: *Justum quippe est, ut ibi lex sancta caput teneat principatus, ubi sanctarum legum institutor salvator noster beatum Petrum apostolatus obtinere præcepit cathedram, ubi & crucis patibulum sustinens, beatæ mortis sumpsit poculum, suique magistri & domini imitator apparuit, & ibi gentes pro Christi nominis confessione colla flectant, ubi eorum doctor beatus Paulus Apostolus pro Christo, extenso collo, martyrio coronatus est*. Pontifices autem successores esse B. Petri principis Apostolorum & vicarios filii Dei, superioribus verbis dixerat. At, inquies, hunc primatum jure suo decernit Imperator: *Decernentes sancimus, ut principatum teneat tam super quatuor præcipuas sedes, Antiochenam, Alexandrinam, Hierosolymitanam & Constantinopolitanam, quamque etiam super omnes in universo orbe terrarum Dei Ecclesias. Et Pontifex, qui pro tempore ipsius sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ extiterit, celsior & princeps cunctis sacerdotibus totius mundi existat, & ejus judicio, quæque ad cultum Dei vel fidei Christianorum stabilitatem procuranda fuerint, disponantur*. Video legis verba, sed ad executionem divinæ institutionis, quod Principibus licet. Et in hac quidem causa exemplum præbuerat Bonifacius
Anastasius in vita Bonif. III. III. qui, ut loquitur Anastasius, *obtinuit apud Phocam Principem, ut sedes apostolica beati Petri Apostoli caput esset omnium Ecclesiarum, id est, Ecclesia Romana, quia Ecclesia Constantinopolitana primam se omnium Ecclesiarum scribebat*. Non hoc sibi conferri a Principe, quasi jus novum postulabat Bonifacius, sed jura antiqua sedis suæ a Christo ipso instituta legis publicæ præsidio muniri adversus vim Constantinopolitani Patriarchæ. A Valentiniano III. constitutionem Leo I. impetravit, quæ decernit, ut *rectorem suum* Romanum Pontificem *agnoscat universitas* Ecclesiarum. Quia, ut inquit ille, *sedis apostolicæ primatum beati Petri meritum, qui princeps est episcopalis coronæ, & Romanæ dignitas civitatis, sacræ etiam synodi firmavit auctoritas*. Magis urget edictum Constantini; quod prætermissa synodorum mentione, & urbis dignitate neglecta, ad solum Christi præceptum conceptis verbis refert, non solum primatum Petri, sed ejus cathedræ in urbe Roma institutio-
Nov. 131. c. 2. nem. Justiniano nullus vitio vertit, quod Novella constitutione definiverit, Romanam Ecclesiam primam esse omnium juxta canones. Cur ergo schismati adscribetur, quod auctor hujus edicti principatum Romanæ sedi a Constantino decerni voluerit, & judicium omnium negotiorum, quæ disciplinam vel fidem respiciunt, idque juxta Chri-
Leo ep. ad Michael. sti institutionem? Quare Leo IX. non dubitavit, Græcis hoc edictum objicere, non solum ad probandam regiam auctoritatem Papæ, sed etiam ad demonstrandam spiritualem potestatem, quæ conservata fuit *illo privilegio*, inquit ille, *quod idem Princeps* (Constantinus) *quarto baptismatis sui die devotus contulit Pontifici Romano, scilicet, ut in toto orbe sacerdotes ita hunc caput habeant,*
In synodo Osboriensi. *sicut omnes judices Regem*? Damianus quoque Cardinalis in disceptatione synodali inter regium Advocatum & Romanæ Ecclesiæ Defensorem hoc decretum allegat: *Lege Constantini Imp. edictum, ubi sedis apostolicæ constituit super omnes in orbe terrarum Ecclesias principatum*.

III. Tantum ergo abest, ut ex hoc capite illud edictum proscribendum censeam, quin potius jussu Romanorum Pontificum scriptum fuisse, existimem pia quadam industria. Anno etenim DCCLXVII. Legatis CP. repetentibus a Pipino regiones Italiæ, quas Rex Ecclesiæ Romanæ attribuerat, Joannes Subdiaconus & Pamphilus Legati Pauli Papæ mentionem injecerunt hæreseos a Græcis fotæ contra traditionem patrum, & de omnibus hujus legationis capitibus cum Græcis coram Pipino disceptarunt; quæ deinde in conventu Gentiliacensi discussa sunt, ubi orientalium petitio explosa fuit. Verosimile mihi videtur, tunc de consensu Pipini Regis excogitatam fuisse donationem Constantini, qua pertinacia Constantinopolitanorum retunderetur. Tria enim hoc edictum continet, quæ Græcorum desideriis omnino refragantur. Ac primo quidem a spe recuperandarum Italiæ provinciarum dejiciuntur, cum hoc edicto Constantinus urbem Romam & omnes totius Italiæ & occidentalium regionum provincias, loca & civitates beatissimo Pontifici Silvestro universali Papæ concedat atque relinquat, & successorum ipsius Pontificum potestati atque ditioni principatum per hanc divalem suam & pragmaticum constitutum decernat disponendum, atque juri sanctæ Romanæ Ecclesiæ concedat permansurum. Quamvis autem varie explicari possint occidentales illæ regiones hoc edicto comprehensæ, id tamen positum est extra controversiam, saltem Italiam, quæ diserte tribuitur, hac donatione contineri, & aliquot regiones illi adjunctas, ut interpretatur vir eruditissimus Petrus Damianus, qui sexcentis abhinc annis *Italiam* concessam existi- Joan. Mor. c. 8.
mabat. Otho Frisingensis Gallias & Germanias ab ea donatione Romanos sua ætate excipere solitos scribit. Petrus Damianus: *Regnum Italiæ judicandum tradidit*. Otho lib. 3. Chron. c. 3. *Exhinc Romana Ecclesia occidentalia regna tanquam sui juris a Constantino sibi tradita affirmat, in argumentumque tributum, exceptis duobus Francorum regnis, usque hodie exigere non dubitat*.

IV. Secundo fastus Patriarchæ CP. reprimitur: qui, etsi honore præcellere Romanum Pontificem non inficiaretur ob veteris Romæ dignitatem, attamen secundum gradum sedi novæ Romæ tribuebat & æqualia privilegia cum vetere in rerum ecclesiasticarum administratione. Hic vero Constantinopolitana sedes post Antiochenam, Alexandrinam & Hierosolymitanam recensetur; & Romano Pontifici non sola consessus prærogativa, sed etiam principatus in omnes Ecclesias & universalis Papæ appellatio tribuitur. Atqui ex hoc articulo maximum inscitiæ argumentum trahunt viri eruditi adversus interpolatorem donationis, eo, quod Constantinopolitanam sedem inter patriarchales recenseat tempore Constantini, cum certum sit, evectam tantum fuisse in eam dignitatem a Concilio Chalcedonensi, centum triginta & amplius annis post tempus edicti. Mihi autem plus artis, quam imperitiæ prodere videtur auctor. Non enim de historiæ veritate se anxium præstat, sed de adversariorum profligatione; qui fortius conteri non possunt, quam si opiniones apud illos certæ, etsi aliunde falsæ, manifeste refellantur. Græci mediæ ætatis contra majorum suorum sententiam contendebant, honorem Ecclesiis debitum a sola urbium dignitate pendere. Unde colligebant & asserebant eodem momento, quo Constantinus in urbe sibi cognomine regiam sedem constituerat, primatum Ecclesiæ Constantinopolitanæ contulisse, sola antiquitatis prærogativa veteris Romæ Episcopo relicta, non autem aliquo potiori jure, quæ dignitas deinde confirmata fuerit a synodo secunda & a quarta œcumenica. Et quia nostri B. Petri privilegio sedis apostolicæ principatum commendabant, ne privilegium sedis apostolicæ suæ quoque Ecclesiæ deesse videretur, in laterculo suorum Episcoporum beatum Andream primum recensebant, ut patet e Chronico Nicephori Patriarchæ. Ne autem commentus videar, quæ de dignitate patriarchali a Constantino collata Ecclesiæ Constantinopolitanæ dixi, proferam testem ea in re omni exceptione majorem. Is est Zonaras, qui in libris annalium hæc scribit: *Et cum antea Byzantii episcopatus esset Heracleæ Thracicæ, evexit eum* (Constantinus) *ad patriarchatus honorem, privilegia veteri Romæ conservans propter antiquitatem, & quod ex ea urbe in istam imperium transtulisset*. In eam sententiam Alexia

Zonaras in an- … Constantino: Καὶ πρότερον ὄντος [illegible] ὂν τὸ Βυζάντιον τῆς Θρακικῆς Ἡρακλείας, εἰς τιμὴν αὐτὴν ἀγα-[illegible]

γι πατριαρχικῶν, τῇ πρεσβυτέρᾳ Ῥώμῃ τὰ πρεσβεῖα τηρήσας, διὰ τὸ πρεσβεύεσθαι καὶ τὸ ἐκεῖθεν τὴν βασιλείαν ἐνταῦθα μετενεχθῆναι. Ann lib. 1. Alexiados : ὅτι μεταπέπτωκε καὶ ἡ τῶν θρόνων ἀρχιερατικὴ τάξεις.

Alexia Comnena Alexii Imperatoris filia scripsit, translato Byzantium & adempto Romanis imperio, translatam quoque sedium prærogativam. Quare prudenter & astute donationis auctor Constantinum inducit consilium excitandæ Constantinopoleos in reliquiis Byzantii proponentem, ea lege, ut Ecclesia, quæ inter sedes præcipuas ab eo alleganda erat, & reliquas ordine sequeretur, & ipsa una cum ceteris Ecclesiæ Romanæ subesset; quæ a Christo Domino, non autem ab urbis dignitate, principatum sibi collatum suscepit. Tertio, quia Græci cum Romanis de variis capitibus fidem & disciplinam respicientibus contendebant, ut de processione sancti Spiritus, de imaginibus, de azymo & aliis, hoc edicto ea omnia, quæ *cultum Dei & fidei Christianorum stabilitatem contingunt*, Romanæ sedis judicio disponenda relinquuntur.

V. Ceterum, non solum res ipsa persuadere potest confictum edictum temporibus Pauli Papæ ob eam, quam dixi, occasionem, sed etiam stylus & scribendi character, qui apprime convenit cum squalore illorum temporum. *Divalis*, *imperialis sacra*, *pragmaticum constitutum*, *satrapa*, *optimates*, *signa*, *banda*, & plurima alia in hoc edicto usurpata, passim occurrunt in Pauli Papæ epistolis & aliis scriptoribus illius ætatis. Accedit, quod octo annis post conventum Gentiliacensem, id est, anno septingentesimo septuagesimo quinto, Hadrianus I. Pontifex non obscure meminit hujus donationis, gratulans Carolo M. quod exemplo Constantini, qui *potestatem Ecclesiæ Romanæ in Hesperiæ partibus* contulerat, omnia ipse quoque indulsisset. Non loquitur de patrimoniis donatis a Constantino, sed de *potestate* collata, non in omnem Ecclesiam, ne quis hoc ad dignitatem spiritualem referat, sed *in occidente*, ut de auctoritate & imperio temporali hoc intelligeretur, qua *potestatis* voce in eam rem quoque utitur edictum. Deinde Carolus componitur cum Constantino in beneficiis collatis, quod ad injuriam Caroli pertineret, si Constantinus aliquot patrimoniorum largitione tantum defunctus esse dicatur. Relata est etiam hæc donatio in collectionem Isidori, quæ collectio tempore Caroli Magni publicata est. Ejus quoque disertissime mentionem facit Hincmarus in epistola, qua Karlomanni Regis institutionem describit anno DCCCLXXXII. *Constantinus Magnus Imperator Christianus effectus, propter amorem & honorem sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, sedem suam, urbem scilicet Romanam, Papæ Silvestro edicto privilegii tradidit, & sedem suam in civitate sua, quæ antea Byzantium vocabatur, nominis sui civitatem ampliando ædificavit*. Ado Viennensis, qui eodem seculo scripsit, quo Hincmarus, id est, desinente nongentesimo, hujus quoque Constantini edicti meminit, quemadmodum Luitprandus Cremonensis eo respexit in legatione ad Nicephorum.

Hadrianus I. in ep. ad Carolum, quæ est 49. in Codice Carolino : *Et sicut temporibus B. Silvestri Rom. Pontificis a sanctæ recordationis piissimo Constantino Magno Imperatore per ejus largitatem sancta Dei catholica & apostolica Romana Ecclesia elevata atque exaltata est, & potestatem in his Hesperiæ partibus largiri dignatus est, ita & in his vestris felicissimis temporibus, &c.* Infra: *Quia ecce novus Christianissimus Dei Constantinus Imperator his temporibus surrexit, per quem omnia Deus sanctæ suæ Ecclesiæ beatorum Apostolorum Principis Petri largiri dignatus est.*

Hincmarus ep. 14. cap. 5.

Ejus etiam meminit Æneas Paris. in libro adversus Græcos edito in tomo VII. Spicilegii p. CXI.

VI. Otho III. in diplomate suo edito circa annum millesimum a Joanne Diacono confictum putat iis verbis, quæ supra retuli. Anonymus scriptor sive Marquardus Freherus in Notis suis ad diploma Othonis existimat, hunc Joannem Diaconum eum esse, qui vitam sancti Gregorii scripsit, Caroli Calvi ætate. Ill. Card. Baronius refert Othonis verba ad Joannem quendam Cardinalem, a Joanne XII. abscissis duobus digitis, naso, & lingua deformatum. Quæ opinio nititur ancipiti illa lectione, quæ in codice Baronii cognomentum huic Joanni Diacono tribuit *digitorum mutuis*, id est, ut ille interpretatur, truncati & mutili, e recenti voce Italica *Mozzo*. Cum autem locus ille plane mutilus sit, nihil certi ex eo colligi potest. In codice enim Freheri legitur, *digitorum mutuis*; & ad oram libri, *munitus*. Quæcunque autem lectio constituatur, certum est, si aliquis Joannes Diaconus auctor sit hujus commentitii edicti, eum omnino alium esse a duobus illis Diaconis, quos recensui, cum formula ista privilegii longe sit illis antiquior. Fortasse Joanni Subdiacono, qui erat unus e Legatis Pauli Papæ, non absurde tribui poterit. Vel, si ad Joannem Diaconum alterum referatur, transcripsisse potius in membranas aureis literis, ut Caroli Calvi liberalitatem provocaret, quam de novo finxisse dicendus est. Sane, cum jura omnia, quæ Regibus reliqua erant, Carolus remiserit, ut docuit Eutropius, & Joannes VIII. scribat, eum *omne jus potestatis antiquitus attributum* Ecclesiæ Romanæ *capitulariter renovasse*, hanc donationem tunc Carolo objectam videtur respexisse. Quicquid sit de nomine auctoris, satis constat de origine hujus commenti. Unde refelli potest, quod ab Othone III. affingitur Pontificibus, eos, postquam Ecclesiæ suæ bona profligassent, imperii provincias ad se traxisse commentitiis Constantini & Caroli Calvi donationibus. Quæ expostulatio omnino aliena est a veritate rei. Nullus enim Pontificum imperii jura invasit, quæ illis a Pipino, Carolo & Ludovico collata sunt; etsi Otho has liberalitates dissimulet. Quinimo, nullus illorum reditus suos dilapidavit, eo præcipue tempore, quo donatio ista emersit in lucem. Tunc enim de acquirendo rerum dominio veris Principum largitionibus, non autem de usurpando, cogitabant. Sed narrationem illam arte quadam concinnatam oportuit, ut tot provincias a Regibus Francorum collatas, & ab Othone avo suo confirmatas per injuriam Otho III. abduceret, relictis tantum octo Comitatibus specie liberalitatis, quam in gratiam Silvestri II. magistri quondam sui & his alienationibus conniventis exerceret. Ceterum Nicolaus primus, Anastasius Bibliothecarius, & alii antiqui scriptores a mentione hujus donationis abstinuerunt: quia, cum Regum Franciæ privilegia illis sufficerent, nolebant edicto commentitio niti.

Joannes VIII. ep. IX.

CAPUT XIII.

De dispensationibus primitivæ ecclesiæ.

SYNOPSIS.

I. De dispensationibus agendum, quibus juri canonico derogatur. Quo sensu usurpetur vox illa apud Jureconsultos & in sacris scripturis. In jure canonico sumitur pro venia legis. A Græcis manavit hæc dispensationis significatio, qui eam vocant οἰκονομίαν, cujus vocis usus varii. Varia quoque dispensationis nomina.

II. Discrimen veterum dispensationum & recentiorum. Illæ post canones infractos, istæ ne infringantur concessæ. Indulgentia criminis & pœnæ canonicæ clericis & laicis aliquando concedebatur. Οἰκονομία apud Eulogium pro pœnitentia & communionis beneficio post lapsum, quod Innocentius misericordiæ *nomine expressit.*

III. Remissio pœnæ canonicæ ad arbitrium Episcopi, erga Clericos vel laicos, qui aliquando ob pœnæ duritiem ad paganos deficiebant. Differentia in eo capite Episcoporum & judicum, e Photio.

IV. Clericis & Episcopis per vitium ordinatis, vel hæretica communione infectis, venia etiam dabatur, sed a synodis tantum, aut a summo Pontifice. De clericis Arianorum communionem amplexis responsum Athanasii.

V. Vitia ordinationum Episcopis Hispanis quædam remisit Innocentius, quædam discuti jussit. Non autem aliquid indulsisset ante ordinationes peractas, quemadmodum nec Cælestinus aliquos contra canones ordinari voluit.

VI. Clericos a Bonosiacis hæreticis ordinatos suscipi posse, pro remedio pacis respondet Innocentius Episcopis Macedoniæ. Regula Augustini, id fieri tantum posse, quando pax Ecclesiæ constituitur. Similitudo petita ab insitione arborum.

VII. Ut

VII. Ut Donatistæ in suis gradibus recipi possent, necessarium fuit, ut consensus Africani Concilii firmaretur a sede apostolica, in eorum tantum clericorum gratiam, per quos fieret unitatis Ecclesiæ compensatio.

VIII. Dispensatio conceditur ob publicam utilitatem, ex Cyrillo Alexandrino, cujus locus explicatur.

IX. Profertur alter locus ejusdem auctoris in eandem sententiam. Corruptus apud Ivonem, hic autem explicatus & illustratus. De Palæstina addicta Hierosolymitano Episcopo. Synodus Ephesina οἰκονομικῶς se gessit non damnando Theodorum Mopsuestenum. De œconomia, quam Gregorius Nazianzenus in dogmate de Spiritu sancto exigebat.

X. In causa Chrysostomi dispensationis æquitatem repudiabat Cyrillus, & canonum observationem præferebat paci occidentalium, de quibus explicandus Cyrilli locus. Sed tandem rediit in gratiam cum Romana Ecclesia.

XI. Ea prudentia aliquando porrigebatur ad controversias fidei. Probatur auctoritate Joannis Vecci Patriarchæ CP. tum etiam ex Athanasio, Gregorio Nazianzeno, Maximo & Basilio. Egregia regula, quoad hanc οἰκονομίαν, præscripta a Gregorio Nazianzeno.

I. CUm juri canonico dispensationibus hodie derogetur, necesse est, ut earum originem & processum investigemus, &, quatenus apud nos locum habeant, in genere dicamus. Hoc verbum a jure canonico profectum cum sit, ex eo etiam petenda est ejus explicatio. Apud Jureconsultos enim servus ille *dispensator* dicitur, qui impendia domus curat, quique rationes domini administrat. Hoc sensu usurpatur etiam in veteri testamento & in novo apud Lucam, qui de fideli & prudenti dispensatore loquitur, *quem constituit dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram.* Unde Apostoli & eorum successores eleganter dicuntur *dispensatores* mysteriorum Dei; & Paulus *dispensationem* sibi creditam ad Corinthios scripsit. Sed in jure canonico alius est verbi istius usus. Sumitur enim pro venia legis, quam interpretes *providam juris relaxationem* vocant: cujus is est effectus, ut lege vel canone vim suam obtinentibus, is, cui indulgetur, a vinculo & obligatione legis auctoritate superioris solvatur. A Græcis manavit dispensationis nomen, hoc sensu usurpatum: quo Cyrillus Alexandrinus usus est, οἰκονομίαν vocans eam administrandi & vivendi rationem, quæ non summo jure, sed æquitate nitatur. Qua voce dispensationis usus est apud Latinos Gelasius. Quamvis apud Græcos theologos alia quoque significatione οἰκονομία usurpetur, nempe pro occulta & arcana gubernandi ratione, qua Deus modis & rationibus humano generi incognitis omnia ad finem suum intra tempora præstituta perducit: quæ ab Apostolo dicitur οἰκονομία τοῦ πληρώματος τῶν καιρῶν. Hinc incarnationis mysterium passim apud illos οἰκονομία dicitur. Imo etiam occulta Dei judicia, quibus permittit aliquid a regula rationis humanæ alienum accidere, ut id in salutem fidelium convertat, οἰκονομία dicuntur a Chrysostomo passim, ut homilia in Genesin: πολλοὶ τῆς θεοῦ τῆς οἰκονομίας οἱ λόγοι καὶ ἡμῖν ἀπόρρητοι. Unde dictionis hujus usus ad inflexam quandam agendi rationem a canonum tenore pro bono publico desciscentem traductus est, ut patebit ex iis, quæ dicenda sunt. Aliis quoque nominibus indulgentia ista apud Græcos patres significatur. Non solum enim οἰκονομία dicitur, sed etiam συγγνώμη, συγκατάβασις, συμπάθεια & φιλανθρωπία, id est, venia, condescensio, miseratio, humanitas; & apud Latinos patres *remissio*, *venia*, *clementia*, *lenitas*, *mansuetudo & miseratio*.

L. In lege censoria ff. de reg. juris. L. Dispensatorem. ff. de solut. Gen. 43. 3. Reg. 18. Luc. 12.

1. Cor. 4. 1. Pet. 4. 1. Cor. 9.

Ad Ephes. c. 1.

Chrys. hom. 40. in Genes.

II. Attamen, etsi vocibus antiquis utamur hodie, magnum intercedit discrimen inter mores antiquos & nostros; cum majores nostri severius & accuratius disciplinam canonum colerent; quæ apud nos remissius & humanius tractatur. Hæc autem est summa differentia, ut mihi videtur, quod apud veteres nunquam daretur venia canonis infringendi, sed infracti & violati pœna ob gravissimas causas aliquando remitteretur, hodie vero legum canonicarum venia in antecessum concedatur. In canones autem olim clerici & laici incidebant, si ea crimina perpetrarent, quæ canonicis pœnis puniebantur; vel clerici, si eorum ordinationes vitio laborarent, id est, si promoti essent contra præscripta canonum. Primo casu, crimen reos tantum respiciebat; secundo vero, status ecclesiasticorum ordinum lædebatur. Iis omnibus tamen indulgentia pœnæ a canonibus inflictæ, cum res ita ferebat, miserationis & pacis intuitu aliquando concedebatur. Remedium pœnitentiæ lapsis collatum, & remissio pœnæ canonicæ ex parte indulta, a Græcis οἰκονομία dicebatur. Hoc sensu accipiendus est Eulogii Alexandrini Archiepiscopi titulus librorum, quos adversus Novatianum exaravit: *Eulogii Alexandrini adversus Novatum & de œconomia seu dispensatione libri quinque.* Asperitas Novatiani hæretici lapsis sub Decio pœnitentiæ beneficium denegabat. Ecclesia vero catholica pœnitentibus & diuturno jejuniorum & orationum labore purgatis veniam pollicebatur, & de præscripta severitate aliquando remittebat. Hæc est dispensatio, de qua Eulogius Alexandrinus adversus Novatianum disseruit. Etsi enim de hac œconomia nihil extet in excerptis Photii præter solum lemma Eulogii, conjunctio disputationis *de Novato & de œconomia* satis indicat, agi in hoc tractatu Eulogii de pœnitentiæ beneficio, ad quod lapsi admittebantur. Hanc Innocentius I. in simili specie *misericordiam* vocat, cum de iis agit, qui post baptismum omni tempore incontinentiæ voluptatibus dediti, in extremo fine vitæ suæ pœnitentiam simul & reconciliationem communionis exposcunt. *De his*, enim inquit Innocentius, *observatio prior durior, posterior interveniente misericordia inclinatior est. Nam consuetudo prior tenuit, ut concederetur eis pœnitentia, sed communio negaretur.* Pace autem Ecclesiæ reddita, tribuitur cum pœnitentia extrema communio, ne Novatiani hæretici negantis veniam asperitatem, & duritiem Ecclesia imitari videretur, ut loquitur Innocentius.

Eulog. Alexandr. apud Photiū: περὶ τῆς οἰκονομίας.

Vide Cypriani ep. 52. *Temperamentum salubri moderatione libravimus, &c.*

Innoc. in Decr. cap. 22.

III. Ceterum hanc singulis Episcopis facultatem Nicæna synodus indulsit, ut, etsi quatuor pœnitentiæ laboriosissimi gradus per aliquot annos subeundi essent iis, qui criminibus a canone vetitis se obstrinxissent, liberum esset Episcopis, pœnarum illarum partem remittere iis pœnitentibus, qui rebus ipsis conversionem suam probavissent. Quod a synodo dicitur *humanius aliquid cogitare*, μετὰ τὸ ἐξεῖναι τῷ ἐπισκόπῳ φιλανθρωπότερόν τι περὶ αὐτῶν βουλεύσασθαι. Synodus Ancyrana Diaconis lapsis tempore Licinii ministerii functionem adimit, sed minuendæ pœnæ potestatem Episcopis tribuit & eadem humanitate laicos prosequi. *Penes Episcopos erit potestas, modum conversionis eorum probantes, vel humanius erga eos agere, vel amplius tempus adjicere. Ante omnia vero præcedens eorum vita & posterior inquiratur, & ita eis impertiatur humanitas.*

Syn. Nic. c. 12.

Synod. Ancyr. c. 2. Ancyr. syn. Can. 5. ἢ ὅπως ἂν φιλανθρωπίαν ἐπιμετρεῖσθαι.

Basilius hanc Episcoporum indulgentiam συμπάθειαν vocat & φιλανθρωπίαν, qua etiam voce utitur Gregorius Nyssenus. Sane hæc venia necessaria visa est antiquis patribus, ne tristitia pœnæ diuturnioris in desperationem adduceret pœnitentes, ut monet Basilius. Ita enim duris pœnitentiæ laboribus premebantur, ut ad Saracenos aliquando deficerent, sicut docuit Zonaras, vel etiam ad paganos in occidente, ut Rodulphus Bituricensis Archiepiscopus monuit Nicolaum, qui secundum canones modum pœnitentiæ minuendæ illi committit. Porro omittenda non est Photii elegans observatio, nempe in eo capite potiorem esse Episcoporum potestatem præ judicibus publicis. His enim liberum est, cum judicium reddunt, perspicere, ne quid aut durius aut remissius constituant, quam causa deposcit, & severitatem

Basil. sc. 3. & c. 4. Greg. Nyss. in ep. ad Letoium.

Nicolaus ep. ad Rodulphum in Appendice Hincmari Parisis edit. & Tom. 3. Concil. Gall.

L. *Perspiciendum.* ff. de pœnis.

tem legum cum aliquo temperamento benignitatis subsequi. Sed mutare sententiam non possunt, etiamsi de rei innocentia post judicium latum constet, quod duntaxat a Principibus fieri potest. Episcopi vero pœnas minuere vel intendere possunt. Imo vero, si res ita ferat, a pœna decernenda in reos abstinere debent; scilicet, si sceleratus habet sociam multitudinem, adeo, ut schismatis metus immineat. Hæc est Augustini sententia: *Cum quisque fratrum & Christianorum intus in Ecclesiæ societate constitutorum in aliquo tali peccato fuerit deprehensus, ut anathemate dignus habeatur, fiat hoc, ubi periculum schismatis nullum est*, quam sententiam fuse persequitur. Qua de re uberius in exercitatione nostra de judiciis canonicis in laicos.

L. Divi fratres. ff. eod. — Photius T. IX. Nomoc. cap. XXVIII. ἔξεστι τοῖς ἱερεῦσι μειοῦν καὶ αὔξειν τὰ ἐπιτίμια. — August. lib. 2. contra Parmen.

IV. Non solum autem in eo genere pœnarum, quæ criminibus irrogabantur, veniæ usus apud veteres invaluerat, sed etiam, ut dixi, in ceteris pœnis, quæ regradatione & dejectione constabant adversus Episcopos & ceteros clericos per vitium ordinatos aut hæretica communione infectos, in quo status ecclesiasticus lædebatur, atque ideo non ab Episcopis singulis, sed a synodis provinciarum, & sæpissime a summo Pontifice venia illa concedebatur. Hujus veniæ exemplum a synodis indultæ extat apud Athanasium: qui quidem interrogatus a Rufiniano Episcopo de clericis, quos tempore Constantii Imperatoris Arriana communione constabat esse pollutos, respondet variis synodis habitis in Græcia, in Gallia, Hispania, & ceteris provinciis huic malo consultum, eo temperamento adhibito, ut auctoribus impietatis venia daretur, si pœniterent, a clero tamen exciderent; iis autem, qui per vim ad eam communionem adacti essent, venia plena daretur, ita, ut locum suum in clero retinerent: ἔδοξε δίδοσθαι μὲν συγγνώμην, ἔχειν δὲ καὶ τὸν τόπον τοῦ κλήρου, præsertim, quod eo consilio se id fecisse dicerent, ne forte, postquam repulsi essent, eorum Ecclesiæ Arianis traderentur; exemplum secuti Aaronis, qui prævaricationi populi Israelitici in deserto consensit, ne populus Ægyptum repeteret. Hæc autem a clericis illis gesta fuisse οἰκονομικῶς, scribit Athanasius.

Athanasius in ep. ad Rufin.

V. Concessæ vero a Romanis Pontificibus veniæ plurima suppetunt exempla. Innocentius primus (quem Hilarius Episcopus monuerat, violatam esse intra Hispanias Ecclesiarum pacem, disciplinæ rationem confusam, & multa contra canones patrum, contempto ordine, regulisque neglectis, in usurpatione Ecclesiarum fuisse commissa) adhibita distinctione totum negotium temperavit. Nam Episcoporum, qui in alienis Ecclesiis contra Nicænos canones, omisso Metropolitano, erant ordinati, plenam discussionem in synodo provinciali haberi voluit; *ut, quia perperam facti erant, intelligerent, id, quod vitioso initio adepti erant, se diutius obtinere non posse*. Scilicet castigatam voluit esse improbam usurpationem, ne dissimulatio in deterius convalesceret, & ex consuetudine fieret regula. At vero eas ordinationes, quæ pravæ consuetudinis vitio contra formas canonum celebratæ erant, neglectis scilicet conditionibus, quas in personis ordinandis canones requirunt, (nempe ne aut e foro, e militia, aut e curialibus aliqui statim adsciscantur ad sacerdotium) indiscussas relinquit, ne perturbationes Ecclesiis moveret. *Quorum factum*, inquit, *ita reprehendimus, ut propter numerum corrigendorum ea, quæ quoquomodo facta sunt, in dubium non vocemus, sed Dei potius judicio dimittamus*. Et mox: *Quæ, si singula discutienda mandemus, non modicos motus aut scandala Hispaniensibus provinciis, quibus mederi cupimus, de studio emendationis inducemus. Idcirco remittenda potius hæc putamus*. Eam tamen legem adjecit, *ut, si qui post hæc adversus formas canonum vel ad ecclesiasticum ordinem vel ad ipsum sacerdotium venire tentaverint, una cum creatoribus suis ipso, in quo inventi fuerint, ordine & honore priventur*. Recte negotiorum species distinxit Innocentius. Eas ordinationes discuti voluit, quæ nullæ essent ob defectum potestatis; sed alias toleravit, quæ vitiosæ erant, quamvis non essent ipso jure nullæ. Hodie diceremus, cum irregularibus dispensasse post ordinationem, ne scilicet Ecclesias Hispanienses perturbaret.

Innoc. ep. ad Episcopos synodi Toletanæ c. 3. & 4. an. 406.

Ceterum ante ordinationes peractas nec Innocentius nec aliquis ex antiquis Pontificibus indulsisset, ut ad sacerdotium promoveri posset vel laicus non ante adscriptus clero, vel bigamus, aut aliquis alius, cui a canonibus esset interdictum. Unde Cælestinus Appulorum petitionem, qui hoc se ab eo impetraturos sperabant, graviter repulit. *Quæ enim a nobis*, inquit, *res digna servabitur, si decretalium norma constitutorum pro aliquorum libitu, licentia populis permissa, frangatur*.

Cælest. in Decretis c. 20. & apud Grat. c. *Nulli* dist. 38.

VI. Qui ab Ecclesia catholica ad hæresim Bonosi transierant, & ab eo ordinationem susceperant, in suis ordinibus suscipiendos non esse, ex synodi Nicænæ canonibus egregie disputat Innocentius in epistola ad Episcopos Macedoniæ. Attamen ex eorum Episcoporum sententia, ne ordinati cum Bonoso remanerent, pro remedio ac necessitate temporis ad clerum admittendos statuit; *Priora ergo dimittenda dico Dei judicio, de reliquo maxima sollicitudine præcavendum*. Exemplum hujus clementiæ præbuerat synodus Nicæna, quæ canone octavo Catharis sive Novatianis ad Ecclesiam redeuntibus indulserat, ut accepta manus impositione manerent in clero. Quod tamen ad ceteros hæreticos promiscue trahi non debere, graviter monet Innocentius. Attamen servanda est Augustini regula, qui docet, *in hujusmodi causis, ubi per graves dissensionum scissuras non hujus aut illius hominis est periculum, sed populorum strages jacent, detrahendum esse aliquid severitati, ut majoribus malis sanandis charitas sincera subveniat*. Clericos quidem aut Episcopos ab hæresi redeuntes, in suo gradu non esse suscipiendos ait, nisi illud, quod fieri non debet, *pacis ipsius compensatione sanaretur*. Ut ramus præcisus cum arbori inseritur, necesse est arborem leviter lædi, *ita ergo & isti, cum ad radicem catholicam veniunt, nec eis, quamvis post erroris sui pœnitentiam, honor clericatus aut episcopatus aufertur, fit quidem aliquid tanquam in cortice arboris matris contra integritatem severitatis. Veruntamen, quia neque, qui plantat, est aliquid, neque, qui rigat, ad Dei misericordiam precibus fusis, coalescente insitorum pace ramorum, charitas cooperit multitudinem peccatorum*.

Innoc. in Decr. c. 55. & 56. — August. ep. 50. ad Bonif.

VII. His testimoniis adjiciendus est Concilii Africani locus, quo duo præcipua capita demonstrantur, & apostolicæ sedis auctoritas in his remissionibus gravioris momenti, & necessitas publicæ utilitatis, ut venia illa indulgeri posset. Concilio transmarino, id est, Italico, seu Capuano, vetitum fuerat, ne hæretici pœnitentes locum suum in Ecclesia retinerent. Ideo speciali decreto opus fuit, ut Donatistæ sine injuria universalis Ecclesiæ ab Africanis recipi possent in clero, ita, ut synodi Carthaginensis consensum sedis apostolicæ auctoritate firmari necesse fuerit. Quod ad illius sedis dignitatem demonstrandam, ut dixi, & in temperandis canonibus potestatem est locupletissimum testimonium. Hæc sunt verba Concilii Carthaginensis: *Placuit, ut literæ mittantur ad fratres & coepiscopos nostros, & maxime ad sedem apostolicam, in qua præsidet memoratus venerabilis frater & collega noster Anastasius, quo noverit* (scilicet Romanus Pontifex) *habere Africam magnam necessitatem, propter Ecclesiæ pacem & utilitatem, ut & ipsi Donatistæ, quicunque clerici correcto consilio ad catholicam unitate transire voluerint, in suis honoribus suscipiantur*. Quod a se peti ajunt, non, ut Concilium, quod in transmarinis partibus de hac re factum est, dissolvatur, sed, ut illud maneat circa eos, qui sic transire ad catholicam volunt, *ut nulla per eos unitatis compensatio*

Conc. Afric. cap. 35.

pensatio procuretur, illi vero tantum in honoribus suscipiantur, per quos catholicæ unitati consuletur. Unde colligitur aperte, Africanos in gratiam unius tantum personæ solvi Concilii prohibitionem noluisse, nisi adesset *compensatio* publicæ utilitatis, id est, unitatis ecclesiasticæ, quam correctione sua omnino perficerent, vel manifeste juvarent. Illam veniæ concedendæ causa compensationem unitatis vocat Carthaginense Concilium, eadem voce, qua usus est Augustinus in loco laudato §. superiori.

VIII. Dispensatio hujus generis, quæ temperato canonum summo jure concordiæ publicæ consulit, commendatur a sancto Cyrillo Alexandrino iis locis, quos Ivo & Gratianus retulerunt, sed quorum verus sensus nondum est satis accurate expensus. Joannes Antiochenus Patriarcha, fautor Nestorii potius quam ejus hæreseos, magnas turbas excitavit in Concilio Ephesino; cujus sententia a communione Ecclesiæ exclusus est, & ab omni sacerdotali functione suspensus. Tandem jussu Theodosii Imperatoris damnationi Nestorii subscripsit, & a Cyrillo in communionem susceptus est. Quidam vero in Ecclesia Antiochena, qui Nestorio faverant, Joannis communionem non deseruerunt post pacem cum Cyrillo constitutam, nec etiam a Joanne ad ejurandum conceptis verbis hæresim Nestorii adacti sunt, a quo Joannes consulto abstinuerat, ut paci Ecclesiæ consuleret & suspectorum famæ, non vero, ut detrimentum aliquod veræ fidei inferret. Qua de re certiorem fecit Cyrillum per Diaconos suos Cassium & Ammonium; quibus dedit in mandatis, ut modum aperirent, quem secutus fuerat in moderando & dispensando negotio ad Ecclesiarum utilitatem, quod ille *οἰκονομίαν* appellat. Joannis consilium Maximo Antiocheno Diacono displicuit; ideoque a Patriarchæ sui communione sibi abstinendum esse duxit. Cyrillus monet Maximum, ut inquirat, an illi, qui nuper Nestorio favebant, eandem sententiam aperte profiteantur, (quo casu repudianda erit eorum communio) an vero cum ceteris Christianis conveniant, & factis ipsis erroris sui pœnitentiam testentur, etsi palam fateri illos pudeat. Quo casu & Joannis & resipiscentium communionem amplectendam docet, *dispensationis causa*, *οἰκονομίας ἕνεκα μὴ ἀκριβολογούμενοι*. *Res enim*, inquit, *multa dispensatione indiget*. Quare dispensatio illa, cujus meminit Cyrillus, ad resarciendam pacem ecclesiasticam pertinet, non ad utilitatem privatam.

IX. Profertur alter Cyrilli locus ex epistola ad Gennadium; cujus species nondum est satis perspecta, cum nec verba ipsa sanam interpretationem receperint apud Ivonem. Æliæ, id est, Hierosolymorum Episcopus quartum quidem dignitatis locum canone septimo Nicænæ synodi obtinuerat; sed jus metropoliticum in Palæstinam Episcopo Cæsareæ servatum fuerat. Juvenalis Hierosolymorum Episcopus jus patriarchicum in tres Palæstinas ab Ecclesia Antiochena distrahendas tentavit Ephesinæ synodi judicio suæ sedi arrogare; sed repulsam passus est. Theodosii tamen rescripto Palæstinarum, Phœniciæ & Arabiæ administratio illi concredita est; ut patet ex Concilio Chalcedonensi, cujus decreto concordia Patriarchæ Antiocheni & Hierosolymitani firmata est. Proclus Constantinopolitanus Episcopus & Cyrillus Alexandrinus rescripto Theodosii consensum suum præbuerant, & Hierosolymorum Episcopum in communionem suam sub Archiepiscopi nomine & Palæstinarum administratoris susceperant. Hoc gravissime tulit Gennadius Presbyter & Archimandrita, ob violatum canonem septimum Nicænum; ideoque a Procli communione abstinebat. Sed Cyrillus prudenter docet, sæpe deflectendum (1) a tenore regularum *dispensationis causa*, &c., ut evenire solet periclitantibus in mari, qui jacturam faciunt aliquarum mercium, ut reliquæ serventur,

Ivo in præfatione Decreti.

Joan. in ep. ad Cyrillum, edita nuper e MS. Codice regio: ἐφῦσι δὲ οἱ αὐτοὶ βλαβῆναι οἱ διάκονοι τῇ πρόσει τῆς οἰκονομίας.

Cyrillus in ep. ad Maximum: οἰκονομίας γὰρ δεῖται τὸ πρᾶγμα πολλῆς.

Apud Ivonem in præfatione *Heliensium Egmenus* dicitur, qui reddi debuit, *Æliensium Præfectus seu Episcopus*. Αἰλιέων πόλις dicitur civitas Hierosolymorum in Constitutione Marciani, quæ extat in 3 parte Conc. Chalc. N. IX.

Leo ep. 66. *Sicut etiam in Ephesina synodo, quæ impium Nestorium cum dogmate suo perculit, Juvenalis Episcopus ad obtinendum Palæstinæ provinciæ principatum credidit se posse sufficere & insolentes ausus per commentitia scripta firmare. Quod sanctæ memoriæ Cyrillus Alexandrinus Episcopus merito perhorrescens, scriptis suis mihi*,

(2) aliqua dissimulanda, ubi summum jus locum habere non potest, ne omnium rerum dispendium subsequatur. Nullum jus Æliæ Episcopo in Palæstinas ex canonibus competere, sed effræni ejus desiderio hoc indultum. Quare repudiandam non esse Procli communionem, *quia dispensationis modus nulli sapientium displicuit*. Prudentiæ hujus *οἰκονομικῆς* usum a synodo Ephesina usurpatum, ostendit idem Cyrillus in epistola ad Proclum Constantinopolitanum. Etenim post recitatas in Concilio excerptas e libris Theodori Mopsuesteni Episcopi olim fato functi sententias, e quibus virus suum Nestorius hauserat, impietatem quidem hæreticam damnavit synodus, eosque, qui similia saperent; sed a nomine Theodori damnando temperavit *οἰκονομικῶς*, ne plerique viri ejus auctoritate moti, in alia omnia abriperentur & ab Ecclesia potius, quam Theodoriani nominis communione recederent. *His vero condemnatis*, inquit, *qui sic sapiunt, nullam viri* (Theodori) *memoriam fecit* (synodus) *dispensative, nec ipsum nominatim anathemati subjecit propter dispensationem, ne quidam, ad existimationem viri respicientes, sese ipsos ab Ecclesiis separarent. Dispensatio vero in his optima res est & sapiens. Si enim adhuc in vivis esset, & Nestorii blasphemiarum fautor, aut suffragari vellet iis, quæ scripsit ipse, anathema etiam in propria persona subiisset*. Unde colligit Cyrillus, cavendum esse, ne, si Principes, aliquorum orientalium, qui Constantinopolim accesserant, libellis interpellati, edicto suo Theodori memoriam damnatum eant, tumultus inde occasio nascatur in oriente: cujus periculum imminere scripserat Joannes Antiochenus, plurimosque Theodori memoriam proscribi nullo modo passuros. Quæ fervidis illis assertoribus fidei Cyrillus denuntiari cupit, ut a dissensionibus excitandis specie pietatis tandem abstineant. (3) *Potest enim etiam iis, qui hæc petierunt, dispensatio rei enarrari, ut quiescere malint, quam Ecclesiis scandali occasionem præbere*.

Hanc *οἰκονομίας* rationem ad ipsius quoque dogmatis professionem trahebat Gregorius Nazianzenus. Etenim eos, qui palam & aperte Spiritus sancti divinitatem contra Macedonianos profitebantur, si cum æquis hominibus & bene sentientibus agerent, generosos esse ait: si autem cum infirmis, qui hujus veritatis nondum sunt capaces, sermonem habeant, non esse *οἰκονομικοὺς*, id est, providos dispensatores, docet: *εἰ μὲν εὐγνώμοσιν, ὑψηλοί, εἰ δὲ ταπεινοῖς, οὐκ οἰκονομικοί*. Quod ante damnationem hujus hæreseos a synodo Constantinopolitana decretam, a sapientissimo viro scriptum fuit, quemadmodum etiam, quod in eandem sententiam in eodem argumento scripsit alibi: *βέλτιον ἦν οἰκονομηθῆναι τὴν ἀλήθειαν, μικρὸν εἰξάντων ἡμῶν, ὥσπερ νέφει τινὶ τῷ καιρῷ, ἢ καταλυθῆναι τῷ φανερῷ τοῦ κηρύγματος*. *Præstat enim veritatem dispensatione quadam conservari, ut nubi sic tempori nobis tantisper cedentibus, quam eam aperte prædicando irritam facere*. Similis tamen dispensatio feliciter non cessit Honorio Pontifici in causa Monothelitarum; licet hodie in quæstione de auxiliis gratiæ prudentissime a summis Pontificibus in usum inducta fuerit.

X. Sed, quam Cyrillus dispensationis æquitatem ceteris commendabat, suscipere renuit in causa Joannis Chrysostomi, qui pulsus erat episcopatus dignitate a Theophilo Alexandrino & a synodo habita in suburbio Constantinopoleos. Hanc dejectionem repudiavit occidentalis Ecclesia; &, quia mortui nomen in diptycha Ecclesiæ non restituebant orientales, suam illis communionem denegavit. Tandem Atticus Episcopus Constantinopolitanus seditionem populi coactus est, de sententia Imperatoris, Joannis nomen inter ceteros Episcopos vita functos recitare. Quod factum suum Cyrillo probare conatur, eo scilicet, quod totius orbis pacem hæc dispensatio restitueret, justitiæ utilita-

quid prædicti cupiditas ausa esset, indicavit, & sollicita prece multum poposcit, ut nulla illicitis conatibus præberetur assensio.

Cyril. in ep. ad Gennadium: τὸν τῆς Αἰλιέων ἐπίσκοπον, οἱ τῆς ἐκκλησίας θεσμοὶ τῆς Παλαιστίνης ἡγεμόνα οὐκ ἴσασιν.

(1) Αἱ οἰκονομίαι τῶν πραγμάτων ἔσθ᾽ ὅτε παραβιάζονται βραχὺ τοῦ δέοντος ἔξω φέρεσθαί τινας, ἵνα τι μεῖζον κερδαίνωσιν.

(2) Οὕτως καὶ ἡμεῖς ἐν τοῖς πράγμασιν ὅταν μὴ ἐξῇ τὸ λίαν ἀκριβὲς ἀποσώζειν, παρορῶμέν τινα, ἵνα μὴ τοῦ παντὸς πάθωμεν ζημίαν.

Cyril. in ep. ad Proclum CP. κατακρίνασα δὲ τοὺς οὕτω φρονοῦντας, οἰκονομικῶς οὐκ ἐμνημόνευσε τοῦ ἀνδρὸς οὐδὲ αὐτὸν ὑπέθηκεν ὀνομαστὶ τῷ ἀναθεματισμῷ διὰ οἰκονομίαν, ἵνα μή τινες τῇ ὑπολήψει τοῦ ἀνδρὸς προσεσχηκότες ἀποβάλλωσιν ἑαυτοὺς τῶν ἐκκλησιῶν, ἡ δὲ ἐν τούτοις οἰκονομία ἄριστόν τι χρῆμα καὶ σοφόν.

(3) Δυνατὸν γὰρ καὶ τοῖς ταῦτα αἰτήσασι τὴν οἰκονομίαν ἀφηγήσασθαι τοῦ πράγματος, πεῖσαί τε αὐτοὺς ἠρεμεῖν ἑλέσθαι μᾶλλον, καὶ μὴ σκανδάλου πρόφασιν ταῖς ἐκκλησίαις γενέσθαι.

Greg. Naz. hom. 144.

Idem ep. XX.

Atticus epist. ad Cyrillum: τὸ δοκοῦν τὸ λυσιτελὲς προτιμήσαντες.

utilitatem præponendo. *Et cogitationibus nostris*, inquit, *ad populi concordiam inclinati*, (4) *canonibus quidem patrum detrimentum nullum afferimus; exactæ autem verborum observationi universi orbis pacem præferimus. Non ignoro quidem, & B. Paulum, cum ecclesiasticas ederet constitutiones, sapienter occasionibus provida dispensatione usum esse*. Cyrillus rescripsit commoto animo copiosam satis epistolam, qua inter cetera docet, dispensationem tunc esse laudandam, cum rebus, quæ utiles sunt & commodæ, detrimentum non affert. Paulum omnibus omnia factum, non ut partem perderet, & ceteros lucrifaceret, sed ut omnes lucraretur. Equidem regula Cyrilli optima est, cum ex Augustino habeamus, charitatem non esse lædendam dispensationibus, sed potius fovendam. Ceterum in regulæ usu errabat; præcipue, cum nullam rationem haberet communionis occidentalium, quæ hoc pacto redintegrabatur. De iis enim loquitur his verbis, quæ non satis accurate versa sunt: *Ne igitur contra teipsum*, inquit ille ad Atticum, *celebres eos, qui adversandi studio dissidium fecerunt, neque unquam justum judicium de illo* (id est, Joanne) *latum susceperunt*. De Romanis & occidentalibus loquitur, ut antea dixi; quorum pacem deinde promeruit, adnitentibus maxime Africanis. De hac enim contentione intelligenda sunt Concilii Carthaginensis verba: *Placuit etiam, ut de dissensione Romanæ atque Alexandrinæ Ecclesiæ ad sanctum Papam Innocentium scribatur, quo utraque Ecclesia inter se pacem, quam præcipit Dominus, teneat*. Eandem namque tollendi dissidii & restituendæ pacis temporibus Cyrilli Alexandrini curam gessit, quam testata fuerat Africana Ecclesia superiori canone in gratiam Theophili ejus decessoris.

(4) Καινοτομοῦντες τῶν πατέρων μὴ λυμηνάμενοι, τῆς δὲ ἀκριβοῦς λεπτολογίας τὴν τῇ οἰκουμένῃ εἰρήνην προτεθεικότες, εἴδαμεν καὶ τὸν μακάριον Παῦλον ἐν τῷ θεσμοθετεῖν τὰς ἐκκλησίας σοφῶς τὰς ὑποθέσεις οἰκονομήσαντα.

3. Cyrillus in ep. ad Atticum. ἔργον δὲ ὄντως οἰκονομίας ἐστὶ τὸ δοκεῖν ἐθέλειν ὅτι βραχύ τι τοῦ πρέποντος ἐξίστασθαι λόγου, μετὰ τοῦ τὴν ἐν τοῖς χρησίμοις παραιτεῖσθαι ζημίαν.

Idem Cyrillus: μὴ τοίνυν κατηγόρει σαυτοῦ τοὺς ἀπὸ φιλονείκου γνώμης μεμερισμένους, καὶ μὴ καταδεχομένους ποτὲ τὸ ἐπ᾽ ἐκείνῳ δίκαιον κρίσιν.

Collect. Afric. c. 101.

XI. (*) Porro, quod exemplo Gregorii Nazianzeni prudentiam istam aliquando porrigi ad controversias fidei, veluti per transennam diximus, hujusque οἰκονομίας usum male cessisse Honorio in causa Monothelitarum, nunc uberiori sermone ob materiei difficultatem atque dignitatem nobis explicandum est. Ac primum quidem præscribendi sunt fines, intra quos isthæc prudentia coerceri debeat juxta veterum regulam, ne prætextu dispensationis vera fides labefactetur. Deinde agemus de Honorii facto; docebimusque, qua in re peccaverit utendo hac οἰκονομίᾳ in causa fidei, quæve fuerit canonica ejus damnationis in synodo sexta decretæ causa, cum revera hæresim Monothelitarum professus non fuerit.

Vita P. de Marca cap. 70.

Ac de primo capite nihil potest dici accuratius, quam quod Joannes Veccus Patriarcha CP. in oratione prima de unione Ecclesiarum adnotavit ex Athanasio, Basilio, Gregorio Nazianzeno & Maximo, *quæ ex vocibus nascuntur differentias negligendas, dummodo secundum sententiam uno consensu fratres concordant*: τὰς ἐν λέξεσι παρορᾶσθαι διαφοράς, ὁπηνίκα εἰς χρ. τὴν ἐπὶ τῇ ἐννοίᾳ ὁμοφροσύνην συμβαίνειν τοὺς ἀδελφούς. Tom. I. Græciæ orthodoxæ pag. 76.

Primum istius prudentiæ exemplum petitur ex beati Athanasii facto: qui, dissidentibus inter se orthodoxis super trium hypostaseon professione, istis eas rejicientibus, cum verba illa non reperirentur in scripturis sacris, proindeque suspecta videri possent, aliis vero illas amplectentibus, hortatus est contendentes, ut in Nicænæ fidei confessione constanter perseverarent. Deinde exquisita dissidentium partium sententia, postquam comperit, eos, qui unam hypostasim profitebantur, naturam & substantiam deitatis una intelligere, qui vero tres hypostases admittebant, non Arrianorum more diversæ substantiæ personas docerent, aut, ut ceteri hæretici sub istis vocibus tria principia aut tres deos constituerent, sed, quo his verbis patefacerent, se in Trinitatem ita credere, ut in Dei unius natura Pater, Filius & Spiritus Sanctus vere subsisterent. Quare, cum alienos esse ab hæresi utrosque comperisset, liberam illis unius hypostaseos vel trium hypostaseon profitendarum facultatem concedi debere censuit, rejectis illis, qui sanam interpretationem verbis illis non adhibebant, συμβουλεύετε τοῖς ὀρθῶς ἑρμηνεύουσί τε καὶ φρονοῦσι μηδὲν πλέον ἀλλήλοις ἀνακρίνειν, μηδὲ λογομαχεῖν ἐπ᾽ οὐδὲν χρήσιμον, μήτε ταῖς τοιαύταις λέξεσι διαμάχεσθαι, ἀλλὰ τῷ φρονήματι τῆς εὐσεβείας συμφωνεῖν. Eos vero, qui spreta omni interpretatione de voculis rixari pergunt, vocat φθονοῦντας τῇ εἰρήνῃ, καὶ ἀγαπῶντας τὰ σχίσματα. Ibid. pag. 76. Ibid. pag. 79. Athanas. in tomo ad Antiochenos.

Profert Veccus statim testimonium Gregorii Nazianzeni, qui summis laudibus effert hanc Athanasii prudentiam. Ἐκθειάζει, inquit Veccus de Gregorio, τὸ ἔργον οἰκονομίας. Sane ipse Gregorius huic voci, in hoc facto, originem dedisse videtur. Quippe de Athanasio ait, eum hanc concordiæ rationem inivisse, ut μέγαν τῶν ψυχῶν οἰκονόμον. Ibid. pag. 80.

Ipse

(*) Cum in §. IX. hujus capitis illustrissimus Archiepiscopus adnotaverit, solitos olim Episcopos remittere aliquid ex summo jure, etiam in controversiis de fide, sed dispensationem illam male cessisse Honorio Pontifici Romano in causa Monothelitarum, visum est, heic edere fragmentum uberioris scriptionis, quam meditabatur, ut explicaret morem veterum in tolerandis quibusdam vocibus in controversiis fidei, ne dissidium aut schisma in Ecclesiam inveheretur ex nimia severitate. Sane fragmentum illud (id est, paragraphus XI. qui incipit: *Porro, quod exemplo Gregorii Nazianzeni*) magni momenti est & auro contra æstimandum, præsertim, cum ejus ope viris eruditis aperiatur via ad investigandum, quomodo se gesserint veteris Ecclesiæ Pontifices in contentionibus de fide, quæ recenter emergunt. Illud dolendum, quod miræ eruditionis viro non licuit absolvere susceptum opus. Nam si diutius in vita fuisset, fragmentum illud, quod ab initio destinatum erat, ut adderetur in his dissertationibus, fortassis transcripsisset in epistola, quam scribere destinaverat ad Cl. V. Philippum Labbeum; de qua dictum est in libro de vita ejus. Sed tu, Lector, has sacrosanctas reliquias venerare; & meæ quoque diligentiæ aliquam gratiam habeto, qui, ne perirent, effeci.

Vide Marcam in dissertatione de epistola Vigilii PP. §. 6. & 8.

Paucis te præterea velim, mi lector. Observatum est ab illustrissimo viro, canonum severitatem interdum inflexam & a regulis discessum pacis causa, in quam rem attulit præclara veterum testimonia. Quibus addere visum est insignem locum ex epistola Symmachi Papæ ad Avitum Viennensem, quæ nuper edita est a clariss. viro Domno Luca Dacherio monacho Benedictino in quinto tomo Spicilegii. Rescripserat Symmachus ad Æonium Episcopum Arelatensem de controversia, quæ erat inter Episcopos provinciarum Viennensis & Arelatensis circa ordinationes Episcoporum vicinarum civitatum, servandam esse antiquitatem, nec habendam rationem novæ constitutionis ab Anastasio Papa editæ, quæ provinciam confundebat. Ægre tulit Avitus hanc injuriam sedi suæ, ut putabat, illatam. Ergo ad Symmachum scribens expostulat cum eo, quod violatam ab Anastasio Ecclesiæ consuetudinem dixerit & spreta prædecessorum ejus statuta in confusione provinciæ. Rescribit Symmachus, gravisurum se, si ab Avito probatum fuerit, nihil ab Anastasio contra canones actum, sed tantum præter regulam, temperato videlicet jure. *Quia, quod fit præter regulam*, inquit, *modo sit ex justa causa, non infringit regulam, quam sola pervicacia & antiquitatis contemptus lædit. Nam, quamvis a patribus statuta diligenti observatione & observanti diligentia sint custodienda, nihilominus propter aliquod bonum de rigore legis aliquid relaxatur; quod & ipsa lex cavisset, si prævidisset. Et sæpe crudele esset insistere legi, cum observantia ejus esse præjudicabilis Ecclesiæ videtur*. Alterum dispensationis & *condescendentiæ*, ut vocat, exemplum nobis suppeditat Innocentius II. in epistola ad Hugonem Archiepiscopum Rothomagensem, quæ edita est in tomo secundo Spicilegii. Archiepiscopus ille fidei & obedientiæ professionem in Ducatu Normanniæ exigebat ab Abbatibus contra vetustam consuetudinem. Quod adeo ægre ferebat Henricus II. Rex Angliæ & Dux Normanniæ, ut vel ob hoc ipsum ad Innocentium scribens minitatus aperte sit divortium ab apostolica sede, nisi Archiepiscopi illius præsumptio reprimeretur. Nitebatur ille vetustis canonibus, qui volunt, Abbates esse in potestate Episcoporum, & decreto Concilii Remensis paulo ante celebrati. Dandum tamen aliquid tempori, censuit Innocentius ad Hugonem scribens. *Quod profecto quamvis justum fuerit*, inquit, *& a nobis in Concilio Remensi mandatum, pro ejus caritate a rigore justitiæ aliquando condescendere debemus, & pro tempore ipsius voluntati assensum præbere*. Sed prætermittendus non est insignis locus ex epistola Hildeberti Cenomanensis Episcopi, quæ edita est in tomo quarto ejusdem Spicilegii pag. 250. & a nobis emendata ad fidem vetusti codicis. *Multa ex loco, multa ex tempore, multa ex personis differentius fiunt. Rector Ecclesiæ nonnunquam aut dissimulabit, aut faciet, quæ accusat. Cum viderit malum schismatis imminere, canonum scita mutabit. Debet cessare censura, cum dissolvitur unitas, caritas læditur, pax vacillat*. Hæc admonere alicujus, opinor, momenti erat.

Ipſe quoque Gregorius cum illis de voce Dei pugnandum non eſſe ſcripſit, qui ob inſcitiam eam non tribuebant Spiritui ſancto, dummodo vim & potentiam divinitatis illi tribuerent: δότε τὴν δύναμιν τῆς θεότητος, καὶ δώσομεν ὑμεῖς τῆς φωνῆς συγχώρησιν. Idem Gregorius laudat Baſilii in eadem quæſtione prudentiam: προσεπαινεῖ τῆς οἰκονομίας ἀπόρρητον, inquit Veccus: Baſilius itaque Spiritus Sancti divinitatem ſic aſſerebat, ut deitatis voce non uteretur, τὴν κυρίαν φωνὴν ὑπερετίθετο; gratiæ tamen loco a propugnatoribus veræ fidei petens, τῇ οἰκονομίᾳ μὴ δυσχεραίνειν, ne dum unam voculam mordicus retinere conarentur, propter inexplebilem cupiditatem omnia perderent; convulſa nimirum turbulento tempore ac deſtructa pietate. Αὐτοῖς μὲν γὰρ οὐδεμίαν εἶναι ζημίαν ὑπαλλαττομένων μικρὸν τῶν λέξεων, καὶ φωναῖς ἄλλαις τὸ ἴσον διδασκομένοις: *Ipſos enim nihil ex eo incommodi ac detrimenti accepturos, ſi vocabula paululum immutarentur, modo aliis verbis eadem docerentur.*

Ibid. pag. 86. Maximus ad Pyrrhum Presbyterum ait ſæpe numero pares voces concedere, ſed retinere ſententias; quod non in ſyllabis, ſed in ſententiis & rebus, ſalutis noſtræ myſterium exiſtat. Illud enim faciebant pacis curam gerentes, hoc animos veritate confirmantes. Ὅτι μὴ ἐν συλλαβαῖς, ἀλλὰ νοήμασί τε καὶ πράγμασι τὸ τῆς σωτηρίας ἡμῶν ὑπάρχει μυστήριον. Τὸ μὲν γὰρ ἐποίουν εἰρήνης φροντίζοντες, τὸ δὲ ψυχὰς ἀληθείᾳ στηρίζοντες.

Baſilius Eccleſiæ temporibus ſuis labefactatæ ſtatum redintegrari non poſſe ſcribit circa motam de
Ibid. pag. 86. Greg. Nazianz. orat. 1. de pace. divinitate Spiritus ſancti controverſiam, niſi συμπαθείᾳ πρὸς τοὺς ἀσθενοῦντας: quam in eo conſtituit, ut illi ad communionem admittantur, qui fidem Nicææ ſancitam recipiunt, & Spiritum Sanctum creaturam eſſe negant, licet Dei verbum aperte non uſurpent. Retenta enim communione, futurum frequenti collatione & minime contentioſa diſceptatione, ut, ſi quid etiam eſt, quo ad ampliorem evidentiam addito opus ſit, id Dominus præſtiturus ſit.

Egregiam in univerſum regulam præſcribit Gregorius Nazianzenus in oratione de pace: *Nec ſegniorem quemquam eſſe debere, quam par ſit, nec ferventiorem, ita, ut vel ob levitatem ad omnes ſe aggreget, vel ob temeritatem & inſolentiam ab omnibus ſe removeat, æquè enim & iners ſegnities eſt & mobilitas atque inconſtantia a ſocietate & communione aliena. Verum, ubi aperte ſe prodit impietas, tum vero nobis faciendum eſſe, ut adverſus ignem & ferrum & tempora & Principes ac denique prius adverſus omnia cominus feramur, quam ut mali fermenti participes efficiamur ac male affectis aſſentiamur, nec quicquam perinde metuendum eſt, quam ne quid magis quam Deum metuamus, ac propterea fidei & veritatis, cum veritati ſerviamus, doctrinam perfide deſeramus. At cum ſuſpicio ſola animum noſtrum male habet, timorque nullis certis argumentis innixus, tum vero lenitatem potius quam celeritatem, & indulgentem demiſſionem potius quam arrogantiam & contumaciam adhibere convenit; multoque melius & conducibilius eſt, ut in communi corpore manentes mutuo nos ipſos, tanquam alii aliorum membra, corrigamus atque corrigamur, quam ut præjudicio per ſeceſſionem facto, & auctoritate per ſeparationem amiſſa, ex edicto poſtea, velut tyranni ac non fratres, correctionem imperemus.* βέλτιον γὰρ τάχους ἡ μακροθυμία, καὶ τῆς αὐθαδείας ἡ συγκατάβασις. καὶ πολλῷ κρεῖττον καὶ λυσιτελέστερον, ἐν τῷ κοινῷ σώματι μένοντας, καταρτίζειν ἀλλήλους ὡς ἀλλήλων μέλη, καὶ καταρτίζεσθαι, ἢ προκαταγνόντας διὰ τῆς ἀποστάσεως, καὶ τὸ ἀξιόπιστον, τῷ χωρισμῷ λύσαντας, ἔπειτα ἐξ ἐπιτάγματος, ὥσπερ τυράννοις, ἀλλ' οὐκ ἀδελφοὺς, νομοθετεῖν τὴν διόρθωσιν.

Ibid. pag. 89. Addendus locus alter Gregorii ex oratione tertia de pace: *Quædam ne quærenda quidem omnino ſunt, quædam mediocriter, quædam contentioſis hominibus concedenda & relinquenda, quoquo tandem modo ſe habeant, utpote nullum doctrinæ noſtræ detrimentum afferentia; quædam fidei ſoli donanda, quædam etiam ratiocinationibus &c.*

CAPUT XIV.

De diſpenſationibus Pontificum in primitiva eccleſia, & earum progreſſu.

SYNOPSIS.

I. Summus Pontifex canones temperavit in oriente. Damaſus remiſit vitium ordinationis Flaviani Antiocheni precibus Joannis Chryſoſtomi & Theophili Alexandrini. Anatolius ordinatus a ſynodo Epheſina ſecunda, quæ nulla erat, aſſenſu Leonis I. epiſcopatum retinuit. Idem accidit Maximo Antiocheno contra canones ordinato, cui vitium illud Leo indulſit pacis ſtudio. Simile vitium Stephani diſſimulavit Simplicius Papa in gratiam Zenonis Imperatoris.

II. Frequentiora diſpenſationum pontificiarum exempla in occidente. Leo in Africa tolerat laicorum ordinationes, ſed bigamorum damnat. Hilarus veniam conceſſit Epiſcopis Hiſpanis ordinatis abſque Metropolitani conſenſu contra canones Nicænos.

III. Aliquando neceſſitate cogente, non perſonis ſingulis, ſed omnibus, conceditur remiſſio canonum; ut ſtatutum eſt a Gelaſio in ordinationum intervallis.

IV. Aliquando etiam damnatis Epiſcopis reſtitutio indulta eſt a ſummis Pontificibus, ex clementia, de ſynodorum conſenſu. Quod probatur exemplis. Cauſæ Athanaſii, Chryſoſtomi & Flaviani pertinent ad jura appellationum, non ad reſtitutionem ex benignitate indultam. In quo notatur Ivo.

V. Ex dictis patet, veniam infringendi canonis olim conceſſam non fuiſſe, ſed tantum infracti. Quod obtinebat tempore Zachariæ; qui negat, facultatem datam a deceſſore ſuo ducendæ viduæ avunculi, quia hoc eſt contra canones. Ea ratione petitionem Bonifacii de eligendo ſucceſſore rejicit.

VI. Frequentior eſſe cœpit diſpenſationum uſus undecimo ſeculo; ſed nondum concedebatur, niſi utilitatis prætextu. Recte dividit Ivo præceptiones; quarum aliæ ſunt immobiles, e jure divino; aliæ mobiles, e jure canonico. In his, ſi detur compenſatio boni publici, poteſt indulgeri diſpenſatio. Diſcuſſa præfatio Ivonis in aliis capitibus. Regula Ivonis, non reprehendendos Prælatos, qui aliqua tolerant non adverſa fidei aut bonis moribus.

VII. Origo diſpenſationum, quæ dantur in anteceſſum ex contumacia fidelium petenda, qui canonibus parere nolebant, ex Anſelmo.

VIII. Regula Goffridi in his diſpenſationibus, ut non fiant ſtudio lucri, ſed pietate ſubveniendi infirmis. Diſpenſationes ſine cauſa reprobatæ.

IX. Ob neceſſitatem vel communem utilitatem hæ diſpenſationes concedi debent. Alioqui ſunt diſſipationes, ex Bernardo.

X. Gratianus ſequitur eandem ſententiam. Jure Decretalium privatorum habita eſt ratio major, quam olim; quibus diſpenſationes dantur, ſi juventur aliquo merito, quod uſui Eccleſiæ eſſe poſſit.

I. QUanta eſſet Romanæ ſedis auctoritas in temperanda canonum executione, ex Innocentio & Concilio Africano demonſtratum eſt capite ſuperiori. Sed, quia ſuſpicari poſſet aliquis, eo jure uſum fuiſſe ſummum Pontificem in occidentis Eccleſiis tantum, quæ illius ſollicitudini, nullo Patriarcha intermedio, parebant, docendum eſt aliquot exemplis, hanc ejus auctoritatem ad orientis quoque Eccleſias porrectam fuiſſe. Notiſſima eſt occaſio diſſidii, quo per aliquot annos concuſſa eſt Eccleſia Antiochena ob Flaviani ordinationem, quem Paulino ſuperpoſitum fuiſſe potius, quam Meletio ſucceſſiſſe, neglecta fide jurejurando data, conquerebantur occidentales & Ægyptii, adeoque ab ejus communione abſtinebant; quamvis ſuperſtes fuiſſet Paulino & Evagrio Antiochenis Epiſcopis, & non tam potior, quam ſolus ſedem illam obtineret. Attamen ſtudio Joannis Chryſoſtomi, poſtquam Theo-

philo Alexandrino benigniore Flavianus usus fuisset, utriusque opera occidentalium communioni restitutus est, legatione ad Episcopum Romanum missa. Expendenda sunt autem verba Socratis; qui Theophilum a Pontifice Romano contendisse docet, ut *propter populi misericordiam* vitium ordinationis Flaviani *dissimularet*, quod perinde est, ac si dixisset, ob bonum unitatis veniam dandam vitiosæ ordinationi; quam non a synodo occidentalium, sed a Damaso Chrysostomus & Theophilus petiverunt; ut hinc quoque pateat, apicem auctoritatis in sola Romana sede, quoad dispensationes, tunc temporis viguisse.

Socrates lib. 5. cap. 15. Θεραπευθεὶς οὖν τὴν ὀργὴν Θεόφιλος, πέμψας τὸν Ἰσίδωρον πρεσβύτερον καταλλάσσει λυπηθέντα Δάμασον, λυσιτελεῖν εἰπὼν δὲ ὁμονοίας τοῦ λαοῦ, παριδεῖν τὸ φθάσαν Φλαβιανοῦ πλημμέλημα. Vide lib. 5. cap. 15. §. 4.

Damnato per vim & tumultum Flaviano Constantinopolitano Episcopo in synodo Ephesina secunda a Dioscoro Alexandrino, Anatolius, qui pro negotiis Ecclesiæ Alexandrinæ Dioscori responsalem egerat Constantinopoli, urbis regiæ Episcopus ordinatus est. Hæc ordinatio celebrata in illo Ephesino latrocinio, cujus acta rescissa sunt, constare non poterat, si summo jure actum fuisset. Quare Anatolii communionem, utpote vitiose ordinati, Leo I. suscipere recusabat, donec Marciani Principis interventione canonum censuram mollivit, rectæ fidei subscribente Anatolio, cui Constantinopolitanam sedem suo consensu Papa firmavit. *Nos enim*, inquit Leo in epistola ad Marcianum Augustum, *vestræ fidei & interventionis habentes intuitum, cum secundum suæ consecrationis auctores ejus initia titubarent, benigniores circa ipsum, quam justiores esse voluimus, quo perturbationes omnes, quæ operante diabolo fuerant excitatæ, adhibitis remediis leniremus*. Mox: *Satis sit prædicto, quod vestræ pietatis auxilio & mei favoris assensu episcopatum tantæ urbis obtinuit*. Potestatis suæ conscius non dubitat assensui suo & favori adscribere Anatolii confirmationem, qui alioqui secundum canones pelli debuerat.

Ea quoque dispensationis indulgendæ auctoritate usus est in causa Maximi Antiocheni Episcopi; qui in locum Domni a Dioscoro damnati suffectus, ab Anatolio ordinatus erat. Huic ordinationi duo maxima vitia inerant. Unum, quod Domnus ab impia synodo Ephesina damnatus esset. Alterum, quod ordinatio illa ὑπόρ[illegible] adversus Nicænos canones, apostolicos & Constantinopolitanos ab Anatolio peracta esset: cui tamen Leo connivere voluit ob pacis studium: *Neque sibi æstimet licuisse* (scilicet Anatolius) *quod Antiochenæ Ecclesiæ sine ullo exemplo, contra statuta canonum, Episcopum ordinare præsumpsit, quod nos amore reparandæ fidei & pacis studio retractare cessavimus*. Nisi Leo benigne se gessisset in Maximum, ejus ordinationem retractare potuisset, ut ipse docet in hac epistola; quæ ad Marcianum Augustum cum sit data, potestas Leonis indubitati juris esse censenda est. Nec enim in re ad suam auctoritatem non pertinente, tantam παῤῥησίαν adhibuisset. Sed utendum non est conjecturis, ubi diserta habemus testimonia. Maximus a synodo Chalcedonensi eo solum nomine receptus est, quod Leo summus Pontifex ejus ordinationem & communionem probasset. Etenim cum in cognitione, quæ de Iba Edesseno habebatur, (qui judicio synodi Berytensis absolutus, a Dioscoro Ephesi damnatus erat) judices interlocuti essent, ut acta Ephesina relegerentur, Paschasinus & ceteri Legati Romanæ sedis intercesserunt, eo, quod synodum illam in irritum Leo misisset præter negotium Antiocheni Episcopi, cujus communionem deinde amplexus erat: *Si ergo & a beatissimo & apostolico Romanæ urbis Episcopo omnia, quæ ibi gesta sunt, vana sunt habita, claret, quia & sanctissimus Episcopus Antiochenæ civitatis extra hæc est, quem post hæc beatissimus Episcopus in propria communione suscepit*. Hæc ultima verba desunt in textu Græco; quæ tamen a veteri interprete juxta fidem codicum antiquorum retenta sunt. Quod patet ex sequenti Anatolii interlocutione, qui totam rem explicat: *Definimus, nihil horum valere, quæ in illa, quæ synodus dicitur*, (nempe Ephesina) *sunt confecta, nisi illud circa sanctissimum Maximum magnæ Antiochenæ civitatis Episcopum: quoniam & sanctissimus Leo Romanus Archiepiscopus in communionem eum recipiens, præesse eum Antiochenæ judicavit Ecclesiæ, quam formam sequens & ipse approbavi, & præsens omne sanctum Concilium*.

Concil. Chalc. act. X.

Vide præfationem Baluzii in Concilium Chalcedon. cap. 52.

Ἐπειδήπερ ὁ ἁγιώτατος ἐπίσκοπος Ῥωμαίων Λέων, εἰς κοινωνίαν αὐτὸν δεξάμενος, ἄρχειν τῆς Ἀντιοχέων ἐκκλησίας ἐδικαίωσεν. ᾧτινι τύπῳ ἀκολουθῶν αὐτὸς συνῄνεσα, καὶ πᾶσα ἡ παροῦσα ἁγία σύνοδος.

Illustre quoque extat exemplum veniæ canonum a Simplicio Papa concessæ Stephano Antiocheno Episcopo in gratiam Zenonis Imperatoris, qui hoc a Pontifice enixe postulavit. Ordinatus fuerat Constantinopoli ab Acacio, quemadmodum ab Anatolio Maximus, cum a comprovincialibus ordinari debuisset; quemadmodum Flavianus Antiochenus ab Episcopis orientalis Diœceseos ordinatus fuisse dicitur in epistola synodica Concilii Constantinopolitani. Sed ad vitandos tumultus, Zeno Stephanum eligi & ordinari Constantinopoli jussit anno CCCCIX. ea conditione, ne simile aliquid in posterum tentaretur, qua de re certiorem fecit Simplicium, & ejus consensu roborari petiit. Cui desiderio se facilem præbuit summus Pontifex, ut patet ex ejus epistola ad Zenonem. *Unde*, inquit, *quæ a vobis amore quietis sancte & religiose sunt ordinata, reprobare non possumus, ne status Antiochenæ Ecclesiæ sub nostra dubitatione videatur ambiguus*.

II. Frequentius Ecclesiis occidentis Romana sedes consulebat, quam orientalibus. Quippe suos Patriarchas istæ colebant, qui canonum executioni incumbebant in suis quique Diœcesibus, ut Romanus Pontifex de singulis Episcopis sollicitus non esset, sed de Patriarcharum ordinationibus, de quibus certior fiebat per literas synodicas. Quare, misso oriente, remeandum est ad occidentem; ubi Leo I. hoc temperamentum adhibuit in dirimendis Africanorum illicitis ordinationibus, ut bigamos a sacerdotio pelleret, sed laicis studio populorum electis veniam tribueret. *Circumstant nos*, inquit, *hinc mansuetudo clementiæ, hinc censura justitiæ. Et quia universæ viæ Domini misericordia & veritas, cogimur secundum sedis apostolicæ pietatem ita nostram temperare sententiam, ut trutinato pondere delictorum, quorum utique non una mensura est, quædam definiamus utcunque toleranda, quædam vero penitus amputanda*. Ita vero provectionibus laicorum connivet, ut vetet eas in posterum: *Quod enim nunc utcunque est veniale, inultum esse postmodum non poterit, si quisquam id, quod omnino interdicimus, usurpare præsumpserit. Quia remissio peccati non dat licentiam delinquendi; neque, quod potuit aliqua ratione concedi, fas erit amplius impune committi*. Unde patet, mansuetudinem, clementiam, remissionem, & veniam delictorum a Leone dici, quod nos hodie irregularitatum dispensationem diceremus, & verbum *tolerandi* hac quoque notione usurpatum.

Leo I. ep. 91. ad Episc. Maurit.

Hilarus Pontifex hac indulgentia prosecutus est duos Episcopos Hispaniæ ordinatos a Silvano Calagurritano; cujus præsumptionem coerceri petebat Ascanius Tarraconensis Metropolitanus, quod se inscio contra canones Episcopos illos instituisset. Factum vero Silvani excusabant honorati & possessores earum civitatum, quibus dati erant Episcopi. Disceptatio gravissima in synodo Romana peracta est, & *temporum necessitate perspecta*, id est, Gothorum omnia devastantium furore, *ad veniam pertinere, quod gestum est*, decrevit Hilarus; *ita, ut nihil deinceps contra præcepta beati Apostoli, nihil contra Nicænorum canonum constituta tentetur*. Unde colligitur, non solum, quod contendimus, veniæ ratione concedi solitas dispensationes, sed etiam eam esse vim necessitatis, ut ordinatio Episcopi sine Metropolitano celebrata, licet nullas vires habeat juxta Concilii Niceni & Antiocheni canones, tamen eo casu convalescat.

Hilar. epist. ad can. an. 465.

III. Ea,

III. Ea, quæ dixi, personis ob pacem Ecclesiæ indulta sunt. Aliquando vero exacta disciplina ad tempus remittebatur, ut rebus ipsis & statui ecclesiastico restituendo consuleretur. Qua ratione ductus Gelasius, cum fame & bello devastata esset Italia, ut ministrorum officia in Ecclesiis repararet, promotionum ecclesiasticarum intervalla antiquis decretis præfixa ad tempus remisit; ita, ut monachis intra annum, & laicis intra decem & octo menses presbyterii gradum adipisci liceret. *Quod pro accidentis defectus remedio providetur*, inquit ille, *non adversus scita majorum nova lege proponitur*. Id autem necessitate cogente aggressum se fuisse ait, & necessaria rerum dispensatione constrictum: *Necessaria rerum dispensatione constringimur & apostolicæ sedis moderamine convenimur, sic canonum paternorum decreta librare & retro præsulum decessorumque nostrorum præcepta metiri, ut, quæ præsentium necessitas temporum restaurandis Ecclesiis relaxanda deposcit, adhibita consideratione diligenti, quantum fieri potest, temperemus*. Et mox: *Priscis igitur pro sui reverentia manentibus constitutis, quæ, ubi nulla rerum vel temporum perurget angustia, regulariter convenit custodire*. Hic Gelasius utitur eodem sensu dispensationis voce, quo οἰκονομία usurpatur apud Græcos.

Gelasius in ep. ad Episc. Lucaniæ.

IV. Aliquando etiam judicio synodali dejectis Episcopis restitutio est clementer indulta a summis Pontificibus, ita tamen, ut synodorum consensus accesserit. Quod tribus exemplis illustrari potest: quorum unum in Italia, alterum in Gallia locum habuit, & tertium in oriente. Misenum Episcopum honore & communione in synodo Romana privatum Gelasius in altera synodo Romana sacerdotali dignitati restituit anno quadringentesimo nonagesimo quinto. Rothadus Episcopus Suessionensis sede sua a synodo Gallicana dejectus est anno octingentesimo sexagesimo quinto. *Nostrum judicium*, inquit Hincmarus, *per regulas executum, sedes apostolica non cassavit, sed Rothado, qui ad eam fecit confugium, humiliter poscenti solatii benignitatem impendit*. Scio quidem, a Nicolao primo rescissam synodi sententiam, a qua Rothadus appellaverat. Sed, quia Gallicani Episcopi in illo casu non esse locum appellationi contendebant, ideo Hincmarus clementiæ Nicolai tribuit Rothadi restitutionem; cui Ecclesia Gallicana assensit, sub titulo restitutionis a Nicolao ex benignitate & venia indultæ. Apud orientalem Ecclesiam, qui motus a Photio excitati fuerint, docent & Nicolai epistolæ & synodus octava, quæ illum patriarchatu Constantinopolitano depulit, & perculit anathemate. Attamen Ignatio functo, Photius toties damnatus sedem suam recepit suffragiis orientalium Episcoporum, adnitente Basilio Imperatore. Sed illa restitutio integra esse non poterat, nisi a sede apostolica probaretur. Quare Joannes VIII. rogatus ab Imperatore, ut Ecclesiæ paci consuleret, necessitati cedens, Leonis, Gelasii, Felicis & Concilii Africani auctoritate fretus, qui in rerum angustiis temperandas esse regulas docent, de consensu ceterorum Patriarcharum Photium anathemate liberavit, illique sedem retinere concessit, ea lege, ut coram synodo cogenda misericordiam peteret. De consensu, inquam, ceterorum Patriarcharum & Episcoporum Joannes Photium solvit, ut videre est in epistola germana ejusdem Joannis; quamquam in epistola a Photio corrupta hic consensus desit. Unde occasionem sumpsit auctor Breviarii octavæ synodi hanc Photii restitutionem a Joanne VIII. decretam convellendi, quia scilicet unum patriarchium damnatos a ceteris Patriarchis solvere non potest, ἓν πατριαρχεῖν λύσαι οὐ δύναται. Imo vero neque per modum dispensationis hoc fieri posse concedit, quia ex Chrysostomo dispensationi locus non est, cum manifesta est prævaricatio. Ceterum a culpa Joannem liberat Principis & ceterorum Patriarcharum totiusque synodi orientalis consensus; quem datum fuisse, Joannes suis literis significat. Profert autem ad confirmationem sententiæ suæ exempla Athanasii, Chrysostomi & Flaviani; qui a synodis damnati cum fuissent, a sede apostolica in integrum restituti sunt. Quibus exemplis quoque Photium a Joanne restitutum scribit Ivo, cum de jure dispensationum loquitur. Sed ab iis referendis temperavi, quia restitutiones illæ ad appellationum jura pertinent & ad judicatorum rescissionem, non autem ad restitutionem ex benignitate indultam, quemadmodum tria superiora, quæ retuli, exempla.

Hincm. c. 5. Opusc.

Vide lib. 7. cap. 24. §. 5.

Joan. VIII. ep. ad Basilium.

Ivo in præfat. Decret.

V. Ceterum hic repetendum est, quod initio adnotavi, nullum edi posse testimonium, quo doceatur, a veteribus veniam infringendi canonis alicui collatam fuisse, sed tantum infracti. Ea scilicet canonum & decretorum erat reverentia, ut ea violari a quoquam æquo animo Pontifices ferre non possent; quin potius statim canonica pœna reos convictos plecterent, nisi necessitatis aut publicæ utilitatis manifesta ratio aliud suaderet. Zacharias hac de re certiores nos reddit, qui rescripsit Bonifacio Moguntino conquerenti de indulta facultate a Gregorio III. ut quis viduam avunculi sui uxorem duceret: *Absit, ut hoc prædecessor noster ita credatur præcepisse. Nec enim ab hac apostolica sede illa diriguntur, quæ contraria esse patrum sive canonum institutis inveniantur*. Imo vero, cum idem Bonifacius enixe a Zacharia postularet, ut sibi liceret Episcopum successorem eligere, respondit juxta mores antiquos: *De eo, quod tibi successorem constitui velle dixisti, ut te vivente in loco tuo eligatur Episcopus, hoc nulla ratione concedi patimur, quia contra omnem ecclesiasticam regulam vel instituta patrum esse monstratur*. Id autem *charitate cogente* homini de Ecclesia optime merito indulsit, ut ea hora, qua se migraturum e seculo cognosceret, præsentibus cunctis sibi successorem designaret.

Zach. ad Bonif. c. 5. an. 743.

Idem cap. 4. & apud Grat. 7. q. 1. c. Petiisti.

VI. Post sæculum undecimum frequentior esse cœpit dispensationum usus, Ecclesiæ statu ita ferente; qui variis bellorum motibus & novis decretis valde concussus erat. Attamen id superfuit ex antiqua disciplina, ut nihil indulgeretur, quin utilitate publica compensaretur, ut colligere licet ex præfatione Ivonis, quam Decreto suo præfixit. Ex ea regulas quasdam decerpere non alienum erit ab instituto, quia hodie etiam in quibusdam articulis usui esse possunt. Præceptiones & prohibitiones alias immobiles esse docet, alias vero mobiles. Ac primi quidem generis sunt illæ, *quas lex divina sanxit, quæ observatæ salutem conferunt, non observatæ eandem auferunt. Mobiles vero sunt, quas lex æterna non sanxit, sed posteriorum diligentia ratione utilitatis invenit, non ad salutem principaliter obtinendam, sed ad eam tutius muniendam*. Quo in loco reponit canonicas institutiones. Mox addit: *In his, quibus observatis salus acquiritur, vel in quibus neglectis mors indubitata consequitur, nulla est admittenda dispensatio; sed ita sunt omnia mandata vel interdicta servanda, sicut sunt æterna lege sancita. In his vero, quæ propter rigorem disciplinæ vel muniendam salutem posteriorum sanxit diligentia, si honesta vel utilis sequatur compensatio, potest præcedere auctoritate præsidentium diligenter deliberata dispensatio*. Utitur voce *compensationis*, quam e Concilio Africano hausit, ut significet utilitatem, cujus ratione venia canonum indulgetur. Usum autem harum dispensationum docet testimoniis aliquot petitis ex Augustino, Cyrillo, Innocentio, Leone, Gelasio & Joanne octavo. Connumerat vero inter dispensationum exempla promotiones Felicis, Gelasii, Agapeti, Silverii summorum Pontificum, etiam si filii Presbyterorum essent; quorum ordinationes vetitæ erant decretis Pontificum. Sed in eo fallitur, quod decreta illa aliquot seculis posteriora sint ordinationibus illis, quas recensuit. Translationes etiam Episcoporum ab una civitate in aliam, jam olim a severiore Ecclesia admissas, dispensationibus accen-

accensuit. Sed illæ ad canonum interpretationem referendæ sunt potius quam ad dispensationem: quoniam migrationes quidem Episcoporum voluntariæ prohibitæ sunt a canonibus, translationes vero cum causæ cognitione decretæ non sunt vetitæ. Prohibetur *μετάβασις*, non *μετάθεσις*, ut loquuntur Græci. Qua de re alibi. Depositorum Episcoporum, Athanasii scilicet, Flaviani & Chrysostomi, & aliquot aliorum, restitutionem a sede apostolica decretam inter dispensationum exempla Ivo recenset; sed perperam, ut supra monui, cum hæc ad judiciorum restaurationem pertineant.

Vide lib.6. c. 8.

Dispensationum usum frequenter in epistolis suis commendat idem Ivo: in quibus hanc præcipue regulam sequendam docet, ut fides vel boni mores non lædantur: *Tunc possunt præsules legum rigorem propter necessitates ecclesiasticas temperare, quando ipsa legum remissio nihil continet contra fidei veritatem vel morum honestatem*. Et alibi: *A subditis non debet reprehendi prælatorum dispensatio, si salvo fidei fundamento, & nota communi regula morum, aliqua infirma faciunt, aut tolerant, ut vitam subditorum in proposito suæ sanctitatis conservare valeant.*

Ivo ep. 214. 258. 236. 100. & alibi.

Vide locum Hildeberti supra relatum in Additione ad caput XIII. hujus libri.

VII. Eodem seculo Anselmus Cantuariensis a Paschale secundo sibi concedi petiit, ut juxta arbitrium suum leges ecclesiasticas temperare posset in Anglia, ubi, ob corruptos mores, disciplinæ tenor servari non poterat, quod illi a Pontifice indultum est. Unde colligimus, subditorum contumaciam frequentibus dispensationibus viam aperuisse, ne quis cum novatoribus ad curiam Romanam hujus remissionis omnem culpam revocet. Tantus enim erat in Ecclesia canonum contemptus, ut a vindicta sæpissime ob multitudinem reorum abstinendum esset & dispensatione tanto morbo providendum. Itaque satius esse duxerunt Pontifices, probabili quadam ratione inducti, canonibus aliquos solvere, ut infractarum legum reatus vitaretur, quam post vulnus remedium parare. Verba autem Anselmi hæc sunt: *Sæpe necesse est, aliquid de apostolicis & canonicis statutis pro compensationibus relaxare, & maxime in regno, in quo fere omnia sic corrupta & perversa sunt, ut vix ibi aliquid omnino secundum statuta ecclesiastica fieri possit.*

Anselm. Cantuar. apud Juretum in Notis ad ep. Ivonis pag. 730.

VIII. Goffridus Vindocinensis eadem ætate Callixto secundo insinuat, quis modus sequendus sit in dispensationibus, quæ tunc in anteceffum concedebantur. *Dispensationes*, inquit, *aliquando in Ecclesia faciendæ sunt, non quidem amore pecuniæ, vel quolibet humano favore, sed pia & misericordi intentione. Tunc enim a pastore Ecclesiæ dispensatio pie & misericorditer fieri dicitur, cum aliquid minus perfecte ad tempus fit ab illo vel fieri permittitur, non voluntate sua, sed aliorum necessitate, ne in ipsis videlicet fides Christiana periclitetur*. Et mox: *Possunt etiam & debent fieri dispensationes, quibus Ecclesiarum & monasteriorum consuetudines immutentur; sed, ubi postponitur minus bonum, ut, quod est melius, instituatur*. Infra: *Si quis vero aliter in ecclesia dispensationes facit, rationi simul & veritati contradicit; nec solum lucernam ardentem non habet, verum etiam aliorum ardentes extinguit. Et ideo non recte dicitur Christi Vicarius; sed dux est cæcorum, ipse cæcus.*

Goffridus Vindoc. in opusc. cap. 5.

IX. Nota est Bernardi de dispensationibus sententia, quam Eugenio sequendam proposuit. *Quid*, inquit, *prohibes dispensare? Non, sed dissipare. Non sum tam rudis, ut ignorem positos vos dispensatores; sed in ædificationem, non in destructionem. Deinde quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. Ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio est. Ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est, utilitas dico communis, non propria. Nam cum nihil horum est, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.*

Bernardus l. 3. de consider.

X. Gratianus variis in locis ob necessitatem vel utilitatem Ecclesiæ dispensationi esse locum docuit; ita, ut illi cum ceteris conveniat. A qua regula jure Decretalium recessum non est; quamvis privatorum major sit habita ratio, quam haberetur antiquis canonibus. Etenim scientia, morum honestas, bona fama, meritorum prærogativa, nobilitas petentis, censentur justæ causæ dispensandi; ut probari potest ex variis locis Decretalium; quod deinde placuit Concilio Tridentino. Itaque venia canonum, quæ olim ob publicam tantum causam privatis post violatos canones concedebatur, indulgeri cœpit ante omnem actum, propter privatum petentium commodum, si meritis aliunde juvarentur, & eorum opera bono publico inservire posset. Unde profecta est dispensationum frequentia in votis, in beneficiis, irregularitatibus & matrimoniis; quæ gravissimorum virorum querelas provocarunt. Ut enim de B. Bernardo taceam, Hildebertus Cenomanensis, Joannes Sarisberiensis, Matthæus Paris, Guillelmus Durandus, Nicolaus de Clemangiis, Joannes Gerson, multis hac de re conquesti sunt.

Grat. c. 1. q. 7. & c. *Fraternitatis*. dist. 34. c. *In caussis*. de sent. c. *Licet canon*. §. *Super*. de elect. in 6. Cap. *Innotuit*. de elect. c. *De multa*. de præbendis.

Trid. sess. 24. c. 5. sess. 25. c. 18.

CAPUT XV.

De dispensationibus licitis & illicitis.

SYNOPSIS.

I. Discutitur quæstio, an dispensatio sine causa sit licita & valida. Inferioris est illicita & invalida. Summi Pontificis, quidam licitam esse ajunt, alii autem illicitam, quia non est dominus legum.

II. Illicita autem dispensatio a plerisque valida dicitur; ab aliis invalida, quorum rationes proponuntur.

III. Distinctio auctoris, in iis, quæ singulos respiciunt, dispensationem sine causa absque crimine concedi & suscipi; in iis, quæ jura tertii aut statum publicum lædunt, nec licitam esse, nec validam. Prima pars probatur ex consuetudine recepta ab aliquot seculis, quæ inducere potuit, ut per dispensationes legi derogetur, quemadmodum omnino potest legem abrogare. Maxima vis consuetudinis in dispensationibus, unde dispensatio significatur nomine consuetudinis. Dispensationes in gravissimis rebus quotidie conceduntur sine causa contra canones Conciliorum generalium, quæ recepta sunt usu: quædam autem in minoribus negotiis vix recipiuntur, ob usum contrarium. Probatur facultas concedendæ dispensationis sine causa ex Concilio Lugdunensi, quod explicatur.

IV. Si mores recepti in regno lædantur, invalida dispensatio, quia sine causa legitima, & quia in iis casibus dispensationis usus non receptus. Dispensationes mendicantibus concessæ ad beneficia possidenda rejectæ.

V. Charitas læditur novitate. Quare abstinendum hoc casu a dispensatione, quæ præcipue ob concordiam inducta est. Ex dispensationibus intempestivis diffidia oriuntur, e Maximo Abbate.

VI. Inquiritur in omnia rescripta, non eo proposito, ut limites ponantur pontificiæ potestati. Omnia privilegia sedis Romanæ non erant cognita Gallis tempore Fulberti. Tenere agendum cum Romanis.

VII. Cavent Romani Pontifices, ne rescriptis suis scandali occasionem præbeant. Tria genera scandali. De Petri reprehensione a Paulo propter scandalum.

VIII. Si scandalum oriatur, temperandum ab executione rescripti. Scandalum movetur, si recepta consuetudo infringatur. Et si justa præcipiantur, supersedendum ab executione, ratione scandali; cujus non potest dari dispensatio. Judex delegatus debet rescribere & supersedere.

IX. Regula petita e scandalo sufficit in foro.

Quæ-

Quærunt tamen theologi & interpretes, an, si rescriptis pessumdaretur disciplina ecclesiastica, iis parendum sit. Respondent, ab iis exequendis quem abstinendum; &, si necesse sit, subsidium Principum implorandum. Quod fit per modum defensionis, non autem jurisdictionis. Et in summo Pontifice non censetur eo casu esse defectus auctoritatis, sed defectus intentionis. Romana sedes urget executionem mandatorum, quæ salubria sunt, e Leone IV. & Gregorio VII.

X. Ad defensionem & ultionem veritatis habet primam & maximam potestatem. Contra veritatem nihil potest, e Facundo Hermianensi.

XI. Non potest concedi dispensatio juris divini vel naturalis, sed tantum interpretatio.

I. QUæ superiorum seculorum ingenia exercuit pertinacissimis contentionibus disceptata quæstio, an dispensatio sine justa causa concessa licita sit & valida, hodie etiam a theologis & juris canonici interpretibus, cum aliquo opinionum dissidio, quamvis modestius, tractari solet. Sane, si ab inferiore concedatur sine causa, nec licitam, nec validam esse, apud omnes in confesso est. De supremo Pontifice controvertitur. Sed quæstio in duo capita dirimenda est. Unum est, an sit licita: alterum, an sit valida, etsi fortasse fuerit illicita. Licitam esse dispensationem a supremis Principibus sine causa concessam, asserunt Glossa, Bartolus, Innocentius quartus, Panormitanus, Felinus, & alii quamplurimi; quia leges omnes ab eorum nutu pendent. Plerisque vero theologis & juris canonici interpretibus placuit, nec summum Pontificem, nec Reges ipsos licite a legibus suis solvere posse subditos sine justa causa. Quod probant ex iis locis, qui relati sunt a Gratiano & ex Concilio Tridentino; quod vetuit, ne dispensationes in contrahendis matrimoniis dentur sine justa causa. Sed maxime sententiam suam ex jure naturali fulciunt, quod ita Principibus leges commisit, ut earum sint dispensatores, non domini. Quare, si a justa & provida administratione aberrent, quæ reipublicæ consulere debet, abutuntur concredita sibi potestate, dum inter ejusdem universitatis membra inæqualitatem inducunt.

Glossa in l. relegati ff. de pœn. & ibi Bart. & ceteri quos recenset, Sancius l. 8. de matrim. disp. 18. §. 2. Thomas 1. 2. q. 97. art. 5. Vide Suarem. l. 6. de legibus. cap. 18. Conc. Trid. c. 5. sess. 24. de reform.

II. Sed in altero capite quæstionis iidem illi interpretes in varias opiniones scinduntur, cum quæritur, an dispensatio indulta sine justa causa sit invalida, ut est illicita. Si Parisienses sequamur & antiquos scriptores, dubium non est, quin dispensatio injusta sit etiam invalida. Hanc sententiam amplexi sunt Bernardus, Goffridus Vindocinensis, Joannes Sarisberiensis, Gersonus, Major, Almainus, & ex theologis recentioribus, Gabriel Vasques Hispanus, & plerique interpretum juris civilis & canonici. Quod probant comparatione ducta a lege: quæ, si injusta sit, legis nomine non censetur; ac proinde nec dispensatio injusta locum dispensationis obtinebit; maxime, cum potestas, qua dispensans nititur, data sit ad ædificationem, non ad destructionem, ut loquitur Paulus, unde sequitur, dispensationem, quæ tendit ad dissipationem & destructionem, non proficisci a potestate, quam Deus concessit, ac proinde esse nullam. Neque opponi potest huic sententiæ, quod a contrariæ opinionis vindicibus, & præsertim a Suare, afferitur, scilicet legem pendere ex arbitrio ejus, qui illam tulit, ideoque, si Princeps quempiam ab ejus vinculo eximat, arbitrium Principis ratum fore. Hæc enim ratio, etsi alicujus momenti esse possit quoad leges seculares, attamen, quod ecclesiasticas attinet, vim nullam habere potest. Earum enim conditio hæc est, ut perpetuæ sint, quemadmodum pluribus docui superius. Quibus addendum est Leonis testimonium, qui canones nulla ratione convelli posse docet in epistola ad Rusticum Narbonensem, nisi *ab necessitatem rerum vel considerationem ætatum*. Quæ ultima verba adolescentes respiciunt, quibus post gestam publicam pœnitentiam conjugem ducere contra regulas indulget cap. XIII. ejusdem epistolæ. Unde Joannes VIII. rescripsit (*) Uticensi Episcopo, dementis esse, Pontifici persuadere velle, ut illud fieri concedat, quod omnino canonicæ disciplinæ est contrarium. Et Chrysostomus relatus in breviario octavæ synodi eleganter dixit, οἰκονομητέον ἔνθα οὐ παρανομητέον, *ibi esse dispensandum, ubi non sit prævaricandum*.

Bernard. l. 3. de consider. ep. 7. ad Adam. mon. l. de dispens. & præc. c. 4. & 7. Goffrid. in loco supra laudato. Sarisb. l. 4. Policrat. cap. 2. Gerson. de eccles. pot. consider. 10. reg. 4.

1. Cor. 10. Vasques, 1. 2. disp. 178. c. 4.

Vide Suarem l. 6. de leg. c. 19.

C. *Miror.* dist. 50.

III. Mihi vero hæc quæstio hoc pacto dirimenda videtur, ut in iis, quæ singulos respiciunt, dispensationem a Pontifice etiam sine causa indultam valere dicamus, imo vero & absque crimine suscipi & concedi; in iis autem, quæ vel jura tertii vel statum publicum lædunt, nec licitam esse, nec validam. Ac primam quidem partem eorum auctorum testimoniis confirmari posse non ambigendum est, qui in supremo Principe causam ad dispensandum necessariam non esse, generaliter & in universum asserunt, solamque liberalitatem Papæ sufficere pro causa dispensationis, ut placuit Antonio de Butrio. Hujus sententiæ præcipuum fundamentum non in eo constituo, quod jam everti, scilicet leges ecclesiasticas a superioris nutu pendere, sed a perpetuo usu, qui jam a trecentis annis & ultra in curia Romana receptus est, ut sine cognitione causæ pleræque dispensationes concedantur; quibus, verbi gratia, irregularitates tolluntur, impedimenta consanguinitatis & affinitatis in tertio & quarto gradu amoventur, beneficiorum pluralitas conceditur; ut fidem facit Guillelmus Durandus, qui de illa novitate seculo suo indulta conqueritur. Eodem etiam usu inductum est, ut pœnis a canone indictis liberi habeantur, qui dispensationibus illis utuntur; adeo, ut nec eorum ordinationes vitiosæ censeantur, nec de matrimoniorum viribus dubitetur, aut quæstio status liberis ex ejusmodi nuptiis editis moveri possit. Itaque cum præcipuus eorum canonum effectus per dispensationem indebitam ex consuetudine recepta sublatus sit, scilicet nullitas matrimonii, quid superest, quod subditorum conscientias onerare possit? Dicet aliquis, superesse jus illud naturale, quod vetat singulares, ne ab ordine universitatis desciscant sine causa. Sed redit distinctio, scilicet jam consuetudine recepta inductum, solam Principis voluntatem legitimæ causæ vim habere apud omnes in præcipuo effectu. Ergo idem jus erit statuendum in altero capite. Tanta vero est vis consuetudinis, ut legem omnino tollere possit. Ergo & modum illius solvendæ per dispensationes alioqui indebitas inducere poterit, præsertim, cum dispensationis ea sit conditio, ut a consuetudine magnas vires accipiat, unde & dispensatio consuetudinis nomine significatur apud Basilium: *Nos ergo*, inquit, *utrumque scire oportet, & quæ sunt summi juris, & quæ sunt consuetudinis*, id est, secundum Balsamonis & Matthæi Blastaris interpretationem, sequendam esse aliquando consuetudinem inclinatiorem, & desciscendum a summo jure. Ceterum, quanta sit vis consuetudinis in hujusmodi dispensationibus tolerandis, inde patet, quod ea, quæ a Conciliis œcumenicis instituta sunt in gravioribus negotiis, novis rescriptis dispensatoriis aliam formam quotidie accipiunt. Episcoporum consecratio, quæ sine Metropolitano fieri non debet, post abrogatam Pragmaticam sanctionem, inconsulto Metropolitano, tribus Episcopis ad arbitrium summi Pontificis committitur. Duabus Ecclesiis adscribuntur frequenter clerici contra canones Concilii Chalcedo-

Duran. de modo Conc. gen. cel. 1. 4. & 5.

Basilius can. 3. ἀμφότερα τοίνυν εἰδέναι ἡμᾶς δεῖ, καὶ τὰ τῆς ἀκριβείας, καὶ τὰ τῆς συνηθείας.

Matthæus Blastares: ἕπεσθαι τῇ συνηθείᾳ τῆς συγκαταβάσεως.

Balsamo in c. 102. Synodi in Trullo.

(*) Melius *Cennemoco Episcopo Venetensi*, ut apud Ivonem par. 6. cap. 114. & par. 10. cap. 51. Recte. Nam Britones historici tradunt, Kenmonokum istius nominis secundum factum esse Episcopum Venetensem an. 878. cum sedes Venetensis vacasset spatio quindecim mensium, mortuum vero esse anno 882. cum sedisset annis quatuor. Male apud Gratianum dist. 50. cap. 6. *Cenomantico Uticensi Episcopo*.

cedonensis, dispensationibus indultis ad plura beneficia retinenda. Dispensationes in gradibus prohibitis a Concilio Lateranensi olim rarissimæ, hodie vero sunt frequentissimæ. Episcopatuum futuræ successiones, & in ceteris beneficiis præsentes successiones per resignationes *in favorem* dictas, Pontificum & Regum arbitrio frequenter admittuntur. Novi ordines religiosi contra præscriptum Concilii Lateranensis quotidie approbantur. Multa quoque alia peraguntur, quæ summam quidem & eximiam in Romano Pontifice a constitutionibus generalium Conciliorum dispensandi auctoritatem, etiam sine causa, inesse probant. Sed quanta sit vis consuetudinis receptæ, quæ his dispensationibus connivet, inde ostenditur, quod in minoris momenti rebus hæ dispensationes ægre recipiantur. His addendum est Concilium Lugdunense sub Gregorio X. habitum anno MCCLXXIV. quod ad Romani Pontificis arbitrium retulit de dispensationum sufficientia disquirere, *& æstimare, quem modum beneficii sui Pontifex esse voluerit*. Itaque, si summo Pontifici placuerit, sine causæ cognitione aliquem a canonibus solvere, dummodo status publicus non lædatur, hoc ab eo pendere colligi potest ex Concilio illo Lugdunensi; præcipue, cum dispensationem *beneficii* a Principe collati nomine significet, id est, gratiæ ex mera liberalitate collatæ. Quare mirari subit, qua ratione quidam hunc locum adduxerint, ut probarent, dispensationem sine causa esse nullam.

Vide secundam præfationem Marcæ §. 14.

C. *Ordinarii*. de offic. ordin. in 6.

IV. At vero, si status publicus aut recepta in regno jura lædantur, amplectenda est sententia eorum, qui in universum dispensationes sine justa causa indultas, invalidas esse censent. Quod verum esse in specie, quam tracto, hac collectione demonstratur. Vel dispensationes illæ sine legitima & justa causa conceduntur; & in hoc casu nullæ dicendæ sunt, propter ea, quæ superius allata sunt, argumenta. Vel probabili quadam ratione nituntur, respectu ejus habito, cui conceduntur; sed usui recepto in Ecclesia Gallicana repugnant, quo certæ quædam regulæ e canonibus & decretis Pontificum petitæ, ita firmatæ sunt, ut juxta legum illarum naturalem conditionem perpetuæ apud nos esse debeant. Hoc casu dispensatio carebit justa causa, quod attinet ad statum publicum Ecclesiæ Gallicanæ, atque ideo nulla erit; præcipue, cum dispensandi ratio in his negotiorum articulis recepta non fuerit consuetudine aliqua. Ut enim lex ecclesiastica debet usu recipi, ita & dispensatio illius legis debet usu probari. Hoc jure utimur in Gallia, non solum si rescriptis illis pacta conventa cum sede apostolica, quæ Concordata vocamus, lædantur, sed etiam, si alia quædam capita, quæ moribus recepta sunt, aliquo pacto violentur; ne bene constitutis rebus novitates illæ perturbationem afferant. Exempli causa, si patronorum laicorum jura evertantur, vel si conditionibus fundationum derogetur. Ex hac regula profectum est, ut majores nostri eas dispensationes non admiserint, quæ Religiosis mendicantibus a curia Romana indulgebantur ad possidenda beneficia. Cum enim paupertatis extremæ voto se obstrinxissent, alienum visum fuit, ab eorum proposito redituum legendorum desiderium. Quare regulæ mendicantium conservandæ intenti Reges nostri, & clericorum secularium commodis prospicientes, prohibuerunt edicto, ne qua ejusmodi dispensationum, *tanquam ipso jure nullarum*, ratio haberetur. Extat Caroli VII. constitutio anno MCCCCXLIII. lata, qua præcipitur judicibus, *ne hanc novam perniciem, seu potius superstitionem, in clero, populo & regno fieri vel attentari permittant*, & mendicantes a beneficiorum possessione sine mora expellant; exactis ab Episcopis & a ceteris quibuscunque gravissimis pœnis, si contra hanc interdictionem nitantur. Hinc fit, ut necessaria sit hodie Religiosis mendicantibus venia hujus legis a Rege concedenda, si ex dispensatione summi Pontificis beneficia possidere illis indulgeatur.

Rebuffus tract. de pacific. §. 258. *Et hoc nisi mediante permissione vel dispensatione Regis.*

V. Summa vero regula, quæ in dispensationibus adhiberi debet, hæc est, ut charitas non lædatur, quemadmodum docet Ivo Carnotensis: *Si quis, quod legerit de sanctionibus sive de dispensationibus ecclesiasticis ad charitatem, quæ est plenitudo legis, referat, non errabit, non peccabit; & quando aliqua probabili ratione a summo rigore declinabit, charitas excusabit. Si tamen nihil contra evangelium, nihil contra Apostolos usurpaverit*. Hanc regulam hausit ex Augustino epistola ad Bonifacium, cujus verba retulit Gratianus. Augustinum etiam secuti sunt Hildebertus & Bernardus. Charitatem autem lædi, quis non videt, quando invito Principe & Ecclesia Gallicana, absque necessitate vel utilitate publica Ecclesiæ, legibus vel moribus receptis derogatur? Concordiæ & pacis ecclesiasticæ causa introducta est tota dispensationum ratio, ut monui. Quare in contrariam partem torqueri non debet, ut offensiones in Ecclesiam inducat. Porro autem, ut inquit Maximus Abbas adversus intempestivas dispensationes disserens, bellum sapit & dissidium, non concordiam & pacem dispensatoriam, cum sanctorum patrum decretis repugnatur.

Ivo in præfat. Decreti.

C. *Ipsa pietas*, 23. q. 4. Hildebertus Cenoman. ep. 83. Bern. de dispens. c. 4.

Maximus Abbas relatus in breviario VIII synodi: μὴ γὰρ δὴ τοῦτο καλείτωσάν τινες οἰκονομικὴν εἰρήνην, ἀλλὰ μᾶλλον κατατομήν. Ἐγὼ τότε φημὶ κεχρῆσθαι τὸ τῆς εἰρήνης ὄνομά τε καὶ πρᾶγμα, ὅταν μὴ τῶν ἁγίων πατέρων γνώμαις ἀντιταττώμεθα, μηδὲ τοῖς ἐκείνων ὅροις ἀντιπράττωμεν.

VI. Enimvero, quotidianæ cum sint hujusmodi disceptationes ob rescripta sedis apostolicæ, quæ ad levandas petentium necessitates benigne concedi solent, paulo accuratius in hanc materiam incumbendum est. Non eo tamen proposito hæc indaganda sunt, ut metas ponamus pontificiæ auctoritati, ultra quas illi excurrere non liceat; quia sacrilegii instar est de Principum potestate disputare, ut ait Imperator Anastasius. Quod præcipue locum habet, quando de summo Pontifice agitur, in cujus privilegiis enumerandis Gallicani Episcopi olim sibi hærere aquam non dissimulabant. In eam sententiam eleganter & acute Fulbertus Carnotensis Episcopus in epistola ad Arnulfum Turonensem Archipræsulem: *Continentur enim quædam reverenda nobis in privilegiis Romanæ Ecclesiæ, quæ propter negligentiam nostram non facile inveniuntur in armariis nostris*. Modestis verbis sensum suum explicuit, consilium Auxiliaris Præfecti secutus, qui Hilarium Arelatensem Episcopum a dignitate metropolitana dejectum judicio Leonis I. hortatur, ut ad demulcendum placandumque Pontificem se paulullum demittat; *aures Romanorum quadam teneritudine plus trahuntur*, ut retulit antiquus scriptor vitæ Hilarii.

Fulbertus ep. 47.

VII. Nos quoque debita honoris præfatione usi, hanc materiam attingemus, ut sciamus, quid in effusa illa juris dicendi & condendi auctoritate subditis, qui læduntur, Pontifices ipsi permittant. Ac sane, quæ de dispensationibus hucusque disputata sunt, viam aperiunt iis, quæ dicenda restant. Solenne est in rescriptis Pontificum, non solum dispensationum, sed etiam derogationum verba usurpari; quorum similis est effectus. Ideo, quæ de una specie dicuntur, ad aliam trahi posse, non est dubium. Id autem unum maxime cavere solent summi Pontifices, ne rescriptis suis scandali occasionem præbeant. *Scandali* voce utor, quia frequentissima est in hujusmodi disceptationibus. Petita vero est ex evangelio & e septuaginta interpretatione. Sumitur autem proprie pro offendiculo pedum; in quod si quis ambulando impingat, facile labatur. Inde translata est significatio ad actiones hominum, quæ spiritualis ruinæ occasionem præbere possunt: quæ, si ex se malæ sint, proprie scandali nomine designabuntur, quod datum vel activum vocant. Sin autem meram virtutem spirent, & necessariæ sint ad hominum salutem, atque inde aliqui offendantur, hoc erit scandalum Judæorum & Pharisæorum, qui doctrina & operibus Christi Domini lædebantur, quod scandalum acceptum & passivum dicitur. Inter ista duo extrema est aliud scandali genus, quo delicata ingenia offenduntur, etsi revera in actione proposita, aut in consilio agentis nihil sit, quod argui possit,

possit, imo vero res in se sit laudabilis, quamvis non sit ad salutem necessaria. Hoc scandalum infirmorum vel pusillorum dicitur a magistris. In quo hanc regulam præscripsit Paulus Apostolus, ut ab ea actione, quæ ruinæ occasionem præbet, abstinendum sit; quemadmodum ipse carnis esum & vini potum sibi repudiandum duxit, si quis inde fratrum læderetur, sive scandalizaretur. Huc referri potest Petri Apostolorum principis factum: qui, licet sanam doctrinam sectaretur, cum Judæos & gentiles in fide Christi erudiret, eo tamen modo se gessit, ut, etsi prudentia ejus consilium non destitueretur, in eas angustias inciderit, quæ imbecilles in fidei periculum adducerent. Qua de re palam illum Paulus dispensatione usus objurgavit, ut vulneri crudo, quod incaute a Petro impactum erat, mederetur. Cessavit ergo Petrus, monente altero Apostolo, ab ea dissimulatione & dispensatione, ut scandalum a neophytis amoliretur. Utriusque Apostoli factum dispensationem cum Hieronymo & Chrysostomo vocavi. *Cum itaque vidisset*, inquit Hieronymus, *Apostolus Paulus, periclitari gratiam Christi, nova bellator vetus usus est arte pugnandi, ut dispensationem Petri, qua Judæos salvari cupiebat, nova ipse contradictionis dispensatione corrigeret, & resisteret ei in facie.* Chrysostomus aperte in commentario capitis II. epistolæ ad Galatas ait, verba Pauli ad Petrum non fuisse diffidii aut contentionis, sed prudentis cujusdam dispensationis. Quam sententiam persuadere videtur agendi ratio, quam in simili facti specie amplexus est Paulus Apostolus: qui, ne Judæos a se alienaret, quin potius Christo conciliaret, Timotheum circumcidit, caput suum rasit Hierosolymis, & alia quædam a lege indicta peregit. Itaque non ex animo Judaicis ritibus se Paulus accommodabat, sed secundum dispensationis remissionem, ut notavit Chrysostomus. Non me latet, Augustino non probari eam respondendi rationem, quam Hieronymus ab Origene & aliis veteribus hausit. Sed erratum, si quod fuit in Petro, ob scandalum, quod exinde illo invito emersit, causam nostram juvat, qui ratione scandali ab actione abstinendum esse censemus.

Rom. 14.

Hieronym. in ep. ad August.

Chrys. in com. ad c. II. ep. ad Gal. οὐ μάχης ἦν τὰ ῥήματα, ἀλλ' οἰκονομίας.

Chrys. ἐκεῖνος τοίνυν συγκαταβῆναι αὐτοῖς βουλόμενος ἰουδαΐζειν, οὐχὶ τῆς γνώμης, ἀλλὰ τῆς οἰκονομίας τὸ γινόμενον ἦν. August. ep. ad Hieronym.

VIII. Quod Apostolorum principi accidit, ejus quoque successoribus in cathedra Romana contigit aliquando, ut ex rescriptis datis, quæ a regulis aliena non videbantur, eæ Regum, populorum, aut Episcoporum offensiones sequerentur, quæ in scandali nomen transirent. Quod enim fit contra canones, scandalum dicitur a Leone I. in epistola ad Anatolium: *Sed cum in injuriam canonum illa tentata sunt, quæ omnibus Ecclesiis scandalum maximum generarent.* Attamen in his angustiis statim aut Romanus Pontifex aut Episcopi provinciales in crimen adduci non debent, cum utrique vel moribus vel canonibus receptis plerumque se tueri possint, valde probabili ratione, in his difficultatibus Romani Pontifices præcipiunt, ut a rescriptorum executione supersedeant Episcopi, ad quos directa sunt. *Si mandatum nostrum* (inquit Alexander III.) *pro alicujus provisione receperis, qui aliud beneficium habeat, de quo valeat commode sustentari, nisi forte in literis ipsis de hoc mentio habeatur, aut, si non potest ei sine scandalo provideri, æquanimiter sustinemus, si pro eo mandatum nostrum non duxeris exequendum.* Monuimus autem superioribus capitibus, scandala & offensiones in rempublicam Christianam invehi, quando status ecclesiasticus aliqua novitate percellitur & consuetudines receptæ convelluntur. Quod aperte quoque probatur ex decretali Innocentii III. qui filium Græci sacerdotis ex legitima uxore susceptum in Episcopum consecrari jubet, *nisi*, inquit, *pro eo quod inter Latinos Græci hujusmodi conversantur, regionis consuetudo repugnet.* Ubi Joannes Andreæ recte adnotavit, hanc exceptionem additam ob vitandum scandalum & offensionem, quæ inde contingere posset, si quid alienum a consuetudine recepta inter Latinos induceretur. Itaque controversiæ similes ex hac regula dirimendæ sunt, ut a rebus novis, quæ subjectorum animos offendunt, temperetur, donec, si forte, quod ab initio novum erat, accedente publico consensu, inter exempla quoque referatur. Interim tamen, quamdiu ex ea novitate offensiones sequuntur, desistendum omnino esse a rescriptorum executione, docuit Alexander. Quod intelligendum est, etiamsi justa præcipiantur, & addita fuerit clausula, *non obstante scandalo.* Nec enim scandalum cadere potest in præcepti rationem, cum sit contra charitatem, quæ finis est debitus præcepti secundum Apostolum, quemadmodum egregie observavit Covarruvias; præsertim, cum hæc sit præcipua cura Romanæ sedis, ut a populis scandala amoveat, sicut variis in locis Pontifices profitentur. Ut enim graviter monuit Julius in epistola ad orientales Episcopos, relata apud Athanasium, *in rebus ecclesiasticis non specimen eloquentiæ, sed canones apostolici requiruntur, operaque dari solet, ne quis ex parvis in Ecclesia scandalizetur. Expedit enim, secundum evangelicum verbum, molam asinariam suspendi a collo, atque ita demergi, quam unum ex pusillis scandalizare.* Quod ea conditione temperant e Beda, ut vitetur proximorum scandalum, (2) in quantum id fieri potest sine peccato. Porro Episcopi, qui ab executione rescripti cessant ratione scandali emergentis literis suis summo Pontifici causam referre debent cur jussa non impleverint; (3) ut colligitur ex Alexandro tertio. In quo dispar est ratio surreptionis, qua jus tertii læditur, & scandali, quod e novitate præcepti proficiscitur: quia de vitio surreptionis pronuntiare (4) potest judex delegatus; sed ob metum scandali supersedet executioni, & rescribit.

C. *Cum teneamur.* de præbend.

C. *Cum olim.* de cleric. conjug.

1. Tim. 2.

Covarruvias in regula, *Peccatum.* 1. part. relect. §. 5. Gregor. in prooem. Decretal. Bonif. in præf. & c. 1. de offic. legat. in 1. Ep. Jul. apud Athanas. Apol. 2.

(2) Beda in c. 9. Marci. c. *Qui scandalizaverit.* de reg. juris. c. 2. de novi operis nunciat.

(3) C. *Si quando.* de rescriptis.

(4) C. *Super literis.* de rescriptis.

IX. Regula proposita de rescriptis non exequendis, ut vitetur scandalum, sola sufficeret in disceptationibus, quæ apud nos frequentantur in foro. Sed, quia theologis & nostris interpretibus placuit aliam quoque difficultatem attingere, scilicet, quid agendum sit, si rescripta ita canones & disciplinam violent, ut in apertum reipublicæ Christianæ detrimentum cedant, referendam duxi eorum sententiam: quæ adeo apud illos certa est, ut in eam ex æquo consentiant utriusque opinionis vindices, tum, qui pro Pontifice stant in controversia de Conciliorum auctoritate, tum illi, qui Concilium Pontifici præferunt. Asserunt omnes, eo casu reverenter agendum cum Romana sede, ita tamen, ut executio rescriptorum suspendatur. *Non, quod aliquis possit esse judex Papæ, aut auctoritatem habeat in illum, sed per modum defensionis*, inquit Cajetanus. *Cuilibet enim est jus ad resistendum injuriæ, & impediendum, defendendumque.* Eadem est sententia Innocentii IV. & Hostiensis, (2) non esse parendum rescriptis Papæ, quibus status Ecclesiæ perturbaretur aut *insigniter decoloraretur.* Panormitanus (3) ait, eo casu Imperatorem teneri ad subsidium Ecclesiæ. Unde Victoria (4) & Cordubensis hauserunt, in his difficultatibus posse subditos auxilia Principum implorare, ut eorum auctoritate executio impediatur. Quæ omnia sic interpretanda sunt, ut inde argui non possit defectus auctoritatis in summo Pontifice, sed defectus *intentionis*, ut loquuntur nostri. Nec enim existimandum est, ab illa sede, quæ paternarum regularum & juris & æqui custodiam ab aliis exigere solet, alienas a commodis Ecclesiæ institutiones consulto proficisci. Etsi enim legibus ceteris non teneretur, a rectæ rationis legibus solvi non potest. Quare ita se gerere solet & debet, ut prætermittat *clavem discretionis ante clavem potestatis*, quemadmodum loquitur Innocentius quartus. Unde fluxit vulgatum illud, usurpatum a Panormitano & a ceteris interpretibus, omnia in arbitrio Pontificis esse posita, *clave non errante.* Eo sensu accipiendæ sunt Leonis IV. comminationes anathematis in eos, qui mandata Romanorum Ponti-

Cajetan. in tract. de auct. Papæ cap. 27. Paludanus tract. de potest. Papæ. Turrecremata l. 3. de Ecclesia cap. 106. d. 40. c. *Si Papa.* & dist. 23. c. *In nomine Domini.* & 70. c. *Si transitus.* Jacobatius l. 8. art. 3. in 6. remedio, & art. 12.

(2) Innoc. & Host. in cap. *Quant.* de consuet. Sylvester in summa, verbo *Papa.* §. 15.

(3) Panorm. in c. *Sicut.* de jurejur.

(4) Victoria de potest. Papæ & Conc. prop. 7. & Cordubensis de potest. Papæ q. 8.

Innoc. in cap. *Quanto.* de jurejur.

Panorm. in c. *Venerabilem.* de elect.

Pontificum violaverint, quæ scilicet ab iis *salubriter* fuerint promulgata. Hæc sunt ejus verba, relata ab Ivone e Concilio Leonis Papæ IV. Episcoporum LXXII. *Si quis dogmata, mandata, sanctiones, interdicta, vel decreta pro catholica fide, pro ecclesiastica disciplina, pro correctione fidelium, pro emendatione sceleratorum, vel interdictione imminentium vel futurorum malorum, a sedis apostolicæ præsule salubriter promulgata contempserit, anathema sit.* Eadem est sententia Gregorii VII. *Qui apostolicæ sedis saluberrimo præcepto obedire noluerit, idololatriæ peccatum incurrit, teste Samuele, & beato Gregorio adstruente.* Unde patet manifeste, quod supra monui, alienum esse a proposito sedis apostolicæ, ut injustis decretis & fortasse perniciosis pareatur, cum in iis tantum, quæ salubria sunt & commoda, obedientiam exigat.

Ivo 5. parte Decreti c. 35. & 36.

Ivo d. loco.

X. Paucis attigi recentiorum opiniones, ut unicuique constaret, hoc quoque esse summorum Pontificum consilium, ut iniquis rescriptis consensus non accommodetur, cum hæc sententia, a tot auctoribus exposita, nunquam ulla sedis apostolicæ censura perstricta fuerit. Sed, si quis a me expectet, ut, quis fuerit in hac quæstione veterum sensus, promam, nihil illustrius afferre possum eximio Facundi Hermianensis loco, qui summam quoque Romanorum Pontificum auctoritatem commendat. Agit de Vigilio Papa, quem impugnatores trium capitulorum se consuluisse dicebant. *Ille*, inquit Facundus, *non in destructionem paternæ sententiæ* (id est, Papæ Leonis, & synodi Chalcedonensis) *sed potius in defensionem atque ultionem, primam accepit & maximam potestatem; nec aliquid contra veritatem, sed pro veritate plus ceteris consacerdotibus potest. Paulus enim dicit Apostolus: Non enim possumus aliquid adversus veritatem, sed pro veritate.* Quæ verba licet negotia fidei præcipue respiciant, attamen ad disciplinæ justum ordinem, qui pessumdari non debet, recte quoque trahi possunt.

Facundus Herm. l. 2. pro defensione trium capitulorum, c. 6.

2. Cor. 13.

XI. Ceterum observandum est, dispensationem ad jus divinum aut naturale non porrigi, ut ex Ivone docuimus, & fatentur omnes theologi & saniores juris canonici interpretes: quia Pontifici non licet, jure suo aliquem ab obligatione juris divini & naturalis eximere, licet jura illa interpretari possit. Quare merito Almainus glossarum auctores & plerosque juris canonici interpretes arguit, quod asserant, ex causa Pontifici liberum esse, ut circa jus illud dispenset, quod dicendi genus repudiari debet, nisi ad interpretationem & declarationem juris illius referatur. Qua de re graviter scripserunt Covarruvias & Rebuffus noster variis in locis.

Covarruvias in Epitome l. 4. Decret. part. 2. c. 6. §. 9. Rebuf. in praxi c. de dispen. ad plura benef. & alibi.

CAPUT XVI.

De privilegiis & speciatim de jure Pontificis eximendi Monasteria.

SYNOPSIS.

I. De privilegiis agitur, quibus derogatur juri canonico, eximendo Capitula & monasteria ab Episcoporum jurisdictione. Monachi olim sub Episcopis.

II. Monasteria liberata olim ab Episcoporum potestate decretis synodorum & consensu regio. De hoc consensu hic agendum, qui adhibitus est in exemptione monasteriorum sancti Dionysii & Corbeiæ.

III. Decretorum regiorum usus docetur e Marculfo: quo & exemptio ab Episcopis indulta confirmatur & immunitates quædam jure regio conceduntur. Id etiam probatur e Flodoardo, & synodo Suessionica. Effectus illius decreti ostenditur e Carolo Calvo.

IV. Accessit auctoritas summorum Pontificum, temporibus Gregorii Magni, cum regio consensu; quamvis plena exemptio a jurisdictione Episcopi tributa non sit. Adeodatus exemptionem indulsit monasterio Turonensi. Meminit regii edicti contra laicos. Regum tamen decreta ad confirmationem exemptionum pertinebant, e Pipino & e Nicolao, qui precibus Regis & Episcoporum libertatem monasterii S. Carilefi firmavit.

V. Idem observatum a proceribus Galliarum, qui ex consensu Episcoporum decreto suo monasteria a se condita eximebant & subjiciebant Romanæ Ecclesiæ. Ivo requirit in istis privilegiis Episcopi consensum, apostolicam auctoritatem, & Regis pragmaticam sanctionem.

VI. Hinc profectum, ut tandem a sede apostolica monasteria exempta fuerint ob immodestiam Episcoporum, illis invitis; ut docent Gregorius VII. & Alexander secundus. Tandem ex mero Pontificum arbitrio concessæ sunt exemptiones. Quod displicuit Bernardo & ceteris ejus ævi.

VII. Crevit exemptorum numerus, simulque creverunt Episcoporum querelæ, ut patet e Durando.

VIII. Regi competere, ut incommodis exemptionum prospici curet. Novos religiosorum ordines, nec novas Ecclesias, aut monasteria construi posse sine Regis consensu.

I. Solet juri canonico derogari, non solum per dispensationes, sed etiam per varia privilegia, quæ a Pontificibus indulgentur. Ea, cum varii generis sint, scilicet ad tempus, vel perpetua, & personalia, vel realia, hic tantum de iis breviter aliquid dicam, quæ corporibus perpetuo indulta sunt, verbi gratia, exemptiones monachorum & Capitulorum ab Episcoporum jurisdictione. Quæ privilegia dispensationum nomine explicant Goffridus Vindocinensis & Bernardus. Certum est, monachos æque ac clericos Episcopis subjici debere, ut definivit Concilium Chalcedonense canone quarto. Quod multis deinde canonibus confirmatum est, & in Gallia constitutum canonibus Concilii Agathensis & canone XIX. Concilii Aurelianensis habiti anno quingentesimo undecimo: *Abbates pro humilitate religionis in Episcoporum potestate consistant; & si quid extra regulam fecerint, ab Episcopis corrigantur.* Quibus adhæsit Ecclesia Hispanica, quæ de monachis observandum statuit, *quod synodus Agathensis vel Aurelianensis noscitur decrevisse.*

Goffridus & Bernardus in locis laudatis cap. superiori.

Concil. Chalcedon. can. 4. τοὺς δὲ κατὰ ἑκάστην πόλιν καὶ χώραν μονάζοντας ὑποτάσσεσθαι τῷ ἐπισκόπῳ.

Syn. Agath. c. 27. & 38. Concil. Aurel. cap. 19. Concil. Ilerd. cap. 3.

II. Sed paulatim ab eo jure recessum est, cum studio fovendæ quietis monasticæ ab Episcoporum potestate monasteria liberari & eximi cœperunt. Quod tamen in Gallia tentatum non fuit absque synodorum decretis, & Regum nostrorum consensu: qui duo præstabant rescriptis suis, & exemptionis ecclesiasticæ confirmationem, & in rebus temporalibus quamplurimas immunitates. Nolo diutius immorari in hoc negotio, quod virorum eruditorum industria illustratum est, & nostram quoque operam expectat in secundo tomo. Id tantum hic observasse sufficiet, invitis Principibus tot libertates monasteriis contra jus commune non fuisse concessas, imo vero eorum consensum & decretum interpositum fuisse. Quod abunde testatum reddit Clodovei II. Regis privilegium monasterio sancti Dionysii collatum anno DCLIX. quo immunitatem a Landerico Episcopo Parisiensi & ab aliis Episcopis se petente datam rescripto suo confirmat, ita, ut nullus Episcopus *aliquam potestatem sibi in ipso monasterio usurpare præsumat.* De bonis etiam huic monasterio collatis & eorum immunitate eodem rescripto cavet, adeo, ut monasterio & in rebus spiritualibus consensu suo & in temporalibus pleno jure regio prospexerit. Hanc exemptionem ad omnia, quæ Abbates sancti Dionysii in Gallia construerent, monasteria Stephanus II. extendit, illaque apostolicæ sedi immediate subjecit anno septingentesimo quinquagesimo septimo. Bertefridus Ambianensis Episcopus de consensu Coepiscoporum suorum privilegium libertatis monaste-

Extat præceptum Clodovæi tom. 1. Concil. Galliæ pag. 498.

Extant diplomata tom. 2. Concil. Gall. pag. 38.

monasterio Corbeiæ a Clothario Rege condito concessit anno sexcentesimo sexagesimo quarto. Quod privilegium non solum Regis consensu, sed precibus quoque nitebatur: *Dum tanti gloriosissimi Principis petitio intercessit*, inquit ille. Quin etiam regio decreto confirmatum esse constat ex literis Theodorici Regis, qui electionem Erchemberti Abbatis probat *secundum sanctum privilegium, quod ex regali munificentia & sacerdotum concessione indultum est de semetipsis eligere rectorem*.

III. Unde apud Marculfum extant privilegiorum solennes formulæ, quarum usus erat, cum Episcopus & Princeps immunitates illas concederent. Ac in prima quidem, quæ concepta est sub nomine Episcopi, decretum regium cum episcopali conjungitur, ut recte constitutas fuisse immunitates monasteriorum doceatur: *Dum ab antiquitus juxta constitutionem Pontificum per regalem sanctionem innumerabilia per omne regnum Francorum sub libertatis privilegium videntur consistere monasteria.*

Marculf. form. 1. Vide Notas V. C. & eruditissimi D. Bignonii.

Secunda formula apud Marculfum continet privilegii episcopalis confirmationem; quæ ideo a Rege decernitur, ut securius tranquillitas monasteriorum procuretur adversus futuros Episcopos, qui decessorum suorum privilegia convellere tentarent. In ea formula omnia jura, quæ diœcesanus Episcopus remisit, & recensentur & decreto regio muniuntur. Ad ultimum huic formulæ adjiciuntur quædam capita ejus immunitatis, qua Princeps de juribus suis quamplurima remittit. In quam sententiam concepta est tertia formula, quæ de juribus temporalibus remissis tantummodo tractat. Privilegium ab Episcopis Oriniacensi monasterio concessum regio decreto confirmatum fuisse, docet Hincmarus apud Flodoardum. Hunc morem usurpatum fuisse in privilegio monasterii Floriacensis, egregie docet synodus generalis totius Galliæ, collecta apud Saponarias anno DCCCLIX. quæ humi prostrata *ante Carolum Regem & Rodulphum Bituricensem Archiepiscopum obsecravit, ut privilegium monasterii sancti Benedicti, quod annuente præfato Rege firmaverat, quodque idem Rodulphus subscripserat, qui præfatam abbatiam irregulariter retinebat, ratum & inconvulsum servare studerent.* Privilegium monasterii Floriacensis a synodo Gallicana concessum quidem fuerat, sed de consensu Regis. Illustrissimum quoque hujus moris exemplum extat in privilegio, quod synodus Suessionica monasterio Solemniacensi irrogavit anno octingentesimo sexagesimo sexto. Referunt patres Bernardum monasterii illius Abbatem, Normannis agrum Lemovicinum devastantibus, domus suæ instrumenta incendio absumpta docuisse, ideoque *regiam clementiam & synodalem adiisse pietatem pro privilegiis ipsi monasterio impetrandis, quibus sub tuitione regia atque apostolica & synodali defensione perpetuo muniretur.* Mox addunt. *Cujus piis petitionibus simul cum regia sublimi clementia annuentes hoc præsens privilegium adjecta regiæ præsidentiæ auctoritate decrevimus roborandum.* Quantum vero momenti haberet immunitas a Principe collata, docet Carolus Calvus Rex: qui cum Magniloci monasterium in diœcesi Arvernica situm, Episcopo Arvernensi concessisset, inspectis immunitatis a se & a patre Ludovico datæ instrumentis, eidem Episcopo monasterium ademit.

Vide Notas Baluzii ad ep. 12. Lupi Ferrariensis.

Flodoard. l. 3. cap. 27.

Privilegium Suessionicæ synodi tom. 3. Conc. Gall.

Tom. 2. libert. Eccles. Gall. 38. §. 7.

IV. Accessit his decretis auctoritas summorum Pontificum, quæ has immunitates apostolicæ sedis præsidio communivit. Initium harum confirmationum ad Gregorium Magnum vulgo refertur, quod aliqua ex parte verum est. Etenim trium monasteriorum in urbe Augustodunensi privilegia ab eo concessa leguntur anno sexcentesimo secundo, sed quæ bonis oblatis consulant tantum, ut ea monasteriis intemerata serventur, non autem eximant Abbates a diœcesana lege & jurisdictione Episcopi; quamvis nonnisi adhibitis sex aliis Episcopis de criminali causa adversus Abbates judicium ferre possit. Ceterum ea privilegia ad petitionem Brunichildæ Reginæ & Theodorici Regis indulta sunt, ut vel hinc pateat, regio consensu indiguisse illis temporibus in Gallia omnia, quæ paulo aliena a regulis esse videbantur. Facultatum liberam administrationem, Abbatis electionem, & alia quædam diversis monasteriis indulsit, quæ quieti monachorum prospicerent; sed ab Episcoporum jurisdictione Abbates non exemit. Nam quod monasterio sancti Medardi a B. Gregorio collatum dicitur esse privilegium, supposititium esse, omnibus jam fere constat. Quare prima fortasse exemptio ab Episcopi jurisdictione, quæ a Romanis Pontificibus indulta est, tribuenda erit Adeodato Papæ: qui rogatus ab Ægyrico Abbate sancti Martini Turonensis, illi privilegium immunitatis, causa cognita, concessit. Sed præfatus est, hoc alienum esse a more Romanæ Ecclesiæ, ut monasteria ab Episcopi jurisdictione eximantur. *Parumper autem ambigimus*, inquit, *idcirco quod mos atque traditio sanctæ nostræ Ecclesiæ plus non suppetat a regimine episcopalis providentiæ religiosa loca secernere.* Quare nonnisi inspecto privilegio, quod Crotbertus Turonensis Episcopus irrogaverat, & Gallicani Episcopi subscriptionibus suis firmaverant, auctoritatem apostolicæ sedis interposuit. Itaque non ab invitis Episcopis Abbatem exemit, sed consentientium vota decreto suo confirmavit. Meminit quoque regiorum rescriptorum; sed illorum necessitatem ad repellendos laicos restrinxit: *Erga quod & præcellentissimi totius Galliæ Reges, ut scripto comperimus: ad reprimendas laicorum infestationes edicto præmunire idem venerabile monasterium regali pietate dignati sunt.* Attamen vis privilegii regii ad immunitates ecclesiasticas confirmandas extendebatur, ut supra monui. Quod testatur Pipini Regis ad Bonifacium apostolicæ sedis Legatum epistola. Construxerat Bonifacius Fuldense monasterium in loco sibi a Carolomanno Pipini fratre concesso. Tum a Rege illa petit, quæ his verbis Pipinus expressit. *Ut sicut ex auctoritate B. Petri principis Apostolorum, pro quo legatione fungeris, privilegio sedis apostolicæ sublimatum esse constat, ita etiam nostræ auctoritatis præcepto roboretur, placuit nobis, tuæ petitioni assensum præbere. Et ideo hanc nostræ præceptionis seriem ob honorem Dei & venerationem S. Petri conscribi jussimus, per quam privilegium sedis apostolicæ a B. Zacharia tibi collatum cum consensu Episcoporum cunctorumque fidelium nostrorum per omnia roboramus, præcipientes, ut nullus sacerdotum in regno nostro divinitus nobis concesso, in præfato monasterio jurisdictionem aliquam sibi vendicet præter apostolicam sedem &c.* Idem demonstratur ex epistola Nicolai I. qua privilegium monasterii sancti Karilefi in pago Cenomanico siti confirmat. Testatur enim, chartas quasdam ab Episcopis Cenomanicis prolatas, quibus monasterium suæ civitati subditum esse demonstrare volebant, falsas esse, *quandoquidem privilegia Regum, quæ ex antiquorum Regum Francorum temporibus olim monasterio illi concessa sunt, hoc destruant, sicut & ipsa testantur, quæ in archiviis monasterii ob testimonium sibi concessæ libertatis hodieque servantur.* Itaque rogatum se ait a Carolo Rege, ut *libertatem illi monasterio & ab Episcopis & a Regibus Francorum concessam, sua firmaret auctoritate, & futuris mansuram temporibus roboraret.*

Gregor. l. X. Reg. ep. 10. 11.

Vide Gregorium l. 4. epist. 43. l. 7. ep. 18. l. 10. ep. 22. & alibi.

Privilegium Adeodati t. 1. Concil. Gall.

Bonif. ep. 151.

Privilegium monasterii S. Karilefi tom. 1. Concil. Gall. pag. 224.

Vide collectionem veter. scriptor. R. P. Edmundi Martenne par. 1. pag. 215. & par. 2. pag. 1.

V. Eundem ordinem sequebantur proceres Galliarum, cum monasteriis a se conditis libertatem quærere volebant. Consensui enim Episcoporum decretum suum addebant & sedis apostolicæ auctoritatem. Eo modo se gessit Willelmus Sancius Vasconiæ Comes, cum sancti Severi monasterium in pago Adurensi Auscitanæ provinciæ in Novempopulania situm excitaret anno nongentesimo octuagesimo secundo. Collatis enim quamplurimis reditibus, postquam Abbatis & monachorum exhibitioni prospexisset, cœnobium liberum esse jussit non solum a tributis & omnibus fisci juribus, sed etiam

Charta fundationis edita est lib. 3. histor. Bencarni c. 8.

etiam ab Episcoporum administratione & jurisdictione, Ecclesiæque Romanæ subdidit. *Nec in præfato loco quisquam Episcopus*, inquit, *cathedram audeat collocare, vel quamlibet licentiam habeat imperandi, nec aliquam ordinationem quamvis levissimam faciendi, nisi cum permissu & voluntate Abbatis ipsi sacro loco præsidentis; sed sint omnibus modis liberi, & absque ulla alia calumnia & inquietudine securi*. Quæ omnia decrevit *cum confirmatione Archiepiscopi Ausciensis* & Burdegalensis, Episcoporum Agennensis, Vasconensis, Vasatensis, Bigorrensis, & Lactoratensis, & apostolicæ sedis auctoritate muniri fecit. Supererant adhuc priscæ consuetudinis reliquiæ anno ML. cum Goffridus Andegavorum Comes monasterium Vindocinense a se fundatum *auctoritate & assertione Domini sui Regis Francorum Henrici, Theodori etiam Carnotensis Episcopi consilio, beatò principi Apostolorum Petro obtulit in allodium & patrimonium*. Quare Ivo Carnotensis, peritissimus canonicæ disciplinæ, privilegia S. Quintini eo nomine commendat, quod ab Episcopis Belvacensibus indulta fuissent, & quod ea *apostolica manus roboravit, regia quoque majestas pragmatica sanctione firmavit*. Possent, si necessum foret, tabulæ antiquæ monasteriorum proferri, quæ a Regibus Italiæ, Germaniæ, Angliæ, Navarræ, Castellæ, Legionis & Arragonum condita sunt, & privilegiis episcopalibus, tum regiis, deinde vero etiam apostolicæ sedis decretis firmata.

In Notis ad ep. 2. l. 1. Goffrid. Vindoc.

Ivo Carnot. ep. 193.

VI. Ex hoc usu profectum, ut, si qui Episcopi immodestius se gessissent erga Abbates & monachos, libertas illis a summis Pontificibus indulgeretur, invitis licet & renitentibus Episcopis. Exemptionum probabilem causam hinc sumpsit Gregorius VII. in epistola ad Taurinensem Episcopum. *An ignoras*, inquit, *quod sancti patres plerumque & religiosa monasteria de subjectione Episcoporum, & episcopatus de parochia metropolitanæ sedi propter infestationem præsidentium diviserunt, & perpetuo libertate donantes, apostolicæ sedi velut principalia capiti suo membra adhærere sanxerunt?* Eo prætextu utebatur Alexander II. cum Gervasio Remensi, qui privilegia monasterio Corbejensi concessa ab ecclesiastico canone aliena esse existimabat, cum in hunc modum rescripsit, *alias esse leges Ecclesiarum, quæ sunt generales, & alias esse eas, quæ specialiter in privilegiis quibusdam prærogantur Ecclesiis ad immunitatem, ne quorumlibet importunitate patiantur inquietudines*. Sed tandem exemptiones istæ sola Pontificum liberalitate & gratioso beneficio, Regibus conniventibus, concessæ sunt. Quod ægre tulerunt omnibus seculis Episcopi, qui dolorem suum sæpissime litibus implicatissimis & scriptionum querelis ulti sunt. Imo & Bernardus Abbas de hac imminutione auctoritatis episcopalis graviter conquestus est in libris de consideratione ad Eugenium Papam: *Murmur loquar & querimoniam Ecclesiarum. Truncari se clamitant ac demembrari. Vel nullæ, vel paucæ sunt, quæ plagam istam aut non doleant, aut non timeant. Quæris quam? Subtrahuntur Abbates Episcopis, Episcopi Archiepiscopis &c. Sic factitando probatis, vos habere plenitudinem potestatis, sed justitiæ forte non ita. Facitis hoc, quia potestis; sed utrum & debeatis, quæstio est*. Multis deinde prosequitur inversum ordinem & confusam Ecclesiæ hierarchiam; adeo, ut monstro similes esse dicat ecclesiasticorum graduum status, cum inferiores dignitates a superioribus divisæ capiti conjunguntur, ac si digitus supra manum constitutus capiti ἀμέσως connectatur. Invehitur alibi in monachos, qui Episcoporum imperium detrectarent, & superbiam suam honesto libertatis nomine tegerent, monasteriorum reditus devastantes, ut pecuniæ redemptione a jurisdictione diœcesana emanciparentur. Joannes Sarisberiensis & Petrus Blesensis hunc disciplinæ eversæ morbum suo seculo deplorarunt. Quæ privilegia deinde ad Ecclesiarum Capitula porrecta sunt, eo prætextu, quod & monasticam vitam clericatui adjecissent, quodque ab Episcopis suis iniqua dominatione premerentur.

Gregor. VII. lib. 2. ep. 33. 69. & lib. 6. ep. 6.

Alex. II. ep. 19.

Bernard. lib. 3. de consider.

Bern. ep. 179. 180. & 42.

Joan. Sarisber. Policrat. lib. 7. cap. 21. Petrus Blesensis ep. 68.

VII. Sed quanto incremento auctæ sint exemptiones a quadringentis annis, illi soli constabit, qui diligenter & numerum religiosarum domuum ab eo tempore excitatarum, & privilegia non solum libertatis, sed etiam plurimarum facultatum, illis concessa expendet. Quæ variis motibus Ecclesiæ statum concusserunt; sed quantum fieri potuit, Conciliis Lateranensibus & Viennensi, pluribusque summorum Pontificum constitutionibus huic discordiæ prospectum est: qui exemptiones non resciderunt quidem, sed varie pro temporum & rerum conditione temperarunt. Guillelmus Durandus omnibus ingenii viribus hanc ab Ecclesia ægritudinem depellere contendebat, accurata & supra seculi sui captum elucubrata tractatione, quæ remedium aliquod a Concilio Viennensi extorsit. Probat ille, constitutum in Ecclesia ordinem a Conciliis generalibus pro libitu a Pontificibus his gratiosis exemptionibus everti non posse. Deinde, etsi hoc a Papa fieri possit, non expedire statui universalis Ecclesiæ, nec religioni, nec ipsis personis religiosis. Quod ille multis argumentis conficit, docens, episcopatus vim in partes dividi, dignitatem violari, obsequium reverentiamque Episcopis debitam aboleri, vitia subditorum impunita relinqui, & criminibus faciliorem viam aperiri. Quin & religiosos, qui demissionem animi sectari profitentur, his exemptionibus tumidos in superbiam adeo efferri, *quod non solum Abbates & Priores, Guardiani, & alii in statu alicujus administrationis & prælationis existentes, verum etiam minores fratres & personæ dictarum religionum, frequenter putant Episcopis, Archiepiscopis, & aliis Prælatis se quodammodo fore æquales, & debere quibuscunque aliis personis ecclesiasticis ecclesiastica beneficia obtinentibus anteferri*. Sed Durandi animus commotus detumuisset, si felicitas eorum temporum religiosos homines edidisset similes nostris; quorum emendata castigataque vita & exacta τῆς ἀσκήσεως ἀκρίβεια squallore seculi nostri non mediocriter exornant.

Guill. Durand. de modo Concil. gener. celebrandi Rubr. de exemptionibus.

VIII. Quare, cum ex hac graduum confusione scandalum ab aliquot seculis hac de re natum nondum sit deletum, etsi non adeo ferveat ac tempore Bernardi, atque adeo eam ob causam exemptiones omnino tolli non debeant; attamen, cum istæ canonum & disciplinæ sanioris remissiones publicam tranquillitatem lædant, non alienum esse a regio munere, ut ex parte sua curet his incommodis prospici, intelliget, qui diligenter expendet ea, quæ a nobis hoc capite adnotata sunt. Qua de re tomo secundo diatriba unica copiose dicturi sumus. Interim observandum erit, morem illum, qui in regno obtinet, ut neque novus religiosorum ordo instituatur, nec novæ Ecclesiarum vel monasteriorum ædificationes fiant absque Principis rescripto, confirmatum fuisse constitutione regia anno MDCXXIX. & ex iis, quæ hoc capite recensuimus, originem sumpsisse. Qua de re copiosius alibi.

T. 2. Liber. cap. 32.

ADDITIO STEPHANI BALUZII.

Illustre exemplum exemptionis, quæ monasterio S. Vedasti Atrebatensi in synodo Vermeriensi concessa est ab Episcopis, postulante Carolo Calvo Rege, exhibet Hincmarus Remensis Archiepiscopus in epistola sequenti, quam nos edidimus ex archivo ejusdem monasterii, quæ vero edita etiam est ab Auberto Miræo in codice diplomatum Belgicorum pag. XXII. Sed ista nova editio emendata est ex fide vetustissimi codicis MS.

PRIVI-

PRIVILEGIUM MONASTERII ATREBATENSIS CONCESSUM IN CONCILIO VERMERIENSI ANNO DCCCLXVI.

HIncmarus Remorum Archiepiscopus ac plebis Dei famulus omnibus confratribus nostris Archiepiscopis & Episcopis nunc ad synodum vocatis, atque mecum Vermeriaco Palatio constitutis. Gaudendum est nobis, fratres charissimi, ac nimis in Domino Jesu Christo exultandum pro senioris nostri Karoli serenissimi ac gloriosissimi Regis ferventissimo studio, quod ob amorem Dei & salutem animæ suæ gerit circa monasteria & loca sanctorum relevanda, instauranda, atque religiose ordinanda; ad quod negotium, ut ferveret, si forte teperet, nos Episcopos conveniret illum ammonere. Sed ille, Deo gratias, Spiritu sancto plenus, utilitatibus ac necessitatibus servorum immo pauperum Christi consulens, non solum nos ammonet, sed etiam humiliter deprecatur, ut in hac re illius adjutores prompta voluntate existamus, videlicet, ut, quod ille per suum præceptum confirmavit, nos divina auctoritate & nostra episcopali sententia ita corroboremus, ut in æternum nullus mortalium id audeat temerare atque violare. Nunc vero maxime de monasterio sanctissimi confessoris Christi Vedasti ejusdemque loci monachis, quod dicitur Nobiliacus curam atque ordinationem præ manibus habet: quoniam ipsam abbatiam nunc noviter, reddente (*) sibi nepote suo Lothario Rege, recepit, quam olim post bellum Fontanidum fratri suo Lothario Imperatori ob gratiam firmioris inter se amicitiæ præstitit. Quapropter idem Dominus Rex senior noster de eadem abbatia, sicut sibi suisque fidelibus visum est, quasdam res, villas, prædia, mancipia cum omnibus suis appendiciis imperiali præcepto suo indidit, auctoritate sigilli sui signavit, atque confirmavit; quarum villarum nomina sunt hæc. Ad matriculam scilicet Ecclesiæ Manubodvillam, Bais, Senons, Heiboteisternam, Pomerias, Herlinicurtem, mansos decem, cum omni longo bragio; Maminium, Morsole & Sceldogotheium, Juventiacum, & in dominica curte mansum. Has villas cum mancipiis & omnibus ad se pertinentibus in usus luminariorum, matriculariorum & ceteris, quæ in Ecclesiis in præfato monasterio positis necessaria fuerint, deputavit, cum omni censu de omnibus precariis monasterii, eo modo, ut, quicquid etiam ad medicinam opus fuerit, ex præfatis villis suppleatur. Ad necessaria vero fratrum, victus scilicet & potus, has villas delegavit, medietatem vici, qui vocatur Novavilla, juxta ipsum monasterium siti & tabernam unam, Filciacum villam, dominicam curtem Theuludum, Bigartium, Hernancurtem & Bernallam. In pago Belvacensi Medioanas, puteas aquas, & in Ungiscurtem mansum in dominicatum unum, & alios mansos viginti quatuor, cum Ecclesia & vineis & ceteris appendiciis. Valles super fluvium Summam cum camba una & duobus molendinis & mansis ad eosdem pertinentibus, Stragas, Saliacum, Atramentarias, Mast, Marcheim, Strigotheim, precariam Emmonis & Tagentarii. Has omnes villas cum ceteris omnibus usibus fratrum æternaliter deservituras deputavit. Ad cameram vero fratrum præfatorum has villas destinavit, Atheias, Salciacum, Limacum, Campanias, & in Fontanido mansos tres, & mansum unum in Lambras, & alterum in Hadas, cum homine nomine Godone, & tabernam unam in vico monasterii, cum omnibus appendiciis, familiis & Ecclesiis, & universis ad se pertinentibus. Ad portam vero Verneiam villam, & in Ausinio mansum unum cum molendino, & in Anez mansos quinque cum molendino, & decimam omnis abbatiæ. Ad hospitale vero pauperum, in Daginvilla mansos septem, & in Bonejamvillam & Totsales mansos tres & quintam partem omnis decimæ, quæ ad portam venerit, & de omnibus lignariis omnium villarum, quæ ad præposituram vel ad cameram pertinent, carros decem. Ad domum vero infirmorum omne teloneum ex mercato. Pro remedio namque animæ genitoris ac genitricis suæ, ac pro salute sua, & Ermentrudis suæ charissimæ conjugis, dedit has villas fratribus, Trontellicurtem, Silliacum, Lutosum montem, atque Tilgidum, ut in eorum anniversariis refectio plenissima eis præparetur. Unde nos omnes Episcopi, qui synodali evocatione hic adsumus senioris nostri Karoli Regis jussu, ex auctoritate Dei omnipotentis & potestate nobis divinitus collata præcipimus atque statuimus, ut nullus Rex, nullus Episcopus, nullaque persona alia de jam fatis rebus, & de nominatis villis, prædiis, mancipiis ipsis monachis deputatis, unquam in sequenti tempore aliquid agere præsumat, sed illarum ordinatio in Abbate vel monachis pendeat; nullaque omnino servitia, nec mansionaticos, nec parafredos, nec carricaturas ab illis villis exigat, nec placita in illorum villis quisquam teneat, ut ipsi monachi ab omni seculari inquietudine immunes libere, religiose & quiete in monasterio viventes, absque ullius senioris impedimento ipsas res teneant, dominentur, atque possideant, Deique misericordiam pro senioris nostri prolisque regiæ sanitate & æterna beatitudine, proque totius sanctæ Ecclesiæ statu ac pace illos fideliter exorare delectet. Monasterium vero ipsum ejusque custodia, atque omnis ordinatio ad ipsos monachos & ad Abbatem, quem sibi elegerint, pertineant. Neque Canonici extra claustrum ad habitandum admittantur ulterius, sicuti hactenus, omnimodis inhibemus; excepto servitores illorum: quia non modicas dissensiones audivimus propter hoc in illo exortas fuisse cœnobio. Si quis vero, quod absit, his nostris præceptis atque statutis aliqua levitatis vel avaritiæ, cupiditatis vel malitiæ præsumptione contraire voluerit, vel aliquod impedimentum supradictis monachis vel Abbati beatissimi Vedasti inferre tentaverit quolibet ingenio, qualibet arte, quoquo modo, clam vel manifeste, omnium nostrum sententia damnatus a Patre & Filio & Spiritu sancto Deo omnipotente, cui injuriam facere non timuit, quia ipse dixit: *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit*, anathematis vinculis obligatus, a cœtu sanctorum separatus in æternum justo Dei judicio introeat in infernum cum his, quorum vermis non moritur & ignis non extinguitur, nisi publica satisfactione digne pœnituerit, deposito, si laicus fuerit, secularis militiæ cingulo, si clericus, ecclesiastici honoris dignitate. Pax vero & misericordia Dei super illos, qui illa custodierint, quæ in isto divinæ nostræque auctoritatis privilegio conscripsimus, nostrisque nominibus in Dei nomine firmavimus. Amen. Statuimus denique, ut hoc idem privilegium a nobis editum divinaque auctoritate roboratum per omnes synodos, quæ in posterum agendæ sunt, deferatur. Nostrosque oramus humiliter successores, ut pro Dei amore & sancti Vedasti ipsi quoque subscribendo corroborent, quod a nobis constitutum est.

(*) Annal. Bertin. an. 866.

Abbatiam S. Vedasti donante sibi Lothario suscipit.

Hincmarus, sanctæ metropolis Remorum Archiepiscopus, subscripsi.
Egilo, divino munere Archiepiscopus, (*) subscripsi.
(*) Senonensis.
VVenilo, Rotomagensis Archiepiscopus, subscripsi.
Herardus, Turonis Archiepiscopus subscripsi.
Vulfadus, Bituricensis Archiepiscopus, subscripsi.
Froterius, Burdegalensis Archiepiscopus, subscripsi.
Erchenraus, Catalaunensis Episcopus, subscripsi.
Hildegarius, Meldensis Episcopus, subscripsi.
Folcricus, Augustæ Tricorum Episcopus, subscripsi.
Hilmeradus, Ambianensis Episcopus, subscripsi.
Helias, indignus (*) Episcopus, subscripsi.
(*) Engolismensis.
Æneas, Parisiacensis Episcopus, subscripsi.
Raginelmus, Noviomagensis Episcopus, subscripsi.
Gumbertus, Ebroicensis Episcopus, subscripsi.
Ercambertus, gratia Dei Episcopus, (*) subscripsi.
(*) Bajocensis.
Joannes, Cameracensis Episcopus, subscripsi.
VValterius, Aurelianensis Episcopus, subscripsi.
Villebertus, Carnotensis Episcopus, subscripsi.
Hincmarus, Laudunensis Episcopus, subscripsi.
Heirardus, Lexoviensis Episcopus, subscripsi.
Christianus, Dei gratia (*) Episcopus, subscripsi.
(*) Antissiodorensis.

Erpuinus, Sylvanectensis Episcopus, subscripsi.
Argdus, Morinorum Episcopus, subscripsi.
Odo, Belvacensis Episcopus, subscripsi.
Rothadus, Suessionensis Episcopus, subscripsi.
Anselmus, Lemodicensis Episcopus, subscripsi.
Isaac, Lingonicæ Episcopus, subscripsi.
Actardus, Nannetensis Episcopus, subscripsi.
Abbo, Nivernensis Episcopus, subscripsi.
Sigenandus, Constantiacensis Episcopus, subscripsi.
Hildebrandus, Sajensis Episcopus, subscripsi.
Bodo, Augustodunensis Episcopus, subscripsi.
Karlomannus, Abbas, subscripsi.
Hugo, Abbas, subscripsi.
Gauzlenus, Abbas, subscripsi.
Hiduinus, Abbas, subscripsi.
Vulfo, Abbas, subscripsi.
Berengarius, Abbas, subscripsi.
Vulfardus, Abbas, (*) subscripsi.
(*) Resbacensis.
Hildebertus, Abbas, subscripsi.
Odo, Abbas, (*) subscripsi.
(*) Fossatensis.
Fulco, Abbas, subscripsi.
Ego, Gauzlenus, Abbas, jussu Domini Hincmari Archiepiscopi hoc privilegium scripsi & subscripsi.

LIBER QUARTUS.

CAPUT PRIMUM.

De jure antiquo Principum circa custodiam canonum & legum ecclesiasticarum.

SYNOPSIS.

I. Dicendum hoc libro de legum executione, quæ pro tuitione ecclesiasticæ disciplinæ feruntur, quod expeditur hodie per appellationes ab abusu *dictas. Formula illarum est recentior. Sed res ipsa iisdem initiis in Ecclesia cum regia potestate coaluit. Ordo hujus dissertationis. Agitur primo de auctoritate Principum Romanorum in hoc genere. Deinde inquiritur, quid ex eo jure in Reges Galliarum manarit. Quæcunque olim acta, hodie vigere non possunt.*

II. A Principibus prohibiti olim Episcopi, ne canones violarent. Executio *canonum differt a* Tuitione; *quamvis etiam apud veteres aliquando hæc verba confundantur. Executio jurisdictionem ecclesiasticam respicit & ligandi solvendique pontificium. Tuitio a Principibus pendet; quæ declarationem nullitatis eorum, quæ gesta sunt adversus canones, non egreditur. Princeps legum suarum habet* ἐξουσίαν, *canonum vero* παραφυλακὴν *tantum & custodiam.*

III. Vulgata regula, Canones vim legum obtinent, *nove, sed juxta mentem Justiniani, explicata. Qua non solum reverentia & executio publica canonibus conciliatur; sed etiam Principi custodia canonum, ut ceterarum legum asseritur. Quod ostenditur e Justiniani Novellis. Itaque canonum executio nititur auctoritate pontificia & regia. Hæc læditur canonibus violatis, ac si leges publicæ læderentur. Imo custodiæ canonum Principes prospicere tenentur, plus quam legum civilium.*

IV. Explicatur e Justiniano ordo, qui servatus fuit ad hanc custodiam. Princeps Episcopis lege sua canonum executionem præcipit & magistratibus. Hi vetare debent, ne canones violentur. Si infracti fuerint, referre ad Principem, ut ipse corrigat. Decreta in Episcopos expulsionis pœna, ex vi legis infligenda.

V. Quæritur, an constitutiones illæ receptæ fuerint ab Episcopis. Consilio Episcoporum res ecclesiasticas Justinianus tractabat, e Procopio & Eustathio. Procopius explicatus adversus Nicolaum Alemannum. Justinianus non pervertit sanctiones Christianorum, ut ille affingit Procopio; sed dissimulavit justas illorum conquerendi rationes, cum vexati essent a Judæis.

VI. Manifesta violatio canonum a Synodo aut a Principe restitui poterat. Quod ostenditur e synodo CP. sub Mena in causa Anthimi, qui jussu Theodoræ ex episcopatu Trapezuntio ad Constantinopolitanum prosilierat. Inde illustratur Concilium Africanum adversus Balsamonem. Hoc etiam ostenditur e Codice & Liberato. Depulsio a sede, quæ vacantem redderet Ecclesiam, in manifestissima canonum violatione, irrogabatur aliquando a Principe, non autem regradatio aut dejectio a dignitate.

I. Uperioribus libris præcipua jecimus fundamenta, quibus libertas Ecclesiæ Gallicanæ nititur; hinc supremam Ecclesiæ & summi Pontificis auctoritatem, quæ res tantum ecclesiasticas administrat; hinc supremum Principis imperium, quod reipublicæ gerendæ & rebus temporalibus impenditur; præterea vero tuendæ disciplinæ ecclesiasticæ ex ipso Christi omnium Domini mandato invigilat, immotosque præstat Conciliorum canones & inconcussas decretalium epistolarum constitutiones, consuetudinesque receptas, nisi, quatenus Ecclesiæ Gallicanæ commodis expedit, ut pro rerum ac temporum conditionibus summi Pontificis rescriptis juris rigor aliquando temperetur. Sed jus illud præsidii impertiendi ad retinendam disciplinam canonicam otiosum esse non debet; ideoque legibus suis Principes canonum & decretorum executioni consulere tenentur, ut dixi libro secundo.

Enimvero, quia condendæ legis auctoritas non in sola promulgatione versatur, sed in rerum constitutarum executione, quæ est id, quod ultimum in jurisdictione vocant Jurisconsulti, hinc fit, ut, quæ pro tuitione ecclesiasticæ disciplinæ leges feruntur, executioni mandari debeant ab Episcopis, vel etiam aliquando a Principibus, aut a magistratibus, quibus auctoritatem suam ipsi delegaverint. Id hodie apud nos in foro solennibus quibusdam formulis expeditur, quæ *appellationes tanquam ab abusu* vulgo dicuntur: adversus quas imperitiores rerum nostrarum de novitate præscribunt, ac si res ipsa antiquiori origine non censeretur quam istud forense vocabulum; cum tamen æquis rerum æstimatoribus facile persuaderi possit, rem ipsam, id est, tuitionis ecclesiasticæ executionem, iisdem initiis cum regia potestate in Ecclesia Christiana coaluisse. Quod eo ordine a nobis demonstrabitur, ut primo doceatur, quibus finibus auctoritas illa apud antiquos Principes Romanos, quorum pietas commendatur, olim coercita fuerit, deinde, quid ex eo jure ad Galliarum Reges usque ad hæc nostra tempora derivatum fuerit. Quæcunque enim apud veteres Principes in causis olim viguerunt, locum apud nos habere non possunt, nec immutata aliquantisper disciplina antiquum illum ordinem ullo pacto admittere potest. Quare, quæ a me in hoc negotio proferentur, ut fideli rei gestæ narratione constabunt, ita non alio tendent, quam ut demonstretur, usum fori non omnino alienum esse a prisca disciplina & a majorum nostrorum sensu, si intra debitos fines contineatur.

II. Cura autem Principum Christianorum olim non solum hæreticorum furores compressi, tumultus seditiosorum sedati, contumacia Episcoporum aut clericorum adversus synodorum sententias rebellium ab externa potentia repressa, passim inter legendum occurrunt; sed etiam Principum studio prohibiti Episcopi, ne, legibus secularibus vel canonibus violatis, injuriam subditis inferrent. Antequam vero ejus rei probationem aggrediar, lectoris benignitatem exoratam velim, ne de singulis hujus dissertationis pericopis sententiam ferat, donec totum hunc quartum librum perspexerit. Discrimen autem initio constituere oportet inter executionem canonum & tuitionem: quamvis alioqui sæpissime hæc verba confundantur, non solum in edictis Regum nostrorum, sed etiam apud veteres. Etenim Leo primus se canonum & traditionum antiquarum *custodem* esse, in epistola ad synodum Chalcedone habitam scripsit; & vice versa Facundus Hermianensis Episcopus Marcianum Imperatorem non canonum conditorem, sed *executorem* asseruit. Sed, si proprie loqui velimus, executio canonum jurisdictionem ecclesiasticam respicit: cujus partes sunt, ut judicia canonica reddat, pœnis canonicis, id est, excommunicatione, regradatione, suspensione, & ceteris ejusmodi reos plectat, & ut omnia uno verbo complectar, jus ligandi & solvendi pontificium exerceat. Tuitio vero canonum a Principibus pendet: quæ canonum custodiæ prospicit, & *nullitatem* rerum adversus canones gestarum aliquando declarat, atque omnia in in-

Concil. Antiochen. c. 5. εἰ δὲ παραμένοι θορυβῶν καὶ ἀνασατῶν τὴν ἐκκλησίαν, διὰ τῆς ἔξωθεν ἐξουσίας, ὡς στασιώδη αὐτὸν ἐπιστρέφεσθαι.

in integrum restituit. Sed ultra non progreditur, scilicet ad executionem canonum, quam ab Episcopis implendam indicit. Non ergo eadem auctoritate in rebus ecclesiasticis ac in rebus secularibus Principes utuntur. Quod Justinianus satis aperte docuit, cum scripsit, datam sibi a Deo legum civilium τὴν ἐξουσίαν, id est, plenam & liberam figendi & refigendi potestatem, sed legum ecclesiasticarum & canonum τὴν παραφυλακὴν, id est, custodiam, tuitionem & defensionem. Eleganter itaque monuerunt Græci scriptores, canones difficilius solvi quam leges publicas, quæ a solo Principis nutu pendent, cum canones ab Episcopis constituti, & a Principibus firmati fuerint, atque ideo illorum valde intersit, ne, quod summa cura decreverunt, illis invitis aliquando sine causa infringatur.

Novell. 137.

III. Vulgatissima est Justiniani sententia, a Romanis Pontificibus summo applausu excepta, & a Gratiano in corpus Decreti relata, quæ canones legum vim habere decernit. Sed ejus vis nondum, ut existimo, satis est accurate perpensa. Non solum enim hoc dicto reverentia debita canonibus conciliatur, & eorum executioni, servato judiciorum publicorum ordine, consulitur, sed etiam jus Principis ad custodiam canonum, ut ceterarum legum a se conditarum, procurandam asseritur. Et ne quis hanc interpretationem nostram hariolationi adscribat, laudandus est in auctorem ipse Justinianus: qui alibi recte constituit, monendum esse episcopatus candidatum, antequam ordinetur, ut canones editos accurate legat; & siquidem se canonum observantiæ imparem esse dixerit, ab ejus ordinatione abstineatur; sin vero se, quantum homini est, ea constituta servaturum professus fuerit, ordinetur, ita tamen, ut ab ordinatore suo moneatur, sacerdotio pellendum, si in canones peccaverit: imo & a civili lege vindicandum, quod perperam gestum erit, quia canones vim legum obtinent: *Neque civiles leges crimen inultum relinquent, eo quod a præcedentibus nos Imperatoribus & a nobis ipsis recte dictum est, oportere sacras regulas pro legibus valere.* Itaque canonum executio duabus supremis in Ecclesia auctoritatibus innititur, pontificia scilicet & regia: *Ut ex sacerdotali & civili virtute hæc custodiantur*, inquit Justinianus Novella LVIII. ita, ut ea *convelli non possint, quæ & sacerdotali ecclesiastica præceptione fulcirentur & regia*; quemadmodum loquebatur Hilarus Papa aliquot annis ante Justinianum. Quare Principis auctoritas perinde læditur violatis canonibus & decretis Pontificum, ac si reipublicæ & regni leges everterentur, quia canones vim legis regiæ susceperunt. Tanta vero & tam diligens cura a Principibus adhiberi debet custodiæ canonum, ut potiorem legum ecclesiasticarum quam civilium rationem habere debeant, ut monet Justinianus in præfatione Nov. CXXXVII. *Si civiles leges, quarum potestatem nobis Deus pro sua in homines benignitate credidit, firmas ab omnibus custodiri ad obedientium securitatem studemus*, (1) *quanto plus studii adhibere debemus circa sacrorum canonum & divinarum legum custodiam, quæ super salute animarum nostrarum definitæ sunt.* Unde concludit capite primo illius Novellæ, se violatorum canonum vindicem esse debere: *Si enim illa, quæ a laicis peccantur, generales leges non concedunt extra inquisitionem & vindictam manere*, (2) *quomodo a sanctis Apostolis & patribus super omnium hominum salute canonice statuta despici patiemur?*

Nov. 6. c. 1. §. 8 Καὶ οὐδὲ οἱ πολιτικοὶ νόμοι τὸ πλημμεληθὲν ἀτιμώρητον καταλείψουσι. διότι καὶ τοῖς πρὸ ἡμῶν βεβασιλευκόσι, καὶ ἡμῖν αὐτοῖς ὀρθῶς εἴρηται, δεῖν τοὺς ἱεροὺς κανόνας ἀντὶ νόμων κρατεῖν.

Nov. 58. sub fin. Βουλόμεθα γὰρ ἱερατικῶς τε καὶ ἀρχικῶς ταῦτα φυλάττεσθαι.

(1) Πόσῳ μᾶλλον πλείονα σπουδὴν ὀφείλομεν θέσθαι περὶ τὴν τῶν ἱερῶν κανόνων καὶ θείων νόμων παραφυλακὴν τῶν ὑπὲρ τῆς σωτηρίας ὁρισθέντων.

(2) Πῶς τὰ παρὰ τῶν ἁγίων ἀποστόλων καὶ πατέρων ὑπὲρ τῆς πάντων τῶν ἀνθρώπων σωτηρίας κανονικῶς διατυπωθέντα παριδεῖν ἀνασχώμεθα.

Eandem sententiam Justinianus expressit in epistola ad Dacianum Metropolitanum Byzacii, qua privilegia, quæ Primatibus provinciarum Africanarum canones tribuunt, sua quoque auctoritate confirmanda profitetur; ita, ut in violatores vetustatis non solum ecclesiastica, sed etiam Principis vindicta exerceatur. Hæc sunt verba rescripti. *Nam, quæ quis in præjudicium statutorum quibuslibet rebus usurpavit, corrigenda potius quam imitanda censemus. Si quid igitur Metropolitano Carthaginis vel Primatibus Numidiæ, vel Byzacii Conciliorum auctoritas præstitit & inoffensa consuetudo servavit, hoc sibi quisque optet, sibi vindicet, hoc nostra speret sanctione firmari. Nos tutores tantum sumus vetustatis & vindices; nec deerit ecclesiastica vindicta vel nostra in eos, qui aut ambitiosa superbia aut subreptitiis postulationibus antiquitatem temerasse docebuntur. Quoniam ad divinitatis tendit injuriam, qui sanctorum patrum constituta contemnere ac violare non metuit.*

IV. Huic canonum custodiæ duobus modis prospiciebant Principes: tum delegatione magistratuum, qui vetarent, ne quid contra canones tentaretur; tum exactis pœnis a contumacibus, si quid perperam gestum esset; & aliquando iis rescissis, quæ contra canones acta erant. Quod unice docet Novella sexta, quæ de ordinationibus Episcoporum & clericorum lata est; cujus executionem Patriarchis uniuscujusque Diœceseos, Metropolitis & Episcopis Justinianus demandat. Sed præterea constitutionem illam Joanni Præfecto prætorio orientis & Dominico Præfecto prætorio Illyrici mittit, ut executioni ejus prospiciant, ne quid contra canones agatur. Verba ultima illius constitutionis, quæ magni momenti sunt, hic apponam: *Et tua quoque celsitudo hoc sciens, una cum semper suscepturis sedem tuam hæc servare festinet. Et, si denuntiatum fuerit aliquod tale delictum, prohibeat, & maxime quæcunque in ordinationibus curialium vel officialium interdicta sunt. Nuntiet autem & nobis, ut decens super eis imponatur correctio. Utatur quoque præceptis ad clarissimos provinciarum judices; ut & ipsi, quæ fiunt, inspicientes, non permittant aliquid extra hoc, quod a nobis constitutum est, fieri. Imminebit enim eis pœna quinque librarum auri, siquidem & ipsi prævaricari videntes, non denuntiaverint aut sedi tuæ aut imperio, ut undique decens ornatus ordinationis gradui conservetur.* Observandi sunt gradus, quibus ad custodiam plenam canonum pervenitur. Lex decernitur a Principe post constitutos canones; quæ eorum executionem Patriarchis & ceteris Episcopis præcipit. Eadem lex in acta Præfectorum prætorio refertur, qui una cum Præsidibus provinciarum violari canones prohibeant. Et si infracti fuerint, ea de re ad Principem referant, qui male gesta corriget. Itaque vetare & prohibere possunt magistratus; sed corrigere, quæ perperam acta fuerint, soli Principi competit. Novella constitutio centesima vigesima tertia, quæ compendium juris canonici complectitur, ad Petrum Præfectum prætorio perscripta est, ut auctoritate sua ejus executionem juvet: *Tua igitur gloria, quæ per præsentem legem in perpetuum valituram nostra sanxit tranquillitas, per omnia custodiri provideat.* Inter ceteras autem pœnas, quas in Episcopos & clericos ea lege constituit, frequens est expulsio a sacerdotio; quam vi constitutionis suæ fieri diserte præcipit, aliosque in depulsorum locum subrogari.

Nov. VI. auth. Collat. 1. juxta veterem translationem.

Nov. 123. καὶ πάντα φυλαχθῆναι προνοησάτω. C. 9. αὐτοὺς μὲν τῆς ἐπισκοπῆς ἐξωθεῖσθαι, ἑτέρους δὲ ἀντ' αὐτῶν καλλίονας χειροτονεῖσθαι, κατὰ τὴν τοῦ παρόντος νόμου δύναμιν.

V. Aliquis fortasse excipiet, Justinianum quidem proferendæ jurisdictionis suæ cupidum hoc sibi jus arrogasse, ut custodiam canonum ad correctionem eorum, quæ contra canones tentata erant, extenderet; sed hoc Episcopis acceptum non fuisse, vel anteriores Principes, quibus pietas cordi erat, ab hac usurpatione abstinuisse. Si quis tamen inspicere velit, quam sollicito studio cum peritioribus Episcopis de rebus ecclesiasticis Justinianus tractaret, nunquam in animum inducet, eum in jurisdictionem ecclesiasticam adeo impudenter grassatum, ut multi sibi persuaserunt. Sic autem intentus erat in rerum divinarum contemplationem, ut Artabanes & conjurati hanc occasionem illi trucidando opportunissimam sperarent, teste Procopio: *Perpetuo sine custodibus desidet*, inquiunt, *ad multam noctem in musæo, cum senioribus quibusque sacerdotibus attentissimo studio arcana Christianorum dogmatum investigans.* Eustathius etiam in vita Eutychii eo nomine maxime hunc Principem commendat, quod, posthabitis omnibus aliis curis, illam unam & so-

Procop. lib. 3. de bell. Goth. Κάθηται ἀφύλακτος ἀεὶ ἐπὶ λέσχης τινὸς ἀωρὶ τῶν νυκτῶν ὁμοῦ τοῖς τῶν ἱερέων ἐσχατογέρουσι,

& solam nunquam intermitteret, divina dogmata investigandi, & hæreticos confutandi. Quare assentiri non possum Nicolao Alemanno viro eruditissimo, qui perstrictum a Procopio Justinianum putat, quod ecclesiasticas sanctiones perverterit, etsi passim in Novellis ipse se vindicem & custodem canonum appellet. Quod Alemannus non e Procopio hausit, sed e sententia, quam auctori illi sua interpretatione affinxit, ne prætermisisse videretur Procopius hanc suggillandi Justiniani occasionem. Etenim Procopius recitat Faustini cujusdam Palæstini sævitiam & impietatem, qui Samarita cum esset, Christianum nomen simulavit, & Palæstinæ proconsulatum adeptus, Christianos ejus provinciæ gravissimis injuriis vexavit. Delatus Faustinus senatus judicio, urgente Justiniano, damnatur in exilium. Sed statim Princeps pecunia corruptus sententiam rescidit, eandem dignitatem Faustino restituit, (1) qui omnia securius, quam antea, per libidinem gessit. Unde colligit Procopius, Christianorum jura seu justas eorum rationes Justinianum dissimulasse & insuper habuisse injurias, quæ illis ab acerbo illo & perfido Proconsule inferebantur. Hæc sunt Procopii verba: ὃν τινα μὲν ἦν Ἰουστινιανὸς τρόπον τὰ χριστιανῶν δικαιώματα περιστέλλειν ἠξίου, καίπερ οὐ πολλῶν εἰρημένων ἡμῖν, ἀλλ' ἐκ τῶνδε βραχέων ὄντων, τεκμηριοῦν ἐστίν. Quæ sic vir eruditus interpretatur: *Pauca quidem hæc; ex quibus intelligere tamen liceat, ut Justiniano libuit Christianorum sanctiones pervertere;* hæcque ad Novellarum editionem transfert. Quorum verborum tamen hæc est significatio: *Quomodo Justinianus Christianorum jura dissimulaverit, ex his, quæ breviter diximus, intelligere licet*. Quæ de rebus a Faustino per summam injuriam ablatis intelligenda sunt: περιστέλλειν enim hic *dissimulare* verti debuit, quemadmodum idem Alemannus reddit in duobus Procopii locis ad marginem repræsentatis, & δικαιώματα jura vel justas rationes, non autem *sanctiones*. In eandem quoque sententiam Procopius superioribus verbis recitaverat Arsenii cujusdam Palæstini flagitia: qui, etsi cum Samaritis sentiret, Christianam fidem profitebatur; cumque in aula summa ejus esset gratia, per parentem fratremque suum, (1) qui patriam sectam dissimulabant, Christianos contumeliosissime vexavit. Illi quidem a civibus suis trucidati sunt: sed (2) Arsenium turbatum auctorem nullo affecit incommodo Justinianus, nisi quod regia prohibuit, ne diutius ea super re Christianorum votis fatigaretur. Inde Procopius Pauli Alexandrini depositionem narrat, & Faustini deprædationes, de quibus jam dictum. Unde patet, quantopere aliena sit a mente Procopii sententia, quæ illi ab Alemanno de industria tribuitur, ut inde occasionem sumat carpendæ immoderatæ Justiniani licentiæ in condendis ecclesiasticis constitutionibus: quas, ut ab Episcopis in oriente susceptas non negat, Patriarcharum vel oscitantia vel adulatione, ut ille putat, ita in occidentis Ecclesias minime pervasisse asserit. Sed superiore libro ostendimus, has Justiniani Novellas ecclesiasticas a Romanis Pontificibus laudatas & approbatas fuisse.

VI. Quod ad quæstionem præsentem pertinet, ex actis synodi Constantinopolitanæ sub Mena constat, manifestam canonum violationem aut a Principe, aut a synodo castigari posse. Theodora Augusta Anthimum Ecclesiæ Trapezuntinæ in Diœcæsi Pontica Episcopum ad sedem Constantinopolitanam absque synodi judicio transtulerat, repugnantibus licet canonibus, qui migrationem istam vetant, & præcipue, cum a minori sede ad majorem prosilitur. Agapetus Papa post adventum suum in regiam urbem, rogante Justiniano, Anthimum a sede Constantinopolitana removit; quem deinde synodus habita a Mena Patriarcha Constantinopolitano hæresos convictum episcopali dignitate dejecit. Hujus synodi actis insertus est & ab omnibus probatus libellus, quem Marianus a se & ab omnibus provinciæ Hierosolymitanæ & secundæ Syriæ Abbatibus subscriptum Justiniano adversus Anthimum obtulit; quo docet, liberum Principi fuisse, hunc Anthimum, quod adversus canones Ecclesiam Constantinopolitanam invasisset, ab ea sede detrudere, sed recte maluisse hac de re ab Archiepiscopo veteris Romæ judicium canonicum ferri. Unde constat, graviter errare Balsamonem in commentario canonis Africani, quo Episcopus ab una Ecclesia in alteram migrans, judiciaria potestate excludi potest, si Episcoporum monitis obtemperare nolit. Etenim Balsamo existimat, auctoritatem publicam adhibendam, postquam judicio synodi ob illam translationem damnatus fuerit, quod alienum esse ab usu horum temporum discimus e verbis Mariani. Quæ quidem non incogitanti exciderunt, cum ex Theodosii lege anno CDLIX. lata constet, Irenæum *post binas nuptias, contra canones apostolicos*, Tyriorum Episcopum factum, ab Ecclesia illa, nulla prævia damnatione canonica, solo Principis imperio canones infractos ulciscente dejectum, mandata Hormisdæ Præfecto prætorio rei judicatæ executione. Refert etiam Liberatus non dissimile Zenonis decretum; qui Petrum Moggum a sectatoribus suis Patriarcham Alexandriæ creatum nondum fatis functo Timotheo, quem Basiliscus tyrannus sede sua depulerat, misso ad Anthemium Ægypti præfectum rescripto amovit. Id singulare in Moggo reperio, quod hæresim Eutychianam palam profiteretur. Ceterum Liberatus alienæ sedis invasionem, seu mavis adulterium contra canones patratum, a Zenone coercitum docet his verbis: *Anthemius accepta imperiali jussione expulit sacerdotio Patrum, tanquam adulterum & contra leges Ecclesiæ factum, & in episcopalem sedem Timotheum Salophaciolum revocavit*. Quæ omnia a Principibus acta sunt jure quodam extraordinario, idque in apertissima canonum violatione, quæ nulla causæ cognitione, nec judiciorum solennibus indigebat, sed in mera facti executione versabatur. Etenim, si occulto & ambiguo crimine pulsati fuissent Episcopi, cognitio canonica synodum solam respexisset. Sed in manifestissima violatione, canonibus factam injuriam iis pœnis Principes ulciscebantur, quæ legibus irrogatæ erant, nempe expulsione a sede. Deturbationem enim illam, quæ vacantem Ecclesiam redderet, sui arbitrii esse putabant, non autem regradationem vel dejectionem ab episcopali dignitate, quæ pœna erat mere ecclesiastica. Pœnam autem illam expulsionis cum vocatione episcopatus hodie irrogare non possunt Principes ob eas causas, quas tomo secundo exponam.

Margin notes: ἀρχιστον αἰακυκλεῖν τὰ Χριστιανῶν λόγια σπουδὴν ἔχει. Eustathius in vita Eutychii: νυκτὸς καὶ ἡμέρας ὑπὲρ τῶν ἄλλων ἁπάντων φροντίδα ταύτην εἶχεν ἀεὶ ὡς μίαν καὶ μόνην. — Procop. in Anecdotis: *Sacerdotes Faustinum accusant*, ἐπενεγκάμενοι σαμαρείτου νόμιμα περιστέλλειν, καὶ χριστιανοὺς δεινότατα ... — (1) Ἀδεέστερον ἅπαντα κατειργάζετο ὅτα οἱ αὐτῷ βουλομένῳ εἴη. — Procopius. (1) Περιστέλλοντες τῆς πατρίου δόξης, γνώμη δὲ αὐτῷ αἰνίκιστα τοὺς χριστιανοὺς εἰργάζοντο παί... — (2) Τότε μὲν αὐτὸν οὐδὲ Ἰουστινιανὸς οὐδὲ βασιλεὺς κακοῦ τι ἔδρασεν, καίπερ αἰτιώτατον γεγονότα δυσκόλων ἁπάντων. — Supra lib. 2. c. 11. §. 5. — Libellus Mariani Act. 1. Synod. sub Mena: *Conatus est* θρόνοι ἐφαρπάσαι τοῦ ἁγιωτάτης ταύτης ἐκκλησιαστικοὺς θεσμοὺς καὶ κανόνας. — Infra: Καίπερ δυνάμενοι τοῦτο ἐξωθῆσαι, ὅμως καλῶς κρίσιν παρὰ τοῦ ἀρχιερέως τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης καλῶς τοῦ ἐκβαλεῖν ἐβουλήθητε. — Balsamo in can. 52. syn. Carthag. — L. 3. c. de summa Trin. & part. 3. syn. Ephes. c. 47. — Liberatus in Breviar. c. 16. — Vide locum Nov. 123. prolatum §. IV. hujus capitis.

CAPUT II.

De remediis contra violationes canonum, ab Imperatoribus pristinis adhibitis.

SYNOPSIS.

I. Violatis canonibus, dupliciter prospicitur disciplinæ; vel lata lege, vel specialiter emendato, quod perperam gestum est. Latæ legis exemplum e Codice Theodos. & Justinianeo. Explicatur lex Omni innovatione. *C. de sacros. Ecclesiis. Theodosius relationes synodicas Illyrici in rebus dubiis tribuit Episcopo CP. Quod caruit effectu.*

II. Photii expositio refutatur, quæ omnes quæstiones canonicas tribui putat Episcopo CP. non autem solam relationem rerum dubiarum. Opinio viri eruditi, qui censet, innovationem *a lege damnatam versari in eo, quod Illyriciani recessissent a sede CP.*

III. Principes specialiter quoque querelis adversus canonica judicia delatis prospiciebant; quia patrocinium debebant, non solum canonibus, sed etiam clericis, ut probatur e Concilio Chalcedonensi.

IV. Que-

IV. Querela ad eos contra judicia ecclesiastica delata, varie se gerebant. Aliquando ipsi cognitionem ad se transferebant. Id ostenditur exemplo Athanasii Alexandrini. Ejus appellatio a Concilio Tyrio ad Constantinum respondet appellationibus ab abusu; & differt ab appellatione Donatistarum.

V. Quatuor vitia seu nullitates synodi Tyriæ. Hostes Athanasii a judicio non rejecti. Delegati in Mareotidem ad testimonia recipienda, qui e cœtu illo erant suspectissimi. Delegatio decreta a parte tantum Concilii. Testimonia recepta ἐκ μονομερῦς. Dolus & insidiæ judicum.

VI. Ob ea vitia Athanasius libello postulat a Dionysio Imperatoris legato, ut negotium integrum ejus cognitioni reservet.

VII. Damnatur Athanasius. Appellat Constantinum ob dolum, insidias, & vim hostium potius quam judicum. Constantinus cognitionem suscipit, ut cognoscat de perverso illo judicii ordine. Ea cognitio eluditur, nova accusatione majestatis læsæ delata. Ea de causa Athanasius in Gallias relegatur a Principe. In angustiis licere putavit Athanasius auxilia Principum implorare adversus infesta judicia ecclesiastica.

I. PRincipum auctoritate restituendos esse violatos canones, & male gestarum rerum correctionem ex ea petendam, docuit Justinianus. Quod duplici modo fiebat, vel latis legibus, quæ innovationes tentatas ab Episcopis ultra progredi vetarent, & canonum executionem in futurum decernerent, vel etiam amota specialiter canonis alicujus violatione. De primo genere extat in Codice elegans Theodosii junioris constitutio, cujus hæc sunt verba: *Omni innovatione cessante vetustatem & canones pristinos ecclesiasticos, qui usque nunc tenuerunt, etiam per omnes Illyrici provincias servari præcipimus. Tum si quid dubietatis emerserit, id oporteat non absque scientia viri reverendissimi sacrosanctæ legis antistitis urbis Constantinopolitanæ, quæ Romæ veteris prærogativa lætatur, conventui sacerdotali sanctoque judicio reservari.* Quis mihi videatur genuinus hujus legis sensus, aperiam; præcipue, cum a Photio in alienam a vero sententiam detorta fuerit, & in ejus enarratione quoque vir eruditissimus peccarit. Duo sunt legis membra. Primo cavetur, ut antiqui mores & canones ecclesiastici vim suam obtineant, etiam in provinciis Illyrici, ut in ceteris reliquarum Diœceseon provinciis; ita, ut si quid innovatum fuerit contra canones Episcoporum incuria vel ambitu, omni effectu careat. Hic ergo Theodosius moribus antiquis & canonibus integram auctoritatem restituit & innovationes amolitur. Pars autem ista commate distinguenda est a verbis sequentibus legis, juxta lectionem Codicis Theodosiani, quam proposui. Secunda vero pars incipit ab hac particula, *Tum*, quæ extat in Codice Theodosiano; in cujus locum irrepsit in Codice Justiniani particula *Ut*; quæ, licet eundem sensum exprimere possit, non tamen sic apertum, ut eum altera lectio præfert. Secundæ autem partis hic est sensus. Si quod dubium emerserit in canonum interpretatione, (quo prætextu Episcopi canonum violatorum invidiam a se depellebant) eam non unius Episcopi Metropolitani arbitrio temperandam, sed conventui sacerdotali & plenæ Illyricianæ Diœceseos synodo committendam, ita tamen, ut ea de re ad sedem Constantinopolitanam referatur. Canones pristini nulli sunt alii præter Nicænos & Antiochenos, qui quæstiones canonicas synodorum judicio finiendas decernunt, quod synodus quoque Constantinopolitana amplexa est, collectis provinciarum synodis in unum Diœceseos integræ conventum. Attamen fatendum est, sub prætextu conservandæ vetustatis novitatem magni momenti ad amplificandam Constantinopolitanæ sedis auctoritatem hac lege induci: quæ ita canonicas quæstiones Conciliis Illyricianis reservat, ut res dubiæ ad Episcopum Constantinopolitanum referantur, eo, quod nova Roma veteris Romæ privilegiis fruatur, & novæ Romæ Episcopus primatu honoris potiatur post Romanum Episcopum juxta canonem secundum synodi Constantinopolitanæ. Unde sequi videbatur, eas omnes provincias, quæ intra fines orientalis imperii comprehenderentur, ab urbis regiæ Episcopo eadem auctoritate regendas, qua veteris Romæ Episcopus occidentales provincias administrabat. Ideoque, sicut difficiles causæ & ambiguæ a synodis ad Romanam sedem referendæ sunt, ut observamus alibi ex Innocentio primo; ita quoque, si quid dubietatis emerserit in canonum interpretatione, a synodis Illyrici judicandum decernit Theodosius, non absque scientia Episcopi Constantinopolitani, id est, relatione ad eum Episcopum facta. Loquitur enim de Illyrico orientali, quod Macedoniæ & Daciæ ambas Diœceses complectebatur, distractumque fuerat temporibus Theodosii senioris a reliquo Illyrico; quod deinceps occidentale vocatum est, eo, quod occidentis imperio reservatum fuerit; ut ante divisionem illam, solidum Illyricum occidenti adscribebatur. Sed Theodosii conatus (*) irritus fuit. Etenim post tempora istius legis, (quæ lata est anno quadringentesimo vigesimo primo) a solo Romano Episcopo Macedoniæ Episcopi pependerunt, ad eumque solum relationes suas in rebus dubiis destinaverunt, ut patet ex epistola Leonis ad Anastasium Thessalonicensem, cui vices quoque suas per Macedoniæ Diœcesim commiserat. Inde est, quod clerici Constantinopolitani, cum privilegia sedis suæ tantopere assertum & amplificatum iret in Concilio Chalcedonensi, Illyrici mentionem nunquam injecerunt, solasque Diœceses Thracicam, Asianam & Ponticam obtinuerunt canone XXVIII. illius Concilii. Quare lex Theodosii effectum sortita non est in eo capite, quod Illy-

L. Omni. 45. C. Th. de Episc. & l. 6. de sacrosf. Eccles.

(*) Cum illustrissimus Archiepiscopus observaverit, hoc loco irritum fuisse conatum Theodosii, qui relationem rerum dubiarum Illyricianæ Diœceseos tribuere tentaverat Episcopo Constantinopolitano, officii atque muneris mei esse puto, hanc illius observationem confirmare auctoritate ejusdem Theodosii: præsertim, cum immortalis memoriæ viro, (ut de Baronio dicebat Sirmondus) debere me judicem, ut, quæ recte & vere ab eo dicta sunt, ea, ut pro veris habeantur, enitar, quoad possum. Itaque conjecturam ejusdem Archiepiscopi ostendam veram esse ex rescripto Theodosii ad Honorium Augustum, quo (ut recte adnotatum est ab Holstenio) abrogavit legem illam, quam in hoc paragrapho Marca suscepit explicandam, privilegiaque Romani Pontificis in Illyricianas Ecclesias renovavit ac confirmavit rogatu Honorii. Edita est nuper ab Holstenio synodus habita Romæ anno DXXXI. sub Bonifacio secundo: inter cujus acta extat epistola Honorii ad Theodosium, qua eum rogat, ut remotis quorundam Episcoporum Illyricianorum subreptionibus, antiquum ordinem præcipiat custodiri, & ut privilegia Romanæ sedis inconcussa perdurent. Præstat autem ipsa Honorii verba referre. *Petit enim* (sedes apostolica) *ut hæc privilegia, quæ dudum a patribus constituta usque ad nostra tempora servata sunt, inconcussa perdurent. In qua parte perspicit serenitas tua, nihil vetustis decretis, si quæ canonum conscripta sint regulis, penitus derogandum, nec tot jam seculorum reverentiam novellis præjudiciis sauciandam, Domine. Unde majestas tua, recensitis nostræ pietatis affatibus, Christianitatis memor, quam pectoribus nostris misericordia cœlestis infundit, universis remotis, quæ diversorum Episcoporum subreptionibus per Illyricum impetrari dicuntur, antiquum ordinem præcipiat custodiri; ne sub Principibus Christianis Romana perdat Ecclesia, quod aliis Imperatoribus non amisit.* Rescripsit itaque Theodosius ad Honorium, remotam a se esse subreptionem Episcoporum Illyricianorum, priscamque apostolicam disciplinam & canones veteres obtinere debere sancivisse, demandata hujus decreti executione Præfectis prætorio Illyrici sui, id est, Illyrici orientalis, cui præerat Theodosius Imperator orientis. Hæc sunt ejus verba: *Unde omni supplicantium Episcoporum per Illyricum subreptione remota, statuimus observari, quod prisca apostolica disciplina & canones veteres eloquuntur. Super qua re, secundum formam oraculi perennitatis tuæ, ad viros illustres Præfectos prætorii Illyrici nostri scripta porreximus, ut cessantibus Episcoporum subreptionibus, antiquum ordinem similiter faciant custodiri; ne venerabilis Ecclesia sanctissimæ urbis privilegia a veteribus constituta amittat, quæ perenne nobis sui nominis consecravit imperium.* Quanquam fortasse illic legendum est *nostra scripta porreximus.*

Illyricum orientale Constantinopolitano Episcopo addicebat, cum patriarchatui Romano semper paruerit, donec per vim a sedis apostolicæ administratione distractum est, ut dixi cap. I. libri primi.

Phot. in Nomoc. t. X. c. I. ὅτι τὰς αἰτιασμένας κανονικὰς ἀμφισβητήσεις ἐν ὅλῳ τῷ Ἰλλυρικῷ ... δεῖ τίμ... ... ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως, καὶ τῆς αὐτοῦ συνόδου, ἥτις ἔχει τὰ πρεσβεῖα τῆς ἀρχαίας Ῥώμης.

L. 45. c. Th. de Episc. Synopsis hujus legis relata est in Basilicis, eodem sensu, quo accepta est a Phottio; ut patet ex Balsamone tom. I. Nom. cap. 5. Jur. Card. Peron. c. 32. Replic.

II. Restat, ut Photii dolosam expositionem paucis refellam; qui studio augendæ Constantinopolitanæ sedis, quam invaserat, indefinita locutione omnia canonica judicia in Illyrico acta ab Archiepiscopo Constantinopolitano & ejus synodo definienda esse ait. Quod alienum est a mente Theodosii, qui definitiones istas synodis provinciarum vel etiam generali synodo Diœceseos Illyricianæ attribuit, non autem synodo Constantinopolitanæ. Quæstiones enim istæ locis suis & a suæ Diœceseos synodis audiri debent, ut inquiunt Valens, Gratianus & Valentinianus; idque diserte cautum est canonibus secundæ synodi. Id unum excepit Theodosius, ut si quod dubium emergeret, ad sedem Constantinopolitanam referretur. Itaque quod de una specie dictum est, ad omnes generaliter trahi non debet. Porro vir illustrissimus & eruditissimus in specie hujus legis fingenda lapsus est. Existimat enim, Theodosio ab Attico Episcopo Constantinopolitano suggestum fuisse, Illyricianos Episcopos res novas molientes a sedis Constantinopolitanæ obsequio recessisse sub Arsacio decessore suo, & hoc colore elicuisse rescriptum illud, quo, cessante illa innovatione, veteres canones servari præcipiuntur; scilicet, ut ille explicat, canon secundæ synodi, quo primatus defertur Episcopo novæ Romæ post Romanum Episcopum. Sed adeo apertum erat, Illyricum nunquam sedem Constantinopolitanam coluisse, ut nemo tam perfrictæ frontis fuisse censendus sit, qui libertatem Illyricianorum *innovationem* appellaret; præsertim, cum ipso canone secundo CP. (quem sub nomine vetustatis & pristinorum canonum vult significari vir summus) nulla Diœceseos Illyricianæ mentio facta fuerit, sed tantum Ægyptiacæ, Antiochenæ, Asianæ, Ponticæ & Thracicæ, ut alibi monui.

Act. I. Concil. Chalc. Σκοπὸς τῆς ὑμετέρου κράτους, ἁπάντων μὲν τῶν ὑπηκόων φροντίζειν, καὶ χεῖρα ὀρέγειν ἅπασι τοῖς ἀδικουμένοις, μάλιστα δὲ τοῖς εἰς ἱερωσύνην τελοῦσιν, καὶ ἐν τούτῳ τὸ Θεῖον θεραπεύοντες παρ' οὗ τὸ βασιλεύειν ὑμῖν καὶ κρατεῖν τῆς ὑφ' ἥλιον δέδωρηται.

(2) Παρὰ πᾶσαν ἀκολουθίαν.

(3) Προσπίπτομεν τῇ ὑμετέρᾳ εὐσεβείᾳ, τῆς δικαίων ἀξιοῦντες τυχεῖν.

III. Ut autem redeam ad Principum auctoritatem; non solum lege generaliter lata canones adversus novitates vindicabant, sed etiam specialiter injuriam illatam in judiciis canonicis per canonum violationem decretis resarciebant, si quis ad eos querelam suam deferret. Cui rei ex officio incumbebant, non solum, quod canonum custodia illis commissa esset, sed etiam, quod civium & præcipue clericorum patrocinium & tranquillitatis publicæ cura ad eos spectaret. Id eximie docet libellus porrectus Marciano ab Eusebio Dorylæi Episcopo, & insertus actis Concilii Chalcedonensis: ubi de iis, quæ adversum se a Dioscoro patrata erant in Ephesino Concilio graviter conqueritur: *Intentio & propositum est majestatis vestræ universis quidem sibi subditis providere & manum porrigere omnibus injuste oppressis, præcipue tamen fungentibus sacerdotio; in hoc divinitati placentes, a qua vobis imperare & dominari sub hoc sole donatum est. Ergo, quoniam multa & dira &* (2) *contra omnem consequentiam fides, quæ in Christum est, & nos sumus perpessi a reverendissimo Dioscoro Episcopo Alexandriæ magnæ civitatis,* (3) *adimus vestram pietatem, supplicantes justitiam promereri.* Unde patet, Eusebium fiducia patrocinii ductum, quod Marcianus sacerdotibus oppressis præstare tenebatur, ad eum accessisse, ut Principis auctoritate jus suum consequi posset ob ea, quæ contra canones a Dioscoro gesta erant Ephesi. Bassianus quoque Ephesi quondam Episcopus preces obtulit Marciano, quæ relatæ sunt in Concilio Chalcedonensi; quibus iniquo judicio se ab episcopatu depulsum exponit, subsidiumque regiæ tuitionis exposcit: *Omnis salus violentiam patientium post Deum vestra tranquillitas est, præcipue autem sacerdotum Christi. Quapropter & ego ad has preces veni provolutus vestigiis vestris, ut in his mei misereamini.* Eunomius Episcopus Nicomediæ in Bithynia auxilium quoque Marciani implorat adversus invasionem Anastasii Nicæni; quia, ut inquit ille, *imperium Principi collatum est ad salutem orbis & pacem Ecclesiarum.*

Act. XI. Conc. Chalc. πᾶσα ἡ σωτηρία τῶν βίαν πασχόντων μετὰ τὸν Θεὸν ἡ ὑμετέρα γαληνότης ὑπάρχει, ἐξαιρέτως δὲ τῶν ἱερέων Χριστοῦ. διὸ κἀγὼ ἐπὶ τάσδε τὰς δεήσεις ἐλήλυθα, προκυλινδούμενος τοῖς ὑμετέροις ἴχνεσιν, ἐν τούτοις με κατελεήσαι.

Act. XIII. Θεὸς τὸ βασιλεύειν ὑμῖν καὶ κρατεῖν τῶν ὅλων ἐπὶ σωτηρίᾳ τῆς οἰκουμένης, καὶ εἰρήνῃ τῶν ἁγίων ἐκκλησιῶν, δεδωρήσατο.

IV. Tot nominibus adstricti Principes ad juvandos eos, qui de aperta canonum violatione & de judicibus ecclesiasticis conquerebantur, duorum alterum faciebant; aut ipsi cognitionem suscipiebant, eo tantum fine, ut illis de violentia constaret, quam deinde amoveri procurarent; aut aliis modis prospiciebant, de quibus dicemus sequentibus capitibus. Cum autem harum rerum probatio ex historia Conciliorum petenda sit, quæ nobiles tantum eventus recenset, pauca, sed illustria proferemus testimonia. Et quidem a B. Athanasio Alexandrino auspicabimur, qui primus omnium a judicio adversum se reddito in Concilio Tyrio Constantinum Augustum (*) provocavit. Princeps autem appellationem suscepit, & partibus diem dixit, qua se in consistorio suo sisterent. Rem gestam narrabo, ut omnibus pateat, hanc appellationem ejus generis esse, quæ hodiernis appellationum *tanquam ab abusu* formulis apprime respondet; & in eo maxime differt a Donatistarum appellatione, quam idem religiosissimus Princeps merito execratus est, de qua dicemus capite sequenti. Quæ explicatio novatorum quoque & aliorum aliquot opinionem refellet, qui judicia canonica principum imperio olim subjecta fuisse, hoc præcipue argumento ducti, sibi persuadent.

V. Eusebiani & Meletiani, infensissimi Athanasii hostes, decantatam illam fabulam calicis fracti, altaris eversi, & Arsenii Episcopi ab Athanasio cæsi in apertam accusationem vertunt. Synodum Tyriam a Constantino impetrant, quo se conferrent ex Europa, Asia, Africa & Ægypto sexaginta Episcopi a Principe ad arbitrium accusatorum delecti, qui criminum delatorum cognitionem susciperent. Quo misit etiam Princeps Dionysium Consularem, ut in synodo omnium rerum gerendarum Episcopos admoneret, *atque animadversor esset & custos conservandæ æquabilitatis & ordinis.* Concilium istud, quod partim ex Episcopis orthodoxis constabat, partim ex iis, qui occulte Arianam impietatem fovebant, omnem judiciorum ordinem insuper habuit. Etenim hostium Athanasii studiis eo res provecta est, ut Episcopi quidam in Mareotidem Ægypti regionem delegarentur, qui testimonia exciperent de calice fracto & altari everso. In quo quatuor peccata fuerant contra judiciorum ordinem & juris naturalis præscriptum. Primum est, quod a rejectione seu recusatione hostium suorum Athanasius exciderit. Secundum est, delegationem datam ab adversariis Athanasii, non vero ab integro Concilio. Tertium, delegatos fuisse suspectissimos homines, imo vero & apertissimos Athanasii hostes. Quartum, absente Athanasio, nec vocato, aut ejus Clericis, testimonia recepta fuisse ἐκ μονομεροῦς. Itaque Episcopi Ægyptii libello hæc vitia

Epistola Constantini apud Baron. an. 334. §. 2.

Libellus Episc. Ægypti apud Baron. an. 335.

(*) Multum se torquet auctor anonymus, qui an. MDCLXXXIV. edidit Leodii tractatum de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, ut ostendat, illustrissimum Archiepiscopum istic errasse in explicanda appellatione sancti Athanasii. Et tamen totus ille anonymi conatus eo tantum tendit, ut dicat, Athanasium non appellasse Constantinum tanquam judicem criminum sibi impositorum vel rei in Concilio Tyrio legitimæ gestæ, sed vim sibi sub Dionysii Comitis auctoritate factam ab Imperatore, qui eum miserat, reparari postulasse. Atqui Marca nihil aliud dixerat, quam Athanasium ab ea synodo damnatum confugisse ad Imperatorem, eum provocasse, illum vero appellationem ejus suscepisse & partibus diem dixisse, qua se in consistorio suo sisterent. Quod esse verissimum probant testimonia, quæ paulo post afferuntur ab illustrissimo Archiepiscopo. Nam, quod anonymus ait Tyriam synodum non fuisse legitimam, istud adjuvat causam Athanasii, qui Principis auctoritatem imploravit adversus sententiam latam a judicibus suspectis & inimicis, & non servato juris ordine. Quod, quid est aliud, quam justa causa appellationis tanquam ab abusu? Poterat ergo anonymus abstinere a convicio illo.

vitia synodo exponunt, obsecrantque, ne delegationem illam tam nefarie a paucis decretam, omnium sententia firment. *Quotquot*, inquiunt, *ex toto grege suspectissimi erant, Mareoten delegarunt*. Infra: *Ceterum, quia post sutelas suas, submissosque suspectissimos homines, audivimus eos singulos vestrum ambientes, postulare vestram subscriptionem, ut omnium vestrum Concilio id actum videri possit, ideo & nos ista scribimus, oramusque, ut suscepto Dei timore, indignantesque sine vestra auctoritate illos missos esse, quos ipsi voluerunt, abstineatis a subscriptione, ne, quas ipsi sutelas consuunt, eas tanquam vobis auctoribus factas jactitent*. Infra: *Æquum certe erat, siquidem legati Mareoten mittendi fuerant, nos quoque una cum illis præsto esse, ad hostes Ecclesiæ indicandos, peregrinosque eliminandos, ut purum istius rei scrutinium haberi possit*. Sane Dionysius Comes iniquo animo ferebat, legatos communi omnium sententia decretos non fuisse, ut patet ex ejus epistola ad Eusebianos; *Cum admonerem vestram bonitatem, legatos communi suffragio & judicio deligendos esse*.

Socrates l. 2. cap. 31. Græco: πρῶτον μὲν τοὺς περὶ Εὐσέβιον εἰς ἐχθροὺς παρεγράφετο, φάσκων μὴ δεῖν ὑπὸ ἀντιδίκων κρίνεσθαι. Infra: ὡς δὲ πεμπομένους εἶδεν οὓς παρεγράψατο.

VI. Quapropter Athanasius & Episcopi Ægyptii libello contestatorio (qui hodie in foro evocatorius diceretur) a Dionysio postulant, ne calumniis consarcinatis det locum, utque negotium integrum Imperatori servet, ne insidiis ab Eusebianis confictis innocentes premerentur. Unde colligere licet dolum, insidias, calumniam, & hostium, qui in illo Concilio judices sedebant, gratiam Athanasio & Ægyptiis occasionem dedisse, ut judicis ecclesiastici cognitionem ad consistorium Principis transferrent. Hoc docebunt verba ipsa libelli Dionysio oblati: *Cum multarum videremus calumniarum consarcinationem, & ex consarcinationibus insidias Eusebii, Narcissi, Flacilli, Theognii, Maris, Theodori & Patrophyli adversum nos, quos, quia principio detractantes rejicere non licuit, necessario ad hanc protestationem devenimus; præsertim, cum animadvertamus, multa ad gratiam Meletianorum, multa rursus ad insidias catholicæ Ecclesiæ sub nostris criminibus agitari, necessario ob id quoque hunc libellum tibi porrigimus cum multis obsecrationibus, ut Dei metu in animo servato, qui imperium augustissimi & pientissimi Imperatoris Constantini tuetur, cognitionem causarum nostrarum ipsi augustissimo Imperatori reserves. Æquum est enim, te ab Imperatore missum negotium hoc integrum retinere*.

Socrat. d. locut. ἰδὼν σκαιωρίαν τῶν καὶ δόλον τὰ γινόμενα.

Libellus contestatorius Dionysio Comiti oblatus apud eundem Bar.

VII. Attamen insuper habitis libellis contestatoriis, judicium redditur in Athanasium absentem & inauditum, qui episcopali dignitate sententia Concilii Tyrii dejectus est. A qua sententia Constantinum appellavit; qui ejus causæ suscepit cognitionem, eo, quod Athanasius de vi sibi per insidias illata, adversus fas omne, conquerebatur. Cujus rei fidem facit rescriptum Constantini, quod extat apud Athanasium. *Ego quidem ignoro*, inquit, *quid sibi velint ista, quæ a vestra synodo per tumultum & tempestatem judicata sunt. Mihi sane videtur, nescio quo pacto, veritas per immodestiam opprimi, dum per vestram contentionem, quam invictam cupitis, ea, quæ Deo placent, non consideratis*. Mox de Athanasio loquens: *Magna libertate nihil aliud postulavit, quam* (2) *ut vos huc evocari juberem; quo nobis præsentibus, quæ per vim passus esset, conqueri posset. Quod cum mihi æquum & temporibus meis congruum videretur, scripto vobis denuntiatum volui, ut, quotquot synodum Tyri absolvistis, sine omni tergiversatione* (3) *ad prætorium nostræ clementiæ conveniatis, re ipsa, quantum severitatis integritatisque sit in vestris sententiis, coram me ipso declaraturi*. Attamen cognitionis istius eventus male cessit Athanasio per fraudes Eusebianorum; qui sententiæ suæ contra judiciorum ordinem latæ viribus diffidentes, novam calumniam compingunt, scilicet minatum fuisse Athanasium, se cataplum seu frumentariam subvectionem, quæ classe Alexandrina Constantinopolim quotannis de-

Theodor. l. 1. c. 31 Socrate lib. 1. cap. 32. καθαίρεσιν ἐψηφίσαντο.

Rescriptum Constant. apud Athan. apol. 2. & apud Socratem cap. 32. μετὰ θορύβου καὶ χειμῶνος κριθέντα.

(2) Τὴν ὑμετέραν ἄφιξιν ἠξίωσεν ὑπάρξαι, ἵνα ὑμῶν παρόντων ἃ πέπονθεν ἀναγκαίως ἀποδύρασθαι δυνηθείη.

(3) Ἀνυπερθέτως εἰς τὸ στρατόπεδον τῆς ἡμετέρας εὐσεβείας ἐπειχθῆτε.

Theod. l. 1. c. 31 Socr. l. 2. c. 15. Græco.

ferretur, interversurum, quod redemptis testibus cum Principi probassent, ejus judicio in Gallias relegatur. Meminerunt utriusque sententiæ Episcopi orientis in epistola sua synodica apud Hilarium: *In præsentem Athanasium dignam pro criminibus sententiam dicunt. Propter quod Tyro fugiens Imperatorem appellat. Audit etiam Imperator; qui que interrogatione habita, omnia ejus flagitia recognoscens, sua illum sententia in exilium deportavit*. Ex Athanasii libellis & rescripto Constantini apertissime constat, Athanasium existimasse, in his angustiis liberum esse afflicto subsidium tuitionis imperatoriæ implorare, & Principis partes esse, ut perspiciat, an vis ulla contra præscriptum legum & canonum illata sit.

Epist. synod. Sardic. Episc. orient. apud Hilarium in Fragmentis.

CAPUT III.

De jure Imperatorum pristinorum circa alios judiciorum ecclesiasticorum articulos.

SYNOPSIS.

I. Auctoritas Principum Romanorum in plerisque capitibus judiciorum ecclesiasticorum expenditur. Dabant judices, sed clericos, in causis ecclesiasticis, e Concilio Milevitano, & e delegatione trium Episcoporum Galliæ in negotio Donatistarum a Constantino facta; qui una cum Melchiade de Cæciliano judicium ferrent. Ex illa delegatione Augustinus probat; contra Donatistas judicium illud non fuisse usurpatum.

II. Eadem judices dandi potestas probatur e Concilio Chalcedonensi.

III. Episcopis delegatis auctoritatem dabant judicandi eos, qui alias sibi subditi non essent, e Cyrillo Alexandrino.

IV. Metropolitano aut Patriarcha suspecto, ab una provincia judicium transferebant in aliam; e Concilio Berytensi, quod relatum est in Chalcedonensi.

V. Synodis a se indictis præscribebant judiciorum ordinem. Quod docetur aliquot exemplis. Theodosius irritum declaravit Concilium Ephesinum, quod fines præscriptos a Principe in modo procedendi excessisset. Causæ tamen cognitionem integram reliquit Concilio.

VI. Synodus Ephesina conqueritur, non de incompetentia Principis, sed de obreptione; quam legatis missis ostenderunt. Discussio, an ordo retentus esset a Concilio, fieri poterat in consistorio; ut fatentur orientales. Negotio discusso, Theodosius confirmat acta synodi Ephesinæ, quæ antea resciderat.

VII. Explicatur, in quo fines præscriptos a Theodosio excessisset Concilium Ephesinum absente Joanne Antiocheno & delegato Principis, judicium habuerat de Nestorio. De causis criminalibus pronuntiaverat, quas Princeps evocaverat Constantinopolim. Idem Theodosius ordinem causarum præscripsit Concilio Ephesino II. ut nullæ lites civiles agerentur ante quæstionem fidei. Jussit etiam Flavianum abstinere a judicio & sedere inter reos; quamvis ordinario jure aliter fieri debuisset.

I. Auctoritas Principum in aliis quoque judiciorum ecclesiasticorum articulis exercebatur, de quibus nunc agendum est: quamvis pleraque a nostris moribus sint aliena, atque ideo in usum deduci non possint, quin aperte sacerdotii & imperii concordia lædatur. Imperatores ergo Romani a sacerdotibus interpellati, judices dare poterant, sed clericos, qui de negotiis ecclesiasticis sententiam ferrent. Eam auctoritatem aperte Principibus asseruit Concilium Milevitanum secundum anno CCCCXVI. quod relatum est a Gratiano; *Placuit, ut, quicunque ab Imperatore cognitionem publi-*

publicorum judiciorum petierit, honore proprio privetur. Si autem episcopale judicium ab Imperatore petierit, nihil ei obsit. Usus istius auctoritatis manavit a Constantino in causa Cæciliani Carthaginensis Episcopi, qui per summam injuriam a septuaginta Episcopis Donati schismate infectis damnatus Ecclesiam retinebat. Qua de re conquesti sunt Donatistæ Anulino Proconsuli Africæ, impendio postulantes, ut fasciculum in aluta signatum cum libello sibi oblato ad sacrum comitatum dirigeret. Constantinus religiosissimus Princeps cognitionem criminis ecclesiastici (de traditione enim librorum sacrorum agebatur) adversus Episcopum suscipere noluit. Sed Donatistis acriter ea de re objurgatis, & Episcopos e Gallia, ubi Princeps tunc morabatur, sibi judices dari postulantibus, eo, quod Africana judicia per contentiones partium suspecta essent, Princeps pacis ecclesiasticæ studiosissimus tres Galliarum Episcopos, Maternum Agrippinensem, Reticium Augustodunensem, & Marinum Arelatensem delegavit, qui una cum Melchiade Romano Pontifice litem dijudicarent. Nec enim causa illa generalis, quæ totius Ecclesiæ communionem perturbabat, absque Romano Pontifice rite definiri poterat. Meminerunt Eusebius, Optatus, & B. Augustinus hujus delegationis; cujus sunt hæc verba in epistola ad Melchiadem: *Visum est mihi, ut idem Cæcilianus cum decem Episcopis, qui illum reum facere videantur, & decem aliis, quos ipse suæ litis dijudicationi necessarios existimaverit, Romam navigio trajiciat; ut ibi coram vobis, Reticio etiam & Materno, & Marino collegis vestris, quos ea de causa Romam maturare jusserim, possit audiri, sicut sanctissima Dei lex, ut nostis, postulat.* Judicio habito Romæ, Cæcilianus a Melchiade omnium episcoporum suffragiis absolutus est. Sententia enim sub Melchiadis nomine concepta est apud Optatum. Victi Donatistæ (ut hoc obiter dicam) Constantinum appellarunt post sententiam Melchiadis & synodi Arelatensis, ejus judicium postulantes. *Meum judicium postulant*, inquit Constantinus in epistola ad Episcopos, *qui ipse judicium expecto.* Cognitionem istam recusabat, licet Athanasii provocationem admisisset, eo, quod iste de insidiis & dolo synodi Tyriæ conquereretur, illi vero de iniquitate judicii, quam discussionem a se Constantinus amovit. Ceterum, ut pateat an Constantini delegatio alicujus momenti haberetur tempore Augustini, observandum est, Donatistas sententiam Melchiadis refellere solitos, quod ab Episcopis transmarinis lata esset, quibus ex Africanæ Ecclesiæ privilegio judicia Africanarum causarum etiam ex appellatione usurpare non licebat. Excipit Augustinus de Constantini Imperatoris delegatione. *An forte non debuit*, inquit, *Romanæ Ecclesiæ Melchiades Episcopus cum collegis transmarinis Episcopis illud sibi usurpare judicium, quod ab Afris septuaginta, ubi Primas Tisigitanus præsedit, fuerat terminatum? Quid, quod nec ipse usurpavit? Rogatus quippe Imperator judices misit Episcopos, qui cum eo viderent, & de tota illa causa, quod justum videretur, statuerent. Hoc probamus & Donatistarum precibus & verbis ipsius Imperatoris.* Non disputo, an summo jure Melchiadi liberum fuisset de causa Cæciliani judicium agere. Id tantum ajo, ex sententia Augustini, decretam a Constantino delegationem judicium transmarinum ita constituisse, ut Donatistis de foro non competente excipere non licuerit.

Vide collat. 1. Carthagin. c. 55.176.220. & collat. 3.c.316. & seqq.

Vide lib. 2. c. 7. §. 2.

Vide lib. 5. c. 12.

Apud Euseb. lib. 10. cap. 5. ex versione Christophorsoni.

Constant. ep. ad Episc. cathol.

Aug. ep. 162.

II. Ex illa constituendi judicii ecclesiastici auctoritate proficiscitur, quod Bassianus depulsus a sede Ephesina libello petivit a Marciano, ut decerneret, hac de re cognitionem a Concilio Chalcedonensi suscipi: *Supplico vestræ pietati, & provolvor divinis vestris sacratisque vestigiis, quatenus sancire dignetur vestra cœlestis potestas, sacra vestra subnotatione missa ad sanctum Concilium, ut cognitio fiat inter me miserrimum & eos, qui in me talia perpetrarunt, ac dicunt, se aliquid adversum me habere.* Princeps causam illam synodi judicio permisit, rescripto ad eam misso, quod verbis perquam modestis conceptum est: *Festinet igitur vestra reverentia, has nostras suscipiens literas, causam discutere, & formam, quæ vobis visa fuerit, proferre.* Inde etiam manavit, quod Eusebius Dorylæi Episcopus non ante cum Dioscoro congredi voluerit in Concilio Chalcedonensi & adversus eum accusationem instituere, quam libello a Marciano contendisset, ut cognitionem illam Concilio demandaret: *Provoluti precamur vestram clementiam, ut præcipiatis reverendissimum Episcopum Dioscorum respondere de his, quæ ei a nobis ingeruntur.* Infra: *Sacrum & venerabile vestrum mandatum dirigentes sanctæ & universali synodo religiosissimorum Episcoporum, quo possit inter nos & præfatum Dioscorum audire & perferre ad scientiam vestræ pietatis omnia, quæ geruntur.*

Act. XI. Conc. Chalc. ὅπως θεσπίσαι καταξιώσῃ τὸ ὑμῶν κράτος διὰ θείας ὑμῶν

ὑποσημειώσεως καταπεμπομένης πρὸς τὴν ἁγίαν σύνοδον, διάγνωσιν συγκροτηθῆναι.

Rescriptum Marciani: θελησάτω τοίνυν ὑμετέρα εὐλάβεια δεξαμένη ταῦτα ἡμῶν τὰ θεῖα γράμματα, ζητῆσαι τὰ τοῦ πράγματος, καὶ τύπον δοῦναι τὸν ὑμῖν παριστάμενον.

... I Conc. Chalc. δεόμεθα καὶ προσπίπτομεν τῷ ὑμετέρῳ κράτει θεσπίσαι. Infra: θείων καὶ προσκυνουμένων ὑμῶν μανδάτων καταπεμπομένων τῇ ἁγίᾳ καὶ οἰκουμενικῇ συνόδῳ, &c.

III. Non solum autem eis Episcopis judicium delegabant, qui ordinario jure intra provinciam suam judicium ferre possunt; sed etiam extra territorium jurisdictionem aliquando prorogabant. Hanc prorogandæ jurisdictionis ecclesiasticæ auctoritatem respiciebant Cyrillus Patriarcha Alexandrinus & Memnon Episcopus Ephesiorum in libello, quem Concilio Ephesino porrexerunt. Conqueruntur, se a Joanne Antiocheno per summam injuriam damnatos, etsi nulla penitus illi competeret auctoritas ad judicium illum reddendum, neque ex legibus ecclesiasticis, neque ex Principis edicto. Unde patet, synodis Episcoporum in eos, qui sibi secundum canones alias subditi non essent, prorogari jurisdictionem mandatis Principum solenne fuisse. *Et quidem*, inquiunt, *nec per leges ecclesiasticas, nec per imperiale decretum potestatem habuit, qua fultus vel quempiam ex nobis judicare vel omnino simile quippiam attentare posset, præsertim vero contra majorem sedem.*

Vide secundam præfationem Marcæ §. 9.

Libellus Cyrilli & Memnonis oblatus synodo Ephesinæ p. 2. act. 4. καίτοι οὔτε ὑπὸ θεσμῶν ἐκκλησιαστικῶν, οὔτε ὑπὸ θεσπίσματος βασιλικοῦ ἐξουσίαν ἔχων τοῦ δικάσαι τινὶ ἡμῶν, ἤγουν ὅλως ἐπιχειρῆσαί τι τοιοῦτο, μάλιστα κατὰ μείζονος θρόνου.

IV. Si quis etiam Episcoporum de Metropolitani aut Patriarchæ suspicione quereretur, literis suis judicium ab ea sede avocabant, & in aliam provinciam transferebant. Ibas Edessenorum Metropolitanus, Joannes & Daniel Episcopi, de hæresi a clericis accusati coram Domno Patriarcha Antiocheno, etsi lis contestata fuisset in synodo Antiochiæ, rescripto tamen & auctoritate Theodosii Imperatoris, ex sententia Flaviani, Archiepiscopi Constantinopolitani, ab Osrhoena provincia ad provinciam Phœniciæ translati sunt, ut a Photio Episcopo Tyri, Eustathio Beryti, & Uranio Himeriorum Episcopo judicibus datis judicium de accusatione ferretur. Damascius Tribunus, sicut ei mandatum erat a Theodosio, in orientem se contulit, & accusatores una cum reis Episcopis in colonia Tyri judicibus delegatis exhibuit. Judices vero commonitorium Principis a Damascio prolatum actis inseri jusserunt, ut de collata sibi a Principe cognitione constaret: *Pium commonitorium dignetur tua magnificentia demonstrare, ut per omnia intentionem piissimi & Christianissimi Imperatoris nostri sequamur. Præfulgere etenim debet his gestis.*

Concil. Chalc. act. X. προσμηνύειν γὰρ ὀφείλει ταύτης τῆς πράξεως.

V. Alio etiam eoque eximio jure utebantur Principes in præscribendo judiciorum ordine, quæ in synodis a se indictis peragenda erant. Hinc profectum est, ut præcipuos magistratus delegarent, qui Conciliis interessent, non solum, ut vis publica & tumultus arcerentur, sed etiam, ut ab Episcopis cognitionum ordo servaretur. Quare Dionysius Comes, ut vidimus supra, a Constantino ad Concilium Tyrium missus est, ut *animadversor esset & custos conservandæ æquabilitatis & ordinis.* Theodosius Candidiano Comiti retinendi ordinis curam in synodo Ephesina injunxit; sed angustioribus finibus mandatum coercuit, scilicet ad submovendos tumultus monachorum & laicorum, mutuas Episcoporum contentiones impediendas, & suffragium cujusque liberum conservandum. Concilio Ephesino secundo adfuit Elpidius Comes cum Theodosii mandatis amplioribus, nempe, ut, tranquillitate

Epi-

Episcopis procurata, cognitiones *ex ordine* instituerentur, καὶ ἐν τάξει τῇ προβῆναι τὰ τῆς ὑποθέσεως. In Concilio Chalcedonensi eminentissimi magistratus, quo quidque ordine gerendum sit, præscribunt. Tanta autem severitate hac in parte a Conciliis obedientiam Principes exigebant, ut, si præscriptum sibi judiciorum ordinem egressa fuissent, quicquid neglecta cognitionis lege decretum foret, Principes in irritum mitterent, ut patet ex Theodosii rescriptis adversus synodum Ephesinam latis. Theodosius omnibus Metropolitis synodum generalem Ephesi celebrandam ad Pentecosten anni quadringentesimi trigesimi primi indixit, ut communi omnium Episcoporum suffragio rebus Ecclesiæ consuleretur coram Comite Candidiano, qui tranquillitati synodi prospiceret. Joannes Antiochenus Patriarcha plusquam dies quindecim ultra condictum diem in itinere moratus Cyrillo Alexandrino & reliquis patribus significat, non esse, quod diutius expectaretur, seque absente de Nestorio quæstionem haberi posse. Itaque Nestorio, qui Ephesi præsens aderat, tribus edictis intra triduum in jus vocato, & se synodo sistere renuente, causanteque Joannis Antiocheni absentiam, cujus adventus intra quatriduum expectabatur, de fidei causa deliberatum est, atque *absente Candidiano* Nestorius sententia omnium Episcoporum dejectus est. Joannes Antiochenus, qui statim post damnatum Nestorium Ephesum appulerat, ægerrime tulit, se absente sententiam latam; ideoque a Concilio secedens, ex triginta Metropolitanis, quos secum duxerat, Conciliabulum quoddam coegit, Cyrillumque Alexandrinum & Memnonem Ephesium, veluti turbarum auctores, episcopatu dejecit; & vicissim Joannes & orientales Episcopi germanæ synodi Ephesinæ judicio a functionibus sacerdotalibus suspensi sunt. Quibus de rebus cum Candidianus ad Theodosium retulisset, (*) ille rescripto suo quæcunque gesta erant & decreta a synodo rescidit, ex eo scilicet capite, quod Concilium integrum non fuisset, & a præscripta literis imperialibus forma patres discessissent; jussitque, ut omnia deintegro discuterentur, atque ex communi omnium sententia fidei regula constitueretur. Præterea se legatum quendam e palatio missurum monuit, qui una cum Candidiano, quæ acta essent, perspiceret, eaque prohiberet, quæ legitimo ordini adversarentur. Quibus verbis significatur tam dejectio Cyrilli & Memnonis ab orientalibus Episcopis, quam Nestorii depositio, & Joannis orientaliumque suspensio a synodo Ephesina decreta. Hoc Theodosii rescriptum magni momenti mihi quidem esse videtur, ut fines jurisdictionis regiæ, quando de politia ecclesiastica violata agitur, recte constitui possint. Etenim Theodosius, quæ canonum & legum rescriptorumque suorum ordine non servato gesta sunt, rescindit quidem, sed causæ ipsius integram cognitionem synodo relinquit. Custos est ordinis canonici, non autem executor canonum. Verba rescripti hæc sunt: *Proinde sacræ majestati nostræ placuit, talem procedendi modum nullum habere locum aut momentum, his vero, quæ inepte & citra ordinem gesta sunt, cessantibus, doctrinam de pietate prius, sicuti decretum fuit, discuti, eamque juxta communem totius synodi sententiam in posterum obtinere.* Infra: *Et quispiam e sacro nostro palatio una cum magnificentissimo Candidiano Comite destinetur, qui nostro jussu, quæ acta sunt, cognoscat, quique, quæ legitimo ordini dissentanea sunt, prohibeat.*

Commonitorium Elpidio datum, act. 1. Concil. Chalcedon.

In actis conciliabuli part. 2. Ephes. C. [illegible] ὅθεν δέδοκται τῇ ἡμετέρᾳ θειότητι, χώραν μὲν τὴν τοιαύτην μηδαμῶς ἔχειν ἀκολουθίαν· τῶν δὲ ἀνακολούθως γεγενημένων ἀργούντων, τοὺς περὶ τῆς εὐσεβείας λόγους, ὥσπερ ἐδέδοκ-

τὸ προάστειον ἐξεταθῆναι, καὶ μετὰ τὸ κοινῇ πάσῃ τῇ συνόδῳ δόξαν εἰς τὴν ἑξῆς χρόνον κρατεῖν. Infra: τὰ πεπραγμένα κατὰ κέλευσιν ἡμετέραν εἰσόμενος, καὶ κωλύσων τὰ ἀνακόλουθα.

VI. Synodus Ephesina, his literis acceptis, non expostulat cum Theodosio de usurpata jurisdictione; sed conqueritur, a Candidiano obreptum Principi fuisse, ante quam ex epistola synodica de rerum gestarum ordine certior factus esset. Quare obsecrat, ut Candidianum una cum Episcopis quinque a Concilio delegandis evocet, qui ejus pietati comprobent, omnia canonice peracta fuisse: δεόμεθα τὸ ὑμετέρου κράτους μεταστεῖλαι πάντη τῆς ἁγίας συνόδου συνησομένους τοῖς πεπραγμένοις ἐπὶ τῆς ὑμῶν εὐσεβείας. Unde patet, non abnuere Concilium, quin Princeps cognoscat, an ordo canonicus & legitimus in synodo a patribus retentus fuerit. Theodosius statim Joannem sacrarum largitionum Comitem Ephesum mittit; qui rebus omnibus accurate discussis, orientalium calumnias detexit, & synodo indulsit, ut septem Episcopos ad comitatum delegaret. Eadem facultas concessa est orientalibus, qui mandatis suis instructos septem etiam Episcopos ad Principem destinarunt. Sed mandati illius verba expendenda sunt; quæ docent, maximam illam contentionem de ordine servato vel interverso discuti posse, aut a Principe ipso, aut intra consistorium, vel in senatu, aut in synodo Episcoporum, prout Principi collibuisset: *Si quæstio habeatur de rebus controversis, vel apud piissimum Principem, vel in sacro consistorio, vel apud sacrum senatum, vel in synodo patrum.* Cum autem utriusque partis legati Constantinopolim se contulissent, perspecto rerum actarum ordine, synodum Ephesinam *canonice* Nestorii causam discussisse Theodosio constitit; ideoque statim acta synodi edicto confirmavit.

Cyrillus in ep. ad Theopemptum.

Mandatum orient. εἴτε ἐπὶ τοῦ εὐσεβεστάτου βασιλέως, εἴτε ἐν κωνσιστωρίῳ, εἴτε ἐπὶ τῆς ἱερᾶς συγκλήτου, εἴτε ἐν συνόδῳ πατέρων ὁ λόγος κοινοῖτο περὶ τῶν ζητουμένων.

VII. Ceterum non eo solum nomine conquestum vidimus Theodosium, quod pleno & integro Concilio negotia discussa non fuissent in synodo Ephesina, sed eo etiam, quod a forma literis suis perscripta temere discessum fuisset. Liberum enim sibi esse Principes existimabant, ut rerum gerendarum ordinem etiam Conciliis œcumenicis præscriberent, quemadmodum superius dixi. In duobus autem capitibus præcipue fines præscriptos a Principe patres excesserant. Unum est, quod absente Candidiano judicium adversus Nestorium peregerant. Alterum, quod, licet synodo Princeps denuntiasset, nullam civilem aut criminalem causam, etiamsi ecclesiastica esset, movendam esse adversus quempiam Episcoporum vel in synodo, vel in publico judicio, sed omnia ejusmodi Constantinopolim avocanda, attamen Cyrilli & Memnonis Joannisque & orientalium damnationes subsecutæ legem datam violaverant. Eandem rationem secutus est postea idem Theodosius in secunda Ephesina synodo. Prohibuit enim commonitorio suo, quod Elpidio Comiti datum est, ne lites ullæ instituerentur in synodo, antequam fidei quæstio finem accepisset. Præterea autem vetuit, ne Flavianus Episcopus Constantinopoleos aut ceteri Episcopi, qui sententiam adversus Eutychem in synodo Constantinopolitana dederant, suffragium suum ferrent in Concilio Ephesino. Elpidius executionem mandati hac in parte graviter ursit, Theodosio ordinem rerum vindicans his verbis: *Impera-*

Capite 14. p. 3. Concil. Ephes. ἐπληροφορήθη ὁ βασιλεὺς, ὡς ἡ ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ σύνοδος πάντα κανονικῶς καὶ ἀκολούθως πέπραχε.

(*) Quæ istic edisserit illustrissimus Archiepiscopus de Theodosio in irritum mittente ea, quæ adversus Cyrillum & Memnonem gesta erant a Joanne Antiocheno, & ea quoque, quæ a germana synodo Ephesina decreta erant adversus eundem Joannem & Episcopos orientales ei conjunctos, ea omnia certissima sunt, & is usus constanter & perpetuo in Ecclesia catholica retentus est, ut Principes synodis præscriberent ordinem rerum gerendarum, & ea in irritum decretis suis mitterent, quæ perperam gesta erant in Conciliis. Ut mirum valde sit, auctorem anonymum tractatus de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ ausum esse scribere, nescire se, an salva fide tanta Principibus secularibus in Concilia tribui possit auctoritas, adeo, ut iniquitatis maculam inurat illustrissimo Archiepiscopo, quod ista scripserit. Sed tamen id admodum mirum videri non debet in homine, qui paulo post Theodosium Augustum vocat improbum, propterea, quod Flavianum, uti mos judiciorum est, inter reos haberi jusserit in secundo Concilio Ephesino, eo, quod sententiam adversus Eutychem dedisset, non attendens ad eximias laudes, quibus memoriam Flaviani, quem innocentem repererat, alibi prosequitur idem Theodosius. Videlicet sunt homines quidam, velamen malitiæ habentes justitiam, qui malunt convellere ac perturbare statum Ecclesiæ & audacter negare, quæ veneranda antiquitas nobis tradidit, quam agnoscere eam auctoritatem, quam Christus Deus & Dominus noster commisit Principibus ad tuendam conservandamque religionem Christianam & tranquillitatem Ecclesiæ procurandam. Tantum religio potuit suadere malorum.

In Syn. Chalcedon. Act. I. ὁ θειότατος βασιλεὺς πληρῶν πρῶτος αὐτὸς τὴν τάξιν τῶν νόμων, ὧν ἐστι καὶ εὑρετὴς καὶ φύλαξ, παρεκελεύσατο τοὺς κρίναντας ἤδη, ἐν τάξει κρινομένων ὑπάρχειν.

Imperator adimplens ipse primus ordinem legum, cujus est conditor & custos, jussit eos, qui semel judicaverunt, judicandorum locum obtinere. Itaque Theodosius Flavianum & Synodum Constantinopolitanam eodem loco habuit, quo ceteros judices, a quibus provocari potest, qui judiciis non intersunt, in quibus de eorum appellatione cognoscitur. Quin etiam, cum a canonibus constitutum sit, illi similem pœnam indicendam, qui contra canones excommunicationis aut dejectionis sententiam protulerit, Theodosius eum cognitioni synodi ordinem præscripsit, ut Flavianus inter reos haberetur. Alio tamen jure usi fuerant Episcopi orientales, qui Antiochiæ in Athanasium sententiam dixerant. Illis enim & Julius, qui eos literis suis Romam ad secundum judicium evocabat, & Constantius & Constans Imperatores, qui synodum Sardicensem indixerant, suffragia integra reliquerunt, quæ una cum occidentalibus Episcopis in synodo conferrent. Discrimen ex eo proficiscitur, quod Concilii Antiocheni ratio habita fuit perinde, ac si appellari ab ejus judicio non posset, sed tantum retractationis cognitio institui, ut fieri solebat adversus sententias Præfectorum prætorio. At synodus Flaviani non eo jure potita est, sed eo loco habita, ac si ab ea provocari posset. Quod non alia ratione nitebatur, quam mero Theodosii arbitrio, qui ordini hujus cognitionis, quas voluit, leges præscripsit, etsi a ceterorum judiciorum ordine alienas.

CAPUT IV.

De jure Imperatorum pristinorum suspendendi & rescindendi judicata synodorum.

SYNOPSIS.

I. Principes aliquando suspendebant prioris synodi judicatum, nova synodo indicta. Quod factum a Theodosio in causa Nestorii. Qui damnatus a synodis Romana & Alexandrina, nisi resipisceret intra decem dies. Theodosius, synodo Ephesina indicta ad petitionem Nestorii, interim nihil innovari jussit. Ostenditur, a Concilio habitam rationem suspensionis.

II. Auctoritas Theodosii interpellata a Leone, ut suspendi juberet executionem secundæ synodi Ephesinæ, in qua Dioscorus omnia per tumultum egit contra canones; deposito Flaviano. Leo hanc synodum reprobat in Concilio occidentali. Sed auxilium Principis implorat adversus orientales. Iis verbis utitur, quæ auctoritatem Principum in hac re significant.

III. Leo de iniquitate synodi judicium tulit. A Principe vero petit rescissionem, ex eo capite, quod per vim & contra canonum ordinem omnia gesta essent. Vir eruditissimus putat, a Leone peti prioris legis revocationem, qua Theodosius synodum Ephesinam confirmaverat. Sed nondum resciverat, legem illam latam fuisse. Refutati novatores, qui a Principe solo rescissionem synodorum tunc pependisse volunt. Theodosius noluit satisfacere desiderio Leonis. Sed Marcianus indixit synodum Chalcedonensem, quæ necessariam putavit Principis legem ad Synodum Ephesinam rescindendam, quam a Principe obtinuit.

IV. Legati Romani implorant auxilium judicum in Synodo Chalcedonensi adversus illius synodi decreta, quæ canonibus Nicænis erant contraria.

V. Principes restaurationem judiciorum ecclesiasticorum rescriptis suis permittebant. Qua de re alibi.

VI. Ab Episcopis, quos in causis ecclesiasticis delegabat Princeps, ipse appellabatur, e Justiniano. Quod obtinebat in civilibus negotiis & criminalibus, etiam Episcoporum, tempore Gregorii Magni, quod ipse rectum esse scripsit. Lis in appellatione commissa Diacono sedis Romanæ & uni e magistratibus. Judicium vero latum a Principe.

VII. Apud Græcos posterioribus seculis jus illud continuatum. Imo recusata synodo Patriarchæ a reo, Imperator causam ecclesiasticam ad suum tribunal traxit, e Balsamone, qui hoc factum non probat, quamvis judicem secularem adjungi posse a Principe judici ecclesiastico putet. Quibusdam quoque tunc visum, a sententia Patriarchæ Principem appellari posse cum distinctione.

VIII. Qua ratione Principes Romani se gesserint in judiciis canonicis, secundum ea, quæ superioribus capitibus observata sunt.

I. NOn solum autem judicia ecclesiastica Principes ordinabant, sed etiam aliquando synodo indicta ad controversias dirimendas prioris sententiæ in judicio ecclesiastico latæ executionem * suspendebant. Ejus suspensionis exemplum, quamvis scelerato homini indultæ, dissimulare non debemus. Is erat Nestorius, vesanæ hæreseos, quæ Christum dividebat, auctor, quem Cœlestinus Pontifex communione Ecclesiæ catholicæ dejecit, nisi decem dierum intervallo ab admonitionis die numerandorum nefariam doctrinam suam conceptis verbis anathematizaret, literis ad Cyrillum Alexandrinum & Nestorium hac de re datis. Cyrillus synodo Alexandriæ coacta in eandem sententiam cum Cœlestino consensit, & Nestorium sui officii commonuit, missa ex auctoritate utriusque synodi damnationis sententia, nisi intra decem dies resipisceret. Nestorius de injuria sibi illata apud Theodosium conqueritur, & synodum generalem indicendam curat. Quod vix animadversum est, quia Nestorii petitio rescripto Principis inserta non est. Ejus tamen Cœlestinus fidem facit in epistola ad clerum Constantinopolitanum: *Quis petitorem synodi, inquit ille de Nestorio loquens, crederet synodo abfuturum? Campum ad certamen exposcit; sacerdotale postulat, cui non erat adfuturus, examen.* Basilius quidem monachus synodi indictionem apud Theodosium libello dato ursit; sed Nestorii precibus coactam fuisse constat. Quod ad rem nostram attinet, rescripto suo Theodosius Concilium generale Ephesi celebrandum indixit; sed nihil innovari a quoquam ante synodi cognitionem jussit. Itaque executio sententiæ a synodis Romana & Alexandrina adversus Nestorium decretæ suspensa fuit a Principe, ne præjudicium aliquod fieret cognitioni futuræ synodi œcumenicæ: *De indicta autem sanctissima synodo nostra serenitas ad omnes omnino Deo dilectos Episcopos Metropolitanos literas scripsit; quo nimirum hac tandem ratione turbæ, quæ ex multis dissidiis & concertationibus hinc inde enatæ sunt, rite secundum ecclesiasticos canones consopiantur, & illa præterea, quæ parum decenter hactenus admissa sunt, corrigantur, & pietatis denique, quæ in Deum est, publicæque utilitatis firmitati consulatur. Ceterum ante sanctissimam coactam synodum communemque ejusdem, quæ de omnibus dabitur, sententiam, nihil quicquam in nulla prorsus re privatim a quoquam innovetur.* Equidem non perspicio, qua ratione hanc suspensionem Theodosius decernere potuerit, nisi petitioni Nestorii, qui se indicta causa damnatum conquerebatur, ejusque, si lubet, appellationi locum demus, quæ ad Concilium indicendum Theodosium provocavit; ita, ut interim appellatione pendente, vel si mavis, restitutione in integrum, nihil innovaretur. Cujus suspensionis tantum abest ut querelam moverint patres in Concilio Ephesino, quin potius rescriptum actis inseri jusserint, & suspensionis rationem omnino habuerint. Nam conventus est tribus edictis Nestorius, ut se se synodo adjungeret & una cum ceteris Episcopis consideret, quemadmodum loquitur Petrus Episcopus Lampæ; scilicet, *ut (1) fidei doctrinam una cum synodo discuteret*, sicut retulit Joannes Hephæsti Episco-

* Vide infra pag. 361.

Cœlestin. ep. ad Cyrill. & ep. ad Nestorium. Vide Responsionem ad Notas Holstenii, inter Prolegomena.

Epist. Theod. 1. p. Concil. Ephes. n. 32. τήν τε ἐκ τῶν ἀμφισβητουμένων συμβαίνουσαν ταραχὴν κατὰ τοὺς ἐκκλησιαστικοὺς κανόνας διαλυθῆναι. Infra: μηδεμίας πρὸ τῆς ἁγιωτάτης συνόδου, καὶ τοῦ μέλλοντος παρ' αὐτῆς κοινῇ ψήφῳ ἐφ' ἅπασι δίδοσθαι τύπου, καινοτομίας ἰδίᾳ παρά τινων γινομένης.

Act. 1. Concil. Ephesino 1. παραγίνεσθαι ὅπως τῇ ἁγίᾳ ὑμῶν συνόδῳ καὶ συνεδρεύσαι. (1) Παρόντος

αὐτῷ τῆς θεοσεβείας τοὺς περὶ τῆς πίστεως κατεξετασθῆναι λόγους.

Episcopus; ipseque passim actione prima Concilii Deo amantissimus Episcopus dicitur. Deinde ipsa damnationis Nestorii formula nunc primum illum episcopali dignitate dejecit, non autem antea dejectum fuisse pronuntiat.

II. His adjiciendum, auctoritatem quoque Principum a Romanis Pontificibus interpellatam, ut res contra canones a synodis gestas restituerent in integrum, aut saltem earum executionem suspenderent, donec majori synodo omnia componerentur. Cujus rei illustrissimum exemplum præbet Leo I. in causa Flaviani. Eutyches Presbyter & Archimandrita Constantinopolitanus, nefandæ hæreseos auctor, damnatus a Flaviano Archiepiscopo Constantinopoleos & ab ejus synodo, ad Concilia omnium Patriarcharum cum provocasset, a Theodosio Imperatore impetravit Concilium Ephesinum secundum; cui ex rescripto Principis præfuit Dioscorus Alexandrinus. Recte & ex ordine indictum erat Concilium, cui & Legati Romanæ sedis ceterique Patriarchæ aderant; ita, ut nihil huic conventui videretur deesse, quo minus pro Concilio œcumenico haberetur. Sed Dioscorus omnia per tumultum vi manuque miscuit, Eutychem, qui se orthodoxum profitebatur, restituit, Flavianum & Eusebium Episcopum Dorylæi damnavit, eo prætextu, quod adversus canones Eutychem gradu suo dejecissent; ceteris Episcopis per minas & terrores ad Flaviani & Eusebii damnationem adactis. Huic judicio intercessit Flavianus recusato Dioscoro, & Legati Romani contradixerunt; quibus scripto, ex more Conciliorum, libellum appellatorium porrexit Flavianus, ut auctoritate & studio Romani Pontificis alterum Concilium institueretur. Et Leo quidem, hujus calamitatis nuntio accepto, Italiæ Concilium in Romana urbe cogit; in quo quid actum sit, malo verbis Hilari Diaconi proferre, quam meis: *Vestra itaque veneranda clementia cognoscat a præfato Papa Leone, cum omni occidentali Concilio reprobari omnia, quæ in Epheso contra canones per tumultus & odia secularia a Dioscoro Episcopo gesta sunt, & nulla ratione hæc in his partibus suscipi posse; quia per potentiam prædicti* (id est, Dioscori) *non sine læsione fidei & præjudicio sanctissimi viri innoxiique Flaviani commissa sunt.* Sed quia de Concilii œcumenici decreto agebatur, quod, etsi repudiatum esset Romæ, nec unquam suscipi posset in occidente, magno studio fovebatur a quamplurimis orientalibus Episcopis, necessario Theodosii auxilium Pontifex implorat, eumque obsecrat, ut, quæ gesta sunt aut a Flaviano contra Eutychem, aut ab Ephesino Concilio contra Flavianum, decreto suo rescindat, aut suspendat, donec a numerosiori Concilio his tumultibus consulatur. Ea sunt verba Leonis; a quibus scribendis temperasset, nisi illi constitisset de auctoritate, qua potiebatur Princeps; præsertim, cum ab eo non Concilii Romani executionem postulet, sed, ut ipse rescripto suo omnia restituat, quæ per vim contra canones acta erant. Cui decreto orientales parituros non dubitabat, qui scirent, quæ Principum esset auctoritas in iis rescindendis, quæ vi & metu definita erant. *Ecce ergo, Christianissime & venerabilis Imperator, cum consacerdotibus meis implens erga reverentiam clementiæ vestræ sinceri amoris officium, cupiensque vos placere per omnia Deo, cui pro vobis ab Ecclesia supplicatur, ne ante tribunal Christi Domini de silentio rei judicemur, obsecramus coram unius deitatis inseparabili trinitate, quæ tali facto læditur, cum ipsa vestri sit custos & auctor imperii, & coram sanctis angelis Christi, ut omnia in eo statu esse jubeatis, in quo fuerunt ante omne judicium, donec major ex toto orbe numerus sacerdotum congregetur.* De Flaviano agi, docent ultima epistolæ verba; ubi & Legatos reclamasse, & Flavianum libellum appellationis dedisse, ideoque generalem synodum a Principe cogendam, ut appellatio discutiatur, ex canonibus Nicænis, id est, Sardicensibus, Leo probare conatur. In epistola vero ad Pulcheriam Augustam data Flaviani communionem a se retineri ajunt; simulque postulationis suæ æquitatem ex eo probant & Leo & Romana synodus, quia, quod factum est sine consideratione justitiæ & contra omnium canonum disciplinam, ratum haberi nulla ratio permittit. Unde concludunt, ut, quia dissensionis scandalum non abstulisset Ephesina synodus, sed auxisset, habendo intra Italiam Concilio & locus constitueretur & tempus; omnibus querelis & præjudiciis partis utriusque suspensis, quo diligentius universa, quæ offensionem generaverant, retractentur. Quod ut obtinere possint, pietatem Pulcheriæ Augustæ, quæ labores Ecclesiæ semper adjuvabat, enixe interpellant, ut eorum supplicationem apud Principem, sibi specialiter a beatissimo Petro legatione commissa, dignetur asserere.

Vide lib. 7. cap. 6. §. 5.

Vid. lib. 7. cap. 7. §. 1.

Hilarus in ep. ad Pulcheriam p. 1. Concil. Chalced. n. 24.

Leonis ep. ad Theodosium.

III. Leo de iniquitate judicii Ephesini sententiam tulerat. A Theodosio vero suspensionem postulabat, quia per vim, & judiciorum ordine non servato, canones violati erant. Illustrissimus Cardinalis Perronius alio modo hoc componit. Ait enim, quod attinet ad ecclesiasticam & spiritualem auctoritatem, synodum Ephesinam a Leone in irritum missam, a Principe vero, quod attinet ad secularem potestatem, quæ necessaria videbatur ad rescindendam priorem legem, qua Theodosius acta illa Ephesina & Flaviani damnationem confirmaverat. Sed, pace tanti viri dixerim, non ob eam rationem summus Pontifex a Theodosio decretum illud suspensionis postulavit, cum nondum relatione ulla accepisset synodum Ephesinam a Principe confirmatam. Quod apertissime demonstratur ex eo, quod Flaviani necem nondum resciverat: quamvis post triduum a damnatione obiisset, nondum soluta synodo. Per Hilarum enim Diaconum, qui statim Epheso fugiens Romam erat reversus, cladem illam accepit. Ad cujus relationem suas literas ad Theodosium & ad Pulcheriam dedit, & ad clerum plebemque Constantinopolitanæ urbis. In hac ultima epistola meminit Flaviani tanquam superstitis. Quare, qui nondum de ejus nece certior erat factus, non potuit rescire legem Theodosii, quæ post aliquot dies a soluta synodo data erat. Nihil ergo reverentius erga sedem apostolicam neque verius dici potest, quam suspensionem rei judicatæ ideo Leonem petivisse a Theodosio, quod Ecclesiæ causam juvari auctoritatis regiæ præsidio, quæ tunc in judiciis ecclesiasticis in oriente obtinebat; scilicet, ut ea, quæ canonice & servato judiciorum ordine peracta non erant, aut rescinderet aut suspenderet, quemadmodum Ephesinam primam synodum resciderat. Quod, si æquo animo & semotis partium studiis a novatoribus expenderetur, non ex hac Leonis epistola collegissent, a solo Principe, non autem a summo Pontifice, rescissionem eorum, quæ perperam in synodis gesta essent, tunc pependisse. Enimvero, etsi Valentiniani, & Placidiæ, Liciniæ, & Gallæ Augustarum literis commendaretur hæc tam justa & necessaria Leonis obsecratio, a Theodosio extorqueri non potuit, ut res semel judicatas adversus Flavianum refricari fineret. Qua de re ad Leonem & Valentinianum scripsit. Unde constat, Theodosio persuasum fuisse, Concilii Romani præjudiciis se adeo non urgeri, quin libera sibi superesset restitutionis, de qua rogabatur, disceptatio. Quod tamen a Theodosio impetrari non potuit, Marcianus Augustus precibus Leonis indulsit, indicto Concilio Chalcedonensi. Concilii vero patres secundum sententiam Paschasini Legati Romani a Marciano poposcerunt, ut Ephesini latrocinii potius quam Concilii vires lege lata infringat: *Necessarium est, ut rursus eundem tranquillissimum & Christianissimum Principem adeamus, quatenus illud Concilium sacra propria lege neque nominari præcipiat.*

Illust. Card. Perron. c. 25. Replic.

Leo ep. ad clerum & plebem Cp. *Quisquis enim incolumi atque superstite Flaviano Episcopo vestro sacerdotium ejus ausus fuerit invadere, nunquam in communione nostra habebitur, nec inter Episcopos poterit numerari.*

Theod. in ep. ad Liciniam: *οὐδὲν ἕτερον τοῦ λοιποῦ μετὰ ταῦτα δυνατὸν ὁρίσαι περὶ τῶν ἅπαξ ἤδη τετυπωμένων.*

Paschasinus act. X. Concil. Chalcedon. *ὥστε ἐκείνην τὴν σύνοδον ἱερᾶν*

ἰδίῳ νόμῳ μήτε ὀνομάζεσθαι προστάξει.

cipiat. In qua petitione exemplum Leonis secuti sunt, qui hoc beneficium a religione Marciani expectabat: *Sequens in prædicta civitate* (Ephesina) *non potest vocari Concilium, quod in eversionem fidei fuisse constat agitatum, quodque vestra clementia amore veritatis catholicis adfutura aliud statuendo cassabit.* Rescidit ergo Marcianus constitutionem Theodosii adversus Flavianum editam, postquam synodi Chalcedonensis judicio laudatum Flavianum vidit. *Non enim*, inquit ille, *possunt sacerdotes constitutione damnari, quos synodicum ornat decretum.*

Rescriptum Marciani 3. p. Con. Chalc. n. XI. οὐ δύνανται ἐκ διατάξεως ἐπίσκοποι καταχρίνεσθαι, οὓς ἐπὶ τῇ φυλακῇ τῆς πίστεως συνοδικὴ ψῆφος ἐκόσμησεν.

IV. Hujus auctoritatis imperialis usum adversus Concilii generalis decretum, quo antiquiores canones infringebantur, imploraverunt Legati Romani Pontificis in Concilio Chalcedonensi. Etenim constituto canone XXVIII. (quo patriarchatus Constantinopolitani jurisdictio in Diœceses Asianam, Ponticam & Thracicam porrigebatur) Legati cum judicibus cognitoribus de canone isto, ac si per minas Anatolii extortus fuisset, graviter expostularunt. Prolatis hinc inde canonibus, & Episcopis confertim & viritim se canoni libere consensisse profitentibus, judices de Concilii sententia Legatorum petitionem repellunt. Itaque nihil aliud supererat Legatis, quam, ut remedio extraordinario suæ causæ consulerent. Quare adversus synodi decretum ultimum ab ipsis judicibus subsidium petunt. Hæc enim sunt verba Lucentii: *Sedes apostolica præcepit nobis præsentibus omnia fieri. Et ideo, quæcunque in præjudicium canonum hesterna die gesta sunt nobis absentibus, sublimitatem vestram petimus, ut circumduci jubeatis. Sin alias, contradictio nostra his gestis inhæreat, ut noverimus, quid apostolico & totius Ecclesiæ præcipuo Episcopo referre debeamus, ut ipse aut de sua sedis injuria, aut de canonum eversione possit ferre sententiam. Illustrissimi judices dixerunt: Quæ interlocuti sumus, omnia synodus approbavit.* Si petitionem Legatorum & judicum interlocutionem fori nostri formulis explicaremus, Legatos quidem a synodi Chalcedonensis decreto *tanquam ab abusu* ob canones Nicænos infractos appellasse judices cognitores a Principe delegatos diceremus; quorum sententia Legati Romani ab appellatione excidissent. Neque refert, si quis dicat, legitimam fuisse Legatorum querelam, canones Nicænos violatos, Leonem ipsum hanc injuriam ultum fuisse. Illa enim omnia id tantum conficient, judicum interlocutionem fortasse non consuluisse rationi, ut par erat. Non inde tamen sequetur, quin tuitionem antiquorum canonum Legati a judicibus contra nova decreta imploraverint; quemadmodum Leo ipse a Theodosio Ephesini Concilii decreta rescindi aut suspendi flagitaverat, eo prætextu, quod Nicæni canones infracti fuissent. (*)

Concil. Chalced. act. XVI. ὅσα περὶ κανόνας ἐπράχθη, τὸ ὑμέτερον ὑπέροχον αἰτοῦμεν, ὥστε κελεῦσαι περιαιρεθῆναι.

V. Jure alio utebantur Imperatores Romani in judiciis ecclesiasticis, nempe, ut rescriptis suis rerum a synodis judicatarum retractationem, id est, cognitionis restaurationem seu *revisionem* permitterent, quod plene probamus in dissertatione de judiciis Episcoporum. [*Vide librum septimum.*]

VI. Jus illud a Justiniano continuatum vel institutum legimus, scilicet, ut ab Episcopis Imperatoris rescripto delegatis ad controversiam ecclesiasticam dirimendam Princeps ipse appellaretur. Constituit enim Justinianus, ut clerici, monachi, & ascetriæ coram Episcopo convenirentur in civili actione, a cujus sententia judex publicus provocari posset. *Si tamen*, inquit, *imperiali jussione aut judiciali præcepto Episcopus judicat inter quascunque personas, appellatio ad imperium, aut ad eum, qui transmisit negotium, referatur.* Has delegationes in criminibus quoque ecclesiasticis dari solitas & Gregorio Magno non ingratas fuisse, ex iis epistolis constat, quas in causa Adriani Thebanæ civitatis Episcopi scripsit. Mauritius Imperator Adriani a Diaconis suis accusati *de pecuniariis criminalibusque capitulis* cognitionem mandavit Joanni Episcopo Larissæ, quæ metropolis erat Thessaliæ provinciæ, ubi sita erat Thebarum

Nov. 123. c. 21. εἰ μέντοιγε ἐκ βασιλικῆς κελεύσεως ἢ δικαστικῆς προστάξεως ἐπίσκοπος κρίνῃ μεταξὺ οἱωνδήποτε προσώπων, ἡ ἔκκλητος ἐπὶ τὴν βασιλείαν ἢ ἐπὶ τὸν προτρέψαντα τὴν ὑπόθεσιν ἀναφερέσθω.

(*) Quamvis observatio illustrissimi Archiepiscopi de suspensione sententiæ a Synodis Romana & Alexandrina latæ adversus Nestorium sit verissima, quia tamen fuere nuper quidam auctores, qui illum istic errasse contenderent, expendenda sunt eorum argumenta, ut eruditi lectores intelligere possint, an ea satis valida firmaque sint ad eam subvertendam.

Vir clarissimus R. P. Joannes Garnerius in parte secunda operum Marii Mercatoris pag. 82. ex eo contendit, opinionem eam non posse esse veram, quod sacra Theodosii Imperatoris pro indicendo Concilio Ephesino data sit XIII. Kal. Decembris, quod Marius Mercator testetur, synodorum supra nominatarum literas Nestorio redditas fuisse VII. Idus Decembris, Nestorium autem, cum Cœlestino Papæ scriberet post indictionem Concilii Ephesini, scripsisse perinde, ac si nihil de sententia sedis apostolicæ rescivisset. Ex quibus concludit vir clarissimus, neque Nestorium appellasse Imperatorem, postquam legitime novit a synodis se esse damnatum, neque denuntiatam sedis apostolicæ sententiam Theodosium edicto suspendisse.

Lupus in Concil. Ephes. pag. 405.

Christianus Lupus, quamquam valde contrarius auctoritati Principum Christianorum & supra modum audax, negare tamen non audet, appellatum fuisse Imperatorem a Nestorio, concedens, *illi appellanti datum fuisse effectum suspensivum, nequaquam per canones, sed ob violentos affectus circumscripti Theodosii Augusti.* Nimirum facinus istud Theodosii refert ad vim & violentiam Theodosii. Quo argumentandi genere si quis uti velit, incredibile dictu est, quantum vulnus infligat auctoritati potestatum ecclesiasticarum & secularium, cum nulla earum actio sit, quæ non imputari possit eorum violentiæ ab his, qui se læsos existimaverint.

Auctor vero tractatus de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ pag. 712. aliam viam persequitur. Concedit enim, suspensam quidem fuisse executionem sententiæ synodorum, quas supra commemoravimus. Verum eam suspensionem contendit non fuisse factam auctoritate Imperatoris, sed Cœlestini Papæ, idque probare se putat verbis generalibus epistolæ Cœlestini ad Cyrillum Alexandrinum, quæ commendant Dei benignitatem erga peccatores. Et mox insultans illustrissimo Archiepiscopo, quærit, quomodo catholicus auctor potuit in animum inducere excommunicationis & depositionis vim & effectum edicto imperiali suspendi; & addit, hanc propositionem, si de jure ac in ordine ad conscientiam intelligatur, hæreseos labe non carere.

Moderatior profecto ac multo sapientior est scriptio Garnerii, quam Christiani Lupi & auctoris anonymi. Utramque autem manifestis, ut reor, argumentis ostendam, nihil officere opinioni illustrissimi Archiepiscopi. Nam, tametsi facile concedam id, quod verum est, sacram Theodosii pro convocatione Concilii Ephesini datam esse XIII. Kal. Decembris, quamvis concederem, id quod falsum est, synodorum Romanæ & Alexandrinæ literas Nestorio redditas fuisse VII. Idus Decembris, rursum concederem, id quod verum est, Nestorium Cœlestino scribentem perinde scripsisse, ac si nihil de sententia sedis apostolicæ adversum se lata rescivisset, ista tamen omnia non impediunt, quin verum sit id, quod Marca scripsit de suspensione sententiæ ab Imperatore decreta. Etenim certum est, sacram Theodosii datam esse, ut pax Ecclesiarum, quæ turbata erat, revocaretur, nullamque in eadem sacra factam esse mentionem Nestorii, neque etiam in epistola ejusdem Imperatoris ad Cyrillum, quamvis illum acriter increpet propter turbas, quas ipsum ait excitasse. Jam, quod attinet ad literas, quas Nestorius Cœlestino scripsit post indictionem, ut censet Garnerius, Concilii Ephesini, quæ extant apud Marium Mercatorem, verum sane est, nullam in iis factam esse mentionem sententiæ sedis apostolicæ, quæ nondum forsan data erat. Illud quippe in hoc loco observandum est, hanc Nestorii epistolam non habere notam temporis, quo scripta est, &, quæ dicuntur de synodo indicenda, ea fortassis intelligenda esse de alia quapiam synodo, quam Ephesina, cum Nestorius dicat, eam esse indicendam *propter inquisitionem aliarum rerum Ecclesiasticarum*, nulla mentione controversiæ, quæ inter Cyrillum & Nestorium erat, de persona Christi in ea synodo tractandæ. Quamquam nihil vetat, quin hæ aliæ res tractari potuerint in eadem synodo, quæ pro examinandis Nestorii opinionibus congreganda erat. Fieri enim potest, ut Nestorius, qua erat auctoritate, cogitaverit de congreganda synodo universali, quæ tamen nondum indicta erat. Voces enim *piissimis Imperatoribus*, quæ persuadere fortassis possent, heic agi de indictione Concilii Ephesini, desunt in omnibus antiquis Marii Mercatoris exemplaribus, & addita sunt ex ingenio ab eodem clarissimo viro in editione, quam is procuravit, operum Marii Mercatoris.

Nihilo fortius urget argumentum petitum ex die, quo Nestorius accepit literas synodorum, quæ apud Romam & Alexandriam habitæ fuerant. Eas vir clarissimus putat fuisse redditas Nestorio VII. Idus Decembris, quia Marius Mercator afferens sermonem Nestorii, cujus est initium *Dulce nobis præcedens*, ait illum habitum esse, *postquam literas Cœlestini Ro-*

rum civitas, ea lege, ut de pecuniariis causis ferret sententiam, *de criminalibus vero Imperatoris clementiæ habita subtilius examinatione suggereret.* Quas *jussiones rectas* vocat Gregorius; appellationemque Adriani a sententia adversus se in causa pecuniaria lata & gesta apud Episcopum Larissæum in criminali causa *a deputatis viris piissima jussione* discussa narrat, tandemque Adrianum a Principe absolutum fuisse. Verba Gregorii hæc sunt in epistola ad Joannem Larissæum Episcopum: *Cumque porrecta appellatio per homines ejus ceteraque, quæ penes te gesta sunt, piissimis fuissent deportata Principibus, deputatis, ut diximus, Honorato Diacono sedis nostræ & Sebastiano glorioso antigrapho, cunctisque examinatis subtiliter, a serenissimis est dominis ab omnibus jussionibus absolutus.* Ubi observandum est, post judicium Metropolitani a Principe delegati Principem ipsum appellatum fuisse, ut constitutum erat Novella Justiniani, & sedis Romanæ Diaconum, qui erat a responsis Papæ in comitatu Principis, unumque e magistratibus imperii iterum fuisse delegatos ab Imperatore: qui deinde sua auctoritate judicium reddidit in articulo appellationis. Quorum nihil a Gregorio magno reprehenditur: quamvis deinde conqueratur, post judicium illud, iterum aliam per obreptionem elicitam fuisse jussionem, qua Joannes primæ Justinianæ Episcopus cognitionem illam instauraret; cui Joanni ob sententiam contra leges canonesque prolatam merito Gregorius succenset.

Gregor. I. lib. 3. Indict. XI. ep. 7.

Idem ep. 6.

VII. Potiori jure utebantur Imperatores Constantinopolitani, teste Balsamone, qui causam ecclesiasticam a synodo Patriarchæ, quem reus ut suspectum recusaverat, ad judicium seculare transferebant. Quod factum cum Lucas Patriarcha ægre ferret, hoc responsum accepit a magistratibus: *Imperatoris potestatem omnia facere posse; & quemadmodum primo loco potuit dare judicem ad judicandum Episcopum vel alium clericum, ita & ecclesiasticum judicium legitime in civile transtulisse.* Sed Balsamo recte observat, hunc morem, in quæstione præsertim ecclesiastica, alienum esse a canonibus; quamvis adjunctum civilem judicem *συνδικαστὴν* ab Imperatore peti posse existimet. Idem auctor adnotavit alibi, plerisque visum a Patriarchæ sententia Imperatorem appellari posse, præsertim, si de laicis habita sit quæstio, aut si Patriarcha delegatus fuerit a Principe ad discutiendum negotium una cum judice civili, licet ipse ab ea opinione procul recedat. Quæ ideo commemoravi, ut constaret omnibus, Reges Francorum cautius & reverentius se gessisse in his controversiis, quæ disciplinam respiciunt: quam quidem illæsam cupiunt, sed ita, ut de quæstionibus canonicis non ipsi decernant, sed, amota canonum violatione, Episcopis judicandas relinquant.

Balsamo in comment. ad can. 15. Synod. Carthaginens. ἡ βασιλικὴ ἐξουσία πάντα δύναται ποιεῖν, κατὰ μετάθεσιν, τὸ ἐκκλησιαστικὸν δικαστήριον μετάγει κατὰ νόμιμον παρατήρησιν, εἰς πολιτικόν. Balsam. ad c. 12. Synod. Antiochen.

VIII. Eximia profecto auctoritate potiti sunt Imperatores Romani in rebus & judiciis ecclesiasticis. Sed nullum, ut existimo, proferri potest exemplum judicii canonici ab uno Episcopo redditi, de quo statim recta via querela delata fuerit ad Principem. De judicio canonico loquor; in quo de fide, de ritibus, deque disciplina cleri, & de quæstione canonica ageretur, non autem de ceteris litibus adversus clericos motis. De judiciis synodorum tantum appellationi non obnoxiis damnati conquerebantur aliquando apud Principes. Illi judices ecclesiasticos dabant; nunquam autem de re canonica cognitionem suscipiebant, sed de ordine judiciorum. Neque acta resciderunt, nisi ad afferenda mandata, quæ dederant, quorum contemptus lædebat auctoritatem publicam. Neque executionem rerum judicatarum suspenderunt, nisi ob manifestissimam canonum violationem, e qua scandala & dissensiones oriebantur.

CAPUT V.

De jure antiquo Regum Galliæ in custodiendis canonibus.

SYNOPSIS.

I. Ut provinciæ Galliarum, ita & imperii jura Regibus Gallorum cesserunt, & cura tuendæ politiæ ecclesiasticæ illos respexit post Clodovei baptismum. Tanta erat cura canonum illis temporibus, ut raro ad Reges de violatione illorum querelæ deferrentur. Tamen, si qui Episcopi in canones peccarent, a Rege corrigi poterant, e Gregorio Turonensi. Canonum magna reverentia apud Reges & Episcopos. Sacramentum Chilperici de canonibus servandis. Gregorius Turonensis tenax canonum.

II. Acta Episcoporum, quæ decretis regiis contraria

mani Episcopi & Cyrilli Alexandrini denuntiationes accepit VII. Idus Decembris, post sextum diem, quam easdem literas sumpsit. Primum observandum est, in vetustis Marii codicibus scriptum esse *VIII Idus Decembris*. Quod valde notandum est. Etenim constat ex testimonio Theopempti Episcopi Cavasorum & Danielis Episcopi Dardaneos, qui missi fuerant ad Nestorium, ut ei traderent has literas, redditas illas ei fuisse die dominica, id est, die trigesima Novembris, uti adnotatum est in calce epistolæ sancti Cyrilli, quæ incipit *Salvatore nostro dicente* in antiqua versione Concilii Ephesini & in synodico adversus tragœdiam Irenæi. Hæc enim nota, ne quis in hoc fallatur, non pertinet ad diem, quo epistola illa scripta est, sed ad diem, quo data est Nestorio. Ridiculum enim esset, existimare epistolam, quæ data esset Alexandriæ die trigesima Novembris tradi potuisse Nestorio apud Constantinopolim die sexta mensis Decembris, cum sit immensum inter utramque urbem spatium. Falsus est ergo Christianus Lupus, cum ex annotatione Marii collegit, Nestorium accepisse literas denuntiationis die septima Decembris, ideoque hunc sermonem dixisse die XIII. Decembris, quæ erat dies sabbati, in hunc errorem adductus ex editione Garnerii, qui in titulo sermonis Marii, qui incipit *Aliis in terra* hunc titulum, qui non extat in antiquis codicibus, addidit de suo: *Ejusdem sermo XIII. die altera, id est, dominica dictus.* Verum hæc non sunt Marii, ut antea monui, sed Garnerii, qui ex prava editione sua collegit duodecimum, ut ipse vocat, absque ulla auctoritate veteris codicis, sermonem Nestorii habitum fuisse post sex dies, quam acceperat literas Cœlestini & Cyrilli, quas acceptas fuisse putat VII Idus Decembris, cum in antiquis Marii exemplaribus, ut antea dictum est, diserte scriptum sit *VIII. Idus Decembris.* Ut ab his difficultatibus nos expediamus, repetenda necessario est observatio, quam attulimus in tomo primo novæ nostræ collectionis Conciliorum pag. 422. nimirum literas Cœlestini & Cyrilli non fuisse traditas Nestorio die VIII Iduum Decembrium, qui dies hoc anno incidit in diem lunæ, sed die trigesimo Novembris, qui fuit dominicus, adeoque sermonem, qui incipit *Dulce nobis præcedens* fuisse dictum VIII. Idus Decembris, post sextum nimirum diem, quam literas illas acceperat. Sextus enim dies ante octavum Iduum Decembrium fuit ultimus mensis Novembris. Unde concludi debet, non quidem epistolam Cyrilli datam Alexandriæ illo die, sed Nestorio datam tum sive traditam apud Constantinopolim. Et post sextum diem, quam illam accepit, id est, die sexta mensis Decembris, habuit hunc sermonem in Ecclesia. Itaque hæc homilia non est habita a Nestorio die XIII. Novembris, id est, sexto die post acceptas epistolas Cœlestini & Cyrilli, ut putavit Garnerius, sed die sexta Decembris, quæ eadem est sexta, postquam easdem epistolas accepit.

Nunc veniendum est ad anonymum, qui, ut solet, argumentatur secundum convenientias, parum sollicitus de hoc genere probationum, quod in usu vulgo est apud eruditos. Et ille quidem concedit, suspensam fuisse executionem sententiæ adversus Nestorium prolatæ a synodis Romana & Alexandrina, sed eam suspensionem decretam esse auctoritate Papæ, non autem Imperatoris, idque sic probat. Interrogaverat Cœlestinum Cyrillus, utrum sancta synodus recipere deberet hominem a se prædicata damnantem, an, quia induciarum tempus emensum est, sententia dudum lata perduret. Quibus verbis perstringi Nestorium ambigi non potest. Ad ea respondit Cœlestinus, Dominum nolle mortem peccatoris, contra hominem velle salvum fieri & venire ad scientiam veritatis, & nunquam Deo displicere acceleratam in quocunque correctionem. Hæc tantum Cœlestinus. His porro verbis generalibus clarum est, non suspendi executionem sententiæ dudum latæ adversus Nestorium. Sed, quod addit idem anonymus, hanc opinionem illustrissimi Archiepiscopi, quam is oppugnat, labe hæreseos non carere, si de jure ac in ordine ad conscientiam intelligatur, istud non solum est mali hominis, sed summæ dementiæ crassæque inscitiæ argumentum est certissimum.

Tom. 3. Concilior. pag. 621.

traria eſſent, Reges in irritum mittebant; ut patet ex Heraclii electione in epiſcopatum Santonenſem, quæ reſciſſa a Chariberto Rege, & multati Epiſcopi.

III. Sequentibus ſeculis frequentius interpellati ſunt Reges, quia crebriores canonum infractiones. Pipinus in ſynodo Sueſſionica animadverſionem ſibi & Concilio regni reſervavit, ratione canonum violatorum.

IV. Vis inferebatur canonibus per reſcripta Romanæ curiæ, aut per Epiſcoporum judicia. Utrique incommodo proſpectum ab ævo Caroli Magni uſque ad hanc ætatem. Olim nova reſcripta conſenſu ab Eccleſia Gallicana negato ſuſpendebantur. Quod probatur duobus exemplis. Primum in cauſa Drogonis, qui conſtitutus a Sergio Papa Vicarius Galliæ & Germaniæ precibus Regum, quorum erat patruus. Quod effectu caruit, Epiſcopis conſenſum præſtare renuentibus huic reſcripto; ex Concilio Vernenſi & Hincmaro. Ob ſcandalum, ceſſatum ab executione.

V. Secundum exemplum in cauſa Anſegiſi. Primatus Galliæ & Germaniæ illi delatus a Joanne VIII. Cujus Legati & Carolus Calvus conſenſum Epiſcoporum urgent in Concilio Pontigonenſi. Reſponſio Epiſcoporum, ſe parituros decretis Papæ ſe- cundum ſacros canones & decreta. *Pura obedientia exacta, ſed oblata ſub illa conditione. Quidam Epiſcopi ceſſerunt, alii ſiluerunt. Inde varietas actorum Concilii Pontigonenſis.*

VI. Hincmarus impugnat primatum Anſegiſi & acta Synodi Pontigonenſis ex eo capite, quod major pars Epiſcoporum refragata eſſet novo reſcripto.

VII. Expenditur epiſtola Hincmari, ut oſtendatur, quem modum ſequerentur illo ſeculo Epiſcopi Gallicani ad impediendas novitates canonibus contrarias, quæ inducerentur abſque neceſſitate.

VIII. Eodem ſeculo Bertolfus Treverenſis privilegio Joannis Papæ interceſſit, & obtinuit, ut nihil innovaretur.

IX. Epiſcopi Gallicani hanc auctoritatem ſibi vindicabant exemplo Eccleſiæ Africanæ, quæ deprecata eſt Cœleſtinum, ut clericos appellantes repelleret, quia hoc Nicæni canones vetabant, in quo nondum erat derogatum Eccleſiæ Africanæ.

X. Simile quoque eſt Cypriani factum in cauſa Baſilidis & Martialis. Depoſiti ab Hiſpanis ob idololatriam, reſtituuntur epiſcopatibus ſuis a Stephano per obreptionem, contra decreta Cornelii. Ratione obreptionis factæ in perniciem canonum Cyprianus docet, ſuperſedendum ab executione reſcripti.

I. QUemadmodum imperii Romani mole in varias partes diſſecta, Galliarum provinciæ in victoriæ præmium Francorum Regibus divini Numinis auſpiciis ceſſerunt, ita etiam imperii jura plene & integre cum illis communicata ſunt. Præcipue vero tuitionis eccleſiaſticæ cura Reges noſtros reſpexit, poſtquam glorioſiſſimus Princeps Clodoveus, paganæ impietatis labe aquis divini lavacri feliciter abſterſa, in Eccleſiæ catholicæ filium primogenitum adoptatus eſt. Eo munere & Clodoveus ipſe & ceteri Principes ſtudioſiſſime defuncti ſunt, tum indictis Epiſcoporum Conciliis, tum latis ad ornandam politiam eccleſiaſticam legibus. Sed tanta & tam aſſidua cura cuſtodiæ canonum ab Epiſcopis adhibebatur, ut nullus fere de infractis canonibus apud Reges noſtros eſſet querelæ locus; aut ſane coactis ſynodis, & præſcriptis, de quibus tractandum eſſet, articulis, huic morbo remedium parabant, ut dicam uberius in diſſertatione de Conciliis Gallicanis. Sane, quin Regum cenſuræ ſubjicerentur Epiſcopi ob canones violatos, non dubitabat Gregorius Turonenſis: qui objurgatus a Chilperico Rege, quod jus ſibi reddere nollet adverſus Prætextatum Rothomagenſem Epiſcopum, cui majeſtatis crimen a ſynodo dijudicandum Rex impegerat, reſpondit, Epiſcopos ab eo corrigi poſſe, ſi a juſtitia deflexerint, ſed Regem ſolius Dei judicio obnoxium

Gregor. Tur. l. 5. hiſt. c. 19. *Si quis de nobis, o Rex, juſtitiæ tramitem tranſcendere voluerit, a te corrigi poteſt. Si vero tu exceſſeris, quis te corripiet? An.* 577.

eſſe. Diligentiam autem, quam in canonibus ad amuſſim exequendis adhibebant, ex eodem ſcriptore diſcimus, qui a Rege ipſo accenſo contra Prætextatum promiſſionem extorſit de ſervandis canonibus. Tanta erat ſacrarum regularum reverentia, ut aliquid ab eis alienum ſibi licere nollent nec Epiſcopi, nec Reges ipſi. Cum enim Chilpericus Gregorium poſt objurgationem demulcere vellet, obtulit ei e juſcello, quod in menſa appoſitum erat. Sed Gregorius menſæ regiæ particeps eſſe noluit, donec eam, quam dixi, promiſſionem exegit. *Tu vero*, inquit Gregorius ad Regem, *qui alios de juſtitia culpas, pollicere prius, quod legem & canones non omittas, & tunc credimus, quod juſtitiam proſequaris. Ille vero porrecta dextera juravit per omnipotentem Deum, quod ea, quæ lex & canones edocebant, nullo prætermitteret pacto.* Quantum vero Gregorius tenax eſſet canonum, docuit reſponſo ſuo; quo nuntios Fredegundis Reginæ promiſſis ducentis argenti libris illum in perniciem Prætextati ſtimulantes & ſuffragia ceterorum Epiſcoporum in eam ſententiam verſa jactantes eluſit. *Unum tantum polliceor*, inquit, *quod ea, quæ ceteri ſecundum canonum ſtatuta conſenſerint, ſequar. At illi non intelligentes, quæ dicebant, gratias agentes diſceſſerant.*

II. Enimvero non ſolum defenſioni canonum Reges invigilabant; ſed etiam, ſi qua judicia ab Epiſcopis adverſum decreta regia lata eſſent, ſtatim contrariis judiciis infringebant. Cujus rei inſigne extat exemplum apud eundem Gregorium Turonenſem. Emerius decreto Regis Clotarii ad epiſcopatum Santonenſem provectus, ac ſine Leontii Metropolitani Burdegalenſis conſenſu ordinatus, poſt obitum Clotarii a Leontio congregatis provinciæ Epiſcopis epiſcopatu depulſus eſt. Heraclius electione ſynodi Emerio ſuffectus, a Chariberto Rege electionis confirmationem expoſcit: qui Clotarii patris decretum violatum ægre ferens, ſynodi Santonicæ judicium reſcidit, Heraclium male acceptum exilio damnavit, Emerium reſtituit, & a Leontio mille aureorum mulctam exegit. *Putaſne*, inquit Charibertus, *quod non eſt ſuper quiſquam de filiis Clotarii Regis, qui patris facta cuſtodiat, quod hi Epiſcopum, quem ejus voluntas exegit, abſque noſtro judicio projecerunt? Et ſtatim directis viris religioſis Epiſcopum in loco reſtituit, dirigens etiam quoſdam de Camerariis ſuis, qui exactis a Leontio Epiſcopo mille aureis, reliquos juxta poſſibilitatem condemnarent Epiſcopos. Et ſic patris eſt ultus injuriam.*

Greg. Turon. l. 4. c. 26. an. 563.

III. Poſteriora ſecula ut frequentiores canonum violationes pepererunt, ita etiam frequentius interpellatam Principis auctoritatem ad calamitates avertendas ex mediæ ætatis ſcriptoribus & canonibus diſcimus. Etenim peſſumdata per belli furores canonica diſciplina, Pipinus ejus reſtaurandæ curam gerens, ſynodo in civitate Sueſſionis indicta anno DCCXLIV. multa conſtituit de clericis, monachis & laicis; & ſi quid contra tentaretur, animadverſionem ſibi, Epiſcopis & Comitibus reſervavit, id eſt, Concilio publico regni, quod recentiores *Parlamentum* dixere. *Si quis contra hoc decretum, quod XXIII. Epiſcopi cum aliis ſacerdotibus vel ſervis Dei, una cum conſenſu Principis Pipini vel optimatum Francorum conſilio conſtituerunt, tranſgredi vel legem irrumpere voluerit, vel deſpexerit, judicandus ſit ab ipſo Principe, vel Epiſcopis, vel Comitibus; & componat, ſecundum quod in lege ſcriptum eſt, unuſquiſque juxta ordinem ſuum.* Disjunctiva illa particula *Vel* hic, ut frequentiſſime in aliis etiam ſcriptoribus, pro conjunctiva *Et* accipienda eſt, ut *componendi* quoque verbum mulctæ ſolutionem ſignificat.

IV. Sed quia canonibus & decretis in regno receptis vis poterat inferri aut reſcriptis a Romana curia per obreptionem elicitis, aut parum cautis Epiſcoporum Gallicanorum judiciis, neceſſe erat, his omnibus incommodis proſpicere. Ac ſane Re-

gum noſtrorum & Eccleſiæ Gallicanæ ſtudio jam ab ipſo Pipino & Carolo magno uſque ad hæc noſtra tempora variis, ſed opportunis remediis pro rerum ac ætatum conditionibus huic morbo conſultum eſt. Primis quidem temporibus Eccleſiæ Gallicanæ auctoritas in eo viguit, ut nova decreta diſcuteret, &, ſi quæ aut canonibus antiquis adverſarentur aut receptis moribus, conſenſum ſuum rebus novis non præberet, hacque ratione, ſine tumultu, & ſervata ſemper apoſtolicæ ſedis reverentia, decretorum executionem impediret. Eo jure uſa eſt in cauſis Drogonis & Anſegiſi. Drogo, unus e filiis naturalibus Caroli Magni, Archiepiſcopi Metenſis titulo inſignitus eſt, & deſignatus Vicarius apoſtolicæ ſedis in Gallia & Germania, Sergii Papæ epiſtola, anno octingenteſimo quadrageſimo quarto. Ejus cauſa Regum Galliæ & Germaniæ, quorum patruus erat, ſtudiis impenſe fovebatur. Sed quia prærogativa Drogoni collata Metropolitanorum honorem imminuebat, non conſentientibus illis, quorum intererat, effectu caruit. Negotium iſtud diſceptatum fuit in Concilio Vernenſi ſecundo, quod ad majorem conventum & *Epiſcoporum conſenſum* rem omnem diſtulit; his tantum verbis dolore repulſæ mitigato, ſi cui honor ille primatus deferri poſſet, ei potiſſimum convenire, qui & *communione ſacerdotii* Epiſcopis *& conſanguinitatis privilegio* Regibus ſociaretur. Itaque prudenter Drogo ab ea prærogativa abſtinuit, quam ſine diſſidio & ſchiſmate Eccleſiæ Gallicanæ obtinere non poterat, ut docet Hincmarus his verbis: *Quod affectu ambiit, effectu non habuit; & quod efficaciæ uſu, non conſentientibus, quibus intererat, obtinere non potuit, patientiſſime toleravit; ne ſcandalum fratribus & conſacerdotibus generans, ſchiſma in ſanctam Eccleſiam introduceret.* Illa ætate ſcandali ratio habebatur, quemadmodum Decretalibus quoque conſtitutum vidimus libro tertio; ita, ut ad diſſenſiones vitandas, quæ ex canonibus violatis facile oriebantur, ab executione reſcriptorum Romanæ ſedis ceſſaretur.

Vide lib. 5. cap. 44. §. 8. & lib. 6. cap. 29. §. 3. 4.

Concil. Vern. c. XI. an. 844. *De prælatione reverendiſſimi Drogonis definire aliud non audemus, niſi expectandum, quam maximus cogi poteſt, Galliæ Germaniæque conventum, & in eo Metropolitanorum reliquorumque antiſtitum requirendum eſſe conſenſum, cui reſiſtere nec volumus, nec valemus.*

Hincmarus ep. 6. cap. 30. edit. Mog.

Vide Marcam in libro de Primatibus . 55. Vide etiam infra lib. 6. c. 29. §. 5.

V. Anſegiſi Archiepiſcopi Senonenſis par cauſa fuit: qui gratia Caroli Calvi Imperatoris fultus, a Joanne VIII. primatum per Gallias & Germanias impetravit, ſed in Concilio Pontigonenſi non potuit conſenſum his novis reſcriptis ab omnibus Epiſcopis Gallicanis extorquere. Aderant huic Concilio ſedis apoſtolicæ Legati & ipſe Carolus Imperator, qui Epiſcopos urgebat, ut de primatu illo & *juſſis apoſtolicis* ſententiam promerent. Illi juxta morem in Gallia receptum reſpondent, ſe Joannis Papæ præceptis *ſecundum ſacros canones & decreta Pontificum e canonibus promulgata* parituros, id eſt, iis juſſionibus faciles ſe præſtituros, quæ juri recepto non adverſentur. Cumque a Rege & a Legatis urgerentur, ut pure, remota omni conditione, ſe obedituros huic primatui profiterentur, aliud ab iis reſponſum extundi non potuit: exceptis Frotario Archiepiſcopo Burdigalenſi, & Odone Belvacenſi Epiſcopo, & paucis aliis, qui Regi hac in parte ceſſerunt. Aliquot diebus interjectis interpellati iterum a Legatis ſinguli Archiepiſcopi reſponderunt, *Quod, veluti ſui anteceſſores illius*, id eſt Joannis, *anteceſſoribus regulariter obedierunt, ita ejus decretis vellent obedire.* Ubi obſervanda eſt dictio illa *regulariter*, quæ idem ſignificat ac prima illa formula, *ſecundum ſacros canones & decreta Pontificum e canonibus promulgata.* Tandem tertia vice conventi ſunt a Rege & a Legatis, ut docent excerpta actorum illius ſynodi apud Aimonium: *Iterum mota eſt interrogatio de primatu Anſegiſi; & poſt multas ab Imperatore & Legatis apoſtolicis contra Epiſcopos querimonias habitas, tantum in noviſſimo, quantum in principio ſynodi, exinde Anſegiſus obtinuit.* Rem geſtam recitavi, ut refertur apud Aimonium ex veris actis ſynodi; a quibus differunt acta conſcripta ab Odone Belvacenſi, & recitata in ſynodo, quæ conſenſum Epiſcoporum præferunt, eo, quod plures metu Principis tacuiſſent.

Concil. Pontig. anno 876.

Aimonius l. 5. c. 33.

VI. Poſt ſynodum ſolutam Hincmarus Epiſcopos Remenſis provinciæ monuit, quæ circumferrentur decreta ſynodi Pontigonenſis, illa ſcilicet, quæ Odo Belvacenſis conſcripſerat de primatu Anſegiſi, nullius eſſe momenti, eo, quod illis plures Epiſcopi refragati fuiſſent. Verba capitis XXXII. integra recitabo, ut liquido conſtet, in hac epiſtola agi de primatu Anſegiſi, qui in controverſiam deductus fuerat in ſynodo Pontigonenſi; ut inde quoque omnibus pateat, quantopere neceſſaria cenſeretur hoc ſeculo Eccleſiæ Gallicanæ conſenſio ad recipienda nova reſcripta, quorum effectus ſola refragatione impediretur. *Si quid in hoc humilitatis noſtræ conventu*, inquit, *duorum vel trium favore, ac paucorum ſilentio, faſtu imperialis potentiæ, contra ſupraſcripta ſacrorum canonum & apoſtolicæ ſedis Pontificum decreta ex eiſdem ſacris canonibus promulgata, contraque ſingulis Metropolitanis antiqua privilegia etiam per ſacras leges, quibus & venerandis canonibus ſancta moderatur Eccleſia, conſervanda, immaturo atque inconſiderato juſſu eſt ſuperinductum ſive ſancitum, (prohibente Domino, ut non plantetur nemus ſecus templum ſuum, nec obumbretur & decoloretur typho terreni principatus ſinceritas & fulgor humilitatis eccleſiaſticæ) juxta decreta myſticæ Nicænæ ſynodi, quo dicitur: Si duo aut tres propter contentiones proprias contradicunt, obtineat ſententia plurimorum, ſi, ut diximus, duo vel tres propter aſſentationem forte, non corde, ſed verbo, vel ſilentio conſpiraverunt, generalitas noſtra Deo auctore non annuit, ſed corde ac contradicente ore conſtantiſſime abnuit, & ſententia plurimorum debitum robur atque vigorem obtinuit, obtinet, ac adjuvante Domino perpetim obtinebit. Quia, ut memoratus ſanctus Leo ad Maximum Antiochenum Epiſcopum ſcripſit, ſi quid a quoquam contra Nicænorum canonum ſtatuta in quacunque ſynodo vel tentatum eſt vel ad tempus videtur extortum, nihil præjudicii inviolabilibus poteſt inferre decretis. Et facilius erit quarumlibet conſenſionum pactum diſſolvi, quam prædictorum canonum regulas ex ulla parte corrumpi.*

Hincmarus ep. 8. cap. 32. edit. Mogunt.

VII. Totius autem epiſtolæ ſcopus hic eſt, ut conſtet, non omnia decreta Concilii Pontigonenſis a ſe convelli, ſed quædam tantum. Etenim aperte docet, ea decreta Joannis VIII. quæ in ſynodo Ticinenſi conſtituta fuerant, & deinde in Concilio Pontigonenſi recitata, ſuſcipi debere ab Epiſcopis Galliæ, quia ſunt ex ſacris canonibus promulgata, ita tamen, ut ſingulis Metropolitanis ſua jura ſerventur. Quam exceptionem addit, ut primatum Anſegiſi, & ſi quid ſimile aliquando tentaretur, penitus excludat. Hujus autem epiſtolæ ordo expendendus eſt, ut pateat, qua ratione Epiſcopi Gallicani cum novis decretis confligerent. Primum ergo Metropolitanorum jura accurate eſſe cuſtodienda docet, prolatis teſtimoniis Nicænæ ſynodi, Innocentii, Bonifacii, Concilii Africani in epiſtola ad Cœleſtinum, Cœleſtini, Leonis. Oſtendit deinde, canones a quoquam violari non debere, adductis locis, petitis e Leonis epiſtolis, Hilaro, Gelaſio, Auguſtino, Symmacho & Gregorio. Tum probat, qui poſterius ordinati ſunt, prioribus non eſſe anteferendos, nec alicui in alterius provincia, Metropolitano inconſulto, aliquid aggrediendum eſſe, ex Concilio Africano, Conſtantinopolitano, Antiocheno, Chalcedonenſi, Pelagio & Gregorio. Aliquando tamen vices apoſtolicæ ſedis datas Epiſcopo Arelatenſi & Remenſi, deinde etiam Bonifacio Moguntino, ea conditione tamen, ut ſingulis Metropolitanis ſua jura ſervarentur. Tum examinat privilegium indultum Remenſi Eccleſiæ a Benedicto Papa, quod ſacris canonibus convenire demonſtrat, atque adeo a nemine infringi poſſe, quia decretis Romanorum Pontificum derogari non poteſt, e Zoſimo, Leone, Hilaro & Symmacho. Quare cum Galliæ

ſine

fine hoc Primicerio vel Primate a fede apoftolica delegato annos circiter XCIII. manferint, & quadraginta annorum præfcriptio jura Ecclefiarum excludat, ut docet e Gelafio, Juftiniano & Gregorio, inde colligit, *non fedem apoftolicam vel aures imperiales fine ulla nova neceffitate pro hoc indebito fupercilio inquietari* debere. Eadem libertate, qua Hincmarus refcriptum Joannis VIII. repellit, quod jura Metropolitanorum infringeret, edictum Caroli, quo Anfegifus primatum fibi collatum tuebatur, eadem epiftola refellit, quia Gelafius jam olim monuerit Anaftafium Imperatorem, obfequi folere Principes Chriftianos decretis Ecclefiæ, non fuam præponere poteftatem, & Valentinianus profeffus fuerit, caufas ecclefiafticas non fubjici legibus publicis. *Quæ non dicimus*, inquit ille, *quod abfit, poteftati ac per hoc Dei ordinationi refiftentes, fed potius obfequentes: quia; ficut Dominus præcepit reddi, quæ funt Cæfaris, Cæfari, & quæ funt Dei, Deo, ita, quæ funt Imperatoris obfequia, obedienter ipfius obfequiis exhibemus, &, quæ funt facerdotii, ordini facerdotali dependimus*. Quare certum erat apud Epifcopos Gallicanos, hoc fæculo, canones receptos abfque manifefta neceffitate a quoquam violari non poffe, nec a Pontifice, nec a Rege; folaque fynodi Gallicanæ refragatio, antiquis canonibus & decretis nixa, novarum rerum effectum impediebat. Non fruftra autem neceffitatem excepit; quia fæpe ea tempora incidunt, ut Ecclefiæ interfit, jus antiquum aliquando immutari, ut his pofterioribus fæculis factum videmus.

VIII. Eodem jure, quo ceteri Epifcopi Gallicani, ufus eft Bertolfus Treverenfis Metropolitanus, qui Joannis Papæ privilegio Waloni Epifcopo Metenfi conceffo, ut exemplo aliquot decefforum fuorum Pallium ferre poffet, conftanter interceffit; ut docet Flodoardus, qui refert, contentionem illam ab Hincmaro fopitam, ita tamen, ut Epifcopus Metenfis a Pallio abftineret, quemadmodum pluribus narrat Hiftoria Treverica manufcripta, a viris eruditis laudata.

Flodoard. l. 3. cap. 33.

In Notis ad N. 2. cap 12. tom. 2. Libert. Eccl. Gall. Concil. Afric. in præfat.

IX. Hanc fibi auctoritatem Ecclefia Gallicana exemplo Africanæ vindicabat; cujus collationes cum Fauftino & ceteris Legatis Zofimi, Bonifacii & Cœleftini in codice canonum legebantur, de appellationibus Epifcoporum & clericorum. Has fedi apoftolicæ afferebat Zofimus, prolatis canonibus Sardicenfis Concilii fub titulo canonum Nicænorum: qui, cum in exemplaribus Concilii Nicæni ab Africanis non reperirentur, duo quædam conftituerunt, & petenda exempla eorum canonum ab Epifcopo Conftantinopolitano, apud quem authenticum Concilium Nicænum effe ferebatur, & a facerdotibus Alexandrino & Antiocheno; ut, fi capitula a Fauftino prolata ibidem reperta forent, a fynodo Africana firmarentur; aut, fi non invenirentur, collecta fynodo de hoc tractaretur. Alterum eft, interim fervandos effe canones prolatos a Fauftino, falva diligentiori inquifitione Concilii Nicæni. Tandem vero allatis ab oriente veris Nicæni Concilii canonibus, a quibus capitula commonitorio Zofimi comprehenfa aberant, fynodus Africana Cœleftinum impendio deprecata eft, ut Presbyterorum & fequentium clericorum improba refugia ejus fanctitas repelleret: *Quia & nulla patrum definitione hoc Ecclefiæ derogatum eft Africanæ, & decreta Nicæna five inferioris gradus clericos, five ipfos Epifcopos, fuis Metropolitanis apertiffime commiferunt*. Unde colligebant Epifcopi Gallicani, fibi liberum effe ab eorum decretorum executione abftinere, quæ canonibus & decretis Pontificum ab Ecclefia Gallicana receptis adverfarentur.

Vide lib. 7. cap. 15.

X. Quod præjudicio fuo conftituiffe videbatur Cyprianus in caufa Bafilidis Legionenfis Epifcopi & Martialis Afturicenfis: qui a facerdotio dejecti ab Epifcopis Hifpaniæ, quod fe idololatria polluiffent, Sabino & Felice in eorum locum fuffectis, reponi fe in epifcopatum a Stephano Romano Pontifice exambierunt. Hac fententia perculfi Hifpani Epifcopi, quid fibi agendum fit, a Cypriano expofcunt. Ille, coacta fynodo, refpondet, a Cornelio fummo Pontifice & ab omnibus Epifcopis conftitutum, lapfos ad pœnitentiam quidem admitti poffe, ob ordinatione autem cleri atque facerdotali honore prohiberi. Unde concludit, Bafilidem & Martialem epifcopatum fibi ufurpare fruftra conari. Stephano Pontifici obreptum, quod eorum delicta cumulaverit potius, quam aboleverit, cum ad fuperiora peccata fallaciæ & circumventionis crimen acceflerit. *Neque enim tam culpandus eft ille, cui negligenter obreptum eft, quam hic execrandus, qui fraudulenter obrepfit*, inquit Cyprianus. Hinc patet, ab antiqua difciplina non fuiffe alienum, ut, fi contra canones in Ecclefia conftitutos Romano Pontifici ab aliquo obreptum fuiffet, Epifcopi inferiores decretorum executionem fufpenderent. Quod in caufa Bafilidis gratum fuiffe Stephano Papæ, docet illuftriffimus Cardinalis Baronius.

Vide lib. 7. cap. 1. §. 4.

Cyprian. epift. 68.

CAPUT VI.

De jure Regum Galliæ judicandi de validitate refcriptorum papalium eademque fufpendendi.

SYNOPSIS.

I. In contentionibus de jurifdictione Epifcopi Gallicani aliquando urgebantur excommunicationum minis, ut accidit Hincmaro Remenfi. Refpondit ille Nicolao I. excommunicationi non effe locum, nifi quando canones violantur per contemptum.

II. Ut ab excommunicationibus tuti effent Epifcopi, patrocinium Regum interpellabant. Quod probatur duabus epiftolis Caroli Calvi. Prima Hadrianum II. monet, alienum effe a canonibus, ut Epifcopus Laudunenfis damnatus in Gallia fiftatur Romæ, fed in provincia retractandum effe judicium, Romanæ fedis judicia contraria canonibus non effe mittenda executioni.

III. Quia non funt lata ex privilegio B. Petri. *Phrafis illa petita eft e Leone I. Explicatur ex Hincmaro. Judicium illud fieri dicitur ex privilegio B. Petri, quod fertur ex illius æquitate. Ita quod illa æquitate caret, non nititur quoque privilegio. Eadem phrafis ufurpata a fynodo Tricaffina coram Joanne octavo. Idem fignificant hæc verba Concilii Pontigonenfis*, fecundum facrum minifterium.

IV. Secunda epiftola pro Epifcopis conqueritur Carolus apud Joannem VIII. quod Presbyterorum damnatorum appellationes admitterentur. Hæc refcripta a canonibus aliena miniftris tribuit, non Pontifici. Tranfalpinis privilegia exactius fervanda, quia longe abfunt ab urbe Roma. Id paci Ecclefiæ congruit. Judicia legibus & canonibus contraria, nulla effe docet.

V. Eo fæculo perfuafum erat, judicia Patriarcharum contra canones lata nullius effe momenti, e difputatione Zachariæ & Metrophanis in octava fynodo. Ea regula petita e Concilio Ephefino.

VI. Quod intelligendum eft, fi contra manifeftam juris formam expreffim pronuntietur. Non privatis, fed Ecclefiæ Gallicanæ vel Principi licuit eo cafu fufpendere executionem refcriptorum.

I. CEterum, ut fieri folet in his contentionibus, quæ de jurifdictione oriuntur, fupremæ illius auctoritatis apoftolicæ pondere fæpiffime premebantur Epifcopi Gallicani; adeo ut, fi fe acriores vindices antiquorum canonum præftarent, & rerum a Romana curia decretarum executioni intercederent, frequentius excommunicationum minis urgerentur. Quod Hincmaro accidit; qui, cum peritia juris canonici cenferetur, & ordina-

ordinationis tempore Metropolitanis potior esset, rerum in Gallicanis synodis constitutarum adversus Romana rescripta invidiam in se unum convertit; ideoque a Nicolao I. comminatione excommunicationem objurgatus est. *Mihi vero*, inquit in epistola ad Nicolaum, *necesse erit me taliter gerere, ne totiens auctoritatis vestræ epistolas excommunicationes intentantes & objurgationes (quas raro & magna necessitate fiendas in apostolicorum virorum literis legimus) ferentes de reliquo accipiam, sicut istis temporibus peccatis meis merentibus frequenter accepi. Quod si sanctitati vestræ placuerit, non vobis opus agere in postmodum erit, donec apostolica vestra jussio me inobedientem in aliquo contra regulas sacras per contemptum, quod absit, invenerit.* Non potuit modestius Nicolaum monere, excommunicationi non esse locum, nisi cum per contemptum canones violantur.

Apud Flodoardum lib. 3. histor. Rom. c. 13.

II. Quare Episcopi Gallicani, ut se ab excommunicationibus tutos præstarent, Reges custodiæ canonum & clericorum a Christo præfectos interpellabant, ut auctoritate sua novorum decretorum executionem impedirent, a qua ipsi Episcopi interim abstinebant. Susceptum a Regibus canonum patrocinium ex illis epistolis probari potest, quas Carolus Calvus ad Hadrianum II. Pontificem & Joannem VIII. dedit. In illa de Episcopi dejecti appellatione, in hac de Presbyteris damnatis agitur; & in utraque de vindicandis canonibus acriter disceptatur; quamvis in prima Carolus etiam causam suam ageret. Hincmarus Laudunensis Episcopus trium synodorum Galliæ judicio depositus, & post damnationem auctoritate Principis custodiæ traditus, quod contra quietem publicam quædam moliretur, Romanum Pontificem appellavit. Certum quidem erat, apostolicæ sedis auctoritate judicium renovari potuisse juxta canones Sardicenses, de quo nulla erat controversia apud Episcopos Gallicanos. Sed visum fuit Hadriano II. Romæ judicium illud agendum, & non in provincia, contra quam & Sardicensi canone & decretis Pontificum cautum esset. Itaque literis ad Carolum Regem datis jubet Hincmarum Laudunensem *regia fretum potentia* ad limina sanctorum Romam mitti, *quo accusator idoneus se conferret, ut præsente Pontifice & totius Romanæ sedis synodali collegio causa discuteretur.* Ægerrime tulit Princeps, se præceptis & jussionibus a Pontifice urgeri, qua de re dicetur cap. XII. Sed ad quæstionem præsentem quod attinet, cum Carolus multis docuisset, alienum esse a canonibus & legibus, ut damnatus Episcopus Romæ judicandus sistatur, sed in provincia retractandum esset judicium, subjungit hæc verba: *Quia, ut sanctus Hilarus Papa dicit, non minus in sanctarum traditionum delinquitur sanctiones, quam in injuriam ipsius Domini prosilitur.*

Epist. Caroli Calvi ad Hadrianum II. inter epistolas Hincmari edit. Paris.

III. Eleganti autem locutione utitur Carolus, ut doceat, apostolicæ sedis judicia, quæ per obreptionem canones infringunt, non esse servanda; quia, ut inquit ille, *ex privilegio beati Petri* lata non sunt. Genus illud loquendi haustum est e Leone I. cujus hæc sunt verba: *Dicitur a Domino beatissimo Petro, Tibi dabo claves regni cœlorum, & quæcunque solveris super terram, erunt soluta & in cœlis. Transivit quidem etiam in alios Apostolos vis istius potestatis, & ad omnes Ecclesiæ principes decreti hujus constitutio commeavit; sed non frustra uni commendatur, quod omnibus intimatur. Petro enim ideo hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ rectoribus Petri forma præponitur. Manet ergo Petri privilegium, ubi ex ipsius æquitate fertur judicium.* Hunc locum ita edisserit Hincmarus Remensis, qui epistolæ est auctor, ut pateat, ea judicia, quæ canonica æquitate non nituntur, nullius esse momenti, utpote quæ privilegio Petri destituta sunt; cujus privilegii perpetuo debet esse indivulsa comes beati Petri sinceritas & æquitas. *Qua sententia constat*, inquit Hincmarus sub nomine Caroli, *quia non manet Petri privilegium, ubi ex ipsius æquitate non fertur judicium. Cum enim* ubicunque *dicitur, sicut nullus locus, ita nemo rector Ecclesiæ ex Petri æquitate judicium ferens excipitur, vel contra illius æquitatem judicium proferens commendatur. Et quia ubicunque sine ulla exceptione non manet Petri privilegium, ubi ex ipsius æquitate non fertur judicium, obaudiemus jussum vel recipiemus judicium, quod non ex (*) Petri æquitate fuerit prolatum, ac per hoc ipsius privilegio fuerit destitutum.* Unde illustratur locus synodi Tricassinæ habitæ a Joanne VII. anno DCCCLXXVIII. qui latam Romæ adversus Lambertum excommunicationem synodi illius consensione firmari voluit. Hincmarus enim omnium primus se damnare dixit eos omnes, *quos apostolica sedes per beatum & domnum nostrum Papam privilegio beati Petri damnaret, & quod in omnibus secundum scripturarum tramitem sacrorumque canonum decreta sedes Romana tenet per omnia & in omnibus prosequi & tenere.* Eodem loquendi genere usi sunt Episcopi Gallicani, cum scripto responderent petitioni Joannis de eadem Lamberti excommunicatione, scilicet illius judicio se hærere, quod tulerat *privilegio B. Petri & sedis apostolicæ juxta sacros canones spiritu Dei conditos & totius mundi reverentia consecratos, & secundum ejusdem Romanæ sedis Pontificum decreta.* Eodem sensu dicitur in synodo Ticinensi, quæ recepta est in synodo Pontigonensi, illa omnia a cunctis suscipi debere summa veneratione, quæ Joannes VIII. decreverit *secundum sacrum ministerium suum auctoritate apostolica.*

Leo I. serm. 3. anniverf.

In eadem epistola Caroli: *Ergo jubete & judicate privilegio magni Petri juxta æquitatis ejus judicium, quæ jubenda & judicanda sunt:* ne *ut dicit ejus Coapostolus,* vituperetur ministerium vestrum. *Quia & nos secundum regium ministerium nostrum, quantum ex nobis est, cupimus servare, quod scriptum est,* Filii obedite parentibus vestris in Domino, *videlicet, quod fuerit justum vel judicatum a Domino.*

IV. Altera epistola, quæ de judiciis contra canonicum tenorem Romæ latis apud Joannem VIII. Carolus Calvus conquestus est, aperte ostendit, summissum ab Episcopis Gallicanis Principem, ut liberius ex ejus persona querelas suas promere possent, & eorum, quæ contra regulas gerebantur, restitutionem impetrare. Presbyteri damnati & pœnitentiæ addicti ob varias causas, sed præcipue ob exterarum & subintroductarum mulierum consortium, Romam inconsultis Metropolitanis adibant, & inde literas reportabant, quæ judiciis Episcoporum refragabantur, eosque aut eorum vicarios Romam evocabant, ut iis præsentibus de crimine Presbyteri accusati disceptaretur. Has epistolas *non jussione apostolica, sed, ut assolet etiam in republica, propter multiplicia reclamatorum negotia, quorumcunque ministrorum quasi pia miseratione factas, & nos* (inquit Carolus) *& illius regionis putant Episcopi.* Itaque, ut hanc disciplinæ labem ab Ecclesia Gallicana amoliretur, ordinem, qui ab antiquis temporibus in appellationibus Episcoporum & Presbyterorum dijudicandis constanter retentus fuerat, copiose edisserit; scilicet Episcoporum intra provinciam auctoritate sedis apostolicæ judicium renovari posse, sed Presbyterorum appellationes a synodo provinciæ ad sedem apostolicam nunquam admissas, contra præscripta Nicænæ synodi, Antiochenæ & Carthaginensis, quarum verba recitat. Deinde infert, aliam esse causam eorum Episcoporum, qui ad synodum Romanam convenire solent, & qui in remotis

Epistola Caroli Calvi ad Joann. VIII. inter epistolas Hincmari.

Cap. 3. *Vide lib. 6. cap. 14. §. 8.*

Idem cap. 21. *Quas epistolas sacris regulis obvias, nec auctoritate apostolica fuisse missas, sed compilatas quorumcunque vafricia credimus. Non enim sibi ipsi sedes apostolica potest esse contraria vel diversa.* Hoc est, quod observavi lib. 3. rescripta.

(*) Hæc loquendi forma perseverabat adhuc sub pontificatu Paschalis secundi, ut testatur Hugo Abbas Flaviniacensis, illorum temporum scriptor. Is enim loquens de Episcopo Æduensi, qui apud Paschalem accusatus erat de simonia, & in Concilio Valentino, cui Johannes & Benedictus Cardinales præfuerant, sententiam damnationis acceperat, ait Paschalem, cum ab Episcopo Matisconensi rogaretur, ut clementer ageret cum Æduensi, noluisse postulata ejus admittere, sed mandata ad Cardinales dedisse, ut causam illam recte & ordine judicarent, *apud se ratum fore judicium æquitate Petri latum.* Hæc sunt enim ipsamet Hugonis Flaviniacensis verba. Præcesserat autem Manasses Archiepiscopus Remensis in epistola ad Hugonem Episcopum Diensem, cui finem imponit his verbis ex Hincmaro petitis: *Non manet Petri privilegium ubicunque ex ejus æquitate non fertur judicium.* Hæc epistola edita est a viro clarissimo, Joanne Mabillonio tom. 1. Musei Italici pag. 119.

Romanæ curiæ quandoque vitiosa esse, non defectu auctoritatis, sed defectu intentionis.

remotis ab urbe Roma regionibus commorantur. *Transalpinis*, inquit, *& aliis, qui in similiter longinquis regionibus commorantur, apostolica sedes & sacrorum canonum promulgatores, loquente in eis sancto spiritu, quæ sunt unicuique provinciæ possibilia & auctoritati convenientia, atque Paci Ecclesiæ congruentia, tenenda & exequenda discretissime præfixerunt.*

Idem Hincm. cap. 21.

Ecclesiastica vero privilegia Ecclesiis servanda esse, probat ex Gregorio. Tandem graviter concludit, prolatis Imperatorum & Pontificum conceptis verbis, quæ legum & canonum observationem commendant:

Cap. 25.

Hæc igitur servemus nostris temporibus tanto gratius, quanto & Ecclesiæ & imperio erit capacius; & servando, quæ legaliter ac regulariter gesta sunt, rata esse faciamus, quæ legaliter ac regulariter gesserimus. Non potuit cautius & honorificentius canonum executionem a Pontifice exigere, quam nullitate judiciorum, quæ illis contraria essent proposita, & pacis ecclesiasticæ periculo indicato, eodemque jure in judiciis secularibus constituto.

Vide locum Anselmi Lucensis supra relatum in Addit. ad cap. 5. lib. 1. & Concilium Ansanum relatum infra cap. 8. istius libri.

V. Sane dubitandum non est, quin eo seculo persuasum esset, omnia judicia, quæ canonibus contraria essent, nullius esse momenti. Quod apertissime colligitur ex disceptatione Zachariæ Chalcedonensis Episcopi & Metrophanis Smyrnæ in octava synodo. Zacharias tuendam susceperat Photii causam adversus judicia Nicolai & ceterorum Patriarcharum, qui Photium damnaverant; quorum judiciorum auctoritatem ex eo elevat, quod canonibus adversarentur.

Concil. VIII. Act. VI. οἱ κανόνες ἄρχουσι καὶ τῶν πατριαρχῶν. εἰ γοῦν ἔξω τῶν κανόνων ποιοῦσιν, οὐ στοιχοῦμεν αὐτοῖς. Infra: καὶ νῦν εἰ ἐγένετο τὰ γενόμενα κατὰ κανόνας, στοιχοῦμεν αὐτοῖς.

Canones, inquit, *supra Patriarchas etiam sunt. Quando ergo hi in canones peccant, eos non sequimur; si ex canonum præscripto facta sunt, hæc sequimur.* Deinde aliquot exemplis causam suam instruit Zacharias, & probare contendit, alienam fuisse ab Ecclesiæ disciplina sententiam a Nicolao contra Photium latam. Metrophanes respondet quidem Zachariæ, ita tamen, ut regulam ab eo positam non evertat; excipit tantum, Nicolaum Papam judicem electum fuisse a Photio & Ignatio in controversia sedis Constantinopolitanæ, atque ideo sententiam judicis electi nullo modo rejici posse secundum leges civiles & ecclesiasticas. Tum exemplis in contrarium allatis a Zacharia satisfacit.

Nicolaus ep. ad Photium, quæ relata est act. 4. octavæ synodi.

Ex eo etiam capite Nicolaus I. Romanorum decretorum robur & firmitatem petit, quod synodicas patrum constitutiones inviolabiliter retineant. Ea regula petita est e Concilio Ephesino, quod in relatione ad Theodosium ait sententiam illam, quæ a canonibus aliena est, nihil aliud in se continere, quam apertam contumeliam:

Synod. Ephes. in Relatione ad Theod. Canone VI. Concil. Nic. ψήφῳ ἀλόγῳ οὔσῃ, καὶ κατὰ κανόνα ἐκκλησιαστικόν.

κρίσις γὰρ ἡ μεθ' ἑαυτῆς οὐκ ἔχουσά τι κανονικὸν, οὐδὲ δίκαιον, λοιδορίας οὐδὲν ἔχει πλέον. Quod videtur haustum e Concilii Nicæni canone sexto, quo decretum illud Metropolitani & synodi provincialis firmum esse debere constituitur, quod rationabile sit & secundum regulam ecclesiasticam comprobatum.

VI. Illa tamen regula (quæ in iis etiam sententiis locum habet, quæ proferuntur a magistratibus, qui vice sacra judicant) eo sensu accipienda est, si judicium specialiter contra leges vel senatus consulta vel constitutionem fuerit prolatum, ut loquitur Modestinus Jurisconsultus.

L. Si expressim. ff. de appellat. l. 2. C. *Quando provocare non est necesse.*

Quod obtinere etiam debet, si expressim & specialiter contra canones & manifesti juris formam judicatum fuerit; id est, ut loquuntur magistri, si contra jus constitutionis vel canonis judicatum fuerit, non autem, si contra solum jus litigatoris. Attamen non est, quod aliquis inde colligat, liberum fuisse unicuique, qui judicio reddito premeretur, rei judicatæ auctoritatem contemnere. Soli Principi & Ecclesiæ Gallicanæ nullitatis disceptatio competebat; non ea quidem mente, ut rescinderet sententiam latam, cum in omnibus causis apostolicæ sedis reverentiam custodirent, sed, ut rei judicatæ executionem suspenderent, si contra manifesti juris formam aliquid obreptum fuisset. Qua de re ad Romanum Pontificem rescribebant, si tanti esset res controversa, ut diligentiam illam exigeret, ut possent ὠφελεῖσθαι ἢ ὠφελεῖν, quemadmodum loquitur octava synodus de iis, quæ disceptantur cum Ecclesia Romana.

CAPUT VII.

De jure antiquo Regum Galliæ circa judicia ecclesiastica Episcoporum.

SYNOPSIS.

I. Conquerentibus clericis de judiciis Episcoporum subveniebant Principes. In eam rem extat canon Concilii Francofordiensis. Post judicium Metropolitani, si partes non consentiant rebus judicatis, accedere possunt ad Principem cum relatione Metropolitani.

II. Prudentia auctorum hujus canonis expenditur. Conciliatur hic canon cum Antiocheno Concilio. Imperator adiri non debet ante judicium synodi. Cum temperamento cognitionem quandam extraordinariam Princeps in his negotiis exercebat.

III. Summus Capellanus discutiebat res ecclesiasticas in Palatio, ut Comes Palatii res seculares. Ad Regem referebat de iis negotiis, quæ majoris essent momenti. Apocrisiarius idem cum Cappellano. De contentionibus canonicis omnis generis judicium ferebat. Quem ordinem teneret in judiciis ferendis. Intererat omnibus constitutionibus, quæ fiebant in Palatio.

IV. Munus Apocrisiarii istius gratum fuit Romanis Pontificibus. Ei muneri admotis Episcopis gratiam faciebant canonum, ut ab Ecclesiis suis abesse possent. Ea indulgentia assensu synodi Francofordiensis ad petitionem Regis confirmata. Apocrisiarii isti similes illis, qui morabantur in comitatu Imperatorum Constantinopolitanorum. Archicapellani munus tandem confusum est cum munere Comitis Palatii, quod restitui petit synodus Carisiaci.

V. Temporibus Ludovici Pii, omisso Metropolitano, damnati Presbyteri recta Principem adibant: Ea de re queritur Concilium Parisiense, & docet, hunc abusum ortum habuisse ex cessatione synodorum provincialium. Canones infracti erant, quia omisso Metropolitano Princeps interpellabatur.

VI. Missos dominicos Reges mittebant per provincias, qui canonum & legum executioni invigilarent. Regia auctoritate, quæ corrigenda erant, cum Episcopis corrigebant. In eo negotio Rex Episcopis cooperabatur, *ut loquitur Carolus Magnus.*

VII. Ludovicus Pius ait, sibi commissam Ecclesiæ & regni curam. Hujus sui ministerii adjutores esse Episcopos in suo ministerio, quod eis divina auctoritate impositum est, & Comites in ministerio illis credito, humano mandato. Reges ita erant Monitores, *ut contumaces emendarent.*

VIII. Missorum dominicorum dignitas & munus, e Flodoardo & Capitularibus. Alii a Missis discurrentibus, qui erant ministri tantum. Cum Episcopis prospiciebant canonum executioni, & vulnus impediebant. Apellationes ab abusu post vulnus remedium parant.

IX. Presbyteri vexati ab Episcopis in visitationibus & variis sumptibus confugerunt ad Carolum Calvum, qui lege lata illis injuriis contra canones illatis prospexit. Carolus interpretationem canonum sibi vindicat, & indicit Episcopis executionem secundum interpretationem a se datam. Contumacibus decimarum interversionem comminatur.

I. NUnc considerandum restat, qua ratione prospiceretur, si de judiciis Episcoporum moveretur aliqua quæstio. Sane, Principem suas partes interposuisse, manifestum erit, si cui habeat Concilii Francofordiensis canonem sextum expendere, cujus hæc sunt verba: *Statutum est a Domno Rege & sancta synodo, ut Episcopi justitias faciant*

faciant in suis parochiis. Si non obedierit aliqua persona Episcopo suo de Abbatibus, Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, monachis, & ceteris clericis, vel etiam aliis in ejus parochia, veniant ad Metropolitanum suum, & ille dijudicet causam suam cum suffraganeis suis. Comites quoque nostri veniant ad judicium Episcoporum. Et si aliquid est, quod Episcopus metropolitanus non possit corrigere vel pacificare, tunc tandem veniant accusatores cum accusato cum literis Metropolitani, ut sciamus veritatem rei. Magna est hujus Concilii auctoritas, quod e cunctis regni Francorum, Italiæ & Aquitaniæ Episcopis, & Legatis Hadriani Papæ constabat. Quare potestas, quæ Regi reservatur de Metropolitanorum judiciis aliqua ex parte decernendi, legitima & canonica omnino censenda est. Hoc seculo a sententiis Metropolitani & synodi provinciæ non appellabatur, si de clericis inferioris gradus, id est, Abbatibus, Presbyteris, & ceteris, causa verteretur. Enimvero, quia contingere poterat, ut per injuriam contra regulas a Metropolitanis premerentur, aut per contumaciam rebus judicatis parere nollent, extraordinaria quadam cognitione Principis huic incommodo prospicitur. Decernitur enim, si rei vel actores judicio reddito refragentur, ut ambo se sistant coram Rege cum literis Metropolitani, quibus relatio plena rei gestæ continebitur; ut, veritate rei perspecta, Rex auctoritatem suam interponat. De Rege enim accipienda sunt hæc verba, *ut sciamus veritatem rei*; quemadmodum id, quod antecedit, *Comites quoque nostri*, ne quis forte cavilletur & ad synodum referre velit.

II. Plane hic mirari subit seculi hujus prudentiam & ingenium ad concordiam sacerdotii & imperii natum. Patres enim isti disciplinam canonicam cum jure regio callentissime temperant. Vetitum erat canone XII. Concilii Antiocheni Presbyteris & ceteris clericis ab Episcopo damnatis, ne molesti essent Imperatori, *sed ad synodum converterentur*; si quis vero neglecta synodo Imperatorem adiret, venia indignus esset. Rursus canone XI. ejusdem Concilii prohibitum erat Episcopis & Presbyteris, ne absque literis Metropolitani Principem adirent. Hoc canone Francofordiensi Metropolitanis consulitur & synodis provinciæ; scilicet, ut non ante interpellari possit Princeps a Presbyteris, quam synodus provinciæ causæ finiendæ impar fuerit, utque literis Metropolitani instructæ partes ad Regem accedant. Ceterum hoc ordine servato, liberam damnatis Presbyteris facultatem facit Regem adeundi. Eo autem temperamento cognitio ista sine dubio peragenda erat, ut, si minus canonice judicatum foret, sententiæ executio impediretur, monito Episcopo, ut canonibus se accommodaret; sin vero recta & canonica sententia prompta fuisset, contumaces ad executionem imperio Principis adigerentur. Non enim otiosa esse debet cognitio Principis, quin adhibito saltem illo temperamento, de quo dixi, conquerentibus clericis satisfaciat. Rursus tam exacta esse non debet, ut res semel judicatas jurisdictione quadam superiori discutiat, cum illi jure patrocinii tantum hæc disceptatio extraordinaria competere possit.

III. Rebus autem ecclesiasticis discutiendis imminebat summus Capellanus, qui in Palatio huic ministerio præfectus erat, ut docuit Adalardus apud Hincmarum. Refert auctor ille, potiores in Palatio fuisse duos regios ministros, Capellanum & Comitem Palatii: *E quibus præcipue duo, id est, Apocrisiarius, qui vocatur apud nos Capellanus, vel Palatii custos, de omnibus negotiis ecclesiasticis vel ministris Ecclesiæ, & Comes Palatii de omnibus secularibus causis vel judiciis suscipiendis curam instanter habebant, ut nec ecclesiastici, nec seculares prius Domnum Regem absque eorum consultu inquietare necesse haberent, quousque illi præviderent, si necessitas esset, ut causa ante Regem merito venire deberet.* Deinde summi Capellani munus in iis versari docet, quæ pertinent ad officia ecclesiastica & cetera spiritualia in Palatio procuranda. Sed omitti non debent, quæ de judiciis ecclesiasticis scribit: *Apocrisiarius quidem de omni ecclesiastica religione vel ordine, necnon etiam canonicæ vel monasticæ altercatione, seu quæcunque palatium adibant pro ecclesiasticis necessitatibus, sollicitudinem haberet, & ea tantummodo de externis Regem adirent, quæ sine illo plenius definiri non potuissent.* Quemadmodum Apocrisiarii & Comitis Palatii munera hic inter se comparantur; ita existimo, eandem illos judiciorum reddendorum rationem tenuisse. Quare, ut ex formula judicii redditi ab Andeboldo Comite Palatii constat, ipsum vice Regis adsidentibus sibi Episcopis & proceribus in palatio jus dixisse & ejus sententias nomine regio inscriptas, ita etiam summus Capellanus vice Regis in consessu Episcoporum & procerum jus dicebat, nisi causæ gravitas exigeret Regis præsentiam, ut monuit Hincmarus. Extat ejus auctoritatis exemplum in epistola Ecclesiæ Senonicæ ad Hilduinum Archicapellanum; qua non solum referuntur illi gratiæ, quod secundam electionem huic Ecclesiæ impetrasset a Principe, quod ad Hilduini gratiam pertinebat, sed etiam, quod eam *concessisset*, quæ verba ad munus Archicapellani trahi debent. Etenim omnes quæstiones canonicas, quæ ad Palatium deferebantur, Archicapellanus discutiebat & judicabat. Quare, cum persona secunda vice a Senonensibus electa Missis dominicis accepta non fuisset, negotium ad Hilduinum relatum est; a quo Senonenses contendunt, ut tamdiu judicium differat, donec ipsis præsentibus electum judicio suo probet aut repellat. Non immerito itaque in epistolæ inscriptione Hilduinum *sacris negotiis a Deo prælatum* dicunt. Præter eam auctoritatem, quæ propria erat Archicapellani, (*) omnibus consultationibus, quæ de re publica aut privata in palatio a Consiliariis (qui partim clerici erant, & partim laici) haberentur, Capellanus semper interat, ut docet Hincmarus.

IV. Quam vero acceptum esset Summis Pontificibus munus summi Capellani, ex eo colligere licet, quod Episcopis, qui huic officio a Principibus admovebantur, gratiam canonum facerent, ut abesse ab Ecclesiis suis & assidue in palatio versari possent. Id testatum fecit Carolus Magnus in Concilio Francofordiensi; cujus assensum etiam petivit, ut pontificia, regia & synodali auctoritate a pœnis canonum in desertores Ecclesiarum suarum latis liber esset Hildeboldus Episcopus, cui summi Capellani munus commiserat. Hæc sunt verba Concilii: *Dixit etiam Dominus Rex in eadem*

Hincmar. ep. 14. c. 19.

Idem c. 20.

V. C. Bignonius in Notis ad Marculfum c. 25. l. 1. c. 32.

Vide lib. 8. c. 14. §. 6.

Epistola Ecclesiæ Senon. in formul. antiquis promot. episc. form. X. ad calcem tomi 2. Concil. Gall. *Propterea vestræ pietatis vestigiis animo provoluti flebiliter postulamus, ut tamdiu rem suspendere dignemini, quousque cum scripto homine ad vestram celsitudinem properantes, ipsi vobis melius nostram pandamus miseriam. Et si quidem ad hoc onus ferendum persona, quam dicimus, sufficere minus poterit, dignationis vestræ judicio aut suscipiatur aut reprobetur.*

Concil. Francof. c. 55.

(*) De dignitate Archicapellani, præter ea, quæ heic edisserit illustrissimus Archiepiscopus, occasio postulat, ut & nos nonnulla dicamus, cum in nos susceperimus curam illustrandi hos libros pro nostra virili. Erat itaque tanta dignitas Archicapellani, ut quemcunque tandem locum ille in Ecclesia haberet, principem tamen ubique obtineret super Archiepiscopos, etiam in synodis. Ebroinum enim Pictaviensem Episcopum, qui fuit Archicapellanus in palatio Caroli Calvi, Concilio Vernensi, cui præter ceteros intererat VVenilo Senonum Archiepiscopus, præfuit anno DCCCXLIV. ut patet ex præfatione illius synodi. Quin & Grimoldus Abbas sancti Galli Salumoni & Theodorico Episcopis præponitur in act s de indulgentia Ludovici Regis Germaniæ, non aliam ob causam, ut recte observat Sirmondus, quam quod idem Regis summus erat Capellanus. Sic in imperio Constantinopolitano Chartophilax Constantinopolitanus, tametsi Diaconus tantum esset, ante Antistites seu Pontifices ubique sedebat præterquam in synodis, ut docet Theodorus Balsamo ad canonem XVIII. Nicænum, & ad canonem VII. synodi in Trullo. Ceterum ex epistola XCVII. Lupi Ferrariensis jam olim collegimus, munus Archicapellani non fuisse perpetuum, sicque tribui solitum a Principe, ut ei, cui datum erat, adimi posset pro illius arbitrio. Ea enim de causa Hilduinum Abbatem monet Lupus, ut, quia scire non potest, quam diuturna futura sit hæc administratio, tempore bene utatur, justumque se in judiciis reddendis exhibeat.

eadem synodo, se a sede apostolica, id est, ab Hadriano Pontifice, licentiam habuisse, ut Angilramnum Archiepiscopum in suo palatio assidue haberet propter utilitates ecclesiasticas. Deprecatus est eandem synodum, ut eo modo, sicut Angilramnum habuerat, ita etiam Hildeboldum Episcopum habere debuisset; quia & de eodem, sicut & de Angilramno, apostolicam licentiam habebat. Omnis synodus consensit, & placuit eis, eum in palatio esse debere propter utilitates ecclesiasticas. Præfectus iste capellæ regiæ Apocrisiarius dicitur, exemplo Responsalium, qui morabantur in urbe Constantinopolitana a Romana sede aut a ceteris Patriarchis missi, ut rebus ecclesiasticis prospicerent; quamvis magnum intercederet discrimen inter eorum munera, cum regius Capellanus in Gallia jus diceret, ceteri vero negotiis præcipue procurandis in urbe regia vacarent, ut dicam alibi. Attamen Archicapellani auctoritas paulatim desiit, & cum munere Comitis Palatii confusa est, ut colligere licet ex epistola synodi apud Carisiacum, quæ petit a Ludovico, ut hoc munus in palatio suo restituat. Is est enim sensus horum verborum. *Si Episcopus*, inquit, *pro quacunque necessitate ecclesiastica ad vos direxerit, ad quem suus missus veniat, per quem, quæ rationabiliter petierit, obtineat, in palatio vestro, sicut Comes Palatii est in causis reipublicæ, ministerio congruum constitutum habete.* Post ista tempora fit aliqua mentio Archicapellanorum, sed qui non erant in illo gradu auctoritatis constituti.

Hildeboldus Epis. Colon. apud Alcuin. epist. 85. & carm. 208.

De Apocrisiariis & Responsalibus vide lib. 5. cap. 16. & seqq.

Synod. apud Carisiacum c. 7. ann. 858.

V. Sed, ut optima instituta in deterius ruere solent, accidit, ut paulatim, Metropolitanis inconsultis, & contempto synodorum examine, damnati Presbyteri recta e palatio subsidium peterent, quod tunc alienum omnino erat a disciplina canonica. Sane huic præmaturæ clericorum interpellationi occasionem præbuerat interruptus synodorum provincialium usus, quæ quotannis non cogebantur. Quam disciplinam restituendam ab Imperatore Ludovico poposcit Concilium Parisiense habitum anno DCCCXXIX. *Quoniam, si hæc Concilia semel in anno per unamquamque provinciam celebrata fuerint, & honor ecclesiasticus vires ordinis sui obtinebit, & impudentia quorundam superborum clericorum, quæ passim auctoritate canonica calcata auribus imperialibus molestiam ingerit, cessabit, & impunitas diversorum flagitiorum, quæ locum delitescendi nunc habet, non habebit, & alia multa, quæ hactenus secus quam ecclesiastica disciplina docet, incesserunt, ordinem suum Domino auxiliante servabunt.* Sane canones spreti erant, eo quod synodo provinciæ non adita, contra præscriptum Concilii Francofordiensis & Antiocheni clerici ab Episcopo damnati Regem adibant. Ceterum post aditam synodum provinciæ, liberum erat cum literis Metropolitani ad Principem accedere.

Concil. Paris. parte 1. c. 26.

VI. Non est autem existimandum, solis Presbyterorum, Canonicorum & monachorum judiciis vacasse summum Capellanum & Regis consistorium. Etenim canonum executionem & Capitularium constitutionum, ab Episcopis Princeps exigere solebat, delegatis per provincias viris consultissimis, qui *Missi dominici* vocabantur, quorum auctoritate aut quæ per negligentiam peccata erant, in canones corrigebantur, aut si majorem operam desiderarent, ad Regem referebantur. Cum enim Princeps, etsi canonum executor non esset, attamen exactor esse deberet, suam auctoritatem una cum episcopali adjungebat, ut conjunctis studiis & communi opera paterni canones servarentur. Qua de re serio monuit Episcopos Carolus Magnus in Capitulari Aquisgranensi, quo certa quædam capitula e canonibus petita, servanda præscripsit Episcopis: *Ut magna devotionis studio hortarentur & compellerent greges sibi creditos, ut firma fide & infatigabili perseverantia intra paternas sanctiones se contineant. In quo operis studio*, inquit, *sciat certissime sanctitas vestra, nostram vobis* cooperari *diligentiam. Quapropter & nostros ad vos direximus Missos, qui ex nostri nominis auctoritate una vobiscum corrigerent, quæ corrigenda essent.* Sane munus Missorum eo se porrigebat, ut discimus ex Capitulari Ludovici Pii, *ut, si forte Episcopus aut Comes aliquid negligentius in suo ministerio egerit, per istorum admonitionem corrigatur.*

Capitulare Aquisgranense an. 789.

Capitulare Ludov. c. 26. an. 823.

VII. Si auctoritatis istius rationem investigemus, ea erit in promptu e Justiniano, qui canonum custodiam Principibus commissam docuit. Eandem tamen sententiam illustrius, & pro sua dignitate magnificentius expresserunt Reges nostri; quæ paucis explicanda sunt, ne quis in Capitularium lectione impingat. Docet Ludovicus Pius in admonitione generali ad utriusque ordinis homines, id est, Episcopos & Comites, Reges a Deo constitutos, ut Ecclesiæ & regni curam gerant, summam autem ministerii hujus ita in persona Regum consistere, ut divina auctoritate & humana ordinatione per partes divisum sit, Episcopis nempe & Comitibus, & unusquisque in suo loco & ordine partem ministerii regii habeat. *Unde apparet*, inquit Ludovicus, *quod ego omnium vestrum admonitor esse debeo, & omnes vos nostri adjutores esse debetis. Nec enim ignoramus, quid unicuique vestrum in sibi commissa portione conveniat; & ideo prætermittere non possumus, quin unumquemque juxta suum ordinem admoneamus.* Statim vero monet Episcopos, ut in ministerio suo accurate versentur; & subjungit, *ut, quantum ad vestrum ministerium pertinet, nobis veri adjutores in administratione ministerii nobis commissi existatis, ut in judicio non condemnari pro nostra & vestra negligentia, sed potius pro utrorumque bono studio remunerari mereamur.* Deinde Comites admonet, ut vicissim partem ministerii sibi commissi fideliter peragant; hoc inter Episcopos & Comites discrimine constituto, quod illis a divino Numine commissa sit ministerii sui cura, Comitibus vero ex regio mandato, ut docuit capite tertio. Eo enim sensu explicanda sunt illius capitis verba, *divina auctoritate & humana ordinatione*, ut supra indicavi. Quare mirum nemini esse debet, si adeo diligenter rebus ecclesiasticis se Reges Francorum impenderent, cum eas ad ministerium suum pertinere existimarent; scilicet, ut admonitores se præstarent, quod Episcopi ministerium suum juxta canones peragerent, & in eo capite ministerii regii adjutores essent. Monitionis autem ea vis erat, ut effectus verba sequeretur & pœna in contumaces, quemadmodum videre est tum alibi, tum in hoc Capitulari, quo ministerii sui Comites commonentur perinde ac Episcopi.

Capit. l. 2. c. 2. e dicto Capitulari: *Sed quoniam complacuit divina providentiæ nostram mediocritatem ad hoc constituere, ut sancta sua Ecclesiæ & regni hujus curam gereremus.*

Capitulare Lud. relatum l. 2. Capit. c. 3. *Sed quamquam summa hujus ministerii in nostra persona consistere videatur, tamen & divina auctoritate & humana ordinatione ita per partes divisum esse cognoscitur, ut unusquisque vestrum in suo loco & ordine partem nostri ministerii habere cognoscatur.*

Cap. 4.

Cap. 6.

VIII. Missi autem dominici, summæ dignitatis & prudentiæ viri, ex utroque ordine a Principe delecti, diligenter inquirebant, *quid Episcopi, Abbates, Comites & Abbatissæ per singulos pagos agerent, & undecunque necesse fuisset tam regias quam Ecclesiarum Dei justitias, viduarum quoque & orphanorum, sed & ceterorum hominum inquirerent & perficerent*, ut loquitur Flodoardus. Quæ ad Missorum legationem pertinerent, passim in libris Capitularium occurrunt: qui *a Missis discurrentibus* distinguendi sunt, quorum munus erat mandata Principis deferre per provincias. Missorum dominicorum usus, (qui una cum Episcopis canonum executioni in parœciis & monasteriis invigilabant, aut Regem de contemptu monebant, ut ipse corrigeret perperam gesta) litibus illis obviam ibat, quæ hodie de canonum & auctoritatis abusu instituuntur. Ceterum Principis auctoritatem ad exigendam a clero & plebe canonum observantiam æque commendat; eo solo discrimine inter utrumque agendi modum, quod prior sollicitiorem curam & magis assiduam requirat, & vulnus impediat; hic negligentius se gerat, reclamantem aliquem expectet, atque post vulnus remedium paret.

Flodoard. Hist. Rem. l. 2. c. 18. *Vide Baluzii Notas ad Lupum Ferrar. pag. 353. 400. 463.*

Capitul. l. 2. c. 26. 27. lib. 5. c. 143. & alibi passim.

Conc. Suess. c. 7. & Capitula in eadem synodo proposita.

IX. His temporibus etiam Presbyteros regium auxilium adversus Episcopos imploraſſe, patet ex Capitulari Caroli Calvi Tolosæ dato anno DCCCXLIV, quo

quo vexationibus illis, quibus Presbyteri Septimaniæ ab Episcopis suis premebantur, egregie prospicit, modum, qui in visitandis parœciis ab iis tenendus sit, & sumptuum quantitatem præscribit. Imo vero prohibet Episcopis, ne Presbyterorum rusticanas parœcias lucri inhonesti causa dividant; sed, si populi necessitas id exegerit, consilio canonico eam divisionem peragant. Ceterum capitis octavi verba expendenda sunt, quæ regiæ potestatis vigorem in rebus ecclesiasticis ostendunt: *Ut Episcopi sub occasione quasi auctoritatem habeant canonum his constitutis excellentiæ nostræ nequaquam resultent aut negligant, sed canones potius, ut intelligendi sunt, intelligere & in cunctis observare procurent. Quia, si aliter fecerint, omnimodis & qualiter canones fidelium decimis agendum statuant, & qualiter intelligi & observari cum mansuetudinis nostræ decreto debeant, synodali dijudicatione & nostra auctoritate regia docebuntur.* Videtur nescio quam decimarum interversionem Episcopis comminari, si a canonibus & regiis decretis descîscant. Qui locus, ut existimo, in eam rem est singularis, ut cum Magistris nostris loquar.

C A P U T VIII.

De continuata post millesimum annum cura in Gallia de conservandis canonibus antiquis & obiter de Schismate.

S Y N O P S I S.

I. Sub tertiæ dynastiæ Regibus antiquorum canonum desiderium vigebat; ut patet ex Concilio apud Ansam, in quo definitum est, illud privilegium non esse ratum, quod canonicis non solum non concordaret, sed etiam contrairet sententiis. *Patet etiam e Glabro; qui recitat offensionem Gallicanorum Episcoporum, quod invito Turonensi Episcopo ad preces Fulconis Comitis basilica consecrata fuisset a Legato jussu Romani Pontificis, contra canones.*

II. Glaber de Joanne Antipapa non est intelligendus, sed de Joanne XVIII.

III. Explicantur verba illa Glabri, Papam & Fulconem schisma creavisse. *Schisma est secessio a communione Ecclesiæ ob quæstiones de disciplina. Hæresis ob quæstiones de fide, e Basilio. Schisma desinit in hæresim; non solum, quod schismati sæpe hæresis adjungitur, sed etiam, quod ipsum schisma, si inveteratum sit, in heresim vertatur.*

IV. Id docetur e canone VI. Concilii CP. Qui explicatur, & conciliatur cum canone Basilii; rejecta conciliatione Balsamonis. Basilius agit de schismate nondum desperato. Canon VI. de pertinaci & ab Ecclesia condemnato. Emendatus canon VI. e Nicolao. Novatiani & Quartadecimani damnati, ut heretici, & plures alii, ob quæstiones disciplinæ, quia Ecclesiam contemnebant, cujus auctoritas in scripturis commendatur.

V. Qui sint canonici Episcopi in dicto canone sexto. Corrigendus locus, & rescribendum κοινωνικοί. *Emendatus etiam obiter locus Concilii Chalcedonensis.* Κοινωνικοὶ *sunt Episcopi ejusdem communionis, Latinis* Communicatores. *Confirmatur hæc emendatio e versione canonis, quæ extat in epistola Nicolai I.*

VI. Ex iis, quæ dicta sunt, illustratur locus Glabri, qui schisma vocat dissidium Papæ & Episcoporum in causa canonica. Schisma ea significatione usurpatum a Benedicto IX. a synodo Anglicana, Hincmaro & Ivone.

VII. Quomodo se gererent Gallicani Episcopi in retinendis canonibus adversus nova rescripta. Id ostenditur ex privilegio concesso a Paschali II. Henrico Imperatori. Concilium Viennense damnat privilegium, & minatur secessionem, ni Paschalis illud revocet. Galli modestius se gerunt. Perseverandum in obedientia Papæ docent, & parendum iis, quæ pertinent ad Cathedram, *cetera non admittenda.*

VIII. Ivo negat de Pontifice judicium suscipiendum, nisi a fide aberraret. Si quid tamen ab eo decernatur in commodum Ecclesiæ Gallicanæ, synodos cujusque provinciæ id correcturas, salva reverentia Ecclesiæ Romanæ.

I. POst annum millesimum, sub tertia Regum nostrorum dynastia, non deferbuit apud Gallos servandorum canonum desiderium, quo decessores flagraverant; nec cessavit usus ille antiquus ab avis usurpatus, quo aut Ecclesia synodica deliberatione sibi prospiciebat, cum rebus per obreptionem decretis Romæ assentiri non posset, aut regio patrocinio se committebat, ut executionem impediret.

Synodici decreti ejusce generis illustre exemplum peti potest ex Concilio apud urbem Ansam, in diœcesi Lugdunensi sitam, ab Episcopis trium provinciarum, Lugdunensis scilicet, Viennensis & Tarantasiensis, habito anno MXXV. cujus verba referam ex Tabulario Ecclesiæ Matisconensis, unde etiam illa hausit Jacobus Severtius, eaque edidit in Chronologia Archiepiscoporum Lugdunensium Num. LXVII. Ex quibus discet lector, quam constanter se gererent illius ætatis Episcopi ad retinenda jura sua canonibus Conciliorum generalium munita adversus gratiosas monasteriorum exemptiones rescriptis Romanorum Pontificum concessas. *Anno MXXV. dominicæ incarnationis convenerunt apud Ansam in Ecclesia sancti Romani, causa Concilii, Archiepiscopi cum pluribus Episcopis, scilicet Burchardus Lugdunensis Archiepiscopus, alius Burchardus Archiepiscopus Viennensis, Amiro Archiepiscopus Tarantasiensis, Helminus Episcopus Eduensis, Gauslenus Episcopus Matiscensis, Gausfredus Episcopus Cabilonensis, Hugo Comes Episcopus Antissiodorensis, Guido Episcopus Valentinensis, Umbertus Episcopus Gratianopolitanus, Aribaldus Episcopus Ucecïensis, Anselmus Episcopus Augustensis, & Urardus Episcopus Maurianensis. Dum igitur multa de ecclesiasticis causis & de communi populi utilitate ibidem tractarent, surgens supradictus Gauslenus Episcopus, in medio proclamavit, se conqueri de Burchardo prædicto Viennensi Archiepiscopo, qui sine licentia & assensu suo contra canonum statuta ordinationes de monachis fecerat in episcopatu suo, scilicet in Cluniacensi cœnobio. Ad quæ idem Archiepiscopus respondens, Domnum Odilonem Abbatem, qui præsens aderat, illarum ordinationum adduxit auctorem in defensorem. Itaque Domnus Odilo cum suis monachis surgens ostendit privilegium, quod habebant a Rom. Ecclesia, quod eis talem libertatem tribuebat, ut nulli, in cujus territorio degebant, nec alicui aliquatenus subjacerent Episcopo, sed, quemcunque vellent, adirent, vel de qualibet regione adducerent Episcopum, qui faceret ordinationes vel consecrationes in eorum monasterio. Relegentes ergo sancti Chalcedonensis & plurimorum authenticorum Conciliorum sententias, quibus præcipitur, qualiter per unamquamque regionem Abbates & monachi proprio debeant Episcopo subjici, &, ne Episcopus in parœcia alterius audeat ordinationes vel consecrationes absque licentia ipsius Episcopi facere, decreverunt, chartam non esse ratam, quæ canonicis non solum non concordaret, sed etiam contrairet sententiis. Adjudicaverunt quoque, Domnum Abbatem non posse existere Archiepiscopo legitimum auctorem canonicæ defensionis. Unde prædictus Archiepiscopus ratione convictus, petens veniam a Gausleno Episcopo, loco satisfactionis firmavit, & per quales ipse voluit fide jussores, ut unoquoque anno, quamdiu ambo viverent, tempore Quadragesimæ sufficientiam olei de olivis ad conficiendum chrisma ipsi persolveret sine negligentia.* Vide Baluzii not. ad Conc. Narb n. habitum an. 1090.

Laudatur sæpe locus Rodulphi Glabri monachi Cluniacensis, qui anno millesimo quinquagesimo florebat, ut doceatur, ea tempestate persuasum Gallis Episcopis fuisse, nihil a Romano Pontifice in Galliis contra canones tentari debere. Refert auctor ille, Fulconem Andegavorum Comitem

tem reducem ab Hierosolymitana peregrinatione, ut se voto exsolveret, monasterium condidisse in pago Turonico, in prospectu Castri Lucaliensis; quod juxta consilium uxoris suæ, non alicujus Martyris, sed Cherubin & Seraphin memoriæ devovit. Rogatus Hugo Turonensis Archiepiscopus, ut basilicam dedicaret, constanter renuit, donec Ecclesiæ suæ prædia quædam male invasa Fulco restituisset. Quod durum visum Comiti: qui Romam cum se contulisset, muneribusque suis Joannem Pontificem honestasset, rediit cum Petro Cardinali; qui ex delegata sibi facultate basilicam dedicavit. Hæc sunt verba Glabri: *Quod utique audientes Galliarum quique Præsules præsumptionem sacrilegam cognoverunt ex cæca cupiditate processisse, dum videlicet unus rapiens, alter raptum suscipiens, recens in Romana Ecclesia schisma creavissent. Universi etiam pariter detestantes; quoniam nimium indecens videbatur, ut is, qui apostolicam regebat sedem, apostolicum primitus ac canonicum transgrediebatur tenorem; cum insuper multiplici sit antiquitus auctoritate roboratum, ut non quispiam Episcoporum in alterius diœcesi istud præsumat exercere, nisi Præsule, cujus fuerit, compellente seu permittente.* Mox: *Licet namque Pontifex Romanæ Ecclesiæ ob dignitatem apostolicæ sedis ceteris in orbe constitutis reverentior habeatur, non tamen ei licet transgredi in aliquo canonici moderaminis tenorem. Sicut enim unusquisque orthodoxæ Ecclesiæ Pontifex ac sponsus propriæ sedis uniformiter speciem gerit salvatoris, ita generaliter nulli convenit quippiam in alterius procaciter patrare Episcopi diœcesi.* Eandem rem paucioribus verbis & modestioribus explicuerat Hincmarus in epistola ad Nicolaum primum: *Non aliud, nisi quod regulæ sacræ præcipiunt, & mihi petendum, & vobis concedendum est.*

Rodulphus Glaber lib. 2. cap. 4.

Hincmarus apud Flodoard. l. 3. c. 13.

II. Sed locus Glabri illustrandus est ex veteribus tabulis, quarum mihi copiam fecit vir nobilitate & eruditione insignis & in perscrutandis antiquis monumentis exercitatissimus Michael de Maroles Abbas Villæ-Lupæ. Si tabulæ illæ incidissent in manus illustrissimi Annalium conditoris, constituisset illi æque ac nobis, narrationem istam ad eum Joannem referri non debere, qui per factionem Crescentii schismate excitato adversus Gregorium V. Romanam sedem invasit anno DCCCCXCVI. & statim ab Ottone Imperatore oppressus meritas sacrilegii pœnas luit. Hic agitur de Joanne XVIII. quem Sergius IV. excepit anno MIX. qui ambo Pontifices hujus monasterii exemptionem constituerunt. Ac primo quidem Joannes oblatum a Fulcone monasterium *Belliloci*, sanctæ Trinitati & Cherubin atque Seraphin memoriæ devotum, sub tuitione Romanæ Ecclesiæ suscepit, interdixitque omnibus Episcopis, ne quam ibi jurisdictionem exercerent. Privilegii illius insoliti rescriptum Hugonem Archiepiscopum Turonensem commovit. Necdum enim plena immunitas monasteriis indulta fuerat absque Episcoporum consensu, quemadmodum colligi potest ex iis, quæ dicta sunt lib. III. cap. ultimo. Ille vero accedens Romam, submissis precibus a Sergio IV. Joannis successore contendit, ut monasterii consecrationem sibi juxta canones & *Justinianam legem* permitteret. Sed repulsus fuit hac exceptione, quod Fulconi liberum fuerit in fundo suo propriaque hereditate monasterium construenti monasterium ipsiusque consecrationem Romanæ Ecclesiæ conferre; *quia, cujus est hæreditas, ipsius & consecratio*. Quare Hugo accepta e manibus Gregorii Silvæcandidæ Episcopi virgula, jus omne, quod sibi competebat in Romanam Ecclesiam, transtulit. Sergius vero Petrum Vipernensis Ecclesiæ Episcopum in Gallias direxit monasterium illud vice sua consecraturum. Quæ dedicatio peracta est anno MX. ut testatur Chronicon Turonensis Ecclesiæ: *Abbatia Belliloci & Ecclesia S. Florentii de Ambasia a Fulcone Nerra fundantur anno MX.*

Ill. Card. Baron. ad an. 996.

E Chartario monasterii Belliloci.

Acta illa extant tom. 1. Gall. Christ. p. 756. & tom. 4. pag. 149. & seqq.

III. Opinio vero de Joanne schismatico hausta est e locutione a Glabro usurpata, cum ait, Joannem & Fulconem *recens schisma* in Ecclesia Romana creavisse, unde vir eruditissimus colligebat, hic agi de Pontifice schismatico. Veruntamen hoc loquendi genus eo seculo vulgatum erat, ut violatorum canonum incommoda indicarentur, quæ pacem Ecclesiæ turbare solent, & verum schisma in Ecclesiam invehere. Schisma autem etsi in eo consentiat cum crimine hæreseos, quod utrumque unitatem communionemque Ecclesiæ catholicæ violet, istud fide læsa, illud caritate corrupta, attamen origine magnopere differunt. Etenim hæresis lædit regulam fidei, ipsaque Christianæ professionis fundamenta evertit. Schisma vero disciplinam ecclesiasticam labefactare nititur & episcopalem auctoritatem concutere, ut docent Basilius & Hieronymus. Unde Manichæos, Valentinos, Marcionistas & Pepuzenos inter hæreticos recenset Basilius, quia de ipsa in Deum fide controversiam movent, & a ceteris Christianis dissentiunt: εὐθὺς γὰρ περὶ αὐτῆς τῆς εἰς Θεὸν πίστεώς ἐστιν ἡ διαφορά. Novatianos autem sive Catharos schismaticis adscribit, quia de disciplina tantum cum Ecclesia contendebant, nempe an lapsi ad pœnitentiæ beneficium admittendi essent: Σχίσμα δὲ, τὸ περὶ τῆς μετανοίας διαφόρως ἔχειν πρὸς τοὺς ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας. Observandum tamen est, eam esse schismatis indolem, ut in hæresim vertatur, quod de Donatistis dixit alicubi Augustinus, apud quos contigit, ut geminatione baptismi hæresis ex schismate nasceretur, quemadmodum loquitur Imperator in Codice Theodosiano. Et in universum Hieronymus asseruit de omnibus schismaticis, eos proprium quoque dogma confingere solitos, ut secessionem suam necessariam fuisse probarent. Attamen vulgatum illud, quod sæpissime jactatur apud veteres, scilicet inveteratum schisma in hæresim desinere, abditam quandam disciplinæ ecclesiasticæ regulam præ se ferre videtur. Ea vero hoc unum significari puto, nempe ipsum schisma, etsi nulla hæreseos labe infectum, si pertinax fuerit & inveteratum, transire in naturam hæreseos, & schismaticos ejus generis Ecclesiæ frequentibus admonitionibus rebelles hæreticis accenseri.

Aug. l. 20. contra Faust. c. 3. Schisma, ni fallor, est eadem opinantem, atque eodem ritu colentem, quo ceteri, solo congregationis delectari dissidio.

Basil. in ep. ad Amphiloch. c. 1. τὰς μὲν αἱρέσεις ὠνόμασαν, τὰ δὲ σχίσματα, τὰς δὲ παρασυναγωγάς. Αἱρέσεις μὲν τοὺς παντελῶς ἀπερρηγμένους, καὶ κατ' αὐτὴν τὴν πίστιν ἀπηλλοτριωμένους· σχίσματα δὲ, τοὺς δι' αἰτίας τινὰς ἐκκλησιαστικὰς, καὶ ζητήματα ἰάσιμα πρὸς ἀλλήλους διενεχθέντας.

L. 4. C. Th. *Ne sacr. bapt. iter.*

Hieron. in Comm. ad c. 3 Ep. ad Titum. *Inter hæresim & schisma hoc interesse arbitramur, quod hæresis perversum dogma habeat, schisma propter episcopalem dissensionem ab Ecclesia pariter separet. Quod quidem in principio aliqua ex parte intelligi potest diversum. Ceterum nullum schisma non sibi aliquam confingit hæresim, ut recte ab Ecclesia recessisse videatur.*

IV. Eam interpretationem hausi e canone sexto Concilii œcumenici secundi; quo hæreticis interdicitur accusatio adversus Episcopum orthodoxum, si de crimine ecclesiastico agatur. Hæreticos autem definit eos esse, qui hæreses ab Ecclesia damnatas profitentur. Subjungit autem hæc verba: *Ad hæc autem & eos, qui sanam quidem fidem confiteri præ se ferunt, abscissi sunt autem, & alibi quam cum canonicis nostris Episcopis conventus celebrant.* Pugnare videtur hic canon cum Basilii canone, qui schismaticos ab hæreticis discrevit. Quod ita componit Balsamo, ut in canone Constantinopolitano de schismaticis agi putet, qui specie quidem sunt orthodoxi, sed re vera hæretici, κατὰ προσποίησιν μὲν ὀρθοδοξοῦντας, καὶ αἱρετικούς. Sed si ea mens esset canonis, non opus erat hoc additamento, nec schismaticorum mentio injicienda. Primum enim caput, quod hæreticos arcet, sufficiebat ad schismaticos quoque ab accusatione removendos, si necessaria fit probatio, eos, præter schismatis scelus, hæresi quoque laborare. Verior est hæc conciliatio, synodum secundam intelligendam de schismaticis pertinacibus & ab Ecclesia condemnatis, Basilium de iis schismaticis, de quorum reditu nondum desperavit Ecclesia. Quod eleganter colligitur ex illius verbis, cum schismaticos eos esse definit, qui dissentiunt ob quæstiones, quæ curationem recipere possunt, διὰ ζητήματα ἰάσιμα. Quod attinet ad simulationem fidei; vel referri potest ad schismaticos, apud quos, caritate violata, fides quoque non potest dici ex omnibus partibus integra; vel locus synodi emendandus juxta interpretationem, quam sequitur Nicolaus I. ita ut hæc clausula canonis in duo membra divisa sit; *Præter hos autem,*

August. lib. 2. contra Crescon. c. 7. docet, inveteratum schisma esse ipsammet hæresim.

Can. 6. Concil. CP. αἱρετικοὺς δὲ λέγομεν τούς τε πάλαι τῆς ἐκκλησίας ἀποκηρυχθέντας, καὶ τοὺς μετὰ ταῦτα ὑφ' ἡμῶν ἀναθεματισθέντας, πρὸς δὲ τούτοις καὶ τοὺς τὴν πίστιν μὲν ὑγιῆ προσποιουμένους ὁμολογεῖν, ἀποσχίσαντας δὲ καὶ ἀντισυνάγοντας τοῖς κανονικοῖς ἡμῶν ἐπισκόποις.

Balsamo add. cap. 6.

Exemplo Novatianorum utitur, habita ratione initii.

Explicatio canonis CP.

tem, *& eos*, *qui fidem sanam simulant confiteri*. *Schismaticos etiam*, *& eos*, *qui seorsum a communicantibus nobis Episcopis collectas faciunt*. Juxta hanc regulam, post condemnationem synodi Nicænæ, Concilium secundum, quemadmodum & Concilium Ephesinum, non solum Novatianos, sed etiam Quartadecimanos recensent inter hæreticos, etsi ob nudam disciplinæ quæstionem discessissent ab Ecclesia, scilicet ob contentionem de die Paschatis, quod die XIV. mensis Nisan cum Judæis, non autem die dominica cum Christianis, celebrabant. Plures quoque hæreses Epiphanius & Augustinus describunt, quæ in sola disciplina peccabant. Exempli causa, inter propria Aerianorum capita sive dogmata hoc annumerat Augustinus, quod dicerent, *stata in Ecclesia non esse servanda jejunia*, id est, solennia & constituta jejunia Quadragesimæ & quartæ sextæque feriæ. Media ætate imaginum confractores de hæresi damnati sunt, licet de capite disciplinæ ageretur. Ejus rei inde petenda est ratio, quod schismatici violatæ caritati per secessionem addunt quoque pertinacem contumaciam adversus Ecclesiæ decreta, quæ discessionis illius occasionem injustam & a perpetua traditione alienam esse in synodis declaravit. Itaque pervicaciæ continuatio auctoritatem Ecclesiæ contemnit & sacras scripturas, quæ illam commendant. Quare mirum non est, si schisma ejus generis in hæresim desinere dicatur. Hæc est sententia Ambrosii, qui Satyri fratris factum laudat, quod Luciferianas partes fugisset. *Non putavit*, inquit, *fidem esse in schismate*. *Nam etsi fidem erga Deum tenerent*, *tamen erga Dei Ecclesiam non tenerent*, *cujus patiebantur velut quosdam artus dividi & membra lacerari*. *Etenim cum propter Ecclesiam Christus passus sit*, *& Christi corpus Ecclesia sit*, *non videtur ab iis exhiberi Christi fides*, *a quibus evacuatur ejus passio*, *corpusque distrahitur*. Unde recte Cyprianus negabat, Novatianos habere penes se Ecclesiam; idemque de Donatistis passim asseruit Augustinus.

Vide secundam præfationem Marcæ §. 10.

V. Antequam vero discedam a canone sexto CP. tollendum est vetus mendum, quo laborant editiones Zonaræ & Balsamonis. Quid enim significant *Canonici Episcopi*? In synodo Laodicena mentio fit psaltarum *canonicorum*, id est, cantorum, qui in clero adscripti sunt, ut distinguantur ab extraneis cantoribus. Sed nulla similis ratio occurrit in Episcopis. Omnes enim canoni seu laterculo Ecclesiæ sunt adscripti. Eusebius Dorylæi proponit quidem in contextu Græco Concilii Chalcedonensis ordinandum Ephesi *canonicum* Episcopum. Sed ex antiqua versione Latina constat, locum esse corruptum, & legendum (*) κανονικῶς seu *canonice*. Quæ lectio maxime congruit cum iis, quæ referuntur in illa actione de ordinationibus Bassiani & Stephani, quæ factæ erant per vim & tumultum contra canones. Quare emendandus locus canonis sexti, & legendum κοινωνικοῖς ἡμῶν ἐπισκόποις, ut hic sit illorum verborum sensus: Eos esse schismaticos & hæreticis adscribendos, qui non celebrant conventus cum Episcopis nostræ communionis. Κοινωνικοὶ dicebantur Episcopi, qui ejusdem erant communionis, qui sibi invicem communicabant. Qua dictione usa est ipsa secunda synodus in epistola (1) ad Damasum, cum ait, sibi non licuisse per temporis angustias monere Episcopos suæ communionis, πάντας τοὺς ἐν ἐπαρχίαις κοινωνικοὺς ὑπομνησθῆναι. In (2) Synodo Berytensi Cyrillus Alexandrinus & Ibas Edessenus dicuntur fuisse invicem κοινωνικοί. Et in Actis Synodi ad Quercum, (3) monachi quidam orthodoxi dicuntur fuisse κοινωνικοὶ τῆς οἰκουμένης & τῆς ἐκκλησίας. Occurrunt sæpe Κοινωνικοί, quos Latine *Communicatores* reddunt, in epistolis Hormisdæ & alibi. His rationibus motus, ex conjectura cum locum illum emendassem, & κοινωνικοὺς Episcopos canonicis substituissem, incidi in epistolam Nicolai I. qui hunc canonem laudat, & *Communicantes* vertit, ut nullus de emendatione dubitandi supersit locus: *Eos*, *qui seorsum a communicantibus nobis Episcopis collectas faciunt*.

Concil. Laodic. can. 15.

Concil. Chalced. act. XI. Χειροτονηθῆναι Κανονικὸν ἐπίσκοπον. Versio antiqua: *Ordinari autem regulariter debet Episcopus tom. IV Concilior. pag. 700.*

(1) Theodor. l. 5. cap. 9.

(2) In Act. X Conc. Chalc.

(3) Apud Photium T. 59. in Libello Joannis Diaconi c. 19. & in Libello Isaaci c. 16.

Nicol. I. ep. 8. ad Mich. Imp.

VI. Ut autem redeam, unde discessi, cum schisma ortum habeat a contentione ob ecclesiasticam disciplinam, quando canones de disciplina lati franguntur, schismati præbetur occasio; imo vero in hoc animorum & sententiarum dissidio potest dici, aliquod schisma conflatum esse, cui deest sola secessio a communione externa, ad quam aditus fieret per importunas excommunicationes. Eleganter vero probatur, hoc seculo usum locutionis illius invaluisse ex literis Benedicti IX. ad Stephanum Arvernensem Episcopum, qui conquestus erat de absolutione a Papa Pontio Comiti Arvernensi indulta, licet ab Episcopo excommunicatione constrictus esset. Respondet, eam sibi ignotam fuisse: de qua si certior ab Episcopo factus fuisset, Pontium non solum repulisset, sed etiam Episcopi auctoritatem firmando, eum anathematis ictu repercussisset. *Profiteor quippe*, inquit, *omnibus consacerdotibus meis ubique terrarum adjutorem me & consolatorem potius esse*, *quam contradictorem*. *Absit enim schisma a me & a coepiscopis meis*. *Itaque illam pœnitentiam & absolutionem*, *quam tuo excommunicato ignoranter dederam*, *& ille fraudulenter accepit*, *irritam facio & cassam*. Schisma dicitur a Benedicto dissidium inter Papam & Episcopos, cum de corruptis canonibus juste conqueruntur. Insignis est ad probationem hujus significationis locus Concilii Anglicani, quod habitum est & dictatum a Legatis Hadriani I. Gregorio & Theophylacto anno DCCLXXXVII. Hæc sunt verba sub finem capitis quarti: *Suademus*, *ut synodalia edicta universalium sex Conciliorum cum decretis Pontificum Romanorum sæpius lectitentur*, *observentur*, *& juxta eorum exemplar Ecclesiæ status corrigatur*, *ut ne quid novi ab aliquibus introduci permittatur*, *ne sit schisma in Ecclesia Dei*. Eo sensu schismatis vocem usurpaverat Hincmarus de Drogone verba faciens, qui privilegio sibi contra regulas a Sergio Pontifice concesso abstinuit, *ne schisma in sanctam Ecclesiam introduceret*, id est, ne dissidium inter Episcopos Gallicanos & sedem apostolicam foveret, rescriptum per obreptionem adversus canones elicitum urgendo. Hac significatione Ivo timebat, ne schisma inter regnum & sacerdotium oriretur ob divisionem episcopatus Noviomensis. Inde etiam est, quod opinionem eorum, qui investituras episcopatuum a laicis factas tuebantur, non quidem hæreticam, sed *schismaticam* esse dicit, utpote decretis Conciliorum Romanorum contrariam.

Refertur epistola illa in Concilio Lemovicensi an. 1031.

Concil. Chalcunense c. 4.

Hincmar. ep. 6. c. 30. edit. Mogunt.

Ivo ep. 238.

Idem ep. 237.

VII. Illustrior autem evadet tota isthæc disceptatio de retinendis antiquis canonibus, si paulo accuratius inspiciamus, quis esset Ecclesiæ Gallicanæ sensus in causa Paschalis Papæ & Henrici Imperatoris ob contentionem investiturarum, quas Principibus ademerant Gregorius VII. & Urbanus II. pluribus Conciliorum definitionibus. Earum restitutionem per summam vim novo privilegio a Paschali II. extorserat Henricus Imperator. Quod privilegium Guido Archiepiscopus Viennensis & apostolicæ sedis Legatus in Concilio Viennensi e (**) Germanicis Episcopis composito damnavit anno MCXII. ejusque Concilii confirmationem

Guido (qui postea Callistus II.) in Concilio Vienn. Chron.

(*) Recte. Nam paulo supra pag. 687. Bassianus ait: ἐγὼ καὶ κανονικῶς ἐχειροτονήθην. Quæ sic versa sunt in editione Romana: *Ego & canonice factus sum Episcopus*. Sed antiqua versio in antiquis editionibus & in omnibus antiquis codicibus habet: *Ego & regulariter factus sum*, uti monui tom. 1. novæ meæ collectionis Concilior. pag. 1322.

(**) Nescio profecto, unde illustrissimus Archiepiscopus acceperit, hoc Concilium Viennense compositum fuisse ex Episcopis Germanicis. Nam & Vienna, tametsi tum esset sub ditione Imperatoris Germanici, est in Gallia, & in vita Ludovici Grossi pag. 291. in editione Duchesnii adnotatum est, celebre Concilium in Ecclesia Gallicana fuisse congregatum

Malleac. ad an. 1112. *Viennæ Concilium fuit, ubi contradictum est jusjurandum apostolicum.*

nem a Paschali petivit, insolenti contestatione adjecta: *Si vero, quod minime credimus, aliam viam aggredi cœperitis, & nostræ parvitatis assertiones prædictas roborare nolueritis, propitius sit nobis Deus, quia nos a vestra subjectione & obedientia repelletis.* Modestius se in hac quæstione gesserunt Gallicani Episcopi, ac præcipue Ivo canonici juris callentissimus, qui Paschalem monendum putabat, *ut factum suum retractaret*, sin abnueret, temperandum quidem ab illo judicando, sed sententiam evangelicam sequendam, quæ servanda docet illa, quæ dicerent Scribæ & Pharisæi, qui super cathedram Moysi sedebant, sed ab eorum operibus abstinendum. *Vult enim hæc sententia*, inquit, *præcepta præsidentium ad cathedram pertinentia obedienter impleri, etiamsi tales sint, quales erant Pharisæi, non eos factiosa conspiratione a suis sedibus removeri. Si vero ea præcipiant, quæ sint contra doctrinam evangelicam vel apostolicam, ibi non esse eis obediendum, exemplo docemur Pauli Apostoli, qui Petro sibi prælato non recte incedenti ad veritatem Evangelii in faciem restitit, non tamen abjecit.* Itaque ad summum, secundum mentem Ivonis, parendum non est decretis, quæ *ad cathedram* non pertinent, id est, quæ *privilegio B. Petri* non nituntur, quæ non fiunt *regulariter* & *secundum ministerium* apostolicæ sedis, ut verbis Hincmari & synodi Tricassinæ utar. Communio autem Pontificis & ejus obedientia non est repellenda, ut male placuit Concilio Viennensi habito a Guidone, eo prætextu, quod opinionem de investituris retinendis *hæreticam* judicaret, e contra Ivo *schismaticam* tantum censeret.

Ivo ep. 233. *Vide Baluzii Notas ad librum Agobardi de jure & privil. sacerdotii cap. 9.*

VIII. Eandem sententiam Ivo alibi sequitur, cum evocatus in Concilium a Joanne Lugdunensi Archiepiscopo ad Paschalis factum illud discutiendum, loco indicto se sistere noluit, nec conveni-

Ivo ep. 236.

re *ad illa Concilia, in quibus non possumus*, inquit, *eas personas, contra quas agitur, condemnare vel judicare, quia nec nostro, nec ullius hominis probantur subjacere judicio.* Quibus verbis egregie confirmat, quod supra ostendi, constantem fuisse Gallicanæ Ecclesiæ sententiam, Papæ personam nullius judicio subjici, nisi a fide manifestissime aberraret.

Vide supra lib. 1. cap. 11.

Hanc a Bonifacio Moguntino allatam olim exceptionem sequitur Ivo in hac epistola, his verbis: *Principales Ecclesiæ claves nolumus sua potestate privare, quæcunque persona vices Petri habeat, nisi manifeste ab evangelica veritate discedat.* Enimvero licet honorificentissime de Pontificum dignitate & auctoritate senserit, tamen Ecclesiam Gallicanam commodis suis prospecturam docet synodorum provinciæ decretis; quibus juxta Augustinum, quod poterit, corriget, vel quod corrigere non poterit, salvo pacis vinculo excludet, vel quod salvo pacis vinculo excludere non poterit, æquitate improbabit, firmitate supportabit. Observandum vero, ex Ivonis sententia liberum fuisse, non solum universæ Ecclesiæ Gallicanæ, sed singulis Metropolitanis, salva reverentia Ecclesiæ Romanæ, novum illud decretum pro investituris, superioribus aliquot Conciliis Romanis contrarium, rejicere. *Hæc dicentes*, id est, asserentes, Pontificem non esse deponendum ob novum illud rescriptum, *non tollimus*, inquit, *quin possint quique Metropolitani Episcopos secundum jus antiquum convocare, provincialem synodum salva reverentia Romanæ Ecclesiæ celebrare.* Et mox: *His catholicorum patrum terminis contenti, quæ possimus secundum decreta patrum, salvo vinculo pacis corrigere volumus. Quæ autem corrigere non possumus, usque ad messem, si necesse sit, Domino docente, tolerare decrevimus.* Deinde Paschalem excusat, si necessitate cogente, ad vitandam populi stragem, prudenter rigorem decreti remisit.

[*Ejusdem argumenti extat epistola Hildeberti Cenomanensis in tomo IV. Spicilegii Dacheriani, quam nos olim dabimus emendatiorem in nova, quam paramus, editione epistolarum ac reliquarum lucubrationum illius Episcopi.*] Stephanus Baluzius.

CAPUT IX.

De progressu libertatis Gallicanæ in seculo decimo tertio contra rescripta & reservationes Pontificis, & continuata conservatione canonum antiquorum.

SYNOPSIS.

I. Initio seculi decimitertii Ecclesia Gallicana tuebatur libertates suas solo dissensu. Conventus Bituricensis contradixit mandatis Romani Cardinalis de collatione duarum præbendarum in unaquaque Ecclesia. Ea de causa Legatus abstinuit ab executione mandati.

II. Eodem seculo Lincoloniensis Episcopus his collationibus non consensit. Ejus rationes; & contradictio aliena a contumacia. Clausula, Non obstante, *tunc invalescere cœpit.*

III. Non admissis quoque rescriptis illis, Galli jura sua tuebantur. Olim clerici a Pontificibus commendati. Deinde adjunctæ sunt minæ excommunicationum. Initium hujus coactionis circa tempus Lucii III.

IV. Episcopi Gallicani in his angustiis patrocinium regium implorarunt. Tuitionis regiæ pro custodia canonum nondum erat deleta memoria in tertia dynastia, ut probatur ex Ivone. Eam tuitionem a B. Ludovico expoposcit Ecclesia Gallicana ad conservanda jura collationum & jurisdictionum adversus novitates. Cui rei Ludovicus prospexit suo edicto.

V. Inde est, quod Philippus IV. monuit Clementem, ne ministerium Episcoporum impediret in causa Templariorum. Se salvo sacramento suo id tolerare non posse.

VI. Quod explicandum est de sacramento præstito tempore inaugurationis regiæ. Ejus antiqua formula, qua promittitur conservatio privilegii canonici, a Philippo. Quæ ducta videtur a formula concepta ab Hincmaro. Ea dicta est olim perdonatio, *non sacramentum. Imperatores CP. spondebant fidei & canonum custodiam.*

VII. Jure collationum & electionum sublato per reservationes & gratias expectativas, regium auxilium imploratur ab Ecclesia Gallicana ad eorum restitutionem. Carolus VI. jus antiquum adversus novitates edictis suis ea in parte restituit, & magistratibus suis executionem commisit.

VIII. Decreta Basileensia confirmata lege regia; cujus executio mandata judicibus regiis, qui contumaces plecterent. Comitia regni præsidium libertatum Ecclesiæ Gallicanæ a solo Rege expectandum fatentur anno millesimo quadringentesimo nonagesimo tertio. Reges prospexisse canonum restitutioni, lege generali, & injuncta magistratibus exequendi cura. Quod probatur edictis B. Ludovici & Caroli VI. & VII.

IX. Aliquando Reges ex officio novitates adversus mores receptos repellebant, si ex iis detrimentum regni sequeretur. Id factum a Carolo VII. lege data, quæ extraneos a beneficiis removebat. Renuente Papa his incommodis consulere, imperio suo id egit. Nullum privilegium apostolicæ sedis ea de re præcesserat.

X. Lex ista videtur contraria constitutioni Innocentii III. quæ admittit ad beneficia undecunque natos. Innocentii constitutio æqua est in sua specie. Veteri jure

ejusdem Ludovici consilio & suffragio, & in eo Concilio Imperatorem tyrannum anathemate innodatum mucrone beati Petri fuisse perfossum. Quem locum esse intelligendum de Concilio Viennensi satis constat. Præterea auctor Chronici Reicherspergensis pag. 100. de hac ipsa re agens ait: *Pro qua re universi Franciæ Episcopi consilium inierant, quatenus excommunicarent ipsum Paschalem Papam tanquam Ecclesiæ hostem & destructorem, nisi privilegium idem ipse, qui dedit, damnasset.* Quod sumptum est ex epistola synodi ad Papam Paschalem.

ri jure Episcopi eligendi e clericis cujusque civitatis. Jus illud ex parte restitutum lege Caroli, ut saltem e regno petantur. Duæ regulæ deductæ ex illa constitutione.

I. Perstabat adhuc idem usus in Gallia anno MCCXXVI. per solum dissensum Regis, Episcoporum, & Procerum libertates suas tuente Ecclesia Gallicana. Cum enim Romanus Cardinalis Concilium illius Ecclesiæ Biturigibus coegisset, ut Albigensium & Comitis Tolosani negotiis prospiceretur, re illa confecta, de reservatione duarum præbendarum in unaquaque Ecclesia vel monasterio arbitrio summi Pontificis Romanis clericis conferendarum cum Episcopis & Abbatibus agere voluit. Sed procuratores Capitulorum (quibus abeundi copiam Legatus fecerat, quasi Concilio soluto, ne intercessionibus suis omnia turbarent) cum eo graviter expostularunt, quod mandatum Papæ in Concilio non exposuisset ipsis præsentibus, quorum maxime intererat. Legatum rogant, ut ab ea re persequenda temperet, quæ absque gravi scandalo & omnium offensione effectui tradi non posset, & cui renitatur non solum Episcopi, sed etiam Rex ipse, & proceres regni, aliam esse rationem Galliarum & longe diversam a ceteris regnis, in illis enim mandatis Papæ decretam fuisse præbendarum reservationem, sed in Gallicana Ecclesia rem istam adeo insolitam totius regni consensu indigere. Retulit Matthæus Paris procuratorum suggestionem his verbis: *Unde rogamus in Domino, ne istud scandalum oriatur per vos in Ecclesia Gallicana, scientes, quod sine maximo scandalo & inæstimabili damno non posset hoc ad effectum perduci. Quin esto, quod aliquis assentiret, nullus esset ejus assensus in rebus, quæ omnes tangunt, cum fere omnes majores, & generaliter omnes subditi, necnon & ipse Rex, & omnes Principes, parati sint contradicere & resistere usque ad capitis expositionem & omnis honoris privationem; præsertim, cum videatur imminere propter hoc scandalum, subversio regni & Ecclesiæ generalis. Ratio autem nostri timoris est, quod cum ceteris regnis non habuistis rationem, & quibusdam Episcopis præcepistis & Abbatibus, ut, cum præbendæ vacaverint, ad opus Domini Papæ reservent.* Literis Pontificis palam lectis, quibus duarum præbendarum collatio retinebatur, Legatus, præceptis exhaustis, persuadere conatus est Concilio, ut consensum huic mandato præberet. Sed cum nihil obtinere posset, imo vero procuratores Capitulorum sapienter monerent, cavendam esse generalem secessionem, si universa Ecclesia premeretur, subjunxit Legatus, *super hæc, quidquid præcepit, tali conditione licet tacita intellexisse, si imperium & alia regna consentirent. Adjunxit, se nihil amplius super hæc attentaturum, donec per regna alia Prælati consenserint, quod credidit provenire non posse.* Unde patet, in re nova constituenda per Gallias consensum Regis, Episcoporum, & procerum exquisitum fuisse a Legato, eumque a rescripto exequendo abstinuisse ob clericorum totiusque regni dissensum, & ob scandali imminentis & secessionis periculum.

Matthæus Paris in Henrico III. pag. 317. 318.

Domine, moveat vos zelus universalis Ecclesiæ & sanctæ sedis Romanæ; quia si omnium esset universalis oppressio, posset timeri, ne immineret generalis discessio quod Deus avertat.

II. Eodem animo tuendæ libertatis canonicæ ferebatur Robertus Lincolniensis Episcopus in Anglia, vir singulari pietate conspicuus: qui, non expectato synodali decreto, sibi liberum putavit, præcepto cuidam Innocentii IV. de conferenda præbenda in sua Ecclesia reniti, quia juri recepto contrarium erat. *Noverit*, inquit, *discretio vestra, quod mandatis apostolicis affectione filiali devote & reverenter obedio; iis quoque, quæ mandatis apostolicis adversantur, paternum zelans honorem, adversor & obsto. Ad utrumque enim teneor ex divino mandato.* Infra: *Propter hoc his, quæ in prædicta litera continentur unice, filialiter & obedienter non obedio, contradico, rebello.* Mox: *Breviter autem recolligens dico, apostolicæ sedis sanctitas non potest, nisi quæ in ædificationem sunt, & non in destructionem. Hæ autem, quas vocant, provisiones non sunt in ædificationem, sed in manifestissimam destructionem. Non igitur eas potest beata sedes apostolica acceptare; quia caro & sanguis, quæ regnum Dei non possidebunt, eas revelavit, & non pater Domini nostri Jesu Christi, qui est in cœlis.* Nec omittendum est, clausulam illam solennem, quæ in omnibus rescriptis hodie inseritur, *non obstante* constitutione hac vel illa, jam tum usurpari cœpisse, quod ægre ferebat Robertus Lincolniensis, eo quod in statuentibus inconstantiam designaret, cum tamen leges constantia quadam & perpetuitate vigere debeant, nisi necessitate cogente aliquando remittendæ sint. *De illius literæ*, inquit, *& ei consimilium longe lateque dispersarum superaccumulato Non obstante, nec ex legis naturalis observandæ necessitate inducto, scatet cataclysmus inconstantiæ.* Si quis immodestæ cuidam petulantiæ verba Roberti adscribenda putet, is ante omnia Theodorici Regis Italiæ sententiam perpendat apud Cassiodorum: *Pro æquitate servanda & nobis patimur contradici.* Et eodem sensu Regis Athalarici: *Rarum confidentiæ genus est interdum resistere contra vota Principis.*

Matthæus Paris in Henrico III, ad an. 1253

Vide Matth. Paris. p. 871. 875.

Cassiodorus l. 3. Variar. 5. l. 8. Var. 9.

III. Gallis etiam nostris ea mens erat, ut non admissis Romanæ curiæ rescriptis, quæ collatoribus jura per canones quæsita auferebant, se ab iis novitatibus expedirent. Sed tandem Romanis Pontificibus æquum visum est, ut suæ commendationis ratio haberetur. Commendationem vocavi, quia olim Episcopis clericos aliquando sedes apostolica commendabat tantum, ut concesso Diaconi & Presbyteri gradu, eorum inopiam sublevarent; exemplo Gregorii Magni, qui Syracusano & Fanensi Episcopis duos clericos commendavit. Sed posteri commendationes & preces in præcepta verterunt; & præceptis, quæ, ut vidimus, a collatoribus repudiabantur, executores adjunxerunt, qui Episcopos ad collationem cogerent, ut recte explicuit Duarenus. Coactionis illius initia referri possunt ad tempora Lucii III. ad quam invitatus fuit a Stephano Tornacensi, cujus hæc sunt verba de Herveo clerico commendato Canonicis S. Aniani Aurelianensis: *Scripsit pro eo felicis recordationis pater Alexander (III) Decano & Canonicis sancti Aniani Aurelianensis. Scripsistis & vos primo & secundo. Sed neque preces neque præceptum vestrum, quamvis tres præbendæ vacarent, voluerunt audire. Absit Pater, ut inanes sint preces vestræ, contemptibilis auctoritas, elusorium præceptum; & nunc demum tanta, si placet, virtute intonet super eos majestas vestra, ut, qui blanditiis juvari non potuerunt, imperio discant vinci.*

Gregor. l. 3. ep. 14. l. 5. ep. 47. 109.

Franc. Duarenus lib. 5. de sacros. Eccles. minist. cap. 8.

Stephanus Tornac. epist.

IV. Cum ergo collationes beneficiorum, imo & episcopatuum & monasteriorum, ad se traherent Romani Pontifices rescindentes, si quid contra eorum rescripta ageretur, additis excommunicationibus in contumaces, nihil reliqui erat penes Episcopos Gallicanos, quin adeo severis præceptis parerent & collationum jure caderent. Quare ad remedium extraordinarium confugerunt, scilicet ad tuitionis regiæ præsidium, pietate Regis Ludovici IX. interpellata, qui his morbis edicto suo consuluit. Nondum enim obliterata erat in Gallia, pro custodia canonum, Regum nostrorum auctoritas: quam ab Ivone commendatam sciebant anno MXCVI. Consultus enim a Philippo Rege quid agendum esset, si post habita eo anno duo Concilia ab Urbano II. Nemausi & apud Clarummontem, Hugo Legatus apostolicæ sedis ad tertium Episcopos invitaret, (quod alienum erat a canonibus, qui duas synodos tantum celebrandas præscribunt) respondet Ivo, se nihil rescivisse de consilio Legati. *Quod tamen si faceret, non esset hæc apostolica institutio vel ecclesiastica consuetudo. Quod si quis eos,* (id est, Episcopos) *ultra terminos a patribus constitutos angariare voluerit, vos habito cum eis communi consilio injustis oppressionibus pro persona vestra resistite; sic, ut quæ Dei sunt*

Vide lib. 6. c. 31. §. 7.

Ivo ep. 50.

sunt Deo reddant, & quæ Cæsaris sunt Cæsari reddere non omittant. Quare potestatis hujus memores Episcopi Gallicani subsidium a Ludovico Rege exposcunt: qui edicto suo, ita enim vocat, omnia jura canonica de beneficiorum provisionibus decreta, quæ tunc primum convellebantur, in integrum restituit, electiones, collationes & ceteras dispositiones secundum juris communis & Conciliorum definitionem fieri jussit, & Romanæ curiæ exactiones inhibuit. Huic gloriosissimo Regi prima debetur libertatis Ecclesiæ Gallicanæ *restitutio*, quam suo edicto post mutatam disciplinam in beneficiorum collationibus anno MCCLXVIII. procuravit, quo uno capite contentiones inter Episcopos & Romanam curiam tunc fere continebantur.

Pragmatica B. Ludovici anno 1268.

Statuimus & ordinamus, ut Prælati regni nostri, Patronique, beneficiorum collatores, jus suum plenarium habeant, & unicuique sua jurisdictio servetur. Insuper Ecclesiæ cathedrales & aliæ regni nostri liberas electiones habeant, & earum effectum integraliter prosequantur; promotionesque, collationes, provisiones & dispositiones prælaturarum, dignitatum & aliorum quorumcunque beneficiorum ecclesiasticorum regni nostri secundum ordinationem & dispositionem juris communis, sacrorum Ecclesiæ Dei Conciliorum, atque institutorum sanctorum patrum fieri volumus & ordinamus.

V. Conscius erat suæ potestatis Philippus IV. Rex Francorum, quando Clementem V. Pontificem sibi conjunctissimum serio monebat, ut, quæ in Templariorum negotio agenda erant, Episcopis permitteret, nec forte demandaret aliis: quia hoc in gravem injuriam Episcoporum vergeret, a quibus ministerium ipsis a Deo creditum sine justa causa non debet auferri, ac præterea docet, sibi liberum non esse, ut ea æquo animo ferre possit, cum sacramenti religione teneatur ad tuitionem jurium episcopalium. Hic primus, ut opinor, jusjurandum prætendit ei officio probando, quod ceteri Reges ad ministerium sibi a Deo commissum referebant. Ejus exemplo sequuti deinde Principes Carolus VI. & VII. sacramenti sui religiosam observationem edictis suis de restauranda disciplina ecclesiastica latis inseruerunt. Hæc sunt manuscripti codicis verba de Philippo VI.

In Notis ad N. 31. c.12. tom. 2. Libert. Eccles. Gall.

Gravis, quod absit, fieret injuria, si sine justa causa ministerium a Deo sibi traditum & defensionis fidei meritum auferretur ab eisdem (Episcopis;) *nec Prælati talem injuriam meruerunt, nec Rex salvo suo juramento posset hoc tolerare; essetque peccatum gravissimum spernere eos, quos Deus misit. Qui vos enim spernit, me spernit, ait Dominus. Quis ergo sacrilegus vobis, Pater sancte, præsumet consulere, quod vos eos spernatis, imo potius Jesum Christum mittentem?*

VI. Sane non absurda est hujus sacramenti mentio; quod ea mente iisque verbis olim ita conceptum fuit, ut Reges, tempore inaugurationis suæ, custodiam canonum subditis suis promitterent. Quod eo pertinebat, ut sponderent, nec a se violandos canones, nec ab aliis. Extat illius sacramenti antiqua formula, quod Philippus I. patre Henrico Rege superstite ex illius auctoritate præstitit anno MLIX. *Ego Philippus Deo propitiante mox futurus Rex Francorum in die ordinationis meæ promitto coram Deo & sanctis ejus, quod unicuique de vobis commissis* (legendum, *de vobis & Ecclesiis vobis commissis*) *canonicum privilegium, & debitam legem atque justitiam conservabo, & defensionem, quantum potero, adjuvante Domino exhibebo, sicut Rex in suo regno unicuique Episcopo & Ecclesiæ sibi commissæ per rectum exhibere debet, populo quoque nobis credito dispensationem legum in suo jure consistentem nostra auctoritate concessurum.* Hujus formulæ potiora verba transcripta sunt ex ea, quam Hincmarus Remensis Archiepiscopus a se conceptam Ludovico Balbo Caroli Calvi filio porrexerat, cum regnum Compendii suscepturus urgeretur anno DCCCLXXXVII.

In Capitulis Ludovici II. tit. I.

Sponsio autem illa Ludovici excerpta est a Capitulis, quæ Carolus Calvus eodem anno apud Carisiacum statuerat. Quam quidem promissionem non sacramentum vocant proceres Gallicani, sed perdonationem: *Est perdonatio, quam dominatio vestra nobis fidelibus vestris perdonavit & subscripsit.* Unde Ludovicus Balbus eodem verbo utitur in sponsione sua: *Promitto & perdono vobis*, id est, concedo & indulgeo. Ante illa tempora sponsio quidem a Regibus inaugurandis concipiebatur, sed aliis verborum solennibus, quamvis eadem significatione; ut patet ex repromissione, quam Carolus Calvus præstitit, cum in urbe Metensi Lotharii regnum adipisceretur anno DCCCLXIX. *Sciatis me unicuique in suo ordine secundum sibi competentes leges tam ecclesiasticas quam mundanas legem & justitiam conservare.* Quod etiam repetitum est in secundo capite conventus apud Carisiacum habiti. In eandem sententiam Reges Galliarum se deinceps usque ad hæc nostra tempora jurejurando adstrinxerunt, etsi formulis diversis. More non absimili Constantinopolitani Imperatores, jam ab ipsis Anastasii temporibus, scripto βαφῇ βασιλικῇ, pollicebantur Patriarchæ fidei catholicæ & canonum observationem, antequam imperii insignibus induti & unguento delibuti essent, ut testantur Evagrius, Nicetas & Codinus Curopalates.

Capitula Caroli Calvi apud Carisiacum tit. XLIII. cap. IV.

Vide etiam Capitula Karolomanni & Odonis, edita in appendice ad Lupum Ferrar. tit. VI. & VII.

Capitula Caroli Calvi tit. XXXV. post caput III.

Evagr. lib. 3. Nicetas in Alexio.

VII. Licet autem edicto beati Ludovici prospectum esset nascenti morbo, quo jura collationum laborabant, paulatim tamen auctoritate summorum Pontificum effectum est, ut omnium beneficiorum, imo & episcopatuum collationes ad se traxerint, quin etiam ad vacatura per gratias expectativas, contra Concilii Lateranensis præscripta, jus dederint. His reservationibus & gratiis aliisque similibus machinationibus in perniciem canonum inductis Ecclesia Gallicana Parisiis congregata remedium parans electiones, collationes & præsentationes secundum constituta generalium Conciliorum, nulla habita reservationum & gratiarum ratione, fieri decrevit. Sed quia impar erat Romanæ curiæ auctoritati, tuitionem regiam adhiberi procuravit. Rex itaque Carolus VI. Ecclesiæ Gallicanæ & Procuratoris regii petitionem, tractatu habito cum Consilio suo, synodorum decretis conformem esse animadvertens, clerum Galliæ ad suam libertatem antiquam & juris dispositionem, *quoad prædicta*, reducendum esse censuit, &, quantum in se esset, reduxit, eumque in posterum in eadem libertate conservari voluit, atque edicti executionem Curiis Parlamenti ceterisque magistratibus commisit anno millesimo quadringentesimo sexto. Observandum autem est, summopere edictum illud ita conceptum, ut *ad tempus* locum haberet, donec Concilii generalis decreto his rebus consultum esset. Sed postquam Concilium Constantiense spem Gallicanæ Ecclesiæ hac in parte destituit, idem Rex Carolus, coacto in concilium gravissimorum ex utroque ordine hominum consessu, constitutionis anno MCCCCVI. latæ executionem peremptorie decrevit anno MCDXVII. quam deinde edicto lato anno sequenti confirmavit, rescissa Concilii generalis expectatione: *Voluimus, ac prout alias ordinavimus, volumusque, & ordinamus, Ecclesias personasque ecclesiasticas eorundem regni ac Delphinatus nostrorum ad suas antiquas franchisias & libertates in perpetuum reducendo, quod Ecclesiis nostrorum regni & Delphinatus cathedralibus & collegiatis & earum beneficiis electivis secularibus & regularibus per electiones, & non electivis per præsentationes, collationes, & institutiones ordinariorum, quibus de jure communi seu consuetudine pertinet, secundum antiqua jura communia Conciliaque generalia, de personis idoneis provideatur, cessantibus & rejectis omnino ac non obstantibus quibuscunque & quorumcunque reservationibus generalibus vel specialibus, ac prohibitionibus, expectationibus, aut gratiis etiam cum decreti appositione factis aut faciendis, concessis seu conce-*

Vide lib. VI cap. IX.

N.14.c.22. t.2 Lib.

C. 22. N. 16. tit. 2. Lib.

concedendis. Præcipit deinde Curiis Parlamenti, & ceteris judicibus, ut executioni hujus constitutionis diligentissime incumbant, & contumaces, cujuscunque gradus & ordinis fuerint, graviter plectant, ut infracti edicti regii reos.

VIII. Tandem cum rebus ita ferentibus Basileæ multa decreta essent, quæ labantem disciplinam restaurarent, synodus generalis Ecclesiæ Gallicanæ eorum executioni, paucis demptis, consensit quidem, sed Pragmatica sanctione Caroli VII. confirmari curavit, qui constitutis Basileensibus & decretis Concilii Gallicani, vim & robur legis publicæ addidit, & inter ceteras constitutiones regias recenseri jussit, plenamque executionem Curiis Parlamenti reliquisque magistratibus delegavit. Qua in re Principibus nostris cum Justiniano & aliis Imperatoribus Romanis convenit, qui Præfectis prætorio & Præsidibus provinciarum legum de disciplina ecclesiastica latarum executionem commiserant; ut apud nos demandata est Curiis Parlamenti & Seneschallis, seu Baillivis. Itaque si quis rescripto a Romana curia elicito tentaret aliquid contra constitutionum regiarum tenorem, conquerente Procuratore regio, judicum prohibitionibus & mulctis indictis compescebatur. Unde Joannes Dauvet in suo libello appellatorio Curiam Parisiensem pro Ecclesiarum juribus tuendis & defendendis necessariam esse recte dicebat anno millesimo quadringentesimo sexagesimo. Ea autem regiorum magistratuum interpellatio in his negotiis locum habuit, donec Ludovicus XI. liberam Pontifici potestatem in administratione rerum ecclesiasticarum hujus regni permisit. Cui novo Ludovici edicto intercessit Procurator regius; sed Regis imperio, cum omnia a Pontificis nutu penderent, Episcopi Gallicani a collationibus & electionum jure tunc pene dejecti sunt. Itaque hac sola tuitionis regiæ auctoritate libertates Ecclesiæ Gallicanæ restaurari posse profitebantur plena comitia regni anno MCCCCXXCIII. nihilque Episcopis aut Patronis superesse, quo se tutos a rescriptis & censuris Romanæ curiæ præstarent, quam regii præsidii opem. Quare supplici petitione Carolum VIII. rogant, ut Pragmaticæ sanctionis usum restitui a Pontifice impetret ea lege, ut, si quo Pragmaticæ articulo Romana sedes offendatur, id totum a futuri Concilii definitione pendeat. Restitutus est a Ludovico XII. qui fuerat aliquot annis interruptus, Pragmaticæ sanctionis usus; donec tandem pactis initis inter sedem apostolicam & Franciscum Regem, quæ Concordata vocantur, libertates Ecclesiæ Gallicanæ & potestas regia ad tuendos canones pleno jure sancita sunt, qua de re inferius. Præter eum agendi modum, quo regium auxilium implorabatur, solenne etiam erat hoc seculo a Pontificis decretis futurum Concilium provocare, de quo remedio appellationis dicetur capite XVII. hujus libri. Ex iis, quæ dixi, colligere licet, Episcopos & clericos in angustiis constitutos tuitionem, patrocinium & subsidium Regum implorasse, ut eos a Romanæ curiæ novis rescriptis tuerentur, Principes vero duplex remedium adhibuisse, tum generali lege lata, quæ canonum executionem restitueret, quemadmodum B. Ludovicus & Carolus VI. & VII. se uterque gesserunt, tum etiam injuncta magistratibus cura, ut in singulis negotiis executionem illam impedirent. His enim verbis sanctionem suam concludit B. Ludovicus: *Universis justitiariis, officiariis & subditis nostris, ac loca tenentibus præsentibus & futuris, & eorum cuilibet, prout ad eum pertinuerit, districte præcipiendo mandamus, quatenus omnia & singula prædicta diligenter & attente servent, teneant & custodiant, atque servari, teneri & custodiri inviolabiliter faciant, nec aliquid in contrarium quovis modo faciant vel attentent, seu fieri vel attentari permittant, transgressores aut contra facientes juxta casus exigentiam tali pœna plectendo, quod ceteris deinceps cedat in exemplum.* Eadem est sententia edictorum Caroli VI. & VII. quæ tamen id eximium habent, quod jure patrocinii & per modum defensionis hoc a Regibus nostris fieri docent, non autem per modum jurisdictionis, quæ in Romanæ curiæ rescripta exerceatur.

Preuves des Libertez pag. 507.

Comitia Turonensia.

Preuves des Libertez pag. 483.

In Pragmatica Caroli VII. *Personas ecclesiasticas & seculares in omnibus & singulis superius expressis ab omni turbatione, violentia, impressione, molestatione, vexatione, damno, impedimento & disturbio tueantur, protegant pariter & defendant.*

IX. Non omittendum est, Reges nostros aliquando, etsi nullis precibus Ecclesiæ Gallicanæ interpellati essent, novitates a Romana curia adversus antiquos mores introductas legibus suis & magistratuum executione repulisse, ob detrimentum, quod inde regni tranquillitati inferri poterat. Exemplum sumendum est e constitutione Caroli VII. qua prohibetur, ne alienigenæ, seu a regno extranei, ad beneficia in Galliis promoveantur. Ea tempestate, id est, anno MCCCCXXXI. (qui Pragmaticam sanctionem antecedit) episcopatus & cetera beneficia a Pontificibus Romanis conferebantur passim hominibus, non solum ignotis & a regno extraneis, sed etiam hostium Gallici nominis studiosis, unde & Regis arcana hostibus pandebantur sæpissime, divini ministerii infrequentia & pecuniarum transvectiones, multaque alia incommoda sequebantur; præcipueque Gallorum offensio, qui præmia virtutis & scientiæ ab exteris invadi æquo animo ferre non poterant. Ob eas causas a decessoribus suis constitutum fuisse refert Carolus, ne beneficia aliis, quam Gallicæ reipublicæ civibus conferrentur. Quod Carolus VI. coacto utriusque ordinis procerum consilio, nova constitutione iterum decrevit; quam Concilio Constantiensi & Martino Papæ edidit, ut ipsi Regis desiderio se hac in parte accommodarent. Carolus VII. post obitum patris idem edictum renovavit, & a Martino V. ejusque successore suppliciter multoties contendit, ut ejus edicti rationem haberet. Quod cum illi insuperhabuissent, perniciem, quæ regno ex eo capite inferebatur, amoliendam ratus, totum istud negotium ad suam auctoritatem revocavit; jussitque edicto perpetuo, ne in posterum ulla beneficia alienigenis conferrentur; vetuit Ecclesiarum Prælatis, ne quem extraneum a regno ad ea obtinenda admitterent in vim bullarum, quæ illis essent indultæ, aut alio quovis modo; præcepitque magistratibus, ut *bullarum retentione*, bonorum capione, & mulctis inflictis adversus contumaces insurgerent. Nullum privilegium sibi suisve decessoribus eam ob rem concessum Carolus allegat; quin potius de Pontificum contradictione conqueritur. Quare observatio glossatoris Pragmaticæ sanctionis, quæ sola fama apud illum constabat, est suspectæ fidei. *Ut ferunt*, inquit, *Rex Franciæ habet privilegium, quod exterus & alienigena non potest beneficiari in suo regno sine ejus permissione.*

Extat constitutio Caroli VII. t. 2. libert. Eccles. Gall. c. 30. n. 1.

X. Statim alicui videbitur hæc constitutio jus canonicum evertere, non autem asserere, & patrocinio regio, quod canonibus & decretis Romanorum Pontificum debetur, esse contraria. Etenim Innocentius III. exagitata asperioribus verbis & damnata Thomæ Mauroceni Veneti Patriarchæ CP. promissione sacramento firmata, qua Venetis popularibus suis post expugnatam Constantinopolim caverat, se nulli præbendas sanctæ Sophiæ collaturum, nisi Venetis, qui Patriarcham suæ gentis in futurum eligerent, præcipit, *ut viros literatos & alias idoneos, undecunque originem duxerint*, in illa Ecclesia instituat. Sed constitutio Innocentii magna æquitate nititur in sua specie. Cum enim a Francis, licet ope Venetorum, urbs regia capta fuisset; pacis publicæ intererat, ne ad Veneti tractus angustias, exclusis Francis aliisque Latinæ communionis hominibus, qui ad tuendum imperium undecunque ad urbem accedere possent, beneficiorum illustrium & ipsius patriarchatus spes omnino redigeretur. Ceterum antiquo jure e clericis uniuscujusque civitatis Episcopus erat ordinandus, ut docet Cœlestinus Papa: *Tunc alter de altera eligatur Ecclesia, si de civitatis ipsius clericis, cui est Episcopus ordinandus, nullus dignus, quod evenire non credimus, potuerit inveniri. Primum enim illi reprobandi sunt,*

Innoc. in c. *Ad decorem.* De institut. Idem Innoc. l. 13. Reg. ep. 12. cum Notis Bosqueti ad eundem locum. Vide Oder. Raynald. ad an. 1209. §. 2.

C. *Nullus.* 62. d. apud Gratian.

sunt, ut aliqui de alienis Ecclesiis merito præferantur. Cui Cœlestini decreto assenserunt olim Gallicani Episcopi; & ejus sententiam retulerunt Reges in Capitularia, qui *e propria diœcesi secundum statuta canonum* Episcopum eligendum esse docent. Quod ab Imperatoribus quoque Romanis olim constitutum fuerat, de quibuscunque clericis ad capitationis onera peræquanda. Regula ista cum ab aliquot annis, post electiones abolitas, Romanæ curiæ rescriptis infracta esset, obtrusis Episcopis & clericis, non solum ex aliena civitate, sed etiam ex alio regno, non omnino constitutione regia antiquorum canonum vigor assertus est, sed ad usum præsentem accommodatis rationibus prudenter temperatus; ut saltem, qui episcopatibus vel aliis beneficiis sunt admovendi, e regno petantur, si minus, licet eos ex unaquaque civitate petere. Sed de hac re copiose dicemus alibi: cujus tamen mentionem hic injecimus, ut constaret de duabus regulis. Prima est, Reges ex officio invalescentibus malis & scandalis sedulo prospexisse, interpellata prius apostolicæ sedis auctoritate. Secunda est, Principes muneri suo satisfecisse, cum partem aliquam antiquæ disciplinæ, etsi non *integram*, in usum restituerunt, quatenus ad salutem regni illis necessaria esse videbatur.

C. *Sacrorum*. d. 63. e libro I. Capitul. C. *In Ecclesiis*. C. de sacrosl. Eccles. *Clerici non ex alia possessione, vel vico, sed ex eo, ubi Ecclesiam esse constiterit, ordinentur.*

CAPUT X.

De protectione regia adversus iniquas vexationes Episcoporum & scandala publica.

SYNOPSIS.

I. Qua ratione prospiceretur iis, qui se ab Episcopis vexatos querebantur in negotiis ecclesiasticis adversus mores receptos. Rescripto regio requirebantur Episcopi, ut a vexatione cessarent, vel se judicio sisterent, bonorum capione indicta. Formula rescripti antiqua e regestis curiæ Parisiensis.

II. Explicatio illius rescripti. Causa decimarum recensetur inter spiritualia. Si tamen insolitæ decimæ peterentur, Reges exactionem prohibuerunt; & excommunicationes, si quæ ob eam rem latæ essent, revocari jusserunt.

III. Consuetudine tolli possunt decimæ personales, & prædialium quota præscribi. Quin etiam induci, ut e certo genere fructuum nulla solvatur decima. Quare constitutio, quæ eam exactionem prohibet, est justa, e Covarruvia: qui tamen non docet, qua ratione Principes ea de re statuere potuerint.

IV. Ob scandalum, quod inde oriebatur, Philippus auctoritatem suam huic negotio interposuit, ut patet e verbis rescripti. E nova decimarum exactione scandala nasci fatentur Canonistæ.

V. Ad Regum officium pertinet, scandala e rebus ecclesiasticis amovere, e Leone, & ex Anastasio, & e Leonis Senonensis epistola ad Childebertum, quod sit jure tuitionis.

VI. Rescriptis Cancellariæ Reges tuebantur olim libertates Ecclesiæ Gallicanæ, ut docet locus petitus e Comitiis Turonensibus anni 1483.

VII. Privilegia quoque sibi a Romanis Pontificibus concessa mulctis adversus Episcopos indictis & bonorum capione tuebantur, ex constitutione anni 1367.

VIII. Severiores pœnas imponebant Justiniani leges Episcopis contumacibus adversus disciplinam.

I. INspiciendum nunc est, qua ratione sibi consulerent, qui se a Galliarum Episcopis adversus consuetudines receptas & decreta Pontificum vexari in rebus ecclesiasticis contenderent. Exposita per libellum facti specie, rescriptum Principis actori concedebatur; quo monebantur Episcopi, ut ab ea vexatione abstinerent, aut, si aliquo jure se fultos putarent, ad diem rescripto condictam se in curia Regis sisterent causam suam dicturi, suspensa interim sententiæ executione; alioqui, pignoribus captis, ad parendum cogerentur per regios ministros. Quod probatur illustri in eam rem exemplo, petito e veteribus curiæ Parisiensis regestis, quod hic inserendum putavi: ubi rescripto ad Baillivum seu Seneschallum Santonensem dato inseritur rescriptum ad Episcopum Santonensem. *Philippus Dei gratia Francorum Rex Baillivo Santonensi. Episcopo Santonensi literas nostras mittimus in hæc verba: PHILIPPUS Dei gratia Francorum Rex dilecto in Christo Episcopo Santonensi salutem. Frequens ad nos perduxit relatio gravibus onusta querelis, quod vos seu gentes vestræ vel officiales vestri, vobis ratum habentibus, contra consuetudinem diutius observatam decimam exigitis de rebus, de quibus præstari non consuevit, novumque modum decimandi inducitis in grave scandalum provinciæ, & quando populus vobis subditus vobis non obedit, per excommunicationem Consulum & similium rectorum dictorum locorum, etiam populum ipsum gravatis, quinimo etiam villas & loca prædicta in nostro dominio existentia supposuistis ecclesiastico interdicto contra privilegia nostra. Nos igitur his scandalis obviare volentes, vos attente requirimus, quatenus a prædictis cessetis, & attentata in præjudicium & scandalum publicum & contra statum antiquum regni nostri revocetis & revocare faciatis. Et si in prædictis jus aliquod putetis vos habere, vobis offerimus per præsentes, quod certa die coram nobis veniatis Parisiis; & nos cum nostri deliberatione Consilii providebimus super his, prout servata pace & salute Ecclesiæ & patriæ faciendum fuerit, & ad nos pertinebit. Alioquin deesse non poterit, quo minus ad vitanda hæc scandala & pericula, quæ inde possunt exurgere, provideamus de remedio opportuno. Et quid inde facere volueritis Seneschallo nostro Santonensi, per quem præsentes literas vobis præsentari volumus, respondeatis, ut juxta responsionem vestram circa talia possit rationabiliter provideri. Datum Parisiis die septima Febr.* 1312. *Mandamus vobis, quatenus dictas literas eidem præsentetis. Et si ipse contenta in eisdem literis facere recusaverit, aut plus debito distulerit, bona ipsius temporalia tamdiu ad manum nostram teneatis, donec ipse præmissa adimpleverit. Actum Parisiis die* 7. *Februarii anno* 1312.

II. Ut autem hujus rescripti vis, quantum ad quæstionem istam illustrandam pertinet, penitius intelligatur, sciendum est, jus percipiendi decimas inter res spirituales ab omnibus recenseri; unde sequitur, materiam illam ad ecclesiasticam jurisdictionem pertinere. Quod obtinebat olim apud Gallos, & constitutione Philippi IV. Francorum Regis anno MCCCIII. lata confirmatum fuit; dummodo decimarum in feudum datarum controversia non moveretur. Attamen si decimarum petitio fieret ab Episcopis vel ceteris clericis adversus prædiorum possessores, quarum solutio insueta esset in iis locis, unde exigebantur, Reges nostri non alienum existimarunt a munere suo, huic negotio auctoritatem suam interponere, illas exactiones insolitas impedire, excommunicationum, si quæ ab Episcopis in recusantes latæ essent, revocationem indicere, & eam pignoribus captis urgere, ut docuit rescriptum a me prolatum.

C. *Causam*. De præscr. c. 2. De judiciis. Glossa in c. *Quamvis*. De decimis.

Philippi constitutio: *De cognitione decimarum non feudalium in petitorio vel possessorio, præsertim inter ecclesiasticas partes, gentes nostræ se nullatenus intromittant.*

III. Certum quidem est ex omnium sententia, decimas personales consuetudine aboleri posse & prædialium quantitatem ad minorem decima fructuum parte redigi posse, seu quotam præscribi. Certum quoque est, ex Pauli Castrensis aliorumque Jurisconsultorum opinione, eam consuetudinem, quæ in plerisque orbis Christiani regionibus viget, esse legitimam, nempe, ut ex certo fructuum genere nulla solvatur decima, utpote ex fœno, herbis & oleo. Unde sequitur, regiam constitutionem, qua decimarum ejus generis solutio prohibetur, summa quidem ratione niti, ut observat Covar-

Covarruvias lib. 1. Variar. c.17. §.8. v.9.

Covarruvias loquens de Caroli V. Imperatoris & Hiſpaniarum Regis lege Toleti lata anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo quinto. Sed ſummus ille Juriſconſultus non docet, qua ratione ad ſuam auctoritatem ſecularis Princeps materiam illam mere eccleſiaſticam revocare potuerit. Itaque, quod ille omiſit in tuenda Principum ſuorum lege, id ego agere conabor pro aſſerenda conſtitutione jam olim a Regibus noſtris decreta. Idem enim Rex Philippus IV. qui decimarum cognitionem a judicibus ſuis amovit, eadem lege Seneſchallis ſuis præcepit, ut a nova & inſolita decimarum exactione cives adverſus clericos defenderent, & reſcripto, quod ſupra protuli, exequendæ legis & tuendorum civium modum præſcripſit.

Philippus: *Seneſchallus ad requiſitionem Conſulum locorum quorumcunque defendit ipſos Conſules & univerſitates a nova impoſitione ſervitutis facienda per Prælatos & alias perſonas eccleſiaſticas a nova exactione decimarum & primitiarum.*

IV. Vera itaque ratio, ob quam Philippus negotium iſtud ſibi vindicat, e ſcandalo petitur, quod e nova & inſolita exactione decimarum oriebatur; cujus proinde depulſio a regio patrocinio expectanda erat. Id profitetur conceptis verbis in dicto reſcripto ad Epiſcopum Santonenſem dato: *Contra conſuetudinem diutius obſervatam decimam exigitis de rebus, de quibus præſtari non conſuevit, novumque modum decimandi inducitis in grave ſcandalum provinciæ.* Mox: *Nos igitur his ſcandalis obviare volentes.* Infra: *Providebimus ſuper his, prout ſervata pace & ſalute Eccleſiæ & patriæ faciendum fuerit.* Ex ea decimarum nova petitione ſcandala & offenſiones oriri, non diſſimulant Gloſſator, Joannes Turrecremata & Felinus, qui eam ob cauſam ajunt Eccleſiam ab earum exactione ceſſare. Sed addere debuerant, exactionem illam a Principibus quoque repreſſam ad procurandam Eccleſiæ & regni pacem, ſaltem in hoc Galliarum regno.

Gloſſa in c. 1. de decimis in 6. verbo, *Decimarum.* Turrecremata in c. *Si tributum.* 11. q. 1. Felinus in cap. *Nihil.* De præſcript.

V. Ex novitatibus, quæ veterem Eccleſiæ vel regni ſtatum convellunt, diſcordias, ſcandala, & offenſiones manare, probavimus libro ſuperiore, & ad Regis officium pertinere, ut pacem Eccleſiæ & regni inviolatam præſtet, legibus latis aut aliis remediis impedimenta amoliendo. Quibus addi poteſt, Leonem I. agnoviſſe hanc ſollicitudinem Principibus competere, ne *ſcandala* in rebus eccleſiaſticis emergant, in epiſtola ad Theodoſium: *Siquidem præter imperiales & publicas curas piiſſimam ſollicitudinem Chriſtianæ religionis habetis, ne ſcilicet in populo Dei aut ſchiſmata, aut hæreſes, aut ulla ſcandala convaleſcant.* Eadem fuit Anaſtaſii Pontificis ſententia, qui Anaſtaſium Imperatorem rogavit, ut nomen Acacii Epiſcopi Conſtantinopolitani jam fato functi, non recitaretur in myſteriis inter ceteros Epiſcopos. Damnatus erat a Felice Papa. Sed quia adverſus illam ſententiam pluribus exceptionibus utebantur Græci, prudenter Anaſtaſius non urget executionem rei judicatæ. Novam rationem uſurparat, ſcilicet ſcandali vitandi, quod unitatem Eccleſiarum ob nomen Acacii dividebat. Illud autem ſcandalum auctoritate Principis amoveri petit: *Precamur itaque clementiam veſtram, ut ſpecialiter nomen, quod multis ex cauſis ſcandalum vel offendiculum Eccleſiæ concitavit, ſpeciali appellatione taceatur.* Huic officio æque adſtrictos putavit Reges Francorum Leo Senonenſis Epiſcopus in epiſtola ad Childebertum Regem; qua Principem illum obteſtatur, ne canones patrum violari permittat per ordinationem & novam Epiſcopi inſtitutionem in urbe Meledunenſi, quam cives fieri petebant. Quia *non eorum preces*, inquit, *facile audiri debent a Principe, quorum petitionibus potius generantur ſcandala, quam pax Deo amata ſervetur: quia, ſicut beati ſunt pedes pacem portantes, ita væ his dictum eſt, per quos venit ſcandalum.* Itaque mirandum non eſt, ſi in ſucceſſores Reges cura illa tuendi ſtatus eccleſiaſtici & pacis procurandæ remotis ſcandalis derivata fuerit. Quo in negotio non utuntur, ut ſæpe monui, mera & ſumma juriſdictione in res eccleſiaſticas, ſed velut œconomica poteſtate, quæ a tuitionis patrociniique jure dependet.

Leo I. ep. 9. ad Theodoſ.

Anaſtaſius in Decretis c. 3.

Leonis Senon. ep. ad Childebert. anno 538. edita tom. 1. Conc. Gall.

VI. Reſcriptis regiis conſultum ſemper fuiſſe libertatum Eccleſiæ Gallicanæ conſervationi, quorum formularium ſuperius protuli, egregie probatur e libellis comitiorum regni in urbe Turonenſi actorum anno MCCCCXXCIII. Carolo VIII. porrectis. *Et jaçoit quæ le Roy, à cauſe de ſa Couronne, tant de droit commun, comme pour la deliberation & requeſte de toute l'Egliſe de France & Dauphiné, ſoit, comme eſtoient ſes prædeceſſeurs Rois, Protecteur & Defenſeur des ſaints decrets, libertez & franchiſes de l'Egliſe de ſondit royaume & Dauphiné, neantmoins a eſté fait par noſtre Saint Pere en cedit Royaume au contraire, dont ſe ſont enſuivis grands inconveniens. Parquoy il eſt bien neceſſaire (comme il ſemble aux gens deſdits Trois Eſtats) avoir recours en cette neceſſité au Roy noſtre ſouverain Seigneur comme Protecteur & Defenſeur des droits & libertez de ſondit royaume & Dauphiné. Et pour ce luy ſupplient en toute humilité que ſon plaiſir ſoit de non les abandonner, & qu'il veuille, comme il a offert, donner port & faveur, tout ainſi & par la forme & maniere qu'ont fait ſes prædeceſſeurs Rois, c'eſt a ſçavoir, le Roy Clovis, Saint Louis, Philippes le Bel, le Roy Jean, Charles V. Charles VI. & dernierement le Roy Charles VII. qui tous ont à leur pouvoir defendu les droits & libertez de ladite Egliſe, tant au fait des elections, collations, poſtulations, proviſions, confirmations, & cauſes, qu'à garder l'évacuation des pecunes, par mandement & proviſion de leur Chancellerie, & remoſtrance aux ſaints Conciles, qui confirmé & approuvé leſdits droits & libertez.*

Preuves des Libertez pag. 884.

VII. Singularis etiam mihi videtur conſtitutio Caroli V. Regis, data Pariſiis XIV. Martii anno MCCCLXVII. qua præcipitur Seneſchallis Toloſæ, Carcaſſonæ & Bellicadri, ut prohibeant Epiſcopis earum provinciarum & eorum vicariis, ne privilegia bullis comprehenſa infringant, quas Alexander, Urbanus, Gregorius, Clemens, Innocentius aliique Pontifices Regibus Francorum conceſſerunt; ſcilicet, ut nullus judex ordinarius aut delegatus excommunicationis aut interdicti ſententiam proferat in terram Regis abſque ſpeciali mandato ſedis apoſtolicæ, vel alia tentet, quæ reſcriptis illis ſunt prohibita. *Quod ſi aliquos*, inquit, *contra præmiſſa reperietis attentare, ipſos compeſcatis per bonorum ſuorum temporalium captionem, & a præmiſſis compellatis abſtinere per pœnarum declarationem & earundem executionem.* Itaque ligandi & ſolvendi poteſtas, quæ Galliarum Epiſcopis competit, auctoritate Romani Pontificis reſtricta eſt, ne, Rege invito, interdictis & officii divini ceſſatione, quod *Ceſſum* dixere recentiores, terras & fiſcos domanii regii vexarent. Executio bullarum certis quibuſdam conſervatoribus commiſſa erat, qui renitentes Epiſcopos excommunicationibus ad parendum cogerent. Sed quia variis ludificationibus & judiciorum formulis negotium trahebatur, viſum eſt Principi, tuitionis jure rem ad ſe revocare, bonorum capione & mulctis inflictis, decretorum pontificiorum executioni conſulendo. Eadem lex ad ceteras ſpecies tracta eſt, adeo, ut bonorum capione, & mulctarum indictione cogi ſoleant Epiſcopi ad ea omnia reſcindenda, quæ canonibus & decretis Pontificum in regno receptis adverſa per contumaciam & contemptum legum in perniciem ſtatus eccleſiaſtici & ſcandalum publicum peregerint.

VIII. Duplex coercitio hoc edicto præſcribitur adverſus Epiſcoporum contumaciam, qui indictæ a Rege decretorum pontificiorum executioni parere recuſant, bonorum capio, & mulctæ dictio. Severius agebat Juſtinianus, qui expulſione a ſede epiſcopali hoc aliquando ulciſcebatur, ut dictum cap. I. hujus libri, aliquando etiam Epiſcopi bonis Eccleſiæ adjudicatis, & annali ſuſpenſione a miniſteriis eccleſiaſticis. Quæ pœna indicta eſt Epiſcopo, qui alium ordinarit contra formam præſcriptam

juxta

Nov. 23. c. 1. sub finem: τῆς ἐπισκοπῆς ἐκβάλλεσθαι.

(1) Χωρίζεσθαι ἐπὶ ἕνα ἐνιαυτὸν τῆς ἱερατικῆς λειτουργίας, καὶ πᾶσαν τὴν αὐτοῦ περιουσίαν διὰ τὸ πταῖσμα ὃ ἐποίησε τῇ δεσποτείᾳ τῆς ἐκκλησίας ἧς ἐπίσκοπός ἐστιν, ἐκδικεῖσθαι.

D. Nov. c. 9. 3. μὴ χορηγεῖσθαι παρὰ τοῦ οἰκονόμου τῆς ἰδίας ἐκκλησίας δαπάνας.

juxta canones a Justiniani constitutione: *Si quis autem citra memoratam observationem Episcopus ordinetur, jubemus, hunc omnimodis episcopatu depelli. Sed etiam illum, qui præter hoc præsumpserit ordinare, (1) segregari uno anno a sacro ministerio, & omnem ejus substantiam, quæ quolibet tempore aut modo in ejus dominium deducta est, propter culpam, quam fecit dominio Ecclesiæ, cujus Episcopus est, vindicari*. Eadem pœna infligitur, si quis ante peractam & discussam accusationem, si quod forte crimen objiciatur, electo manum imposuerit. Præter eas pœnas, alia quoque indicta est a Justiniano adversus Episcopum, qui Ecclesiam suam ultra annum deseruerit; scilicet, ut illi ab Oeconomo Ecclesiæ nullæ expensæ subministrentur. Quæ congruit cum bonorum capione, quæ hodie in Gallia adversus desertores & adversus contumaces Episcopos a judicibus decernitur.

CAPUT XI.

De libertate Galliæ, maxime in eo posita, quod Pontifex se non debeat immiscere negotiis secularibus istius regni.

SYNOPSIS.

I. Inquiritur, qua ratione se gesserint majores nostri, quando jurisdictio ecclesiastica secularem invadebat. Ea de re altum silentium apud veteres, quia Episcopi suis finibus se continebant.

II. Harum contentionum exemplum in Gregorio quarto. Divisio regni a Ludovico inter filios facta, sacramento confirmata est & subscriptione Romani Pontificis. Ab ea receditur ob Carolum e secundis nuptiis prognatum. Inde bellum filiorum adversus patrem. Gregorius a filiis stare putatur. De eo antiqui scriptoris verba.

III. Locus ille male trahitur ad Regis immunitatem, ne possit excommunicari. Explicatur Gregorii propositum, ut prima divisio regni non infringeretur, ex Agobardo. Epistola hujus nomine edita est fragmentum epistolæ Gregorii IV. ad Episcopos Galliæ, unde hæc contentio illustratur.

IV. Epistolæ verba expenduntur. Evocaverat Episcopos. Illi contumacius respondent, quod Gregorius refellit. Episcopi scripserant excommunicationem, quam Gregorius putabat pertinere ad injuriam imperatoriæ potestatis. Asserit Pontifex, sibi injuriam fieri non posse, intacta sedis apostolicæ dignitate. Fidem seu sponsionem Imperatori præstitam a se non violari.

V. Referuntur verba Episcoporum, qui excommunicationibus Papæ se non assensuros profitebantur, & periculum honoris illi minantur. Explicantur illa verba, & auctoris vitæ Ludovici, qui temeritatem Episcoporum in hoc capite damnat.

VI. Ex hoc facto colligitur, sententiam totius Ecclesiæ Gallicanæ eam fuisse, a Pontifice excommunicationes ferri non posse prætextu perjurii aut bellorum, ob divisionem regni mutatam. Gregorius quoque eam potestatem sibi non asseruit. Confutati novatores, qui ex hoc facto spretam putant a Gallis auctoritatem Romanæ sedis.

VII. Refellitur Massonus, qui Gallicanæ libertatis capita quædam ex hac epistola colligit, quæ falso affingit Gallis.

I. HActenus tuitionis ecclesiasticæ effectus prosecuti sumus, qui canonum custodiam Principibus commissam respiciunt. Attamen, quia non solum obviam eundum est malis, quæ ex legum ecclesiasticarum corruptione proficiscuntur, sed etiam prospiciendum, ne jurisdictio ecclesiastica jurisdictionis regiæ limites invadat, necesse est, ut diligenter inquiramus, quo pacto majores nostri se gesserint in his contentionibus. Deinde, qua ratione his incommodis consulatur hodie, seu disciplina ecclesiastica lædatur, seu temporalis jurisdictionis fines violentur, aperte differemus. Controversiarum de invasa jurisdictione Principum altum silentium apud veteres, quia ab Episcopis antiquis sola canonum disciplina curabatur. Si quando se rebus secularibus, aut judicandis, aut administrandis immiscerent, id sibi a legibus suo seculo latis indultum profitebantur, quibus uterentur, quamdiu Principi collibuisset. Quare ad mediæ ætatis scriptores deveniendum est, ut inde harum dissensionum exempla & remedia adhibita petantur.

II. Primus occurrit Gregorius IV. Pontifex, qui trium Regum Lotharii, Ludovici & Pipini partes fovere ferebatur adversus patrem Ludovicum Pium Imperatorem, eoque animo se filiis adjunxisse, ut pacem conciliaret iis conditionibus, quas æquas ipse judicabat, aut refragantem Ludovicum & Episcopos Ludovico consentientes excommunicatione percelleret. Dissidii causa ab imperii divisione orta erat: quam ita Ludovicus concinnaverat anno DCCCXXI. ut Pipino Aquitaniam, Ludovico Bajoariam, Lothario vero primogenito Italiam & imperatoriam dignitatem se vivo, & ceteras ditiones post obitum suum concederet. Hæc divisio sacramento procerum & Romani Pontificis subscriptione confirmata fuerat. Sed postea Carolus ex secundis Ludovici nuptiis cum Judith Regina prognatus novarum rerum causa extitit: quia, ut ei portio legitima constitueretur, aliquid e ceteris partibus erat recidendum. Alamannia Carolo designata a patre civile bellum excivit; quod paulis per sedatum recruduit, cum Aquitania a Pipino avocata, dono patris Carolo cessit. Contractis undique copiis, hinc pater Imperator, inde tres filii, Wormatiam pugnaturi convenere anno octingentesimo trigesimo tertio. Rumor autem percrebuerat, Gregorium Pontificem a filiis stare, ut scribit auctor vitæ Ludovici, cujus hæc sunt verba: *De Papa vero Romano, quod ideo adesset, ut tam Imperatorem, quam Episcopos excommunicationis vinculis irretire vellet, si qui inobedientes essent suæ filiorumque Imperatoris voluntati, parum quid subripuit Episcopis Imperatoris præsumptio audaciæ, asserentibus, nullo modo se velle ejus voluntati succumbere; sed, si excommunicaturus adveniret, excommunicatus abiret, quum aliter se habeat antiquorum canonum auctoritas.*

Eginhardus in Annal. Thegan.

Agobardus in epistola flebili cap. 4. *Ceteris filiis vestris designastis partes regni vestri, sed ut unum regnum esset, non tria, prætulistis eum illis, quem participem nominis vestri fecistis; ac deinde gesta scribere mandastis, scripta signare & roborare, & consortem nominis vestri factum Romam misistis, a summo Pontifice gesta vestra probanda & firmanda; ac deinde jurare omnes jussistis, ut talem electionem & divisionem cuncti sequerentur & servarent.*

III. Hic locus laudatur ab eruditissimo viro Francisco Pithœo, ut doceat, Regem Francorum excommunicatione necti non posse, atque ita visum Episcopis Galliarum. At illi excommunicationem non solum a Rege, sed etiam a se ipsis avertunt, excipiuntque, eam ab antiquis canonibus alienam esse. Quod aperte demonstrat, non agi de privilegio Regis Galliarum; nisi asserere velimus, privilegium illud, quod aliunde probatur, antiquis canonibus sancitum esse. A facto ergo, non autem a personis, pendet hujus excommunicationis inutilitas. Discimus autem ex Agobardo Lugdunensi Episcopo, qui a filiorum partibus stabat, quid Gregorius moliretur, nempe primam divisionem imperii, quæ jurejurando procerum & subscriptione apostolicæ sedis firmata erat, in pristinum statum restituere voluisse, excommunicatione in contumaces lata. *Si enim*, inquit Agobardus in epistola ad Ludovicum, *quod vestra voluntate & potestate cum consensu totius imperii vestri factum est, & postea in apostolica sede roboratum, hoc vult in pristinum reducere statum, satis rationabilis & opportunus est ejus adventus*, id est Gregorii. Id vero liquidius ex ipso Gregorii epistolæ fragmento colligere licet, quam Papirius Massonus eumque secutus Goldastus sub nomine Agobardi ediderunt, cum revera sit, non Agobardi, sed ipsius Gregorii epistola, Episcopos qui a Ludovico stabant, objurgantis; ut e lectione epistolæ nos deprehendimus. Etenim tractatus ille *De comparatione utriusque regiminis* Agobardo inscriptus complectitur epistolam Agobardi

Agobardus in libro de comparatione utriusque regiminis cap. 4.

Vide Baluzii Notas ad librum illum Agobardi.

bardi Ludovicum hortantis, ut Papæ monitis pareat, deinde epistolæ Gregorii ad Episcopos Galliæ fragmentum, & rationes exauctorationis Ludovici. Epistolæ autem sententia expendenda est, tum, ut Gregorii esse conficiamus, tum, ut Episcoporum Gallicanorum mentem explicemus, & a Papirio Massono capita aliquot libertatis Gallicanæ ex hac epistola male asserta refellamus.

IV. Res ita se habet, ut colligitur ex verbis epistolæ Gregorii. Gregorius monuit Episcopos Gallicanos de suo adventu in Galliam, quo se adventantem exciperent. Respondent illi, se Pontifici occursuros fuisse, *nisi sacra jussio imperialis prævenisset*, qua scilicet a Ludovico prius evocati erant. Refert ille, primo, in præfatione epistolæ ab iis peccatum, quod diversis nominibus se nunc *fratrem*, nunc *Papam* appellassent, *dum congruentius esset solam ei paternam reverentiam exhibere*. Deinde jussionem pontificiam æque sacram illis videri debuisse ac imperialem, imo prius illis redditam fuisse. Ceterum e Gregorio Nazianzeno docet, *majus esse regimen animarum, quod est pontificale, quam imperiale, quod est temporale*. Si vero ad Imperatorem accedere velint, monendum ab illis esse, ut sciat, se ovem esse gregis a Christo Pontifici consignatam, quemadmodum Gregorius Magnus Imperatorem olim commonefecerat. Quod sit Principis officium, ex Augustino edocendum Ludovicum. Exprobrat deinde Episcopis inconstantiam, quod se de Pontificis adventu lætatos & statim ex quorundam relatione magno mœrore affectos scriberent. *Adjungitis*, inquit, *dicentes, nos venire propter quandam præsumptuosam & omni ratione carentem excommunicationem, & admonetis nos nimis involutis & confusis sermonibus & sensibus, ut neque nostra voluntate, neque alterius hortatu prorumpamus; eo quod, ut dicitis, pertineat ad injuriam & dehonestationem imperialis potestatis, & ad* (*) *Domini rationem & reprehensionem nostræ auctoritatis*. Hic locus, quemadmodum & reliquus totius epistolæ contextus, evidenter ostendit, Gregorium de se ipso loqui, & præterea alienam visam esse excommunicationem, quod ad imperatoriæ auctoritatis immutationem tenderet, ac si secunda divisione liberis suis paterna pietas consulere non potuisset, civilisque potestas in familia sua erciscunda ab ecclesiastica potestate legem accipere deberet, cum Christus ipse fratres repulerit hoc dicto: *Quis me divisorem constituit inter vos?* Respondet tamen Gregorius, ad dehonestationem imperialis potestatis magis pertinere opera digna excommunicatione a Ludovico patrata, quam ipsam excommunicationem. Mox subdit: *Illud flagito, ut dicatis, quomodo potest fieri, ut manente apostolicæ sedis honore, mea tantum persona in causa reprehensionis & vituperationis remaneat. Nullo modo enim fieri potest, ut, si is, qui locum B. Petri tenet, exhonoratur sine crimine, dum taxatur, cathedra ejus honorata permaneat*. Ex hoc etiam loco probatur, hanc epistolam esse Gregorii, distinctionemque illam sedis & Pontificis eo seculo ignotam non fuisse; cui assentitur Gregorius; dehonestarique posse Pontificem absque injuria sedis non diffitetur, si crimini sit obnoxius. Quia vero urgebatur Gregorius ab Episcopis ratione fidei, quam sacramento suo Ludovico dederat, unde perjurii labe aspergi posset, non ait aut negat juramentum, a se præstitum, cum eo tempore fides fœderis & protectionis, etsi fortasse nulla dominii, tunc a Pontificibus Imperatori daretur; sed docet, a se perjurium vitari, etiamsi jurasset, si Principi denuntiet ea omnia, quæ contra unitatem & pacem Ecclesiæ & regni committit; vicissimque perjurium Episcopis exprobrat, quod ei officio deessent. *Deinde*, inquit Gregorius, *promittitis mihi venerabilem receptionem, si tamen ita ad illum venero, ut ejus voluntas est*. Unde occasionem arripit Episcopos carpendi, quod omnia agerent spe mercedis propositæ.

V. Tandem nodum quæstionis aggreditur. *Deinde dicitis*, inquit, *illam primam divisionem regni, quam inter filios suos fecerat Imperator, nunc juxta* (*) *Regum opportunitatem esse mutatam*. Hic respondet, opportunam non esse mutationem illam, quæ tot malorum, deprædationum & perjuriorum origo fuerit. *Deinde subjungitis*, inquit, *quia, nisi secundum voluntatem vestram venero, non habebo Ecclesias vestras consentaneas, sed in tantum contrarias, ut nihil mihi in vestris parochiis agere vel disponere liceat, nec quemquam excommunicare vobis obsistentibus*. Hic locus explicat auctorem vitæ Ludovici supra laudatum, qui scripsit, Episcopos Gallicanos professos esse, nullo modo se velle Papæ voluntati succumbere, id est, se Pontificis mandatis aut excommunicationibus non assensuros, earumque nullam rationem habituros. Respondet vero Gregorius, se pacis legatum & unitatis adventasse, Episcopos dare operam posse, ut se ipsos ab unitate corporis separent, sed Ecclesiam Gallicanam & Germanicam ab unitate tunicæ dividere non posse, id est, ab apostolicis sedibus. In iis autem, quæ sequuntur, minas intentasse Pontifici videntur. *Deinde dicitis rem ridiculam, subinferentes*, inquit, *Et quod potius tacere quam dicere maluimus, si autem non egeritis, assensum consilio nostro non præbueritis, honoris vestri*

Prima illa divisio edita est tom. I. Capitular. pag. 573.

(*) *Rerum*.

(*) Quandoquidem incidimus in epistolam Gregorii IV. ad Episcopos regni Francorum, cujus multam in isto capite mentionem facit illustrissimus Archiepiscopus, res postulare videtur, ut hunc locum, qui gravi mendo laborat, captata occasione restituamus; præsertim, cum studio procurandæ editionis emendatissimæ sollicitatus a nobis nuper sit. Nam, cum superioribus annis adornaremus novam operum Agobardi Lugdunensis Archiepiscopi editionem, inter quæ occurrit illa Gregorii epistola, cum non intelligeremus, quid significaret vox *diminurationem*, quæ legitur in codice regio, pro qua Massonus perperam substituit *Domini rationem*, ita putavimus, corrigendum esse hunc locum, ut *minorationem* reponeremus, monito interim lectore, *diminurationem* scriptum esse in codice regio. Nunc itaque debere me puto veritati & hominibus istarum rerum studiosis, ut veram illius loci lectionem restituam, reddita Gregorii epistolæ voce *diminorationem*, quam mutaveramus in *minorationem*. In quo illud interim admonendum est, veteres librarios sæpenumero confudisse literas *o* & *u* inter scribendum, ut a nobis observatum est ad librum septimum Salviani de gubernatione Dei, & nemini paulo docto est obscurum, ideoque mirum videri non debere, si, cum origo vocis illius indicet, legendum esse *diminorationem*, licet in codice regio scriptum sit *diminurationem*, conjecturam prætulimus auctoritati vetusti codicis. Etenim & seculo Agobardico & superiore voce illa sic inflexa utebantur, ut statim ostendam. Stephanus enim Papa illius nominis quartus scribens ad Bertradam Reginam ejusque filium Karolum, cui deinde Magni cognomen hæsit, ita loquitur in tit. XLVI. Codicis Karolini: *Et certo credimus, quod dum tanta ejus antiquitas ad aures excellentissimi filii nostri Carlomanni Regis pervenerit, nullo modo ei placebit in eo, quod in tantam deminorationem atque devastationem sanctam Dei Ecclesiam is Dodo cum præfatis suis nefandissimis sequacibus cupiebat deducere*. Item Adrianus I. in epistola ad eundem Karolum tit. LIV. ejusdem codicis: *Nos etiam in nimiam deminorationem atque despecti esse videmur*. Et infra: *Non tibi placeat, bone & excellentissime fili, ut in tantum despectum atque humilitatis deminorationem sancta Dei Ecclesia Romana, spiritalis mater tua, quæ caput est omnium Ecclesiarum Dei, veniat*. Idem in epistola LVIII. ejusdem codicis ad Karolum: *In tanta afflictione & deminoratione conati sunt*. Idem in epistola LXXXV. *Scimus, quod vestra regalis potentia, quia non pro deminoratione, sed semper pro exaltatione spiritalis matris vestræ sanctæ Romanæ Ecclesiæ decertavit*. Karolus Calvus in Præcepto pro Ecclesia Æduensi, dato in Sylvanectensi urbe *anno XXI. regnante Karolo gloriosissimo Rege*, quod ex veteri Chartulario Æduensis Ecclesiæ descripsimus beneficio viri clarissimi ac de re literaria optime meriti Antonii Vionis Herovallii: *Supradictas res cum omnibus suis appendicibus &c. reddimus atque restituimus, ea conditione, ut nostris futurisque temporibus in usus & dispositionem præfatæ Ecclesiæ rectorisque ejus absque alicujus subtractione aut deminoratione, aut inlicita inquietudine permaneant atque consistant sub immunitate fortissima*. Vide etiam præceptum Ludovici Imp. apud Ammiratum in historia Episcoporum Volaterranorum pag. 71. Præcepta Karoli III. & Ludovici III. Imperatorum apud Cœlestinum in historia Bergom. lib. 22. pag. 400. & 405. Præceptum Pipini Regis Aquitaniæ apud Beslyum in historia Ducum Aquitaniæ pag. 22.

stri periculo subjacebitis. Scilicet existimabant, nullam esse omnino & canonibus adversam, quæ Ludovico intentabatur, excommunicationem, ideoque in caput Pontificis recidere secundum canones, quod ad honoris periculum pertinebat. Itaque non privant Pontificem communione Ecclesiæ. Nunquam enim minori sedi licuit majoris sedis Pontificem illa vel alia pœna plectere. Nec ab ejus communione integre recedunt, sed in hac parte. Quo referenda sunt verba auctoris vitæ Ludovici: *si excommunicaturus veniret, excommunicatum abiturum*. Absurdum autem & stultum esse periculum illud honoris, replicat Gregorius, præsertim cum illa comminatio intensa non esset propter crimen sacrilegii, homicidii, vel furti, aut simile aliquod. Quod autem Episcopi ceteris coepiscopis, qui Gregorii excommunicationi adhærerent, dejectionem minantur *irretractabiliter*, eorum *mirandam præsumptionem* redarguit Gregorius, ac si, quod a parte agitur, per universitatem retractari non posset, id est, synodi Gallicanæ judicium a Papa in synodo generali retractari posse. Tandem concludit: *Quod vestræ minæ continent, nunquam adhuc ab initio Ecclesiæ factum est*. Et plane dissimulandum non est, tuendi regii capitis & honoris æstu abreptos Episcopos in reverentiam Pontifici debitam peccasse graviter, cum gradus periculum illi objiciunt; ideoque de *præsumptione audaciæ* damnantur ab auctore vitæ Ludovici.

VI. Quare, ut rem in pauca contraham, dicendum est, Regi, Episcopis & Proceribus Gallicanis eam sedisse sententiam, Romano Pontifici non esse liberum, ut se divisionibus regni corrigendis, id est, rebus secularibus immisceat, eaque de causa Regem, aut Episcopos vel Proceres illi consentientes excommunicationibus plectat prætextu perjurii aut bellorum, quæ inde sequuntur; si qua censura eam ob causam lata fuerit, nullas vires habituram; Regem aut subditos illi non obtemperaturos. Accurate vero notandum est, Gregorium non eam sibi potestatem asseruisse; sed quæstionem ad factum consiliumque suum transtulisse; nempe, se non ad dissidium fovendum, sed ad pacem & unitatem resarciendam venisse. Sane de pacis conditionibus cum Ludovico egit; sed interim plerique e Proceribus a Principe ad filios, detestando exemplo, defecerunt. Eant ergo novatores, & hoc testimonium jactent, ac si ab Episcopis Gallicanis spreta fuisset auctoritas Romani Pontificis; cum in ista facti specie de rebus secularibus & de regni divisione, non autem de rebus ecclesiasticis ageretur.

VII. Superest, ut Papirii Massoni viri eruditissimi verba expendam, quæ in synopsi hujus epistolæ scripsit. Ait, conventum ab Episcopis Gallicanis habitum, ubi se sistere citatus Agobardus recusarit. *Cujus conventus hæc fuerunt capita*, inquit, *adversus illius contumaciam pro confirmanda Gallicana libertate*; licet, ut initio monui de Gregorio IV. non autem de Agobardo agatur.

1. *Episcopum Romanum vocandum Papam, fratrem, non autem patrem, neque Pontificem.*

Hoc Episcopi Gallicani non decreverunt; quos eo tantum nomine Gregorius reprehendit, quod se nunc fratrem, nunc Papam appellassent, cum reverentius fuisset Papæ vel patris nomen.

2. *Imperialem potestatem plus posse in administranda Ecclesia, quam pontificiam.*

Hoc est omnino alienum a pietate & a verbis Episcoporum; qui ex eo tantum capite se apud Pontificem excusant, si advenienti non occurrerunt, quod jussione Imperatoris prius evocati fuissent.

3. *Cæsarem non dehonestandum præsumptuosa excommunicatione.*

Verum est, id asseruisse Episcopos ob eam rationem, quam superius explicui.

4. *Posse unum aliquem Pontificem abjici sine injuria sedis apostolicæ.*

Hac de re ne verbum quidem. Id tantum ajunt, summum Pontificem aliquando *reprehendi posse* absque injuria sedis apostolicæ.

5. *Episcopos in causa fidei jusjurandum præstare solitos Imperatori.*

Hic plane hallucinatus est. De fide data seu de fidelitatis jurejurando agitur, quod præstabant Imperatoribus Episcopi.

6. *Agobardum Primatem Aquitaniæ nullam deinceps habiturum potestatem in excommunicando, nullamque jurisdictionem in ceteras parochias, si obediret potius Pontifici quam Cæsari.*

Non agitur de Agobardo, sed de summo Pontifice, eo sensu, quem superius retuli.

7. *Privandum Episcopum consortio & honore, qui potius Pontifici quam Ecclesiæ Gallicanæ Concilio obedierit.*

Non est ea mens Episcoporum. Id tantum contendunt, Episcopos, qui injuste & incompetenter latæ excommunicationi consenserint, periculum gradus sui subituros.

CAPUT XII.

De invasione jurisdictionis secularis sub Carolo Calvo a Pontifice tentata, a Gallis tamen mascule oppugnata.

SYNOPSIS.

I. Galli sub Carolo Calvo decreta Papæ de rebus secularibus non admittunt. Lotharii regnum, post ejus obitum, Carolus Francorum & Ludovicus Germaniæ Rex patrui inter se dividunt. Ludovicus II. frater Lotharii hereditatem petit; quem Hadrianus II. juvat, excommunicatione Regibus indicta, prætextu perjurii & bellorum, quæ inde manabant. Mandatum Hincmaro, ut literas Pontificis Regibus significet.

II. Galli in conventu Aquisgranensi respondent, Pontificem non esse Regem & Episcopum, rempublicam ab eo non esse disponendam, sed ecclesiasticum ordinem, ex ejus arbitrio non esse dandum Principem: excommunicationem ferri non debere contra legem, Episcopos a Regis communione abstinere non posse, nisi exulent a regno.

III. Rex & primores regni minati sunt Hincmaro, si decretis Papæ adhæreret, rerum Ecclesiæ privationem. Coercitio per bonorum capionem tunc erat usu recepta. Hincmarus rogat Pontificem, ut abstineat ab iis decretis, quæ scandalum excitant inter Ecclesiam & Rempublicam, unde sequantur in religione & in bonis ecclesiasticis maxima incommoda.

IV. Non carebant quodam prætextu Romani Pontifices, petito ex usu illius seculi. Censuris urgebant subditos ad resarciendam fidem, quæ Regibus debetur. Id tamen obtinebat petentibus Regibus adversus subditos, non autem adversus Reges. Exempla in prima specie, e synodo Meldensi, e synodo Suessionensi, & e Concilio Engelenheimensi. Quod institutum a Concilio Toletano.

V. Ob dignitatem regiam verbo a Pontifice imminutam gravis contentio inter Carolum & Hadrianum. Jusserat iste Hincmarum Laudunensem Romam duci, Regis cura. Excanduit Carolus; ait, Reges Francorum non esse Vicedominos, actores, vel villicos Episcoporum; illis honorem deberi juxta Apostolum.

VI. Præter injuriam sibi illatam, adversam quoque canonibus Hadriani epistolam Carolus asserit. Ex utroque capite colligit, si mandata similia sibi aut Episcopis mittantur cum excommunicationum minis, non receptum iri in regno. Ministerio apostolicæ sedis se obtemperaturum, id est, in iis, quæ fierent secundum canones & traditionem majorum. Hadrianus his literis acceptis Carolum demulcet & canonibus se accommodat.

VII. Immodesta Caroli comminatio adversus Hadrianum, si a mandatis illegitimis non recedat. Explicatus Hincmari locus. In quinta synodo anathema indicitur iis, qui fidem violant. Ivonis sententia contraria sententiæ Caroli.

I. SUperiori capite demonstratum est, quantopere Ecclesia Gallicana reniteretur desideriis Pontificum, si de rebus secularibus decernere tentarent. Eadem quæ sub Ludovico Pio viguit sententia, ad Caroli Calvi tempora propagata est. Hadrianus II. anno DCCCLXX. tentavit de jure hereditario regni Lotharii sententia sua decernere & mandatis suis rebelles fratres, Carolum Calvum Regem Franciæ & Ludovicum Regem Germaniæ excommunicatione plectere. Sed a proceribus regni explosa est hæc secularis jurisdictionis invasio. Obierat sine liberis, quamvis superstite fratre Ludovico II. Imperatore, Lotharius Rex, Lotharii Imperatoris filius, Ludovici Pii nepos, anno octingentesimo sexagesimo nono. Evocatus a proceribus regni Carolus Rex Francorum vacuum regnum Lothariense occupavit, & Metis consecratus est. Sed ægre ferente Ludovico Germaniæ Rege, regnum illud universum a Carolo teneri, inita pactione inter se Lotharii Regis fato functi patrui ditiones æquis portionibus diviserunt Aquisgrani anno octingentesimo septuagesimo. Hadrianus Pontifex injuriam fieri ratus Ludovico II. Imperatori, Lotharii Regis fratri, *& perjurii* reatum a Regibus incurri, (qui olim jurisjurandi formula in archivo Romanæ Ecclesiæ deposita spoponderant, se a regnorum invasione vicissim temperaturos) literas dedit per Legatos suos ad Episcopos Franciæ, Germaniæ & regni Lotharii; quibus vetat, ne quis regnum illud occupare nitatur. *Quod si quis præsumpserit, non solum*, inquit, *per mediocritatis nostræ ministerium Deo auctore viribus infirmabitur, verum etiam vinculis anathematis obligatus, nomine Christianitatis privatus, cum diabolo, quem super hoc imitatur, omnino locabitur*. Minatus est etiam dejectionem Episcopis, qui tam nefariæ temeritatis auctorem communione sua non repulerint. Hincmaro Remensi Archiepiscopo præcipue jussit, ut apostolicarum literarum participes faceret ambos Reges, Episcopos & proceres, eosque a tam violenta invasione deterreret. Quod ille fecit, recitata & porrecta schedula in conventu Aquisgranensi; suffragium tamen suum suspendit.

Extat divisio regni Lotharii in Capitulis Caroli Calvi.

Extant epistolæ Hadriani II.

In epist. ad Hincm.

II. Quæ mens Regum & procerum fuerit, docuit Hincmarus ad Hadrianum Papam literis hac de re datis: quibus testatur, in ea Gallos esse sententia, ut, cum de re seculari agitur, auctoritati ecclesiasticæ vel excommunicationibus locus esse non possit. *Cum potestatem sancto Petro primo Apostolorum & in eo suis successoribus datam, sed & Apostolis, & in eis, Episcopis pontificium ligandi & solvendi collatum illis insinuare volumus, respondent: Et vos ergo solis orationibus vestris regnum contra Normannos & alios impetentes defendite, & nostram defensionem nolite quærere; & si vultis ad defensionem nostrum habere auxilium, sicut volumus de vestris orationibus habere adjutorium, nolite quærere nostrum dispendium. Et petite domnum Apostolicum, ut, quia Rex & Episcopus simul esse non potest, & sui antecessores ecclesiasticum ordinem, quod suum est, & non rempublicam, quod Regum est, disposuerunt, non præcipiat nobis habere Regem, qui nos in sic longinquis partibus adjuvare non possit contra subitaneos & frequentes paganorum impetus, & nos Francos non jubeat servire, cui nolumus seniori: quia istud jugum sui antecessores nostris antecessoribus non imposuerunt, & nos illud portare non possumus, qui scriptum esse in sanctis libris audimus, ut pro libertate & hereditate nostra usque ad mortem certare debeamus. Et si aliquis Episcopus aliquem Christianum contra legem excommunicat, sibi potestatem ligandi tollit; & nulli vitam æternam potest tollere, si sua peccata eam illi non tollunt*. Plura in eundem sensum habentur in dicta epistola Hincmari; qui gravi etiam oratione docet, fieri non posse, ut Episcopi a Regis communione abstineant, nisi a regno exulare velint.

Hincmarus in ep. ad Hadrianum II.

Hincmar. d. ep. *Nescio, quomodo ipsius, Regis vel inter quos habito, præsentiam & communionem vel consortium valeam devitare, cum Rex & habitantes mecum una cum Rege, non solum in parochiam, verum & in civitatem meam sæpe conveniant.* Infra: *Ecclesiam & plebem mihi commissam deserere, & aliorsum, ut mercenarius, non valeo fugere, nec, quo extra regnum ejus fugiam non habeo.*

III. Sed quod attinet ad quæstionem nostram, ex ea epistola discimus, bonorum ecclesiasticorum capione coercitos olim Episcopos, qui incompetenti excommunicationi de re seculari latæ adhærerent. Refert de se ipso Hincmarus Hadriano se præsentibus Legatis pontificiis ursisse Regem & primores regni, ut jussioni apostolicæ parerent; qui minati sunt Hincmaro, ni cessaret, bonorum suorum fruitione & jurisdictionis usu privatum iri: *Præsentibus vestris Missis adeo ex vestra jussione verbis restiti Regi & regnorum primoribus, ut & coram eisdem Missis comminaretur mihi, quoniam, si in mea sententia permanerem, ad altare Ecclesiæ meæ cantare possem, de rebus vero & hominibus nullam potestatem haberem*. Omnibus vero incommodis, quæ ex his contentionibus oriri possunt, Hadriano suggestis, prudenter illum obtestatur, ut abstineat ab iis decretis, quæ scandalum excitant inter Ecclesiam & Rempublicam, unde religionis dispendium & maximum bonorum ecclesiasticorum detrimentum sequi possit. Hæc sunt ejus verba: *Quapropter, Domine Pater reverendissime, consulite secundum privilegium sedis vestræ subjectioni nostræ, ne talia nobis cujuscunque suggestione mandetis, unde inter episcopalem auctoritatem & regalem potestatem, inter Ecclesiam & Rempublicam, tantum scandalum possit oriri, quod facile ac sine dispendio religionis vel detrimento ecclesiasticarum rerum, unde servi & ancillæ Dei debeant nutriri & ecclesiastica negotia contineri, postea non possit sedari; quia, sicut Abraham dixit ad Dominum: Absit hoc a te, Domine; non est hoc tuum, qui judicas omnem terram.*

IV. Attamen dissimulandum non est, ex usu hujus seculi Pontifices Romanos occasionem quandam harum excommunicationum trahere potuisse. Etenim aliquando ad sanciendam debitam Regibus fidem censuram ecclesiasticam adhibebant, ut ejus metu rebelles ad officium reverterentur. Sed Principibus id exigentibus adversus subditos hoc dabatur. Quod usurpari non poterat, quando Reges inter se dimicabant; ut docebitur uberius cap. XVI. Prioris autem usus exempla petere licet e synodo apud Lauriacum habita anno DCCCXLIII. relata in synodo Meldensi & apud Ivonem, quæ eos, qui contra regiam dignitatem aliquid machinantur, vel potestati regiæ per summam contumaciam non obtemperant, anathemate plectendos decernit. Inde synodus Suessionensis anno DCCCLXVI. rogat Nicolaum I. ut Salomonem Britanniæ Ducem moneat, quo Domino suo Carolo regium obsequium præstet annuosque census persolvat, *alioqui gladio apostolatus vestri se percellendum debito cognoscat libramine*. Ludovicus Ultramarinus Rex Francorum ab Hugone Comite vexatus, subsidium postulat a synodo Engelenheimense, ubi aderat Legatus Romani Pontificis & Otto Imperator, anno nongentesimo quadragesimo octavo. Decreta est, ad petitionem Regis, in Hugonem regni invasorem excommunicatio, Toletani Concilii judicium exequendo, nisi se Concilio futuro sistat, & a tam nefario scelere resipiscat. Deinde in Concilio Treverensi absens Hugo excommunicatus, *insistente*, ut inquit Frodoardus in Chronico, *Lindulfo Legato & Capellano Ottonis Regis, quoniam idem Rex id omnino fieri præcipiebat*. Hic usus a Concilio Toletano IV. initium sumpsit, & avorum nostrorum memoria cessavit.

Syn. Meld. c. 14. 15. Ivo parte XVI. c. 23.

Concil. Tolet. cap. 75.

V. Non solum autem ob jurisdictionem invasam, sed etiam ob dignitatem Regis verbo imminutam a Romanis Pontificibus, graves aliquando contentiones exarserunt. Ad Carolum Calvum Francorum Regem literas dederat Hadrianus his verbis: *Volumus & apostolica auctoritate jubemus, Hincmarum Laudunensem Episcopum vestra fretum potentia ad limi-*

limina sanctorum nostramque venire clementiam. Damnatus fuerat Laudunensis Episcopus synodi Gallicanæ judicio, deinde custodiæ mancipatus ex Regis imperio, ut dixi capite sexto, Carolum vehementer commovit ista jubendi formula, quæ a decessoribus Hadriani nunquam fuerat usurpata; ut docet exemplo Gregorii Magni, qui petebat a Regibus Francorum, quæ facta vellet, eosque *hortabatur*, non autem illis præcipiebat, nec res ipsas imperio exigebat. Itaque dignitatis læsæ injuria excandescens, multis in hanc audaciam detonat; e quibus hæc selegimus: *Reges Francorum ex regio genere nati, non Episcoporum Vicedomini, sed terræ domini hactenus fuimus computati. Et, ut Leo ac Romana synodus scripsit*, Reges & Imperatores, quos terris divina potentia præesse præcepit, jus distringendorum negotiorum Episcopis sanctis juxta divalia constituta permiserunt, *non autem Episcoporum villici extiterunt. Et sanctus Augustinus dicit*, Per jura Regum possidentur possessiones, *non autem per episcopale imperium Reges villici fiunt actoresque Episcoporum. Christus etiam censum Regi reddidit. Et Apostolus voluit serviri Regibus, voluit honorari & non conculcari Reges*. Regem, *inquit*, honorificate.

Epistola Caroli Regis ad Hadr.

Leonis epistola, quæ hic laudatur, non est Leonis Papæ, ut visum Hincmaro, etiamsi hodie quoque edita sit inter epistolas Leonis, sed est Leonis Bituricensis Archiepiscopi, scripta anno 454. ut observat V. Cl. J. Sirmondus.

VI. Præter injuriam nomini regio factam, mandatum illud canonibus adversabatur, ut dixi dicto capite sexto. Quare utramque contumeliam colligens ita infert: *Nolite igitur ex vestro nomine vel apostolicæ sedis auctoritate jussiones vel excommunicationum intentationes contra sacrarum scripturarum tramitem prædicationemque majorum ac sacrarum legum sanctorumque canonum constitutiones nobis de cetero scribi cujusque instinctu permittere precamur, quia scitis & scimus, totum esse irritum, quicquid ab illorum fuerit constitutione diversum*. Tandem rogat Pontificem, ne contumeliosas epistolas aut mandata injusta ad se vel Episcopos & proceres regni mittat, ne illa contemnere cogatur: *Deprecantes vos in omnipotentis Dei honore & sanctorum Apostolorum veneratione, ut tales inhonorationis nostræ epistolas taliaque mandata, sicut hactenus ex nomine vestro suscepimus, nobis & regni nostri Episcopis ac primoribus de cetero non mandetis; & non compellatis nos mandata & epistolas vestras inhonorandas contemnere & Missos vestros dehonorare*. In iis tamen rebus, quæ a ministerio apostolicæ sedis pendent, id est, quæ scripturis & decretis receptis non refragantur, se omne studium suum libenter impensurum: *Qui vobis in his, quæ ad vestrum ministerium pertinent, si tamen ministerium vestrum, cupimus obtemperare*. Infra: *Quia, quod ex apostolicæ sedis nomine secundum sanctarum scripturarum tramitem prædicationemque majorum & orthodoxorum decreta scribuntur, sequendum & tenendum non ignoramus; & quod secus a quoquam fuerit compilatum sive confectum, non solum respuendum, sed & redarguendum esse cognoscimus*. Hadrianus, his literis acceptis, Carolum blandissima oratione placare conatur, & Hincmari Laudunensis judicium in provincia, juxta canones Sardicenses, renovari decernit.

Epist. Hadriani ad Carolum XXVII.

VII. Attamen in hac concertatione eo prorupit impetus Gallorum, ut immodesta comminatio epistolæ inserta fuerit. Suppliciter a Pontifice Carolus contendit, ut negotium canonice peragatur, *ne nos*, inquit, *& nostros satis invitos ad id cogatis convertere, quod a quinta universali synodo & a Gregorio in synodica ad quatuor Patriarchas tenendum præscribitur; quod adhuc nostris literis ad exemplum inserere noluimus, donec sciamus, si duritiam mandatorum vestrorum erga nos aliter ad benignitatem inflectere poterimus*. Scilicet ad dejectionem vel anathema respicit decretum contra eos, qui a quatuor synodorum constitutis discederent. Sed pace illorum dixerim, de fidei definitionibus loquuntur quinta synodus & Gregorius, non autem de constitutionibus canonicis quæ necessitate vel utilitate cogente, aut etiam ratione temporum habita, mutari possunt, cum regula fidei retractari non possit. Modestiores fuisse Gallicanos Episcopos, ex Ivone docuimus cum de Paschalis II. facto ageretur; cujus communionem rejiciendam censentibus Germanici regni Episcopis, obstitere nostri, docentes, labem, quæ disciplinæ inferretur, non admittendam, sed communionem reverentiamque Summi Pontificis esse diligentissime conservandam.

Quinta Syn. collatione 8. *Si quis conatus fuerit contra ea, quæ pie disposuimus, vel tradere, vel docere, vel scribere, siquidem Episcopus vel clericus sit, iste tanquam alienus a sacerdotibus & ecclesiastico statu fa[ci]ens denudabitur episcopatu vel clericatu.*

Greg. l. 1. ep. 24. *Cunctas, quas præfata veneranda Concilia personas respuunt, respuo, quas venerantur, amplector; quia, dum universali sunt consensu constituta, se & non illa destruit, quisquis præsumit aut solvere, quos religant, aut ligare, quos solvunt. Quisquis ergo aliud sapit, anathema sit.*

CAPUT XIII.

Ubi docetur, quod etiam sub tertia Regum Galliæ Dynastia jura regni conservata sint contra ausus Papales.

SYNOPSIS.

I. Sub tertia dynastia, non admissa decreta nova Conciliorum, quæ jura regni infringebant. Prohibitum Episcopis a Conciliis Romanis, ne hominium præstarent Regibus. Tamen Radulfus Remensis obtinere non potuit Ecclesiam, quin prius moribus in regno receptis satisfecisset. Curia regni his decretis refragabatur, ex Ivone; qui monet Paschalem, ut factum toleret per dispensationem. Cujus consilium secutus est summus Pontifex, etiam in simili specie, quæ emersit in Anglia.

II. Constantiam Ludovici VI. in conservandis magistratuum suorum juribus adversus rescriptum Romanæ curiæ recenset Ivo, licet rem non approbet. Vetitum rescripto, ne Præpositi regii præstationes exigant a pauperibus clericis. Præcipit Rex, ne mittatur executioni. Alioqui minatur, bona clericorum captum iri.

III. Divisionem Noviomensis episcopatus invito Ludovico Rege fieri non debere, scripsit Ivo ad Paschalem. Jus divisionis decernendæ spectabat ad Pontificem; sed consensus Regis necessarius, ut vitaretur schisma, ex Ivone. Probatur necessitas regii consensus e jure tuitionis, ne status ecclesiasticus mutaretur, e jure quoque regio, quod parœciarum dissectionibus intervenire debeat. Confirmatur Conciliis Lucensi & Emeritensi.

IV. Conqueritur gravissime Philippus Augustus de consilio Lucii III. qui Rege invito cogitabat de Metropoli Dolensi erigenda. Hoc facto regnum suum minui ait, & coronam e capite suo dejici. Minatur diffidium, si hoc fiat a Pontifice.

V. Erecto Appamiarum monasterio in Ecclesiam cathedralem, a Bonifacio VIII. injuriam sibi factam putavit Philippus IV. Unde, quæ deinde Tolosæ facta est immutatio, non accidisse censenda est absque Regis consensu. Hodie conceptis verbis adhibetur in similibus negotiis.

I. IN tertia Regum nostrorum dynastia constanter etiam regni dignitatem & jura retinuerunt Rex Ludovicus VI. Crassus dictus, & regni proceres circa annum MCXV. cum de sacramento hominii a Radulpho Archiepiscopo Remensi Regi præstando ageretur. Vetuerant Gregorius VII. Urbanus II. & Paschalis II. excommunicationis pœna adjecta, ne Episcopi aut clerici hominio, sed tantum fidelitate, se Principibus adstringerent. Radulfus, Gervasio Remensis Ecclesiæ invasore pulso, sedi suæ restitui Ivonis interventu petebat. Concessit Princeps, ut curiæ, quam Aureliani cogebat, in natali Domini se sisteret. Sed recipere non potuit Ecclesiam Radulfus alia ratione, quam hominio præstito, exemplo majorum; reclamante curia, novisque decretis, quæ jura regni corrumperent, plurimum refragante. Quod hodie appellationis formulis perageretur. *Sed reclamante curia*, inquit Ivo, *plenariam pacem impetrare nequivimus, nisi prædictus Metropolitanus per manum & sacramentum eam fidelitatem Regi faceret, quam prædecessoribus suis Regibus Francorum antea fecerant omnes Remenses Archiepiscopi & ceteri regni Francorum quamlibet reli-*

Vide lib. 6. c. 33. §. 1.

Ivo ep. 190.

religiosi & sancti Episcopi. Quod persuadentibus & impellentibus totius curiæ optimatibus, etsi propter mandatorum rigorem minus licebat, factum est tamen, quia Ecclesiæ paci & fraternæ dilectioni sic expediebat. Hæc petita sunt ex epistola Ivonis ad Paschalem II. quem demulcere conatur, prudenter docens, in iis, quæ non sunt prohibita æterna lege, sed tantum a Præsulibus libertati acquirendæ consulentibus, dispensatione utendum esse, summumque jus remittendum, monente Augustino, ubi populorum strages jacent, detrahendum esse aliquid canonum severitati, ut majoribus morbis sanandis charitas sincera subveniat. Mox subdit: *Consulendo & rogando monemus, ut ibi consilii & pietatis studeatis visceribus abundare, ubi fas non est debitam fortitudinem exercere.* Ivonis consilium, non solum in negotio Gervasii, sed etiam in simili specie, quæ in Anglia emersit, secutus est summus Pontifex. Cum enim acriter inter se contenderent Anselmus Cantuariensis & Henricus I. Anglorum Rex, ita, ut ille hominium Regi facere, aut sine mora regno excedere juberetur, Paschali summo Pontifice consulto, qui literis suis hominii præstationem interdicebat, in hæc verba prorupit Henricus, teste Willelmo Malmesburiensi: *Quid ad me de literis Apostolicis? Jura regni mei nolo amittere.* Et tandem jus suum retinendo consensum Pontificis elicuit, ut alibi testatur idem Malmesburiensis.

Wvillelm. Malmesb. de Gest. Pontif. l. 1.

Idem Malm. l. 3.

II. Ejusdem Ludovici Regis in conservandis magistratuum suorum juribus constantiam recenset Ivo, quamvis eam in facti specie proposita improbet. Clerici Carnotenses a Paschali II. decretum impetrarunt, quo Præpositis regiis vetabatur, ne ab ecclesiasticis pauperibus præstationes aliquas exigerent. Præpositi vero Regi *suggesserunt, ad diminutionem sui regni hoc privilegium factum esse.* Quam rationem tenuerit Ludovicus, ut juribus suis prospiceret, adversus novum rescriptum docet, licet indignans, Ivo in epistola ad Paschalem: *Isti enim ad hoc Regem seduxerunt, quomodo voluerunt, ut minaces literas adversus clerum mihi mitteret, continentes cum minis, quod bona clericorum sibi accepturus sit, ubicunque poterit, nisi privilegium vestrum destruatur & rapacitas Præpositorum in pace concedatur.* Præpositis nullam fieri injuriam ex eo contendebat Ivo, quod non antiqua jura ab eis auferrentur, sed novis & illicitis exactionibus obviam iretur, ut ipse scripsit ad Regem: *Non enim minuitur aliquid de jure Præpositorum vel aufertur, sed apostolica auctoritate interdicuntur eis illicitæ angariæ & pauperum vexationes, quas non tantum clericis, sed nec laicis licet exercere vel exigere.* Quod vetitum fuisse ait a Papa sub anathematis vinculo, idque a se inconsulto Apostolico mutari non posse. Rogat Regem, ut pacem cum Ecclesia colat; testaturque, se nihil de jure Præpositorum minuere velle, *ubi eis justitia & quieta possessio legitime poterit suffragari.* Petit inducias a Rege, ut Legatis Ecclesiæ Carnotensis liberum sit adire sedem apostolicam, cujus mandato, Regis desideriis, *remota pauperum oppressione possit fieri satis.* Ivo literis ad Paschalem datis tantum abest, ut Præpositis faverit, quin potius eos anathemate plecti petiverit. Quis fuerit hujus controversiæ eventus, nos latet. Id tantum certum est, Regem bonorum capione coercere voluisse clericos Carnotenses, si rescripto Pontificis adversus magistratuum jura uterentur. Fortasse Præpositi Regii clericos egentes concutiebant; sed animadversio ad Regem omnino pertinebat, nec excommunicationi erat locus, præcipue cum de crimine dubitaretur, &, quod clerici de rapina damnabant, Præpositi inter salaria recenserent.

Ivo ep. 271.

Vide secundam Præfationem Marcæ §. XI.

III. Quantopere de regni dignitate tuenda sollicitus esset idem Rex Ludovicus, colligere licet ex Ivone, qui Paschalem dissuadet, ne petitioni Tornacensium clericorum det locum. Poscebant divisionem Noviomensis episcopatus, cum quo jam a tempore B. Medardi, ante quadringentos annos, Tornacensis episcopatus in unam cathedram coaluerat. Videri sibi & ceteris Episcopis Gallicanis ait Ivo vetustatem non esse convellendam; præcipue cum non adeo lauti essent illius Ecclesiæ reditus, ut duobus Episcopis sufficere possent, & *dignitas episcopalis his diebus paupertatem ferre non valeat.* Sed præcipuam rationem petit a Regis animo, quem hac divisione adeo lædendum prædicit, ut schisma in Galliis hoc Paschalis facto provocatum iri non dubitet. *Nec in hoc resistimus,* inquit, *quin possit sedes apostolica parochiarum amplitudinem minorare, aut brevitatem dilatare, si utilitas populi Dei ita exigat, & nullum inde schisma contingat.* Ostendit deinde, fovendam potius Regis benevolentiam, quam aliqua subreptione violandam. Ceterum quid schismatis nomine intelligat, docuimus capite octavo. Nempe significatum voluit Ivo, etsi divisionis decernendæ auctoritas esset penes Pontificem, tentari tamen invito Principe non debere, qui refragatione sua & dissidio executionem impediret. Jus autem dissentiendi ex duplici capite Regi competebat; tum jure tuitionis, ne vetus consuetudo & status inveteratus Ecclesiarum illo invito mutaretur; tum pleno jure regio, cum fines diœceseon & reditus Ecclesiarum regiæ jurisdictioni æque subsint, ac jura ordinationum huic vel illi Ecclesiæ assignandarum solam jurisdictionem ecclesiasticam respiciunt. Quæ adducta sunt libro secundo capite octavo e Concilio Chalcedonensi, manifestum faciunt, regium decretum his dissectionibus esse necessarium. Idque confirmari potest ex restitutione archiepiscopatus primæ Justinianæ, quæ Justiniani & Vigilii Papæ constitutionibus debetur. Eoque referri possunt exempla Regum nostrorum dicti libri II. cap. IX. prolata; qui novos episcopatus dum constitui decernunt, etsi plenum jus in his rebus non obtineant, satis tamen docent, hoc negotium iis inconsultis confici non debere; præsertim cum ad eos jus electionis agendæ aut confirmandæ, & specialis episcopatuum tuitio & *mundeburdæ* pertinerent. Unde novus ille Arisitensis episcopatus in gratiam Monderici e Rutenensi decisus est, favente Sigiberto Rege, ut testatur Gregorius Turonensis.

Vide supr. lib. 8. c. 1. §. 10.

Ivo ep. 238.

Vide secundam præfationem Marcæ §. 12.

Greg. Turon. l. 5. c. 5. 26.

In Hispaniis Gallæcia in duas provincias a Synodo Lucensi juxta Theodemiri Suevorum Regis desiderium tributa est; ita, ut nova metropolitana sedes apud Lucum sit constituta, aliquot episcopatibus ex antiqua Bracaræ metropoli recisis, & novis excitatis. Recesuinthus Rex Gothorum Lusitaniæ sedes *synodi judicio & decreto suo* antiquæ metropoli Emeritæ restituit, ut testatur disertis verbis Concilium Emeritense.

Concil. Lucense an. 569.

Concil. Emerit. c. 8.

IV. Quare non absque manifesta ratione conquerebatur Philippus Augustus Rex Francorum apud Lucium III. de consilio, quod inierat, ornandæ Dolensis Ecclesiæ in minori Britannia metropolitana dignitate, qua frueretur in ceteros Britanniæ Episcopos, quod in perniciem Turonensis Ecclesiæ cedebat. Hæc sunt Philippi verba in epistola ad Lucium; *In læsione Turonensis Ecclesiæ, quæ tempore patrum nostrorum integram Metropolitani jurisdictionem in tota minori Britannia obtinuit, regnum nostrum turpiter imminuere ac mutilare contendit Ecclesia Romana, coronam de capite nostro dejicere, frangere & pedibus conculcare. Quid enim aliud est Archiepiscopum in eadem provincia contra Metropolitanum suum & integritatem regni nostri erigere velle, quam ab hereditate patrum nostrorum nos tanquam imbecilles, resistere non valentes, ejicere & fugare? Videat Dominus & judicet, quia, si processerit factum istud, minus amodo vos æstimabimus patrem quam vitricum, minus nos sentietis filium quam privignum.* Deinde belli gravissimi, quod inter Francos & Britones exoriturum erat, causam in Lucium refundit. Itaque more decessorum suorum rata non habuit, quæ a Pontifice ad regiæ dignitatis & jurium regni imminutionem decerni timebantur. Alia ratione in eadem controversia se gesserat Nicolaus I. qui Salomoni Duci Britannorum scripse-

Stephanus Tornac. ep. 126.

Nicolaus ep. ad Salomonem an. 865.

ſcripſerat, ſedem Turonicam ab Epiſcopis Britanniæ colendam; tum, ſi qua ſupereſſet controverſia de metropoli Britanniæ, pace inter Carolum Calvum & Salomonem reſtituta, a Rege ipſo & a Duce perſpici poſſe.

V. Bonifacius VIII. primus in Gallia tentaſſe videtur epiſcopatuum diſſectiones inconſultis Regibus noſtris, Appamiarum monaſterio in Eccleſiam cathedralem erecto; cujus diœceſim e parœciis aliquot ab Eccleſia Toloſana diſtractis compoſuit anno milleſimo ducenteſimo nonageſimo quinto. Qua de re graviter conqueſtus eſt Philippus IV. Francorum Rex, ut obſervavit Nicolaus Gillius. Itaque tandem coactus eſt Bonifacius contendere a Rege literis ad eum datis anno MCCXCVII. ut executionem Archiepiſcopo Narbonenſi commiſſam non fineret per regios miniſtros impediri. Quare exiſtimandum non eſt, Joannem XXII. paucis annis interjectis Toloſanam Eccleſiam in metropolitanam dignitatem ſubvexiſſe, & quamplurimis parœciis detractis imminuiſſe, ut novos epiſcopatus illi ſubdendos excitaret, ſi conſenſu Regis deſtitutus fuiſſet, etſi ejus non meminerit in bullis ſuis. Poſteri cautiores effecti conſenſum Regis bullis adſcribi obtinuerunt, ne quis ſupereſſet cavillandi locus. Itaque tranſlatio epiſcopatus Magalonenſis in urbem Montiſpeſſulani a Paulo III. decreta fuit urgente Rege Franciſco, ut teſtatum faciunt bullæ Pontificiæ editæ anno MDXXXVI. quæ literis deinde regiis confirmatæ ſunt. Urbi regiæ Pariſiorum datum, ut epiſcopalis ſedes in archiepiſcopalem eveheretur, ſed iiſdem ſolennibus ſervatis. Unde, quæ tentata fuerat literis pontificiis abſque Regis conſenſu epiſcopatuum Graſſenſis & Vencienſis in Provincia unio, decreto ſanctioris conſiſtorii reſciſſa fuit anno milleſimo ſexcenteſimo primo. Et impedita, quam Nanceii fieri procurabat Dux Lotharingiæ, nova epiſcopatus erectio in detrimentum diœceſis Tullenſis, refragante illuſtriſſimo Cardinali Oſſato, & injuriam, quæ regno fieret, apud Pontificem non diſſimulante.

Nicol. Gillius in Annal. Franc. Eccleſ. Annal.

Vide tom. 2. Libert. Eccleſ. Gall. c.35. n.36

Cardin. Oſſat. epiſt. 280. in nova edit.

ADDITIO STEPHANI BALUZII.

QUoniam permulta obſervanda ſunt in variis locis iſtius capitis, quæ lectorem nimium diſtraherent, ſi ſuis quæque locis additiones redderentur, placuit illas ſimul heic exhibere, tanquam in loco commodiori.

Primum itaque illuſtrandus nobis incumbit Ivo Carnotenſis Epiſcopus, ex cujus inſigni loco a Marca relato patet, illum agnoviſſe ſedis apoſtolicæ poteſtatem in minoranda parochiarum amplitudine, aut brevitate dilatanda, ut ipſe loquitur, id eſt, in uniendis duobus epiſcopatibus, aut duobus ex uno faciendis. Eadem fuit ſententia Urbani II. in Concilio Claromontano: cujus verba eo lubentius referam, quod ſedis apoſtolicæ Pontificem deceant, & maxime faciant ad inſtitutum hocce noſtrum. Habentur illa in narratione monachorum Majoris-monaſterii Turonenſis de his, quæ pro libertate illius monaſterii acta ſunt in Concilio Claromontano; cujus narrationis fragmenta quædam edidit Juretus in Notis ad epiſtolas Ivonis Carnotenſis. Edita eſt autem integra a clariſſ. viro Laurentio Bochello ex veteri codice MS. qui extat in Bibliotheca Segueriana: *Poſt hæc Domnus Papa privilegium, quod nobis dederat, coram omnibus legi præcepit, concedens Archiepiſcopo Turonenſi Rodulfo, & clero ejus ceteriſque omnibus, qui fautores ejus eſſe volebant, imo etiam aliis, qui in neutra parte flectentes ſoli juſtitiæ intendebant, ut, ſi quid canonice poſſent, privilegio & auctoritati Romanæ contradicerent. Cumque illi, quos cauſa gravabat, obſtinaciter oblatrarent, qui vero ſanum ſapiebant, juſtitiæ aſſentiendo, ratione pacifica acclamarent, domnus Papa imperato ſilentio erectus in pedes, coram omni Concilio, ex auctoritate apoſtolica decretis pontificalibus certioratus eſt, licere ſibi facere ex uno epiſcopatu duos, & ex duobus unum; ſimiliter & abbatias, ceteraſque congregationes, dictante ratione æquitatis, quolibet modo ſibi melius videretur, aut coadunare poſſet aut disjungere, & quicquid in dominium & patrocinium ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſuſcipere vellet, nullus ejus auctoritati obviare poſſet. Quæ & a prædeceſſoribus ſuis facta oſtendit; & ipſe in præſenti Concilio, nullo contradicente, fecit.*

Vide Ferreoli Locrii chronicon. p.235.236. extr.

Notanda autem ſunt hæc verba, *dictante ratione æquitatis*: quæ explicanda ſunt ſecundum interpretationem Ivonis, *ſi utilitas populi Dei ita exigat, & nullum inde ſchiſma contingat*. Judicia enim a Romana ſede prolata nullius ſunt momenti, quæ ex æquitate beati Petri lata non ſunt, id eſt, quæ canonica æquitate non nituntur; ut ex Leone I. & Hincmaro adnotavit illuſtriſſimus Archiepiſcopus hoc libro IV. cap. VI. §. III.

Inſignis eſt præterea locus ille ex epiſtola CXXVI. Stephani Tornacenſis, quæ eſt Philippi Auguſti Francorum Regis ad Lucium III. Pontificem Romanum; in qua Philippus acriter conqueritur adverſus Pontificem, quod tentando erectionem epiſcopatus Noviomenſis, coronam de capite ejus dejicere, frangere, & pedibus conculcare contenderet. Eadem loquendi formula uſus erat VVillelmus II. Rex Angliæ ſub initio pontificatus Urbani II. quando Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus opem Urbani implorare ſe velle dicebat adverſus Regem. Nam iſte tum (ut in libro primo hiſtoriæ Novorum refert Eadmerus) dixit Anſelmo: *Si eundem Vrbanum aut quemlibet alium ſine mea electione & auctoritate in regno meo pro Papa ſuſcipis aut ſuſceptum tenes, contra fidem, quam mihi debes, facis, nec in hoc me minus offendis, quam ſi coronam meam mihi tollere conareris.* Unde & Epiſcopi quidam & magnates Angliæ Anſelmum adeuntes, ut ei in gratiam redire cum Rege perſuaderent, his inter cetera verbis apud eum uſi ſunt: *Veruntamen noveris totum regnum conqueri adverſum te, quod noſtro communi domino conaris decus imperii ſui coronam auferre. Quicunque enim regiæ dignitatis ei conſuetudines tollit, coronam ſimul & regnum tollit. Vnum quippe ſine alio decenter haberi non poſſe probamus.* Non ita multo poſt Ludovicus VI. Rex Francorum ad Calliſtum II. ſummum Pontificem ſcripſit, non toleraturum ſe, ut Eccleſia Lugdunenſis, quæ non eſt de regno, primatum obtineat ſuper Senonenſem; præſertim cum ſubjectio illa Eccleſiæ Senonenſis *facta ſit latenter & quaſi furtive, neſciente ſcilicet clero Senonenſi, inconſultis etiam Epiſcopis illius diœceſis, ignorante etiam Rege*. Itaque hæc ad Calliſtum ſcribit paulo commotior: *Videtur enim aliquam adhuc ſpem habere Lugdunenſis Archiepiſcopus ſuper illa, quam quærit, ſubjectione. Sed, ut verum fatear, ſuſtinerem potius regni noſtri totius incendium, capitis etiam noſtri periculum, quam hujuſmodi ſubjectionis & abjectionis opprobrium. Videtur enim ad noſtrum reſpicere contemptum, contra nos hoc modo fieri, quod nunquam extiterit factum.* Contra Philippus Auguſtus gravem ſibi injuriam regnoque fieri queſtus eſt apud Innocentium III. ſi Burdegalenſis Archiepiſcopus, qui ſub umbra dignitatis illi nuper collatæ ob conſtitutum in ea urbe faſtigium Ducatus Aquitanici altos ſpiritus induerat, contra veterem morem juſque receptum ſubtraheretur auctoritati Primatis Bituricenſis. Referenda eſt autem Philippi epiſtola, brevis illa quidem, ſed tanto Principe digna: *SANCTISSIMO in Chriſto Patri & Domino Innocentio Dei gratia ſummo Pontifici Philippus eadem gratia Rex Francorum ſalutem & debitam in Chriſto reverentiam. Eccleſia Bituricenſis, licet tenuis ſit in facultatibus, inter alias tamen regni noſtri Eccleſias exiſtit nobilior, cum, ſicut veſtra plenius novit paternitas, primatiæ obtineat dignitatem; cujus honorem noſtrum & regni noſtri proprium reputamus. Cum igitur Burdegalenſis Archiepiſcopus, prædeceſſorum ſuorum non ſequens veſtigia, ſe adeo obedientem & devotum Eccleſiæ Bituricenſi exhibere non velit, ſicut iidem prædeceſſores ſui feciſſe noſcuntur, paternitatem veſtram cum quanta poſſumus devotione rogamus, quatenus jus Bituricenſis Eccleſiæ intuitu Dei & precum noſtrarum obtentu conſervare velitis, nec ſuſtineatis, quod tantus honor regni noſtri circa hoc in aliquo minuatur, cum ſola Bituricenſis Eccleſia in toto regno noſtro primatiæ obtineat dignitatem; in cujus diminutione, quod Deus avertat, nobis & regno noſtro non mediocriter reputaremus eſſe detractum. Actum Pariſiis anno Domini MCCXI. menſe Majo.* Agebatur de Concilio provinciali: ad quod invitatus Archiepiſcopus Burdegalenſis accedere non curavit, nec pro ſe aliquem reſponſalem idoneum deſtinavit. Quam ob cauſam Bituricenſis Archiepiſcopus auctoritate primatiæ ſententiam in eum promulgavit, ſuſpendendo ipſum ab officio metropoliticæ dignitatis. Ab illa ſententia Innocentium appellavit Archiepiſcopus Burdegalenſis. Sed Pontifex illam confirmavit; ut patet ex ejus regeſli lib. XV. epiſt. XLV. & lib. XVI. epiſt. LXV. Atque hæc obiter dicta ſint ad afferendam aliquam lucem epiſtolæ Regis Philippi. Sed ut ad rem noſtram redeamus, obſervandum eſt, Reges exiſtimaſſe, convelli jura regnantium auctoritatemque deminui, ſi quid ab eccleſiaſtica auctoritate tentaretur illis invitis, neque facile toleraſſe. Quare mirandum non eſt, quod, ut adnotat illuſtriſſimus Archiepiſcopus, Philippus IV. conqueſtus eſt de præſumptione Bonifacii VIII. qui inconſulto Principe tentaverat novi epiſcopatus inſtitutionem intra regnum, monaſterio Appamiarum in epiſcopalem ſedem mutato. Facinus iſtud merito averſabatur Philippus, quod id fieret contra priſcum morem, in contemptum dignitatis regiæ. Hujus rei probationem debemus Petro de Peredo Priori de Chefa, Philippi Regis Legato apud Benedictum XI. Bonifacii ſucceſſorem. Nam Petrus ille capita accuſationum proponens anno MCCCIII. die ſexta Octobris adverſus memoriam Bonifacii hæc inter alia ſcribit: *Temporibus ſanctorum patrum, qui præfuerant, fiebant diviſiones epiſcopatuum perraræ. Et quando hoc, fiebant cum cauſæ cognitione plenaria de valore redituum, ut ſciretur, quid dandum, quid detrahendum, & quid relinquendum, & cum aliqua complacentia Regum, patronorum & populi, ad tollendum ſcandalum. Temporibus autem ipſius Bonifacii non ſic, ſed prorſus aliter.*

Epiſtola Ludovici VI. edita eſt in tom. 3. Spicilegii Dacheriani pag. 147.

Different. de Boniface p.212

Super-

Superest, ut de metropolitica dignitate Episcopo Tolosano collata differamus, & ostendamus, eam perviguisse, quia regius consensus ei novitati adjectus est post flagrantissimas Johannis XXII. literas eam ob causam scriptas ad Philippum V. Francorum Regem, quæ extant in archivo regio Parisiensi. Aliis nihilominus literis eundem Regem monuit de erectione quatuor sedium episcopalium in provincia Tolosana, & de sectione episcopatuum Albiensis & Claromontensis; simulque significavit eorum nomina, quos novis Ecclesiis præfecisset Episcopos, ut etiam in hac parte Regis gratiam eliceret, gnarus quanti in hujuscemodi negotiis faciendus sit assensus Principum. Præstat autem heic utrasque literas referre ex archivo, ut diximus, regio Parisiensi. Hactenus enim editæ non fuerunt.

LITERÆ JOHANNIS XXII. AD PHILIPPUM V. FRANCORUM REGEM, Quibus eum certiorem facit de erectione Archiepiscopatus Tolosani.

JOhannes Episcopus servus servorum Dei charissimo in Christo filio Philippo Regi Franciæ & Navarræ illustri salutem & apostolicam benedictionem. Si, prout indicit tibi, fili charissime, clari tui generis bonitas in te, ut credimus, firmissime radicata, quæcunque circa Ecclesias Christianissimi regni tui Franciæ ad Dei laudem & gloriam suique cultus augmentum ordinanda duxerimus grata gerere debes & placida, acceptabiliora nimirum tuis esse debent affectibus, dum in tuam & regni prædicti quietem providumque tutamen illorum redundat effectus. Hæcce, fili charissime, considerantes attentius, & frequenter in animo revolventes, quod in tanta multitudine populi, quanta fecundavit altissimus civitatem & diœcesim Tolosanam, singulorum vultus nequibat, ut condecet unicus pastor inspicere, aut alias partes boni pastoris implere, quodque durum existebat atque difficile in tam larga & diffusa diœcesi ad unum tantum a tot personis ecclesiasticis & mundanis recursum haberi, attendentes etiam, quod vix supererat huc usque memoria, ut ex ea, qua Tolosanensis episcopatus vigebat, opulentia copiosa redituum aliquod in Ecclesia vel diœcesi Tolosana provenisset divini cultus augmentum, imo sic ex adipe prodierat & prodibat iniquitas, ut multo jam tempore luxus, cura carnis in desideriis, evectionum pompa, numerositas clientelæ, sumptus enormes, & usus extraordinarii sibi vendicassent, quasi totum patrimonium crucifixi, & ab ipsius nostræ considerationis intuitu non excluso, quod tibi & regno prædicto, ad quorum tutam tranquillitatem afficimur, periculosum esse poterat, in adversi præsertim ingruentia temporis, in partibus illis talem habere Pontificem, qui in potentia & divitiis quasi cujusdam Regis insigne præferret, nos pro te velut filio prædilecto, necnon pro ipsarum civitatis & diœcesis populo salubre consilium capientes, debitum officii pastoralis implendo, necnon dissipando malum, quod prædictorum redituum copia excessiva produxit, & nihilominus civitatem ipsam novæ dignitatis insigniis insignire volentes, & per consequens regnum tuum speciali quadam honorificentia decorare, ipsum Tolosanum episcopatum ejusque reditus in quinque partes de fratrum nostrorum consilio per certos limites duximus dividendos, civitatem seu Ecclesiam Tolosanam, quæ sicut solemniori statu & conditione potiori præfulget, sic & est grandioris honoris titulis efferenda, in archiepiscopalem erigentes seu metropoliticam, ac in quatuor aliis partibus quatuor episcopales Ecclesias ejus suffraganeas de novo creantes, ut tantum onus partitum in plures, quod per unum procul dubio sustineri non posset, levius feratur a multis, & dum idonei erunt in unaquaque regione pastores, divino cultui insistatur uberius, piis diligentius intendatur operibus, & per sui ministerium præsulis grex subditus facilius retrahatur a noxiis & ad salutaria dirigatur, & ut insuper tanta unius potentia debiliori per divisionem hujusmodi reddita, nedum minor tibi de ipsarum concussione partium possit superesse suspicio, quin etiam evidenter occurrat de illarum fideli constantia majoris securitatis & fiduciæ plenitudo. Tu itaque, fili charissime, ordinationem nostram hujusmodi tam expedientem & utilem & tam honorabilem regno & civitati prædictis, ac ipsius efficaces rationes & causas, necnon ordinantis puram intentionem & rectam, attenta nec minus grata meditatione recogitans, ac confidenter advertens, quod per id tu & regna tuo commissa regimini multiplicatos intercessores habebitis apud Deum, nullis, quæsumus, nostra in hac parte vota, quæ indubie credimus cum divini Numinis voluntate concurrere, depravare nitentibus acquiescas; quinimo perversas suasiones talium sic prudenter rejicere, sicque viriliter studeas confutare, quod nobis gratum existere debeat, & tu proinde ab eo, cujus in hoc negotium agitur, condignum præmium reportare merearis. Datum Avinioni Nonis Julii, pontificatus nostri anno primo.

LITERÆ EJUSDEM PONTIFICIS AD EUNDEM REGEM De institutis novis Episcopatibus in Regno Franciæ, & de Episcopis ordinatis in novis Ecclesiis.

JOhannes Episcopus servus servorum Dei charissimo in Christo filio Philippo Franciæ & Navarræ Regi illustri salutem & apostolicam benedictionem. Per alias tibi, fili charissime, scribimus literas, qualiter episcopatum Tolosanum ejusque reditus in quinque diœceses de fratrum nostrorum consilio per distinguendos limites duximus dividendos, civitatem seu Ecclesiam Tolosanam in archiepiscopalem erigentes seu metropoliticam, ac in quatuor aliis diœcesibus quatuor episcopales Ecclesias ejus suffraganeas de novo creantes. Sed & nunc tibi significare providimus, nos Albiensem in duos & Claromontensem episcopatus in alios duos similiter divisisse. Ut autem de locis, in quibus constituimus episcopatus hujusmodi, ac de personis, de quibus episcopatibus providimus antefatis, notitiam habeas, scire te volumus, quod castrum seu villam de Rivis ac villas sancti Papuli & Lumberiaci quondam Tolosanæ, ac Montemalbanum quondam Caturcensis diœcesis civitates fecimus, & in earum qualibet Ecclesiam constituimus cathedralem: quarum primæ, scilicet de Rivis, de dilecto filio Magistro G. de Brocia Decano Bituricensi Consiliario tuo, viro utique, cujus genus, fidelitas & merita te non latent, secundæ, scilicet sancti Papuli, de dilecto filio Abbate ejusdem loci, viro profundæ scientiæ & fidelitatis expertæ, tertiæ vero, scilicet Lumberiaci, de dilecto filio Abbate ejusdem loci, fratre dilecti filii nobilis viri Comitis Convenarum, viro laudabilis conversationis & vitæ, & quartæ, scilicet Montisalbani, de dilecto filio Abbate ipsius loci, Cappellano nostro & causarum appellationum nostri palatii Auditore, duximus providendum. Castras autem quondam Albiensis & villam sancti Flori quondam Claromontensis diœcesis similiter fecimus civitates, & in earum qualibet Ecclesiam constituimus cathedralem: quarum primæ, scilicet Castrensi, de dilecto filio Abbate Latiniacensi Magistro in Theologia, reliquæ vero, scilicet sancti Flori, de Abbate sancti Tiberii decretorum Doctore, Capellano nostro providimus, viris utique genere nobilibus & morum honestate præclaris, qui omnes de regno tuo Franciæ oriundi, & fidelibus regni progeniti, regiorumque commodi & honoris fervidi zelatores existunt. Hæc, fili dilectissime, fecimus intendentes in iis Dei honorem & gloriam suique nominis cultum extollere, animarum procurare salutem, & tuam & regni tui tranquillitatem, securitatem & pacem, ac commodum evidens promovere. Datum Avinioni VII. Idus Julii pontificatus nostri anno primo.

CAPUT XIV.

De regni Galliæ libertate propugnata a Philippo IV. ubi etiam obiter quædam de Treuga & pace adjiciuntur.

SYNOPSIS.

I. Philippus Augustus nihil licere voluit Romano Pontifici in administratione regni. Interdictum se non observaturum dixit, si quod a Legato ferretur ob pacem cum Anglo repudiatam, e Rogerio & Matthæo Paris. Proceres regni monent quoque eundem, Philippum ne fœdus ineat cum Anglo per coactionem D. Papæ. Philippus IV. ad inducias cum Anglo per excommunicationes cogi a Pontifice passus non est. In temporalibus *se nemini subjici profitetur; in* spiritualibus *pariturum* in quantum *debet.*

II. Has induciarum indictiones a Pontificibus factas non caruisse prætextu probabili. A treuga & pace, quæ erat inducta in bellis privatis, argumentum ductum ad bella publica. Fœda strages e bellis privatis. Induciæ illis indictæ ab Episcopis & proceribus regni; quæ dicta est Treuga domini, *e Glabro, qui explicatur in voce* Vadimonium. *Bella privata legibus mediæ ætatis tolerata.*

III. Induciæ illæ decretæ a Principibus & Episcopis, excommunicationibusque munitæ. Deinde a Conciliis confirmatæ. Cur dictæ Pax & Treuga. *Induciarum violatarum cognitio ad Episcopos & proceres; qui ex pactis conventis cogi poterant excommunicationibus ad persequendos raptores. Pacis violatores excommunicati & proscripti ab utraque potestate occidi poterant impune a quolibet privato. De hoc solo genere excommunicatorum intelligendus Urbanus II. apud Gratianum.*

IV. Superius dicta trahi non possunt ad bella publica a Regibus indicta. Belli gerendi potestas eos eximit a censuris latis in deprædatores. Quia ad summum dubia res est, an bellum sit injustum; ideoque cessat jus excommunicandi, maxime in iis, quæ respiciunt jus regium. Jura Principum excepta ab induciis privatis. Bella privata vetita B. Ludovici edicto; sed penitus recisa constitutione Philippi IV.

V. Maxima Regum auctoritas in negotio pacis fractæ. Eorum jussu restitui poterant communioni raptores, quos Episcopi eam ob causam excommunicaverant, ex Ivone; qui adducit locum e Capitularibus petitum de culpatis a Rege in gratiam susceptis.

VI. Agitur de explicatione famosi illius loci. Petitus est e Concilio Toletano XII. cujus Concilii hæc est sententia; excommunicatos ob crimen majestatis, si a Rege indulgentiam promeruerint, ab Episcopis quoque communioni ecclesiasticæ restituendos. Hoc tractum in Gallia ad pacis infractores. Pœna canonica dimittebatur, non autem peccatum deprædationis, ex Ivone.

VII. Ante Concilium Toletanum Regis venia in crimine majestatis pœnitentiam ab Episcopis indictam solvebat; ut patet ex facto Prætextati, qui Ecclesiam suam recepit post convivium Regis; quia non fuerat dejectus a Synodo Parisiensi, sed tantum pœnitentiæ addictus. Hæc indulgentia Regis ad omne crimen publicum trahi videtur a Capitularibus. Hodie, post abolitam pœnitentiam publicam, inutilis illa potestas.

VIII. Privilegium Regibus nostris indultum, ne incidant in sententiam ob commercium cum excommunicatis fulciri potest usu illo antiquo.

ADDITIO] *De Treuga & Pace nonnulla adferuntur non indigna scitu. Concilium Tulugiense habitum eam ob causam; itemque Synodus Helenensis, & Concilium Narbonense. Tum etiam Concilium apud sanctum Ægidium & Trojanum. Quæ omnia nuspiam antehac edita fuerunt.*

I. ADministrandi regni sui communionem denegavit Philippus Augustus Romano Pontifici, cum ab Joanne Anagnino Cardinali ad pacem cum Henrico Rege Angliæ ineundam ex auctoritate sedis apostolicæ invitatus, Legati minas, qui interdicto lato in universum regnum Regis contumaciam se castigaturum minabatur, hac responsione repulit, ut referunt Rogerius Hovedenus & Matthæus Paris: *Quod sententiam suam non timeret, nec teneret, cum nulla æquitate niteretur. Dicebat enim, quod non pertinet ad Ecclesiam Romanam in regnum Franciæ per sententiam vel alio modo animadvertere, si Rex Franciæ in homines suos demeritos & regno rebelles causa injurias suas & coronæ dedecus ulciscendi insurgit.*

Rogerius Hoveд.ad an.1189. Matthæus Paris in Henrico II. Vide Raynaldum ad annum 1204. §.55.57.

Cum idem Philippus anno MCCIII. ad pacis fœdus amplectendum cum Joanne Rege Angliæ ab Innocentio urgeretur, Odo Dux Burgundiæ & proceres regni alienum a dignitate Regis esse rati, ut Rex Pontificis imperio ad paciscendum de pace aut induciis cum Anglo cogeretur, consilio suo Philippum monuerunt, ne se ad illa obsequia demitteret, seque totis viribus, si quid contra tentaretur, obstituros. Vestigia decessorum suorum premens Philippus IV. anno MCCXCVII. prudenti responsione dignitati suæ cavit, cum indictis a Bonifacio VIII. ad biennium induciis inter ipsum Regem & Romanorum Angliæque Reges, & excommunicationis sententiis adversus refragantes latis, non acquievit, administrationem regni sui, quæ a suo solius arbitrio *quoad temporalia* penderet, nemini concessurum aut submissurum professus, sed jura regni sui fortiter tuiturum adversus hostes, quos sententiæ excommunicationis potius implicent quam Regem. In iis vero, quæ *spiritualia* contingunt, se more decessorum suorum, ut devotum sedis apostolicæ & Ecclesiæ filium, *in quantum tenetur & debet*, monitionibus & præceptis Pontificis pariturum.

C.7.N.2. T.24. Libert. *Vt neque pacem, neque treugam faciat Regi Angliæ per violentiam vel coactionem Domini Papæ.*

C.7.N.12. T.2. Libert. *Regimen temporalitatis regni sui ad ipsum Regem solum & neminem alium pertinere, seque in eo neminem superiorem recognoscere.*

II. Quin plures futuri sint, qui has induciarum indictiones audaciæ adscribant, non dubito. Attamen si quis mores illius seculi investigaverit, ut Regum causæ favebit, ita pro textu satis probabili Romanos Pontifices non omnino fuisse destitutos inveniet. A pace & treuga, quæ Conciliorum decretis inducta erat in bellis privatis, quæque censuris ecclesiasticis muniebatur, ad inducias in bellis publicis indicendas ipsis regibus argumentum traxerunt. Bella privata, quæ pondere & pudore legum comprimebantur, Romanis rempublicam tenentibus, per Gallias & ceteras Europæ regiones grassata sunt, cum duris exterarum nationum moribus ferrum lentis fori ambagibus successit, & juri publico aperta privatorum injuria. Tunc enim quisque suam suorumve injuriam non in jure coram judice, sed ferro manuque persequebatur; adeo ut, etsi his inimicitiis, quas *faidas* vocabant, & leges Longobardorum & Capitularia Regum modum præscriberent, tamen ingravescente in dies morbo, cædibus, deprædationibus & incendiis respublica fœdissime vastaretur. His incommodis prospicere Gallicani Episcopi curarunt, non extincto quidem nefando illo bellorum privatorum usu, sed represso per inducias, quæ aliquot dies otiosos a cædibus redderent sacratosque religionis prætextu. Anno MXXXIV. Episcopi & proceres provinciarum in Aquitania primum, deinde per reliquas Gallias, decreto suo privatis bellis inducias indixerunt sub nomine *Treugæ Domini* a Mercurii suprema die usque ad diluculum diei Lunæ subsequentis, ea lege, ut nemo ab inimico ultionem exigeret, nemo prædaretur, nec etiam a fidejussore pignus tolleret; pœna capitis, aut exilio, & excommunicatione, in rebelles irrogatis. Rodulphus Glaber meminit hujus institutionis; quam cetera quidem apertissimis verbis descripsit, sed pignus ablatum e domo fidejussoris (*) *Vadimonium* vocat, Latina dictione, quamvis significatione barbara. Quod

De Faidis vide Glos. Lindenbrochii & Spelmanni, R. P. Jac. Sirm. ad Capit. Caroli Calvi.

Glaber.l.5.c.1.

(*) Antequam ultra progrediatur oratio, lubet heic paulisper remorari lectorem; non quod hæc additio nostra tanti sit, ut avocare quemquam debeat a studio rerum pulcherrimarum; sed ut solent liberales ac sciti convivatores, qui lactucas interdum ferculaque non admodum exquisita præbent convivis suis, tantum, ut irritatior fiat meliorum ciborum appetentia. Itidem mihi visum est eruditis præstantissimi scriptoris observationibus memet inserere & lectorem tantisper ab earum lectione retardare, mihi gratiam habiturum, quod spatium ipsi tribuerim ad colligendas ingenii vires. Quamquam mea hæc additio etiam non injucunda videri poterit iis, qui istius eruditionis sunt curiosi, quique singulares quasque observationes testimoniis veterum fultas lubenter conspiciunt. Quod eo gratius erit hoc loco, quod vir doctissimus in vocis *vadimonium* interpretatione lapsus sit, quemadmodum observavit illustrissimus Archiepiscopus. Itaque adferam aliquot testimonia, quibus ostendam, vadimonium significasse olim pignus, quod nos Galli vocamus *gage*. Nullum ad eam rem probandam testimonium afferri potest illustrius, quam hic locus ex epistola Fulberti Episcopi Carnotensis, qui eadem cum Glabro ætate vivebat; cujus hæc sunt verba in tomo secundo Spicilegii Dacheriani pag. 829. *Sed neque licitum est de Ecclesiæ tutela vasa sacra abstrahere & aliquorum manibus loco vadimonii tradere.* Infra pag. 831. *Sed incongruum est, ut in vadimonium ponatur.* In veteri Chartulario Ecclesiæ Cadurcensis extant acta quædam confecta Urbani II. pontificatu, ex quibus constat, vocem illam tum in eadem significatione usurpatam fuisse. Nam Gerardus Episcopus Cadurcensis narrans, quomodo Ecclesia de Monte dominico pervenerit in manus laicorum, ita loquitur :

Card. Baron. ad annum 1034. §. *VI. & VII.*

Quod fraudi fuit illustrissimo Annalium ecclesiasticorum conditori, qui de strepitu fori hic agi putavit & de privatis dissensionibus, quas, si justæ sint, unaquaque die persequi liberum erit, vel deserere necessarium, si fuerint injustæ; hocque nomine Gallicanos Episcopos traducit. A qua reprehensione sibi temperasset, si confirmatas a quatuor Conciliis generalibus has inducias animadvertisset, & relatas in librum Decretalium sub titulo *de Treuga & Pace*; cujus usum & Glossa & juris canonici interpretes abrogatum esse ajunt, hacque sola observatione satisfecisse putant. Bella isthæc privata nec legibus probata erant, nec omnino damnata; imo, vero, si provocatio, vel potius, ut illius seculi verbo utar, si *diffidatio* præcessisset, pro jure constituto habebantur; ita, ut in adversarium cæde, prædis & incendiis grassari liceret, ut docent Ivo, Friderici I. & Conradi leges. A quibus bellorum injuriis abstinendum erit diebus Jovis, Veneris, Sabbati & Dominica, quos sub finem vitæ præcipuis salutis nostræ mysteriis Dominus consecravit.

Eas etiam confirmavit Nicolaus II. in decretis suis c. 1.

Ivo ep. 173. Fridericus apud Abbatem Ursperg. Conradus cap. 10. Bullæ aureæ.

III. Decretæ autem fuerunt induciæ istius modi non solum ab Episcopis, sed etiam a proceribus cujusque diœceseos, ut diserte docent Glaber & Ivo; ut patet ex treugæ istius constitutione, quæ lata est in Anglia & Normannia ex consensu Episcoporum & Baronum a Guillelmo I. Rege anno MLXXX. apud Ordericum Vitalem, & a Raimundo Berengario Comite in Barcinonensi Comitatu anno millesimo sexagesimo. Recepta sunt & amplificata isthæc decreta a Concilio Claromontano sub Urbano II. anno MXCV. a Romano sub Paschali II. anno MCII. a Lateranensi sub Innocentio II. anno MCXXXIX. & ab altero Lateranensi sub Alexandro III. anno millesimo centesimo octuagesimo. Hoc solum discrimen interest inter primam induciarum institutionem & confirmationem, quod a Conciliis festi dies quamplurimi quatuor illis singularum hebdomadarum diebus adjecti fuerint, & a Concilio Lateranensi sub Innocentio II. incendiorum devastatio prohibita. Observandum vero, *Pacem & Treugam* dici hanc a bellis privatis feriationem, quod ratione clericorum omnium, peregrinorum, mercatorum, agricolarum cum bobus aratoriis, dominarum cum sociis suis inermibus, mulierum omnium, rerum ad clericos monachosque pertinentium, & molendinorum, pax ista omni tempore indulta est; ratione ceterorum, treuga tantum, id est, induciæ aliquot dierum. Sane fatendum est, excommunicatione mulctatos fuisse pacis vel treugæ violatores & ad resarciendum damnum læso coactos. Sed Episcopi & Comitis hæc erat cognitio ceterorumque Baronum: qui tamen, si cessarent a persequendo armis raptore, excommunicationibus & interdictis ad officium, quo se obstrinxerant, adigebantur; ut vice versa eis, qui contra pacis perturbatores decertarent, duorum annorum pœnitentia indulgebatur, aut plurium, ad arbitrium Episcopi, pro modo laboris. Si raptores istos pacisque violatores ab utraque potestate proscriptos occidi contingeret a quoquam privato, *zelo justitiæ*, non homicidii pœna canonica & ordinaria, sed leviori & remissiori satisfactione culpam illam diluendam docet Urbanus II. qui de hoc solo genere excommunicatorum intelligendus est, non autem de omnibus excommunicatis, ut quidam sibi male feriati persuaserunt. Cujus interpretationis eo lubentius hic memini, quod ea levari posse mihi videatur invidia, quæ ob textum hunc male intellectum creari solet adversus summos Pontifices.

Glaber. l. 4. c. 5. Ivo epist. 90. *Trevia Dei non est communi lege sancita; pro communi tamen utilitate hominum, ex placito & pacto civitatis & patriæ, Episcoporum Ecclesiarum est auctoritate firmata.* Ordericus l. 5. Hist. Norm. Usatica Barcin.

Apud Gratianum cap. *Excommunicatorum*, 23. q. 5.

IV. Sed hæc omnia trahi non possunt ad bella publica, quæ a regibus, ut res suas repetant, aut reipublicæ injuriam illatam ulciscantur, indici solent. Etenim belli gerendi potestas, quæ a Deo Regibus collata est in veteri instrumento, & in Principes Romanos disertis verbis lege regia translata, Reges liberos præstat ab excommunicatione, quæ in deprædatores & alienorum bonorum invasores a canonibus irrogatur. Quia excommunicationi locus non est, etiam in privatis personis, nisi cum de crimine manifesto & aperto agitur, non autem cum dubitatur de crimine, ut docuit olim Hincmarus ex Augustino. Porro sola belli a Principe indicti ratio id saltem obtinere debet, ut justitia niti præsumatur: præcipue cum regia dignitas in munere regio exercendo nullius judicio sit obnoxia, sed soli divino Numini se submittat. Quare in ipsa pacis & treugæ promulgatione jura Principum conceptis verbis excipiuntur; ut patet ex indictione pacis & treugæ a Guillelmo Archiepiscopo Auscitano Legato sedis apostolicæ post Concilium Romanum anno MCII. publicata: *Principibus autem & dominis terrarum jura sua & consuetudines non contradicimus in terris suis.* Deinde pacis illius infractæ cognitio Episcopis commissa erat de Comitum & diœcesanorum consensu; quæ ex pactis conventis legem accipere debet, ut scripsit Ivo Canoni Legato; imo & Comitibus Baronibusque diœceseos pars illius cognitionis competebat. Quæ omnia cum bellis publicis comparata discrimen apertum inter utraque constituunt, & jus indicendarum Regibus induciarum, quod ex hac comparatione peteretur a Romanis Pontificibus abdicant. Bella ista privata a Ludovico immortalis memoriæ Principe vetita quidem; sed rediviva Philippus IV. constantissimus Princeps constitutione sua Tolosæ edita in perpetuum resecuit anno MCCCIII.

Hincmar. t. 2. pag. 171. 495.

Guilelmi Archiep. Auscit. constitutio edita est in Hist. Benear. l. 5. c. 14. Sed lapsus est hoc loco Marca. Nam constitutio illa condita non fuit an. 1102. sed circa ann. 1140. post Concilium Later. Innocentii II.

Ivo ep. 266.

V. Ceterum quantam sibi potestatem in violatæ pacis negotio Reges Galliarum assererent, colligi potest ex Ivone; qui consultus a Daimberto Senonensi Archiepiscopo, an jubente Rege communionem restitueret cuidam *raptori & sacrorum dierum* violatori, id est, infractæ legis publicæ reo, quæ diebus solennibus præcipue servanda erat, ut dixi, respondet, recte quidem excommnunicatum videri, attamen, ne Regis animus lædatur, dispensatione utendum esse, maxime, *quia rerum temporalium dispensationes Regibus attributæ sunt*, quare si potestate sibi concessa abutantur, monendos quidem esse, sed non exasperandos, divinoque judicio relinquendos. Unde concludit, restituendam reo communionem ecclesiasticam, laudato famoso illo loco e Capitularibus petito: *Si quos culpatorum regia potestas aut in gratiam benignitatis receperit, aut mensæ suæ participes effecerit, hoc & sacerdotum & populorum conventus suscipere ecclesiastica communione debebit; ut, quod principalis pietas recipit, nec a Sacerdotibus Dei extraneum habeatur.*

Ivo ep. 171.

Vide t. 2. Capitular. p. 1295.

VI. Quæri solet, quæ sit hujus loci ab Ivone laudati sententia, an in universum omnibus excommunicatis sit reddenda communio, quos Rex gratiæ suæ participes fecerit, an vero hæc indulgentia certa quadam specie contineatur. Sane canon

Cujus Ecclesiæ possessio præterito tempore in Cadurcensis Ecclesiæ dominio diutissime habita, moderno vero, nescio cujusmodi occasione, a Bernardo Episcopo ac quibusdam seculariter viventium clericorum alienæ potestati præsumptione pro vadimonio supposita, & sic in laicarum manus deducta personarum. Cosmas Decanus Pragensis in libro tertio Chronicæ Boemorum pag. 57. *Item ejusdem Ecclesiæ V. pallia cum limbis Ratisbonæ ad Judæos sunt posita in vadimonio pro quingentis marcis argenti.* Ordericus Vitalis lib. III. pag. 474. *Anschetillus reatum suum palam confessus, vadimonium Abbati Theoderico dedit.* Ludovicus VII. Francorum Rex in literis de concordia inita anno MCLIII. inter Godefridum Episcopum Lingonensem & Odonem Ducem Burgundiæ, quæ extant in Chartulario Ecclesiæ Lingonensis. Illic ergo Episcopus hæc inter cetera ait adversus Ducem: *Quæro etiam villam Brasi & aliam, quæ dicitur sanctus Johannes, quas in vadimonio tenet sine assensu nostro, cum sint de nostro feudo.* Cæsarius Heisterbachcensis lib. XII. cap. XII. *Erat autem in proximo manens Miles quidam dives & honestus, ministerialis tamen. Hic juvenis jamdictus allodia sive feuda sua partim vendebat, partim in vadimonio exponebat.* Vide illustrissimum Archiepiscopum in historia Benearnensi lib. V. cap. XIV. §. VI. & cap. XXXI. §. VIII. & Reginonem lib. I. cap. LXXXI.

canon tertius Toletani Concilii XII. (cujus verba transcripta sunt in Capitularium libros, & e Capitularibus ab Ivone variis in locis prolata) hanc sententiam reddunt, eos, qui regni pacem læserint, statumque patriæ gentis Gothorum turbaverint, eaque de causa anathemate ab Episcopis proscripti, (quemadmodum decretum est Concilii Toletani IV. canone LXXIV.) si postea Regis indulgentiam promeruerint, (cujus arbitrio horum criminum venia reservata erat canone VIII. Concilii Toletani V.) eos, inquam, ab Episcopis excommunicatione illa publica solvi debere & communione ecclesiastica donari. Hæc sunt verba Concilii Toletani XII. *Et ideo, quia remissio talium, qui contra Regem, gentem, vel patriam agunt, per definitiones canonum antiquorum in potestate solum regia ponitur, qui & peccasse noscuntur, adeo nulla se deinceps a talibus abstinebit sacerdotum communio; sed quos regia potestas &c.* Quare dubitandum non erat, quin ex hoc Concilii Toletani decreto liberum esset Regi Francorum, pacis publicæ infractoribus veniam criminis, quod statum Reipublicæ lædebat, indulgere; quam sequi debebant Episcopi in solvenda pœna ecclesiastica. Quod ita intelligendum est, ut pœnitentiæ publicæ & pœnæ canonicæ indulgentia tribueretur, non autem peccatum quoad Deum dimitteretur, nisi reus aliunde in gratiam cum Deo rediret, ut docet Ivo. Hac indulgentia usus erat Ivo ipse erga Gervasium violatæ pacis reum, quem communioni ecclesiasticæ reddidit in *Curia Paschali*, id est, in conventu regni ad diem Paschatis a Rege Philippo I. indicto. Quod se fecisse pro regia honorificentia, fretum auctoritate legis suprascriptæ, testatur.

Conc. Tol. IV. c. 75. anno 633.

Concil. Tol. V. can. 8. an. 641. *In his omnib[us], quæ præmisimus, potestatem indulgentiæ in culpis delinquentium Princip. reservamus.*

Ivo ep. 171.

Ivo ep. 62. cui junge ep. 266.

VII. Simile aliquid occurrit in Gallia ante Concilii Toletani tempora. Prætextatus enim Rothomagensis Episcopus a Chilperico Rege delatus inter reos læsæ majestatis apud synodum Parisiensem anno DLXXVII. cum crimen per calumniam sibi impactum spe veniæ proposita confessus esset, excidit quidem a communione, licet sacerdotio dejectus non fuerit, Bertchramno his verbis eum alloquente: *Quia Regis gratiam non habes, ideoque nec nostra charitate uti poteris, priusquam Regis indulgentiam merearis.* Post aliquot annos a Rege Guntchramno *susceptus, & convivio ejus adscitus, ad urbem suam regressus est*, nullo synodi judicio habito, quia ei tantum pœnitentia erat præscripta; ut Ragnemodus Parisiensis urbis Episcopus suggessit Regi, teste Gregorio Turonico. Quæ pœnitentia soluta est sola venia Regis. Itaque ex usu antiquo Gallorum, & ex verbis Concilii Toletani & Ivonis, ad speciem, quæ proposita erat de crimine læsæ & violatæ reipublicæ, restringitur necessitas illa dandæ veniæ episcopalis post Regis indulgentiam. Quod tamen intra hos fines coerceri non debere videtur ex sententia Capitularium; quæ indefinite de *Culpatis*, id est, de reis omnibus, Concilii verba accipiunt, dempta præfatione canonis III. Toletani, quæ ad læsæ majestatis reos generalia decreti verba constringit. Unde titulus illius capitis ita conceptus est apud Ivonem in Decreto; ut de reis omnibus capienda sit Capitularium legum sententia: *Ut, quos regia potestas in gratiam receperit, his etiam minores potestates communicent.* cap. 383. *Si quos culpatorum.* Quæ interpretatio si recipiatur, ad crimina ecclesiastica porrigenda non erit, nec locum obtineret, nisi cum ex denegata ecclesiastica venia Regis animus læderetur. Hodie, abolito pœnitentiæ publicæ usu, non perspicio, qua ratione apud nos huic definitioni locus esse possit. Si quis enim hoc trahere vellet ad confirmandam auctoritatem regiam, qua magistratus utuntur in declarando excommunicationum abusu, fœda confusione omnia misceret, scilicet veniam & indulgentiam criminum, quæ a mera liberalitate Principis proficiscebatur, cum jurisdictione & discussione abusus, quæ formulis canonum & legum adstringitur, & in causæ cognitione consistit, ut taceam de aliis discriminibus.

Greg. Tur. l. 1. cap. 19.

Greg. Turon. lib. 7. cap. 16.

Ivo Decreti parte 16. cap. 344. e lib. VII. Capitularium cap. 383.

VIII. Attamen veteris illius juris reliquiæ superesse videntur in eo privilegio, quod una cum ceteris indultum olim Regibus nostris a Joanne XXII. renovatum fuit anno MCCCXVII. ad petitionem Regis Philippi V. cognomine Longi, opera Magistri Radulphi de Praelis in eam rem delegati; cujus privilegii summarium his verbis conceptum est in antiquo regesto: *Item, quod Dominus Rex pro participatione cum excommunicatis non incurrat sententiam.* Quo quidem privilegio nulla necessitas solvendæ excommunicationis Episcopis ob Regis commercium cum excommunicatis imponitur, sed a censuris, quæ in participes excommunicatorum feruntur, Rex liber & immunis esse declaratur.

E Regestis Cameræ Comput. Paris. *Hoc privilegium deinde communicatum est clericis & ministerialibus regiis Bullæ Clementis VI. quæ edita est in t. IV. Spicilegii Dacheriani pag. 283.*

Inducias illas, quæ vulgo Treuga & Pax dicebantur, ubique decretas fuisse, non solum ab Episcopis, sed etiam a proceribus, cujusque regionis, adnotavit supra vir illustrissimus, afferens etiam Barcinonensium exemplum. Nos vero in prima, quam procuravimus, istarum dissertationum editione nonnulla illorum temporum monumenta, quæ docerent, in eadem ora maritima Hispaniæ Tarraconensis & Galliæ Narbonensis sancitam fuisse treugam & pacem ab Episcopis & proceribus, in publicum emisimus, Concilium videlicet Tulugiense apud Ruscinones, synodum Helenensem sub Oliba Episcopo Ausonensi gerente vices Berengarii Episcopi Helenensis, tunc temporis in partibus transmarinis peregrini, Concilium Narbonense habitum anno MLIV. Excerpta Concilii apud sanctum Ægidium in prima Narbonensi habiti anno MLVI. & Concilium Trojæ in Apulia celebratum ab Urbano II. anno MXCIII. Sed quonam demum anno habitum fuerit istud Concilium Tulugiense, non adeo exploratum habetur. Animus olim fuerat, eam synodum revocare ad annum MXLV. quod viderem, eo anno Guifredum Archiepiscopum Narbonensem, & Olibam Episcopum Ausonensem peregisse consecrationem Ecclesiæ sancti Michaelis Fluvianensis apud Emporitanos, huicque consecrationi adfuisse Toncium Comitem Emporitanum. Videbam præterea, Gauzfredum Comitem Ruscinonensem, qui ea omnino ætate vivebat, subscripsisse actis illius dedicationis a Guifredo & Oliba confectis. Atque ut etiamnum in ea sententia perstem istud facit, quod Oliba Episcopus Ausonensis, cujus decretum in synodo Helenensi editum confirmat ea, quæ ab Episcopis in prato Tulugiensi congregatis statuta fuerant de treuga & pace, mortuus est anno MXLVII. ut fidem facit vetus auctor MS. *De gestis Comitum Barcinonensium.* Præterea Guillelmus Comes Bisuldunensis, qui Tulugiensi Concilio interfuit, obiit anno MLII. ut fidem facit idem vetus auctor. Demum acta Concilii apud Narbonem habiti anno MLIV. loqui videntur de institutionibus Concilii Tulugiensis. Hæc inquam suadent, Tulugiense Concilium fuisse habitum anno MXLIV. uti dicebamus. Sed ne ita sentiamus, faciunt multa. Primum Raymundus nondum erat Helenensis Episcopus, utpote, qui circa annum tantum MXLIV. ad eam cathedram pervenit. Nam certissimis testimoniis compertum habeo, Berengarium fuisse Episcopum Helenensem ab anno saltem MXXXII. usque ad annum millesimum quinquagesimum tertium, huic successisse Arnaldum, qui anno MLVI. interfuit Concilio Tolosano & dedicationi Ecclesiæ Barcinonensis anno MLVIII. XIV. Kal. Decembris. Arnaldo successit Berengarius, quem Helenæ sedisse reperio anno MLVIII. IV. Idus Decembris. Post Berengarium denique video Raymundum Helenensem Episcopum fuisse annis MLXIV. & MLXXXIV. XIV. Kal. Junii. Istis argumentis probari puto, Concilium Tulugiense non fuisse celebratum anno MXLV. quandoquidem Raymundus, qui synodo interfuit, vigesimo tantum circiter post anno ad Helenensem cathedram pervenit. Præterea Berengarius Episcopus Gerundensis, qui Concilio item Tulugiensi interfuit, anno tantum ML. factus est Episcopus, (ut adnotavit Franciscus Didacus in cathalogo Episcoporum Gerundensium,) adeoque anno MXLV. interesse non potuit huic Concilio Tulugiensi, ut Episcopus Gerundensis. Sed si ita stat sententia, quid faciemus decreto Olibæ Episcopi Ausonensis, qui in actis synodi Helenensis disertam mentionem facit eorum, quæ de treuga & pace statuta fuerant ab Episcopis, qui convenerunt *in Comitatu Rossilionense in prato Tulujes?* An dicemus, Olibam loqui de superiore quodam Concilio Tulugiensi, in quo actum fuerit de treuga & pace? An vero decretum illud Olibæ dicemus esse falsum ac supposititium? Prorsus difficilem esse rem video, & cui explicandæ opportunior alibi fortassis erit locus. Superest igitur, ut eadem vetera monumenta, quæ, uti dicebamus, in prima editione istarum dissertationum emisimus in publicum, heic quoque rursum edamus; si prius monuero lectorem, Tulujas oppidum esse agri Ruscinonensis, haud procul Perpiniano, tertio videlicet ab ea urbe milliario, quod circa annum DCCCLXXX. vocatur *villa Tulujes*, & *de Tulugiis, in comitatu Russilionensi*, ut fidem faciunt acta vetera, quæ extant in Chartulario Ecclesiæ Helenensis. Hodie vocatur *Tulujas* ab incolis illarum partium.

Vide lib. 4. Marcæ Hisp. pag. 444.

De Con-

De Concilio porro Trojano, quod heic quoque edi voluimus, admonendum putavi, descriptum illud fuisse in registro Urbani II. ut testantur Ivo parte IX. cap. LIII. & duæ vetustæ canonum collectiones, quarum una fuit illustrissimi viri Petri de Marca Archiepiscopi Parisiensis, alia clarissimi viri Claudii Puteani. Quæ postrema collectio extat hodie in bibliotheca regia. Celebratum autem fuit hoc Concilium anno MXCIII. mense Martio, ut constat ex his, quæ nunc edimus, & ex bulla quadam Urbani, quæ extat in archivo Archiepiscopi Narbonensis, data Trojæ XIV. Kal. Aprilis anno MXCIII. Frustra porro sunt, qui duo Concilia Trojana ab Urbano II. celebrata fuisse existimant. Codex enim Anianensis, qui nunc extat in bibliotheca Colbertina, canones Trojanos uni synodo adscribit, quod verum esse subodoratus est illustrissimus Cardinalis Baronius. Gerardum autem Episcopum Trojanum fuisse per illas tempestates, patet ex Chronico Cavensi, quod Ferdinandus Ughellus edidit in catalogo Archiepiscoporum Salernitanorum, itemque ex subscriptionibus privilegii monasterii Cavensis apud Baronium ad annum MXCII.

CONCILIUM TULUGIENSE
habitum sub Guifredo Archiepiscopo Narbonensi.

HÆc est treuga & pax confirmata ab Archiepiscopo Narbonensi Domno Guifredo, & a Berengario Gerundensi Episcopo, & a Domno Raymundo Helenensi Episcopo & a Comitibus Russilionensium, Domno scilicet Gauzfredo & Guilaberto filio ejus, & a Domno Poncio Impuritanensi Comite, & a Domno Guillelmo Bisuldunensium Comite, & a Domno Raymundo Cerritanensium Comite, & a Domno Gauzberto Vicecomite de Castronovo, cum ceteris magnatibus Helenensis episcopatus, in Tulugiensi prato, quod est in comitatu Rossilionis. Constituerunt namque prædicti Pontifices, cum consensu ceterorum nobilium, ut in comitatu Russilionensi, vel Confluentano, vel Vallispiriensi, ullus homo Ecclesiam non infringat, neque cimiteria vel sacraria XXX. passuum ecclesiasticorum in circuitu uniuscujusque Ecclesiæ, nisi Episcopus propter hominem excommunicatum, aut propter suum censum. Si vero aliquis homo aliter infregerit Ecclesiam vel spatium XXX. passuum ipsius Ecclesiæ in prædicto episcopatu Helenensi, quicquid ei commiserit, emendet, ut justum fuerit ipsi homini, cui injuriam fecerit, & Ecclesiæ, in qua fecerit, satisfaciat legaliter, & insuper compositionem sacrilegii Helenensi componat Episcopo. Ecclesias vero illas, ubi castra fuerint constructa, sive ubi fures vel rapaces congregaverint furta vel prædam vel malefacta, tamdiu posuerunt eas jamdicti Episcopi in defensione præscriptæ pacis, quousque querimonia prædictarum Ecclesiarum deferatur Helenensi Episcopo, & ejus judicio aut juste emendetur, quod in ipsis Ecclesiis commissum fuerit, aut ab eodem Episcopo ipsæ Ecclesiæ a defensione prælibatæ pacis separentur. Iidem Episcopi præfati constituerunt, ut in jam dicto episcopatu Helenensi nullus violenter infringat dominicaturas Canonicorum vel monasteriorum, neque aliquid rapiat inde. Clericum vero arma non ferentem, vel monachum; vel sanctimonialem, sive viduam, nemo apprehendat, nec illis aliquid injuriæ inferat. Villanum neque villanam nemo apprehendat, nisi propter culpam, quam ipse villanus vel villana fecerint. Et si eos apprehenderit, non distringat nisi per directum. Et, ut prædam nemo faciat in jamdicto episcopatu de equabus vel pullis sive mulis earum ætatis unius anni, neque de bobus, neque de vaccis, sive vitulis earum, neque de asinis vel asinabus sive pullis earum, neque de ovibus, arietibus, hircis, capris, sive earum fœtibus. Mansiones villanorum nemo incendat, neque evertat. Terras in contentione positas nullus villanus laboret, postquam commonitus fuerit ab eo, in quo justitia placiti non remanserit. Si vero ter commonitus, postea ibi laboraverit, & propterea damnum acceperit, non requiratur pro pace fracta. Si quis autem fidejussor extiterit, si fidem non portaverit, de suo proprio pignoretur, nec pro pace fracta habeatur. Si quis autem prædictam trevam & pacem infregerit, simpla tantum compositione emendet illi, cui infregerit infra primos XV. dies. Si vero infra primos XV. dies simpliciter non emendaverit, compositionem mali, quod intulit, in duplo componat; ita, ut medietatem istius duplæ compositionis habeat querelator, & alteram medietatem habeat Episcopus & ipse Comes, qui adjutor fuerit eidem Episcopo ad hanc justitiam faciendam. Si quis autem prædictam pacem vel trevam, * & inde justitiam facere noluerit, infra XV. dies, quod querelator suam querelam præsentaverit ante Episcopum, & ejusdem clericos ac Comitem, ipse malefactor & consiliatores & adjutores ejus emendare noluerint, egrediantur a treva & pace, & malum, quod propter hoc illatum fuerit, eis non requiratur pro pace vel treva fracta. Et si malefactor & adjutores ejus postea jamdicto querelanti ullum malum fecerint intra trevam, emendet pro treva & pace fracta. Item prædicti Episcopi firmaverunt trevam Domini. Videlicet, ut omni tempore teneatur ab omnibus Christianis ab occasu solis quartæ feriæ, id est, Merchoris die, usque ad ortum solis secundæ feriæ, id est, Lunis die. Item continuatim teneatur a prima die adventus Domini, usque ad octavas Epiphaniæ Domini, quando festivitas sancti Hilarii agitur. Item similiter continuatim teneatur a die Lunis, quæ antecedit caput jejunii, usque ad diem Lunis, qui est primus post diem dominicam octavarum Pentecosten. Et tres festivitates sanctæ Mariæ cum suis vigiliis. Et nativitatem sancti Johannis cum sua vigilia. Et festivitatem sanctorum Justi & Pastoris, & Abdon & Sennen, & sancti Felicis, & sancti Genesii, & sancti Nazarii, & sancti Laurentii, & sancti Michaelis, & festivitatem omnium sanctorum, & sancti Martini, & duæ festivitates sanctæ Crucis, & Cathedra sancti Petri, & festivitatem sancti Ennesii, quæ est XII. Kalend. Septembris, & Decollationem sancti Johannis Baptistæ, cum vigiliis & cum omnibus noctibus jam dictarum festivitatum. Et omnes dies & noctes quatuor temporum. Si quis autem infra hanc prædictam trevam Domini aliquod malum alicui fecerit, in duplum ei componat, & postea per judicium aquæ frigidæ trevam Domini in * sede sanctæ Eulaliæ emendet. Si quis autem infra hanc trevam hominem occiderit sine aliquo casu, ex consensu omnium Christianorum diffinitum est, ut omnibus diebus vitæ suæ exilio damnetur. Si autem cum casu hoc fecerit, egrediatur tamen a terra usque ad triennium, quem Episcopus vel Canonici existimaverint esse imponendum. Si quis vero infra hanc trevam se miserit in * aguit, vel ipsum aguet stabiliter pro morte vel apprehensione alicujus hominis, aut pro apprehensione alterius castelli, & tamen si hoc agere non potuerit, similiter emendet ad judicium Episcopi & Canonicorum ejus ipsam trevam Domini, sicut faceret, si fecisset, quod agere tentavit. Item prohibuerunt, ne in terminibus his continuatis trevis, videlicet tempore adventus Domini, seu quadragesimæ, nullus castrum vel munitionem ædificare præsumat, nisi XV. diebus ante continuatas prædictas trevas hoc inchoaverit. De prædicta autem treva vel pace querela ad Episcopum vel ad ejus Canonicos seu fatigatio omni tempore fiat; & sicut superius scriptum est in pace de Ecclesiis, ita fiat. Et ipsi in quibus Episcopus vel Canonici prædicti se fatigaverint de direptione præfatæ pacis vel trevæ Domini, sive fidejussores, vel hostatici pro pace vel treva Domini, & malam fidem inde portantes Episcopo vel Canonicis ejusdem sedis, excommunicentur ab Episcopo vel a Canonicis ejusdem sedis cum protectoribus & adjuvantibus se quamdiu se contenderint sicut infractores pacis vel trevæ Domini, ipsi & res eorum non habeantur in pace & treva Domini.

Ego Gauzfredus Comes juro tibi Petro Helenensi Episco-

* Fregerit.

* Id est, in cathedrali Ecclesia Helenensi.

* Id est, insidias struxerit.

Episcopo & facio tibi hostaticum, ut per duo tempora anni, scilicet ad dedicationem B. Eulaliæ, id est, VIII. Idus Octobris, & ad caput jejunium, per unumquemque annum, quandiu vixeris, revertar ad hanc sedem B. Eulaliæ; & non separabo hinc me sine licentia tua vel ipsorum Clericorum, quibus tu commiseris, si æs non habuero; & si æs habuero, eo transito infra VIII. dies revertar, & non separabo hinc me sine licentia tua vel ipsorum Clericorum, quibus tu commiseris, per Deum & hæc sancta.

SYNODUS HELENENSIS
sub Oliba Episcopo Ausonensi.

ANno dominicæ incarnationis XXVII. post millesimum, XVII. Kal. Junii, convenit Oliba Pontifex Ausonensis ad vicem Berengarii Elenensis Episcopi, tunc temporis in transmarinis partibus peregrini una cum Udalchero sanctæ Elenensis Ecclesiæ Archipresbytero, & Gancelino Archidiacono, & Ellemaro Sacriscrinio & Coraule, Gauzberto, & ceteris præfatæ sedis Canonicis, cœtumque sacrorum Ducum, catervam quoque fidelium, non solum virorum, sed etiam feminarum. Convenerunt autem in comitatu Rossilionense, in prato Tulujes. Quo cum convenissent, primo rogantes Domini misericordiam, ut corda fidelium suorum ad se converteret, mentes quoque & actus dirigeret, dein requisierunt, si quæ hactenus a præfatis Episcopis statuta fuerant, observarentur. Sed cum pene omnia invenissent, nisi solum pedibus conculcata, sed etiam oblivioni dedita, iterum reparare studuerunt eodem tenore, quo fuerant hactenus condita. Constituerunt itaque præfati Episcopi simul cum omni clero & fideli populo, ut nemo in toto supradicto comitatu vel episcopatu habitans assaliret aliquem suum inimicum ab hora sabbati nona usque in die Lunis hora prima, ut omnis homo persolvat debitum honorem dici dominico, neque ullo modo aliquis assalliret monachum cum clericum sine armis incedentem, neque aliquem hominem ad Ecclesiam cum Concilia euntem vel redeuntem, neque aliquem hominem cum sportella proficiscentem, neque aliquem hominem cum feminis euntem, neque aliquis auderet Ecclesiam vel domos in circuitu positas a XXX. passibus violare aut assalire. Hoc autem pactum sive treguam ideo constituerunt, quoniam divina lex & pene omnis Christiana religio ad nihilum deducta, ut legitur, abundabat iniquitas, & refrigescebat caritas. Et ideo præcipimus nos supradicti Episcopus, clerus simul, & omnis ordo serviens divinis cultibus, & coram Deo interdicimus, ut nullus homo vel femina de suprascriptis aliquid voluntarie, temerare vel infringere præsumat, nec invadat res sanctæ matris Ecclesiæ Elenensis sive ceteris Ecclesiis vel monasteriis debitas. Neque aliquis, se sciente, in incestu usque ad VI. gradum permaneat. Neque aliquis uxorem propriam dimittat, nec alteram feminam habeat. Quod si quis fecit, sive in antea fecerit, nisi resipuerit & pro posse emendaverit, & ad plenam satisfactionem sanctæ matris Ecclesiæ coram supradictis Canonicis infra mensium trium spatium venerit, a liminibus sanctæ catholicæ Ecclesiæ & omnium Christianorum cœtu excommunicatus permaneat. Et, ut noveritis omnes, quale peccatum sit jungi excommunicatis, nullus Christianus debet manducare cum eis, vel bibere, neque osculum eis porrigere, neque cum eis loqui nisi de satisfactione; neque si excommunicati defuncti fuerint, debentur ad Ecclesias sepeliri; neque aliquis clericus vel fidelis debet pro eis orare. Si vero pro nihilo duxerint excommunicationem, transactis tribus mensibus, anathematis vinculo, id est, ut perditi, sicut Judas proditor, damnentur. Et si, quod Deus avertat, in hac perfidia obierint, corpora illorum cum psalmis & hymnis vel spiritalibus canticis non ducantur ad sepulturam, nec inter fideles mortuos eorum nomina ad sacrum altare recitentur. Et quia peccatum perpetraverunt ad mortem; nisi pœnituerint, sine fine damnentur in æternam damnationem. Omnibus Canonicis suprascriptæ sedis interdicimus coram Deo & sanctis ejus, ut nullus eorum de his aliquid solvere audeat sine consensu præfati Archipresbyteri vel Archidiaconorum sive Sacriscrinii & Caputscholaris vel ceterorum fratrum Canonicorum. Ministeria autem divina sine intermissione fiant pro excommunicatis per spatium trium mensium, ut det illis Deus pœnitentiam, & resipiscant a laqueis diaboli, a quibus capti tenentur ad ipsius voluntatem. Quod qui noluerit perficere, noverit se mulctandum, nisi resipuerit, suprascripta excommunicatione. Omnibus autem supradicta observantibus pax & misericordia concedatur a Domino Jesu Christo hic & in perpetuum. Amen.

CONCILIUM NARBONENSE
habitum anno MLIV.

ANno dominicæ incarnationis millesimo quinquagesimo quarto, indictione septima, epacta nona, concurrente V. octavo Kal. Septembris, conventus erat apud urbem Narbonam decem venerabilium Episcoporum, Bernardi scilicet Biterrensis, & Gonterii Agathensis, & Rostagni Lutevensis, & Arnaldi Magalonensis, Froterii quoque Nemausensis, Guifredi vero Carcasensis, imo Berengarii Gerundensis, Guifredi Barchinonensis, necnon & Guillelmi Albiensis; inter quos fuere Legati Domni Guillelmi Urgellensis videlicet Berengarii, & Ugonis Uzetensis. Præsidente Domno Guifredo prædictæ urbis Archipræsule, cujus industria prædicta synodus, opitulante Petro Ramundi Comite, atque Berengario Vicecomite, una cum Abbatum & clericorum, ac quorundam nobilium & ignobilium, non minima multitudine, ad confirmandam pariter & custodiendam tregam, & pacem, & dilectionem, quam universalis Ecclesia unanimiter instituit, & reformandum ejusdem statum, qui a pravis conculcabatur hominibus, dominicis obtemperantes jussibus pro temporalibus commodis commissæ sibi plebi impensis, a summo omnium pastore, ut æterna præmia mereantur adipisci in secula. Primo ergo omnium institutionum nostrarum, quæ in hoc tomo scribenda sunt, monemus & mandamus secundum præceptum Dei & nostrum, ut nullus Christianorum alium quemlibet Christianum occidat: quia, qui Christianum occidit, sine dubio Christi sanguinem fundit. Si quis vero, quod non optamus, injuste hominem occiderit, per legem eum emendet. Iterum mandamus atque confirmamus ipsam tregam Dei, quæ a nobis dudum constituta fuerat, & nunc a pravis hominibus disrupta esse videtur, ut firmiter deinceps ab omnibus teneatur. Igitur obsecramus per Deum & monemus, ut nemo Christianorum quemlibet Christianum requirat ad malefaciendum ab occasu solis quartæ feriæ usque secundæ feriæ illucescente sole. Præcipimus etiam, ut a prima Dominica adventus Domini usque octabas transactas Epiphaniæ, sive a prima Dominica, quæ est ante caput jejuniorum, usque transactas octabas Paschæ, sive a Dominica ante Ascensionem Domini usque octabas Pentecosten expletas, vel de festivitatibus sanctæ Mariæ, & in vigiliis ejusdem, & in vigilia sancti Johannis Baptistæ, vel in festivitate ejusdem, atque in vigiliis Apostolorum, & in festivitatibus eorundem, & in vigilia Vinculæ sancti Petri, & in festivitate ejusdem, & in vigilia sanctorum Justi & Pastoris, & solemnitate eorundem, & in vigilia sancti Laurentii, ejusdemque festivitate, & in festivitate sancti Michaelis, & in vigilia omnium sanctorum, & in festivitate eorundem, & in festivitate sancti Martini, & in jejuniis quatuor tempora, in præscriptis jejuniis, sive festivitatibus, atque vigiliis, nemo

nemo Christianorum quemlibet alium Christianum lædat, neque dehonestare aut deprædare de suis rebus præsumat. Hanc tregam Domini firmiter custodiri præcipimus; & omnes, qui eam tenuerint, & fideliter observarint, benedictionem sempiternam ab ipso Jesu Christo Domino & Salvatore nostro percipiant, & hereditatem æternæ vitæ sine fine possideant. Illi autem, qui rebelles extiterint vel transgressores, sive qui auxilium eis in aliquo præbuerint, tamdiu anathematis vinculo subjaceant, quousque digne arbitrio proprii Episcopi satisfaciant. Si quis autem voluntarie vel scienter hominem occiderit in hac treuga, aut apprehenderit, aut castrum cujuslibet tulerit aut destruxerit, aut in ..... indictam treugam insidiando aut aguitando facere volens comprobatus fuerit, ab omni cœtu Christianorum definitum est, ut in omni vitæ suæ perpetuo damnetur exilio. Si quis autem aliter alicui aliquam injuriam fecerit aut damnum, in judicio proprii Episcopi, aut clericorum ejusdem, quibus idem Episcopus commiserit, secundum modum culpæ directionem faciat per judicium aquæ frigidæ, aut per exilium, sicut statutum est. Quicunque vero adpropinquante quadragesimæ tempore, sive Ascensionis Domini, vel Pentecostes, nec non & adventus Domini, qui est tregam Domini, castrum vel munitionem construere voluerit, non illi facere hoc liceat, nisi duas hebdomadas cunctis scientibus ante prædictum tempus incipiant. De debitoribus vero & fidejussoribus præcipimus, ut, si contendunt ea, quæ debent, projiciantur ab Ecclesia, & in illorum parochias nemo faciat sacrum ministerium, usque præscripti debitores reddant debita. Oliveta namque, cujus pignoris in ipso aquarum diluvio pacem legimus terris redditam, & de cujus liquore sanctum chrisma conficitur, necnon & altaria sancta illuminantur, sub tam firmam pacem statuimus, ut nemo Christianorum eam præcidere audeat, vel ad deformitatem truncare, neque earundem fructus rapere. Quod qui fecerit, juxta quod definitum de ceteris, per tregam Dei ea emendet. Oves ergo & earum pastores eas custodientes similiter in treguam Dei permaneant cunctis diebus in cunctis locis, ita, ut nullus Christianus eas deprædare præsumat, neque illas neque illarum pastores lædere vel invadere. Quod qui fecerit, per Dei treguam hoc totum emendet.

DE PACE.

PAcem autem a nobis sive a Principibus olim constitutam mandamus sive firmamus, ut ab hodierna die & deinceps Ecclesiam nullus hominum infringat, neque mansiones, quæ in circuitu Ecclesiarum sunt & erunt, neque aliquid ex omnibus, quæ infra XXX. passus sunt Ecclesiæ & erunt, violenter auferre audeat, aut præsumere, (nisi Episcopus, aut cui ipse jusserit, propter suum censum, aut propter hominem excommunicatum, excepta munitione, quæ infra prædictos passus XXX. Ecclesiæ sita fuerit) ad concitandum bella & contentiones. Censemus iterum, ut ne quis hominum terras vel res cujuscunque Ecclesiæ vindicare præsumat sine dono & permissione illius, cujus eadem Ecclesia fuerit. Reditus vero synodales nemo laicorum in opus suum retineat præter consensum Episcoporum vel clericorum, sed, quibus jure debentur, omnino restituat. Monemus iterum, ut nullus laicorum in opus suum retineat primitias, neque oblationes, neque cimiteriorum pretia, neque ova, aut ea, quæ ad eos dantur per aspersionem salis & aquæ in Cœna Domini, neque * trigintarios, qui recte debentur a clericis recipi pro fidelium defunctorum orationibus, sed clericis, qui eisdem Ecclesiis præsunt, utendos relinquat; nec quicquam ex fevo, quod pro eadem Ecclesia tenet, minuere præsumat. Clericis quoque, monachis, atque sanctimonialibus feminis, & comitibus eorum militaria arma non portantibus, ut aliquid ex bonis eorum nemo apprehendat, nec rapiendo auferat. Eas vero res, & terras, ac vineas, & cetera, quæ in jus proprium ac dominium Canonici, & monachi, sanctimoniales feminæ habent & habere noscuntur, nullus hominum vel feminarum invadere, rapere aut tollere præsumat, nec aliquid inde usurpare; neque per vim, neque per vicariam, neque per districtionem ibi ullam hospitalitatem accipiat, nisi per missionem vel donum Episcoporum, vel Canonicorum & Abbatum, ad quos proprie eadem res pertinuerit, adquirere potuerint. Insuper eas villas & mansos, terras & vineas, sive Ecclesias, quæ a fidelibus Dei collatæ esse videntur in opus Canonicorum, ut commune inde viverent, quæ veraciter sciri potest, in hoc opus data esse noscuntur, nullius persona hominum ausus sit habere vel retinere, neque per vicariam, neque per fevum, neque per bajuliam, neque per ullam vocem, sine propria voluntate Episcopi & Canonicorum, vel Abbatum, Canonicorum, ad quos eas res pertinere noscuntur, cum voluntate Canonicorum suorum, nisi quantum præscripti Canonici cum præscriptis senioribus communiter voluerint. Statuimus autem inter vos de contentionibus terrarum, & de debitoribus & fidejussoribus, Dei auctoritate & nostra, ut nemo ex eis vindictam sumat, donec ante sui proprii Episcopi & Potestatis, cujus ditionis fuerit, præsentiam veniens, causam suam exponat, ut alicujus eorum judicio terminetur atque definiatur. Episcopus autem & princeps regionis ipsius, quibus eadem res pertinuerit ad distringendum, noceat resistenti, & adjuvet obedientem. Nullus etiam Christianorum ullam substantiam villani non apprehendat, nisi tantum corpus suum per forfacturam, quam ipse per se faciat, & non distringat eum nisi per directum. Caballarium autem nemo apprehendat, ut * redut faciat neque faciat, neque substantiam ejus tollat, nisi tantum per directum. Rapinas & prædas ex quibuslibet Christianorum nemo virorum aut mulierum faciat. Præcipimus etiam, ut equas nemo rapiat, nisi homo desuper inventus fuerit armatus. Aleses vero nemo incendat. Furi prænotato & publico, latronique atque prædoni in Christianis nemo auxilium præbeat, neque ad illud agendum eum conducat, se sciente, usque ad satisfactionem veniant. Negociatores & oratores, qui ferunt sportas, nemo substantiam eorum apprehendat. Hanc autem institutionem prædictam monemus pariter & obsecramus, ut omnes homines & feminæ in prædictis comitatibus sive episcopatibus degentes firmiter teneant atque intente custodiant secundum suum posse. Quod si quis eorundem hominum vel feminarum prædictam pacem ac institutionem præsumptuose infregerit, & infra XL. dies non emendaverit, noverit se tamdiu extraneum a Christianorum consortio & a liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ segregatum, donec ei, cui damnum pertulerit, duplum restituat, & Potestati illius terræ, in qua illud actum fuerit, XL. solidos emendet; & Episcopo ejusdem terræ emendet, manu propria jurando super altare sedis, aut super quo liberavit, quo Episcopus jusserit, quia amplius emendare non debeat pro transgressione excommunicationis; aut emendet ei XL. solidos sine sacramento. Dicimus iterum, ut hæc institutio ab omnibus firmiter teneatur, sicut superius scriptum est, præter eos, qui de suo alode vel fevo sive bajulia institutores extiterint. Quam institutionem quicunque transgressus fuerit, obedire nolens supradictis institutionibus, Presbyter ei Missam non cantet, neque ullum sacrum officium, neque communicet eum, vel sepeliat, se sciente. Si autem quislibet hominum vel feminarum ab hac die & deinceps ausu temerario hujus nostræ institutionis violator extiterit, anathematis vinculo feriatur, & a sancta Dei Ecclesia procul pellatur, & ab

* Les Trentenaires.

* Vox corrupta.

& ab omnium cœtu Christianorum tamdiu separetur, donec ad satisfactionem indubitanter veniat.

EXCERPTA CONCILII apud sanctum Ægidium habiti anno MLVI.

EX Concilio apud sanctum Ægidium peracto; ubi facta est synodalis collatio patrum, Episcoporum videlicet Gallicanorum XX. duorum; quorum unanimiter consensus & par votum hoc definivit, quod hic titulatum memorandum mandamus, cum personis subpositis. Hi sunt: Raimbaldus Areiatensis, Laudegarius Viennensis, cum Legatis Narbonensis primæ Præsulis vice fungentibus, Froterius Nemausensis, Ugo Uceticensis, Uvilelmus Albiensis, Bernardus Lutevensis, Geraldus Vivariensis, Petrus Vasensis, Udalricus Tricastrinensis, Franco Vendacensis, Clemens Cavillonensis, Petrus Aquensis, Pontius Massiliensis, Deodatus Telonensis, Gaucelinus Forojulensis, Andreas Nicensis, Durandus Vincensis, Bertrandus Regensis, Ugo Senaciensis, Pontius Glandensis. Ugo Dignensis. Hi omnes collecti in unum tale sancitum dederunt decretum:

I. Canonicam promulgantes sententiam, ut loca Canonicorum, ac monachorum cœnobia, vel illas sacris ordinibus Ecclesiarum designatas nullius conditionis persona invadere tentet ab hodie usque in perpetuum, nec hospitalitatis causa, nec ingenio malæ insitæ consuetudinis, nisi cum necessitas coegerit, quantum ad usum naturæ pertinuerit, sine destructione loci.

II. Ecclesias autem, quæ intra castellum aut civitatem fundatæ fuerint, aut in villis, vel in agris, illæ videlicet, in quibus ædificium ad debellandum non habetur, vel cum quibus seditio non exercetur, nec malefactorum excursus ad reparanda damna civilia vel communia fieri comprobatur, hanc pari consensu volunt & definiunt habere potestatem, ut nemo infra terminum XXX. dextrorum circa Ecclesias positum quicquam rapere præsumat, nec ulli personæ nocenti aut innocenti malum ingerat, nisi cum ipso termino malefactor damnum intulerit. Hoc excommunicant sub anathemate in perpetuum.

III. Militibus autem majoribus vel minoribus hoc præcipiunt, ut ab hodie usque in nativitatem sancti Johannis nullus arma ferre præsumat quacunque de causa, nisi sui solutione Episcopi.

DATA PRIDIE NON. SEPTEMBRIS.

CONCILIUM TROJANUM habitum ab Urbano II. anno MXCIII.

ANno dominicæ incarnationis MXCIII. indictione I. hebdomada quadragesimæ prima, VI. Idus Martii, convenit Trojæ in Apulia Concilium Episcoporum fere LXXV. Abbatum XII. Secundo itaque die, cum de quibusdam infra consanguinitatis lineam copulatis actum fuisset, tandem consentientibus omnibus hoc super eis capitulum promulgatum est.

I. Episcopi, quorum diœcesani sunt, eos usque in Pentecosten trina advocatione conveniant. Tunc si duo viri, vel tres, consanguinitatem jurejurando firmaverint, vel ipsimet forte confessi fuerint, conjugia dissolvantur. Si vero neutrum contigerit, Episcopi eos per baptismum Christi, per fidem Christi, per Christi judicium, in vera obedientia obtestentur, quatenus palam faciant, utrum se, sicut fama est, consanguineos recognoscant. Si negaverint, sibi ipsis relinquendi sunt; ita tamen, ut si aliud in conscientia habeant, se a liminibus Ecclesiæ, a corpore & sanguine Domini, a fidelium communione noverint segregatos, atque infames effectos, donec ab incesti facinore desinant. Si se judicio Episcoporum segregaverint, si juvenes sunt, alia matrimonia contrahere non prohibeantur.

Ap. Gratian. 35. q. 6. cap. Si duo.

II. Si quis treviam Dei fregerit, usque tertio ad satisfactionem ab Episcopo moneatur. Quod si nec tertio satisfacere consenserit, Episcopus, vel cum Metropolitani consilio, aut cum duobus, aut uno vicinorum Episcoporum, in rebellem anathematis sententiam dicat, & per scripturam Episcopis circumquaque denuntiet. Sic excommunicatum Episcoporum nullus in communionem suscipiat; immo, scriptura suscepta, sententiam quisque confirmet. Si quis aliter præsumpserit, ordinis sui periculo subjacebit. Responsum est ab omnibus, Fiat.

CAPUT XV.

De aliis argumentis conservatæ libertatis Gallicanæ, maxime sub Philippo IV. contra Decreta Pontificum, jurisdictioni regiæ adversa.

SYNOPSIS.

I. Regni Gallici libertas adversus nova rescripta probatur testimonio Odonis Burgundiæ Ducis. Crucesignatos in tuitionem Ecclesiæ Romanæ suscepit Bonifacius VIII. illisque debitorum suorum inducias dedit. Consultus a Philippo IV. Dux Burgundiæ respondit, a Papa nihil decerni posse in temporalibus sine consensu Regis & procerum.

II. Hæc constitutio Bonifacii non aliena erat a disciplina superioris temporis; ut patet e Concilio Claromontano, & Lateranensi sub Callisto, Ivone, Neubrigensi. Hinc factum, ut debitores crucem assumerent, e Tyrio. Henricus quoque Rex Angliæ, ut Vasconiam ab impressione Gastonis Benearnensis liberaret.

III. Hæc tuitio concessa Crucesignatis erat propagatio quædam pacis & treugæ Domini. Itaque facile Principes nostri hanc curam ad se revocarunt & Crucesignatis tuitionem suam indulserunt, e Rigordo. Mandatum Bonifacii non admissum, quia novæ consuetudini contrarium.

IV. Conciliorum vel Pontificum decretis intercedendo jurisdictioni regiæ cavebant Reges. Itaque eo ipso tempore, quo his de rebus Decretales ferebantur, non admissæ a judicibus secularibus, etsi contra niterentur Ecclesiastici. Quod probatur ex querela Durandi Mimatensis Episcopi.

V. Plures species enumerantur a Durando, in quibus judices seculares decreta jurisdictioni regiæ adversa non admittebant; ne quis existimet, superiori tantum seculo hoc a nostris tentatum.

VI. Concilii Lateranensis judicio Comes Tolosanus patrimonio suo dejectus. Quia Regis sententia proscriptus, si de illius hæresi constaret. Discussa in Concilio fidei causa, eveniente conditione, ex vi decreti regii bonis cecidit Comes Tolosanus. Contentiones inter Episcopos & magistratus ob jurisdictionem secularem sub Philippo Valesio; quæ definitæ tandem edictis Regum nostrorum. De quibus tomo secundo.

I. NOn omittendum est Odonis Burgundiæ Ducis testimonium, ex quo regni Gallici libertas in rerum temporalium administratione adversus novos Romanæ curiæ conatus asseritur. Cassanus Rex Tartarorum religionem Christianam amplexus, spem certissimam Bonifacio VIII. injecerat invadendæ Syriæ & Palæstinæ recuperandæ, quod ex parte præstitit expugnata Syria anno MCCC. reliquum bellum sine dubio confecturus, nisi ad res novas componendas in Persidem revocatus fuisset, teste Haytono Armenio, qui expeditioni intererat. Quamplurimi nomen dederant ad militiam illam sacram, cruce assumpta, ab anno mille-

millesimo ducentesimo nonagesimo sexto, quos Bonifacius multis privilegiis donavit. Ea mandato quodam comprehensa ad Philippum Regem per nuntium transmisit: quibus *personas Crucesignatorum & bona eorum, ex quo Crucem susceperunt, sub B. Petri & sua protectione suscipit, necnon sub Archiepiscoporum & aliorum Ecclesiæ Prælatorum defensione, statuens, ut, donec de eorum obitu vel reditu certissime cognoscatur, integra remaneant & quieta consistant. Quod si quisquam contra præsumpserit, per Ecclesiarum Prælatos, appellatione remota, censura ecclesiastica compescatur.* Addit, creditores ab Episcopis cogendos, ut iis militibus jusjurandum remittant, quod de usuris solvendis præstiterunt, & a seculari potestate Judæos, a quorum commercio interim fideles abstineant. Quid in hoc negotio sibi agendum esset, Philippus Odonem Burgundiæ Ducem Franciæ Parem consuluit. Ille graviter respondit, nihil in regno absque Regis & Procerum consensu a Papa decerni posse, quod jurisdictioni temporali præjudicium aliquod inferat, imo vero nihil omnino novi a quoquam in regno instituendum contra veterem consuetudinem. Hæc sunt verba Odonis: *Non videtur justum nobis vel rationabile, nec licitum Domino Papæ vel alii, quod in regno vestro institutionem faciat, nisi de consilio vestro & vestrorum, quare vos vel alii vestri Barones & fideles servitium & justitias hominum suorum debitas perdant. Consulimus etiam vobis, quod nullo modo patiamini, quod aliquis in regno vestro aliquod novum instituat, quod temporibus prædecessorum vestrorum institutum non fuerit, vel ordinatum, vel usitatum.* Hæc ultima verba, ut supra monui, pertinent ad constitutiones Pontificum, quæ latæ erant a Bonifacio & ejus decessoribus, & anno sequenti MCCXCVII. in librum sextum Decretalium compactæ sunt.

T. 2. Libert. Eccles. Gall. c. VII. n. XI.

Vide Concilium, Monspel. habitum an. 1195. cap. 6. cum Notis Baluzii.

II. Non aliena videbatur a disciplina usuque recepto superiorum temporum hæc Bonifacii constitutio. Etenim Urbanus II. in Concilio Claromontano, cum pacem & treugam statuisset canone primo, (de qua dictum capite superiori) eam canone sequenti ad eos, qui Hierosolymitanum iter aggrederentur, extendit: *Item placuit, omnia bona eorum, qui Hierosolymas pergunt, semper & ubique esse salva in pace & treuga, quousque redierint.* Quare prætextu hujus tuitionis ecclesiasticæ, si qua de rebus ad Crucesignatos pertinentibus moveretur quæstio, Episcoporum erat cognitio; qui censuris invasores obstringebant, ut testatur Ivo; quamvis observet, *novam esse institutionem de tuitione ecclesiastica impendenda rebus militum Hierosolymam proficiscentium.* Hanc tuitionem confirmavit, adjecta quoque peccatorum remissione, Lateranense Concilium sub Callisto II. anno MCXXII. cap. XI. *Eis, qui Hierosolymam proficiscuntur, & ad Christianum gentem defendendam & tyrannidem infidelium debellandam efficaciter auxilium præbuerint, suorum peccatorum remissionem concedimus, & domos & familias, atque omnia bona eorum in B. Petri & Romanæ Ecclesiæ protectione, sicut a Domino nostro Papa Urbano statutum fuit, suscipimus. Quicunque ergo ea distrahere vel auferre, quamdiu in via illa morantur, præsumpserint, excommunicationis ultione plectantur.* Idem postea constitutum fuit a Gregorio VIII. Pontifice apud Neubrigensem, *scilicet ut bona eorum, qui crucem acceperint, cum suis famulis, sub sancta Romanæ Ecclesiæ, necnon Archiepiscoporum & Episcoporum, atque aliorum Prælatorum Ecclesiæ protectione consistant.* Quas constitutiones is effectus secutus est, ut plurimi se hujus profectionis gravissimo labori accingerent, quo se a creditorum vexatione liberarent, teste Willelmo Tyrio. Hujus tuitionis & præsidii ecclesiastici auxilium imploravit Henricus III. Anglorum Rex, cum a Gastonis VIII. Domini Benearnensis copiis in Vasconia premeretur. Cum enim validissimam classem pararet, ex Anglia Burdegalam appulsurus, cruce assumpta transmarinum bellum in subsidium terræ sanctæ simulans, literas ab Innocentio IV. impetravit anno MCCLIII. quo in tuitionem Ecclesiæ Romanæ susciperetur, & ejus hostes excommunicatione & interdicto percellerentur a delegatis judicibus.

Concil. Clarom. c. 2.

Ivo ep. 173.

Edictum est infra in addit. ad cap. XXI. lib. VIII.

Guill. Neubrig. l. 3. hist. Angl. c. 21. & Roger. de Hoveden parte posteriori annalium.

Tyr. lib. 1. c. 10.

Innoc. rescriptum relatum l. 7. Hist. Ben. cap. 7.

III. In Gallia locum habuit prima illa pacis istius promulgatio in gratiam Crucesignatorum; quæ pacis & treugæ Domini de Principum consensu Episcopis commissæ extensio quædam erat & propagatio potius, quam nova omnino institutio. Itaque labentibus annis hanc ad se curam Reges nostri revocarunt; ideoque Philippus Augustus, cum de subsidio Acrensis urbis cogitaret, militum ad bellum transmarinum profecturorum facultates tuitione regia munivit, & biennii inducias debitoribus indulsit edicto solenni, quod in publico regni conventu ex Episcoporum & procerum sententia constituit, quemadmodum scripsit Rigordus auctor illius seculi. Quare cum Bonifacius VIII. jus antiquum repetere vellet, quod actu contrario a Gallis nostris jam a centum annis interruptum erat, de procerum consensu mandatum illud Bonifacii non est admissum juxta sententiam Odonis Burgundiæ Ducis.

IV. Hoc consilio semper usi fuerunt Reges Francorum, ut Conciliorum vel Pontificum decretis intercederent executionem impediendo, ne jurisdictio regia violaretur. Quod non tantum ab avis nostris tentatum est, ut quidam suspicantur, sed utplurimum eo ipso tempore, quo Decretales illæ de rebus temporalibus, aut de personis laicorum incompetenter ferebantur, ut colligi potest ex ultimis verbis epistolæ Odonis §. 1. relatis. Quod præterea confirmari potest testimonio viri omni exceptione majoris. Is est Guillelmus Durandus Episcopus Mimatensis: qui jurisdictionis ecclesiasticæ studiosissimus, constitutiones omnes ecclesiasticas de rebus secularibus latas observavit, quæ sua ætate, id est, anno MCCCIX. a Regibus & judicibus secularibus negligebantur. Qua in re magnam injuriam Ecclesiæ fieri, eaque ratione jurisdictionem ecclesiasticam turbari existimat: sed refert magistratus regios excepisse, *actus* judicum ecclesiasticorum, qui se his rebus immiscerent, *esse abusus.* Querelam suam his verbis depromit: *Quasi per quandam alluvionem frustatim Domini temporales ad se omnia trahunt. Et sicut frustatim lupus agnum comedit, ita per ipsos jurisdictio ecclesiastica frustatim quodammodo devoratur, quicquid ad ecclesiasticam jurisdictionem, potissime quoad temporalia pertinet, sibi auferri putantes.*

Durandus de modo Concilii generalis celebrandi parte 2. tit. 70.

V. Deinde plures species enumerat, in quibus, decretis Pontificum neglectis, judices seculares jurisdictionem suam exercebant; quæ omnia ipsius verbis, demptis superfluis, explicabo; præsertim cum ex eo testimonio constare possit, jurisdictionis secularis quasi possessione regia jura adversus novas constitutiones studio magistratuum jam tum conservata fuisse. Recenset ergo judicum secularium invasiones, & canones violatos adnotat hoc ordine: I. Causas, inquit, servorum & rusticorum ad Ecclesias pertinentium judices seculares ad se trahunt contra canones. II. causas pœnitentium. III. causas libertorum, pupillorum & viduarum: quæ *in possessorio*, inquit, ad Ecclesiam pertinent, & quoad tuitionem, & in defectum dominorum temporalium. IV. causas peregrinorum, mercatorum, agricultorum, & in mari navigantium. V. cum agitur de feudis Ecclesiæ. VI. Impediunt, ne in Romana curia clerici vel laici contra laicos *impetrent*, rescripta scilicet ad judicium instituendum. Hocque impedimentum esse frequens ait, cum laici conveniuntur in crimine sacrilegii, vel usurarum, hæresis, excommunicationis, perjurii, adulterii, fornicationis, in causa nativitatis, jurispatronatus, decimarum, vel rapinarum. VII. Impediunt, quando Ecclesia vult cogere aliquem ad satisfaciendum de peccato, in quo est. VIII. Ne adeatur Ecclesia propter eorum negligentiam, aut vacante

cante

cante regno; ne cognoscat de feudo. IX. Ne vidua spoliata, ad restitutionem agens, trahat spoliatorem coram Ecclesia. X. *Item impediunt, si quid ambiguum inter judices seculares oriatur, ne ad judices ecclesiasticos recurratur*. XI. Ne Episcopi de personalibus, realibus & criminalibus actionibus cognoscant, etiam ubi antiqua consuetudine est inductum. *Et ex isto casu quasi deperit tota ecclesiastica jurisdictio*. XII. Ne de infractoribus pacis & treugarum cognoscant. XIII. *Item impediunt jurisdictionem ecclesiasticam in his, quæ ratione connexitatis pertinent ad Ecclesiam, scilicet in dote, & in pœna posita in matrimonio*. XIV. Judice ordinario recusato, non patiuntur adiri Episcopum. XV. De alienationibus fundi dotalis & renuntiationibus filiarum cum jurejurando factis cognoscunt; & exceptionem rei judicatæ coram judice ecclesiastico non admittunt. *Nec proficit, quod in dictis tribus casibus Dominus Bonifacius eos per Ordinarios decreverit compescendos*. XVI. *Ab Episcopis temporalia obtinentibus non permittunt ad Archiepiscopos appellari secundum Concilium Lugdunense*. Plurima alia capita exsequitur Durandus, quæ clericos aut bona ecclesiastica respiciunt; de quibus opportunius alibi dicetur.

VI. Si quis opponat seculo decimo tertio ineunte ecclesiasticam jurisdictionem de rebus secularibus judicium in Gallia tulisse, cum Albigenses proscripti sunt ab Innocentio III. & Concilii Lateranensis decreto ampla Comitis Tolosani patrimonia Simoni Comiti Montisfortis adjudicata, responderi potest, hæresim Albigensium damnatam primum ab Alexandro tertio, deinde hæreticos, quia in sacerdotes ipsos grassabantur, & provinciam Narbonensem deprædationibus vastabant, proscriptos, non solum ab Innocentio tertio, qui propositis pœnitentiarum remissionibus & indulgentiis ex tota fere Europa milites crucesignatos excibat, sed etiam a Rege Francorum, ut observat Guillelmus Brito auctor illius seculi, Pulso armis Simonis Raymundo Comite Tolosano, lis ad Concilium Lateranense de Comitatu Tolosano delata est; quia de accusatione Raymundi agebatur, qui se immunem ab hæresi contendebat. Quæstio ergo ecclesiastica a Rege permissa est Concilio: ubi, cum Raymundus causa cecidisset, per necessariam consequentiam provincia a Simone armis devicta auspiciis Regis, sub illa conditione, si Comes Tolosanus hæresi infectus esset, optimo jure Simoni quærebatur, eveniente conditione, de qua judicio Romani Concilii constabat. Hac sola ratione cognitionem hujus causæ ad Romanam sedem pertinuisse fatetur Clemens IV. Pontifex in epistola ad Ludovicum Regem: *Cum Comes Tolosanus ex causis ad judicium apostolicum ratione fidei pertinentibus per felicis recordationis Papam prædecessorem nostrum terris suis & honore privatus, suis meritis congruentem sententiam excepisset*. Episcopi quoque in secularibus negotiis jus in Gallia aliquando dicebant, etsi a judicibus regiis eorum sententiæ repudiarentur. Quod graves contentiones accendit, præcipue sub Rege Philippo Valesio; de quibus agemus accurate tomo secundo, & argumenta partium expendemus, nova quadam methodo adhibita, quæ observationibus e vetere disciplina petitis illustrabitur.

Guillelmus Brito lib. 8. Philippidos. *Rex & Papa simul*.

CAPUT XVI.

De dissidio famoso inter Philippum IV. & Bonifacium VIII. P. R. & conservata in eo regni libertate.

SYNOPSIS.

I. Inspicienda ratio, qua Ecclesia Gallicana prospexit libertati regni in dissidio Bonifacii & Philippi. Rei gestæ series exponitur. Invitatur Rex ad recuperationem terræ sanctæ. Causantur bella finitima. Monetur ab Episcopo Appamiensi Nuncio Pontificis, minis adjectis.

II. Rex non violat jus gentium, detruso in carcerem Nuntio. Post aliquod tempus accusatur majestatis. Criminibus probatis, e sententia conventus Silvanectensis traditur custodiæ Archiepiscopi Narbonensis. Quod renuntiatur Pontifici per Legatos Regis.

III. Bonifacius cognitionem accusationis ad se trahit. Literas contumeliosas ad Regem mittit, quæ in ignem conjectæ. Episcopos & Doctores Galliæ ad synodum Romæ habendam evocat, ut statuere possit de reformatione Regis & regni. Aliud exemplum epistolæ ad Regem conceptum, quæ tamen missa non est; e qua epistolium consarcinatum a Flotta Legato Regis.

IV. Conventus Ecclesiæ Gallicanæ. Omnes spondent, se Regi adfuturos ad tuendam regni majestatem. Literæ & legatio trium Episcoporum missa ad Pontificem, qui conquerantur de tentata regni subjectione, & de synodo in eam rem indicta. Philippi acerbum epistolium. Orationes Bonifacii & Cardinalis Portuensis ad Legatos. Ajunt regnum Francorum subesse Romanæ Ecclesiæ temporaliter, ratione peccati.

V. Explicata sententia Bonifacii, qui ratione peccati regni statum ordinare voluit, & a Rege pœnas ob malam administrationem exigere. Non erat ea mens Innocentii tertii. Gallicana Ecclesia huic Bonifacii sententiæ refragata est.

VI. Legato misso, Concilii congregationem urget, aliasque pacis conditiones proposuit. Quæ rejectæ a Philippo. Conventus alter totius regni. Accusatur Bonifacius hæreseos & aliorum criminum.

VII. Accusator, Rex, Episcopi, & reliquus conventus appellant futurum Concilium. Hæc appellatio non adhibita est ad tuendam majestatem regni, cui prospexerant protestatione contraria, sed, ut sibi caverent a censuris ob negotium ecclesiasticum ferendis, id est, ob accusationem Bonifacii.

I. QUædam attigimus libri secundi capite tertio de Bonifacii octavi & Philippi quarti dissidio, de quo paulo accuratius nunc agendum est, non ad sugillandam alterutrius famam, sed ut e statu quæstionis inter illos controversæ sciamus, quænam esset Ecclesiæ Gallicanæ sententia, & qua ratione tuendæ libertati regni prospexerit. Sed ante omnia rei gestæ series exponenda est juxta fidem manuscriptorum codicum, quorum ope vir illustrissimus & eruditissimus Henricus Spondanus Appamiarum Episcopus historiam istam concinnavit; ex qua decerpemus, quæ ad rem nostram pertinebunt. Anno MCCC. invitatus a Bonifacio præ ceteris Philippus, ut subsidia in terram sanctam mitteret, (quam Cassanus Rex Tartarorum ab imperio Sarracenorum ereptam occidentalibus se restituturum legatione missa pollicitus fuerat) Flandricum bellum causatus, se nec copias transmissurum, nec decimas a Pontifice indictas exigi passurum professus est, eo, quod ipsi pecuniæ necessariæ essent ad belli finitimi sumptus tolerandos. Hanc occasionem, quæ prætextu pietatis non carebat, Bonifacius, aliunde Philippo infensus, (quod Columnenses, Pontificis hostes, apud se benigne haberet, quodque belli Flandrici curas non deponeret juxta conditiones a Bonifacio arbitro compromissario dictas) avide arripuit, ut Regem censuris premeret. Anno itaque sequenti per Bernardum Episcopum Appamiensem Legatum monuit Regem, ut orientis expeditioni intenderet, nec decimas in eum finem indictas converteret in alios usus, neve Ecclesiarum vacantium fructus sibi retineret, conferretve præbendas, vel libertatem ecclesiasticam violaret; depositionem comminatus, ni monitis illis obtemperaret.

II. His mandatis a Legato licet audacius denuntiatis,

tiatis, Philippus non violavit jus gentium illo in carcerem detruſo, ut plerisque viſum. Sed poſt obitam legationem dimiſſus Epiſcopus, de crimine majeſtatis defertur apud Principem, his criminum elogiis, quod adverſus Regem cum Aragoniæ Rege & Comite Fuxi conſpiraſſet, deque pellendis ditione Toloſana Francis cum iſto conveniſſet, ſæpeque jactaſſet, urbem Appamiarum non pertinere ad regnum Francorum, Regem eſſe monetæ adulteratorem, & e ſpuriis oriundum. Hæc & alia quædam majeſtatis crimina, cum idoneis teſtibus probata eſſent, Rex conventum regni in urbe Silvanectenſi indicit, & de omnium tam clericorum, quam laicorum ſententia Epiſcopum Appamienſem eo accerſitum in cuſtodiam dedit Ægidio Archiepiſcopo Narbonenſi ipſius Metropolitano: qui eum ſuſcepit, territorio ſibi conceſſo ab Epiſcopo Silvanectenſi, de conſenſu Archiepiſcopi Remenſis. Quæ omnia Rex Pontifici per Legatos, e quorum numero unus erat Petrus Flotta, renuntiavit, profeſſus, etſi liberum ſibi fuiſſet de Conſilii ſui ſententia in reum animadvertere, maluiſſe tamen exemplo deceſſorum rem totam illi ſignificare; a quo contendit, ut reum privilegio clericali exueret, debito ſupplicio facinora ſua expiaturum.

III. Excanduit Bonifacius, juſſitque reum e cuſtodia ſeculari eximi & pontificiæ tradi, de objectis illi criminibus inquiri a Narbonenſi Archiepiſcopo & Epiſcopis Biterrenſi & Magalonenſi, factamque inquiſitionem una cum Epiſcopo ad ſe ſub tuta cuſtodia mitti. His addidit literas ad Regem contumelioſas per Archidiaconum Narbonenſem Notarium ſuum perferendas: quæ a Comite Atrebatenſi coram Rege in ignem conjectæ ſunt, ut teſtantur Joannes Villanius & ipſe Bonifacius; qui ex hac contumelia ſedi apoſtolicæ illata ait, ſe ad revocanda omnia privilegia eidem Regi, liberis, fratribus & officialibus indulta compulſum fuiſſe. Præterea Epiſcopis & Capitulis Eccleſiarum cathedralium regni, Magiſtris in Theologia & in Jure, ſynodum Romæ indicit ad Calendas Novembres anni ſequentis MCCCII. ut eorum conſilio damnis & injuriis, quæ clero, nobilitati & univerſitatibus a Rege inferuntur, mederi poſſit, & de reformatione Regis & regni ſtatuere. Formulam quoque alterius epiſtolæ ad Regem deferendæ conceperat, qua docebat, Regem ſubeſſe Eccleſiæ, graviter peccaſſe clericos & ſubditum ſibi populum vexando, & licet a ſede apoſtolica frequentibus literis & nuntiis monitum, erratorum curationem neglexiſſe, in propriis cauſis jus ſibi dicere, nec conqueri apud Pontificem, licet de juribus eccleſiaſticis agatur, mutatione monetæ aliiſque vexationibus regno perniciem intuliſſe, collationes beneficiorum & reditus vacantium Eccleſiarum uſurpaſſe, libertatem eccleſiaſticam imminuiſſe, & pleraque alia patraſſe, ob quæ reſtituenda ad ſynodum Epiſcopos & Doctores Galliæ evocaverit, ut ſalubrius negotia regni ordinare poſſet; quo Rex mandatis ſuis inſtructos procuratores mitteret; alioqui eorum abſentiam divina replente præſentia, ſe, prout ſuperna miniſtratura eſſet gratia, proceſſurum. Sed epiſtola ad Regem perlata non eſt hoc exemplo, id exigentibus regiis Legatis, ne Philippi animus accenderetur. Attamen unus ex illis Petrus Flotta ſumma capita exſcripſit, quæ illo epiſtolio continentur, quod hodie ſub Bonifacii nomine ad Philippum circumfertur.

Joannes Villanius. Annal. Eccleſ. ad an. 1303. §. 2.

IV. Ceterum convocatis totius regni comitiis menſe Aprili anni MCCCII. expoſita ſunt coram Rege Bonifacii conſilia, regnum Francorum ſibi *temporaliter* ſubeſſe aſſerentis, & damna a Rege illata regno emendare ſatagentis in Concilio eam ob rem a ſe Romæ indicto. Epiſcopi & Proceres ſe conſilio & ope Regi adfuturos ſpoponderunt in tuendo capite & honore Regis regnique libertatibus & juribus. Decreta legatio trium Epiſcoporum, Noviomenſis, Conſtantienſis & Biterrenſis, cum literis ad Pontificem, quibus ſe novis & inauditis illis verbis, quæ regni Francorum libertatem imminuunt, valde perculſos teſtantur; rogantque, ut concordiæ regni & Eccleſiæ conſulens, literas illas tractorias ſeu ſynodi evocatorias revocet, quibus Regis regnique majeſtatem maxime lædi videbant, quod de regni adminiſtratione in Concilio diſceptandum eſſet. Philippus quoque brevi quodam epiſtolio dolorem ſuum acribus verbis & *fatuitatis* convicio in Bonifacium conjecto ultus eſt. Extant in codice manuſcripto orationes a Bonifacio & Cardinale Portuenſi ad Legatos in Conſiſtorio habitæ; ex quibus genuina Pontificis ſententia colligi poteſt. Propoſito Geneſeos illo decreto, *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*, Bonifacius commendat vinculum charitatis, quo regnum Francorum ab ipſis Clodovei primordiis cum Romana ſede obſtringitur, quod nulla ratione violandum ſit, attamen dolo pernicioſi & ſcelerati hominis Petri Flottæ falſam epiſtolam ſuppoſitam fuiſſe, quaſi ſcilicet Pontifex Regi mandaſſet, *ut recognoſceret regnum ab ipſo*. Sibi, qui a quadraginta annis in jure verſatus eſſet, perſpectum eſſe, duas poteſtates a Deo inſtitutas. *Quis ergo deberet vel poſſet credere tantam fatuitatem, tantam inſipientiam fuiſſe vel eſſe in capite ſuo? Proteſtari ſe, quod in nullo vellet uſurpare juriſdictionem Regis. Regem tamen negare non poſſe, quin eſſet Pontifici ſubjectus ratione peccati.* Pluribuſque de beneficiorum collatione & aliis capitibus locutus, a Concilii indictione jam facta ſe non receſſurum, ſed potius ſe illam innovare declaravit *pro bono ſtatu Eccleſiarum, Regis & regni*. Eodem ſenſu Cardinalis Portuenſis peroravit, vindicata Pontifici poteſtate de temporalibus quibuſcunque judicandi *ratione peccati*; ita, ut *jus* temporalis poteſtatis ſit penes Pontificem, *uſus* autem & *executio actus* penes Reges.

Editæ ſunt orationes illæ a claríſſ. vir. Petro Puteano in collectione Actorum de diſcordia Bonifacii & Philippi pag. 77. & 73.

V. Hinc conſtat, Bonifacium non id quidem ſibi uſurpaſſe, ut regnum Francorum ad feudi ſervitutem demiſſum a ſede apoſtolica hominii & fidelitatis nexu pendere diceret. Sed ea ſubjectione excepta, ſupremam ſibi poteſtatem in Reges arrogavit, quam magnifica oratione in conſtitutione *Unam ſanctam* expreſſit. Nempe ſibi liberum putavit, quæcunque a Regibus peccarentur, non ſolum quatenus ſunt privati homines, ſed etiam in regni adminiſtratione, decretis ſuis corrigere, & conſtitutionibus a ſe latis ſtatum publicum Eccleſiæ & regni, Concilii in eam rem coacti ſententia diſponere, contumaceſque Reges excommunicationibus & tandem ipſa regni privatione plectere. Quare non erat, cur tantopere adverſus Flottam conquereretur de falſa ſententia ſibi afficta in epiſtolio ſuppoſititio his verbis, *Scire te volumus, quod in ſpiritualibus & temporalibus nobis ſubes*, cum ipſe eandem rem profitetur, ratione quidem peccati, non vero ratione feudi. Innocentius III. hanc diſtinctionem arripuerat, ut ad ſe cognitionem controverſiæ inter Reges Franciæ & Angliæ motæ traheret, (de qua diximus lib. II. cap. III.) ſed ejus regulæ vim ad Regum peccata in ſubditos & ad regni ſtatum ordinandum non extenderat, quemadmodum Bonifacius. Gallicana Eccleſia per literas ad Bonifacium datas ſatis ſignificaverat, videri ſibi nullatenus ad Pontificem pertinere, ut Regis *exceſſus* in regni adminiſtratione admiſſos corrigeret. Quare mirum non eſt, ſi Philippus conſilium ſuum poſt reditum Legatorum mutare noluerit, qui conſtantem in propoſito ſuo Bonifacium retulerunt.

Extr. *Vnam ſanctam*. De majorit. & obed.

VI. Joannes Monachus Cardinalis, cui legatio ad Regem impoſita eſt, hoc confirmavit, cum præter ceteras pacis conditiones parum æquas, hanc quoque urgeret, ut evocati ad ſynodum Galli Romam ſe conferre non prohiberentur, & Rex coram Pontifice ſe ſiſteret, ob bullas in apoſtolicæ ſedis contemptum incenſas, per procuratorem mandato inſtructum *de parendo Pontificis beneplacitis*.

Eas

Eas conditiones renuente Philippo, Bonifacius in illum excommunicationem protulit: cujus sententiæ instrumenta Nicolao Benefracto Archidiacono Constantiensi in Normannia, ejusdem Legati familiari, cum perferenda in Galliam data essent, accidit, ut ille apud Trecas comprehenderetur. Custodiæ traditum Legato petenti ejus liberationem Rex omnino denegavit. Et statim sibi consulturus, conventum totius regni Parisiis evocavit anno MCCCIII. atque interim Legatus nocte intempesta urbe excedens Romam se contulit. Ea vero fuit animorum commotio adversus Pontificem, quod regni ordinationem prætextu peccati emendandi ad se trahere vellet, ut Episcopi & proceres faciles se præbuerint accusationi contra eum delatæ; de qua mox dicam. Interim observanda est majorum nostrorum constantia in afferenda regni libertate, quam solo dissensu tuebantur. Guillelmus de Plessiano dominus Vicenobrii Miles, illique adjuncti Ludovicus Comes Ebroicensis Regis filius, Guido S. Pauli & Joannes Drocensis Comites, accusationem de criminibus hæreseos, schismatis, simoniæ, & aliis nefandis sceleribus coram Rege & cœtu illo adversus Bonifacium scripto detulerunt; & in Concilio generali probationem se impleturos professi, Regem atque Episcopos obsecrarunt, ut congregationi Concilii studiosissimam & efficacem operam navarent.

T. 2. Libert. c. VII. num. 14. T. 2. Libert. c. XIII. num. 1. & seqq.

VII. Tum Guillelmus suspectum sibi Bonifacium ob delationem illam testatus, ut se tutum ab illius censuris præstaret, futurum Concilium generale appellavit, & futurum Papam catholicum, & sedem apostolicam, *& ad illum vel illos, ad quem vel ad quos melius provocare debet*; seque fautoresque suos protectioni beatorum Apostolorum Petri & Pauli, sacri Concilii congregandi, futuri summi Pontificis, & sanctæ sedis Romanæ commisit, *ad cautelam*. Rex pollicetur, se daturum operam congregationi Concilii, *salvis in omnibus sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ honore & reverentia debitis*. Episcopos obsecrat, ut huic convocationi intendant; & ne Bonifacius, *spirituali gladio abutendo*, de facto ad excommunicationes & interdicta procederet, suo & eorum, qui sibi adhærerent, nomine generale Concilium & legitimum futurum summum Pontificem provocat, *vel alios, ad quem vel ad quos fuerit provocandum*. In sententiam Regis itum est ab Episcopis, qui appellatione quoque sibi caverunt. Quas appellationes deinde ratas habuerunt ceteri Episcopi & proceres, qui conventui non interant, quemadmodum & reliquæ regni Universitates.

Hæc omnia distincte retuli, ne quis cum vulgo in eum abripiatur errorem, ut existimet, Philippum eo animo Concilium provocasse, ut de regni sui statu & majestate in Concilio disceptaretur. Quod enim ad caput illud pertinet, protestatione in contrarium a se & a totius regni conventu edita anno MCCCII. sibi caverat, & de dignitate sua violata cum Bonifacio per tres Episcopos Ecclesiæ Gallicanæ Legatos expostulaverat. Quare appellationis ad Concilium occasio inde solum profecta est, quod Bonifacius delatus esset inter reos, a Concilio futuro discutiendus; & ideo in causa ecclesiastica hoc remedio contra futura gravamina sibi prospexerunt, *ad cautelam*, ut dicebat Guillelmus de Plessiano.

CAPUT XVII.

De origine appellationum a Pontificibus ad Concilium futurum.

SYNOPSIS.

I. De appellationibus a Papa ad futurum Concilium. Quæ aliena a vetere disciplina. Non provocabatur a sententiis Patriarcharum in causis privatis. Communes definiri non poterant sine sententia sedis apostolicæ; a qua non appellabatur.

II. Aliquando ob bonum pacis instaurabatur judicium sedis apostolicæ, quod differt ab appellatione. Synodus Arelatensis indicta in causa Cæciliani post judicium Concilii Romani, ut Donatistis satisfieret. Conquerebantur causam non plene auditam. Secundæ cognitioni interfuerunt primi judices contra morem appellationum. Explicatus Augustinus. Facti speciem recitat, non vero regulam præscribit.

III. Judicia aliquot renovata post Romanæ sedis sententiam. Quod aliquando tamen fieri noluerunt summi Pontifices. In octava synodo definitum fuit, instaurandam esse cognitionem adversus Photium post judicium Concilii Romani. Reluctantibus Legatis sedis apostolicæ.

IV. Post seculum nonum graves causæ disceptatæ a Pontificibus in numerosis Conciliis. Præcipue si ageretur de sacerdotii & imperii concordia, ubi aderant clerici & laici, e Gregorio VII. & Gelasio II. Innocentius III. gravem controversiam decidere non audet, absque definitione Concilii.

V. Inde manavit mos ille appellandi ad futurum Concilium. Hoc remedio primus omnium usus fuisse videtur Fridericus II. Imperator. Concilium generalius Lugdunensi provocavit. Responsio Innocentii IV. e Matthæo Paris.

VI. Martinus V. vetuit has appellationes, e Gersone; qui scripsit, constitutioni non esse locum in causis fidei. Pius II. eas quoque prohibuit. Galli exceperunt causas fidei & manifestæ eversionis canonum.

VII. De formula disjunctiva appellandi ad Pontificem vel ad Concilium. Quo sensu dixerint interpretes, appellandum a Papa ad Papam. Melius Ivo, qui a sede ad ipsam sedem confugiendum dixit. Quo sensu dixerit Ulpianus, appellari a rescripto Principis. Expensæ rationes, cur in antiquis formulis disjunctive ad Papam vel ad Concilium appellatio conciperetur.

VIII. Quænam sit Du-Vallii Theologi in hac quæstione sententia, quodque remedium illi substituat.

I. Superiore capite novam quandam rationem vidimus in Ecclesiam invectam ab iis, qui se Romanæ curiæ censuris premi existimabant, scilicet appellationem a Papæ decreto ad futurum Concilium. Novam dixi, quia nunquam in Ecclesia admissa fuit provocatio a Papa ad Concilium; licet aliquando, remedio quodam extraordinario, sedis apostolicæ judicium in majori synodo instauratum fuerit. Quod illi facile concedent, quibus perspecta est antiqua disciplina, quæ causarum divisione judicia synodorum distinguebat. Illæ enim vel privatæ erant, vel communes; quarum discrimen explicamus in diatriba de synodis, tomo secundo. Privatæ ita synodorum patriarchalium judicio finiebantur, ut nullus appellandi superesset locus, neque Imperatoris adeundi, aut synodi universalis interpellandæ, ut docet Justinianus, juxta constitutum secundæ synodi œcumenicæ. Cur ergo denegatur apostolicæ sedi, quod veteres omnibus Patriarchis asseruerunt? Aliud dicendum de causis communibus, quæ juxta mores antiquos recte constitui non poterant ἄνευ γνώμης sine sententia summi Pontificis, ut observavit olim Sozomenus. Quo sensu intelligendus est Gelasius, cum ait: *Ipsi sunt canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad hujus sanctæ sedis examen deferri voluerunt, ab ipsa vero nunquam appellari debere sanxerunt.*

L. 26. c. de episcopali audientia: *Nam contra horum antistitum sententias non esse locum appellationi, a majoribus nostris constitutum est.* Nov. 137. Canon. VI. secundæ syn. Photius tit. IX. Nomocan. c. VI. Apud Grat. c. *Cuncta*. c. *Ipsi sunt*. 9. q. 3.

II. Aliquando tamen, ad procurandam Ecclesiæ tranquillitatem, Imperatorum rescripto apostolicæ sedis judicia in majore synodo instaurari contigit, in qua per Legatos Romanus Episcopus intererat. Quæ ratio longe differt ab appellatione. Ut enim inquit Hermogenianus Jurisconsultus, *appellatio iniquitatis sententiæ querelam, in integrum vero restitutio erroris proprii veniæ petitionem*,

L. *Præfecti*. 17. ff. de minorib.

nem, vel adversarii circumventionis allegationem continet. Deinde judex, a quo appellatur, de appellatione non cognoscit; sed is, a quo supplicatur, instauratum judicium peragere potest. Ejus cognitionis antiquissimum exemplum habetur in causa Cæciliani Carthaginensis, quæ judicio Concilii Romani sub Melchiade decisa, iterum peracta est in synodo Arelatensi a Constantino coacta an. CCCXIV. eo colore quæsito a Donatistis, quod lite nondum plene instructa, judicium nimis propere latum esset, ut constat ex epistola Constantini ad Chrestum Syracusanum Episcopum apud Eusebium. Alienum putabat Constantinus a disciplina res ab Episcopo Romano judicatas refricare; sed, studio pacis restituendæ, instaurationem judicii in frequentiore synodo Donatistis permisit. Hoc habemus ex ipsius epistola ad Vicarium Africæ: *Et contra id, quod iisdem responderam*, inquit, *frustra eos id jactare*, (nempe Cæcilianum esse sontem) *quippe cum res fuisset apud urbem Romam ab idoneis ac probatissimis viris Episcopis terminata, obnixe ac pertinaciter respondendum existimaverunt, quod eorum omnis causa non fuisset audita, sed potius iidem Episcopi quodam loco se clausissent & prout ipsis aptum judicassent. Quare cum hæc tot & tanta nimium obnixas dissensiones protrahere viderem, ita, ut nullo modo finis iisdem dari posse videretur*, scilicet nisi novo judicio de causa Cæciliani cognosceretur, synodum Arelatensem indicit. A qua non rejecti sunt judices, qui sententiam Romæ tulerant, ut fit in judiciis appellationum; sed, quemadmodum fieri solet in judiciis supplicationum, ipsi cum aliis denuo cognitionem susceperunt. Extant enim subscriptiones Legatorum ex urbe Roma a Silvestro Episcopo missorum, Marini quoque, Reticii & Materni Galliæ Episcoporum, in actis Synodi Arelatensis, una cum subscriptionibus ceterorum Episcoporum, qui ad illud Concilium convenerant. Quod factum observavit Augustinus his verbis: *Ecce putemus illos Episcopos, qui Romæ judicarunt, non bonos judices fuisse. Restabat adhuc plenarium universalis Ecclesiæ Concilium, ubi etiam cum ipsis judicibus causa posset agitari; ut, si male judicasse convicti essent, eorum sententiæ solverentur*. Quibus verbis rem gestam describit, id est, secundam synodi Arelatensis cognitionem post Concilium Romanum; non autem regulam præscribit, qua in omnibus causis uti liceat, nempe instaurationem omnium judiciorum apostolicæ sedis in synodo universali, quemadmodum plerique contra veterum sententiam sibi persuaserunt.

Euseb. lib. X. histor. cap. 5. ταχέως καὶ ὀξέως.

Aug. ep. 162.

III. Sane in dissidio orientalium Concilium Sardicense indictum est: in quo judicium adversus Athanasium refricatum fuit post damnationes in illum a Conciliis Tyrio & Antiocheno decretas, & post admissam Athanasii a Julio in Concilio Romano communionem. Quod etiam factum in Concilio Chalcedonensi erga Theodoretum, etsi Leo primus illi in communionem suscepto episcopatum restituisset. Attamen causam Acacii iterato judicio in synodo œcumenica discuti passus non est Gelasius, neque ceteri Pontifices, quamvis schismate eam ob rem violata esset unitas Ecclesiæ: quæ sub Justino Principe restituta est, cedentibus Græcis auctoritati Romanæ Ecclesiæ. Rationem discriminis assignamus in exercitatione de judiciis canonicis Episcoporum, tomo secundo. [*Vide librum septimum*.]

Vide lib. 7. cap. 10. §. 3.

Græcorum tamen obstinata petitio prætermittenda non est, qui seculo nono judicium contra Photinum & ejus asseclas a Nicolao I. toties damnatos instaurari voluerunt in octava synodo, reluctantibus licet Romanæ Ecclesiæ Legatis. Etenim Baanes Patricius & ceteri proceres a Basilio Imperatore delegati, ut synodo interessent, se actis synodi non subscripturos, ut fieri solet, professi sunt, nisi præsentis Photii & ejus sectatorum ex synodicis & canonicis sanctionibus ora obturarentur. Metrophanes Smyrnæ Metropolita eam petitionem suffragio suo juvit, verbis erga Romanam sedem permodestis & ad propositum suum accommodatis: *Divinus Apostolus dicit: Prophetias nolite spernere, quod bonum est, tenete. Sanctissimos veteris Romæ Legatos tanquam Prophetas recipimus, neque spernimus. Probantes vero magnificentissimorum procerum petitionem, æquam esse judicamus*. Statim vero Concilium definivit, judicium refricandum esse: *Statuimus, ut illi citentur, ac præsentes facta defendendi potestate judicentur*. Legati quidem repulerunt hanc definitionem synodi, sibi liberum non esse dicentes Romanorum Pontificum judicia rescindere, ex eo præsertim, quod præsentibus Photianis Romæ reddita fuissent. Sed discusso negotio, reorum exceptiones repulsæ sunt, & renovata in Photium ejusque consortes damnationis & anathematis sententia.

1. Thessal. c. 5.

Concil. oct. act. IV. ὁρίζομεν ἵνα ἐκεῖνοι μετακληθῶσιν, ὡς ἂν ἐκείνων αὐτῶν ἀπολογουμένων ἡ κρίσις γένηται.

IV. Hinc factum existimo, ut seculo decimo & aliquot sequentibus Pontifices Romani ad vitandas offensiones, exemplo decessorum, causas communes in Conciliis frequentissimis discuti voluerint; adeo, ut si qua inter sacerdotium & regnum gravis quæstio incideret, ad Concilium eam referri vellent, quo Reges & Principes evocabant. Eam viam inivit Gregorius VII. qui, recrudescente dissidio inter Romanam Ecclesiam & Henricum Germaniæ Regem anno MLXXX. testatur, se curaturum, *ut generalis synodus congregetur in loco tuto & securo, sicque opportuno, ut ad eum possint undique terrarum clericalis ordinis & laicalis amici vel inimici sine timore convenire*; ubi discutiendum ait, quis auctor fuerit, *ne inter pontificatum & regnum divina pax & recta concordia fieret: quam pacem, opitulante Domino, sicut Christiana devotio cupit & postulat, in eodem Concilio instaurare & confirmare optamus*. Gelasius II. in eodem dissidio Concilii generalis remedium adhibendum esse docet anno MCXVIII. his verbis: *De controversia, quæ inter Ecclesiam & regnum est, vel conventioni vel justitiæ libenter acquiescimus loco & tempore competenti, videlicet Mediolani, vel Cremonæ, in proxima B. Lucæ festivitate, fratrum nostrorum judicio, qui a Deo judices constituti sunt in Ecclesia, & sine quibus hæc causa tractari non potest*. Liberalius se gesserat Gregorius VII. qui in causa mixta, quæ sacerdotium & regnum respiciebat, ex clericis & laicis Concilium conflari volebat, cum Gelasius videatur ad solos Episcopos hanc cognitionem contrahere. Illis tamen judicandi auctoritatem defert: quia, etsi de singulis negotiis & causis privatis suprema judicia a sola Romana sede redderentur hoc seculo, attamen causas communes & generales ad Concilii definitionem ipsi Pontifices Romani referebant. Unde Innocentius III. cum urgeretur a Philippo Rege Francorum, ut illius nuptias cum Ingeburge dissolveret, ea facti specie proposita, quæ hodie apud Summistas & ceteros tractatores nulla difficultate laborat, quin matrimonium consummatum non fuisse dicant, rem illam absque Concilii generalis discussione fieri non posse scripsit his verbis: *Verum, si super hoc absque generalis deliberatione Concilii determinare aliquid tentaremus, præter divinam offensam & mundanam infamiam, quam ex eo possemus incurrere, forsan ordinis & officii nobis periculum immineret, cum contra præmissam veritatis sententiam nostra non possit auctoritas dispensare*, id est, in præceptum illud divinum, *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, nullam cadere dispensationem, ceterum, an matrimonium consummatum sit in facti specie proposita, in Concilio generali disceptandum esse.

Gregor. VII. l. 9. ep. 28.

Gelasius II. in ep. ad Episc. Galliæ.

Innoc. III. lib. 15. ep. 107. *Etsi commixtio sexuum in eorum carnali commercio intercesserit, commixtio tamen seminum in vase muliebri non extitit subsecuta*. Ibid. epist. 105.

V. Unde patet, hoc seculo duodecimo in causis communibus, quales erant Regum aut provinciarum querelæ, Concilii generalis non inepte, nec invitis Pontificibus, imploratum auxilium fuisse. Primus omnium, qui appellatione ad futurum Concilium usus est, prodit sese apud Historicos Fridericus II. Imperator: qui ad Concilii cognitionem evocatus a Gregorio IX. & ab Innocentio

centio IV. ob dissidium cum Ecclesia Romana, de hæresi & aliis facinoribus delatus, Thaddæum Legatum suum ad Concilium Lugdunense misit anno millesimo ducentesimo quadragesimo quinto. Hic post exceptiones Friderici propositas, cum ferendam videret ab Innocentio depositionis sententiam, *appellavit pro eo ad Concilium proxime futurum generalius. Nec enim nunc omnes Prælati vel eorum Principum procuratores apparent hic in præsentiarum;* ut dicebat ille, teste Matthæo Paris. Cujus petitionem Papa non eo nomine repulit, quod inepta esset provocatio ad Concilium, sed eo, quod Concilium illud Lugdunense generale esset, ubi quamplurimi Episcopi & *Nobiles* aderant, aut eorum procuratores, iis solis absentibus, quos Fridericus auctoritate sua continebat; ideoque, ne ex malitia sua commodum reportaret, neve fraus illi sua patrocinaretur, sententiam depositionis non esse differendam, quemadmodum Matthæus Paris retulit.

VI. Martinus V. cum frequentia appellationum ad futurum Concilium, non solum in causis communibus, sed etiam in privatis, supremam in judiciis apostolicæ sedis auctoritatem infringi videret, commotus etiam audacia Legatorum Ladislai Poloniæ Regis, qui, cum libelli cujusdam hæresibus scatentis damnationem trahi viderent, & Concilium Constantiense mox esse dissolvendum, *protestati sunt de gravamine & de appellando ad futurum Concilium*, constitutione promulgata in Consistorio generali celebrato Constantiæ anno MCDXVII. vetuit, ne quis a sede apostolica appellaret aut ejus judicium in causis fidei declinaret. Id testatur Joannes Gerson, qui statim edito libello docuit, licitam esse in causis fidei a Papa ad Concilium provocationem; quia Papa in his causis pendet a Concilio, ut ille pluribus exsequitur. Ceterum an sit jus appellandi in causa disciplinæ eversæ & canonum manifeste corruptorum, Gerson tractatu illo non edisserit; quamvis iis argumentis utatur, quæ utramque partem conficiant, scilicet si de fide, de schismate, aut de reformatione Ecclesiæ in capite & membris agatur. Pius secundus, a quo Sigismundus Dux Austriæ & Georgius Heymburgius Jurisconsultus communione abstenti Concilium appellaverant, literis Mantuæ in conventu Principum publicatis has appellationes iterum prohibuit anno millesimo quadringentesimo sexagesimo. Quod interdictum adversus morem jam receptum sic Gallicana Ecclesia statim interpretata est, ut privatis causis, non autem communibus, censeret accommodandum, præcipue si Regibus aut regionibus injuria inferretur, ex qua fidei vel unitatis ecclesiasticæ læsio vel disciplinæ manifesta interversio sequi posset. Hac interpretatione verba generalia legis mitigavit Joannes Dauvet Procurator regius, cum ex mandato speciali Caroli VII. Francorum Regis a comminatione Pii II. ad Concilium provocaret. Denuntiaverat Pontifex in conventu Mantuano sibi abstinendum esse a consortio Francorum, quod eas constitutiones amplexi essent, quæ a Concilio Basileensi editæ, summam sedis apostolicæ auctoritatem læderent, & Ecclesiæ unitatem libertatemque perimerent. Requirit itaque Procurator regius libello contestatorio, ut in loco tuto ac libero Concilium plenarium ex orbe universo a Pontifice congregetur, quo paci Ecclesiæ hac ratione maturius consulatur; ita tamen, ut canones interim in Gallia serventur; adeoque si ob canonum custodiam censuris agatur adversus Regem aut regnum, se de earum nullitate coram Concilio conquesturum profitetur. Referuntur aliquot formulæ appellationum, quas Ludovicus XI. & Joannes Nanterre Procurator regius, Universitatis Parisiensis, nunc ob decimas indictas, nunc ob Pragmaticam sanctionem & Concordatorum promulgationem, emiserunt a Papa ad ipsum melius consultum, vel ad synodum universalem. Sed ex iis formulis constat, hæc remedia nunquam adhibita, nisi cum de causa communi & de manifesta canonum eversione ageretur, quæ universam Ecclesiam Gallicanam respiceret.

Tractatus Joannis Gerson, *Quomodo & an liceat in causis fidei a summo Pontifice appellare.*

C.23.n.10.T.2. Libert.

Vide cap.13.T. 2. Libert.

Vide Glossam Pragmaticæ tit. de causis §. ult. verbo, *Fores.*

VII. Porro dubii fuisse videntur majores nostri in formula appellationis istius constituenda, quam disjunctiva dictione protulerunt: *Ad Pontificem, vel ad Concilium, ad quem vel ad quos provocandum esset.* Hujus formulæ auctores fuerunt illi, qui Philippi IV. Regis & Gallicanæ Ecclesiæ appellatorium libellum conceperunt anno MCCCIII. quam secuti sunt posteri. Quod ab eis consulto factum est cogitantibus duplici remedio appellationis ad Papam & ad Concilium subveniri posse. Ut enim Principes, etsi raro, aliquando tamen in auditorium suum res judicatas induci patiuntur, ita ex Innocentio primo & Nicolao, quorum verba refert Gratianus, *sententia Romana sedis potest in melius commutari, cum subreptum aliquid fuerit, aut ipsa pro consideratione ætatum vel temporum seu gravium necessitatum dispensatione quædam ordinare disponit.* Unde Ivo malebat ab ipsa sede ad ipsam confugere clericos, quam ab Ægypto auxilium petere, id est, a regia potestate: *Quoniam*, inquit, *judicia Romanæ Ecclesiæ a nemine foris retractari posse eadem Romana Ecclesia docente didicimus, si qui aliquando se prægravatos ipsius Ecclesiæ auctoritate conqueruntur, hoc eis consilium damus, ut non descendant in Ægyptum propter auxilium, sed ab ipsa ad ipsam confugiant, & inde expetant levamen, unde conqueruntur accepisse gravamen: quia, quæ aliquando corrigit paterna severitate, eadem frequenter colligit materna pietate.* Quamvis autem remedium istud juris extraordinarium, restitutio in integrum, vel retractatio, aut supplicatio dici deberet, attamen ab interpretibus *appellatio a Papa male informato ad melius informandum* dicta est; argumento ducto a verbis Ulpiani, qui contra rescriptum Principis provocari posse dixit; etsi in specie ab Ulpiano proposita rescriptum ad consultationem Præsidis provinciæ, qui consulendo mentitus erat, a Principe datum sit, & appellandi jus tribuatur, non a rescripto, sed a sententia Præsidis, non ad Principem, sed ad superiorem magistratum. Satius esset exemplo Machetæ niti apud Plutarchum, qui a dormiente Philippo ad eundem vigilantem appellabat. His tamen omissis, ne controversiam de verbis instituere videamur, certum est, has appellationes a Papa ad eundem illo seculo suffragiis interpretum receptas fuisse, quod Ivo aptius confugium ab ipsa ad ipsam dixit, quemadmodum appellationes ad futurum Concilium aliquando usurpabantur. Itaque non eo consilio disjunctivis verbis appellabant majores nostri, ac si dubitarent, quænam auctoritas Papæ aut Concilii esset appellanda, ut quibusdam visum; sed utroque remedio suis rebus prospicere curabant, scilicet uno in subsidium alterius suffecto. Posset alia ratione eorum consilium explicari, scilicet ad jus cogendi Concilii & ordinandi respexisse, quod Pontifici competit, adeoque sedis apostolicæ auxilium appellationis formula implorandum videatur; præcipue cum antiquitus mos ille observatus fuerit ab Eutyche, a Flaviano, & a Chrysostomo, ut etsi Concilium œcumenicum appellaverint, libellum tamen appellatorium ad Romanum Pontificem dederint, cujus deinde studio Concilium plenarium cogeretur, cui ipse per se aut per Legatos suos præesset. Quare Gallicani Episcopi, ne temere ab antiqua consuetudine discederent, formula sua Pontificem, sedem apostolicam, & synodum universalem complexi sunt. Deinde ista verborum conceptione obviam ibant scrupulosis cavillationibus, quæ a forensibus magistris, in opinionum dissidio, quod tunc vigebat, moveri potuissent. Disputabatur enim eo seculo a Romanis, an Papa superior esset Concilio; & Ulpiano placuerat, ei, qui minorem judicem appellasset, errorem officere, atque ideo errantem appellationis beneficio excidere. Itaque in omnem eventum hac disjunctiva appellatione etiam apud ipsos Romanos sibi consulebant.

Tit. 18. ff. de minorib.

C. *Sententiam* & seq. 35. q. 9. c. *Cum ex literis.* De in integr. restit.

Ivo ep. 159.

ff. de appell.

Sic Alexander a Turre lib. 5. ecclesf. hierarch. pag. 267. ait appellari posse a Papa dormiente ad ipsum vigilantem.

Recherches de Pasquier liv. 3. chap. 33.

L. 1. §. *Si quis* ff. de appellat.

VIII. Quæ-

VIII. Quæſtionem iſtam de appellatione ad futurum Concilium veterum actorum inficiatione & rationibus aliquot adductis confecit vir eruditus Theologiæ profeſſor, Andreas Du-Vallius; a quo eas petere licet, ſi cui methodus noſtra plene non ſatisfecit. Ex quo auctore hæc verba tranſcribenda duxi, ut, quæ ſit hujus ſententia, conſtet: *Maneat itaque hoc ratum & conſtans, omnem a ſummo Pontifice ad Concilium, ſive futurum, ſive præſens, appellationem eſſe prorſus illicitam; idque ſive Papa ſit infra, ſive ſupra Concilium, cum rationes allatæ in utraque ſententia concludant. Dices Principes & Reſpublicas graviter nonnunquam conqueri, ſe a Pontificibus graves injurias pati, nullumque ad has depellendas efficacius remedium eſſe præter provocationem ad Concilium generale. Reſpondeo, non licere propterea ad Concilium provocare, cum Principes ſibi ſuiſque rebus poſſint alia via conſulere, ſcilicet non obediendo mandatis Pontificis, imo ſi aliter non poſſunt ſibi ſuccurrere, ſtrenue prudenterque reſiſtendo, & cum ea moderatione, quam ſuperiori quæſtione, ubi de iniquis & Eccleſiæ pernicioſis diſpenſationibus, aſſignavimus.*

Andr. Du-Vallius de ſuprema Rom. Pontif. in Ecclef. poteſtate parte IV. quæſt. ultima.

CAPUT XVIII.

De libertate regni conſervata contra auſus & invaſionem Epiſcoporum Regni.

SYNOPSIS.

I. Si Epiſcopi invaderent juriſdictionem regiam, prohibitionibus & mulctis utebantur judices ſeculares, exemplo Juſtini Imperatoris, qui lege coercuit Defenſores Eccleſiarum.

II. Bona clericorum capta ad tuendam juriſdictionem regiam, ex Ivone, e Capitularibus Caroli Calvi, Hincmaro, & Philippo quarto. Principes noſtri non uſi ſunt expulſione a ſede, quæ erat pœna a legibus indicta, quam Conſtantinus induxit. Suſpenſio ab officio irrogata a Juſtiniano & a Theodoſio. Sed hic ſequebatur Concilium Epheſinum adverſus Joannem Antiochenum. Hiſpani pellunt regno contumaces Epiſcopos, & reditibus privant. Modeſtius ſe gerunt Galli.

III. Vetitum a Concilio Lugdunenſi, ne judices eccleſiaſtici cogantur cenſuras tollere, perſonis vel bonis captis, aut, qui his utuntur, earum uſu deſiſtere.

IV. Lex illa recepta olim a Gallis, ſed interpretatione adjecta, ita, ut locum haberet in vera cenſura, non autem in ea, quæ eſt nulla, quæve jura regia violat. Hæc interpretatio continetur mandatis Philippi IV. perlatis ad Pontificem per Epiſcopos legatos Regis in cauſa Capituli Carnotenſis. Bona capiuntur, non propter cenſuras præciſe, ſed propter invaſam juriſdictionem. Baillivus Carnotenſis de juribus regiis ſe reſponſurum cavet in curia Regis, de ſpirituali coram judice competenti.

V. Ea interpretatio locum ſemper habuit in Gallia ſtatim poſt Concilium Lugdunenſe. Vetitum tamen lege Philippi IV. ne domus diruerentur, ut antea fiebat. Bona capi ſolita poſt Concilium Lugdunenſe docent Durandus Epiſcopus Mimatenſis & Guillelmus de Nogareto.

I. Quæ hucuſque diximus, obſervata ſunt, ſi a Romana curia juribus regiis injuria fieret. Quando autem ab Epiſcopis regni in detrimentum ſecularis juriſdictionis aliquid tentari contingebat, regii magiſtratus regiam juriſdictionem tuebantur prohibitionibus decretis adverſus clericos; deinde ſi contra niterentur Epiſcopi, aut eorum Vicarii, & juriſdictionem quoque ſuam cenſuris defenderent, pœnale judicium adhibebant, ſcilicet pignorum capionem, & mulctarum exactionem, donec ab invaſione ceſſatum eſſet. Hac ratione compeſcuit olim Defenſores Eccleſiarum Juſtinus Imperator, conſtitutione lata, qua illos monet, ut ab inſinuatione teſtamentorum abſtineant, quæ ſoli Magiſtro cenſus in urbe regia competebat, pœna quinquaginta librarum auri temeratoribus legis indicta. Defenſorum Eccleſiæ munus Clericis ab Epiſcopo conferebatur, ut patet e canone II. Concilii Chalcedonenſis; qui longe differunt a Defenſoribus Eccleſiarum, quos ab Imperatore petendos decrevit Concilium Africanum ad tuendos patrocinio ſuo pauperes, de quibus alibi a nobis dicetur.

L. *Conſulta.* C. de teſtam. *Defenſores Eccleſiarum, quos turpiſſimum intimationis genus irrepſerat, præmonendos cenſemus, ne rem attingant, quæ nemini prorſus omnium ſecundum conſtitutionum præcepta, quam cenſus magiſtro competit. Abſurdum eſt namque, ſi promiſcuis actibus rerum turbentur officia, & aliis creditum alius ſubtrahat, & præcipue clericis, quibus opprobrium eſt, ſi peritos ſe velint diſceptationum eſſe forenſium. Pœna etiam temeratoribus præſentis ſanctionis feriendis quinquaginta librarum auri.*

II. Hujus bonorum capionis exemplum peti poteſt ex Ivone; qui refert contentionem, quæ orta erat inter Regem Ludovicum VI. & Belvacenſem clerum ob accuſationem adverſus Canonicum illius Eccleſiæ inſtitutam. Hinc privilegio perſonæ Belvacenſis Eccleſia clerici cognitionem ad ſe trahebat; inde facti conditione curia Regis judicium ſibi aſſerebat. Conſultus Ivo a Belvacenſibus reſpondit, ſi audientia regalis curiæ reſpueretur, Regem offendi, ceterum eorum deſiderium jure niti; attamen obſiſtendi pertinaciter conſilium non præbuit, quia neſciebat, an parati eſſent ad ea incommoda ferenda, quæ hanc contumaciam ſequebantur; quorum ille deſcriptionem his verbis inſtituit: *Si autem ſciremus, vos eſſe paratos, ut cum gaudio tolerare poſſetis ruinas domorum, exterminationes corporum, rapinas bonorum veſtrorum, poſſemus vos exhortari, ut ſequeremini conſilium Suſannæ, quæ magis elegit in manus hominum incidere, quam Dei legem derelinquere. Sed quia in donis ſpiritualibus conſilium & fortitudo conjuncta ſunt, conſilium aliud, niſi quod patientia veſtra tolerare poſſit, dare non audemus, quia, qualis veſtra ſit fortitudo, ignoramus.* Vidimus ſuperius, ex Capitularibus Caroli Calvi, decimas interverſas, ſi præceptis regiis non obtemperaretur, & ex Hincmaro bonis ſuis exturbatos Epiſcopos, ſi Regis juriſdictionem auctoritate eccleſiaſtica infringere vellent. Quod obtinebat adhuc ſeculo Ivonis, id eſt, circa annum MCXV. ut patet ex hac epiſtola, & ex altera ejuſdem auctoris ſuperius laudata. Quæ conſuetudo edicto Philippi IV. firmata ad hæc uſque tempora perduravit. Alienam a temporibus ſuis & ab eccleſiaſticæ diſciplinæ reverentia Principes noſtri exiſtimarunt pœnam illam, quæ contumacibus Epiſcopis irrogata eſt aliquando ab Imperatoribus Romanis, nempe expulſio a ſede, & ſuſpenſio ab executione officii, ut ex Juſtiniano ſuperius oſtendimus. Quod ille non invexerat in Eccleſiam, ſed a deceſſoribus ſuis hauſerat; quorum conſtitutiones expulſionum, exilii, & mulctarum comminationibus clericos frequentiſſime terrent. Quibus Conſtantinus præiviſſe videtur, qui epiſtolæ, qua Epiſcopos ad Concilium Tyrium evocat, has minas inſerit: *Quod ſi quis, ſicut minime ſuſpicor, noſtrum mandatum etiam jam callide rejicere ſtudens, recuſet ad Concilium adventare, hinc a nobis aliquis mittetur, qui eum regio mandato de dignitate ſua dejiciat, doceatque non decere quempiam deciſionibus Imperatoris pro veritate editis adverſari.* Quod ad ſuſpenſionem attinet, Theodoſius Joannem Antiochenum ad communionem Cyrilli Alexandrini & Concilii Epheſini hortatus, interim donec inter illos pax reſtituta fuerit, vetat Joannem, ne ullas ordinationes vel depoſitiones tentet: *μηδεμία ἐξ ἐπισκοπικῶν καταστάσεων, ἢ καθαιρέσεων, ἢ καὶ οἱασδηποτοῦν χειροτονίας προσψαύηται καινοτομία.* Hoc fortaſſe exemplo Juſtinianus ſibi licere putavit annalem ſuſpenſionem a miniſterio Epiſcopis irrogare. Sed attendere debuerat, a Theodoſio hanc pœnam Joanni Antiocheno indictam, quia ſententia Epheſini Concilii jam antea fuerat adverſus Joannem decreta *αὐθεντίας* & *ἐξουσίας ἱερατικῆς* ſuſpenſio, donec ſententiæ adverſus Neſtorium latæ adhæreret. Apud Hiſpanos obtinet, ut Epiſcopi & clerici, qui mandatis regiis non obtemperant, ſeu ad impertiendam tuitionem contra vim judicum eccleſiaſticorum in cauſa eccleſiaſtica latis,

Ivo epiſt. 137.

Ivo epiſt. 178.

Apud Theodoret. l. 1. c. 29. *ὡς ἐκ βασιλικοῦ προστάγματος αὐτὸν ἐκβαλεῖν, ὡς οὐ προσῆκον, ὅρους αὐτοκράτορος ὑπὲρ τῆς ἀληθείας ἐξενεχθέντας μὴ ἀνατείνειν, διδάξει.*

Theod. ep. ad Joan. Antioch.

Concil. Epheſ. parte 2. act. 5.

five ad repellendam invasionem, quæ fit a clericis adversus jurisdictionem secularem, aut ob quamcunque aliam graviorem contumaciam, jure civitatis seu *naturalitatis regni* priventur, & statim a regno expellantur, suisque reditibus spolientur. Non quidem, inquiunt illi, per modum jurisdictionis ordinariæ, quæ in clericos Regibus non competit, sed potestate quadam politica & œconomica, ut docent Covarruvias & Bovadilla & omnes scriptores Hispani. Minus ergo austerum est remedium, quod a Gallis usurpatur, quam quo Romani Principes utebantur olim, quove Hispani læsam auctoritatem vindicant, licet remedium nostrum ferro causas seu morbos curet potius, quam emplastro.

Covarr. pract. quæst. c. 35. Bovadilla l. 2. polit. cap. 18. n. 62.

III. Enimvero, quia quod jure niti poterat in quibusdam speciebus, ut plurimum in contemptum apertum jurisdictionis ecclesiasticæ, & excommunicationum trahebatur a Principibus & eorum magistratibus, Concilium Lugdunense has bonorum capiones & personarum vexationes aliquando trucidatarum ob latas censuras sub pœna excommunicationis inhibuit. Relatum est decretum in collectione libri sexti Decretalium. Sed majoris momenti apud nostros esse debet, quod in urbe Lugdunensi præsente Gregorio X. Philippo III. Rege Francorum, Rodulpho Imperatore occidentis, & Michaele Palæologo Constantinopolitano, Episcoporum omnium suffragiis latum est anno millesimo ducentesimo septuagesimo quarto: *Quicunque pro eo, quod in Reges, Principes, Barones, Nobiles, Ballivos, vel quoslibet ministros eorum, aut quoscunque alios excommunicationis, suspensionis, seu interdicti sententia fuerit promulgata, licentiam alicui dederint occidendi, capiendi, seu alias in personis aut bonis suis vel suorum gravandi eos, qui tales sententias protulerunt, sive quorum sunt occasione prolatæ, vel easdem sententias observantes, seu taliter excommunicatis communicare nolentes, nisi licentiam ipsam re integra revocaverint, vel si ad bonorum captionem occasione ipsius licentiæ sit processum, nisi bona ipsa sint infra octo dierum spatium restituta, aut satisfactio pro ipsis impensa, in excommunicationis sententiam incidant ipso facto.* Infra: *Qui autem in eadem sententia permanserint duorum mensium spatio, ex tunc ab ea non possint nisi per sedem apostolicam absolutionis beneficium obtinere.*

C. Quicunque. XI. De sent. excom. in 6.

IV. Aliquis forte suspicabitur, nec injuria, constitutionem istam in regno receptam non fuisse, cum usum contrarium saltem in capiendis bonis viguisse constet etiam post illud decretum. Sed nolo exceptione illa constitutionem sanctissimam repellere, cum majorum nostrorum reverentia consecratam fuisse videam. Illam solum interpretatione juverunt, ne jura regia violaret. Voluerunt itaque decretum, quoad illas censuras vel excommunicationes locum habere, quæ nullæ non essent. Si enim aut quia a judice non competente latæ, aut alio manifesto vitio nullæ essent, cum excommunicationum vires neque nomen obtinerent, non existimarunt in iis speciebus decreto Concilii Lugdunensis magistratus regios deterrendos esse ab asserenda jurisdictione regia, si opus esset. Deinde bona capi dixerunt, non præcise, ut rescindatur excommunicatio, sed, ut ab injuria regiæ auctoritati facta cesseretur, unde per consequentiam excommunicatio dissolvatur. Hanc interpretationem accepto ferre debemus veteri cuidam chartæ e Tabulario Cameræ Parisiensis petitæ, qua mandata continentur a Rege Francorum Philippo IV. Archiepiscopo Senonensi & Episcopo Antissiodorensi data, quando iis legatis ad Pontificem Romanum usus est ante annum millesimum tercentesimum hac occasione. Capitulum Carnotense interdicto & excommunicatione in ministros regios sævierat, quod ab Advocatis Capituli, hominibus laicis, tributa ceteris etiam civibus indicta exigerentur, eo prætextu, quod privilegio antiquo ab iis dependendis excusarentur; quamvis decem tantum Advocatis immunitate concessa, Capitulum Advocatorum numerum auxisset. Statim a conservatoribus privilegii ab apostolica sede Regibus indulti, ne terræ domanii regii interdicto subjiciantur, moniti Canonici, ut interdictum amoveant, cum recusarent, excommunicantur, eorumque bona jubente Rege capiuntur. Querela defertur ad sedem apostolicam, ac si per vim absolutio a censuris exigeretur contra decretum Concilii Lugdunensis. Qua de re literis Pontificis Rex monitus, per Episcopos legatos suggerit Papæ, inter cetera bonis captis distringi a se Capitulum, quod suam jurisdictionem invasisset, quo jure adversus Reges & Principes in simili specie uteretur. Deinde non esse, quod vis adhibenda sit ad eam excommunicationem solvendam, quæ nulla sit. Quare duplici responsione nos instruit; bona scilicet capi principaliter ob injuriam, quæ fit regiæ jurisdictioni, quod prohibitum non est a Concilio Lugdunensi, tum decretum illud non violari, si excommunicatio sit nulla. *Nec tale nostrum jus evacuare*, inquit, *vel tollere intellexit Concilium Lugdunense, sed jura Ecclesiarum duntaxat ita conservare, quod propter hoc non rapiant vel injuste retineant aliena. Alias summa & evidens iniquitas insurgeret ex eodem, quod non est ferendum, cum sit perpetuum, jura juribus concordare.* Plurima alia his mandatis continentur, de quibus Philippus cum apostolica sede expostulat. Unde patere possit necessitate cogente Reges Francorum ad repetenda antiqua jura, quæ paulatim convellebantur, & ad restaurandam dignitatem suam per modum defensionis naturalis tandem impulsos fuisse. De his capitibus, quæ clericorum privilegia respiciunt, alibi dicemus uberrime, cum hic tantum de modo & ratione retinendæ jurisdictionis agatur. Observandum autem est Baillivum Carnotensem ex mandato Regis ita cavisse scripto suo, ut de his, quæ literæ apostolicæ complectebantur, se responsurum coram Rege & ejus curia sponderet, quod attinet ad jurisdictionem Domino Regi competentem; quoad ea vero, quæ *spiritualitatem* contingunt, coram judice competente jus Domini Regis defensurum.

E Regestis Cameræ Comput. Parisf.

V. Eam vero interpretationem, quam modo retuli, secuti majores nostri Episcopos & clericos a perturbanda jurisdictione seculari, bonis captis, etiam post decretum Lugdunense averterunt. Temperamentum tamen quoddam adhibuit Philippus IV. constitutione edita anno MCCCII. scilicet ne domus captæ diruantur aut deformentur, quod aliter obtinebat temporibus Ivonis, ut supra adnotavi. Præter testimonia superius adducta, tres oculatos testes proferre possum omni exceptione majores, qui docent, quænam esset magistratuum regiorum sententia. Durandus enim Mimatensis Episcopus conquerebatur suo tempore vim fieri Jurisdictioni ecclesiasticæ a judicibus secularibus contra decretum Concilii Lugdunensis: *Item impediunt*, inquit, *jurisdictionem Ecclesiæ: quia cum in eos vel eorum ministros aut officiales vel subditos excommunicationis, suspensionis, interdicti sententiæ proferuntur, gravant ex hoc proferentes vel res aut subditos eorundem, quousque absolutionis beneficium deferunt ad eosdem; nec sufficit remedium excommunicationis, sicut ait Gregorius X. de sententia excommunicationis. Quicunque in Sexto.* Guillelmus Nogaretus & G. de Plesseiano Milites & Regis procuratores eodem tempore, quo Durandus, id est, circa annum MCCCVI. afferunt in libello suo porrecto Clementi V. Pontifici, *quod cum Prælati vel eorum officiales per jurisdictionem suam spiritualem impediunt & perturbant jurisdictionem temporalem notorie sic, quod negari non potest, Dominus Rex prædictus de antiqua consuetudine regni, quia spiritualitatem Prælatorum coercere non debet, distringere potest temporalitatem talium, quousque cessent ab impedimento prædicto.* Infra: *Et dicto jure coercitionis Dominus Rex utitur, & tam*

Durandus in tract. de modo Concilii generaliter celebrandi. Rubr. 70.

C. 7. N. 22. §. 24. Tom. 2. Libert. Eccl. Gall.

tam ipse, quam ejus prædecessores usi sunt tanto tempore, de cujus contrario memoria non existit.

CAPUT XIX.

De pace inita inter Franciscum I. & Leonem X. P. R. & inde ortis appellationibus ab abusu.

SYNOPSIS.

I. Post contentiones ob Pragmaticam sanctionem pax initur inter Ecclesiam & regnum. Indictio Concilii Lateranensis, cui tandem adhæsit Ludovicus XII. Transegit cum Leone X. Franciscus I. Controversiæ ecclesiasticæ finiendæ sunt per conventionem, e Gelasio II. & Concilio Africano.

II. Per Concordata restituta est pax & libertas Ecclesiæ Gallicanæ. Eorum executio commissa Regi a Pontifice, & a Rege Curiis Parlamenti. Quæ per appellationes ab abusu *conventiones illas tuentur.*

III. Abusus *dictio usurpata in Gallia ante annos trecentos, ex Durando, Joanne Parisiensi, & veteri arresto. Post Concilium Constantiense frequentius. Abusus est potestatis perversus usus, e Simplicio, Adriano secundo, Sigeberto, Roberto Lincolniensi.*

IV. Antiqui Pragmatici appellatione ab abusu in re ecclesiastica usi sunt ante Concordata: quæ, cum de rescriptis Papæ agebatur, subsidiaria erat appellationi ad Papam & ad Concilium. Error recentiorum, qui Petri Courthardi & Joannis de Nanterre veteres appellationum formulas ad Curiam Parlamenti directas fuisse existimant. Earum vis explicata.

V. Appellatio ab abusu a judiciis Episcoporum in negotio ecclesiastico ante Concordata, ex Aufrerio. Distincta erant rescripta ob Pragmaticam infractam & appellationis ab abusu. Primo casu non appellabatur, sed ex nullitate *agebatur. In ceteris casibus appellabatur, abusus mentione injecta, ad testandum, nihil agi jurisdictione ordinaria a judicibus secularibus. Mera appellatio a judice ecclesiastico ad secularem nunquam admissa. Frequentia harum appellationum a Theologorum Parisiensium decretis profecta, qui Principum auxilia implorari posse adversus excommunicationes nullas scripserunt.*

VI. Rationes allatæ olim a magistratibus ad confirmandas appellationes ab abusu in causis ecclesiasticis, ex Aufrerio. Earum vis expenditur breviter. Rebuffi sententia.

VII. Præter superiora remedia adhibebatur aliud ad tuendam jurisdictionem temporalem, per prohibitiones & mulctas. Post Concordata, tria illa remedia explicantur unica formula appellationis ab abusu. Quæ in Concordatis asserendis expressa Pontificis auctoritate nititur; in ceteris articulis, tacita.

VIII. Constitutionibus regiis confirmatæ istæ appellationes in causis ecclesiasticis; & præscriptus modus quidam, ne judices regii ea auctoritate abutantur. Si agatur de correctione clericorum, appellatio non suspendit judicatum, licet devolvat ad Curiam.

I. POst graves illos motus in Ecclesia Gallicana excitatos ob retenta Basileensis synodi decreta & usum Pragmaticæ sanctionis, tandem Ecclesiæ & regni interfuit, pace inita, sic inveterata dissidia componere, ut dignitati sedis apostolicæ & libertati Ecclesiæ Gallicanæ consuleretur. Laterani Concilium generale indixerat Julius II. anno MDXII. ut Pisanum conventum a Cardinalibus aliquot ope consilioque Imperatoris Maximiliani & Ludovici XII. Regis Francorum coactum dissolveret & Pragmaticam sanctionem Gallorum rescinderet. In eum finem edictis suis Ecclesiam Gallicanam, Curias regni, ipsumque Regem ad illud Concilium Lateranense evocaverat. Discesserant a conventu Pisano, post obitum Julii, Maximilianus & Ludovicus, hicque per legatos suos se Concilio Lateranensi adhærere professus est, pollicitusque Leoni effecturum se, ut ab Ecclesia Gallicana aliqui mitterentur, qui de Pragmatica sanctione responderent. Obeunte Ludovico, Franciscum I. Galliæ Regem hæc cura respexit: qui a Leone & a Concilio edictis aliquot monitam videns Ecclesiam Gallicanam, in eoque res esse positas, ut sententia Concilii generalis, cui Reges Christiani fovebant, regnum Francorum de schismate propediem damnaretur, nihilque superesse, quo se adversus illa decreta Concilii tueretur, cum Universitas Parisiensis olim a rescissione Pragmaticæ summum Pontificem & Concilium generale provocasset, quod jam in æde Laterani haberetur, quodque ipsi Reges Gallorum, ut synodum generalem agnovissent, prudentissime de hac contentione cum Leone transegit. Etenim cum duplici ratione pax regni & sacerdotii restituenda sit, *Conventione*, aut *Concilio*, ut monuerat Gelasius secundus, maluit pactis conventis Ecclesiæ Gallicanæ tranquillitatem procurare, quam aut causa cadere in Concilio suffragiis Episcoporum a rebus nostris alienorum, aut perpetuo dissidio & schismate cum summis Pontificibus conflictari. In quo Faustini Legati Romanæ sedis consilium sequebatur, qui tractatione & assidua collatione contentiones hujusmodi, quæ de jurisdictionibus emergunt, componi posse facilius & gratius existimabat. De canonibus Nicænis a Faustino prolatis agebatur, quos Alypius Episcopus in Concilio Carthaginensi dubios esse dixerat; qua de re ad sanctissimum Papam scribendum esse monet, *ut ipse beatissimus Episcopus urbis Romæ, sicut & vestra sanctitas apud se tractat*, inquit Faustinus, *ita & ipse inquirat, ne contentio inter Ecclesias nasci videatur, sed magis caritate fraterna deliberare possitis, ipso rescribente, quod melius observari debeat.* Gelasius II. in ep. ad Episcopos Gallic. anni 1118. Initio Concilii Africani.

II. Pacta inita Bononiæ inter Leonem X. sedemque apostolicam & Franciscum primum regnumque Francorum pacem & libertatem Ecclesiæ Gallicanæ restaurarunt, jurisdictione ordinariis, tum in causis dirimendis, tum in beneficiis conferendis, restituta, reservationibus & gratiis expectativis depulsis, tertia parte beneficiorum graduatis per exceptionem quatuor mensium attributa, simoniaca fœditate, qua Episcoporum & Abbatum electiones laborabant, per regiam nominationem expurgata. Vide lib. 6. c. 9. §. 13. Sed tot vigiliis nihil actum erat, nisi Concordatorum executioni, quæ canonicæ libertati prospexerant, serio caveretur. Ejus desiderii ut compotes essemus, nihil aliud a summo Pontifice exigendum erat, quam ut contractus perpetui vires huic constitutioni adderet, irritum & inane decerneret, si quid in aliqua vel minima parte a quoquam, immo etiam ab ipsa sede apostolica, contra tentaretur, & tuitionem canonum atque decretorum hac constitutione restitutorum, quæ Principibus præcipueque Regibus Francorum jure competit, consensu quoque suo & apostolicæ sedis auctoritate adhibita Regibus nostris permitteret. Quod ille liberaliter & amplissimis verbis fecit, ita, ut istam inter ceteras constitutiones regias recenseri statuerit, & ne qua deinceps tergiversandi occasio superesset, juxta postulationem Regis, Concilii Lateranensis decreto voluerit confirmari. Si quis autem repetat antiquum illum Christianorum Principum, etiam nostrorum, usum, qui canonibus constitutis robur legis addebant, & præsidio auctoritatis suæ eorum executionem adeo muniebant, ut refragantes pœnis legitimis plecterent, atque in contrarium gesta aliquando suspenderent, is profecto restauratam plenissime in Gallia his Concordatis regiæ tuitionis auctoritatem inveniet. Franciscus vero, ut se ab onere expediendarum litium eximeret, curam custodiendæ pactionis in Curias Parlamenti refudit, literis hac de re datis anno millesimo

quingentesimo decimo septimo. Ex eo tempore, quemadmodum olim, si quid adversus decreta canonum & formam a Pragmatica sanctione præscriptam actum esset, querela ad Regem, deinde ad senatum delata, omnia restituebantur in integrum, ita etiam Concordatis violatis, senatus officium imploratum est per appellationes ab abusu.

III. *Abusus* quidem dictio foro nostro ab aliquot seculis in hoc causarum genere non erat incognita, quamvis appellationis formula nondum frequentaretur. Etenim Durandus Mimatensis Episcopus monuit seculares judices solitos illa tempestate, id est, ante trecentos & triginta annos, hac exceptione judices ecclesiasticos de turbata jurisdictione conquerentes repellere, *quod eorum actus essent abusus*. Eodem tempore Joannes Parisiensis Theologus scripsit *abusum* gladii spiritualis, quo seditio excitaretur, repellendum esse per gladium temporalem Principis, cum moderamine. Deinde anno MCCCLXXXV. Procurator regius asseruit, Regis officium in eo versari, *ut revocari faciat omnes interprisias, offensiones & abusus per jurisdictionem spiritualem in jurisdictionis temporalis præjudicium factos vel factas*. Post Concilium Constantiense vox ista frequentius usurpari cœpit; quia tunc discussa est plenitudo potestatis ecclesiasticæ, & tractatum de illius legitimo usu regulis quibusdam præscribendo, ne non tam uti plenitudine potestatis contingeret, quam *abuti* plenissime, ut loquitur Gerson. Hoc verbum deductum est e Simplicii Papæ vulgato loco relato apud Gratianum: *Privilegium dignitatis meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate*, id est, qui fines potestati suæ assignatos a lege, aut a canone transgreditur, qui porrigit se ultra, quam sibi concessum sit. Unde Hadrianus II. Hincmaro exprobrat, quod ministerio juris episcopalis abuteretur: *Miranda est plane vestra fraternitas*, inquit, *quare ministerio juris episcopalis in regionibus illis abutitur*. Sigebertus eo sensu vocem illam usurpavit de Urbano II. & Guiberto loquens: *Dum alter in alterum excommunicandi auctoritate magis ex suo libitu quam ex justitiæ respectu abutitur, auctoritas illius, qui dedit potestatem ligandi & solvendi, omnino despicitur*. Quin & Robertus Lincolniensis: *Non potest sanctissima sedes apostolica aliquid vergens in hujusmodi peccatum vel mandare vel præcipere. Hoc enim esset suæ potestatis abusio*.

Durand. Tract. de modo Concil. gen. celebr. Rubr. 70.

Joan. Parif. c. 22. de potest. reg. & Pap.

Tom. 2. Lib. c. 7. n. 27.

De potest. eccles. Consider. X.

C Ubi, Dist. 74. c. Privilegium. XI. q. 3.

Hincmar. in ep. ad Hadr.

Sigebertus in tract. de Unitate Eccles.

Apud Matthæum Paris Henrico III.

IV. Ceterum etsi *abusus* significatio quamcunque ministerii spiritualis aberrationem complectatur, sive in negotiis ecclesiasticis, seu in temporalibus versetur, ut patet ex testimoniis jam relatis, attamen formula appellationum ab abusu specialiter accommodata est a Pragmaticis antiquis querelæ illi, quæ a clericis adversus vim judicum ecclesiasticorum ad magistratus regios defertur; sive de rescriptis Romanæ curiæ conquerantur, sive de judiciis Episcoporum. Etenim ante Concordatorum editionem Procurator Capituli Parisiensis a decimæ indictione, quam anno MDI. Alexander VI. in Gallia exigi jusserat, ad juvandas universalis Ecclesiæ necessitates appellavit Papam melius consultum, synodum universalem primo celebrandam, *necnon supremum Dominum nostrum Regem Christianissimum ecclesiasticæ libertatis conservatorem piissimum, & ad ejus supremam Parlamenti curiam, ac ad illum vel illos, ad quem seu quos de jure vel consuetudine in hac parte provocare & appellare licet*. Quæ verba observanda sunt, ut inde pateat, in hoc casu appellationem ad Regem subsidiariam fuisse appellationi ad Concilium; in hac enim de iniquitate, in altera de abusu tantum disceptari potest, & unius subsidio juvabantur appellantes, dum alterius præsidium expectabatur. Ita enim distribuenda sunt verba, quæ sequuntur: *Et quia hanc appellationem prosequi potero per viam nullitatis, iniquitatis, excessus, vel abusus, aut aliam, quam ex his duxero, optione mihi seu dictis Dominis meis semper reservata*. Solet allegari a viro doctissimo Choppino & aliis Pragmaticis, ad probandum usum harum appellationum ab abusu, provocatio interposita per Petrum Courthardi Advocatum regium a monitione, quam Innocentius VIII. an. MCCCCLXXXVIII. decrevit adversus Flandros regno Galliæ subditos. Sed formula illa non ad Regem aut Curiam Parlamenti dirigitur, verum ad *Papam modernum melius informandum, & sanctam sedem apostolicam, seu ad eum vel eos, ad quos jure provocare potest vel debet*. Quamvis ea sententia esset, tum Petri Courthardi, tum Joannis de Nanterre, qui an. MCDLXXXIV. a legatione Baluæ Cardinalis a Sixto IV. imposita ipsum Sixtum vel eos appellaverat, qui appellandi essent, ut pendente illa appellatione nihil innovaretur, omnemque innovationem Princeps suæ auctoritatis præsidio impediret.

Tom. II. Libert. c. IV. n. XIII. & c. XIII. n. 14.

V. Eas quoque appellationes ab Episcoporum judiciis interpositas ante Concordatorum editionem invectas fuisse in forum, docet Stephanus Aufrerius in opusculo suo, quod excusum est anno millesimo quingentesimo decimo quarto. Unde duo quædam colliguntur, quæ ad hujus dissertationis illustrationem valde conducunt. Unum est, jurisdictionem regiam se tunc rebus ecclesiasticis immiscuisse *in præsenti regno, ubicunque per Prælatos, clericos, vel alios quoscunque aliquid fit vel attentatur contra decreta Basileensis Concilii & Pragmaticam sanctionem*. Alterum est, *ubi ecclesiastica potestas abutitur notorie sua jurisdictione vel potestate. Quo casu etiam contra clericos concedi solent per Cancellariam literæ in casu appelli ab abusu notorio vulgariter nuncupatæ*. Quare distincta & separata erant rescripta illa, ob Pragmaticam infractam, & appellationis ab abusu. Pragmaticæ violatæ rei in jus vocabantur, nulla appellationis mentione injecta, eleganti ratione. Quia cum de actus vel sententiæ *nullitate* quæreretur, necesse non erat, ut ex provocatione ageretur, quemadmodum docet titulus Codicis *Quando provocare non est necesse*. Quam provocandi necessitatem eo casu expressa etiam Decretalium verba removerunt; imo vero huic remedio *nullitatis*, etiam post varias sententias, locum esse voluerunt. In ceteris articulis, qui Pragmatica non continebantur, atque adeo eorum *nullitas* nondum erat constitutione aliqua præjudicata, appellatione utebantur; sed ea cautione, ut *abusus* mentio injiceretur; ne quis existimaret, magistratuum consilium illud fuisse, ut ecclesiasticam jurisdictionem seculari submitterent. Quare non de re ipsa se judicium suscepturos, sed de potestatis abusu extraordinaria cognitione habita, protectionis jure oppressis opitulaturos hac formula profitebantur. Simplicem enim & meram appellationem a Curia ecclesiastica ad curiam regiam nunquam in Gallia admissam fuisse fatentur Petrus de Cugneriis, Masuerius, & Joannes Galli. Appellationum autem ab abusu frequentiam induxit Theologorum Parisiensium, præcipueque Gersonis, sententia, qui adversus excommunicationes nullas, morem majorum secutus, Principum secularium præsidium implorari licite posse scripserat: *Contemptus clavium non semper invenitur apud illos, qui nedum non obediunt sententiis excommunicationum promulgatis per Pontificem vel suos, sed etiam non est judicandus apud illos, qui per potestatem secularem adversus tales prætensas sententias tueri se procurant. Lex enim naturalis dictat, ut possit vis vi repelli. Constat autem, quod tales excommunicationes non debent dici jus, sed vis & violentia; contra quam fas habet liber homo vel animus se tueri*.

Aufrerius in Tractatu de potest. secul. super Eccl. in Regula 2. Fallentia 30. & 31.

C. 1. de sent. & re judic. Clem. I. eod. tit.

Petrus de Cugneriis art. 14. Masuerius T. de appellat. §. 22. Gallus q. 161.

Gerson in Tract. circa materiam excom. & irregul. Consid. X.

VI. Dubitabat Aufrerius, quo jure niterentur istiusmodi appellationes. Attamen a magistratibus regiis capita aliquot e Gratiani Decreto petita proferebantur, quorum ille meminit. *Audivi tamen*, inquit, *frequenter officiarios pro hoc dicere esse bonum textum in c. Filiis vel nepotibus 16. q. 7. Quibus ego respondi, dictum canonem esse correctum, ut tenet*

Aufrerius dicto loco.

ut tenet Siculus in c. Qualiter. De judiciis. *Sed ulterius mihi allegaverunt, regiam majestatem ad hoc inter alia fuisse institutam, ut ministros Ecclesiæ, id est, viros ecclesiasticos protegat, cum boni Regis sit tueri Ecclesiam & personas ecclesiasticas. Unde dicit textus 96. dist.* Boni Principis est ac religiosi Ecclesias contritas atque concisas restaurare, novasque ædificare, ut Dei sacerdotes honorare ac tueri. 23. q. 8. *c. Tributum. ibi*, quia nos tueri & defensare deberent; *Et c. Principes* 23. q. 5. *ibi :* Cognoscant seculi Principes, se esse rationem reddituros propter Ecclesiam, quam tuendam suscipiunt. *Et* 23. q. 3. *c. Maximianus, & 2. c. seq. &* 11. q. 1. Christianis, *dum Gelasius Papa Zeiæ Comiti ait :* Clericos tibi committo, ut tuæ sublimitatis tuitione vallentur, ne quid illis aut surreptio, aut inimica legibus violentia necessitatis imponat. *Dicit etiam textus* 23. q. 5. Administratores plane secularium dignitatum, quæ ad Ecclesiarum tuitionem, pupillorum ac viduarum protectionem, rapaciumque refrænationem constitutæ procul dubio esse debent, quoties ab Episcopis & ab ecclesiasticis viris conventæ fuerint, eorum querimonias attentius audiant, secundum quod necessitas expetierit, absque negligentia examinent, & studio diligenti corrigant. *Facit textus in c. Imperatoribus, ubi dicit*, per Imperatorem obviandum perversis, & pauperes defendi adversus potentias divitum, alioqui qui potest perturbare perversos & eis obviare, & non facit, nihil aliud est, quam favere impietati eorum, *c. Qui potest ead. c. & q. Insuper*. Regum est officium proprium, facere judicium atque justitiam, & liberare de manu calumniantium vi oppressos, *ut in c. Regum* 23. q. 5. *Præterea Archiepiscopus notoria crimina subditorum sui suffraganei visitando punire potest ratione hujus notorietatis, quod alias facere non posset, ut in c. Romana. §. Sane. De censibus lib. 6. & facit c. Romana. de pœn. eod. lib. Allegant insuper, quod regia potestas ad id etiam noscitur instituta, ut sanctorum antiquorumque patrum decreta saluberrima spiritu Dei promulgata exequi faciat & inviolabiliter observari. In auth. Quom. oport. Episc. in Princ. col. & in l. fin. C. de summa Trinit. & multas alias rationes pro se soliti sunt allegare. Nunquam tamen audivi neque vidi, nisi semel, quod super meritis hujusmodi causarum appellationum fuerit pronuntiatum, sed duntaxat vel appellationes annullari, aut, quod appellantes non erant, ut appellantes recipiendi, quia a judice spirituali non est ad secularem judicem appellandum*. Sane fatendum est, pleraque ab Aufrerio laudata testimonia longius esse petita; quamvis aliqua huic disceptationi inservire possint. Præcipuum autem illud, in quo causæ fundamentum ponebant, tractum e Concilio Toletano, quo cavetur, Regi denuntiandam esse dissipationem bonorum ecclesiasticorum, quæ fit a Metropolitano Episcopo, ut eam fieri vetet, non adeo urget, ac prima fronte videtur; quia res ecclesiasticæ jure illo veteri & jurisdictioni ecclesiasticæ & regiæ suberant, ut alibi dicetur. In hac autem specie loquimur de judiciis, quæ redduntur in causa ecclesiastica; quæ ad jurisdictionem secularem referri non potest, nisi ratione abusus. Quare non mirandum est, si Rebuffus, qui sola hæc testimonia expenderat, iniquius se gerat erga istas appellationes, quas nimis angustis finibus coercet, scilicet iis casibus, in quibus Rex jurisdictionem habet delegatam a Papa vel a canone, ut in tuenda fide, vel Ecclesia, si oppugnetur, & in casibus a jure expressis.

Ex c. Filiis vel nepotibus 16. q. 17.

Rebuffus in Comment. Constit. Tractatu de appellat. tanquã ab abusu. Vide secundam præfationem Marcæ §. 13.

VII. Duo itaque remedia, ut dixi, accommodata erant ad retinendam canonum & decretorum executionem, scilicet rescripta ob Pragmaticam infractam data, & appellationes ab abusu. Alia formula utebantur, si secularis jurisdictio invaderetur ab ecclesiastica, scilicet mandatis, quibus invasio prohibebatur sub mulctæ comminatione: quorum meminere Joannes Galli, Masuerius, Petrus Jacobi, & Benedictus, antiquiores Pragmatici. *Nec refert*, inquit Benedictus, *an via appellationis, recursus, aut simplicis querelæ fuerit Rex pro tali aut simili excessu aditus, quoniam in sua Curia forma non curatur*. Publicatis Concordatis, satius esse visum est, omnia illa remedia unica formula complecti, appellationis ab abusu; ea præcipue de causa, quod regiis constitutionibus Ludovici XII. & deinde Francisci præcisa erat & abolita nullitatis ratio apud tribunalia judicum, etiam in causis civilibus, & omnia adversus sententias auxilia ad appellationis solennia erant redacta. Itaque hodie & custodia canonum & auctoritas legum his appellationibus velut nervis retinentur: quæ locum habent, cum decreta Conciliorum & consuetudines receptæ infringuntur, vel cum jurisdictio secularis ab ecclesiastica læditur; aut vice versa, cum secularis ecclesiasticam usurpat. Quod his verbis efferri solet a Pragmaticis: Cum violantur *Decreta, Constitutiones regiæ, & Libertates Ecclesiæ Gallicanæ*. Quibus plerique curiarum placita adjungunt. Sed non est, quod speciem distinctam a reliquis tribus in curiarum arrestis constituamus; quæ, ut valida sint, ad unum ex illis articulis referri debent, alioqui, clero conquerente, rescindi possunt. Olim quidem, si quid a Romana curia receptis canonibus contrarium emanaret, nunc solo dissensu Ecclesia Gallicana jus suum servabat, nunc regiam opem implorabat. Sed hodie infrequentia synodorum id effectum est, ut in sola regia tuitione & patrocinio libertas Ecclesiæ Gallicanæ constituta sit; ipso etiam Romano Pontifice hoc præsidium approbante, ut ante diximus. Si quis excipiat, indultam fuisse tantum Regibus nostris Concordatorum protectionem, non ceterorum canonum, illud quidem non inviti concedemus, conceptis verbis eam solum curam illis creditam fuisse; sed ex præsumpta mente summi Pontificis semper Gallicanæ Ecclesiæ persuasum fuit, in ceteris etiam articulis eam tuitionem extraordinariam, quæ in Gallia ante Concordatorum publicationem vigebat, a summis Pontificibus tacite fuisse concessam; cum in rebus majoris persæpe momenti, quæ Concordatis continentur, præsidium regium ad decreta custodienda impendi gratissimum habuerint. Quæ summorum Pontificum consensio inde etiam probari potest, quod ab aliquot seculis, cum appellationum istarum usus frequentetur in Gallia, (non invitis Episcopis, qui modum quendam illis præscribi, non autem rem ipsam aboleri aliquoties postularunt) a Romana curia nihil profectum sit, quo ingratam sibi esse fori trituram illam significaret. Quanta vero sit hujus tolerantiæ & œconomiæ auctoritas, abunde diximus libro tertio.

Benedictus in cap. Rayn. verb. *Si absque liberis* §. 49.

VIII. Quare juris sui conscius Franciscus primus, ecclesiasticæ jurisdictionis conservandæ studio, constitutione lata anno MDXXXIX. modum præscripsit, quem magistratus in his appellationibus disceptandis sequerentur, ne latius vagarentur extra fines, ut antea fieri solebat. Constitutione illa duæ species continentur, in quibus locum esse appellationibus istis dubitari non potest in Gallia; scilicet cum jurisdictio ecclesiastica abutitur potestate sibi concessa erga clericos, tum in morum censura, tum in actionibus mere personalibus, vel etiam, cum realium actionum cognitionem suscipit. Primo casu, si de emendatione Presbyterorum aut ceterorum clericorum, vel de actione mere personali agatur, cui nihil reale sit adjunctum, appellatione non suspendi judicatum, sed judicium ad curias regni supremas devolvi tantum decernit, secus autem in actione reali. Id haustum videtur e Concilio Lateranensi, quod Episcoporum jurisdictionem clericos corrigentium appellationibus non impediendam censuit. Hæc constitutio pluribus edictis deinceps confirmata est, eo casu, quo de morum censura agitur, omissa mentione actionis personalis, tum a Carolo IX. Henrico III. Henrico IV. tum ab invictissimo Rege Ludovico XIII.

Constitutio anni 1539. art. 5.

C. *Vt speciali* D. appellationibus.

Imo vero ex edicto lato anno MDCXII. patet, a Concilii provincialis decretis & Episcoporum mandatis, quæ parœcias visitando dederint in iis, quæ ad officia divina, disciplinam ecclesiasticam, vel morum correctionem pertinent, curias supremas sub titulo abusus provocari posse. Attamen ne clerici hoc remedio impunitatem scelerum potius quærerent, quam legitimum adversus vim auxilium, duplici mulcta, si lite cadant, castigandos esse, constitutionibus sancitum est. Quin etiam, ne magistratus sua auctoritate abuterentur, vetitum est curiis supremis, ne reos carceribus emittant, vel absolvendos *ad cautelam* pronuntient, antequam discussis criminum elogiis, quid decernendum sit, accurate perspiciant. Et ut dignitati Episcoporum & Vicariorum prospiciatur, severe cautum est, ne in posterum se judicio sistere cogantur, cum lis de judicati abusu instituitur.

CAPUT XX.

Quando appellationibus de abusu locus sit?

SYNOPSIS.

I. An sit locus his appellationibus, quibuscunque canonibus violatis, & quocunque modo violentur. Prima regula, in causis mere spiritualibus, & in sacramentorum administratione, has appellationes non suscipi. Secunda, canones & decreta constitutionibus regiis recepta specialiter & confirmata, seu antiqua sint, seu recentiora, si violentur, dare eum locum his appellationibus; quemadmodum etiam si receptæ consuetudines & libertates ecclesiasticæ infringantur. Non appellatur a rescriptis Papæ, sed ab eorum executione; a judiciis autem Episcoporum appellatur.

II. Judex secularis de abusu tantum pronuntiare debet, non autem de lite principali. Deinde admitti tantum debet hæc appellatio in apertissima canonum violatione, non autem in dubia.

III. Ratio harum regularum; quia nonnisi cogente necessitate judex secularis in has cognitiones excurrit, tum, ut scandala amoveat, tum, ut per machinationem oppressis clericis subveniat. His casibus, jure defensionis licet Principi res istas attingere, ex sententia Theologorum hujus ævi.

IV. Usum fori videri contrarium his regulis, cum statim appelletur ab Episcoporum interlocutionibus, non expectata Metropolitani vel summi Pontificis cognitione. Concilio quoque Francofordiensi, & Novellæ Justiniani, quæ post ultimum ecclesiasticum judicium has querelas Regis cognitioni reservant. Nova constitutio regia propediem edenda, ut consulatur sacerdotio & imperio.

V. Si Episcopi de invasa jurisdictione ecclesiastica querantur, curiarum placita a Regis consistorio rescinduntur. Quod olim inductum usu, tandem edicto confirmatum est.

VI. De altera appellationis specie, quando constitutiones regiæ læduntur. Quæ aut canones confirmant, (de quibus dictum) aut de beneficiis decernunt, (qua de re dicetur alibi) aut de ordine litium instituendarum. Iis regi debent ecclesiastica judicia, si hoc a Principe cautum fuerit. Quod probatur ex Concilio Constantinopolitano sub Flaviano, Principemque earum legum veniam clericis facere posse in judicio canonico. Id probatur etiam ex Concilio Africano, quod accusatores & testes non admittit, quos publicæ leges repellunt. Nisi suam injuriam prosequantur. Idem constitutum in synodo secunda, quæ docet jus suum in causis privatis etiam hæreticis tribuendum adversus Episcopos.

VII. Sententiæ redditæ in judiciis ecclesiasticis adversus ordinem præscriptum a legibus erant nullæ, ex Gregorio Magno. Ordo judiciorum e legibus & canonibus petebatur in Gallia, ex Hincmaro. Superioribus seculis, a Decretalibus præscriptus judiciorum civilium & ecclesiasticorum ordo. Hanc partem ad curam suam Reges nostri tandem revocarunt.

I. Quotidie autem quæritur, an appellationes istæ canonum omnium violationem ulciscantur, an vero certis quibusdam speciebus auctoritas illa restricta sit. Quod dupliciter accipi potest, nempe, an omnia decreta inviolata præstentur, vel tantum aliqua. Deinde, an quæcunque decretorum corruptio det locum istis appellationibus, an certum quoddam genus violationis. Hoc primo observandum est, edicto lato anno MDCXIX. de causis mere spiritualibus, & de sacramentorum administratione cognitionem prohibitam esse curiis supremis, etiam harum appellationum prætextu. Deinde in universum dicere licet, canones illos, qui constitutionibus regiis vim legum in Gallia receperunt, a contemptu & corruptione per Regem ejusque curiam olim vindicari solitos. Capitularia Regum clericos & laicos canonibus contumaces pœnis indictis percellebant, & ab Episcopis eorum executionem præfracte exigebant. Postea cum decretorum & canonum faciliorem derogationem Romani Pontifices induxissent, Ecclesia Gallicana Regibusque nostris huic inclinationi conniventibus, eo tandem ventum est, ut certorum canonum restaurationem, qui beneficiorum collationes causarumque judicia respiciebant, edictis suis Reges nostri de consensu Ecclesiæ Gallicanæ decreverint, quorum vis deinde Concordatis inserta est; quæ si contingat infringi, appellationis istius remedium cuique paratum est. Eadem ratio erit decretorum Concilii Tridentini, de matrimoniorum clandestinorum nullitate, de votis monachorum post quinquennium non dissolvendis, de Episcoporum & Parochorum residentia, & aliis, quæ legis regiæ vires cum semel acceperint, si quid contra tentatum fuerit, appellationi ab abusu locus erit. Et ut generaliter loquar, si constanti usu recepti canones, vel inveteratæ consuetudines, adjectæ in fundandis beneficiis conditiones, privilegia Ecclesiis legitime indulta, vel cetera, in quibus libertates Ecclesiæ Gallicanæ constitui solent, aliquo pacto violentur, appellationibus istis omnia restituentur in integrum, & in contrarium acta rescindentur. Hoc tamen discrimine lites ejusmodi instituuntur, ut, si de rescriptis Romanæ curiæ per obreptionem elicitis agatur, ab executione rescripti, non autem a concessione provocetur; ut etiam hoc loquendi genere reverentia, quæ apostolicæ sedi debetur, omnibus significetur. Secus se habet in Episcoporum judiciis; a quibus, non autem a sola eorum executione, appellari solet.

II. Maxime vero cavere debent judices, ne patrocinium ultra, quam par sit, in detrimentum ecclesiasticæ jurisdictionis proferant. Quod varie accidere potest, scilicet, si non solum se canonum exactores præstent, sed etiam executores; id est, si pronuntiantes de abusu admisso, eo gradu non hæreant, sed etiam de negotio ecclesiastico judicium ferant. Deinde, si ad cavillationum angustias disceptationem istam redigant, quæ matura cognitione dirimi debet, & eo solum casu institui, cum abusus est apertissimus, notorius & manifestus, juxta veterem harum appellationum formulam, quæ *ab abusu notorio* inscribebatur, alioqui in specie dubia & controversa satius est ecclesiasticis judicibus litem relinquere.

III. Necesse est enim, ut judices regii hoc sibi proponant, judicia canonica nullo modo ad jurisdictionem regiam pertinere, sed communi Episcoporum & Principum consensu ab ipsis Christianæ religionis primordiis ecclesiasticæ jurisdictioni addicta. Quare si necessitate cogente in eas cognitiones regia jurisdictio aliquando excurrit, ita se gerere debet, ut lineas a majoribus hac in re defixas non egrediatur. Observatum est autem a nobis

nobis isto & superiore libro, non passim, sed duabus potissimum de causis judicia canonica a Principibus olim aut tentata aut suspensa fuisse. Una est, si periculum scandali & offensionis publicæ emergeret ob apertissimam canonum violationem, quæ maxime piorum animos lædere solet. Altera est, si contra omnem judiciorum ordinem, per dolum, circumventionem & machinationem, judicio ecclesiastico Episcopi vel clerici opprimerentur, ut accidit in causa Athanasii. Si eandem viam insistant hodie Principes, hoc nullam potest illis invidiam creare apud eruditos & prudentes rerum æstimatores: quia præter superiorum Principum exemplum, sapientissimorum quoque hujus ævi Theologorum sententia nituntur. Qui licet amoveant omnem a Principibus in res mere ecclesiasticas jurisdictionem, attamen necessitate cogente jure defensionis licere Principibus ajunt injustorum mandatorum executionem impedire.

Suares l. 4. contra Regem Angliæ cap. 34. Simancas de catholicis instit. t. 45. §. 35. Covarruvias pract. quæst. c. 35. Cajetanus, Gerson, Victoria, & alii, quos alibi laudavi.

IV. Si quis ad hanc necessitatem coercere velit patrocinium regium, usus fori quotidianus periclitari videbitur, quo ab ipsis interlocutionibus Episcoporum appellatur tanquam ab abusu, non expectato ultimo judicio; multo minus expectata Metropolitani vel summi Pontificis cognitione, qui res contra canones ab Episcopis judicatas emendare potuisset. Sane praxis illa & fori tritura sola remedii celeritate niti potest. Alioquin si Concilii Francofordiensis ratio habeatur, (quod jussu Caroli Magni & auctoritate Hadriani I. coactum, & ex Episcopis Galliæ, Italiæ, & Germaniæ compositum diximus) causæ clericorum ad Regem deferri non debent, nisi post Metropolitani judicium, una cum ejus literis. Tunc enim in causis privatis clericorum Romana sedes non appellabatur. Itaque post ultimum judicium ecclesiasticum locus erat cognitioni regiæ, non antea. Regiam dixi, quia hæc cognitio non permittebatur Comitibus aut Missis dominicis, sed soli consistorio Regis. Quod apprime congruit cum Justiniano, qui Novella constitutione Præfectis prætorio jus prohibendi permisit, ne canones ab Episcopis infringerentur, sed rerum male gestarum correctionem imperio, id est, sibi, reservavit. Apud nos edictis regiis Pragmaticæ sanctionis primum, deinde Concordatorum, quæ illi successerunt, executio, quemadmodum etiam ceterorum canonum, quorum sententia constitutionibus quibusdam regiis est munita, curiis Parlamenti commissa est. Ceteræ canonum violationes usu inveterato potius ad eas curias referuntur, quam edicto aliquo illis specialiter tributæ sint.

Concil. Francoford. laudatum cap. VII. hujus libri.

Nov. VI.

Elogium Petri Seguierii Galliarum Cancellarii.

Quare summopere laudanda est viri superillustris Petri Seguierii Franciæ Cancellarii pietas erga Regem & Ecclesiam Gallicanam, qui divinam, qua pollet, ingenii vim & acerrimum judicium in id convertit, ut veterum vestigiis sibi perspecte cognitis insistens, rationem quandam aggrederetur, qua, retenta regii imperii auctoritate integra & illibata, ecclesiasticæ jurisdictionis & disciplinæ vigor per appellationes ab abusu juvaretur potius quam infringeretur. Ea de re vir ille summus, auctore Eminentissimo Cardinali Duce Richelio, (in quo utraque dignitas felici & amico fœdere conjuncta est) jussu Principis constitutionem pro munere suo molitur (cujus sententiam solita facundia, occasione cujusdam negotii, quod in Consilio regio discutiebatur, Consiliariis consistorianis communicavit) qua sacerdotii & imperii concordia plenissime fovetur.

V. Enimvero quia contingere solet aliquando, ut magistratus præter sententiam Regum ecclesiasticæ jurisdictioni injuriam faciant, iisque se rebus immisceant, a quibus ex præscripto legum & canonum temperare debent, relictum est etiam Episcopis appellationis ab abusu remedium adversus ipsa supremarum curiarum tribunalia, quæ sanctioris consistorii decretis rescinduntur. Eorum aliqua recensentur a Decisionum collectoribus; quorum antiquius esse puto illud, quod anno MDLIV. latum curiæ Tolosanæ placitum rescidit, quæ clericorum incontinentium emendationem ab Episcopis neglectam ad se traxerat. Anno quoque MDLIV. rescissum fuit curiæ Rothomagensis decretum de ordine litaniarum a Rege indictarum & prædicatoris electione. Tandem edicto constitutum fuit, ut, si de imminuta jurisdictione ecclesiastica conquererentur Episcopi, judicum inferiorum usurpatio a curiis supremis reprimeretur; si vero ipsæ curiæ in eo peccarent, consistorii regii decreto earum invasio compesceretur.

Constit. ann. 1625. & 1629.

VI. Sequitur aliud, quod regiarum constitutionum læsionem respicit. Quæ aut canones confirmant, (de quibus jam dictum est) aut de beneficiis decernunt, (qua de re dicetur abunde tomo tertio) aut litium instituendarum tam in causis civilibus, quam in criminalibus ordinem præscribunt, quæ constitutiones ab ecclesiasticis judicibus æque ac a ceteris observari debent, præcipue si a Principe id quoque cautum fuerit. Ordo enim, quem sequi oportet in judiciis canonicis, a Principibus olim præscriptus fuit, ut abunde dixi superius. Quibus testimoniis adjungi potest locus elegans, petitus e Concilio Constantinopolitano sub Flaviano; unde probatur, non solum leges publicas in ordine judiciorum ecclesiasticorum observatas fuisse, sed etiam auctoritatem indulgendi in ea re, quod vellet, penes Principem fuisse. Contendebat Eutyches, acta synodi contra se a Flaviano Archiepiscopo habitæ corrupta fuisse; ideoque, ut coram Florentio Patricio & cuncta synodo iterum recenserentur, impetravit a Theodosio. Huic discussioni non adfuit Eutyches; sed Constantino monacho procuratori mandatum suum dedit: quem Melitphthongus Episcopus hac ratione repellebat, quod criminalis causa secundum leges, per procuratorem tractari non poterat, quin præsens adesset accusatus; *nisi aliter jusserit Imperator*, inquit, *cui parendum erit*. Inde profectum, ut de ordine judiciorum nihil fere constitutum legatur ab antiquis Conciliis, quia legitimum ordinem in judicando Episcopi sequebantur. Si quid vero canonicæ discussioni accommodatum & a legibus omissum decernerent, quod eam judiciorum partem attingeret, in ceteris articulis se leges sequi profitebantur. Hoc patet ex canonibus Concilii Carthaginensis; qui vetant, servos vel proprios libertos ad accusationem admitti, nec alios, *quos ad accusanda publica crimina leges publicæ non admittunt*. Idem de testibus constituit. Ceterum, antequam ab hoc canone discedam, non ingratum lectori fore puto, si ultima ejus verba cum canone sexto synodi Constantinopolitanæ œcumenicæ secundæ comparando illustrem; præsertim cum inde petatur regula, quæ usui futura sit in causis privatis novatorum hujus seculi. Verba canonis sunt ista, postquam infames, hæreticos, paganos, Judæos ab accusatione clericorum removisset: *Sed tamen omnibus, quibus accusatio denegatur, in causis propriis accusandi licentia non neganda*. Eadem sententia synodi secundæ, quæ hæreticos & ceteros quosdam ad accusationem Episcoporum aut clericorum non esse admittendos docet, si de crimine ecclesiastico agatur; ceterum non discussa eorum persona vel religione admittendos esse, si suam injuriam & id, quod interest, persequantur. *Oportet enim*, inquit, *Episcopi conscientiam omnino esse liberam, & eum, qui sibi injuriam factam dicit, cujuscunque sit religionis, jus suum consequi*.

Concil. Chalc. act. I. ὅτι διὰ ἐντολέως τὸ τοιοῦτον ἐπικίνδυνον πρᾶγμα δοκιμάζεται, ἢ ὀφείλει γενέσθαι, ἀλλὰ χρήζομεν τῇ παρουσίᾳ τοῦ κατηγορουμένου, τοῦτο καὶ τῶν νόμων βουλομένων. εἰ δὲ ἄρα παρίσταται τῷ βασιλεῖ δι' ἐντολέως ἐγκληματικὴν γυμνάζεσθαι δίκην, καὶ κατηγορεῖν ἀκινδύνως, καὶ [illegible], τοῦτο γνωρισθῇ αὐτῷ καὶ ἀνάγκη ἡμᾶς εἶξαι φιλοχρίστῳ βασιλεῖ πάντα κελεύοντι.

Codex canon. Eccles. Afric. cap. 129.

Can. 129. Collectionis Africanæ.

Canon. VI. syn. CP. Χρὴ γὰρ παντὶ τρόπῳ, τὸ συνειδὸς τοῦ ἐπισκόπου ἐλεύθερον εἶναι, καὶ τὸν ἀδικεῖσθαι λέγοντα, οἵας ἂν εἴη θρησκείας, τῶν δικαίων τυγχάνειν.

VII. Si cui vero scrupulus aliquis hæreat, an ordo judiciorum canonicorum a legibus publicis formam acciperet, Gregorium Magnum adeat: qui Joanni Defensori eunti in Hispanias commonitorium dedit legibus Theodosii & Novellis Justiniani instructum, ut sententias ab Episcopis Hispanis latas nullas esse revinceret, eo quod non servatis legum solennibus redditæ essent. Unde ex laudata Novella Justiniani concludit: *Ecce admonendus est sem-*

Gregor. l. XI. ep. 54.

est semper adversarius, ut ad audiendos testes adveniat. Quod, quia hic omissum est, necesse est, ut, quod contra leges actum est, non habeat firmitatem. Hinc petebat Julius damnationis adversus Athanasium in Concilio Tyrio redditæ inutilitatem, quod absente Athanasio, id est, non evocato ad testium prolationem, quæ facta est in Mareotide regione Ægypti, adversus ordinem legibus constitutum decreta esset. Idem Gregorius sententias Hispanorum irritas ostendit, quod legibus paritum non esset, quæ sententias ex periculo & scripto recitari jubent: *Quod autem dicitur, quia nihil sine scriptis judicandum est, legendus est titulus XLIV. libri VII. Codicis, quia scriptis debuit judicari. Nam ibi inter alia dicitur atque præcipitur, ut sententia, quæ sine scripto dicta fuerit, ne nomen quidem sententiæ habere mereatur.* Hincmarus etiam noster ordinem judiciorum a canonibus, præcipueque a legibus, petendum docet: *Si quis autem scire desiderat, quales accusatores ac testes ad accusationem sacerdotum recipi debeant, & quid de accusatore faciendum sit, pleniter in canonibus & legibus, quibus una cum sacris canonibus sancta moderatur Ecclesia, poterit reperire.* Quod ille uberrime persequitur, adductis legibus e Codice Theodosiano & ex Epitome Novellarum constitutionum a Juliano Antecessore adornata. Sed quingentis abhinc annis conversa est rerum species, cum ordo judiciorum, etiam secularium, a Decretalibus epistolis & glossatorum commentariis haustus sit, adeo scrupulosa solennium observatione, ut sumptibus immanibus vexatos litigatores in perniciem rei familiaris per diuturnas & inextricabiles ambages adduceret. Quæ ratio Reges nostros impulit, ut de recidendis tam implexis cavillationum laqueis serio cogitarent, & constitutiones utilitati civium accommodatas, semotis syllabarum aucupiis, de ordine judiciorum ederent; a quibus, si judices ecclesiastici desciscant in iis capitibus, quæ illis quoque a Principe indicta sunt, magistratuum officio hic contemptus legum vindicatur.

Julius in ep. ad orientales.

Hincmarus ep. VII. cap. IV.

CAPUT XXI.

De appellationibus ab abusu in casu violatorum jurium regni.

SYNOPSIS.

I. Ultima species appellationum ab abusu, quando jura regni violantur, & jurisdictio secularis usurpatur a judice ecclesiastico. Vetitum clericis a Concilio Lateranensi, ne prætextu libertatis ecclesiasticæ injuriam inferant jurisdictioni seculari. Ab invasione arcentur mulcta indicta & bonis captis.

II. Investigatur ratio hujus consuetudinis. Non sufficit, quod vulgo jactatur, licere cuique jurisdictionem suam defendere pœnali judicio.

III. Rejicitur ratio Guillelmi de Nogareto, actione negatoria in rem posse capi eorum bona, qui jurisdictionem impediunt.

IV. Hæc consuetudo nititur jure naturali, quo defensio rei suæ cuique permissa est, vim illatam vi repellendo. Reges captis hostium provinciis impetum hostium repellunt. Jus illud defensionis non nititur iniquitate hostium, sed naturali propensione sua tuendi. Vim illatam jurisdictioni ecclesiasticæ bonorum capione repellunt judices seculares, defensionis jure, quod Reges summo imperio exercere possunt, ex sententia Theologorum.

V. Videri licitum quoque Episcopis, ut censuris jurisdictionem suam tueantur. Eugenius III. præcipit, ne laicorum prohibitionibus deferant: quarum tamen usus retentus. Sola ratio componendarum harum contentionum, regii patrocinii imploratio; ut edictis cautum, & inductum antiquo usu.

VI. Expenduntur rationes, quæ suadere debent Episcopis, ut consistorii regii judicio in his contentionibus se committant. Prima est, in re dubia pacem retinendam. Secunda, Principum conditionem meliorem, quia possident. Tertia, ob metum damni. Quarta, quia invalidior jurisdictio ecclesiastica, ideo utendum dispensatione.

VII. Quinta, Regibus arbitrium harum contentionum ab Ecclesia delatum videri. Itaque semper ad se illas revocarunt; ut Justinianus & Carolus Magnus.

VIII. Leo IV. si quid incompetenter a se gestum esset, arbitrio Ludovici Imperatoris detulit. Quod locum habere debet in Regibus Galliæ, ex Alexandro Imolensi.

IX. Officiales regii excommunicari non possunt ab Episcopis ob muneris sui functionem. Hic usus e Gallia in Angliam translatus, sed ibi abolitus. Apud nos privilegio apostolicæ sedis munitus est. Episcopi se Regis judicio quotidie committunt.

X. Ea dispensatio usurpanda in negotiis disciplinæ, non autem in negotiis fidei; exemplo Romanorum Pontificum.

I. Superest ultima appellationum species, quæ locum habet, cum jura Regis & regni, aut jurisdictionem secularem in exercendis litibus de actione reali, etiam adversus clericos, & de omnibus omnino actionibus adversus laicos, præter mere spiritualia, aliqua judicum ecclesiasticorum interlocutione aut judicio violari contingit. Plane æquum esse Concilium Lateranense sub Innocentio III. existimavit, ne ambæ jurisdictiones præscriptos terminos egrederentur, ne prætextu libertatis ecclesiasticæ Episcopi secularium jura invaderent, lato canone, cujus hæc sunt verba: *Sicut volumus, ut jura clericorum non usurpent laici, ita velle debemus, ne clerici jura sibi vindicent laicorum. Quocirca universis clericis interdicimus, ne quis prætextu ecclesiasticæ libertatis suam de cetero jurisdictionem extendat in præjudicium justitiæ secularis; sed contentus existat constitutionibus, scriptis & consuetudinibus hactenus approbatis, ut, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo, recta distributione reddantur.* Si autem Episcopi jurisdictionem secularem usurpare contendant, lite per hanc appellationem ad curias devoluta, ab invasione arcentur, mulcta indicta, & bonis captis. Eo jure olim usos esse Principes nostros, testatum fecimus superioribus capitibus. Quem morem secuti sunt posteri; ut passim docent veteres Pragmatici, Petrus Jacobi, Masuerius, Aufrerius, Benedictus, Boerius, Chassaneus, & omnes recentiores.

Concil. Lateran. n. XLII.

II. Hujus consuetudinis ratio exploranda est. Nec enim sufficit id, quod vulgo jactari solet ex Ulpiano, omnibus magistratibus concessum esse, secundum jus potestatis suæ, jurisdictionem suam defendere pœnali judicio; cum excipi possit ex Paulo, extra territorium aut supra jurisdictionem suam jus dicenti impune non parere. Scilicet pœna a judice infligi non potest ei, qui sibi subditus non est. Judices autem ecclesiastici, ratione habita jurisdictionis ecclesiasticæ, quam exercent, a regia jurisdictione non pendent, cum auctoritates istæ societatis communione quadam inter se vinciantur potius quam necessitate imperii, quod alteri ab altera subeundum sit. Scio quidem rationem istam ab Aufrerio & aliis Pragmaticis juvari solere ex iis, quæ notavit Glossator Decretalium, nempe delegatum judicem potestatem sibi mandatam in eos porrigere posse, qui alioqui rescripto suo non continentur, si jurisdictionem suam impediant: quia, ut inquit Jurisconsultus, jurisdictione data, ea quoque concessa videntur, sine quibus jurisdictio explicari non potuit. Hoc enim locum habere potest adversus eos, qui a mandantis imperio pendent, ita, ut in eos quoque partes suas commisisse videri possit.

L. 1. ff. Si quis jus dicenti non obtemp. l. ult. ff. de jurisdict.

Glossa in c. 1. de offic. deleg.

L. 2. ff. de jurisdict.

III. Nec potior est illa ratio, quam e jure civili hau-

T. 2. libert. c. 7. n. 22.

haustam protulere Guillelmus de Nogareto & Guillelmus de Plesseiano, a quibus eam hausisse videtur Petrus Jacobi, scilicet actione negatoria in rem agere posse eum, cujus impeditur jurisdictio, atque adeo per modum executionis res bonaque clericorum eo casu capi posse. Etenim in servitutibus, quæ sunt jura incorporalia, actiones negativæ in rem scriptæ proditæ sunt, quibus is, qui possidet, intendit adversario jus non esse, exempli causa, utendi fruendi; quæ ideo in rem dicuntur, quod in rem, de qua est controversia, diriguntur. Eodem exemplo concedam quidem, ad tuendam jurisdictionem suam eum, qui possidet jus illud incorporale, negatoria actione uti posse; quæ in rem scripta dicetur, quia jus non esse adversario contendet in hoc negotio jurisdictionem suam exercendi; sed ideo non competet jus actori ea actione res alias persequendi vel bona capiendi.

IV. Superest ergo, ut dicamus, hanc consuetudinem jure illo naturali niti, quo defensio rei suæ unicuique permissa est, cum per vim aufertur. Etenim cum natura non patiatur, ut aliorum spoliis nostras facultates augeamus, eadem natura duce vim illatam vi repellere licet, dum tamen modus inculpatæ tutelæ servetur. Quod in privatis quidem controversiis post constituta judicia per magistratum publice fieri debet, quantum res ipsa patietur, ne sit occasio majoris tumultus faciendi. Unde vis recte dicitur a Jurisconsulto, quoties id, quod sibi quis deberi putat, non per judicem reposcit. Ceterum, quod attinet ad Reges aut Respublicas, manu & ferro res suas tueri & repetere solent ab iis, qui priores injuriam intulerunt; ita, ut non solum conserta acie, sed etiam translato in provincias hostium bello, urbium expugnatione & agrorum depopulatione copias hostiles suis finibus depellant. Quod defensionis jus non proficiscitur ex hostium iniquitate, cum sæpe accidere soleat, ut bellorum principia & causæ satis probabili utrinque ratione nitantur; sed ex eo jure descendit, quod natura hominum mentibus inseruit, ut se suaque præ aliorum commodis habeant commendatiora. Hoc jure utuntur Reges in Republica Christiana adversus auctoritatem ecclesiasticam, quando de jurisdictione læsa controversiæ oriuntur. Etenim vim jurisdictioni seculari illatam vi contraria repellunt, bonaque adversariorum legitime occupant, donec ab injuria inferenda cessaverint. Quæ ratio agendi eo justior est, quod eæ res imperio Principis detinentur, quæ alioqui ejus auctoritati subjectæ sunt, nempe bona immobilia clericorum & Ecclesiarum: quamvis occupationis illius justitia non ex eo capite pendeat, sed ex defensionis jure. Hanc rationem præcipue expendit Philippus IV. in commonitorio, quod datum est Episcopis Senonensi & Antissiodorensi; de quo dixi capite XVIII. superiori. In eo jure defensionis exercendo omnia media licita pro imperio suo Princeps adhibere potest; ut docuit olim Joannes Parisiensis Theologus, & e recentioribus Victoria Hispanus, & alii quamplures.

Joan. Paris. de potest. reg. & papali c.21. ad 37. Victoria Relect. 1. de potestate eccles. sect.7. §. octava propositio.

V. Video quid reponi possit, scilicet idem jus competere jurisdictioni ecclesiasticæ, ut censuris vim sibi fieri prohibeat a judice seculari. Quare hoc argumento nihil confici in gratiam Principum, quod non trahi possit in gratiam Episcoporum; unde contentionum serra semper reciprocetur, ut cum Tertulliano loquar; præcipue cum Eugenius III. in synodo Remensi habita anno MCXLVIII. jusserit, *ne propter laicorum prohibitionem Episcopi ecclesiasticam dimittant justitiam exercere*. Unde colligi obiter potest probatio usus recepti in Gallia de prohibendis judicibus ecclesiasticis; quem Eugenius quidem non laudat, sed nec censuris repellendum docet; nec Principes nostri ab eo sibi temperandum existimarunt, cum in eo solo versetur efficax tuendæ jurisdictionis secularis ratio. Non inficias eo, quin jurisdictioni ecclesiasticæ liberum sit, per Decretales summorum Pontificum fines

Concil. Rem. c.5. refertur in c. *Decernimus*. De judic.

suos excommunicationibus vel interdictis tueri, unde crebris contentionibus sæpissime fœdata est Respublica Christiana. Illud contendo, regiis constitutionibus præscriptum esse ordinem, quem sequi oporteat ad dissidia avertenda; scilicet, ut dixi capite superiori, implorandum esse ab Episcopis curiarum supremarum præsidium, si a judicibus inferioribus vis inferatur jurisdictioni ecclesiasticæ; sin periculum immineat a curiis, vel si quid illæ in detrimentum episcopalis auctoritatis decreverint, adeundum esse Principem, qui sacri Consilii ex clericis & laicis compositi decreto omnia temperabit, ut disertis verbis constitutum est ad postulationem Ecclesiæ Gallicanæ duobus edictis ea de re latis. Eos mores induerant Episcopi nostri ducentis & amplius abhinc annis, ut libello causarum ecclesiasticarum avocationem a curiis peterent, non autem jura sua censuris sibi vindicarent; quemadmodum docuerunt Joannes Galli & Guido Papæ.

VI. Quod æquissima ratione nititur: quia, ut observavit Optatus Afer, Ecclesia est in imperio, id est, per imperii provincias sparsa, ex civibus constat, & sub patrocinio Regum degit; ideoque in his contentionibus dubiis tutiora & æquiora consilia amplectenda sunt Episcopis, quæ ad pacem cum imperio retinendam vergant, ad exemplum Fabii, qui apud Silium Italicum, *cauta speculator mente futuri, Nec lætus dubiis parvisque lacessere Martem*. Præsertim cum Principum conditio sit melior, ex regula juris civilis, canonici, & naturalis. In pari enim causa melior est conditio ejus, qui possidet, inquit Jurisconsultus. In his autem controversiis quis dubitare potest, quin Princeps, ad quem omnia pertinent imperio, etsi non dominio, possidere jus illud jurisdictionis controversiæ censeatur? Præterea cum bellum suscipiendum non esse censuerit Augustus, nisi quando major est emolumenti spes, quam metus damni, Episcopos ab his contentionibus abstinere debere palam est, quæ dissidium in Ecclesiam, contemptum auctoritatis ecclesiasticæ, bonorum direptionem, fidelium perniciem important, quorum salutem illis Dominus commisit. Adde, alienum esse a prudentia, ut viribus impar se contentionibus implicet, quæ manifestum detrimentum sunt allaturæ. Hoc argumento in controversia de Remensis Archiepiscopi hominio, quod Rex Ludovicus VI. de sententia curiæ exegerat, Paschalem II. Ivo Carnotensis urgebat, ut a censuris, licet in Concilio Romano decretis in contumaces, abstineret in hac causa: quia, ut inquit ille, *studendum est misericordiæ visceribus abundare, ubi fas non est debitam fortitudinem exercere*. Quare dispensatione illa utendum est ab Ivone hoc loco, & ab antiquis patribus tantopere commendata, quæ in remittendo canonum rigore versatur, cum necessitas id exigit, & occasio aut dissidii avertendi, aut pacis restituendæ, ut pluribus dixi libro tertio.

(1) *In re dubia pax est retinenda.*

(2) *Principum conditio melior, quia possident.*

(3) *Metus damni.* Suet. c.24. in Aug.

(4) *Invalidior est jurisdictio ecclesiastica.*

Refertur Ivonis locus c.XII hujus libri.

VII. Non omittenda est elegans ratio, quæ duci potest ex officio & munere Principis: qui constitutus cum sit a Deo optimo maximo, ut Ecclesiam foveat, ejusque tranquillitati prospiciat, (cui muneri, sacramento dato, se deinde, stipulante Ecclesia, obstrinxit) quodam modo videtur arbitrium componendarum hujus generis contentionum in regno suscepisse. Unde fluxit, ut has controversias Reges semper ad cognitionem suam revocaverint. Cujus rei exemplum habemus in Novella Justiniani. Etenim si de judicio criminali adversus clericum instituto controversia emergeret inter civilem judicem & Episcopum, *ad nos*, inquit Justinianus, *negotium tam ab Episcopo, quam a judice referatur; ut nos hoc cognoscentes, quæ nobis videntur, jubeamus*. Quare augustus ille Princeps Carolus Magnus ejusque filius Ludovicus concordiam Episcoporum & Comitum legibus suis passim commendant, ut ad invicem adjutores sint in ministeriis suis peragendis; tum si, quæ conten-

(5) *Hæ contentiones arbitrio Regum olim compositæ.*

Nov.CXXIII. & CXXIV. *πρὸς ἡμᾶς ὑπόθεσις, τοῦτο μὲν ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου, τοῦτο δὲ ὑπὸ τοῦ δικαστοῦ ἀνενεχθῇ, ἵνα ἡμεῖς ταύτην*

tentiones inter eos accidant, eas a Missis suis, id est, ab Episcopis & proceribus, quos delegabant, in provincias sopiri, aut ad se deferri præcipiunt; ita, ut apud illos, æque ac fit hodie apud nos, dissidia, quæ ex jurisdictionum conflictu manant, Principis imperio componerentur.

γινώσκοντες, τὰ φαινόμενα ἡμῖν κελεύομεν. Excerpta Capitula. T. 2. Conc. Gall.

VIII. Quin & Leo IV. ex dispensatione ecclesiastica Ludovico II. Imperatori arbitrium detulit, ut, si quid a se *incompetenter*, id est, ultra fines jurisdictionis suæ, actum esset, suo Missorumque suorum judicio emendaret. Retulit Gratianus fragmentum epistolæ Leonis: *Nos, si incompetenter aliquid egimus, & in subditis justæ legis tramitem non conservavimus, vestro ac Missorum vestrorum cuncta volumus emendare judicio.* Ubi recte adnotatum est ex Alexandro Imolensi, idem observari debere *in Rege Francorum non recognoscente superiorem, quod judex esse potest in sua causa.*

Vide Baluzii præfationem ad Capitularia §. 21. 28. 29.

C. Nos si incompetenter. 2. q. 7.

In glossa marginali.

IX. Quod Alexander Imolensis Regibus nostris competere ait, consequentia ducta ex verbis Leonis quarti, ab iis in prima, secunda, & tertia dynastia observatum fuisse ostendimus. Unde sequitur, nec Regem nec regios magistratus aut officiales excommunicationibus vel aliis censuris eam ob causam inflictis obnoxios esse, alioqui majestas imperii minueretur & a judicum ecclesiasticorum arbitrio penderet. Itaque usus ille antiquus obtinuit in Gallia, ut proceres, qui regiæ curiæ adsidebant, Baillivi, & apparitores regii, non excommunicarentur Rege irrequisito. Quod in Normannia observatum fuisse docent veteres chartæ anno MCCIV. *Archiepiscopus vel Episcopus, vel inferior persona non debet ferre sententiam excommunicationis in Barones, vel in Baillivos, aut in Servientes Domini Regis, aut in clericos domus suæ, Rege non requisito vel suo Senescallo.* Hanc consuetudinem e Gallia in Angliam transvexit Rex Willelmus Dux Normanniæ & Angliæ domitor: quæ inter consuetudines regias in conventu Clarendonæ habito anno MCLXIV. recensita, dein conquerente Thoma Cantuariensi Archiepiscopo libertatis ecclesiasticæ acerrimo vindice & martyre, ab Alexandro III. inter ceteras Romæ damnata est. *Nullus, qui de Rege tenet, in capite nec aliquis dominicorum ministrorum ejus excommunicetur, nec alicujus eorum terræ sub interdicto ponantur, nisi prius Dominus Rex, si in regno fuerit, conveniatur, vel Justitiarius ejus, si fuerit extra regnum, ut rectum de eo faciat; & ita, ut, quod pertinebit ad Regis curiam, ibi terminetur, & de eo, quod spectat ad curiam ecclesiasticam, ad eandem mittatur, ut ibidem terminetur.* In contentionibus de jurisdictione ecclesiastica & seculari ultimum judicium asseritur supremæ curiæ regni, licentia adempta Episcopis jus sibi censuris & excommunicationibus dicendi. Sed ab articulis Clarendonæ constitutis discessit Henricus II. in Anglia, conventionibus cum Legatis Romanæ Ecclesiæ depactis, ut anathemate solveretur, quod in illum ob necem Thomæ Cantuariensis injectum erat. Quamvis sic pacta illa interpretetur Henricus apud Joannem Sarisberiensem; ut consuetudines suis temporibus inductas, non autem veteres, damnatas existimet: *Quod consuetudines, quæ tempore meo contra Ecclesias terræ meæ inductæ sunt, dimittam; quas quidem aut paucas aut nullas æstimo.* Attamen in consequentiam jurium Ecclesiæ Gallicanæ hunc usum saltem in Normannia ejus posteri retinuerunt, donec florentissima illa provincia Coronæ Gallicæ consolidata est a Philippo Augusto, ut patet e chartis veteribus superius allatis. Reprobatio illa Alexandri III. & Concilii Lugdunensis decretum sub Gregorio X. Episcopos ad tuendam jurisdictionem, excommunicationibus in judices seculares latis animavit: quibus tamen magistratus non cedebant, ut vidimus ex Durando. Quare Reges nostri antiquam regni consuetudinem, ne Officiales regii ob muneris sui executionem excommunicari valide possent ab Episcopis, privilegiis apostolicæ sedis muniri curarunt. Hæc privilegia jactat Rex Carolus V. in rescripto dato anno MCCCLXIX. quo edicitur, ut Episcopus Carnotensis, ejusque Vicarii sententias excommunicationis *revocent & annullent*; quas adversus Officiales regios ob contentionem de jurisdictione usurpata tulerant, vel judicio se sistant in curia Parlamenti, *super prædictis Procuratori generali responsuri.* Anno sequenti MCCCLXX. Officialis Rothomagensis Archiepiscopi Baillivum regium publico anathemate damnavit, eo quod de clerico quodam conjugato ob latrocinia perpetrata capitalem pœnam sumpsisset, rejecta remissione, quam reus fieri petebat ad forum ecclesiasticum. Sed injuriam illam magistratui regio factam ultus est Rex Carolus ex curiæ Parisiensis decreto. Præcepit enim, ut absque mora sententias illas rescinderet judex ecclesiasticus, & ad hujus mandati executionem bonis temporalibus captis cogeretur. Periculo decessorum cautiores facti Episcopi, constitutionibus regiis parentes, vel curiarum summarum *arrestis*, vel saltem consistorii regii decretis contentiones istas dirimendas relinquunt, mucrone gladii spiritualis in alios usus reservato.

T. 2. libert. c. 5. n. 1.

Matthæus Paris. Et in Tom. Concil. Vide Seldenum in Notis ad Eadmerum pag. 168. 169.

Joan. Sarisb. ep. 290.

T. 2. Lib. c. 5. n. 2.

D. c. 5. n. 35. & seqq. Constit. ann. 1629. art. 23. *Defendons aussi suivant les Ordonnances des Rois nos predecesseurs, & es Indults de nos SS. Peres les Papes, a tous Prelats & Juges Ecclesiastiques d'user d'aucunes censures contre nos Juges & Officiers pour raison de la fonction de leurs charges, a peine de saisie de leur temporel, & d'estre procede contre eux comme infracteurs de nos Loix. Et en cas qu'ils se trouvent grevez par nosdits Juges, ils en feront plainte en nos Cours souveraines. Et si c'est contre nos Cours souveraines, ils se retireront pardevers nous en nostre Conseil, pour leur estre pourveu ainsi que de raison.*

X. Quæ a me toto capite dicta sunt, ita velim intelligi, si de jurisdictione tantum agatur & de disciplina ecclesiastica. Nam si his contentionibus fides christiana læderetur, omnia pericula oppetenda potius essent Episcopis, quam, ut præ socordia aut metu nefariis conatibus assentirentur aut conniverent. Sed exceptione illa adhibita possunt conniventiam suam tueri, Romanorum Pontificum exemplo: qui in Professione, quam post electionem suam B. Petro nuncupabant, canones quidem & decreta a se observatum iri pollicebantur, sed infractiones ab aliis factas aut emendatum, aut, excepta fidei causa, toleratum iri. Quæ conniventia præcipue præstanda est iis rebus, quas imperio & auctoritate sua Principes gerunt. Hoc docuit exemplo suo Gregorius Magnus, qui ob ægritudinem deponere noluit Episcopum primæ Justinianæ, etsi rogatus a Mauritio Imperatore urbem alia ratione ab hostibus tutam esse non posse prætendente. *Hoc per nos*, inquit, *fieri nullatenus potest, ne peccatum in mea anima ex ejus depositione veniat, nisi Episcopus ipse vacationem scripto petierit. Quod si hoc petere ille noluerit, quod piissimo Imperatori placet, quicquid lubet facere, in ejus potestate est. Sicut novit, ipse provideat. Nos tantummodo in depositione talis viri non faciat permisceri. Quod vero ipse fecerit, si canonicum est, sequimur. Si vero canonicum non est, in quantum sine peccato nostro valemus, portamus.* Factum nempe tolerat, in quo fides non lædebatur. Longe vero absunt a lædendæ fidei periculo Episcopi in isto Galliæ regno, quod iis auspiciis fundatum est, ut Romanæ Ecclesiæ tuitio illi sit a divino Numine commissa, quemadmodum Romani Pontifices observarunt, ac propterea liquido affirmare liceat, communia esse cum Romana Ecclesia hujus regni Christianissimi & florentissimi fata, quæ sunt usque ad seculi interitum perduratura.

E diurno Ecclesiæ Romanæ: *Si quæ vero emerserint contra canonicam disciplinam, communicatione filiorum meorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, (cum quorum consilio, directione, & rememoratione ministerium meum geram) emendare aut patienter (excepta fidei & Christianæ religionis gravi offensione) tua & beatissimi Coapostoli tui Pauli procurante intercessione tolerare, sacrosque canones & sacrorum Pontificum Constituta, ut divina & cœlestia mandata Deo auxiliante custodire.*

Vide l. 1. c. ult.

DECRETI REGII VERBA,

quod in fine operis edendum supra diximus in cap. XII. §. VIII. libri secundi, sic habent.

EXTRAICT DES REGISTRES DU CONSEIL D'ESTAT.

SUr ce qui a esté representé au Roy estant en son Conseil par les Agents generaux du Clergé de France que le Parlement de Bourdeaux contre l'ordre de tout temps observé dans le Royaume a cydevant registré des Brefs de nostre Saint Pere

Pere le Pape sans Lettres patentes seellées du grand sceau ny autre commandement de sa Majesté, & d'autant que la plusprart desdits Brefs sont obtenus a Rome par surprise, Requierent lesdits Agents qu'il plaise à sa Majesté, afin d'en empescher l'abus, ordonner que d'oresnavant ils seront presentez aux Evesques dans le diocese desquels ils doivent estre executez, pour donner leurs advis, & que defenses soient faites audit Parlement de Bourdeaux & à tous autres d'enregister cy-apres aucuns Brefs de sa Sainteté sans Lettres patentes seellées du grand sceau, & sans avoir esté presentez aux Evesques, & cependant que les Arrests du Parlement de Bourdeaux seront cassez & annullez, comme donnez contre les formes ordinaires. VEU lesdits Brefs des trentiesme Juillet & deuxiesme Aoust 1638. *ensemble l'Arrest dudit Parlement portant enregistrement desdits Brefs du trentiesme Juillet* 1639. *Ouy le rapport du Commissaire à ce deputé, & tout consideré, Le Roy estant en son Conseil a cassé & annullé, casse & annulle ledit Arrest du Parlement de Bourdeaux portant enregistrement desdits Brefs, comme donné au prejudice de la loy du Royaume. Faict sa Majesté tres-expresses inhibitions & defenses a sadite Cour de Parlement de Bourdeaux & à tous autres de plus à l'avenir enregistrer aucuns Brefs sans Lettres patentes seellées du grand sceau. Et afin d'empescher que les Brefs qui peuvent estre obtenus par surprise ne soient executez au prejudice de la jurisdiction & des droicts des Evesques, Veut & ordonne sadite Majesté qu'à l'advenir ceux qui obtiendront des Brefs (excepté les Indults secrets de la Penitencerie) les presentent aux Evesques dans les dioceses desquels ils doivent estre executez, lesquels donneront leur advis dans trois jours apres, pour lesdits advis presentez avec lesdits Brefs à sa Majesté, y estre pourveu ainsi qu'elle advisera estre à faire par raison. Fait au Conseil d'Estat du Roy, sa Majesté y estant, tenu a Saint Germain en Laye le* 14. *Decembre* 1639. *Signé,*

BOUTHILIER.

LIBER QUINTUS.

CAPUT PRIMUM.

De variis Legatorum Speciebus sub veteri statu Reipublicæ Romanæ.

SYNOPSIS.

I. Agendum hoc libro de Legatis a latere. In primis autem explicandæ Legatorum species, quæ in jure Romano occurrunt.

II. Alii sunt Legati municipales. Alii provinciales, qui explicantur. De iis capienda lex Hos accusare *ff. de accusat.*

III. Alii sunt Legati cum jurisdictione. Divisio provinciarum inter Principem & populum, ab Augusto. Proconsules dicti, qui provinciis populi præficiebantur, etsi consulatum non gessissent. Explicata Justiniani Novella. Insignia Proconsulum.

IV. Consilium Augusti in assumendo Proconsulis nomine & imperio. Proconsules Romam ingressi deponebant imperium, excepto Principe. Quare retinenda est lectio Spartiani, quam viri eruditi sollicitant. De proconsulari imperio dato extra urbem *Marco Aurelio Cæsari.*

V. Legati dabantur Proconsulibus a senatu, ut eos parte curarum levarent. Proconsules mandabant jurisdictionem Legatis in provincia; quam nec eis adimere poterant, nec in eos jus gladii transferre. Custodias audiebant, sed non animadvertebant.

VI. Dignitas Legatorum Proconsularium, ex Spartiano. Fasces & vehiculum. Apparitio, magistratum gerebant, dabant tutores, & vindicta apud eos manumitti poterat. Contrarium docet Paulus, scilicet apud eos manumitti non posse. Conciliatio ἀντινομίας.

VII. Legati isti differunt ab Assessoribus, etsi aliter videatur eruditis. Assessores erant privati homines, qui juris peritiam præstabant, & magistratibus adsidebant. Elegans ea de re Josephi locus. Salaria illis constituta e publico. Singulis magistratibus unus Assessor datus cum salario, ne fiscus gravaretur. De hoc Assessore seu Consiliario intelligenda Justiniani Novella, non autem de Legato Proconsulis.

VIII. Legati Cæsaris præfecti provinciis Principis, qui passim dicti Consulares. *Minutis provinciis præfecti, Præsides: quamvis Præsidis nomen generale sit. Immutata post Constantinum magistratuum nomina.*

IX. Vicarii Præfectorum pratorio instituti a Constantino. Vices gerunt Præfectorum; sed vice sacra judicant. Vicarii instituti in unaquaque imperii Diœcesi. Alii sunt, qui vicem Præsidis obtinent in provincia ex mandato Principis, puta Præside defuncto, vel aliam ob causam.

X. Legati alterius generis, qui a Principe delecti, negotia publica cum exteris gentibus procurant.

I. OST assertam superiore libro conservandarum libertatum Ecclesiæ Gallicanæ auctoritatem, Legatorum a latere dignitas & claritudo priorem locum sibi vindicat in his dissertationibus, quæ jura illa specialia & eximia complectuntur, quorum usus in regno a multis seculis invaluit. Ne autem imparati in hanc materiam incidamus, ante omnia sedulo perspiciendum est, quo exemplo in Ecclesiam Legatorum & significatio & auctoritas confluxerit. In eum finem juris Romani vestigia nobis consectanda sunt; quæ ad Legatos Ecclesiæ aliqua ex parte accommodatæ sunt.

II. Quidam Legati municipales dicuntur, quibus ordinis sui vel curiæ decreto legatio injungitur; non, ut lites municipiorum, quod Syndici universitatis est officium, sed, ut reipublicæ negotia apud Præsidem provinciæ, vel Præfectum prætorio, vel etiam apud Principem prosequantur. Alii sunt provinciales Legati, qui tractatu habito in concilio ordinario totius provinciæ, vel etiam extraordinario, ad Principem, vel ad sedem præfectorianam pro repentinis casibus, quibus provincia vexatur, mittendi designantur. De his Legatis provincialibus intelligenda est lex Venuleji (etsi de Legatis Proconsulum agi hoc loco putet vir eruditissimus) qui ejus duntaxat criminis eos accusari posse ait, quod ante commiserint, quam in legationem venerint. Iis, qui publicas istas legationes obeunt, sumptus seu legativa præstantur; & officio functis biennii vacatio indulgetur. Ne autem superfluis impensis civitates onerarentur, edicto Vespasiani præcipitur, ne plures, quam ternos Legatos mittant. Sed legationes istæ inter munera recensentur, ad quæ subeunda unusquisque civium ordine cogitur; ita, ut vicarios dare non possit, nisi filios suos, neque alienis, neque propriis negotiis se interponere, quamdiu legatione fungitur. Hujus quoque generis sunt legationes illæ, quæ ab exercitibus, aut a corporibus missæ ad Principem: quarum frequens mentio apud historicos.

III. Alia est Legatorum species; quibus jurisdictio competit, una cum reipublicæ administratione.

Quod,

D. & C. de legationibus.

L. 5. C. de Legat. L. *Hos accusare.* ff. de accusat.

L. 4. §. ult.

L. 8. ff. eod.

Quod, ut accurate intelligatur, observandum est, ex institutione & partitione Augusti duodecim provincias pacatiores assignatas fuisse populo Romano; quarum duæ proconsulares erant, Asia & Africa; decem vero prætoriæ, quas enumerat Strabo. Reliquas omnes sibi Cæsar retinuit & regendas suscepit. Initio autem populus auctore senatu, deinde vero senatus solus consulares viros, aut prætorios provinciis suis præficiebat, qui consulatu, vel prætura functi, illis imperio proconsulari præessent; quamvis ab ea lege paulisper discessum fuerit, & iis administratio commissa, qui nunquam eos magistratus gessissent. Inde Proconsules dicti omnes, quibus populi provinciæ creditæ erant, nulla ratione habita, an functi essent consulatu; quemadmodum ex Tacito colligere licet, qui Petronii meminit Proconsulis Bithyniæ, ad consulatum deinde provecti, & ex Constantii lege, quæ separatim nominat eos, qui Consules ordinarii fuerunt, & qui proconsulari honore erant sublimes. Quo respexit etiam Justinianus in Novella XXX. dum observat, provincias olim decretas fuisse vel iis, qui consulatu functi essent, vel aliis, qui Proconsules dicerentur. Hæc sunt verba interpretis: *Romanis in more fuit, ut vel designatis Consulibus, vel his, qui illorum loco proficiscerentur, quos Proconsules vocabant, provincias sortirentur*. Non sincere reddit Græca. Non enim designatis Consulibus, sed iis, qui consulatum gessissent, γινομένοις ὑπάτοις, non vero γενησομένοις, Justinianus ait datas fuisse provincias. Plenissimam autem jurisdictionem in provincia Proconsul habebat, adeo, ut omnium partes, qui Romæ vel quasi magistratus, vel extra ordinem jus dicerent, ad ipsum pertinerent, majusque imperium in provincia haberet post Principem. Unde sex fascibus utebatur, quæ erant proconsulatus insignia, ut notavit Ulpianus; vel (ut plenius explicat Justinianus, Proconsuli Cappadociæ a se recens instituto proconsulatus ornamenta decernens) carruca argentea & fasces cum securi. *Proconsul Cappadociæ*, inquit Julianus in Epitome Novellæ, *habeat carrucam argenteam, & securem, & fasces, & omnia vetera proconsularia insignia*. Quibus addi potest τήβεννος sive vestis purpurea palmata, quam solennioribus & festis diebus Proconsul induebat, teste Justiniano, qui hoc antiquum ornamenti genus Proconsuli Palæstinæ concessit.

Strabo lib. 17.
Tacitus l. 16. Annal.
C. Theod. de Prætor.
Justin. Nov. 30 c. 5.
L. 4. ff. de offic. Proconf.
Nov. 30. c. 6. Nov. 103.

IV. Quare prudenter Augustus, cum magistratuum omnium, qui intra vel extra Romam imperio uterentur, auctoritate & titulis ornari atque augeri vellet, proconsulare imperium non omisit, quod deinde sequentibus Imperatoribus delatum est, qui ex eo dicti sunt etiam sæpissime Proconsules, ut patet e variis inscriptionibus antiquis, & ex epistola Heliogabali apud Dionem, qui se ἀνθύπατον seu Proconsulem inscripsit. Quod eo consilio mihi videtur Augustus instituisse, ut Proconsules, qui provincias populi administrabant, seu auspiciis Augusti, qui summus erat Proconsul, eas gerere non ignorarent. Itaque illud erat eximium in Principe, quod, etsi Proconsules a provinciis reduces portam Romæ ingressi deponerent imperium, ut docuit Ulpianus, tamen id datum Augusto & ceteris Principibus, ut etiam intra pomœrium Urbis proconsulare imperium retinerent, teste Dione. Quare, ut aliquod discrimen superesset inter Augustum & Cæsarem, Antonius Imperator Marco Aurelio, appellatione Cæsaris a se donato, tribunitiam potestatem contulit, & proconsulare imperium *extra Urbem*, ut loquitur Capitolinus, non autem intra Urbis pomœrium. Itaque assentiri non possumus viris eruditis, qui existimant, vanam esse adjectionem illam, *extra Urbem*, in loco Capitolini laudato. Nam, inquiunt illi, imperium proconsulare extra Urbem tantum fuit. Quod verum in ceteris omnibus, præter solum Principem.

L. ult. ff. eod.
Capitolinus in Marco Antonio: *Posthac Faustinam duxit uxorem (M. Aurelius) & suscepta filia, tribunitia potestate donatus est, atque imperio extra Urbem proconsulari.*

V. Ex eodem autem Augusti instituto provinciarum Præfectis, si Consulares essent, tres Legati adjungebantur, unus autem Legatus, si essent Prætorii, quemadmodum observat Dio. Eos vero Legatos non pro arbitrio suo sibi Proconsul quisque legebat, sed ei dabantur a senatu. Unde Capitolinus adnotavit, Gordiano Proconsuli Africæ filium ejus a Senatu Legatum fuisse datum. Quia vero Principes hanc senatus auctoritatem debilitaverant, Probus Imperator, ejus restaurandæ cupidus, *permisit patribus, ut Proconsules crearent, Legatos Proconsulibus darent*. Legati autem dati Proconsulibus, ut in partem curarum venirent, & administrandæ provinciæ onere illos levarent, quemadmodum recte adnotavit Appianus: ὁ τῷ ἡγεμόνι τοῦ ἔθνους ἐκ τῆς βουλῆς ἑπόμενος εἰς βοήθειαν. Quod ex liberæ Reipublicæ institutis profectum, ut patet e locis Varronis & Ciceronis, quos viri docti collegerunt. Quare statim atque Proconsul ingressus esset provinciam, mandare jurisdictionem suam Legato debebat. Legatus enim nihil proprium habebat, nisi ei mandata esset jurisdictio; quam ei adimere Proconsul non poterat inconsulto Principe, quemadmodum nec potestatem gladii sibi datam ad Legatum transferre. Ideoque, si quid esset, quod majorem animadversionem exigeret, rejicere apud Proconsulem Legatus debebat. Neque enim jus habebat animadvertendi, coercendi vel atrociter verberandi: quamvis causas criminales audire posset, ea conditione, ut prædictas custodias ad Proconsulem remitteret. Si quid etiam incideret ardui, Legatus non Principem consulebat, sed Proconsulem suum, qui ad ejus consultationes respondebat.

Dio lib. 53.
Capitolinus in Gordiano: *Cum Gordianus Proconsul Africam regeret, eique Legatus filius esset a senatu datus.*
Vopiscus in Probo.
L. 4. §. ult. ff. de offic. Proconf.
L. 13. ff. eod.
L. 6. D. T.
L. 11.
L. 6. §. 1.

VI. De Legatis Proconsulis intelligendus est Spartianus; ex quo, quanta esset eorum dignitas, colligi potest. Fasces enim illis præferebantur, privati ab eorum amplexu arcebantur; idque datum, ut in vehiculo æque ac Proconsules sederent. Elegans est locus de Severo: *Acta quæstura Sardiniensi, legationem Proconsulis Africæ accepit. In qua legatione quum quidam municipum suorum Leptitanus, præcedentibus fascibus, ut antiquum contubernalem ipse plebejus amplexus esset, fustibus eum sub elogio ejusdem præconis cecidit: Legatum populi Romani homo plebejus temere amplecti nolito. Ex quo factum est, ut in vehiculo etiam Legati sederent*. Unde apparitio communis erat Proconsuli & ejus Legatis, ut docent Arcadius & Honorius. Itaque dubitandum non est, quin Legati Proconsulum, a privatorum sorte remoti, verum magistratum gererent. Quare tutores dare poterant, etsi tutoris datio esset actus legitimus; & apud eos vindicta manumitti poterat, ut docet verbis conceptis Paulus Jurisconsultus. Non me latet, in contrarium sensum Paulum trahi a summo viro Cujacio, addita ad textum negatione, ut conciliet hanc legem cum Marciano, qui diserte scripsit, Proconsules quidem statim, quam Urbem egressi fuerint, habere jurisdictionem, non contentiosam, sed voluntariam, unde & manumissiones & adoptiones apud eos fieri possunt: *Apud Legatum vero Proconsulis nemo manumittere potest, quia non habet jurisdictionem talem*. Plures conciliandæ hujus ἀντινομίας modos commenti sunt eruditi viri, repudiata negatione, quam superioris legis textui Cujacius injecerat. Sed non est, quod tantopere laborent in re facili. Discrimen assignat Marcianus Proconsulis & Legati. Ille insignia proconsulatus gerit statim, atque Urbem egressus est; & potestatem exercet, antequam ingrediatur provinciam, non contentiosæ quidem jurisdictionis, sed voluntariæ, ita, ut apud eum manumissiones & adoptiones fieri possint. Legatus vero ne voluntaria quidem jurisdictione uti potest; quia nulla illi mandari potest a Proconsule, nisi ut ea utatur in provincia; sed post adventum suum, mandatam jurisdictionem exercet, jus dicendo, judices dando, tutores constituendo, & manumissionibus apud se factis.

Spartianus.
L. 2. C. de apparitoribus Proconsulis & Legati lib. 12. l. pen. off. de offic. Proconf. & Leg. L. 17. ff. de manumissis vindicta. L. 2. & 3. ff. de officio Proconf.
Cujac. l. 1. Observat. c. 1.
L. 4. ff. eod.

VII. Ita-

D. & C. de offic. Adseff.

VII. Itaque falluntur viri docti, qui inter privatas personas Legatos referunt, eosque inter Assessores numerant. Etenim Assessores erant juris studiosi, quos magistratus sibi, ut consiliorum participes, adsciscebant. Itaque, quamvis jus non dicerent, nec pronuntiarent, ab eorum tamen sententia vix magistratus recedebant; ut colligitur ex Augustino, cum verba facit de Alipio assessionem exercente. Elegans est locus Josephi, dum comparationem instituit Judæorum cum Romanis in legum patriarum peritia. Illos enim de suis legibus citius responsuros asserit, quam de nomine proprio; hos autem ignorantiam suam profiteri, cum Præsides provinciarum Adsessores sibi assumant, qui peritiam legum in judiciis præstent. Ceterum privati erant omnino, adeo, ut absente magistratu nec causas audire, nec libellis subscribere possent. Attamen ex instituto Alexandri Severi salaria illis constituta sunt: *Assessoribus salaria instituit; quamvis sæpe dixerit, eos esse promovendos, qui per se Rempublicam administrare possint, non per Assessores.* Quod exemplo Pescennii decretum est. Hic enim, teste Spartiano, *addidit Consiliariis salaria, ne eos gravarent, quibus adsidebant, dicens, judicem nec debere dare, nec accipere.* Annonas quoque Adsessoribus e publico præstari solitas testatur Theodosius. Ne autem immensis sumptibus premeretur ærarium, unico tantum Assessori annonæ e publico constitutæ sunt, quemadmodum docuit Justinianus in Novella de mandatis Principum; ubi Præsidibus præcepit, ut virum gravem & manibus castum adhibeant consiliis suis, qui contentus sit iis, quæ a fisco præstantur, quippe ab iis amoveri possit, si quid contra spem illorum egerit. Quare non erat, cur viri docti sibi persuaderent, Legatos in Assessorum numerum referendos, Assessoresque vocari in Novellis XXX. & CIII. Etenim, licet unicus Assessor tribuatur a Justiniano Proconsulibus Cappadociæ & Palæstinæ a se recens institutis, eique salarium præstari jubeat e publico, hoc dictum e forma, quam erga ceteros omnes provinciarum rectores observatam vidimus, quibus unicum Assessorem sibi socium adsciscere permissum est. Quare, ut apud ceteros magistratus Assessor ille pro Legato sumi non potest, qui solis Proconsulibus dabatur olim a Senatu, ita quoque cum de Proconsulibus illis novis Cappadociæ & Palæstinæ agitur, Assessorem pro Consiliario, non autem pro Legato accipere par est. Unde recte Julianus πάρεδρον (ita enim dicitur in dictis Novellis) *Consiliarium* utrobique vertit.

Aug. L. 6. Conf. cap. 10.

Josephus l. 2. contra Appionem.

Lamprid. in Alex.

L. un. C. de annon. & C. administr.

Nov. 6. de mandatis Principum c. 6.

Julianus in Epitome Novel.

VIII. Quemadmodum provinciæ assignatæ populo per Proconsules administrabantur, ita provinciæ, quas Augustus Principum curæ retinuerat, per Legatos Cæsaris, quæ alia erat species Legatorum, distincta a Legatis Proconsulum, quamvis etiam Legati Cæsaris suos quoque secundarios Legatos haberent ex instituto Augusti, teste Dione. In eas autem provincias, quæ consulares erant vel prætoriæ, mittebantur ex parte Cæsaris Legati, qui *Consulares* dicti, vel *Legati pro Prætore*. Strabo eas vocat πρεσβυτὰς ὑπατικὺς, ϗ πρεσβευτὰς στρατικύς. Passim occurrunt in veterum monumentis *Consulares*: qui trahendi ad Legatos Cæsaris & provinciarum rectores, quibus jure consulari provinciæ administrandæ concessæ erant, etsi nunquam gessissent consulatum, quemadmodum supra monuimus, id usurpatum in Proconsulibus, qui jure consulari provinciis populi erant præfecti. Minutis provinciis rectores præficiebantur ex equestri ordine, Præsidum nomine, vel Procuratorum. Unde fluxit illa distinctio provinciarum in proconsulares, legatorias & præsidiales, quæ aliquoties occurrit in scriptoribus historiæ augustæ. Ceterum, ut inquit Macer, *Præsidis nomen generale est; eoque & Proconsules & Legati Cæsaris, & omnes provincias regentes, licet Senatores sint, Præsides appellantur.* Post Constantini ætatem imminuta sunt pleraque magistratuum nomina & officia, omnem harum rerum curam ad se trahente Principe. Mitto de Legatis exercituum, legionum & cohortium verba facere, quia nihil ad institutum nostrum conferre possunt.

Strabo l. 3.

L. 1. ff. de officio Præsidis.

IX. Novum genus magistratuum emersit ex Constantini institutione, scilicet Vicarii Præfectorum prætorio; de quibus hic pauca dicenda, quæ illustrandis aliquot hujus dissertationis articulis usui futura erunt. Quatuor Præfectis, quibus orbem Romanum fere partitus Constantinus, aliquos Vicarios adjecit, qui non jurisdictione mandata a Præfectis, sed a Principe sibi data, in judiciis reddendis uterentur. Ne tamen de dignitate Præfectorum prætorio detrahi videretur, vices Præfectorum agere dicuntur Vicarii, unde illis nomen, & apud Ausonium præfecturarum titulo secundo provincias tenere, & in Codice Vicariam agere præfecturam, & præfecturæ prætorianæ trahere portionem. Fascibus & securi ornati erant, & vice sacra judicabant. Vetus Poeta de Valerio Proculo: *Ter vice qui sacra discinxit jurgia judex.* Vicariorum autem certus erat numerus; qui a Principe missi, in Diœcesibus sibi assignatis, id est, in tractu multas provincias complectente jus dicebant. Omnes illi Vicarii, tum in Notitia utriusque imperii, tum in legibus Codicis referuntur. In imperio orientis erant tres Vicarii, Asianæ, Ponticæ & Thracicæ Diœceseon; quibus additus est Vicarius Macedoniæ post recisam ab occidente illam partem Illyrici. In occidente erant septem Vicarii, Urbis, Italiæ, Illyrici, Africæ, sub Præfecto prætorio Italiæ; Vicarius septem provinciarum in Gallia, Vicarius Hispaniarum, & Vicarius Britanniarum, sub Præfecto prætorio Galliarum.

Alia est ratio eorum, qui vicem alicujus Præsidis obtinent in provincia. Illi enim a Legatis Proconsulum differunt, & a Vicariis Præfectorum prætorio; & ad tempus provinciam administrandam obtinent, mandato Principis speciali, puta Præside defuncto, vel aliam ob causam. Unde fit, ut nonnunquam Procurator Cæsaris Præsidis vice fungatur; ut contigit Pilato in Syria. Ei autem, qui vicem alicujus judicis obtinet, permissa sunt omnia, quæ judici, cujus locum tuetur, ut docet Cujacius in tit. Cod. de officio ejus, qui vicem alicujus judicis obtinet.

X. Restat ultima Legatorum species, quæ jure gentium apud omnes populos consecrata est; de quibus unica lege in toto Juris corpore agitur. Legati hujus generis dicuntur, qui a Principe delecti negotia publica cum exteris gentibus, ad eas missi disceptant; vel, ut Belisarius eos descripsit apud Procopium, si quid a conterminis gentibus desideratur, id postulatum iis mittitur per Legatos. Ii pro rei tractandæ magnitudine nunc illustriores, nunc vero inferioris gradus mittebantur. Quod usurpari solitum ab Imperatoribus Constantinopolitanis & a Regibus Persarum, observavit Menander in eclogis. De Legatis istis copiosam & eruditissimam dissertationem edidit V. C. Carolus Paschalius; a quo peti possunt, quæcunque ad materiam illam pertinent.

L. ult. ff. de Legat.

Procopius l. 1. bell. Persici.

CAPUT II.

De Legatis ecclesiarum a synodis provinciarum ad Imperatores vel sedem Romanam missis, expediendi negotii causa.

S Y N O P S I S.

I. Diversæ Legatorum species in Ecclesia. Indicatur breviter, in quo componi possint Legati Ecclesiæ cum Legatis imperii.

II. Legati a synodis provinciarum missi ad Romanam sedem, vel ad Principem, collati cum Legatis provincialibus. Ejus generis Legati missi a Cypriano ad Cornelium Papam pro gerendo negotio

impo-

impositum, absque ulla jurisdictione. Legatio non absimilis missa a synodo Carthaginensi ad Anastasium Pontificem & ad Episcopum Mediolanensem, pro venia synodi Capuanæ, de baptizatis a Donatistis. Ad Mediolanensem Episcopum Legati directi, sed præcipue ad Romanum.

III. Missi quoque a synodo Carthaginensi Legati ad Principes una cum literis. Quid sit libera legatio in illo Concilio. Differt ab ea, cujus meminit Cicero & Ulpianus. Hæc titulo tenus & ad dignitatem data; illa vero, quæ nullis mandatis est adstricta, similis procurationi liberæ.

IV. Ab orientis Ecclesiis directi quoque Legati ad Romanam sedem, scilicet a synodo Antiochena & Alexandrina in causa Athanasii, & a Concilio Lampsaceno. Infinitum est ejusmodi legationes recensere.

V. Romani quoque Pontifices mittebant aliquando hujus generis Legatos, ut Julius ad orientales; quibus ministerium nudum injunctum erat, nulla vero jurisdictio. Ad hanc speciem pertinet legatio Faustini ad Concilium Carthaginense. Nulla jurisdictio illi mandata; sed impositum ministerium de capitibus aliquot tractandi.

VI. Magno honore excepti Faustinus ejusque socii ab Africanis. Non poterant sententiam dicere in synodo Africana jure proprio, quia peregrini, nec jure delegationis. Quid permitteretur peregrino Episcopo. Consessus in Ecclesia ante Presbyteros. Et facultas offerendi: quæ concessa a Concilio Arelatensi. Olim peregrinis Eucharistia tantum missa domum; deinde inductum ab Aniceto, ut porrigeretur illis in Ecclesia. Explicatus ea de re, nova interpretatione, Irenæi locus.

VII. Faustinus illiusque socii ex beneficio Africanorum in synodum admissi, sententiam quoque dixerunt. Tertius locus illis datus; quia negotiorum tantum procuratores erant, nulla jurisdictione instructi.

VIII. Refelluntur novatores, qui ex hoc Concilio Metropolitas Legatis omnibus Romanis anteponendos censent.

I. IN Ecclesia locum quoque habent legationes diversi generis. Quidam enim Legati mittuntur ad negotiorum publicorum prosecutionem, qui Legatis provincialibus respondent. Quidam instructi sunt jurisdictione quadam, quæ illis mandatur, qui aliquo pacto componi possunt cum Legatis Proconsulum. Quibusdam plena jurisdictio in provincias vacantes conceditur, qui aliqua ex parte Legatos Cæsaris & Consulares referunt. Quidam suæ jurisdictioni ordinariæ in aliquot provincias adjunctam habent vicariam apostolicæ sedis auctoritatem; quos, ratione Diœceseos, quam administrant, conferre licet cum Vicariis Præfectorum prætorio. Legatis autem a sede apostolica missis sanctitas illa, quæ Legatis Principum debetur ex jure gentium, a Christianis Principibus conservari debet. Unde patet, quantam lucem dicendis fœnerari possimus ex iis, quæ capite primo adnotata sunt.

II. Ac primo quidem Legati, qui a synodis provinciarum ad Romanam sedem vel ad Principes mittebantur, olim nullo jure alio censeri poterant, quam illo, quod in Legatis provincialibus obtinebat, adeo, ut nulla jurisdictione data, sola illis gerendi negotii, quod mandatum erat, sollicitudo immineret. Hujus generis erant Episcopi Calidonius & Fortunatus, Legati a Cypriano & synodo Carthaginensi ad Cornelium Pontificem & Romanam Ecclesiam missi, ut, quantum fieri posset, eniterentur ad componendam consiliis suis Ecclesiæ unitatem, quæ factione Novatiani scissa erat, &, ut de Cornelii ordinatione, quæ sibi essent comperta, referrent ad Africanos; quo scrupulo omni excusso, Cornelii *communicationem, id est, catholicæ Ecclesiæ unitatem pariter & charitatem probarent firmiter & tenerent.* Hos Episcopos ad Cornelium missos diserte Cyprianus Legatos vocat. In Concilio quoque Carthaginensi legatio decreta fuit anno CDI. ad Anastasium sedis apostolicæ Episcopum, ad Venerium sacerdotem Mediolanensem, & ad Imperatores, ut Ecclesiæ Africanæ necessitatibus consuleretur. Etenim cum in Concilio Capuano generali vetitum fuisset anno CCCLXXXIX. ne baptizati a Donatistis in clerum aliquando adsciscerentur, Africanæ Ecclesiæ, ad eam clericorum inopiam redactæ, ut, plerisque earum desertis, ne unus quidem Diaconus vel illiteratus reperiretur, hanc necessitatem suggesserunt Episcopis Romano & Mediolanensi. *Ex his enim sedibus*, inquiunt illi, *hoc fuerat prohibitum.* Quare eorum ope *communi periculo providendum* ajunt. A generali autem prohibitione eos excipi postulant, qui apud Donatistas parvuli baptizati, agnita deinde veritate ad Ecclesiam catholicam accedentes, per manus impositionem suscepti sunt. *Tantum de his, qui infantes baptizati sunt, satagimus*, inquiunt, *ut nostræ, si placet, in iisdem ordinandis consentiant voluntati.* Quare ad interpretandam Concilii plenarii definitionem necessarium existimabant Africani sedis apostolicæ consensum. Hoc enim ab ea sede *maxime* pendere profitentur in simili specie, de clericis Donatistarum, etsi ad ceteros quoque transmarinos Episcopos literas suas dirigant, ex quorum consilio, & præcipue Mediolanensis Episcopi, qui erat Italiæ Primas, Romanus Pontifex res istas constituebat.

[Left margin: Cypr. ep. 42. ad Cornelium. — Cypr. ep. 45. *Cum statuissemus collegæ quamplures, qui in unum convenimus, ut Legatis ad vos Co-*]

[Right margin: *episcopis nostris Calidonio & Fortunato missis, &c.* — Coll. Concil. Afric. c.57. & in præfat. — Coll. Concil. Afric. c. 68.]

III. Eadem legatione postulatum est ab Imperatoribus, ut templa paganorum abolerentur in Africa, & aliquot alia capita, quæ recensentur in dicto Carthaginensi Concilio. Anno quoque CCCCIV. ex altero Concilio Carthaginensi Theasius & Evodius Episcopi ad Principes missi sunt adversus Donatistas; quibus Legatorum nomen impositum, & literæ datæ ad Imperatores & magistratus. *Illud præterea cunctis nobis placuit, ut literæ de cœtu nostro ad gloriosissimos Imperatores & eminentissimas potestates dirigantur, quibus instruantur nostro omnium consensu ad beatissimum comitatum Legatos a nobis esse directos.*

Frequentes visuntur in Conciliis Carthaginensibus decretæ ad Imperatores legationes adversus paganos & hæreticos. Sed observanda est in primis illa, quæ injuncta est Vincentio & Fortunatiano anno CDVII. de qua his verbis constitutum est: *Placuit, ut legationem liberam habeant ad comitatum missi delecti Legati.* Ubi alio sensu accipienda est libera legatio, quam usurpetur ab Ulpiano. *Qui libera legatione abest*, inquit, *non videtur reipublicæ causa abesse. Hic enim non publici commodi, sed sui causa abest.* Apud Ulpianum enim libera legatio dicitur, quæ nulli negotio gerendo adstricta, nec ullo tempore finita, viris clarissimis a senatu olim, deinde ab Imperatoribus concedebatur titulo tenus, ut in provinciis privatas res suas curantes, vel enim voti solvendi causa fana & sacra loca adeuntes, Legatorum dignitate ornarentur, quæ ultima legationis species etiam *votiva* dicebatur. Utriusque autem legationis frequens mentio apud Ciceronem & aliquot veteres. In dicto vero canone Carthaginensis Concilii *libera legatio* dicitur, quæ liberis mandatis constituta erat. *Libera mandata* voco cum Livio ea, quæ Legatis dantur nulli formulæ adstricta, quæque rem omnem gerendam eorum fidei & prudentiæ committunt. His autem verbis libera illa Legatorum potestas explicatur a patribus Africanis: *Placuit & illud, ut adversus Donatistas & Paganos vel eorum superstitiones Legati missi de hoc glorioso Concilio, quicquid utile perviderint, de gloriosissimis Principibus impetrent.* Itaque istiusmodi Legati similes videntur Procuratoribus, quibus mandato generali libera rerum administratio commissa est; de quibus Jurisconsulti.

[Right margin: In d. collect. c. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. — In d. coll. c. 91. — C. 97. — L. 14. ff. de Legat. — Cic. ad Att. l. 1. ep. 4. 7. 68. l. 4. ep. 2. lib. 15. ep. 5. 6. & de lege Agraria. Suet. in Tiber. c. 31. Livius lib. 7. — In d. Coll. c. 106. — L. Procurator. ff. de procurat.]

IV. Ab orientalibus Episcopis missos olim ad Romanum Pontificem Legatos docet epistola Julii apud

[Right margin: Julii ep. ap. Ath. ep. 2.]

apud Athanasium, qui disceptationem Martyrii Presbyteri & Hesychii Diaconi Legatorum orientalium apud se habitam cum Legatis Athanasii & synodi Alexandrinæ refert; his communionem Athanasii non esse rejiciendam a Pontifice Romano contendentibus; illis vero damnati hominis consortium non esse amplectendum asserentibus, & postulantibus novum judicium a Julio, si opus esset, instaurari. Præterea Lampsacenum Concilium Episcoporum orientalium tres Legatos ad Liberium misit, Eustathium, Silvanum & Theophilum, qui, repudiato Ariminensis & Seleuciensis Conciliorum decreto, Nicænam fidem se retinere profiterentur. Lampsacenæ synodi legationem sibi ad Liberium in unctam & ad ceteros Italiæ & occidentis Episcopos profitentur apud Socratem: *Ejus synodi legationem obeuntes, ad tuam benignitatem, & ad omnes Italos occidentisque Episcopos literas afferimus.* Prætermitto infinita hujuscemodi exempla, quæ facile cumulari possent, cum ista sufficiant ad ostendendam hujus moris vetustatem in mittendis ad Romanam sedem ab oriente & occidente Legatis.

Socrates lib. IV. cap. 11.

V. Vicissim quoque Romani Pontifices hujus primi generis Legatos quandoque mittebant, qui, nulla jurisdictione instructi, ea tantummodo negotia curarent, quæ mandatis continebantur. In hunc sensum referri debet legatio Elpidii & Philoxeni decreta a Julio ad orientales in causa Athanasii, *ut incitarent eos, qui judicium scriptis postulaverant, ut præsto esse vellent.* Quare nulla causæ cognitio illis concessa erat; solo tantum monendi & evocandi ad Concilium ministerio defungebantur. Ad hanc speciem Legatorum pertinet quoque legatio Faustini Episcopi & Philippi, atque Aselli Presbyterorum Ecclesiæ Romanæ missa ad Concilium Carthaginense a Zosimo Papa. Nulla enim auctoritate vel jurisdictione sibi mandata Legati illi ornati erant; sed solum ministerium illis impositum erat ad tractanda capita mandatis comprehensa de appellationibus Episcoporum & clericorum ad Romanam sedem. *Injuncta sunt nobis a sede apostolica aliqua per scripturam, aliqua etiam in mandatis; cum vestra beatitudine tractanda.* Infra: *De his ergo primitus, si placet beatitudini vestræ, tractemus; & postea cetera, quæ acta vel inchoata sunt, inserta firmabuntur, ut ad sedem apostolicam rescriptis vestris intimare possitis.* Unde patet, negotiorum gerendorum causa decretam fuisse legationem a Zosimo & ab Ecclesiæ Romanæ synodo. Quod patet evidentissime ex ipsius commonitorii verbis, quod datum est Legatis; unde constat, eos quidem vices Zosimi egisse, sed in procuratione negotiorum, non autem in aliqua jurisdictionis functione. *Vobis commissa negotia non latent*, inquit Zosimus. *Vos ita, ut nostra, imo, quia nostra ibi in vobis præsentia est, cuncta peragite; maxime, cum & hoc nostrum possitis habere mandatum*, cui canones Sardicenses de appellationibus inserit.

In d. ep. Julii.

Initio Concilii Carthagin.

VI. Etsi autem Legati Romanæ Ecclesiæ solis negotiis curandis intenti essent, nullaque pars auctoritatis pontificiæ illis commissa esset, non vulgari honore excepti sunt a Concilio Carthaginensi. Etenim, cum Faustinus esset peregrinus Episcopus, & synodi Italicæ τοῖς ὑπερορίοις, alienæ provinciæ negotiis sese immiscere contra canones non poterat jure proprio, nec etiam jure delegationis, cum Zosimi mandatum ad tractanda capita quædam de privilegiis Ecclesiæ Romanæ restrictum esset. Illud unum ex usu hujus seculi obtinere poterat, ut in Ecclesia Carthaginensi post Episcopum civitatis ante Presbyteros consideret, quod peregrino Episcopo dabatur, ut docent Episcopi Africani in Collatione Carthaginensi. Adde, ad sacrificii oblationem peragendam admitti potuisse ex canone Arelatensis Concilii primi, quo inductum est anno CCCXIV. ut peregrinis Episcopis ad offerendum detur locus: *De Episcopis peregrinis, qui in urbem solent venire, placuit eis locum dari, ut offerant.* Etenim ante hujus Concilii definitionem Eucharistia tantum in Ecclesia illis porrigebatur, juxta morem ab Aniceto Papa inductum; quo usus est erga Polycarpum Smyrnensem, quem Eucharistiæ communione *in Ecclesia* donavit; licet ante illud tempus peregrinis Episcopis Eucharistia *domum* mitti consuevisset, ne a communione viderentur alieni. Utriusque consuetudinis, & illius antiquissimæ, & indulgentioris ab Aniceto inductæ, meminit Irenæus, qui κατ' ἐντροπὴν concessam in Ecclesia Polycarpo Eucharistiam observat disertis verbis. Ἐντροπὴ in eo versabatur, ex mea quidem sententia, quod Anicetus sacramenta non misisset domum, sed Polycarpo permisisset iis participare contra Ecclesiæ cancellos. Male enim interpretes hunc locum ad celebrationem liturgiæ ab Aniceto permissam trahunt, quemadmodum adnotavit vir doctissimus; cujus censura hac nostra observatione & canone Arelatensi omnino confirmatur.

Collat. 1. Carthag. c. 16.

Euseb. lib. 5. c. 26. Græcæ edit.

Fr. Florens ad tit. de translat. Episc.

Vide H. Valesii Notas ad Euseb. 5. hist. ecclesf. cap. 24. pag. 109.

VII. Cum ergo in eo positi essent Legati, ut res Africanas attingere non possent, ad consessum tamen una cum ceteris Episcopis admissi sunt; illis præsentibus, de negotiis eorum curæ commissis deliberatum est, atque jus promendæ sententiæ in iis, quæ constituta sunt de disciplina, delatum; ut patet ex capite de abstinentia clericorum ab uxoribus, quæ diserte Faustino censente decreta est. Aurelius Episcopus Carthaginensis jure metropolitico præfuit synodo. Proximum ab eo locum tenuit Valentinus, primæ sedis provinciæ Numidiæ Episcopus. Deinde *Faustinus, Ecclesiæ Potentinæ provinciæ Italiæ Piceni Legatus Ecclesiæ Romanæ;* qui ceteris provinciarum Africanarum Legatis numero ducentis & quindecim prælatus est. Post omnes Episcopos consederunt Philippus & Asellus, Presbyteri atque Legati Ecclesiæ Romanæ, nullis aliis Presbyteris, neque ipsius Ecclesiæ Carthaginensis, ad hunc cœtum admissis. Quare si negotiorum procuratoribus vel potius Legatis provincialibus a synodo Romana & Pontifice missis tantus honor habitus est, dubitandum non est, quin Legatis mandata sibi jurisdictione pontificia fungentibus integra dignitas olim in synodis conservata fuerit. Quod obtinuisse videmus non solum in Conciliis œcumenicis, sed etiam in Conciliis provincialibus & diœcesanis. Discrimen horum Legatorum ex eo proficiscitur, quod isti magistratu quodam funguntur & vices Pontificis gerunt in jurisdictione exercenda; illi vero nulla jurisdictione instructi, Legatis provincialibus respondent.

VIII. Frustra ergo sunt novatores, qui, hoc Legatorum discrimine non animadverso, eorum jura & dignitatem fœde permiscentes, Concilii Carthaginensis præjudicio Legatos quoscunque Romanæ Ecclesiæ Metropolitis postponendos ex jure veteri censent. Licet autem concoquere non possint excogitatas a viro eruditissimo ad rem istam explicandam voces, scilicet Legatos cathedraticos & personam Papæ agentes, & judiciariam, attamen verbis a jure ipso petitis, quæ ad hujus difficultatis interpretationem attulimus, eos nullo negotio cessuros existimo. Neque vero tantum illis indulgendum censeo, quantum vir ille eruditissimus concedere videtur, qui Legatos Conciliorum præsides in Conciliis œcumenicis tantum agnoscit, non autem in particularibus, ita, ut consessus prærogativam a Conciliorum conditione, non autem a legationis discrimine, potissimum trahere videatur. Mihi vero certum est, non solum in Conciliis œcumenicis, sed etiam in aliis extraordinariis, Legatos Romanæ Ecclesiæ jus illud obtinuisse, ex Concilio Sardicensi.

Ill. Card. Perronius Replic. cap. 40.

CAPUT III.

De poteſtate Legatorum provincialium ad Concilia Nationalia vel Oecumenica miſſorum, & ſpeciatim de præfectura Legatorum Epiſcopi Romani in Concilio Nicæno.

SYNOPSIS.

I. Epiſcopi a ſynodis provincialibus miſſi ad ſynodos Diœceſeon, vel ad œcumenicas, ſua & mandata juriſdictione utebantur. Legati dicuntur in Conciliis Africanis, in Aquilejenſi, & alibi. In ſynodo Epheſina Legati dicti abſentium Epiſcoporum Vicarii.

II. In Legatis hujus generis emicuit olim auctoritas Romanæ ſedis. Eorum diſcrimen a Legatis ſynodorum provincialium.

III. Inquiritur, an Legati Romani præfuerint Conciliis œcumenicis. Oſius Cordubæ Epiſcopus præfuit Nicæno una cum Presbyteris Vitone & Vincentio.

IV. Legatione Romani Pontificis fungebatur. Quod probatur non ſolum argumentis, ſed etiam teſtimonio Euſebii apud Gelaſium Cyzicenum, cujus meminit Photius.

V. Legatio Oſii deeſt in editione Euſebii vulgata, & in ea, quæ relata eſt a Socrate. Theodoretus & Sozomenus ſolos Vitonem & Vincentium Legatos Romani Pontificis agnoſcunt. Diſtinctio Legatorum in externos & internos non ſatisfacit.

VI. Locus Euſebii mutilus in codice, quem Socrates ſequebatur. Labes illa manifeſta; quæ collato Gelaſii codice facile deprehenditur.

VII. Alio quoque argumento idipſum oſtenditur, nimirum auctoritate Nicetæ Choniatis, qui Epiſcopum urbis regiæ apud Euſebium explicat de Metrophane Epiſcopo Conſtantinopolitano.

VIII. Sozomenus emendatus, qui Vitonem & Vincentium Julii Epiſcopi Romani Legatos fuiſſe ſcripſit. Rejecta Cardinalis Perronii conjectura; quæ tamen viam aperit ad veram emendationem, quæ indicatur.

I. Aliud Legatorum genus in Conciliis reperitur, qui mandata ſibi juriſdictione utuntur in iis articulis, quorum cauſa legatio illis impoſita eſt. Hi ſunt Epiſcopi, quos provinciarum ſynodi ad Diœceſana Concilia, quæ vulgo *Nationalia* dicuntur, vel etiam ad œcumenica mittere conſueverunt. Etſi enim indubitatum ſit Epiſcopis illis jus ſuffragii competere, attamen injuncta legatio id præſtat, ut non ſolum ſua, ſed etiam aliena, id eſt, totius provinciæ auctoritate inſtructi, de rebus in ſynodo propoſitis decernant. Quare cum cœtibus illis interſint non tantum ſuo, ſed etiam provinciæ nomine, inde illis datum eſt Legatorum nomen, ut conſtat ex Concilio Carthaginenſi: *Singulis quibuſque annis Concilium convocetur, ad quod omnes provinciæ, quæ primas ſedes habent, de Conciliis ſuis binos aut quantos delegerint Epiſcopos, Legatos mittant.* [Concil. Carthag. an. 403. Concil. Carthag. 3. c. 3. & in Cod. Canon. Eccl. Afric. c. 18.] Unde paſſim occurrunt in Conciliis Carthaginenſibus Legati provinciarum Numidiæ, Mauritaniæ, Byzacenæ & Tripolitanæ: qui porrectis legationis ſuæ literis, iiſque recitatis & in acta redactis, a Concilio admittebantur; ut patet ex Concilio anni quadringenteſimi tertii. Enimvero, quia plerumque accidebat, ut mandatis fines quidam Legatis præſcriberentur, quos excedere piaculum ducerent, conſtitutum fuit anno CDV. in altera Carthaginenſi ſynodo, *ut libera legatio ab omnibus provinciis ad Concilium dirigeretur.* [Collect. Afric. cap. 94.] Hujus autem vocis uſus non in Africa ſola obtinuit, ſed paſſim quoque in ceteris occidentis Eccleſiis, quemadmodum docet Ambroſius in epiſtola ſynodica Concilii Aquilejenſis ad Gratianum, cui *ex omnibus provinciis occidentalibus miſſos adfuiſſe Legatos* ſcribit, inter quos Conſtantius & Juſtus *Legati Gallorum* in actis referuntur, qui Epiſcoporum Gallicanorum provinciæ Viennenſium & Narbonenſis primæ & ſecundæ vices gerebant, eorumque præſentiam ſupplebant, ut fatetur Aquilejenſe Concilium. [Epiſtola Concilii ad Epiſcopos Galliæ.] Quamvis in Epheſina ſynodorum Legatorum nomen ad Vicarios abſentium reſtringatur: ubi Philippus Presbyter ait, Concilium illud conflatum fuiſſe ex Epiſcopis Eccleſiæ orientalis & occidentalis, qui aut præſentes aderant ipſi, aut per Legatos.

II. In Legatis hujuſce generis emicuit olim ampliſſima Romanæ ſedis dignitas & auctoritas, quæ Legatorum ſuorum miniſterio ſynodis œcumenicis præfuit, hæreſes profligavit, hæreticos proſcripſit, canones de diſciplina eccleſiaſtica una cum ceteris Epiſcopis ad Concilia evocatis decrevit. In eo autem conveniunt Legati Romanæ ſedis cum reliquarum Eccleſiarum Legatis, quod Romani Pontificis, a quo mittuntur, vices agunt, & integram ipſius dignitatem atque auctoritatem repræſentant, quemadmodum ceteri Legati ſuarum provinciarum præſentiam & ſuffragia exhibent. Sed in eo maxime differunt, quod Romani ea juriſdictione aucti ſunt, quæ illis legatione dempta non competeret, cum provinciarum Legati ſuo nomine ſuffragia ferre poſſent in ſynodis, etſi legatione deſtituerentur. Sed Paſchaſinus & Lucentius Epiſcopi, multo minus Bonifacius Presbyter, Concilio Chalcedonenſi non præfuiſſent, neque jure relationis & ſuffragii prærogativa uſi forent, niſi ob legationem a Leone injunctam, qui juriſdictionem ſuam illis ad Eutychem confodiendum in ſynodo mandavit.

III. Quoniam vero magna contentione certatur, an primum locum in ſynodis œcumenicis Legati Romani obtinuerint, non alienum erit ab inſtituto, quæ ad rem iſtam pertinentia aliquando obſervavimus, breviter & dilucide premere. Primus pugnæ gradus in ſynodo Nicæna, quæ ex orbe Chriſtiano a Conſtantino coacta, orientalium Epiſcoporum frequentiſſimo numero celebrata eſt; ex Italia vero & remotioribus occidentis partibus Legati tantum adfuerunt. Huic ſanctiſſimo & celeberrimo cœtui Oſium Epiſcopum Cordubæ præſediſſe, fatentur omnes poſt Athanaſium, qui eum ducem & anteſignanum ſynodorum docet, & ab Arianis præſidem ſynodorum fuiſſe appellatum. [Athan. de fuga ſua. Idem in ep. ad ſolit.] Quod etiam demonſtratur e Socrate; qui Athanaſii Synodicum ſecutus, Epiſcoporum inſignium, qui ſynodo interfuerant, nomina recenſens ab Oſio Epiſcopo Cordubæ, Vitone & Vincentio Presbyteris auſpicatur; [Socrat. lib. 1. c. 9. Latinæ verſionis & 13. Græcæ.] quibus ſubjungit Alexandrum Ægypti, Euſtathium Antiochiæ, & Macarium Hieroſolymorum Epiſcopos; eodem ordine in recenſendis Epiſcopis illis ſervato, quem Nicæni canones Romanæ, Alexandrinæ, Antiochenæ & Hieroſolymitanæ ſedi aſſignarunt. Primus denique Concilio ſubſcribit Oſius cum Vitone & Vincentio Romanæ Eccleſiæ Presbyteris.

IV. Sed probandum nobis incumbit, Oſium legatione Romani Pontificis in hac ſynodo functum. Sane, ſi argumentis accretur, difficultas iſta uno verbo confici poſſet. Cum enim e Synodico Athanaſii habeamus Vitonem & Vincentium Romanæ Eccleſiæ Presbyteros Ægypti & orientis Patriarchis prælatos, (quod alio jure niti non poterat, quam jure legationis illis a Romano Pontifice impoſitæ, ut ſedium jura in eadem ſynodo confirmata illibata ſervarentur) nemo abſque pervicacia negare poterit, quin Oſius occidentalis Eccleſiæ Epiſcopus eodem legationis jure de Patriarchis & Romanis Presbyteris prælatus fuerit. [Vide Valeſii Notas ad Socrat. l. 1. c. 13.] Alioquin illud quoque abſurdum ſequeretur, Alexandrinum Epiſcopum non ſecundum locum ſibi juxta mores antiquos decretum, ſed tertium occupaſſe, ſi Oſio legationis Romanæ dignitas adimatur. Donec ergo judicio ſynodi Nicænæ aut Conſtantini delegatione doceatur, Oſio delatam fuiſſe πρoεδρίαν, neceſſe eſt, ut ejus dignitatem a legatione

ne Pontificis & synodi occidentalis accersamus; præsertim cum id, quod asserimus, docuerit olim Eusebius juxta fidem Gelasii Cyziceni, qui circa annum CDLXXX. acta Concilii Nicæni collegit. Hic enim auctor ex tertio libro Eusebii de vita Constantini se ista ad verbum transcripsisse profitetur. *Ipse ex Hispanis valde celebratus Osius, obtinens locum magnæ Romæ Episcopi Silvestri cum Presbyteris Romæ Vitone & Vincentio, cum pluri-mis aliis considebat. Urbis autem illius, quæ nunc imperat, Episcopus, Metrophanes nomine, propter senectutem non adfuit. Ipsius vero Presbyteri, qui aderant, ejus locum supplevere; quorum unus erat Alexander, qui urbis episcopatum post Metrophanem adeptus est.* Αὐτὸς τε Σπανῶν ὁ πάνυ βοώμενος ὁ Ὅσιος, ἐπέχων καὶ τὸν τόπον τοῦ τῆς μεγίστης Ῥώμης ἐπισκόπου Σιλβέστρου, σὺν πρεσβυτέροις Ῥώμης Βίτωνι καὶ Βικεντίῳ τοῖς πολλοῖς ἅμα συνεδρεύων. τῆς τε νῦν βασιλευούσης πόλεως ὁ μὲν προεστὼς, Μητροφάνης τοὔνομα, διὰ γῆρας ὑστέρει. πρεσβύτεροι δὲ αὐτοῦ παρόντες τὴν αὐτοῦ τάξιν ἐπέλουν. ὧν ὁ εἷς Ἀλέξανδρος ἦν, ὁ μετ' αὐτὸν ἐπίσκοπος τῆς αὐτῆς γεγονὼς πόλεως. Ne quis autem suspicetur, editioni Gelasii Cyziceni per imposturam a nostris, qui opus illud e bibliotheca Vaticana & ex altero codice Constantinopolitano publicarunt, pericopam illam insertam fuisse, præsto aderit Photius Patriarcha Constantinopolitanus, vir quidem multiplicis lectionis & eruditæ, sed amaro in Pontifices animo, atque auctor schismatis orientalium. Hic ergo testatur, a se perlecta Concilii Nicæni acta a Gelasio Cyziceno interpolata, in quibus referretur, Osium Cordubensem, Vitonem & Vincentium Romanos Presbyteros, vice Silvestri Romani Episcopi interfuisse, ipsumque Eustathium Antiochenum, Alexandrum vero Presbyterum vice Metrophanis Constantinopolitani, qui decrepita senectute laborabat, synodo adfuisse. Quam sententiam ipse Photius suffragio suo probavit in epistola ad Michaelem Regem Bulgarorum; ubi legationem a Silvestro injunctam fuisse Cordubensi Osio & duobus Presbyteris Romanis scripsit.

Gelas. Cyzic. lib. 2. c. 5.

Photius in Bibliotheca c. 88

V. Sed testimonio Gelasii opponitur non solum Eusebii editio, quæ hodie extat, sed etiam illa, quæ Socratis historici tempore, qui paulo antiquior est Gelasio, manibus omnium terebatur; a qua verba illa de legatione Osii, Vitonis & Vincentii omnino absunt. Ita se habet locus Socratis: *Eusebius libro tertio de vita Constantini hæc ait ad verbum: Ipseque ex Hispanis valde celebratus, cum aliis multis consedit. Urbis vero illius, quæ imperat, Episcopus propter senectutem non adfuit, ipsius vero Presbyteri, qui aderant, ejus locum supplevere.* Αὐτός τε Σπανῶν ὁ πάνυ βοώμενος, εἷς ἦν τοῖς πολλοῖς ἅμα συνεδρεύων. τῆς δέ γε βασιλευούσης πόλεως ὁ μὲν προεστὼς, διὰ γῆρας ὑστέρει· πρεσβύτεροι δὲ αὐτοῦ παρόντες, τὴν αὐτοῦ τάξιν ἐπλήρουν. Quin etiam Sozomenus atque Theodoretus hanc Eusebii lectionem, quæ a Socrate profertur, secuti, Osii nulla mentione facta, Pontificem Romanum ingravescente ætate præpeditum, ne synodo interesset, duos Presbyteros delegasse scribunt; quos Vitonis & Vincentii nomine Sozomenus designat. Ex horum trium historicorum testimonio duo quædam colliguntur, quæ hanc disceptationem profunda veluti caligine involvunt. Unum est, legationem Osii in codicibus Eusebii, quibus illi utebantur, omnino dissimulatam. Alterum, legationem Romani Pontificis ad duos Presbyteros a Sozomeno & Theodoreto restrictam, quod legationem omnem adimit Osio. Non me latet, viris eruditis placuisse distinctionem quandam Legatorum, quos in externos dividunt & internos; ita, ut de solis internis & veluti domesticis Ecclesiæ Romanæ Legatis a latere Pontificis missi loquantur Theodoretus & Sozomenus, quod legationi Osii non detrahit, quam ex mandato Papæ & synodi occidentalis gerebat. Sed distinctio ista in sexta synodo initium sumpsit, ut dicemus suo loco.

Locum Eusebii esse mutilum apud Socratem, probatur infra in Addit. ad caput 12. hujus libri §. 5. Socrates lib. 1. c. 5.

Sozom. l. 1. c. 16. Theodor. lib. 1. c. 7.

VI. Verum ut sine ullo partium studio eloquar, quod sentio, locus Eusebii in vulgatis editionibus mutilus esse mihi omnino videtur, quod ante me professus est vir eruditissimus Joannes Morinus. Illam vero labem nolim audaciæ Græculi cujusdam adscribere, qui a Socrate & Eusebio verba illa eraserit; cum e Theodoreto & Sozomeno constet, illorum ætate codices Eusebii & Socratis vitio illo laborasse, ut statim dicam. Proclivis error ex amanuensium incuria, qui unum aut alterum versum exscribendum omiserunt. Neque enim in verborum immutationibus, sed in pericopæ unius omissione error iste versatur. Fatendum quidem est, absque subsidio melioris codicis labem illam deprehendi non posse; ita, ut de negligentia Socratis, Sozomeni & Theodoreti nemo conqueri possit, neque de illorum bona fide aliquid sinistri suspicari: qui, si codices integriores nacti fuissent, veram lectionem non dissimulassent, quemadmodum neque Gelasius Cyzicenus eam dissimulavit. Sed profiteri ausim, ex indicio Gelasii facillimum esse cuique non obtusi omnino ingenii viro hiatum illum apud Eusebii codices vulgatos deprehendere. Quis enim non statim advertit, aliquid deesse in his Eusebii verbis, *Ex Hispanis celebratus ille* adfuit cum ceteris? Quis tandem erit ille Hispanus, licet famæ celebritate conspicuus, si nomen ejus taceatur? Hoc loquendi genus aliquo pacto ferri posset in oratione panegyrica: quod tamen sine vitio usurpari non potest in historia, quæ virorum illustrium nomina posteritati commendare debet. Si consulatur Gelasii codex, statim labes illa deprehenditur. Verbis enim illis generalibus Eusebii subjungitur Osii nomen & legatio.

Morinus lib. 1. Exercitat. 20. pag. 143.

VIII. Deinde, si quis accurate expendat Eusebium, cum agit de urbis regiæ Episcopo, ob ætatem ingravescentem impedito, ne synodo interesset, de Metrophane Constantinopolitano accipiendum intelliget, non autem de Silvestro Romano. Hic enim undecim annis superstes fuit Concilio Nicæno. Metrophanes vero morbo & ætate fessus, statim post synodum obiit; in cujus locum suffectus est Alexander, ut demonstratum est a viro doctissimo Joanne Morino. Itaque Nicetas Choniates, emunctæ naris, hæc Eusebii verba ad Episcopum Constantinopolitanum referenda esse subodoratus est: *Eusebius Pamphili*, inquit, *in tertio libro vitæ Constantini abfuisse ait Episcopum Constantinopoleos ob senectutem, (sed illius nomen non declarat) illius vero locum tenuisse ejus Presbyteros. Sed acta synodi referunt, tunc Metrophanem Constantinopolitanum Episcopum fuisse, ob decrepitam vero ætatem non interfuisse Concilio, ejusque locum supplevisse Alexandrum.* Quam explicationem assecutus est ope actorum Concilii Nicæni a Gelasio Cyziceno collectorum. Hoc subsidio destituti Theodoretus & Sozomenus locum Eusebii mutilum a Socrate prolatum de Romano Episcopo, etsi contra historiæ circumstantias, interpretati sunt. Theodoreti hæc sunt verba: *Episcopus Romanus propter ætatem admodum ingravescentem abfuit. Verum duos ille misit Presbyteros, potestate illis concessa actis illius Concilii assentiri.* ὁ δὲ τῆς Ῥώμης διὰ τὸ γῆρας ἀπελείφθη βαθύ. δύο μέντοι πρεσβυτέρους ἀπέστειλε συνθέσθαι τοῖς πραττομένοις παρεγγυήσας.

Nicetas in Panoplia.

III. Posita vera & sincera Eusebii interpretatione, quod attinet ad Episcopum urbis regiæ, quis non videt statim lacunam illius loci, ubi deest legatio Silvestri, quæ supplenda est e codice Gelasii? Alioquin accideret, Eusebium in exacta illa, quam inivit, provinciarum enumeratione, quæ Episcopos suos ad synodum miserunt, Italiam & urbem Romam omisisse, quo nihil absurdius fingi potest. Quæ ratio impulit Theodoretum & Sozomenum, ut veteri Romæ tribuerent, quæ de nova scripserat Eusebius. Locus Sozomeni non tantum Presbyterorum Ecclesiæ Romanæ meminit, sed etiam nominibus suis illos effert, Vitonem scilicet & Vin-

& Vincentium. Imo Julium fuisse docet Romanum Pontificem, qui illis legationem imposuit: *Julius*, inquit, *Romanorum Episcopus propter senium abfuit: ipsius autem vice interfuerunt Presbyteri illius Ecclesiæ Vito & Vincentius*. Ἰούλιος δὲ ὁ Ῥωμαίων ἐπίσκοπος διὰ γῆρας ἀπελιμπάνετο. παρῆσαν δὲ ἀντ' αὐτοῦ Βίτων καὶ Βικέντιος πρεσβύτεροι τῆς αὐτῆς ἐκκλησίας. Manifestus error in nomine Julii admissus est. Etenim post undecim annos solidos a Concilio Nicæno Julius Romanam sedem adeptus est, ut monuit ipse Sozomenus. Itaque vix fieri potest, ut tam supinæ oscitantiæ hunc scriptorem damnemus, ut in re adeo seria, adeoque manifesta, in errorem lapsus sit, Juliumque Silvestro substituerit. Scio quidem, mendum esse vetus, quod in historiæ tripartitæ interpolatione e Sozomeno retinuit Epiphanius Scholasticus, eumque secutus Beda. Tentavit vir illustrissimus medicinam facere huic morbo, legendo πόλιος pro Ἰούλιος. Sed præterquam, quod dictio illa, poetis familiaris, insolens est apud historicos, hoc loco locutionem redderet omnino barbaram. Attamen non inficiandum est, ex conjectura illa viam aperiri ad veram emendationem, si vice τοῦ Ἰούλιος legatur πόλεως, lectioque ita constituatur: πόλεως δὲ Ῥωμαίων ἐπίσκοπος, *Urbis autem Romanorum Episcopus*.

Card. Perron. in præfat. Gelasii Cyziceni & Replic. c. 40.

OBSERVATIO STEPHANI BALUZII.

I. EUsebii Pamphili locum de Episcopo τῆς βασιλευούσης πόλεως, qui propter senium non accessit ad Concilium Nicænum, cum in diversum nonnulli trahant, pronuntiaveritque non ita pridem vir clarissimus Henricus Valesius, ferri non posse explicationem, quæ de Constantinopolitano Episcopo heic agi docet, operæ pretium me facturum putavi, si in eam rem paulo accuratius incumberem; præsertim, cum in me susceperim curam illustrandarum harum dissertationum asserendarumque opinionum illustrissimi Archiepiscopi. Quæ disputatio, ut ordine procedat, referenda sunt ipsa Eusebii verba. Sic ergo loquitur ille in libro III. de vita Constantini cap. VII. τῆς δέ γε βασιλευούσης πόλεως ὁ μὲν προεστὼς ὑστέρει διὰ γῆρας· πρεσβύτεροι δ' αὐτοῦ παρόντες, τὴν αὐτοῦ τάξιν ἐπλήρουν. Hunc locum iisdem omnino verbis refert Socrates ex Eusebio. Sozomenus autem & Theodoretus existimantes, heic agi de Episcopo urbis, quæ regnabat, quo tempore Nicæna synodus habebatur, illum intellexerunt de Episcopo Romano, qui tum erat Silvester. At Gelasius Cyzicenus, Nicetas Choniates, & Epiphanius Scholasticus interpretati sunt de Episcopo urbis, penes quam imperium fuit post tempora Concilii Nicæni, de Metrophane nimirum Constantinopolitano. Valesius vero illos redarguens in Notis ad Eusebium ait, hanc explicationem ferri non posse, nondum enim dedicatam fuisse Constantinopolim, nec regiæ urbis vocabulo decoratam, cum synodus congregata est in urbe Nicæa, itaque hæc Eusebii verba de Episcopo urbis Romæ necessario intelligenda esse. Gravissimum sane argumentum, si constaret, libros de vita Constantini editos ab Eusebio fuisse statim post habitam synodum. Sed cum Eusebius ipse nos doceat, scriptos illos fuisse post mortem Constantini, id est, tredecim saltem annis post eam synodum, adeoque diu post dedicatam Constantinopolim, quæ statim post synodum habitam decorata est urbis regiæ vocabulo, nihil vetat, quin locum Eusebii capiamus de Episcopo Constantinopolitanæ urbis; habita videlicet ratione, non ipsius rei, sed temporis, quo ista scribebat Eusebius. Nam & ipse non loquitur simpliciter de urbe regia, sed de urbe, quæ tunc regnabat, βασιλευούσης, ad differentiam Romæ, quam infra in libro IV. de vita ejusdem Constantini cap. LXIX. βασιλίδα πόλιν constanter vocat in duobus locis, raro βασιλεύουσαν. Quare, ut verus ac genuinus Eusebii sensus retineatur, sic Latine verti debet hic locus, *Episcopus urbis illius, penes quam imperium est*, ut recte vertit Christophorsonus apud Eusebium & Socratem, vel *quæ nunc imperat*, ut est apud Gelasium Cyzicenum. Recepta vero semel hac interpretatione, facile intelligemus, necessarium non esse, ut Eusebii verba accipiamus de Episcopo urbis Romæ; præsertim, cum apud omnes in confesso sit, Silvestrum, qui tum Romanam cathedram tenebat, decem saltem annis superstitem fuisse Concilio Nicæno. Proclivius est, ut Gelasii Cyziceni aliorumque explicationem sequamur, qui de Metrophane Constantinopolitano heic agi putarunt. Nam & ille tum valde senex erat, & non ita multo post obiit; si qua eidem Gelasio fides, & auctori Politiæ sanctorum Metrophanis & Alexandri, quæ extat in Bibliotheca Photii.

II. Scio, viros eruditissimos contendere, Metrophanem obiisse aliquot annis ante habitam synodum Nicænam, argumento ducto ex morte Alexandri, quem mortuum esse volunt anno CCCXXXIX. vel XL. cum per annos tres & viginti cathedram Constantinopolitanam tenuisset post Metrophanem. Sane si res ita se habet, fateor Eusebium non posse intelligi de Metrophane. Sed non inde tamen sequitur, heic agi de Episcopo Romano. Superest enim adhuc integra explicatio loci Eusebiani, ea, quæ de senectute Episcopi urbis regnantis dicta sunt, referendo ad Alexandrum: qui, si excessit e vita anno Christi trecentesimo trigesimo nono, ætatis vero suæ octavo & nonagesimo, ut Socrates scribit, annum omnino octuagesimum quartum agebat eo tempore, quo Nicæna synodus habebatur.

III. Quamquam, si libere loqui liceat, facile crediderim, erratum a librario esse apud Socratem in nota numeri, ut sæpe contingit, proque εἰκοσιτρία legendum esse τρισκαίδεκα. quod cum forsassis scriptum esset per abbreviationem, ut in Chronographia Nicephori, proclive librario fuit κγ' scribere pro ιγ'. Nam cujus magni boni gratia fingi potuit tota illa narratio, quæ extat apud Gelasium Cyzicenum & auctorem Politiæ de summa senectute morteque Metrophanis, si ea vera non esset? Immo tot argumenta concurrunt, quæ suadent, Metrophanem pervenisse usque ad tempora synodi Nicænæ, ut pene necessaria mihi videatur emendatio illa, cum apud Socratem, tum apud Sozomenum, qui ex Socrate accepit. Nam & Theophanes & Nicephorus sedisse eum omnino scribunt annos decem. Quod si anno nono imperii Constantini, ut Cedrenus tradit, id est, anno Christi trecentesimo decimo quarto, ordinatus est Episcopus, & Concilio Nicæno interfuit, ut idem Cedrenus scribit, non quidem per se, sed per Presbyteros suos, necesse est omnino affirmare, mendosam esse lectionem, quæ hodie extat apud Socratem, dicendumque, Alexandrum in cathedra Constantinopolitana sedisse per annos tantum tredecim, quot excurrunt a Concilio Nicæno usque ad annum, quo ille mortuus est. Unde patet, rejiciendam esse sententiam Baronii, qui contra scriptorum omnium fidem, & absque ulla vetusti codicis auctoritate, tempora sedis Metrophanis coercens intra triennii spatium, falli eos ait, qui eum Ecclesiæ præfuisse tradunt annos decem.

Theodoret. lib. hist. eccles. cap. 3. 4.

IV. Attamen, ne quid dissimulem, huic meæ conjecturæ de initiis episcopatus Alexandri, & de numero annorum, quibus Constantinopolitanæ Ecclesiæ præfuit, obstare prima fronte valde videntur ea, quæ leguntur apud Theodoretum in libro primo historiæ Ecclesiasticæ; in quo recitatur epistola, ab Alexandro Episcopo Alexandrino scripta ad Alexandrum cognominem suum, ὁμώνυμον, quem titulus epistolæ appositus eum esse docet, qui Constantinopolitanus Episcopus fuit, hoc modo: Ἀλεξάνδρου ἐπισκόπου Ἀλεξανδρείας ἐπιστολὴ πρὸς Ἀλέξανδρον ἐπίσκοπον Κωνσταντινουπόλεως, *Alexandri Episcopi Alexandrini epistola ad Alexandrum Episcopum Constantinopolitanum*. Nam, si ista certa sunt, cum Theodoretus dicat, hanc epistolam scriptam esse ante, quam Nicæna Synodus haberetur, certum quoque esse debet, Metrophanem eo tempore mortuum fuisse, adeoque Alexandrum (quod scribit Nicephorus Callistus lib. VIII. hist. eccles. cap. VII.) in cathedra Metrophanis sedisse ante Concilii Nicæni tempora. Qua unica argumentatione pessumdantur, quæcunque de annis Metrophanis & Alexandri dicta hactenus sunt. Gravis sane difficultas; quæ nullo modo solvi posset, si constaret, heic agi de Alexandro Constantinopolitano. Verum aliter se res habet, ut ego quidem arbitror. Nam Theodoretus tractans hanc causam, non ait, epistolam illam scriptam esse ad Alexandrum Constantinopolitanum; illud tantum ait, scriptam esse ab Alexandro antistite Alexandrino ad cognominem suum, nihil præfatus de dignitate ejus, neque de regione, in qua ille habitabat. Tum refert ipsam epistolam, cum hac inscriptione: τῷ τιμιωτάτῳ ἀδελφῷ καὶ ὁμοψύχῳ Ἀλεξάνδρῳ Ἀλέξανδρος ἐν κυρίῳ χαίρειν, *Reverendissimo & unanimi fratri Alexandro Alexander in Domino salutem*. In titulo tamen epistolæ adnotatum est, uti diximus, eam esse scriptam ad Alexandrum Episcopum Constantinopolitanum.

V. Hunc titulum illustrissimus Cardinalis Baronius putavit non esse Theodoreti, ea de causa, quod nondum ea tempestate Byzantium fuerit in Constantinopolim commutatum, inde porro erroris occasionem fluxisse, quod, cum epistola illa antistitis Alexandrini fuerit communis ad omnes Episcopos, ejusdem exemplar inter Alexandri Episcopi CP. monumenta repertum, eo titulo fuerit pariter consignatum. Ego vero tanti viri præjudicio fretus, omnino persuasum habeo, titulum illum non esse Theodoreti, sed librarii cujusdam posteriorum temporum aut interpretis: qui, cum epistolam illam datam videret ad Alexandrum Alexandri Episcopi Alexandrini coætaneum, deceptus similitudine nominum, & fortassis etiam auctoritate Epiphanii Scholastici aut Nicephori Callisti, putavit, ad alium Alexandrum referri non posse, quam ad eum, quem per eas tempestates noverat administrasse CP. Ecclesiam. At ego contra sentio cum illustrissimo Cardinale Baronio, ut mox dicam, si prius admonuero, titulum illum, qui hodie legitur in editionibus Græcis historiæ ecclesiasticæ Theodoreti, non extare in duobus vetustissimis codicibus MSS. bibliothecæ regiæ, in quibus eadem Theodoreti historia continetur, neque in codice 733. bibliothecæ Colbertinæ, qui est vetustissimus, neque

Baron. ad ann. 318. Lib. 1. Hist. Tripart. c. 13. Nicephor. lib. 8. hist. eccles. cap. 7.

demum

demum in editione Græca Roberti Stephani, editionem vero Latinam Basileæ emissam anno MDCXI. hæc tantum in titulo habere: *Epistola missa ab Episcopo Alexandrino ad suum cognominem*. Unde concludi certo potest, titulum illum non esse Theodoreti, cum non reperiatur in codicibus antiquis, nec in antiquissima editione Roberti Stephani, & diverso modo legatur in editionibus, adeoque adjectum esse a librario, vel ab interprete.

VI. Quoniam vero semel emendato isto Theodoreti loco, eversum quoque est argumentum, quod afferri poterat adversus conjecturam meam de numero annorum, quibus Alexander rexit Ecclesiam Constantinopolitanam, liberumque deinceps cuivis est investigare, ad quem istius nominis hominem, tum viventem, ea epistola scripta sit, quamquam non sit operæ pretium, promam tamen meam sententiam, ut etiam hoc ecclesiasticæ historiæ caput illustrem pro mea virili. Existimo itaque eam datam esse ad Alexandrum Thessalonicensem magni tum nominis Episcopum, & qui nobilissimæ Ecclesiæ apostolicæ præsidebat, idque ea de causa factum ab Alexandrino antistite, quod solerent tum Episcopi, quoties occasiones incidebant ingentium causarum, ad apostolicas sedes recurrere. Etenim per ea tempora nihil gravioris momenti agi in Ecclesia poterat extra conscientiam Episcoporum sedibus illis præsidentium, uti diximus ad librum Agobardi de comparatione utriusque regiminis. Itaque, cum Arii dementia turbaret Ecclesiam Alexandrinam, Ecclesiæ illius Episcopus de ea re scribens ad Episcopum Antiochenum & ad alios quosdam, Alexandrum Thessalonicensem non omisit, cujus Ecclesia non ultimum locum obtinebat inter apostolicas. Quo postea exemplo magnus Athanasius, qui in sede Alexandrina successit Alexandro, cum se multis malis accusationibus circumventum videret, ac prævalere inimicorum suorum fraudes & potentiam, de causa sua certiorem in primis fecit Alexandrum Episcopum Thessalonicensem; ut docet ejusdem Alexandri epistola ad Athanasium, quæ extat in secunda istius apologia. Quin & ex epistola, quam idem Alexander in causa Athanasii scripsit ad Dionysium Comitem, manifeste colligimus, magnam ejus auctoritatem fuisse, dum invehitur adversus calumniatores Athanasii, qui nonnulla recenter adversus eum tentaverant, *nullo nobis*, inquit, *ejus rei indicio facto*. Ipse quoque miser Eutyches, tametsi Constantinopolitanæ urbis Archimandrita, cum appellaret synodos Ecclesiarum apostolicarum post sententiam a Flaviano CP. adversus ipsum datam in Concilio Constantinopolitano, Thessalonicensem quoque appellavit, ut recte observatum est ab illustrissimo Archiepiscopo in libro VII. cap. VI. istius operis.

VII. Ex his, quæ dicta sunt, facile colligitur, non constare de epistola Alexandri Episcopi Alexandrini, ad quem scripta sit, videri porro, datam esse ad Alexandrum Thessalonicensem. Nondum enim ea tempestate Byzantinam Ecclesiam regebat Alexander. Præterea nondum ea erat sive dignitas sive auctoritas Episcopi Byzantini, ut de gravioribus causis ad eum scriberetur e longinquis provinciis, nondum videlicet dedicata Constantinopolis, neque urbis regiæ vocabulo decorata, unde illi initium claritudinis & adjumentum ingens, non solum ad capessendam auctoritatem apud exteras gentes, sed etiam ad invadendum imperium in provincias finitimas.

CAPUT IV.

Ostenditur, Episcopum Romanum per Legatos Concilio Sardicensi & Ephesino præfuisse.

SYNOPSIS.

I. Osius præfuit synodo Sardicensi. Inquiritur, an Romani Episcopi legatione illic fungeretur. Quod probatur per consequentiam. Objicitur, legationem Ecclesiæ Romanæ sileri ab Osio in subscriptionibus hujus Concilii, quæ tamen non omittitur in Archidami & Philoxeni subscriptionibus. Respondetur exemplo Flaviani, Episcopi Philippensium in Macedonia; qui in subscriptione sententiæ a synodo Ephesina latæ adversus Nestorium nullam mentionem fecit legationis, quam ab Episcopo Thessalonicensi & a synodo Illyriciana susceperat.

II. Episcopi legationis suæ literas proferebant in exordio Concilii. Suo tamen tantum nomine subscribebant, quod jus sententiæ haberent jure proprio. Hunc ordinem tenuit Osius. Archidamus & Philoxenus, quibus nullum jus præter legationem suppetebat, nomine Julii subscripserunt.

III. In secunda synodo Legati sedis Romanæ non adfuerunt. Ea synodus relationem ad Romanam Ecclesiam totiusque occidentis synodum misit de rebus a se gestis.

IV. Cyrillus Alexandrinus vices Cœlestini Episcopi Romani gessit in Concilio Ephesino. Probatur ex ipsis Cœlestini verbis: qui non solum vicem suam Cyrillo mandavit, sed etiam locum. *Probatur iterum auctoritate ipsius Concilii.*

V. Objiciunt novatores, Cœlestinum vices suas mandasse Cyrillo ante coactam synodum Ephesinam. Objectio illa exploditur auctoritate actorum synodi.

VI. Inquiritur, an suo nomine Cyrillus, ut Episcopus Alexandriæ, Concilio præfuerit, an alieno. Asseritur, nomine Episcopi Romani primum locum obtinuisse. In actis Concilii Chalcedonensis scriptum est, Cœlestinum & Cyrillum præfuisse synodo Ephesinæ. Probatur etiam auctoritate Balsamonis; qui Phrygii usum, qui ætate sua Alexandrino Patriarchæ competebat, a Cœlestino arcessit.

VII. Quæritur, cur tres alios Legatos Cyrillo adjunxerit Cœlestinus. Ita visum expedire ob conceptas a Theodosio Imperatore suspiciones, quasi Cyrillus Nestorium insectaretur proprio odio. Differentia inter Cyrillum & ceteros Legatos.

VIII. Tres illi Legati se Romanæ Ecclesiæ vel sedis apostolicæ Legatos vocant. Eorum consessus in Concilio, ex epistola Cœlestini, & ex actis synodi. Perturbatio subscriptionum in eo Concilio fluxit ab incuria librariorum. Mandatum synodi corruptum ab iisdem. Rejecta Card. Perronii conjectura. Sententia auctoris confirmatur auctoritate Leonis I. Papæ.

I. Synodum Nicænam excepit Sardicensis, a Constante & Constantio ex provinciis occidentis & orientis evocata, ut dissidia de fide, per Arianorum fraudes exorta, componerentur, & judicium de Athanasio & aliquot aliis orientalibus Episcopis instauraretur. Huic Concilio Osium præfuisse, nemo dubitat, quod patet ex epistola orientalium, e subscriptionibus Concilii, e Sozomeno, & ex allocutione Concilii Chalcedonensis. Sed lis iterum movetur de legatione, an ei imposita fuerit a Julio; præsertim, cum Osius primus subscripsisse reperiatur non adjecta Legati mentione, deinde secundo loco Julius per Archidamum & Philoxenum. Sed constituta legatione, quam in concilio Nicæno Osius obivit, superfluum videtur, laborare de secunda in Concilio Sardicensi. Etenim dignitas illa Legati, judicio Pontificis semel collata in Osium, & ab eo in florentissimo universæ Ecclesiæ cœtu cum summa laude obita, ab illo sine gravi injuria in alium transferri non potuit. Obtinebat namque ea tempestate æquitas illa juris, quam lege deinde firmarunt Imperatores, ut is, qui dignitatis alicujus meruerit missionem, ejus obtineat insignia, & aliis omnibus in ordine & consessu præferatur, qui postea illis dignitatibus ornantur. Quare ad exemplum synodi Nicænæ tribus Legatis vices suas Romanus Episcopus commisisse, censendus est, Osio Episcopo Cordubensi, & Archidamo & Philoxeno Presbyteris. Vel, si quis novam legationem Osii pertinaciter rejiciat, dicendum, prærogativam consessus illi competivisse ex veteri dignitate, quam in synodo Nicæna ex Silvestri delegatione obtinuerat. Neque enim aut apostolicæ sedis dignitas, vel etiam synodi generalis patitur, ut illustris legatio, quæ Metropolitis & Patriarchis præesse debebat, duobus Presbyteris sine Episcopo, qui caput esset legationis, imponeretur. Si quis opponat, epistolæ synodicæ Concilii subscripsisse Episcopos ordine, *Osius ab Hispania, Julius Romæ per Archidamum & Philoxenum, Protogenes Sardicæ*, unde colligi videatur, solos Archidamum & Philoxenum legationis munere ornatos, respondendum mihi videtur, id factum eodem consilio, quo Flavianus, Philippensium in Macedonia Episcopus, sententiæ a synodo Ephesina latæ adversus

In ep. synodica: Ὅσιος ἐπίσκοπος ὑπέγραψε καὶ οὗτοι πάντες. Epist. synodi orient. *Ii, qui cum Osio erant*. Sozom. l. 3. c. 11. Allocutio Concilii Chalcedonensis ad Marcianum, de Sardicensibus Episcopis. καὶ τῶν μὲν Ὅσιος ἐξῆρχε τῆς γνώμης.

L. ult. de privil. eor. qui in sacro Palat. milit. l. 2. ut dignit. ordo serv. l. XII. Codicis.

Nesto-

Neſtorium ſubſcripſit, nulla mentione facta legationis, quam a Rufo Theſſalonicenſi Epiſcopo & a ſynodo Illyriciana ſuſceperat; *Flavianus Philippenſium Epiſcopus una cum ſancta ſynodo decernens ſubſcripſi*. Atqui actione prima Concilii Flavianus dicitur vices geſſiſſe Rufi Theſſalonicenſium Epiſcopi; qui morbo detentus, ad ſynodum accedere non poterat.

II. Scilicet eum ordinem ſervabant patres, ut Epiſcopi legationis ſuæ literas proferrent in ipſo Concilii exordio; unde conſtare poterat, an ſuo tantum, vel etiam alieno nomine ſententiam ferrent, quod in acta referebatur, quemadmodum ſuperius adnotavimus ex Concilio Carthaginenſi, & nunc ex Concilio Epheſino. Deinde ſuo tantum nomine ſubſcribebant, minus ſollicitos ſe de legatione impoſita præſtantes, quia jure proprio ſuffragium ferre ſibi liberum eſſe ducebant. Hunc ordinem tenuit Oſius: qui veteris legationis jure fretus, quæ fortaſſe renovata erat a Julio, ſatis habuit nomen proprium inſcribere: de cujus munere aliunde conſtabat. At vero Archidamus & Philoxenus Presbyteri, quibus nulla ratio ſuffragabatur, alia præter legationem, cur ſynodo intereſſent, Julii nomine ſubſcripſerunt. Ceterum quam alienus eſſet Oſius a minuenda ſedis apoſtolicæ dignitate & auctoritate, inde conſtat manifeſtiſſime, quod eo referente in hoc ipſo Sardicenſi Concilio de appellationibus dejectorum Epiſcoporum ad Epiſcopum Romanum ex tota Eccleſia deferendis & de Legatis ad judicia retractanda mittendis, ſancitum eſt, eoque ſubſcribente, patres Concilii omnia negotia ad ſedem apoſtolicam, tanquam ad caput Eccleſiarum, referenda eſſe profeſſi ſunt. Itaque ex Oſii ſcriptis de Oſii geſtis judicium feratur, & de læſa apoſtolicæ ſedis dignitate illius accerrimus vindex nullo modo periclitabitur.

C. 3. Concil. Sardic.

Epiſt. ſynod. Concilii Sardic. ad Julium.

III. Cum ſynodus ſecunda œcumenica ex ſedis orientis Epiſcopis conflata, nullis ornata fuerit Romanæ Eccleſiæ Legatis, non eſt, quod de eorum conſeſſu diſputemus. Relatione ad Romanam Eccleſiam totiuſque occidentis ſynodum facta, atque mutuo orientis & occidentis conſenſu, Macedonii hæreſis, ceteræque pravorum dogmatum peſtes extinctæ ſunt, & Concilium illud œcumenici auctoritate per univerſam Eccleſiam celebratum eſt.

Vide infr. c. 20. hujus libri §. 8 & cap. 21. §. 11.

IV. In tertia ſynodo œcumenica ſeu Epheſina extat ſplendidiſſimæ legationis exemplum. Cyrillus Alexandrinus vices agens Cœleſtini, treſque alii ſibi adjuncti Legati a Cœleſtino ad ſynodum miſſi, huic ornatiſſimo Concilio præfuerunt. Neſtorius Conſtantinopolitanus Epiſcopus, admiſſa ſocietate quadam naturæ divinæ in Chriſto, perſonæ unitatem perfide inficiabatur. Ea de re monitus a Cyrillo eo prorupit audaciæ, ut Romanis auribus hanc blaſphemiam ingereret. Diſputatione tota ad Cœleſtinum delata, ille Concilium Romanum contrahit; Neſtoriumque univerſalis Eccleſiæ communione mulctat, niſi intra decem dies, a die conventionis numerandos, ſcripto ſacrilegam novitatem condemnet. Sed quia præſentiam ſuam neceſſariam videbat Cœleſtinus ad ſententiæ executionem ob gratiam, qua Neſtorius apud aulicos flagrabat, vices ſuas Cyrillo Alexandrino delegavit. *Et quia noſtra*, inquit ille, *in tanto negotio propemodum præſentia neceſſaria videbatur, vicem noſtram propter marina & terrena ſpatia ipſi ſancto fratri meo Cyrillo delegavimus, ne morbus iſte longitudinis occaſione graſſetur*. Ad ipſum vero Cyrillum literis datis, non ſolum vicem ſuam illi, ſed etiam *locum* & ſedis ſuæ auctoritatem mandavit: *Quamobrem noſtra ſedis auctoritate adſcita, noſtraque vice & loco cum poteſtate uſus, ejuſmodi, non abſque exquiſita ſeveritate, ſententiam exequaris*. Hanc legationem Cyrillus avide arripuit, ut majori pondere Neſtorium dejiceret, & perfidiam ſacrilegam ulciſceretur. Itaque ſynodo Ægyptiacæ Diœceſeos Alexandriæ coacta, ex ejus ſententia Neſtorium per epiſtolam ſynodicam conteſtatur *una cum Synodo Romana, cui Cœleſtinus præfuit*, ut juxta tempus a Pontifice definitum reſipiſceret. Ipſa quoque ſynodus Epheſina Cœleſtinum vices ſuas Cyrillo commiſiſſe docuit in relatione ad Imperatores.

Cyrillus ep. ad Joan. Antioch.

Cœleſtin. ep. ad cler. & pop. CP.

Ep. ſynod. Cyrilli & Conc. Alexand. Relatio ad Impp. act. 3. Concil. Epheſ.

V. Iſta quidem urunt novatores. Sed excipiunt, vices ſuas mandaſſe Cyrillo Pontificem ante coactam ſynodum Epheſinam. Verum illa a Theodoſio indicta, coactam quoque conſtat Romæ a Cœleſtino alteram ſynodum occidentalium Epiſcoporum, in qua, priore contra Neſtorium confirmato decreto, alias literas ad ſynodum Epheſinam Cœleſtinus dedit per Arcadium & Projectum Epiſcopos & Philippum Presbyterum, qui ejus præſentiam supplerent *διαπληροῦντας τ̃ παρουσίαν*, ut loquuntur patres in eadem relatione. Quamvis ergo Vicarius Cœleſtini Cyrillus fuerit ante ſynodum Epheſinam, attamen in ipſa ſynodo alii fuerunt Legati. Quod ipſe quoque fatetur Cœleſtinus in epiſtola ad Theodoſium Auguſtum: *Huic ſynodo, quam eſſe juſſiſtis, noſtram præſentiam in his, quos miſimus, exhibemus*. In epiſtola quoque ad ſynodum. *Direximus*, inquit, *pro noſtra ſollicitudine ſanctos fratres & conſacerdotes noſtros unanimes nobis & probatiſſimos viros Arcadium & Projectum Epiſcopos & Philippum Presbyterum noſtrum, qui iis, quæ aguntur, interſint, & quæ a nobis antea ſtatuta ſunt, exequantur*. Unde, ut ex jure hoc quoque addamus, poſteriorem procuratorem dando, priorem prohibuiſſe videtur. Quæ regula tamen ſic intelligitur, ſi res ſit integra. Lite enim conteſtata, qui procuratorem dedit, eum mutare non poteſt, niſi cauſa cognita. In hoc autem negotio Cyrillus legatione uſus Neſtorium ſcripto monuerat. Quid autem tergiverſamur? Imo & ſynodo quoque Epheſinæ ante trium Legatorum adventum, non ſolum ex prærogativa ſedis ſuæ, ſed etiam vice Cœleſtini præfuerat. Legantur acta: *Conſidentibus in ſanctiſſima Eccleſia, quæ appellatur Maria, religioſiſſimis & ſanctiſſimis Epiſcopis, Cyrillo Alexandriæ, qui & Cœleſtini quoque ſanctiſſimi ſacratiſſimique Romanæ Eccleſiæ Archiepiſcopi locum obtinebat, & Juvenali Hieroſolymorum &c.* Quin etiam poſt adventum Arcadii & ſociorum Cœleſtini locum obtinere dicitur Cyrillus in actis. Neque injuria; cum ſciret, delegatam ſibi a Cœleſtino ſedis apoſtolicæ auctoritatem ad executionem ſententiæ contra Neſtorium in Romana ſynodo latæ; de quo negotio agebatur in Concilio Epheſino.

L. 31. *Si quis*. §. ult. ff. de procurat. L. 17. ff. eod. l. 3. C. mand.

Act. 1. Concil. Epheſ.

Vide Chronicon Marcellini Comitis, Theodoſio XIII. & Valentin. III. Coſſ. Act. 2. Concil. & act. 4.

VI. Si quis autem ſcrupuloſe inquirat, an jure Alexandrinæ ſedis, cui ſecundus locus in Eccleſia competebat ſecundum canones, & abſente Romano Pontifice primus, an vero vicario nomine ſynodo præſideret, reſpondebo nomine Pontificis primum obtinuiſſe locum. Conjuncti quidem erant duo illi dignitatis gradus in perſona Cyrilli, ſed confuſi non erant; quia ſynodus œcumenica Pontificis Romani præſentiam & auctoritatem exigebat, quæ a Cyrillo ſupplebatur. Is autem ſe ipſo prior erat & poſterior, ratione habita utriuſque ſedis. Unde in inſcriptione epiſtolæ ad ſynodum Epheſinam datæ ab Epiſcopis Conſtantinopoli repertis Cœleſtinus Cyrillo præfertur, id eſt, Cyrillus ipſe agens vicario nomine antecedit Patriarcham Alexandrinum. Quare Epiſcopi provinciarum Macedoniæ, Helladis, Theſſaliæ, utriuſque Epiri veteris & novæ, & inſulæ Cretæ, ſcripto ſententiam ſuam promentes, in Concilio Chalcedonenſi non dubitarunt aſſerere, primæ ſynodi Epheſinæ præſides fuiſſe Cœleſtinum apoſtolicæ ſedis Epiſcopum & Cyrillum Alexandrinæ. Imo vero ſynodus Chalcedonenſis hoc ipſum profitetur in definitione fidei: *ὧν ἡγεμόνες οἱ ἁγιώτατοι τ̃ μνήμην Κελεστῖνος ὁ τῆς Ῥωμαίων, καὶ Κύριλλος ὁ τῆς Ἀλεξανδρέων ἐτύγχανον*. Idem quoque teſtatur Marciani edictum act. III. Concilii Chalcedon. cap. IV. & XII. Quod adeo conſtans eſt

apud

Quid sit Phrygium, vide lib. 6. c. 6. §. 7. apud ipsos quoque schismaticos, ut, teste Balsamone, Patriarchæ Alexandrini sacra celebrent cum Phrygio, cujus ferendi privilegium Cœlestinus Cyrillo communicavit; qui eo capitis ornamento instructus, Ephesinæ synodo vice Papæ præsedit, & Nestorium condemnavit. *Cum non posset*, inquit, *Cœlestinus adesse Ephesi & judicare Nestorium*, *visum est, ut sancto Cyrillo a Cœlestino permitteretur huic synodo præsidere. Ut itaque constaret, eum habere jus & auctoritatem Papæ, sedit cum Phrygio, & condemnavit Nestorium. Ab eo tempore cum eodem Phrygio sacrificant & procedunt Patriarchæ Alexandrini.* Theod. Balsamo Tit. VIII. Nomocan. c. 1.

VII. Aliquis fortasse petet, cur Cyrillo tres alios Legatos adjunxerit Cœlestinus, & in quo versaretur, si quod intercedebat inter eos discrimen. Sed illi quæstioni facile satisfieri potest. Etenim Theodosius Imp. a Nestorii fautoribus circumventus, dissidium in Ecclesiam invectum Cyrillo imputabat, qui contentionibus ex invidia adversus Nestorium accensis pacem Ecclesiæ turbasset. Itaque literis ad omnes universæ Ecclesiæ Metropolitanos datis synodum generalem indixit, quo se illi conferrent cum aliquot provinciæ suæ Episcopis. Quare necessarium omnino fuit, ut Cœlestinus alios præter Cyrillum Legatos mitteret, qui posteriores curas ad generalem synodum deferrent, & Cyrilli anathematismos confirmarent. Accesserunt ergo Legati cum mandato exequendæ suffragiis suis sententiæ contra Nestorium a Cœlestino in secunda Romana synodo iterum latæ. *Propterea & ego quoque*, inquit Projectus Episcopus, *auctoritate legationis apostolicæ sedis una cum fratribus sententiæ executor existens definio*. Unde consurgit differentia quædam inter Cyrillum & ceteros Legatos. Etenim ille non mittebatur a Cœlestino, sed vices ejus suæ auctoritati ordinariæ adjunctas susceperat, & proprio jure atque ascititio censebat. Quod plenius erat & ulterius, quam esset jus Legatorum. Etenim Cyrillus vices Cœlestini obtinens respondebat in hoc negotio ei, qui locum Præsidis tuebatur jussu Principis aut Præfecti prætorio; qui omnia administrabat eodem jure, quo Præses, si adesset. At vero Legati *supplentes locum sedis apostolicæ, totiusque synodi sanctissimorum occidentalium Episcoporum*, ut loquitur Cyrillus, missi sunt ad synodum, & solo jure legationis ea, quæ sibi mandatis injuncta essent, veluti formulæ addicti, executi sunt. Deinde dignitate Cyrillo cedebant; ideoque in ejusdem legationis consortio, aliunde quoque tempore posteriores, inferiores erant jure. (Concil. Ephes. p. 1. act. 3.) (Cyrill. Concil. Ephes. par. 2. act. 3.)

VIII. Ceterum observandum est, tres istos Legatos, etsi Cœlestinum & occidentalem synodum repræsentarent, attamen se *Romanæ Ecclesiæ vel apostolicæ sedis* Legatos inscripsisse, & iisdem nominibus a synodo quoque designatos. Quod autem attinet ad ordinem, quem inter se Legati tenerent, qui perturbatus aliquando videtur in actis synodi, non aliunde rectius constitui potest, quam ex literis Cœlestini ad synodum & ad Theodosium, qui se fratres & coepiscopos suos Arcadium & Projectum & compresbyterum suum Philippum misisse ait. Eundem ordinem secuta est synodus Ephesina in sua interlocutione, quæ habetur actione III. & in actione IV. ubi post Cyrillum vices gerentem Cœlestini Arcadius & Projectus Episcopi & Legati Philippo Presbytero & Legato præferuntur, & eos Juvenalis Hierosolymorum subsequitur. Atque sine dubio hic retentus fuit ordo in eorum consessu. In censendo autem sæpe primus loquitur Philippus; & in subscriptionibus Cyrillum & Arcadium sequitur Juvenalis Hierosolymitanus, qui Projecto & Philippo præfertur. Aliquando etiam Cyrillum & Philippum excipit Juvenalis, quem Arcadius & Projectus sequuntur. Quandoque vero Juvenalis tres Legatos in subscriptione antecedit. Quæ perturbatio ab exscriptorum incuria profluxit. Summa vero amanuensium oscitantia in eo mandato conspicitur, quod a Concilio Episcopis ad comitatum proficiscentibus injunctum est; quod eo ordine conscriptum est, ut Philippus Presbyter Legatus dicatur apostolicæ sedis, & Arcadio atque Juvenali (qui Legati nomine non ornatur) præferatur. Unde vir eruditus colligebat, Philippum Presbyterum ideo Arcadio prælatum, quod a latere Pontificis missus esset, reliqui duo a synodo Romana. Quod tamen repugnat Legatorum subscriptionibus, qui se ex æquo pro Legatis apostolicæ sedis & Ecclesiæ Romanæ gerunt. Sane negari non potest, quin Legati quoque a latere ex æquo dici debeant, rejecta distinctione, quæ viris eruditis tantopere placuit. Quod unico Leonis loco confirmabo, petito ex epistola ad Julianum Coensem Episcopum: *Per fratres nostros* (*) *Julianum Episcopum & Renatum Presbyterum, sed & filium meum Diaconum Hilarum, quos ex latere meo vice mea misi, &c.* (Concil. Ephes. p. 2. act. 3.) (Mandatum synodi inter ep. canonic. in Concil. Ephes.) (Card. Perron. cap. 35.) (Leo ep. 19.)

C A P U T V.

De Legatis Sedis Romanæ ad Concilium Ephesinum II. missis, & hujus concilii Præsidibus.

S Y N O P S I S.

I. Agendum nunc de Legatis ad synodum Ephesinam secundam missis. Ei occasionem præbuit Eutyches in synodo CP. a Flaviano & XXX. Episcopi damnatus Synodi sententiam confirmavit Leo I. in celebri illa ad Flavianum epistola. Eutyches a Theodosio Imp. synodum Ephesi cogendam impetrat, quo Leo tres Legatos misit, eisque, quid servandum esset, præscripsit.

II. Eutyches damnationis certus Flavianum a judicio repellere nititur rescripto Principis, tanquam lis inter Flavianum & Eutychetem judicanda esset. Dein Dioscoro Alexandrino primatum synodi a Principe deferri curat, prætextu canonum, sperans, Legatos hanc injuriam minime laturos, atque adeo discessuros. Hi, quod præsessio sedi Romanæ non daretur, in Concilio assidere noluerunt. Rogaverunt autem, ut epistola Leonis de damnatione Eutychetis in synodo relegeretur, quod eludere conatur Dioscorus; & pervicit. Unde damnatus est in Chalcedonensi Concilio.

III. Noluerunt Legati in consessum Episcoporum admitti. Probatur ex actis ipsis synodi, quæ Leonem a synodo expulsum esse testantur. Adfuerunt tamen, ut spectatores, & animose contradixerunt violationi fidei & canonum.

IV. Refellitur eorum opinio, qui existimant, Legatos illos non fuisse conquestos de injuria sedi apostolicæ illata. Legati sedis Romanæ negant Dioscorum in Concilio Chalcedonensi posse sedere, quia sine ejus auctoritate synodum Ephesinam peregerat, absque cujus sententia non licet œcumenicam synodum celebrare.

V. Paschasini sententia ex quorundam opinione damnare videtur eo nomine Dioscorum, quod primatum usurpaverit in ea synodo. Explicantur & emendantur actorum Chalcedonensium verba, quæ id asserere videntur. Verba illa non habentur in exemplari ejus sententiæ, quod Leo misit ad Episcopos Gallicanos.

I. Nunc

(*) Julianum) Leg. *Julium*, quem Leo Papa misit ad synodum Ephesinam cum Hilaro Archidiacono & Renato Presbytero, ut scribunt Prosper & auctor Breviculi historiæ Eutychianistarum. Fuit autem Episcopus Puteolanus. Frustra porro putat vir clarissimus Paschasius Quesnellus, erratum istic esse ab auctore Breviculi, uti nos ostendimus in præfatione ad acta Concilii Chalcedonensis §. 31. ubi etiam ostendimus, Julianum Coensem non fuisse Legatum in prædatoria synodo Ephesina. Itaque Julii nomen pro Juliano reponendum est infra cap. 5. §. 1. 3.

I. NUnc agendum de Legatis ad Ephesinam secundam synodum missis; quæ anno CCCCXLIX. jussu Theodosii, novemdecim annis post primam, habita est Ephesi, Dioscoro Alexandrino præside. Ejus indicendæ occasio profecta est e damnatione Eutychetis, Presbyteri & Archimandritæ Constantinopolitani, qui nova hæresi publicata de una in Christo natura, a Flaviano & a synodo triginta Episcoporum Constantinopoli habita, propter hæresim sacerdotio & monasterii administratione deturbatus est. Ea de re statim Eutyches conquestus est apud Leonem summum Pontificem, antequam relationem rerum gestarum Romam, *ut debuit*, Flavianus misisset. Sed, quia communionem inaudito Flaviano a Romana sede extorquere non potuit, synodum a Theodosio Ephesi cogendam impetravit ope Chrysaphii Eunuchi, qui Principis ingenio erga se indulgentissimi abutebatur. Interim Leo gestis episcopalibus adversus Eutychem a Flaviano missis de nova hæresi certior factus, senis illius imperitiam aperte damnat, exarata in eam rem luculentissima ad Flavianum tractatione potius quam epistola, qua gravissime incarnationis sacramentum contra Nestorii & Eutychetis profanas novitates asserit. Præterea vero, licet Theodosio se ad Concilium evocanti indictionem necessariam non fuisse, Leo scripserit, quia non talis quæstio orta erat, unde aut posset aut deberet dubitari, attamen, ut aliquatenus statutis Principis pareretur, studium suum commodavit, & ad dispositionis imperatoriæ effectum auctoritatem apostolicæ sedis adhibuit. Quare Julianum Episcopum Puteolanum, Renatum Presbyterum, & Hilarum Diaconum delegavit, qui vice sua sancto conventui interessent, & communi sententia omnia constituerent: *quibus tamen secundum causam satis sibi & gestorum serie & ipsius Eutychis professione patefactam, evidenter & plene, quid servandum esset, ostendit.*

Leo I. ep. 8. ad Flavianum: *Et ideo, quia dilectio tua de tanta causa nos videt necessario esse sollicitos, quam plenissime & lucide universa nobis, quod ante fieri debuit, indicare festinet.*

Leo epp. ad Theodos. ad Pulcher. & ad syn. Ephes.

II. Eutyches certus damnationis sibi in synodo infligendæ, tum Flaviani & primorum judicum sententiis, tum apostolicæ sedis auctoritate, cujus sententiam se per omnia secuturum libello ad Leonem misso spoponderat, ad consuetas artes & versutias subsidiumque Chrysaphii confugit. Consilium ejus hoc fuit, ut Romanæ sedis Legatos & Flavianum ejusque socios a judicio repelleret, quod obtineri aliter non poterat, quam rescripto Principis. Itaque Flavianum ejusque socios, qui secundum canones & ecclesiasticorum judiciorum ordinem inter judices in hoc instaurato judicio adesse debebant, ad partes reorum redigit, ac si lis aliqua inter Flavianum & Eutychetem judicanda esset. Hæc quidem aperta vis erat, quæ innocentissimis Episcopis, rescripto Principis per fraudem elicito, inferebatur. Sed callidiori via grassatus est ad rejiciendos Romanæ sedis Legatos. Primatum synodi Dioscoro Alexandrino deferri curat decreto speciali Theodosii, non autem literis generalibus, quæ eodem exemplo ad Papam & ceteros Metropolitas scriptæ Concilium indicebant. Iis enim Leo contradixisset, & suæ sedis injuriam vindicasset. Quare machinatio illa post adventum Legatorum in ipso Concilii exordio ad provocandos Legatos admota est; sperante veteratore eos aut omnino discessuros, aut Principis animum per novas contentiones accensuros. Subreptum Principi prætextu canonum. Primatus enim a Theodosio decernitur Dioscoro *secundum canones*. Nempe suggestum fuit Imperatori, juxta canones Nicænos, ut primus locus Romano competit, ita secundum deberi Alexandrino Episcopo. A synodo quidem Constantinopolitana prælatum Alexandrino Constantinopolitanum Episcopum; sed in eo nunc Flaviani esse causam, ut a judicum consessu remotus, inter reos se sistere teneatur. Quare absente Leone Romano primas partes deberi Dioscoro Alexandrino, etiam præ Legatis apostolicæ sedis. Quod præjudicio Ephesinæ synodi prioris confirmabatur, ubi Cyrillus potiorem locum præ Romanis Legatis obtinuerat, & summa cum auctoritate in ea synodo erat versatus. Unde facile fuit Theodosio obrepere, cui perspectum non erat vicem suam Cyrillo Cœlestinum delegasse, ut dixi superius. Admissi in Concilium Legati, quid consilii caperent dubii, temperamento quodam & fidei, quæ deserenda non erat, & dignitati apostolicæ prospexerunt. Etenim Dioscoro assidere noluerunt, ut testatur Liberatus Diaconus Carthaginensis: *Ecclesiæ Romanæ Diaconi vices habentes Papæ Leonis assidere non passi sunt, eo quod non fuerit data præcessio sanctæ sedi eorum. Insuper etiam quod non lecta fuerat ad Flavianum epistola in Eutychetis damnatione a Papa Leone scripta, & occultata fuerat epistola ejus per supra memoratos Legatos ad ipsam synodum directa.* Sane nullum poterant occupare locum Romani Legati, donec literæ ad synodum Ephesinam à Leone directæ, quibus eorum legatio continebatur, recitatæ essent & in acta redactæ. Quare in ipso synodi introitu, post recitatas Principis literas evocatorias, Hilarus Diaconus postulavit, ut Leonis literæ, quæ ad synodum per Legatos missæ erant, relegerentur. Ac Dioscorus quidem interlocutus est, ut recitarentur, septiesque juravit, se id omnino procuraturum; sed promissis non stetit. Qua de re graviter conquesti sunt orientales Episcopi & Aetius Archidiaconus in Concilio Chalcedonensi; & judices severissime expostulaverunt cum Dioscoro & ceteris Præsidibus Concilii Juvenale Hierosolymorum & Thalassio Cæsareæ Episcopo, eo quod literæ illæ relectæ non essent. Illi vero tergiversationibus eludere conantur interrogationem. Dioscorus ait, se primo & secundo interlocutum, ut relegentur. Juvenalis vero prolatam eo momento epistolam quandam Imperatoris, quæ lectionem illam distulerit, neminem vero deinde monuisse, ut Leonis epistola legeretur. Thalassius, se non ejus auctoritatis fuisse, ut solus de lectione illa decernere posset. Quæ impudentia Dioscori inter præcipua capita, ob quæ damnatus fuit in Concilio Chalcedonensi, recensita fuit a Paschasino Legato: οὐδὲ τὴν ἐπιστολὴν ἀναγνωσθῆναι συνεχώρησε τοῦ μακαριωτάτου Πάπα Λέοντος.

Act. 1. Conc. Chalced.

Julianus in Concilio Chalcedon.

Extat rescriptum Act. 1. Conc. Chalced.

Liberat. Diac. in Breviar. cap. 12.

Concil. Chalced. Act. 1.

III. Quare, ut antea dixi, nullum locum occupare poterant Legati, de quorum legatione nondum constabat in synodo. Unde factum, ut neque etiam in consessum Episcoporum admitti voluerint. Quod non solum diserte docuit Liberatus, sed patet etiam evidentissime ex actis Ephesinæ synodi. Cum enim in Concilio Chalcedonensi hæc verba recitarentur, *Residentibus Dioscoro Alexandriæ & Juliano Episcopo agente vices & tenente locum sanctissimi & beatissimi Romanæ Ecclesiæ Leonis*, orientales Episcopi reclamarunt, & mendacii acta redarguerunt. *Ejectus est*, inquiunt, *nullus suscepit nomen Leonis*. Quid apertius? Expulsum Leonem a synodo testantur patres, neminemque ejus nomine interfuisse. Tentavit quidem Dioscorus a Juliano suffragium exigere. Sed ipse atque Hilarus responderunt, ante omnia legendam epistolam Leonis. Tunc Eutyches Legatos sibi suspectos esse protestatus, quod a Flaviano & domo & convivio laute excepti essent. Enimvero, licet pro Legatis non se gesserint, ut spectatores adfuerunt, & omnibus, quæ in perniciem fidei & canonum acta erant, animose contradixerunt.

Concil. Chalced. act. 1.

IV. Frustra ergo laborant viri docti in novatorum argutiis refellendis; qui, Legatos de injuria sedis apostolicæ ob primatum Dioscori conquestos non fuisse, nec Ephesi, nec etiam in Concilio Chalcedonensi, inconsulto asserunt. Non erat enim, cur de negata sibi consessus prærogativa conquererentur, qui legationis suæ fidem facere non potuerunt. Intempestiva omnino fuisset de loco disceptatio, antequam de personarum conditione constaret. Hæc erat præjudicialis quæstio; quam discuti noluit Dioscorus, dilata literarum Leonis lectione.

Itaque

Itaque Legati de hac injuria, (quæ gradum struebat ad secundam quæstionem de ordine consessus) & Ephesi & Chalcedone gravibus verbis conquesti sunt. Quare in ipso Concilii Chalcedonensis exordio Legati Romani dixerunt, se mandata habere, quibus eis præcipitur, ne Dioscorum in synodo considere patiantur. Interrogati autem a judicibus, quod illi crimen impingerent, Lucentius unus ex illis respondit, Dioscoro reddendam esse rationem judicii sui: *quia, cum personam judicandi non haberet, præsumpsit, & synodum ausus est facere sine auctoritate sedis apostolicæ, quod nunquam factum est, nec fieri licet.* Hoc ergo flagitium admiserat Dioscorus, quod sine sedis apostolicæ auctoritate synodum Ephesinam peregit, & in ea judicium exercuit, Eutychem restituendo, & Flavianum ceterosque Episcopos damnando, ac si legitima fuisset illa synodus, cum tamen juxta veterem Ecclesiæ canonem non liceat synodum œcumenicam celebrare absque sententia sedis apostolicæ. Rite quidem indicta fuerat hæc synodus literis Theodosii Imperatoris, evocato quoque Leone summo Pontifice, ut suæ sedis auctoritatem huic synodo adhiberet. Missorum Legatorum præsentia, ut nihil desideraretur, ad plenum legitimumque Concilium celebrandum efficiebat; sed Dioscori impudenti versutia delusi vel potius repudiati sunt. Itaque recte de usurpata cognitione synodali Dioscorum objurgant Legati, eo quod, nondum rite constituta synodo & omnibus numeris perfecta, judicium in ea synodicum exercuerit, vel potius omnia per tumultum, minas & cædes peregerit.

Act. I. Conc. Chalced.

Leo I. ep. 15. ad synod. Ephes. 11. *Religiosa clementissimi Principis fides, sciens, ad suam gloriam maxime pertinere, si intra Ecclesiam catholicam nullius erroris germen exsurgeret, hanc reverentiam divinis detulit institutis, ut ad sanctæ dispositionis effectum auctoritatem apostolicæ sedis adhiberet, tanquam ab ipso beatissimo Petro cuperet declarari, quid in ejus confessione laudatum sit.*

V. Adduci solet a quibusdam formula sententiæ Paschasini, qua videtur damnare eo nomine Dioscorum, quod primatum sibi usurpaverit in synodo Ephesina. Quod tamen ad quæstionem istam nullo pacto pertinet. Licet enim ibi dicatur Dioscorus *præsumens sibi primatum*, Eutychem in communionem suscepisse, ex Græco contextu, ubi Dioscorus αὐθεντήσας dicitur, vox illa primatus significat, eum omnia cum imperio, non autem ordine & canonice sive ἀκολούθως egisse, suscepto Eutyche in communionem sub ipsa Concilii initia, non expectatis synodi suffragiis. Quare verba illa absunt ab exemplari illius sententiæ, quod Episcopis Gallis Leo misit: quæ sane non omisisset, si ad contumeliam Romanæ sedis ulciscendam aliqua ratione referri potuissent.

Act. III. Conc. Chalced.

Leo ad Episcopos Gallicanos.

CAPUT VI.

De legatis Episcopi Romani, præsidentibus Concilio Chalcedonensi, aliisque subsequentibus conciliis generalibus.

SYNOPSIS.

I. Dioscori præsumptio repressa in Concilio Chalcedonensi. Restitutio Eutychetis, & Flaviani damnatio, ingrata Leoni; qui synodum generalem in Italia celebrari postulat a Theodosio. Negat Theodosius, ac tamen respondet, curaturum se, ne fides Concilii Nicæni injuriam pateretur. Et Anatolium Flaviani in sede CP. successorem a Pontifice suscipi contendit: qui negat id fieri posse, donec de fide Anatolii constet. Dein Legatos mittit ad Theodosium, qui veram fidem docerent, &, si qui contradictores essent, Concilium universale intra Italiam celebrari postularent. Verum ante eorum adventum Theodosius excessit e vita: cui successit Marcianus, a quo suscepti sunt.

II. Marcianus sollicitus de celebrando Concilio in oriente; quo Leonem accedere hortatur. Episcopi evocantur Nicæam ad Concilium generale, quod Chalcedonem rescripto Marciani translatum est. Ei interesse noluit Leo. Legatos tamen misit, qui vice sua synodo præsiderent. Legationi additus Julianus Coensis Episcopus: qui, licet Romanæ sedis Legatus in Concilio diceretur, ei tamen non præfuit. Cur ita actum.

III. Hinc colligitur, falli novatores, qui jus præsidendi synodo collatum Leoni putant a Marciano. Probatur ex Leone.

IV. Quintæ synodo nullus interfuit Legatus, quod Vigilius Papa adesset Constantinopoli. In sexta synodo tria legationum genera adfuerunt. Heic agitur de Legatis ab Agathone destinandis ad comprimendam hæresim Monothelitarum. Antiquus legationum ordo immutatus a Constantino Pogonato. Inquiritur in originem hujus mutationis.

V. Agatho Constantini Imp. petitione obsequutus est, missis diversis legationibus. Probatur ex epistola Constantini ad Georgium Constantinopolitanum. Distinctio illa observata est in subscriptionibus. Legati Concilii occidentalis multum aberant a primo loco.

VI. Falsum igitur, quod quidam existimant, in superioribus Conciliis Episcopos vices gessisse Concilii occidentalis, Presbyteros vero Episcopi urbis. Probatur ex literis legationum, & ex subscriptionibus.

VII. Septima synodus adversus Iconoclastas celebrata præsides habuit Legatos Hadriani I. qui primum in ea locum obtinuerunt, Tharasius vero CP. secundum.

VIII. Octavæ synodo, quæ adversus Photium celebrata est, præfuerunt cum summa auctoritate Legati sedis apostolicæ.

I. Contumelia apostolicæ sedi illata in Ephesino latrocinio deleta fuit in Concilio Chalcedonensi œcumenico quarto; unde peti debent sincera testimonia ad confirmandam Romani Pontificis auctoritatem, quam Dioscorus imminuere tentaverat. Sed ante omnia breviter rei gestæ series pandenda est, ut ex facti narratione jus Romanæ sedis melius constitui possit. Eutychis restitutio, & Flaviani damnatio per vim decreta a Dioscoro, excidium veræ fidei probis omnibus esse videbatur, sed præcipue Leoni Pontifici, qui Romana synodo coacta, referente Hilaro Diacono, quæ terrore & minis Ephesi gesta erant, constanter damnavit. Attamen, ut omnes offensiones repellerentur aut mitigarentur, nec aliquid ultra esset vel in fide dubium, vel in charitate divisum, petit a Theodosio generalem synodum in Italia celebrandam una cum orientalibus Episcopis. Institit quoque Valentinianus literis datis urgere Theodosium; quo & fides a majoribus tradita competenti devotione defenderetur, & dignitas propriæ venerationis B. Apostolo Petro intemerata conservaretur; *quatenus beatissimus Romanæ civitatis Episcopus, cui principatum sacerdotii super omnes antiquitas contulit, locum haberet, ac facultatem de fide & sacerdotibus judicare.* Laborabat summus Pontifex de fide restituenda & de Flaviano redintegrando, qui libello sedem apostolicam appellaverat. Sed Theodosius noluit judicium repeti, quod de personis latum erat. Id unum autem diserte professus est summo Pontifici, se curaturum, ne fides Concilii Nicæni injuriam pateretur, Flavianum fato functum, eique successisse Anatolium in sede Constantinopolitana; cujus ordinationem a Dioscoro Ephesi factam a Pontifice suscipi contendebat. Respondet Leo, sibi gratam fuisse Concilii Nicæni commendationem, de ordinatione vero Anatolii nihil in alterutram partem temere sibi rescribendum, donec constet, an sinceram fidem Anatolius teneat, se nihil arduum ab eo vel dubium exigere, sed, ut, relegat, quæ a sanctis patribus incarnationis dominicæ fides fuerit custodita, Cyrilli epistolam, & quæ inserta sunt gestis Ephesinæ synodi I. catholicorum sacerdotum testimonia perspiciat. *Non aspernetur etiam*, inquit, *meam epistolam recensere, quam pietati patrum per omnia concordare reperiet. Cumque a se hoc, quod eidem profuturum sit, expeti desiderarique cognoverit, catholicorum sententiis toto corde*

Epist. Valentin. p. I. Concil. Chalced. cap. 25.

Leo ep. 34. ad Theodos. ep. 35. ad Pulcher.

corde conſentiat; ita, ut ſinceram communionis fidei profeſſionem abſolutiſſima ſubſcriptione coram omni clero & univerſa plebe declaret, apoſtolicæ ſedi & univerſis Domini ſacerdotibus atque Eccleſiis publicandam. Ut autem velocior & plenior effectus his curis præſtaretur, Legatos quatuor ad Theodoſium miſit, Abundium & Aſterium Epiſcopos, Baſilium & Senatorem Presbyteros, per quos, quæ veræ fidei forma eſſet, Princeps agnoſceret; ut, ſi in eandem confeſſionem Conſtantinopolitanus antiſtes
Vide infra c. 8. §. 3. conſentiret, pax eccleſiaſtica conſequeretur, ſin aliqui a puritate fidei & patrum auctoritate diſſentirent, Concilium univerſale intra Italiam celebraretur; ut in unum convenientibus omnibus his, qui ignorantia aut timore prolapſi eſſent, correctionis remediis conſuleretur. Ante adventum Legatorum obiit Theodoſius; cui ſucceſſit Marcianus, ducta in uxorem Pulcheria Auguſta Theo-
Leo ep. 41.42. doſii ſorore. Legati, quos Leo miſerat, honorifice a Marciano ϗ ὡς ἐχρῆν λογισμῷ ᾔδει ſuſcepti ſunt, qua de re certiorem fecit ſummum Pontificem miſſis uno Presbytero & duobus Diaconis. Legati, quos pro fidei libertate Leo direxerat, quemadmodum ipſe loquitur in epiſtola ad Mar-
Ep. 38. tinum Presbyterum, plurimum laborarunt in fortitudine fidelium roboranda & in reſtituendis lapſis, ut infra dicetur.

II. Ceterum ſuſcepto imperio prima fuit Marciani cura, ut per celebrandam in oriente ſynodum Leone auctore pacem Eccleſiæ reſtauraret. Quod ſuum deſiderium Pontifici per literas Marcianus & Pulcheria ſignificarunt, eum hortati, ut in orientem accederet, ſynodumque celebraret. Evocantur itaque ad ſynodum œcumenicam, literis Principis, Epiſcopi; quæ Nicææ indicta primum, dein Chalcedonem reſcripto Marciani tranſlata eſt. Summus Pontifex, qui ſibi auctoritatem ſynodi ex antiquo jure a Marciano delatam videbat, adeſſe quidem ſynodo contra veterem conſuetudinem noluit; ſed Legatos auctoritate ſua inſtructos miſit, Paſchaſinum & Lucentium Epiſcopos, & Bonifacium Presbyterum, qui ſua vice ſynodo præſiderent. Hæc ſunt ejus verba in epiſtola ad ſy-
Leo ep. 47. nodum: *Amplectendum eſt clementiſſimi Principis plenum religione conſilium, quo ſanctam fraternitatem veſtram ad deſtruendas inſidias diaboli &, ad reformandam eccleſiaſticam pacem voluit convenire, beatiſſimi Petri Apoſtoli jure atque honore ſervato, adeo, ut nos quoque ſuis ad hoc literis invitaret, ut venerabili ſynodo noſtram præſentiam præberemus, quod quidem nec neceſſitas temporis, nec ulla conſuetudo poterat permittere. Tamen in his fratribus Paſchaſino & Lucentio Epiſcopis, Bonifacio & Baſilio Presbyteris, qui ab apoſtolica ſede directi ſunt, me ſynodo veſtra fraternitas exiſtimet præſidere; nec ſejunctam a vobis præſentiam meam confidat, qui nunc in Vicariis meis adſum, & jamdudum fidei catholicæ prædicatione non deſum*. Præcipua ſynodi ſollicitudo commiſſa eſt Paſchaſino Epiſcopo, ut patet ex altera epiſtola ad Marcia-
Ep. 50. num. Ceteris vero Legatis adjunctus eſt Julianus Coenſis Epiſcopus, provinciæ Helleſponti, qui immobili pietate erga Flavianum ſemper ſteterat adverſus Dioſcorum & Eutychem. Quare, cum illo nomine valde commendatus eſſet Leoni, legationis quoque munus illi injunxit. Legatio iſta longe differt a prima. Paſchaſinus itaque ejuſque ſocii Lucentius Epiſcopus & Bonifacius Presbyter ad definiendam fidem & judicium in ſynodo de Epiſcopis agendum miſſi fuerant, collata quoque præſidendi facultate. Eo jure uſi ſunt, ut patet ex actis ſynodi Chalcedonenſis. Baſilius tamen admiſſus non eſt a patribus, ea ſcilicet de cauſa, ut exiſtimo, quod numeroſior, quam par eſſet, videretur legatio; quæ juxta Veſpaſiani edictum & morem in ſynodo Nicæna uſurpatum ad tres Legatos redacta fuit, dempto Baſilio; niſi forte ob morbum a ſynodo abfuerit. Quod attinet ad Julianum; ille quidem ſynodo interfuit cum Legati Romanæ ſedis appellatione, ſed una cum ceteris non præfuit. Quod profectum eſt ex eo, quod in literis ad ſynodum a Leone datis nulla fieret Juliani mentio, ſed tantum in epiſtola ad Marcianum, unde potius ad conſilium, quam ad plenum & integrum legationis conſortium, adſcitus videbatur. Deinde numeroſior fuiſſet legatio, quam ab Anatolio ferri poſſet; qui non ſine ſtomacho intueretur ſibi prælatum Epiſcopum provinciæ Helleſponti jam tum ſibi ſubditæ. Itaque ſola dignitate nominis conceſſa, Julianus poſt aliquot Metropolitas ſubſcripſit.

III. Unde colligi poteſt, jus præſidendi ſynodo non fuiſſe Leoni collatum a Marciano, quemadmodum jactant novatores, ſed conſervatum. Ita enim reſcriptum Marciani Leo interpretatus eſt in epiſtola ad ſynodum. Nec injuria, cum Valentinianus Theodoſio reſcripſerit, principatum ſacerdotii ſuper omnes ab antiquitate Epiſcopo Romano collatum. Leo ep. 47. ad Synodum: *B. Petri Apoſtoli jure atque honore ſervato.* Vide ſupra §. 1. hujus capitis.

IV. Quintæ ſynodo nullus interfuit Legatus, quia Vigilius Papa aderat Conſtantinopoli, quando Concilium in ea urbe habebatur, quod ipſe Conſtituto ſuo, quam præſentia ſua confirmare maluit. Sed in ſexta ſynodo, quæ habita fuit contra Monothelitas, tria genera legationum apoſtolicæ ſedis interfuerunt; quorum alii Vicarii Agathonis Papæ dicebantur, alii Legati totius Concilii apoſtolicæ ſedis, alii vero Legati apoſtolicæ ſedis, ſcilicet Epiſcopi Theſſalonicæ & Corinthi. De tertio iſto genere dicemus cap. XIII. Hic autem explicanda eſt diſtinctio Legatorum, qui deſtinati ſunt a ſede apoſtolica ad comprimendam & damnandam hæreſim Monothelitarum, quæ vigebat in oriente, & ad ſopiendum diſſidium ex ea occaſione natum inter Romanam Eccleſiam & Conſtantinopolitanam. Conſtantinus Pogonatus curam unitatis ſuſcipiens, literis ſuis hortatus eſt Donum Papam, ut religioſos & eruditos aliquot viros mitteret in urbem regiam auctoritate & libris inſtructos, qui tractatu habito cum Patriarcha CP. & Macario Antiocheno veritatem dogmatis controverſi indagarent. Sed nova petitione antiquum ordinem immutavit. Etenim, cum antea ad ſynodos orientis Legati ſedis apoſtolicæ mitterentur, qui vicem Romani Pontificis gererent, & per conſequentiam, Concilii quoque Romani, in quo eorum legatio decreta erat, Princeps nunc contendit a Pontifice, ut dirigat non ſolum ſuæ perſonæ Vicarios, tres numero, vel amplius, ſi videatur, ſed etiam ſeorſim Concilii Romani Legatos, uſque ad duodecim Metropolitas & Epiſcopos, & Abbates quatuor. Petitionis iſtius novæ hæc mihi ratio ſuccurrit, quod Romana ſedes invidia quadam laborabat apud orientales ob damnatos in ſynodo Martini Papæ, propter novam hæreſim, Patriarchas orientis. Itaque, ut major fides Legatis apoſtolicæ ſedis adhiberetur, Conſtantinus prudenter exegit, ut Legati quoque Concilii occidentalis veritatem fidei aſſererent; præſertim, cum ſynodus apoſtolicæ ſedis non ex ſolis Italiæ provinciis conſtaret, ſed etiam ex variis Conciliis provinciarum, quæ ſitæ erant in regnis ab imperio alienis, Francorum ſcilicet, Britannorum, Gotthorum & Longobardorum.

V. Agatho Papa, Doni ſucceſſor, pacis eccleſiaſticæ ſtudioſus, Legatos miſit cum diſtinctione, nempe Theodorum & Georgium Presbyteros & Joannem Diaconum, qui ſuam vicem implerent, & Joannem Portuenſem, alterum Joannem Regii, & Abundantium Tempſanæ civitatis Epiſcopos vice totius Concilii occidentalis, cum aliquot clericis & monachis, ut docet Conſtantinus in epiſtola ad Georgium Conſtantinopolitanum. Hæc diſtinctio obſervata eſt in ſubſcriptionibus Concilii: ubi primo loco ſubſcribunt Theodorus & Georgius Presbyteri Eccleſiæ Romanæ, & Joannes Diaco- Act. 18.
nus, *locum tenentes* Agathonis Papæ; deinde, ſecundo loco, Georgius Epiſcopus Conſtantinopolis

novæ

novæ Romæ; tertio vero loco Petrus Presbyter, Vicarius τοποτηρητὴς sedis Alexandrinæ; quarto Theophanes Episcopus Antiochiæ; quinto Georgius Presbyter, locum tenens Theodori Presbyteri & Vicarii apostolicæ sedis Hierosolymorum; interjectis dein tribus Episcopis Thessalonicæ, Cypri & Ravennæ, nono demum loco subscribit Joannes Portuensis Episcopus, *Legatus totius Concilii apostolicæ sedis Romæ;* undecimo Basilius Gortynæ Episcopus, qui eodem se titulo Legati Concilii ornat; quem Abundantius & Joannes Legati sequuntur. Itaque Legatis, qui vices Agathonis gerebant, ad ternarium numerum redactis, dempto Constantino Subdiacono, primus honor delatus est. Legati vero Concilii occidentalis non solum post Patriarchas, sed etiam post aliquot Metropolitas locum suum obtinuerunt.

VI. Quare non est, quod viri docti sibi persuadeant, in superioribus Conciliis Episcopos a Cœlestino & Leone missos vices gessisse Concilii occidentalis, Presbyteros vero Romanæ Ecclesiæ personam Pontificum repræsentasse. Etenim & legationis literæ & subscriptiones Legatorum se Romanæ Ecclesiæ & sedis apostolicæ Legatos, non autem Concilii, profitentium hanc opinionem refellunt. Hoc quoque argumentum id demonstrat, nempe Episcopos illos primum occupasse locum in Conciliis: quod Patriarchæ non æque tulissent, nisi Pontificis legatio illis imposita esset; quæ decreta quidem erat in Concilio Romano, sed omnis ejus dignitas & agendi auctoritas a Romana sede pendebat.

VII. Septima synodus coacta est anno DCCLXXXVII. adversus imaginum hostes, studio Constantini & Irenes ejus matris; qui literis suis Hadrianum I. ad ejus celebrationem invitarunt, enixe rogantes, ut de more Legatos apostolicos mitteret. Delegavit ille Petrum Archipresbyterum Ecclesiæ sancti Petri & Petrum Abbatem S. Sabæ; qui ejus nomine Concilio præfuerunt, primumque locum obtinuerunt, Tarasius vero Constantinopolitanus secundum, ut patet ex omnibus actionibus Concilii.

VIII. Octavæ synodo, quæ adversus Photium Patriarcham CP. & ejus socios congregata est, summa cum auctoritate præsederunt Donatus & Stephanus Episcopi & Marinus Diaconus Vicarii, Legati, Missi, Apocrisiarii, seu locum tenentes Hadriani II. Papæ. Totidem namque nominibus ab Anastasio variis in locis efferuntur.

CAPUT VII.

De effectibus præsidentiæ in conciliis & speciatim de jure antiquo relationum in Senatu in republica Romana.

SYNOPSIS.

I. Investigandum nunc, quis fuerit effectus primatus seu præsidentiæ Legatorum sedis apostolicæ in Conciliis œcumenicis, & quænam in iis summi Pontificis auctoritas. Ut Concilium legitime celebretur, necessaria est summi Pontificis præsentia, vel ratihabitio. Quænam fuerit ejus auctoritas in Concilio jam constituto.

II. Si summa fuerit, perit libertas suffragiorum. Concessa libertas illa æqualitatem inducere videtur inter Pontificem Romanum & ceteros Episcopos. Itaque aut libertas suffragiorum, aut Romani Episcopi dignitas periclitantur. Quærendum itaque, quæ circa materiam hanc fuerit Ecclesiæ praxis vetustis illis seculis, opus hactenus intentatum nostris ingeniis. Pontifex Romanus in hac parte utebatur jure quodam imperatorio; ac tamen libertas suffragiorum remanebat.

III. De jure relationis, cujus vis quanta esset, ostenditur ex Polybio & Tacito. Jus illud a Consulibus ad Imperatores transiit. Probatur ex Dione. Ampliatum sub sequentibus Imperatoribus; ut patet ex Julio Capitolino & Fl. Vopisco. Hallucinatio quorundam detegitur, qui jus illud male interpretati sunt.

IV. Principes in senatu consularem potestatem ea de causa exercebant. Attamen arbitrium primo vel ultimo loco censendi sibi reservabant. Probatur ex Tacito. Unde patet, falli eos, qui negant sententiam a Principibus in senatu dictam. Princeps sententiam senatus duriorem mitigare poterat. De prærogativa suffragii, ex Tertulliano.

V. Quo pacto fieret illa relatio a Principibus. Senatusconsulta, quæ inde sequebantur, auctore Principe *fieri dicebantur. Origo hujus locutionis, ex Livio. Senatus jus facere poterat, ex Ulpiano & Gratiano Imperatore. Quid Theodosio placitum. Senatus auctoritas prorsus imminuta sub Justiniano. Quomodo intelligenda sit illa senatus auctoritas. Et an supremæ Principum auctoritati officeret.*

VI. Relatio Principis differt a relationibus, quæ fiebant ad Principem. Utriusque discrimen ostenditur.

I. Hic sese prodit illustris quæstio; quam si prætermisero, difficultatem refugere & dignitati sedis apostolicæ invidere aut ejus odium reformidare videbor, prout disceptationis eventus tulerit. Probavimus huc usque luculentissimis testimoniis, Legatos sedis apostolicæ synodis œcumenicis præsedisse & Marcianum literis suis synodum, *Leone auctore*, celebrandam indixisse. Sed nondum explicuimus, quis esset effectus illius primatus, seu mavis præsidentiæ, quænam esset summi Pontificis auctoritas in illis Conciliis. Non me latet tria hujus primatus privilegia vulgo observari. Unum est, consessus prærogativa; alterum, jus rogandæ sententiæ; tertium, idque maximi momenti, necessitas præsentiæ Pontificis, vel ejus ratihabitio, ut synodus legitime & canonice haberi possit, quemadmodum supra monuimus. Sed indagandum restat, quænam fuerit Pontificis auctoritas in Concilio jam constituto.

II. Si summam in censendo & definiendo potestatem illi tribuamus, perit libertas suffragiorum, quam tantopere commendant Cœlestinus & Leo. At vero concessa suffragiorum libertate, æqualitas quædam hac in parte induci videtur inter Romanum Pontificem & ceteros Episcopos, quod multum de summa ejus dignitate detrahit. Itaque aut unius libertas, aut dignitas alterius periclitantur; quemadmodum in disputatione de auxiliis gratiæ, vel hinc arbitrii humani libertas lædi, vel illinc gratiæ vis & efficacia minui, rerum istarum inexpertis videtur. Non quæro, quid utrinque doceant Theologi rationibus e sacra scriptura petitis, cum de auctoritate Concilii & Papæ anxie & scrupulose disputant. Id tantum mihi rimandum propono, quænam esset universalis Ecclesiæ praxis in Concilio Ephesino & Chalcedonensi, quis tunc summorum Pontificum & universæ Ecclesiæ sensus in usu auctoritatis illius, quæ in apostolica sede vigebat. Arduum opus atque invidiosum aggredior, quod nondum quisquam, ut existimo, in se recepit; quo tamen defungi aliter nec possum nec debeo, quam recitatis testimoniis, unde regulæ colligi possint, quæ totum negotium extra disputationis aleam evidentissime ponant. Quod ita temperabitur, ut quodam jure imperatorio usum hac in parte summum Pontificem ostendam, & synodum plena atque intra suffragiorum libertate.

III. Hæc ut apprime intelligantur, observandum est, ex instituto Augusti omnia magistratuum Romanorum jura in Principem translata fuisse, & inter cetera, jus relationis: in quo non minima pars consularis potestatis olim posita erat, quemadmodum observavit Polybius: *De iis*, inquit, Polyb. lib. 6.

quæ

quæ deliberanda incumbunt, referunt. Consules, *ipsique universam decretorum senatus rationem gubernant.* Sæpe tamen factum, ut absentibus vel prævaricantibus aut mussitantibus Consulibus referrent aliqui e principibus amplissimi ordinis, puta Consules designati, vel aliquis Prætorum aut Tribunorum. Tanti vero momenti jus illud erat, ut senatusconsultum fieri non posset sine relatione, qua negotium, de quo senatus consulendus erat, a Consule exponebatur. Ejus necessitatis illustre habetur exemplum apud Tacitum, qui refert Thraseæ sententiam in senatu dictam; deinde hæc verba subjungit: *Magno assensu celebrata sententia. Non tamen senatusconsultum perfici potuit, abnuentibus Coss. ea de re relatum.* Etsi enim *liceret patribus, quoties jus dicendæ sententiæ accepissent, quæ vellent expromere, relationemque in ea postulare*, ut notat idem auctor, attamen a Consulum arbitrio pendebat, an referrent ea de re ad senatum, eumque consulerent. Hoc quidem jus sublata Reipublicæ libertate Consulibus ademptum non est; sed pars quoque fuit imperatoriæ potestatis, id Principibus paulatim sibi vindicantibus. Exemplum est ab Augusto, ut dixi; in cujus honorem decretum refert Dio, ut assumpta in perpetuum Tribunitia potestate, liceret ei, quoque senatu, unam, de quacunque re vellet, relationem facere, etsi Consul non esset. Postea ampliato honore Principum, inventa sunt ad similitudinem decreti hujus jura secundæ, tertiæ, quartæ, quintæ relationis; ut patet e variis Capitolini & Vopisci locis; hoc est, ut quoque senatu possent de duabus, tribus, quatuor, quinque rebus, quas vellent cunque, etiam non Consules, facere relationem. Augusto unius tantum negotii relatio unoquoque senatu permissa fuerat. Sequentibus Imperatoribus quarta vel quinta concessa, eodem senatusconsulto, quo illis imperium confirmabatur. Quare falluntur viri docti, qui jura quartæ vel quintæ relationis sic accipiunt, ut de negotio eodem Principibus liberum fuerit quarto vel quinto referre. Certum quidem est, ea lege, qua imperium Vespasiano delatum est, sic constitutum: *Ut ei senatum habere, relationem facere, remittere, senatusconsultum per relationem discussionemque facere liceat.* Sed remittere relationem non significat, quod eruditi viri contendunt, scilicet interrupta deliberatione ad primam relationem facta, consultationem differre ad iteratam relationem. Ea verba id tantum volunt, ut Principi liceat vel referre statim, vel relationem remittere, id est, in aliud tempus differre, aut omnino supprimere. Non solum autem jus illud referendi verbo χρηματίζειν Græci explicare solent, sed etiam alia locutione, quæ aliquoties extat apud Dionem, γνώμην εἰς βουλὴν εἰσφέρειν, id est, *sententiam in senatum inferre.*

Tacit. lib. XV. Annal.

Idem lib. XIII.

Dio lib. LIV. juxta emendationem Casauboni.

Dio lib. IV. ex interpretatione Casauboni.

IV. Ceterum ita se gerebant Principes in senatu, ut consularem potestatem cum novæ auctoritatis incremento exercerent. Consules namque relatione facta rogabant sententias, auspicantes ab eo, qui princeps senatus vel Senator primæ sententiæ dicebatur, numerabant senatum, dividi sententias, si opus esset, jubebant, & decretum pronuntiabant. Imperatores vero post relationem censebant, eo, quo vellent, ordine, scilicet primo vel ultimo loco, ut colligere licet ex istis Pisonis verbis ad Tiberium: *Quo loco censebis, Cæsar? Si primus, habebo quod sequar. Si post omnes, vereor ne imprudens dissentiam.* Quod si viri doctissimi expendissent, non negassent sententiam a Principibus in senatu dictam. Id quidem locum habuit in Consulibus; qui sententiam non rogabantur, nisi referente Cæsare, ut monuit Tacitus. Sed Princeps vel primus vel post omnes censebat; ita tamen, ut formulæ omnino adstrictus non esset, sententiamque senatus duriorem posset mitigare, ut accidit in cognitione Pisonis de Germanici nece accusati. Quando autem primo loco censebat, ejus sententia maximi momenti habebatur; quæ a Tertulliano dicta est *prærogativa suffragii.*

Tacit. l. I. Ann.

V. Relatio illa cum prærogativa suffragii frequentissime per orationem fiebat; quam per Quæstores suos, qui Candidati dicti, Principes in senatu ex scripto recitabant, ut notum est e Tacito, Symmacho, & aliis. Senatusconsulta, quæ orationes illas sequebantur, *auctore Principe* dicebantur fieri. Quod, præter varios Taciti locos, egregie probatur ex Ulpiano, qui ait, de Antonino Aug. loquens, *Oratione in senatu habita auctor fuit senatui censendi, ut aliquid laxaret ex juris rigore*, circa donationes inter virum & uxorem. Locutio illa tracta est ex usu veteris Reip. quo inductum, teste Livio, ut, priusquam populus suffragia iniret, in incertum comitiorum eventum *patres auctores fierent.* Cum autem senatus de rebus omnibus vice populi consuli cœpisset, Principes senatusconsultorum auctores fieri voluerunt. Quod eam vim in se habet, ut oratio Principis in senatu recitata, seu mavis, relatio cum prærogativa suffragii, non solum cum una quaque gravissimorum senatorum sententia comparanda esset, sed etiam decisionis auctoritatem indueret, si consensus senatus accederet. Inde fit, ut frequenter in jure aliquid oratione Principis constitutum dicatur, quod alibi Senatusconsulto tribuitur ad orationem illam facto. Scilicet oratio continet in se auctoritatem quandam, non solum censendi, sed etiam definiendi, dummodo consensu & suffragiis senatus juvetur: quemadmodum etiam vice versa decreto senatus res propositæ summa auctoritate definiuntur. Ea vigebat in senatu auctoritas tempore Ulpiani; qui testatur, non ambigendum, quin senatus jus facere possit. Gratianus quoque Imperator scripsit anno CCCLXXXIV. senatusconsultum perpetuam per se obtinere firmitatem. Theodosius autem, permista Principis & senatus potestate, præscripsit leges generales a proceribus Palatii & a senatu tractandas: *Ut universorum consensus nostræ serenitatis auctoritate firmetur*, inquit ille. Tandem summa Principis potestas senatus auctoritatem absorbuit sub Justiniano. Unde non insulse Leo Philosophus Novella sua constitutione legem Digestorum abrogavit, quæ condendi juris facultatem senatui tribuebat. Quæ vero de senatus auctoritate dicta sunt, non adimebant Principibus auctoritatem edendarum constitutionum vel negotiorum terminandorum sine ullo consultu senatus, cum populus in eos suam potestatem contulisset; sed docent Senatum, quando consulebatur, summo jure usum in decernendo.

Tac. l. 3. Annal. *Paucis post dieb. Cæsar auctor senatui fuit sacerdotia tribuendi.* Lib. XV. *Auctore Principe sanxere.* Et alibi. L. *Cum hic status.* ff. de donat. int. vir. & uxor.

Tacit. lib. XI. Annal. *Orationem Principis secuto patrum consulto.*

L. 9. ff. de legib. l. un. C. de senatusc.

L. 8. C. de legib. L. ult. C. eod.

Nov. Leonis 78.

VI. Observandum vero est, relationem Principis longe differre a relationibus, quæ fiebant ad Principem. Hæ namque a magistratibus mittebantur ad Imperatorem, ut res dubias arbitrio suo temperaret: quæ locum quoque habent in Episcopis provincialibus, qui Romanam sedem consulunt; de quibus actum est libro primo. Relatio vero Principis habetur in senatu, ut auctore Principe de re proposita decernatur.

CAPUT VIII.

De potestate, qua usus est Leo I. ante & postea in Concilio Chalcedonensi, & in quo constiterit jus relationes faciendi ad concilium cum prærogativa suffragii.

SYNOPSIS.

I. Aggredienda est disceptatio pontificiæ potestatis in Concilio Chalcedonensi. Agendum tamen prius de auctoritate, qua summus Pontifex usus est ante Concilii congregationem. Legati Leonis I. Constantinopolim missi, ut epistolam ejus ad Flavianum proponerent subscribendam Anatolio CP. & ceteris orien-

orientis Episcopis. Subscripsit Anatolius. Quid post hæc egerit Leo, ostenditur ex ejus epistola ad Anatolium. Quid de iis pronuntiarit, qui superiorem locum in synodo Ephesina sibi vindicaverant. Quanta fuerit ejus auctoritas, & quid effecerit.

II. Hæresis emergens primum in provincia damnabatur, in qua nata erat; sed pœna extra provinciam non egrediebatur. Leo hæresim in oriente natam damnat ubique. Auctoritas epistolæ Leonis. Par Zosimi factum.

III. Temperamentum tamen huic auctoritati adhibitum a Leone, prudenti instituto. Nempe, ut si epistolæ huic aliqui Episcopi non assentirentur, tota negotii disceptatio ad Concilium generale referretur. Etenim definitio fidei a Pontifice Romano facta non adstringit Christianos, nisi accedat universalis Ecclesiæ consensus. Quod probatur auctoritate quintæ synodi.

IV. Summus Pontifex rerum in Concilio œcumenico sanciendarum auctor esse debet ad exemplum Principum Romanorum. Probatur ex Marciano Imperatore in epistola ad Leonem, & Pulcheria Augusta. Duæ igitur auctoritates in synodo; una, Leonis; altera, synodi. Ex his duabus irretractabilis rerum propositarum definitio consequebatur.

V. Comparatio relationis imperatoriæ & pontificiæ. Pontificum definitiones in synodis examinabantur, ut constaret, an scripturis & canonibus congruerent. Itaque post definitionem Pontificis & declarationem synodi certa erat fidei regula. Pontifex Romanus primam & maximam habet pro veritate sententiam, ex Facundo.

VI. Explicatur jus, quod Dioscoro quæsitum est in synodo Ephes. II. ob αὐθεντίαν ei collatam, rescripto Theodosii. Ea auctoritas in eo versabatur, ut jus quidem relationis haberet Dioscorus cum prærogativa suffragii, sed tamen consensus synodi necessarius haberetur, quod probatur ex ipsius Dioscori verbis in Concilio Chalcedonensi prolatis.

I. HIs positis, aggredienda est disceptatio pontificiæ potestatis in synodo œcumenica Chalcedonensi. Acta fidem faciunt eorum, quæ ibi in utramque partem gesta sunt. Ac deinde ad synodum Ephesinam regrediemur. Sed antequam huic discussioni incumbam, necesse est, paucis dicere de auctoritate, qua summus Pontifex usus est ante Concilii congregationem. Non solum enim synodum Ephesinam secundam rescidit, sed a communione quoque sua ejus synodi participes removit, Legatosque suos misit Constantinopolim, qui Anatolio urbis regiæ Episcopo ceterisque orientis Episcopis subscribendam præberent epistolam de incarnatione a se editam. Subscripsit Anatolius; retulitque ipse Leoni, una cum Legatis, plures in oriente Episcopos communionis Romanæ cupidos dolere, quod adversum terrores Dioscori non tenuissent constantiam. Qua de re plena auctoritate Leo decernit, quid agendum esset: *Cum Legatis nostris, quos misimus, participata tecum sollicitudine volumus, disponatur, quatenus hi, qui plenis satisfactionibus male gesta condemnant, & accusare magis se eligunt quam tueri, pacis & communionis nostræ unitate lætentur, ita, ut digno prius anathemate, quæ contra fidem catholicam sunt recepta, damnentur.* Quod autem attinet ad Dioscorum & Juvenalem perturbationis auctores, Anatolio præscribit, ut ea custodiat, quæ Legati facienda esse dixerint; nempe, ut eorum nomina ad altare non recitentur, nec sanctorum nominibus sine discretione misceantur, *cum damnatam impietatem non deserentes, ipsi se sua pravitate condemnent, quos convenit aut percelli pro perfidia, aut laborare pro venia.* Sed alia deinde epistola de iis, qui superiorem locum in synodo Ephesina vindicarunt, si resipiscerent, eorum satisfactionem *maturioribus apostolicæ sedis consiliis reservat, ut examinatis omnibus atque perpensis, de ipsis eorum actionibus quid constitui debeat æstimetur.* Omnium quoque difficultatum, quæ in hoc negotio emergere possent, sollicitudinem ad se trahit. Quare certum est & indubitatum, apostolicæ sedis auctoritate assertam fuisse fidei veritatem adversus perfidiam Eutychis, synodi Ephesinæ latrocinium castigatum, Episcopos orientis ad satisfactionem adactos, & Leonis epistolam pro sincera definitione susceptam.

Leo ep. 40. c. 2.

Idem ep. 46.

Ac si de aliquibus amplius fuerit deliberandum, celeriter ad nos relatio dirigatur, ut pertractata qualitate caussarum, nostra quid observari debeat sollicitudo constituat.

II. Non me latet, olim in provinciis erumpens hæreticum virus synodorum provincialium decretis expulsum, hæresi atque hæreticis damnatis. Sed hæreticis tantum in provincia degentibus pœna a synodis indicebatur. At vero Leo I. hæresim in oriente natam, & hæreticos non solum in occidente, sed etiam in oriente damnat, ejusque sola epistola vim sententiæ & definitionis canonicæ obtinet; synodum, quæ faverat hæresi, rescindit, & perturbationis auctores suo judicio reservat. Sic olim Pelagianis a Zosimo damnatis, eorum hæresis per totum orbem proscripta est; ut diserte scribunt Augustinus & Prosper.

Aug. serm. 2. de verbis Apostoli. Prosp. in Chr.

III. Enimvero summæ huic auctoritati temperamentum quoddam adhibuit ipse Leo, nempe ut, si rebus a se definitis aliqui Episcopi non assentirentur, tota negotii disceptatio ad generale Concilium referretur. Nec immerito; cum optime sciret, universalis Ecclesiæ fidem nullibi apertius explicari, vel splendidius eminere, aut securius prædicari, quam in compendio universalis Ecclesiæ, quæ Conciliis generalibus repræsentatur; *ubi spiritus sancti præsentiam testatur congregatio sacerdotum*, quemadmodum loquitur Cœlestinus. Quare, licet nullo pacto summus Pontifex Leo de doctrina fidei dubitaret, quam epistola sua luculenter exposuerat, attamen synodi necessitatem agnovit, si aliquot Episcopi suæ definitioni refragarentur. Etenim formam fidei per Legatos suos ad Theodosium mittens ait: *Sin vero aliqui a puritate nostræ fidei, atque patrum auctoritate dissentiant, Concilium universale intra Italiam, sicut synodus, quæ ob hanc caussam Romæ convenerat, mecum petit, clementia vestra concedat; ut in unum convenientibus omnibus his, qui aut ignorantia aut errore prolapsi sunt, correctionis remediis consulatur.* Et aliis literis Pulcheriam rogat, ut, si qui a confessione fidei dissentiant, quam ipse explicuerat, synodum cogi procuret: *A qua* (id est, fidei confessione) *si forsitan ab aliquibus discrepatur, universale Concilium sacerdotum haberi intra Italiam clementia vestra annuente jubeatur; quo remota arte fallendi, tandem pateat, quid altiore tractatu aut coerceri debeat aut sanari.* Noverat prudentissimus ille Pontifex definiendi auctoritate, qua vigebat, Episcopos populumque Christianum non adstringi tanquam indubitata fidei regula, nisi accederet per provincialium Episcoporum subscriptiones universalis Ecclesiæ consensus, vel recusantibus plerisque unius confessionis concordiam, synodi œcumenicæ publica professio Pontificis definitionem amplecteretur. Verissime enim observatum est a quinta synodo, (quæ factum Vigilii non probat, quod præsente œcumenica synodo, seorsim ab illa Constitutum suum de rebus propositis a Justiniano edere volebat) Apostolos docuisse, in rebus fidei communem tractatum esse necessarium. *Licet enim*, inquiunt illi in definitione fidei, *sancti spiritus gratia & circa singulos Apostolos abundaret, ut non indigerent alieno consilio ad ea, quæ agenda erant, non tamen aliter voluerunt de eo, quod movebatur, si oporteret gentes circumcidi, definire, priusquam communiter congregati divinarum scripturarum testimoniis unusquisque sua dicta confirmarunt. Unde communiter de eo sententiam protulerunt, ad gentes scribentes: Visum est spiritui sancto & nobis &c.*

Cœlest. ep. ad synod. Ephes.

Vide supra c. 6. §. 1. hujus libri.

Leo ep. 33.

Idem ep. 35.

Quinta synodus collat. VIII.

IV. Sane quænam futura sit summi Pontificis potestas in Concilio œcumenico, facile animadverti potest. Nempe rerum gerendarum & sanciendarum auctor esse debet; quemadmodum senatuscon-

Marciani verba; σοῦ αὐθεντοῦντος, quæ vetus interpres vertit eleganter, Te auctore.

tusconsulta olim in Imperio fiebant auctore Principe. Unde Marcianus Augustus de proposito suo cogendæ synodi ad Leonem ita scribit, ut *eo auctore* illam celebrare velit, id est, eodem jure, quo Principes senatui auctores fiebant, aliquid censendi. Si cui autem sublesta & frivola videatur hæc interpretatio, nolim mihi succenseat, sed ipsi Marciano; qui planis & disertis verbis sic Pontificis auctoritatem expressit, ut Leoni definiendi secundum canones jus tribuat, & synodo sua quoque constitutione declarandi. *Si vero hoc onerosum est, ut tu ad has partes advenias, hoc ipsum nobis propriis literis tua sanctitas manifestet: quatenus in omnem orientem, & in ipsam Thraciam, & Illyricum sacræ nostræ literæ dirigantur, ut ad quendam diffinitum locum, ubi nobis placuerit, omnes sanctissimi Episcopi debeant convenire, & quæ Christianorum religioni atque catholicæ fidei prosint, sicut sanctitas tua secundum ecclesiasticas regulas diffiniverit, sua dispositione declarent.* Quæ paraphrastice concepit Marcianus, in unum verbum contraxit Pulcheria Augusta, eadem de re loquens in epistola ad Leonem; nempe, ut eo auctore decernant Episcopi. *Facto Concilio, & de catholica confessione, & de his Episcopis, qui ante hoc segregati sunt, sicut fides & Christiana pietas exigit, te auctore decernant.* Itaque, quemadmodum in senatusconsultis olim, sic in synodi Chalcedonensis decretis duæ auctoritates in unam sententiam confluebant. Altera Leonis, qui non solum censebat, sed etiam referebat ad synodum cum prærogativa suffragii; altera synodi, quæ suis quoque suffragiis orationem seu epistolam Leonis confirmabat; ita, ut ex hac consensione irretractabilis rerum propositarum definitio consequeretur.

Epist. Marciani ad Leonem, p. 1. Concil. Chalced. c. 34.

Ep. Pulcheriæ p. 1. Concil. cap. 35.

V. Quemadmodum autem relationis imperatoriæ hæc erat necessaria & velut innata conditio, ut rectæ rationis præscriptum sequeretur, atque utilitati publicæ consuleret, vel sane non incommodaret, (qua de re libera erant Senatorum suffragia) ita quoque relationis pontificiæ partes erant, ut in fide & pace Ecclesiarum constituenda a sacris scripturis, a canonibus, & a traditione majorum nullo pacto discederetur. Quare illud anxie a synodo disquirebatur, an Pontificum epistola cum scripturis & canonibus congrueret; ut ita demum auctoritate illius omnes tenerentur, atque duobus veluti vinculis in fide confirmati essent, definitione Pontificis, & declaratione synodi. Hic est Marciani sensus, cum scripsit illa, quæ a Leone secundum ecclesiasticos canones definirentur, a synodo declaratum iri. Sane cum semel traditæ fidei hærendum sit, ut docet Judas Apostolus, hinc sequitur, eam esse fidei Christianæ rationem, ut vetera eruantur, non autem nova condantur, quemadmodum recte monuit Vincentius Lirinensis. Quare summus Pontifex & synodi œcumenicæ in id totis viribus incumbunt, ut vetustatem fidei adversus hæreseon novitates decretis suis post consultationes accuratas constanter vindicent. In asserenda autem veritate Romanæ sedis antistes primam & maximam accepit potestatem, & pro veritate plus ceteris consacerdotibus potest, ut loquar cum Facundo Hermianensi.

Vide locum secundi lib. 3. hujus Dissert. c. 15. §. 10.

VI. Ut autem liquidius constet, in quo versaretur prima illa præsidum potestas in synodis œcumenicis, præter illam, quam e Marciani literis protulimus interpretationem, adjungenda quoque est Dioscori Alexandrini explicatio in Concilio Chalcedonensi; ubi ab eo, tanquam a synodi Ephesinæ secundæ præside, ratio exigebatur eorum, quæ perperam decreta erant; ideoque illius valde intererat, ut eam potentiam, quantum fieri posset, oratione sua labefactaret. Collata illi fuerat rescripto Theodosii αὐθεντία, primatus & auctoritas synodi Ephesinæ; adjunctis tamen duobus collegis, Juvenali Archiepiscopo Hierosolymorum, & Thalassio Archiepiscopo Cæsareæ Cappadociæ. Agnoscit ergo Dioscorus non soli sibi judicium commissum fuisse, sed suis quoque collegis Juvenali & Thalassio, se quidem una cum illis judicavisse & definivisse, attamen synodum quoque universam consensisse. Itaque judicii auctoritatem sibi assumit, nempe ob jus relationis cum prærogativa suffragii; sed necessitatem consensus synodi admittit, ut inde plena definitio consurgat. Hæc sunt verba Dioscori: *Comperit vestra clementia, quia non mihi soli sacratissimus noster Imperator commisit judicium, sed & beatissimo Juvenali & sanctissimo Episcopo Thalassio auctoritatem synodi dedit. Nos ergo judicavimus, quæ judicata sunt. Consensit nobis & universa synodus. Quare in me solum ista extenduntur, quando auctoritas executionibus data est, & judicatis a nobis consensit (ut dixi) universa synodus, & confessa est propriis vocibus, & subscripsit, & relatum est piissimo Imperatori divæ memoriæ Theodosio, & confirmavit omnia, quæ judicata sunt a sancta & universali synodo generali lege?* Quare promiscue ista accipiuntur, primatum synodi gerere, auctoritatem sive αὐθεντίαν obtinere, & judicium ferre.

Rescriptum Theodosii ad Dioscor. Concil. Chalced. act. 1.

CAPUT IX.

Ostenditur ulterius, in omnibus controversiis in Concilio Chalcedonensi propositis agnitam fuisse Leonis in definiendo auctoritatem & prærogativam.

SYNOPSIS.

I. Leo I. præsedit synodo Chalcedonensi per Legatos suos. Literis ad synodum datis utitur suffragii sui prærogativa, decernendo, quid agendum esset in causa fidei, & de disciplina restauranda.

II. In contentionibus de fide synodus secuta est definitionem Leonis. Recitatur epistola ejus ad Flavianum, quam synodus recepit tanquam continentem veram fidem. Episcopi tamen Illyriciani & Palæstini quæstionem moverunt de tribus ejus epistolæ locis. Sed dein cedunt, & ambiguitatem omnem sibi a Legatis ademptam profitentur. Ex his collegit quinta synodus, quæcunque apud synodos proferuntur, ab iis non simpliciter, sed cum inquisitione *approbari. Formulam fidei proponi judices postulant.*

III. Formula ea confecta fuit iis verbis, quibus Leonis dignitas tentari videretur. Eam ob rem repudiata fuit a Legatis & aliquot orientalibus. Dissidium illud ortum ob transmissa aliquot Leonis verba in ea formula: quæ cum addi postularent, contradictum est a concinnatoribus formulæ. Dissidium illud sopitum industria Imperatoris & judicum; ac repudiato Dioscoro, Leonis epistola suscepta est, tanquam Petri confessioni congruens. Synodi de ea receptione decretum confirmavit Marcianus.

IV. Hinc duo colliguntur. Primum, omnes Episcopos epistolæ Leonis subscripsisse, quod ejus auctoritatem demonstrat. Alterum, nefas synodo visum, si vel uno verbo ab epistola discederetur. Jus itaque relationis cum prærogativa suffragii agnovit in Leone synodus Chalcedonensis. Probatur ex epistola synodica ad Leonem. Quæ tamen in eo negotio fuerint synodi partes, non tacent.

I. Primæ hujus & maximæ auctoritatis periculum faciamus in actis synodi Chalcedonensis. Agebatur de opinione Eutychis, an fidei contraria esset. Ea de re quid sentiendum foret, Leo summa auctoritate perscripsit epistola ad Flavianum Constantinopolitanum data: quæ recitata cum non esset in Concilio Ephesino per fraudem Dioscori Alexandrini, honoris illi periculum creavit in Concilio Chalcedonensi. Huic ergo synodo pro scandalis evellendis coactæ per Legatos suos Leo quidem præsedit; præterea vero literis suis ad synodum

dum datis, suffragii sui prærogativa sinceram fidem constituit, perfidiam Eutychis a se damnatam in priore ad Flavianum epistola significavit; restituendos Episcopos decrevit, qui pulsi erant a sedibus suis eo, quod hæresim non recepissent; ceteris, si errorem relinquerent, honorem conservandum. *Unde fratres charissimi*, inquit, *rejecta* Leo ep. 47. *penitus audacia disputandi contra fidem divinitus inspiratam, vana errantium infidelitas conquiescat; nec liceat defendi, quod non liceat credi; cum secundum propheticas voces apostolicamque doctrinam plenissime & lucidissime per literas, quas ad beatæ memoriæ Flavianum Episcopum misimus, fuerit declaratum, quæ sit de sacramento incarnationis Domini nostri Jesu Christi pia & sincera confessio*. Pergit vero de disciplina restauranda, quid agendum sit, præscribere iis verbis: *Quia vero non ignoramus, per pravas æmulationes multarum Ecclesiarum statum fuisse turbatum, plurimosque Episcopos, qui hæresim non receperunt, sedibus suis pulsos & in exilia deportatos, atque in locum superstitum alios substitutos, vulneribus his primitus adhibeatur medicina justitiæ, nec quisquam ita careat propriis, ut alter utatur alienis; cum, si, ut cupimus, errorem omnes relinquunt, nemini quidem perire honor debeat, sed illis, qui pro fide laboraverunt, cum omni privilegio oporteat jus proprium reformari*.

II. Magna contentione de fide disceptatum est in synodo; sed omnia exacta sunt ad normam a Leone præstitutam. Actione secula Concilii, relectis symbolis Nicænæ synodi & Constantinopolitanæ, atque epistola Cyrilli ab Ephesina synodo confirmata, adjuncta est quoque recitatio epistolæ Leonis ad Flavianum. Post lectionem confestim omnes Episcopi clamaverunt, hanc esse Apostolorum & patrum fidem, se omnes ita credere, Petrum per Leonem locutum, Dioscorumque Ephesi hanc epistolam suppressisse, ne legeretur. Attamen de sensu trium locorum ejus epistolæ dubitantibus Episcopis Illyricianis & Palæstinis, interpretatio adhibita ab Aetio Archidiacono Constantinopolitano & a Theodoreto, quæ Leoni cum Cyrillo convenire docebat, commotam dubietatem ab eorum animis statim eximere non potuit, licet reliqua synodus profiteretur, nihil dubii superesse. Quare judices interlocuti sunt, ut intra dies quinque, qui dubitabant, Episcopi penes Anatolium Constantinopolitanum convenirent, ut a ceteris, qui jam Leonis epistolæ subscripserant, docerentur. Actione quarta, interrogantibus judicibus, quænam esset synodi de fide sententia, respondit Paschasinus, synodum eam fidem amplecti, quæ a Concilio Nicæno, Constantinopolitano & Ephesino exposita est, quamque Leo sua epistola declaravit. Iterum judices interlocuti sunt, a singulis Episcopis declarandum, an hæc epistola consentiret cum symbolis Nicæno & Constantinopolitano. Ac statim quidem professus est Anatolius Constantinopolitanus, eam consonare cum expositione fidei a tribus Conciliis prioribus edita, atque adeo ante synodum se illi subscripsisse. Sed Paschasinus ægre videtur hanc interlo- Conc. Chal. ced. act. IV. cutionem tulisse. Retulit enim, manifestum esse, nec dubitari posse, quin epistola Leonis cum superioribus symbolis concordaret. Quod omnes Episcopi suffragiis quoque suis testati sunt, seque illi epistolæ subscriptiones suas apposuisse. Illyriciani vero & Palæstini, qui dubitationem actione secunda injecerant, professi sunt, ambiguitatem omnem, quæ ex linguæ Latinæ vocibus proficisci videbatur, sibi a Legatis ademptam, ideoque se quoque epistolæ subscripsisse. Unde recte quinta synodus ex ista actione collegit, quæcunque apud synodos proferuntur, ab iis non simpliciter sed *cum inquisitione* approbari, nempe si congruant cum expositione & doctrina patrum. Ceterum occasione monachorum, qui factionem Eutychis tuebantur, judices interlocuti sunt a synodo formulam fidei dandam, quæ credenda exponeret.

III. Formula vero iis verbis concepta est, quæ Leonis auctoritati aliquo pacto adversari videbantur & ambiguitate quadam officere veritati. Ea itaque relecta actione quinta, etsi ab omnibus Episcopis summo applausu excepta fuerit, Romani Legati & aliquot orientales repudiarunt. Hi etenim cum animadvertissent aliquot verba epistolæ Leonis a formulæ concinnatoribus dissimulata fuisse, in has voces eruperunt: *Si non consentiunt epistolæ apostolici & beatissimi viri Papæ Leonis, jubete nobis rescripta dari, ut revertamur, & ibi synodus celebretur*. Discordiam istam componere judices tentarunt, postulantes a synodo, ut aliquot Episcopi e singulis Diœcesibus una cum Legatis & Anatolio coram magistratibus istis in oratorio de fide tractarent. Sed reclamarunt Episcopi, nihil addendum definitioni pertinacissime contendentes; professi quidem, se Leonis epistolam suscipere, nolle tamen inserere formulæ, quæcunque epistola illa continebantur. Contentio accensa erat ob verba epistolæ, quibus Leo ajebat salvam utriusque naturæ proprietatem in unam coivisse personam, scilicet ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, καὶ ἀδιαιρέτως. Negotio ad Imperatorem relato, præcepit ille, ut Episcopi selecti hac de re disceptarent secundum interlocutionem judicum, aut quisque per suum Metropolitam fidem sine ulla ambiguitate exponeret, vel synodum scirent in occidentalibus partibus celebrandam. Necdum sopita erat concertatio, cum judices Episcopos interrogarunt, an Dioscorum sequerentur, an vero Leonem. His vero respondentibus, se Leoni adhærere, judices dixerunt, addendum ergo definitioni, duas esse naturas inconfuse, inconvertibiliter, & inseparabiliter secundum judicium Leonis. Statim vero collatione facta cum delectis Episcopis, formula fidei omnium votis ita concepta est, ut diserte Leonis epistola recepta sit, tanquam Petri confessioni congruens, & omnia dubia juxta præscriptum illius epistolæ explicata sunt. Quæ iterum confirmata sunt actione sexta, præsente Marciano Principe: qui patribus interrogatis, an ex omnium sententia fidei definitio edita esset, synodi consensum suo quoque edicto confirmavit, pœnis in contumaces decretis.

IV. Non frustra, ut existimo, in narratione hujus disceptationis moram traximus. Etenim duo præcipua colliguntur. Unum est, omnes Episcopos epistolæ Leonis subscripsisse, quod ejus auctoritatem demonstrat, cum decretis subscribatur, & non Episcoporum suffragiis. Alterum est, nefas tandem synodo visum, si vel uno verbo ab ea epistola discederetur. Etenim cum superioribus actionibus præjudicatum fuisset omnium patrum suffragiis, epistolam Leonis congruere cum traditione majorum, auctoritas Romanæ sedis id exigebat, ut formula fidei edita a Concilio & Leonis definitionem disertis verbis amplecteretur, & ex ejus præscripto ambiguitates tolleret; nempe ut synodus declararet, quod Leo definiverat, quemadmodum loquebatur Marcianus Imperator. Quare jus illud relationis cum prærogativa suffragii Concilium quoque Chalcedonense in Leone disertissimis verbis agnovit, ne quis per adulationem hoc a me confictum putet. Etenim in synodica epistola ad summum Pontificem patres profitentur, eum fuisse, in expositione fidei, Petri interpretem, seque ipsos duce & auctore Pontifice veritatem Ecclesiæ filiis deprompsisse. Ὅθεν καὶ ἡμεῖς ὡς ἀρχηγῷ σοι τοῦ καλοῦ πρὸς ὠφέλειαν χρησάμενοι, τῆς ἀληθείας τοῖς τῆς ἐκκλησίας τεκνοῖς τὸν κλῆρον ἐδείξαμεν. Sed ut dignitatem auctoritatemque Pontificis non dissimulant, ita quoque synodi partes non omittunt, quæ *uno spiritu, una conspiratione, atque concordi, confessionem fidei* declaravit, Christo spirituales delicias per literas Leonis Episcopis in synodo velut in convivio quodam confidentibus præparante.

CAPUT X.

Demonstratur porro, Leonem vi primatus, auctoritatem principalem & prærogativam suffragii habuisse, Synodum tantum consensisse, etiam per acclamationes.

SYNOPSIS.

I. Primatus vim Leo exercuit in Concilio adversus Dioscorum: qui inter reos sedere jussus est, ut causam diceret. At Theodoretus, quem sede sua Dioscorus in synodo Ephesina secunda dejecerat, in Concilium Chalcedonense admissus est, quia locum suum summus Pontifex ei restituerat. De restitutione illa Theodoreti accurate dicetur libro septimo.

II. Conjunctionem auctoritatis Pontificis & Concilii præfert cognitio habita de Dioscoro. Legati condemnant Dioscorum sistere se judicio recusantem. Dein eorum sententiæ accessit assensus synodi, unde confecta est plena Dioscori damnatio. Explicatur ordo, quem tenuit Paschasinus.

III. Judicium a Paschasino conceptum sub nomine Leonis, de synodi consensu. Commonitorium synodi ad Dioscorum missum, quo episcopatu dejectus a Concilio renunciatur, differt ab exemplari sententiæ a patribus subscriptæ. Concilia generalia in occidente celebrata concepta sunt utplurimum sub nomine Pontificis, sacro approbante Concilio, *exemplo petita a Concilio Chalcedonensi.*

IV. Origo usus illius petitur e jure primatus; quod auctoritatem tribuit Pontifici, & synodo consensum. Sic munia cujusque partitur Leo. Probatur etiam ex iis, quæ gesta sunt, in synodo Romæ habita sub Hilaro.

V. Hilari decreta confirmat synodus. Episcopi provinciæ Tarraconensis Irenæum, qui secundum supremam Episcopi Barcinonensis voluntatem in ea sede ab iis institutus fuerat, auctoritate Romani Pontificis confirmari petunt. Hanc consultationem Hilarus retulit ad synodum; sed pro suffragii prærogativa præsumptionem illam damnavit, cujus sententiam secuta est synodus.

VI. In hac synodo habetur expressa imperialis auctoritatis imago. Pontifices aliquando sententiam suam scripto recitabant; quam sequebantur acclamationes. Exemplum in Felice & Symmacho.

VII. Solennia hæc a Senatu in Ecclesiam translata sunt. Mos acclamandi Principibus e theatro in Senatum invectus. Acclamationum ritus. In Concilio Ephesino acclamationes factæ sunt Cælestino & Cyrillo; & in Chalcedonensi Leoni.

VIII. Senatusconsulta aliquando facta solis acclamationibus. Post acclamationes tamen Senatores interdum interrogabantur. Quandoque acclamationes sequebantur sententiam ejus, qui primus censuerat. Aliæ consensus formulæ.

IX. Eadem acclamatione consensus omnium ostendebantur in Conciliis Ephesino & Chalcedonensi, & in Romanis sub Hilaro & Symmacho. Sapienter id notatum a Symmacho.

I. PRimatus quoque sui & principalis auctoritatis vim Leo in Concilio exercuit adversus Dioscorum Alexandrinum, quem in ipso synodi exordio ab Episcoporum sede amovendum per Legatos suos edixit, & inter reos constituendum, ut causam diceret. *Paschasinus vero reverendissimus Episcopus & Vicarius sedis apostolicæ, cum in medio una cum his viris reverendissimis collegis suis stetisset, dixit: Beatissimi atque apostolici viri Papæ urbis Romæ, quæ est caput omnium Ecclesiarum, præcepta habemus præ manibus; quibus præcipere dignatus est ejus apostolatus, ut Dioscorus Alexandrinorum Archiepiscopus non sedeat in Concilio, sed audiendus intromittatur. Hoc nos observare necesse est. Si ergo præcipit vestra magnificentia, aut ille egrediatur, aut nos eximus.* Idem jus statuerat Theodosius adversus Flavianum, quem jusserat sistere se in Concilio Ephesino secundo, judicii sui adversus Eutychem in synodo CP. lati rationem redditurum. Tergiversati quidem sunt judices, acerbam existimantes & duram Dioscoro impositam conditionem. Attamen cum Legati mandata Leonis urgerent, & Dioscoro objicerent, quod synodum celebrasset absque sedis apostolicæ auctoritate, etsi hoc videretur aliquo pacto convellere imperatoriam potestatem, qua fultus synodo Ephesinæ Dioscorus præsederat, judices præceperunt, ut Dioscorus in medio consessu resideret inter reos. Vice versa Theodoretus Episcopus Cyri, qui honore dejectus fuerat a Dioscoro in synodo Ephesina secunda, in Concilium Chalcedonense admissus est, episcopali dignitate ornatus; quia locum suum summus Pontifex illi restituerat, & Imperator adesse synodo jusserat. Sed restitutionem istam Theodoreti accurate discutimus in exercitatione de judiciis canonicis Episcoporum.

Concil. Chalced. act. 1.

Vid. lib. 7. c. 8.

II. Utriusque vero auctoritatis conjunctionem, nempe Romani Pontificis & Concilii, præfert cognitio habita de Dioscoro. Quæstio canonica præsentibus magistratibus disceptari non poterat. Quare illis absentibus ordo judicii constituendus fuit a Legatis Romanis, qui de se his verbis loquuntur: *Nostram parvitatem huic sancto Concilio pro se præsidere præcepit* (Leo). *Ideoque necessarium est, hæc, quæ in medium proferuntur, per nostram interlocutionem disceptari.* Statim vero libellos adversus Dioscorum porrectos recitari jubent, ejusque contumaciam tribus edictis evocari & sistere se judicio recusantis condemnant. In qua damnatione illud observandum est, Legatos primam sententiam protulisse, synodumque sententia quoque sua Legatis suffragatam, unde conflata est plena Dioscori damnatio ex auctoritate Pontificis & Concilii. Hunc vero ordinem tenuit Paschasinus. Ter synodum interpellavit, quid videretur agendum de Dioscoro. Respondit synodus canonicis pœnis subdendum. Julianus autem Hypæporum Episcopus a Legatis petivit, qui τὸ κῦρος Leonis haberent, ejusque locum occuparent, ut contra Dioscorum pœnas a canonibus inflictas decernerent. *Omnis enim & tota universalis synodus concors efficitur vestræ sanctitatis sententiæ.* Quod Maximus Antiochiæ testatus est. Tunc recitatis Dioscori flagitiis, ejusque perspecta in scelere obstinatione, Paschasinus non solum censuit a synodo condemnandum, sed etiam ex auctoritate Leonis condemnavit. Referam ejus verba, prout se habent in epistola Leonis ad Episcopos Galliæ, cui exemplar sententiæ latæ adversus Dioscorum adjunxit, iisdem verbis, quæ Paschasinus protulit, qui Latine loquebatur in synodo. *Unde sanctus ac beatissimus Papa caput universalis Ecclesiæ Leo per nos, ut Legatos suos, sancta synodo consentiente, Petri Apostoli præditus dignitate, qui Ecclesiæ fundamentum & petra fidei & cælestis regni janitor nuncupatur, episcopali eum dignitate nudavit, & ab omni sacerdotali opere fecit extorrem. Quare super his congregata venerabilis synodus canonicam contra prædictum Dioscorum proferat justitia suadente sententiam.* Recensentur deinceps in actis Episcoporum omnium suffragia, qui Dioscorum dejiciunt.

Concil. Chalced. act. III.

Absunt a contextu Græco verba illa, *Caput universalis Ecclesiæ*; Et ista, *Apostoli Petri præditus dignitate*; quibus hæc substituta sunt, μετὰ τοῦ τρισμακαριωτάτου καὶ πανευφήμου Πέτρου τοῦ Ἀποστόλου.

III. Sed observandum est, judicium conceptum fuisse a Paschasino sub nomine Leonis, de synodi consensu; quem consensum patres statim verbis explicuerunt, & sententiæ Paschasini subscripserunt, nulla sententiæ formula sub nomine synodi concepta. Fateor quidem, missum esse ad Dioscorum sub synodi nomine commonitorium, quo docebatur, damnatum fuisse, & episcopatu dejectum a Concilio. Sed rescriptum illud longe differt ab exemplari sententiæ a patribus subscriptæ. Itaque mirandum non est, si posteriora generalia Concilia in occidente celebrata concepta sint ut plurimum sub nomine Pontificis, *sacro approbante Concilio*, cum traxerint exemplum ab hac formula, *Leo per nos Vicarios suos sancta synodo consentiente &c.*

IV. Hoc

Leo ep. 31. Si tamen dilectioni vestræ tradi scripta nostra potuere; quæ non solum apostolicæ sedis auctoritate, sed etiam sanctæ synodi, quæ ad nos frequens convenerat, unanimitate directa sunt.

IV. Hoc proficiscitur e primatus jure; quod *auctoritatem* tribuit Pontifici, & synodo *consensum*. Sic munia cujusque partitur Leo, loquens de scriptis a synodo Romana patriarchali missis in orientem ad Martianum Faustumque Presbyteros. Potiori enim ratione summus Pontifex in synodo Romana utebatur jure relationis & suffragii prærogativa. Cujus rei usus eleganter expressus est in synodo Romæ habita sub Hilaro Papa. Refert ille synodo de transgressione canonum, quæ frequentissima erat in ordinationibus Episcoporum, ad se, qui potissimi sacerdotis administrat officia, talium vitiorum culpam pertinere dicens, nisi huic malo prospiciat. Deinde vetat, ne bigami, inscii literarum, membrorum damna perpessi & pœnitentes, ad sacros gradus adspirent, pœnis in ordinatores latis. Tum petit a patribus synodi, ut huic constituto subscribant; *quatenus synodali judicio aditus claudatur illicitis*.

In Decretis Hilari.

V. Non opus erat diligentiori examine in re tristissima & a canonibus toties vetita. Quare omnes Episcopi & Presbyteri in acclamationes eruperunt, Hilaro vitam precati, quæ proposita erant confirmantes. *Exaudi Christe, Hilaro vita. Dictum sexies. Hæc confirmamus, hæc docemus. D. VIII. Hæc tenenda sunt, hæc servanda sunt. D. V. Doctrinæ vestræ gratias agimus. D. X. Ista ut in perpetuum serventur, rogamus. D. XV. Per Dominum Petrum, ut in perpetuum serventur, rogamus. Dictum VIII.* Sed majori cura discutienda fuit in eadem synodo consultatio Episcoporum provinciæ Tarraconensis, apud quos Barcinonensium Episcopus supremæ voluntatis arbitrio sibi Irenæum quendam Episcopum substitui optavit, quod clero & plebi civitatis Barcinonensis & Episcopis provinciæ gratum fuit & acceptum, qui hoc suum judicium auctoritate Romani Pontificis firmari petunt. Hanc consultationem retulit Hilarus Papa ad synodum, sed cum suffragii sui prærogativa. Sic enim infit, post repressam gravibus verbis sacerdotiorum successionem: *Quod quam grave sit, æstimate. Atque ideo, si placet, etiam hanc licentiam generaliter de Ecclesiis auferamus; ne, quod turpe dictu est, hominibus se putet debere, quod Dei est.* Tum relectis Episcoporum Tarraconensium literis, quarum recitatio variis acclamationibus synodi interrupta est, Hilarus Episcopus dixit: *Acceptis, quæ recitata sunt, de omnibus nunc, fratres, speciales sententias Deo vobis inspirante depromite.* Sex Episcopi provectiores ea de re censuerunt, prout oratione sua Pontifex synodo auctor fuerat. Et statim, *Ab universis Episcopis dictum est: Sententias fratrum omnes sequimur, omnes confirmamus, & observandas esse decernimus.* Hanc cognitionem his verbis clausit Hilarus: *Quoniam præsentis definitionis formam, quæ secundum sanctorum est statuta sententiam, in omnium Ecclesiarum notitiam pervenire decernimus, ne cuiquam pro sui possit ignoratione licere, quod non licet, edere gesta Notariorum sollicitudo curabit.*

VI. In hoc synodi Romanæ exemplo expressam habemus imperialis auctoritatis imaginem, cum de senatusconsultis ad ejus relationem & orationem condendis agebatur. Quare scripto quoque sententiam suam Pontifices aliquando recitabant, quæ sententiis & acclamationibus totius synodi muniebatur. Sic edita sunt decreta Felicis contra iteratum baptisma Africanorum & rebaptizatorum pœnitentias. *Proinde*, inquit, *ut manifesta sit super hoc nostra sententia, quæ nobis sunt visa, recitentur.* Sic quoque in synodo Romana Symmachus, recitatis per Notarium decretis, quæ ipse opportuniora judicavit, post acclamationes Episcoporum dixit: *Ergo universitati placet & ab omnibus recognoscitur vel probatur ista sentrntia? Universa synodus dixit: Placet; &, quod omnibus placet, fiat.* Tandemque adjecit Symmachus: *Acclamationes vestras synodique judicium præsentia gesta suscipient.*

Felix In Decretis.

VII. Ordo censendi in his synodis, mos depromendi sententias per acclamationes, judicium factum per discessionem petita sunt ex more recepto in senatu, quando senatusconsultum fiebat. Hunc acclamandi Principibus ritum viri eruditi jam olim illustrarunt, qui e theatro in senatum est admissus. Non temere autem, quid quisque vellet, acclamabat, sed, ut in choris, erat aliquis, cujus vox ceteris præiret, hic formulam acclamationis concipiebat, reliquus cœtus nihil nisi acceptas ab eo voces reddebat. In acclamando autem modulatione quadam utebantur, & sæpius eadem verba resonabant. Semper autem in actis senatus adnotatum, quoties quidque fuisset repetitum, quod ne historici quidem neglexerunt. Nam legitur sæpe apud scriptores historiæ augustæ, *Dictum quinquies, dictum decies, dictum vicies*, imo & *sexagies* apud Trebellium in Claudio. Hinc vetus Ecclesia & acclamandi morem usurpavit & formulas iis similes, quæ in gratiam Principum proferebantur, quas in acta ecclesiastica per Notarios pari diligentia referebat. Extant in actis Concilii Ephesini acclamationes factæ Cælestino & Cyrillo; & in actis Concilii Chalcedonensis acclamationes factæ Leoni: Λέοντος πολλὰ τὰ ἔτη. Πατριάρχου πολλὰ τὰ ἔτη.

Casaub. in Notis ad Vulcatium.

VIII. Sciendum autem est, senatusconsulta aliquando facta fuisse solis acclamationibus, nullis sententiis dictis, quod factum refert Pollio in senatusconsulto de Valeriani censura. Aliquando vero post acclamationes interrogabantur Senatores, quod factum in electione Taciti Imperatoris apud Vopiscum. Quandoque vero a sententia dicenda incipiebant; post sequebantur acclamationes approbantium sententiam ejus, qui primus sententiam dixerat, cujus moris exemplum apud Capitolinum in Maximo & Balbino. Cum enim Sabinus sententiam dixisset, acclamatum est uno consensu: *Æquum est, justum est. Sabini sententiæ omnes consentimus.* Quandoque brevioribus verbis consensum suum exprimebant, solenni formula, *Omnes, Omnes*.

Salmas. in Notis ad Vopiscum.

Vopisc. in Tacito & ad eum locum Casaubonus.

IX. Simili acclamatione in Conciliis Ephesino & Chalcedonensi, & in Romanis sub Hilaro & Symmacho, communis consensus omnium ostendebatur; ac præterea eadem varietate, post acclamationes, vel ante, sententiæ rogabantur, vel omittebantur, ut fieri solebat in senatu. Quare non absque gravi causa Symmachus interlocutus est, acclamationes Episcoporum & judicium synodi in acta esse redigenda; quia sententia & consensus synodi his acclamationibus explicabatur.

CAPUT XI.

Relationis Pontificiæ necessitas etiam ex concilio Ephesino I. demonstratur.

SYNOPSIS.

I. Jus relationis, quod in synodis usurpatum est, ab Episcopis Romanis acceptum referri non debet Marciano. Probatur ex actis synodi Ephesinæ, ubi Cælestinus eo jure usus est. Synodus illa aperte profitetur, se Cælestini epistola coactam ad ferendam sententiam adversus Nestorium.

II. Magni momenti sunt illa verba. Auctoritas epistolæ Pontificis ea est, ut parendi necessitatem inducat, si scripturis & traditioni majorum congruere reperiatur. Verba Concilii referuntur.

III. Firmi Cæsareæ Episcopi verba expenduntur, quæ auctoritatem Romani Pontificis respiciunt. Acclamationes Episcoporum factæ Cælestino & Cyrillo referuntur.

IV. Quæritur, an licuerit œcumenicæ synodo de aliquo fidei vel disciplinæ capite decernere sine relatione Pontificis. Ita usurpatum a synodo Chalcedonensi.

I. RElationis imperatoriæ usum a Pontificibus Romanis in synodo Chalcedonensi & in occi-

occidentalibus Conciliis usurpatum fuisse, demonstravimus. Quod accepto ferendum non est rescripto Marciani, ac si summus Pontifex ex indulgentia & delegatione Principis synodi Chalcedonensis auctoritatem assecutus fuisset, quemadmodum supra monui. Etenim eodem eximio jure in synodo Ephesina Cælestinum usum fuisse ipsius œcumenicæ synodi testimonio, probare possumus. Nestorii hæresim Romæ in synodo damnaverat Cælestinus; ipsumque Nestorium, nisi perfidam novitatem aperta & scripta confessione intra decem dies deponeret, ab universalis Ecclesiæ communione dejecerat: cujus sententiæ executionem delegavit Cyrillo Alexandrino. Hic ex sententia Cælestini atque sua totiusque synodi Ægyptiacæ synodicam epistolam ad Nestorium dedit; qua eum hortatus est, ut a stolidis dogmatibus, quæ publice docebat, desisteret, quod nisi intra tempus in literis Cælestini præfinitum præstaret, certo sciret, se a communione totius Ecclesiæ excidisse. Cogitur Ephesina synodus: ubi recitatis Cælestini & Cyrilli epistolis ad Nestorium, atque prolatis e patrum antiquorum operibus excerptis aliquot sententiis, Nestorii impietas convicta, & Cælestini atque Cyrilli sincera fides omnium consensu approbata est. Quare sententia depositionis in Nestorium ter evocatum & contumacem fertur a synodo; ita tamen, ut ejus condemnandi auctoritas in Cælestinum quoque referatur. Etenim aperte profitentur patres synodi, se & a sacris canonibus & a Cælestini epistola coactos ad eam sententiam ferendam. Quasi dicerent, Cælestinum epistola sua synodo auctorem fuisse damnandi Nestorii.

II. Magni autem momenti sunt illa verba, quibus se coactos dicunt, id est, ex officio adstrictos, ut canonibus, qui contumaciam plectebant, & rebus a Cælestino adversus impietatem decretis morem gererent. Ea est enim auctoritas epistolæ Pontificis, ut parendi necessitas incumbat, postquam, discussione facta, sacris scripturis & traditioni majorum congruere invenitur, quo examine defuncta erat synodus Ephesina, antequam judicium ferret adversus Nestorium. Hæc sunt Concilii verba:

Conc. Ephes. act. 1. *Coacti per sacros canones & epistolam sanctissimi patris nostri & comministri Cælestini Romanæ Ecclesiæ Episcopi, lacrymis subinde perfusi, ad lugubrem hanc contra eum sententiam necessario venimus.*

III. Ne quis autem existimet, alienam a verbis synodi sententiam nunc primum a me confictam fuisse, perpendenda sunt, quæ dixit Firmus Cæsareæ Episcopus post adventum Legatorum Arcadii, Projecti & Philippi; qui, post damnatum Nestorium, Ephesum accesserunt. Ait Firmus primam sententiam tulisse Cælestinum, eamque huic negotio formam per priores literas suas ad Cyrillum præscripsisse, quam synodus executioni dederit. Quare cum secundis quoque literis ad synodum Ephesinam datis, atque per Legatos delatis, eandem sententiam de fide confirmasset, post confir-

Concil. Ephes. act. 2. mationem literarum. *Omnes reverendissimi Episcopi simul acclamaverunt: Hoc justum judicium. Novo Paulo Cælestino, novo Paulo Cyrillo. Cælestino custodi fidei. Cælestino cum synodo concordi. Cælestino universa synodus gratias agit. Unus Cælestinus. Unus Cyrillus. Una fides synodi. Una fides orbis terrarum.* His acclamationibus, ut fieri solebat a senatu erga Principem, synodus Ephesina Cælestinum ejusque Legatum Cyrillum suo quoque nomine valde commendabilem prosecuta est. Legati autem relectis gestis contra Nestorium subscripserunt. Quæ subscriptio a Cyrillo *canonica assensio*

Act. 5. dicitur, κανονικὴ συναίνεσις; & a Legatis βεβαίωσις τῶν κεκριμένων, *confirmatio rerum judicatarum.*

IV. Unus tantum restat articulus, in quo utriusque relationis imperatoriæ & pontificiæ comparatio ineunda est, ut sciatur, an illis per omnia conveniat. Inter ceteros relationis effectus observavimus, senatusconsulta sine Consulis vel Principis relatione fieri non potuisse. Quæri ergo potest non absurde, an licuerit œcumenicæ synodo de aliquo fidei vel disciplinæ capite sine relatione Pontificis decernere. De synodo *œcumenica* loquor, in qua Pontifex per se vel per Legatos præsidet, non autem de Conciliis provincialibus aut diœcesanis, quibus nulla interest sedis apostolicæ legatio. Ac sane antiquam esse Legatorum persuasionem video, ut existimaverint Pontificem rerum omnium gerendarum in Conciliis illis auctorem esse debere; ita ut, etsi forte non retulerit, saltem primam sententiam promat. Hanc disertis verbis expresserunt patres synodi Chalcedonensis in epistola synodica ad Leonem, ad quem scribunt Paschasinum Legatum ejusque socios vehementer obstitisse novæ jurisdictioni, quæ a synodo tribuebatur sedi Constantinopolitanæ, ex eo capite præcipue, quod Leonem vellent ejus rei auctorem fieri, quemadmodum auctor fuerat rectæ fidei sanciendæ. Volebant scilicet ea de re prius a Leone decerni, cujus auctoritati ceteri deinde Episcopi consentirent & subscriberent. *Qui enim*, inquiunt, *locum vestræ sanctitatis obtinent sanctissimi Episcopi Paschasinus & Lucentius, & qui cum eis est reverendissimus Presbyter Bonifacius, his ita constitutis vehementer resistere tentaverunt, procul dubio a vestra providentia inchoari & hoc bonum volentes, ut sicut fidei, sic bonæ ordinationis vobis deputetur effectus.* Epistola synodica Concilii Chalcedon. ad Leonem. Hanc Legatorum opinionem non omnino refutare videtur Concilium; ita tamen, ut in causa proposito ei locus esse non posset ob temporis circumstantias. Respondent enim, Imperatoris, senatus & civium urbis regiæ desideriis obsequendum fuisse, qui novam istam auctoritatem decreto synodi œcumenicæ confirmari volebant, quod fieri non poterat, si ante omnia Pontificis sententia exquirenda fuisset, itaque in his angustiis se negotium constituisse, non dubitantes, quin Leo hoc quoque decretum amplecteretur, quod perinde esset, ac si ab initio ipse illius auctor fuisset, eo quod rectorum facinorum a filiis gestorum omnis gloria redundet in patres, qui jure patriæ potestatis hoc sibi vindicant. Quare obnixe rogant Pontificem, ut suo quoque decreto synodi judicium honoret; ut, sicut in rebus fidei recte constitutis Pontifici tanquam capiti consensum suum adhibuerunt, ita quoque primatus sui jure ipse, quod decet, filiis impendat, nempe confirmationem & consensum, τῶν πεπραγμένων βεβαίωσίν τε καὶ συγκατάθεσιν.

CAPUT XII.

Prærogativa suffragii Episcopi Romani ex Concilii Sardicensis & Antiocheni actis confirmatur.

SYNOPSIS.

I. Investigatur, quænam esset veterum sententia de hoc jure relationis cum prærogativa suffragii ante Concilium Ephesinum. Ejus exemplum illustre in Sardicensi Concilio, in quo summa auctoritas fuit Osii Romani Pontificis Legati. Socrates & Sozomenus explicati, qui ajunt, non licere quicquam decernere de rebus ecclesiasticis absque sententia Episcopi Romani. Hausta hæc interpretatio e verbis Julii.

II. Prærogativa illa suffragii non adimebat ceteris libertatem suffragiorum. Probatur ex Julio; cujus verba explicantur.

III. Quid sit canon ecclesiasticus *apud Socratem. Is est canon Nicænus sextus, quo primatus defertur Episcopo Romano præ ceteris Patriarchis, quod probatur multis auctoritatibus.*

IV. Ordo dignitatis Patriarcharum constitutus in Concilio Nicæno. Canone VII. quartus honoris gradus tribuitur Episcopo Hierosolymorum, id est, primus post tres Patriarchas. Variæ hujus canonis versiones.

Canone

Canone VI. definiti loci trium Patriarcharum. Probatur ex verbis canonis, tum auctoritate Papæ Leonis ad Anaſtaſium ſcribentis.

V. Cum primum dignitatis locum obtineret Epiſcopus Romanus, conſequens eſt, ut jus primæ ſententiæ & ſuffragii prærogativam obtineret. Ea fuit mens Socratis & Sozomeni. Eam prærogativam agnovit Concilium Romanum ſub Damaſo.

VI. Γνώμης *dictio, qua uſi ſunt Socrates & Sozomenus, auctoritatem cum ſuffragio conjunctam ſignificat in antiquis canonibus. Probatur ex canone VI. Concilii Nicæni, ubi* γνώμη *ſumitur pro Metropolitani ſuffragio & auctoritate. Prima autem ſententia erat penes Metropolitanos.*

VII. Ab illis quoque pendebat rerum geſtarum confirmatio, ſive τὸ κῦρος; *ita tamen, ut omnia communi decreto & ex ſententia plurimorum agenda eſſent, ex canonibus Nicænis. Id quoque ſtatutum in canone apoſtolico* XXXIII. *ubi* γνώμη *ſumitur pro ſententia Metropolitani, atque item pro collectione ſuffragiorum omnium Epiſcoporum. Hac eadem notione vox illa uſurpatur in canone apoſtolico* XXXIX. *& in canone* LVII. *Laodiceno.*

VIII. Illuſtre hujus ſignificationis teſtimonium extat in ſynodo Chalcedonenſi actione quarta. Unde colligitur, canone Nicæno ſtatutum, ut omnes Epiſcopi ſententiam ſui Primatis expectent & nihil arduum agant prætermiſſa illius ſententia. Γνώμην *Alexandrini Epiſcopi* definitionem *interpretati ſunt judices.*

IX. Jus ab Ægyptiis Alexandrino Epiſcopo tributum Romano aſſerit Petrus Chryſologus. Concilia œcumenica nihil in Eccleſia decerni poſſe putant abſque ſententia Romani Pontificis, cum de cauſis univerſalibus agitur. Probatur etiam auctoritate Macedonii Patriarchæ CP.

X. Quinta ſynodus rogat Vigilium, ut ad Concilium accedat & cœtui præſideat; miſſa etiam ampliſſima & inſigni legatione. Qui reſpondet, ſe ſuam ſententiam Principi porrecturum ſeorſim a ſynodo. Vigilius confirmavit definitionem ſynodi; quæ tunc ſine controverſia ſynodi œcumenicæ nomen prætulit.

I. SI quis autem illud quoque requirat, ut exponam, quænam eſſet veterum ſententia de hoc jure relationis cum prærogativa ſuffragii ante Concilii Epheſini tempora, conſulendum eſt Sardicenſe Concilium; in quo Oſius Romani Pontificis Legatus refert de rebus canone conſtituendis, ſed ita, ut primam ſententiam addat. Deinde rogat patrum ſuffragia; qui confertim in ejus ſententiam tranſeunt. Pulchrum ſane antiquitatis monumentum, in quo *jus relationis* eminet. Gaudentius quidem & Januarius Epiſcopi tres canones propoſuerunt, Oſio connivente. Sed hoc nihil detrahit de jure legationis; præcipue cum ad ſuam auctoritatem trahat, quando lubet, quæ ab alio Epiſcopo proponuntur, ut accidit Olympio Epiſcopo, qui ſuggeſſit ultimum canonem; cui Oſius decretum addidit: *Oſius dixit: Suggerente fratre & coepiſcopo noſtro Olympio, etiam hoc placuit.* Ad hanc prærogativam referendi ſunt Socrates & Sozomenus, quorum teſtimonia frequentiſſime proferuntur; ſed quæ a paucis, ut quidem puto, ſincere intellecta ſunt. Euſebiani coegerant Antiochiæ Concilium orientalium Epiſcoporum, quod Athanaſio Georgium Cappadocem ſubſtituit. Socrates vero notat, nec Julium Epiſcopum Romanum, nec ejus Legatos ad eam ſynodum acceſſiſſe, *cum canon eccleſiaſticus jubeat, non oportere abſque ſententia Epiſcopi Romani decreta Eccleſiis ſancire:* Ἀλλὰ μὴν οὐδὲ Ἰούλιος παρῆν ὁ τῆς μεγίστης Ῥώμης ἐπίσκοπος, οὐδὲ μὴν εἰς τὸν τόπον αὐτοῦ ἀπεστάλκει τινά. καίτοι κανόνος ἐκκλησιαστικοῦ κελεύοντος μὴ δεῖν παρὰ τὴν γνώμην τοῦ ἐπισκόπου Ῥώμης τὰς ἐκκλησίας κανονίζειν. In ejuſdem facti narratione ſeverioribus verbis hanc legem Sozomenus expreſſit. Ait enim, Julium cum orientalibus expoſtulaſſe, *quod contra leges Eccleſiæ ipſum ad ſynodum non vocaſſent, nam legem eſſe ſacerdotalem, quæ pronuntiant acta illa irrita*

Socrat. lib. 2. c. 5. in edit. Chriſtophorſoni, & cap. 8. in edit. Henr. Valeſii.

Sozom. lib. 3. c. 9. edit. Chriſtophorſ. & 10. Henr. Valeſ.

eſſe, quæ abſque ſententia Epiſcopi Romani conſtituuntur. Inſignis alicujus auctoritatis veſtigia latent in ſignificatione horum verborum, παρὰ τὴν γνώμην cum γνώμης illius defectus irrita reddat ſynodorum decreta. Unde patet, hac locutione non nudum aliquod ſuffragium, ſed *prærogativam ſuffragii*, de qua hucuſque multis diximus, ſignificari. Ne quis vero meæ conjecturæ hanc interpretationem imputet, profiteor, eam me hauſiſſe a verbis Julii, unde Socrates & Sozomenus ſua quoque traxerunt. *An ignoratis*, inquit Julius, *hanc eſſe conſuetudinem, ut primum nobis ſcribatur, ſicque hinc quæ juſta ſunt, definiantur. Si ergo talis ſuſpicio in eum Epiſcopum inciderat, huc eam oportebat ad iſtam Eccleſiam deferri,* ἢ ἀγνοεῖτε, ὅτι τοῦτο ἔθος ἦν, πρότερον γράφεσθαι ἡμῖν, καὶ οὕτως ἔνθεν ὁρίζεσθαι δίκαια; εἰ μὲν οὖν τι τοιοῦτον ὑπωπτεύθη εἰς τὸν ἐπίσκοπον τὸν ἐκεῖ, ἔδει πρὸς τὴν ἐνταῦθα ἐκκλησίαν γραφῆναι.

Julius in ep. ad orientales, apud Athan. apol. 2.

Vide infra l. 7. cap. 4. §. 8.

II. Primam itaque ſententiam & ſuffragii prærogativam diſertiſſime ſedi ſuæ aſſerit Julius ex recepta conſuetudine; qua in rebus communibus Eccleſiæ univerſalis ſtatum contingentibus, (qualis erat Athanaſii cauſa, quæ fidem reſpiciebat) non autem in ceteris diſciplinæ negotiis, uteretur, atque hoc eſt, quod contendimus. Ceterum hoc non adimit ſuffragiorum libertatem ceteris Epiſcopis, quemadmodum profitetur Julius in eadem epiſtola. *Nam ſi, ut dicitis*, inquit, *omnino in culpa fuerunt, oportuit ſecundum canonem, & non iſto modo, judicium fieri. Oportuit ſcribere omnibus nobis, ut ita ab omnibus, quod juſtum eſſet, decerneretur.* Quorum verborum hic eſt ſenſus, oportuiſſe de negotio ad Romanum Epiſcopum & ad ſynodum occidentalium perſcribi, ut communi omnium occidentalium & orientalium decreto, quæ juſta eſſent, conſtituerentur. Ex hoc loco mihi videntur collegiſſe Socrates & Sozomenus neceſſitatem ſententiæ Romani Pontificis in ſynodis niti canone eccleſiaſtico.

III. Quærunt anxie viri eruditi, quis ſit canon ille eccleſiaſticus. Sed non eſt, quod tantopere vexentur in re alioqui ſatis aperta. Is eſt canon Nicænus ſextus, quo primatus defertur Romano Epiſcopo præ ceteris Patriarchis, quemadmodum & ſynodus œcumenica ſecunda & judices cognitores in Concilio Chalcedonenſi canonem illum interpretati ſunt. Relectis enim canone VI. Nicæno & canone CP. in ſynodo Chalcedonenſi, judices pronuntiarunt, primatum deberi Romanæ ſedi juxta canones: *Perpendimus, omnem quidem primatum & honorem præcipuum ſecundum canones antiquæ Romæ Dei amantiſſimo Archiepiſcopo conſervari.* Hunc quoque canonem Nicænum reſpexit Novella Valentiniani, cum ait beati Petri merito, urbis dignitate & auctoritate, firmatum fuiſſe primatum Romanæ Eccleſiæ. Unde in vetuſtiſſima canonum interpretatione, quam Paſchaſinus in Concilio Chalcedonenſi protulit, lemma canonis Nicæni ita conceptum eſt: *Quod Eccleſia Romana ſemper habuit primatum*, ἡ ἐκκλησία Ῥώμης πάντοτε ἔσχε τὰ πρωτεῖα.

Concil. Chalced. act. XVI.

IV. Non ſolum enim canonibus Nicænis Patriarcharum poteſtas ſancita eſt, ſed etiam ordo dignitatis conſtitutus. Id eximie docet canon VII. quo quartus honoris gradus tribuitur Æliæ ſive Hieroſolymorum Epiſcopo, id eſt, poſt tres Patriarchas, Romanum, Alexandrinum & Antiochenum: *Quia conſuetudo obtinuit & antiqua traditio, ut Æliæ Epiſcopus honoretur, habeat honoris conſequentiam; ſalva metropoli propria dignitate.* Quod in Græco contextu habetur ἐχέτω τὴν ἀκολουθίαν τῆς τιμῆς, Dionyſius Exiguus vertit *honoris conſequentiam*; antiqua vero Teilonis verſio relata in Concilio Carthaginenſi VI. *ordinem honoris*; id eſt, ut primum gradum poſt tres Patriarchas, de quibus actum canone ſexto, Hieroſolymorum Epiſcopus obtineat. Si Concilium curam ordinis geſſit in aſſignando hujus Epiſcopi loco, intelligere

nos oportet., id actum quoque canone sexto inter priores Patriarchas; ita, ut ordine scripturæ Antiochenus sit tertius, Alexandrinus autem secundus, primus vero Romanus. Primatus ille colligitur ex ipsius verbis canonis, quæ Romanum Episcopum velut exemplar constituunt ejus auctoritatis, quæ Episcopo Alexandrino confirmatur in Ægypto. Certa enim & recepta est illa regula, quam proposuit Aristoteles, quod primum est in unoquoque genere, exemplar esse ceterorum, quæ genere illo comprehenduntur. Quare vere Leo I. Anatolio CP. exprobravit, quod secundum gradum dignitatis Alexandrino Episcopo & tertium Antiocheno contra Nicænos canones auferre conaretur: *Doleo etiam, in hoc dilectionem tuam esse prolapsam, ut sacratissimas Nicænorum canonum constitutiones conareris infringere; tanquam opportune se tibi hoc tempus obtulerit, quo secundi honoris privilegium sedes Alexandrina perdiderit, & Antiochena Ecclesia proprietatem tertiæ dignitatis amiserit.*

Can. VI. *Quia Episcopo Romæ parilis mos est.*

V. Itaque cum primus dignitatis locus perspicue a Nicæna synodo deferatur Romano Episcopo, hinc sequitur, illi quoque eam auctoritatem competere, qua potiebantur in politia civili, qui principem locum obtinebant, id est, primam sententiam & suffragii prærogativam; quemadmodum recte jus illud e verbis Julii interpretati sumus. Eadem quoque sine dubio mens fuit Socratis & Sozomeni; qui, ne quid ardui παρὰ γνώμην Episcopi Romani constitueretur in Ecclesia, canone ecclesiastico vetitum fuisse subscripserunt. Hanc prærogativam agnovit quoque Concilium Romanum ex Episcopis Italiæ & Galliæ sub Damaso coactum; quod Ariminense Concilium ex eo elevat, inter cetera, quod Episcopus Romanus illi non interfuisset, cujus præcipue erat expectanda sententia. *Siquidem*, inquit, *numerus Episcoporum, qui erant Arimini in unum congregati, præjudicii vim habere non debet; præsertim cum formula illa composita sit, neque Episcopo Romano, cujus sententia præ ceteris omnibus expectanda erat; neque aliis eidem consentientibus.*

Concil. Rom. in ep. ad Illyricos, apud Theodoret. lib. 2. c. 22.

VI. Non frustra autem γνώμης dictio a Concilio Romano & a Socrate atque Sozomeno usurpatur. Etenim notio illius vocis non simplex nudumque suffragium, sed etiam auctoritatem cum suffragio conjunctam significat in antiquis canonibus. Exemplum est obvium in sexto canone Nicæno; ubi statuitur, illum non esse pro Episcopo habendum, qui ordinatus fuerit χωρὶς γνώμης μητροπολίτου, id est, *præter sententiam Metropolitani*, juxta Dionysii versionem; vel *præter consilium*, ut habet versio Teilonis; vel *sine arbitrio*, juxta vetustissimam interpretationem. Quo loco γνώμην sumitur pro Metropolitani suffragio & auctoritate. Prima autem sententia erat penes Metropolitanos, ut colligere licet ex eorum dignitate, & disertissime docuit Leo primus.

VII. Ab ipsis quoque pendebat rerum gestarum confirmatio, sive τὸ κῦρος, ut loquitur Concilium Nicænum. Ita tamen in definitionibus suis versari eos oportebat, ut omnia *communi cunctorum decreto rationabili & secundum ecclesiasticam regulam comprobato* transigantur, *obtineatque sententia plurimorum*, quemadmodum loquitur canon sextus. Eadem omnino decreta fuerant in canone apostolico XXXIII. vel XXXV. ubi, quemadmodum sententia Metropolitani γνώμη dicitur, ita etiam collectio suffragiorum omnium Episcoporum γνώμη quoque dicitur; sicque ex duabus auctoritatibus una integra solidaque totius synodi sententia consurgit. Hac eadem notione γνώμη accipitur in canone apostolico XXXIX. vel XL. unde transcripta est pars ultima canonis LVII. Laodiceni, quo prohibentur Presbyteri & Diaconi aliquid agere ἄνευ γνώμης τοῦ ἐπισκόπου, id est, *sine auctoritate Episcopi*.

Concil. Nic. can. 6.

VIII. Sed illustre hujus significationis testimonium extat in synodo Chalcedonensi: ubi post damnationem Dioscori Alexandrini, decem Episcopi Dioeceseos Ægyptiacæ invitati a synodo, ut subscriberent epistolæ Leonis & damnationi Eutychetis, respondent, hoc tentari a se non posse, donec in locum Dioscori ordinatus fuerit Alexandriæ Episcopus, ex cujus sententia & præscripto ceteri Episcopi Ægyptii deinde subscribant; hanc auctoritatem olim Episcopo Alexandriæ delatam a canone Nicæno. *In omnibus*, inquiunt, *expectamus sententiam sanctissimi Archiepiscopi; & petimus vestram clementiam expectari præsidis nostri sententiam, quia eum in omnibus sequemur. Nam & sanctissimi patres, qui in Nicæa congregati sunt trecenti decem & octo, hanc regulam dederunt, ut sequatur omnis Ægyptiaca regio Archiepiscopum magni nominis civitatis Alexandrinæ, & nihil absque ipso agatur ab aliquo ei subjacente Episcopo.* Itaque cum ab Episcopis urgerentur, ut eandem cum synodo œcumenica fidem profiterentur, iterum judices & synodum flebiliter obsecrarunt, ut ordinatio Archiepiscopi expectaretur; *quatenus, juxta veterem consuetudinem, illius sequerentur sententiam. Quod si extra voluntatem præsidis nostri aliquid faciemus, sicut præsumtores, & non servantes secundum canones antiquam consuetudinem, omnes Ægyptiacæ regionis insurgent in nos.* Unde colligere licet, auctoritatem sive ἐξουσίαν primatus patriarchalis a canone Nicæno confirmatam in eo versari, ut omnes Episcopi γνώμην sive sententiam sui Primatis expectent, & nihil arduum agant, prætermissa illius sententia, παρὰ γνώμην, id est, sine illius decreto & prærogativa suffragii. Tanta vero ratio habita fuit illius auctoritatis, quæ sedi Alexandrinæ competebat, ut judicum interlocutione, ipsiusque Paschasini Legati, Episcopis Ægyptiis dilatio, quam petebant, concessa fuerit. Sed notanda sunt verba judicum, qui γνώμην illam Alexandrini Episcopi *definitionem* esse interpretati sunt. Quare Patriarcharum prima sententia & prærogativa suffragii definitionis vim habet, modo synodi quoque consensus accesserit.

Concil. Chalced. act. IV.

παρὰ γνώμην ἢ διατύπωσιν.

IX. Quod Alexandrino Episcopo jus vindicabant Ægyptii Episcopi, Petrus Ravennæ Episcopus cognomento Chrysologus asserebat Romano Episcopo in Italia: *Nos enim pro studio pacis & fidei extra consensum Romanæ civitatis Episcopi causas fidei audire non possumus.* Imo vero cum de causis universalibus agitur, Concilia œcumenica eandem in summo Pontifice prærogativam agnoverunt, ut absque ejus sententia nihil in Ecclesia decerni possit: quam quidem per epistolam &, per Legatos, qui vice sua synodo præsidebant, explicare consueverat. Inde manavit vox illa Macedonii Patriarchæ CP. qui Anastasio Imperatori Chalcedonensis Concilii nomen abolere satagenti, idque a Macedonio exigenti, respondit, hoc fieri non posse sine Concilio œcumenico, cui Papa præsideret: Χωρὶς οἰκουμενικῆς συνόδου ἐχούσης πρόεδρον τὸν τῆς μεγάλης Ῥώμης ἐπίσκοπον, οὐδὲν ποιεῖν ἔλεγεν, apud Theodorum Anagnostem.

Petr. Chrysol. in ep. ad Eutychem.

X. Quare tantopere laborabat quinta synodus œcumenica, ut Vigilius Papa, qui Constantinopoli aderat, ad synodum accederet & cœtui præsideret. Tanta vero dignitatis apostolicæ sedis ratio habita fuit, ut licet Nestorius Archiepiscopus Constantinopoleos & Dioscorus Alexandrinus a synodo Ephesina & a Chalcedonensi per tres Episcopos tantum evocati fuerint, Vigilius ter invitatus fuerit ad Concilium per tres Patriarchas atque decem & septem Metropolitas, quibus ultima vice tres Patricios & Quæstorem suum Justinianus Imperator adjunxit. Ille vero cum eis convenire noluit; sed suam sententiam, seorsim a synodo, Principi se porrecturum dixit. Itaque in hoc rerum articulo de quæstione proposita decernere quinta synodus sibi liberum esse duxit, etiam absente Pontifice, quod diserte in definitione sua adnotavit; ubi quoque Vigilii sententiam sequi se non obscure profitetur. Vigilius vero suo Constituto confirmavit definitionem synodi: quæ tunc sine controversia synodi œcumenicæ nomen prætulit, quod adnotatum est a Concilio sexto: *Vigilius Justiniano consensit, & quinta synodus constitit:* Βιγίλιος Ἰουστινιανῷ συμπεφώνηκε, καὶ τὸ τῆς πέμπτης συνόδου συνέστη.

In Collat. I. quintæ syn. Eutychius Patriarcha CP. ad Vigilium: *Et ideo petimus, præsidente nobis vestra beatitudine.*

Vide dissertationem Marcæ de epistola Vigilii §. 10.

In Collat. VIII.

Vide Dissertat. Marcæ ad epist. Vigilii §. 2. Vide Additionem seq. §. 7.

ADDI-

ADDITIO STEPHANI BALUZII.

I. COgor hoc loco paulisper remorari lectorem, ut Socratem eximam suspicioni malæ fidei, in qua eum ponere voluisse visus est nuper Henricus Valesius vir clarissimus; simul ostensurus, quod instituti mei ratio postulat, verissimam esse observationem illustrissimi Archiepiscopi, qui Socratem ea, quæ scribit de canone ecclesiastico, quo cavetur, ne res Ecclesiarum ad normam dirigantur præter auctoritatem Romani Pontificis, traxisse ait ex epistola Julii ad orientales. Proponam itaque primum Socratis locum integrum, tum vero annotationem Valesii, & rationes, quibus ego permoveor, ut credam injuria vapulare hoc loco Socratem; ut coram positis in omnium oculis utrorumque argumentis, lector facilius judicet, quis eorum in culpa sit. Hæc sunt verba Socratis: *Julius itaque contrariis literis ad ipsum missis, rescribens Episcopis, qui Antiochiæ convenerant, graviter conquestus est, primum quidem de acerbitate ipsorum epistolæ, deinde quod contra canones ipsum ad synodum non vocassent, cum ecclesiastica regula interdictum sit, ne præter sententiam Romani Pontificis quidquam ab Ecclesiis decernatur*. Valesius ista non videns apud Socratem confidenter pronuntiat, ea nusquam in illa epistola legi, Julium porro nihil dicere de regula illa ecclesiastica. *Quod vero addit Socrates*, inquit Valesius, *Julium in suis literis conquestum esse, quod ipsum non invitassent ad synodum, regulam enim esse ecclesiasticam, ut absque consensu Episcopi Romani nihil in Ecclesia decerni possit, id in epistola illa nusquam legitur*. Et paulo post, de eadem Julii epistola loquens, hæc addit: *Sed de illa ecclesiastica regula nihil dicit*. Socrat. lib. 2. cap. 17.

II. Antequam ulterius progrediamur, constituendus est verus ac genuinus sensus verborum Socratis, ut videamus, an congruere possint cum verbis epistolæ Julii. Ait ergo Socrates, Julium, cum accepisset literas, quas ad eum perscripserant Episcopi Antiochiæ congregati adversus Athanasium, ad eos rescribentem graviter conquestum esse de acerbitate ipsorum epistolæ, deinde quod contra canones ipsum ad synodum non vocassent, cum tamen ecclesiasticus canon dicat, non oportere res ecclesiarum ad normam dirigere præter auctoritatem Romani Pontificis, τοῦ ἐκκλησιαστικοῦ κανόνος κελεύοντος μὴ δεῖν παρὰ γνώμην τοῦ ἐπισκόπου ῥώμης κανονίζειν τὰς ἐκκλησίας. Vocem γνώμην verti *auctoritatem*, secutus observationem illustrissimi Archiepiscopi, qui vocem illam adnotat in ecclesiasticis rebus significare sententiam cum auctoritate conjunctam. Quærendus superest apud Julium canon ecclesiasticus, cujus meminit Socrates. Ait ergo Julius de Athanasio Alexandrino & Marcello Ancyrano loquens: εἰ γὰρ καὶ ὅλως, ὥς φατε, γέγονέ τι εἰς αὐτοὺς ἁμάρτημα, ἔδει κατὰ τὸν ἐκκλησιαστικὸν κανόνα καὶ μὴ οὕτως γεγενῆσθαι τὴν κρίσιν· ἔδει γραφῆναι πᾶσιν ἡμῖν, ἵνα οὕτως παρὰ πάντων ὁρισθῇ τὸ δίκαιον. *Nam si, ut dicitis, omnino in culpa fuerunt, oportebat secundum ecclesiasticum canonem & non isto modo judicium fieri; oportebat scribere omnibus nobis, ut ita ab omnibus, quod justum esset, decerneretur*. Quorum verborum hunc puto sensum esse. Si Athanasius & Marcellus in culpa fuerunt, ut dicitis, præcipitandum non erat judicium. Debueratis enim primum nobis scribere, ut ita ab omnibus, quod justum esset, decerneretur, nimirum secundum ecclesiasticum canonem, qui nihil gravioris momenti, cujusmodi sunt causæ Ecclesiarum apostolicarum, agi in Ecclesia sinit absque conscientia Romanæ Ecclesiæ. Ex hoc loco existimat illustrissimus Archiepiscopus, Socratem & Sozomenum collegisse, necessitatem sententiæ Romani Pontificis in synodis niti canone ecclesiastico. Vide Simeonis Metaphrastis locum infra cap. 14. hujus libri §. 8.

III. Hanc explicationem probant sequentia verba. Ait enim: *Episcopi enim erant, qui patiebantur, & non vulgares Ecclesiæ, quæ ista patiebantur, sed quas ipsi Apostoli suamet opera ad fidem instruxerant. Cur igitur, & in primis de Alexandrina civitate, nihil nobis scribere voluistis? An ignari estis, hanc consuetudinem esse, ut primum nobis scribatur, ut hinc, ἔνθεν, quod justum est, definiri possit? Quapropter si istic hujusmodi suspicio in Episcopum concepta fuerat, id huc ad nostram Ecclesiam referri oportuit. Nunc autem nos, quos certiores minime fecerunt, postquam jam egerint, quod libuit, suffragatores suæ damnationis, cui non interfuimus, esse volunt*. Arbitror his verbis manifeste expressam esse Julii querelam adversus orientales, quod synodum adversus Athanasium celebrassent se inconsulto, cujus ante omnes erat expectanda sententia; cum ea consuetudo sit, ut ad Romanam Ecclesiam referri oporteat de majoribus causis, ut deinde, quod justum est, definiri possit ab omnibus, id est, communibus suffragiis Episcoporum occidentalium & orientalium. Male autem fecisse Episcopos orientales, quod ipsum non admonuerint de Concilio celebrando, itaque frustra petere eos, ut consensum suum addat sententiis adversus Athanasium & Marcellum latis, cum ipse neque vocatus ad eam synodum fuerit, neque illi interfuerit. Vide infra lib. 7. cap. 4. §. 6.

IV. Scio, non extare in epistola Julii verba illa, quæ ex Julio refert Socrates, nimirum fixum ecclesiastico canone esse, non oportere præter auctoritatem Episcopi Romani Ecclesias regulare, κανονίζειν; neque illa Sozomeni, quæ ex eadem epistola refert: εἶναι γὰρ νόμον ἱερατικὸν, ἄκυρα ἀποφαίνειν τὰ παρὰ γνώμην πραττόμενα τοῦ ῥωμαίων ἐπισκόπου. Quæ sic versa sunt ab Henrico Valesio: *Legem enim esse pontificiam, ut pro irritis habeantur, quæ præter sententiam Episcopi Romani fuerint gesta*. Scio, inquam, hæc non extare in epistola Julii, ut necesse non erat reddi ipsamet verba. Satis enim fuit historicis illis, si sensum verborum Julii redderent. Id vero illos fecisse manifestum est. Ait enim Julius, canone ecclesiastico constitutum esse, ut causæ Ecclesiarum apostolicarum non definiantur inconsulta sede Romana; hanc esse consuetudinem, ut primum ad eam scribatur, ut deinde, quod justum est, definiri possit communibus suffragiis Episcoporum occidentalium & orientalium. Frustra petere ab eo orientales, ut consensum suum addat rebus jam constitutis. Hoc est dicere secundum Socratem & Sozomenum: Debueratis, o Episcopi, qui apud Antiochiam convenistis, debueratis primum vocare nos ad Concilium, hoc est, primum nobis scribere de hac causa, cum sciretis, canonem sive legem ecclesiasticam esse, seu illa scripta esset, sive consuetudine tantum inducta, ut nihil gravioris momenti agere in Ecclesia liceat absque auctoritate nostra. Itaque quoniam judicium non servato ordine peregistis, judicium, quod a vobis latum est absentibus nobis, cum consensu nostro præterea destituatur, quem non obtinebitis, irritum erit. Sozom. lib. 3. cap. 10.

V. At, inquies, ubinam est νόμος ille ἱερατικὸς, cujus meminit Sozomenus? Jam respondi, necessarium non esse, ut historicus retineat ipsamet auctorum verba, ex quibus historiam suam conficit; & adhuc respondere possum, ita putasse etiam Socratem & Sozomenum, qui diversis omnino verbis usi sunt in hac causa, tametsi uterque se profiteatur accepisse ex epistola Julii. Quod enim Sozomenus dixit νόμον ἱερατικὸν, alter dixit ἐκκλησιαστικὸν κανόνα. Quin & interpretes quoque interdum supplent sensum auctorum suorum, ut etiam Valesii exemplo probare possumus. Legitur apud Eusebium in libro III. de vita Constantini cap. VII. πόντος τε καὶ γαλατία καὶ παμφυλία, καππαδοκία τε καὶ ἀσία καὶ φρυγία, τοὺς παρ' αὐτοῖς παρεῖχον ἐκκρίτους. *Pontus item, Galatia, Pamphylia, & Cappadocia, Asia quoque, & Phrygia, lectissimum quemque ex suis præbuere*. Hunc locum describens Socrates Galatiam & Cappadociam omisit, & Pamphyliam post Asiam & Phrygiam nominavit, quamvis apud Eusebium prior ordine recensita inveniatur. Nam hæc omnino sunt verba Socratis ex Eusebio, ut ipse ait, ad verbum descripta: πόντος τέ καὶ ἀσία, φρυγία τέ καὶ παμφυλία, τοὺς παρ' αὐτοῖς παρεῖχον ἐκκρίτους. Et tamen Valesius, ne quid heic Eusebianum deesset; versionem, quam Eusebio dederat, integram retulit ad hunc locum, supplens videlicet errorem Socratis, &, quæ ab eo præpostere dicta erant, in ordinem revocans. Nam in istius versione sic ad verbum redditus a Valesio est locus Eusebii: *Pontus item, Galatia, Pamphylia & Cappadocia, Asia quoque & Phrygia, lectissimum quemque ex suis præbuere*. Socrat. lib. 1. cap. 8.

VI. Ecclesiasticum illum canonem, cujus ex Julio meminit Socrates, Nicænum sextum esse, probat illustrissimus Archiepiscopus. Quod si quis tamen contentionem in verbi controversia ponere velit, rejectaque eruditissimi antistitis explicatione adhuc quærendum putat, de quo canone ecclesiastico loquatur Julius, possum non incongrue respondere, canonem illum sive legem sacerdotalem nihil aliud esse, quam consuetudinem illam, quæ exigebat, quemadmodum contendit Julius, uti de majoribus causis ad apostolicam sedem referretur. Legum enim alias esse scriptas, alias vero non scriptas, quæ consuetudine & usu nituntur. Nam & νόμος aliquando significat consuetudinem. Et κανὼν apud auctores ecclesiasticos significat regulam & normam vivendi. Regularum autem ecclesiasticarum quædam ordine & canone tenentur, quædam consuetudine firmatæ sunt, ut in Concilio Carthagine habito anno CDXVIII. disseruit Faustinus Episcopus Potentinus, Legatus Romanæ Ecclesiæ. Itaque sive canonem illum intelligamus de Nicæno sexto, sive de regula ecclesiastica ex consuetudine descendente, manet idem verborum sensus. Ab hac igitur contentione disputationis animum curamque laxemus.

VII. Sed antequam huic Additioni finem imponam, necessarium mihi videtur, id quod in prima libri istius editione fecimus, admonere lectorem, hanc de Legatis dissertationem ab illustrissimo Archiepiscopo scriptam esse anno MDCXLI. nondum inventa decretali Papæ Vigilii epistola pro confirmatione Quintæ synodi, quæ anno tantum sequenti emissa in lucem ab eo est. Si tum, cum ista scribebantur, epistolam illam Marca præ manibus habuisset, haud dubie ejus auctoritate usus esset ad probandum, quintam synodum a Vigilio confirmatam fuisse, quemadmodum illud ipsum testimonio sextæ synodi probavit in calce istius capitis. Quod si præterea habuisset ultimum constitutum Vigilii, quod nos reperimus in vetustissimo codice MS. bibliothecæ Colbertinæ, dubium esse non potest, quin illius auctoritate facile probasset quæcunque ab eo scripta sunt de confirmatione quintæ synodi a Vigilio facta. Vide tomum primum novæ nostræ collectionis Conciliorum pag. 1489. 1551.

CAPUT XIII.

De prærogativa suffragii Legatorum Episcopi Romani in sexta Synodo œcumenica.

SYNOPSIS.

I. Reverentia sedi apostolicæ debita in Concilio sexto exhibita fuit. Agebatur de proscribendo errore Monothelitarum. Ei præfuerunt Legati Papæ Agathonis, qui jure primatus de quæstione proposita retulerunt, & quænam esset apostolicæ sedis sententia, significarunt. Imperator ordini judiciorum imminebat. Macarius Antiochenus damnatur.

II. Legati recitant testimonia patrum, qui duas in Christo voluntates & operationes prædicabant. Ea conferri cum authenticis patrum codicibus postulant aliquot Episcopi. Epistolæ Agathonis susceptæ sunt a synodo tanquam a Spiritu sancto dictatæ. Anastasius Bibliothecarius explicatur. Binii conjectura repudiatur.

III. Actione X. facta est publice collatio locorum ab Agathone citatorum. Item locorum, quibus hæretici sententiam suam fulcire conabantur.

IV. Fidei definitio ita concepta est a synodo, ut se fideliter suscipere professa sit & expansis manibus amplecti epistolas Agathonis & Concilii occidentalis. In Prosphonetico ad Constantinum patres recensent hæreses damnatas auctoritate Principum & Romanæ sedis Pontificum. Quo exemplo Constantinum Pogonatum congregasse ajunt hanc synodum, illoque Legatos suos misisse Agathonem. Ejus auctoritati tribuunt definitionem fidei.

V. Heic deprehenditur suffragii prærogativa. Distinctæ cujusque partes in ea definitione. Petunt a Pontifice confirmationem synodi. Quod factum a Leone secundo.

I. Quæ facta observavimus in superioribus Conciliis, sequentia œcumenica studiosissime amplexa sunt, & debitam sedi apostolicæ reverentiam detulerunt. Agebatur in sexta synodo de asserenda adversus novitatem a Cyro Phasidos deinde Alexandriæ Episcopo & Sergio Constantinopolitano præcipue inductam duarum in Christo voluntatum, humanæ & divinæ, confessione. Hanc fidei sinceræ professionem, a Martino Papa prædicata olim, Agatho & tota occidentalium synodus confirmavit, duabus epistolis ad Constantinum Pogonatum Imperatorem datis, ad eumque per Legatos delatis, qui synodo sextæ Pontificis nomine præsederunt. Legati, præsente Constantino Imperatore & universali synodo, jure primatus in ipso Concilii exordio de quæstione proposita retulerunt, & quænam esset apostolicæ sedis sententia, epistolis illis comprehensa, breviter significarunt, unius voluntatis assertionem damnantes, & a Constantinopolitanis novitatis hujus rationem exigentes. Imperator deinde partes suas interposuit, ordini judiciorum interlocutionibus suis imminens. Itaque cum Macarius Antiochenus, qui Monothelitarum sectam tuebatur, opinionem suam cum prioribus Conciliis & traditione majorum congruere contenderet, mandatum illi est ab Imperatore, ut impleret exceptionis probationem. Relectis Conciliorum & patrum codicibus, hæretica Macarii fiducia, ejus artes & falsitates, & χρήσεων detruncationes propalatæ sunt, ipseque cum suæ hæreseos consortibus anathemati devotus. Christiana vero fides vindicata est juxta definitionem Agathonis Papæ, cujus epistolæ relectæ sunt actione IV.

II. Sed actione VII. (XIII. Februarii anni DCLXXXI.) Legati recitarunt testimonia patrum, qui duas voluntates & operationes prædicabant. Interrogati vero a Principe Georgius Archiepiscopus CP. & Macarius Antiochenus, an consentirent definitioni Agathonis, petiverunt exempla relationis & dilationem sibi concedi, ut loca citata cum codicibus, qui in patriarchio erant, conferre possent. Prima deinde mensis Martii die interrogatus Georgius a Principe retulit se, diligenti codicum collatione facta cum authenticis exemplaribus, cognovisse, recitata in relationibus Agathonis testimonia cum sanctis patribus consona esse; ideoque se relationes illas amplecti professus est. In cujus sententiam discesserunt omnes Episcopi, qui epistolas Agathonis *tanquam a Spiritu sancto dictatas per os sancti & beatissimi Principis Apostolorum Petri & digito prædicti ter beatissimi Papæ Agathonis scriptas* se suscipere duasque voluntates credere testati sunt. Anastasius Bibliothecarius, in vita Agathonis, postquam dixisset, die XIII. Februarii relecta fuisse patrum testimonia prolata a Legatis, addit: *Sequenti die in eodem secretario residente synodo una cum Principe, synodica sanctissimi Agathonis Papæ relecta est, & ad singula comprobata patrum dicta inserta.* Quam tamen locorum collationem prima die Martii factam fuisse acta docent. Itaque apud Anastasium *sequens dies* significat, non decimum quartum diem Februarii, ut Binius existimat, sed sequentem consessus Concilii diem, qui incidit in primum Martii. Frustra itaque ex hoc Anastasii loco conatur injicere suspicionem in lectorum animos, ac si luxata essent acta sextæ Synodi, ut inde fidem conciliet depravationi, quam conjicit a Græcis profectam in nomine Honorii Papæ. Sed hoc aliam controversiam respicit.

Hæc sunt verba Demetri Episcopi Prusiados.

Vide supra lib. 3. cap. 13. §. 10. & 11.

IV. Quare post accuratam illam disquisitionem, die XI. Septembris synodus fidei definitionem exemplo decessorum suorum sic concepit, ut se fideliter suscipere & expansis manibus amplecti epistolas Agathonis & Concilii occidentalis pro confessione duarum voluntatum profiteatur: ἡ παροῦσα ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ σύνοδος πιστῶς δεξαμένη, καὶ ὑπτίαις χερσὶν ἀσπασαμένη τὴν ἀναφορὰν Agathonis Papæ & ejus Concilii, utpote, quæ cum synodo Chalcedonensi & Ephesina concordet. Quod uberius exequuntur patres illi in sermone prosphonetico ad Constantinum; ubi recensent, hæreses in synodis œcumenicis esse damnatas auctoritate Principum & Romanæ sedis Pontificum, scilicet Constantini & Silvestri in Nicæna synodo, Theodosii & Damasi cum Gregorio & Nectario in secunda synodo, Cælestini & Cyrilli in Ephesina, Leonis in Chalcedonensi cum Marciano Augusto & Anatolio, Vigilii & Justiniani in quinta synodo. Illo exemplo Constantinum Pogonatum sextam istam synodum congregasse dicunt, quo Legatos suos miserit Agatho arcis apostolicæ præ ceteris Pontificibus eminentissimus antistes, ὁ τῆς πρεσβυτάτης ῥώμης καὶ ἀποστολικῆς ἀκροπόλεως ἀρχιερατικώτατος πρόεδρος, se dogmatibus illius literis consentientes grassantem hæresim repressisse, seque illius traditiones, quemadmodum ille & ante synodum & una cum synodo æternas amplexus erat, secutos fuisse, ἡμεῖς τε γὰρ τοῦ ἐκείνου, καὶ πρὸ ἡμῶν, καὶ σὺν ἡμῖν, ἐκεῖνος τὰς ἀποστολικάς τε καὶ πατρικὰς ἠκολουθήσαμεν παραδόσεις. Veritatis enim lucem ex occidentis partibus effulsisse, chartam atramento illitam exhibitam, sed Petrum per Agathonem fidei mysteria elocutum: Χάρτης καὶ μέλαν ἑωρᾶτο, καὶ διὰ Ἀγάθωνος ὁ Πέτρος ἐφθέγγετο. Eundem loquendi modum sequuntur in relatione synodica ad Agathonem; quem gravissimis Ecclesiæ morbis peritissimum medicum a divino Numine datum ajunt, qui valetudinem illius curaret. Ex ejus literis a præcelso Apostolorum vertice divine perscriptis se nuper exortam hæresim depulisse, ipsosque hæreticos anathemate confixisse, juxta præjudicatam a sede apostolica sententiam.

Act. XVII.

V. His verbis suffragii prærogativam illam imperialem significant. Quid enim aliud indicari potest per illam προψηφισθεῖσαν ἀπόφασιν? Deinde partes cuique suas in hoc negotio damnatæ hæreseos assi-

assignant. Spiritui sancto illustrationem tribuunt, Pontifici doctrinæ informationem, Imperatori tuitionem, & Gregorio Constantinopolitano Episcopo primam sententiam & primum consensum adhibitum definitioni Agathonis. Quæ prima sententia a Consule aut a primo Senatore seu Principe senatus ferebatur, quando Princeps rogabat sententias in senatu. Contendunt vero a summo Pontifice, ut iterum quoque venerabili rescripto suo synodi sententiam confirmet. Quod Leo II. successor Agathonis præstitit, Concilii definitione auctoritate & *αὐθεντίᾳ* beati Petri confirmata.

CAPUT XIV.

De prærogativa suffragii Legatorum Episcopi Romani in septima & octava synodo generali.

SYNOPSIS.

I. In VII. synodo primatus Romani Pontificis emicuit. Nam summa auctoritas ejus admissa est. Probatur ex actis; ubi patres eo inter alia argumento prædatoriam synodum a Constantino Copronymo coactam universalem esse non posse pronuntiant, quod ei Papæ auctoritas non adfuisset, ut lex Conciliorum exigebat. Tum, quod Patriarchæ orientis huic pseudosynodo non consenserint.

II. Hadrianus I. cupiit conciliabulum illud in irritum mitti, quod sine sedis apostolicæ auctoritate habitum fuerat. Hoc vitio caruit septima synodus; in qua recitantur epistolæ Hadriani, quæ restitutionem imaginum præscribunt. Legati ejus τὴν γνώμην & suffragii prærogativam Romanæ sedi conservant in roganda Tarasii CP. sententia.

III. Tarasius coluit auctoritatem sedis apostolicæ: qui se Hadriani literis subscribere testatur. Eadem fuit synodi professio. Ceterarum sedium consensus accessit ad configendos Iconoclastarum errores.

IV. Prærogativam suffragii agnovit Tarasius ad Hadrianum scribens.

V. Legati sedis apostolicæ videntur contenti fuisse solo consessus privilegio in VII. synodo; cujus disponendæ auctoritas tota in Tarasio fuisse videtur. Ea objectio solvitur. Synodus illa admissa non est a Concilio Francofordiensi.

VI. Plena & integra auctoritate usi sunt Legati apostolicæ sedis in Concilio octavo. Ea emicuit in libello ab apostolica sede directo, cui subscripsere Episcopi lapsi. Episcopi quidam Diœceseos CP. id ægre ferunt, quasi Ecclesia CP. Romanæ tanquam ancilla dominæ subjiceretur. Ea exprobratione commotus Imperator Basilius chirographa a scriniis Legatorum subripi jussit, quæ Anastasii Bibliothecarii cura reddita sunt, additis verbis in sedem apostolicam honorificentissimis.

VII. Hadrianus II. ad Ignatium CP. scribens jubet, ut decretum synodi Rom. adversus Photium ab omnibus Episcopis subscribatur in Concilio œcumenico, & in archiva ecclesiarum referatur. Itaque synodus VIII. Romanorum Pontificum definitionem amplexa est cum plena causæ cognitione. Hinc factum, ut ea synodus dicta sit universalis, ut notat Anastasius.

VIII. Consensus sedium patriarchalium per ipsos Patriarchas aut eorum Legatos exprimebatur, ut Maximus Abbas notavit. Probatur etiam ex Metaphraste.

IX. Schisma orientalium non impedit hodie, quin ejusdem momenti & auctoritatis censenda sint Ecclesiæ Romanæ & occidentalis decreta adversus novas hæreses, tametsi orientalium Ecclesiarum consensu destituantur. Attamen Ecclesia quoque orientalis sua suffragia non ita pridem contulit in damnandis nuperæ sectæ articulis.

I. IN septima quoque synodo primatus Romani Pontificis emicuit. Etenim non solius consessus prærogativa dignitasque sedis apostolicæ, sed etiam summa illa auctoritas admissa est, quæ conventibus ecclesiasticis Concilii œcumenici robur conferre debet. Constantinus Copronymus collecto trecentorum viginti octo Episcoporum conventu, qui sibi synodi septimæ œcumenicæ titulum adscripserat, usum imaginum prohibuit. Ejus conciliabuli definitio relecta est in vera synodo septima, & per capita scripto antirrhetico confutata. Ac prima quidem inscriptionis verba, quæ Georgius Neocæsareæ Episcopus recitavit, ubi synodi œcumenicæ titulo se prædatoria illa synodus jactat, hoc pacto patres refellunt. Eam synodum universalem esse non posse, pro certo ponunt, quæ recepta a reliquis Episcopis universæ Ecclesiæ non fuerit, quod pertinet ad concordiam unitatemque consensus significandam. Sed præterea addunt, quæ auctoritatem synodi respiciunt, Papam nempe nec per suos Vicarios nec per circularem epistolam interfuisse, ut lex Conciliorum exigebat. *Quomodo autem magna & universalis, quam neque receperunt neque concordaverunt reliquarum Præsules Ecclesiarum, sed anathemati hanc transmiserunt? Non habuit enim adjutorem illius temporis Romanorum Papam, vel eos, qui circa ipsum sunt sacerdotes, nec etiam per Vicarios ejus, neque per encyclicam epistolam, quemadmodum lex dicit Conciliorum.* Pergit vero de consensu Patriarcharum hæc addere: *Sed nec consentientes sibi Patriarchas orientis, Alexandriæ scilicet, Antiochiæ, ac sanctæ civitatis, vel comministros & summos sacerdotes, qui cum ipsis existunt.* Septima synodus act. VI.

II. Hæc synodi septimæ professio Hadriani I. Pontificis desiderium implevit; qui conciliabulum illud, quod antiquam traditionem everterat, ante omnia in irritum mitti voluit, ex eo capite, quod sine sedis apostolicæ auctoritate habitum fuerat: *In primis pseudosyllogum illud, quod sine apostolica sede enormiter & irrationabiliter nequiterque contra sanctorum venerabilium patrum traditionem de sacris imaginibus actum est, anathematizetur præsentibus Missis nostris.* Eodem sensu in epistola ad Tarasium, ubi Missos vocat Apocrisiarios. Epist. Hadriani ad Constantinum.

Hoc vitio caruit septima synodus; in cujus actione secunda relectæ sunt Hadriani epistolæ ad Constantinum & Irenem, & ad Tarasium Constantinopolitanum, quæ restitutionem imaginum juxta veterem Ecclesiæ morem præscribunt *in memoriam venerationis*. His literis recitatis, Legati Romani, sui officii memores, sententiam Tarasii rogant, cum ea, quæ in superioribus Conciliis invaluerat dignitate, τὴν γνώμην & suffragii prærogativam, quæ his encyclicis epistolis continebatur, Romanæ sedi conservantes. *Dicat nobis*, inquiunt, *sanctissimus Patriarcha Tarasius regiæ civitatis, si consentiat literis sanctissimi Papæ senioris Romæ, vel non?*

III. At vero Tarasius sedis apostolicæ auctoritatem suo suffragio ita coluit, ut ab ejus regulis in sinceræ fidei prædicatione discedere nemini fas esse putaverit, Apostolo testante Romanorum fidem annuntiari in universo mundo. Quare cum Hadrianus literis suis majorum traditionem asseruerit, se illius definitionibus subscribere Tarasius testatur. *Paulus Apostolus*, inquit, *cum Romanis scriberet, approbans studium sinceræ fidei eorum, quam in Christum verum Deum habebant, sic ait: Fides vestra annuntiatur in universo mundo. Hoc testimonium sequi necessarium est; & inconsulte agit, qui conatur resistere*, ταύτῃ τῇ μαρτυρίᾳ ἕπεσθαι ἀναγκαῖόν ἐστι· καὶ ἄβουλον ἡγεῖσθαι τὸ ἀντιτάσσεσθαι. Iterum Legati a synodo exigunt, an literas Hadriani amplecteretur: quæ professa est, se illas *sequi*, *suscipere*, & *admittere*. Ut autem ad Romanæ sedis auctoritatem ceterarum quoque sedium consensus accederet, relectæ sunt actione tertia synodicæ epistolæ Tarasii ad Patriarchas orientis, tum orientalium Ecclesiarum ad Tarasium. Atque, ut illustrius hæreticorum vesania confutaretur, prolatæ sunt in medium antiquorum patrum sententiæ, quibus legitimus imaginum usus commendatur. Itaque alienum visum fuit a di- Concil. VII. act. II.

ſciplina Eccleſiæ, ut res ſemel conſtitutæ abolerentur. *Verum enim*, inquiunt patres illius ſynodi, *& rectiſſimum Eccleſiæ judicium, nec novum fieri, nec adimi in ea quicquam indulget*.

Act. VII.

IV. Prærogativam illam ſuffragii, de qua loquimur, agnovit Taraſius in epiſtola ad Hadrianum: qua fatetur quidem Chriſtum in ſynodo caput fuiſſe conſtitutum, ſanctis evangeliis in ſancta ſede propoſitis, quæ toti conventui judicii ſincere ferendi neceſſitatem imponebant; ſed literis Hadriani ante omnia relectis, Chriſtum per eas veluti quibuſdam ſpiritualibus eduliis univerſos paviſſe, ipſumque Hadrianum, velut oculum quendam, ad rectam veritatis viam corpus univerſum direxiſſe; id eſt, ut loquebatur Concilium Chalcedonenſe, *eo auctore &* ἀρχηγῷ omnia decreta fuiſſe, *ὡς ὀφθαλμὸς τὸ ὅλον σῶμα πρὸς τὴν τῆς εὐθείας καὶ ἀληθείας τρίβον ὑπεδείκνυες*.

Epiſt. Taraſii ad Hadrian. in act. VIII.

V. Non diſſimulanda tamen eſt difficultas, quæ a viris eruditis movetur, quod attinet ad officium Legatorum, qui dignitatem ſuam omnino tenuiſſe non videntur, ex eo, quod ſolo conſeſſus privilegio & τῇ προεδρίᾳ contenti, omnem actum Taraſio permiſerint, qui interlocutionibus ſuis ordinem ſynodi conſtituebat. Sed obſervavimus ſuperius, eos in præcipuo capite, de quo erat controverſia, jus ſuum uſurpaſſe, ſententiam a Patriarchis & ceteris Epiſcopis exigendo; in aliis vero articulis, quæ ab exercitato viro & linguæ Græcæ callentiſſimo expediri debebant, Taraſio ordinem omnem conceſſiſſe, qui Legatos Latinæ linguæ onere illo levavit. Quod tamen ultro aggreſſus non eſt, ac ſi jure proprio hæc auctoritas ſibi competeret, ſed poſt ſynodi delegationem, id eſt, ex Legatorum & reliquæ ſynodi mandato, quod illi datum eſt ad ſuggeſtionem Epiſcoporum Siciliæ. Cur autem in Concilio Francofordienſi hæc ſynodus admiſſa non fuerit, diximus libro II. cap. XVII. §. II.

VI. Plena vero & integra auctoritate uſi ſunt Legati apoſtolicæ ſedis in octava ſynodo, non ſolum primum conſeſſus locum occupantes, ſed etiam interlocutionibus ſuis conſtituentes ſynodi ordinem, & ſententias uniuſcujuſque rogantes. Summopere autem auctoritas illa emicuit in libello ab apoſtolica ſede per Legatos directo; quo, ante omnia iis, quæ a Nicolao I. Papa & Hadriano II. decreta erant adverſus hæreticos & ſchiſmaticos, ſe obtemperaturos Epiſcopi lapſi profiteri ſua & teſtium adhibitorum ſubſcriptione debebant, libellumque eo modo ſubſcriptum Apocriſiariis tradere. Libello in actione prima ſynodi relecto aſſenſum præbuit univerſa ſynodus, interrogantibus Legatis. Et ſecunda actione admiſſi Epiſcopi, Presbyteri & monachi, qui Photium adverſus Ignatium ſectati fuerant, clementia Romanæ ſedis & totius ſynodi implorata, libello ſubſcripſerunt. Quod factum adeo commendabat auctoritatem ſummi Pontificis, ut id Epiſcopi quidam Conſtantinopolitanæ Diœceſeos in invidiam trahere conati ſint, Baſilii Imperatoris & Ignatii Patriarchæ auribus inſuſurrantes (quemadmodum obſervat Anaſtaſius Bibliothecarius, qui rebus geſtis præſens aderat) *non bene factum fuiſſe, quod Eccleſiam CP. tanta ſubjectione Romanæ ſubdi Eccleſiæ permiſerint, ita, ut hanc ei tanquam dominæ ancillam tradiderint*. Qua exprobratione commotus Imperator clanculum chirographa illa ſubſcripta a ſcriniis Legatorum ſubripi juſſit, quod ex parte impletum juſtam Legatis conquerendi occaſionem dedit. Sed opera & induſtria Anaſtaſii Bibliothecarii Imperator chirographa reſtitui præcepit, iis verbis adjectis, quæ ſedem apoſtolicam, ut negotiorum eccleſiaſticorum magiſtram profitentur. *Ego quidem*, inquit, *magiſtram eccleſiaſticorum negotiorum ſedem apoſtolicam per meos Legatos adii; & ideo veſtram præſentiam præſtolatus ſum, ut veſtro decreto & ſolertia Eccleſia noſtra remedia ſanitatis acciperet, & nos, non noſtris motibus, ſed veſtræ ſententiæ pareremus*.

Anaſtaſius in Notis ad 1. act. VIII. ſynod.

VII. Eximiæ quoque illius auctoritatis ſpecimen extat in epiſtola Hadriani II. ad Ignatium, qua ſummus Pontifex conciliabula in urbe regia a Photio congregata adverſus Nicolaum & Ignatium in irritum miſſa fuiſſe, ſynodi Romanæ decreto docet: quod decretum in ſynodo œcumenica ſubſcriptionibus omnium Epiſcoporum roborari & in archivia Eccleſiarum referri conſtituit. Quibus literis recitatis, Vicarii Romani conſenſum ſynodi eliciunt, interrogatione eo modo concepta, quæ partes cujuſque & Pontificis & Concilii demonſtret, nempe definiendi auctoritate Pontifici conceſſa, & ſynodo, declarandi an res definitæ cum canonibus conſentirent. Extant in editione Latina Anaſtaſii, quæ copioſior eſt, quam Græcus ſynodi octavæ contextus a Radero publicatus, Legatorum interrogatio, & Concilii reſponſio. Quæ autem conſertim & veluti per ſaturam a Concilio declarata erant, iterum deducuntur in examen actione quarta & ſequentibus; ita ut cum plena cauſæ cognitione, exquiſitis omnium votis, atque Photio exhibito, ſynodus octava Romanorum Pontificum definitionem amplexa, ſuo quoque judicio eandem confirmarit. Ex hac omnium concordia factum, ut octava illa ſynodus univerſalis diceretur, quemadmodum obſervavit Anaſtaſius his verbis: *Cum Chriſtus in corpore ſito, quod eſt Eccleſia, tot patriarchales ſedes, quot in cujuſque mortali corpore ſenſus, locaverit, profecto nihil generalitati deeſt Eccleſiæ, ſi omnes illæ ſedes unius fuerint voluntatis; ſicut nihil deeſt motui corporis, ſi omnes quinque ſenſus integræ communiſque fuerint ſanitatis. Inter quas videlicet ſedes quia Romana præcellit, non immerito viſui comparatur: qui profecto cunctis ſenſibus præeminet, acutior illis exiſtens, & communionem ſicut unus eorum cum omnibus habens*.

Act. III. ſynodi. VIII. *Et poſt lectionem epiſtolæ ſanctiſſimi Vicarii ſenioris Romæ dixerunt: Eſt canonice ac ſynodice acta epiſtola hæc? Sancta & univerſalis Synodus dixit: Canonica & ordinata & plena juſtitia eſt epiſtola quarta, quæ lecta eſt, ſanctiſſimi Papæ Hadriani.*

Anaſtaſius in præfat. octavæ ſynodi.

Taraſius in ep. ad Hadr. componit Papam cum oculo, ſupra cap. 14. §. 4.

VIII. Conſenſus ille ſedium patriarchalium per ipſos Patriarchas aut eorum Legatos exprimebatur, ut patet ex actis Conciliorum. Quod Maximus quoque Abbas adnotavit; qui ex eo ſynodum quandam a Pyrrho allegatam reſpuit, quod Epiſcopi, qui convenerant, nullis *epiſtolis commendatitiis* inſtructi, *nec Epiſcopi a Metropolitanis, neque Metropolitani a Patriarchis, non epiſtolæ, neque ſubſtituti ab aliis Patriarchis miſſi eſſent*. Simeon Metaphraſtes in vita Stephani junioris: *Qui Oecumenicum Concilium iſtud vocari queat, quod nec Romanus antiſtes, citra cujus auctoritatem nullo modo fieri poteſt, ut res eccleſiaſticæ ad normam dirigantur, gratum habuit, nec Alexandrinus comprobavit, nec Antiochenus, nec denique Hieroſolymitanus? Ubinam eorum libelli ſunt? aut quinam per diverſa loca miſſi ſunt, in quibus falſum veſtrum Concilium confirmaretur, ut hac ratione œcumenicum cenſeri poſſit?*

Maximus Abbas in diſput. cum Pyrrho.

Metaphraſt. in vita Stephani junioris c. 30. apud Surium die 28. Novembris.

Vide Analecta Græca Benedictinorum p. 481. & Barlaamum tom. VI. Caniſii pag. 17

IX. Diſſipato in varias partes & veluti diſſecto per orientalium ſchiſma Eccleſiæ corpore, non ideo minoris momenti & auctoritatis hodie cenſenda ſunt Eccleſiæ Romanæ & occidentalis decreta, quæ emergentium de novo hæreſeon neceſſitas aliquando exprimit, quod orientalium ſedium conſenſu & concordia deſtituantur. Etenim cum Dei opt. max. ſingulari beneficio ſumma & veluti arx quædam Chriſtianæ religionis in faſtigio ſedis apoſtolicæ collocata ſit, ubi depoſitum veræ fidei majorumque traditiones tutiſſime cuſtodiuntur, nihil officere poteſt veritati temeraria orientalis Eccleſiæ defectio. Reſidet enim penes Eccleſiam Romanam eadem definiendi auctoritas, quam Eccleſia univerſalis colebat olim, ita, ut ea in parte nihil immutatum ſit. Reſtricta eſt tantummodo ſinceræ Eccleſiæ diffuſio: quæ, licet arctioribus limitibus fortaſſe circumſcripta, conſenſus ſui auctoritatem apoſtolicæ ſedis auctoritati adjungit. Imo vero in damnandis nuperæ ſectæ articulis ipſa quoque orientalis Eccleſia per Hieremiæ Patriarchæ Conſtantinopolitani cenſuram ſuffragia ſua contulit, ſi quis ad plenam de novitate victoriam hoc quoque deſideret.

Vide lib. 2. c. 14. §. 9. in fine.

C A-

CAPUT XV.

De Legatis sedis Romanæ ad Imperatores Christianos, pro negotiis ecclesiæ universalis procurandis, missis.

SYNOPSIS.

I. Mittebant etiam Romani Episcopi Legatos ad Imperatores Christianos pro negotiis Ecclesiæ universalis procurandis. Probatur exemplo Liberii; qui varias legationes ad Constantium misit in causa Athanasii, ut Concilium impetrarent.

II. Mediolanense Concilium ea de causa habitum anno CCCLV. in quo Episcopi damnationi Athanasii per vim subscripserunt. Legati Romani, quod subscribere recusassent, in exilium missi edicto Principis.

III. Restituto Athanasio post obitum Constantii Lucifer Calaritanus, tametsi exul, vi legationis Paulinum Episcopum instituit in Ecclesia Antiochena, quæ schismate laborabat, quod potius propagavit schisma in illa Ecclesia, quam extinxit.

IV. Eusebius quoque Vercellensis, & ipse exul, antiqua Legati auctoritate usus est in synodo Alexandrina.

V. Frequentes occurrunt veterum Pontificum legationes ad Imperatores; quas commemorare inutile fuerit. Earum initium arcessi potest a legatione, quam Leo I. imposuit Juliano Episcopo Coensi in Cycladibus.

VI. Sollicitudo extraordinaria Juliano demandata, non autem jurisdictio. Cui legationi necessarius fuit Marciani Imp. consensus. Probatur e Leone.

I. PRæter eos Legatos, qui a Pontificibus Romanis ad Concilia œcumenica mittebantur, non erant infrequentes eorundem legationes ad Imperatores Christianos pro negotiis Ecclesiæ universalis procurandis, seu de fide, seu de disciplina ageretur. Ejus generis Legatos ad Constantium Liberius destinavit, ut Concilium Aquilejæ cogendum impetraret, ubi de novo adversus Athanasium delato crimine majestatis & de veræ fidei restitutione tractari posset. Etenim Ariani, veteri in Athanasium odio inflammati, hominem innocentem eo prætextu in oriente condemnant, quasi consilia adversus Principem cum Magnentio tyranno participasset. Literas illas Episcoporum orientalium & Ægyptiorum aliquot Episcopis Italis in Concilio Romano Liberius recitavit, qui fidem & sententiam suam orientalibus commodare noluerunt, *quod eodem tempore septuaginta quinque Episcoporum Ægyptiorum de Athanasio sententia repugnabat. Unde contra divinam legem visum est, cum Episcoporum numerus pro Athanasio major existeret, in parte aliqua commodare consensum.* Missi ergo ad Constantium Vincentius Capuensis Episcopus cum Marcello æque ex Campania Episcopo: qui Arelatem accedentes, Athanasii damnationi, Constantii minis inflexi, subscripserunt. Quare fidem Nicænam in causa Athanasii valde periclitari cernens Pontifex, secunda legatione Constantium adivit, misso Lucifero Calaritano in Sardinia Episcopo, Pancratio Presbytero, & Hilario Diacono, ut Concilium impetraret. *Ad exorandam igitur mansuetudinem tuam, ut benevolo animo allegationes nostras audire digneris, fratrem & coepiscopum meum sanctum virum Luciferum cum Pancratio compresbytero meo & Hilario Diacono placuit proficisci; quos credimus de clementia tua ad pacem omnium Ecclesiarum catholicarum non difficulter posse Concilium impetrare.* Lib. epist. ad Constantium.

II. Eusebium Vercellensem Episcopum epistolis quoque suis hortatus est, ut se Legatis adjungeret. Votis respondisse visus est effectus, indicto a Principe universali Concilio, quod Mediolani in palatio præsente Imperatore habitum anno CCCLV. luctuosissima clade Ecclesiam vastavit, plerisque occidentalium Episcoporum, qui trecenti & amplius aderant, ad damnationem Athanasii per vim coactis. In Legatos Romanos illisque adjunctum Eusebium Vercellensem, qui subscribere recusarunt, exilium decretum est edicto Principis, quo relegati sunt in orientem.

III. Tandem post obitum Constantii Athanasius ab exilio redux, turbatas orientales Ecclesias componere moliens, anno CCCLXII. usus est opera Eusebii Vercellensis & Luciferi Calaritani; qui Exlegatorum dignitate ornati, factis suis, quanta esset apostolicæ sedis auctoritas in oriente, docuerunt. Etenim Lucifer ex consilio Eusebii collegæ sui Antiochiam se contulit, ut statum illius Ecclesiæ schismate laborantis ordinaret. Pars enim Paulino Presbytero adhærebat; pars vero altera Meletii Episcopi, quamvis exulis, communionem sequebatur. Itaque Lucifer Antiochenis Paulinum Episcopum ordinavit. Quod in aliena Diœcesi agere non potuisset, nisi pristina legationis auctoritate, quam ratione muneris sui reddita deposuisse nondum omnino videbatur. Certum quidem est, id a Lucifero minus prudenter actum, quod schisma potius in illa Ecclesia propagavit quam extinxit, Meletio ab exilio statim reverso plerosque fidelium ad communionem suam trahente. Sed Ægyptii & occidentales Paulino tantum communicabant. Socrat. lib. 3. c. 4. Theodor. lib. 3 c. 4.

IV. Eusebius quoque Vercellensis antiqua Legati auctoritate usus est in synodo Alexandrina; quam una cum Athanasio coegit, ut observavit Socrates. Ceterum ad illius auctoritatis consortium adscitus non fuisset ab Alexandrino Patriarcha, nisi præter episcopatus Vercellensis dignitatem adjunctam habuisset Exlegati auctoritatem. Plena enim & integra legatione non utebatur, cum secundum tantum in synodo locum obtineret, ut patet ex epistola synodali.

V. Nolo lectoris otio abuti in congerendis legationibus, quas diversis temporibus ad Imperatores Romanos antiqui Pontifices destinarunt, quæ frequenter occurrunt inter legendum. Earum tantum mentionem faciam, quæ longiores moras in comitatu traxerunt, quæque non alicui negotio specialiter adstrictæ, ad quascunque causarum emergentium figuras porrigebantur; id est, quæ non extraordinaria potestate, sed ordinaria potius & assidua sollicitudine niterentur. Harum legationum initium deduci potest e mandatis, quæ vigilantissimus Pontifex Leo I. dedit olim Juliano Coensi Episcopo post celebratum Chalcedonense Concilium. Etenim statim a soluta synodo hæretici per insidias veræ fidei officere moliebantur, connivente Anatolio Constantinopolitano. Quare Juliano Episcopo Coensis Ecclesiæ, quæ in Cycladibus insulis sita erat, hanc specialiter curam Leo commendavit, ut prospiceret solerter, ne hæresis Nestoriana vel Eutychiana convalesceret, quæ suggerenda Principibus forent vice Pontificis insinuaret, de rebus ambiguis Pontificem consuleret, eumque de statu Ecclesiarum orientis creberrimis relationibus admoneret. *Studeat ergo dilectio tua, piam & necessariam curam sollicitudini apostolicæ sedis impendere, quæ tibi apud se nutrito catholicam contra Nestorianos & Eutychianos hæreticos actionem materno jure commendat; ut divino fultus auxilio, speculari de Constantinopolitanæ urbis opportunitate non desinas, ut prædictorum dogmatum impius nunquam turbo consurgat. Et quia tanta est gloriosorum Principum clementia, ut confidenter eis possis, quæ sunt insinuanda, suggerere, pietate ipsorum ad utilitatem Ecclesiæ universalis utaris.* Leo epist. 60. ad Julianum. Sed observandum est eo temperamento adhibito delegatam Juliano fuisse vicem apostolicæ sedis, ut nullam causæ cognitionem susciperet, quæ relicta est Episcopis provinciarum. Hic est enim sensus horum Leonis verborum: *Consulente autem dilectione tua de his, in quibus putaveris ambigendum, non deerit relationibus tuis meæ responsionis instructio, ut sequestrata eorum actione causa,* (fortasse legendum, (*) se-

(*) Hanc emendationem retinuit Quesnellus.

(*) sequestrata actione causarum) quæ in quibuscunque Ecclesiis Præsulum suorum debent cognitione firmari, hac speciali cura vice mea functus utaris, ne hæresis Nestoriana vel Eutychiana in aliqua parte revirescat: quia in Episcopo Constantinopolitano catholicus vigor non est.

VI. Itaque extraordinaria quædam sollicitudo, specialis cura, & actio catholica adversus hæreses erga Principes Juliano demandata est; non autem jurisdictio aliqua, vel causæ cognitio, seu actio judicialis. Cum autem & mora trahenda illi esset in comitatu, & sermones conferendi cum Principe, necesse quoque erat, ut Principis consensus accederet. Quare Marcianum Augustum ea de re literis suis Leo certiorem fecit. *Nam*, inquit, *& de fidei ejus* (Juliani) *sinceritate confidens, vicem ipsi meam contra temporis nostri hæreticos delegavi, atque propter Ecclesiarum pacisque custodiam, ut a comitatu vestro non abesset, exegi; cujus suggestiones pro concordia catholicæ unitatis, tanquam meas, audire dignemini, placentes Deo, qui vobis præter regiam coronam, etiam sacerdotalem conferat palmam.* Hujus Vicarii munus Leonisque erga Augustos obsequium elegantius explicant ista ad Pulcheriam verba: *Cum in causa fidei, cui gloria vestra famulatur, vicem ipsi meam eatenus delegarim, ut ab ea, quæ vobis debetur, observantia non recedens, pietati me vestræ præsentare non desinat, exequens in custodia fidei & in ecclesiasticis disciplinis per omnia sollicitudinem, & opportunis (*) suggestionibus, quod universali Ecclesiæ prosit, insinuans; ut in ipso nec catholicis vestrum præsidium, quibus volumus subvenire, nec vobis meum desit obsequium.*

Leo epist. 61. ad Marcianum.

CAPUT XVI.

De Responsalium seu Apocrisiariorum origine & officio.

SYNOPSIS.

I. Legatio hæc sequentibus seculis occasionem dedit mittendorum Responsalium ad urbem Constantinopolitanam. Eorum officium apud Principem.

II. Dicti etiam Apocrisiarii. Ut rescriptorum genus duplex apud veteres, ita & responsorum. Quippe omnia Principum mandata responsa *dici placuit.*

III. Probatur e Justiniano, Procopio, Zosimo & Anastasio Imperatore. Julianus Antecessor notatus.

IV. Qui causas Ecclesiarum agebant, Apocrisiarii dicebantur, ex Justiniano. Sedibus tantum patriarchalibus licebat Apocrisiarios mittere ad comitatum. Oeconomi ab Apocrisiariis distincti. Apocrisiarii fungebantur legatione Patriarchæ. Anatolius Dioscori Alexandrini Apocrisiarius. Ea dignitas translata ad ministros palatinos ævo Constantini Porphyrogennetæ.

V. Responsales quoque suos Romani Pontifices destinabant ad urbem regiam, qui Ecclesiæ universæ commodis invigilabant. Hincmarus notatur, qui Apocrisiariorum & Responsalium originem arcessit a temporibus Constantini Magni. Pelagius Agapeti Papæ Apocrisiarius apud Justinianum: qui post omnes Episcopos subscripsit in Concilio CP. sub Mena. Liberatus explicatus, qui primas partes Pelagio tribuit præ ceteris Patriarchis.

VI. Gregorius Magnus Responsalem Ecclesiæ Romanæ egit in urbe regia. Jubetur subsidium implorare adversus Longobardos.

I. Verba Leonis ideo retuli, quod ex hac delegatione occasio profecta sit sequentibus seculis mittendorum ad urbem Constantinopolitanam Responsalium apostolicæ sedis; præcipue post Justiniani tempora, qui felicibus armis triumpho de Gothis acto, Italiam imperio consolidavit. Tunc enim assidui erant in comitatu Diaconi responsales; qui & causas proprias Ecclesiæ Romanæ apud Principem prosequebantur; & pro negotiis fidei & disciplinæ excubabant; simulque veluti fidei publicæ obsides in comitatu degebant, obsequii Principibus debiti fidejussionem præstantes.

II. Legati hujus generis Apocrisiarii & Responsales dicti sunt ab illius seculi scriptoribus, quod responsa seu mandata eorum exsequerentur, a quibus missi erant. Ut enim rescripta Principum dicuntur, non solum ea, quæ Principes libellis supplicibus rescribunt, unde ejus nominis origo, sed etiam omnia Principum jussa, ita quoque *responsa* dicta sunt, non solum, quæ ad relationes rescribebantur, sed etiam omnis generis mandata; quæ ex eadem origine a Græcis ἀποκρίσεις dicuntur.

III. Cujus significationis illustrior exhiberi non potest interpres, quam Justinianus; qui Principis jussa, sive βασιλικὰ παραγγέλματα, a decessoribus suis responsa dicta fuisse docet: ἅπερ ἀποκρίσεις ἀρχοντικὰς οἱ πρόσθεν ἐκάλουν βασιλεῖς τε καὶ νομοθέται. Unde Procopius munus veredariorum describens, eos esse ait, qui ad regia *responsa* deferenda mittuntur, εἰς τὰς βασιλικὰς ἀποκρίσεις. Et illo antiquior Zosimus, loquens de quodam Erote, qui in palatio adsidebat, τῶν ἔξωθεν ἀποκρίσεων μηνυτὴς τεταγμένος. Quare miles ille, qui destinabatur a Magistro militum, ut judicum militarium jussiones impleri curaret, *ad responsum* dicitur ab Anastasio Imperatore & a Justiniano, id est, ad jussiones & responsa exequenda. Quamquam Julianus Antecessor effectum respiciens potius quam causam *responsum* interpretetur *ministerium*, loquens de hoc milite: *Responsum, id est, ministerium ei exhibeat.*

Novella 25. — Procop. lib. 3. de bello Vandal. — Zosim. lib. 1. — L. ult. C. de re milit. l. XII. Nov. 24. c. 4.

IV. Hinc factum, ut, qui causas Ecclesiarum agebant, Apocrisiarii dicerentur apud Justinianum, qui vetat Episcopos, ne ad comitatum accedant. *Propterea sancimus, si quando propter ecclesiasticam occasionem inciderit necessitas, hanc, aut per eos, qui res agunt sanctissimarum Ecclesiarum, quos Apocrisiarios vocant, aut per aliquos clericos huc destinatos aut per suos œconomos, notam imperio facere, aut nostris administratoribus, ut impetrent, quod competens est.* Quod ita intelligendum est, ut non singulis Ecclesiis sui essent Apocrisiarii, sed tantum singulis sedibus patriarchalibus, qui suæ Diœceseos negotiis in comitatu imminerent. Quare Justinianus recte clericos aut œconomos singularum Ecclesiarum ab Apocrisiariis distinguit loco citato, & capite tertio ejusdem Novellæ ostendit, Apocrisiarios a solis Patriarchis missos esse, dum prohibet, ne Metropolitæ vel Episcopi Imperatorem adeant, nisi a referendario Ecclesiæ Constantinopolitanæ *vel ab Apocrisiariis cujusque Diœceseos sanctissimorum Patriarcharum* exhibeantur. Quod nondum fuit animadversum; licet valde conducat ad dignitatem Apocrisiariorum, qui legatione Patriarchæ fungebantur. Hoc munus obibat Anatolius Diaconus pro Dioscoro Alexandrino, quando in episcopatum Constantinopolitanum provectus est, ut testatur Liberatus cap. XII. Breviarii: *Ordinatusque pro eo est Anatolius Diaconus, qui fuit Constantinopoli (**) Apocrisiarius Dioscori.* Inde factum ut Apocrisiarius dictus fuerit a Constantino

Nov. 6. c. 2.

(*) Illustrissimi Archiepiscopi observationem mire confirmat idem Leo in epistola ad Marcianum Augustum, quæ nuper ab Holstenio edita est inter acta synodi Romanæ sub Bonifacio II. habitæ: *Suggestiones autem*, inquit, *fratris & Coepiscopi mei Juliani, quem pietati vestræ commendo, quæso, ut benignius, sicut facitis, audiatis. Hoc etiam fratri meo Anatolio proderit, si eum, quem pro catholico dogmate illic esse volui, dignanter habeatis.*

(**) Hoc ipsum, quod hic de Anatolio dicitur, nimirum eum fuisse Constantinopoli Apocrisiarium Dioscori, tradit etiam auctor Breviculi historiæ Eutychianistarum, ubi hæc habentur: *Tunc temporis Anatolius quidam Presbyter Alexandrinus Constantinopoli morabatur. Hæc enim consuetudo prædictis est, ut ad comitatum vicibus clerici dirigantur, ne quid forte causæ vel necessitatis emergat. Fit ergo iste Anatolius Constantinopoli Episcopus, homo partium Dioscori.*

tino Porphyrogenneta Legatus, qui ex urbe regia quotannis cum muneribus ad barbaros quosdam Patzinacitas mittebatur, ut pacem cum Romanis colerent.

V. Quemadmodum ceteræ patriarchales ſedes Reſponſales ſuos ad urbem regiam deſtinabant, ita quoque Romani Pontifices Diaconis ſuis delegabant munus illud: quod non ſolum Eccleſiæ Romanæ ſed etiam Eccleſiæ univerſæ commodis proficiebat, & publicis Italiæ negotiis, quæ vicinia Longobardorum ſæpiſſime premebantur. Quare fallitur Hincmarus Remenſis, qui ſtatim poſt translatam Byzantium imperii ſedem hunc reſponſalium delegandorum morem inductum exiſtimat, cum is tantum poſt Concilii Chalcedonenſis tempora, præcipueque poſt Juſtiniani victorias, invaluerit, ut dixi: *Apocriſiarii miniſterium ex eo tempore ſumpſit exordium, quando Conſtantinus M. ſedem ſuam in civitate ſua, quæ antea Byzantium vocabatur, nominis ſui civitatem ampliando ædificavit. Et ſic Reſponſales tam Romanæ ſedis quam & aliarum præcipuarum ſedium in palatio pro eccleſiaſticis negotiis excubabant.* Debellatis itaque Gotthis in Italia Agapetus Papa Pelagium Eccleſiæ ſuæ Diaconum Apocriſiarii munere honeſtavit anno DXXXVI. quo apud Juſtinianum fungeretur, ut nos docuit Liberatus in Breviario cap. XXII. *Conſtituens Papa apud Imperatorem Apocriſiarium Eccleſiæ ſuæ Pelagium Diaconum ſuum, dum in Italiam reverti diſponit, Conſtantinopoli obiit.* Quo munere non eſt illi exercendæ juriſdictionis collata facultas, ſed tantum monendi, interpellandi Principis, ſuggeſtionis, non actionis, quemadmodum in Juliano Coenſi Leo muneris hujus exemplar & imaginem expreſſerat. Unde in ſynodo habita Conſtantinopoli a Mena Patriarcha poſt obitum Agapeti Pelagius Diaconus apoſtolicæ ſedis poſt omnes Epiſcopos in actis Concilii recenſetur, eodemque ordine ſubſcribit.

Hincmar. ep. 3. c. 13. edit. Mogunt.

Si quis tamen contrariam ſententiam tueri vellet, poſſet firmiſſimum in ſpeciem argumentum deſumere ex Liberato: qui primas partes aperte Pelagio Romanæ ſedis Apocriſiario præ ceteris Patriarchis aſſignat in cognitione, qua Paulus Patriarcha Alexandrinus, homicidii reus, Gazæ depoſitus eſt; quo ſe contulerant, ex Juſtiniani mandato, Patriarchæ Antiochenus & Hieroſolymitanus cum Pelagio. Liberatus cap. XXIII. *Poſt hæc miſit Imperator Pelagium Diaconum & Apocriſiarium primæ ſedis Romanæ Antiochiam cum ſacris ſuis: quibus præcepit, ut cum Euphræmio ejusdem urbis Epiſcopo, & Petrus Hieroſolymita & Hypatius Epheſinus venirent Gazam, & Paulo Epiſcopo Pallium auferrent, eumque deponerent. Pelagius ergo profectus Antiochiam, & inde Hieroſolymam, cum memoratis Patriarchis & aliquantis Epiſcopis venit Gazam. Et auferentes Paulo Pallium, depoſuerunt eum &c.* Sed diſcimus ex Procopio, eam juriſdictionem & prærogativam competiviſſe Pelagio ex delegatione ſpeciali Vigilii ſummi Pontificis; qui tunc Conſtantinopoli degens, ſuas vices illi commiſit. Quare cum Juſtinianus pecunia corruptus mox Paulum reſtituendum curaret, id obtinere non potuit a Vigilio; qui ſententiam ſuam, id eſt, a Pelagio latam, retractari non poſſe, dixit: ἔφασκε γὰρ οὐχ οἷός τε εἶναι ψῆφον τὴν οἰκείαν αὐτὸς ἀνάδικον διεργάσασθαι, τὴν Πελαγίου παραδηλῶν γνῶσιν.

Procopius in Anecdotis: ἐν οἷς καὶ ὁ Ῥώμης Ἀρχιδιάκονος Πελάγιος ἦν, τοῦ Βιγιλίου τοῦ ἀρχιερέως ὑποδὺς πρόσωπον ἐπιτεταγμένων οἱ τοῦτό γε πρὸς τοῦ Βιγιλίου.

VI. Sub Pelagio II. circa annum DLXXXVI. Gregorius Magnus, tunc Eccleſiæ Romanæ Diaconus, Reſponſalis munere apud Principem in urbe regia functus eſt, ut ipſemet teſtatur his verbis: *Tempore, quo exhibendis reſponſis ad Principem ipſe transmiſſus ſum.* Et alibi: *Dum juſſione Pontificis mei Conſtantinopolitanæ urbis palatio reſponſis eccleſiaſticis deſervirem.* Inter ceteras vero curas hanc unam Gregorio Pelagius valde commendavit, ut periculo Romanæ urbis Imperatori expoſito, ſubſidium adverſus Longobardos impetraret.

Gregor. lib. 3. Dialog. c. 32. & 35.

CAPUT XVII.

De Officio Apocriſiariorum, maxime ſub Pelagio II. & Gregorio M.

S Y N O P S I S.

I. Sub Pelagio II. mos invaluerat mittendi Reſponſales. Probatur ex ſancto Gregorio, qui eundem morem retinuit.

II. Eorum munus in ſuggeſtionibus poſitum. Quid ſuggeſtionis vocabulo comprehenſum fuerit, explicatur. Reſponſalis opera uſus eſt Gregorius Magnus ad reprimendam temeritatem Joannis Patriarchæ Conſtantinopolitani, qui ſe Patriarcham univerſalem eſſe dicebat. Procuratorio nomine id factum voluit Gregorius, ob dignitatem Romanæ ſedis. Sic apud Gallos ſolus Princeps per procuratorem, non autem nomine proprio, litigat.

III. Reſponſales nullam partem juriſdictionis attingebant, niſi ex delegatione ſpeciali. Ejus duplex genus, a Principe nimirum, aut a ſummo Pontifice. Prioris exemplum ſub Mauritio Imperatore, poſterioris ſub Vigilio & Gregorio Magno. De cauſis mediocribus cognoſcebant Reſponſales. Quæ ſint cauſæ mediocres.

I. SEd ex Gregorii Magni regeſto epiſtolarum tria præcipua capita colliguntur, quæ pertinent ad Reſponſales apoſtolicæ ſedis. Ac primo quidem Gregorius docet, Reſponſalium delegationem jam ſub Pelagio deceſſore ſuo ex more pependiſſe; ut patet ex epiſtola, qua ſcribit, Pelagium II. interdixiſſe Archidiacono ſuo, quem *juxta morem* ad Principes transmiſerat, ne cum Joanne CP. Miſſas celebraret: *Archidiaconum, quem juxta morem ad veſtigia Dominorum tranſmiſerat, Miſſarum vobiſcum ſolemnia celebrare prohibuit.* Idem quoque probatur alio ejuſdem auctoris teſtimonio; quo & ſecundum caput oſtenditur, ſcilicet Reſponſales apoſtolicæ ſedis in palatio Principum habitaſſe, eorumque præſentiam ſollicite ab Imperatoribus expetitam. Interfecto namque Mauritio, Phocas, poſt arreptum imperium, cum Gregorio expoſtulavit, quod *juxta antiquam conſuetudinem* apoſtolicæ ſedis Diaconum in palatio non inveniſſet. Quod ſummus Pontifex non ſuæ negligentiæ, ſed temporum aſperitati tribuit, quæ Romanæ Eccleſiæ miniſtros a palatio abalienabat, quibus verbis prudenter Phocam ad benigniorem vivendi rationem invitat. *Nam quod permanere in palatio*, inquit, *juxta antiquam conſuetudinem apoſtolicæ ſedis Diaconum veſtra ſerenitas non invenit, non hoc meæ negligentiæ, ſed graviſſimæ neceſſitatis fuit: quia dum miniſtri omnes hujus noſtræ Eccleſiæ contrita aſperaque tempora cum formidine declinarent atque refugerent, nulli eorum poterat imponi, ut ad urbem regiam in palatio permanſurus accederet.* Juxta morem illum Honoratus Diaconus Conſtantinopoli degebat, quando Gregorius Magnus provectus eſt ad ſedem apoſtolicam: qui deinde Sabinianum Diaconum *pro reſponſis eccleſiaſticis faciendis ad Dominorum veſtigia transmiſit*, eique ſucceſſorem dedit Anatolium Diaconum; huic vero, temporibus Phocæ Principis, Bonifacium, qui poſt Sabinianum Gregorii Apocriſiarium & in Romana ſede ſucceſſorem, apoſtolicæ ſedis faſtigium ſub nomine Bonifacii III. obtinuit.

Gregorius M. l. 4. epiſt. 38.

Gregor. lib. 11. Indict. 6. ep. 43. ad Phocam.

Gregor. lib. 1. epiſt. 6. & 47. lib. 2. ep. 51. lib. 6. ep. 28. lib. 11. ep. 45.

II. Ex variis autem epiſtolis regeſti tertium caput elicitur, nempe munus reſponſalium in ſuggeſtionibus poſitum fuiſſe, quas Principibus faciebant, pro negotiis publicis provinciarum Italiæ, quæ tum bello a Longobardis premebantur, tum a Ducibus & Præfectis, contra Principum juſſa, tributis & aliis oneribus vexabantur, vel pro negotiis privatis eorum, qui calumniis invidorum aut potentium libidini erant expoſiti. Præcipue vero,

vero, si controversia incideret de disciplina ecclesiastica, monendi Principes & magistratus sollicitudine defungebantur, ne qua vis per obreptionem canonibus fieret. Illud autem summopere curabant, ne qua fieret injuria sedi apostolicæ, seu in percipiendis patrimoniorum reditibus, quæ in provinciis Italiæ, Siciliæ, Africæ, & aliis sita erant, seu in dignitatis minutione. Quare cum Joannes Constantinopolitanus Patriarcha sibi Universalis nomen adscripsisset, insolentis illius tituli superbam usurpationem Gregorius verbis quidem castigavit, sed præterea egit apud Principem, ut vocabulum illud aboleretur. In eam rem usus est opera Sabiniani Responsalis sui, qui ad exemplum Advocati fisci jura Ecclesiæ persequeretur apud Imperatorem, cui disputationis hujus judicium Gregorius detulit.
Idem lib. 4. ep. 32. *Ac secundum petitionem*, inquit, *prædicti Sabiniani Diaconi, aut piissimus Dominus ipsum dignetur judicare negotium, aut sæpe nominatum virum* (Joannem) *ut ab hac tandem intentione cesset deflectere*. Perpendenda sunt verba illa, quibus controversiam dirimi poscit ad petitionem Diaconi sui. Consulebat nempe dignitati sedis apostolicæ, cujus nomen tanquam supplicis inseri non decebat judicii imperatorii formulæ, sed tantum Responsalis nomen. Quemadmodum hodie in curiis supremis cognitio de juribus Regis & regni, non Regis nomine, sed Procuratoris regii instituitur, judiciumque fertur ad petitionem Procuratoris, ut cum Gregorio loquar. Unde inter cetera Regis privilegia hoc quoque numeratur, solum Principem per Procuratorem, non autem proprio nomine, litigare. Quod soli Augustæ communicatur.

III. Jurisdictionis autem nullam partem attingebant Responsales, nisi ex delegatione speciali; quæ aut a Principe fiebat aliquando, aut a summo Pontifice. Prioris generis est delegatio Hono-
Idem lib. 3. epist. 46. rati Diaconi & Responsalis; cui Mauritius Imperator mandavit, una cum Sebastiano antigrapho, judicium appellationis, quam Hadrianus Episcopus Thebanus interposuit ad Principem a sententia Larissæi Metropolitani. Posterioris extat illustre exemplum in cognitione Pauli Alexandrini, cui præfuit Pelagius Apocrisiarius ex mandato Vigilii Papæ, cum literis & consensu Justiniani, de qua dictum est superius cap. XVI. §. V. hujus libri. Aliud exemplum hujus delegationis legitur in regesto Gregorii Magni. Hadrianus Episcopus Thebanus provinciæ (*) Thessaliæ a Pelagio II. Pontifice obtinuerat, ut a Joannis Episcopi Larissæ Metropolitani sui, sibi graviter suspecti, jurisdictione eximeretur; a qua tamen in Hadrianum exercenda Joannes non cessavit. Quam illi audaciam Gregorius Magnus exprobrat, ejusque contemptum communionis ab-
S. Greg. lib. 2. Indict. 11. ep. 7. stentione vindicari potuisse docet. *Tamen nos*, inquit, *humanius decernentes, communionisque tibi sacramentum interim conservantes, decernimus, ut fraternitas tua ab eo Ecclesiaque ejus omnem antehabitæ suæ potestatem jurisdictionis abstineat, & secundum decreta decessoris nostri, si qua causa vel fidei, vel criminis vel pecuniaria adversus præfatum Hadrianum consacerdotem nostrum potuerit evenire, vel per eos, qui nostri sunt vel fuerint in urbe regia Responsales, si mediocris est quæstio, cognoscatur, vel huc ad apostolicam sedem, si ardua est, deducatur, quatenus nostræ audientiæ sententia decidatur*. Ex hoc loco constat, mediocres causas, id est minoris momenti, minusque ambiguas, Responsalibus delegatas, eo tantum casu, quo Episcopi a pervicacis Metropolitani jurisdictione exempti erant, quod nonnisi rarissime contingebat,

---

CAPUT XVIII.

Qua occasione tandem Apocrisiarii mitti desierint.

SYNOPSIS.

I. Responsalium usus in urbe regia desivit occasione hæresis Monothelitarum.

II. Constantinus Pogonatus eorum usum restituere procuravit. Sed liberam legationem postulavit. Ejus petitioni se Leo II. accommodavit; non tamen concessa plenæ legationis auctoritate. Prudenter id factum, ut machinationibus Patriarcharum Constantinopolitanorum iretur obviam.

III. Provisum id quidem sapienter fuerat, sed parum felici eventu. Quippe Legati apostolicæ sedis in laqueos inciderunt in synodo Trullana; cujus canones repudiat Sergius Papa. Basilius Gortynæ Metropolitanus se illic inscripsit Legatum totius synodi Ecclesiæ Romanæ. Legatio ejus explicatur.

IV. Balsamo contendit, eam synodum fuisse œcumenicam, quod ei Legati sedis apostolicæ interfuerint, quos recenset. Ejus impostura detegitur. Quid sit charta pura, *quæ in subscriptionibus Conciliorum relinquebatur Episcopis absentibus. Anastasius Bibliothecarius illustratus.*

V. Romani Pontifices prorsus abstinuerunt a mittendis Constantinopolim Apocrisiariis post seculum septimum. Imperio tandem ad Francos translato, Legatorum magna fuit assiduitas & mora in eorum comitatu. Illo mittendarum legationum officio Romanam sedem absolvit Carolus Calvus.

I. Responsalium usus in urbe regia desivit occasione hæresis Monothelitarum: quæ a Ann. 639. 640. 641.
Patriarchis Constantinopolitanis Sergio, Pyrrho & Paulo publicata, & ab Heraclio Imperatore Ectheseos suæ promulgatione & a Constante Typi editione fota, Severinum, Joannem quartum, Theodorum & Martinum Pontifices ad damnandam impietatem illam provocavit. Gravissimo itaque in Romanam Ecclesiam odio perciti Constans & Paulus Apocrisiarios apostolicæ sedis a Theodoro missos Constantinopolim ad insinuandam Typi & novæ hæreseos damnationem & revocandum a scelere Paulum atrocibus injuriis affecerunt; plurimisque eorum sacerdotum, qui eis adhæserant, in exilium detrusis, & verberibus contumeliose cæsis, tandem vero anno DCLIII. Martinus ipse summus Pontifex a sede abreptus, in Chersonam Ponticæ Diœceseos urbem deportatus est.

II. Electus Vitalianus Papa Responsales quidem *juxta consuetudinem* misit ad regiam urbem, quem-
admodum observat Anastasius, ut suam ordinatio- An. 655.
nem significaret Constanti, non autem, ut Apocrisiarii in comitatu degerent. Idem enim auctor adnotavit, privilegiis Ecclesiæ renovatis Romam fuisse reversos. Tandem sopitis dogmatum controversiis, & Ecclesiarum schismate per sextam synodum generalem extincto, Constantinus Pogonatus usum

(*) Ideo Gregorius causas provinciæ Thessaliæ ad se traxit, quod Illyricum, in quo sita erat hæc provincia, apostolicæ sedis auctoritati patriarchicæ subjectum esset; ut probatum est in cap. V. §. III. libri primi. Sed nuper in lucem emissa est ab Holstenio synodus Romana post consulatum Lampadii & Orestis habita a Bonifacio II. Papa, in qua Theodosius Echiniensis civitatis Episcopus Thessaliæ provinciæ dixit: *Nam constat venerandos sedis vestræ Pontifices, quamvis in toto mundo sedes apostolica Ecclesiarum sibi jure vindicet principatum, & solam ecclesiasticis causis undique appellare necesse sit, specialiter tamen gubernationi suæ Illyrici Ecclesias vindicasse*. Tum profert epistolas præteritorum sedis apostolicæ Pontificum, Damasi, Siricii, Innocentii, Bonifacii, Cælestini, & aliorum, quæ docent Illyricum sedis apostolicæ constitutis paruisse; easque in Concilio relegi postulat ex scrinio Ecclesiæ Romanæ, quod & factum est. In libello vero Stephani Episcopi Larissæ, quæ Thessaliæ metropolis est, dato ad eundem Bonifacium Papam & in hac Romana synodo recitato legitur: *Apostolicam sedem, id est, vestram beatitudinem, causas nostræ provinciæ & audire convenit & finire*. Sed de potestate & auctoritate summorum Pontificum in Ecclesias Illyricianas plura dicturi infra sumus in supplemento istius libri cap. XIX. & sequentibus.

An. 680. usum Apocrisiariorum in palatio residentium restituere procuravit. Sed liberam legationem, nullis mandatis restrictam, postulavit; ita, ut Legatus in omnibus emergentibus negotiis, seu fidem seu disciplinam respicerent, Pontificis personam exprimeret. Hæc sunt ejus verba in epistola ad Leonem II. Agathonis successorem: *Hortamur porro vestram sanctissimam summitatem, ut quamprimum mittat designatum ab ea Apocrisiarium; ut is in regia & a Deo conservanda nostra urbe degat, & in emergentibus, sive dogmaticis, sive canonicis, ac prorsus in omnibus ecclesiasticis negotiis vestræ sanctitatis exprimat ac gerat personam.* Prudenter autem Leo ita se petitioni Constantini accommodavit, ut Responsalem suum delegaret Constantinum Subdiaconum, non tamen concessa plenæ legationis auctoritate; sed eo tantum munere injuncto, quod Apocrisiariis imponi solitum erat, suggerendi scilicet & insinuandi Principibus, quæ necessaria viderentur; scilicet reservata sibi, ad relationem Responsalis, decernendi potestate. *Præsentis denique suggestionis,* inquit Leo, *exiguum portitorem Constantinum Subdiaconum regionarium hujus sanctæ apostolicæ sedis, qui & nuper cum Legatis apostolicæ memoriæ prædecessoris mei interfuit sanctæ synodo inibi celebratæ, clementia consueta dignum exceptione censeat vestra regalis magnanimitas, ejusque suggestionibus aurem pietatis accommodet, ut autem ministrum dignanter suscipiat.* Non inutilis erat hujus meditati consilii cautio ad vitandas Patriarcharum Constantinopolitanorum machinationes; qui suæ sedis amplificationi semper intenti, terrore & minis Principis assensum Legati ad res novas constituendas extorquere potuissent, ut saltem non incolorata videri posset immutatio, quæ sedis apostolicæ auctoritate aliqua muniretur.

Constant. ep. ad Leonem act. XVIII. sextæ synodi.

Leo II. in ep. ad Constant. Pogon.

III. Attamen prudentia sua obtinere Pontifices non potuerunt, quin eos in laqueos inciderent, a quibus tam studiose sibi cavebant. Etenim anno DCXCII. Justinianus Rhinotmetus Imperator a Petro Constantinopolitano Episcopo sollicitatus Concilium coegit, quod Trullani nomine assumpto, centum & duos canones edidit, optimos quidem illos, & qui antiquam disciplinam utplurimum redolent, præter tres aut quatuor, qui Romanæ Ecclesiæ consuetudines quasdam emendare conantur. Ceterum, ut color aliquis novis illis decretis quæsitus videretur, synodus illa œcumenicæ titulum assumpsit ob Romanæ sedis auctoritatem adhibitam. Legati enim apostolicæ sedis huic Concilio interfuerant, ut observat Anastasius; id est, ut ego quidem interpretor, Apocrisiarii seu Responsales, qui munere suggestionis fungebantur. Neque enim Sergius Papa Legatos mandatis suis instructos ad eum conventum transmiserat; quem damnavit ut illicitum, ejusque canonum lectionem repudiavit; rejecta Justiniani postulatione, qui Pontificis subscriptione firmari gesta vehementissime cupiebat. *Hujus itaque temporibus,* inquit Anastasius in vita Sergii. *Justinianus Imperator Concilium in regia urbe jussit fieri; in quo & Legati sedis apostolicæ convenerant, & decepti subscripserant. Compellabatur autem & ipse Papa subscribere; sed nullatenus acquievit.* Basilius Episcopus Gortynæ, Metropolitanus provinciæ Cretæ, eam legationem tunc solus obibat: quæ potiori jure illi imposita fuerat, utpote Illyricianæ Diœceseos & patriarchatus occidentalis Episcopo, quam olim Juliano Episcopo Coensi provinciæ Rhodiæ, qui primus pro Leone responsa egit Constantinopoli. Hinc quoque factum, ut ad calcem horum canonum Basilius, unus ex Episcopis occidentalibus, se Legatum inscripserit totius synodi Ecclesiæ Romanæ, exemplo trium Legatorum Agathonis & synodi occidentalis, qui hoc nomen in sexta synodo assumpserant. Eo titulo ipse quoque Basilius ornatus fuerat tempore sextæ synodi, ut patet ex ejus subscriptione, quæ habetur actione XVIII. Sed illo auctus non fuerat, ut una cum ceteris tribus

Vide supra cap. 15. §. 5. & 6. hujus libri.

In subscriptionibus canonum Trullanorum: Βασίλειος ἐπίσκοπος τῆς γορτυνίων μητροπόλεως τῆς φιλοχρίστου, καὶ τὸν τόπον ἐπέχων πάσης τῆς συνόδου τῆς ἁγίας ἐκκλησίας ῥώμης.

Legatis vices Concilii occidentalis in ea synodo impleret, cum nec in literis Agathonis, nec in epistola Constantini Pogonati, inter eos recenseatur. Sed legatio quædam ordinaria illi concessa fuit, ut Responsalem ageret ordinarium synodi Romanæ nomine; quemadmodum Diaconus mittendus à Papa, responsa ecclesiastica nomine Pontificis facere debebat. Unde factum, ut Basilius legationem illam ordinariam post solutam sextam synodum retinuerit; qua defunctus est in Trullana posteriore synodo.

IV. Balsamo contendit adversus Latinos conventum istum Trullanum synodi œcumenicæ auctoritatem obtinere, eo quod Legatis apostolicæ sedis instructus fuerit, scilicet Basilio Gortynensi, & Episcopo quodam Ravennæ, qui vicem synodi Ecclesiæ Romanæ gerebant, Episcopis quoque Thessalonicensi, Sardiniæ, Heracleæ & Corinthi, qui tunc erant Legati Pontificis, ut in veteribus Nomocanonis scriptum reperitur. Sed apertissimi mendacii reum tenemus. Ut enim taceam de Heracleæ Episcopo, qui pontificia legatione nunquam ornatus fuit, constat ex Græcis subscriptionibus, quæ hodie extant, Thessalonicensem & Corinthium Episcopos ordinarios sedis apostolicæ Legatos, æque ac Ravennæ & Sardiniæ Episcopos, ab eo Conciliabulo abfuisse. Etenim inter ceterorum subscriptiones locus illis relinquitur in ordine suo ad subscribendum, quando acta synodi authentica ad eos perferrentur; quemadmodum observatum est erga Pontificem Romanum, cui charta pura in Codice seu tomo Concilii relicta est ante ceteros Patriarchas, post Justinianum Imperatorem, ut eam subscriptione sua repleret, quod in dicto codice adnotatum est his verbis: τόπος τοῦ ἁγιωτάτου πάπα ῥώμης, *Locus sanctissimi Papæ Romani.* Unde illustrari potest Anastasius, qui Justinianum gesta hujus synodi sex tomis comprehensa, ab Episcopis subscripta, & manu imperiali confirmata, *in Romanam urbem ad confirmandum vel in superiori loco subscribendum Sergio Pontifici, utpote capiti sacerdotum omnium, direxisse* scribit. Eodem plane pacto charta pura relicta est Episcopis absentibus Thessalonicensi, Corinthi, Ravennæ, Sardiniæ & Heracleæ, ut saltem post solutam synodum actis subscriberent, quod iisdem verbis in codice adnotatum est: *Locus Thessalonicensis, locus Ravennatis,* & ceterorum. Quare Balsamo, qui locum vacuum pro subscriptione sumpsit, non ausus est edere nomina Episcoporum, quos subscripsisse fingit. Basilium quidem Gortynensem specialiter profert; sed ceteros verbis indefinitis significat.

Anastas. in vita Sergii: *Qui beatissimus Pontifex eidem Justiniano Aug. non acquievit, nec eosdem tomos suscipere vel lectione pandere passus est.*

V. Post seculum septimum, ineunte octavo, Iconoclastarum hæresis in oriente a Principibus excitata societatem communionis abrupit, ita, ut de mittendis Constantinopolim Apocrisiariis Romani Pontifices curam omnem deposuerint. Tandem imperio in Romana urbe veluti postliminio quodam a Leone III. restituto, Imperatores Gallici nominis omnibus officiis, quæ Principibus Constantinopolitanis deferri consueverant, a Romana sede exculti sunt. Inter cetera, Legatorum seu Responsalium non solum frequentia, sed etiam assiduitate & mora in comitatu, ornati sunt. Sed Carolus Calvus imperium adeptus, illo mittendarum legationum officio Romanam sedem absolvit, ut observavit Eutropius Presbyter Longobardus.

Huc usque MARCA. *Reliqua vero istius Libri Capita sunt* STEPHANI BALUZII.

CAPUT

CAPUT XIX.

De Vicariis fedis Romanæ hereditariis feu natis generatim, & fpeciatim de Vicario Theffalonicenfi, ejufque dignitate, quam ante vicariatum jam obtinuit.

SYNOPSIS.

I. Argumentum & confilium iftius fupplementi, juxta mentem illuftriffimi Archiepifcopi.

II. Pontifices Romani in fuas partes olim trahere ftuduerunt Epifcopos magnarum civitatum, variis quidem modis, fed in primis fpe objecta principis loci. Initium factum ab Epifcopo Theffalonicenfi.

III. Illyricianæ Ecclefiæ pertinebant ad curam Romani Pontificis, ut Patriarchæ occidentis.

IV. Illyricianæ Diœcefeos provinciæ enumerantur. Sirmium caput fuiffe Illyrici probatur multis argumentis.

V. Divifio Illyrici in orientale & occidentale conftituta a Theodofio feniore. Theffalonica caput Illyrici orientalis, & fedes Præfecti prætorio Illyrici.

VI. Aucta ex eo dignitas Epifcopi Theffalonicenfis. Acholius & Anyfius, qui eam cathedram tenuerunt, magno in pretio habiti apud Damafum & Siricium. Deleto Sirmio, Apennius Vicarius Illyrici profugit Theffalonicam, ut Juftinianus docet.

VII. Juftiniani Novellam plerifque in capitibus falfitatis arguit Morinus, nec injuria.

VIII. Aperitur via liberandi Triboniani, qui Novellæ auctor eft, a vitio αὐτοφωρίας. Theodoreti locus de Theffalonica.

POftquam prima libri iftius editio prodiit in publicum, miro quidem favore applaufuque hominum eruditorum exceptus eft, adeo, ut quamplurimi gratias mihi eo nomine egerint, quod librum illum, alioqui fortean periturum, publicis ufibus confecraffem. Molefte tamen nonnulli ferebant, datum effe imperfectum; ac tamen etfi monuiffem jacturam illam utcunque farciri ope libri fexti, indicatis etiam locis, unde reliqua petenda erant, malebant tamen, ut heic fuis quæque locis capita redderentur. Hinc confilium mihi, ut fi minus affequi poffum divinam vim ingenii illuftriffimi Archiepifcopi, certe fequi coner, deftinataque ejus exequar pro virium mearum modulo.

I. Agendum itaque nobis deinceps erit de Vicariis Romanæ fedis per varias Diœcefes, illis nimirum, qui velut hereditario jure vices apoftolicæ fedis in iis regionibus obtinebant, in quibus habitabant, cujufmodi fuere Theffalonicenfis in Illyrico, Juftinianæ primæ Archiepifcopus in fex provinciis, Corinthius in Achaja & Hellade, & Arelatenfis in Gallia. Tum de iis Epifcopis, quibus ea dignitas diverfis temporibus tributa eft contemplatione meritorum, cujufmodi fuere Joannes Epifcopus Tarraconenfis & Salluftius Epifcopus in provincia Bætica. Horum autem vicaria Epifcopi Romani dignitas in eo diverfa fuit a vicariatu Epifcoporum Theffalonicenfium & Arelatenfium, quod ficut illa fedibus affixa erat, ifta perfonalis tantum fuit, ut patet ex epiftolis Hormifdæ Romani Pontificis ad ipfos datis. Agendum heic effet de Pallio, quo Vicarii illi ornabantur ad augendam Romani nominis majeftatem. Sed hanc partem adeo perfpicue & erudite exfecutus eft illuftriffimus Archiepifcopus in capite fexto & feptimo libri fexti, ut ope noftra nequaquam indigeat. Nonnullas tamen circa hoc obfervationes meas & ipfe proferam, quas ille non tam omififfe, quam mihi reliquiffe cenfendus eft. Gradu poftea facto ad mediæ ætatis ufum, oftendemus, quantum Legatis Romanis detulerint Epifcopi Gallicani fub fecunda & tertia Regum noftrorum dynaftia, & quibus mandatis inftructi Legati ad fynodos provinciales accederent. Eorum frequentia, & tandem defuetudo. De facultatum examine in curia antequam munere fuo fungantur. Tum de Annatis inftituenda effet quæftio juxta mentem illuftriffimi Archiepifcopi, nifi ipfe hanc quoque partem pro fua fapientia & eruditione impleviffet in capitibus X. XI. XII. ejufdem libri fexti. Nunc ad rerum ordinem redeo.

II. Pontifices Romani, cum intelligerent, quanti momenti effet ad firmandam auctoritatem fuam apud exteras gentes, id eft, ab Urbe procul diffitas, gratia Epifcoporum illuftriffimarum Ecclefiarum, quibus ob prærogativam urbium præfto quoque erat Principum favor, eos in fuas partes trahere ftuduerunt variis modis atque rationibus. Sed nulla potentior antiquitus vifa eft, quam fi Epifcopos illos ornarent dignitate Vicariorum fedis Romanæ; ut, quia conftabat Romanum Epifcopum federe in cathedra principali fedemque Petri tenere, qui princeps fuit Apoftolorum & caput epifcopalis coronæ, magnum honorem fibi ex eo tribui intelligerent Epifcopi illi, quod beati Petri vicem gererent in fuis Diœcefibus. Hanc Romanis Epifcopis mentem tum fuiffe & res ipfa oftendit & aperte docet epiftola fexta Vigilii ad Epifcopos Galliæ de vicariatu Auxanii Epifcopi Arelatenfis, his verbis: *Neceffarium valde credidimus follicitudinem hanc a nobis antefato* (Auxanio) *debere committi confidentes illum & pro loci fui qualitate bonis actibus univerfa, quæ Deo placeant poffe complere, & maxime cum gloriofus filius nofter Childebertus Rex teftimonium bonæ confcientiæ pro Chriftianæ fuæ voluntatis devotione perhibuit.* In quo fane mirifica valdeque prudens fuit Romanorum Pontificum induftria: qui, ne vicariatus apoftolicæ fedis vilefceret, fi humilium urbium Epifcopis committeretur, vices fuas non aliis per ea tempora concefferunt, quam Epifcopis illuftriffimarum Ecclefiarum, quorum aliunde magna apud gentes ac Principes auctor erat, donec firmata tandem Legatorum iftiufmodi dignitate, majeftatis Romani nominis interfuit etiam fimplicibus clericis aut monachis, id eft, nullo vixdum facinore cognitis, nulla ecclefiaftica dignitate præditis, hunc honorem tribuere. Quod maxime obfervatum video temporibus Leonis IX. & fequentium Pontificum ufque ad Innocentium quartum. In univerfum autem affirmare licet, Romanos Pontifices, ut femper ad occafiones explicandæ firmandæque auctoritatis fuæ valde intenti fuere, fic tempore femper bene ufos effe antiquitus. Et quia primus omnium, ut arbitror, Epifcopus Theffalonicenfis ea dignitate ornatus eft, ejufque vicariatus varie jactatus eft ab hominibus eruditis, hinc ordiar.

III. Ac primum quidem illud in anteceffum ftatuendum eft, occidentis Ecclefias, atque adeo Illyricianas, pertinuiffe ad fpecialem curam Romani Pontificis, non folum ob Principatum, quem Romana fedes obtinet in Ecclefia univerfali, fed quod Epifcopus Romanus fit Patriarcha occidentis. Nam olim folidum Illyricum accenfebatur occidenti; ut dictum eft in libro primo iftius operis, & conftat etiam ex Socrate & Sozomeno. Itaque certum eft, Illyricianas Ecclefias apoftolicæ fedis conftitutis paruiffe, eamque ut Ecclefiarum caput excoluiffe. Quin & Theodofius Echinienfis Epifcopus Theffaliæ provinciæ hæc ad Bonifacium Papam fecundum dixit in Romana fynodo: *Nam conftat, venerandos fedis veftræ Pontifices, quamvis in toto mundo fedes apoftolica Ecclefiarum fibi jure vindicet principatum, & folam ecclefiafticis caufis undique appellare neceffe fit, fpecialiter tamen gubernationi fuæ Illyrici Ecclefias vindicaffe.*

[Vide fupra lib. 1. cap. 4. §. 3. 4.]

[Socrat. lib. 5. c. 16. Sozom. lib. 3. cap. 9. Vide etiam Henr. Valefii Notas ad Socrat. pag. 64. Vide infr. c. 20. §. 10.]

IV. Illyriciana porro folida Diœcefis, poftquam orbis Romanus in quatuor præfecturas fectus eft a Conftantino Magno, complectebatur Pannonias, utrumque Noricum, Dalmatiam, Daciam ripenfem & me-

[Marca in lib. de Primatib. §. 30.]

& mediterraneam, Mœsiam, Dardaniam, Macedoniam, Achajam, Thessaliam, utramque Epirum & Cretam. Sirmium autem Pannoniæ secundæ civitas erat caput Illyrici, ut in synodo Aquilejensi habita anno CCCLXXXI. disseruit Anemius Sirmiensis Episcopus; sive acta, quæ nunc circumferuntur istius synodi germana sunt, sive post longum tempus conficta a Vigilio Tapsensi Episcopo in Africa, ut existimat Petrus Franciscus Chiffletius vir eruditissimus. Utcunque enim se res habeat, ex actis illis probatur, Sirmium fuisse quondam caput Illyrici. *Anemius Episcopus dixit: Caput Illyrici non nisi civitas est Sirmiensis*. Unde eam Ammianus Marcellinus vocat matrem urbium, ibique Principum Romanorum regiam seu palatium fuisse docet in libro XX. & XXVI. suorum commentariorum. Quod etiam a Zosimo historico observatum est. Itaque claritati urbis datum, ut illic quoque esset præfecturæ Illyricianæ sedes; ibique per eas tempestates fuit omne Illyrici fastigium tam in civilibus quam in episcopalibus causis, ut ex eodem Ammiano Marcellino & Justiniano Aug. observavit illustrissimus Archiepiscopus in libro de Primatibus. Chiffletius tamen existimat, Sirmium nunquam fuisse caput Illyrici, nisi fortassis per illud triennium, quod in ea urbe Constantius Imperator exegit, per annum nimirum CCCLVII. & duos sequentes.

Amm. Marcell. lib. 15. Justin. Nov. 11. Chifflet. in Notis ad Vigil. Tapf. pag. 38. & seqq.

V. Secto demum Illyrico in orientale & occidentale, Pannonia quidem, utrumque Noricum, Dalmatia, Mœsia, Dardania & Creta in imperio occidentali remansere; servataque est aliquatenus Sirmio sua dignitas, constituto illic Vicario Præfecti prætorio Italiæ, qui provincias illas regeret, perque illos tractus vice sacra judicaret. Sedes vero Præfecti prætorio Illyrici translata est Thessalonicam; eique contributæ Macedonia, Thessalia, Achaja, Epirus utraque, Prævalis, & utraque Dacia. Disputatur inter eruditos, quonam demum tempore instituta fuerit hæc divisio. Marca vero post uberem de hac controversia dissertationem concludit, eam fuisse peractam anno CCCXCV. supremo Theodosii senioris arbitrio: qui eo anno moriens, Honorioque & Arcadio imperii provincias dividens, Illyricum orientale Arcadio, occidentale Honorio commisit.

Marca de Primatib. §. 36.

VI. Aucta ex eo dignitas Episcopi Thessalonicensis, quod ingens accessio facta esset claritati urbis; juvitque fortunam ejus auctoritas Episcopi Acholii, tum etiam Anysii, quos ob ingentia eorum merita Pontifices Romani, qui tum vixere, Damasus & Siricius plurimum suspexerunt, ceu suo loco sumus dicturi. Sed tamen adhuc amplificata valde est Thessalonica post excidium Sirmii, quod contigit anno CCCCXLII. furente per Thraciam & Illyricum exercitu Hunnorum, duce Attila. Tunc enim Apennius præfectus prætorio Illyrici, sive potius Vicarius, e Sirmio Thessalonicam profugit, ut Justinianus docet; qui addit eo tunc commigrasse dignitatem præfecturæ. *Cum enim in antiquis temporibus*, inquit ille, (*) *Firmi præfectura fuerit constituta, ibique omne fuerit Illyrici fastigium tam in civilibus quam in episcopalibus causis, postea autem Attilanis temporibus eisdem locis devastatis Apennius Præfectus pretorio de Firmitana civitate in Thessalonicam profugus venerat, tunc ipsam præfecturam & sacerdotalis honor secutus est, & Thessalonicensis Episcopus, non sua auctoritate, sed sub umbra præfecturæ, meruit aliquam prærogativam*.

Justin. Nov. 11.

(*) Sirmii.

VII. Scio, clarissimum eruditissimumque virum Joannem Morinum falsitatis arguere hunc locum ex Novella Justiniani, multis de causis. Tum quod verum non sit, Thessalonicam adeptam esse honorem ecclesiasticum Attilanis temporibus, cum Leo Papa, qui temporibus Attilæ vixit, testetur in epistola ad Anastasium Thessalonicensem, primatus dignitatem Thessalonicensibus Episcopis delatam olim fuisse ex Pontificum Romanorum prædecessorum suorum constitutione. Tum etiam, quod falsum quoque sit civilis administrationis apicem eisdem Attilanis temporibus collatum Thessalonicæ fuisse, eo enim ornatam fuisse Theodosii Magni tempore. Falsum præterea esse, iisdem Attilanis temporibus amplificatam fuisse dignitatem urbis Thessalonicensis, aliquamque prærogativam meruisse sub umbra præfecturæ. Constat enim eam urbem fuisse clarissimam magnæque auctoritatis, jam inde a temporibus synodorum, quæ apud Nicæam & Sardicam habitæ sunt.

Morin. lib. 1. Exercitat. 21.

VIII. Sensit vitia ista illustrissimus Archiepiscopus, Tribonianumque Novellæ illius constitutionis auctorem a vitio αἰσχρογνώμας liberari non posse pronuntiavit, si Novellæ verba accipiantur generaliter de præfectura Illyrici, cum ea retro ab annis quinquaginta constituta esset Thessalonicæ. Itaque sic caute accipienda Novellæ verba, de Vicarii nimirum jurisdictione in Pannonias, quæ posthac Thessalonicæ exercenda erat, non autem Sirmii. *Unde amplificata est*, inquit Marca, *Urbis & Ecclesiæ Thessalonicensis dignitas*. Quare Theodoretus, qui post ista tempora vixit, sic loquitur de Thessalonica: *Thessalonica urbs est maxima & populosa, Macedonum quidem in gente posita, sed quæ caput est tum Thessaliæ & Achajæ, tum aliarum complurium provinciarum, quæ reguntur a Præfecto prætorio Illyrici*.

Marca in lib. de Primatib. §. 38.

Theodoret. lib. 5. hist. eccl. cap. 17.

CAPUT XX.

De Antiquitate & claritate ecclesiæ Thessalonicensis, antequam vicariatus sedis Romanæ ibi constitueretur.

SYNOPSIS.

I. Antequam inquiratur in originem vicariatus Thessalonicensis, agendum est de antiquitate & claritate Ecclesiæ Thessalonicensis.

II. Ea erat una ex apostolicis, a Paulo Apostolo fundata; ut ipse docet, & legitur in Actis Apostolorum. Illyricianæ Ecclesiæ Thessalonicensem respiciebant, ut fidei matrem. Quid sint apud Tertullianum cathedræ Apostolorum.

III. Alexandro Episcopo Thessalonicensi imposita a patribus Concilii Nicæni cura deferendorum decretorum synodi in provincias Illyricianas, ut testantur Gelasius Cyzicenus & vetus auctor apud Photium.

IV. Investigatur verus sensus verborum Gelasii Cyziceni, qui diversis diversorum interpretationibus est distractus. Innocentius III. docet, magnam fuisse dignitatem Episcopi Thessalonicensis, antequam Vicarius esset apostolicæ sedis.

V. Dignitas illa Thessalonicensis Episcopi probatur etiam ex allocutione Aetii in Concilio Sardicensi.

VI. Et ex Athanasio, qui præcipuum defensionis suæ caput ponit in testimonio literarum Alexandri Episcopi Thessalonicensis.

VII. Episcopus Thessalonicensis, etiam antequam esset Vicarius Romani Pontificis, ordinabat Metropolitanos Illyricianos secundum veterem Ecclesiæ suæ consuetudinem. Thessalonica vocatur a Theodoreto caput Macedoniæ, Thessaliæ & Achajæ, tum aliarum complurium provinciarum.

VIII. Maxima ergo ubique erat antistitis urbis illius reverentia. Secunda synodus noluit ante cognoscere de ordinatione Maximi in Ecclesia CP. quam Acholius adesset. Postea vero Maximi ordinationem damnavit, & Nectarium ordinavit.

IX. Acholius non fuit illic Legatus Damasi, ut persuasum fuit viris doctis. Castigantur, qui putant, Sozomenum enumerare Acholium inter præsides istius Concilii.

X. Henricus Valesius refellitur, qui putavit, Acholium fuisse unum ex episcopis orientalibus, qui Constantinopolitano Concilio interfuerunt.

I. Su-

I. Superiori capite satis, ut opinor, egimus de dignitate urbis Thessalonicensis. Superest, ut inquiramus in initia dignitatis, quæ illi collata est a Pontificibus Romanis, qui Thessalonicenses Episcopos Romanæ sedis Vicarios esse voluerunt in Illyrico. Sed antequam destinata componam, res postulare videtur, ut de antiquitate Ecclesiæ Thessalonicensis agamus, mox investigaturi, an vicariatus tributus fuerit Ecclesiæ, an vero personis; id est, an vicariatus ille ita tributus fuerit huic sedi, ut necessarium esset Romano Pontifici, vices suas committere novo Episcopo Thessalonicensi, an vero ea ratione tributus fuerit, ut illa honoris continuatio mere penderet ex libero Romani Pontificis arbitrio, fasque illi esset, vicarium illum honorem non conferre novo Episcopo Thessalonicensi.

II. Primum omnium satis constat, Thessalonicensem Ecclesiam fuisse unam ex apostolicis, id est, ex Ecclesiis illis, quas Apostoli ipsi fide Christiana imbuerunt. Legimus enim in Actis Apostolorum, cum Paulus & Silas venissent Thessalonicam, Paulum illic scripturas interpretatum esse & insinuasse, quia Christum oportuit pati & resurgere a mortuis, & quia hic erat Jesus Christus, quem ille annunciabat eis, quosdam vero ex Judæis Thessalonicæ commorantibus credidisse & adjunctos fuisse Paulo & Silæ, itemque magnam gentilium multitudinem, & mulieres nobiles non paucas. Quin & Paulus ipse hoc testatum reliquit in duabus epistolis, quas scripsit ad Ecclesiam Thessalonicensium, ex quibus illud quoque discimus, Thessalonicensium eum ardorem fuisse in initiis susceptæ fidei, ut forma facti fuerint omnibus credentibus in Macedonia & in Achaja, in quibus regionibus ipsi Thessalonicenses prædicaverunt verbum Dei, & non solum in Macedonia & Achaja, sed etiam *in omni loco*, ut inquit Paulus, id est, in regionibus, quæ circum Macedoniam & Achajam positæ sunt, fides eorum inclaruit. Unde argumentum trahi potest ad asserendum, Illyricianas Ecclesias Thessalonicensem respexisse, ut fidei matrem, illam vero eo privilegio potitam apud eas gentes fuisse, quod Episcopi celebriorum civitatum obtinebant in Ecclesias, quas prædecessores eorum fundaverant, de quo jure videndus illustrissimus Archiepiscopus lib. I. cap. III. §. V. istius operis. Hinc Tertullianus enumerans Ecclesias apostolicas, a quibus ceteras dixerat traducem fidei & semina doctrinæ mutuatas esse, inter illas ponit Thessalonicensem; cum paulo ante dixisset, apud ipsas suis locis adhuc præsidere cathedras Apostolorum. Quem locum explicans vir clarissimus Nicolaus Rigaltius, ut fatetur, intelligi posse de ipsis cathedris Apostolorum, quæ adhuc suis locis in memoriam Apostolorum præsiderent, successoribus infra sedentibus, ita verum illius sensum esse putat, *cathedras Apostolorum dici principales Ecclesias, ab ipsis videlicet Apostolicis constitutas, quæ adhuc ætate Tertulliani suis locis præsidebant, tanquam aliarum matrices; qualis in Achaja Corinthus, in Macedonia Philippi, Thessalonica, in Asia Ephesus, in Italia Roma.*

Act. 17.

1. Thessal. 1.

Tertull. in lib. de Præscript. c. 20. 36.

III. Ex ea matricis dignitate profectum est, ut, cum in Concilio Nicæno adesset Alexander Episcopus Thessalonicensis, cogitarentque patres de mittendis per universum orbem definitionibus sanctæ & magnæ synodi, sicut Ecclesias Africanas ab Episcopo Carthaginis, qui totius Africæ Metropolitanus erat & Primas, informari voluerunt, ita Macedonibus, Græcis, Scythis, Illyriis, Thessalis & Achæis insinuari curarunt per Alexandrum Thessalonicensem, ut testatur Gelasius Cyzicenus. Testatur idipsum etiam vetus auctor Politiæ sanctorum patrum Metrophanis & Alexandri apud Photium; si tamen locus ille, qui mendo laborat, emendetur, eaque Alexandro Thessalonicensi tribuantur, quæ Alexandro Constantinopolitano heic tribuuntur. Nam in hoc libro legitur, Osium Cordubensem synodi acta detulisse occidentalibus, Athanasium Ægyptiis, & Libyis, Alexandrum vero Thracibus, Illyriis, Macedonibus, Thessalis, Achæis & Græcis, continentibusque terris & insulis. Præstat autem integrum locum referre, ut etiam ex eo capite auctoritas concilietur huic Gelasii loco. *Et Hosius quidem Cordubæ Episcopus*, inquit, *cum sociis, quæ in Concilio gesta erant, ferens, occidentalibus pacem ac quietem attulit; Athanasius zelo ardens Ægyptiis & Libyis, Alexander vero, quanquam senex, septuagenarius enim erat, Thracibus simul & Illyriis communionis pacisque Ecclesiarum nuncium, ut præscriptum erat, tulit, socium itineris habens beatissimum Paulum tunc lectoris & subscriptoris Constantinopolitanæ Ecclesiæ fungentem officio, qui tempore Concilii duodecimum ætatis annum agens cum Alexandro vixit.* Et paulo post: *Venientes autem in Thraciam & Macedoniam & Thessaliam, Achajam totam, Hellada, continentesque terras, ne insulas quidem neglexerunt; sed navigando omnem zizaniam radicitus evellentes, bonum semen evangelicæ doctrinæ & synodalium decretorum disseminarunt.* Quis non videt heic descriptas provincias Thessalonicensi Episcopo subjectas, non omnes quidem nominatim expressas, sed præcipuas tantum, reliquas vero sub vocabulo continentium terrarum & insularum?

Concil. Carthag. VI. Concil. CP. II. Collat. V.

Gelas. Cyzic. lib. 2. c. 27.

Apud Phot. in Biblioth. cod. 256.

IV. Reliquum est, ut etiam Gelasii Cyziceni locum heic describamus, ut eruditus lector comparare illum possit cum loco ex Politia laudato. Sic ergo loquitur hic auctor: *Alexander Thessalonicæ Episcopus per eos, qui sub ipso censentur Ecclesiis in Macedonia prima & secunda, cum iis, quæ in Græcia & Europa tota, in utraque Scythia, & omnibus denique in Illyrico, Thessalia & Achaja.* Tum in fine capitis hæc generaliter adduntur: *Hi omnes sancti atque apostolici viri omnibus sub cœlo sanctis Dei Ecclesiis, quæ in Nicæna sancta magna & generali synodo decreta sunt, transmittentes ubique tradiderunt.* Non me latet, viros eruditissimos in diversum trahere hunc Gelasii locum ac de simplici ministerio explicare, quod Alexandro commissum fuerit a synodo, ut juxta se positis provinciis insinuaret, quæ acta & decreta in Concilio fuerant, neque hinc colligi posse, jurisdictionem aliquam habuisse Thessalonicensem Episcopum in provincias illic enumeratas; idque vel ex eo probant, quod ea cura Alexandro committitur etiam in Europa & Scythia provinciis Thraciarum, in quibus nullum unquam jus fuit Episcopo Thessalonicensi, utpote quæ sitæ essent extra Illyricum. Sane fatendum est, verba Gelasii non esse manifesta. Nam cum ita intelligi possint, ut dicatur ea cura Alexandro imposita tanquam Metropolitano omnium illarum provinciarum, ita certum est capi quoque posse de nudo illo ac simplici ministerio; præsertim cum illic videamus similem curam quoad alias quasdam provincias impositam Macario Hierosolymorum Episcopo & Protogeni Sardicensi, quos tamen constat provinciarum illarum Metropolitanos non fuisse. Ita etiam explicari potest hic locus, ut dicere voluisse videatur Gelasius, Alexandrum Thessalonicensem in synodo tenuisse locum eorum Episcoporum, qui per eas provincias sub ipso censebantur. Sed utcunque se res habeat, colligi hinc certe potest magnæ dignitatis per illa tempora fuisse Episcopum Thessalonicensem, cui ea cura delegatur per tot provincias; seu id factum fuerit in consequentiam jurisdictionis, quam ille obtineret in eas provincias, ut existimat vir illustrissimus Franciscus Bosquetus Episcopus Monspeliensis, seu extraordinaria quadam delegatione. Unde & Innocentius III. instaurationi privilegiorum Ecclesiæ Thessalonicensis intentus ita scribit ad G. Thessalonicensem Archiepiscopum: *Licet autem præfatus antistes satis profecto fuerit ex Ecclesiæ suæ dignitate conspicuus, magis tamen utique fuit ex apostolicæ sedis familiaritate præclarus.*

Bosquetus in Notis ad Innoc. III. lib. 15. epist. 18.

V. Quod si quis isto Gelasii testimonio, utpote hominis a vero frequenter aberrantis, utendum non

non esse putat, adeoque nullius illum momenti esse ad asserendam Thessalonicensis Episcopi dignitatem, is certe cedat oportet auctoritati Concilii Sardicensis: quod cum fuerit celebratum anno CCCXLVII. diu ante initia vicariatus, si quid eximium in Thessalonicensi Episcopo agnovit, dedit documentum posteris, ut non contradicerent. Aetius ergo Thessalonicensis Episcopus videns se prægravari nimia Presbyterorum & Diaconorum extraneorum mora apud Thessalonicam, quo confluebant velut ad metropolim plurium provinciarum, modum huic rei poni postulavit a patribus Sardicensibus, his verbis usus, quæ aperte significant, quanta tum in ordine ecclesiastico esset urbis Thessalonicensis dignitas. *Non ignoratis*, inquit, *quanta & qualis sit Thessalonicensium civitas. Sæpe ad eam veniunt ex aliis regionibus Presbyteri & Diaconi; & non contenti brevi tempore morari, & aut resident ibi, & aut certe vix post longa spatia ad sua redire coguntur*.

Concil. Sardic. c. 20.

VI. Dignitas Episcoporum Thessalonicensium probatur alio illustri exemplo ejusdem omnino temporis. Moris tum erat apud Ecclesiam, ut cum quis Episcopus pulsabatur de crimine, illustrissimarum Ecclesiarum Episcopos sibi faventes habere studeret, ut vel ex eo innocentiam suam ceteris Ecclesiis probaret. Hilarius enim Pictavorum Episcopus validum hinc telum adversus hostes Athanasii Episcopi Alexandrini sumit, quod ei communio reddita fuerit ab Osio Episcopo Cordubensi, Maximino Trevirensi, & Julio Romano. *Sed ignorasse vos negabitis*, inquit, *Athanasio, cujus damnationem a vobis Valens, Ursacius, Saturninus exigunt, ab Osio, Maximino, Julio redditam communionem*. E diverso Sulpitius Severus hinc quoque Priscillianum ejusque socios in culpa fuisse ait, quod Damasum Episcopum Romanum & Ambrosium Mediolanensem, *quorum ea tempestate summa auctoritas erat*, sibi adversantes habuerint. Itaque Athanasius, dum illustrium ac magnæ auctoritatis Episcoporum testimonia adducit ad causæ & innocentiæ suæ defensionem, Alexandri Thessalonicensis Episcopi, illius, qui synodo Nicænæ interfuit, scriptas in causa cædis Arsenii literas adfert, protestatus, sibi instar omnium esse unum Alexandri testimonium, utpote Episcopi illustrissimæ Ecclesiæ, qui plurium provinciarum Metropolitanus erat, adeoque summæ per universam Ecclesiam auctoritatis. Hæc sunt ejus verba: *Quod autem me de cæde Arsenii accusarint, ne multorum scriptis ad eam rem probandam utar, sufficit, si unum duntaxat Alexandri Thessalonicensis Episcopi epistolam, unde & ceterorum existimes, apposuero*.

Hilar. in Fragm. pag. 22.

Sulp. Sever. lib. 2. sac. hist.

Athan. Apol. 2.

VII. Tot argumentis, ut ego quidem arbitror, victus illustrissimus istius operis auctor non dubitavit asserere, jus illud antiquitus competivisse Episcopo Thessalonicensi; ut Metropolitanos suæ Diœceseos aut ipse ordinaret aut ab Episcopis comprovincialibus ordinari juberet, jusque illud ad ipsum spectasse secundum veterem Ecclesiæ suæ consuetudinem, non vero ratione vicariatus sibi ab apostolica sede concessi in his regionibus. Vicariatu enim illo non tam novam auctoritatem tributam fuisse Thessalonicensi Ecclesiæ, quam cumulationem juris. Sane Theodoretus de Thessalonica loquens eam vocat caput Macedoniæ, Thessaliæ & Achajæ, tum aliarum complurium provinciarum, quæ reguntur a Præfecto prætorio Illyrici, uti observatum est in capite superiori. Quod ne quis referat ad vicariatum Romanæ sedis, prohibet Theodoretus, qui de civili tantum administratione heic agit. Unde colligi etiam potest Thessalonicensis Episcopi prærogativa.

Vide infra lib. 6. cap. 5. §. 3.

Marca in lib. de Primat. §. 46.

VIII. Amplitudo illa & dignitas urbis & Ecclesiæ Thessalonicensis maximam apud omnes ubique gentes auctoritatem per ea tempora conciliabat Episcopis Thessalonicensibus, præsertim quoties illi contingebant Episcopi, qui sedem per se satis claram virtutibus suis efficiebant illustriorem. Post Alexandrum itaque, Eremium, cujus mentio extat apud Athanasium in prima apologia, & Aetium, eam sedem tenuit Acholius, vir laudatissimus, & cujus encomium non uno loco enarravit sanctus Ambrosius Episcopus Mediolanensis, cujusque laudes celebrat sanctus Basilius ad illum scribens. Huic ergo Acholio tantus habitus est honor a patribus secundæ synodi œcumenicæ, quæ apud Constantinopolim habita est anno CCCLXXXI. jussu Theodosii Augusti, ut, cum agendum in ea esset de re gravissima, nimirum de ordinatione Ecclesiæ Constantinopolitanæ, eum ex occidentalibus partibus evocandum putarent, & non ante causæ cognitionem susciperent, quam Acholius adesset. Hujus rei probationem debemus epistolæ Concilii Italiæ ad Theodosium, quam vir clariss. Jacobus Sirmondus edidit in Appendice Codicis Theodosiani. *Neque enim indignum videtur, Auguste*, inquiunt Episcopi, *ut Romanæ Ecclesiæ antistitis finitimorumque & Italorum Episcoporum debeant subire tractatum, qui unius Acholii Episcopi ita expectandum esse putaverunt judicium, ut de occidentalibus partibus Constantinopolim evocandum putarent*. Itaque cum venisset Acholius, ita adversus Maximum statuit sancta synodus in tertio canone: *De Maximo Cynico & ejus inordinata constitutione, quæ Constantinopoli facta est, placuit neque Maximum Episcopum esse vel fuisse, nec eos, qui ab ipso in quolibet gradu clerici sunt ordinati, cum omnia, quæ ab eodem perpetrata sunt, in irritum deducta esse videantur*. Tum vero ordinatus est Nectarius Episcopus in Ecclesia Constantinopolitana.

S. Ambros. lib. 3. epist. 20. 21. S. Basil. epist. 337. & seqq.

Appendix Cod. Theodos. pag. 107.

IX. Datum hunc honorem ingentibus Acholii virtutibus, habita etiam fortassis ratione sedis Thessalonicensis, nullus est dubitandi locus. Nam hunc honorem illi habitum non fuisse propterea, quod Damasi Papæ Legatus esset in ea synodo, ex eo constat, quod non jussu Damasi neque sponte sua Constantinopolim accessit, sed invitatus & evocatus ab Episcopis orientalibus, ut diserte scriptum est in eisdem literis Concilii Italici. Falli ergo necesse est viros doctos, qui ex epistola Damasi ad Acholium, quæ extat inter acta Concilii Romæ habiti sub Bonifacio secundo collegerunt, Acholium fuisse Damasi Legatum in secunda synodo œcumenica, cum Sozomenus lib. VII. cap. VII. Acholium inter eos Episcopos enumeret, qui Concilio primo Constantinopolitano, præfuerunt, non potuisse autem Acholium alia ratione synodo CP. extra Diœcesim suam præesse, quam vi legationis Damasi. Falluntur inquam. Nam falsum est, Sozomenum enumerare Acholium inter eos Episcopos, qui synodo illi præfuerunt. Illud tantum ait, Macedonianorum duces, non vero Concilii præsides, fuisse Eleusium Cyzici Episcopum & Marcianum Lampsacenum, Catholicorum vero Timotheum Alexandrinæ sedis antistitem, Meletium Antiochiæ, & Cyrillum Hierosolymorum. Tum subjungit: *Cum his autem erant Ascholius Thessalonicensis & Diodorus Tharsensis & Acacius Beræensis*. Nihil heic de præsidentia in synodo; cujus tametsi mentionem faceret Sozomenus, non inde tamen colligi posset, Acholium illic tenuisse vices Damasi, cum altum istius rei silentium sit in literis Concilii Italici & in scriptoribus ecclesiasticis omnium seculorum. Præterea ea fuit priscis etiam seculis consuetudo, ut Legati Romanorum Pontificum primas sedes obtinerent in synodis œcumenicis. Et heic apud Sozomenum Acholius sexto tantum loco ponitur, & quidem longo intervallo post Eleusium & Marcianum Episcopos minorum civitatum. Quod est omnino infra dignitatem Episcopi Thessalonicensis, præsertim si Romani Pontificis vices illic gessisset. Itaque necesse est affirmare, Sozomenum heic tantum agere de illis Episcopis, qui primas partes tenerent inter Episcopos, qui Concilio Constantinopolitano interfue-

Holsten. in Notis ad Concil. Rom. sub Bonif. p. 261. Chifflet. in Notis ad Vigil. Tapſ. p. 44.

Vide Socrat. lib. 5. c. 8.

fuerunt, non vero deſignare voluiſſe eos, qui ſynodo præfuerunt.

Henr. Valeſ. in Notis ad Socrat. pag. 64. X. Ex his porro, quæ dicta uſque de Acholio ſunt, facile colligi poteſt, falli virum eruditiſſimum Henricum Valeſium, qui Acholium putat unum fuiſſe ex Epiſcopis orientalibus, ob eam videlicet cauſam, quod adfuerit in ſecunda ſynodo œcumenica, *cui ſolos*, inquit, *orientis Epiſcopos interfuiſſe conſtat*. Certum ſane eſt, occidentales Epiſcopos non interfuiſſe huic ſynodo, quæ ex ſolis orientalibus conſtitit. Sed non inde ſequitur, Acholium fuiſſe unum ex orientalibus. Nam ante diviſionem imperii, quæ facta eſt a Theodoſio, Illyricum ſolidum, in quo ſita erat Theſſalonica, accenſebatur occidenti; ut dictum eſt in capite XIX. iſtius libri, & probat etiam idem Valeſius. (Ibid. & pag. 166.) Præterea Acholius non interfuit huic ſynodo, ut Epiſcopus Eccleſiæ orientalis, ſed ut unus occidentalium, evocatus nimirum ab orientalibus; ut docet epiſtola Concilii Italiæ ad Theodoſium, cujus locus paulo ante relatus eſt in hoc capite. Quod animadverſum non fuiſſe a Valeſio miror, qui teſtimoniis iſtius epiſtolæ Concilii Italici frequenter utitur in Annotationibus ſuis ad Socratem & Sozomenum.

CAPUT XXI.

De ſecunda Synodo œcumenica, Conſtantinopolitana ſcilicet, ubi ſimul oſtenditur, Acholium Theſſalonicenſem, nec in hac, nec in Aquilejenſi ſynodo vices Damaſi ſuſtinuiſſe.

SYNOPSIS.

I. Agendum de ordinatione Maximi in Eccleſia CP. ut Nicolaus I. vindicetur a ſuſpicione mendacii adverſus Blondellum. Damaſus Papa non favit Gregorio Nazianzeno in hac cauſa, ut viſum eſt Baronio, imo ejus translationem fieri non debere reſcripſit.

II. Deſcribuntur, quæ Conſtantinopoli acta ſunt circa Maximi & Gregorii ordinationem. Damaſus ſcripta ad Epiſcopos quoſdam Illyricianos epiſtola damnat ordinationem Maximi & præſumptionem Gregorii, qui de civitate ſua ad Conſtantinopolitanam tranſire vellet contra canones.

III. Idem de ea re ſcribit ad Acholium Theſſalonicenſem, hortaturque eum dare operam, ut catholicus Epiſcopus in CP. urbe conſtituatur.

IV. Ex his Damaſi epiſtolis collegerunt viri docti, Acholium Damaſi Legatum fuiſſe in ſecunda ſynodo œcumenica. Refellitur ea doctorum virorum opinio.

V. Theodoſius Imp. baptizatur ab Acholio. Concilium Conſtantinopoli congregatur, ad quod orientales Epiſcopi evocant Acholium pro cauſa Maximi & Gregorii finienda. Gregorio ſe epiſcopatu regiæ urbis abdicante, Nectarius in ejus loco ordinatur, Maximus vero deponitur & excommunicatur.

VI. Maximus damnatus confugit ad Epiſcopos Italos; qui patrocinium ejus ſuſcipiunt, damnata Nectarii ordinatione. Cauſa ejus actitatur in Concilio Aquilejenſi ſub Ambroſio, ex quo ſcriptum eſt ad Theodoſium.

VII. Quæritur, an Acholius huic Concilio interfuerit, & utrum heic tenuerit vices Damaſi, quod negatur.

VIII. Concilium Romæ congregatur ob diſſenſionem quarundam Eccleſiarum, præſertim Conſtantinopolitanæ. Maximi cauſa triſtes habuit exitus, meliorque fuit conditio Nectarii.

IX. Rediit dein Eccleſiis concordia, quæ propter hanc cauſam diſſociata fuerat, poſt ſcriptam ab orientalibus Epiſcopis epiſtolam ad Damaſum Papam & ad ſynodum Romanam.

X. Negotium illud pacis conſummavit Theodoſius, miſſa ad Damaſum illuſtri legatione, ut ei ſignificaret ordinationem Nectarii.

XI. Acholius non tenuit locum Damaſi in ſecunda ſynodo œcumenica. Refellitur Holſtenius, qui ait, eam ſynodum pro generali habitam non fuiſſe ab Eccleſia Romana. Quod refellitur multis argumentis, præcipue vero auctoritate veterum Pontificum Romanorum, qui teſtantur, ſe tenere atque defendere definitiones ſtatutas in quatuor ſanctis Conciliis.

XII. Gregorius Magnus profitetur, ſe quatuor ſancta Concilia, in quibus Conſtantinopolitanum ſecundo loco ponit, ſuſcipere & venerari ſicut ſancti evangelii quatuor libros. Nicolaus I. ait, ſecundam ſynodum apoſtolicæ ſedis auctoritate fultam fuiſſe. Emendatur Innocentius III. qui canonem Photiani Conciliabuli putavit eſſe Concilii CP. primi.

XIII. Reponi poteſt, Romanam Eccleſiam ſuſcepiſſe quidem definitionem fidei editam in hoc Concilio, ceterum canones non ſuſcepiſſe, juxta teſtimonium ſancti Gregorii.

XIV. Locum Gregorii oportet eſſe depravatum, cum aliquid diverſum habeat ab auctoritate deceſſorum ejus, conſtetque ex Dionyſio Exiguo, canones tres illius Concilii receptos ab Eccleſia Romana fuiſſe diu ante tempora Gregorii.

XV. Maneat itaque nullam Romanæ ſedis legationem interfuiſſe Concilio ſecundo œcumenico.

XVI. Damaſi Legatos non interfuiſſe ſecundæ ſynodo œcumenicæ, probatur etiam teſtimonio Græcorum.

I. QUoniam ſuperiori capite nonnulla diximus de ordinatione Maximi in Eccleſia Conſtantinopolitana, cujus partim occaſione coactum eſt Concilium Conſtantinopolitanum, res poſtulare videtur, ut cauſæ iſtius initia repetamus, præſertim cum hinc quoque commendari poſſit fides rerum a Nicolao primo proditarum in epiſtola ad Imperatorem Michaelem, de qua nobis ſuſpicionem injicere voluit David Blondellus in libro de Primatu. Explicabuntur etiam hac ratione verba Nicolai, ex quibus illuſtriſſimus Cardinalis Baronius collegit, (Baron. ad an. 380.) Damaſum Papam Gregorio Nazianzeno faviſſe, qui Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ordinatus item fuerat Epiſcopus, perſuaſum, ut ipſe putat, ab Hieronymo, qui Gregorii auditor fuerat, quique apud Damaſum pro Gregorio literis egerat ex urbe Conſtantinopolitana ſcriptis. Fallitur enim hoc loco Baronius ex eo exiſtimans, Damaſum Gregorio faviſſe, quod teſtetur Nicolaus frequentia Damaſi (Nicol. I. ep. 8.) adverſus Maximum reſcripta fuiſſe; tanquam non potuerit Damaſus ordinationem Maximi repellere, quin eodem tempore Gregorii tranſlationem approbaret. Contra Damaſus ſic Maximum inſectatus eſt, ut etiam tranſlationem Gregorii fieri prohiberet tanquam contrariam canonibus & bonis moribus, ceu mox oſtenſuri ſumus.

II. Vacante igitur Conſtantinopolitana Eccleſia, Gregorius Nazianzenus tum Epiſcopus, qui (Theodoret. lib. 4. hiſt. eccl. cap. 8.) Conſtantinopoli fidem orthodoxam publice profitebatur adverſus Arianos, ad eam cathedram vocatus eſt. At parte ex alia Epiſcopi aliquot Ægyptii Maximum ſecta Cynicum ordinarunt Epiſcopum contra Gregorium. Hæc cum ad Acholii & aliorum quorundam tractus illius Epiſcoporum aures perveniſſent, literas ad Damaſum in commune ſcripſerunt, rei geſtæ ſeriem continentes; ut qui ab Imperatore ad Concilium Conſtantinopoli habendum evocati fuerant, de negotio, quod univerſam Eccleſiam reſpiciebat, Romanæ Eccleſiæ ſententiam explorarent. Damaſus in epiſtola generali ad eoſdem Epiſcopos data primum graviter reprehendit ordinationem Maximi, deinde vero damnat eorum conſilium, qui Gregorii tranſlationem peregerant, tamen etſi illum non nominet. (Apud Holſten. pag. 37.) *Decurſis literis dilectionis veſtræ, fratres chariſſimi*, inquit, *ſatis ſum contriſtatus, eo tempore, quo Deo præſtante heretici iverant abjecti, neſcio quos ex Ægypto venientes in poſtulatione contra regulam eccleſiaſticæ*

diſci-

disciplinæ alienum a nostra professione in Constantinopolitana civitate Cynicum ad sacerdotium vocare voluisse. Ubi, ut hoc quoque dicam, puto legendum esse *venientes Constantinopolim contra regulam &c.* Tum exagitata ordinatione illa, addit commonere se eos, ut in Concilio Constantinopolitano, quod indictum ob eam causam erat, darent operam, quemadmodum prædictæ civitatis Episcopus eligatur, qui nullam habeat reprehensionem. In fine eos hortatur ad custodiam canonum, & ne patiantur aliquem migrare de civitate ad civitatem. Quod adversus Gregorium scriptum esse, nullus est dubitandi locus. Sic ergo ait Damasus:

Ibid. pag. 41. *Illud præterea commoneo dilectionem vestram, ne patiamini aliquem contra statuta majorum nostrorum de civitate alia ad aliam transduci & deserere plebem sibi commissam & ad alium populum per ambitionem transire. Tunc enim contentiones oriuntur, tunc schismata graviora occipiunt, cum & illi, qui amiserint sacerdotem, sine dolore animi esse non possunt, & illi, qui alterius civitatis acceperint Episcopum, etiamsi gaudeant, invidiosum sibi intelligunt fore, sub alieno se agere sacerdote*. De Gregorio, inquam, heic agi manifestum est, & docet præterea epistola Concilii Italiæ ad Theodosium, de ordinatione Maximi agens, his verbis:

Concil. Nic. c. 15. Concil. Antioch. c. 21. Concil. Sardic. cap. 1.

Appendix Cod. Theodos. pag. 104. *Tamen ne absentibus partibus præsumpte aliquid definisse videremur, clementiam tuam datis literis putavimus instruendam, ut ei consuleretur ex usu publicæ pacis atque concordiæ; quia revera advertebamus Gregorium nequaquam secundum traditionem patrum Constantinopolitanæ Ecclesiæ sibi sacerdotium vindicare*.

III. Præter illam porro epistolam generalem Damasus aliam seorsum dedit ad Acholium, a quo & ipse seorsum ab Episcopis scriptam epistolam acceperat de ordinatione Maximi, ad eumque rescripsit, non sibi placuisse ordinationem illam, hortaturque eum dare operam, uti catholicus Episcopus in Constantinopolitana urbe constituatur.

Apud Holsten. pag. 43. *Ad literas sanctitatis tuæ*, inquit, *plene rescripsi, non mihi placuisse, quod nescio quem Maximum ex Ægypto venientes conatum vel maxime, cujus habitus juxta Apostolum ignominiosus esset, Constantinopoli Episcopum ordinare voluissent. Rectius igitur fecerit sanctitas tua, si dederit operam, ut de cetero catholicus constituatur, cum quo nobis Deo propitio possit pax perpetua perdurare*.

IV. Ex his Damasi epistolis collegerunt viri docti, uti jam diximus, Acholium Damasi Legatum fuisse in secunda synodo œcumenica: cum tamen nulla illic legationis illius vestigia extent, repugnetque præterea auctoritas epistolæ Concilii Italici ad Theodosium, quæ docet, Acholium non venisse sponte sua ad Concilium, sed invitatum ab Episcopis orientalibus. Quod si quis tamen contentionis studio vellet omnino ex illa epistola colligi, Acholium in ea synodo tenuisse locum Damasi propterea, quod ei Damasus injungere videtur, ut in Concilio Constantinopolitano catholicum Ecclesiæ huic Episcopum ordinari procuret, is certe fateatur oportet, non uni Acholio commissas fuisse Damasi vices, sed Eurydico etiam, Severo, Uranio, Philippo & Johanni, quibus hanc ipsam curam disertis verbis imponit Damasus, atque ita in plures divisam esse auctoritatem, quam illi uni Acholio tributam volunt.

Apud Holsten. pag. 41. *De cetero commoneo sanctitatem vestram, ut quia cognovi dispositum esse Constantinopoli Concilium fieri debere, sinceritas vestra det operam, quemadmodum prædictæ civitatis Episcopus eligatur, qui nullam habeat reprehensionem; ut Deo propitio cum integra pax catholicorum sacerdotum fuerit confirmata, nullæ deinceps dissensiones in Ecclesia oriantur, ut præstante Deo, quod jam dudum optavimus, cum catholicis sacerdotibus possit pax perpetua perdurare*. Præterea valde accusanda esset Acholii contumacia, qui non vi mandatorum Damasi Constantinopolim accesserit, sed postquam rogatus & evocatus fuit ab Episcopis orientalibus.

Marca de Conc. Sacerd. & Imp.

V. Dum hæc Constantinopoli agebantur, Theodosius Imperator apud Thessalonicam baptizatus est ab Acholio anno trecentesimo octuagesimo. Is ergo initio fidei suæ consecrare cupiens insigni aliquo facinore, nihil illustrius se facere posse putavit, sic fortassis ab Acholio persuasus, quam si recens Ecclesiæ Constantinopolitanæ schisma sedaret. Ea de causa Concilium in ea urbe convocavit, in quo, ut Socrates & Sozomenus tradunt, tum Nicæni Concilii decreta confirmarentur, tum ordinaretur aliquis, qui Constantinopolitanæ sedis episcopatum administraret. Advenientes in regiam urbem Episcopi, primo segregantes se ab Episcopis Ægyptiis, sacros conventus cum Gregorio egerunt. At vir pacis amantissimus, cum videret discordiam inter Episcopos esse subortam propter ordinationem suam in Ecclesia Constantinopolitana, ad eamque redintegrandam illos fuisse congregatos, primum orare uti cum jam de concordia constituenda convenissent, ea, quæ ad concordiam mutuam spectarent, unius hominis injuriæ præferre velint, abiturum se lubenter episcopatu tantæ urbis, quietem porro ac tranquillitatem sibi cariorem esse; conquirerent itaque virum præstabilem & sapientem, qui provinciam tam plenam curarum tum capessere tum probe administrare posset, eumque Episcopum designarent urbis Constantinopolitanæ. His rationibus persuasi patres, cum inter se de negotio magni momenti deliberarent, literas ad Acholium Thessalonicensem Episcopum miserunt, orantes uti Constantinopolim veniret, ut cum ejus judicio sive consilio de regiæ urbis episcopatu decernerent. Gregorio itaque se episcopatu illo abdicante, Nectarium in loco ejus ordinarunt, Maximum autem episcopali dignitate spoliarunt, eique Ecclesia interdixerunt.

Theodoret. lib. 5. hist. eccl. c. 8.

Appendix Cod. Theodos. p. 108.

VI. Videns ista Maximus in Italiam se contulit, ut Pontificum Italorum, sed præcipue Damasi Romani & Ambrosii Mediolanensis, quorum ea tempestate summa auctoritas erat, favore fultus, Nectario reprobato, Constantinopolitanam Ecclesiam retinere posset. Constat autem, Nectarii ordinationem initio non placuisse Damaso. Itaque affirmate possumus, Damasum & occidentale Concilium hoc Maximi confugium approbasse eamque occasionem explicandæ auctoritatis Romanæ & occidentalis Ecclesiæ in sedem Constantinopolitanam avide arripuisse. Hinc factum, ut in Concilio Aquilejensi sub Ambrosio, quod generale erat ex occidente, cuique Damasi auctoritatem ex eo inter cetera intervenisse colligitur, quod de illo congregando Gratianus Imperator ad eum scripsit, ut fidem facit auctor Synodici, in Concilio inquam Aquilejensi, damnata Nectarii ordinatione, ita approbatus sit Maximus, ut Episcopi ex eo Concilio ad Theodosium rescripserint, nihil habuisse se, in quo de episcopatu ejus dubitare possent, cum etiam vim sibi repugnanti a plerisque etiam de populo & clero testatus esset illatam, neque aliter redintegrari posse concordiam inter occidentales & orientales, quæ propter hanc causam soluta & dissociata fuerat, quam si posthabita & cassata Nectarii ordinatione, Maximus, utpote prior ordinatus, sedi Constantinopolitanæ redderetur; si vero obtineri id non posset, certe causa utriusque coram Damaso retractaretur in synodo Romana, ad quam Episcopi ex occidente & oriente convenirent.

Vide Heur. Valesius in Notis ad Sozom. pag. 151.

Synodic. c. 74

VII. Huic Concilio Aquilejensi præfuisse Ambrosium Episcopum Mediolanensem, vetera illorum temporum monumenta probant. Auctor vero Synodici addit, Acholium quoque Thessalonicensem synodi præsidem una cum Ambrosio fuisse; cum tamen ille neque in epistolis synodicis nominatus inveniatur, neque in actis, quæ nunc extant, ejusdem Concilii. Ex eo tamen Synodici loco viri clarissimi, Lucas Holstenius & Petrus Franciscus Chiffletius, collegerunt, Acholium Damasi Legatum fuisse in Concilio Aquilejensi,

R.P. Chifflet. in Notis ad Vigil. Tapf. pag. 45.

eo nimirum argumento persuasi, quod synodo Aquilejensi, quæ in Italia cogebatur extra Diœcesim Illyricianam, interesse non potuerit nisi sub umbra legationis apostolicæ sedis. Ego vero fateor, valde dubitare me, an Acholius præsens fuerit in Concilio Aquilejensi. Ceterum huic interfuisse potuit etiam, ut Episcopus Thessalonicensis, utpote unus Episcoporum occidentis, adeo, ut opus non sit recurrere ad vices Damasi. Immo Legatum ejus illic non fuisse, vel ex eo colligerem (tametsi concederem illum interfuisse synodo) quod primum ubique locum obtinet Ambrosius in epistolis synodicis, in quibus Acholius ne nominatur quidem , quod est omnino infra dignitatem ejus, qui Vicarius esset Romani Pontificis. Nunc ad causam Maximi & Nectarii revertamur.

Hieronym. in ep. ad Eustochium. VIII. Imperialibus itaque literis, ut Hieronymus ait, Romam ob dissensionem Constantinopolitanæ, Antiochenæ & Hierosolymitanæ Ecclesiarum contractis orientis & occidentis Episcopis anno CCCLXXXIV. adfuit etiam Acholius, unus videlicet occidentalium; orientales vero Constantinopoli substiterunt, tametsi & Imperatorum rescriptis & occidentalis Concilii literis Romam evocati fuissent. His literis occidentales, ut ex orientalium epistola colligitur, hortabantur orientales ad pacem Ecclesiarum, nominatim agentes de ordinatione Nectarii, cujus causam in synodo Romana retractandam esse contendebant juxta postulata prioris synodi. Adfueritne Maximus, annon, a nemine traditum invenio. Probabile tamen est adfuisse in synodo, quæ propter eum celebrabatur, & quam Episcopi Italiæ, gratificari ei cupientes, ab Imperatoribus congregari petiverant; præsertim cum ipse, aversos a se videns animos Episcoporum orientalium ac Theodosii Augusti, quorum studia ad Nectarium conversa erant, in Italiam se contulisset, ut causam in synodo ageret suam, quemadmodum loquuntur Episcopi Concilii Italici ad Theodosium. Utcunque se res habeat, certum est causam Maximi tristes exitus habuisse melioremque fuisse Nectarii conditionem.

IX. Rediit deinde Ecclesiis concordia post scriptam ab orientalibus epistolam ad Damasum Papam & ad synodum Romanam, quæ extat apud Theodoretum; in qua jure factam Nectarii ordinationem pertinacissime, licet verbis perquam modestis, affirmabant. Nam hæc omnino sunt verba

Theodoret. lib. 5. hist. eccles. c. 9. eorum: *De administrationibus autem, quæ sunt cujusque Ecclesiæ propriæ, cum vetus, uti nostis, lex est, tum sanctorum patrum in Nicæno Concilio decisio, ut videlicet singularum provinciarum antistites una cum finitimis, modo ipsis ita visum fuerit, Episcopis ministros ad Ecclesiarum commodum in suis ipsorum provinciis ordinent. Ex cujus legis & definitionis præscripto scitote tum alias quoque Ecclesias apud nos administratas esse, tum illustrissimarum Ecclesiarum sacerdotes delectos. Unde Ecclesiæ Constantinopolitanæ recens, ut ita dicam, ædificatæ, quamque ex hæreticorum blasphemia tanquam ex ore leonis per misericordiam Dei nuper eripuimus, reverendissimum sanctissimumque Nectarium in Concilio generali, communi omnium consensu, præsente Theodosio Imperatore religiosissimo, totius denique cleri totiusque civitatis suffragiis ,*

Vide infra lib. 7. cap. 4. §. 10. *Episcopum constituimus* . Et infra: *Quibus rebus tanquam legitime & secundum Ecclesiæ canones constitutis obsecramus vestram reverentiam, uti congratuletur, spirituali charitate nos mutuo devinciente, & timore Domini, qui omnem humanam affectionem reprimit, Ecclesiarumque ædificationem amori illi & benevolentiæ, qua singuli singulos complectuntur, longe anteponit.*

X. Negotium illud pacis & concordiæ prudenti usus consilio consummavit Theodosius Imperator, missa ad Damasum illustri legatione, ut ei significaret ordinationem Nectarii, quæ communi omnium consensu sub præsentia Principis & Concilii generalis peracta fuerat, utque formatam, id est, literas communicatorias, pacis symbolum, ab eo ad Nectarium mitti secundum morem debere insinuaret. Memoriam tantæ rei debemus Bonifacio I. cujus hæc sunt verba ex epistola ad Episcopos Illyrios: *Clementissimæ recordationis Princeps Theodosius Nectarii ordinationem, propterea quia in nostra* (id est, ejus Pontificis, qui tum apostolicæ sedi præsidebat, Damasi nimirum) *notione non esset, habere non existimans firmitatem, missis e latere suo aulicis cum Episcopis formatam huic a sede Romana dirigi regulariter depoposcit, quæ ejus sacerdotium roboraret.* Tunc vero fractæ sunt graves illæ Concilii Italici minæ, de quibus paulo ante dicebamus; pacatoque Damaso, pacata etiam est Italia. Valuit itaque ordinatio Nectarii. Apud Holsten. pag. 77.

XI. Sed ut ad id revertamur, quod de Acholio vere dicebamus, nimirum eum non tenuisse locum Damasi in secunda synodo œcumenica, hinc etiam valida istius rei probatio peti potest, quod (ut supra illustrissimus Archiepiscopus observavit tanquam rem positam extra omnem controversiam) certum sit, eam synodum nullis ornatam fuisse Romanæ Ecclesiæ Legatis. Unde & Holstenius adnotat eam, quod absque auctoritate Damasi habita fuerit, pro generali habitam non fuisse ab Ecclesia Romana , quæ nunquam ejus acta probavit. Quanquam si quis heic cum Holstenio contendere vellet, opponere illi posset auctoritatem Photii, qui in libro de synodis adnotat, Damasum confirmasse secundam synodum œcumenicam. *Quibus haud multo post*, inquit, *& Damasus Episcopus Romæ eadem confirmans atque idem sentiens accessit.* Unde & illustrissimus Cardinalis Baronius observat, in annalibus ecclesiasticis hoc Concilium auctoritate Damasi obtinuisse nomen œcumenici Concilii. Nam & Papa Vigilius in epistolis ad Justinianum Imp. & ad Menam Episcopum CP. item in encyclica ad universam Ecclesiam, in qua exponit causas secessus sui ad sanctam Euphemiam, & quid ibi egerit cum Legatis Justiniani, confessionem fidei suæ interserens, sanctam synodum Constantinopolitanam CL. patrum numerat inter quatuor œcumenicas sive generales, exemplum prædecessoris sui Gelasii secutus. Pelagius quoque secundus confessionem fidei suæ mittens universo populo Dei ita loquitur: *De sanctis vero quatuor Conciliis, id est, Nicæno trecentorum decem & octo, Constantinopolitano centum quinquaginta, Ephesino primo ducentorum, sed & Chalcedonensi sexcentorum triginta, ita me protegente divina misericordia sensisse & usque ad terminum vitæ meæ sentire toto animo & tota virtute profiteor, ut eas in sanctæ fidei defensione & damnationibus hæresium atque hæreticorum, utpote sancto firmatas spiritu, omnimoda devotione custodiam:* Et paulo post: *Similem igitur suprascriptis synodis reverentiam me semper exhibiturum esse confido.* Et in epistola ad Childebertum Regem Francorum : *Definitiones quoque de eadem catholica fide, quæ in quatuor sanctis Conciliis statutæ sunt, sed & memorati Pontificis*, id est, Leonis primi, *quas universalis semper tenuit ac tenet Ecclesia, nos cum Dei auxilio tenere atque defendere præsenti ad excellentiam vestram conloquio intimandum necessario judicavi.*

Vide supra hoc lib. 5. c. 4. §. 3.

Holsten. in Notis ad Concil. Rom. sub Bonif. II. pag. 260.

Baron. ad an. 381.

Extat in Appendice Cod. Theod. p. 218.

Gelas. I. in Decreto de libris apocryphis.

XII. Decessoris sui Pelagii vestigia premens Gregorius istius nominis primus, cui deinde Magno cognomen hæsit, profitetur alicubi se sancta quatuor Concilia, in quibus Constantinopolitanum istud secundo loco ponit, suscipere & venerari sicut sancti evangelii quatuor libros. Longum esset ire per singulos. Sed tamen prætermitti non debet testimonium Nicolai I. qui ad Michaelem Imperatorem scripsit sanctam secundam synodum apostolicæ sedis auctoritate fultam Nectarii ordinationem in Ecclesia Constantinopolitana fieri decrevisse. *Et idcirco*, inquit, *bene & optime sanctæ secundæ synodo apostolicæ sedis auctoritate fultæ ita de Nectario placuisse testamur.* Adferri quoque hoc loco debet testimonium Innocentii III. qui ad Hu-

S. Greg. lib. 1. epist. 24.

Nicol. I. ep. 5.

Innoc. III. lib. 11. ep. 248. unde sumptum est caput *Post transl. De renuntiat.*

Hubaldum Episcopum Faventinum in Archiepiscopum Ravennatensem electum scribens anno MCCVIII. IV. Idus Februarii, antiquorum Pontificum prædecessorum suorum placitis inhærens, ita loquitur de Concilio isto Constantinopolitano; licet in facti specie lapsus sit, decretum Photiani Concilii tribuens secundæ synodo œcumenicæ. *Unde contra dictum Concilium*, inquit, *cum sit unum ex quatuor principalibus, quæ sicut quatuor evangelia catholica Ecclesia veneratur, nullatenus videbatur eadem postulatio admittenda.*

Concil. CP. sub Phot. c. 2. & apud Gratian. 7. q. 1. c. *Hoc nequaquam.*

XIII. Scio tamen, adversus hæc posse reponi, Romanam Ecclesiam suscepisse quidem definitionem fidei editam in hoc Concilio Constantinopolitano, ceterum canones illic conditos rejecisse, juxta testimonium ejusdem sancti Gregorii, qui hæc ad Eulogium Episcopum Alexandrinum & Anastasium Antiochenum scribit: *Et canone quidem Constantinopolitani Concilii Eudoxianos damnant. Sed quis fuerit eorum auctor Eudoxius, nequaquam dicunt. Romana autem Ecclesia eosdem canones vel gesta synodi illius hactenus non habet nec accepit; in hoc autem eandem synodum suscepit, quod est per eam contra Macedonium definitum.*

Vide supra l. 3. c. 3. §. 2.

S. Greg. lib. 6. epist. 31.

XIV. Testimonium illud sancti Gregorii magnæ esse constat auctoritatis. Non video tamen, quomodo convenire ei possit cum ceteris Pontificibus, qui profitentur absque ulla exceptione damnare se hæreses & hæreticos a quatuor sanctis Conciliis damnatos, adeoque illos, qui in secunda synodo œcumenica damnati sunt. Damnatio autem Macedonianorum, ut istos exempli causa sumamus, non extat nominatim in symbolo fidei, quod a synodo illa editum habemus, sed in primo canone, in quo etiam damnantur aliorum quorundam hæreticorum errores. Unde fortassis colligi debet, locum S. Gregorii non vacare mendo, tamen etsi ab Hincmaro citetur, ut heic editus est. Nam præterea ævo ejus collectio canonum a Dionysio Exiguo adornata recepta jamdiu erat in Ecclesia Romana, ut constat ex Cassiodoro. In hac porro collectione descriptos hodie videmus tres canones Concilii istius Constantinopolitani, non solum in libris editis, sed etiam in omnibus antiquis codicibus. Unde colligi potest, illos ab Ecclesia Romana receptos fuisse ante Gregorii Magni tempora, cessante videlicet causa, propter quam repudiati erant, mitigato nimirum dolore, quem Pontifices Romani conceperant ex dignitate, quæ collata erat Episcopo Constantinopolitano.

Hincmar. in opusc. IV. Capitul. c. 24.

Cassiodor. c. 23. divinar. lect.

XV. Scio, ut ante dixi, adversus ea, quæ huc usque dicta sunt, reponi posse, Romanam Ecclesiam suscepisse quidem definitionem fidei editam in Concilio Constantinopolitano, ceterum canones ejusdem Concilii non recepisse. Verum satis instituto meo feci, si probatum adversus Holstenium fuerit, eam synodum pro generali habitam fuisse a Pontificibus Romanis & ab Ecclesia Romana. Id vero me tot auctoritatibus abunde puto confecisse, superfluamque fore omnem operam, quæ in hoc argumento deinceps poneretur. Atque id quidem obtinuit, quamvis ea synodus habita fuerit absque Damaso & absque auctoritate ejus. Non vident enim, qui contra sentiunt, quantam sedi apostolicæ injuriam faciant, quam volunt Constantinopoli fuisse in suo Vicario Acholio, qua tempestate jaciebantur fundamenta patriarchatus Constantinopolitani, patriarchatus inquam Constantinopolitani, cui tantis animis & per tot tempora contradixerunt Romani Pontifices tanquam novæ rei & quæ tentata esset adversus statuta Concilii Nicæni.

XVI. Melius igitur cum Romanis agitur & æquius pro veritate, cum asseritur, nullam sedis apostolicæ legationem interfuisse secundæ synodo œcumenicæ, quæ Constantinopoli coacta est. Quod ut etiam Græcorum testimonio conficiamus, utemur auctoritate veteris indiculi septem Conciliorum œcumenicorum, qui in veteri codice MS. bibliothecæ regiæ præfixus est operibus sancti Basilii. Indiculus ille, ne quid dissimulem, non est admodum vetustus, quippe his quadringentis annis scriptus, ut apparet ex forma literarum. Descriptum tamen esse ex vetustiori codice, qui ante octavam synodum scriptum fuerit, hinc colligi posse videtur, quod in enumeratione synodorum, Imperatorum, Patriarcharum, quorum temporibus habitæ sunt synodi œcumenicæ, tum etiam urbium, in quibus habitæ sunt, & hæreticorum, adversus quos ea Concilia celebrata sunt, indiculus ille constanter definit in septima synodo, quam in Nicæa congregatam prodit adversus Iconomachos sub Constantino & Irene, temporibus Tarasii Patriarchæ CP. & Hadriani Papæ Romani. In fine vero indiculi recensentur Romani Pontifices, quorum ævo ea Concilia celebrata sunt, item eorum virorum nomina, qui locum ipsorum tenuerunt in synodis œcumenicis. Primo loco ponitur Silvester, cujus locum in Nicæna synodo tenuisse dicuntur Biton & Vincentius. Sequitur Damasus, cujus ævo celebratum est Concilium CP. de quo nunc agimus. Sed in hoc loco, quemadmodum & sub Vigilio, locus Vicariorum relictus est vacuus, quia nulla Romanæ sedis legatio interfuit huic synodo. Post Damasum ponitur Cælestinus, cujus locum in Ephesina synodo tenuisse Cyrillum Alexandrinum, docet auctor indiculi. Deinde Leo, pro quo Paschasinus & Lucesius adfuerunt in Concilio Chalcedonensi. Tum Vigilius; hinc Agatho, cujus locum in sexta synodo tenuisse leguntur Georgius, Theodorus, alter Georgius & Joannes. Postremo Adrianus primus, cujus vicem in septima synodo obtinuerunt Petrus & alter Petrus. Unde constat, eam fuisse Græcorum sententiam, ut putarent, secundam synodum habitam fuisse absque Legatis Romani Pontificis. Operæ autem pretium est, heic describere postremam partem illius indiculi, ut res ista melius intelligi possit.

πάπαι.	σίλβεστρος.	καὶ ἰούλιος.	δάμασος.	κελεστῖνος.	λέων.	βιγίλλιος.	ἀγάθων.	ἀδριανός.
τοποτηρηταί.	βίτων, καὶ βικέντιος.			κύριλλος.	πασκασῖνος. λουκίσιος.		γεώργιος θεόδωρος. γεώργιος, καὶ ἰωάννης.	πέτρος, καὶ πέτρος.

CAPUT XXII.

Ostenditur, vicariatum Thessalonicensis ecclesiæ fuisse loco, non personæ tributum.

SYNOPSIS.

I. Investigandum nunc est, an Vicariatus Thessalonicensis datus Ecclesiæ fuerit, aut singulis Episcopis. Ivo Carnotensis ait personale privilegium fuisse, non generale decretum. Contra nonnulli putant, sic concessum fuisse privilegium, ut revocari non posset.

II. Distinctio privilegiorum in personalia & perpetua; quæ probatur illustri loco sancti Gregorii. Consuetudo bona obtinet vim legis. Vicariatus apostolicæ sedis tributus fuit Ecclesiæ Thessalonicensi. Refellitur Holstenius, qui aliter senserat.

III. Istud probatur auctoritate Bonifacii I. Cælestini I. & Sixti III.

IV. Ultima verba epistolæ Sixti explicantur, quæ tangunt causam Perigenis Corinthiorum Episcopi.

Tum ex ea epistola manifeste colligitur, vicariam illam dignitatem Ecclesiæ Thessalonicensi fuisse conjunctam.

V. Idem Sixtus hinc concludit, omnes Illyricianas Ecclesias pertinere ad curam Thessalonicensis antistitis, quisquis is tandem fuerit. Idem probatur auctoritate sancti Leonis, qui explicatur, item Bonifacii. Hormisda loquitur de privilegiis Ecclesiæ Thessalonicensis.

VI. Itaque cum sequentes Pontifices ajunt, se vices suas Thessalonicensibus Episcopis committere secundum morem, intelligendum est, illos firmitatem rebus jam constitutis tribuere, non vero personæ concedere auctoritatem cum persona interituram.

VII. Auctoritatem illam fuisse perpetuam, probatur etiam ex Nicolao I.

VIII. Locus Nicolai illustratur & explicatur. Dionysius Exiguus sua attestatione docuit, fixam fuisse illam dignitatem, cum dixit, Thessalonicensem antistitem semper implevisse vices apostolicæ sedis.

IX. Istud ipsum probatur ex comparatione dignitatis, quam Archiepiscopo primæ Justinianæ conciliavit Imperator Justinianus ad exemplum ejus potestatis quam Thessalonicensis obtinebat in Illyrico.

I. SUperest itaque, ut investigemus, an vicaria illa Thessalonicensium Episcoporum dignitas data fuerit Ecclesiæ, an vero personalis tantum fuerit. Difficilis sane quæstio, quæ manifestis argumentis solvi non potest, & cui vix tenuem facem præferunt vetera monumenta. Si quid in re adeo antiqua valere posset auctoritas Ivonis Episcopi Carnotensis, uno verbo confici res posset. Hic enim aperte scribit, auctoritatem, quæ Thessalonicensi Episcopo tanquam sedis apostolicæ Legato data fuerat, personale privilegium fuisse, non generale decretum. *Personale hoc fuisse intelligimus privilegium*, inquit, *non generale decretum*. Contra, nonnulli viri celeberrimi hoc nostro seculo censuerunt, sic concessum fuisse privilegium, ut revocari non posset, ita ut, quicunque Thessalonicensis Episcopus esset, is Legatus esset Romani Pontificis, ejusque vices ratione suæ Ecclesiæ gereret in Illyrico. Inquirendum igitur est in antiquitatem, & absque ullo præjudicio quærenda veritas; præsertim cum stabilita semel auctoritate Episcopi Thessalonicensis in Illyrico, facilis hinc descensus sit ad Episcopos, qui eadem vel simili potestate ornati sunt in aliis regionibus, præcipue vero ad Arelatenses.

Ivo ep. 59.

Marca lib. 7. de concord. c. 17. §. 7. & in libro de Primat. §. 46. 50. Fr. Florens ad Tit. d elect. & electi potest p. 195. R. P. Chifflet. in Notis ad Vigil. Tapf. p. 44.

II. Sed antequam ad rem ipsam veniamus, sic statuendum est, privilegium personæ datum, personale vocari, & extingui cum persona; adeoque si cuipiam Episcopo vices apostolicæ sedis ita committantur, ut non loco sed personæ dicantur esse tributæ, privilegium illud pertinere non potest ad successorem. Hanc regulam debemus sancto Gregorio: qui vices suas per Siciliam delegans Maximiano Episcopo Syracusano, ait, se id tribuere personæ ejus, non loco, id est, Maximiano, non Ecclesiæ Syracusanæ, ne successores ejus illud privilegium sibi postea vindicarent, quod in persona Maximiani cœpisset. *Quas videlicet vices*, inquit, *non loco, sed personæ tribuimus; quia ex transacta in te vita didicimus, quid etiam de subsequenti tua conversatione præsumamus*. Ex hac regula aliam quoque, quæ magni momenti est in hac causa, colligimus, nempe vicariam illam auctoritatem, quæ uni cuipiam Episcopo tribuitur, perpetuam esse, & ad omnes æque successores pertinere, si Pontifex in rescripto non expresserit, eam non loco sed personæ datam esse, tunc quippe datam Ecclesiæ intelligendum esse, adeoque singulis Episcopis, qui ejus Ecclesiæ administrationem gesserint, cum expressis verbis ad unum non coercetur; ita tamen, ut istiusmodi privilegium innovatione interdum indigeat, si ea fuerit Ecclesiarum consuetudo. Præterea certum est, consuetudinem bonam obtinere vim legis, & quæ ab aliquo usurpantur secundum veterem consuetudinem, recte præsumpta videri. Itaque si ostendere possumus, vicariatum apostolicæ sedis tributum fuisse Ecclesiæ Thessalonicensi, ita ut, quicunque ad eam cathedram pervenisset, is quoque ex eo esset Romani Pontificis Vicarius in Illyrico, soluta erit omnis controversia, constabitque, privilegium illud ad unumquemque Episcopum pertinuisse jure ac privilegio sedis suæ. Istud vero probaturum me esse confido auctoritate epistolarum veterum Pontificum Romanorum, quæ superioribus annis Romæ editæ sunt a clarissimo viro Luca Holstenio inter acta Concilii Romani sub Bonifacio secundo celebrati. Scio, eum ex epistolis illis collegisse, vicariam illam dignitatem non loco, id est, Ecclesiæ, collatam fuisse, sed personarum meritis. Verum recte hinc quoque adversus ipsum collegit R. P. Petrus Franciscus Chiffletius, aliud in his epistolis contineri quam censuisset Holstenius. Sic enim loquitur: *Quod porro ait idem Holstenius non uno loco, vicariatum sanctæ sedis per Illyricum non loco seu sedi Thessalonicensi, sed personis, hoc est, Episcoporum Thessalonicensium privatis meritis fuisse concessum, non video, qua ratione cum citatis Pontificum epistolis conveniat*.

Cap. 7. de reg. jur. in Sexto.

S. Greg. lib. 2. indict. 10. ep. 4.

Vide supra lib. 3. cap. 9. §. 1.

Chifflet. in Notis ad Vigil. Tapf. p. 44

III. Sane Bonifacius Papa, istius nominis primus ad Rufum Thessalonicensem Episcopum scribens, vicariatum illum Thessalonicensi Ecclesiæ collatum esse scribit a beato Petro, id est, a sede apostolica. Hæc sunt ejus verba: *Ita quippe vice sua beatus Apostolus Petrus Ecclesiæ Thessalonicensi cuncta commisit, ut intelligat, se sollicitudinem manere multorum; quam minorem facere nova, quæ vires habere non possunt, tentamenta non debent*. Integrum locum retuli, quia utrumque membrum illius loci ostendit, heic agi de jure ac privilegio Ecclesiæ. Idem Bonifacius ad Episcopos per Illyricum constitutos scribens de vicariatu Rufi hæc ait: *Quam ad rem faciendam memorato Episcopo meo directa secunda protinus, quæ presbyterio universo complacuit, auctoritatem mandavi, retro majores secutus, qui Ecclesiam Thessalonicensem sibi semper familiarem & in collegii charitate famulantem dignam, sicut fides adserit scriniorum, hoc honore duxerunt*. Item Cælestinus in epistola ad Episcopos per Illyricum: *Nec nova hæc sedi apostolicæ cura de vobis est. Statutum nostris sæpius experimentum hoc, quod nos agimus Thessalonicensi Ecclesiæ semper esse commissum, ut vobis vigilanter intendat*. Sixtus quoque III. in epistola ad Perigenem Corinthiorum Episcopum, qua ad ipsum inter cetera scribit, se vices suas per Illyricum more majorum concessisse Anastasio Episcopo Thessalonicensi, ita loquitur: *Sancto fratri & coepiscopo nostro Anastasio Thessalonicensis urbis antistiti eam servato reverentiam, quam ceteri quoque Pontifices per Illyricum constituti erga prædicti dignitatem reservare non abnuunt, cum (*) sciamus, nihil novum illi a nobis fuisse concessum, sed id, quod ejus decessoribus nostri decessores detulerant, habita consideratione disciplinæ ecclesiasticæ constitutum. Tua enim magis interest, ut huic plurimum deferatur Ecclesiæ, quæ tibi tantum honoris contulit, ut pro te contra eos, qui tibi tunc æmuli fuerant, repugnaret*.

(*) *Legendum puto sciant, ut ad Episcopos Illyricianos referatur.*

IV. Perigenes Corinthiorum Episcopus, ad fastigium tantæ sedis evectus favore & auxilio Rufi Thessalonicensis antistitis & auctoritate Bonifacii Romani Pontificis, stabilita nunc & confirmata per longi temporis spatium ordinatione sua, beneficiorum immemor, imperium detrectabat Anastasii, qui Rufo successerat, & cui vices suas Sixtus commiserat in provinciis Illyricianis. Sixtus videns, se contemni in suo Vicario, primum quidem audaciam hominis repressit; deinde repetens memoriam præteriti temporis, redit ad initia episcopatus ejus; quæ cum valde titubarent, Ecclesiæ tamen Thessalonicensis suffragatione, Rufi nimirum Thessalonicensis antistitis, episcopatum Corinthiensem obtinuerat auctoritate sedis apostolicæ. Cum

Vide infra cap. 24. §. 6 13. & seqq. & cap. 34. §. 4. 5

vero

vero beneficium illud Sixtus referat ad Ecclesiam Thessalonicensem, non ad Rufum, qui præstitit, ingratum autem mortuo jam Rufo esse Perigenem dicat adversus Ecclesiam Thessalonicensem, quod Anastasio contradiceret auctoritatem vicariatus apostolici, manifestum est illum existimasse beneficium, quod Perigeni collatum fuerat a Rufo, ab eo præstitum auctoritate vicariatus Ecclesiæ Thessalonicensis, adeoque vicariam illam dignitatem Ecclesiæ Thessalonicensi fuisse conjunctam, ita, ut, quæ ab uno Ecclesiæ illius Episcopo beneficia tribuebantur, eorum gratia in successores quoque redundare deberet. Frustra enim diceret eum ingratum esse erga Thessalonicensem Ecclesiam, si is totam confirmationis suæ gratiam Rufo debuisset tanquam privato homini, non tanquam ei, qui ratione Ecclesiæ suæ vices gesserat apostolicæ sedis. Id vero non uno loco dicit Sixtus, ne quis ad casum referat, sed omnino in duobus locis, in epistola nimirum ad Perigenem, cujus fragmentum mox retulimus; & in epistola ad Episcopos in synodo apud Thessalonicam congregandos, in qua sic legitur: *Noverit Corinthius Episcopus sibi licentiam potestatis liberæ minime tribuendam, si huic voluerit Ecclesiæ resultare, quam sibi noverit profuisse; cui necesse est nos quoque, si quid tentare voluerit, obviare, qui præteritorum, quæ illi per nos* (id est, per sedem apostolicam) *præstita sunt memores sumus, & illicitis semper usurpationibus obviamus.*

V. Ex asserta dignitate illa Ecclesiæ Thessalonicensis recte secundum idem principium concludit Sixtus in epistola ad Episcopos per Illyricum consistentes, omnes Illyricianas Ecclesias ad curam pertinere Thessalonicensis antistitis, quisquis is tandem fuerit. *Illyricianæ omnes Ecclesiæ*, inquit, *ut a decessoribus nostris accepimus, & nos quoque fecimus, ad curam nunc pertinent Thessalonicensis antistitis.* Hinc enim facile colligimus, privilegium fuisse perpetuum. Nam Sixtus a Damaso, Siricio, Anastasio, & ceteris prædecessoribus suis non acceperat Illyricianas Ecclesias pertinere ad curam Episcopi, qui tum Thessalonicensi Ecclesiæ præerat, nimirum Anastasii, sed in universum ad curam illius, qui Thessalonicensem sedem teneret. Unde & in fine epistolæ ad Episcopos per Illyricum, in qua de Anastasio agit tum recens ordinato Episcopo Thessalonicensi, ait, se prædecessoresque suos Pontifices Romanos constituisse, ut Illyricianæ Ecclesiæ ad Anastasium pertinerent secundum veterem consuetudinem. Quod falsum omnino esset, si ad solum Anastasium referretur, non vero generaliter ad Episcopum Thessalonicensem, quisquis is tandem foret. Hæc sunt verba Sixti: *Nec credatis, vobis minui quidquid reverentiæ illius, ad quem & majores nostri & nos Illyricianas Ecclesias juxta morem traditum voluimus pertinere, a vestra dilectione & servari volumus & deferri.* Idem dicendum est de epistola Leonis primi ad Metropolitanos per Illyricum constitutos: in qua eis significans se vices suas commisisse Anastasio, ait, se id facere secundum exempla decessorum suorum, cum tamen constet, neminem ante Leonem vices suas Anastasio commisisse præter Sixtum. Ridicula namque essent verba Leonis, nisi hac interpretatione mollirentur, quam adhibuimus verbis Sixti. Sic namque loquitur Leo: *Vicem itaque nostram fratri & coepiscopo nostro Anastasio, secuti eorum exemplum, quorum nobis recordatio est veneranda, commisimus.* Recte ergo idem Sixtus dixit in epistola ad Perigenem, nihil se novum concessisse Anastasio, sed habita consideratione disciplinæ ecclesiasticæ id ei detulisse, quod decessores sui Romani pontifices detulerant illius decessoribus. Eodem loquendi modo ante Sixtum usus erat & Bonifacius in epistola ad Episcopos per Thessaliam constitutos: in qua Rufum vindicare studens a contemptu adversus Thessalos, ita loquitur: *Cui nihil novum auctoritas nostra concedit, sequens priorum gratiam, qua huic cura Ecclesiarum sæpe videtur injuncta.* Post istos Hormisda in commonitorio, quod dedit Ennodio & Peregrino Episcopis, quos Thessalonicam mittebat ad Dorotheum Episcopum Thessalonicensem pro causa Joannis Metropolitani Epiri veteris, privilegia illa Thessalonicensi Ecclesiæ concessa fuisse testatur his verbis: *Certe redeat ad unitatem, & nos cum eo insistemus, ut omnia privilegia quæcunque consecuta est a sede apostolica Ecclesiæ ejus inviolata serventur.*

Vide infra cap. 25. §. 4.

Apud Holsten. pag. 102.

Apud Holsten. pag. 154.

VI. Quare cum videmus sequentes Pontifices, cum Episcopis Thessalonicensibus delegant vices suas, profiteri se id facere juxta morem antiquum, & priorum exempla judiciaque sequendo, tametsi addant, id se facere contemplatione etiam meritorum insignium virorum, intelligere debemus, illos firmitatem rebus jam constitutis tribuere, non vero eam auctoritatem tribuere Ecclesiæ Thessalonicensis antistiti, ita, ut eo extincto, extincta quoque ita sit vicaria illa potestas, ut ad successorem non transeat. Nam & ipse Bonifacius primus, cujus testificatione docuimus, eam curam delegatam fuisse Ecclesiæ Thessalonicensi, id se facere ait, *more majorum* in epistola ad Episcopos Illyrios: *Retro majores secutus*, inquit, *qui Ecclesiam Thessalonicensem sibi semper familiarem & in collegii charitate famulantem dignam, sicut fides adserit scriniorum, hoc honore duxerunt.* Sixtus etiam III. ad Episcopos in synodo apud Thessalonicam congreganda scribens de Anastasio Episcopo Thessalonicensi ait: *Nos fratri & coepiscopo nostro Anastasio tantum tribuimus, quantum decessoribus ipsius a nostris decessoribus attributum. Priorum judicium sequimur hæc constituendo, quæ ab his novimus constituta.* Idem in epistola ad Episcopos per Illyricum consistentes: *Nec credatis vobis minui quicquid reverentiæ illius, ad quem & majores nostri & nos Illyricianas Ecclesias juxta morem traditum voluimus pertinere, a vestra dilectione & servari volumus & deferri.* Leo I. in epistola LXXXIV. ad Anastasium Thessalonicensem: *Sicut præcessores mei præcessoribus tuis, ita etiam dilectioni tuæ, priorum secutus exemplum, vices mei moderaminis delegavi.* Idem Episcopis Metropolitanis per Illyricum constitutis: *Vicem itaque nostram fratri & coepiscopo nostro Anastasio, secuti eorum exemplum, quorum nobis recordatio est veneranda, commisimus.*

VII. Sufficere ista possent, ut arbitror ad ostendendum, vicariam illam Episcoporum Thessalonicensium dignitatem in consuetudinem venisse, ita, ut quicunque Thessalonicensis esset antistes, is ex more ornandus esset apostolicæ sedis vicariatu per Illyricum. Facere tamen non possum, quin adhuc ad eam rem probandam utar testimonio Nicolai primi, qui in epistola ad Michaelem Imperatorem scripta ait indefinite Thessalonicensem Episcopum secundum antiquum morem, quem restaurari postulat, habuisse vicem Ecclesiæ Romanæ per Epirum & nonnullas alias provincias, quas heic enumerat. Præstat autem integrum locum referre. Nicol.I. ep.2. *Oportet enim vestrum imperiale decus, quod in omnibus ecclesiasticis utilitatibus vigere audivimus, ut antiquum morem, quem nostra Ecclesia habuit, vestris temporibus restaurare dignemini; quatenus vicem, quam nostra sedes per Episcopos vestris in partibus constitutos habuit, videlicet Thessalonicensem, qui Romanæ sedis vicem per Epirum veterem, Epirumque novam, atque Illyricum, Macedoniam, Thessaliam, Achajam, Daciam ripensem, Daciamque mediterraneam, Mœsiam, Dardaniam, & Prævalim, beato Petro Apostolorum principi contradicere nullus præsumat.*

VIII. Sed quod Nicolaus admonet, contradicendum non esse beato Petro in his provinciis, respexisse videtur ad locum ex epistola Bonifacii ad Rufum Episcopum Thessalonicensem, quem supra retulimus, in quo vicariatus dicitur Ecclesiæ Thessalonicensi concessus fuisse a beato Petro. Respe-

Respexit etiam haud dubie ad epistolam Leonis primi ad Anastasium Thessalonicensem. Nam Leo statim in initio illius epistolæ vicariam illam potestatem a beato Petro repetit, sic tamen, ut etiam se nonnulla concessisse doceat. *Quanta fraternitati tuæ*, inquit, *a beatissimi Petri Apostoli auctoritate commissa sint, & qualia etiam nostro tibi favore sint credita, si vera ratione perspiceres & justo examine ponderares, multum possemus de injunctæ tibi sollicitudinis devotione gaudere.* Unde etiam colligi potest, vicariatum illum æterna lege concessum fuisse Ecclesiæ Thessalonicensi, ita ut, quicunque sedis illius Episcopus esset, is Legatus *natus* esset Romani Pontificis in Illyrico, ut illustrissimi Archiepiscopi verbis utamur. Vidit ista Dionysius Exiguus, suaque etiam attestatione docuit, fixam fuisse illam dignitatem, hoc lemma apponens primo capiti istius epistolæ Leonis ad Anastasium: *Quod semper Thessalonicensis antistes vices apostolicæ sedis impleverit.* Quod non ita tamen intelligendum est, ac si dicere voluisset Dionysius, Thessalonicensem antistitem fuisse sedis apostolicæ Vicarium in Illyrico in initiis susceptæ a Romanis fidei fundatæque apud ipsos cathedræ. Illud enim tantum dicere voluit, ex quo primum tempore dignitas illa conlata est Ecclesiæ Thessalonicensi, ab ea nunquam fuisse divisam, & sedis illius Episcopum semper ab illo tempore vices apostolicæ sedis implevisse. Respiciebat enim ad initia vicariatus & ad ætatem suam, qua vigebat adhuc ea auctoritas in Episcopo Thessalonicensi.

Leo epist. 84.

IX. Denique Justinianus Imperator cum primæ Justinianæ antistitem ad eam omnino dignitatem evehere cogitaret, quam Thessalonicensis obtinebat in Illyrico, etiam vices apostolicæ sedis ei æterna lege committi a Vigilio Papa obtinuit per sex provincias Illyricianas. Ait enim in Novella constitutione CXXXI. constituere se, ut is, qui pro tempore fuerit Archiepiscopus primæ Justinianæ, habeat semper sub sua jurisdictione Episcopos illarum sex provinciarum, & ut in subjectis sibi provinciis locum obtineat sedis apostolicæ Romæ, secundum ea, quæ definita sunt a sanctissimo Papa Vigilio. Certe sanctus Gregorius vices suas delegans Archiepiscopo primæ Justinianæ, ait, se id facere *juxta morem*, ut adnotabimus infra. Vetustam porro consuetudinem magni momenti esse in istiusmodi rebus, diximus supra, & iterum repetemus in causa Joannis Episcopi Nicopolitani. Itaque, ut ad id redeamus, unde digressi sumus, modus agendi, quem in hac causa usurpavit Justinianus, satis evincit, vicariam Thessalonicensis Episcopi dignitatem fuisse perpetuam, ita ut ille, qui Thessalonicensem Ecclesiam pro tempore regebat, eo ipso esset apostolicæ sedis Vicarius, cum ad istius exemplum Justinianus eam prærogativam antistiti patriæ suæ procuraverit.

Vide locum Novellæ infra cap. 29. §. 5.

CAPUT XXIII.

Probatur Vicariatum Thessalonicensem a Damaso incepisse & a Siricio certa ratione firmatum esse.

SYNOPSIS.

I. Inquirenda nunc initia vicariatus Thessalonicensis, ut scire possimus, cujus primum Romani Pontificis beneficio debeatur. Veteres ad Damasum referunt, Recentiores quidam negant; adeo, ut inventus sit, qui Nicolaum primum argueret mendacii.

II. Referuntur verba Nicolai, simulque docetur locum ejus esse corruptum ac mutilum.

III. Auctoritate etiam Joannis VIII. confici potest, initia vicariatus istius referenda esse ad Damasum.

IV. Probatur præterea ex Innocentio I. qui suppar Damaso fuit.

V. Adversus illorum testimonia opponi potest epistola Siricii; qui vices suas delegans Anysio, nullam Damasi mentionem facit. Præterea Leo I. repetens initia istius vicariatus, a Siricio incipit, omisso Damaso. Sed controversia illa facile componitur, explicato loco Leonis.

VI. Frustra se torquent, qui quærunt, utrum Acholius Illyrici Primas a Damaso constitutus fuerit ante Concilium Aquilejense. Ratio Hallierii, ut ostendat eum Damasi vicariatu ornatum non fuisse anno 382.

I. Superatis tandem tot difficultatibus, quibus obscuratus erat vicariatus Thessalonicensis, inquirenda nunc sunt initia ejus, ut sciamus, cujus primum Romani Pontificis beneficio tantam auctoritatem deberent Episcopi Thessalonicenses. Negotium illud antiqui Pontifices uno verbo definiunt, eam liberalitatem referentes ad Damasum, cujus tempore Acholius & Anysius Thessalonicensem cathedram tenuerunt. Contra recentiores nonnulli, cum viderent, non extare Damasi rescripta de vicariatu Episcoporum, qui apud Thessalonicam fuerunt illa ætate, illum negarunt istius rei auctorem fuisse. Quinimo inventus est, qui Nicolaum primum argueret mendacii, initiaque vicariatus istius referret ad Bonifacium Papam istius nominis primum. Aliter & hi & iste sensissent, si durassent in hæc ultima beatissimi seculi tempora, vidissentque editas ex archivo seu bibliotheca sedis apostolicæ epistolas illas veterum Pontificum, quas commemorat Nicolaus, inventas a clarissimo viro Luca Holstenio. Illarum nos auctoritate vindicaturi Nicolaum sumus a suspicione mendacii, simul ostensuri vicariatum Episcoporum Thessalonicensium incepisse a Damaso, sed a Siricio certa ratione firmatum fuisse.

II. Antequam vero illarum epistolarum testimoniis utamur, lubet heic describere locum ex epistola Nicolai, utpote qui manifeste respiciat ad epistolas editas in collectione Holstenii. Sic igitur scribit Nicolaus ad Michaelem Imperatorem in epistola secunda: *Oportet enim vestrum imperiale decus, quod in omnibus ecclesiasticis utilitatibus vigere audivimus, ut antiquum morem, quem nostra Ecclesia habuit, vestris temporibus restaurare dignemini; quatenus vicem, quam nostra sedes per Episcopos vestris in partibus constitutos habuit, videlicet Thessalonicensem, qui Romanæ sedis vicem per Epirum veterem, Epirumque novam, atque Illyricum, Macedoniam, Thessaliam, Achajam, Daciam ripensem, Daciamque mediterraneam, Mœsiam, Dardaniam & Prævalim, beato Petro Apostolorum principi contradicere nullus præsumat, quæ antecessorum nostrorum temporibus, scilicet Damasi, Siricii, Innocentii, Bonifacii, Cœlestini, Sixti, Leonis, Hilari, Simplicii, Felicis atque Hormisdæ sanctorum Pontificum sacris dispositionibus augebatur. Quorum denique institutiones ab eis illis in partibus destinatas per nostros Missos, ut rei veritatem cognoscere queatis, vestræ augustali potentiæ dirigere curavimus.* Omisit hoc loco librarius nomen Anastasii Papæ, qui inter Siricium & Innocentium sedit, quem vero vices suas per Illyricum commisisse Anysio Thessalonicensi Episcopo, constat ex Innocentii epistola ad Anysium. Sane locum hunc Nicolai esse valde corruptum ac mutilum, nemo est qui non videat.

III. Nicolao succedat Joannes VIII. qui ad Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum scribens, Bulgariam, id est, Illyricum, a Damaso Papa & sequentibus Pontificibus informatam fuisse ait. Referenda sunt autem ipsa viri verba: *Nullus autem ignorat*, inquit, *regionem Bulgarum a sanctæ memoriæ Damaso Papa & deinceps paganorum usque ad irruptionem a sedis apostolicæ Præsulibus, quantum ad ecclesiasticæ provisionis attinet privilegium, moderatam; præsertim cum hoc nonnulla scripta, sed præcipue diversorum Pontificum Romanoram res gesta,*

Joan. VIII. epist. 78.

gestæ, quæ in regestis antiquitus nostræ reservantur Ecclesiæ, clarius attestentur. Respexit ad rescripta Pontificum, quæ ab Holstenio edita sunt; de quibus etiam intelligenda sunt, quæ idem ait in epistola sequenti, in qua scribit ad Episcopos & clericos Græcos, mirari se & vehementer obstupescere, quod illi sanctorum patrum canones obturatis oculis relegissent, & calcata conscientia terminos æternos a patribus positos transtulissent, & in alienam messem judicii falcem misissent, in Illyrici provincias, quas tum Bulgarum natio retinebat, ingredientes & ordinationes illicitas perpetrantes, cum & sacra Concilia sub sede beati Petri Apostolorum principis has olim provincias deguisse patenter innuant, & rerum gestarum a sancto Damaso Papa conscripta manifeste denuntient.

Idem epist. 79.

IV. Sed instar omnium esse debet una Innocentii primi testificatio, ut qui non ita multo post Damasum in principali cathedra sedit. Hic enim ad Anysium Acholii successorem scribens ait, se ipsi eandem potestatem committere, quam a Damaso, Siricio & Anastasio ante acceperat. *Cui etiam* (id est, Anysio) *tanti ac tales viri prædecessores mei Episcopi, id est, sanctæ memoriæ Damasus, Siricius, atque supra memoratus vir*, (id est, Anastasius) *ita detulerunt, ut omnia, quæ in illis partibus gererentur, sanctitati tuæ, quæ plena justitiæ est, traderent cognoscenda*. Et in epistola ad Rufum, qua ei delegat vices suas per Illyricum; *non primitus hæc ita statuentes*, inquit, *sed præcessores nostros apostolicos imitati, qui beatissimis Acholio & Anysio injungi pro eorum meritis ista voluerunt*.

V. Sed adversus illa, quæ de Damaso dicta sunt, opponi potest epistola Siricii, qui Damaso proxime successit, ad Anysium: in qua vices suas per Illyricum delegans huic Episcopo, quem Damasi Vicarium fuisse scribit Innocentius, nullam Damasi mentionem facit, haud dubie facturus, si eadem auctoritas ab illo tributa Anysio fuisset. Præterea Leo primus repetens primordia vicariatus Episcoporum Thessalonicensium in epistola ad Anastasium, quæ ab Holstenio edita est, a Siricio incipit, omisso Damaso. Unde concludi potest, initia istius vicariatus Siricio deberi, non autem Damaso, contra quam placuit Innocentio, Nicolao & Joanni Pontificibus Romanis. Itaque altius investigandum est, quærendaque ratio aliqua conciliandæ hujus controversiæ. Facem heic nobis commodissime præferet epistola Leonis, de qua mox diximus: in qua tametsi vicariatum Thessalonicensem repetat a Siricii delegatione, indicat aliquam ante illum fuisse istiusmodi delegationem in Illyrico, sed quæ *certa tum primum ratione* firmata sit. Ex quo colligere possumus, Damasum mandata interdum aliqua, ubi occasio tulit, dedisse Acholio & Anysio, ceterum nihil mansurum sancivisse; hoc vero exemplo invitatum Siricium vices suas Anysio commisisse per Illyricum, & sic vagam, ut ita dicam, & præterita delegationis occasione expirantem auctoritatem *certa tum primum ratione* Ecclesiæ Thessalonicensi commisisse. Nunc referenda sunt Leonis verba de vicariatu Anastasii; in qua cum dicat se illi committere vices suas per Illyricum, addit, id se facere exemplo Siricii, simulque arcanum aperit allatæ a nobis conciliationis: *Beatæ recordationis Siricii exemplum secuti*, inquit, *qui sanctæ memoriæ Anysio prædecessori tuo, bene de apostolica sede tunc merito, & rebus post sequentibus approbato, certa tum primum ratione commisit, ut per illam provinciam positis, quas ad disciplinam teneri voluit, Ecclesiis subveniret*. Istam observationem confirmant sequentia verba Leonis: qui cum memoriam iniret eorum Episcoporum Thessalonicensium, quibus Romani Pontifices commiserant vices suas, omnino incipit ab Anysio, dum ait prædecessores suos commisisse vices suas prædecessori decessorique Anastasii, id est, Anysio & Rufo, quibus successerat Anastasius. Quare, cum horum tantum mentionem faciat Leo, manifestum est, ab Anysio incepisse eum vicariatum, adeoque initia ejus, quod sæpe dicendum est, Papæ Siricio deberi.

Epistola Leonis I. apud Holsten. pag. 145.

Vide infra c. 26.

VI. Itaque frustra se torquent, qui anxie quærunt, utrum Acholius Illyrici Primas a Damaso constitutus sit, ante quam Concilium Aquilejense celebraretur, atque id antea factum esse sibi persuadent. Nam præterquam, quod Acholius exarchicam auctoritatem quoad ordinationes obtinebat in Illyrico secundum veterem Ecclesiæ suæ consuetudinem, ut supra diximus, cum non tam nova auctoritas illi accesserit ratione vicariatus quam cumulatio juris, manifestum est, nihil istiusmodi constitutum a Damaso circa Acholium fuisse. Certe vir illustrissimus Franciscus Hallierius regius tum theologiæ Professor in academia Parisiensi, sed Cabellicensis dein Episcopus, ex eo probat, Acholium Damasi vicariatu nondum ornatum fuisse anno CCCLXXXII. quod is in epistola synodica Episcoporum orientalium in Constantinopolitana urbe congregatorum ad Damasum & ad synodum Romanam scripta, de qua actum est superius, postpositus invenitur Ambrosio Mediolanensi, Brittoni incertæ sedis Episcopo, & Valeriano Aquilejensi.

Hallier. p. 565. de hierarch.

CAPUT XXIV.

De vicariatu Thessalonicensi, speciatim a Siricio, Innocentio & inprimis Bonifacio firmato.

SYNOPSIS.

I. Siricius primus omnium certa constitutione Anysio Thessalonicensi Episcopo delegavit vices suas. Ejus exemplum secuti sunt Anastasius & Innocentius primus. In quo tum consisteret ille vicariatus.

II. Generalia tantum in initio mandata fuerunt, ut causæ omnes Illyricianæ, eæ nimirum, quæ secundum morem referri debebant ad Romanum Pontificem, ad curam pertinerent Thessalonicensis antistitis. Quod probatur auctoritate Innocentii I.

III. Anysio successit Rufus, cui vices suas per Illyricum orientale commisit Innocentius, salvo Metropolitanorum jure.

IV. Ei potestatem facit congregandi synodos extraordinarias, quoties occasiones emerserint gravium negotiorum, quæ congregationem sacerdotum requirant.

V. Innocentius literas de legatione Rufi conscribi jussit ac mitti ad universos Episcopos, per provincias Illyricianas constitutos, ut in omnium notitiam venirent.

VI. Hunc honorem retinuit Rufus sub Zosimo, Bonifacio, & Cælestino. Causa Perigenis ei commissa a Bonifacio.

VII. Eodem tempore Rufus patitur contradictionem ab Episcopis Illyricianis, qui de ea re scribit ad Bonifacium. Colligitur istud ex epistola Bonifacii ad Rufum, quæ describitur.

VIII. Deinde Bonifacius, laudatis Adelphio & Perigene, quod ceteris Episcopis Illyricianis non consensissent, sed Rufo semper adhæsissent, illum hortatur ad constantiam, & causas Episcoporum judicare illum jubet.

IX. Inquiritur in capita, de quibus querelam suam Rufus deposuerat apud Bonifacium, quæ erant gravissimi momenti, utpote in quibus de summa rerum ageretur.

X. Illyriciani Episcopi ægre ferunt, sibi in omnibus causis ecclesiasticis superpositum esse Episcopum Thessalonicensem. Quod probatur ex Bonifacio.

XI. Horum invidorum suasionibus permotus Theodosius junior, causas dubias Illyrici decernit referendas esse ad Episcopum Constantinopolitanum. Cui novitati obstitit Bonifacius, ob reverentiam canonum.

XII. Sed altius penetrabat tentata divisio Illyrici orien-

orientalis a patriarchatu occidentis, & quorundam Episcoporum præsumptio, qui causas retractare audebant, quæ supremo sedis apostolicæ judicio definitæ fuerant. Orientalium Ecclesiarum communio vetus cum Romana, & illarum ad istam confugia in magnis periculis.

XIII. Angebat Bonifacium causa Perigenis, quod ejus occasione tentarentur arcana dominationis. Nam causam ejus retractare volebant Illyriciani Episcopi, in synodo Corinthiaca, quam congregare moliebantur, præter conscientiam Rufi.

XIV. Itaque aperte illis comminatus est abstentionem, si causam illam iterum ad discutiendum in medium adducerent. Valuit itaque Perigenis ordinatio, ut docent epistolæ Sixti III.

XV. Istud ipsum probatur testimonio Socratis & Ivonis Carnotensis, tum aliis nonnullis argumentis.

XVI. De jure congregandorum Conciliorum Illyrici.

XVII. Bonifacius ait, Rufum esse honorandum propter apostolicam vicem, & ordinationes Episcoporum citra ejus conscientiam celebrari non posse.

I. Siricius itaque primus omnium, certa constitutione, Thessalonicensi Episcopo delegavit vices apostolicæ sedis, Anysio nimirum, qui paulo ante Siricii episcopatum successerat Acholio. Non extat epistola ejus, ad Anysium ea de re scripta, & ad eum missa per Candidianum Episcopum. Extat autem alia ejus epistola, post obitum Candidiani scripta, ex qua colligimus, statutum a Siricio fuisse, ut nulla licentia esset, sine Anysii consensu in Illyrico Episcopos ordinare. Siricio successit Anastasius, isti vero Innocentius, qui vicariam suam potestatem eidem Anysio commiserunt per Illyricianas provincias, exemplo decessorum suorum. Præstat porro referre verba Innocentii ad Anysium, ex quibus intelligemus, quænam fuerit illa potestas & quantum Thessalonicensi Episcopo detulerint Romani Pontifices illorum temporum. Apud Holsten. pag. 46. *Cui etiam*, inquit, id est, Anysio, *anteriores tanti ac tales viri, prædecessores mei Episcopi, id est, sanctæ memoriæ Damasus, Siricius, atque supra memoratus vir*, id est Anastasius, *ita detulerunt, ut omnia, quæ in illis partibus gererentur, sanctitati tuæ, quæ plena justitiæ est, traderent cognoscenda, meam quoque parvitatem hoc tenere judicium, eandemque habere voluntatem, te decet recognoscere.*

II. Generalia sunt ista mandata, sed quæ tamen indicant, magnam a sede apostolica potestatem collatam Anysio fuisse, nimirum, ut omnia, quæ in provinciis Illyricianis gererentur, ad notitiam & judicium Thessalonicensis antistitis perferrentur, ut sententia & auctoritate ejus componerentur. Quod non intelligi ita debet, ac si tum primum causæ omnes Illyricianæ ad curam Thessalonicensis Episcopi pertinere cœpissent, cum ornatus est vicariatu sedis apostolicæ. Apud Holsten. pag. 49. Constat enim ex ejusdem Innocentii epistola ad Rufum, ea tantum delegatione effectum, ut causæ, quæ, secundum morem, referri debebant ad Romanum Pontificem, velut ad Patriarcham occidentis, ad curam pertinerent Thessalonicensis antistitis; ut, qui primus erat inter primates Illyricos, id est, primus provinciarum illarum Metropolitanus, etiam ut sedis apostolicæ delegatus, causas, quæ inciderent, in Illyrico terminaret. Nondum enim positi fuerant termini vicariæ huic potestati, sed omnes omnino causæ illarum provinciarum commissæ fuerant Episcopis Ecclesiæ Thessalonicensis.

III. Successerat Rufus Anysio, viro de sede apostolica bene merito, &, qui post acceptum ejus vicariatum plurimis beneficiis sibi devinxerat Romanos Pontifices, ut Leo primus testatur. Hujus ergo successori vices suas delegans Innocentius, his ad eum verbis utitur: Apud Holsten. pag. 48. *Divinitus ergo hæc procurrens gratia, ita longis intervallis disterminatis a me Ecclesiis, discat consulendum, ut prudentiæ gravitatique tuæ committendam curam causasque, si quæ exoriantur per Achaiæ, Thessaliæ, Epiri veteris, Epiri novæ, & Cretæ, Daciæ mediterraneæ, Daciæ ripensis, Mœsiæ, Dardaniæ, & Prævali Ecclesias, Christo Domino annuente, censeam. Vere enim ejus sacratissimis monitis, lectissimæ sinceritatis tuæ providentiæ ac virtuti hanc injungimus solicitudinem; non primitus hæc ita statuentes, sed prædecessores nostros apostolicos imitati, qui beatissimis Acholio & Anysio injungi, pro eorum meritis ista voluerunt.* Tum addit paulo post: Ibid. pag. 49. *Arripe itaque, dilectissime frater, nostra vice per suprascriptas Ecclesias, salvo earum primatu, curam; & inter ipsos primates primus, quicquid eos ad nos necesse fuerit mittere, non sine tuo postulent arbitratu. Ita enim aut per tuam experientiam, quicquid illud est, finietur, aut, tuo consilio ad nos usque perveniendum esse, mandamus.*

IV. Quoniam vero ea interdum incidere negotia poterant, quæ congregationem sacerdotum requirerent, hanc quoque Rufo potestatem facit, ut, quoties eæ occasiones emerserint, synodos etiam extraordinarias celebret ex provinciis Illyricianis. *Licitum autem*, inquit, *& apostolicæ sedis favore permissum tuæ fraternitati cognosce, ut, cum aliqua Ecclesiastica ratio, vel in tua, vel in memoratis provinciis, agitanda cognoscendaque fuerit, quos velis, Episcoporum socios, quibuscunque de Ecclesiis assumas tecum, quorum & fide & moderatione, quicquid necessitas causave flagitaverit, optimus dirigas arbiter, & præcipuus, quippe a nobis lectus, definias intercessor.* Hunc eundem ordinem secuti sunt Romani Pontifices sequentibus seculis, ut suo loco dicemus.

V. Verum, quia privilegia Thessalonicensi Ecclesiæ tributa nullius utilitatis futura erant, donec provinciis innotuissent, Innocentius, ad exemplum Principum Romanorum, qui leges & edicta mittebant per provincias, ut Præsidum ministerio publicarentur, literas de legatione Rufi conscribi jussit ac mitti ad universos Episcopos per provincias Illyricianas constitutos una cum suis & superiorum Pontificum epistolis ex archivo Romano descriptis. Ita enim intelligenda puto sequentia hæc Innocentii verba: *Omnem sane instructionem chartarum in causa archivorum cum Presbytero Senecione, viro admodum maturo, fieri jussimus. Itaque & ex priore nostra epistola & ex his chartulis bene recensens, quid agere debeas recognosce. Nam voluntatem hanc nostram per unamquamque provinciam satis, ut decebat, literis manifestavimus.* Data est hæc ultima Innocentii epistola XV. Kal. Julii, Honorio IX. & Theodosio V. Augg. Consulibus, id est, anno quadringentesimo duodecimo, cum undecimum annum in pontificatu ageret Innocentius. Prior vero ejus epistola ad Rufum data erat in ipsis episcopatus ejus initiis.

VI. Honorem illum retinuit Rufus etiam sub Zosimo, Bonifacio & Cælestino successoribus Innocentii. Non extant Zosimi literæ de ea re. Sed Apud Holsten. pag. 52. cum Bonifacius ad Rufum scribens doceat, frequentia Romanorum Pontificum rescripta ex apostolicæ sedis fonte manasse, quibus solicitudinem Ecclesiarum per Macedoniam & Achajam sitarum certum esse ait illi fuisse commissam, manifestum est, illum, qui vices apostolicæ sedis impleverat sub Innocentio, eas quoque egisse sub ejus successore Zosimo, & ab eo quoque variis rescriptis instructum fuisse, quæ tum extabant in scrinio Ecclesiæ Romanæ; præsertim cum idem Bonifacius ad Episcopos Thessalos scribens dicat, se nihil novum concessisse Rufo, sed gratiam in hoc priorum esse secutum, id est, Innocentii & Zosimi decessorum suorum, a quibus auctoritatem Rufus acceperat per Illyricianas provincias. Vide Infra cap. 34. §. 4. Quare cum causa Perigenis electi Corinthiorum Episcopi, sed qui antea ordinatus esset Patrensis Episcopus in eadem Achaja, non tamen a Patrensibus susceptus, ad sedem apostolicam delata fuisset a synodo illius provinciæ, ejus cognitionem Rufo delegavit Bonifacius, Apud Holsten. p. 52. & seqq. tanquam ei, ad quem cura provinciæ Achajæ per-

tinebat;

tinebat; ut patet ex variis Bonifacii epistolis ad eum datis.

VII. Accidit sane hoc tempore, ut, cum Rufus de quibusdam ecclesiasticæ disciplinæ capitibus consuluisset Bonifacium, isteque ad ejus consulta respondisset ex auctoritate sedis apostolicæ, passus sit Rufus contradictionem a nonnullis provinciarum illarum Episcopis, dum exequi curat mandata Bonifacii. Timens vero Rufus, ne infaustum hunc constitutionum pontificiarum exitum sibi imputaret Bonifacius, ut etiam occasione ista se vindicaret a contemptu Illyricianorum Episcoporum, a quibus molestiam passus erat, literas ad eum dedit, quibus & contumaciam Illyricianorum Episcoporum significabat, seque vel ex eo culpæ eximere studebat, quod sibi semper oculis obversari videretur beatissimus Petrus, cujus vices per Illyricum sibi commissæ fuerant, adeoque non ausurum se fuisse aliquid ex officio suo remittere eo præsente. Probabilem ac sapientem excusationem admisit Bonifacius, neque imprudentiam Rufo imputans neque negligentiam; eaque occasione usus, ut illum validius excitaret ad conservandam debitam sedi apostolicæ reverentiam, vices ei suas, ut factum fuerat a superioribus Pontificibus, delegavit literis ad ipsum datis XIII. Kal. Octobris, Monaxio V. C. Consule, id est, anno quadringentesimo decimo nono. Elegans profecto est epistola illa & sedis apostolicæ Pontifice cum primis digna. Sic autem habet:

Apud Holsten. p. 54. *Dilectissimo fratri Rufo Bonifacius. Credebamus post epistolas nostras pro ecclesiasticæ disciplinæ observatione transmissas omnibus aditum præsumtionibus præcludendum, cum ad consultationem dilectionis tuæ præbuissemus debitum pro causarum æstimatione responsum, constituentes ea debere servari, quæ ecclesiastica exigit disciplina. Sed quantum nunc tuæ sanctitatis nobis relatio patefecit, apud plerosque valuisse quod scripsimus, apud quosdam autem admonitionem nostram inefficacem cognovimus fuisse. Nec hoc fraternitati tuæ possumus imputare, cum te anxium pro commissa tibi Ecclesiarum sollicitudine & rebus & literis sentiamus. Vigilantiæ tuæ laudamus industriam; qui, ne videaris tibi commissa negligere, id non prætermittis literis indicare, quod sedis apostolicæ debet censura corrigere, hunc te Dei nostri habere professus timorem, quem prudentissimo inesse convenit sacerdoti; qui tunc tibi esse poterit gloriosus, si ea, quæ curæ tuæ commissa sunt, prodesse Ecclesiis fuerimus experti. Intuetur enim te, ut epistolis tuis ipse fideliter es locutus, beatissimus Petrus Apostolus oculis suis qualiter summi rectoris utaris officio. Nec potest tibi esse non proximus, qui pastor dominicarum ovium est perpetuus constitutus, aut aliquam ubivis positam Ecclesiam non curare, in quo universalis Ecclesiæ positum legimus fundamentum.*

VIII. Ab ea Rufi commendatione Bonifacius statim transit ad curam, quæ illi injuncta fuerat a sede apostolica; simulque & certa mandata præscribit, & in laudes eorum Episcoporum exultabundus excurrit, qui constitutis apostolicæ sedis ad Rufum missis debitum consensum commodaverant; quales fuerunt Adelfius & Perigenes. *Te ergo, frater charissime*, inquit, *omnis cura respectat earum Ecclesiarum, quas tibi vice sedis apostolicæ a nobis creditas recognosces; ut & prava corrigas, & dissipata componas, & si quæ inter Episcopos eveniant causæ, sub divini judicii timore distinguas; ut creditis tibi a sede apostolica gubernaculis contra omnes fluctus nascentium procellarum juste & prudenter utaris. In notitiam singulorum, ad quos ante jam scripsimus, quem deberent tramitem custodire nostras te epistolas pertulisse dixisti, quibus debitum se commodare consensum plurimi sacerdotum sacrarum traditionum memores sunt professi; quos fraterna charitate complexi tales esse cognoscimus coepiscopum nostrum Adelfium vel fratrem Perigenem.*

IX. Quænam fuerint constituta Bonifacii, quæ recepta non sunt a quibusdam partium illarum Episcopis, Bonifacius non exprimit. Illud tantum docet, eos, qui consensum his statutis commodaverant, sacrarum traditionum fuisse memores. Unde colligi debet, in ea fuisse sententia Bonifacium, ut existimaret, istos contumaces ac refractarios ivisse contra veterem consuetudinem. Sed quænam illa fuerint, in quæ illi peccaverant, non aperit in hac epistola. Itaque aliunde repetenda sunt, & quidem ex aliis ejusdem Bonifacii epistolis, quo teste nullus in hac causa luculentior esse potest. Ex his colligimus, Rufum ad eum retulisse de subreptione quorundam Episcoporum Illyricianorum, qui a Theodosio extorserant legem, *Omni innotione cessante*, qua causæ Illyrici orientalis ad Constantinopolitanum Episcopum perferri jubebantur. Retulerat præterea Rufus, Episcopos illos se inconsulto synodum Corinthiacam indixisse pro retractanda causa Perigenis, vicariatum porro sibi per Achajam concessum venisse in contemptionem, contemptumque illum etiam in sui personam redundare. Rescripsit ergo Bonifacius, nova illa tentamenta Episcoporum Illyricianorum, quæ vetustati contraria erant, valere non posse, servandum esse jus apostolicum, causas a sede apostolica definitas retractari non posse in provinciis, & statum Perigenis Corinthiorum Episcopi nulla posse penitus ratione turbari, Concilia intra Illyricum congregari non posse extra conscientiam Rufi, adeoque hunc honorandum propter apostolicam vicem, absque quo non liceat Episcopos ordinare per illas provincias. Quæ, ut ordine ostendamus ita evenisse, a subreptione Illyricianorum Episcoporum incipiendum est.

L. 45. C. Theod. d. Episcop. l. 6. C. D. SS. Eccles. vide supra l. 4. c. 2. §. 1. ibique addit.

X. Illyriciani Episcopi ægre ferentes sibi in omnibus causis ecclesiasticis superpositum esse Thessalonicensem Episcopum, nacti occasionem turbandi ex translatione Perigenis ad Ecclesiam Corinthiorum, quæ judicio Romanæ sedis decreta fuerat, querelam istam ad aures Theodosii Augusti retulerunt, simulque suggesserunt, uti Constantinopolitanæ urbis antistiti, quæ se veteris Romæ prærogativa gaudere gloriabatur, hunc honorem tribueret, ut si quid dubietatis emergeret in provinciis Illyrici, id oporteret non absque scientia Constantinopolitani Episcopi terminari, ad exemplum veteris Romæ, ad quam fiebat relatio causarum ex omnibus provinciis. Maximam invidiam habuisse amplissimam illam Rufi potestatem, quæ Episcopos illos ad tantum facinus audendum impulit, probat epistola Bonifacii ad Episcopos per Thessaliam constitutos, data post legem Theodosii, de qua mox dicemus. *Ergo servate honorem debitum capiti*, inquit, *quia nolumus, ut intra se membra decertent, ita ut tendatur eorum ad nos usque certamen, dum fratrem & coepiscopum nostrum Rufum dignum ducitis contemtu; cui nihil novum auctoritas nostra concedit, sequens priorum gratiam, qua huic cura Ecclesiarum sæpe videtur injuncta, quod factum ita intemeratum servari volumus in futurum, sicut a patribus hujus dispositionis forma servata est. Non decet fratres alterius dignitate morderi.* Apud Holsten. pag. 67.

XI. Horum invidorum suasionibus permotus Theodosius, augendæ præterea dignitatis Constantinopolitanæ urbis, ut videtur, cupidus, legem edidit anno CDXXI. qua edixit, uti, servata veterum canonum reverentia, causæ ecclesiasticæ per omnes Illyrici provincias judicentur in suis quæque provinciis, ita tamen, ut si quid dubietatis emerserit, id est, si qua causa major inciderit, referatur ad Episcopum Constantinopolitanæ urbis, eo quod nova Roma veteris Romæ privilegiis fruatur, & novæ Romæ Episcopus primatu honoris potiatur post Romanum Episcopum juxta canonem secundum synodi Constantinopolitanæ. Cum de hac innovatione certior factus esset a Rufo Bonifacius, videretque, ea ratione tentari ac convelli *jus apostolicum*, ut ipse vocat, & canones antiquos, illustrissimasque Ecclesias Alexandrinam & Antiochenam gradibus suis moveri, quos eis & vetusta consuetudo & canon Nicænus confirmaverant, ad Rufum rescripsit, nova illa tentamenta vires habere non posse,

Vide supra l. 4. cap. 2. §. 1.

Apud Holsten. pag. 66. De jure apostolico videndus canon 59. Collect. Afric. De canone apostolico vide epistolam

AlexandriEpiscopi Alexandrini apud Theodoret. l. 1. hist. ecclesiast. c. 4.

posse, & eorum studiis cedendum non esse, quos novitas rerum & indebitæ desiderium dignitatis accendit, sed elaborandum esse & Deo nostro favorem præstante certandum, ut, quisque contra licitum nititur, sibi per omnia recognoscat occursum. Quod adversus Constantinopolitanum antistitem dici manifestum est, qui secundum sibi locum vindicabat adversus vetustatem & canones antiquos, cum secundus locus deberetur Alexandrino, tertius Antiocheno. Unde & in epistola ad Episcopos Illyricianos ita loquitur: *Quoniam locus exigit, si placet recensete canonum sanctiones; reperietis, quæ sit post Ecclesiam Romanam secunda sedes, quæve sit tertia: a quibus ideo ita rerum videtur ordo * destructus, ut se Ecclesiarum Pontifices ceterarum sub uno tamen eodemque sacerdotio habere cognoscant, quibus caritate servata propter ecclesiasticam disciplinam debeant esse subjecti. Et quidem hæc sententia canonum a vetustate duravit, & nunc usque Christo nostro favente perdurat.* Et paulo post: *Servant Ecclesiæ magnæ prædictæ per canones dignitates, Alexandrina & Antiochena, habentes ecclesiastici juris notitiam*, id est, juris apostolici, ut supra dixit.

Bonif. I. apud Holsten. p. 75.

* distinctus.

XII. Sed altius penetrabat, quam Thessali & quidam Illyriciani Episcopi tentabant, provinciarum illarum divisio a patriarchatu occidentis & a communione & potestate Romani Pontificis, quarum cura istam levari procurabant, ut amplificandæ auctoritatis alterius se esse studiosos hoc facinore ostenderent. *Audio Episcoporum quosdam*, inquit Bonifacius in epistola ad Thessalos, *apostolico jure contempto novum quippiam contra Christi proprie præcepta tentare, cum se ab apostolicæ sedis communione, &, ut ita dicam verius, potestate separare nituntur, eorum petentes auxilium, quos ecclesiasticarum sanctio regularum majoris esse non dedit potestatis. Leguntur etenim præcepta majorum, & quibus in Ecclesias juris aliquid dederint invenimus. Jam temerator est ecclesiasticæ disciplinæ quisquis in ejus leges, cum sibi nihil debeatur, inrepit ea sibimet vindicando, quæ sibi a patribus negata videantur.* Tum in epistola ad Episcopos per Illyricum constitutos aperit, quænam fuerit illa præsumptio, nimirum prohibere, ne causæ ecclesiasticæ provinciarum Illyrici orientalis deferrentur ad sedem apostolicam, adeoque ex ista præsumptione effectum, ut eas auderent retractare, quæ supremo sedis apostolicæ judicio definitæ fuerant. Quod ait esse contrarium moribus antiquis. Nam & illustrissimas orientis Ecclesias, Alexandrinam nempe & Antiochenam, in magnis negotiis consuluisse semper sedem Romanam, ejusque auxilium postulasse, quoties occasiones inciderunt ingentium periculorum. Quanto magis istam consuetudinem servandam esse a minorum urbium Episcopis, & ab Illyricianis potissimum, qui ab omni retro antiquitate usque ad hæc novissima tempora paruerant constitutis apostolicæ sedis? *Nemo unquam*, inquit, *apostolico culmini, de cujus judicio non licet retractari, manus obvias audacter intulit; nemo in hoc rebellis extitit, nisi, qui de se voluit judicari. Servant Ecclesiæ magnæ prædictæ per canones dignitates, Alexandrina & Antiochena, habentes ecclesiastici juris notitiam. Servant inquam statuta majorum, in omnibus deferentes, & ejus vicissitudinem recipientes gratiæ, quam se in Domino, qui pax nostra est, nobis debere cognoscunt. Sed quia res postulat, approbandum documentis est, maximas orientalium Ecclesias in magnis negotiis, in quibus opus esset disceptatione majore, sedem semper consuluisse Romanam, & quotiens usus exegit, ejus auxilium postulasse.* Descendit deinde ad exempla sanctorum Athanasii & Petri Alexandrinorum antistitum, tum Meletii & Flaviani Antiochiæ, & ad ipsius Nectarii Constantinopolitani ordinationem. Addit vero sub Innocentio Pontifices orientalium Ecclesiarum dolentes se a beati Petri communione sejunctos per Legatos pacem poposcisse, eamque illis a sede apostolica indultam fuisse.

Apud Holsten. pag. 66.

XIII. Angebat vehementer Bonifacium causa Perigenis, caritate sane erga hominem sedi apostolicæ addictissimum, sed præcipue propter convulsam ab Episcopis Illyricis Romani judicii definitionem, qui post illud eam causam rursum judicare moliebantur in Concilio Corinthiaco. Nam dupliciter in hoc peccabatur adversus sedis apostolicæ majestatem. Primo, quod eam causam retractare præsumerent, quæ supremo Romani Pontificis arbitrio judicata fuerat. Deinde, quod eam synodum celebrare cogitarent præter conscientiam, id est, consensum, Rufi Episcopi Thessalonicensis, qui Vicarius erat Romanæ sedis per omnes Illyrici provincias. Hæc duo capita complexus est Bonifacius in epistola ad Rufum: *Ad synodum, quæ dicitur illicite congreganda de causa fratris nostri & coepiscopi Perigenis, cujus scripsimus statum nulla posse penitus ratione turbari, talia scripta direximus, quibus universi fratres intelligant primo convenire se citra tuam conscientiam minime debuisse, deinde de nostro non esse judicio retractandum. Nunquam etenim licuit de eo rursus, quod semel statutum est, ab apostolica sede tractari.*

Bonif. I. apud Holsten. p. 70.

Apud Holsten. p. 62.

XIV. Adeo autem alte insederat hic dolor animo Bonifacii, ut ad Episcopos Illyrios, qui ad synodum Corinthiacam conventuri erant, scribens aperte comminatus abstentionem sit, si Perigenis causam iterum ad discutiendum in medium adducerent, cujus honos dubius & incertus per regulas omnino esse non posset post sententiam Romani Pontificis. *Congregatur ergo*, inquit, *ut redeamus ad causam hujus injuriæ, synodus, cujus dilecto consilium semper superhabens Concilii recognoscat arcanum; & fiet; quod quidem fieri per regulas omnino non poterit, fratris & coepiscopi nostri Perigenis honor dubius & incertus, quem in sede Ecclesiæ supradictæ nostra sententia conlocavit.* Et infra: *Convenientes, ut condecet fratres, ne quis volens in nostra communione durare, fratris & consacerdotis nostri Perigenis iterum ad discutiendum in medium nomen adducat, cujus sacerdotium Apostolus Petrus semel jam spiritus sancti suggestione firmavit.* Valuit porro, ut illud etiam dicamus, apostolicæ sedis auctoritas circa Perigenem, ut in epistola ad ipsum data docet Sixtus III. eum redarguens, quod Thessalonicensi Ecclesiæ resultaret, cujus commendatione & apostolicæ sedis beneficio sedem suam retinuerat adversus æmulos. *Gratulari potius*, inquit, *quam conqueri deberemus de tuæ fraternitatis actibus, cum tibi apostolicæ sedis auctoritas in ipsis tuæ ordinationis initiis, quod te semper meminisse oportet, adfuerit.* Et in fine epistolæ: *Tua enim magis interest, ut huic plurimum deferatur Ecclesiæ, quæ tibi tantum honoris contulit, ut pro te contra eos, qui tibi tunc æmuli fuerant, repugnaret.* Idem in epistola ad Episcopos in synodo apud Thessalonicam congregandos: *Noverit Corinthius Episcopus sibi licentiam potestatis liberæ minime tribuendam, si huic voluerit Ecclesiæ resultare, quam sibi noverit profuisse; cui necesse est, nos quoque, si quid tentare voluerit, obviare, qui præteritorum, quæ illi per nos præstita sunt, memores sumus, & illicitis semper usurpationibus obviamus.*

Ibid. p. 74. 79.

Apud Holsten. p. 88.

Ibid. pag. 92.

XV. Sufficerent ista quidem ad probandum, Perigenis ordinationem in Ecclesia Corinthiensi convaluisse auctoritate Romani Pontificis. Sed tamen adhuc adferamus testimonium Socratis, qui de Perigenis ordinatione ita scribit: *Perigenes Ecclesiæ Patrensis designatus fuit Episcopus: quem, ubi populus illius urbis eum repudiaverat, Episcopus Romanus mandavit, ut Episcopo Corinthi metropolis jam mortuo, in sede episcopali illius urbis collocaretur. Cui Ecclesiæ reliquo vitæ spatio præfuit.* Testatur istud ipsum & Auxilius lib. I. cap. III. quem Ivo Carnotensis descripsisse videtur in præfatione sui Decreti. Nam apud utrumque ista omnino leguntur: *Perigenes in Petris est ordinatus Episcopus. Sed quoniam cives ejus civitatis eum suscipere noluerunt, Romanæ civitatis Episcopus jussit eum inthronizari in Co-*

Socrat. lib. 7. cap. 35.

in Corintho metropoli, defuncto ejus Episcopo; eique, donec advixit, Ecclesiæ præfuit. Extat sane epistola Cælestini Papæ ad Perigenem & ad alios quosdam partium illarum Episcopos, in qua ille primo loco nominatur. Præterea cassata, uti supra diximus, constitutione Theodosii, quæ relationem causarum dubiarum Illyrici ad Constantinopolitanum Episcopum fieri præcipiebat, nullum subreptiones Illyricianorum Episcoporum habuerunt effectum, adeoque conatus eorum adversus Perigenem debuit simul esse vanus & irritus.

Vide supra in Addit. ad cap. 2. lib. 4.

XVI. Displicebat itaque Bonifacio Episcoporum Illyricianorum audentia, qui Concilia congregare præsumebant citra conscientiam Rufi. Nam Innocentius primus, cupiens Vicario suo Rufo aliquam insignem prærogativam dare, ei ex apostolicæ sedis favore concesserat, ut, quoties causa aliqua eveniret, quæ congregationem sacerdotum requireret, posset quos vellet Episcopos de quibuscunque Ecclesiis evocare & cum eis controversias definire. Hæc tantum Innocentius. Sed quoniam non satis ad gloriam viri de sede apostolica bene meriti id esse arbitratus est Bonifacius, constituit, ne liceret Episcopis Illyricianis convenire, id est, Concilia celebrare, citra conscientiam ejusdem Rufi. Unde cum inaudivisset Episcopos illos synodum indixisse apud Corinthum pro retractanda causa Perigenis, commotus & *exagitatus*, ut ipse ait, propterea fuit, synodumque non aliter celebrari mandavit, quam ex auctoritate Rufi, electionem vero judicum a Rufo faciendam esse. *Sane quoniam servandus accusatori locus est*, inquit, *ne audentiam penitus incitare videamur, si quid ab eodem, postquam Episcopus nostris est auctoritatibus constitutus, contra disciplinam & propositum sacerdotii fertur admissum, coepiscopus noster Rufus, cui ad vicem nostram cuncta committimus, cum ceteris fratribus, quos ipse delegerit, negotium curabit audire, ad nostram relaturus omnia notionem, quæcunque cognitioni ejus rerum cursus & ordo monstrarit.*

Vide supra §. 4. hujus capitis.

Apud Holsten. pag. 70.

Ibid. pag. 79.

XVII. Postremum caput responsorum Bonifacii ad consulta Rufi respiciebat, ut diximus, personam ipsius Rufi, quatenus Romani Pontificis vices obtinebat & jus ordinandorum Episcoporum per Illyricum. Istud colligitur ex epistola ejusdem Bonifacii ad Episcopos Illyricianos; in qua ait honorandum esse Rufum propter apostolicam vicem, & ordinationes Episcoporum citra ejus conscientiam celebrari non posse. *Illud etiam, quoniam auctoritas nostra commonitione solita vacare non debet, hortamur, & repetito sæpius sermone præcipimus, ut in omnibus huic viro obedientiam dispositionibus commodetis. Nullus, ut frequenter diximus, alicujus ordinationem citra ejus conscientiam celebrare præsumat, cui, ut supra dictum est, vice nostra cuncta committimus.* Item in epistola ad Episcopos Thessalos: *Episcopos per Illyricum citra conscientiam coepiscopi nostri Rufi nullus ordinare præsumat.*

Ibid. pag. 80.

CAPUT XXV.

De vicariatu Thessalonicensi confirmato a Cælestino & Sixto III.

SYNOPSIS.

I. Rufus Thessalonicensis Episcopus a Cælestino quoque ornatus est vicariatu sedis apostolicæ. Probatur auctoritate Nicolai I. & ex ipso Cælestino.

II. Referuntur ejus verba, quæ sunt magni momenti, & apertius explicant Vicarii Thessalonicensis auctoritatem quam superiorum Pontificum epistolæ.

III. Declarat causas, quæ non sine Rufi auctoritate & consensu agi poterant, nimirum ordinationes Episcoporum, celebrationes Conciliorum, & majorum causarum relationes ad sedem apostolicam.

IV. Mortuo Rufo, Anastasius ei in cathedra & in vicariatu successit. Concilium indictum apud Thessalonicam. Mandata Anastasio data a Sixto III.

V. Refertur alius Sixti locus, ex quo perperam collegit Holstenius, vicariatum Thessalonicensem non sedis sed personæ privilegium fuisse.

VI. Disputatur, an Romani Pontifices sic vices suas alii cuipiam Episcopo tribuere potuerint, ut eas auferrent Thessalonicensi; & probatur, istud non licuisse, variis argumentis.

VII. Explicatur causa Joannis Episcopi Nicopolitani, qui temporibus Hormisdæ Papæ relationem de ordinatione sua non miserat secundum morem ad Dorotheum Episcopum Thessalonicensem.

VIII. Hormisda petebat Dorotheum Romam dirigi, ut illic examinaretur in causa fidei. Negavit Justinus Imperator, & Dorotheus non ivit Romam.

IX. Hæc discordia dedit occasionem ornandi Episcopum Nicopolitanum vicariatu sedis apostolicæ. Ad Gregorium Magum referri non debuit de ordinatione Episcopi Nicopolitani, si tum is fuisset subjectus Thessalonicensi.

X. Corruptus sancti Gregorii locus emendatur; in quo, ut hodie quidem legitur, agitur de Nicomeditanæ civitatis Episcopo. Ostenditur heic agi de Episcopo Nicopolitano.

XI. Sixtus III. dat Anastasio auctoritatem convocandi Concilia generalia Diœceseos Illyricianæ, ad causas judicandas: quæ si illic finiri non potuerint, ab eo referantur ad apostolicam sedem.

XII. Addit idem Sixtus novum privilegium, ut si quis Episcopus ex provinciis Illyricianis Thessalonicam ad Anastasium accesserit præter ejus conscientiam, velut canonum contemptor habeatur. Holstenius heic agi putat de Episcopis Romam proficiscentibus absque formata Episcopi Thessalonicensis.

XIII. Sixtus Proclum CP. hortatur, ne in jura Thessalonicensis antistitis irrepat. Quibus verbis designantur tentamenta Episcoporum Illyricianorum, qui se subtrahere moliebantur auctoritati Episcopi Thessalonicensis, ut ad Constantinopolitanum se conferrent, & metus Pontificis ex vicinitate Procli.

I. Bonifacio successit Cælestinus istius nominis primus, cujus ævo celebratum fuit Ephesinum Concilium adversus hæresim Nestorii, in quo Flavianus Philippensium Episcopus Rufi Thessalonicensis Legatus adfuit & subscripsit post Episcopos Hierosolymitanum & Ephesinum, ante Firmum Cæsareæ Cappadociæ Exarchum. Quod viri docti datum interpretantur honori vicariatus sedis apostolicæ, quem jam a tempore Innocentii primi continuata potestate secundum morem habebat Rufus a Cælestino. Agnoscens enim iste privilegium hoc Ecclesiæ Thessalonicensi ita indultum esse, ut semper is vicem beati Petri agere deberet in provinciis Illyricianis, qui sedem illam teneret, Thessalonicensemque Episcopum semper apostolicæ sedis vicem implevisse juxta observationem Dionysii Exigui, quam supra attulimus, etiam istud confirmatum esse voluit sua auctoritate, ne quid minus successoribus suis huic Ecclesiæ tribuisse videretur. Docet istud Nicolaus primus in epistola ad Michaelem Imperatorem; in qua enumerans Pontifices Romanos, qui primi Thessalonicensem antistitem decreverunt esse Romanæ sedis Vicarium per Illyricum, Cælestinum inter illos recenset. Verum testis in hoc nobis erit ipse Cælestinus ad Episcopos per Illyricum constitutos scribens in causa Felicis Episcopi provinciæ Dyrrachenæ; qui quorundam accusationibus circumventus ac pene oppressus, apostolicæ sedis auxilio evaserat ex hoc periculo. Hac occasione Cælestinus Episcopis illis significat, jam inde ab antiquitate sedem apostolicam derivasse partem aliquam suæ sollicitudinis in provincias Illyricianas, earumque curam Thessalonicensi Ecclesiæ semper fuisse commissam, confirmasse se eam auctoritatem Rufo, cui

eos

eos obedire præcipit in omnibus causis ecclesiasticis; postremo minatur abstentionem & segregationem a cœtu fraternitatis ei, qui refragari auderet vel auctoritati suæ vel illius jussioni.

II. Ista cum sint magni momenti, & epistola illa Cælestini apertius explicet auctoritatem illam Vicarii Thessalonicensis quam superiorum Pontificum epistolæ, referenda sunt heic illius verba. *Nec nova hæc*, inquit, *sedi apostolicæ cura de vobis est. Statutum nostris sæpius experimentum hoc quod nos agimus Thessalonicensi Ecclesiæ semper esse commissum, ut vobis vigilanter intendat.* Tum laudata virtute obedientiæ, & commendata beati Petri auctoritate & prærogativa, *Dominentur nobis regulæ*, inquit, *non regulis dominemur. Simus subjecti canonibus, cum canonum præcepta servamus. Sunt culpæ aliquantæ non leves, quæ * illis innata provinciis, ad nos, cum simus longius, non possunt pervenire, aut jam semotis omnibus, non ita, ut sunt, acta interposito temporis spatio, perferuntur; quas omnes nos intercessione fratris & coepiscopi nostri Rufi, cujus experientiam probatam esse in causis omnibus & vitæ actibus liquet, volumus referari; cui vicem nostram per vestram provinciam noveritis esse commissam; ita, ut ad eum, fratres carissimi, quicquid de causis agitur, referatur.*

Cælest. I. epist. ad Episcopos per Illyricum, apud Holsten. pag. 85.

* Legendum puto in Illyricianæ.

III. His ita generaliter sancitis, statim declarat causas, quæ non sine Rufi auctoritate & consensu agi poterant, nimirum ordinationes Episcoporum, celebrationes Conciliorum, & majorum causarum relationem ad sedem apostolicam. *Sine ejus consilio*, inquit, *nullus ordinetur, nullus usurpet eodem inconscio commissam illi provinciam, colligere nisi cum ejus voluntate Episcopos præsumant; per eum etiam ad nos, si quid est, referatur.* Excommunicationis denique pœnam intentat illis, qui his constitutis apostolicæ sedis non obedierint: *Sed hac præceptione cognoscent, & eum, qui refragandum nostræ auctoritati vel illius crediderit jussioni, a fraternitatis cœtu, cum ipse separet, segregandum.*

IV. Mortuus est per eas tempestates Rufus Thessalonicensis Episcopus; & Anastasius statim in ea cathedra locatus, vicariatu sedis apostolicæ secundum morem ornatus est a Sixto, cum ea ipsa amplitudine auctoritatis, quam superiores Pontifices decessoribus ejus tribuerant. Indicta erat anno CDXXXV. synodus Episcoporum apud Thessalonicam. Ad Episcopos ergo in synodo apud Thessalonicam congregandos scribens Sixtus de Anastasio, his eum verbis commendat: *Nos fratri & coepiscopo nostro Anastasio tantum tribuimus, quantum decessoribus ipsius a nostris decessoribus attributum. Priorum judicium sequimur hæc constituendo, quæ ab his novimus constituta, quia & ipsum hujus probamus meriti, cujus fuerunt illi, qui talia meruerunt. Nullus obviet salubribus constitutis, nullus præceptionibus his resultet. Habeant honorem suum Metropolitani singularum, salvo hujus privilegio, quem honorare debeant amplius honorati. In provincia sua jus habeant ordinandi. Sed hoc inscio vel invito, quem de omnibus volumus ordinationibus consuli, nullus audeat ordinare. Ad Thessalonicensem majores causæ referantur antistitem. Ipsum major cura respectet eos, qui ad episcopatum vocantur discutiendi solicitius & probandi. Ipse optimos solertissimosque de vestro numero eligat, quos negotii secum adsciscat arbitros; aut sine se tribuat, qui in disceptationem missa componat.*

Apud Holsten. pag. 91.

V. Sed operæ pretium est, aliam Sixti constitutionem, qua potestas Episcopi Thessalonicensis paulo apertius declaratur, referre, directam universis Episcopis per Illyricum, datam autem XV. Kal. Januar. Aetio iterum & Segisvulto Consulibus, id est, anno Christi CCCCXXXVII. *Illyricanæ omnes Ecclesiæ*, inquit, *ut a decessoribus nostris accepimus, & nos quoque fecimus, ad curam nunc pertinent Thessalonicensis antistitis; ut sua sollicitudine, si, quæ inter fratres nascantur, ut assolent, actiones, distinguat atque definiat, & ad eum, quicquid a singulis sacerdotibus agitur, referatur.* Heic mirari subit infelix Holstenii judicium de vero sensu hujus loci, ex quo manifeste colligi putat privilegium illud, non sedis, sed personæ privilegium fuisse, additque statim, curam illam alii Episcopo urbis alterius pro arbitrio Romani Pontificis demandari potuisse. Istum vero sensum colligit ex voce *Nunc*, ac si possessio præsentis temporis aboleret omnem aliam possessionem; cum e contra ex contextu epistolæ constet, heic agi de privilegio Ecclesiæ, non vero personæ, uti supra diximus.

Apud Holsten. pag. 99.

Vide supra cap. 21.

VI. Quod autem ait Holstenius, curam illam alii Episcopo urbis alterius pro arbitrio Romani Pontificis demandari potuisse, facile assentior. Nam & posteriorum temporum exempla probant, eos aliis Episcopis delegasse vices suas in variis provinciis. Sed an cura illa sic alii Episcopo tribui potuerit, ut non amplius Thessalonicensi incumberet, & ab eo prorsus auferretur, non ita exploratum habetur. Nullus quippe dubitat, ut adnotatum est ab illustrissimo Archiepiscopo, quin privilegia, quæ propter merita conceduntur, in contractus naturam transeant, ideoque revocari nullo modo possint. Magna porro Thessalonicensium Episcoporum in sedem apostolicam merita fuisse, probant Romanorum Pontificum epistolæ ab Holstenio editæ. Præterea cum consuetudo, uti supra diximus, obtineat vim legis & convelli non possit, constat, vicariatum apostolicæ sedis adimi non potuisse Ecclesiæ Thessalonicensi, tametsi causam abolendo privilegio fortassis dedisset is, qui cathedræ illi præsidebat. Nam licet interdum diversa sint merita præsidentium, ut ait sanctus Leo, tamen jura permanent sedium; &, ut ait Alexander III. in epistola ad Thomam Archiepiscopum Cantuariensem, *ex delicto personæ non debet Ecclesia jacturam aliquam vel incommodum sustinere*. Denique semper, sed præcipue in causis ecclesiasticis, vitandum est scandalum, & summi Pontifices maxime cavere debent, ne rescriptis suis scandali occasionem præbeant. Scandala porro & offensiones in rempublicam Christianam invehuntur, quando status ecclesiasticus aliqua novitate percellitur & consuetudines receptæ convelluntur. Dedit magnum istius rei exemplum ætas Hormisdæ Romani Pontificis, & quidem in occasione, quæ convellebat privilegia Thessalonicensis antistitis, ut necesse non sit exempla petere e longinquo.

Vide supra lib. 3. cap. 10. §. 2.

Vide supra cap. 22. §. 2.

S. Leo ep. 62. Vide Notas ad Agobard. pag. 118.

Apud Baron. ad ann. 1164. §. 38.

Vide sup. lib. 1 cap. 15. §. 7. 8.

VII. Joannes Nicopolitanus Episcopus, idemque veteris Epiri Metropolitanus, relationem de sua ordinatione, sicut vetus consuetudo poscebat, non miserat ad Dorotheum Episcopum Thessalonicensem, propterea, quod is non erat in communione sedis apostolicæ, & quia Pontifex Hormisda præceperat, ne quis debitam sedi Thessalonicensi reverentiam exhiberet, neve eum susciperet ceu Vicarium sedis apostolicæ. Hanc Joannis temeritatem acriter ultus est Dorotheus principali auctoritate fretus. Joannes ergo agnoscens se imparem Dorotheo, literas ea de re ad Hormisdam scripsit per Diaconum suum, licentiam petens destinandi relationem ad Episcopum Thessalonicensem secundum consuetudinem. At Hormisda Episcopum illum admonuit, ne tale aliquid audere tentaret, si cum ipso vellet in communione persistere; & Episcopis Epiri id ipsum sub consultationis colore poscentibus rescripsit, se hujus illis rei auctorem existere non posse, quam, si inscio se cognosceret factam esse, culparet. Ne tamen afflicto non opitularetur, Ennodium & Peregrinum Episcopos misit Thessalonicam cum literis ad Dorotheum; & dato eis commonitorio præcepit, uti, cum ad eum pervenissent, monerent, ut se ab Ecclesiæ Nicopolitanæ concussione suspenderet, *rationem reddentes, quia non potuit reversus ad communionem & ad corpus Ecclesiæ cum illis, qui necdum reversi sunt, quicquam habere conjunctum; nos non solvere a prædecessoribus nostris concessa privilegia, si ipse ecclesiastica instituta non deserat.* Contendebat enim Doro-

Hormisd. epist. 17. 21. 22.

Idem epist. 73.

Hormisd. ep. 21.

Hormisd. ep. 18.

Dorotheus, Joanni liberum non fuisse omittere obsequium, quod ex veteri consuetudine & ex apostolicæ sedis privilegio debebatur Ecclesiæ Thessalonicensi. Itaque cum illum justam causam habere videret Hormisda, neque facile vinci posse hominem tot munimentis insistentem, ut qui præter auctoritatem sedis suæ, principales quoque & judiciarias potestates sibi faventes haberet adversus Joannem, Legatis suis præcepit, ut eum ad concordiam & ad unitatem inducerent oblata privilegiorum confirmatione. *Certe redeat ad unitatem*, inquit, Idem epist. 23. *& nos cum eo insistemus, ut omnia privilegia, quæcunque consecuta est a sede apostolica Ecclesia, ejus inviolata serventur.* Ad ipsum vero scribens fatetur, Joannem debuisse secundum consuetudinem ad Thessalonicensem Ecclesiam ordinationis suæ initia dirigere, ceterum consuetudinem non fuisse neglectam, sed vitata contagia. Et quia Dorotheus contendebat privilegia Ecclesiæ suæ indulta servanda esse, illum his verbis interpellat Hormisda: *Quo pudore, rogo, privilegia circa te illorum manere desideras, quorum mandata non servas, & reverentiam quam non exhibes fidei, cupis tibi ecclesiastica potestate deferri?*

VIII. Quis fuerit causæ istius exitus, non inveni traditum memoriæ literarum. Nam & biennio post Dorotheus ab Hormisda divisus erat, & Joannes Idem epist. 54. Nicopolitanus Episcopus adhuc pertimescebat malevolorum suorum calumniam, ut Hormisdæ verbis utamur. Injunxit per ea tempora Legatis Idem epist. 62. suis Hormisda petere ab Imperatore, uti Dorotheus Epist. 63. ad Urbem dirigeretur, illic examinandus in causa fidei. Et cum inaudivisset, eum Constantinopolim jussu Principis evocatum fuisse, mandat aliis literis insistere apud Imperatorem, *ne in eandem civitatem* * *denuo revertatur, sed episcopatus, quem nunquam bene gessit, honore deposito, ab eodem loco ac Ecclesia longius relegetur, vel certe huc ad Urbem sub prosecutione congrua dirigatur.* Legati rem, ut jussi erant, Justino Augusto retulerunt, poscentes, *ut ad percipiendam doctrinam catholicæ puritatis Romam præfatus Dorotheus mitteretur.* Negavit Justinus; & repente Dorotheus, qui in civitate Heracleensi attinebatur, abire permissus est.

* Id est, Thessalonicam.

Suggestio Germani Episcopi &c. post epist. 67. Hormisdam.

IX. Hæc tamen discordia, ut ego quidem arbitror, Hormisdæ dedit occasionem distrahendi Epirum a corpore provinciarum, quæ Vicario Thessalonicensi parebant, committendique vices apostolicæ sedis per eam provinciam Episcopo Nicopolitano. Quod ut melius intelligatur, meminisse debemus eorum, quæ supra diximus, cum tractaremus de his, quæ apud Hormisdam acta sunt pro confirmatione privilegiorum Ecclesiæ Thessalonicensis, nimirum illum in Commonitorio Legatis suis dato pollicitum esse, quod, si Dorotheus ad unitatem rediret, id est, Acaciano schismati renuntiaret, ipse *omnia privilegia, quæcunque consecuta est a sede apostolica Ecclesia ejus, inviolata servaret.* His verbis promissam esse confirmationem vicariatus per Illyricum nemo est, opinor, qui ambigat. Itaque si ostendere possumus, parem in hoc Nicopolitani Episcopi causam fuisse ævo sancti Gregorii, satis constabit, eum diu ante fuisse sedis apostolicæ Vicarium per Epirum, nimirum jam inde a temporibus Hormisdæ. Rescribens ergo Gregorius ad Episcopos Epiri, qui ad eum scripserant de ordinatione Andreæ Episcopi Nicopolitani, hæc ait: *Supra-* S. Greg. lib. 5. Indict. 14. epist. 7. *scripto igitur Andreæ fratri & coepiscopo nostro Pallium nos direxisse cognoscite, atque privilegia cuncta concessisse, quæ prædecessores nostri ejus prædecessoribus contulere.* Si extaret Gregorii epistola ad Andream, fortassis aperta vicariatus istius testimonia in ea reperirentur. Hoc auxilio destituti, cogimur agere argumentis. Ac primum quidem observandum est, ad Episcopum Romanum referri de ordinatione Episcopi Nicopolitani prorsus contra veterem morem, si tum Epirus fuisset subjecta Thessalonicæ. Nam tum Episcopus Thessalonicensis, qui erat Eusebius, erat in communione sedis apostolicæ, ut docent variæ Gregorii epistolæ ad ipsum datæ. Ad hunc ergo, non ad Gregorium, referri debuit de ordinatione Andreæ. Sed quoniam tum sedes ejus æqualibus privilegiis utebatur cum Thessalonicensi, a cujus potestate exempta fuerat, necessarium erat, ut eundem morem in ordinationis suæ initiis servaret Andreas, quem Thessalonicenses Episcopi servabant, nimirum, ut relationem de ordinatione sua mitteret ad summum Pontificem. Secundo Gregorius Pallium, quod erat Vicariorum apostolicæ sedis insigne, (licet interdum etiam aliis Episcopis daretur) mittens ad Andream, confirmat omnia privilegia Ecclesiæ illius collata a prædecessoribus suis, idque iis verbis, quæ, si conferantur cum verbis Hormisdæ supra relatis, omnino evincunt, Gregorium loqui voluisse de vicibus apostolicæ sedis.

X. Sed adversus hæc opponet fortassis quispiam frustra me hoc loco torqueri, apud Gregorium enim non agi de Episcopo Nicopolitano, sed de Nicomeditano, adeoque inutilem esse hanc meam omnem operam. Scio quidem, in vulgatis Grego- Apud Gratian. dist. 100. cap. rii editionibus & in veteri codice MS. Bibliothecæ Scriptorum. regiæ, tum etiam apud Gratianum, epistolam illam loqui de Andrea *Nicomeditanæ* vel *Nicomedianæ* civitatis Episcopo. Sed ego contendo, locum hunc esse corruptum, reponendumque illic esse nomen Nicopolitanæ civitatis. Primum enim ea epistola scripta est ad Episcopos Epiri; quorum Metropolitanus non erat Nicomediensis, qui nullus fuit, sed Nicopolitanus, ut cuivis manifestum est. Deinde apud sanctum Gregorium non uno lo- S. Greg. lib. 7. co reperimus, mentionem fieri Andreæ Episcopi Indict. 1. epist. 11. & Indict. 2. Nicopolitani, hujus nimirum ipsius, de quo ad epist. 70. eum retulerant Episcopi Epirotæ. Unde patet, certam esse emendationem, adeoque ea argumentatione convelli non posse, quæcunque hactenus a nobis dicta sunt de vicariatu Episcopi Nicopolitani. Nunc ad Sixti literas revertamur.

XI. Sic ergo prosequitur ille, in epistola illa ad universos Episcopos per Illyricum: *Sit Concilium,* Apud Holsten. *quoties causæ fuerint, quoties ille, pro necessitatum* pag. 99. *emergentium ratione, decreverit; ut merito sedes apostolica, relatione ejus instructa, quæ fuerint acta, confirmet. Evocatus vestrum nemo venire contemnat, nec congregationi sanctæ, ad quam debet festinare, se deneget. Excusatio per contumaciam non requiratur &c.* Et paulo post: *Si quid forsitan, aut inter fratres natum fuerit, aut fratri cuipiam aliqua actio, qua pulsetur, illata, aut illic, fratre & coepiscopo nostro Anastasio judice, eveniens negotium terminetur, qui vices apostolicæ sedis agere, ut beatæ memoriæ Rufus decessor ipsius, ex nostra voluntate cognoscitur; aut ad nos, si illic definiri non potuerit, eodem tamen suis literis causam omnem, quæ vertitur, prosequente, veniat examen.*

XII. Addit idem Sixtus novum privilegium, nimirum, ut, si quis Episcopus ex provinciis Illyricianis Thessalonicam ad Anastasium accesserit præter ejus conscientiam, velut canonum contemptor habeatur. Quo loco respexit fortassis Sixtus ad canonem tertium Sardicensem, in quo sic legitur: *Osius Episcopus dixit: Illud quoque necessario adjiciendum est, ut Episcopi de sua provincia ad aliam provinciam, in qua non sunt Episcopi, non transeant, nisi forte a fratribus suis invitati, ne videamur januam claudere charitatis.* Et fortassis istud petierat Anastasius a Sixto, quod se nimia Episcoporum Thessalonicam venientium copia premi videret, exemplum secutus Aetii prædecessoris sui, qui remedium a Concilio Sardicensi postulaverat, adversus Presbyteros & Diaconos Thessalonicam ex provinciis Illyricianis venientes, tempusque moræ illis præscribi, ut supra vidimus. Itaque Six- Vide supra cap. 20. § 5. tus de hoc privilegio sic scribit ad Proclum Episcopum Constantinopolitanum: *Id ergo, quod nos quo-* Apud Holsten. pag. 94. *que servamus, fraternitatem tuam, quam scimus hoc suo more facturam, volumus custodire, id est, ut, si quis ad fratrem & coepiscopum nostrum,*

Thes-

Thessalonicensis urbis antistitem, harum provinciarum, quæ ad eum pertinent, sacerdos adveniat præter ejus conscientiam, si sine ejus epistolis atque formata venire tentaverit, tanquam disciplinæ ecclesiasticæ despector & contemtor canonum, quos nos temerari ex aliqua parte non patimur, habeatur. Hunc locum Holstenius, existimans esse mutilum, sic restituendum esse pronuntiat: *Si quis ad fratrem & coepiscopum nostrum, Thessalonicensis urbis antistitem, harum provinciarum (quæ ad tuam spectant Ecclesiam, sacerdos sine tuo consensu accesserit, vel contra, ad tuam sanctitatem istarum provinciarum,) quæ ad eum pertinent, sacerdos adveniat præter ejus conscientiam &c.* Ex quo loco, sic emendato, colligit, eos, qui ex Illyrico veniebant, Romam formatam attulisse Vicarii Thessalonicensis; ut, qui e Gallia veniebant, accipiebant ab Arelatensi Vicario. De quo privilegio, quod in Patroclo sumpsit initium, nos infra agemus capite XXX. istius supplementi.

Quæ parenthesibus conclusa sunt, additamenta sunt Holstenii.

XIII. De causis provinciæ Illyricianæ ad Constantinopolitanum Episcopum rescripsit Sixtus; ut, qui in vicino erat, canonum custodiam præstaret. Nam Episcopi illius provinciæ se interdum subtrahere moliebantur auctoritati Episcopi Thessalonicensis, ut ad Constantinopolitanum se conferrent, vicinæ urbis inlecebris illecti. Et facile illos admittebat Constantinopolitanus antistes, in spem augendæ dignitatis suæ erectus, post conditum canonem secundæ synodi. Nam & Theodosii junioris ævo tentata fuerat orientalis Illyrici divisio a sede apostolica, ut non amplius illud aut Thessalonicensi Episcopo subesset, neque relationes hinc ad sedem apostolicam mitterentur. Itaque Sixtus, multum laudato Proclo, eum hortatur, ne in jura & privilegia Thessalonicensis antistitis irrepat, sed potius ei debitum honorem reservet, neve quicquam permittat fieri, quod non liceat a sacerdote tentari. Quibus verbis nemo non videt designari tentamenta Illyricianorum Episcoporum & metum Pontificis ex vicinitate Procli. *Reverentiæ vestræ*, inquit, *in commune* (id est, tibi & Thessalonicensi Episcopo) *præstatur, si alter alterius honori debita, prævenientes invicem per charitatis gratiam, reservetis: quæ fieri nolumus, ut legimus. Discant omnes illius provinciæ sacerdotes, tantæ fraternitatem tuam esse censuræ, ut non permittas fieri, quod non licet a sacerdote tentari.*

Apud Holsten. pag. 95.

CAPUT XXVI.

De vicariatu Thessalonicensi, a Leone M. amplificato, ubi simul explicatur locus Leonis de plenitudine potestatis, & de his, qui in partem sollicitudinis vocati dicuntur.

SYNOPSIS.

I. Leo M. amplificavit auctoritatem Episcopi Thessalonicensis in Illyrico.

II. Anastasius a Leone postulaverat, ut sibi vices suas per Illyricum delegaret, juxta morem. Iterum ostenditur, vicariatum Thessalonicensem a Siricio Papa firmatum fuisse.

III. Recensentur mandata, quæ Leo dedit Anastasio. Quænam utilitas ex celebratione Conciliorum capiatur.

IV. Causæ in suis quæque provinciis definiantur. At si quæpiam causa incidat, quæ nec in majori synodo apud Anastasium definiri possit, tum vero de ea referatur ad sedem apostolicam.

V. Explicatur Leonis locus, de plenitudine potestatis, & de his, qui a Romano Pontifice vocantur in partem sollicitudinis. Huic distinctioni occasionem præbuit Anastasii audentia adversus Atticum Metropolitanum veteris Epiri.

VI. Explicationem heic allatam veram esse probatur auctoritate Petri, Bibliothecarii sedis apostolicæ, Ivonis Episcopi Carnotensis, & Goffridi Vindocinensis.

VII. Probatur etiam auctoritate Innocentii III. ad Cencium Legatum scribentis, de auctoritate Legatorum.

VIII. Rursum istud ipsum probatur, ex alio illustri loco ejusdem Pontificis. Agebatur de castigando Mauritio, Episcopo Pictaviensi, qui judices, a Papa delegatos, vocabat Papæ judicellos, & se Papam esse ajebat in sua diœcesi.

IX. Sequentes Pontifices hoc Leonis loco usi sunt, ad ostendendum, solum Romanum Pontificem habere plenitudinem potestatis, ceteros vero vocatos tantum esse in partem sollicitudinis.

X. Mandata sua Leo jubet in omnium Episcoporum notitiam perferri, ne quis ignorantia juris se tueri possit. Episcopi, Presbyteri, Diaconi die dominico ordinandi.

XI. Transit deinde Leo ad celebrationem Conciliorum generalium Diœceseos Illyricianæ, quorum regulam præscribit. Consulit fatigationi & paupertati Episcoporum, ne cogantur frequenter convenire ad synodos. Varia istius rei exempla ex antiquitate.

XII. Jubet, uti nullus Episcopus se synodo subtrahat superbo animo. Asseruntur causæ legitimæ, ob quas licebat deesse conventui synodali.

XIII. Præscribit deinde varia capita circa disciplinam ecclesiasticam, & Episcopos Illyricianos admonet servare constituta a se missa ad Anastasium.

I. VEntum est tandem, quod maxime cupiebamus, ad felicia illa tempora, quibus Romanam Ecclesiam post Sixtum III. rexit sanctus Leo, vir cum primis memorabilis, &, qui cum virtutibus suis, tum ob rerum gestarum gloriam, *Magni* cognomen adeptus est. Et superiores quidem Pontifices vices suas per Illyricum tribuerant Episcopo Thessalonicensi, cum ea amplitudine potestatis, quam animo conceperant. Supererant tamen adhuc plurima disciplinæ capita, ad quæ porrigi poterat illius sollicitudo. Facinus istud divina providentia reservaverat Leoni; ut, qui magnitudine animi & intelligentia decessoribus suis anteibat, etiam in hoc capite illos vinceret. Unde & ipse ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum scribens ait, multa illi a beatissimi Petri Apostoli auctoritate, i. e. a Romanis Pontificibus decessoribus suis, commissa fuisse, sed plus tamen se ipsi concessisse, quam decessoribus ejus tributum fuerat a sede apostolica. *Quanta fraternitati tuæ*, inquit, *a beatissimi Petri Apostoli auctoritate commissa sint, & qualia etiam nostro tibi favore sint credita, si vera ratione perspiceres & justo examine ponderares, multum possemus de injunctæ tibi sollicitudinis devotione gaudere.*

Leo I. epist. 84. & in Decretis c. 51.

II. Anastasius ornatus a Sixto fuerat vicariatu sedis apostolicæ, eumque per multos annos gesserat. Tandem anno quadringentesimo quadragesimo quarto, seu data occasione, sive fortean, quod Leo quereretur non petitam a se fuisse confirmationem illius potestatis ex parte Anastasii, Anastasius mittens Nicolaum Presbyterum in Italiam, per eum petiit a Leone, uti sibi, sicut prædecessores ejus detulerant prædecessoribus suis, vices suas delegaret per Illyricum. Quod Leo concessit, exemplum petens a temporibus Papæ Siricii, & quia idem honos fuerat tributus prædecessori & decessori Anastasii, id est, Anysio & Rufo, qui cathedram Thessalonicensem tenuerant ante Anastasium. Ex quo confirmatur observatio, quam supra attulimus, incepisse quidem aliquo modo vicariatum Thessalonicensem a Damaso, sed certa primum ratione & æterna lege sancitum esse a Siricio in persona Anysii. Nam Leo totum istud negotium refert ad tres illos Episcopos, nulla mentione facta temporum Damasi, haud dubie facturus, si quid ille mansurum sancivisset. Hæc sunt verba Leonis: *Postquam itaque nobis petitio tuæ dilectionis innotuit per filium nostrum Nicolaum Presbyterum, ut tibi quoque a nobis, sicut decessoribus tuis, per Illyri-*

Similis Pelagii II. querela extat in epistola ejus ad Sabaudium, quæ refertur infra cap. 37.

Vide supra cap. 23. §. 5.

Leo I. in epist. ad Anastasium, apud Holsten. pag. 144.

Illyricum cum nostra vice propter custodiam regularum auctoritas præstaretur, præbentes assensum, nostra adhortatione compellimus, ut nulla dissimulatio, negligentia nulla proveniat circa Ecclesiarum regimen per Illyricum positarum, quas dilectioni tuæ vice nostra committimus, beatæ recordationis Siricii exemplum secuti, qui sanctæ memoriæ Anysio prædecessori tuo, bene de apostolica sede tunc merito, & rebus post sequentibus approbato, certa tum primum ratione commisit, ut per illam provinciam positis quas ad disciplinam teneri voluit Ecclesiis subveniret. Et mox: *Imitatorem te tam prædecessoris tui, quam decessoris, qui pari modo hoc & meruisse & egisse cognoscitur, esse volumus, ut de profectu Ecclesiarum, quas tibi vice nostra committimus, gaudeamus.*

Decessor, qui proxime antecessit. Prædecessor, qui decessorem proxime antecessit. Vide Juret. ad epist. 95. Ivonis Carnot.

III. Post narrationem illam &, quæ sequitur, exhortationem, Leo transit ad mandata, quæ Vicario suo danda putavit; quæ omnino malo verbis ipsius referre quam meis. *Divinæ legis sanctio veneranda*, inquit, *& canonum specialius decreta serventur. Per commissas tibi provincias tale Domino sacerdotes, quibus sola vita & clericalis ordinis suffragentur merita, consecrentur. Nihil gratiæ personali, nihil ambitioni, nihil redemptis permittas licere suffragiis. Examinentur diligentius & per longum vitæ tramitem disciplinis ecclesiasticis, qui ordinandi fuerint imbuantur, si tamen illis omnia, quæ a sanctis patribus sunt constituta, conveniant, & quæ beatum Apostolum Paulum de talibus legimus præcepisse, custodierint, ut unius uxoris vir sit, & hanc virginem, ut auctoritas divinæ legis cavet, acceperit.* Docet deinde bigamum vere esse, qui nondum Christianus habuit uxorem, & ea mortua, aliam duxit post baptismum. Pergit autem in dandis mandatis: *Nullus te inconsulto per illas Ecclesias ordinetur antistes. Ita enim fiet, ut sint de eligendis matura judicia, dum tuæ dilectionis examinatio formidatur. Quisquis vero de Metropolitanis Episcopis, contra nostram præceptionem, præter tuam notitiam, fuerit ordinatus, nullam sibi apud nos status sui esse noverit firmitatem, eosque usurpationis suæ rationem, qui hoc præsumpserint, reddituros. Singulis autem Metropolitanis sicut potestas ista committitur, ut in suis provinciis jus habeant ordinandi, ita eos Metropolitanos a te volumus ordinari, maturo tamen & decocto judicio.* Et paulo post: *Ad synodum, quisquis fratrum fuerit evocatus, accurrat, nec sanctæ congregationi se deneget, in qua maxime constituendum esse noverit, quod ad disciplinam poterit ecclesiasticam pertinere. Melius enim omnis culpa vitabitur, si inter sacerdotes Domini collatio frequentior habeatur, emendationi pariter & caritati plurimum præstet, adunata societas.* Ea utilitas ex celebratione Conciliorum, primum, ut vitia resecentur, deinde, ut fraternitas mutuo aspectu fruatur.

IV. Addit deinde in mandatis Leo, ut, si quæ causæ in provinciis illis natæ fuerint, quæ in Conciliis illis terminari possint absque contradictione, illic definiantur. Si vero causa quæpiam major, sive, ut alibi vocat, gravior inciderit, quæ ab Anastasio præsidente in synodo non possit definiri, jubet ad se mitti relationem de eo negotio, ut ipse revelante Domino rescribat, quod ipsi idem Dominus aspiraverit; servata nimirum veteri consuetudine, quæ constituit, uti majores causæ ad sedem apostolicam referantur. *Ut enim auctoritatem tuam vice nostra*, inquit, *exercere te volumus, ita nobis, quæ illic componi non potuerint, vel, qui vocem appellationis emiserit, reservamus.* Unde cum postea idem Anastasius nimis aspere tractasset Atticum veteris Epiri Metropolitanum, deque ea re idem Atticus querelam suam detulisset ad Leonem, iste ad Anastasium rescribens de atrocissimo facinore, in memoriam ei revocavit ista mandata, eum redarguens, quod ea non servasset. *Nam cum majora negotia*, inquit, *& difficiliores causarum exitus liberum tibi esset sub nostræ sententiæ expectatione suspendere, nec ratio tibi nec necessitas fuit in id, quod mensuram tuam excederet deviandi.* Et inferius eandem causam repetit, pronuncians, Anastasium non debuisse causam Attici, qui Metropolitanus Episcopus erat, judicare, donec ad ejus consulta Leo rescripsisset. *Præsertim*, inquit, *cum etiamsi tale aliquid mereretur, expectandum tibi fuerat, quid ad tua consulta rescriberem.* Et paulo post: *Etiamsi quid grave intolerandumque committeret, nostra erat expectanda censura, ut nihil prius ipse decerneres, quam, quod nobis placeret, agnosceres. Vices enim nostras ita tuæ credidimus caritati, ut in partem sis vocatus sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis.*

Leo I. epist. 48.

V. Heic locus me admonet, ut effatum illud ultimorum temporum, nimirum ceteros Episcopos vocatos esse in partem sollicitudinis, sed solum Romanum habere plenitudinem potestatis, captata occasione explicem, ostendamque, Leonem non cogitasse hoc loco de suprema auctoritate Romanæ sedis in universum, sed tantum de potestate, quæ sedi apostolicæ competebat in provinciis Illyricianis, in cujus potestatis exercitio vices suas Anastasio tribuerat, ita tamen, ut ab eo vocatus fuerit in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Vices suas, ut diximus, per Illyricum Leo commiserat Anastasio. Is vero externa potentia inflatus tyrannum agebat, adeo, ut Atticum Metropolitanum veteris Epiri sub publica custodia ad se Thessalonicam deduci fecerit, & contra vetera instituta sponsionem ab eo fidelitatis scripto exegerit. Ea de causa Romam accedens Atticus Leonis pietatem commovit: qui propter hoc facinus, quia invidia hujus facti in eum quoque derivari poterat, gravem ad Anastasium epistolam dedit, illum redarguens paulo asperioribus verbis. Tum vero addit, sic se vices suas ei commisisse, ut in partem vocatus sit sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Quibus verbis dicere voluit Leo, commisisse se quidem Anastasio, ut causas definiret, quæ in provinciis Illyricianis definiri possent citra contradictionem, ceterum majores gravioresque causas reservaret judicio sedis apostolicæ. Attici porro causam, quippe qui Metropolitanus esset, inter majora negotia referendam esse, adeoque de ea referri debuisse ad sedem apostolicam, culpandumque propterea esse Anastasium, qui eam judicare præsumpsisset.

VI. Ne quis vero existimet, me novum aliquid dicere, aut summæ Romani Pontificis auctoritati velle quippiam detrahere, laudabo sententiæ istius auctores ex intima pene antiquitate; simulque Innocentii III. testimonio evincam, Legatos apostolicæ sedis, tametsi generalia mandata acceperint, debere se continere intra certos limites & intelligere, sibi tributam non esse vi legationis eam potestatis amplitudinem in provinciis, quæ Romano Pontifici competit in causis ecclesiasticis. Anno MLXXIV. cum Legati, a Gregorio VII. in Germaniam missi, synodum generalem celebrare vellent, quod intra Gallias, id est, Germaniam, a nullo alio celebrari posse, quam a Romano Pontifice, contendebant Episcopi illarum partium, opponerentque Legati, se vices gerere Romani Pontificis, contenderetque e contra Liemarus Bremensis Archiepiscopus, sibi quoque & Moguntino Archiepiscopo vices apostolicæ sedis per Germaniam antiquis privilegiis esse concessas, primum quidem Legati docuerunt, mandata Legatorum expirare morte mandantis, & Legatos in partem sollicitudinis esse vocatos, non in plenitudinem potestatis, ad quam rem probandam utuntur testimonio sancti Leonis, quod paulo ante protulimus. *Præterea*, inquiunt, *sicut in primi Leonis Papæ quodam capitulo legitur, Pontifex Romanus vices suas ita committit, ut qui accipiunt in partem sollicitudinis sint vocati, non in plenitudinem potestatis.* Eadem fuit sententia Ivonis Episcopi Carnotensis: qui ad Hugonem Lugdunensem Archiepiscopum & apostolicæ sedis in Gallia Legatum scribens, virum, ut ex ejusdem Ivonis epistolis patet, acrem ac vehementem in retinenda dignitate sua, contendit, non secus ac Legatos in Germa-

Lambertus Schafnab. ad an. 1074. & inde apud Baron. ad an. 1074. §. 2.

Petrus Bibliothecar. in vita Gregorii VII. apud Baron. ibid. §. 4.

Germaniam missos fecisse vidimus, legationis officium partem esse apostolicæ sollicitudinis, non plenitudinem potestatis, & hanc partem modo plus, modo minus recipere pro arbitrio committentis; *maxime cum secundum eundem Leonem*, inquit, *legationis officium pars sit apostolicæ sollicitudinis, non plenitudo potestatis; quæ etiam pars modo plus, modo minus recipit pro arbitrio committentis*. Goffridus quoque Abbas Vindocinensis Gerardum Episcopum Engolismensem apostolicæ sedis Legatum inconcessa præsumentem redarguens ait: *Nos tamen credebamus, mediocritatem vestram a Domino Papa partem suscepisse sollicitudinis, quam solummodo ceteri Legati suscipiant, non plenitudinem exercere potestatis.*

Ivo epist. 59.

Goffr. lib. 1. epist. 21.

VII. Anno MCC. vacante Ecclesia Panormitana, Galterus Trojanus Episcopus & regni Siciliæ Cancellarius *usque adeo* (ut Innocentii III. gesta tradunt) *laboravit, quod fecit se in Archiepiscopum postulari, eandemque postulationem per præfatum Legatum* (nimirum per Cencium Presbyterum Cardinalem tit. S. Laurentii in Lucina, qui tum apostolicæ sedis Legatus erat in regno Siciliæ) *admitti, summo Pontifice penitus inconsulto. Et quamvis nondum Pallium recepisset, nedum etiam postulasset, Panormitanensem tamen Archiepiscopum & re & nomine se gerebat. Quod cum ad summi Pontificis notitiam pervenisset, redarguit valde Legatum, quod in tanto negotio circa talem personam processerat, antequam suum beneplacitum perquisisset.* Extant Innocentii literæ ad Legatum, plenæ majestatis; ex quibus colligimus, hunc Pontificem eadem de Legatorum potestate sensisse, quæ & Legati Gregorii VII. Ivo Carnotensis, & Goffridus Vindocinensis diu ante senserant, eademque omnino distinctione ex sancto Leone petita usum esse, quamvis illum non nominet. Hæc sunt enim ejus verba: *Licet in regno Siciliæ generalis sit tibi commissa legatio, ad ea tamen sine speciali mandato non debuisti manus extendere, quæ in signum singularis privilegii sunt summo Pontifici reservata, tamen etsi quædam ex iis, quæ de speciali concessione sæpe fuere Legatis indulta, ut illorum videlicet absolutio, qui propter sacrilegas manuum injectiones in clericos inciderunt in canonem sententiæ promulgatæ, videantur & ex ipso legationis officio jam licere Legatis. An existimas, quia vices nostras tanquam Legato tibi commisimus exequendas, quia Panormi Ecclesiam posses subjicere Messan. ut illam isti præficeres, concesso sibi privilegio primatiæ? An putas ex eadem causa tibi licere duos episcopatus unire vel unum dividere sine licentia speciali?*

Gesta Innoc. III. cap. 29.

Cap. Quod translationem, De off. Leg.

VIII. Post aliquot exinde annos idem Innocentius paulo apertius usurpavit verba sancti Leonis, & quidem secundum explicationem a nobis allatam. Delegaverat ille judicem in causa quadam Priorem sanctæ Radegundis Pictaviensis adversus Mauricium ejusdem civitatis Episcopum. Iste vero ægre ferens se subjici minori, jurisdictionem ejus palam turbavit, pœnas etiam infligendo, publice prædicans, quod in episcopatu suo esse vellet Episcopus atque Papa, & asserens, quod per judices delegatos a Papa, quos Papæ judicellos appellabat, nihil agi sineret in sua diœcesi. Innocentius vero ratus, audaciam illam ferendam non esse vindicandamque injuriam sedi apostolicæ factam per istius temeritatem, literas ad quosdam partium illarum ecclesiastici ordinis viros dedit anno MCCXIII. X. Kal. Aprilis, quibus eis commisit curam castigandi Episcopum & fautores ejus. In initio autem magnifica præfatione usus, ac multa prolocutus de auctoritate Romani Pontificis in universam Ecclesiam, ait illum, quia simul in diversis locis existere aut ad loca remotiora subito transvolare non potest, sollicitudinem suam in plures dispertiri, quæ per se ipsum non potest per Legatos suos vel delegatos judices exequendo; ita tamen, ut multis hoc modo vocatis in partem sollicitudinis, penes eum semper remaneat plenitudo potestatis. Sed operæ pretium est ipsamet ejus verba referre. *Universorum etenim conditor*, inquit, *qui omnia simul ab æterno providit, sciens sacrosanctam Romanam Ecclesiam futuram caput omnium fidelium & magistram, ejus pastorem, per quem populum suum ad repromissionis terram per hujus mundi solitudinem properantem regere disponebat, jam tunc benignius instruere dignabatur, qualiter* * *conditionis humanæ lex hominem simul in diversis locis existere, aut ad loca remotiora transvolare subito non permittit, redimeret tarditatem, sua videlicet onera dispensando per alios, &, quæ per se ipsum non posset, per Legatos suos vel delegatos judices exequendo; ut sic multis vocatis in partem sollicitudinis, penes eum consisteret plenitudo potestatis.*

Innoc. III. lib. 16. epist. 12.

* *quia.*

IX. Ex his ergo, quæ dicta sunt, colligi facile potest, Leonis primi locum ex epistola ad Anastasium non esse intelligendum de plenitudine potestatis, quam Christus dederit Petro & successoribus ejus Romanis Pontificibus, ita, ut ille solus plenitudinem illam habeat, ceteri vero vocati tantum ab eo sint in partem sollicitudinis, ut placuit Vigilio & Gregorio IV. qui, loquentes de Romana Ecclesia, ajunt, eam sic vices suas aliis Ecclesiis credidisse, ut in partem sint vocatæ sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Ex ea persuasione factum est, ut in Concilio Romano habito anno DCCCXCVIII. Gregorius V. confirmans ordinationem Arnulphi Episcopi Ausonensis, (quem Narbonensis Archiepiscopus, ad quem tum jure metropolitico spectabat sollicitudo Ecclesiarum provinciæ Tarraconensis, consecraverat) his verbis utatur, quibus omnem episcopalem auctoritatem in sede Petri ponit tanquam in fonte, ex quo ceteri Episcopi tantum accipiant, quantum placuerit Romano. Operæ pretium est ipsa viri verba referre ex veteri scheda nondum edita. *Privilegio nostræ auctoritatis confirmando & corroborando Arnulphum pranominatum Episcopum in ordine pontificali Ecclesiæ Ausonensis statuimus atque sublimavimus, annulumque & virgam pastoralem ei dedimus, ligandi solvendique potestatem vice Apostolorum & nostra ei concessimus.* Addendum tamen post ista putavimus in hoc loco postremum caput epistolæ, quæ circumfertur sub nomine Vigilii Papæ ad Eutherium, esse additamentum illius impostoris, qui nomine Isidori abusus est in vulgandis falsis veterum Pontificum Romanorum epistolis, cum non extet in vetustissimo exemplari ejusdem epistolæ, ut monuimus tom. 1. novæ nostræ collectionis Conciliorum pag. 1467. De epistola Gregorii IV. idem esto judicium. Cum enim nulla illius mentio habeatur in gestis Aldrici Episcopi Cenomanensis, & multa in ea contineantur absurda, non invitus in eorum sententiam transeo, qui putant, illam esse suppositititiam.

Locus Vigilii adducitur a Gratiano in c. qui se. 12. C. 2. q. 6. & Gregorii IV. in c. Decret. 11. C. 2. q. 6.

X. Præcipit itaque deinde Leo Anastasio, ut has literas suas in omnium Episcoporum notitiam faciat pervenire, ob necessitatem publicandæ legis, & ne quis ignorantia juris se tueri possit, si mandata superius recitata non observaverit. Admonet deinde, se ad omnes Illyrici Metropolitanos scripsisse de vicariatu Anastasii, ut obediant apostolicæ sedis delegato. His ita generaliter enarratis, transit ad caput alterum disciplinæ, ad ordinationes nimirum Presbyterorum & Diaconorum, quas die dominico, non secus ac Episcoporum ordinationes, peragi debere docet. *Cognovimus sane*, inquit, *quod non potuimus silentio præterire, a quibusdam fratribus solos Episcopos tantum diebus dominicis ordinari, Presbyteros vero & Diaconos, circa quos par consecratio fieri debet, passim quolibet die dignitatem officii sacerdotalis accipere. Quod contra canones & traditionem patrum usurpatio corrigenda committit, dum mos, quibus est traditus, circa omnes sacros ordines debeat omnimodis custodiri.* Porro Leonis epistola ad Metropolitanos per Illyricum constitutos edita est ab Holstenio inter acta Concilii Romani sub Bonifacio secundo celebrati, eademque mandata continet, quæ leguntur in epistola ad Anastasium.

XI. Præ-

XI. Præter epistolam ad Metropolitanos illos scriptam, aliam quoque de eodem argumento scripsit ad Metropolitanos per Achajam provinciam constitutos, in qua nonnulla notatu digna reperiuntur, quæ in superioribus non extant. Nam post factam mentionem majorum causarum, quas, si in provinciis suis nequeant terminari, ad Anastasii notitiam referri jubet, ut eodem arbitrio, sub divini timore judicii, componantur, transit ad celebrationem Conciliorum generalium Diœceseos Illyricianæ; ad quæ illos convenire jubet, cum evocati ab Anastasio fuerint, si nulla gravi necessitate retineantur; id tamen admonens, se constituisse, *ut non frequens, nec pro levibus causis, conveniendi necessitas indicatur*. Providebat enim prudentissimus Pontifex, id quod postea malo provinciarum sæpe accidit, ex constitutione celebrandarum synodorum descendere posse pessimum abusum, congregaturumque fortassis Anastasium multas generales synodos, ut potentiam & fastum suum ostentaret, si nulla super hoc constitutione repressum se sciret. Veruntamen Leo hanc causam hujus prohibitionis non adfert, sed aliam sapientissimam simul & justissimam, nimirum propter fatigationem Episcoporum, qui in longinquis provinciis constituti erant, &, qui non sine gravibus sumptibus ad synodos accedere poterant. *Maxime*, inquit, *cum moderatio nostra providerit, ut non frequens, nec pro levibus causis, conveniendi necessitas indicatur, & binos ternosve Episcopos de singulis provinciis adesse sufficiat, ut leve fiat paucis, quod multis esset onerosum*. Insignis est eam in rem locus ex epistola Concilii Ariminensis ad Constantium Augustum: in qua Episcopi, postulantes fieri sibi potestatem abeundi, inter causas petitionis suæ recensent paupertatem quorundam & fatigationem præterea eorum, qui senio confecti erant; ne dicam, quod ex congregatione generalium Conciliorum fiebat, ut Ecclesiæ essent desertæ. *Oramus etiam, ut præcipias tot Episcopos, qui in Arimino detinentur, inter quos plurimi, qui ætate & paupertate defecti sunt, ad suam provinciam remeare, ne destituti suis Episcopis laborent populi Ecclesiarum*. Huc fortassis respiciebat Sulpitius Severus in libro secundo sacræ historiæ; ubi enarrans, quomodo Constantius Episcopis synodi Ariminensis annonas & cellaria dare præceperat, ait, id quibusdam Episcopis indecens visum, qui, repudiatis fiscalibus, propriis sumptibus vivere maluerunt, tres tantum ex Britannia, inopia proprii, publico usos esse, cum oblatam a ceteris collationem respuissent, sanctius putantes fiscum gravare quam singulos.

Vide decreta Leonis I. c. 37.

Vide Ivon. epist. 56. & Arnulph. Lexov. in lib. adv. Gerard. Engolism. cap. 3.

Vide locum Liberati infra c. 28. §. 2.

Apud Hilar. in Fragm. part. 2. pag. 35.

XII. Edicit præterea Leo, *ut, quisquis superbo animo, cum nulla corporis vel causæ fuerit necessitate detentus, fraternum sæpius voluerit vitare conventum, se sciat esse judicandum*. Quippe in synodis cuncta discutiebantur, quæ ad disciplinam ecclesiasticam pertinebant, etiam vita & conversatio Episcoporum. Itaque fieri poterat, ut aliqui Episcopi vitarent conventum, ut se cognitioni judicum suorum subtraherent. Hos ergo contumaces, etiam absentes, judicandos esse pronuntiat in synodis. At, si qui non adsint ob ægritudinem, vel ob aliam justam causam, horum excusationem esse admittendam, adeoque damnandos non esse. Placuit istud etiam aliarum provinciarum Episcopis, maxime vero Gallicanis, ut docet infra illustrissimus Archiepiscopus. Falluntur autem, qui existimant, canones Galliæ excusationem, quo minus Episcopi ad synodum veniant, præter infirmitatem corporis, nullam agnoscere, ut alibi dicetur.

Vide infra l. 6. cap. 13. §. 3. 4.

XIII. Demum Leo nonnulla circa disciplinam ecclesiasticam præscribit Episcopis illis: quæ cum non pertineant ad auctoritatem Anastasii, sed ad custodiam canonum in universum, consulto omittimus. In fine vero jubet eos servare constituta a se missa ad Anastasium.

CAPUT XXVII.

Leonis Magni nova mandata ad vicarium Thessalonicensem referuntur & declarantur.

SYNOPSIS.

I. Anastasii factum, erga Atticum veteris Epiri Metropolitanum, excutitur. Ejus præsumptionem Leo damnavit, Anastasium redarguens verbis asperrimis, usurpatorem etiam eum vocans, & a similibus abstinere in posterum jubens.

II. Nova deinde mandata illi dat, sumpta partim ex veteribus, quæ heic explicantur vel illustrantur, partim de novo addita. Ea mandata recensentur. De ordinationibus Episcoporum, cum consensu Anastasii peragendis.

III. Bina per unumquemque annum Concilia celebrentur, in quibus omnes causæ ecclesiasticæ judicentur. De relatione Metropolitanorum ad Episcopum Thessalonicensem, & istius ad Romanum Pontificem. Majores causæ ad sedem apostolicam referendæ.

IV. Transit deinde ad ambitionem quorundam Episcoporum, qui, civitatis suæ mediocritate despecta, ad majores Ecclesias migrabant contra canones.

V. Sequenti capite Leo sancit supremum Thessalonicensis antistitis imperium in provincias Illyricianas, dum ei tribuit auctoritatem coercendi universos provinciarum illarum clericos.

VI. Rursum præscribit modum, qui servari deberet in celebratione Conciliorum generalium. Nam Anastasius erat abusus potestate, quam illi circa hoc Leo tribuerat.

VII. Ea præterea erat Anastasii pervicacia, ut suam unius sententiam prævalere debere contenderet collectis Episcoporum suffragiis. Ob quam præsumptionem castigatur a Leone.

I. PRoxime diximus, Leonem præcavere voluisse, ne effusa illa Thessalonicensis Episcopi auctoritas, quæ jam magnitudine laborabat sua, verteretur in dominatum, facili descensu a recto potestatis usu ad abusum. Ea de causa illi mandata dederat, in quibus omnia causarum genera provisa putabantur. Factum est tamen, ut, cum Atticus veteris Epiri Metropolitanus, excusationem infirmitatis obtendens, non accessisset Thessalonicam, quo evocatus fuerat ab Anastasio, Anastasius eum Thessalonicam deduci fecerit cum auxilio brachii secularis, ut hodie loquimur, adita scilicet præfectura Illyrici; cujus auctoritate Atticus, ab Ecclesiæ adytis extractus, non ob molestiam ægritudinis, non ob sævitiam hyemis datis induciis, Thessalonicam ab officiis publicis deductus, sponsionem fidei coactus est Anastasio dare in scriptis. Præsumptionem illam damnavit Leo, Anastasium redarguens, quod a traditis sibi regulis immodice discessisset, satis innuens, suspectam sibi fuisse nimiam illius potentiam, adempturus fortean illi vices suas, si adimi citra scandalum potuissent. *Dum dominari magis*, inquit, *quam consulere subditis placet, honor inflat superbiam, &, quod provisum est ad concordiam, tendit ad noxam. Quod, ut necesse habemus ita dicere, non de parvo animi dolore procedit. Me ipsum enim quodam modo trahi in culpam sentio, cum te a traditis tibi regulis immodice discessisse cognosco:* Addit postea Leo, non debuisse illum tam atrociter commoveri adversus Atticum, & ad se rescribere ante debuisse de causa ejus, ut ipse judicaret, an legitima esset illius excusatio, cum in mandatis accepisset Anastasius, ut, si quæ causa major incideret in provinciis Illyricianis, eam relatione sua deduceret ad apostolicæ sedis examen. *Multum stupeo, frater carissime, sed & plurimum doleo, quod in eum, de quo nihil* amplius

Leo epist. 84.

amplius indicaveras, quam quod evocatus adesse differret, & excusationem infirmitatis obtenderet, tam atrociter & tam vehementer potueris commoveri; præsertim cum, etiamsi tale aliquid mereretur, expectandum tibi fuerat, qui ad tua consulta rescriberem. Et rursum: *Etiamsi quid grave intolerandumque committeret, nostra erat expectanda censura, ut nihil prius ipse decerneres, quam, quod nobis placeret, agnosceres.* Tum, ne deinceps similis scandali materia suboriri posset, instruendum esse eum ait, ut post præteritorum malorum experimentum remedia præparentur venturis. Ac ne putaret Anastasius, cuncta sibi licere, usurpatorem eum vocat apertis verbis, dum ait, præminere quidem debere in illis provinciis episcopatus ejus fastigium, sed amputandum esse totius usurpationis excessum. Hæc sunt ejus verba: *Necesse est, post multarum experimenta causarum sollicitius prospici & diligentius præcaveri, quatenus per spiritum caritatis & pacis omnis materia scandalorum de Ecclesiis Domini, quas tibi commendavimus, auferatur, præminente quidem in illis provinciis episcopatus tui fastigio, sed amputato totius usurpationis excessu.*

II. Sic castigato increpatoque Anastasio, Leo nova dat mandata, sumpta partim ex veteribus, quæ heic vel explicantur, vel illustrantur, partim de novo addita. Primum quidem decernit, ut Illyricianarum provinciarum Metropolitanis sua jura serventur, ita tamen; ut illi a regulis præstitutis nulla aut negligentia aut præsumptione discedant, quod respicit obedientiam, quam illos Thessalonicensi Episcopo debere, certum erat Leoni. Deinde vetat secundum canones, ne ad episcopatum laici aut neophyti promoveantur, nec, qui secundæ conjugis sit maritus, neque, qui viduam duxit uxorem, etiamsi bonæ vitæ testimonio fulciantur; cum sacerdotum tam excellens sit electio, ut hæc, quæ in aliis membris Ecclesiæ non vocantur ad culpam, in illis tamen habeantur illicita. Tertio edicit, ne Subdiaconis liceat esse maritis, ita ut hi, qui habent uxores, sint tanquam non habentes, &, qui non habent, permaneant singulares, id est, uxores ducere non præsumant. Antiquis canonibus constitutum erat, quemadmodum dictum est in primo libro hujus operis, uti Episcopi, Presbyteri & Diaconi ab uxoribus abstinerent. Qua lege licitum videbatur Subdiaconis, habere conjuges, etiam post Siricii constitutionem. At Leo Subdiaconis Illyricianis prohibet connubium carnale, ad exhibendam perfectæ continentiæ puritatem. Tum confirmat prisca statuta de continentia Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, decernens, eos gradibus suis esse indignos, qui se a voluptate uxoria necdum frænasse deteguntur. Quarto præscribit modum faciendarum electionum episcopalium, &, ut nullus invitis & non petentibus ordinetur. Quod fortassis scriptum est adversus Metropolitanum Achajæ, id est, Corinthiensem Episcopum, qui Thespiensibus invitis & repugnantibus incognitum & ante non visum Episcopum consecraverat, ut testatur ipse Leo in citata epistola ad Metropolitanos per Achajam provinciam constitutos. Quinto jubet, ut, postquam electio facta fuerit in quapiam provinciarum Illyricianarum Ecclesia, Metropolitanus electi Episcopi ad Thessalonicensem referat de persona ejus & de cleri plebisque consensu, ut ordinationem rite celebrandam Thessalonicensis Episcopi firmet auctoritas. Ex quo intelligimus, quid sibi voluerint Leo & prædecessores ejus Romani Pontifices, cum decernerent, uti servatis Metropolitanorum privilegiis, nullus inconsulto Thessalonicensi Episcopo per illas provincias ordinaretur antistes. Quia tamen ingens illa potestas maturo & decocto judicio indigebat, ut Leonis verbis utamur, Anastasium monet, ut, postquam illi constiterit, electionem rite ac legitime factam esse, nihil moræ aut difficultatis afferat ordinationi, ne gregibus Domini diu desit cura pastorum. Idem circa Metropolitanorum ordinationes statuit servari, jubens, ut Metropolitano defuncto, cum in locum ejus alius fuerit subrogandus, provinciales Episcopi ad civitatem metropolim conveniant, ut, omnium clericorum atque omnium civium voluntate discussa, ex Presbyteris ejusdem Ecclesiæ vel ex Diaconis optimus eligatur. Excludit ergo Subdiaconos a dignitate episcopali, qui ævo demum Urbani secundi ad eam dignitatem accedere permissi sunt, ut dicetur infra. Cum vero facta sic fuerit electio Metropolitani Episcopi, de persona ejus ante ordinationem referendum esse pronuntiat ad Anastasium, decernens, irritam esse ordinationem, quæ extra conscientiam ejus præsumeretur. *Sicut enim*, inquit, *justas electiones nullis dilationibus volumus fatigari, ita nihil permittimus te ignorante præsumi.*

III. Sequens caput pertinet ad gravissimum caput disciplinæ, quod in causarum judicio versatur. Decernit itaque, secundum decreta patrum, ut bina per annum in unaquaque provincia Episcoporum Concilia celebrentur, in quibus de omnibus querelis, quæ inter diversos Ecclesiæ ordines nasci adsolent, judicetur. Quod si causa quæpiam gravis sive major inciderit, quæ provinciali nequeat examine definiri, præcipit, ut provinciæ illius Metropolitanus relationem de toto hoc negotio mittat ad Episcopum Thessalonicensem, simulque partes ad illum veniant. Quod si coram positis partibus res non fuerit sopita judicio Anastasii, ad Romani Pontificis cognitionem, quicquid illud est, transferendum esse. Hic locus, minime alioquin obscurus, lucem accipiet ex prima Leonis epistola ad Anastasium, qua illi vices suas committit per Illyricum. Servata ergo synodis provincialibus auctoritate, tum demum de causis illius provinciæ ad Anastasium fieri debere relationem sancit, si causæ, quæ illic natæ fuerint, in provinciali non potuerint examine terminari. Quod si quæ causa ita gravis fuerit, ut neque in synodo provinciali, neque in majore synodo sub præsentia Anastasii potuerit definiri, consulendam esse apostolicam sedem per literas Anastasii, ut sedis istius examine finiatur, pro traditione veteris instituti & debita apostolicæ sedis reverentia. Quænam autem fuerint causæ illæ, sic statim explicat Leo, nimirum majores, id est, difficiles & arduæ, quæ gravissimis contradictionibus jactatæ sunt in provinciis, tum etiam eorum, qui causa in provinciali examine ceciderant appellationes ad Pontificem Romanum. *Ut enim*, inquit, *auctoritatem tuam vice nostra exercere te volumus, ita nobis, quæ illic componi non potuerint, vel qui vocem appellationis emiserit, reservamus.* Idipsum repetit in fine epistolæ ad Episcopos Metropolitanos per Illyricum constitutos, his verbis: *Si quæ vero causæ graviores vel appellationes emerserint, eas sub ipsius relatione ad nos mitti debere decrevimus, ut nostra secundum ecclesiasticum morem sententia finiantur.*

IV. Transit postea Leo ad ambitionem quorundam Episcoporum. Olim paupere adhuc Ecclesia, cum pro nomine Christi certatim gloriosa in certamina ruebatur, quando dubium non erat episcopatum esse veluti gradum quendam ad crudelissima supplicia, nullus ambitioni locus erat, & Episcopi utplurimum ordinabantur inviti. Post fundatam deinde ac stabilitam apud omnes ubique gentes fidem Christianam, cum martyria desiissent, cum Episcopi cœpissent in honore esse, crevissentque opes, episcopatus, ut Sulpitius Severus ait, pravis ambitionibus appeti cœperunt. Tandem eo ventum est, ut Episcopi minorum sedium avaritiæ & ambitionis stimulis incitati, spretis civitatibus suis, ad majores aspirarent, ut docet eleganter Osius in canone primo Sardicensi his verbis: *Non minus mala consuetudo, quam perniciosa corruptela funditus eradicanda est, ne cui liceat Episcopo de civitate sua ad aliam transire civitatem. Manifesta est enim causa, qua hoc facere tentat, cum nullus in hac re inventus sit Episcopus, qui de majore civitate ad mino-*

De Neophytorum ordinatione vide supra lib. 1. cap. 8. §. 5.

Vide historiam Paphnutii apud Sozomen lib. 2. cap. 23.

Vide supra l. 1. cap. 8. §. 4.

Simile Hilarii Arelatensis facinus vide infra cap. 32. §. 7.

Vide infra l. 8. cap. 13. §. 3. §. in Addit.

De majoribus causis vide l. 1. cap. 10. §. 6. 7. & lib. 7. cap. 13. §. 6. 8.

Leo I. in ep. ad Anastasium, apud Holsten. pag. 150.

Vide Notas ad Lupum Ferrar. pag. 483. & ad Concilium Narbon. habitum an. 1224.

Vide Isidor. Pelus. lib. 5. epist. 21.

minorem transiret. Unde apparet, avaritiæ ardore eos inflammari & ambitioni servire, &, ut dominationem agant. Præcipit igitur Leo, ut, si quis Episcopus, civitatis suæ mediocritate despecta, administrationem loci celebrioris ambierit, & ad majorem se plebem quacunque ratione transtulerit, & a cathedra pellatur aliena, & propria careat; ut nec illis præsideat, quos per avaritiam concupivit, nec illis, quos per superbiam sprevit.

V. Sequenti capite Leo supremum Thessalonicensis antistitis imperium sancit in provincias Illyricianas. Nam cum statuisset, ne quis alienum clericum invito proprio ipsius Episcopo susciperet aut sollicitaret, nisi forte ex placito caritatis id inter dantem accipientemque conveniret, edicit, ut clericus transfuga ad Ecclesiam suam reducatur cum auctoritate Metropolitani illius provinciæ; si vero longius recesserit, id est, ex sua provincia in aliam provinciam Illyricianam se contulerit, revocandum esse cum auctoritate Episcopi Thessalonicensis, quæ ad cunctas provinciarum illarum causas porrigebatur.

VI. Reliqua istorum mandatorum capita pertinent ad celebrationem Conciliorum generalium Diœceseos Illyricianæ. Edixerat Leo, præcludere studens viam ambitioni ac fastui, uti diximus, id servandum esse, ut generale Concilium non frequenter, neque pro levibus causis, congregaretur, sufficeret porro binos ternosve Episcopos de singulis provinciis adesse, vitandis sumptibus, & propter fatigationem Episcoporum e longinquo venientium. Nunc itaque, tanquam exprobraret præteritam temeritatem, jubet Anastasium in evocandis Episcopis esse moderatissimum, ne per majoris diligentiæ speciem fraternis gloriari videretur injuriis. Attamen si causa aliqua major erit, ob quam rationabile ac necessarium sit, fraternum advocare conventum, tum vero ait posse congregari synodum, sic tamen, ut necesse non sit omnes omnium provinciarum Episcopos adesse, sed binos de singulis provinciis, quos Metropolitani crediderint esse mittendos, ad eam venire sufficiat. Et quia Anastasius, ut provincialibus potentiam & magnitudinem suam tali modo ostentaret, diutius fortassis, quam par erat, Episcopos semel congregatos detinebat, quod materiam querelarum Episcopis illis dabat, decernit Leo, ut in præstituto tempore ultra quindecim dies, qui convenerint, non retardentur. Nam ista decreta a Leone fuisse post querelas Episcoporum Illyricianorum de fastu & arrogantia Anastasii, colligitur ex verbis Leonis: *Et te igitur*, inquit, *frater dilectissime, & eos fratres nostros qui de tuis offenduntur excessibus, cum tamen non similis sit omnibus materia querelarum, hortor & moneo, ut, quæ pie sunt ordinata salubriterque disposita, nulla concertatione turbentur.*

Vide supra cap. 26. §. 11.

VII. Latet in ultimo mandatorum istorum capite testimonium immoderatæ cupiditatis Anastasii, tanquam sui ipsius unicam sententiam, ut tyranni solent, præferre voluerit collectis Episcoporum suffragiis, ita, ut si forte in synodo generali actitata fuisset causa, de qua non conveniret inter ipsum & Episcopos, sententiam suam putaret in executionem esse mittendam, neglectis provincialium suffragiis. Id mihi collegisse videor ex verbis Leonis. *Si autem in eo*, inquit, *quod cum fratribus tractandum definiendumve credideris, diversa eorum fuerit a tua voluntate sententia, ad nos omnia sub gestorum testificatione ferentur, ut remotis ambiguitatibus, quod Deo placeat, decernatur. Ad hunc enim finem omnem affectum nostrum curamque dirigimus, ut, quod ad unitatem concordiæ, & quod ad custodiam pertinet disciplinæ, nulla dissensione violetur, nulla desidia negligatur.* Admonet deinde illum retinere concordiam cum collegis suis, neve illis imponat onus importabile, sed potius humilitatem sectetur, cujus documentum & exemplum haberet in Christo.

Leo in Decretis cap. 41.

CAPUT XXVIII.

Successor Anastasii, Euxitheus, confirmatus a Leone in vicariatu Thessalonicensi.

SYNOPSIS.

I. Anastasio successit Euxitheus, qui relationem de sua ordinatione misit ad Leonem. Anatolius Episcopus CP. sedi suæ subjicere conatur Episcopos Illyricianos. Quem Leo castigat.

II. Proterius fit Episcopus Alexandrinus post dejectionem Dioscori. Deinde occiditur per vim Timothei Æluri, qui adversus ipsum ordinatus fuerat Episcopus Alexandrinus. Ejus cædem simulque Concilium Chalcedonense vindicare conantur Ægyptii. Contra Timotheus, & qui cum eo erant, petebant cassationem Concilii Chalcedonensis.

III. Anatolii dignitas tum valde surgebat. Huic itaque libellum adversus Timotheum obtulerunt Ægyptii, orantes, ut synodicis literis cunctos orbis Episcopos instrueret, etiam Romanum.

IV. Factum id contra priscum Alexandrinæ Ecclesiæ morem, quo receptum erat, ut de causis illius Ecclesiæ referretur ad sedem apostolicam. Anatolius, amplificandæ auctoritatis suæ cupidus, hanc occasionem avide arripuit.

V. Leo respondens Anatolio, & ad alios quosdam Episcopos scribens, ad Euxitheum Thessalonicensem scribit, nihil cuiquam licere debere adversus Concilium Chalcedonense, & castigandum esse Timotheum.

VI. Leo Imp. de eadem causa scripserat ad Euxitheum. Is vero, convocata synodo Illyriciana, Eutychem, Dioscorum & Timotheum anathematizavit, synodum vero Chalcedonensem confirmavit.

VII. Curæ istius a Leone susceptæ testimonium illustre extat in libro Eulogii Episcopi Alexandrini de laude vitæ solitariæ.

I. Anastasio successit Euxitheus anno CDLIII. Opilione V. C. Consule. Is vero, servata consuetudine, quæ tum in Ecclesia vigebat inter Episcopos magnarum Ecclesiarum, relationem de sua ordinatione misit ad Leonem Pontificem Romanum, simul postulans, ut ego arbitror, uti privilegia Thessalonicensis Ecclesiæ rursum confirmarentur auctoritate ejus. Obsequio illo erga sedem apostolicam defunctum esse Euxitheum, testatur ipse Leo in epistola eo anno data ad Julianum Episcopum Coensem. Sed antequam Leonis verba describamus, operæ pretium est, referre causam & occasionem scribendæ istius epistolæ. Anno CDLII. Leo Papa epistolam ad Anatolium CP. Episcopum miserat, in qua primo profitebatur, amplecti se definitionem fidei, editam in Concilio Chalcedonensi; deinde damnabat ambitum Anatolii, qui secundum locum suæ sedi adversus Nicænorum canonum reverentiam decerni procuraverat in eadem synodo, eaque ratione etiam Episcopos Alexandriæ & Antiochiæ, sed præcipue Illyricianos, utpote vicinos, sibi subjectos habere instituerat. Anatolius, qui se impatienter ferebat objurgatum esse, epistolam illam suppressit, ne repulsam sui ambitus publicaret, ut ait sanctus Leo. Quo factum est, ut adversarii fidei in vulgus sparserint, Leonem non approbasse fidem Concilii Chalcedonensis. Ea de causa Leo, desiderio Marciani Principis obsecutus, ad Juvenalem Hierosolymorum Episcopum & ceteros Episcopos, qui in Chalcedonensi synodo congregati fuerant, literas direxit XII. Kal. April. Opilione V. C. Consule, quibus firmare se ajebat, quæ Chalcedone definita erant de fidei regula. Eadem vero die de hoc ipso negotio scribens, uti diximus, ad Julianum Episcopum Coensem hæc ait: *Illud etiam nosse te volumus, Anatolium Episcopum post coercitionem meam*

Leo I. epist. 53.

Idem ep. 60. 61

Idem ep. 59. 61

Leo I. epist. 88 edit. Quesnelli.

in sua præsumptionis adeo temeritate persistere, ut Illyricianos Episcopos, ut sibi subscriberent, conveniret. Quod nobis Episcopus, qui a Thessalonicensi ordinationis nuntius missus est, intimavit.

II. Quis fuerit ille Thessalonicensis Episcopus, a quo relatio de ordinatione sua ad Leonem Pontificem Romanum missa est, non invenio scriptum in illa epistola. Illius vero nomen extat in epistola ejusdem Leonis ad ipsum data post cædem Proterii Episcopi Alexandrini (qui cæsus est anno CDLVII.) tum etiam in elencho eorum Episcoporum, ad quos Leo Imp. scripsit de nece ejusdem Proterii. Ordinatus ille fuerat a catholicis Episcopis in loco Dioscori, Dioscori, inquam, qui depositus fuerat auctoritate Concilii Chalcedonensis & in exilium missus apud Gangras. Quod cum ægre ferrent hi, qui partium erant Dioscori, homines hæretici, Timotheum Ælurum adversus Proterium constituerunt Episcopum in Ecclesia Alexandrina. Multa ergo pericula passus est Proterius, adeo, ut militari custodia, ut Liberatus ait, egeret plurimo tempore sui pontificatus. Et ille quidem his periculis evasit vivente Marciano Imperatore. Sed, eo mortuo, Timotheus &, qui eum sequebantur, venerunt Alexandriam; Proteriumque coegerunt ad Ecclesiam confugere. *Se satis tutum præsidio illo putabat vir sanctus. Sed illuc irrumpentes adversarii fidei, illum cum sex sociis occiderunt intra baptisterium; & circumducentes ubique cadaver ejus vulneratum, crudeliterque trahentes per omnia pene civitatis loca, insensibile corpus plagis sine misericordia verberarunt, dividentes illud membratim, & neque parcentes interiora, more canum, gustare illius viri, quem nuper habere se Dei & hominum mediatorem putaverant traderentque deinceps igni corpus laceratum, etiam cineres disperserunt. Crudelitatis porro istius & inhumanitatis auctor & architectus fuit Timotheus Ælurus.* Ita occiso Proterio, supplicationes a catholicis Episcopis Ægypti & a nonnullis clericis Alexandrinis, qui Constantinopolim ob eam causam venerant, oblatæ sunt Leoni Imperatori, quatenus mors vindicaretur Proterii, & expelleretur episcopali sede Timotheus. Sed a parte Timothei quidam Episcopi & Clerici ad imperialem civitatem ascendentes dederunt & ipsi petitiones Imperatori, petentes in primis in irritum mitti decreta Concilii Chalcedonensis, cujus defensores erant Episcopi & clerici, qui exarserant adversus interfectores Proterii. Extant utrorumque libelli supplices (sic enim vocantur in epistola Leonis Imp. ad Anatolium Episcopum CP.) in Codice encyclio. *Ambarum partium supplicationes Imperator legens*, inquit Liberatus Diaconus, *& considerans, nimis esse grave vexari tanto itinere sacerdotes, quorum aut ætas, aut infirmitas, aut paupertas hunc laborem subire prohibebat, impossibile judicavit, eos congregari*, (id enim libello suo postulaverant accusatores Timothei,) *sed scripsit singularum civitatum Episcopis de utroque negotio, consulens, quid fieri oporteret, vel de ordinatione Timothei, vel de terminis synodi Chalcedonensis.* Rescripserunt illi, *Chalcedonensem synodum usque ad sanguinem vindicandam, Timotheum vero non solum inter Episcopos non haberi, sed etiam Christiana appellatione privari.* Hactenus Liberatus.

Liberat. in Breviar. cap. 15.

Libellus supplex Leoni Aug. oblatus ab Episcopis Ægyptiacis.

Liberat. c. 15.

III. Petierant enim catholici ab Imperatore, uti de ea re scriberet ad Episcopum Romanum, necnon & ad Antiochenum, Hierosolymitanum, Thessalonicensem, ac forte alios. Anatholium exceperunt, quod huic quoque, cujus dignitas tum valde surgebat, libellum porrexissent. *Nam Archiepiscopo hujus regiæ civitatis Anatolio*, inquiunt, *declarata est nostris libellis hujusmodi causa.* Extat eorum libellus Anatolio oblatus in eodem Codice encyclio cap. VIII. in quo fuse enarrant totum illud negotium, simulque petunt, uti Anatolius (pro loci sui auctoritate) gemitus eorum synodicis literis indicet sanctissimo Ecclesiæ Romanæ Pontifici Leoni, necnon & Antiocheno & Hierosolymitano, atque Thessalonicensi & Ephesino, vel aliis, quibus visum fuerit, Ecclesiis; *ut omnes*, inquiunt, *totius orbis Episcopi, cognoscentes ea, quæ præsumpta sunt a Timotheo, & quia novitates exercuit contra sanctas regulas & religionem orthodoxam, literis synodicis piissimo & Christianissimo Principi vestræque sanctitati secundum venerabiles patrum regulas rescribentes, dignam formam, quæ in hoc placuerit, præbere non differant.*

IV. Magni momenti sunt illa verba, neque leviter prætereunda, adeoque etiam alieno loco explicanda. Nam heic vetus Alexandrinæ Ecclesiæ consuetudo aperte violatur, relatione ad Constantinopolitanum Episcopum facta, & omissa auctoritate Romani Pontificis. Nam vetus consuetudo poscebat, uti causa, quæ Alexandrinam Ecclesiam turbabat, ad sedem apostolicam deferretur; ut factum fuerat tempore Dionysii, Athanasii & Petri Episcoporum Alexandriæ. Præterea volunt Ægyptii, ut omnes totius orbis Episcopi, adeoque Romanus, moneantur synodicis literis Anatolii, nullum in hoc discrimen ponentes inter Episcopum Romanum & ceteros, nisi quod eum primo loco nominant; Porro totam rei gerendæ auctoritatem in Anatolio constituunt, Papam etiam Leonem illi debere subjici, innuentes. Anatolius vero magna auctoritate usus, literas quaqua versum scripsit ad omnes Metropolitanos, præcipue vero ad Romanum; ut ipse docet in epistola ad Leonem Imp. scripta, & constat etiam ex epistola LXXIV. sancti Leonis. Unde colligitur, cogitasse Anatolium de acquirenda sedi suæ amplissima auctoritate, ad exemplum Papæ urbis Romæ. Nam & canon XXVIII. Chalcedonensis in hunc sensum conceptus est.

Vide epist. Bonifacii I. ad Episc. Illyric. pag. 76. epistolam Concilii Italiæ ad Theodos. pag. 105. & Breviculum hist. Eutychian. pag. 120.

V. Acceptis ergo literis Anatolii, Leo Papa ad Leonem Imperatorem rescripsit, debere eum dare operam, uti catholicus Episcopus in Alexandrina Ecclesia constitueretur, & ne quid cuiquam liceret adversus Concilium Chalcedonense. Scripsit de eadem causa ad Anatolium, ejus literis respondens, tum etiam ad Basilium Episcopum Antiochenum, Juvenalem Hierosolymorum, & Euxitheum Thessalonicensem, Kal. Septembr. Constantino & Rufo Consulibus, ut eorum cura innotesceret Episcopis earum partium, quænam esset Leonis sententia de fide Concilii Chalcedonensis & de scelestis Timothei Æluri facinoribus. Scripsit, inquam, ad Euxitheum Episcopum Thessalonicensem; ut, quia is omnibus Episcopis Illyricianis præerat auctoritate sedis suæ & ex privilegio sedis apostolicæ, subjectos sibi Episcopos faceret certiores de toto isto negotio, in quo maxime versabatur Primatuum dignitas. Extat Leonis epistola ad Euxitheum, rei gestæ seriem continens, ex qua nos sequentia descripsimus, quæ faciunt ad institutum nostrum: *Cognitis, quæ apud Alexandriam hæreticorum furore commissa sunt, fraternitatem vestram credidi admonendam, ut sceleratis ausibus sancta constantia resistatis, ne in quoquam nostra communis fides aut tepida inveniatur aut trepida. Ut autem hæc cohortatio ad omnium fratrum nostrorum & coepiscoporum per Illyricum possit notitiam pervenire, diligentia vestra cura prospiciat: quia, quod sæpe dicendum est, tota religio Christiana turbatur, si quicquam de his, quæ apud Chalcedonem sunt statuta, convellitur.*

Leo I. epist. 119. edit. Quesnelli.

VI. Antea quidem Leo Augustus de eadem causa scripserat ad Euxitheum, uti convocatis Illyricianis Episcopis, quid in commune sentirent de Timotheo & de Chalcedonensi Concilio, ad ipsum rescriberet, ut colligitur ex elencho Episcoporum, ad quos missæ sunt ejusdem Imperatoris literæ, in capite XI. Codicis encyclii. Nam post descriptam Leonis Imp. epistolam ad Anatolium, post petitiones Episcoporum Ægypti contra Timotheum, admonet collector, similem epistolam missam aliis Metropolitanis Episcopis, quorum nomina & Ecclesiæ recensentur. Tum vero, ut docet auctor libelli synodici, Eudoxius Episcopus Thessalonicensis (sic enim vocat eum, qui alibi vocatur Euxitheus) syno-

Synodic. cap. 92. Vide tom. 1. novæ nostræ collectionis Conciliorum pag. 1309.

synodum congregavit, quæ Eutychem, Dioscorum, & Timotheum anathemate notavit, sacram vero Chalcedonensem synodum confirmavit.

VII. Curæ istius ab Imperatore Leone susceptæ; tum consensus Episcoporum universi orbis pro defensione Concilii Chalcedonensis adversus Ægyptios, id est, Timotheum, Ælurum & sequaces ejus, meminit etiam Eulogius Alexandrinus in libro de laude vitæ solitariæ, in qua hæc inter cetera scribit teste Photio: *Narrat, a Marciano Chalcedonensem synodum coactam, Leonem Marciano mortuo suffectum summæ rerum præfuisse, Ægyptios Concilium evertere conatos orbem totum tumultibus implesse, impie fic̃teque rumores sparsisse, Cyrillum a synodo damnatum, Nestorium receptum fuisse. Quorum, inquit, insanum furorem reprimens Leo, decreta Concilii Chalcedonensis actaque cum encyclicis seu circularibus mandatis per totum orbem misit, singulisque Episcopis & Presbyteris nec non iis, qui in religiosa & monastica vita celebres habebantur, præcepit, uti sententiam suam scripto profiterentur. Quod Episcopi numero mille sexcenti prompte sane executi sunt, nemine, qui aliter sentiret, deprehenso, præter Amphilochium Sidæ Pontificem, qui tamen & ipse paulo post Concilii sententiæ subscripsit consensitque.* Vide præfationem nostram ad Codicem encyclicum.

Apud Phot. in Biblioth. cod. 230.

CAPUT XXIX.

De imminuto vicariatu Episcopi Thessalonicensis, per erectionem novi vicariatus in prima Justiniana & Corintho.

SYNOPSIS.

I. Investigandum deinceps superest, quonam demum tempore desierit magna illa Thessalonicensis Episcopi auctoritas in Illyrico. Tum etiam agendum de vicariatu Archiepiscopi primæ Justinianæ & Episcopi Corinthiensis.

II. Prima adversus Thessalonicensem Episcopum tentamenta fuere ævo Theodosii junioris, dein sub Sixto III. Papa, tum sub Leone primo, irrito semper conatu. Sed Archiepiscopus primæ Justinianæ felicior fuit, quam ceteri.

III. Justiniana prima, sive Achrida, Justiniani Augusti patria, Archiepiscopo civitatis illius Imperator subjicit sex provincias, in qua jus omne abrogat Episcopo Thessalonicensi.

IV. Instituit deinde apud Agapetum Papam, uti huic Archiepiscopo committerentur vices sedis apostolicæ. Sed is assentiri Justiniano noluit.

V. Vicariam illam dignitatem Agapeti successor Vigilius tribuit Archiepiscopo primæ Justinianæ per sex provincias illi contributas.

VI. Illustrissimus Cardinalis Baronius refellitur, qui putavit, ista a Vigilio extorta per vim fuisse. Referuntur Baronii argumenta.

VII. Excutiuntur singula illustrissimi Cardinalis argumenta.

VIII. Nova illa Archiepiscopi primæ Justinianæ dignitas accepta non fuit Episcopis Illyricianis, præcipue vero Thessalonicensi. Benenatus Episcopus primæ Justinianæ damnatus in synodo Illyriciana. Probatur ex Victore Tunnonensi, qui explicatur. Illyricianorum Episcoporum nomine interdum intelliguntur universi Episcopi Illyriciani, interdum vero illi tantum, qui Justinianæ primæ Archiepiscopo subjecti erant. Senonensis Archiepiscopus diu Parisiensem non habuit pro Archiepiscopo.

IX. Nihil tamen contradictione sua effecit Episcopus Thessalonicensis, mansitque novo Archiepiscopo sua auctoritas. Probatur ex sancto Gregorio. Causæ personæque Episcoporum primæ Justinianæ subjectæ erant censuræ Pontificum Romanorum.

Marca de Conc. Sacerd. & Imp.

X. Ampla illa Archiepiscopi istius auctoritas effecit, ut ei Patriarchæ dignitas & appellatio tributa sit a nonnullis antiquis scriptoribus.

XI. Corinthio quoque Episcopo tributæ sunt vices Romani Pontificis, in Achaja & Hellade. Probatur auctoritate Facundi, Gregorii Magni & B. [illegible]samonis.

XII. Abolita est prorsus Episcopi Thessalonicensis auctoritas in Illyrico, ævo Leonis Isauri, quæ restricta est intra fines solius Macedoniæ primæ.

I. Satis, ut arbitror, ac forsitan nimis immorati sumus in explicanda dignitate Episcopi Thessalonicensis, ut opus non sit ire per omnes sequentium temporum ætates. Sed necessarium visum est nihil omittere, quod in istius potestate & mandatis fere constent, quæcunque sequentibus seculis aut mandata Legatis sunt, aut ab illis præsumpta. Superest itaque, ut ostendamus, quonam tempore desierit Episcopi illius auctoritas in Illyrico, quo primum pacto convulsa, quibus de causis imminuta extinctaque fuerit. Simul autem agemus de primæ Justinianæ Archiepiscopo, qui Vicarius apostolicæ sedis fuit per aliquot Illyrici provincias, & de Corinthiensi, qui eandem Vicarii auctoritatem obtinuit in Achaja & Hellade.

II. Prima adversus Thessalonicensem Episcopum tentamenta fuere ævo Theodosii junioris; qui quorundam Illyricianorum Episcoporum suasionibus permotus, orientalis Illyrici causas ad curam Constantinopolitani Episcopi pertinere debere sancivit, lege lata anno CDXXI. ut dictum est supra. Sed hic conatus irritus fuit. Haud ita multo post Perigenes Corinthiorum Episcopus, adeoque provinciæ Achajæ Metropolitanus, Anastasii Thessalonicensis auctoritatem excutere tentavit. Sed hanc audaciam, missis Legatis, & data ad eum epistola, repressit Sixtus III. Pontifex Romanus. Sub Leone deinde, qui Sixto successit, Anatolius tentavit in partes suas trahere Episcopos Illyricianos, ut docuit nos in capite superiori epistola ejusdem Leonis ad Julianum Coensem Episcopum. Felicior fuit Archiepiscopus primæ Justinianæ: qui non solum potestati Thessalonicensis Episcopi exemptus est, sed etiam vicariatu sedis apostolicæ ornatus in quibusdam provinciis Illyricianis, in quas Imperium abrogatum est Episcopo Thessalonicensi. Quod qua ratione factum sit, paucis expediam.

Vid. c. 14. §. 9. seqq. hujus libri.

III. Justinianus Imperator, patriæ suæ Achridæ sive primæ Justinianæ (quæ civitas fuit in Dardania Europæa) ornandæ cupidus, volensque, eam circa sacerdotalem censuram, ut ejus verbis utamur, maximis incrementis ampliari, constituit anno DXXXV. uti primæ Justinianæ antistes, non solum Metropolitanus, sed etiam Archiepiscopus fieret, & ut sub ejus auctoritate essent provinciæ Illyricianæ, quæ sequuntur, Dacia nimirum mediterranea, Dacia ripensis, Mœsia secunda, Dardania, Prævalis, & pars aliqua secundæ Pannoniæ, quæ Bacensi civitati contributa erat. Jus autem omne in provincias illas abrogat Episcopo Thessalonicensi, tam pro celebratione Conciliorum, quam pro ordinationibus Metropolitanorum, quos ad consecrationem Archiepiscopi primæ Justinianæ pertinere in posterum debere sancivit, ita, ut ipse a generali provinciarum illarum synodo ordinaretur. Postremis autem verbis legis ista omnia, quæ paulo ante multis verbis explicaverat, velut compendio perstringit, ita scribens ad Catellianum Archiepiscopum primæ Justinianæ: *Quando autem tuæ recordationis sedis gubernatorem ab hac luce decedere contigerit, pro tempore Archiepiscopum ejus a venerabili suo Concilio Metropolitanorum ordinari sancimus, quemadmodum decet Archiepiscopum omnibus honoratum Ecclesiis provehi, nulla penitus Thessalonicensi Episcopo nec ad hoc communione servanda.*

Justin. Nov. XI. Vide supra lib. 2. cap. 9. §. 1.

IV. Eodem tempore Justinianus apud Agapetum Pontificem Romanum egit, uti is novo huic Archiepiscopo vices apostolicæ sedis injungeret, nimirum per illas provincias, quæ supra nominatæ

Q 4 sunt.

ſunt. Quid ad hanc petitionem reſcripſerit Agapetus, non invenimus. Ex epiſtola autem ejus ad Juſtinianum, qua rem totam ſe per Legatos ſignificare ait, & ex Novella conſtitutione CXXXI. ejuſdem Juſtiniani, in qua vicariatum illum revocat ad beneficium Vigilii, nulla mentione Agapeti facta, colligere poſſumus, illum vices ſuas noluiſſe concedere Archiepiſcopo primæ Juſtinianæ, fortaſſis æmulatione erga emergentem auctoritatem, & munimenta in futurum præſtruens adverſus ambitionem, ſi exemplo Conſtantinopolitanorum antiſtitum iſte novi aliquid tentaret adverſus privilegia antiſtitis Romanæ urbis. Hæc ſunt verba Agapeti: *De Juſtiniana civitate glorioſi natalis veſtri conſcia, necnon & de noſtræ ſedis vicibus injungendis, quid ſervato beati Petri, quem diligitis, principatu & veſtræ pietatis affectu plenius deliberari contigerit, per eos, quos ad vos dirigimus, Legatos Deo propitio celeriter intimamus.*

Agapet. epiſt. 4 ad Juſtinianum.

Vigil. epiſt. 1.

V. Mortuo interim Agapeto ſucceſſit Silverius, & iſti Vigilius. Ad illum vero Juſtinianus legationem miſit anno DXL. quo primum anno ſedere in ſede apoſtolica citra controverſiam cœpit Vigilius, extincto Silverio. Puto autem, ſimul a Vigilio petiiſſe per Dominicum Exconſulem atque Patricium, (nam is legatus erat Juſtiniani) uti vices apoſtolicæ ſedis committeret Archiepiſcopo primæ Juſtinianæ. Nam vicariatus iſtius meminit ipſe Juſtinianus in conſtitutione lata anno ſequenti, in qua ſic loquitur: *Per tempus autem beatiſſimum primæ Juſtinianæ noſtræ patriæ Archiepiſcopum habere ſemper ſub ſua juriſdictione Epiſcopos provinciarum Daciæ mediterraneæ, & Daciæ ripenſis, & Privalis, & Dardaniæ, & Myſiæ ſuperioris, atque Pannoniæ, & ab eo hos ordinari, ipſum vero a propria ordinari Concilio, & in ſubjectis ſibi provinciis locum obtinere eum ſedis apoſtolicæ Romæ, ſecundum ea, quæ definita ſunt a ſanctiſſimo Papa Vigilio.*

Juſtinian. Nov. 131. c. 3. an. 541.

VI. Falli ergo neceſſe eſt illuſtriſſimum Cardinalem Baronium, qui incertum eſſe ait tempus, quo vicariatus iſte tributus eſt Archiepiſcopo primæ Juſtinianæ, & vi extortum eſſe a Juſtiniano, nimirum poſt diſſociatam inter eos concordiam. Quippe ea diſſoluta eſt poſt Vigilii adventum Conſtantinopolim, id eſt, poſt annum quingenteſimum quadrageſimum ſeptimum, vel ipſo teſte Baronio. Immo diuturna illa vis imperatoria, qua adactum Vigilium ait, ut vices ſuas delegaret Archiepiſcopo primæ Juſtinianæ, ad aliam vim referri non poteſt, quam ad eam, quam idem Pontifex pertulit anno DLI. & ſequentibus. Vana igitur eſt omni ex parte conjectura Baronii; quam heic tibi proponimus, lector, ut tanti momenti cauſam etiam tui judicii faciamus. Hæc ſunt verba Baronii: *In hujuſcemodi habitis cum Juſtiniano conflictibus, cum fatigatus eſſet ærumnis Vigilius, idem Imperator ab eo inter alia illud extorſit, quod ab Agapeto Papa obtinere fruſtra tentaverat, nec ab ejus ſucceſſore Silverio impetrare valuit, nempe ut prima Juſtiniana, natale ſolum, a ſe mirifice illuſtrata, non epiſcopatus tantum, ſed metropolitanæ ſedis augeretur dignitate. Cum inquam a Vigilii prædeceſſoribus ipſe Juſtinianus impetrare conatus eſſet, minime valuit obtinere, quod ſcirent iidem Romani Pontifices, ea verti in præjudicium aliarum ipſi provinciæ adjacentium metropolitanarum ſedium, injuſtum rati, dedecore nobilium Eccleſiarum illuſtrari novam Eccleſiam primæ Juſtinianæ, indecenſque eſſe alias denudare, ut una ſuperornaretur Eccleſia, creſceret nimirum ipſa diminutione majoris, cui ipſa ſubdita fuiſſet, Eccleſiæ.*

Baron. ad an. 535. & 555.

Baron. ad an. 555.

VII. In varios heic errores incidit illuſtriſſimus Cardinalis. Nam neque poſt ærumnas Vigilius vices ſuas tribuit Archiepiſcopo primæ Juſtinianæ, ut ſupra demonſtratum eſt. Secundo fruſtra ait, Imperatorem non potuiſſe iſta impetrare a Silverio, fruſtra, inquam, cum id a nemine proditum ſit memoriæ literarum. Tertio, ait, Juſtinianum a Pontificibus petiiſſe, uti decernerent, primam Juſtinianam ſedem eſſe metropolitanam. Id vero neque ex Agapeti epiſtola, neque ex Juſtiniani Novella colligitur. Immo repugnare huic ſententiæ videtur Juſtinianus, qui decernit, ut primæ Juſtinianæ pro tempore antiſtes, non ſolum Metropolitanus, (quod ſolum a Pontificibus petiiſſe Juſtinianum ſcribit Baronius) ſed etiam Archiepiſcopus eſſet, id eſt, ſuperpoſitus eſſet Metropolitanis provinciarum, quæ lege illa ſubjectæ fuerunt antiſtiti primæ Juſtinianæ. Denique non vidit Baronius, quantam priſcis illis Pontificibus injuriam faceret, qui Epiſcopos Arelatenſes extulerunt, non ſolum ſuper ceteros Galliarum Metropolitanos, ſed etiam ſuper Viennenſem, cujus metropoli ſubjecta fuerat Arelatenſis Eccleſia.

VIII. Novam illam Archiepiſcopi primæ Juſtinianæ dignitatem acceptam non fuiſſe Illyricianis Epiſcopis, præcipue vero Theſſalonicenſi, in cujus diminutionem iſta conſtituta fuerunt, facile mihi perſuadeo. Ipſi enim teſtatum hoc mihi feciſſe videntur anno DL. in cauſa Benenati, Epiſcopi primæ Juſtinianæ, quem ſynodus Illyriciana eo anno damnavit, tanquam obtrectatorem trium capitulorum, ſtudio ſane conſervandæ veræ fidei, ſed odio etiam, ut ego arbitror, erga Juſtinianum, cujus apertum & pervicax erat ſtudium pro condemnatione trium capitulorum. Hanc hiſtoriam debemus Chronico Victoris Epiſcopi Tunnonenſis: *Poſt conſulatum Baſilii V. C. anno IX. Illyriciana ſynodus in defenſione trium capitum Juſtiniano Auguſto ſcribit, & Benenatum primæ Juſtinianæ civitatis Epiſcopum obtrectatorem eorundem trium capitum condemnat.* Ac, ne quis putet, Victorem ita hoc loco intelligendum eſſe, ut de ſynodo agat Illyriciana earum tantum provinciarum, quæ primæ Juſtinianæ Epiſcopo ſubjectæ erant, id primo prohibet, quod probabile non ſit, eam ſynodum aliquid auſuram fuiſſe ſuper ſuo Archiepiſcopo, quem Epiſcopi illarum provinciarum contemnere tam cito non poterant, vivo adhuc Juſtiniano; præſertim cum cauſæ perſonæque Archiepiſcoporum iſtius ſedis ſubjectæ eſſent Romano Pontifici, ut adnotabitur paulo poſt. Prohibet præterea Facundus Hermianenſis, qui inter defenſores trium capitulorum nominat Epiſcopos Helladis, Illyrici atque Dalmatiæ, haud dubie dicturus, cujus Illyrici, ſi factum id fuiſſet in ſynodo earum tantum provinciarum, quæ primæ Juſtinianæ fuerant contributæ. Scio, ſanctum Gregorium, ad Epiſcopos ſcribentem earundem provinciarum, de ordinatione Joannis, Epiſcopi primæ Juſtinianæ, epiſtolam ſuam direxiſſe *univerſis Epiſcopis per Illyricum*, eos admonens, uti ei, qui vices apoſtolicæ ſedis obtineret, in his, quæ ad ordinem eccleſiaſticum rectitudinemque pertinent diſciplinæ, *ſive in aliis, quibus canonum decreta non obſtant*, parere nullo modo differrent. Certum eſt, ſanctum Gregorium heic Epiſcoporum Illyricianorum nomine eos tantum intelligere, qui Joanni ſubjecti erant ratione ſuæ Eccleſiæ, neque accipiendum eſſe de univerſis omnino Epiſcopis Illyrici, unde concludi poſſet, Victorem quoque Tunnonenſem locutum eſſe de ſynodo Illyriciana earum tantum provinciarum, quæ a juriſdictione Theſſalonicenſis antiſtitis reſectæ, in jus & poteſtatem tranſierant Archiepiſcopi primæ Juſtinianæ. Verum non arbitror, ut jam dixi, auſuros aliquid ſuper Benenato Epiſcopos earum provinciarum, recentibus tum initiis dignitatis ejus, quam illi lege ſua contulerat Juſtinianus, præſertim cum nullibi extent indicia contradictionis eorum. Diſpar ratio erat Epiſcopi Theſſalonicenſis: qui cernens, ſibi fieri injuriam, ac ſe deprimi, ut iſte attolleretur, eum haud dubie non habuit pro Archiepiſcopo, adeoque eum, tanquam adhuc ſibi ſubjectum, in ſua ſynodo damnavit. Simile aliquatenus exemplum habemus hodie in cauſa archiepiſcopatus Pariſienſis, reſecti ab archiepiſcopatu Senonenſi, auctoritate Urbani VIII. Romani Pontificis, cum conſenſu Ludovici XIII. Regis Francorum Chriſtianiſ-

Facundus l. 4. c. 3. & in libro adv. Mocian. pag. 577.

S. Gregor. l. 4. Indict. 13. ep. 9.

ſtianiſ-

stianissimi. Nam licet iste sit constitutus in urbe regia, dignitatemque suam semper retineat, Archiepiscopus tamen Senonensis illum diu non habuit pro Archiepiscopo, eumque ad conventus ecclesiasticos provinciæ suæ post ea tempora evocavit, etiam in oculis Principis. Quidni Episcopus Thessalonicensis, cujus magna hactenus auctoritas apud eas gentes fuerat, quique plurium magnarum provinciarum ejus imperio suetarum favore haud dubie adjuvabatur, idem auderet adversus Episcopum primæ Justinianæ?

IX. Nihil tamen contradictione sua effecit Episcopus Thessalonicensis, mansitque novo Archiepiscopo auctoritas, quam illi lege sua & commendatione apud Romanos Pontifices procuraverat Imperator Justinianus. Discimus istud ex epistolis sancti Gregorii, quæ docent, eum una cum Pallio vices suas Joanni Episcopo primæ Justinianæ commisisse *juxta morem*, & *iterata*, ut ipse ait, *innovatione*. Unde recte concludit illustrissimus Archiepiscopus, id circa Episcopos sedis illius observatum esse per illas tempestates, ut Romani Pontifices singulis Archiepiscopis, statim ac isti consecrati erant, vices apostolicæ sedis & Pallium conferrent, & causas personasque eorum subjectas fuisse censuræ Romanorum Pontificum. Joannes Episcopus primæ Justinianæ Hadrianum Thebanum Episcopum ab episcopatu dejecerat occasione vicium sedis apostolicæ, ut docet sanctus Gregorius. Venit is Romam, de iniquo judicio expostulaturus. Gregorius vero suscepta causæ istius cognitione sententiam Joannis, tum quia suspensa erat per appellationem ad sedem apostolicam, tum quia contra leges canonesque prolata ipso non poterat jure subsistere, cassavit, & Hadrianum Thebanæ Ecclesiæ restituit, Joannem porro, donec aliquid gravius circa ipsum decerneret, triginta dierum spatio sacra communione privavit.

S. Greg. lib. 4. Indict. 13. ep. 53. 59. Marca in lib. de Primatib. §. 47. S. Greg. lib. 2. Ind. 11. epist. 6.

X. Ampla illa Archiepiscopi primæ Justinianæ auctoritas effecit, ut ei Patriarchæ dignitas & appellatio tributa sit a nonnullis antiquis scriptoribus, ejusque propterea subscriptionem in ordine Patriarcharum admissam in Trullana synodo putaverit illustrissimus Cardinalis Perronius similitudine nominum deceptus; cum tamen in ea synodo non agatur de Archiepiscopo primæ Justinianæ, sed de Episcopo Constantiæ Cypri, quæ & Justinianopolis dicebatur, ut observatum est ab illustrissimo Archiepiscopo.

Vide supra lib. 2. cap. 9. §. 2. & in lib. de Primatib. §. 48.

XI. Per eadem fortean Justiniani tempora Thessalonicensi Episcopo adempta est auctoritas in Achajam & Hellada, quæ Corinthio Episcopo ceu Romani Pontificis Vicario deinceps paruerunt. Hellados certe tanquam ab Illyrico distinctæ meminit Facundus Hermianensis, qui scribebat ævo Justiniani, ut supra dictum est. Præterea sanctus Gregorius ad Joannem Corinthiorum Episcopum scribit, se prædecessorum suorum exempla sequendo, ad illum mittere Pallium, quod erat insigne vicariatus. *Pallium vero*, inquit, *sicut per epistolam vestram, quam per Andream fratrem & coepiscopum nostrum suscepimus, postulastis, direximus; quo ita vos uti necesse est, sicut prædecessores vestri usi concedentibus nostris prædecessoribus approbantur*. Subjectos porro illi fuisse Episcopos Hellados, tametsi alienæ provinciæ, recte ex sequenti epistola collegit vir clarissimus Joannes Morinus. Nam ad Episcopos illos de ea re scribens Gregorius ita loquitur: *Pallium Joanni fratri nostro Corinthiorum Episcopo nos transmisisse cognoscite, cui vos magnopere convenit obedire; præsertim cum hoc sibi & antiquæ consuetudinis ordo defendat, & bona ejus, quibus ipsi testimonium perhibetis, invitent*. Itaque Balsamo recensens Episcopos, qui olim in partibus illis gerebant vices apostolicæ sedis, inter illos numerat Corinthiensem in scholio ad præfationem Concilii Trullani. Interim heic adnotandum est, Gregorium non ante Pallium misisse ad Joannem, quam ab ipso postulatum fuisset per literas.

S. Greg. lib. 4. Indict. 13. ep. 55. Morin. lib. 1. Exercit. 21.

XII. Abolita deinde prorsus est Episcopi Thessalonicensis auctoritas in provincias Illyricianas, postquam ex Leonis Isauri Decreto, in odium fidei vindicatæ a Gregoriis II. & III. summis Pontificibus, provinciæ Illyrici, Siciliæ & Calabriæ avulsæ sunt a patriarchatu Romano, & tributæ Constantinopolitano. Tunc enim intra fines solius Macedoniæ primæ restricta est Metropolitani Thessalonicensis potestas; ut docent Diatyposis Leonis Philosophi & antiqua episcopatuum orientalium Notitia in codice Juris Græco-Romani. Non immorabor diutius in explicanda hac causa, quam doctissimo suo more tractavit illustrissimus Archiepiscopus in libro primo istius operis. Illud tantum dicam, observatione ejus de origine schismatis Græcorum, quod fluxisse docuit ex provinciarum illarum amissione, de qua juste conquerebantur Romani Pontifices, displicuisse Lucæ Holstenio, Marcam vero ad ejus objecta respondisse in Responsione, quæ edita est inter Prolegomena.

Marca in lib. de Primatib. §. 46. Vide Joan. VIII. ep. 78. 79. Vide supra l. 1. cap. 1. §. 4. & seqq.

CAPUT XXX.

De Origine vicariatus Arelatensis, a Zosimo erecti.

SYNOPSIS.

I. Arelatensis Episcopi vicariatus in Galliis eadem initia habuit, quæ Thessalonicensis in Illyrico, ut ostenditur ex utriusque comparatione.

II. Omissa disputatione de antiquitate urbis & Ecclesiæ Arelatensis, omissa quoque contentione, quæ inter Arelatensem Viennensemque Ecclesias fuit propter ordinationes Episcoporum provinciæ Viennensis, de solo vicariatu heic agetur.

III. Initia dignitatis istius debentur studiis Patrocli Episcopi Arelatensis & beneficio Papæ Zosimi. Statuit iste, uti nemini intra Gallias ex clero liceret Romam aliove proficisci absque literis formatis Episcopi Arelatensis. Tum ei commisit judicia causarum, quæ in provinciis Gallicanis emergerent, ita tamen, ut de majoribus causis referret ad sedem apostolicam.

IV. Huic Zosimi decreto debentur initia vicariæ dignitatis Episcoporum Arelatensium. Explicatur illius locus de formatis, qui nunc editur emendatior.

V. Tribuit deinde Patroclo Zosimus ordinationes Episcoporum provinciæ Viennensis & duarum Narbonensium, secundum morem antiquum. Inquiritur in antiquitatem istius consuetudinis, & ostenditur, antiquam non fuisse. Fefellit itaque Zosimum Patroclus.

VI. Quæritur, qua ratione factum sit, ut Episcopus Arelatensis factus sit Metropolitanus adversus civilem imperii dispositionem & canones Nicænos. In Africa is Primas erat inter Episcopos, qui ordinatione antiquior erat, nulla habita ratione civilium metropoleon. Excepto tamen Carthaginensi, qui primum ubique locum obtinebat. Immo & Primates Mauritaniæ & Numidiæ aliquam prærogativam habebant.

VII. Cum amplificata esset urbis Arelatensis dignitas, constitutaque illic esset sedes Præfecti prætorio Galliarum, cumulata sunt in eam omnia civilis administrationis decora, factaque est metropolis Galliarum. Ex honore civili urbis Arelatensis descendit honor ecclesiasticus. Probatur ex rescripto Honorii ad Agricolam, & ex canone secundo Concilii Taurinensis.

VIII. Explicatur canon ille, ut ostendatur, Episcopum Arelatensem fuisse tum Metropolitanum in provincia Viennensi. Patres Concilii Taurinensis provinciam diviserunt, ut concordiam retinerent.

IX. Sed parte provinciæ contentus non fuit Episcopus Arelatensis; totam sibi subjicere meditatus est,

est, tum etiam duas Narbonenses. Faciendum id sibi putavit auctoritate Zosimi, qui ordinationes Episcoporum illarum provinciarum tribuere se ait Patroclo, juxta majorum canones & statuta, & secundum antiquam consuetudinem. Magnum quid Patroclo tribuit Imp. Valentinianus. Quesnellus refutatur.

Marca in lib. de Primatib. §. 49.

I. ROmani Pontifices, usu ipso edocti, quantum conferret ad auctoritatem suam firmandam & disciplinam conservandam in dissitis longe provinciis, vicis apostolicæ delegatio, in Gallicana Diœcesi Episcopis Arelatensibus quædam mandata dederunt. Itaque ex Zosimi primum beneficio anno CDXVII. vicariam potestatem in quibusdam capitibus acceperunt, quæ deinde a sequentibus Pontificibus usque ad Gregorium primum amplificata sunt ducentorum annorum intervallo; quibus elapsis, extincta est illa potestas. De his acturi pro ratione instituti nostri memoriam rerum ante dictarum repetendam esse censuimus, quod videamus Arelatensem antistitem sedis apostolicæ per Gallias Vicarium factum esse ad exemplum potestatis, quæ Thessalonicensi Episcopo tributa erat per Illyricum. Nam & ei tribuitur ordinatio Metropolitanorum quarundam provinciarum, arbitrium præterea judicandarum causarum, quæ definiri possent in Conciliis earundem provinciarum, quorum congregandorum potestas ei committitur, injungitur vero cura mittendi relationem de majoribus causis ad sedem apostolicam. Scribitur Episcopis, per eas provincias constitutis, uti Arelatensi obediant tanquam Romani Pontificis Vicario, ne quis ignorantiæ prætextu se tueri possit. Hæc autem omnia supra vidimus actitata esse circa Episcopum Thessalonicensem. Nunc itaque ad rem ipsam aggrediamur.

II. De antiquitate & claritudine urbis Arelatensis cum multi multa dixerint, & ex professo eam Spartam ornaverit Petrus Saxius Canonicus Arelatensis Ecclesiæ, non est, quod me torqueam in congerendis hoc loco monumentis veteribus ad asserendam dignitatem ejus. Nihil etiam dicam de antiquitate Ecclesiæ, quæ se institutam ac fundatam contendit a Trophimo Pauli Apostoli discipulo; quod ea pars historiæ ecclesiasticæ, si quis eam curiosius scire desiderat, a viris doctissimis tractata sit copiose & abundanter, novissime vero etiam ab illustrissimo Archiepiscopo diligenter examinata in epistola scripta ad clarissimum virum Henricum Valesium. Omittam quoque contentionem, quæ vetustis temporibus fuit inter Arelatensem Viennensemque Ecclesias propter ordinationes Episcoporum provinciæ Viennensis, nisi quatenus ea conjuncta erit cum causa vicariatus Romani; de quo unico, relictis ceteris quæstionibus, tractare convenit in hoc libro.

III. Patroclus Arelatensis urbis, in qua tum constituta erat sedes præfecturæ Galliarum, antistes, sub umbra istius dignitatis civilis, ac si præfecturam sacerdotalis honor sequi deberet, aliquam prærogativam sibi Ecclesiæque suæ conciliare conatus est, quo non solum primum ubique locum obtineret inter Episcopos Gallicanos, sed etiam super eos efferretur. Ea de causa Zosimi Romani Pontificis auctoritatem imploravit, eo colore quæsito, quod Trophimus Arelatensis Episcopus in Galliis primus annuntiasset Christi fidem, *ex cujus fonte tota Galliæ fidei rivulos acceperunt*, adeoque æquum esse, ut illius in ea cathedra successor præcipuum aliquod honoris auctoritatisque privilegium haberet in Ecclesia Gallicana. Prætendebat antiquitatem, qua etiam ritus quoquo modo inducti defenduntur, ut ait Tacitus; eamque confirmari postulans, sedi suæ vindicare studuit ordinationes Episcoporum provinciæ Viennensis & duarum Narbonensium. Zosimus, habita ratione temporum, annuendum censuit postulatis; dataque an. CDXVII. epistola ad universos Episcopos per Gallias & Septem provincias constitutos, non solum ordinationes Episcoporum earum provinciarum concessit Patroclo, sed etiam statuit, ut, quicunque ex clero ad Romanam Ecclesiam aliove accedere cogitaret, non aliter id faceret, quam cum epistola formata Episcopi Arelatensis; cui etiam commisit judicia causarum, quæ in provinciis illis emergerent; hoc tamen addito, ut de majoribus causis referret ad sedem apostolicam. Quod imitatum est ex mandatis, quæ data fuerant Episcopo Thessalonicensi.

Tacit. lib. 5. hist.

Vide infra lib. 6. cap. 17. §. 7.

IV. Cum huic Zosimi epistolæ debeantur initia vicariæ dignitatis Episcoporum Arelatensium, operæ pretium est, eam diligenter & accurate expendere. Incipiamus igitur ab epistolis formatis. Forte acciderat per eas tempestates, ut impostores quidam, qui se asserebant Episcopos sive Presbyteros esse, aut omnino in ordine ecclesiastico constitutos, Romam profecti ex Galliis, titulo sibimet sanctitatis inscripto, in nomen venerationis irrepserint, & indebitam reverentiam promeriti fuerint, eo nimirum honore excepti ab Ecclesia Romana, qui sanctissimi ordinis viris per ea tempora tribuebatur. Zosimus in posterum esse providendum ratus, ne deinceps istiusmodi homines ausu sacrilego in nomen venerationis irreperent, mansura in ævum constitutione sancivit, ne quis sub quolibet ecclesiastico gradu constitutus exiret e regionibus Gallicanis absque literis formatis Episcopi Arelatensis, quibus iste significaret, eum, qui peregre iret, in clero constitutum esse, tum etiam de sacerdotio ejus, si Episcopus esset, alioqui de loco ecclesiastico certiores faceret Episcopos earum partium, ad quas ille proficisci cogitaret, ut condigna ei reverentia tribui ab illis posset, suscipiendum enim non esse, si veniret absque formata Metropolitani Arelatensis. Hæc sunt verba Zosimi emendata ex fide vetustissimorum codicum, qui servantur in bibliotheca regia & in Colbertina. Nam editiones in hoc loco sanæ non sunt, tametsi eundem sensum referant. *Placuit apostolicæ sedi*, inquit Zosimus, *ut, si quis ex qualibet Galliarum parte, sub quolibet ecclesiastico gradu, ad nos Romam venire contendit, vel alio terrarum ire disponit, non aliter proficiscatur, nisi Metropolitani Arelatensis Episcopi formatas acceperit, quibus sacerdotium suum vel locum ecclesiasticum, quem habet, scriptorum ejus adstipulatione perdoceat. Quod ea gratia statuimus, quia plurimi Episcopos, Presbyteros, sive Ecclesiasticos simulantes, quia nullum documentum extat, per quod valeant confutari, in nomen venerationis inrepunt, & indebitam reverentiam promerentur. Quisquis igitur, fratres charissimi, prætermissa prædicti formata, sive Episcopus, sive Presbyter, sive Diaconus, aut deinceps inferiore gradu sit, ad nos venerit, sciat se omnino suscipi non posse.*

De epistolis formatis vide Bernardinum Ferrarium in lib. 1. de antiq. ecclesiast. ep. gener. cap. 5.

V. Post impositam Gallicanis Episcopis necessitatem accipiendarum formatarum ab Episcopo Arelatensi, cui per consequentiam tribuebatur honor primi Galliarum Metropolitani, descendit deinde Zosimus ad ordinationes Episcoporum provinciæ Viennensis ac duarum Narbonensium, quarum auctoritatem Metropolitanum Arelatensem tenere constituit secundum morem antiquum, irritum & inane decernens, si quid contra tentaretur, & Episcopum etiam ordinatorem gradu suo dejiciendum esse pronuntians. *Jussimus autem præcipuam*, inquit, *sicuti semper habuit, Metropolitanus Episcopus Arelatensium civitatis, in ordinandis sacerdotibus teneat, auctoritatem; Viennensem, Narbonensem primam, & Narbonensem secundam provincias ad pontificium suum revocet. Quisquis vero posthac contra apostolicæ sedis statuta & præcepta majorum, omisso Metropolitano Episcopo, in provinciis supradictis quemquam ordinare præsumpserit, vel is, qui ordinari se illicite siverit uterque sacerdotio se carere cognoscat.* Consuetudo antiqua, cujus hoc loco meminit Zosimus, antiqua non erat, & ante annos tantum viginti cœperat

in

in Concilio Taurinensi, non quidem omnium Episcoporum, qui per tres illas provincias ordinandi forent, consecrationem Arelatensi Episcopo tribuens, sed eorum tantum, qui in civitatibus Arelatensi civitati vicinis constituendi essent, ut patet ex canone secundo illius Concilii. Verum Patroclus subsidium ab audacia mutuatus Zosimo ista persuasit tanquam rem positam extra omnem controversiam. Unde factum, ut, cum sequenti tempore Leo Magnus retractaret privilegia Arelatensis Ecclesiæ, non dubitaverit dicere, nullum Arelatensium Episcoporum ante Patroclum habuisse jus ordinandorum Episcoporum extra provinciam Viennensem, & hoc ipsum, quod Patroclo temporaliter videbatur esse concessum, sententia postmodum meliore sublatum esse, nimirum a Bonifacio primo.

Leo I. ep. 89.

VI. Hic locus me admonet, ut gravissimam difficultatem, quæ hactenus exercuit industriam hominum eruditorum, & cujus occasione captum consilium est ordinandi Episcopum Arelatensem vicibus apostolicæ sedis, in medium proferam, undenam videlicet auctoritatem Metropolitani Episcopi traxerit Episcopus Arelatensis adversus civilem imperii dispositionem & canones Nicænos, qui constantem in ecclesiastico ordine disciplinam fixerunt, adjudicato provinciæ ecclesiasticæ primatu Ecclesiæ illi, quæ constituta erat in civitate, cui jus metropoliticum tributum erat in laterculo imperii. Nam ante Concilium Nicænum Marinus Arelatensis, qui Concilio Arelatensi interfuit, & primus inter Episcopos nominatur in epistola synodica ad Silvestrum, non vendicabat sedi suæ jus metropoliticum, sed e contra dicitur esse Episcopus provinciæ Viennensis in veteri cathalogo Episcoporum, qui ad Arelatensem synodum convenerunt. Itaque per universum orbem, si Africam excipias, ea fuit constans regula priscis temporibus, illum debere esse Metropolitanum, qui Episcopus erat in civili metropoli provinciæ. Africam excipiendam esse dixi; cujus Episcopi, præter Carthaginensem, hac lege non tenebantur; quippe qui antiquiorem ordinatione Episcopum pro Primate habebant, nulla habita ratione civilium metropoleon, ut patet ex Conciliis Africanis & multis veterum scriptorum testimoniis, salvo jure Primatuum Mauritaniæ & Numidiæ, quibus in Concilio universali Africæ (ut Marca observavit) primus locus post Carthaginensem dabatur ob dignitatem & vetustatem provinciarum, quamvis essent Primatibus Byzaceno, Tripolitano & Sitifensi posteriores, quoad ordinationem. Sed Afri, licet Primatibus, id est, Episcopis ordinatione antiquioribus, primas sedes in Concilio generali tribuerent, nulli tamen Ecclesiæ speciali dignitatem primatus vindicabant, posthabita metropoli civili, ut factum in Ecclesia Arelatensi; quæ in jus metropoliticum invasit in provincia Viennensi adversus Viennensem provinciæ Metropolitanum. Ita enim se habebat dispositio civilis, postquam Romanis Principibus placuit Narbonensem veterem dividere in tres provincias, in Narbonensem videlicet, Viennensem, & Alpes maritimas, ut Vienna vetus colonia metropolis esset provinciæ Viennensis, cui nomen dabat, & Arelas una esset earum urbium, quæ Viennæ contributæ erant, id quod & Ammianus Marcellinus & Notitiæ veteres ostendunt.

Vide R.P. Chifflet. in Notis ad Ferrandum pag. 276. 279.

Marca in lib. de Primatib. §. 79. & hinc Chifflet. in Notis ad Ferr. pag. 291.

VII. Amplificata deinde civitatis Arelatensis gloria, post Concilium illic habitum ævo Constantini Magni, ex cujus nomine dicta est Constantina, aucta etiam ob moram ejusdem Constantini & sequentium aliquot Imperatorum in ea urbe factam, præcipue Constantii filii Constantini, qui illic anno CCCLIII. ob tricesimum imperii sui annum theatrales ludos & Circenses ambitioso apparatu edidit, ibidemque proximis Kalendis Januariis septimum Consulatum iniit, & ex more ludos Circenses fecit. Ex ea urbis gloria factum, ut veterum scriptorum monumentis valde celebrata sit, adeo, ut Ammianus Marcellinus eam vocet multarum urbium decus, & Gallulam Romam Ausonius in libro de urbibus. Translata vero illuc sede præfecturæ Galliarum a Valentiniano Imp. post cædem Maximi Tyranni, ut ego quidem arbitror, cumulata sunt in eam civitatem omnia civilis administrationis decora & ornamenta, urbsque ipsa facta metropolis Galliarum, ut colligi potest ex rescripto Honorii ad Agricolam P.P. Galliarum, ubi Arelatensis urbs dicitur esse metropolis Septem provinciarum. Solebant enim olim Principes (ut observatum est ab illustrissimo Archiepiscopo) dividere provincias pro suo arbitrio; & novas quoque metropoles condebant, quarum Episcopi simul evehebantur ad dignitatem Metropolitanorum. Itaque ex honore civili Arelatensis urbis descendisse puto honorem ecclesiasticum, tentante nimirum Episcopo urbis illius in se trahere ordinationes Episcoporum provinciæ Viennensis, quæ antea pleno jure pertinuerant ad Viennensem Metropolitanum. Illum ista præsumsisse non ita multo post cædem Maximi, docet canon secundus Concilii Taurinensis, habiti anno CCCXCVII. in quo sic legitur: *Illud deinde inter Episcopos urbium Arelatensis & Viennensis, qui de primatus apud nos honore certabant, a sancta synodo definitum est, ut qui ex eis approbaverit, suam civitatem esse metropolim, is totius provinciæ honorem primatus obtineat, & ipse juxta canonum præceptum ordinationum habeat potestatem. Certe ad pacis vinculum conservandum hoc consilio utiliore decretum est, ut, si placet, memoratarum urbium Episcopis, unaquæque de his viciniores sibi intra provinciam vindicet civitates, atque eas Ecclesias visitet, quas oppidis suis vicinas magis esse constiterit; ita, ut memores unanimitatis atque concordiæ, non alter alterum, longius sibi usurpando, quod est alii propius, inquietet.*

Amm. Marcell. lib. 14.

Vide C. V. Hadr. Vales. in lib. 8. rer. Francic. p. 411.

Amm. Marcell. lib. 25.

Honorii Constitutio extat apud Sirmond. in Notis ad Sidon.

Vide supra lib. 2. cap. 8.

VIII. Integrum canonem retuli, ut ostenderem, tum Arelatensem fuisse urbem metropolitanam. Frustra enim definirent patres, hunc totius provinciæ honorem primatus habiturum, qui approbaret, suam civitatem esse metropolim, si nulla ex hoc capite controversia fuisset inter Viennensem Episcopum & Arelatensem; quæ nulla esse poterat, si Arelas non fuisset tum metropolis. Compertum habebant, Viennam esse veterem provinciæ metropolim, adeoque ad illam secundum ecclesiasticas regulas pertinere ordinationes Episcoporum provinciæ Viennensis. Sed quia tum Arelas erat metropolis Galliarum in ordine civili, contendebatque haud dubie ob eam causam Episcopus Arelatensis, transisse ad suam Ecclesiam a Viennensi jura ordinationum, quod Vienna tum contributa esset Arelatensi urbi, patres in synodo Taurinensi congregati, in his angustiis constituti, obscuro & ambiguo dicendi genere interlocuti sunt, eam civitatem frui debere honore primatus, quæ doceret, se esse provinciæ metropolim, dato interim ad fovendam concordiam Episcopis consilio, ut quisque viciniores sibi civitates ad suam curam revocaret. Ea sola via patebat exeundi ex his difficultatibus, qua & Viennensis Ecclesiæ juribus non derogarent in universum, & Arelatensi urbi, penes quam civilis tum administrationis fastigium erat, injuriosi non existerent, neve illius Episcopum exasperarent, si quid contra illum decernerent. Sciebant enim, injurias ægre tolerari, &, ut ait Tacitus, proclivius esse injuriæ, quam beneficio vicem exsolvere; quia gratia oneri, ultio in quæstu habetur. Viennensem Episcopum minorem tum esse Arelatensi & imparem, istum vero non depositurum memoriam acceptæ injuriæ, & si occasio daretur, ulturum adversus unumquemque Episcoporum, quos facile illi esset opprimere apud illustrissimam præfecturæ potestatem, in maximi porro beneficii loco habiturum Viennensem, quod aliquas civitates retineret judicio synodi. Ea de causa provinciam diviserunt, cujus maxima pars concessa est Episcopo Arelatensi.

Vide lib. 3. c. 7. §. 3.

Tacit. lib. 4. hist.

IX. Quo-

IX. Quoniam vero pronum est ambitione labi, ei præsertim, qui versatur inter summas potestates, & apud illas in honore est, Arelatensis Episcopus, qui magna parte provinciæ depulerat Episcopum Viennensem, totam sibi subjicere meditatus est, ac non solum illam, sed etiam duas Narbonenses, quæ in vicino erant. Sed quia prævidebat magnam ex hoc capite futuram esse contradictionem Metropolitanorum harum provinciarum, qui ægre paterentur, adimi sibi provincialium suorum ordinationes, Zosimum Pontificem Romanum putavit in partes trahendum esse, ut ejus auctoritate hanc sibi potestatem vindicaret in illis provinciis. Itaque falsa suggestione ad eum data significavit, pati se contradictionem in ordinandis Episcopis harum provinciarum, præsertim a Proculo Massiliensi Episcopo & a Viennensi, qui in Concilio Taurinensi contenderant, ad se pertinere consecrationes Episcoporum, hic quidem secundæ Narbonensis, iste vero provinciæ Viennensis; cum tamen Arelatensis Episcopus *jam inde a Trophimo ordinationis seriem temporibus roboratam* possederit, non solum in provincia Viennensi, sed etiam in utraque Narbonensi: *quoniam Trophimus sacerdos quondam Arelatensi urbi ab apostolica sede transmissus ad illas regiones tanti nominis reverentiam primus exhibuit, & in alios non immerito ea, quam acceperat, auctoritate transfudit*. Zosimus habita ratione petitionis Patrocli, quem summis potestatibus acceptissimum esse sciebat, & qui in metropoli Galliarum urbe constitutus erat Episcopus, confirmavit ei ordinationes per tres illas provincias *juxta majorum canones*; castigatisque Proculo & Simplicio, quod non ferenda impudentia in Concilio Taurinensi, *contra statuta patrum, & sancti Trophimi reverentiam*, postulassent, creandorum in his provinciis sacerdotum potestatem sibi fieri, laudata antiquitate, *cui decreta patrum*, inquit, *sanxere reverentiam*, redire in ordinem suum intermissa præcepit, & Metropolitanum Arelatensis civitatis Episcopum, jam inde a Trophimo, ordinationis seriem, temporibus roboratam, inviolabili in utraque, Narbonensi & Viennensi, auctoritate possidere. Tum data ad Hilarium Narbonensem Episcopum epistola, de eodem argumento, antiquam consuetudinem (nam cuncta ad antiquitatem referebat) opponens canonibus, confirmat ei ordinationes Episcoporum primæ Narbonensis: *quia satis constitit*, inquit, *Arelatensis Ecclesiæ sacerdoti prisca id institutione concessum, ut non solum in provincia Viennensi, sed etiam per duas Narbonenses, Episcopos faciat*. Porro, ut facilior esset istarum rerum executio, Patroclum existimavit ornandum esse auctoritate quadam extraordinaria, quæ reverentiam illi conciliaret, etiam apud eos ipsos Episcopos, qui magnitudini ejus repugnabant. Itaque præter necessitatem accipiendarum ab eo formatarum, ei vices suas committit per Gallias, jubens, ut, si quæ illic causa gravis emerserit, ad Patroclum referatur; ita tamen, ut, si causa major sit, ad apostolicæ sedis examen deducatur. *Ad cujus*, (id est, Patrocli) *notitiam, si quid illic negotiorum emerserit, referri censuimus, nisi magnitudo causæ etiam nostrum requirat examen*, quod intelligendum est secundum ea, quæ supra dicta sunt, cum de Thessalonicensi Episcopo ageremus. Scio, Bonifacium & Leonem, Romanos Pontifices, ademisse Episcopis Arelatensibus ordinationes Episcoporum duarum Narbonensium. Sed hæc non sunt instituti nostri. Illud tantum dicam, ex auctoritate, quam Zosimus dedit Patroclo, descendisse, ut Valentinianus Imperator constituerit anno CDXXV. ut quidam Episcopi, nimirum Gallicani, qui nefarium Pelagiani & Cælestiani dogmatis errorem sequebantur, per Patroclum sacrosanctæ legis antistitem convenirentur. Redeamus itaque nunc ad tractandam causam vicariatus Arelatensis.

Marca in lib. de Primatib. c. 71. & 82. & in epistola ad Henr. Vales.

Zosim. ep. 70.

Vide Prosperi Chronicon. Honorio IX. & Theod. V. Conss.

Zosim. epist. 5.

Valentiniani constitutio extat in Appendice Cod. Theod. tit. VI. & Tom. 1. Concil. Gall. p. 54.

Tædet animam meam vitæ meæ, cum video, me, qui animo sum a contentionibus & rixis multum alieno, cogi tamen & impelli, fatali quadam necessitate, ad exagitandas & convellendas opiniones clarissimi viri Paschasii Quesnelli, ut ea confirmem esse vera, quæ vere a me scripta sunt. Forte dixeram consuetudinem, a qua Zosimus arcessit privilegia Ecclesiæ Arelatensis, non esse antiquam, & ante annos tantum viginti cœpisse in Concilio Taurinensi, idque statim probaveram auctoritate sancti Leonis Papæ, quo teste nullus locupletior esse potest in hac causa. Sed Quesnellus hoc teste non contentus, ejusque testimonium insuper habens, ad argumenta parum firma se convertit, ut evertat ea, quæ a me scripta sunt. Nolo bonas horas male collocare in refellendis ejus argumentis. Illud unum postulo a lectoribus eruditis, ut mea sine præjudicio comparent cum iis, quæ vir ille clarissimus scripsit adversus opinionem meam. Jam quia ad eam confirmandam adnotaveram, Marinum Episcopum Arelatensem, quem non dissimulavi, primum nominari inter Episcopos, qui e Concilio Arelatensi scripserunt ad Papam Silvestrum, non vendicasse sedi suæ jus metropoliticum, quod est certissimum, sed e contra inter Episcopos provinciæ Viennensis recenseri in veteri cathalogo Episcoporum, qui ad hanc Arelatensem synodum convenere, quod est gravissimum argumentum adversus antiquitatem metropoleos Arelatensis, ridet Quesnellus hanc ratiocinationem, & a me quærit, unde hoc habeam. Tum subjungit, eodem modo, quo Marinus in hoc cathalogo subscribere Verum Episcopum Viennensem & ceteros Episcopos provinciæ Viennensis, neque ideo tamen negari posse, quin Verus habuerit primatum in provincia Viennensi. Primum observandum est, hoc cathalogo non contineri subscriptiones Episcoporum, qui huic synodo Arelatensi interfuerunt, sed nomina eorum tantum & provincias, in quibus illi fuerunt Episcopi. Eorum autem, qui e provincia Viennensi interfuere, nomina posita sunt absque ullo ordine, nimirum ab eo, qui antiquitus descripsit hunc cathalogum. Addit Quesnellus, quod si propterea Marino adimatur primatus, quia provinciæ Viennensis Episcopus dicitur, ob eandem rationem adimendus est etiam primatus vero Episcopo Viennensi. Quæ argumentatio omnino absurda est. Alioquin ex eo affirmare possemus, omnes Episcopos provinciæ Viennensis fuisse Primates, quia omnes eodem modo, ut Quesnelli verbis utamur, subscribunt, quo Marinus & Verus. Quo tamen nihil absurdius fingi potest. Itaque certum esse debet, Marinum, qui istic nominatur inter Episcopos provinciæ Viennensis, vere fuisse Episcopum provinciæ Viennensis, adeoque non fuisse ea tempestate Metropolitanum. Valde enim dissimilia sunt vetera exemplaria illius cathalogi, cum, exempli causa, in quibusdam desit nomen Veri Episcopi Viennensis, in aliis Marinus Arelatensis, in omnibus, præterquam in Corbejensi, Oresius Massiliensis.

CAPUT XXXI.

De Hilarii, Arelatensis Episcopi, primatu & vicariatu sedis Romanæ, virtute cujus Concilium Regense Arausicanum & Vasense habuit.

SYNOPSIS.

I. Ad exemplum conventus civilis septem provinciarum, qui quotannis agebatur apud Arelatem, Hilarius Arelatensis Episcopus destinat celebrare Concilia eorum Episcoporum, qui per eas provincias censebantur, quibus ipse præsideret.

II. Ea de causa Concilium Regense coegit in aliena provincia, cui & ipse præfuit, & de causa ordinationis Metropolitani Ebredunensis cognovit, tan-

tanquam primus provinciarum Gallicanarum Metropolitanus. Rursum instituitur comparatio inter Episcopum Thessalonicensem & Arelatensem.

III. In eo Concilio constitui procuravit Hilarius, irritas fore ordinationes, quæ citra auctoritatem Metropolitani Arelatensis peragerentur. Causa Armentarii explicatur. Tum aperitur verus ac genuinus sensus canonum Concilii Regensis.

IV. Agitur deinceps de Concilio Arausicano, quod ab eodem Hilario celebratum est. Generale illud fuit, ut probatur multis argumentis.

V. Probabile quoque est, Concilium Vasense fuisse generale. Explicatur primus canon ejusdem Concilii, in quo agitur de Episcopis ex provincia sua ad aliam accedentibus.

VI. Refelluntur argumenta, quibus Paschasius Quesnellus evertere conatus est opinionem nostram, de dignitate primi Galliarum Metropolitani.

VII. Morinus & Cointius scripserunt, Episcopum Arelatensem fuisse Primatem & Metropolitanum primi ordinis.

VIII. Alpium maritimarum provincia distincta ab Arelatensi. Ingenuus Ebredunensis fuit Metropolitanus.

IX. Diluitur objectio petita ex subscriptione Eucherii Lugdunensis in Concilio Arausicano I.

X. Referuntur argumenta Quesnelli, adversus antiquitatem veteris notitiæ, editæ a Sirmondo, & eis respondetur.

XI. De episcopatu Nicaensi falsa observatio Quesnelli.

XII. Infirma objectio, petita ex loco quodam S. Paulini de urbe Rothomagensi.

XIII. Explicatur canon Taurinensis de controversia, quæ de primatu erat inter Episcopos Viennensem & Arelatensem.

XIV. XV. XVI. Explicatur locus Sidonii, ex quo collegit Quesnellus, notitiam, a Sirmondo editam, non esse ita antiquam, ut ipse putavit.

I. Constituerat Imperator Honorius anno CDXVIII. ad Agricolam Præfectum Galliarum scribens, ut, quia propter privatas ac publicas necessitates de singulis civitatibus, non solum de provinciis singulis, Arelatem ad examen Præfecti vel honoratos confluere, vel mitti legatos, aut possessorum utilitas, aut publicarum ratio exigebat functionum, singulis annis, constituto tempore, in metropolitana, id est, in Arelatensi urbe Concilium, id est, conventum publicum haberent Septem provinciæ sub illustri præsentia præfecturæ, si id ratio publicæ dispositionis permitteret. Quoniam vero, ut observavit illustrissimus Archiepiscopus, dignitas, quæ civitatibus competebat, in ordine civili, facile communicabatur episcopatibus earum urbium, incessit Episcopum Arelatensem ambitio, sibi vindicandi titulum primi Metropolitani Galliarum. Erat Hilario Arelatensi Episcopo altissimus animus & gloriæ appetens. Itaque, cum se in metropoli Galliarum urbe constitutum esse videret, in qua singulis annis decretum erat haberi Concilium Septem provinciarum, sciretque præterea, sedi suæ in persona Patrocli commissas esse a Zosimo Papa vices apostolicæ sedis per Gallias & Septem provincias, intravit in animum ejus illa pulcherrima cogitatio, celebrandum quoque esse Concilium eorum Episcoporum, qui per eas provincias constituti erant; non repugnaturos Episcopos, tametsi nova tentarentur; & si abnuerent, facile flexuros, si Præfecti prætorio vel Vicarii auctoritas interveniret, incipiendum ab uno esse, ut exemplum daretur in futurum, porro non curandum esse de loco, in quo synodus haberetur, modo auctoritas Arelatensis Episcopi susciperetur, immo validius apud posteros firmiusque futurum argumentum, si Concilium extra provinciam Arelatensem haberetur cum auctoritate & sub præsentia Metropolitani Arelatensis, quam si sub illustri præsentia præfecturæ haberetur. Existimabat, haud dubie facilius dein Episcopos illarum provinciarum ad synodum Arelatensem venturos, si semel devorassent necessitatem obsequendi evocationi Episcopi Arelatensis.

Vide supra lib. 2. cap. 8. & infra lib. 6. cap. 17. §. 6.

II. Itaque anno CDXXXIX. Hilarius, coacto Concilio in civitate Regensi, quæ erat in provincia Alpium maritimarum, de causa ordinationis Ebredunensis Metropolitani cognovit, tanquam primus provinciarum Gallicanarum Metropolitanus, ad quem referri deberet de gravioribus causis, quæ per provincias emergerent, secundum ea, quæ a Zosimo fuerant constituta ad exemplum Episcopi Thessalonicensis. Par est enim, existimare Hilarium, quem constat magnum virum fuisse, nihil inconsiderate egisse & ista usurpasse in consequentiam literarum Zosimi, de quarum auctoritate, putabat, non dubitari inter Episcopos Gallicanos. Sane in Concilio Regensi præsedit citra contradictionem, nullo Episcoporum litem adversus eum movente ob eam causam, tanquam constaret, hanc sedis Arelatensis antistiti potestatem competere, ut synodis præsideret, intra Gallicanas provincias congregatis. Quinimo cum Concilium illud coactum esset ad castigandam temeritatem Armentarii, qui se Episcopum Ebreduni ordinari consenserat, inter vitia ordinationis apertis verbis refertur omissa Metropolitani auctoritas, id est, Hilarii Arelatensis, tanquam absque eo non liceret ordinare Metropolitanos. Quo loco revocanda est memoria eorum, quæ supra dicta sunt, cum de Thessalonicensi Episcopo ageremus, id jus Episcopo illi fuisse, ut non ante ordinari possent Metropolitani provinciarum Illyricianarum, quam relatio de persona & electione ejus, qui electus esset, ad Thessalonicensem missa fuisset a comprovincialibus Episcopis, irritamque futuram fuisse ordinationem, quæ prætermissa Thessalonicensis antistitis auctoritate celebrata fuisset. Quæ regula tum maxime servanda erat, cum discordia propter antistitis electionem exorta erat in Ecclesia, cum constitutum sæpe esset, ut graviores causæ ad examen Thessalonicensis Episcopi deferrentur. Cum autem tum Arelatensis Episcopus exsurgeret in comparationem Thessalonicensis, sciretque, se generalibus Zosimi mandatis instructum esse, qui ad notitiam ejus referri censuerat, si quid negotiorum per Gallias emergeret, intelligens vir prudens, magnis conatibus obsistere timiditatem, contra audacem animum difficiliora etiam negotia ut plurimum perducere ad felices exitus, tentandos putavit Gallicanos Episcopos, & si res succederet, bene esse.

Vide Marcam in lib. de Primat. §. 73.

III. Congregatio igitur, uti diximus, Concilio Regensi, ut mansura etiam circa Metropolitanos auctoritas confirmaretur, exegit, eamque ordinationem esse irritam pronuntiari, quæ citra auctoritatem Metropolitani Arelatensis Episcopi celebrata foret. Quod ut facilius obtineret, primum huc flexit Episcopos, ut ordinationem Armentarii nullam esse censerent; *quia sacris Ecclesiæ canonibus ac reverendis patrum constitutionibus omni parte neglectis, absque trium Episcoporum præsentia, absque comprovincialium literis, sine Metropolitani auctoritate, irritam ordinationis speciem, a duobus temere convenientibus præsumptam esse clarebat.* Et favorabilis in speciem occasio erat. Nam & præcipiata ordinatio erat, & a duobus tantum Episcopis celebrata, comprovincialibus neque præsentibus neque consensus suos per literas præstantibus. Itaque hac pulcherrima occasione usus Hilarius, consensu Gallicanorum Episcoporum locum primi Metropolitani obtinuit, absque quo non liceret Episcopos ordinare in provinciis Gallicanis. Sic enim intelligendum omnino puto canonem septimum Regensem, quo de Episcoporum ordinationibus cavetur in futurum. Excitati quippe hac occasione Episcopi, *sibimetipsis contra hujusmodi scandala præcavendum censuerunt*, & *propter ejusmodi temeritatem*, nimirum propter ordinationem Armentarii, qui contra canones & citra Metropolita-

Concil. I. Reg. in præfat.

Concil. Reg. can. 6.

politani Arelatensis auctoritatem ordinatus in Ebredunensi Ecclesia fuerat, definiverunt, uti cum aliqua Ecclesia Episcopum perdidisset, vicinæ Ecclesiæ Episcopus ad eam exequiarum tempore accederet, provideretque intra septimum diem, uti legitima canonicaque electio fieret a clericis Ecclesiæ vacantis. Tum vero opperiri eum jubent, ut ego quidem arbitror, auctoritatem Metropolitani Arelatensis. Quod credere me cogit præsentia Hilarii, qui dolorem suum graviter ob prætermissam auctoritatem suam ultus est adversus Armentarium in hoc Concilio Regensi ea sola de causa congregato. Unde concludo, canones istos, quoties de Metropolitano loquuntur, Arelatensem intelligere. Decernunt ergo patres, ut, postquam cuncta, quæ diximus, providerit Episcopus ille, Ibid. can. 7. qui defuncti exequias curavit, *exin se Ecclesiæ referens, mandatum Metropolitani simul cum omnibus sanctis Episcopis opperiatur, nec quisquam ad Ecclesiam, quæ summum amiserit sacerdotem, nisi Metropolitani literis invitatus, accedat.* Quibus constitutis, quæ (ut inquit canon octavus) *omnes communi consensu conservanda, neque, quod absit, sine offensa omnium ac Dei a quoquam transgredienda definiunt*, Hilarius ante omnes subscripsit hoc modo: *Ego Hilarius Episcopus, juxta id, quod universis sanctis coepiscopis meis, qui mecum subscripserunt, placuit, definita patrum sequutus, his definitionibus subscripsi.*

IV. Defuncti explicatione canonum Concilii Regensis, ad Arausicanum veniamus, quod biennio post sub eodem Hilario celebratum est. Erat sane Arausica una ex civitatibus, quæ vetustis temporibus componebant provinciam Arelatensem. Unde colligitur, jus huic synodo præsidendi competivisse Hilario, ea etiam de causa, quod Concilium haberetur intra suam ipsius provinciam. Interfuerunt huic Concilio Eucherius Episcopus Lugdunensis & Ingenuus Ebredunensis, qui longo intervallo subscribunt post Hilarium. Sed cum Episcopis illis ordinatione antiquior esset Hilarius, colligi hinc non potest, illum tenuisse, illic primum super eos locum vi auctoritatis suæ. Itaque illud unum contendo, ad synodum Arelatensis Episcopi occurrisse etiam Episcopos provinciæ Lugdunensis & Alpium maritimarum, ac fortean aliarum provinciarum. Nescimus enim, quarum Ecclesiarum Episcopi fuerint illi, qui in illo Concilio Arausicano adfuisse leguntur in subscriptionibus. Præterea constat ex canone XXIX. multos Episcopos ad eam synodum non accessisse; legitime, ut videtur, impeditos, *qui consensus dederunt*, plerosque etiam defuisse per contumaciam, qui castigantur in hoc canone, utrorumque autem admonendorum, ut ad sequentem futuram synodum veniant, sollicitudo relinquitur Hilario, in quo auctoritatem quandam extraordinariam in Hilario agnovisse synodum Arausicanam constat. *Reliquos, qui defuerunt*, inquiunt Episcopi, *beatissimi fratris nostri Hilarii sollicitudini relinquimus, datis ad ipsos horum exemplaribus commonendos.* Unde colligi potest, generalem fuisse synodum, quæ cura & auctoritate coacta fuerit Hilarii Episcopi Arelatensis. Adde, quod canon XXI. generalis est, non unius tantum provinciæ causa conditus, sed plurium, cum ita dicat: *In nostris provinciis placuit de præsumptoribus, ut, sicubi contigerit duos Episcopos Episcopum invitum facere, auctoribus damnatis, unius eorum Ecclesiæ ipse, qui vim passus est, substituatur, si tamen vita respondet.*

V. Sequitur Concilium Vasense, habitum intra provinciam Arelatensem: de quo nihil certi dicere possumus, destituti subsidio, quod in hujuscedi rebus adferre solent subscriptiones Episcoporum. Attamen ex primo canone colligi posse videtur, generale illud fuisse, cum decretum generale sit, & ad omnes Gallicanas provincias ex æquo pertineat. Nam hæc sunt verba canonis: *Placuit ergo, tractatu habito, Episcopos de Gallicanis provinciis venientes, intra Gallias non discutiendos, sed solum sufficere, si nullus communionem alicujus interdixerit.* Respicit enim canon ad Episcopos ex provincia sua ad aliam provinciam accedentes, quos, si e longinquo venirent, examinare oporteret, ut agnosci posset, an vere Episcopi essent, vel impostores; quoad eos vero, qui e vicinis provinciis venirent, cum sibi invicem noti sint, istam curam non esse necessariam. Quibus verbis puto intelligi vicinas tantum Arelatensi urbi provincias, Septem nimirum, ac fortassis Lugdunensem, quæ in vicino erat; præsertim cum Arausicano Concilio interfuisse reperiatur Eucherius Episcopus Lugdunensis pro se & pro coepiscopis suis, quorum adsensum se expectare profitetur in fine Concilii.

VI. Antequam ab hoc capite discedam, puto officii mei esse, ut ea, quæ istic scripsi de dignitate Episcoporum Viennensis & Arelatensis, quæ vera sunt, vera esse ostendam, refutatis nimirum argumentis a viro clarissimo Paschasio Quesnello prolatis adversus ea, quæ a me scripta sunt. Quod tamen non ea mente aggredior, ac si existimari vellem, nihil a me scribi posse, nisi perfectum, cum sciam, hominem me esse, &, ut ille ajebat, nihil humani a me alienum putem. Arrogantiæ enim extremæ & intolerabilis esset, si qui viros præstantissimos interdum errasse putavi & admonui, me illis majorem ac perfectiorem esse putarem. Ceterum notum est, me facile mutare sententiam, si vel sponte mea, vel admonitus intellexero, erratum a me esse. Refellam itaque meo marte argumenta viri clarissimi, sed ea modestia, ut ille conqueri non possit de acerbitate mea in refellendis ejus opinionibus & meis confirmandis.

Quoniam igitur ego, tractans causas Armentarii & Ingenui Episcoporum Ebredunensium, dixeram, de iis cognovisse Hilarium Arelatensem, tanquam primum Galliarum Metropolitanum, ad quem juxta decretum Papæ Zosimi referri debebat de gravioribus causis, quæ per provincias emergerent, irridet Quesnellus meam illam scriptionem, quam de novitate sugillat, ajens, neminem ante me hanc significationem affinxisse canoni Concilii Regensis de ordinatione Armentarii, tanquam si mihi non liceret opinationes meas in rebus ecclesiasticis & historicis in lucem proferre, & simul me incusat, quod a sententia Marcæ auctoris mei recesserim, qui, ut ipse ait, vocem illam *Metropolitani* secundum communem significatum accepit in dissertatione de Primatibus. Ego paulo modestior viro clarissimo, de novitate non excipio adversus eum, cum nova aliqua profert, profert autem multa, sed ea laudo & approbo, iisque utor cum illa vera esse mihi constat. Ceterum si ea mihi videntur esse contraria veritati, non rejicio illa tanquam nova, sed tanquam falsa. Nunc itaque contendo, omnia ejus argumenta istic allata nullius esse momenti. Quod evidenter, ut reor, ostendam, si prius monuero, falso scriptum esse a Quesnello, Marcam vocem *Metropolitani* accepisse in sensu communiter usurpato, cum ille statim proferat verba sancti Leonis Hilarium Arelatensem increpantis, *quod ordinationes sibi omnium per Gallias sacerdotum vendicabat, & debitam metropolitanis sacerdotibus in jus suum transferebat dignitatem.* Quibus verbis manifestum est, sanctum Leonem notasse Hilarium ambitione, quod in aliorum Metropolitanorum dignitatem invaderet & ordinationes Episcoporum illis subjectorum ad se traheret.

VII. Quo in loco mihi licere arbitror observare, non vere dictum a viro clarissimo fuisse, neminem ante me Episcopum Arelatensem vocasse primum provinciarum Gallicanarum Metropolitanum. Nam si ille consuluisset lucubrationes clarissimorum virorum, confratrum suorum Joannis Morini & Caroli Cointii, (quamquam ego, ut Coint. an. 544. verum ingenue fatear, ab illis non acceperim) in- §. 16. venisset quidem, Cointium dixisse, Episcopum Arelaten-

latensem fuisse Metropolitanum primi ordinis, ac propterea exercuisse jus metropoliticum in Narbonensem secundam & Alpes maritimas, quamvis illæ haberent suos Metropolitanos, Morinum vero scripsisse, hunc Episcopum fuisse Primatem, quod idem est cum Metropolitano primi ordinis, cum primo provinciarum Gallicanarum Metropolitano, & plures Metropolitanos habuisse suæ subditos potestati.

Morin. lib. 1. exercit. 22.

VIII. Sed ut ad Armentarium & Ingenuum redeamus, ait Quesnellus, Hilarium Arelatensem non cognovisse de eorum caussis, tanquam Gallicanarum provinciarum Metropolitanum, sed tanquam Metropolitanum Alpium maritimarum, quæ non constituebant provinciam ab Arelatensi distinctam, immo pertinebant ad provinciam Arelatensem. Istud vero asserit contra testimonium totius retro antiquitatis. Nam & omnes veteres notitiæ provinciam Alpium maritimarum constituunt discretam a Viennensi, ex qua distracta est Arelatensis, & Hilarus Papa testatur, Ingenuum Alpium maritimarum provinciæ Metropolitani semper honore fuisse subnixum. Frivola enim est distinctio viri clarissimi, qui censet, Ingenuum habuisse quidem honorem Metropolitani, non vero potestatem ac jurisdictionem. Certe Marca, cujus auctoritatem istic advocat Quesnellus, non dubitabat, quin Ebredunensis civitatis Episcopus in provincia Alpium maritimarum semper jure metropolitico potitus esset.

Quesnell. pag. 520.

IX. At Ingenuus, ait Quesnellus, non erat Metropolitanus. Nam si provinciæ ab Arelatensi distinctæ Metropolita fuisset, ut erat Eucherius Episcopus Lugdunensis, eodem atque iste modo subscriptus legeretur in Concilio Arausicano; ubi Eucherius testatur de dignitate sua, Ingenuus ponit tantum nomen suum. Sed quis scit, an Concilii illius subscriptiones hodie habemus integras? Et quamvis constaret, eas esse puras & integras, quæ necessitas Ingenuo subscribendi eodem modo quo Eucherius? Nulla enim uspiam regula extat decernens, uti Episcopi sub una formula subscribant in Conciliis. In Concilio Vasensi secundo, ne singula exempla commemorem, Contumeliosus Episcopus Rejensis subscribit longe diverso modo ab omnibus aliis Episcopis, qui huic Concilio interfuerunt. Nam cum ceteri dicant simpliciter se consensisse & subscripsisse, Contumeliosus ait, ita se consensisse in omnibus, *ut cum sanctus Papa urbis suam oblatam dederit, recitemus ante altarium Domini*. Quid ex hac singulari subscriptione elici potest adversus alios, qui simpliciter subscripserunt? Fieri etiam potest, quod sæpe accidit, ut Eucherius non interfuerit Concilio Arausicano, cui reperitur subscriptus, illi tamen, cum ei oblatæ fuissent definitiones in eo decretæ, subscripsisse, adjecta cautione, si comprovincialium ejus accederet assensus. Sic Nibridius Episcopus Egarensis & Justus Urgellitanus, qui non interfuerant Concilio Toletano secundo, cum ad illud advenissent post ejus celebrationem, illius constitutiones sua subscriptione firmaverunt, *salva auctoritate priscorum canonum*.

Adversus hanc meam de Eucherio conjecturam opponi potest auctoritas Quesnelli, qui ait, Eucherium, cum forte fortuna in illis regionibus versaretur eo tempore, quo Episcopi Provinciales in synodum conveniebant, ad eam honoris causa invitatum, inter alienæ provinciæ Episcopos subscribere non esse ausum, nisi sub spe adhibendi a comprovincialibus consensus, super his, quæ decreta fuerant in synodo. Verum hæc historia, quam affirmate recitat Quesnellus, magnam habet difficultatem propter altum silentium omnium scriptorum, qui usque ad hanc diem de Eucherio & de hoc Arausicano Concilio locuti sunt. Ubi sequenda videtur regula ejusdem Quesnelli, qui paulo post ait, in his, quæ sunt facti, rem asserere non sufficere, nisi idoneis probationibus assertio ipsa muniatur.

Idem p. 521.

X. Adversus opinionem, quæ Viennam facit metropolim provinciæ Viennensis, in qua olim Arelas, quæ opinio nititur etiam auctoritate veteris notitiæ provinciarum Gallicanarum, editæ a viro harum aliarumque multarum bonarum literarum peritissimo Jacobo Sirmondo, qui eam censuit conditam fuisse temporibus Honorii Augusti, Quesnellus e contra ait, illam esse multo posteriorem ævo illius Imperatoris & post Hilarii Episcopi Arelatensis & sancti Leonis Papæ tempora fuisse conditam, eo inprimis argumento, quod Arelas, cujus Episcopum fuisse semper Metropolitanum sibi persuasit, nominetur inter civitates provinciæ Viennensis, ex constitutione autem ejusdem Honorii relata a Sirmondo in Notis ad Sidonium constet, eam urbem ævo istius Imperatoris fuisse metropolitanam. Ex quo consequi putat Quesnellus, Episcopum illius urbis non potuisse eo tempore numerari inter suffraganeos Episcopi Viennensis, cum ipsa esset per se metropolitana. Id quidem verum est, & hoc ipsum ostendit, notitiam esse anteriorem principatu Honorii. Etenim si posteriore tempore condita fuisset, haud dubie Arelas, cujus Episcopus temporibus Honorii majoribus privilegiis, ut Quesnelli verbis utamur, augeri cœpit, & sese extulerat super Episcopos Gallicanos illarum regionum, non fuisset recensita inter civitates provinciæ Viennensis. Itaque hinc certo conficitur, falsum esse Quesnellum, cum opinionem Sirmondi de tempore, quo notitia illa condita est, falsam esse contendit.

Idem pag. 647.

XI. Addit Quesnellus, hinc etiam colligi debere, notitiam illam post sancti Leonis tempora scriptam esse, quod in ea nulla mentio habeatur Nicæensis castri inter civitates provinciæ Alpium maritimarum, cum, ut ipse asserit, ex epistola Hilari Papæ ad quosdam Episcopos Galliæ constet, Nicæense castrum usque ad Leonis extrema tempora proprium habuisse antistitem a Cemelenensi distinctum. Sane si ista vera essent, videretur ea viri clarissimi sententia habere aliquam speciem veri. Sed aut valde fallor, aut nihil istiusmodi reperitur in illa epistola Papæ Hilari. Ait enim tantum Ingenuum Episcopum metropolitanum Alpium maritimarum ordinasse noviter Episcopum in Ecclesia Cemelenensis civitatis vel castelli Nicæensis, idque factum contra definitionem decessoris sui, qui statuerat, ut unus tantum esset Episcopus harum plebium. Itaque jubet Hilarus, *ut ad unius antistitis regimen prædicta loca revertantur, quæ in duos dividi non decuit sacerdotes*. Ego non video, quomodo Quesnellus hinc colligere potuit, castrum Nicæense proprium habuisse Episcopum, a Cemelensi distinctum, usque ad extrema tempora sancti Leonis, quamvis sciam, nonnullos Nicæenses Episcopos nominari in antiquis synodis.

XII. Sed, quæ postea addit idem Quesnellus, ut ostendat, eam notitiam & ceteras ab Andrea Duchesnio editas, fuisse conditas post tempora sancti Leonis, credibile, non esse Rothomagum, quæ in notitiis illis notatur tenuisse primatum in amplissima provincia, tantæ dignitatis fuisse ævo Honorii, sancto Paulino testante illam vicinis ante regionibus tenui nomine pervulgatam, nunc in longinquis etiam provinciis venerabiliter audiri & inter urbes sacratis locis nobiles numerari. Existimabat igitur Quesnellus, Rothomagum ita tenuis & obscuri nominis urbem fuisse ævo sancti Paulini, ut vix ejus nomen sciretur in vicinis regionibus. Quod miror potuisse venire in mentem viro clarissimo, qui non potuit ignorare, quid de Rothomago scripserint antiqui geographiæ & historiarum scriptores. Adde, certum esse ex epistola Innocentii Papæ ad Victricium Rothomagensem, plurimos Episcopos fuisse constitutos, ubi Victricius habitabat, Metropolitanum autem eos habuisse.

Idem pag. 468.

XIII. Rursum Quesnellus, semper adversarius notitiæ a Sirmondo editæ, ait, hinc etiam probari, illam non esse conditam principatu Honorii, quod si illa tum facta esset publica auctoritate vel ex indubitata omnium cognitione, non ancipites & dubii man-

mansissent patres Concilii Taurinensis, quod ejusdem Imperatoris temporibus celebratum est, utri amborum Episcoporum, Arelatensi, an Viennensi, metropoliticam in rebus ecclesiasticis dignitatem attribuere deberent, nec ad hanc sententiam coarctati essent, *ut, qui ex eis approbaret suam, civitatem esse metropolim, is totius provinciæ honorem primatus obtineret.* Adversus hanc argumentationem repetam paucis verbis, quæ supra a me dicta sunt de initiis dignitatis Episcopi Arelatensis. Cum videret Arelatensis antistes civitatem suam, quæ olim citra controversiam pertinebat ad provinciam Viennensem, evasisse metropolitanam in ordine civili, incessit illum ambitio, ut aliquam prærogativam, ac si præfecturam sacerdotalis honor sequi deberet, sibi Ecclesiæque suæ conciliaret, ita, ut non solum primum ubique locum obtineret, inter Episcopos Gallicanos, sed etiam super eos efferretur, essetque Primas earum regionum, ut verbo Morini utar. Tentatum id aliquanto ante annum CCCXCIV. quo habitum est Concilium Taurinense, constat ex canone secundo ejusdem Concilii. Si tum, quum hæc scribebat Quesnellus, mentem liberam ab omni præconcepta opinione habuisset, attendissetque ad ea, quæ nos olim diximus, in explicatione verborum Concilii Taurinensis ab ipso adductorum, ad quæ remittimus lectorem, profecto abstinuisset ab argumento, quod sumpsit ex illis verbis Concilii Taurinensis.

Quesnell. pag. 468. Sidon. lib. 7. epist. 7.

XIV. Denique Quesnellus ad opinionem suam stabiliendam utitur loco quodam Sidonii valde difficili & obscuro, in quo vetus ille scriptor, ad Græcum Episcopum Massiliensem scribens, ait, *Quod utique sæpe diuque facientes, jam non primi comprovincialium cœpistis esse, sed ultimi.* Hinc concludit Quesnellus, Massiliensium civitatem, Sidonii primum ætate, inter ultimas provinciæ civitates cœpisse numerari, idque illis in pœnam obvenisse, quod scilicet privatis commodis magis consulentes quam publicis, cum Gothorum Regibus fœdus nec utile nec decorum iniissent. Certum sane est, Massiliam numerari ultimam inter civitates provinciæ Viennensis in antiquis notitiis Galliarum & inter eas penultimo loco poni Arelatem, nondum videlicet, ut apparet, divisa provincia Viennensi. Quod valde notandum est. Hinc enim certo colligitur, notitiam a Sirmondo editam, Honorii Aug. temporibus fuisse conditam, ut idem Sirmondus censet, aut forte an aliquanto ante, adeoque frustra & absque ratione Quesnellum contendere, opinionem illam Sirmondi non posse esse veram. Postea provincia divisa est auctoritate Papæ Zosimi, tum deinde sancti Leonis, & Arelatensi civitati contributa Massilia, quæ primo loco posita est inter civitates, quæ Episcopo Arelatensi adjudicatæ sunt, sic tamen, ut etiam hæc pars divisa retineret nomen provinciæ Viennensis, ut patet ex veteri notitia Galliarum, reperta in codice scripto anno XLII. regni Caroli M. quam edidit Bartholomæus Schobingerus in additionibus ad farraginem antiquitatum Joachimi Vadiani p. 124.

XV. Itaque, quod dicere videtur Sidonius, Massilienses, qui primi comprovincialium esse cœperant, factos esse ultimos, intelligi potest dupliciter, vel de statu ecclesiastico illius civitatis, vel de civili. Quippe ea civitas, quæ ultima omnium descripta erat antea inter civitates provinciæ Viennensis, prima inter eas, quæ metropoli Arelatensi subjectæ sunt, numerata est, postquam Zosimi & Leonis decreto divisa in duas fuerat provincia Viennensis. Itaque Sidonii verba non adjuvant eorum sententiam, qui putant, Massiliam usque ad annum saltem CCCCLXX. primum locum post metropolim obtinuisse inter Viennensis provinciæ civitates, quam constat in omnibus antiquis notitiis collocatam esse in ultimo loco. Et sane si ratio habita est ordinis civitatum provinciæ Viennensis secundum cursum Rhodani, ut istic factum esse liquet, necesse fuit, Massiliam ultimo loco poni inter civitates provinciæ Viennensis, utpote quæ ad mare sita, longo intervallo distat a Vienna. De Geneva mirum videri potest, eam secundo loco positam esse in notitiis, cum multum supra Viennam sit, adeoque, si cursus Rhodani ratio habenda esset, primo loco poni debuisset. Verum id datum, uti par erat, dignitati metropoleos, ut prima esset in ordine. Tum primus post eam locus datus Genevæ, quæ prima est civitatum provinciæ Viennensis a capite Rhodani.

XVI. Alio modo explicari possunt verba Sidonii, ratione habita perturbationis, quæ tum erat in republica, propter frequentes Principum mutationes & irruptiones gentium barbararum in provincias Gallicanas. Civitas Arvernorum, cujus Episcopus erat Sidonius, redacta erat ad ultimam calamitatem. Quia vero Massilia, civitas opulenta, magnæ dignationis erat ea tempestate apud summas potestates, orat Sidonius Græcum illius urbis Episcopum, ut Arvernorum miseriis & calamitatibus aliquam opem ferat, ut in eorum fortunis adhiberet misericordiam, in reipublicæ salute sapientiam, ut ait Cicero, alioqui futurum, ut Massilienses, qui primi comprovincialium censebantur ob eorum divitias & potentiam, postremi & ultimi esse inciperent propter eorum duritiem, quod ad Arvernorum calamitates obduruissent & humanitatem omnem exuisse viderentur, sic ostendentes, non tam curæ sibi esse publicis mederi periculis, quam privatis studere fortunis, ut ait Sidonius.

CAPUT XXXII.

De Concilio Arelatensi secundo, ubi simul refertur controversia, quæ mota a Leone I. fuit Hilario Episcopo Arelatensi de Primatu Galliæ.

SYNOPSIS.

I. Disputatur de tempore, quo celebratum est Concilium Arelatense secundum.

II. Generale illud fuisse, non vero provinciale, scripsit illustrissimus Archiepiscopus. Quod etiam probatur ex canone XVIII. ejusdem Concilii.

III. Possessionem suam pro convocatione Conciliorum generalium confirmari in synodo illa procuravit Hilarius Episcopus Arelatensis, exemplo ducto a synodo Nicæna, quæ Patriarcharum auctoritatem firmaverat canone. Explicatur canon ille Arelatensis.

IV. Chelidonius Episcopus Vesontionensis deponitur ab Hilario, quia internuptam duxerat, & quia capitali aliquos sententia condemnaverat. Qui judicio non adquiescens, Romam se contulit ad Leonem Papam.

V. Chelidonium secutus est Hilarius, prohibiturus, ne quid adversus decreta Concilii Gallicani tentaretur. Auctoritatem Conciliorum provincialium his verbis tuitus est, quibus iram Leonis in se accersivit.

VI. Habita Romæ synodo ob eam causam, adfuit Hilarius, contenditque, retractari non posse judicia Conciliorum provincialium, quæ concordibus Episcoporum suffragiis decreta erant. Absolutus est Chelidonius, in Romana synodo, non tamen ab Hilario susceptus.

VII. Refellitur opinio C. V. Paschasii Quesnelli de episcopatu Chelidonii.

VIII. In eodem Concilio Romano proposita est alia adversus Hilarium querela, quod Projecto Episcopo infirmo & nescienti alium superposuisset Episcopum.

IX. Arguitur deinde, quod militaris eum manus per provincias sequeretur, & quod ignotos invitis populis Episcopos daret. Fatale fuit illud ævo Leonis in Vicariis apostolicæ sedis.

X. Leo

X. Leo adverſus Hilarium decernit, uti ſuis unuſquiſque limitibus ac terminis contentus eſſet, & ne quis privilegium ſibi debitum transferre in alium præſumeret.

XI. Deinde Hilario adimit poteſtatem congregandi Concilia generalia, illum præterea privans auctoritate metropolitica in provincia Viennenſi.

XII. Tribuit Leontio Epiſcopo Forojulienſi auctoritatem convocandi Concilia generalia. Sed tamen multo ſale conſtitutionem illam condivit, ut Gallicanorum Epiſcoporum conſenſum eliceret.

I. AMplificandæ auctoritatis ſuæ ſtudioſus Hilarius Epiſcopus Arelatenſis ambitionem ſuam canone eccleſiaſtico firmari procuravit in Concilio Arelatenſi ſecundo, quod generale erat ex provinciis Gallicanis circum Arelatem poſitis. Sed ante quam de re ipſa agamus, neceſſarium videtur conſtituere tempus iſtius ſynodi, *cum exploratum hactenus*, ut Sirmondus ait, *de Concilii iſtius tempore nihil ſit*. Recte cenſuit idem vir eruditiſſimus, poſterius illud fuiſſe Arauſicano & Vaſenſi, *quorum ex canonibus Concilii hujus canones pro parte contexti ſunt*. Sed in hoc, ut mihi quidem videtur, humani aliquid paſſus eſt, quod habitum putavit ſub Ravennio Arelatenſi Epiſcopo, qui ſucceſſit Hilario. Nam cum conſtet temeritatem Hilarii, qui magnas ſynodos propria auctoritate congregabat intra Gallias, a ſancto Leone repreſſam eſſe epiſtola ſcripta anno quadringenteſimo quadrageſimo quinto, locus non eſt dubitandi, quin ſynodus illa habita fuerit ab Hilario, adverſus quem Leo incanduit ob hanc ipſam cauſam. Neque vero ego id dico, ſed illuſtriſſimus Archiepiſcopus, qui adnotat, ſynodum illam eſſe conſtituendam inter annum CDXLII. & CDXLV. quo ſcripta eſt epiſtola Leonis adverſus Hilarium.

Vide infra lib. 6. cap. 17. §. 9.

II. Conſtituto itaque tempore iſtius ſynodi, inquirendum deinde eſt, utrum fuerit generalis, an vero provincialis tantum. Illuſtriſſimus Archiepiſcopus oſtendit in libro ſexto iſtius operis, fuiſſe generalem, ob eam videlicet cauſam, quod in ea adfuerint Epiſcopi & Metropolitani diverſarum provinciarum, de quibus componendis agitur in variis canonibus illius Concilii. Cui obſervationi poteſt addi ex canone XVIII. (quem mox referemus) videri datam Leoni occaſionem invehendi in Hilarium, quem videbat efferentem ſe paulo nimis ſupra collegas ſuos, ad exarchicam auctoritatem tendere magnis paſſibus, cum palam & aperte ſe gereret, ut Primas Epiſcoporum Gallicanorum.

Vide lib. 6. cap. 17. §. 8.

III. Hilarius enim, poſtquam repetitis actibus poſſeſſionem ſuam pro congregandis Conciliis ſtabiliverat, reſpiciens fortaſſis ad canonem ſextum Nicænum, qui Patriarcharum auctoritatem conſuetudine & longo annorum uſu firmatam, æterna lege ſolidam eſſe voluit, ne quid deinceps dubietatis ex hoc capite oriri poſſet inter Epiſcopos, ad hæc, inquam, fortaſſe reſpiciens Hilarius, ſibi conſenſu decretoque Epiſcoporum confirmari in Concilio illo Arelatenſi procuravit auctoritatem, in cujus poſſeſſione erat. Decretum itaque eſt, ut, quoties Arelatenſis Epiſcopus ſynodum generalem congregaret, ad eam ſinguli Epiſcopi, ab eo evocati, tenerentur accedere, niſi infirmitate impedirentur, & ſi quis adeſſe negligeret, aut abſcederet ante finem Concilii, is alienus a communione eſſet, nec ei quiſquam communicaret, donec in ſequenti ſynodo fuiſſet abſolutus. Hæc ſunt verba ſynodi: *Ad Arelatenſis Epiſcopi arbitrium ſynodus congreganda: ad quam urbem ex omnibus mundi partibus, præcipue Gallicanis, ſub ſancti Marini tempore legibus celebratum fuiſſe Concilium atque conventum. Si quis commonitus infirmitatis cauſa defuerit, perſonam vice ſua dirigat. Si quis autem adeſſe neglexerit, aut cœtum fratrum, antequam Concilium diſſolvatur, crediderit, deſerendum, alienatum ſe a fratrum communione cognoſcat; nec eum recipi liceat, niſi in ſequenti ſynodo fuerit abſolutus.* Adnotat porro heic illuſtriſſimus Archiepiſcopus, callidum eſſe canonis iſtius conſilium; qui ita conceptus eſt, ut dicere prima fronte videatur, Concilium Arelatenſe primum fuiſſe congregatum auctoritate Marini Epiſcopi Arelatenſis, cum tamen certum ſit, convocatum fuiſſe ab Imperatore Conſtantino. Sed quærebatur ab Hilario exemplum vetus adeptæ poteſtatis, ſeu verum illud, ſeu falſum, modo veri ſpeciem haberet. Nam, ut in ætatibus auctoritatem ſenectus habet, quemadmodum obſervatum eſt a Tullio, ſic in exemplis antiquitas. Et ubi vetuſtatis auctoritas quæritur, grandioribus decet exemplis uti, quo facilius homines perſuadeantur.

Concil. 2. Arelat. can. 18. 19.

IV. Haud ita multo poſt incidit occaſio gravis, quæ ingentium motuum cauſa fuit. Nam Hilarius, poſtquam primatus ejus per Gallias ſine controverſia eſſe viſus eſt, provincias viſitans jure metropolitico, cum acceſſiſſet ad ſanctum Germanum Antiſſiodorenſem Epiſcopum, inaudiviſſentque Veſontionenſes, illum in vicinia eſſe, *flammata*, ut ait auctor vitæ Hilarii, *ad utrumque nobilium & mediocrium ſtudia convolarunt, adſtruentes, Chelidonium* (Veſontionenſis Epiſcopus is erat) *internuptam ſuo adhibuiſſe conſortio, & ſeculari adminiſtratione perfunctum, capitali aliquos condemnaſſe ſententia*. Manifeſtum erat, Chelidonium non poſſe eſſe Epiſcopum, ſi iſta vera erant. Itaque Hilarius, coacta pro munere ſuo ſynodo, cum accuſatio teſtimoniis confirmata fuiſſet, Chelidonium monuit, ut ſententiam in ſe ipſe diceret, neve expectare vellet epiſcopale judicium; nolentem vero obſequi canonum diſpoſitioni dejecit a ſede epiſcopali, ut docent ſanctus Leo & vetus auctor vitæ ſancti Romani Abbatis Jurenſis, editus in tomo tertio Februarii Bollandiani, ex qua fragmentum olim ediderat in ſua Veſontione Joannes Jacobus Chiffletius. Chelidonius vero, qui fortaſſis ſciebat, ſuſpectam Leoni eſſe effuſam illam Hilarii potentiam, Romam ſe contulit, ibique, ſe injuſto judicio dejectum eſſe, conqueſtus eſt apud ſummum Pontificem.

Vita Hilarii edita in Chronol. Sanctor. inſulæ Lerin. pag. 112.

V. Sciens iſta Hilarius Chelidonium ſecutus eſt, non ambitioſo comitatu ſeptus, nullis impedimentis, non rheda, non equo vectus: ſed ingreſſus iter pedibus, in equum omnino non aſcendit; ut vel hinc colligi poſſet, nihil intra Gallias ab eo præſumptum eſſe amore gloriæ, ſed ſtudio tantum tuendæ dignitatis Eccleſiæ Arelatenſis. Romæ poſitus, primum Apoſtolorum ac Martyrum memorias inviſit, deinde Leonem, *cum reverentia impendens obſequium, & cum humilitate depoſcens, ut Eccleſiarum ſtatum more ſolito ordinaret, adſtruens, aliquos apud Gallias publicam merito excepiſſe ſententiam & in Urbe ſacris altaribus intereſſe*. Veniſſe ſe, non tanquam accuſatorem, nec, ut cauſam diceret, ſed ut judicium ſub præſentia ſua factum familiari apud Leonem ſuggeſtione ſive ſermone doceret legitimum fuiſſe, ne qua fraus ei ſubriperet, *ſe ad officia non ad cauſam veniſſe, proteſtandi ordine, non accuſandi, quæ ſunt acta, ſuggerere*. Addidit verba, quæ haud dubie Leoni viſa ſunt plena contumaciæ, nimirum, non toleraturum ſe, ut ſententia adverſus Chelidonium lata retractaretur. Nam his verbis aperte oſtendere videbatur, non paſſurum ſe, cauſas concordibus Epiſcoporum ſuffragiis definitas in provinciis Gallicanis rurſum judicari apud apoſtolicam ſedem, & ſi Chelidonius abſolveretur a ſynodo Romana poſt dejectionem ſuam, non tamen habiturum ſe illum pro Epiſcopo, neque communionem ei ſuam imperiturum. Unde illa Leonis querela, Hilarium Eccleſiarum ſtatum & concordiam ſacerdotum novis præſumptionibus turbaviſſe, & ſic Gallicanos Epiſcopos ſuæ cupiiſſe ſubdere poteſtati, ut ſe beato Petro Apoſtolo non pateretur eſſe ſubjectum, cujus reverentiam verbis arrogantioribus minuerat. Nam hæc ſunt ipſa Leonis verba, digna profecto, quæ referantur, cum ex his colligi poſſit, quantus fuerit in hac cauſa Leonis dolor. *[illegible] hunc tramitem ſemper inter majores noſtros & bene tenium & ſalubriter conſtitutum Hilarius, Eccleſiarum ſtatum & [illegible]*

cordiam sacerdotum novis præsumptionibus turbaturus, excessit, ita suæ vos cupiens subdere potestati, ut se beato Apostolo Petro non patiatur esse subjectum, ordinationes sibi omnium per Gallias Ecclesiarum vindicans, & debitam Metropolitanis sacerdotibus in suum jus transferens dignitatem, ipsius quoque beatissimi Petri reverentiam verbis arrogantioribus minuendo.

VI. Congregata synodo ob eam causam, ad eamque vocatus Hilarius, adfuit quidem, sed ea mente, quemadmodum colligitur ex epistola Leonis, ut non fineret judicium suum retractari, multa haud dubie prolocutus de suprema auctoritate Conciliorum provincialium, quæ retractari nullo modo possent, si nihil dubietatis aut controversiæ emersisset inter Episcopos judices, adeoque Chelidonii causam, quæ concordi Gallicanorum Episcoporum decreto judicata fuerat, in Romana synodo retractari non posse. Hic est enim, ut ego arbitror, sensus verborum Leonis, dum ait, Hilarium, cum nihil rationabile haberet, quod in Concilio sacerdotum respondere posset, in ea verba erupisse, quæ nullus laicorum dicere, nullus sacerdotum posset audire. Hic est tumor mentis, quem Pontifex Hilario objicit. Absolutus itaque est in Romana synodo Chelidonius; non tamen ab Hilario susceptus, qui ejus communioni conjungi nullatenus adquievit, ut docet ejus vitæ auctor.

VII. Antequam reliqua synodi Romanæ, adversus Hilarium celebratæ, gesta persequamur, operæ pretium est, aliquantulum refricare historiam Chelidonii, propter fragmentum illud, quod supra retulimus ex vita sancti Romani Abbatis Jurensis. Mirum est, ut Quesnelli verbis utamur, quam avide, quam benevole fragmentum istud exceptum fuit ab omnibus historiæ ecclesiasticæ studiosis. Neque id hercle injuria. Sumptum est enim, uti diximus, ex vita sancti Romani Abbatis Jurensis ab auctore coætaneo scripta. Sane Quesnellus, quia quædam vocabula, parum Latina malo seculo nata, reperit in vita sancti Lupicini ab eodem auctore scripta, & quia non vult, Chelidonium fuisse Episcopum Vesontionensem, pronuntiat, hanc sancti Romani vitam vel non esse auctoris tam antiqui, vel vitiatam & interpolatam fuisse a quodam nugatore. Et tamen nemini, paulo in his nostris studiis versato, obscurum esse potest, quin hæc scriptio sit opus auctoris seculo illo scribentis, quo vivebat sanctus Eugendus Romani & Lupicini successor. Neque enim magni faciendi sunt illi nævi vocum barbararum, quos in vita Lupicini deprehendit Quesnellus, cum vel ex unico Cangii Glossario, etiamsi alia argumenta deessent, probari possit, illas esse illorum temporum. Sed his omissis, quæ futilia sunt & inania, veniamus ad rem ipsam. Contendit ergo Quesnellus, fragmentum illud esse annotationem marginalem cujusdam studiosi posteriorum temporum, quæ ex ora libri irrepsit in textum. Satis audacter, ut opinor. Scio, veterum scripta subjecta esse judicio virorum eruditorum, eisque licere expungere ex scriptis eorum opuscula, quæ certis indiciis & testimoniis constat illis perperam esse tributa. Sed istud debet fieri decocto judicio, ut verbo sancti Leonis utar, id est, posteaquam certo constitit, illa esse contraria historicæ veritati & disciplinæ ecclesiasticæ temporum, quibus illa fuisse scripta perhibentur. Sed istic tantum abest, ut veritas historiæ lædatur, ut contra ex iis, quæ in hoc fragmento scripta sunt, veritas rerum in causa Chelidonii gestarum magis confirmetur & stabiliatur, cum omnino conveniant cum epistola sancti Leonis & cum vita sancti Hilarii Episcopi Arelatensis. Conveniunt quoque cum vetustissimis cathalogis Archiepiscoporum Vesontionensium; in quibus post Chelidonium statim ponitur *Importunus pseudoepiscopus, receptus*, factus videlicet Ecclesiæ illius antistes, post depositionem Chelidonii decretam in synodo Episcoporum Galliæ, *sed turpiter ejectus*, nimirum postquam Chelidonius auctoritate sancti Leonis restitutus fuit in integrum. Nam si nihil licuit Hilario extra suam provinciam, ut contendit Quesnellus, cur ille præsedit judicio Armentarii Ebredunensis Ecclesiæ invasoris in synodo Regensi extra provinciam Arelatensem?

VIII. In eodem Concilio Romano nova adversus Hilarium proposita querela est, quod Projecto videlicet Episcopo infirmo & nescienti alium superposuisset Episcopum, invitis civibus, idque in aliena provincia. Acceperat Leo literas a Projecto, quibus dolorem suum testabatur, itemque epistolam civium ipsius Projecti & numerosa singulorum subscriptione firmatam, invidiosissimis contra Hilarium querimoniis plenam, *quod Projecto Episcopo suo ægrotare liberum non fuisset, ejusque sacerdotium in alium, præter suam notitiam, esse translatum, & tanquam in vacuam possessionem ab Hilario pervasore heredem viventis inductum.*

IX. Tertia adversus Hilarium proposita querela est, quod videlicet militaris eum manus per provincias sequeretur, illum vero armati præsidii præsumptione suffultum invadere per tumultum Ecclesias, quæ proprios amiserint sacerdotes, ac si officii publici ministerio ignotos invitis populis Episcopos dari. Testatur istud Leo in eadem epistola, & legitur etiam in Novella constitutione Valentiniani III. lata pro confirmando isto Leonis adversus Hilarium judicio. Sic enim loquitur Valentinianus: *Hilarius enim, qui episcopus Arelatensis vocatur, Ecclesiæ Romanæ urbis inconsulto Pontifice indebitas sibi ordinationes Episcoporum sola temeritate usurpans invasit. Nam alios incompetenter removit, indecenter alios invitis & repugnantibus civibus ordinavit. Qui quidem, quoniam non facile ab his, qui non elegerant, recipiebantur, manum sibi contrahebant armatam, & claustra murorum in hostilem morem vel obsidione cingebat, vel aggressione reserabat, & ad sedem quietis pacem prædicaturus per bella ducebat.* Novella Valentiniani extat tom. 1. Concilior. Gall. p. 85. Fatale fuit illud ævo Leonis in Vicariis apostolicæ sedis, ut publicorum officiorum ministerio uterentur ad asserendam auctoritatem suam. Nam supra vidimus, eadem tempestate, qua hæc Hilario objiciebantur, Anastasium Thessalonicensem sibi exhiberi per publicam potestatem fecisse Atticum veteris Epiri Metropolitanum, eo quod Thessalonicam secundum morem non accessisset in initiis suæ ordinationis. Quamquam puto Leonem, qui exacerbato adversus Hilarium animo erat, magnificis ista verbis elocutum esse, ut invidiam ei pararet apud Episcopos Gallicanos, ratus, ea ratione imminutum iri nimiam istius potentiam, quæ Romano nomini insultabat. Durum enim Leoni erat, ista tentari ab homine, qui auctoritatis suæ initia Romanæ sedi deberet, quæ causarum cognitionem intra Gallias commiserat Episcopo Arelatensis Ecclesiæ, unde illi initium magnitudinis & invadendi in auctoritatem exarchicam argumentum in speciem probabile. Nam ista omnia usurpata ab Hilario esse censet illustrissimus Archiepiscopus in consequentiam vicariæ potestatis, quam Zosimus delegaverat Arelatensibus Episcopis, vi cujus illis auctoritas quædam cogendarum in Galliis synodorum competere videbatur. Marca in lib. de Primatib. §. 77.

X. Gallicanarum Ecclesiarum administrationem revocare in ordinem cupiens summus Pontifex, simul castigaturus Hilarium, decrevit, uti suis unusquisque limitibus ac terminis contentus esset, & ne quis privilegium sibi debitum transferre in alium præsumeret. Quod decretum est adversus Metropolitanos, qui non inviti consenserant, jura ordinationum per provincias Gallicanas in Episcopum Arelatensem esse translata. Quapropter ne deinceps Metropolitani hunc honorem Hilario haberent, gravem refractariis pœnam intentat his verbis: *Quod si quis negligens apostolicas sanctiones, plus gratiæ tribuens personali, sui honoris desertor esse voluerit, privilegium suum in alium transferre se posse credens, non is, cui cesserit, sed is, qui intra provinciam anti-*

antiquitate episcopali ceteros prævenit, sacerdotes ordinandi sibi vindicet potestatem. Hæc ita prudentissime sanciebat Leo, ut metum incuteret ei, qui Metropolitanum Arelatensem agere consentiret ordinationes in sua provincia, cum decerneret, ut is inhonoratus & inglorius esset inter suos comprovinciales, & se ipso factus videretur inferior, cum videret, consecrationum jus sibi debitum ad Episcopum minoris civitatis esse translatum. Nihil enim facilius aut potentius cohibet homines, quam metus ignominiæ aut dedecoris.

XI. Attamen non putavit, satis hoc remedio provisum adversus potentiam Hilarii. Nam postquam eum redarguerat, quod in aliena provincia ordinationes celebrare præsumeret, id usurpans, quod nullus decessorum ejus ante Patroclum habuit, *cum & ipsum, quod Patroclo a sede apostolica temporaliter videbatur esse concessum, postmodum sit sententia meliore sublatum*, transit ad summam rerum, ad celebrationem nimirum Conciliorum generalium Galliæ, quorum congregandorum potestatem adimit Hilario, illum præterea privans auctoritate metropolitica in provincia Viennensi, tantum illi servato civitatis suæ sacerdotio. Hæc sunt verba legis: *Suis unaquæque provincia sit contenta Conciliis, nec ultra Hilarius audeat conventus indicere synodales, & sacerdotum Domini judicia se interserendo turbare: qui non tantum noverit, se ab alieno jure depulsum, sed etiam Viennensis provinciæ, quam male usurpaverat, potestate privatum*.

XII. Quia vero videbat, suetos magnis Conciliis Gallicanos Episcopos facile conventuros ad evocationem Hilarii, si nulla alia auctoritas esset intra Gallias, quæ synodos hujuscemodi congregare posset, partem hanc potestatis Hilarii transfert in Leontium Episcopum Forojuliensem, qui vetustate ordinationis reliquis partium istarum Episcopis anteibat. Ista tamen minime sui securus constituit, metuens, ne Episcopi illi nollent excutere imperium Hilarii, ut Leontii jussa spectarent. Itaque ei potestatem faciens congregandi Concilia ex diversis provinciis, primo non hoc illi tribuit, ut istiusmodi Concilia congregare possit pro suæ voluntatis arbitrio, sed cum Episcopi ita putaverint esse faciendum. Deinde non jubet pro imperio, uti Concilia celebrari non possint præter consensum Leontii; sed Episcopos orat, uti hunc ei honorem habere velint. Unde colligi potest, indiguisse Leonem consensu Episcoporum, ut ratus esset honor, quem ipse tribuebat Leontio. *Et quoniam*, inquit, *honoranda est semper antiquitas, fratrem & coepiscopum nostrum Leontium probabilem sacerdotem hac, si vobis placet, dignitate volumus decorari, ut præter ejus consensum alterius provinciæ non indicatur a vestra sanctitate Concilium, & a vobis omnibus, quemadmodum vetustas ejus & probitas exigit, honoretur, Metropolitanis privilegii sui dignitate servata. Æquum est enim, nec ulli de fratribus fieri videtur injuria, si his, qui sacerdotii vetustate præcedunt, pro ætatis suæ merito in suis provinciis a sacerdotibus ceteris deferatur*.

CAPUT XXXIII.

Ostenditur, quod non obstante conatu Leonis, Ravennius, Hilarii successor dignitatem & primatum ecclesiæ Arelatensis conservaverit.

SYNOPSIS.

I. Nunc investigandum est, utrum Leonis conatus adversus Hilarium illi cesserit feliciter. Episcopi Gallicani putabant, Leonem totam hanc camarinam movere, ut ordinationes Episcoporum Galliæ in se traheret. Quod nostri omnino nolebant.

II. Probabile est, tentamenta Leonis non obfuisse dignitati Episcoporm Arelatensium. Nam deinceps Episcopi vicinarum provinciarum Arelatem convenerunt in variis occasionibus. Et Ravennius, Hilarii successor, principem ubique locum tenuit inter Episcopos Gallicanos.

III. Concilium Arelate celebratur in causa insulæ Lirinensis, cui ad evocationem Ravennii interfuerunt Episcopi ex diversis provinciis.

IV. Varie scripsit Ravennius ad Episcopos, aliter ad eos scribens, qui monachi non fuerant, aliter ad eos, qui ex Lirinensi insula assumpti erant. Præcipue vero adesse optavit Rusticum, Episcopum Narbonensem.

V. Initur narratio de vita & rebus gestis Rustici, ut etiam captata occasione illustretur memoria magni viri. Monachus fuit in monasterio Lirinensi, tum Presbyter Ecclesiæ Massiliensis, demum Episcopus Narbonensis. Ad eum sanctus Leo scripsit epistolam decretalem.

VI. Deteguntur initia episcopatus ejus auctoritate inscriptionis Narbonensis, quæ explicatur.

VII. Ecclesiam Narbonensem rursum ædificavit, cum suis, tum piorum virorum sumptibus. Limen novæ illius Ecclesiæ conlocatum est anno 448.

VIII. Rusticus factus est Episcopus Narbonensis anno 430. die nona Octobris.

IX. Misera scriptoris annalium Massiliensium conjectura, qui ex hac inscriptione collegit, Rusticum fuisse Episcopum Massiliensem.

I. SUperiori capite epistolam a Leone adversus Hilarium scriptam per partes explicuimus; in qua agnoscere potuit eruditus lector, paulo commotiorem adversus Hilarium fuisse Leonem, & nihil intentatum reliquisse, quo posset illum a summæ dignitatis loco deturbare. Videamus nunc, an hic conatus illi cesserit feliciter; si prius unum adhuc ejusdem epistolæ membrum, quod de industria reservavimus huic capiti retulerimus, ex quo patebit, Gallicanorum Episcoporum animos non adeo abalienatos ab Hilario fuisse, quam summus Pontifex optabat. Intelligere enim possumus ex hoc loco, persuasos fuisse Episcopos, Leonem in se trahere voluisse ordinationes Episcoporum per Gallias, & ob hoc ipsum totam eam camarinam movere, ut, postquam jura ordinationum Hilario adempta fuissent, ad augendam Romani Pontificis auctoritatem accederent. Quod omnino nolebant Episcopi Gallicani, qui malebant, id jus ad Arelatensem Episcopum pertinere, unum videlicet ex coepiscopis suis, quam ad Romanum. Videns ista Leo, persuasionem illam ex animis Gallicanorum Episcoporum delendam esse putavit. Itaque sic ad eos scripsit: *Non enim nobis ordinationes vestrarum provinciarum defendimus, quod potest forsitan ad depravandos vestræ sanctitatis animos Hilarius pro suo more mentiri; sed vobis per nostram sollicitudinem vindicamus, ne quid ulterius liceat novitati, nec præsumptori locus ultra jam pateat privilegia vestra cassandi. Nostræ enim gratulationi hoc solum crescere profitemur, si & apostolicæ sedis diligentia apud vos illibata servetur, & per sacerdotalis disciplinæ concordiam honori vestro perire, quod suum est, improbis usurpationibus non sinamus*.

II. Verum, ut libere eloquar quod sentio, non puto, Leonem ista pervicisse adversus Episcopum Arelatensem, quamvis decreta sua firmari procurasset auctoritate Imperatoris Valentiniani. Manebat adhuc, ut mihi videtur, in Gallorum pectoribus inclinatio in Ecclesiam Arelatensem & metus Romanæ potestatis, tametsi Leo religiosissimis verbis eam suspicionem ex animis eorum eximere tentasset. Non invenio sane, quicquam ab Hilario tentatum aut factum post ea tempora. Sed hinc colligo salvam Ecclesiæ ejus fuisse suam auctoritatem, quod eo mortuo, Episcopi, non solum provinciæ Viennensis, sed etiam vicinarum, ad ordinationem Ravennii convenerunt, quem haud dubie spectabant velut Metropolitanum Galliarum.

liarum. Alioquin enim non convenissent. Deinde video, ad evocationem Ravennii convenisse Episcopos diversarum provinciarum; tametsi Leo, insuperhabita postulatione Gallicanorum Episcoporum, neque Ravennio, viro sibi acceptissimo, confirmare voluerit jura ordinationum per provincias Gallicanas, neque ei committere vices apostolicæ sedis, quas ratione Ecclesiæ suæ gesserant prædecessores ejus, ut docent iidem Episcopi in epistola ad Leonem. Nam in Concilio Arelatensi, habito in causa insulæ Lirinensis anno CDLV. interfuerunt sub Ravennio XII. Episcopi diversarum provinciarum. Non loquor de epistola synodica Episcoporum Galliæ ad Leonem, cui cum Ravennio subscripserunt XLIII. Episcopi. Nam reponi potest, congregatos eos fuisse auctoritate Leonis, qui eam curam Ravennio injunxerat, ut epistola ejus ad Flavianum CP. universis fratribus innotesceret per sollicitudinem Ravennii. Denique principem locum inter Episcopos Gallicanos obtinuisse Ravennium, hinc colligi posse mihi videtur, quod & in epistola illa synodica & in responsione Leonis, tum etiam in actis Concilii apud Arelatem habiti, in causa insulæ Lirinensis, Ravennius primo ubique loco nominatur ante Rusticum Narbonensem & Ingenuum Ebredunensem, tametsi isti ordinatione multo antiquiores essent. Unde patet, ut hoc quoque dicamus, corrigendam esse inscriptionem alterius epistolæ ejusdem Leonis ad Ravennium, Rusticum & Venerium, quæ perturbato ordine hodie legitur, cum Rusticus ante Ravennium nominetur hoc modo: *Dilectissimis fratribus Rustico, Ravennio, Venerio, & ceteris Episcopis per Gallias constitutis.* Nisi si Leo ita egit de industria, ut ostenderet, nihil privilegii super ceteros Episcopos habere Ravennium.

T. 1. Concilior. Gall. p. 98.

III. Prætermissis ceteris probationibus, in solo Concilio Arelatensi explicando immorabimur; ex quo constare poterit, non dubitasse Ravennium, quin Episcopos Arelatem ad Concilium evocare posset, tametsi de causa ageretur monasterii extra provinciam Viennensem positi. Exorta enim erat gravis & ingens controversia inter Theodorum Episcopum Forojuliensem in secunda Narbonensi, & Faustum Abbatem Lirinensem de monachis laicis, deberetne eorum curam gerere Episcopus, an vero ad Abbatem solum ea cura pertineret absque ulla interventione auctoritatis Episcopi, & an liceret Episcopo quosdam ex eis promovere ad clericatum invito Abbate. Repugnabat haud dubie Faustus, quem propterea Theodorus ex insula abduci & sibi exhiberi jussit. Erat maxima per regiones illas monasterii Lirinensis & Abbatis fama. Itaque controversia illa provinciales varia in studia diduxit, & grande, ut cum Ravennio loquamur, scandalum genuit, quod atrocitate sui multos involvit. Quid heic fecit Ravennius Arelatensis? Pro jure loci sui & secundum receptam consuetudinem epistolam generalem scripsit ad Episcopos provinciarum finitimarum, uti ad hoc remediandum scandalum Arelatem accederent ante diem III. Kalendas Januarias, qui dies audientiæ constitutus erat. Convenerunt ergo duodecim Episcopi, & inter hos, Rusticus Narbonensis & Ingenuus Ebredunensis Alpium maritimarum Metropolitanus. Hujus auctoritate Concilii sopitum est illud dissidium; ut patet ex actis synodi, quæ a Sirmondo & Dacherio edita sunt.

Concilium Arelat. III. T. 1. Concil. Gall. p. 120. & tom. VI. Spicilegii Dacheriani p. 13.

IV. Ravennius porro, cum epistolam generalem ad Episcopos scriberet, in fine exemplaris, quod ad Episcopos, qui ex insula Lirinensi assumpti erant (*ex* enim legendum puto pro *in*) misit, hæc addidit: *Beatitudinem vero vestram præcipue adesse convenit, quos insula ipsa velut sinu quodam genitricis fovens ad eam gratiam, quæ nunc in vobis est, Domino instigante produxit.* In exemplari vero, quod ad Rusticum Narbonensem missum est, præter communem Episcopis, ex Lirinensi monasterio assumptis, admonitionem, istam peculiarem pro Rustico addidit Ravennius: *Ac præcipue beatitudo vestra ut adsit, primum deprecamur, quia gravior infirmitas necessario medicos peritissimos inquirit.* Erat enim Rusticus vir doctissimus, ac negotiorum haud dubie monasticorum peritissimus. Monachus quippe fuerat in primo adolescentiæ flore, ut docet Hieronymus in epistola ad eum in initiis susceptæ ab eo vitæ monasticæ scripta circa tempora Innocentii Papæ primi. *Hæc dicimus, ut primate, fili Rustice, fronte doceamus magna cœpisse, excelsa sectari, & adolescentiæ, immo pubertatis incentiva, calcantem, perfectæ quidem ætatis gradum scandere, sed lubricum iter esse, per quod ingrederis.* Cogitasse autem fortassis jam tum Rusticum de clericatu, colligi videtur ex eadem Hieronymi epistola, in qua sic legitur: *Hæc dico, ut etiamsi clericatus te titillat desiderium, discas, quod possis docere, & rationabilem hostiam offeras Christo, ne miles ante, quam tyro, ne prius magister sis, quam discipulus.* Et infra: *Ita ergo age & vive in monasterio, ut clericus esse merearis.* Et mox: *Cum ad perfectam ætatem veneris, si tamen vita comes fuerit, & te vel populus vel Pontifex civitatis in clerum allegerit, agito, quæ clerici sunt.*

V. Occasio postulat, ut quoniam initia Rustici attigimus, etiam ceteras vitæ ejus partes aggrediamur, utpote magni viri, & qui, nisi primas, saltem secundas partes obtinebat inter Episcopos Gallicanos. Jam docuimus, Hieronymi testimonio eum fuisse monachum. Olim autem, cum videremus, eum in monasterio socium fuisse Venerii, qui dein fuit Episcopus Massiliensis, existimabamus, monachum fuisse in monasterio Massiliensi. Sed nunc omnino persuasum habeo, Lirinensis insulæ secretis semet abdidisse. E monasterio deinde ad Ecclesiam evocatus, haud dubie a Venerio Massiliensi Episcopo, Ecclesiæ Massiliensis Presbyter factus est. Deinde ex secundis subselliis episcopalem sedem conscendit anno CDXXX. ut mox ostendam. Post aliquam multos ab ordinatione sua annos cogitavit de restauranda Ecclesia Narbonensi, quæ vi ignis consumpta fuerat, quod peractum fuit anno XIX. episcopatus ejus. Quo fortassis exemplo Gregorius Turonorum Episcopus civitatis suæ Ecclesiam *ab incendio dissolutam diruptamque, reædificatam in altiori ampliorique fastigio, septimodecimo ordinationis suæ anno dedicavit*, ut ipsemet testatur in lib. X. hist. Francor. cap. XXXI. Anno CDLII. Leo Papa ad Rusticum scripsit celebrem illam epistolam, quæ in omnium manibus versatur, missam per Hermetem Archidiaconum, cujus mentio extat in sequenti inscriptione, quique dein Narbonensis Episcopus fuit post Rusticum.

VI. Superest, ut fidem nostram liberemus, & ut ostendamus, initia sedis Rustici incidere in annum quadringentesimum trigesimum. Hujus rei illustre testimonium extat in veteri inscriptione Narbonensi, quam, licet ab aliis edita jam fuisset, nos tamen ex ipso lapide antiquo dedimus emendatiorem in Notis ad Salvianum, & nunc heic rursum edendam esse censuimus. Res enim tanti momenti est, ut vel alieno loco illustrari debeat; cum ejus ope, quod est rarissimum in ea antiquitate, nullo negotio demonstretur, non solum annus, sed etiam dies, quo Rusticus ordinatus est Episcopus Narbonensis. Eam itaque inscriptionem heic tibi proponimus, lector; nostramque interpretationem ea de causa addimus, quod nondum a quoquam intellecta sit hæc inscriptio.

Expli-

✠ DO. ET XPO. MISERANTE. LIM. HOC. C. L. K. T. E. ANNO IIII. CS. VALENTINIANO AVG. VI. IIIKL. D. XVIIII. ANNO. EPTVS. RVSTI......

RVSTICVS. EPS. EPI. BONOSI FILIVS
EPI. ARATORIS. DE. SORORE NEPVS
EPI. VENERI SOCI. IN MONASTERIO
CONPRB. ECCLE. MASSILIENS.
ANNO XV. EPTVS. SVI. D. ANN. V. III. ID. OCTOB.
C. VRSoPRBo. HERMETE. DIACO. ET EOR. SEQ. TIB.

COEP. DEPON. PARIET. ECCL. DVD. EXVSTAE
XXXVII. D. QVAD. INFVNDAM. PONI. COEPI.
✠ ANNO II. VII. ID. OCTB. ABSID. P. F. MoNTANVS. SVBD.
MARCELLVS. GALL. PREF. DI. CVLTOR. PRECE.
EXEGIT. EPM. HOC ONS. SVSCIP. INPENDIA.
NECESSAR. REPROMITTENS. QVAEPER

BIENN. ADMINIST. EPI. VENERI. SOL. C...
SVAE PREBV. ARTIFI. B. EPI. DYNAMI. L...
MERCED. SOL. D. C. ORESI. CC....
ADOPER. ECETER. SOL. I. D. AGROECI I......
ET DECONIAE.....
HINC OBLAT. SCI. SALVTI.......

Explicatio inscriptionis.

Deo & Christo miserante, limen hoc conlocatum est anno quarto Consule Valentiniano Augusto sextum, III. Kal. Decembris, XVIIII. anno episcopatus Rustici.

Rusticus Episcopus, Episcopi Bonosi filius, Episcopi Aratoris de sorore nepus, Episcopi Veneri socius in monasterio, Compresbyter Ecclesiæ Massiliensis, anno XV. episcopatus sui, die anni quinta, III. Idus Octobris, cum Urso Presbytero, Hermete Diacono, & eorum sequentibus, cœpit deponere parietem Ecclesiæ dudum exustæ. Trigesima septima die quad. in fundamento poni cœpit. Anno secundo, VII. Idus Octobris, absidem poni fecit Montanus Subdiaconus. Marcellus Galliarum Præfectus, Dei cultor, prece exegit Episcopum hoc onus suscipere, impendia necessaria repromittens, quæ per biennium administrationis suæ præbuit artificibus, mercedem solidorum sexcentorum, ad operas & cetera solidos mille quingentos.

Hinc oblationes sancti Episcopi Veneri solidos C . . . . Episcopi Dynami L. . . . . Oresi CC . . . . . . Agrœci mille . . . . & Deconiæ . . . . saluti . . . .

VII. Ex hac explicatione patet, hoc Narbonensis Ecclesiæ, recenter a Rustico constructæ, limen conlocatum esse anno quarto Consule Valentiniano Augusto sextum, ut in fronte inscriptionis legitur, hoc est, anno quadringentesimo quadragesimo octavo. Anno quippe CDXLV. Valentinianus III. iniit sextum consulatum. Itaque annus ille fuit primus sexti consulatus Valentiniani. Annos namque ab ultimo consulatu primum, secundum, tertium &c. numerabant, quousque rursum capesserent consulatum, ut patet ex antiquis inscriptionibus. Cum ergo inter sextum consulatum Valentiniani, qui in annum CDXLV. incidit, usque ad septimum ejusdem consulatum, quem an. CDL. notatum reperimus, intercidant quinque anni integri, annusque CDXLVIII. quartum omnino locum inter illos obtineat, necessario cogimur existimare limen hoc conlocatum fuisse anno eodem quadringentesimo quadragesimo octavo.

VIII. Calculus ille chronologicus in primis necessarius erat, ut deinde facilius invenire possemus annum & diem, quo Rusticus factus est Episcopus Narbonensis. Nam si anno quarto sexti consulatus Valentiniani agebatur annus decimus nonus episcopatus Rustici, consequens est, ut affirmemus initia sedis ejus incidere in annum CDXXX. a quo usque ad annum CDXLVIII. numerantur omnino anni decem & novem. Atque id quidem satis manifestum est. Diem vero ordinationis ejus, in quo tota difficultas versatur, eruimus e difficiliori loco totius inscriptionis, nimirum e litera illa singulari D. in linea quinta primæ columnæ, ubi sic scriptum est. ANNO XV. EPTVS SVI D. ANN. VIIII. ID. OCTOB. Linea illa multorum ingenia torsit divinare conantium. Tandem nos ejus sensum affecuti sumus ex inscriptione ejusdem ævi, quæ Narbone legitur in prægrandi fragmento columnæ rotundæ in Ecclesia sanctæ Mariæ majoris, sub altari sancti Petri, in qua sic scriptum est:

ANNO XVII. EPISCPT. RVSTICI
ANNI DIE CC LXVI. KL. IVLII.

Si parva hæc inscriptio componatur cum superiore, nullo negotio divinabimus, quid per literam illam singularem D. & sequentes literas intellexerit sculptor. Etenim si Kalendis Juliis agebatur dies ducentesimus sexagesimus sextus anni decimi septimi episcopatus Rustici, dubitari non potest, quin dies ordinationis ejus incidat in diem VII. Idus Octobris; a qua die usque ad Kalendas Julias, ipsis Kalendis annumeratis, inveniuntur omnino CCLXVI. dies integri. Idem sensus est superioris inscriptionis, cujus quintam lineam sic reddidimus: *Anno XV.*

episcopatus sui, die anni quinta, tertio Idus Octobris. Dies enim quinta decimi quinti anni episcopatus Rustici, si initium ipsius ponatur die nona Octobris, incidit omnino in diem tertiam ante Idus Octobris.

Sed adversus ea, quæ a me scripta sunt de initiis episcopatus Rustici, multum se torquet Quesnellus, ut ea destruat & evertat, studio sane investigandæ veritatis, sed parum felici eventu. Ego enim me puto clarissime ostendisse in Notis ad Capitularia Regum Francorum pag. 1252. totam commentationem ejus inniti falsis argumentis, adeoque nostram sententiam nihilo minus esse veram. Illuc ergo remittimus lectorem.

IX. Admiror vero scriptorem Annalium Massiliensium: qui, cum Rusticum hunc Episcopum Massiliensem fuisse sibi persuasisset, atque adeo diversum eum esse a Narbonensi, id demum probare se putavit auctoritate hujus nostræ inscriptionis. Ceterum ex iis, quæ dicta huc usque de illo sunt facile colligi potest, errare eos, qui scribunt illum ad cathedram Narbonensem evectum esse anno quadringentesimo vigesimo.

CAPUT XXXIV.

De Leontii, Episcopi Arelatensis primatu, & renovato vicariatu sedis apostolicæ.

SYNOPSIS.

I. Hilarus Papa, qui Leoni successit, literas de ordinatione sua misit ad Leontium Episcopum Arelatensem, in quibus agnoscebat auctoritatem primi Metropolitani Galliarum in Leontio. Eodem tempore Leontius Hilarum putavit instruendum ac monendum, uti custodiret canones. Quod ille pollicitus est.

II. Aliis literis Leontius Hilaro gratulatus est pontificatum, simulque postulavit confirmationem privilegiorum Ecclesiæ Arelatensis. Ex verbis ejus colligitur, privilegia, quæ tribuebantur Episcopo, intelligi debere data esse Ecclesiæ.

III. Primi Galliarum Metropolitani dignitatem in Leontio agnovit idem Hilarus in causa Hermetis Episcopi Biterrensis, qui transierat ad Narbonensem. Monarchiæ nomen in rebus ecclesiasticis non est semper invidiosum.

IV. Hermes fuerat Archidiaconus Rustici Episcopi Narbonensis, tum Presbyter & ab eo ordinatus Episcopus Biterrensis. Non susceptus vero a Biterrensibus, ad Narbonensem Ecclesiam tum Rustici morte vacuam transiit. Hanc translationem aliqui turbare conantur, missa legatione ad Hilarum Papam. Is vero Leontium redarguit, quod eam translationem non impedivisset. Tum Hermeti adimit jus ordinandorum Episcoporum primæ Narbonensis.

V. Intra quatuor & quadraginta annos varie se gesserunt Romani Pontifices in eadem facti specie. Quod ostenditur per comparationem causæ Hermetis cum causa Perigenis Episcopi Corinthiensis.

VI. Quandonam vetitæ translationes, quandonam vero permissæ. Hilarus Hermetem non removet ab Ecclesia Narbonensi, sed adimit illi potestatem ordinandi Episcopos suæ provinciæ. Continuatur comparatio inter Hermetem & Perigenem.

VII. Hilarus Leontio facultatem tribuit congregandi Concilia generalia, prudentissimo consilio, quod id mallet videri usurpatum per delegationem sedis apostolicæ, quam propria auctoritate Leontii.

VIII. His synodis Hilarus reliquit integrum causarum judicium, sic tamen, ut majores causæ ad apostolicam sedem referendæ essent. Quod statutum est ad exemplum auctoritatis Episcopi Thessalonicensis.

IX. De formatis literis Episcopo peregre profecturo tribuendis a Metropolitano. Et si iste dare noluerit, liceat Episcopo illi causam suam deferre ad examen Episcopi Arelatensis.

X. Occasione temeritatis Mamerti Viennensis Episcopi, qui Diensibus invitis Episcopum ordinaverat in contemptum Leontii, jubet Hilarus, ut singulis annis Concilium generale celebretur, & in proximo causa ista discutiatur. Quod factum est. Referuntur provinciæ, quæ conveniebant ad synodos Episcopi Arelatensis.

XI. Refertur controversia de Ecclesiis civitatis Cemelenensis & Castri Nicaensis. Explicatur locus Hilari, qui ait Ingenuum Episcopum Ebredunensem Metropolitani semper honore subnixum fuisse. Unde collegerunt viri docti, non jure egisse Hilarium Arelatensem, qui Armentarium e cathedra Ebredunensi deturbavit ea etiam de causa, quod absque auctoritate ejus se ordinare consenserat.

XII. Quæritur, an synodus Arelatensis adversus Lucidum fuerit generalis. Probabile est, Lugdunensem quoque, quæ propter eandem causam habita est, fuisse generalem, adeoque a Leontio convocatam fuisse.

I. LEone Romano Pontifice fatis concedente anno CCCCLXI. Hilarus in summi sacerdotii apice constitutus est. Eadem omnino tempestate Ravennius Arelatensem sedem vacuam fecerat, & in ejus locum substitutus fuerat Leontius. Hilari itaque Romani Pontificis & Leontii Arelatensis gestis caput istud destinatur, cum post varios tumultus, qui Leonem inter & Hilarium exarserant usque ad contumelias & jurgia cœpisset Arelatensis Ecclesia bene sperare pro integra privilegiorum suorum restitutione, quæ pessumdata fuerant aliquatenus per auctoritatem Leonis. Ad Hilarum enim cum sede non transierunt decessoris iræ animique. Contra, statim atque locatus est in sede Petri, literas de ordinatione sua secundum morem scripsit ad Leontium, & quidem iis verbis usus, quæ probant, illum agnovisse in Leontio auctoritatem primi Galliarum Metropolitani. Nam ei committit curam significandi ordinationem suam omnibus per universam Galliam Episcopis. Interim Leontius Pappolum misit ad Hilarum, primum gratulaturus ei, ut puto, tantam dignitatem, deinde conquesturus, quod prætermissa consuetudine ad ipsum non scripsisset de sua ordinatione, postremo, ut ipsum admoneret custodire paternorum canonum regulas, ut una esset *in omnibus*, id est, ubique, observantia ecclesiasticæ disciplinæ. Addidit autem Leontius, missurum se ad Hilarum personam, quæ de omnibus ipsum instrueret. Ista non per superbiam accepit Hilarus, neque, ut is, qui putaret, Leontium excedere limites reverentiæ; sed scripta ad eum dignissima successore piscatoris epistola, primum quidem deprecatus est, ne sibi imputaret contemptum consuetudinis, non id aliqua culpa sua factum esse, sed nuntii tarditate, defunctum enim se jampridem officio illo fuisse. Spopondit deinde, servaturum se canones, & auxiliante gratia Dei provisurum universali concordiæ sacerdotum Domini. Insigne visum est earum literarum initium referre, ex quo intelligemus, summum hunc Pontificem peculiari amore prosecutum esse Gallicanas Ecclesias, omnesque in eis Domini sacerdotes, ante adeptum pontificatum. Sic ergo loquitur ille in veteri codice MS. bibliothecæ regiæ, melius profecto quam in vulgatis editionibus. *Dilectioni meæ, qua circa Ecclesias Gallicanas omnesque in eis Domni sacerdotes etiam in inferiori gradu positus abundavi, multum accedit augmenti, quod per virum spectabilem Pappolum filium nostrum sermonis tui ad me sunt delata principia.*

II. At non unam de eo argumento epistolam ad Hilarum scripsit Leontius. Nam præter eam, cui hoc loco respondet summus Pontifex, alia quoque Leontii gratulatoria ad ipsum data, non ita pridem edita est a clarissimo & optimo viro Domno Luca Dacherio monacho Benedictino. Post maximam vero gratulationem & hortationem, ut ea perduceret ad felicem exitum, quæ a Leone bene cœpta erant adversus hæreticos, demum ista Tom. V. Spicilegii p. 578.

sub-

subjungit de confirmatione privilegiorum Ecclesiæ Arelatensis: *Ceterum cum Ecclesia nostra Arelatensis semper ab apostolica sede amplis favoribus & privilegiis fuerit decorata, rogamus sanctitatem tuam, ut per eam nihil nobis decedat, sed potius augeatur; ut & collaborare tecum in vinea Domini Dei Sabaoth valeamus & invidorum conatus infringere; quos, si non esset auctoritas reprimens, certum est de die in diem grassaturos in pejus, quia malitia* [*eorum*] *qui nos oderunt, ascendit semper*. Ex hoc loco discimus, ea persuasione imbutum fuisse seculum illud; ut putaret, Ecclesiæ dari privilegium, quod Episcopo tribuebatur, tametsi verba privilegii de solo Episcopo loqui viderentur. Istud jam multis argumentis pro Thessalonicensi Ecclesia probavimus in capite XXII. istius libri. Ad Arelatensem quod attinet, præterquam, quod verba Leontii satis clara sunt, ex libello etiam precum Symmacho Papæ oblato a Cæsario Arelatensi & ex epistola XI. Symmachi ad ipsum data colligimus, privilegia Episcopis Arelatensibus concessa a Romanis Pontificibus Ecclesiæ data intelligi, ut dicemus infra. Redeamus nunc ad Hilarum.

III. Aliis ille literis manifeste agnovit in Leontio dignitatem & auctoritatem primi Galliarum Metropolitani, in causa nimirum Hermetis Episcopi Biterrensis, qui ad Ecclesiam Narbonensem transierat post obitum Rustici, non repugnante, ut video, Leontio. De quo negotio ante quam plura dicam, necessarium mihi videtur referre locum ex hac tertia Hilari ad Leontium epistola; ex qua colligere possumus, cum in ea tantum agatur de invasione Ecclesiæ Narbonensis, non dubitasse summum Pontificem, quin prima provincia Narbonensis ad curam pertineret Arelatensis antistitis. Nam hæc sunt omnino verba ejus: *Miramur, fraternitatem tuam ita legis catholicæ immemorem esse, ut quæ iniqua & contra patrum nostrorum statuta in provincia, quæ ad monarchiam tuam pertinet, si ipse aut non vis, aut non potes, etiam nec nos silentii tui taciturnitate permittas corrigere*. Ex quo interim loco discimus, invidiosum non esse nomen monarchiæ in vita sancti Romani Abbatis Jurensis, cujus hæc sunt verba: *Siquidem antedictus Hilarius venerabilem Celidonium supradictæ metropolis Patriarcham patritio præfectorioque fultus favore, indebitam sibi per Gallias vindicans monarchiam, a sede episcopali nulla existente ratione dejecerat*. Nam & posterioribus temporibus monarchiæ vocabulum usurpabant, cum significare volebant singularem unius Episcopi diœcesim.

IV. Hunc ego Hermetem, cujus causa heic agitur, Rustici Episcopi Narbonensis Archidiaconum ac Presbyterum, uti vocatur in veteri inscriptione Narbonensi nondum edita, fuisse puto, & ab eo Biterrensibus ordinatum Episcopum. Haud ita multo post Rusticus obierat. Hermes vero, qui se a Biterrensibus exclusum ac susceptum non fuisse querebatur, ad Narbonensem Ecclesiam transiit, consensu, ut ego existimo, cleri ac populi, Episcoporum comprovincialium, & ipsius Leontii Arelatensis; eaque translatio sine controversia tenebat. Sed quia nihil adeo concordibus animis agi inter homines potest, quod non aliquos habeat contradicentes, Frithericus quidam vir magnificus, at laicus, misso Romam Joanne Diacono, Hermetis ordinationem in Narbonensi Ecclesia turbare studuit, ea videlicet de causa, quod contra canones ab Ecclesia sua transisset ad majorem. Faustus vero & Auxanius Episcopi Gallicani Romam eadem de causa profecti sunt ad accusandum Hermetem. His auditis Hilarus, lætus fortassis, quod occasionem haberet reddendi Leontio suo verba, eum ob istam causam redarguit, jubetque, ut relationem de ea re ad se mittat, sua ac ceterorum Gallicanorum Episcoporum subscriptione firmatam; *ut quid definire possimus*, inquit, *recurrenti pagina possitis agnoscere*. Tum in epistola generali ad provincias missa, multa prolocutus de atrocitate istius facinoris, demum in hæc verba erumpit: *Quibus enim, sicut etiam vos probatis, factum constat exemplis, & quæ non objurgatione dignissimum est, quod sanctorum patrum decretis & ipsis repugnat canonum constitutis?* Ait ergo Hermeti, quem ecclesiasticæ quietis contemplatione non removet a sede Narbonensi, ordinandorum Episcoporum potestatem ademptam esse in Concilio Romano & ad Constantium Uceticensem, qui ævo honoris Primas erat, esse delatam; ita tamen, ut, Hermete deficiente, faciendorum mos antistitum Narbonensi mox reddatur Ecclesiæ; quem non civitas sed causa præsumptionis amisit.

V. Causam Hermetis integram retuli, ut ostenderem, intra quatuor & quadraginta annos varie se in eadem facti specie gessisse Bonifacium & Hilarum Romanos Pontifices. Nam cum anno CDXIX. Perigenes Episcopus Patrensis, sed, qui a Patrensibus non esset susceptus, ordinatus fuisset Ecclesiæ Corinthiensis Episcopus, eamque translationem, tanquam canonibus adversam, non tolerarent quidam Episcopi Illyriciani, re ad Bonifacium Papam delata, Bonifacii decreto confirmata est post judicium Rufi Episcopi Thessalonicensis, cujus studiis attollebatur Perigenes. Immo Bonifacius ad divinam providentiam retulit, quod a Patrensibus susceptus non fuisset Perigenes, ut in Ecclesia illa Episcopus esse posset, in qua suam a cunabulis transegisset ætatem, & in ordinatoris locum succederet. Sic enim de illo scribit ad Rufum Bonifacius: *Quis renuit judicii fuisse divini ideo hunc a Patrensibus in tempore non esse receptum, & diu super præmissa Ecclesia magna deliberatione suspensum, ut hujus ovilis pastor fieret, in cujus caulis suam a cunabulis transegisset ætatem? Judicia Dei, abyssus multa, quod congrue aptamus exemplum. Et nemo crederet, quod in ordinatoris aliquando locum subrogari posset, quia fuerat* (*) *ab aliis ordinatus. Nam ambigo cælestis tunc istud fuisse sententiæ &c.* Postremo eis minatur excommunicationem, qui populos Achajæ excitare dicebantur adversus Perigenem: *In eos necesse est vigorem censuræ, qui contra nostrum post hæc nescientibus nostris incitare dicuntur populos, si perstiterint, exeramus*. Itaque valuit translatio Perigenis, ceu supra diximus. Hæc Bonifacius in gratiam Perigenis.

VI. Hilarus vero Hermetem diverso consilio studens opprimere, primo negat aliquod exemplum esse, quo causa ejus adjuvari possit, nesciens haud dubie, quod ævo prædecessoris sui Bonifacii contigerat in Achaja. Tum ait translationem illam repugnare patrum decretis & canonum constitutis. In quo distinguendum est. Constat enim, translationes in universum vetitas esse. At si quis Episcopus ordinatus sit, non tamen receptus a populo, cui præpositus est, hunc in alia civitate Episcopum fieri posse constat, modo accedat consensus Episcoporum comprovincialium. Et Bonifacius nihil heic objecerat Perigeni; immo, ut diximus, ad divinum beneficium retulerat contumaciam Patrensium. Quod si verbis Bonifacii adversus Hilarum uti liceret, dicere possemus, judicii fuisse divini, Hermetem a Biterrensibus in tempore non esse susceptum, & diu super præmissa Ecclesia magna deliberatione suspensum, ut hujus ovilis pastor fieret, in cujus caulis suam a cunabulis transegisset ætatem, id est, Narbonensis, cujus Archidiaconus & Presbyter fuerat, in ordinatorisque sui locum aliquando subrogari posset, qui fuerat Biterrensibus ordinatus. Denique Hilarus, tametsi Hermetem non removeat ab Ecclesia Narbonensi, adimit illi potestatem ordinandi Episcopos primæ Narbonensis, quæ ad illum pertinebat secundum canones; diversus nimirum a Bonifacio, qui Perigenem confirmaverat in possessione omnium jurium Ecclesiæ Corinthiensis, ut colligitur ex epistola Sixti III. ad Episcopos in synodo apud Thessalonicam congregandos. Is enim, cum præfatus esset de conservandis juribus singulorum Episcoporum Illyrici, in fine comminatur Perigeni, ademturum se illi potestatem

Vide supra cap. 22. §. 4. & cap. 24. §. 6. 13. & seqq.

Apud Holsten. in Collect. Rom. pag. 53.

(*) Legendum, *quia fuerat a- liis ordinatus*.

Vide supra cap. 24. §. 14. 15.

Concil. Ancyr. can. 17. Concil. Antioch. can. 16. 18.

tem provinciæ, si, ut cœperat, Anastasii Thessalonicensis Episcopi, cui Sixtus commiserat vices suas per Illyricum, imperium detrectaret. *Noverit*, inquit, *Corinthius Episcopus, sibi licentiam potestatis liberæ minime tribuendam, si huic voluerit, Ecclesiæ resistere, quam sibi noverit profuisse.*

Vide supra cap. 22. §. 4.

VII. Castigato Hermete, Hilarus statim transit ad Leontium, cui vices suas delegat pro congregatione Conciliorum generalium Diœceseos Gallicanæ, valde prudenti consilio usus. Videbat enim, frustra fuisse decreta decessoris sui Leonis, qui edixerat, uti suis unaquæque provincia Conciliis contenta esset, neve ultra Hilarius Arelatensis Episcopus synodos generales auderet indicere. Frustra inquam. Etenim post epistolam Leonis diversarum provinciarum Episcopi convenerant ad ordinationem Ravennii; & Ravennius cupiens componere perturbatum Lirinensis insulæ statum, epistolam generalem scripserat ad Episcopos Gallicanos, qua eos evocabat ad Concilium in civitate Arelatensi celebrandum, cui interfuerunt Episcopi diversarum provinciarum. Videns itaque ista Hilarus, ac sciens præterea, Arelatenses Episcopos privilegium illud congregandarum synodorum ad se traxisse in consequentiam mandatorum Patroclo datorum a Papa Zosimo, maluit id deinceps usurpari quasi *per delegationem sedis apostolicæ*, quam ab Arelatensi Episcopo tentari *propria auctoritate*. Nam licet ille omnium primus eam auctoritatem Arelatensi Ecclesiæ dedisse reperiatur, non tamen existimandus est, ei dedisse initium, quandoquidem diu ante pontificatum ejus Hilarius & Ravennius absque delegatione speciali Romani Pontificis congraverant synodos generales ex provinciis Gallicanis. Ergo cum durum videretur Hilaro, ista fieri etiam invita sede apostolica, optimum factu judicavit, si constitutionem ea de re publicam emitteret; ut, cum deinceps ad Arelatensis Episcopi arbitrium synodus intra Gallias congregaretur, intelligerent omnes, istud fieri ex delegatione sedis apostolicæ, non propria, istius auctoritate. In epistola itaque generali ad Episcopos Gallicanos scripta, quæ edicti speciem præfert, ita loquitur: *Per annos itaque singulos ex provinciis, quibus potuerit congregari, habeatur episcopale Concilium, ita, ut opportunis locis atque temporibus secundum dispositionem fratris & coepiscopi nostri Leontii, cui sollicitudinem in congregandis fratribus delegavimus, Metropolitanis per literas ejus admonitis celebretur; ut si quid usquam vel in ordinandis Episcopis vel Presbyteris aut cujuslibet loci Clericis faciendis contra præcepta apostolica reperitur admissum, aut in eorum conversatione quippiam reprobatur, communi omnium auctoritate resecetur.* Ideo autem dixit Hilarus, *ex provinciis, quibus potuerit congregari*, quia providebat, dissipationem Galliarum earundemque in diversa regna sectionem obstituras communicationi Episcoporum inter se. Jam enim Franci, Gotthi, Burgundiones majorem Galliarum partem ab imperio Romano distraxerant; qui fortassis ægre laturi erant, Episcopos provinciarum suarum finibus educi, ut Arelatem se conferrent, urbem Romani Imperatoris imperio subjectam, ubi miscere consilia poterant adversus novum Galliarum statum.

Vide infra lib. 6. cap. 17. §. 11. & c. 19. §. 6.

VIII. Integrum vero causarum judicium relinquit Hilarus istiusmodi synodo, sic tamen, ut si quæpiam causa incidat, quæ ob sui gravitatem provinciali nequeat examine definiri, relatio mittatur ad sedem apostolicam. *In dirimendis sane gravioribus causis*, inquit, *& quæ illic non potuerint terminari, apostolicæ sedis sententia consulatur*. Constituta autem ista fuerunt ad exemplum mandatorum, quæ Thessalonicensibus Episcopis data fuerant a sede apostolica, quemadmodum supra monuimus in capite XXIX. cum de Zosimi rescriptis agebatur. Ut vel hinc intelligere possimus, plurimam lucem causæ Arelatensis Ecclesiæ attulisse stabilitam semel auctoritatem Episcopi Thessalonicensis, ad cujus exemplum Arelatensis Episcopi potestas formata est.

IX. Capite sequenti aliud jus Arelatensi Episcopo tribuitur; nimirum, ut si Metropolitanus quispiam, propter aliquam fortassis simultatem, comprovinciali suo Episcopo peregre profecturo dare noluerit literas formatas, absque quibus quemquam egredi provincia vetat, liceat Arelatensi Episcopo cum duobus Metropolitanis provinciarum, quæ contiguæ sunt, cuncta discutere & pro causæ qualitate observanda constituere. Quibus verbis Arelatensi Episcopo tribuitur potestas decernendi, cum consilio tamen duorum Metropolitanorum.

X. Anno dein CCCCLXIII. Hilarus Papa, scribens ad eundem Leontium adversus Mamertum Episcopum Viennensem, qui invitis Diensibus Episcopum consecrare præsumpserat, idque in parte provinciæ, a qua eum depulerant rescripta Leonis, renovat decretum de celebrando singulis annis universali Galliarum Concilio; jubetque, ut in tali proximo synodo præsidens pro jure suo Leontius, quæ sunt acta, discutiat, & a Mamerto rationem facti sui sub universo cœtu fraternitatis exigat, ac deinde omnium literis notitiæ Hilari ista referat, ut ipse, quod sancto dictante Spiritu fuerit faciendum, ad comprimendos actus illicitos ordinet. Coacta synodus ad Hilarum plene rescripsit Mamertum, insuper habita divisione provinciæ a Leone decreta, & contempto Leontio, Diensibus Episcopum dedisse, contra quam ei licebat. Hunc contemptum Leontii, cujus moderationem in hac causa valde commendat, ægre tulit Hilarus; non secus ac Bonifacius, quem Illyricianos Episcopos ob Rufi Thessalonicensis contemptionem castigasse supra vidimus. Præcipit deinde Mamertum conveniri per Veranum Episcopum Lugdunensem, eique culpam hanc condonari, si pollicitus fuerit, se nihil tale deinceps facturum. Quod si in contumacia duraverit, ad Arelatensem Ecclesiam eædem quatuor civitates revertantur, quarum Mamertus non fuerat ordinatione contentus. Illius vero, qui licet indebite Diensibus ordinatus erat Episcopus, sacerdotium relinquit arbitrio Leontii, ut ejus judicio dignitatem sibi collatam, aut retineat, aut amittat. Quod rursum repetit in epistola ad Episcopos provinciarum Viennensis, Lugdunensis, Narbonensis primæ & secundæ, & Alpinæ, quarum Episcopi tum haud dubie conveniebant ad synodum Leontii Episcopi Arelatensis, quemadmodum eos supra convenisse vidimus ad Concilia Hilarii.

Vide supra cap. 24. §. 7.

XI. Superest, ut heic agamus de causa Ingenui Ebredunensis & Auxanii Aquensis, qui tum acriter contendebant de Ecclesiis civitatis Cemelenensis & castri Nicæensis, quæ Leonis Papæ decreto unitæ erant, in quarum vero una, Nicæensi nimirum, ut opinor, Auxianus Episcopum constituerat cum auctoritate Papæ Hilari: ad quem cum delata propter hoc facinus fuisset Ingenui querela, statuit ille, ut custoditis omnibus, quæ super Ecclesiis Cemelenensis civitatis vel castelli Niceænsis a Leone definita fuerant, nihil Ecclesiarum juri noceret ordinatio novi Episcopi præsumpta ab Auxanio, sed statutæ correctionis forma permaneret, ut ad unius antistitis regimen prædicta loca reverterentur; ita nempe (sic enim intelligendus omnino est Hilarus) ut Episcopus ille ordinaretur ab Episcopo Ebredunensi, ad cujus metropolim pertinebat Cemelenum in provincia Alpium maritimarum situm. In epistola porro illa ait Hilarus, Ingenuum Ebredunensem Alpium maritimarum provinciæ Metropolitani semper honore subnixum fuisse. Unde colligunt viri docti, non jure egisse Hilarium Arelatensem, qui Armentarium e cathedra Ebredunensi deturbavit ea etiam de causa, quod absque ejus auctoritate, qui Metropolitanus erat, se ordinari consenserat. Veruntamen metropolitica illa Hilarii Arelatensis auctoritas non impediebat, quin Ebredunensis etiam Episcopus esset Metropolitanus, jureque metropolitico uteretur in provincia Alpium maritimarum; excepto tamen ordinationum jure, quod ad se revocabat Hilarius tanquam ad primum

Vide Marcam in lib. de Primat. §. 73.

Vide lib. 3. c. 8. §. 1.

Gallia-

Gallïarum Metropolitanum. Quod si omnium per Gallias Episcoporum ordinationes ad se pertinere debere putabat Hilarius, planum est potiori jure contendisse cum ejus auctoritate ordinari debuisse Metropolitanos, qui alium super se Episcopum non habebant, qui eorum electionem examinaret, quam Metropolitanum Arelatensem. Quamquam si quis heic vellet movere controversiam, posset non insulse affirmare, eum non esse verborum Leonis sensum, qui prima fronte occurrit, sed explicanda ea esse secundum jus, quod ex decreto ejusdem Leonis Thessalonicensi Episcopo competebat in ordinationibus Episcoporum Illyricianorum; nimirum sic Hilarium ordinationes sibi omnium per Gallias sacerdotum vindicasse, ut non ante ordinari possent, quam de electione eorum relatio ad eum facta fuisset a Metropolitano provinciæ, ac Metropolitanorum etiam ordinationem omnino auctoritate ejus fieri debuisse. Quod nihil adimit de potestate Metropolitanorum in suis provinciis, modo præscriptum sibi modum servent; ut patet ex epistola sancti Leonis ad Anastasium.

XII. Stabilita semel auctoritate Leontii per provincias Gallicanas, nihil vetat, quin viri eruditi existimare possint, synodum, quæ adversus Lucidum Presbyterum Arelate convenit anno CDLXXV. fuisse generalem; præsertim cum ei subscripsisse reperiantur aliquot Episcopi finitimarum provinciarum, & inter hos, Patiens Lugdunensis, & Euphronius Augustodunensis. Suspicari præterea possunt synodum Lugduni eodem anno celebratam in causa ejusdem Lucidi, Leontii auctoritate coactam fuisse, illumque in ea præsedisse secundum datam ipsi formam a Papa Hilaro. Sed in re adeo obscura nihil affirmare ausim, donec major lux affulgeat.

CAPUT XXXV.

De Cæsarii Episcopi Arelatensis vicariatu sedis Apostolicæ, in cujus signum a Symmacho pallium accepit.

SYNOPSIS.

I. Æonius successit Leontio, ut colligitur ex epistola Ruricii Episcopi Lemovicensis ad Æonium. Probabile est, istum quoque usum esse ampla illa potestate, in cujus possessione fuerant prædecessores ejus.

II. Moriens autem Æonius successorem suum designavit Cæsarium, qui plurimis Conciliis generalibus præfuit.

III. Concilium Agathense congregatum est permissu Regis Alarici & sollicitudine auctoritateque Cæsarii. Probatur multis rationibus & testimonio Ruricii ad Cæsarium.

IV. Similis huic locus apud Hieronymum, qui refertur.

V. Cæsarius præfuit Concilio Agathensi, eique primo loco ante omnes Metropolitanos subscripsit. Nimirum ob vices apostolicæ sedis. Edixit synodus, uti singulis annis synodus generalis haberetur, cujus congregandæ curam reliquit Cæsario. Qui sint Hispani Episcopi in epistola Ruricii. Synodus Tolosana, quam in sequentem annum destinaverat Cæsarius, habita non fuit.

VI. Aliam aliquot post annis synodum generalem intra Gallias congregavit Cæsarius, ex qua scripsit ad Papam Symmachum de his, quæ in Concilio illo decreta fuerant.

VII. Cæsarius ad eum mittit, qui peterent confirmationem privilegiorum Ecclesiæ Arelatensis. Refertur libellus precum ab iis porrectus Symmacho.

VIII. Expenduntur verba istius libelli, ex quibus multa notatu digna colliguntur.

IX. Symmachus ita confirmavit privilegia Ecclesiæ Arelatensis, ut ceterarum Ecclesiarum privilegia diceret esse servanda. Ejus interim auctoritatem extendit in provinciam Hispaniam. Majores causæ ad sedem apostolicam referendæ. Itaque Episcopi Galliæ & Hispaniæ in regno Gotthorum existentes pertinebant ad ordinationem Episcopi Arelatensis.

X. Minatur Symmachus abstentionem Episcopis Gallicanis, si detrectaverint accedere ad Concilia, quæ auctoritate Episcopi Arelatensis fuerint congregata. Metropolitani vocabulo intellexit Arelatensem.

XI. De necessitate accipiendarum formatarum ab Episcopo Arelatensi.

XII. Pallium Cæsario concessum a Symmacho. Cyprianus auctor vitæ Cæsarii emendatur. Metropolitani Galliarum dignitas.

XIII. Eximiam illam dignitatem in Cæsario agnovit Hormisda, qui ad eum scripsit de sua ordinatione. Emendatur alia Hormisdæ epistola, in qua omissum est nomen Episcoporum Scythiæ.

XIV. Enumerantur aliæ synodi, in quibus Cæsarius præsedit. Causa Contumeliosi Episcopi Rejensis judicata est in Concilio generali. Emendatur epistola Agapeti ad Cæsarium, quæ gravi mendo laborat in editionibus.

I. LEontio Arelatensi Episcopo proxime successit Æonius, ut docet Ruricius Episcopus Lemovicensis in epistola gratulatoria ad illum data in initiis ordinationis ejus. *Agnito*, inquit, *transitu sanctæ & venerabilis apud me recordationis Domini mei decessoris vestri Leontii, animo & mente confusus, diu multumque tristatus sum, quod & impedientibus peccatis meis tanto antistiti occurrere non merueram, & tali essem parente privatus.* Et infra: *Nunc vero, ut dicere institueram, accersione ipsius Domini mei & apostolatus vestri ordinatione comperta, ad officium vestrum mittere cogitabam.* Hinc ergo patet, falli eos, qui Joannem collocant inter Leontium & Æonium. Ceterum non invenio, istum quicquam notatu dignum egisse, quo probari possit, ipsum quoque usum esse per Gallias auctoritate illa, in cujus possessione erat Leontius. Ex regula tamen heic a nobis toties proposita affirmare licet, ad ipsum cum sede transiisse vetera privilegia, tametsi clara & aperta istius rei testimonia non extent, adeoque illum decessoribus suis non fuisse minorem. Nam in epistola Papæ Gelasii ad ipsum scripta anno CDXCIV. extat aliquod vestigium, licet valde tenue, generalis sollicitudinis Æonii; cui, ceu Vicario sedis apostolicæ & primo Galliarum Metropolitano, ea cura committitur, ut Gallicanos Episcopos certiores faciat vigere inter ipsos & sedem apostolicam alternæ viscera gratiæ. Omisso itaque Æonio, veniendum est ad Cæsarium, hominem primarum in republica partium, &, qui vicariam Arelatensium Episcoporum dignitatem extulit in immensum.

Ruric. lib. 1. epist. 5.

II. Erat Cæsarius patria Cabillonensis in provincia Lugdunensi prima. Tyrocinia pietatis in monasterio Lirinensi posuit admodum juvenis. Inde vero abductus ab Æonio concive suo, primum ordinatus ab eo est Diaconus, deinde Presbyter. Aliquanto post Æonius sentiens, imminere sibi supremum diem, clerum & populum civitatis ad se vocans, admonuit illos de Cæsario post mortem suam eligendo; dein *& ipsos dominos rerum* (Alaricum videlicet Wisigothorum, ut ego interpretor, & Theodericum Ostrogotthorum Reges) *per internuntios* oravit, quemadmodum docet auctor vitæ Cæsarii, ne alium, quam Cæsarium in Arelatensi Ecclesia Episcopum constituerent. Quod & factum est. Hunc ego virum reperio primum ubique locum tenuisse inter Episcopos Gallicanos, & plurimis Conciliis generalibus præfuisse, inprimis autem celeberrimo Concilio Agathensi in prima Narbonensi, ad quod convenerunt Episcopi octo provinciarum regni Gotthici, Arelatensis nimirum, Alpium maritimarum, Narbonensis primæ & secundæ, Aquitaniæ primæ & secundæ, Novempopula-

pulaniæ, & tertiæ Lugdunensis. Nullus Episcopus aderat ex provincia Viennensi, tametsi propinqua valde esset, quia Vienna tum erat in regno Burgundionum.

III. Magnum illud Concilium permissu Regis Alarici congregatum esse, constat ex præfatione ejus. Quæri autem potest, qua auctoritate evocati fuerint Episcopi, utrum per præceptionem regiam, an vero per tractoriam Cæsarii Episcopi Arelatensis, ad quem ex veteri consuetudine, & canone ecclesiastico, privilegioque præterea apostolicæ sedis, pertinebat arbitrium & potestas congregandorum Conciliorum ex provinciis Gallicanis. Primo dici posset, eam in se curam traxisse Cæsarium, qui de celebranda synodo cogitaverat in secessu Burdigalensi, ut docet Ruricius Lemovicensis ad illum scribens. Existimandum præterea est, Alaricum, bonum alioqui Principem, & catholicis Episcopis, tametsi ipse Arrianus esset, admodum favorabilem, non turbasse ordinem in Gallia constitutum, atque adeo illibatam Cæsario servasse auctoritatem suam. His argumentis probari posse puto, synodum Agathensem congregatam fuisse auctoritate litterarum Cæsarii, quas ille misit ad singulos Episcopos regni Gotthici. Sed, ut non egeamus argumentis, facit testimonium ejusdem Ruricii: qui se excusans apud Cæsarium, quod Agathensi Concilio non interfuisset, primum quidem absentiam suam imputat infirmæ atque ægræ valetudini, tum accusat tabellarium, cujus culpa factum erat, ut Cæsarii literæ, quibus eum evocabat ad synodum in Agathensi urbe celebrandam, tardius ad eum pervenirent. Elegans est hic locus, & in primis dignus referri, utpote ab homine scriptus, qui se sciret Episcopum esse. *Si ad tempus aliud*, inquit, *quod intimatis*, (nimirum ad synodum in Tolosana urbe celebrandam anno sequenti, de qua ad Ruricium rescripserat Cæsarius) *si Deus vitam cesserit, venire vultis; nobis per hominem vestrum maturius indicetis, quia literas vestras ad me modo tardissime venisse significo; tametsi nos pro dignitate vel pro ætate non debemus tardius quam alii commoneri, qui fortasse (ut minus prudens dicam) merebamur ambiri. Quia si aliis nomen urbium præstat auctoritas, nobis auctoritatem demere non debet urbis humilitas. Siquidem multo melius multoque eminentius est, civitatem de sacerdote, quam sacerdotem de civitate noscere.*

Ruric. lib. 2. epist. 32.

IV. Hunc locum, qui corruptus est in editione Henrici Canisii, nos olim correximus ex ingenio. Ceterum non præteribo istum Ruricii locum, quin illi adjungam alium vulgatissimum Hieronymi locum ex epistola ad Evagrium, qui sic habet: *Ubicunque fuerit Episcopus, sive Romæ, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Rhegii, sive Alexandriæ, sive Thanis, ejusdem est meriti, ejusdem est sacerdotii. Potentia divitiarum & paupertatis humilitas vel sublimiorem vel inferiorem Episcopum non facit. Ceterum omnes Apostolorum successores sunt.* Nunc ad rerum ordinem redeo.

V. Concilio igitur Agathensi præfuit Cæsarius, in quo multa constituta sunt utiliter in publicum, eique primo loco ante omnes Metropolitanos subscripsit, tametsi in aliena provincia & Cypriano Burdegalensi, ut arbitror, ordinatione posterior. Quæ indicant, extraordinaria quadam auctoritate id factum esse, nimirum ob vices apostolicæ sedis. Porro cautum est canone LXXI. uti synodus, nimirum generalis, secundum constituta patrum, id est, Hilari Papæ & sequentium haud dubie Pontificum, annis singulis congregaretur. Curam vero & auctoritatem eligendi locum, quo convenire deberent Episcopi in sequenti synodo, tum etiam eos evocandi, relictam Cæsario fuisse, prout par erat, colligitur ex epistola Cæsarii ad Ruricium; in qua conquerens de absentia ejus, simulque eum redarguens, quod personam non direxerit vice sua, demum addit Tolosam delectam esse celebrando futuro Concilio: *Indico pietati vestræ, quia filius vester Eudomius, si potuerit, hoc elaborare desiderat, ut superveniente anno Tolosæ synodum Christo propitio habeamus; ubi etiam, si potuerit, Hispanos vult Episcopos convenire.* De Hispanis Episcopis quod ait, intelligendum est de his, qui in ea Hispaniæ parte constituti erant, quæ Gotthico imperio patebat, hoc est, in Hispania citeriori. Itaque optabat Eudomius, alium anno sequenti Episcoporum conventum agi, in quo, præter Episcopos Gallicanos, interessent etiam Episcopi Hispani, Urgellensis videlicet, Gerundensis, Barcinonensis, & reliqui illarum partium. Nam eos suæ non ita multo post auctoritati subjicere curavit Cæsarius, ut statim dicetur. Ceterum synodum illam Tolosanam non fuisse habitam certum est, turbatis nimirum Gotthorum rebus, & furentibus post extinctum Alaricum belli reliquiis; quo præterea mortuo, Tolosa victricibus Clodovei armis cessit, ab imperio Gotthorum distracta. Vix autem est, ut inter arma subeat cogitatio congregandorum sacerdotum. Et fortassis hæc mala providebat Cæsarius, cum rescriberet ad Ruricium de consilio Eudomii, orans eum, precibus suis ageret apud Deum, uti tam sancto proposito favere vellit pro sua erga Ecclesiam benignitate. *Et ideo orate*, inquit, *ut tam sancto desiderio suo Dominus tribuere dignetur effectum*. Falluntur ergo, qui putant, Concilium illud Tolosanum a Cæsario fuisse convocatum.

VI. Romanæ tum Ecclesiæ præsidebat Papa Symmachus, vir Gallicanis Episcopis acceptissimus. Pacatis, post Clodovei victorias & mortem, rebus Gotthorum, qui ultra Carcassonem late in provincia Narbonensi & Hispania citeriori imperium tenebant, Cæsarius, congregata alicubi synodo, ut ego arbitror, anno DXIII. ex ea scripsit ad Symmachum de iis, quæ in Concilio illo decreta fuerant, ab eo petens, ut decreta illa observari præciperet in Ecclesia Romana, ut una disciplinæ forma esset in Romana Ecclesia & in provinciis Gallicanis. Quod autem existimem, Cæsarium ista scripsisse ex synodo quapiam, hoc facit, quod de rebus constitutis loquitur in aversione, ut solent epistolæ synodicæ, & semper loquitur in numero plurali, *Postulamus*, *deposcimus*, *suggerimus*.

VII. Sequenti anno Cæsarius ad Symmachum misit Ægidium Abbatem & Messianum Notarium, nomine ejus petituros confirmationem privilegiorum, Ecclesiæ Arelatensi ab apostolica sede concessorum. Illi vero petitionem ejus his verbis conceperunt. *Quantum in omnibus Ecclesiarum Pontificibus, quæ in toto orbe diffusæ sunt, apostolica sedes sibimet vindicat principatum, & synodalibus decretis firmior ejus præcellit auctoritas, tantum potestatis suæ provisione dudum a sese concessa debet inconcussa servare, quatenus Arelatensis Ecclesia fruatur privilegiis suis; quæ nunc per antistitem Cæsarium seriem suæ petitionis insinuat, & quam hactenus habuit potestatem, vestra deposcit auctoritate firmari; ut, quod veneranda sedes quondam perrenni sanctione custodiri præcepit, & pragmaticis specialiter decreta sunt constitutis, beatitudinis vestræ præceptis suis etiam nunc confirmet auctoritas. Aquensis etiam civitatis Episcopum sanctitatis vestræ moneri præcipite constitutis, ut dum a Metropolitano antistite Ecclesiæ Arelalensis ad synodale Concilium fuerit evocatus, vel aliqua ordinationis causa eum sibi postulet religio divina necessarium, minime venire frustretur, quatenus ea, quæ longævis seculis priscorum sanxit auctoritas, vobis præsulibus præsenti futuræque ætati inviolata serventur.*

VIII. Ex hoc libello precum nonnulla colliguntur notatu digna. Primo, contendisse Cæsarium, privilegia Arelatensis Ecclesiæ fuisse perenni sanctione decreta a Pontificibus Romanis. Unde patet, parum in hoc esse causam Ecclesiæ Arelatensis & Thessalonicensis, &, quæ supra dicta sunt de privilegiis Ecclesiæ Thessalonicensis, quod perpetua

Vide supra cap. 34. §. 9.

perpetua

petua essent, trahi debere ad Arelatensem. Deinde privilegia Arelatensis Ecclesiæ pragmaticis specialiter decreta fuisse constitutis, id est, Principum edictis & rescriptis; quæ tamen hodie non extant. Demum, Cæsarium non petiisse statim confirmationem privilegiorum Ecclesiæ suæ, sed, quo primum tempore passus contradictionem est ab Episcopo Aquensi secundæ Narbonensis Metropolitano, qui recusabat ire ad Concilia Cæsarii. Itaque si ea occasio non incidisset, abstinuisset fortassis Cæsarius a petenda confirmatione; ac nihilominus usus fuisset auctoritate sedis suæ, qua eum usum vidimus diu ante hunc annum. Nam & antea Pallium, quod erat insigne Vicariorum sedis apostolicæ, Romæ acceperat a Symmacho, ut statim dicetur.

IX. Accepto libello Symmachus ad Cæsarium rescripsit, rationabile esse, ut sancta Arelatensis Ecclesia propriis privilegiis perfruatur, &, quod vetustas præstitit, & patrum auctoritas roboravit, novam non debere violare præsumptionem, (quod dictum esse adversus Episcopum Aquensem dubitare non sinit libellus precum,) servanda tamen esse ceterarum Ecclesiarum privilegia. Tum addit: *Manentibus siquidem his, quæ patrum constituta singulis Ecclesiis concesserunt, decernimus, ut circa hæc tam in* * *Gallia quam in Hispania provinciis de causa religionis emerserint, solertia tuæ fraternitatis invigilet; & si ratio popoſcerit præsentiam sacerdotum, servata consuetudine unusquisque tuæ dilectionis admonitus auctoritate conveniat*. Hæc Symmachus, novum jus Arelatensi Episcopo tribuens quoad Hispaniam provinciam, id est, eam Hispaniarum provinciam, quæ in regno Gotthorum constituta erat; in quam imperium suum proferre cogitaverat Cæsarius ante constitutionem Symmachi, ut supra vidimus. Decernit autem, ut si controversia incidens amputari potuerit in Concilio Cæsarii, Dei hoc meritis applicetur, alioquin existentis negotii qualitas ad sedem apostolicam Cæsario referente perveniat. Quod constitutum est juxta superiorum Pontificum rescripta, qui tum demum ad apostolicam sedem deferri voluerunt cognitionem causarum ab Episcopis Thessalonicensibus & Arelatensibus, si post examen provinciale causa definiri non potuerit coram Vicario sedis apostolicæ. Ad hanc porro epistolam respiciens Hormisda Pontifex Romanus, de Dardaniæ, Illyrici & Scythiæ Episcopis ad communionem sedis apostolicæ reversis scribens ad Episcopos Galliæ & Hispaniæ, epistolam suam dirigit Cæsario & his, qui sub ejus ordinatione consistunt. Quibus verbis intellexit, ut dixi, Episcopos Galliæ & Hispaniæ, qui ad ordinationem Arelatensis Episcopi pertinebant, & ad ejus Concilia venire tenebantur. Idem enim est, ut observat infra illustrissimus Archiepiscopus, ad synodum Patriarchæ alicujus aut ad ordinationem ejus pertinere.

* Ita recte scriptum est in codice regio MS.

Vide infra lib. 6. cap. 4. §. 6.

X. Minatur deinde Symmachus abstentionem Episcopo Aquensi & ceteris, si detrectaverint accedere ad Concilia, quæ auctoritate Episcopi Arelatensis fuerint congregata. Hæc sunt ejus verba: *Et si tam Ecclesiæ Aquensis antistes, vel alius quilibet, Metropolitano Pontifici juxta canonum definitionem evocatus obtemperare noluerit, noverit subdendum se, quod non optamus, ecclesiasticæ disciplinæ*. Heic duo quædam observanda sunt. Primo, Symmachum Metropolitani vocabulo intelligere Arelatensem, quod is esset primus Galliarum Metropolitanus, ut supra dictum est. Secundo, affectatum ab eo esse hunc loquendi modum, ut ostenderet, auctoritatem convocandi generalia Galliarum Concilia competere Episcopo Arelatensi, non solum ex privilegio sedis apostolicæ & ex veteri consuetudine, sed etiam secundum canonum definitionem. Nam canones decernunt, uti, cum quis Episcopus ad Concilium evocatus fuerit a Metropolitano, adesse ne differat, nisi fortassis ægra valetudine aut alia justa causa impediatur.

XI. Postremo renovat Symmachus decretum Zosimi de necessitate accipiendarum formatarum ab Episcopo Arelatensi, quod decretum observari jubet ab omnibus ecclesiastici ordinis atque officii viris, qui e Gallicana vel Hispania regione Romam proficisci voluerint. Hæc sunt ejus verba: *Et in hac parte magnopere te volumus esse sollicitum, ut si quis de Gallicana vel Hispania regionibus ecclesiastici ordinis atque officii ad nos venire compulsus fuerit, cum fraternitatis tuæ notitia iter peregrinationis arripiat; ut nec honor ejus per ignorantiam aliquam contumeliam patiatur, & ambiguitate depulsa a nobis animo securo in communionis gratiam possit admitti*. Huic loco lucem afferent ea, quæ supra dicta sunt cap. XXX. §. IV. si lector ea consulenda tanti esse putaverit.

Vide infra cap. 36. §. 7.

XII. Quæri posset hoc loco, quonam modo factum sit, ut in hac Symmachi epistola, qua privilegia Arelatensis Ecclesiæ & vicariatus apostolicæ sedis continentur ac confirmantur, nulla extet mentio Pallii Cæsario concessi a Symmacho, quod tamen eum ab illo accepisse testatur Papa Vigilius in epistola secunda ad Auxanium Episcopum Arelatensem. *Et quia digna credimus ratione compleri*, inquit Vigilius, *ut agenti vices nostras Pallii non desit ornatus, usum tibi ejus, sicut decessori tuo prædecessor noster sanctæ recordationis Symmachus legitur contulisse, beati Petri functi auctoritate concedimus*. Docet itaque Vigilius, collatum Cæsario Pallium fuisse a Symmacho. Immo ex verbis Vigilii colligitur, traditionem illam Pallii factam fuisse per epistolam, *Symmachus legitur contulisse*. Et tamen in epistolis, quæ nunc extant Symmachi ad Cæsarium nulla Pallii mentio facta reperitur. Unde fortassis concludi debet, non extare hodie omnes epistolas, quæ a Symmacho datæ sunt ad Cæsarium. Ad Pallium quod attinet, nulla illius mentio est in epistolis Symmachi, quæ supersunt, quod illæ datæ sint diu post, quam Cæsarius ab illo Pallium acceperat. Acceperat enim anno DX. cum post obsidionem Arelatensem sub publica custodia perductus in Italiam, Romam tandem venisset. Tum enim Pallium ei tributum fuisse docet Cyprianus in ejus vita, quam vir clarissimus Dominus Joannes Mabillon monachus Benedictinus nuper restituit ex veteri codice manu scripto: *Papa Symmachus, tanta meritorum ejus dignitate permotus, non solum verissime eum Metropolitani honore suspexit, sed & concesso specialiter Pallii decoravit privilegio*. Ceterum heic adnotandum est, in hoc Cypriani loco non agi simpliciter de honore metropolitico Ecclesiæ Arelatensis, de quo tum apud omnes constabat citra omnem controversiam, sed de dignitate Metropolitani Galliarum. Deinde hinc colligitur manifeste vicariatus apostolicæ sedis in Cæsario, quem ob eam ipsam causam Symmachus Pallio putavit ornandum. Nam ut libere in hoc capite promam meam sententiam, puto pro *suspexit* legendum esse *subvexit*, adeoque Metropolitani vocabulo intelligi debere Vicarium sedis apostolicæ. Hanc emendationem probat editio Surii, apud quem iste locus mutato stilo, ut solet Surius, ita legitur: *Symmachus præclara ejus meritorum dignitate permotus, non solum eum verissime Metropolitani honore præditum voluit*, (id est, *subvexit*) *sed etiam speciali quodam privilegio Pallii usum ei permisit*. Itaque Symmachus, tum propter veterem consuetudinem, tum etiam contemplatione meritorum Cæsarii, ei vices suas commisit per Gallias, id est, Metropolitanum eum Galliarum, in cujus dignitatis possessione jam antea fuerat Cæsarius, esse constituit, simulque Pallium, quod erat insigne Vicariorum sedis apostolicæ, illi concessit.

Cypr. in vita Cæsarii lib. 1. c. 22.

XIII. Eximiam illam Metropolitani Galliarum dignitatem in Cæsario agnovit etiam Hormisda Pontifex Romanus, qui proxime Symmacho successit. Statim enim ac in sede Petri locatus est, literas de ordinatione sua, ut moris erat inter Episcopos illustrissimarum Ecclesiarum, misit ad Cæsarium,

Vide supra cap. 26. §. 1. & cap. 33. §. 1.

sarium, quarum hoc initium est in veteri codice MS. bibliothecæ regiæ: *Dilectissimo fratri Cæsario Hormisda. Quamvis ratio exigat, ut fraternitati tuæ nostri sacerdotii primitias nuntiemus, tamen Dei beneficia tacere* ...... Cetera non extant. Idem ad eum scripsit anno DXV. Episcopos Dardanos, Illyrios & Scythas ad sedis apostolicæ communionem rediisse, Eutychiana hæresi damnata. Scythas in hoc loco memoravi cum Dardanis & Illyriis, tamenetsi sciam, eorum mentionem non extare in vulgatis epistolarum Hormisdæ editionibus, ut monerem nomen eorum reperiri in epistolæ istius exemplari, quod habetur descriptum in veteri codice MS. bibliothecæ regiæ. *Ergo Episcopi tam Dardani, quam Illyrii pene omnes, nec non Scythæ, errorem condemnando præteritum, petentes beati Petri Apostolorum principis communionem &c.* Recte. Nam aliæ editiones sunt absurdæ, in quibus sic legitur: *Ergo Episcopi tam Dardani, quam Illyrici pene omnes, ne sint errore condemnandi præterito, petentes &c.* Lectionem regii codicis confirmat etiam ipse Hormisda in epistola ad Avitum Episcopum Viennensem de statu Ecclesiæ orientalis: in qua licet de Scythis non loquatur, tamen cum Thraces adjungit Dardanis & Illyricis, ostendit deesse heic aliquid in epistola ad Cæsarium de eodem argumento. Sic ergo scripsit ad Avitum Hormisda: *Nam unde est, quod cum pro magna parte a conterminis suis Thracibus, Dardanis, Illyricis, cognita eorum perversitate deserantur, procul positos ignorantiæ spe, fraudibus, & variis artibus nituntur allicere.* Scythæ porro contermini erant Thracibus, utrique autem siti in ora Ponti Euxini.

Hormisd. epist. 30. — *Hormisda epist. 10.*

XIV. Præfedit postea Cæsarius in Concilio Arelatensi IV. anno DXXIV. Carpentoratensi anno DXXVII. & Arausicano II. anno DXXIX. Nam tres illæ synodi non fuerunt ex Episcopis tantum provinciæ Arelatensis, sed generales ex regno Gotthorum. Causam quoque Contumeliosi Episcopi Reiensis judicatam fuisse in synodo generali, cui Cæsarius præfuit, colligitur ex epistolis Joannis II. & Agapeti Pontificum Romanorum. De quo negotio, cum satis explicatum sit in epistolis illis, nihil dicam. Illud tantum admonebo, corruptam esse ultimam partem septimæ Agapeti epistolæ, quæ data est ad Cæsarium, ideoque putasse me, non prætermittendam esse hanc occasionem illius emendandæ. Nam cum dixisset Agapetus, velle se, ut Contumeliosus, *reddita sibi modo propria substantia*, suspensus interim esset ab administratione patrimonii ecclesiastici & a celebratione Missarum, inferius tamen ei suspenso ac præsumptori concedit celebrationem Missarum, si vera est lectio, quæ extat in vulgatis editionibus. Unde sequitur, Agapetum sibimet repugnare in eadem epistola. Ergo, ut vitium illud auferatur, sic legendus est hic locus ex fide vetustissimi codicis MS. bibliothecæ regiæ: *Suspenso igitur, sicut præfati sumus, Episcopo Contumelioso ab ea tantum, quam præsumpsisse dicitur, celebratione Missarum, & patrimonio Ecclesiæ in gubernatione Archidiaconi ejusdem Ecclesiæ constituto, ita, ut alimonia sufficientia Episcopo non negentur, Visitatoris te in ejus loco præcipimus ordinare personam & patienter expectare judices, quos inspirante Domino constituerimus audire.* Agebatur de retractanda causa Contumeliosi, qui sedem apostolicam appellaverat post judicium Episcoporum Gallicanorum. Expectare itaque Cæsarium jubet, quid decreturi sint judices a se delegandi, interim vero Contumeliosum manere suspensum a celebratione Missarum & ab administratione patrimonii ecclesiastici, ita tamen, ut ei alimenta episcopali dignitati congrua præbeantur. Nam si apud T. Livium P. Scipio Nasica recte monuit, erubescendum esse Romanæ urbi, si vir clarissimus (nimirum L. Scipio) in carcerem inter fures nocturnos & latrones includeretur, indecorum quoque esset, si Episcopo, tamenetsi reo, non ampliora alimenta subministrarentur, quam reis cæterorum ordinum. Nam senatores non decere concludi in ergastulis, docet etiam Hieronymus in libro adversus Vigilantium, loquens de Dei nostri cultoribus. *Senatoriæ videlicet dignitatis sunt*, inquit, *& non inter homicidas teterrimo carcere, sed in libera honestaque custodia recluduntur.*

Livius lib. 39.

CAPUT XXXVI.

De vicariatu sedis apostolicæ Auxanio Episcopo Arelatensi a Papa Vigilio cum pallio collocato.

SYNOPSIS.

I. Vigilius Papa primus omnium Pontificum Romanorum concessit vices suas Auxanio Episcopo Arelatensi conceptis verbis.

II. Cum civitas Arelatensis transiit in jus Regis Childeberti, iste Vigilium oravit, uti Auxanio vices apostolicæ sedis & Pallium delegaret. Pallium erat genus imperatorii indumenti, ideoque requirendus fuit consensus Justiniani.

III. Vices postea suas commisit Auxanio, postquam consensum Imperatoris habuit.

IV. Explicatur epistola Vigilii, quæ difficultate non caret. Pallium erat vestis eximia atque collucens, & quæ plurimum habebat dignitatis. Probatur ex Thegano & Joanne VIII. & XII.

V. Vigilius Auxanio vices suas & Pallium concessit ad exemplum Papæ Symmachi. Tum vero nulla mentio consensus Imperatoris.

VI. Causas a Vicario suo judicari jubet cum competenti numero Episcoporum. Sed judicum electionem relinquit arbitrio Auxanii. Causas autem discuti jubet canonica & apostolica æquitate.

VII. Causas religionis, & eas præterea, quæ in provinciis definiri non possent, referri jubet ad sedem apostolicam. Vetus ordo discutiendæ hæreseos noviter emergentis.

VIII. Renovat deinde privilegium de literis formatis, ab Arelatensi Episcopo accipiendis.

IX. Secutus postremo exemplum superiorum Pontificum, vicariatus istius publicationem mandavit. Episcopi Gallicani sueti erant imperio Episcoporum Arelatensium.

X. Vigilius Auxanio specialiter commisit causam Prætextati. Notatur Baronius, qui Prætextatum hunc putat fuisse Episcopum Rothomagensem.

I. MAnifestis, ut reor, indiciis hactenus ostendimus, Episcopos Arelatenses primum inter Gallicanos Episcopos locum tenuisse in consequentiam honoris, qui Ecclesiæ Arelatensi tributus fuerat a sede apostolica. Sed nunc res ipsa se prodet evidentissimis argumentis, adeo, ut argumentationibus agendum nobis nequaquam sit. Nam post Cæsarium eadem auctoritas, qua ille instructus fuerat, successoribus ejus confirmata est a Pontificibus Romanis; qui prædecessorum suorum mandata verbis suis explicantes, vices suas conceptis verbis commiserunt Episcopis Arelatensibus, dum ipsos ea auctoritate instruerent, in cujus possessione fuerant sedis illius Episcopi ante Vigilii tempora. Is primus omnium vices suas, vices inquam suas, ad postulationem Childeberti Francorum Regis commisit Auxanio Episcopo Arelatensi, qui Cæsario successerat. Quam causam, quia multa continet non leviter prætereunda, res postulare videtur, ut ab initio repetamus.

II. Post pulsos ea Galliæ parte Romanos, quæ Rhodano & mari mediterraneo adjacet, primum Wisigotthi eam oram insederunt, & Arelatense oppidum tenuerunt, quod deinde transiit in jus & dominium Ostrogotthorum. Anno demum DXXXVI. cum exarsisset bellum inter Justinianum Augustum & Vitigem Ostrogotthorum Regem, eodemque iste tempo-

tempore bellum crudele & exitiosum in Gallia haberet cum Francis, pacem his conditionibus ab istis redemit, ut contenti essent viginti auri centenariis & ea Galliarum parte, quæ Gothis parebat; in qua sita erat civitas Arelatensis, quæ in divisione harum provinciarum cessit Regi Childeberto, ut recte ista explicat Hadrianus Valesius vir clarissimus. Mortuo interim non ita multo post Cæsario Arelatensi Episcopo successit Auxanius. Hunc ergo ornare cupiens Childebertus aliquo insigni decore, ut ope ejus provinciam recenter ad Francos versam in officio contineret imperioque Francico parere assuefaceret, literas ad Papam Vigilium scripsit anno DXLV. quibus eum orabat, uti Auxanio vices apostolicæ sedis delegaret per Gallias, eique Pallium mitteret; quod erat insigne Vicariorum sedis apostolicæ, uti jam dictum est. Non repugnavit Vigilius. Sed quia Pallium erat genus quoddam imperatorii indumenti, cujus usum Imperatores permiserant Patriarchis, noluit Pontifex in hoc gratificari Auxanio, donec sciret, an Justinianus id gratum habiturus esset. Docet nos illud ipse Vigilius his verbis: *De his vero, quæ charitas vestra tam de usu Pallii, quam de aliis sibi a nobis petiit debere concedi, libenti hoc animo etiam in præsenti facere sine dilatione potuimus, nisi cum Christianissimi Domini filii nostri Imperatoris hoc, sicut ratio postulat, voluissemus perficere notitia Deo auctore; ut & vobis gratior præstitorum causa reddatur, dum, quæ postulatis cum consensu Christianissimi Principis referuntur, & nos honorem fidei ejus servasse cum competenti reverentia judicemur.*

Vide infra l. 6. cap. 6. §. 6. 10.

Vigil. epist. 1. ad Auxan.

III. Non dubitabat, ut video, Vigilius, quin Imperator, quem per Patricium Belisarium ad id induci procuraverat, consensum suum præstiturus esset. Neque sua spes illum fefellit; ut docet secunda ipsius epistola ad Auxanium, qua illi committit vices suas per Gallias, simulque Pallium mittit. *Sicut nos*, inquit, *pro tuæ charitatis affectu & pro gloriosissimi filii nostri Regis Childeberti Christiana devotione mandatis, vices nostras libentissima voluntate contulimus, ita fraternitatem tuam convenit Deo placitis operibus tantæ sedis auctoritate digna conversatione uti atque disponere, ut bonis actibus innotescens, rectum circa charitatem tuam judicium nostræ electionis ostendas.* Et infra ait, se id facere cum consensu Justiniani & Theodoræ, tanquam vicariatus apostolicæ sedis ita penderet ab imperio Principum, ut Pontificibus eum nemini tribuere liceret absque interrogatione Principis. Nam ea, quæ sequuntur, intelligi non possunt de Pallio, de quo nondum in ea epistola locutus erat Vigilius, cum ista scriberet. *Oportet ergo*, inquit, *fraternitatem vestram incessantibus supplicationibus Deo nostro preces effundere, ut Domnos filios nostros clementissimos Principes Justinianum atque Theodoram sua semper protectione custodiat, qui pro his vestræ charitati mandandis, suggerente gloriosissimo & excellentissimo viro filio nostro Patricio Belisario, pro quo item vos convenit exorare, pia præbuerunt devotione consensum.*

IV. Ista tamen ita puto intelligenda, ut, quia vicariatus absque Pallio tribui non consueverant, istudque, quod genus esset imperialis indumenti, concedi non poterat absque consensu Imperatoris, noluerit Vigilius ante committere Auxanio vices suas, quam certus esset consensus Imperatoris pro dando Pallio; ne forte Auxanio tributa dignitas in contemptum veniret, si non fulgore Pallii collucere atque illustraretur. Nam Pallium fuisse vestem quandam eximiam atque collucentem, & quæ plurimum dignitatis haberet, dicet infra illustrissimus Archiepiscopus. Quem fulgorem diu perdurasse in Pallio colligi posse videtur ex Thegano Chorepiscopo Trevirensi: qui loquens de infanda Ludovici Pii Imperatoris exauctoratione ab Ebbone Remensi Archiepiscopo peracta, adversus quem propter hoc facinus vehementissime insurgit, hæc dicit: *Vestivit te purpura & Pallio, & tu eum induisti cilicio.* Item ex epistola Joannis VIII. ad Carlomannum Regem Bajoariæ, Ludovici Regis Germaniæ filium: *Pallium vera, vestra petitione inclinati, Theodemaro Archiepiscopo consuetudinaliter dirigentes, optamus, ut hoc decore interius fulgeat in oculis interni judicis, quo nitet exterius humanis obtutibus.* Colligitur idipsum ex epistola Joannis XII. ad Dunstanum Archiepiscopum Dorobernensem scripta anno DCCCCLIV. in qua sic habetur: *Pallium vero fraternitati tuæ ex more ad Missarum solemnia celebranda commendamus; quod tibi non aliter, Ecclesiæ tuæ privilegiis in suo statu manentibus, uti concedimus, quem usum antecessores nostri prodiderunt. Neque tua prudentia hoc incognitum habet vel cujusquam, quoniam indumenti honor moderatione actuum tremendus erit. Honestati morum tuorum hæc ornamenta conveniunt, quatenus auctore Deo possis esse conspicuus.*

Vide lib. 6. cap. 6. §. 3. 4.

Thegan. cap. 44. de gestis Ludov. Pii.

Apud And. Duchesn. tom. 3. Franc. pag. 880. Scriptor hist.

Apud Eadmerum lib. 5. hist. Novor. p. 128.

V. Concessit igitur Auxanio Vigilius Pallium & vices suas, ad exemplum nimirum Papæ Symmachi, qui tamen Cæsario Pallium contulerat absque ulla mentione consensus Imperatoris. Hæc sunt Vigilii verba ad Auxanium: *Et quia digna credimus ratione compleri, ut agenti vices nostras Pallii non desit ornatus, usum, tibi ejus, sicut decessori tuo prædecessor noster sanctæ recordationis Symmachus legitur contulisse, beati Petri functi auctoritate concedimus.* Observandum est autem, in hoc loco Vigilium, qui rescripserat, nolle se postulatis Auxanii annuere ante, quam sibi constaret de consensu Imperatoris, nunc Pallium tribuere absque ulla mentione nominis imperatorii, immo dicere, se id facere ex auctoritate beati Petri, tanquam facultas concedendi Pallium exstaret in eo, qui Petri cathedram teneret, quicunque tandem is foret. Sed his omissis, treanseamus ad mandata, quæ idem Pontifex dedit Auxanio.

Vide supra cap. 35. §. 12.

VI. Jubet igitur Vigilius, ut, si quæ inter Episcopos, qui sub regno vel potestate Childeberti Regis constituti erant, dissensiones emergerent, eæ ab Auxanio canonica & apostolica æquitate discuterentur cum competenti numero Episcoporum, ita ut judicium, quod eo ordine ferretur, vetustis Pontificum Romanorum regulis non repugnaret. Itaque sic vices suas Auxanio committit Vigilius, ut nihil illi soli licere velit in judiciis Episcoporum, omninoque imperat, ut ea non aliter judicentur, quam adhibito competenti comprovincialium Episcoporum numero. Sed istorum interim judicum electionem, ut erga Rufum Thessalonicensem fecerat Bonifacius, relinquit arbitrio sui Vicarii, ut integer ordo judiciorum & summa decernendi auctoritas penes illum essent. Statuit deinde, ut causæ illæ *canonica & apostolica æquitate* discutiantur ab Auxanio, tanquam dicere vellet, irritum futurum judicium, quod non ex æquitate Petri latum esset. Nam & eum vult sequi formam judiciorum in regulis ac decretis superiorum Pontificum contentam. *Ea modis omnibus prælato judicio finituri*, inquit, *quæ Deo placitis decessorum nostrorum possint regulis convenire.*

Vide supra cap. 24. §. 4. 16.

Vide supra l. 4. cap. 6. §. 3. & cap. 8. §. 7.

VII. Transit statim Vigilius ad causas fidei & ad reliquas majores causas, quarum relationem mitti jubet ad sedem apostolicam, si illæ *pro sui magnitudine* terminari non potuerint in Concilio provinciali. Afferam autem locum integrum, tum, ut lector facilius intelligat, hanc partem mandatorum Vigilii, &, ut locus iste, qui sanus non est in editionibus, per occasionem emendetur. Sic ergo legitur in toties laudato codice regio: *Si qua vero certamina aut de religione (quod Deus auferat) aut de quolibet negotio, quod ibi pro sui magnitudine terminari non possit, evenerint, totius veritatis indagine diligenti ratione discussa, relationis ad nos seriem destinantes, ea apostolicæ sedi terminanda servate; ut universis a fraternitate vestra competenti ratione dispositis, pax, quæ pro magno munere Apostolis dominica voce conlata est, Ecclesiæ Dei, quæ una est in toto orbe diffusa, stabili firmitate servetur, ne an-*

Vide supra cap. 35. §. 9.

tiqui

tiqui hostis possit quassatione vexari, in illius petra Christi Dei Domini & Salvatoris nostri electione firmata stabilitate consistens. Vult itaque Vigilius, ut emergens in provincia hæresis in Episcoporum provincialium examen veniat secundum morem antiquum. At si in examine provinciali causa illa non potuerit terminari, tum vero relationem ab Arelatensi antistite mitti ad sedem apostolicam, ut istius sedis auctoritate pax in Ecclesia retineretur, adeoque concordia revocaretur inter eos, qui de religione contendebant.

Vide supra cap. 8. §. 2.

VIII. Renovat deinde Vigilius privilegium, quod a Zosimo Papa profectum longa possessione firmatum, a Symmacho etiam confirmatum fuerat in gratiam Cæsarii. *Nullus ergo*, inquit, *de Pontificibus tuæ per has vices ordinationi commissis, sicut & ad eos data loquitur nostra præceptio, in longinquis quibuslibet locis audeat proficisci nisi solenni more, sicut a decessore tuo nostro prædecessore similiter concedente consueverant, formatam vestræ charitatis acceperint.* In epistola autem generali scripta ad Episcopos in regno Childeberti constitutos, cujus mentionem in ista fecisse eum vidimus, sic loquitur de necessitate accipiendarum formatarum ab Episcopo Arelatensi: *Illud pari auctoritate mandamus, ne quisquam Episcoporum sine prædicti fratris & coepiscopi nostri formata ad longinquiora loca audeat proficisci: quippe quia & decessorum nostrorum decessoribus ejus, quibus vices suas libentissime contulerunt, sanctæ sic definiunt jussiones.* Respicit itaque Vigilius ad rescripta Zosimi & Symmachi; qui, uti dicebamus, eam necessitatem jam antea imposuerant Episcopis Gallicanis.

Vide supra cap. 30. §. 4. & cap. 35. §. 11.

IX. Videbat Vigilius, necessariam esse literarum istarum publicationem, ut sua Arelatensi antistiti dignitas & auctoritas constaret. Itaque prædecessorum suorum exemplis instructus, qui de vicariatu Episcoporum Thessalonicensium ob eam ipsam causam rescripserant ad Episcopos Illyricianos, tum etiam Zosimi, qui de vicariatu Patrocli scripserat ad Episcopos per Gallias & Septem provincias constitutos, putavit scribendum esse ad Episcopos Gallicanos de vicariatu Auxanii, ut eorum consensu iste facilius uti posset ampla illa auctoritate, quam ei tribuebant literæ Vigilii ad ipsum datæ. *Quæ cuncta*, inquit, *ut fraternitas vestra melius per Dei gratiam possit implere, universis Episcopis, quibus te præesse voluimus, auctoritatis nostræ est serie declaratum.* Extat auctoritas illa seu literæ Vigilii ad Episcopos regni Childeberti. De his autem agemus in capite sequenti. Interim heic adnotandum est, necessariam tum futuram non fuisse eam præceptionem quoad Episcopos Gallicanos, si nulli alii Episcopi subjecti fuissent auctoritati Episcopi Arelatensis, quam qui jam inde a temporibus Zosimi & Symmachi ad ordinationem & synodum ejusdem Episcopi pertinebant. Illi quippe sueti erant imperio Arelatensis Episcopi, neque admonitione ulla indigebant, ut ejus jussa spectarent. Dispar ratio fuit eorum Episcoporum, qui tum recenter subjiciebantur Ecclesiæ Arelatensis antistiti, ut statim dicemus.

Vide supra cap. 24. §. 5. & cap. 26. §. 10.

X. Eodem porro tempore, quo generalem istam delegationem Auxanio concessit Vigilius, ei specialiter commisit causam Joannis Presbyteri & Teredii Diaconi adversus Prætextatum. Eam causam jubet, ut Auxanius cum competenti Episcoporum provincialium numero dijudicet secundum decreta præteritorum sedis apostolicæ Pontificum; *ratione prospiciens*, inquit, *ne aliquem facile ex laicis ad sacratos ordines saltu præcipiti cuiquam sacerdotum liceat aggregare.* Unde colligi debere puto, vel istum Prætextatum repente ex laico promotum esse ad ordines ecclesiasticos, non præmissa annua conversione, vel, si is Episcopus fuit, aliquem laicum præcipitanter contra canones admisisse ad clericatum. Istud vero emendari petebant Joannes & Teredius. Omnino autem persuasum habeo, errare illustrissimum Cardinalem Baronium, qui de Prætextato Rotomagensi Episcopo heic agi putat. Nam iste nondum, ut puto, erat Episcopus, quum Vigilius ista scribebat. Certe nondum pulsatus erat de ullo crimine; quippe qui nonnisi post annos triginta quatuor majestatis accusatus est a Rege Chilperico; ut pluribus narrat Gregorius Turonensis lib. V. cap. XIX.

CAPUT XXXVII.

Explicatur specialiter per partes epistola Vigilii Pontificis de vicariatu Auxanii.

SYNOPSIS.

I. Explicanda est in hoc capite epistola generalis Vigilii de vicariatu Auxanii.

II. Vicariatus ille tribuitur Auxanio per provincias, quæ pertinebant ad regnum Childeberti. Enumerantur provinciæ illæ. Fieri id potuit ad exemplum auctoritatis Episcopi primæ Justinianæ.

III. Ait Vigilius, sibi in beato Petro commissam esse curam universarum Ecclesiarum. Sumptum id ex sancto Leone. Hæc persuasio altius deinde penetravit in animos Pontificum Romanorum. Hinc descendit necessitas constituendorum per provincias Vicariorum.

IV. Emendatur & explicatur Vigilii locus, quo insinuat necessitatem constituendi Vicarii. Quæ emendatio confirmatur auctoritate ejusdem Vigilii.

V. Sic vices suas Auxanio committit, ut nihil illi soli licere velit in judiciis causarum. Causas autem majores referri jubet ad sedem apostolicam.

VI. Initur comparatio inter Episcopum Thessalonicensem & Arelatensem. Jubet Vigilius, uti Episcopi ab Auxanio evocati ad Concilium accedant, nisi justam ob causam abesse cogantur. Personam tamen pro se mittere debent.

VII. De formatis accipiendis ab Episcopo Arelatensi. Errant, qui putant, Aurelianum non statim successisse Leontio in cathedra Arelatensi.

I. OPeræ pretium fuit generalis epistolæ Vigilii ad Episcopos Gallicanos examen in hoc capite suscipere, velut divisione facta, ut epistolam illam, quæ specialem quandam curam ac diligentiam desiderare videtur, quod multa contineat notatu digna, per partes explicare possemus. Quod non adeo facile fuisset, si singulos quosque locos retulissemus in capite superiori ad epistolam, quæ data est ad Auxanium.

II. Primum igitur adnotandum est, vicariatum apostolicæ sedis Auxanio tribui, non solum in provinciis circum Arelatem positis, ut antea assolebat, sed etiam in provinciis, quæ pertinebant ad regnum Childeberti. *Dilectissimis fratribus universis Episcopis omnium provinciarum per Gallias, qui sub regno vel potestate gloriosissimi filii nostri Childeberti Regis Francorum constituti sunt, sed & his, qui ex antiqua consuetudine ab Arelatensi consecrati sunt vel consecrantur Episcopo.* Veteres provinciæ, quæ Arelatensi Episcopo subjectæ erant, quo tempore Vigilius ista statuebat, hæ fuerunt, Viennensis, Alpes maritimæ, utraque Narbonensis, Hispania Tarraconensis; nisi si ista tum distracta erat a corpore provinciarum, quæ Arelatensi Episcopo parebant. Itaque ad has provincias accesserunt magna pars quartæ Lugdunensis, & in hac, Parisii, aliqua pars secundæ Belgicæ, Silvanectum nimirum & Bellovacum, integra Lugdunensis secunda, Britannia & aliqua pars Aquitaniæ. Cum ergo nulla antea lege, nulla consuetudine istæ provinciæ pertinerent ad curam Arelatensis Episcopi, cui tamen imperium in illas tribui cupiebat Childebertus, & fieri istud non posset, nisi per concessionem vicium sedis apostolicæ, necessarium omnium fuit, adiri Papam Vigilium, qui Romanæ tum Ecclesiæ præsidebat,

Vide v. c. Carolum le Cointe ad an. 511. §. 56.

debat, ut illius decreto extraordinaria illa auctoritas, quæ provinciarum limites irrumpebat, in Arelatensem Episcopum conferretur. Et erat recens exemplum, si modo ista Gallis nostris nota erant, Archiepiscopi primæ Justinianæ; qui nuper vicariatum apostolicæ sedis acceperat a Vigilio per sex provincias, juxta postulata Imperatoris Justiniani. Quidni parem Arelatensi Episcopo intra Gallias auctoritatem conciliaret Childebertus?

Vide supra cap. 22. §. 9. & cap. 29. §. 5.

III. Concessurus Auxanio vices suas Vigilius, primum docet, sibi in beato Petro commissam esse curam universarum Ecclesiarum, ut de pace & statu earum sollicitus sit. Hæc persuasio, quæ extat in epistola sancti Leonis ad Episcopos Metropolitanos per Illyricum constitutos, altius postea penetravit in animos Pontificum, qui posterioribus seculis Romanam cathedram tenuerunt. Lubet autem referre ipsa Leonis verba, ut etiam in hoc loco ostendamus, Arelatensis Episcopi dignitatem efformatam fuisse ad exemplum privilegiorum Ecclesiæ Thessalonicensis. Sic ergo loquitur Leo de vicariatu Anastasii Episcopi Thessalonicensis: *Et quia per omnes Ecclesias cura nostra distenditur, exigente hoc a nobis Domino, qui apostolicæ dignitatis beatissimo Apostolo Petro primatum fidei suæ remuneratione commisit, universalem Ecclesiam in fundamenti ipsius soliditate constituens, necessitatem sollicitudinis, quam habemus cum his, qui nobis collegii charitate juncti sunt, sociamus. Vicem itaque nostram fratri & coepiscopo nostro Anastasio commisimus.* Eadem cogitatione imbutus Vigilius, primum sibi, ut diximus, in beato Petro commissam esse ait curam universarum Ecclesiarum, hinc vero descendit ad necessitatem constituendorum per provincias Vicariorum sedis apostolicæ, qui præsentiam Romani Pontificis repræsentent. Hæc sunt verba Vigilii: *Quantum nos divina potentia Apostolorum primi sedem, non pro nostris meritis, sed pro ineffabili suæ misericordiæ pietate, habere constituit, tantum nos de universarum Ecclesiarum dispositione, pace & statu convenit esse sollicitos; quippe cum doctor gentium dicat Apostolus: Instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum. Quomodo ergo inter Domini sacerdotes sancta & Deo placita potest manere concordia, nisi, ut, si humani generis hostis antiqua nequitia consuetam zizaniam seminare voluerit, sit, qui absentiam nostram sedis apostolicæ vicibus perfruendo spirituali gratia repræsentans auferat certamen exortum?*

Vide supra lib. 1. cap. 6. §. 3.

Vide infra cap. 47. §. 2.

Apud Holsten. p. 153.

IV. Hunc locum retuli ex fide codicis regii. Nam omnino aliter habetur in editionibus: ubi pro *sit qui absentiam &c.* legitur, *is qui absentiam nostram sedis apostolicæ vicibus perfruendo repræsentat, auferat certamen exortum.* Sed vulgatam lectionem non admittit sensus hujus loci. Nondum enim tributus Auxanio fuerat vicariatus, qui illi tantum committitur in consequentiam istius argumentationis. Ait quippe Vigilius, non posse aliter manere concordiam inter sacerdotes Domini, nisi sit aliquis, qui vice sua componat jurgia & certamina, quæ inter illos exorirentur; ea de causa concessisse se vices suas Auxanio. Præterea hanc emendationem esse legitimam, probatur etiam ex epistola ejusdem Vigilii ad Episcopos regni Childeberti de vicariatu Aureliani Episcopi Arelatensis, qui Auxanio successit. Etenim eodem argumentandi genere usus Vigilius ait: *Ita enim inter sacerdotes Domini potest pax super omnia Deo placita custodiri, si fuerit, qui vicium nostrarum auctoritate subnixus, personam nostram in Galliarum partibus præsentans, secundum consuetudinem, a nostris decessoribus attributam, sapienti & sollicita indagatione custodiens, si quam humani generis hostis antiquus zizaniam inter Dei famulos nequitia consueta seminare tentaverit, sapientiæ suæ moderamine adhibitis sibi fratribus & coepiscopis nostris justitia Deo placita scandala orta submoveat.*

V. Addit ergo post illa Vigilius: *Quapropter Auxanio fratri & coepiscopo nostro Arelatensis civitatis antistiti vices nostras charitas vestra nos dedisse cognoscat; ut si aliqua, quod absit, contentio fortassis emerserit, congregatis sibi fratribus & coepiscopis nostris causam canonica & apostolica integritate discutiens, Deo placita æquitate definiat.* Quo loco revocanda mihi est memoria eorum, quæ in proximo capite dicta sunt de judiciis Episcoporum, nimirum sic vices suas Auxanio commisisse Vigilium, ut nihil illi soli licere in hoc voluerit, cunctaque agi præscripserit in conventu comprovincialium Episcoporum. Causas vero majores sic committit Auxanio, ut ei necessitatem imponat mittendi relationem ad apostolicam sedem: *Contentiones vero si quæ, quas Dominus auferat, in fidei causa contigerint, aut tale emerserit forte negotium, quod pro magnitudine sui apostolicæ sedis magis judicio debeat terminari, ad nostram discussa veritate perferat sine dilatione notitiam.*

VI. Sequens istius Vigilii epistolæ caput pertinet ad celebrationem Conciliorum Diœceseos Gallicanæ. Sed ante, quam Vigilii verba referamus, non inutile erit, heic observasse, illum in ista constitutione secutum esse ordinem, quem sanctus Leo præscripserat Anastasio Episcopo Thessalonicensi. Nam cum supra adnotaverimus, in istius potestate & mandatis ferme cuncta contineri, quæ sequentibus seculis aut mandata Legatis sunt aut ab illis præsumpta, adnotaverimusque præterea, Arelatensem antistitem sedis apostolicæ per Gallias Vicarium factum esse ad exemplum potestatis, quæ Thessalonicensi Episcopo tributa erat per Illyricum, par est, ut comparationem eorum instituamus, ubi occasio tulerit. Sic enim fiet, ut lectores plane intelligant, parem intra Gallias Arelatensibus Episcopis auctoritatem tributam fuisse ac Thessalonicensibus intra Illyricum. Edixerat itaque Leo, vicariatum Anastasii Thessalonicensis Episcopi constituens, uti ad synodum quisquis Episcoporum ab Anastasio foret evocatus, occurreret, nec sanctæ se congregationi denegaret. Definierat præterea, ut, quisquis Episcoporum superbo animo, cum nulla corporis vel causæ foret necessitate detentus, fraternum sæpius vellet vitare conventum, se sciret esse judicandum. Nunc ergo Vigilius ait, tanquam suis verbis reddere destinasset sensum verborum Leonis: *Et quia necesse est, ut aptis, Deo propitiante, temporibus ab Arelatensi Episcopo, qui nostris vicibus fungitur, quotiens judicaverit expedire, pro facienda consolatione communi Episcoporum debeant congregari personæ, nullus inobediens ejus forte mandatis se a congregatione suspendat, nisi aut corporalis infirmitas, aut justæ causæ eum excusatio venire prohibeat.* Tum edicens, uti, qui justam ob causam non accesserit ad synodum, Presbyterum aut Diaconum pro se mittat injecta mentione promissionis Christi, qui se pollicitus est futurum in medio eorum, qui in nomine ejus congregati essent, addit: *Quid ergo se æstimat subiturum, qui Deo odiosa superbia in illa congregatione interesse contemnit, in qua se Dominus noster adfuturum pia promissione denuntiat?* Odiosa illa superbia, quam contumacibus illis Episcopis objicit Vigilius, est is ipse superbus animus, quem in Illyriis Episcopis damnat Leo. Ceterum hunc Vigilii locum edidimus ex fide ejusdem codicis regii, in quo legitur multo emendatior quam in editionibus.

Vide supra cap. 29. §. 1.

Supra cap. 30. §. 1.

Apud Holsten. p. 149.

Ibid. pag. 160. Vide supra cap. 26. §. 11. & 12.

VII. Postremum caput epistolæ Vigilii respicit necessitatem accipiendarum formatarum ab Episcopo Arelatensi. Qua de re cum multa jam a nobis dicta sint, quæ nunc repeti non est opus, transeamus ad Aurelianum, qui post Auxanium fuit Arelatensis Episcopus & sedis apostolicæ Vicarius per Gallias. Falluntur autem, ut recte observatum est a Saxio, qui putant, Aurelianum non statim successisse Auxanio. Sed hæc non sunt instituti nostri.

CA-

CAPUT XXXVIII.

De vicariatu Aureliani, Sapaudi & Licerii, Episcoporum Arelatensium.

SYNOPSIS.

I. Aurelianus succedens Auxanio fit Vicarius Apostolicæ sedis secundum vetustam consuetudinem. Generalem pro hac causa epistolam ad Episcopos Gallicanos dedit Vigilius secundum morem.

II. Aurelianus, sollicitus de bona fama Vigilii, illi per legatum significavit, qui sinistri rumores de illo essent. Iste, scripta ad eum epistola, fidem suam singillatim explicuit, simul illum admonens, ut illam in omnium Episcoporum Galliæ notitiam deducat. Evincunt ista, sollicitudinem Ecclesiarum Gallicanarum fuisse tum penes Episcopum Arelatensem.

III. Aureliano successit Sapaudus. Hunc statim Pelagius Papa vicibus apostolicæ sedis ornavit secundum morem. Tum usum ei Pallii concedit, & privilegium formatarum confirmat.

IV. Datum id precibus Childeberti Regis, ut patet ex epistola Pelagii ad Childebertum. Non meminit autem consensus Imperatoris pro concessione Pallii.

V. Admonet deinde Childebertum Pelagius, honorandum esse Sapaudum propter apostolicam vicem. Episcopi tum contendebant, Vicarios apostolicæ sedis subjacere debere judicio suorum collegarum, si quid peccarent. Explicatur epistola Pelagii. Ejus auctoritate ostenditur, vicariatum Arelatensem fuisse perpetuum.

VI. Sapaudo successit Licerius; quem vicibus etiam apostolicæ sedis & Pallio ornatum fuisse colligitur ex more tum recepto & ex epistola sancti Gregorii de vicariatu Virgilii, qui proxime successit Licerio.

I. Auxanio itaque Arelatensi Episcopo cum successisset Aurelianus, magnæ nobilitatis vir, ut vulgo existimant, antiquæ consuetudini & Childeberti Regis precibus datum a Vigilio est, ut is quoque Romani Pontificis Vicarius esset intra Gallias. Vetustam consuetudinem memoravi, tametsi hanc auctoritatem Vigilius non repetat disertis verbis a veteri more, quia video, illum omnino secutum esse vestigia decessorum suorum, eademque Aureliano mandata dedisse, quæ superioribus Episcopis Arelatensibus data fuerant jam inde a temporibus Zosimi. Præterea Vigilius, cum auctoritate illum sua ornasset, præscripto judiciorum ordine, hæc addit: *Quia ita decessores vestros, qui decessorum nostrorum vices egisse monstrantur, fecisse testimonium nostri declarat scrinii.* Non immorabor in explicandis mandatis Aureliano datis, cum satis in hanc rem incubuerim in superioribus capitibus. Illud tantum dicam, generalem ad Gallicanos Episcopos epistolam secundum morem dedisse Vigilium, ut eos certiores faceret, conlatum a se Aureliano fuisse vicariatum sedis Apostolicæ.

II. Post aliquot exinde annos, cum videret Aurelianus, sinistram de Vigilio famam in occidente spargi in causa trium capitulorum, ac si Vigilius contraria Chalcedonensi Concilio tradidisset, legationem ad eum misit, significans ei, qui tum rumores de illo essent, addens nihilo minus haud dubie non dubitare se, quin falsi essent, perspectam sibi esse fidem & prudentiam Vigilii, nihil facturum, quo suam famam dehonestaret. Intellexit vir prudens, quo tenderet istorum verborum sensus. Itaque scripta confestim epistola ad Aurelianum, primum fidem suam singillatim explicuit, deinde illum admonuit, ut hanc fidei suæ professionem in omnium Gallicanorum Episcoporum notitiam deduceret; *ut nullis*, inquit, *aut falsis scriptis, aut mendacibus verbis, aut nuntiis, qualibet ratione turbentur.* Evincunt autem illa, sollicitudinem Ecclesiarum Gallicanarum fuisse tum penes Episcopum Arelatensem, tanquam Vicarium sedis apostolicæ. (Vigil. epist. 7.)

Istius porro legationis, quæ per Anastasium missa est, mentio extat in epistola a clericis Italiæ directa ad Legatos Francorum, qui Constantinopolim proficiscebantur.

III. Aureliano successit Sapaudus anno quingentesimo quinquagesimo sexto. Statim vero Pelagius, Pontifex Romanus, istius nominis primus, eum vicibus apostolicæ sedis ornavit secundum morem; ut constat ex illius epistola ad Sapaudum, in qua sic legitur: *Majorum nostrorum operante Dei misericordia cupientes inhærere vestigiis & illorum actus divino juvamine in omnibus imitari, charitati tuæ per universam Galliam sanctæ sedis apostolicæ, cui divina gratia præsidemus, vices injungimus. Hoc enim antiquitatis memoria docet, hoc Ecclesiæ Romanæ testantur scrinia, a sanctis patribus & decessoribus nostris tuis decessoribus esse concessum.* Et infra: *Utere igitur, charissime frater, auctoritate Pontificis & pastoris mansuetudine per nos tibi locum Vicarii apostolicæ sedis divinæ gratiæ largitate concessum.* Tum usum ei Pallii concedit, & privilegium formatarum confirmat.

IV. Porro licet Pelagius in hoc secutus sit antiquum morem, petitionisque Childeberti mentionem non faciat in epistola ad Sapaudum, ex epistola tamen ab eo scripta ad eundem Childebertum patet datum id etiam precibus ejus. *Vices autem nostras*, inquit, *præfato consacerdoti nostro Sapaudo secundum petitionem vestram direximus, usum Pallii pariter concedentes; quia in scrinio ecclesiastico hujusmodi exempla reperimus, quibus ostenditur, Arelatensibus Episcopis a sanctæ recordationis decessoribus nostris hæc fuisse conlata.* Non meminit autem consensus Imperatoris pro concessione Pallii.

V. Admonet deinde Childebertum Pelagius, honorandum esse Sapaudum propter apostolicam vicem, omninoque procurare eum debere, ne is, quem per vices apostolicas augeri postulaverat *in aliqua parte cuiquam Gallicanorum sacerdotum vel cujuslibet ordinis ecclesiastici personæ contemptibilis habeatur.* Quippe tum descenderat aliquatenus dignitas Vicariorum sedis apostolicæ, ut observatum est superius, ac nihilominus Episcopi contendebant Vicarios illos, si peccarent, judicandos esse ab Episcopis suarum provinciarum. Hinc factum, ut, cum non ita multo post Sapaudus criminis cujusdam suspectus esset habitus, in judicium vocatus sit a suffraganeis suis secundum canones. Cum vero nollet se sistere judicio, Childebertus Rex eum compulit eam necessitatem subire. Qua de re graviter apud illum expostulavit Pelagius his verbis: *Passi estis subripi vobis, ut Sapaudum fratrem & coepiscopum nostrum Arelatensis civitatis antistitem, cujus Ecclesia in regionibus Gallicanis primatus privilegio & sedis apostolicæ vicibus decoratur, ad petitionem Episcopi ab ipso ordinati in judicium sequentis civitatis Episcopi, quod nulla ecclesiastica lege vel ratione conceditur, judicandum juberetis occurrere.* Ex hoc interim loco discimus, falli eos, qui vices apostolicas Arelatensi Ecclesiæ affixas non fuisse contendunt, sed personis tantum datas. Nam cum Pelagius doceat, Ecclesiam Arelatensem vicibus apostolicæ sedis decoratam esse, planum est ex his, quæ dicta sunt in capite XXII. privilegium illud perpetuum fuisse & ad omnes ex æquo Arelatenses Episcopos pertinuisse; ita tamen, ut renovatione interdum indigeret, non secus ac Thessalonicensis Ecclesiæ privilegium.

VI. Mortuus est Sapaudus anno quingentesimo octuagesimo nono; cui statim successit Licerius Regis Gunthramni Referendarius; ut Gregorius Turonensis tradit in libro VIII. histor. Francor. cap. XXXIX. Hunc non invenio functum esse vicibus apostolicæ sedis. Attamen ex epistola Gregorii Magni ad Virgilium, de qua agemus in capite sequenti, colligi potest, Licerium quoque Vicarium sedis apostolicæ egisse intra Gallias. Vices enim suas & usum Pallii concedens Virgilio, cuncta revocat ad anti-

antiquum morem; tum hunc honorem debitum esse ait Episcopo Ecclesiæ Arelatensis, & nihil de debito honore subtrahendum illi esse. Quod evincit rursum, vices apostolicæ sedis loco tributas fuisse, non personis tantum, adeoque Licerium vicibus apostolicæ sedis & Pallio fuisse decoratum. Moriens autem Licerius successorem habuit Virgilium, ut narrat idem Gregorius Turonensis lib. IX. cap. XXIII.

CAPUT XXXIX.

De vicariatu Virgilio Arelatensi a Gregorio M. collato.

SYNOPSIS.

I. Virgilius Arelatensis Episcopus petit a sancto Gregorio vices apostolicæ sedis & Pallium juxta antiquam consuetudinem. Non repugnavit Gregorius.

II. Debitum fuisse hunc honorem Ecclesiæ Arelatensi, colligitur ex verbis sancti Gregorii.

III. In epistola generali ad Episcopos Gallicanos Gregorius renovat auctoritatem, quam prædecessores ejus tribuerant Episcopis Arelatensibus.

IV. Vices suas & Pallium Virgilio concedens Gregorius, vult tamen sua singulis Metropolitanis jura servari. Explicatur locus ille sancti Gregorii, qui non est simpliciter intelligendus.

V. Modum deinde præscribit utendi Pallio, ut iret obviam ambitioni Virgilii, ne is Pallio illo ceu quodam indumento quotidiano uteretur. Habuit posterioribus temporibus hoc privilegium Hincmarus Archiepiscopus Remensis. Sed ipse eo privilegio non utebatur.

VI. Gregorius præscribens ordinem judiciorum decernit, duodecim judices in qualibet causa debere esse. Pelagius Papa decreverat eam esse certam provinciam, quæ decem vel undecim Episcopos judices habebat sub uno Metropolitano. Quod etiam observatum est ab Urbano secundo.

VII. Gregorius in Angliam mittens Augustinum, eum Virgilio commendavit, cum per Arelatem transiturus esset. Virgilium vocat Metropolitanum Galliarum. Pallium Arelatensibus Episcopis tributum antiquitus.

VIII. Vices apostolicæ sedis concessas olim fuisse Ecclesiæ Arelatensi, probatur auctoritate Gregorii septimi. Desiit autem ea auctoritas post Gregorium Magnum.

I. Constitutus in Arelatensi sede Virgilius, vir magnarum virtutum & magnorum meritorum, nihil prius aut antiquius habuit, quam ut dignitatem Ecclesiæ suæ collatam conservaret. Sedebat tum in cathedra Romana Gregorius cognomento Magnus, vir, ut sanctissimus, ita doctissimus, peritissimus jurium sedis apostolicæ, ac politiæ ecclesiasticæ callentissimus. Ad hunc ergo Virgilius, suffragatione usus Regis Childeberti, literas scripsit, petens, ut juxta antiquum morem sibi tribueret vices apostolicæ sedis & Pallium. Non repugnavit Gregorius; sed missa ad eum epistola per Joannem Presbyterum & Savinum Diaconum Ecclesiæ Arelatensis, ut est in veteri codice MS. bibliothecæ regiæ, cuncta primum concessit, quæ postulata ab eo erant, deinde illum aliquot præceptis instruxit circa negotia quædam magni momenti, mandataque dedit similia his, quæ decessoribus Virgilii data fuerant a superioribus Pontificibus Romanis. *Quod vero in eis juxta antiquum morem*, inquit, *usum Pallii ac vices sedis apostolicæ postulasti, absit, ne aut transitoriæ potestatis culmen aut exterioris cultus ornamentum in vicibus nostris ac Pallio quæsisse te suspicer*. Et paulo post: *Libente ergo animo postulata concedimus; ne aut vobis quicquam de debito honore subtrahere aut præcellentissimi* (S. Gregor. lib. 4. epist. 50.)

filii nostri Childeberti Regis petitionem contempsisse videamur. Acta hæc anno quingentesimo nonagesimo quinto.

II. Gregorius itaque vices suas & Pallium concessit Virgilio, non ad preces Childeberti simpliciter, neque, ut personam Virgilii honoraret, sed quia id vetus consuetudo poscebat, quæ in plerisque vim legis obtinet. Debitum namque Virgilio fuisse hunc honorem, non obscure significat: quia nimirum Ecclesiæ Arelatensi sic tributum erat illud privilegium, ut ad omnes successores pertineret, ita tamen, ut confirmatio privilegii petenda esset a Romano Pontifice, quoties novus Arelatensi cathedræ datus erat antistes. Nam & consuetudinem illam rursum urget sanctus Gregorius in epistola ad Childebertum: *Unde & gratanter ea, quæ scripsistis, accepimus, &, quæ voluistis, animo libenti concessimus; atque ideo fratri nostro Virgilio Arelatensis civitatis Episcopo vices nostras juxta antiquum morem & excellentiæ vestræ desiderium Deo favente commisimus; cui etiam & Pallii usum, sicut prisca habuit consuetudo, concessimus*. (S. Gregor. lib. 4. epist. 53.) Item in epistola ad Episcopos in regno Childeberti constitutos: *Opportunum esse perspeximus in Ecclesiis, quæ sub regno præcellentissimi filii Childeberti Regis sunt secundum antiquam consuetudinem fratri nostro Virgilio Arelatensi Episcopo vices nostras tribuere*. (Ibid. epist. 52.)

III. Jam antea multoties observavimus, necessariam fuisse promulgationem hujus privilegii, ne quis se juris ignorantia tueri posset. Ea de causa Gregorius, præter epistolas ad Virgilium & ad Childebertum scriptas, alias dedit ad Episcopos, qui sub regno Childeberti erant, ob necessitatem publicandæ legis, ut diximus. Eodem tempore ad illos scripsit de potestate, quæ Virgilio competebat tanquam Vicario sedis apostolicæ, in judiciis nimirum episcopalibus, congregatione Conciliorum generalium, majorum causarum relatione ad sedem apostolicam, de literis formatis ab illo accipiendis. Sed hoc postremum caput præcipue urget, respiciens haud dubie ad rescripta Zosimi, Symmachi & Vigilii. Ait enim: *Hoc etiam vos pariter prævidimus admonendos, ut nullus vestrum ad longinquiora loca sine præfati fratris & coepiscopi nostri Virgilii auctoritate tentet aliquo modo proficisci; scientes quia & prædecessorum nostrorum, qui vices suas ejus prædecessoribus commiserunt, sic procul dubio mandata definiunt*.

IV. Redeamus nunc ad Virgilium. Ad illum itaque scribens Gregorius de variis disciplinæ capitibus, flectit rursum ad concessionem Pallii & vicium suarum: *Itaque fraternitati vestræ vices nostras in Ecclesiis, quæ sub regno sunt præcellentissimi filii nostri Childeberti, juxta antiquum morem Deo auctore committimus, singulis siquidem Metropolitis secundum priscam consuetudinem proprio honore servato*. Hic locus non est leviter prætereundus. Etenim Gregorius sic vices suas juxta antiquum morem committit Virgilio, ut tamen singulis Metropolitanis secundum priscam consuetudinem jura sua servari velit. Quod a Pontificibus Romanis observatum fuisse vetustis temporibus, cum vices suas cuipiam tribuerent, observat alibi ex Hincmaro illustrissimus Archiepiscopus. Videndum ergo, quid sibi velit hoc loco Gregorius. (Marca in lib. de Primat. §. 51.) Neque enim hinc colligi potest, nihil auctoritatis ab eo tribui Virgilio supra Metropolitanos, cum constet, illum accepisse potestatem super omnes Episcopos in regno Childeberti constitutos. Intelligit ergo Gregorius, sic usurum auctoritate ista extraordinaria Virgilium, ut tamen Metropolitanis relinquat ordinationes Episcoporum secundum veterem morem. (Vide supra cap. 27. §. 2. & cap. 34. §. 11.) Sed hic mos explicandus est ex epistola sancti Leonis ad Anastasium Thessalonicensem; ex qua colligitur, servandas quidem esse Metropolitanis ordinationes comprovincialium Episcoporum, sed eas celebrari non posse extra conscientiam Vicarii, ut supra adnotavimus.

V. Transit deinde Gregorius ad concessionem Pallii, modum præscribens utendi. *Pallium quoque*

quæ transmisimus, inquit, *quo fraternitas tua intra Ecclesiam ad sola Missarum solennia utatur*. Timebat fortassis, ne Virgilius, ut humanum est ambitione labi, Pallio ceu quodam quotidiano indumento uteretur ad fastum & ad ostentandam auctoritatem suam. Hic Gregorii metus se prodere videtur in initio illius epistolæ, in qua sic legitur: *Absit, ne aut transitoriæ potestatis culmen aut exterioris cultus ornamentum in vicibus nostris ac Pallio quæsisse te suspicer*. Habuit posterioribus sæculis hoc privilegium Hincmarus Remensis Archiepiscopus, ut ei liceret, si vellet, uti quotidie Pallio, ut refert Flodoardus. Sed ipse in epistola XXXVI. ad Nicolaum Papam scribit, eo privilegio usum non fuisse, quod ad aliud illum oporteret *tendere & de aliis cogitare, quam alicui pompæ ac ostentationi applaudere*. Privilegia porro sibi concessa a summis Pontificibus ea de causa petiisse se, ut hac novitate carnales & animales homines, apud quos veteres constitutiones jam quasi pro vili habebantur, ut ipse ait, territi reverentius se erga Remensem Ecclesiam haberent. Hæc sunt ejus verba ex epistola ad Nicolaum Papam: *Privilegia autem sedis apostolicæ non ideo petii, ut mihi non sufficeret, quod sacri canones & decreta sedis Romanæ Pontificum cuique metropoli concedunt*. Et nonnullis interjectis ait se privilegia illa petiisse, *ut quia veteres constitutiones jam quasi pro vili apud quosdam habentur, his novis decretis carnales & animales homines territi quiddam reverentius contra Ecclesiam indignitati meæ commissam agerent*. Sequenti deinde seculo Agapitus II. Papa Brunoni Archiepiscopo Coloniensi misit Pallium *& privilegium apostolicæ sublimitatis auctoritate traditum, quo & eodem Pallio præter consuetudinem sacerdos Domini, quoties vellet, indui permissus*, ut ait Rogerus in vita ejusdem Brunonis. Nam secundum consuetudinem uti non poterat Pallio nisi certis anni diebus. Sanctus autem Gregorius Joannem Archiepiscopum Ravennatem reprehendit, quod præter morem eo uteretur in litaniis.

Flodoard. lib. 3. hist. Rem. cap. 10.

S. Gregor. lib. 2. ind. 11. epist. 55.

VI. Illud postremo annotandum est, in epistola Gregorii ad Virgilium, quod, cum superiores Pontifices causarum judicia indefinite commisissent Episcopis Arelatensibus cum competenti numero collegarum, iste numerum Episcoporum judicum, haud dubie quo minor esse non possit, decernit esse duodecim. *Si qua vero inquisitio de fide*, inquit, *vel fortasse aliarum rerum inter Episcopos causa emerserit, quæ discerni difficilius possit, collectis duodecim Episcopis ventiletur atque decidatur*. Respiciebat fortassis ad epistolam, si tamen ea vera est ac genuina, decessoris sui Pelagii, qui ita scripserat ad Episcopos, qui ad synodum CP. convenerant, evocati a Joanne CP. Episcopo: *Scitote certam provinciam esse, quæ habet decem vel undecim civitates & unum Regem & totidem minores potestates sub se & unum Episcopum aliosque suffragatores decem vel undecim Episcopos judices, ad quorum judicium omnes causæ Episcoporum & reliquorum sacerdotum ac civitatum causæ referantur*. Hanc eandem regulam, ut hoc obiter dicam, in medium adduxit Urbanus II. cum episcopatum Atrebatensem restitueret. *Liquet, sanctorum canonum institutis integram esse provinciam & Metropolitanum proprium debere sortiri, quæ duodecim constat episcopatibus*.

Apud Miræum in Notit. Eccles. Belg. pag. 239. & Tom. 3. Spicileg. Dacher. p. 123.

VII. Post aliquot exinde annos Gregorius, de salute Anglorum sollicitus, Augustinum in eam insulam misit cum dignitate & auctoritate Vicarii sedis apostolicæ. Et quia ille, ut in Angliam trajiceret, Galliam per Massiliam & Arelatem petiturus erat, literas ei commendatorias dedit ad Virgilium, in quibus eum vocat Metropolitanum Galliarum, quod primi sacerdotis locum teneret intra Gallias, ut Pelagii primi verbis utamur. Cum vero Augustinus postea consisteret in Anglia, deque multis disciplinæ capitibus consuluisset Gregorium, inter alia petiit, qualiter deberet cum Galliarum atque Britannorum Episcopis agere. Ad quæ Pontifex ita respondit: *In Galliarum Episcopos nullam tibi auctoritatem tribuimus; quia ab antiquis prædecessorum nostrorum temporibus Pallium Arelatensis Episcopus accepit, quem nos privare auctoritate percepta minime debemus*. Virgilius erat tum Arelatensis Episcopus. Is vero Pallium non acceperat ab antiquis prædecessorum Gregorii temporibus, sed a Gregorio. Itaque sic explicandus est hic locus, ut dicere voluerit Gregorius, Pallium Arelatensi Episcopo, quisquis is tandem foret, perpetuo privilegio, cui derogari non debebat, tributum fuisse ab antiquis temporibus; sicut supra simili argumento ostendimus, omnes Illyricianas Ecclesias pertinuisse ad curam Thessalonicensis antistitis, quisquis is tandem foret, adeoque privilegium Episcopi Thessalonicensis fuisse perpetuum.

S. Gregor. lib. 5. ind. 14. epist. 53.

Idem lib. 12. Ind. 7. epist. 31.

Vide infra cap. 42. §. 5.

VIII. Arelatensi Ecclesiæ tributas fuisse olim vices apostolicæ sedis, aperte scribit Gregorius VII. ad Archiepiscopum Remensem his verbis: *Inde est, quod Arelatensis Ecclesia, non solum a beato Gregorio doctore dulcifluo, sed etiam a pluribus ejus sanctis antecessoribus, cum haberet vicem sedis apostolicæ, ut omnes Episcopos totius regni Francorum, quod tunc latius extendebatur, ad Concilium convocaret, eosque in judicio constringeret, sine cujus licentia nullis ex supradictis Episcopis longe a suo episcopatu fas erat abire, post aliqua tempora pro quibusdam causis prædicta potestas & auctoritas cessavit & suam vicem aliis, quibus placuit, sedes apostolica concessit*. Quibus verbis innuere hoc quoque videtur Gregorius, desiisse eam Arelatensium Episcoporum auctoritatem post tempora Gregorii Magni.

Gregor. VII. lib. 6. epist. 2.

CAPUT XL.

De varia vicariatus Arelatensis fortuna, extincto Virgilio.

SYNOPSIS.

I. Extincto Virgilio Episcopo Arelatensi, extincta quoque est vicaria dignitas Ecclesiæ Arelatensis. Neque enim constat, Joannem aut Felicem, qui postea sedem illam tenuerunt, fuisse Vicarios apostolicæ sedis.

II. Rotlandus postea tentavit restaurare antiquam Ecclesiæ suæ dignitatem, irrito conatu.

III. Felicior fuit Rostagnus, qui Pallium & vices apostolicæ sedis accepit a Joanne VIII. Papa. Verum non constat, an ea auctoritate usus sit. Certe in Conciliis deinde subscripsit longo intervallo post alios Episcopos.

IV. Temeritas Rostagni in ordinatione Episcopi Narbonensis repressa. Saxius refellitur, qui putavit, Joannem Pontificem Romanum ad Rostagnum scripsisse, uti Agius Narbonensis Episcopus deponeretur.

V. Raimbaldus vices apostolicæ sedis obtinuit seculo sequenti, & subjectionem Metropolitani Aquensis. Attamen ista auctoritas diu non valuit.

VI. Unicum illud privilegium sequenti tempore habuit Arelatensis Archiepiscopus, ut nulli prorsus Legato, nisi ei tantum, qui de Romani Pontificis latere destinatus esset, subjiceretur. Probatur ex Innocentio III.

I. EXtincto itaque Virgilio, extinctam quoque fuisse puto vicariam dignitatem Ecclesiæ Arelatensis. Certe non video, quemquam eorum, qui post ista tempora cathedram Arelatensem tenuerunt, appellari Vicarium apostolicæ sedis, neque aliqua magna aut extraordinaria auctoritate instructum fuisse. Unus Joannes Arelatensis Episcopus occurrit, cui anno DCLXVIII. Vitalianus Papa commendavit Theodorum Episcopum & Adrianum Abbatem in Angliam profecturos. Quod ut explicari fortassis posset ex epistola Gregorii Magni, cum Virgilio commendaret Augustinum, sic in-

Beda lib. 4. c. 1.

sic intelligi potest de simplici epistola commendatitia ad Joannem scripta, quod necessario eundum viris illis esset per Arelatensem civitatem. In Concilio Romano, quod ab Agathone Papa habitum est anno DCLXXX. subscripsit Felix Episcopus Arelatensis *Legatus venerabilis synodi per Galliarum provincias constitutæ*. Sed hinc nulla prærogativa Episcopi Arelatensis colligi potest. Quippe in eadem synodo adfuerunt Adeodatus Leucorum Episcopus & Taurinus Diaconus Tolonensis, ambo Legati venerabilis synodi per Galliarum provincias constitutæ.

II. Tentavit deinde Rotlandus, Arelatensis Episcopus, anno DCCCLXIV. veterem Ecclesiæ suæ dignitatem instaurare, irrito tamen conatu, ut opinor. Quamvis enim Nicolaus primus agnoscat, prædecessores suos Romanos Pontifices commisisse olim vices suas Episcopis Arelatensibus, nullam ei tribuit auctoritatem; tantum illi pollicetur protectionem sedis apostolicæ, si, ut se facturum scripserat, decretis ipsius obedire curaret. Interrogaverat præterea Nicolaum Rotlandus, an sibi fas foret legatos ad apostolicam sedem mittere, ut summum Pontificem faceret certiorem de his, quæ intra provinciam emergerent. Istud quoque probavit Nicolaus, ea cautione adhibita, ut legatos suos moneret Rotlandus, ne reditum suum præcipitarent. *Nicol. I. epist. 41. Tom. 3. Concil. Gall.*

III. Felicior Joannis VIII. pontificatu fuit Rostagnus successor Rotlandi. Hic enim anno DCCCLXXVIII. usus ipsissimis verbis, quibus in causa Virgilii usus erat sanctus Gregorius, Pallium vicesque suas Rostagno concessit per Gallias, deque ea re epistolam scripsit ad Episcopos Gallicanos, descriptam ex ea, quam pro vicariatu Virgilii ad Episcopos regni Childeberti scripserat sanctus Gregorius. Ususne sit ea auctoritate Rostagnus, quam a Joanne Papa acceperat, difficile dictu est. Illud unum affirmare licet, eum in Conciliis & conventibus, per ea tempora habitis, longo intervallo subscripsisse post Archiepiscopos aliarum sedium, immo postpositum aliquoties fuisse simplicibus episcopis. *Joan. VIII. epist. 94. 95.*

IV. Anno deinde DCCCCXII. incidit occasio, quæ Rostagno viam aperire videbatur ad invadendam ordinationem Episcopi Narbonensis. Moris erat inter Episcopos provinciarum Narbonensis & Arelatensis, ut, si quid emergeret in alterutra provinciarum, quod congregationem sacerdotum requireret, vicinæ provinciæ Episcopos, præcipue vero Metropolitanum, evocarent in provinciam, quæ auxilio indigebat. Hinc subscriptiones Episcoporum Arelatensium in Conciliis provinciæ Narbonensis. Occiso igitur Arnusto Archiepiscopo Narbonensi, cum clerus & populus Narbonensis convenissent pro facienda successoris electione, optimum factu visum est, si Rostagnus Arelatensis rogaretur Narbonem accedere, cum Episcopis provinciæ Narbonensis consulturus de novo pastore eligendo & de vindicanda cæde Arnusti. Ille vero venit quidem in provinciam; sed Agathæ substitit cum Ancelino Episcopo Uceticensi, ibique Gerardum quendam, Ancelini consanguineum evexit ad fastigium cathedræ Narbonensis. Hactenus ea res satis feliciter cesserat. Sed tandem Agii electio prævaluit; adeoque Rostagni conatus irritus fuit. Manifestum porro est, Saxium fuisse deceptum, qui ex falso quodam catalogo Archiepiscoporum Narbonensium collegit, Joannem X. literas ad Rostagnum Arelatensem Agii exauctorandi causa direxisse. Nam ex narratione, quæ extat apud Catellum, & ex epistola ejusdem Joannis ad Episcopos suffraganeos Ecclesiæ Narbonensis, quam idem Catellus edidit, omnino constat, hunc Joannem approbasse electionem Agii. *Catellus lib. 5. Memor. Occit. pag. 775.* *Pontific. Arelat. pag. 186.*

V. Medio seculi sequentis Raimbaldus Arelatensis Archiepiscopus vetustam Ecclesiæ suæ dignitatem & auctoritatem mente revolvens, opportunitate temporum usus est, ut a sede apostolica obtineret vices apostolicæ sedis, ac præterea subjectionem Aquensis Archiepiscopi renovavit. Extat enim sacramentum Pontii Aquensis, in quo debitam subjectionem & reverentiam & obedientiam a sanctis patribus constitutam, secundum præcepta canonum, sanctæ sedi Arelatensi perpetuo se exhibiturum promittit. Præfuit deinde Raimbaldus Concilio Tolosano anno MLVI. ubi dicitur esse Vicarius Papæ Victoris una cum Pontio Aquensi. Attamen ista auctoritas diu non valuit. Etenim in dedicatione Ecclesiæ Barcinonensis, quæ facta est biennio post, Guifredus Narbonensis Archiepiscopus primo loco nominatur ante Raimbaldum. Unde colligi debet, extincto Victore extinctam quoque fuisse auctoritatem, quam is dederat Archiepiscopo Arelatensi. *Apud Saxium pag. 204.*

VI. Unicum illud privilegium habuit sequenti tempore Arelatensis Archiepiscopus, ut nulli prorsus Legato, nisi ei tantum, qui de Romani Pontificis latere destinatus esset, subjiceretur. Testatur id Innocentius III. in epistola ad Arelatensem Episcopum scripta anno MCCVIII. quæ ita habet.

Licet per apostolicum privilegium sit indultum, ut nulli prorsus Legato, nisi ei tantum, qui de Romani Pontificis latere fuerit destinatus, Arelatensis provincia sit subjecta, quia tamen ad eliminandam hæreticam gravitatem & rabiem sedandam hostilem ad partes illas Legatos necessario destinavimus, quibus te volumus prudenter assistere ac providere, auctoritate tibi præsentium præcavemus, ut per obsequia propter necessitatem hujusmodi prædictis Legatis impensa nullum tibi vel Ecclesiæ tuæ præjudicium generetur. Datum Laterani VI. Nonas Maji, an. XI. *Innoc. III. lib. 11. epist. 68.*

CAPUT XLI.

Dubia quædam, quæ circa vicariatum Arelatensem vulgo moventur, removentur.

SYNOPSIS.

I. Adversus ea, quæ supra dicta sunt, nonnulli quædam argumenta opponunt, ut probent, Arelatenses Episcopos nunquam fuisse usos auctoritate Vicarii apostolicæ sedis. Aperitur ratio conciliandæ istius contradictionis.

II. In re tamen adeo antiqua nihil afferri certi potest, nisi, quod certum est, extraordinariam illam Arelatensium Episcoporum auctoritatem viguisse a temporibus Zosimi usque ad sanctum Gregorium.

III. Ex capite Artaldus *quidam colligunt, Archiepiscopum Arelatensem fuisse subjectum Archiepiscopo Narbonensi. Viderunt Correctores Romani mendum heic esse, istudque caput pronuntiarunt intelligendum esse de Episcopo Electensi in prima Narbonensi. Quos recte in hoc reprehendit Bosquetus.*

IV. Referuntur opiniones Abbatis antiqui, Ostiensis, & Joannis Andreæ.

V. Item opinio V. C. Joannis Dartis.

VI. Certum est, heic non agi de Episcopo Arelatensi, sed de Helenensi apud Ruscinones; qui tum erat Artaldus, ut patet ex veteribus monumentis illorum temporum. Artaldo successit Ermengaudus.

VII. Caput illud non posse intelligi de Episcopo Electensi hinc probatur, quod ævo Urbani II. nondum Episcopus institutus erat in monasterio Electensi.

I. ADversus ea, quæ huc usque dicta sunt de eximia illa Archiepiscoporum Arelatensium auctoritate, quidam opponunt subscriptiones quorundam Conciliorum & ad quædam veteris ævi monumenta, ex quibus colligi videtur, aut vicariam illam dignitatem rem vanam ac futilem fuisse, aut certe eos illa nunquam usos fuisse. Sed si quis diligenter & accurate expendere velit fidem rerum a nobis proditarum, is profecto inveniet, Arelatenses Episcopos vere usos esse ea auctoritate, quam illis concesserant summi Pontifices cum bona Principum venia. Perturbatus esse potest in vetustis codicibus, ut sæpe accidit, ordo subscriptionum,

uti jam adnotatum est a viris doctissimis. Præterea ea tum fortassis erat publica Gallicanæ Ecclesiæ disciplina, ut, tametsi Vicariorum apostolicæ sedis prærogativam agnoscerent, loco tamen non cederent, nisi quatenus ordinatione antiquiores erant.

II. In re tamen adeo antiqua & obscura nihil certi afferre possumus, nisi, quod, uti diximus, certum est, extraordinariam illam Arelatensium Episcoporum auctoritatem viguisse a temporibus Zosimi usque ad Gregorium Magnum; quamvis verum sit, eam variis interim procellis jactatam fuisse, prout Romanis Pontificibus displicebat istorum Vicariorum audentia. Qua de re fuse disseruimus supra, ubi occasio tulit.

III. Ceterum ante, quam finem ultimum imponamus huic causæ, res postulare videtur, ut, qui Arelatenses Episcopos ostendimus prælatos fuisse universis Episcopis Gallicanis, in primis vero Narbonensi, eum subtrahamus jurisdictioni Archiepiscopi Narbonensis, cui subjectum illum fuisse nonnulli colligunt ex capite *Artaldus* apud Gratianum, ubi sic legitur ex gestis Urbani secundi: *Artaldus Arelatensis Episcopus, Narbonensis Ecclesiæ suffraganeus, Romam consecrandus ad Dominum Papam Urbanum venit. Suus quippe Archiepiscopus eum consecrare nolebat &c.* Inter omnes hodie convenit, hunc locum esse mendosum. Etiam aliqui glossatores antiqui id ipsum viderunt, sed in ænigmate. Stephanus Episcopus Tornacensis paulo ultra progressus, ait, credere se, scriptores errasse in hoc nomine *Arelatensis* & ex assidua scriptione jam fere omnes libros in hoc corruptos. Correctores Romani, qui videbant, mendum heic esse, hunc locum ita emendandum existimarunt, ut pro *Arelatensis* reponeretur *Electensis*, quia Episcopus Electensis est vere suffraganeus Archiepiscopi Narbonensis. Sed illos ob hanc emendationem reprehendit vir illustrissimus Franciscus Bosquetus Episcopus Monspeliensis, qui retinendam esse putat vulgatam lectionem, ut capitis istius auctoritate probet, Arelatensem Episcopum fuisse olim subjectum Archiepiscopo Narbonensi. Frustra. Nam toto Urbani II. pontificatu is, qui cathedræ Arelatensi præsidebat, non vocabatur Artaldus, sed Gibelinus, ad eam cathedram vocatus anno MLXXVI. cum Achardus ab Hugone Episcopo Diensi sedis apostolicæ Legato depositus fuisset in Concilio Avenionensi. Gibelinus porro eam tenuit usque ad annum MCVII. quo eum fuisse factum Patriarcham Hierosolymitanum in loco Ebremari depositi testatur Willelmus Tyrius.

§ 9. 3. cap. Artaldus. — *Nota ad epistolas Innoc. III. pag. 1142* — *Chron. Hugonis Flaviniac. p. 206.* — *Will. Tyr. lib. 11. cap. 4.*

IV. Abbas antiquus, qui videbat, auctorem glossæ ex capite *Artaldus* collegisse, uti alii fecere, Arelatensem Episcopum fuisse suffraganeum Archiepiscopi Narbonensis, reprehendit in hoc loco auctorem glossæ, & ait, Arelatum semper fuisse civitatem & semper consuevisse ibi esse Archiepiscopum, eumque non subesse Narbonensi, immo Narbonensem potius sibi videri subesse, quia Arelatensis Archiepiscopus in omnibus Episcopis Galliarum primus accepit pallium. Ostiensis, qui censet, literam esse corruptam in capite *Artaldus*, ait etiam, Arelatensem Ecclesiam ab antiquo honorabilem esse & palliatam. Joannes Andreæ in additione ad rubricam Speculatoris de auctoritate & usu pallii fatetur, se multum impeditum esse in explicatione istius difficultatis, huc descendere coactus, ut suspicaretur, Ecclesiam Arelatensem fuisse suffraganeam Ecclesiæ Narbonensis, Urbani II. pontificatu, sed postea factam fuisse metropolitanam, *sicut novissime per Dominum nostrum Clementem VI. Ecclesia episcopalis Pragensis suffraganea Maguntiæ facta est archiepiscopalis.* Inscientia antiquitatis, qua secula illa laborabant, has tenebras offudit oculis virorum doctissimorum.

Abbas ant. in c. Per venerabilem. Qui fil. sint legit. — *Ost. in c. Per venerabilem. Qui fil. sint legit.*

V. Vir clarissimus Joannes Dartis, regius sacrorum canonum professor, in academia Parisiensi, cui constabat Arelatensem Episcopum non esse suffraganeum Ecclesiæ Narbonensi, Agathensem autem pertinere ad provinciam Narbonensem, putabat, istic legi debere *Agathensis* pro *Arelatensis*. Neque ratione vacabat hæc conjectura. Siquidem ingens hiatus habetur in catalogo Episcoporum Agathensium illius temporis, adeoque locus esse poterat pro Artaldo.

VI. Contra certum est, hic non agi de Episcopo Arelatensi, neque de Agathensi, sed de Helenensi sive Elenensi, ut tum scribebant, in finibus Galliæ Narbonensis. Rogerus de Hoveden pag. 715. edit. Francofurt. Helenam urbem vocat *Alne*, ita scribens: *Terra, quæ vocatur Russilum, in qua est civitas bona, quæ dicitur Alne.* Hanc capitis istius emendationem, quæ alioqui manifesta est, reperi in duobus antiquissimis codicibus manuscriptis, uno regio, altero meo, in quibus sic scriptum est: *Artaldus Alanensis Episcopus &c.* Recte. Nam Artaldus factus est Episcopus Helenensis anno MLXXXVII. uti diximus in libro quarto Marcæ Hispanicæ. Passus autem contradictionem a Dalmatio Archiepiscopo Narbonensi propter causas in hoc capite relatas, diu remansit sine consecratione, donec tandem Romam accedens, ab Urbano Papa consecratus est. Puto, Dalmatium istud non accepisse patienter & noluisse Artaldum agnoscere pro Episcopo. Quippe Urbanus post ista scribens ad Raynerium Legatum ei mandavit, ut de causa Helenensis Episcopi diligenter inquireret eamque finiret. *Elenensis quoque Episcopi*, inquit, *causam diligenter inquirito, & inter Narbonensem Archiepiscopum & ipsum justo omnia judicio definito.* Interfuit Artaldus Concilio Nemausensi an. MXCVI. una cum Bertrando Archiepiscopo Narbonensi Dalmatii successore. Obiit autem ante annum millesimum centesimum. Etenim eo ann. Ermengaudus erat Episcopus Helenensis, uti dictum est in libro quarto Marcæ Hispanicæ.

VII. De Electensi porro sive Alectensi Episcopo, tametsi sit semperque fuerit suffraganeus Ecclesiæ Narbonensis, istud caput intelligi non posse, hinc probatur, quod ævo Urbani II. Alectensis Episcopus nullus erat in provincia Narbonensi, qui beneficio demum Joannis XXII. institutus est in monasterio Alectensi.

CAPUT XLII.

De vicariatu Zenonis Episcopi Hispalensis, & Joannis ut & Sallustii per Hispaniam, Maximiani per Siciliam, & denique Augustini per Angliam.

SYNOPSIS.

I. Vicariatus Augustino Cantuariensi Archiepiscopo concessus fuit privilegium personale. Cantuarienses porro Archiepiscopi non nisi diu post ista tempora facti fuerunt Vicarii apostolicæ sedis.

II. Simplicius Papa vices suas per Hispaniam concessit Zenoni Episcopo Hispalensi, absque ulla jurisdictione, tantum, ut canones & decreta apostolicæ sedis servari procuraret.

III. Hormisda vices suas per Hispaniam concessit Joanni Episcopo, sive ille Tarraconensis fuit, sive Illycitanus.

IV. Verum non ei tribuit tantam potestatem, quanta tributa fuerat Episcopis Thessalonicensibus & Arelatensibus. Explicatur istius potestas. Fuit simplex delegatio absque jurisdictione.

V. Dispar ratio est Sallustii Episcopi Hispani, cui idem Hormisda vicariatum concessit cum jurisdictione conjunctum. Mandata porro illi data non undequaque conveniebant, cum mandatis, quæ data fuerant Episcopis Ecclesiarum Thessalonicensis & Arelatensis.

VI. Idem Hormisda vices suas contulisse dicitur in Gallia sancto Remigio Remensi Episcopo. Verum literæ Hormisdæ de vicariatu Remigii respuuntur ab eruditis.

VII. San-

VII. Sanctus Gregorius vices suas in Sicilia commisit Maximiano Episcopo Syracusano. Sed hoc privilegium fuit personale.

VIII. Idem Gregorius sollicitus de Anglis fide Christiana imbuendis, illuc misit Augustinum Abbatem; quem postea Episcopum ordinari jussit, Palliòque decoravit.

IX. Vices apostolicæ sedis illi datæ sunt cum Pallio, cum quo ea dignitas conjuncta erat. Porro privilegium illud fuit personale. Posterioribus seculis Archiepiscopus Cantuariensis erat Legatus natus sedis apostolicæ in Anglia.

I. POst explicatum vicariatum Ecclesiæ Arelatensis, res postulare prima fortassis fronte videretur, ut etiam ageremus de dignitate Ecclesiæ Cantuariensis, cujus Archiepiscopus Augustinus apostolicæ sedis Vicarius fuit in Anglia. Verum quoniam privilegium illud personale tantum fuit, non vero perpetuum, ut manifeste colligitur ex epistola Gregorii Magni ad Augustinum, quam Beda recitat, cum præterea constet, Cantuarienses Archiepiscopos nonnisi diu post ista tempora factos fuisse Vicarios Romani Pontificis, nos, qui veterum solummodo temporum Vicarios suscepimus examinandos, omittimus hanc materiam, ut, quantum fieri poterit, paucissimis verbis loquamur de viris illis, quorum personis vices suas Romani Pontifices antiquitus commiserunt.

Beda lib. 1. cap. 29.

II. Primus hujusce generis Vicarius occurrit Zeno Episcopus Hispalensis, quem Papa Simplicius circa annum CDLXVII. ea dignitate ornans, nulla eum jurisdictione instruxit; tantum eum monuit, ut curam canonum & decretorum apostolicæ sedis susciperet in regionibus Hispanicis, ut ea observari procuraret. *Talibus idcirco gloriantes indiciis*, inquit Simplicius, *congruum duximus, vicaria sedis nostræ te auctoritate fulciri; cujus vigore munitus, apostolicæ institutionis decreta vel sanctorum terminos patrum nullo modo transcendi permittas.*

III. Sequenti seculo vixit Hispanus alter Episcopus, nomine Joannes, quem vulgo putant Tarraconensem Episcopum fuisse; cum tamen admoneat auctor catalogi Archiepiscoporum Tarraconensium præfixus volumini Constitutionum provincialium Tarraconensium in veteri canonum libro hunc Joannem Illicitanæ Ecclesiæ Episcopum appellari. Ad hunc ergo literas anno DXXI. scripsit Hormisda Pontifex Romanus, in quibus post laudes ejus, quod pro ecclesiasticis disciplinis sanciendis apostolicam sedem consuluisset, hæc addit: *Et quia per insinuationem dilectionis tuæ nobis est viæ patefacta providentia, remuneramus sollicitudinem tuam, & servatis privilegiis Metropolitanorum, vices vobis apostolicæ sedis eatenus delegamus, ut inspectis istis, sive ea, quæ ad canones pertinent, sive ea, quæ a nobis sunt nuper mandata, serventur, sive ea, quæ de ecclesiasticis causis tuæ revelationi contigerint, sub tua nobis insinuatione pandantur. Erit hoc studii ac sollicitudinis tuæ, ut talem te in his, quæ injunguntur, exhibeas, ut fidem integritatemque ejus, cujus curam suscipis, imiteris.*

IV. His verbis Hormisda tantam huic Joanni potestatem non tribuit, quantam Thessalonicensibus & Arelatensibus tribuerant olim Romani Pontifices. Sic enim vices illi suas delegat, ut nihil illi licere velit in provincia; tantum illum admonet relationem ad apostolicam sedem mittere, quoties ex causæ intra hanc partem Hispaniæ, in qua iste habitabat, evenirent, de quibus necessario consulenda esset eadem sedes. Ceterum non tribuit illi judicia causarum neque potestatem convocandi Concilia, necessitatem demum accipiendarum ab eo formatarum non imponit Episcopis peregre profecturis. Immo in epistola tum scripta ad universos Episcopos Hispaniæ, tametsi scribat, se constituta ista edidisse post suggestionem Joannis, nullam tamen illi prærogativam tribuit, neque ejus mandata aut monita spectare, jubentur Episcopi Hispani. Unde patet, vicariatum illum fuisse simplicem delegationem absque jurisdictione; tantum, ut esset in Hispania, qui de omnibus, quæ illic evenirent, referret ad apostolicam sedem, ne quid alicujus momenti lateret Episcopum Romanum.

V. Ejusdem Hormisdæ beneficio Hispanus alter Episcopus, nomine Sallustius Hispalensis, ut vulgo putant, Episcopus vicariatum cum auctoritate conjunctum accepit per Bæticam Lusitaniamque provincias. Nam, præter cetera, hanc ei potestatem tribuit Hormisda, ut Concilia congregare possit, ad quæ convenire teneantur Episcopi. Tum causarum, quæ inter Episcopos emergerent, cognitionem ei judiciumque committit. *Vices itaque nostras*, inquit, *per Bæticam Lusitaniamque provincias, salvis privilegiis, quæ Metropolitanis Episcopis decrevit antiquitas, præsenti tibi auctoritate committimus, augentes tuam hujus participatione ministerii dignitatem, relevantes nostras ejusdem remedio dispensationis excubias.* Tum de celebrandis Conciliis & de causis Episcoporum judicandis: *Quoties universalis poscit religionis causa, ad Concilium te cuncti fratres evocante conveniant; & si quos eorum specialis negotii pulsat * contentio, jurgia inter eos oborta compesce, discussa sacris legibus determinando certamina.* Demum vero jubet, ut de singulis quibusque negotiis ad se rescribat, etiam de iis, quæ finem in provincia accepissent; prorsus contra mandata, quæ Vicariis Thessalonicensi & Arelatensi data fuerant, qui tum demum relationem ad apostolicam sedem mittere tenebantur, si causa in provinciali judicio terminari non potuisset. *Quicquid autem illic*, inquit Hormisda, *pro fide & veteribus constitutis, vel provida dispositione præcipies, vel persona nostræ auctoritate formabis, totum ad scientiam nostram instructæ relationis attestatione perveniat.*

** Vetustissimi codices MSS. habent intentio. Quæ lectio est optima.*

VI. Hunc eundem Hormisdam volunt sancto Remigio Remensi Episcopo vices suas commisisse per regnum Clodovei, qui baptizatus & insertus corpori Christi fuerat ab eodem Remigio. Extant porro literæ ad Remigium propterea datæ ab Hormisda, descriptæ, ut visum est viris eruditissimis, ex superiori epistola ad Sallustium, adeoque fortassis referendæ inter spurias Pontificum Romanorum epistolas. Certe Sirmondus, cum Conciliorum Galliæ tomos adornaret, in quos varia Romanorum Pontificum rescripta, conjecit, istud omisit, non omissurus hauddubie si qua in eo lux veritatis deprehensa ab illo fuisset. Quia tamen sunt, qui epistolam illam germanam esse contendunt, judicio suo fruantur.

VII. Sanctus Gregorius vices suas in pluribus provinciis commisit diversis Episcopis, quos recensere supervacaneæ esset diligentiæ. Heic tantum agere paucis institui de vicariatu Maximiani Episcopi Syracusani & Augustini Cantuariensis. Ad Maximianum quod spectat, cum ad eum extent plurimæ Gregorii epistolæ, hac inprimis ejus auctoritatem sancivit in Siculas Ecclesias. *Super cunctas Siciliæ Ecclesias reverendissimum te virum Maximianum fratrem & coepiscopum nostrum vices sedis apostolicæ ministrare decernimus, ut, quisquis illic religionis habitu censetur, fraternitati tuæ ex nostra auctoritate subjaceat: quatenus eis non sit necessarium post hæc pro parvulis ad nos causis tanta maris spatia transmeando pervenire; sed si qua fortasse difficilia existunt, quæ fraternitatis tuæ judicio nequaquam dirimi possint, hæc solummodo nostrum judicium flagitent, ut sublevati de minimis, in causis majoribus efficacius occupemur.* Ne vero successores Maximiani ex ea epistola asserere in posterum Syracusanæ sedi conarentur vicariatum apostolicæ sedis, his eam verbis concludit: *Quas videlicet vices, non loco, sed personæ tribuimus: quia ex transacta in te vita didicimus, quid etiam de subsequenti tua conversatione præsumamus.* Privilegium itaque fuit personale.

Gregor. l. lib. 2. Indict. 10. epist. 4.

Vi[illegible]

VIII. Anno Christi DXCVI. cupiens Gregorius Anglos imbuere religione Christi, illuc misit Augustinum Abbatem, quem postea Episcopum ordinari jussit, Pallioque decoravit. Tum ei mandavit, ut duodecim Episcopos per diversa loca ordinaret sub Londinensis Ecclesiæ, ad quam ordinatus erat Augustinus, auctoritate. Mandavit præterea, ut totidem Episcopi ordinarentur sub Episcopo Eboracensi. Hos autem omnes, id est, universos Britanniæ Episcopos, decernit semper subjectos fore Augustino, ita tamen, ut privilegium illud non transeat ad successores. *Post obitum vero tuum*, inquit, *ita Episcopis, quos ordinaverit* (Eboracensis nimirum Episcopus) *præsit, ut Londoniensis Episcopi nullo modo ditioni subjaceat. Sit vero inter Londoniensis & Eboracensis civitatis Episcopos in posterum honoris ista distinctio, ut ipse prior habeatur, qui prius fuerit ordinatus.*

IX. Objici potest, nullam in his Gregorii literis mentionem esse vicariatus apostolici, adeoque hinc colligi non posse, Episcopos Britanniæ subjectos Augustino fuisse tanquam Vicario summi Pontificis. Et sane certum est, vicariatum illum datum non fuisse Augustino conceptis verbis. Attamen affirmare licet, eum vices apostolicæ sedis accepisse cum Pallio. Quod manifeste colligitur ex nono ejusdem Gregorii responso ad interrogationes Augustini, quæ extant apud Bedam. Interrogaverat illum Augustinus, qualiter deberet cum Galliarum & Britanniarum Episcopis agere. Respondit Gregorius: *In Galliarum Episcopos nullam tibi auctoritatem tribuimus: quia ab antiquis prædecessorum meorum temporibus Pallium Arelatensis Episcopus accepit, quem nos privare auctoritate percepta minime debemus.* Cum Pallio igitur conjuncta tum erat dignitas Vicarii apostolicæ sedis, quam adimere Arelatensi Episcopo injustum esse putabat Gregorius. Dispar ratio fuit de Episcopis Britanniæ; quos, cum nulli alii Vicario parerent, subjectos esse statuit Augustino, ut in superiori epistola. Ait enim in fine istius responsi: *Britanniarum vero omnes Episcopos tuæ fraternitati committimus, ut indocti doceantur, infirmi persuasione roborentur, perversi auctoritate corrigantur.* Porro privilegium hoc personale fuisse jam observavimus. Posterioribus tamen seculis Vicarii sive Legati dignitas affixa est Ecclesiæ Cantuariensi, ita, ut Ecclesiæ illius Episcopus diceretur Legatus natus sedis apostolicæ.

Beda l. 1. c. 27.

CAPUT XLIII.

De vicariatu Bonifacii in Germaniam a Pontificibus Romanis missi.

SYNOPSIS.

I. Gregorius II. Papa Bonifacium in Germaniam misit, ut gentes illas in fide Christi erudiret. Is gessit vicem Petri inter feroces & indomitas gentes.

II. Legatione igitur Romanæ sedis ornatus est, ut ipse docet apud Othlonum & alibi. Probatur etiam auctoritate Hincmari.

III. Legationem exercuit cum consensu Regum nostrorum & Episcoporum, in neminem contumeliosus. Agnovit autem, nullam se muneris sui partem exequi posse absque auctoritate Caroli Francorum Principis. Caroli Martelli pietas laudata a Bonifacio & a Pontificibus Romanis. Bonifacius auctoritatem ecclesiasticam nusquam frangi permisit, quod probatur auctoritate Lupi Ferrariensis.

IV. Gregorius II. Legatum suum Bonifacium commendavit Carolo Martello, tum omnibus Francis, rogans eos, uti Bonifacio sociisque ejus alimenta victui necessaria subministrarent.

V. Quæritur, an ad Bonifacium pertinuerit congregatio Conciliorum. Poterat cogitare de celebrando Concilio; sed ejus ministerium quoad hoc in sola suggestione positum erat, omninoque auctoritate Principis opus erat ad Concilia congreganda. Quod probatur auctoritate Concilii Liptinensis, tum etiam testimonio VVillibaldi.

VI. Extincto Zacharia, opus Bonifacio fuit vicariatus continuationem petere a Stephano secundo.

VII. Familiaritatis apostolicæ sedis vocabulo intelligitur vicariatus Romanus. Probatur auctoritate Bonifacii, Nicolai primi, & Innocentii tertii.

VIII. Refertur epistola Bonifacii ad Stephanum, qua petit, uti legatio sedis apostolicæ sibi continuetur.

IX. Ostenditur, id factum ab eo non esse prava ambitione, sed ut extraordinaria illa auctoritate uteretur ad majorem Dei gloriam. Instituitur aliqua comparatio inter Bonifacium & Hilarium Episcopum Arelatensem.

X. Bonifacius abstinuit a nomine Legati, donec eam dignitatem rursum accepit a Stephano, ut colligitur ex duabus illius epistolis. Martyrium pro Christo deinde subiit in Frisia.

I. QUemadmodum Gregorius primus Anglos fide Christiana imbuendos susceperat, ita Gregorius secundus Germanorum curam gessit, misso in eam provinciam Winfrido sive Bonifacio anno Christi septingentesimo decimo nono. De viri illius virtutibus necesse nunc non est quicquam dicere, cum satis fama notus sit, resque ab eo præclare gestæ claris jam scriptoribus memoratæ sint. De legatione tantum ejus agendum est, ut intelligere possimus, in quo ea versaretur, & quis ex ea fructus colligi pro rebus nostris possit. Illud tamen interim observare possumus in antecessum, multis eum variisque contractionibus jactatum esse, utpote qui, ut ad ipsum scribit Benedictus Episcopus & Vicedominus sanctæ sedis apostolicæ, vicem beati Petri gereret inter feroces & indomitas gentes. Plurimum tamen solatii inter tot mala habuit ex gratia Principum nostrorum, qui sua eum auctoritate juvarunt, eoque usi sunt ad revocandam collapsam disciplinam ecclesiasticam. S. Bonifac. epist. 145.

II. Legatione illum Romani Pontificis ornatum fuisse, cum in Germaniam missus a Gregorio est, tametsi Presbyter tantum esset, patet ex verbis ipsius ad Willibrordum Episcopum Trajectensem, quæ recitat Othlonus. *Onus regiminis*, inquit, *quod mihi indigno imponere cupis, sancte Præsul, suscipere non audeo, quia a beato Gregorio Papa in Germaniam ob evangelizandi causam directus sum; ipsiusque legationis gratia in has barbaras nationes adveniens, sponte me tuæ gubernationis imperio subjeci.* Ea de causa ipse se eadem tempestate vocabat ultimum & pessimum omnium legatorum, quos catholica & apostolica Romana Ecclesia ad prædicandum evangelium destinavit. Et multo post ad Zachariam Pontificem Romanum scribens ait: *Et quia servus & Legatus apostolicæ sedis esse dignoscor, unum sit verbum & meum hic & vestrum ibi.* Testatur idipsum & Hincmarus in epistola XLIV. cap. XX. *Gregorius a primo secundus, sed & tertius Gregorius, VVinfrid cognomento Bonifacium Legatum apostolicæ sedis ad reformandam Christianitatis religionem, primo Presbyterum, postea vero Episcopum ordinatum, direxerunt.* Othlon. in vita Bonif. cap. 15. Vide etiam VVillibaldum in vita Bonif. cap. 6. Bonifac. epist. 25. Idem epist. 132.

III. Vicariatum ille suum exercuit cum consensu Regum nostrorum & Episcoporum, quorum intererat, nulla injuria facta juri Principum aut Conciliorum. Istud ex epistola CXXXV. Bonifacii ad Zachariam collegit illustrissimus Archiepiscopus, in qua sic legitur: *Notum enim sit paternitati vestræ, quia postquam indigno mihi mandastis in provincia Francorum, sicut & ipsi rogaverunt, sacerdotali Concilio & synodali conventui præesse, multas injurias & persecutiones passus sum.* Sane ipse Bonifacius, scribens in initiis suæ legationis ad Danielem Episcopum, agnoscit, nullam se muneris sui partem exequi posse absque auctoritate Caroli Francorum Principis. *Nam sine Patrocinio Principis Francorum nec populum regere, nec Presbyteros* Vide infra l. 6. cap. 29. §. 1. S. Bonifac. epist. 3.

vel

vel Diaconos, monachos vel ancillas Dei defendere possum, nec ipsos paganorum ritus & sacrilegia idolorum in Germania sine illius mandato & timore prohibere valeo. Quod ne quis ad vim aut contradictionem Caroli referre possit, prohibet auctoritas ipsius Bonifacii, qui pietatem ejus multis laudibus celebrat, tum etiam epistolæ summorum Pontificum Gregorii II. & Gregorii III. ac Zachariæ, qui eum & vivum & mortuum laudant, ob cetera quidem bene facta ejus, sed etiam ob auxilium Bonifacio præstitum in diversis causis ecclesiasticis. Præterea Lupus Ferrariensis in vita sancti Wigberti cap. III. Bonifacium laudat, quod auctoritatem ecclesiasticam nusquam frangi permiserit eamque violari non consenserit a Principibus, inter quos diu versatus est. Hæc sunt verba Lupi loquentis de Bonifacio: *Fuit enim fidei Christianæ cum propugnator acerrimus, tum propagator vigilantissimus, nesciens aucupari favorem Principum fœdissimis adulationibus, nec honorem seu rigorem ecclesiasticum mortiferis compendiis ac male dulcoratis refrigeriis enervare.* Unde colligi debet, legitima seculo illo visa esse, quæ tempore Bonifacii agebantur in causis ecclesiasticis a Principibus Francorum.

IV. Mittens itaque Gregorius II. Bonifacium in Germaniam, Episcopum jam ordinatum, cum vicibus apostolicæ sedis, primum, quod dignitas apostolicæ sedis postulabat, eum commendavit Carolo Francorum Duci, cui Martello cognomen hæsit. *Pro quibus eum gloriosæ benevolentiæ tuæ*, inquit, *omnimodo commendamus, ut in omnibus necessitatibus adjuvetis, & contra quoslibet adversarios, quibus in Domino prævaletis, instantissime defendatis.* Sciebat enim, non aliter posse hominem peregrinum versari inter Francos, quam cum consensu Principis, eum præsertim, qui aliqua auctoritate instructus esset, quæ suspicionem novarum rerum injicere potuisset in animum Principis. Ceterum, ut essent, qui eum favore suo juvarent apud Carolum, Bonifacium per epistolam generalem commendavit Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Ducibus, Castaldiis, Comitibus, omnibusque Deum timentibus, rogans præterea eos, uti Bonifacio sociisque ejus alimenta victui necessaria subministrarent. Verum contributio illa, præterquam, quod voluntaria erat, infra mediocritatem subsistebat, quod (ut recte adnotat illustrissimus Archiepiscopus) exigui admodum sumptus sufficerent homini frugaliter viventi & Apostolorum virtutibus æmulanti.

Vide infra l. 6. cap. 24. §. 1.

Bonif. ep. 123.

Vide infra l. 6. cap. 30. §. 9.

V. Quæri autem hoc loco potest, an Bonifacio, qui Romani Pontificis Legatus erat, ea fuerit auctoritas, ut ad eum pertineret congregatio Conciliorum; præsertim cum in mandatis, quæ Thessalonicensibus & Arelatensibus Episcopis data vidimus, illud in primis eis tribuatur, ut, quoties ita putaverint esse faciendum, synodos congregent in suis provinciis, quæ mandata data quoque deinceps sunt Legatis, quos post Caroli Magni tempora Romani Pontifices miserunt in provincias. Nam & in epistola Zachariæ ad Bonifacium legimus, ipsum a Papa petiisse, uti sacerdotem quendam mitteret in Galliam ad Concilia celebranda. *Petisti*, inquit Zacharias, *ut sacerdos a nobis dirigatur in partibus Franciæ & Galliæ ad Concilia celebranda.* Unde colligi posse videtur, penes Legatos fuisse per eas tempestates auctoritatem congregandi Concilia. Verum hanc controversiam statim solvit ipse Zacharias. Nam cum dixisset, necessarium non esse, ut alius pro hac causa dirigatur in illam provinciam Bonifacio superstite, *qui sedis apostolicæ & nostram illic præsentas vicem*, demum addit: *Concilia vero, aggregatis Episcopis provincialibus, ut tibi & ubi tibi rectum videtur celebranda procura.* Poterat ergo Legatus cogitare de celebrando Concilio; sed ejus ministerium quoad hoc in sola suggestione positum erat, omninoque auctoritate Principis opus erat ad Concilia congreganda, ut patet etiam ex præfatione Concilii Liptinensis. Quare Willibaldus in vita sancti Bonifacii cap. IX. ista recte annotavit: *Cumque Caroli, Ducis gloriosi, temporale finitum esset regnum, & filiorum ejus Carolomanni & Pipini roboratum esset imperium, tunc quippe Domino Deo opitulante, ac suggerente sancto Bonifacio Archiepiscopo, religionis Christianæ confirmatum est testamentum, & orthodoxorum patrum synodalia sunt in Francis correcta constituta.* Item cap. X. *Carolomannum Ducem ad congregandum supradictum synodorum conventum sæpissime concitavit.* Sed tum de hac causa, tum etiam de ceteris rebus gestis Bonifacii in legatione, nihil amplius dicam, quoniam illustrissimus Archiepiscopus ista accurate executus est, in lib. VI. cap. XXIV. XXIX. & lib. VIII. cap. XI.

Bonifac. epist. 140.

VI. Vicariam sedis apostolicæ dignitatem per sex & triginta annos habuit Bonifacius, decursis videlicet duorum Gregoriorum & Zachariæ pontificatibus, qui hoc ei munus summa cum ejus laude mandaverant. Illis cum successisset Stephanus istius nominis secundus anno DCCLII. videretque, se velut contemni a Bonifacio, qui toto biennio neque nuntium ad eum miserat, neque literas, quibus ei gratularetur successionem in cathedra Apostolorum, ac nihilo minus vicariam illam potestatem absque suo permissu retinebat, haud dubie adversus illum incanduit, expirasse eam potestatem docens morte Zachariæ, adeoque caveret, ne quid deinceps ex ea præsumeret. Ista ita contigisse mihi collegisse videor ex epistola Bonifacii ad Stephanum: in qua deprecans errores suos, tum tarditatem suam excusans, omnibus modis contendit a Stephano, uti sibi continuaretur ea dignitas, multum obtestatus, se nihil eorum prætermisisse, quæ conducere putasset ad asserendam Romani Pontificis auctoritatem apud exteras nationes, emendaturum porro, si quid minus bene gestum esset, tantum ne ipsum ea ignominia afficeret, ut tot per annos fixum fastigii regimen sibi abrogaret.

Bonif. Mogunt. epist. 91.

VII. Sed ante, quam Bonifacii verba referam, admonendus est lector familiaritatis apostolicæ sedis vocabulo; quo heic utitur Bonifacius, intelligi vicariatum Romanum. Testis erit ipse Bonifacius, in epistola CXXXV. ad Zachariam: in qua loquens de vicibus apostolicæ sedis sibi commissis, quibus per triginta tum annos ornatus fuerat, ait: *Postquam me ante annos prope triginta sub familiaritate & servitio apostolicæ sedis annuente & jubente venerandæ memoriæ antistite apostolico Gregorio anteriore voto constrinxi, quicquid mihi lætitiæ acciderat apostolico Pontifici solebam indicare.* Ista clarius explicat Othlonus Fuldensis in vita Bonifacii, de Gregorio III. loquens: *Sed & familiaritatem*, inquit, *sedis apostolicæ sibi omnibus sibi subjectis perenniter reservandam privilegio confirmavit.* Sic etiam fortassis explicanda est vox familiaritatis in epistola XIX. Nicolai primi ad Lotharium Regem Austrasiæ, qua eum rogat, ut Rodoaldum Portuensem Episcopum & Joannem Ficoclensem Legatos apostolicæ sedis *digno honore suscipiat, & familiaritatis eis locum concedat*, id est, honorem illis habeat congruentem viris, qui familiaritate seu legatione sedis apostolicæ instructi erant, &, ut eos Legatorum auctoritate uti sinat. Sic Innocentius III. instaurationi privilegiorum Ecclesiæ Thessalonicensis intentus, uti supra adnotavimus, ita scribit ad G. Thessalonicensem, cujus decessores vetustis temporibus fuerant apostolicæ sedis Vicarii per provincias Illyricianas: *Licet autem præfatus antistes satis profecto fuerit ex Ecclesiæ suæ dignitate conspicuus, magis tamen utique fuit, ex apostolicæ sedis familiaritate præclarus.*

Othlon. lib. 1. de vita Bonifacii pag. 413.

Vide supra cap. 20. §. 4.

VIII. Referenda nunc sunt ipsa Bonifacii verba, ex quibus constabit, illum valde voluisse continuato imperio uti, & omnino accensum contumelia Pontificis animum placare ob eam causam studuisse. *Sanctitatis vestræ clementiam intimis ac visceratis obnixe flagito precibus, ut familiaritatem & unitatem sanctæ sedis apostolicæ ab almitatis vestræ clementia impetrare & habere merear, & in discipu-*

S. Bonifac. epist. 91. & T. 2. Concilior. Galliæ pag. 7.

latu pietatis veſtræ ſedi apoſtolicæ ſerviendo, ſervus veſter fidelis ac devotus permanere poſſim, eodem modo, quo ante ſub tribus præceſſoribus veſtris apoſtolicæ ſedis ſerviebam venerabilis memoriæ duobus Gregoriis & Zacharia, qui me ſemper hortatione & auctoritate literarum ſuarum muniebant & adjuvabant, quod & pietatem veſtram agere deprecor, ut præceptum paternitatis veſtræ eo melius perficere & implere poſſim. Nam ſi quid in iſta legatione Romana, qua per XXX. & VI. annos fungebar, utilitatis Eccleſiæ præfatæ peregi, adhuc implere & augere deſidero. Si autem minus perite aut injuſte a me factum aliquid vel dictum reperitur, judicio Eccleſiæ Romanæ prompta voluntate & humilitate emendare me velle ſpondeo. Interea deprecor, ut pietas Domini mei non indignetur, quia tam tarde Miſſum meum & litteras ad præſentiam veſtram direxi. Sed hoc idcirco contigit, quia præoccupatus fui in reſtauratione Eccleſiarum, quas pagani incenderunt, qui per titulos & cellas noſtras plus quam XXX. Eccleſias vaſtaverunt & incenderunt. Et hæc fuit occaſio tarditatis litterarum & appellationis paternitatis veſtræ, & non aliqua negligentiæ incuria.

IX. Mirari autem hoc loco non abſurde quis poſſet, quid eſt, quod vir inſigni modeſtia præditus, ac morti proximus, quique longiſſimum per ævum palam profeſſus fuerat contemptum rerum humanarum, nunc timida, ut videtur, ambitione & ſollicita cupiditate legationis Stephani animum demiſſo obſequio & inclinata mente mitigare ſtudet. Iſta quidem vulgo ſunt indicia pravæ ambitionis, quæ in animos hominum ſanctiſſimorum penetrare non poteſt. Sed quia etiam ſapientibus, ut Tacitus obſervat, cupido gloriæ noviſſima exuitur, fatendum quidem eſt, supereſſe adhuc aliquid humani in ſanctis illis viris, ſed tamen eorum conſilia, quæ interdum humana eſſe prima facie videntur, ad gloriam ſummi Dei ſpectare, huc omnes eorum cogitationes tendere, & nihil aliud ſpirare eos, cum cogitant de acquirendis aut conſervandis honoribus, quam ut ex ea occaſione multa pro imperio agant ad gloriam Dei, quæ non adeo facile exequi poſſent, ſi privata tantum auctoritate agerent. Hilarium Arelatenſem Epiſcopum ſanctiſſimum virum fuiſſe omnes norunt. Et tamen ille multum ſollicitus fuit de retinenda auctoritate ſe-
Vide ſupra cap. 32. §. 5. dis ſuæ per Gallias. Sed, ut oſtenderet, non id ſe aliqua parva ambitione agere, Romam proficiſcens ad tuendam dignitatem ſuam, non rheda, non equo vectus eſt, non ambitioſum comitatum duxit neque impedimenta; ſed ingreſſus iter pedibus, in equum omnino non aſcendit. Itidem Bonifacius, cum ſe permulta ad gloriam Dei & ad augmentum Chriſtianæ religionis feciſſe intelligeret per ſex & triginta annos, quibus legationem apoſtolicæ ſedis obtinuerat, multaque adhuc ſupereſſe, quibus ad optatum finem perducendis neceſſaria eſſet continuatio ſuæ legationis, putavit vir ſanctus omni ſtudio conandum eſſe, uti ea ſibi continuaretur a Stephano Papa.

S. Bonifac. epiſt. 6. 8. 13. 19. 85. 105. 141. X. Ceſſiſſe Bonifacium monitis Papæ Stephani & a nomine Legati abſtinuiſſe, donec eam dignitatem rurſum accepit a Stephano, colligitur ex titulo iſtius epiſtolæ. Nam cum in plurimis epiſtolis conſuevilſet ſe vocare Legatum Germanicum ſedis apoſtolicæ & Romanæ Eccleſiæ, etiam ad Zachariam ſcribens, heic abſtinet ab illo nomine, diſcipulum tantum ſe dicens Eccleſiæ Romanæ. *Domino excellentiſſimo*, inquit, *& præ ceteris Pontificibus præferendo & amando & apoſtolatus privilegio prædito Stephano Papæ Bonifacius exiguus Epiſcopus, diſcipulus Romanæ Eccleſiæ, optabilem in Chriſto charitatis ſalutem.* At poſtea, quam mitigatus Stephanus imperium ei continuavit, tum vero ad eum ſcribens Legatum ſe rurſum Germani-
Idem epiſt. 97. cum nuncupavit. *Venerando ac diligendo Domino*, inquit, *apoſtolatus privilegio prædito Stephano Papæ Bonifacius exiguus Legatus vel Miſſus Germanicus catholicæ & apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ optabilem in Chriſto charitatis ſalutem.* Fuit ergo Romanæ Eccleſiæ Legatus etiam ſub Stephano ſecundo, id eſt, uſque ad finem vitæ. Nam non ita multo poſt occiſus eſt a paganis, cum verbum Dei prædicaret in Friſia.

CAPUT XLIV.

De novo Legatorum a Romana ſede miſſorum genere generatim, & ſpeciatim de legatis a Nicolao I. in Galliam miſſis.

SYNOPSIS.

I. Hactenus antiquitas. Aperit ſe deinceps nova rerum facies. Quod, ut melius intelligatur, ineunda primum eſt velut anacephalæoſis quædam eorum, quæ dicenda ſunt. Poſt Caroli M. & Nicolai I. tempora major fuit Legatorum auctoritas, quam vetuſtis temporibus.

II. Olim Legatorum in provincias adventus ne minimo quidem ſumptui erat provincialibus. Procurationes deinde Legatorum introductæ ſunt, quarum occaſione Legati ad ſummas opes pervenirent. Tandem prorſus abolitæ ſunt.

III. Fuere tamen nonnulli Legati, qui caſte provincias adminiſtrarunt. Sed ii pauci numero fuere.

IV. Juvit Legatorum fortunam timor ex poteſtate eorum, quæ maxima erat. Iſta quidem feliciter, ut plurimum ceſſere. Fuere tamen ea temporum viciſſitudines, ut interdum Romanos Pontifices pœnituerit, quod nimis amplam poteſtatem tribuiſſent Legatis.

V. Inde paulatim abolitus uſus frequentium legationum, tum etiam ob contradictionem Principum & Epiſcoporum. Melius enim ac conſultius viſum eſt, abſtinere a mittendis Legatis, quam eos exponere tot procellis ac tempeſtatibus.

VI. Nullus poſt Bonifacii obitum Legatus fuit in Gallia & Germania uſque ad Caroli Calvi tempora. Probatur ex Hincmaro, qui putabat, Metropolitanorum ac reliquorum Epiſcoporum jura convelli, cum legatio ſedis apoſtolicæ cuipiam tribuebatur cum juriſdictione.

VII. Drogo Epiſcopus Metenſis, olim ſacri palatii Archicapellanus ſub Ludovico Pio, vicariatum apoſtolicæ ſedis per Gallias obtinet a Sergio ſecundo. Explicantur capita auctoritatis illi conceſſæ.

VIII. Paſſus eſt contradictionem ab Epiſcopis Gallicanis, & conatus ejus fruſtra fuit.

IX. Venerunt poſtea legationes ſedis apoſtolicæ in conſuetudinem. Legati Nicolai I. pecunia corrupti immenſis ditati opibus Romam regreſſi ſunt.

X. Arſenius Hortenſis Epiſcopus in Galliam mittitur cum ampliſſima poteſtate. Hunc Adventius Epiſcopus Metenſis laudat, quod manus ſuas excuſſerit ab omni munere.

XI. Auctor tamen annalium Fuldenſium docet, illum magnificis muneribus honoratum fuiſſe a Ludovico Rege Germaniæ & a Carolo Calvo fratre ejus. Quod evertere videtur teſtimonium Adventii. Niſi ſi diſcrimen conſtituatur inter munera Principum & privatorum hominum.

I. HActenus antiquitas. Nunc ſe nobis nova rerum facies offeret, cum poſt explicatam & aſſertam in animis gentium ac nationum Romani nominis poteſtatem, cuncta per Legatos actitata ſunt, qui pro ſuæ voluntatis arbitrio & ædificabant & deſtruebant, quæ vel ædificanda vel deſtruenda eſſe videbantur. Sed antequam immenſum illum vaſtumque ultimorum temporum campum ingrediamur, operæ pretium eſt inire in anteceſſum velut anacephalæoſin quandam eorum, quæ nobis incumbunt dicenda; quibus imbuti lectorum animi paratiores ad hanc materiam deſcendant, & hac facillima methodo velut manu ducantur

cantur ad cognitionem rerum haudquaquam contemnendarum. Primum ergo adnotandum est, tametsi magna olim fuerit Legatorum apostolicæ sedis auctoritas, non adeo tamen effusam fuisse ac liberam, ut fuit post Caroli Magni tempora, cum ad Nicolaum primum ventum est.

II. Deinde sciendum, Legatorum in provincias adventum ne minimo quidem sumptui olim fuisse provincialibus, ultimis vero temporibus latam esse legem, qua cautum est, uti Legatis suppeditarentur sumptus, non solum necessarii, sed etiam liberales, ab iis, ad quos mittebantur. Ea pensitatio, quæ *procuratio* dicebatur, modica in initio fuit; deinde ita vitio humanæ mentis excrevit, ut & provinciæ exhaurirentur, & sumptus effunderentur cum probro atque dedecore, ob fastum & pompam Legatorum. Quin & interdum Romani Pontifices, ut caris suis gratificarentur, occasionemque darent opum brevi compendio parandarum, legatione illos sua ornabant, sicque instructos ad provincias mittebant opulentas & ad obsequium inclinatas. Quo fiebat, ut, qui pauperes & inopes accedebant ad provincias, repente divites facti, eas statim deponerent, adeo, ut non ob aliud venisse viderentur, ut innuit Ivo Carnotensis, quam, ut provinciam raptarent sub umbra legationis. Nam sicut torrentes cum hybernis aut fortuitis imbribus intumuere, cuncta objecta rapiunt, domos subruunt, arbores evellunt, & circumpositum late vastant agrum, sic isti Romani, velut aliquod flumen torrens, quod de veteribus Romanis dicebat Arnobius, data hac ditescendi occasione cunctas submergebant atque obruebant nationes. Hinc tot graves & justæ provincialium querelæ; quæ tandem extorserunt Innocentii III. constitutionem, qua modus quidam ponitur his procurationibus, quas sequens ætas prorsus abolevit utiliter in publicum.

Arnob. lib. 1.

III. Interim observandum est, non ita generalem fuisse eam pestilentiam, quin aliqui evaserint. Sed ii, fatendum enim est, tam pauci numero fuere, ut ob eam ipsam abstinentiam valde laudati sint a scriptoribus suorum temporum tantum, quia caste, ut decebat, provinciam administraverant. Nam & eo olim processerat corruptela illa malæ consuetudinis, ut inventus sit Legatus, qui se gloriaretur, non fuisse gravem provinciis, sanguinique provincialium pepercisse.

IV. Juvit Legatorum fortunam timor ex potestate eorum, quod solerent cuncta provinciarum negotia in se trahere, Concilia celebrare, Episcoporum electionibus semet immiscere eorumque judicia peragere, denique cuncta vertere prout vellent. Ista quidem feliciter ut plurimum cessere, ex eaque felicium eventuum fortuna factum est, uti eorum memoria magnam sibi auctoritatem magnosque spiritus in rebus ecclesiasticis & Legati sumerent & Pontifices darent. Fuere tamen eæ temporum vicissitudines, ut interdum Romanos Pontifices pœnituerit, quod nimis amplam potestatem Legatis suis tribuissent; qui pravo consilio rem gerentes, nam temeritas non est semper felix, Romanum nomen in invidiam adducebant.

V. Inde paulatim abolitus usus frequentium legationum, *quoniam pene sine fructu videbantur*, uti Gregorius VII. scribit ad Regem Danorum, tum etiam ob contradictionem Principum, qui reverentiam prohibebant exhiberi Legatis, qui sibi non essent accepti, aut quorum mandata putabant sibi ac provinciis esse contraria & infesta. Unde orta consuetudo examinandi eorum facultates, antequam munere suo fungantur in Gallia. Quin & interdum Episcopi detrectabant eorum imperium. Itaque melius ac consultius visum est abstinere a mittendis Legatis, quam eos exponere tot procellis ac tempestatibus. His ita enarratis, descendamus nunc ad rem ipsam, per partes visuri, quæ heic dicta in aversione sunt.

Gregor. VII. lib. 2. epist. 75.

VI. Nullus hactenus post sancti Bonifacii obitum, ut Sirmondus observat ex Hincmaro, Pipini Regis & Caroli ac Ludovici Imperatorum temporibus, Legatus apostolicæ sedis in Gallia aut Germania fuerat. Præstat autem ipsa Hincmari verba referre, ex quibus nonnulla colligi possunt, quæ valde conducunt ad intelligendam seculi illius disciplinam. Sic ergo loquitur ille in epistola XLIV. cap. XXX. *Sancto & venerando viro Bonifacio in Frisia verbum Domini prædicante anno incarnationis dominicæ DCCLIV. martyrio coronato, & simoniacæ hæresis pravitate & neophytorum præsumptione ac ceteris quibusque pro temporum opportunitate & qualitate compositis, hactenus provinciæ Cisalpinæ, temporibus Pipini Regis & Caroli ac Hludovici Imperatorum, sine hoc Primicerio vel Primate a sede apostolica delegato annos circiter* (*) *viginti tres manserunt, & Metropolitanis singulis suo jure servato, apostolicæ sedis favore & Principum suorum dispositione secundum sacros canones & decreta ejusdem sanctæ sedis Pontificum quæque fuerunt agenda venerabiles Episcopi per auctoritatem canonum sacrorum & decreta sedis Romanæ Pontificum peregerunt.* Putabat ergo, ut videtur, Hincmarus, Metropolitanorum ac reliquorum Episcoporum jura convelli, potestatemque deminui, cum legatio sedis apostolicæ cuipiam tribuebatur cum jurisdictione. Ceterum istic puto observavi debere, verum non videri, quod legitur in illa Hincmari epistola, nullum ab excessu sancti Bonifacii Legatum sedis apostolicæ in Gallia aut Germania fuisse temporibus Pipini Regis & Caroli & Ludovici Imperatorum, id est, per annos nonaginta, ut ait Sirmondus in margine istius epistolæ Hincmarianæ. Nam Paulinum Episcopum Aquilejensem constat tenuisse vices apostolicæ sedis apud Carolum M. in Aquisgranensi Palatio. Vide Notas ad Capitularia Regum Francorum pag. 1058.

Sirmondus T. 3. Concil. Gall. pag. 9.

(*) *Leg. nonaginta, ut monet Sirmondus.*

Vide infr. lib. 6. cap. 29. §. 2.

VII. Extincto itaque Bonifacio, nullus in regno Francorum Legatus apostolicæ sedis fuit per annos nonaginta. Anno demum DCCCXLIV. Drogo Episcopus Metensis, Caroli Magni filius ex concubina, ægre ferens haud dubie, quod primum locum amisisset super Episcopos Gallicanos post mortem Ludovici Pii, quo vivente fuerat sacri palatii Archicapellanus, alia ratione putavit prospiciendum esse dignitati suæ, voti porro compotem se futurum, si vicibus apostolicæ sedis ornaretur in regno Francorum. Agitasse ista illum puto, cum captum consilium est mittendi Romam Ludovicum filium Lotharii Imperatoris; ut ea pulcherrima occasione usus Regum patruus, vir præterea rerum agendarum peritia clarus, & qui vivente Ludovico fratre multum ubique auctoritatis habuerat, a Pontifice Romano, qui tum erat Sergius istius nominis secundus, vicariatum sedis apostolicæ per Cisalpinas provincias acciperet. Extant literæ Sergii II. de vicariatu Drogonis, editæ a viro clarissimo Jacobo Sirmondo, ex quibus colligimus, Pontificem Drogoni commisisse cunctas provincias cis Alpes constitutas, ut episcoporum per provincias illas constitutorum necessitatibus vice Romani Pontificis subveniret, eorum causas judicaret, Concilia generalia celebraret, denique, ut ad eum referretur de omnibus causis, quæ ubique emergerent, omnium vero provincialium Conciliorum decreta ad eum mitterentur.

VIII. His mandatis instructus Drogo cum rediisset in Galliam, passus contradictionem est ab Episcopis ægre ferentibus, eam illi datam esse potestatem, quæ omnium Metropolitanorum & Episcoporum auctoritatem pessumdaret. Itaque licet præsederit paulo post in Concilio habito ad Theodonis villam, in loco, qui dicebatur *Judicium*, is tamen honor ei tributus non est ob vices apostolicæ sedis, sed ob nobilitatem ejus. Nam & in titulo ejusdem Concilii scriptum est, Drogonem ei præsedisse *consensu eorundem Regum*, id est, Lotharii, Ludovici & Caroli. Præterea conatus istos Drogonis frustra fuisse, colligitur ex canone XI. Conci-

Vide supra lib. 4. cap. 5. §. 4. & infra lib. 6. cap. 29. §. 3. 4.

Concilii Vernensis & ex epistola XLIV. Hincmari cap. XXX. Sed de toto isto negotio opus non est, nos plura dicere, cum illustrissimus Archiepiscopus illud accurate discusserit in hoc opere.

IX. Venerunt postea legationes apostolicæ sedis in consuetudinem, non quidem commissæ per longum tempus, sed secundum varias, quæ emergebant, occasiones. Anno DCCCLXIII. a Nicolao primo Papa *missi sunt*, ut scribit auctor annalium Metensium, *Hagano & Rodoaldus apostolicæ sedis Legati in Galliam* ad discutiendum causam Lotharii Regis & Waldradæ. *Qui in Franciam venientes, pecunia corrupti, magis faverunt iniquitati quam æquitati, & immensis ditati opibus, Romam regressi sunt.* Agit etiam de his auctor annalium Bertinianorum, qui Legatos illos fuisse ait Raduoldum Portuensem Episcopum & Joannem Ficoclensem; adnotat autem, illos muneribus corruptos, *epistolas Domni Apostolici occultantes*, nihil de his, quæ sibi commendata fuerant egisse; *ut autem aliquid viderentur egisse*, Guntharium Coloniensem Archiepiscopum & Theutgaudum Treverensem Romam ire jussisse. Ea de causa Rodoaldus depositus est anno sequenti in Romana synodo, ut docent ejusdem Nicolai literæ.

Vide Baron. ad 863. ex Regino-ne.

Nicol. I. ep. 10.

Annales Bertin. Baron. ad ann. 865. §. 2.

X. An. DCCCLV. idem Nicolaus pro eadem causa misit in Galliam Arsenium Hortensem Episcopum & Consiliarium suum. *Quo perveniens*, inquit auctor annalium Metensium, *tanta auctoritate usus est & potestate, ac si idem summus Præsul advenisset*. Hic rem strenue gessit, neque se frangi sinens munerum oblatione neque favore hominum. Testatur istud Adventius Episcopus Metensis ad Papam Nicolaum scribens ac deplorans, quod huic Legato similis non fuerat Rodoaldus. Hæc sunt ejus verba: *Arsenium reverendissimum ac sanctissimum Episcopum Apocrisiarium atque fidelissimum Consiliarium a vestro sancto latere Legatum excepimus, & quasi angelum Dei gratanter atque inhianter amplexati fuimus, ac pro parte desiderabilis visionis vestræ illo uti decrevimus. Extitit enim nobis ex candelabro pontificatus vestri lucerna ardens & lucens, illumque in divinis cultibus atque necessariis Ecclesiæ negotiis probum cooperatorem ac ferventissimum vestræ legationis executorem esse gavisi sumus. Excussit enim manus suas ab omni munere, & ut de sacrato vestri pectoris fonte potaverat, nobis omnibus æquitatis & justitiæ exempla propinavit.* In hoc epistolæ Adventii fragmento scripsi *executorem*, tametsi editiones habeant *excusatorem*, primum, ut sequeremur & sensum epistolæ & admonitionem illustrissimi Cardinalis Baronii, qui *executorem* reposuit in margine, & quia sciebamus in vetustissimo codice monasterii Moyssiacensis, in quo continentur leges Wisigotthorum, & in pluribus aliis antiquis codicibus vulgo scribi *excusationem* pro eo, quod alii & editiones habent *executionem*. Unde colligitur, certam esse emendationem illam.

Sic in epistola Adriani IV. quæ edita est infra cap. 46. §. 7.

XI. Sed is, quæ ait Adventius in laudem Arsenii, nempe illum excussisse manus suas ab omni munere, repugnare videtur auctor annalium Fuldensium, qui docet, illum magnificis muneribus honoratum fuisse a Ludovico Rege Germaniæ & a fratre ejus Carolo Calvo. *Arsenius Episcopus*, inquit, *Nicolai Papæ urbis Romanæ Legatus ob pacem & concordiam inter Hludouvicum & Carolum fratrem ejus nec non Hlotharium nepotem eorum renovandam atque constituendam missus est in Franciam. Qui apud villam regiam Franconofurti a Hludouvico Rege honorifice susceptus, & muneribus magnificis honoratus, condictoque inter eos placito de supradicta conventione apud Agrippinam Coloniam habituro, ad Carolum Regem in Galliam pergit. Illic quoque mirifice a Rege susceptus, regalibusque donis sublimatus, propter condictum placitum Agrippinam, ut diximus, Coloniam venit.* Ista, inquam, convellere videntur auctoritatem eorum, quæ in commendationem Arsenii scripsit Adventius; nisi si discrimen, ut par est, ponatur inter munera Principum & privatorum hominum, ut illa accipere liceat tanquam e publico, ista, quæ coacta videntur & per vim extorta, attingere fas non sit, ne munerum acceptio præjudicet adversus veritatem & justitiam.

Annal. Fuld. ad ann. 865.

CAPUT XLV.

De aucta Legatorum potestate sub Nicolao I. maxime circa Concilia nationalia.

SYNOPSIS.

I. Nicolao primo debentur initia nonnullorum capitum posterioris disciplinæ. Is immediatam Conciliorum generalium convocationem in se traxit absque literis Principis. Unde emersit necessitas mittendorum Legatorum in provincias.

II. Inde etiam factum, ut idem Nicolaus ad Episcopos Gallicanos scripserit, apostolica illos auctoritate synodum Metensem celebraturos esse, eique præfuturos Legatos suos. His tamen verbis utitur, quæ plurimum modestiæ præferunt.

III. Præter causam Lotharii & Theutbergæ, Nicolaus Legatis suis commisit omnes causas provinciarum Gallicanarum. Unicum hoc vinculum retinendæ auctoritatis. Causæ difficiles ad apostolicam sedem referendæ.

IV. Nihil heic novi statutum a Nicolao. At clausula, quæ dein sequitur in ejus literis, prorsus abolet auctoritatem synodorum. Jubet enim acta synodi ad se mitti; ut si injusta fuerit judicatum, restaurari jubeat cognitionem.

V. Retinuit tamen aliquam reverentiam erga Reges nostros, jubens, ut Legati facultates instructionesque suas communicent cum Carolo Calvo, ut præsentibus Consiliariis ejus examinentur, demum vero executioni mandentur, si consensus Regis accesserit.

VI. Prospexit etiam dignitati Episcoporum, Legatis imperans, uti easdem facultates & instructiones ostenderent Episcopis. Quo consilio id factum. Populo quoque Christiano ista significari jussit, ob necessitatem publicationis. Ea ratione Conciliorum provincialium auctoritatem infregit.

VII. Emerserunt deinde frequentes legationes, quas recensere supervacaneæ diligentiæ fuerit. Decurrendum tantum est per illustriores sequentium seculorum eventus.

I. QUoniam ventum est ad Nicolaum primum, cujus studiis debentur initia nonnullorum capitum posterioris disciplinæ, operæ pretium est in illo paulisper immorari; præsertim cum ex his, quæ dici ea occasione possunt, pendeant ea, quæ deinceps dicturi sumus de auctoritate & facinoribus Legatorum. Ante Nicolaum Concilia generalia regni Gallicani congregabantur auctoritate Regum, etiam ea, quæ Romanus Pontifex haberi præcipiebat. Qui mos cum satis decens ac rationi consentaneus hactenus habitus fuisset, Nicolai tamen auctoritate tentatus est. Nam is immediatam Conciliorum generalium convocationem in se traxit absque literis Principis, eo colore quæsito, quod nemini liceat generalem synodum convocare absque jussione sedis apostolicæ. Ex eo principio emersit necessitas mittendorum Legatorum in provincias, ut Concilia celebrarentur sub eorum præsentia, tanquam si ipse summus apostolicæ sedis antistes adesset & ordini judiciorum immineret. Vidimus itaque in capite superiori, missos ab eo Legatos fuisse in Galliam in causa divortii Regis Lotharii, tum etiam, ut concordiam revocari procuraret inter Reges dissidentes. Quod ultimum negotium licet mere seculare esset, nihilque spirituale haberet admixtum, Legato tamen commissum

Vide infr. lib. 6. cap. 28. §. 5.

Ibid. §. 3. & ibid.

sum est, ut inciperent Legati omnia negotia in se trahere.

Nicol.I. ep. 23. II. Memorabilis est Nicolai epistola ad Episcopos in Concilio Metensi residentes: in qua præscribens ordinem, quem sequi oporteat in causa divortii Lotharii, propter quam & Concilium celebrari jubebat & Legatos mittebat, apostolica Episcopos illos auctoritate synodum celebraturos esse pronuntiat, eique præfuturos Legatos suos. Attamen his verbis utitur, quæ plurimum modestiæ præferunt, fortassis, ut ea ratione facilius Episcopos ad consensum traheret, obstituros novitati, si superbe ac pervicaciter quæsita auctoritas fuisset. Hortatur enim eos, ut cum Legatis apostolicæ sedis synodum congregent, cui cum fraternitate eorum præsideant iidem Legati; *quatenus*, inquit, *a pontificii nostri latere venientibus Missis, synodicam illic celebrationem, apostolica fulti auctoritate, cum fraternitate vestra præsidentibus, adunare debeatis*. Ea ratione obtinuit Nicolaus, quod animo destinaverat, infelici tamen exitu, ob perfidiam & avaritiam Legatorum, ut ipsemet Nicolaus graviter conqueritur alicubi.

III. Præstat, reliquas istius epistolæ partes diligenter excutere. Missi fuerant Legati ob causam Lotharii & Theutbergæ, quemadmodum colligitur ex variis Nicolai epistolis & ex scriptoribus illorum temporum. Alias tamen causas, quæcunque tandem illæ essent, illis committendas esse credidit, ut provincialium ingenia & instituta penitius cognoscerent, dum litigantes, studio defensionis aut victoriæ, partium arcana vitamque omnem apud judices, ut vulgo fit, detegunt. Unicum hoc vinculum retinendæ auctoritatis. Itaque Legatos jubet alias quoque causas investigare, in synodo definire, & si tanti quæpiam causa momenti fuerit, ut in synodo terminari non possit, ad apostolicam sedem referatur. *Si vero aliarum ecclesiasticarum utilitatum in eodem Concilio res acciderint, digno examine pertractantes eas, cum Domini timore diffinire satagite. Si autem aliqua in eo fuerit contentio orta, in qua diffinitionis ponere nequiveritis fortasse censuram, nostro eam judicio reservare sancimus.*

Vide infr. lib. 6. cap. 28. §. 11. IV. Nihil heic novi statutum est, ut observabit infra illustrissimus Archiepiscopus. Ea quippe erat portio antiqui juris, quod Episcopo Romano competebat in occidente, nimirum, ut ad eum referendæ essent ex omnibus provinciis causæ difficiles & ambiguæ, quæ provinciali non potuissent examine definiri. Nam & in mandatis Episcopo Thessalonicensi datis, de quibus fuse actum est supra, ea illi semper lex imposita erat, ut causas difficiles & ambiguas apostolicæ sedis judicio reservaret post examen provinciale. Nihil igitur heic novi statutum est a Nicolao. At sequens clausula, ut adnotat illustrissimus Archiepiscopus, prorsus abolet auctoritatem synodorum, sive pro judicandis causis, sive etiam pro condendis canonibus. Nam jubet acta synodi ad se mitti; ut, si invenerit, causas secundum æquitatem definitas fuisse, Deo omnipotenti gratias referat; si vero injuste fuerit judicatum, restaurare jubeat cognitionem. *Statuimus autem*, inquit, *ut cuncta, quæ in eodem Concilio peracta fuerint ac diffinita, nostro præsulatui gestorum serie incunctanter significetis; ut si ea justitiæ pulchritudine probabilique sanctione diffinita perspexerimus, Deo omnipotenti gratias referamus; si vero injustitiæ, quod nolumus, & contrarietatis fuerint acta intentione, ea renovare summopere jubeamus.*

V. Attamen licet Nicolaus in se traxerit auctoritatem convocandorum Conciliorum generalium, retinuit tamen aliquam reverentiam erga Reges nostros. Colligitur istud ex epistola ejus ad Rodoaldum & Joannem de synodo Metensi convocanda. Nam cum generalia mandata dedisset, specialemque instructionem cum hac epistola mittere se significasset, jubet, ut tam epistolas synodicas, quam (Extat in appendice epistolar. Nicolai, epist. 2.) istas ipsumque commonitorium Regi Carolo præsentibus cunctis ostendant. Quod idem est, ac si juberet, uti Legati literas legationis suæ, sive facultates, ac præterea secretas, ut hodie loquimur, instructiones cum Principe communicarent, ut præsentibus Consiliariis ejus examinentur, tum demum vero executioni mandentur, delegataque sibi auctoritate Legati utantur, si consensus Regis accesserit. Hæc sunt verba Nicolai: *Et deinde cum pro causa Balduini ad Carolum perrexeritis, eidem glorioso Regi epistolas synodicas & has, quas nunc vobis dirigimus, pariter cum commonitorio præsentibus cunctis ostendite.*

VI. Non solum autem Principis dignitati prospexit, sed etiam Episcoporum; seu, ut specie honoris eos in partes traheret, sive quia putabat non aliter cohærere posse concordiam, quam si ista fierent cum eorum consensu, quod intelligeret vir prudentissimus, auctoritatem, quæ dabatur Legatis, adimere suam Episcopis, id vero invitis illis fieri non posse. Ea de causa addidit ista in eadem epistola: *& non solum ei*, id est, Carolo, hæc, quæ dicta sunt, ostendite, *sed & omnibus Episcopis & universis fidelibus hoc notum facientes palam legere & denuntiare studete*. Populo quoque Christiano ista significari jubet, ob necessitatem publicationis, ne quis ignorantiæ vitio se tueri possit. Ea ratione Nicolaus Conciliorum provincialium auctoritatem infregit, & paulatim omnis auctoritas, quæ penes Episcopos erat, in jus ditionemque Romani Pontificis transiit. Vide infra c. 56. §. 2.

VII. Emerserunt deinde frequentes legationes, quas recensere supervacaneæ diligentiæ fuerit. Itaque, omissa ea cura, decurremus per illustriores sequentium seculorum eventus, simul admiraturi quorundam virtutes & summas animi dotes, & narraturi etiam inviti multorum probra atque dedecora.

CAPUT XLVI.

De Legatorum Pontificis Romani potestate indies crescente, & speciatim de legatione Aquitanica, circa quam multa singularia ex intima antiquitate eruuntur.

SYNOPSIS.

I. Sub initia tertiæ Regum nostrorum dynastiæ nova politiæ forma introducta est in detrimentum auctoritatis Metropolitanorum & Conciliorum, tum etiam dignitatis regiæ. Quippe omnes causæ pendebant ab arbitrio Legatorum. Ad eos quoque pertinebat convocatio Conciliorum generalium ex provinciis suæ legationis, in quibus illi primum semper locum obtinebant. Legatus, statim ac advenerat in provinciam, cogitabat de celebrando Concilio.

II. Magna autem erat Legatorum dignatio, quod in provinciis positi usurparent auctoritatem suspendendi & deponendi Episcopos. Unicum eorum suffragium æquiparabatur collectis totius synodi suffragiis. Primam causarum cognitionem ad se trahebant. Canones sanciebant.

III. Eorum auctoritas interdum porrigebatur in universum regnum, interdum vero in quasdam tantum provincias. Disputatio instituitur de terminis Aquitanicæ legationis, quæ plurimum olim splendoris & auctoritatis habuit. Enumerantur provinciæ, quæ Legato Aquitaniæ parebant, in quibus fuit Britannia sub Archiepiscopo Dolensi.

IV. Probatur ex historia Pontificum & Comitum Engolismensium: & ex Bulla Paschalis II. de legatione Gerardi Episcopi Engolismensis, quæ refertur.

V. Disputatur, an Gerardus ille legationem illam habuerit sub Gelasio secundo. Afferuntur argumenta in utramque partem. An fuerit Cardinalis.

VI. Trans-

VI. Transgressus Gerardus in partes Callisti, legatione Aquitanica ab eo ornatus est. Refertur bulla Callisti de ea legatione.

VII. Igitur legationis Aquitanicæ termini in Britanniam porrigebantur. Nam Britannia suum Archiepiscopum habuit alium a Turonensi etiam Adriani IV. pontificatu.

VIII. Enumerantur rursum provinciæ Aquitanica legatione conclusæ; & ostenditur, latius patuisse legationem Amati Episcopi Oloronensis, cui præter eas provincias commissa est etiam provincia Narbonensis integra. Quid tum provinciæ Narbonensis finibus comprehenderetur.

IX. Cum Gregorius VII. primatum Lugdunensi Ecclesiæ concessisset super quatuor provincias Lugdunenses, Gebuinus impatienter tulit, legationem apostolicæ sedis Amato concessam esse in tertia Lugdunensi, non tamen palam contradicere ausus. Probatur ex epistola Gebuini ad Archiepiscopum Turonensem & ad Episcopum Andegavensem.

X. De Concilio indicto ab Amato, & de abbatia S. Petri de Cultura litigiosa.

XI. Termini Aquitanicæ legationis non fuere semper certi, sed contracti aut dilatati pro libitu Pontificum Romanorum. Gaufridus Episcopus Carnotensis habuit legationem Aquitaniæ post Gerardum Engolismensem. Emendatur auctor Chronici Mauriaciensis & Martyrologium Carnotense.

Vide infr. lib. 5. cap. 30. §. 1. I. HActenus satis æqua lege constiterat ecclesiastica politia, tametsi Nicolaus nonnulla gravissimi momenti tentasset adversus mores antiquos. At ex fundamentis, quæ jacta sunt desinente secunda Regum nostrorum stirpe, consecuta est nova ejusdem politiæ forma in detrimentum Metropolitanorum Conciliorumque provincialium & generalium regni Francici. Quin & eodem tempore valde imminuta est regia auctoritas. Nam Legatorum missiones adeo frequentes deinceps fuerunt, & potestas illis ab apostolica sede concessa tam splendida erat ac magnifica, ut omnes causæ ecclesiasticæ ab eorum nutu penderent, & secundum illorum voluntatem judicarentur, aut ad apo-
Ibid. §. 4. stolicam sedem remitterentur. Tum porro Legati non solum causas privatorum hominum soli judicabant; sed ad eos pertinebat convocatio Conciliorum generalium ex provinciis, quæ intra terminos legationis eorum continebantur, & in his Conciliis primum semper locum obtinebant etiam supra Metropolitanos. In mandatis porro, quæ Legatis dabantur, illud in primis erat, ut generalia legationis suæ Concilia celebrarent, ut discimus ex
Barox. ad an. 1130. §. 35. Eadmero in libro quinto historiæ Novorum. Unde & in epistola Anacleti II. ad Episcopos Gallicanos scriptum est, injunctum esse Ottoni Episcopo Tudertino, quem Legatum in Galliam mittebat idem Anacletus, uti Concilia celebraret, ac si qua emergerent negotia, una cum Episcopis Gallicanis justitia mediante terminaret; quod etiam observavit idem Anacletus in epistolis de legatione Gerardi Episcopi Engolismensis, quæ extant apud Baronium. Hinc factum, ut, statim ac Legatus advenerat in provinciam, de Concilio celebrando cogitaret. Quare nemini mirum videri debet, si duo plurave Concilia intra unum annum in eadem provincia a Legatis celebrata esse legerit.

II. Magna autem erat eorum dignatio, quod in provinciis positi usurparent auctoritatem suspendendi & deponendi Metropolitanos & alios Episcopos. Præterea sedis apostolicæ judicio reservare poterant ea, quibus Episcopi consentire nollent in Conciliis, ea Legatis auctoritate concessa, ut unicum eorum suffragium æquipararetur collectis totius synodi suffragiis. Quin & primam causarum cognitionem ad se trahebant in Conciliis definiendarum, & interdum etiam absque Concilio. Denique canones & constitutiones condebant pro observatione disciplinæ ecclesiasticæ. Quæ omnia cum copiose explicata sint ab illustrissimo Archiepiscopo in capite trigesimo libri sequentis, necesse non est, ea isthic repetere. Igitur ad reliqua transeamus.

III. Legati hujuscemodi mittebantur ad diversa regna. Eorum vero auctoritas interdum porrigebatur in universum regnum, interdum vero in quasdam tantum provincias. De his, ad quorum curam pertinebat totum corpus regni, non attinet dicere. Sed cum legatio Aquitaniæ, quæ plurimum splendoris & auctoritatis habuit a tempore Gregorii VII. usque ad Innocentium secundum, satis hactenus obscura & involuta fuerit, non inutile erit, heic ejus initia & progressum terminosque describere, cum Legati istiusmodi tum maxima quæque negotia in Galliis emergentia suo judicio definirent. Obscura, inquam, hactenus fuit ista materia. Neque enim satisfacit Bernardus Abbas Bonævallis, quum in libro secundo de vita sancti Bernardi cap. VI. de Gerardo Episcopo Engolismensi loquens, qui Aquitaniæ Legatus fuit, ait: *Erubescebat enim ad primam domum redire, cujus potentatui & Turonica & Burdegalensis & Auxiensis provinciæ subditæ fuerant, & quicquid a collibus Iberorum usque ad Ligerim complectitur & claudit Oceanus, paruerat ejus imperio.* Etenim Britannia, quæ trans Ligerim incolitur, ad Aquitanicam legationem pertinebat; ut alii jam observaverunt, & constat ex epistolis Paschalis II. & Callisti II. summorum Pontificum. Præterea Arnulphus Sagiensis Archidiaconus, qui dein Episcopus fuit Lexoviensis, adversus eundem Gerardum scribens ait, eum quinque archiepiscopatibus singulari potestate præfuisse & in ipsis vices Romani Pontificis exercuisse, cum tamen in loco mox prolato ex vita sancti Bernardi tres tantum archiepiscopatus recenseantur intra limites legationis istius Gerardi. Indiget itaque hic locus explicatione. Affirmare ausim, Aquitanicam legationem constitisse ex provinciis Bituricensi, Burdegalensi, Auscitana, Turonensi & Britannica, eosque esse quinque archiepiscopatus ab Arnulpho Lexoviensi intellectos. Nam tum Britannia provincia Archiepiscopum suum habebat, Dolensem nimirum antistitem, qui dictus est Archiepiscopus usque ad tempora Innocentii III. invitis licet ac reclamantibus Archiepiscopis Turonensibus. Acta Concilii Remensis sub Leone IX. *Tunc Turonenses clerici per Lugdunensem Archiepiscopum querelam intulerunt super Dolensi Episcopo Britanniæ, qui se cum septem suffraganeis a Turonensi Archiepiscopo subtraxerat, sibique Archipræsulis nomen contra fas vendicaverat.*

Arnulphus in lib. advers. Gerard. Engol. t. 2. Spicileg. Dacher. pag. 343.

Tom. IX. Concilior. pag. 1038.

IV. Veram esse hanc nostram observationem, docet vetus scriptor historiæ Pontificum & Comitum Engolismensium a viro clarissimo Philippo Labbeo editus; cujus hæc sunt verba: *Gerardus vero Engolismensis Episcopus cum Domino Paschali Papæ adhæsisset, qui ad partes Galliarum venerat, cognita honestate & præclara sapientia, ei vices suas prius in Britannia, & deinde Turonensi, Burdegalensi, Bituricensi, Auscitana provinciis commisit.* Extant literæ Paschalis II. quæ aperte docent, hunc Episcopum Engolismensem ab eo constitutum fuisse Legatum in provinciis Bituricensi, Burdegalensi, Auscitana, Turonensi & Britannia, editæ illæ quidem ex codice MS. sancti Albini Andegavensis in tomo tertio Spicilegii Domni Lucæ Dacherii viri optimi & de antiquitate ecclesiastica bene meriti; quas tamen, quod ab authentico nonnihil deflexerint, nova editione donandas esse censuimus. Sic ergo habent in eodem codice sancti Albini.

Paschalis Episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, atque Principibus per Bituricensem, Burdegalensem, Auscitanam, Turonensem atque Britanniam provincias constitutis & ceteris tam clericis quam laicis salutem & apostolicam benedictionem. Apostolicæ sedis auctoritate providentiaque compellimur, cui auctore Deo præsidemus indigni,

non

non solum vicinis & proximis, sed procul etiam positis fidelibus, quæ ad salutem spectant animæ providere, quod, quantum in nobis est, auxiliante Domino implere satagimus. Proinde vobis, charissimi fratres & filii, Apostolorum Petri & Pauli benedictionem impendimus, & paterna vos affectione cohortamur in Domino, quatenus usque in finem firmum propositum justitiæ teneatis, laboris mercedem maximam in æterna gloria percepturi. Ut autem penes vos habeatis, apud quem querelas vestras atque negotia, cum opportunum fuerit, referatis, cujusque consilio & hortatu, quæ ad salutem vestram attinent, peragatis, vices nostras fratri charissimo Gerardo Engolismensi Episcopo commisimus, in partes eum nostræ sollicitudinis adsciscentes. Huic vice nostra, ut nostro Apostolorumque in partibus vestris Vicario, ad Dei honorem & ad salutem animarum vestrarum fideliter obedite; ut vobis per Dei gratiam collaborantibus, quæ extirpanda sunt, extirpare, quæ corroboranda sunt, corroborare prævaleat. Nec sollicitudinem, fratres charissimi, pigeat, cum necessitas ecclesiasticæ utilitatis exegerit, synodales cum eo celebrare conventus; quos nimirum convocandi nos ei vice nostra potestatem induisimus. Data Laterani XVIII. Kal. Maji.

V. Extincto deinde Paschali anno MCXVIII. non constat, an Gerardo commissa fuerit Legatio Aquitanica a Gelasio successore Paschalis. Imo Callistus II. vices suas per easdem provincias illi delegans, ait, se id facere ad exemplum Paschalis, nulla facta mentione Gelasii. Unde colligi posset, illum hac auctoritate instructum non fuisse a Gelasio. Præterea Cono Episcopus Prænestinus ad Hugonem Episcopum Nivernensem scribens de electione Callisti secundi, dum ait, Gerardum Engolismensem Episcopum in partes ejus transisse, his verbis utitur, quæ indicare videntur, illum abalienatum quodam modo fuisse a Curia Romana tempore Gelasii. Ait enim: *Nam & Engolismensis Episcopus, antequam a nobis discederet, subscripserat, & Domino Papæ humiliter se subdiderat.* Ratio autem alia, propter quam Gerardus commotus esset adversus Gelasium, hauddubie alia esse non potuit, quam quia vices illi suas non commiserat. Legatum tamen apostolicæ sedis fuisse etiam sub pontificatu Gelasii dicere videtur Ordericus Vitalis, qui de ejus morte loquens ita scribit: *Tunc Girardus Engolismensis Episcopus vir eruditissimus migravit, qui magni nominis & potestatis in Romano senatu tempore Paschalis Papæ & Gelasii, Calixti & Honorii fuit.* Innocentii secundi tempora omisit, quia Girardus ab illo non stetit, imo adversarii ejus Anacleti partes impense fovit. Ceterum ex eo, quod Ordericus Vitalis ait, hunc Gerardum fuisse virum magni nominis & magnæ potestatis in Romano senatu, colligi fortassis posset, illum fuisse Cardinalem sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Nam & Reimbaldus Leodiensis eo tempore scribens, illum vocat Cardinalem Romanum.

Tom. 3. Spicilegii Dacher. p. 463.

Order. Vital. lib. 13. pag. 908.

Baron. an. 1130. §. 45.

VI. Electo deinde Callisto II. apud Cluniacum anno MCXIX. Gerardus Engolismensis Episcopus in partes transgressus, electioni ejus subscripsit, ut mox dicebamus, & ei se subdidit. Tum ei hauddubie monstrata est legatio Aquitanica, ad mitigandum viri præpotentis animum. Itaque anno sequenti Pontifex ad Gallos in quinque provinciis Aquitanica legatione comprehendi solitis hæc scripsit de vicibus apostolicæ sedis rursum commissis eidem Gerardo. Extat epistola illa in veteri codice MS. sancti Albini Andegavensis, unde a nobis primum edita est.

Calixtus Episcopus, servus servorum Dei, dilectis fratribus & filiis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Principibus, & ceteris tam clericis quam laicis per Bituricensem, Burdegalensem, Auscitanam, Turonensem & Britanniam provincias constitutis, salutem & apostolicam benedictionem. Et patrum præcedentium institutio exigit, & fraternæ charitatis debitum nos compellit, ut providere salubriter universis Ecclesiæ filiis auxiliante Domino procuremus. Verum quia ubique præsentes esse aut per nos ipsos cuncta exercere non possumus, fratres nostros, quos nimirum opportunos credimus, in partem nostræ sollicitudinis evocamus. Eapropter venerabili fratri nostro Gerardo Engolismensi Episcopo nostras in partibus vestris vices duximus committendas, quemadmodum & Dominus prædecessor noster sanctæ memoriæ Paschalis Papa commisisse cognoscitur. Confidimus enim in Domino, quia ipse ministerium hoc ad honorem Dei & salutem vestram, sancto cooperante spiritu, fideliter ministrabit. Rogamus itaque universitatem vestram, monemus, atque præcipimus, ut ei tanquam Vicario nostro humiliter pareatis, & cum opportunitas ecclesiasticæ utilitatis exegerit, ad vocationem ejus unanimiter convenire & synodales cum eo conventus solenniter celebrare curetis; quatenus communi deliberatione corrigenda corrigere & confirmanda possit auctore Domino confirmare. Datum Beneventi XVII. Kal. Novembris.

VII. Sed ut ad id revertamur, quod superius dicebamus, legationis Aquitanicæ terminos in Britanniam usque porrectos fuisse, Dolensem vero archiepiscoparum fuisse unum ex quinque archiepiscopatibus Legato Aquitaniæ contributis, istius rei probatio colligitur etiam ex literis, quas jam descripsimus, Paschalis & Callisti, qui Britanniam provinciam enumerant divisam a Turonensi, tum etiam ex bulla Honorii II. a viro clarissimo Edmundo Martene, quæ directa est ad Bituricensem, Turonensem, Burdegalensem, Auxiensem, & Dolensem Archiepiscopos, quibus præcipit, ut Gerardo Episcopo Engolismensi Legato suo & apostolicæ sedis humiliter obedire curent. Ratio enim aliqua esse debuit, ob quam Pontifices illi Britanniam seorsim exprimerent a provincia Turonensi. Ea vero alia esse non potest, quam quod ea provincia Metropolitani Turonensis auctoritatem respueret Dolensique Archiepiscopo subjici mallet, etiam post Urbani II. decretum. Quod adeo verum est, ut Adriani quoque quarti pontificatu, cum agitata controversia esset de Pallio Archiepiscopi Dolensis, idem Adrianus, ut docet Innocentius tertius, Engelbaudo Turonensi Archiepiscopo præceperit, uti aut cum Hugone Archiepiscopo Dolensi conveniret cum suffraganeis, aut usque ad festum sancti Michaelis proxime tunc venturum plenam ei exhibiturus & recepturus justitiam apostolico se conspectui præsentaret. Extant literæ illæ Adriani in veteri codice MS. monasterii sancti Germani de Pratis, unde a nobis olim editæ sunt. Damus autem eas rursum emendatas collatione facta cum editione Domini Edmundi Martene.

Innoc. III. lib. 2. epist. 82.

Adrianus Papa Archiepiscopo Turonensi.

Veniens ad apostolatus nostri præsentiam Dolensis Ecclesiæ clerus multis laboribus attritus & molestiis fatigatus apud nos suppliciter intercessit, ut venerabili fratri H. Archiepiscopo Dolensi dignaremur Pallii sui plenitudinem induigere. Hoc vero tum ex tenore concordiæ, quam inter te & ipsum factam fuisse confitebatur, tum ex antiqua consuetudine requirebat. Venerunt & adversus eum nuntii tui, qui quandam compositionem, quam per Abbatem de Fontanis factam fuisse de suffraganeis ibi asserebant, confirmari unanimiter postulabant. Porro eandem Ecclesiam cum præfato Archiepiscopo suo in ipsa compositione suffraganeis renuntiasse dicebant, addentes etiam a prædecessore nostro bonæ memoriæ Lucio Papa, sicut in ejus scripto continetur, ita fuisse de communi consilio fratrum diffinitum. Ad hoc ipsam compositionem nullam fuisse penitus Dolensis Ecclesia respondebat, dicens insuper ipsam sententiam Romani Pontificis non tenere, quia ille, qui tunc temporis præsulatus officium gerebat, fraudem & dolum adhibuit, dum nec Dolensis Ecclesia præsens in examinatione fuisset, & ad

Vide Innoc. III. lib. 2. epist. 82.

& ad Capuanum archiepiscopatum, quem postea per intrusionem Regis Siculi adeptus est, vehementer aspiraret, unde in ipsa compositione nihil ad commodum Dolensis allegavit Ecclesiæ. Nos vero quia hujus rei plenam non potuimus habere cognitionem, cum altera pars in negatione persisteret & se non habere mandatum penitus hoc exequendi affirmaret, nihil a nobis super eodem negotio est terminatum, prædictam tamen compositionem omnino quassavimus & eam nullas vires habere de cetero sedis apostolicæ auctoritate censemus. Sane juxta postulationem ejusdem Ecclesiæ memorato fratri nostro Pallium, insigne videlicet pontificalis officii, duximus indulgendum; quem cum apostolicæ sedis benedictione & nostræ gratiæ plenitudine remittentes, tanto Ecclesiæ, cui praeest, sua jura illibata servare volumus & integra, quanto ecclesiasticis utilitatibus convenit, nos ex injuncto officio attentius providere. Unde nos consolationi Dolensis Ecclesiæ misericorditer consulentes, ne ipsa sacrosanctam Romanam Ecclesiam ad executionem suæ justitiæ negligentem esse vel desidem conqueratur, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus aut cum eo amicabiliter componas & cum eo tibi conveniat, aut ad proximam festivitatem sancti Michaelis plenam exhibiturus & suscepturus in præsentia nostra justitiam apostolico te conspectui repræsentes. Interim vero eundem fratrem nostrum vel clericos ejus excommunicationis vel interdicti sententia nulla ratione gravare præsumas. Datum Sutrii XII. Kal. Julii.

VIII. Itaque Aquitanica legatio, uti dicebamus, constabat ex provinciis Bituricensi, Burdegalensi, Auscitana, Turonensi & Britannica. Latius autem patuit legatio a Gregorio VII. concessa Amato Episcopo Oloronensi apud Benearnos; quippe cui, præter quinque provincias supra memoratas, commissa est etiam provincia Narbonensis integra, hoc est, prima Narbonensis & Hispania Tarraconensis, quæ tunc sub Metropolitano Narbonensi erat. Sic enim intelligendæ sunt Gregorii literæ a nobis olim editæ, quæ sic habent in veteri codice MS. sancti Albini Andegavensis.

Gregorius *Episcopus, servus servorum Dei, omnibus Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Regibus, Principibus, clericis quoque ac laicis in Narbonensi, Gallia, Guasconia, Hispaniaque regione salutem & apostolicam benedictionem. Dilectissimi fratres & filii, prudentiæ vestræ manifestissime notum est, quod Romana Ecclesia hanc consuetudinem habuit ab ipsis suæ fundationis primordiis, ut ad omnes partes, quæ Christianæ religionis titulo prænotantur, suos Legatos mitteret; quatinus ea, quæ gubernator & rector ejusdem Romanæ Ecclesiæ per suam præsentiam expedire non prævalet, vice sua Legatis concessa, monita salutis ac morum honestatem per eos cunctis per orbem terrarum constitutis Ecclesiis nuntiaret, easque apostolica doctrina in omnibus, quæ sacræ religioni conveniunt, diligenter instrueret. Proinde horum præsentium portitorem venerabilem confratrem nostrum A. Episcopum ad partes vestras dirigimus: ut, quæ ibi vitia eradicanda sunt a fundamento evulsis, plantaria virtutum Deo auctore solerti vigilantia plantare procuret. Quem sicut nostram immo beati Petri præsentiam vos suscipere apostolica auctoritate jubemus, ac si pro reverentia apostolicæ sedis, cujus nuncius est, vos in omnibus sibi obedire atque eum audire mandamus, ut propriam faciem nostram seu nostræ vivæ vocis oracula. Scriptum est enim:* Qui vos audit, me audit. *Agite itaque prudenter ac religiose; & sic vos obedientes Deo & sancto Petro in omnibus exhibete, quatinus ipso Apostolorum principe interveniente, utriusque vitæ gloriam & felicitatem consequi mereamini.*

IX. De legatione Amati multa erudite pro more suo adnotavit illustrissimus Archiepiscopus in historia Benearnensi, ac post eum alii. Sed tamen nos quoque nonnulla adferemus non ingrata, opinor, futura viris eruditis & antiquitatis ecclesiasticæ studiosis. Anno MLXXIX. Gregorius VII. primatum Gebuino Lugdunensi Archiepiscopo concesserat super quatuor provincias Lugdunenses, hoc est, Lugdunensem proprie dictam, Rothomagensem, Turonensem & Senonensem, quod decretum statim amplexus est Archiepiscopus Turonensis ejusque suffraganei. Inde altos spiritus induit Gebuinus, quod ingens accessio facta esset dignitati suæ. Itaque cum inaudivisset concessam Amato esse legationem in provincia Turonensi, impatienter id tulit, quod ex eo imminui agnosceret auctoritatem suam. Quare Rodulfum Archiepiscopum Turonensem & Eusebium Andegavensem Episcopum verbis ambiguis hortatus est, ne paterentur Amatum in ea provincia uti auctoritate Legati. Quia tamen intelligebat, validum hinc telum peti posse adversus novam dignitatem Ecclesiæ Lugdunensis, si Romanorum Pontificum rescriptis privata audentia occurreret, sic temperat scriptionem suam, ut profiteatur, habiturum se illum pro Legato, postquam sibi constiterit de legatione ejus, nolle enim se *jussionibus apostolicis contraire*. Extat enim ea de re, ut dixi, Gebuini ad eosdem Archiepiscopum & Episcopum epistola in vetusto codice MS. sancti Albini Andegavensis, digna profecto, quæ manibus eruditorum hominum teratur. Sic autem habet:

Dilectissimis in Christo fratribus, Rodulfo venerabili Turonensi Archiepiscopo suo charissimo & Andegavensi Episcopo Eusebio Gebuinus indignus Presbyter Lugdunensis Ecclesiæ in Domino salutem. Cum dilectionis & charitatis vestræ, quam quotidie erga Lugdunensem Ecclesiam exhibetis, reminiscor, in exequendis obsequiis vestris ultra vires est animus, sic, quod condigne meritis vestris referri debeat non habemus. Ergo, ut charissimis & præcordiorum nostrorum intimis vobis conveniens nostrum aperimus. Credo, quod jam pervenit ad aures vestras, quam benigne Papa nos susceperit, quanto affectu familiaribus commendaverit; & cum de multis adinvicem haberemus sermonem, nullam tamen nobis de Domno Amato fecit mentionem. Ut pius pater, cum de multis merito nos corriperet, non tamen amisit, quin apostolica auctoritate Lugdunensi Ecclesiæ antiquam nobilitatem restauraret; & in tantum in retractando privilegio nostro studuit, ut, cum in diversa responsa dies non sufficeret, ipse etiam dictando plurimum nocte laboraret. Præcepitque nobis, ut Diensi Episcopo in fidelitate beati Petri & in omnibus ferrem auxilium, si quando in provinciis nobis commissis celebraret Concilium. Unde non satis miror, Domnum Amatum hujuscemodi rem egisse; cum neque Papæ neque ipsius literas acceperim, neque legationis ejus certa signa cognoverim. Audivi tamen, illum suscepisse legationem vestræ provinciæ ante quam Romam pergerem. Quod si est, consilio vestro nobis opus est; quia nec Lugdunensis Ecclesiæ dignitatem volo minuere, nec jussionibus apostolicis contraire. Et, si fieri potest, quid de his sentiatis ad præsens rescribere ne differatis. Valete.

X. Hunc dolorem suum patefecit etiam Gebuinus alia ratione. Nam, ut oblique infringeret auctoritatem Amati, Rodulfum Archiepiscopum Turonensem jure primatiæ suæ ad se evocavit eodem tempore, quo Amatus indixerat synodum suæ legationis, ad quam pertinebat tertia Lugdunensis. Hujus rei testem locupletissimum habemus eundem Archiepiscopum Turonensem, qui anno MLXXIX. scribens ad Arnaldum Episcopum Cenomanensem suffraganeum suum testatur, se literas evocatorias Gebuini accepisse eo tempore, quo Amatus Concilium indixerat, de quo tamen celebrando nihil inaudivisse se scribit ante susceptas Gebuini literas. Ait tamen, iturum se ad Concilium. Rodulfi literas, in quibus sunt multa memoratu digna, istic edere visum est acceptas ex veterrimis schedis, quas habeo in mea bibliotheca.

R. Tu-

R. Turonorum indignus Presbyter Domino & amicorum amicissimo A. compresbytero suo, pro bene affecta erga se & in frequenti necessitate experta amicitia, quanta poterit & in serviendo & in patrocinando commercia. Cum vobis, Pater venerande, in intimi pectoris mei domicilio inter paucos mihi necessarios indissolubili vinculo, quod veritas conscientiæ habet, sedem defæcatæ dilectionis, præcedentibus in me beneficiis vestris, me gaudeam jam fecisse, R. quæ Abbatem nunquam in alicujus partis ejusdem dilectionis folium me intelligam nisi communiter admisisse, non satis miror, quod opinari potuistis, me ejus delationibus, si falsæ fuerunt, ut scriptum vestrum pronuntiat, consensisse. Vos enim quam erga me ipse, quamque ego erga eum habui notitiam, tantum laudibus vestris eum efferendo, probitates ejus promulgando confecistis: qui si tantus est, ut dixistis, indignum eo valde esset, si linguam suam fœdaret aliquibus delationibus falsis, præsertim de vobis. Sed absolens non debet esse si rem suam, pro qua laboraverat, voluit ad effectum perducere. Sed vere an falsæ fuerint ejus delationes, multum mea refert eis non consensisse. Si Primati nostro missis ab eo literis, quas vidistis, potuissem illico non prohibentibus terrarum spatiis respondere, vel si tunc præscissem Concilium, quod postea mihi innotuit, fore. Sed quoniam alter erat Primas, a quo litteræ mittebantur, alter erat etiam Amatus, a quo Concilium prædicebatur, quorum alteruter alterutrius legationem non noverat, ego, nisi eas litteras susciperem, nisi eas vobis missurum me ex præcepto Primatis nostri, cui obtemperare me oportebat, sponderem, maxime cum susceptis his Concilium futurum nescirem, nullum mihi consilium erat. Nunc autem in dubio animus meus pendet, quia & vobis morem in rectis factis me gerere decet, & Romano Papæ & Primati non contraire oportet; qui etiam videatur, quod ego sentiebam de Abbate futuro & modo facto sentire, quem cum eo excommunicaveram, vobisque, ne eum benediceretis, interdixeram, supersedistis audire. Quæ quoquo modo facta sint, sciatis volo, credatis obsecro, me moleste habere vestram suspensionem, non tamen audere aliquid contra Domni Papæ & Primatis jussionem, quia procul dubio erit facilius remedium, dum apud nos eorum fuerit servatum præceptum. Ergo consilium meum est, ut in eorum obedientia suspensus perseveretis, causamque, non tristitiam, charissime Pater, sed infirmitatis molestiam & Dei misericordiam prætendatis usque ad tempus breve Concilii, in quo erit, nobis annitentibus, Dei interposito patrocinio, executio remedii. Nam ibi præsentibus & subintroducto Johello Abbate & de injuria R. succensente ad unum finem causam utriusque laborabimus adducere vosque immunem periculi facere. Quod autem Abbati Majoris-monasterii & quibusdam fortasse aliis succendendo de eadem causa scripsistis, vosque apud Primatem literis quorundam falsis criminibus falsissimaque accusatione diffamatum & hostilibus litteris Abbatem R. protectum propalatis, timeo, si in audientiam Concilii id delatum fuerit, nobis nociturum. Sed tantum de me & pro me confidenter affirmo, neque me cum his accusantibus, si fuerunt, participasse in præterito, neque participaturum in futuro. Valete. De hoc vero, quod de præfato Abbate dicitis, quem sacrilegum vocatis, & de monacho, quem injuste excommunicatum usurpatis, non ista dicere deberetis, quousque in audientia majori & futuro Concilio de hoc diffinitum sit. Iterum valete.

Agebatur de Ecclesia sancti Petri de Cultura in urbe Cenomanensi, quæ litigiosa erat inter Rainaldum, qui favore Gebuini & Rodulfi attollebatur, & Johellum, cui Arnaldus Episcopus & Willelmus Rex Anglorum favebant. Vicit Johellus Gregorio VII. judice, nequicquam prævalentibus adversus eum duorum Archiepiscoporum viribus, qui palam & aperte susceperant patrocinium causæ ejus, Turonensi scribente ad Episcopum Cenomanensem, Lugdunensi vero secum Romam adducente Rainaldum cumque commendante summo Pontifici. Et Gebuini quidem epistola jamdiu edita est a nobis in appendice libri de Primatibus. Rodulfi vero epistola nunc damus ex iisdem veterrimis schedis.

Gregor. VII. lib.7. epist.22.

R. Dei gratia Turonorum Archiepiscopus venerando Cenomannensium Episcopo E. boni pastoris meritum & præmium. Mandastis mihi per quendam monachum & per Rainaldum clericum meum, quod staretis ad justitiam Rainaldo Abbati sancti Vincentii (qui rectius sancti Petri esse Abbas dicitur, quia injuste inde sublatus esse cognoscitur) aut in capitulo sancti Juliani aut in præsentia nostra. Ego autem volentem ire Romam ad Apostolicum vix multa prece detinui, persuadens ei, ut prius experiretur in hac patria, quid ei facere velletis. Cumque ad hoc tandem ejus consensum impetrassem, misi vobis literas meas, in quibus vobis mandabam, paratum illum esse redire ad vos experiri, quid ei permittebatis, si eum affiduciaretis, quod libere & secure posset ire & redire vel ibi remanere. Ad illas autem literas vos nihil adhuc mihi respondistis, nescio utrum per incuriam, an quia illas non vidistis. Sed qualibet causa id evenerit, omitto. Id præcipue charitatem vestram rogo, ut, quod promisistis, id est, quod Abbati rectum faceretis, facere non recusetis, nec differatis. Ego quidem, propter dilectionem, quam erga vos habeo, uti vi ac potestate mea contra vos, quamvis recte & legitime possim, tamen adhuc nolo. Unde timeo, ne si Abbas clamorem suum ad Papam detulerit, ego & vos Romam ire non sine magno rerum nostrarum dispendio compellamur, &, quod majoris est & damni & dedecoris, gradus nostri & ordinis discrimen incurramus. Si enim Domnus Papa aliquid contra nos commotus fuerit, scitis, quam male de eo promeriti sumus, utpote, qui ejus auctoritatem, quantum in nobis est, ita adnihilemus, ut ejus decreta aperte prævaricari non vereamur, ut alia taceam, in eo scilicet, quod Abbatem, qui de manu laica donum regiminis acceperat, vos benedicere præsumpsistis, sed revera maledixistis, quia benedictio illa de illis fuit, de quibus Dominus dicit: Maledicam benedictionibus vestris. *Ego autem, etsi vobis illud contradixi, in eo tamen consensisse rectissime adjudicabor, quod canonicam ultionem inde facere, cum facile possem, dissimulavi. Et quidem, si qualibet causa ante Papam venerimus, & de hac causa examinati fuerimus, nec vos mihi, nec ego vobis invicem suffragari poterimus, quin rei, ut ita dicam, apostolicæ majestatis teneamur. Unde prudentiam vestram familiariter moneo & rogo, ut, quantum potestis, viam illam ad præsens devitetis. Incommoda est enim valde & periculosa ad præsens tam mihi quam vobis. Et quod hic in patria vestra, immo in domo vestra, sine damno & labore vestro ac nostro facere convenienter potestis, ne quæratis, immo non sinatis, ut cum grandi damno & labore vestro ac nostro in longinqua regione facere cogamini. Bene valete, & quid animi de hoc habeatis, usque ad octavas sancti Andreæ vel per hunc ipsum legatum mihi per literas vestras mandate.*

Quod heic vides, lector, Episcopum Cenomanensem, qui certe vocabatur Arnaldus heic notari per literam E. tanquam si nomen ejus ab ea litera inciperet, non est quod mirere. Ernaldus enim & Arnaldus idem nomen est. Quod multis testimoniis probari potest quoad istum Episcopum, qui Ernaldus vocatur in tomo decimo Spicilegii Dacheriani pag. 298. in Monastico Anglicano tom. 1. pag. 547. in Chronico Beccensi ad annum 1077. in Actis sanctorum ordinis S. Benedicti seculo VI. parte 2. pag. 386. & in historia Sabloliensi Menagii pag. 336. Concilium porro ab Amato indictum, de quo supra actum est, fuisse puto illud, quod in Britannia nostra celebrari ab Amato Episcopo Oleronensi jussit Gregorius VII. lib. 7. epist. 10.

XI. Ve-

XI. Verum, ut redeamus ad legationem Aquitanicam, sic constituere possumus, nullos ei terminos fuisse præscriptos, sed contractos aut dilatatos pro libito summorum Pontificum. Quippe Amato, præter quinque provincias, quas diximus, mandata etiam fuit prima Narbonensis & provincia Tarraconensis, quæ tum sub Metropolitano Narbonensi erat & Regibus Francorum parebat. At Gerardo Engolismensi Episcopo tributæ sunt tantum quinque provinciæ; nihilque juris illi concessum est in provinciam Narbonensem, neque in Tarraconensem. Ad exemplum vero potestatis, quæ illi collata fuerat, Innocentius II. Gaufrido Carnotensi Episcopo legationem Aquitaniæ commisit, id est, earum provinciarum, quas auctoritati Geraldi fuisse subjectas jam docuimus. Unde in Chronico Maurigniacensi scriptum est, Aquitaniæ totius legationem illi commissam fuisse. *Hunc*, inquit auctor illius Chronici, *præcedentes Apostolici amicum semper & familiarem habuerant, & pro valoris vel elegantiæ, qua præditus erat, magnitudine totius ei Aquitaniæ legationem indixerant*. In eo tamen errat hic auctor, quod ait, illam legationem Gaufrido commissam fuisse a decessoribus Innocentii. Constat enim, Gerardum ea dignitate ornatum fuisse a temporibus Paschalis usque ad Innocentium, eam vero tum transmissam ad Gaufridum quando Gerardus secessit ab obedientia Innocentii, in partes transgressus Anacleti. Unde factum est, ut in Martyrologio Carnotensi dicatur functus esse legatione pro Innocentio per annos quindecim. Præstat autem locum ipsum heic referre, cum in eo enumerentur provinciæ, quæ limitibus Aquitanicæ legationis tum continebantur, si tamen Auscitana, quæ vitio haud dubie librarii omissa est, addatur. *Nono Kal. Febr. Eodem die in Dei misericordia egressus est de ergastulo carnis piæ & dulcis memoriæ pater noster Gaufridus hujus sanctæ sedis antistes, legatione apostolicæ sedis sub beato Papa Innocentio super Bituricensem, Burdigalensem, Turonensem, & Dolensem, provincias per annos circiter XV. sancte & religiose functus*. Mendosus est hic locus. Nam legatio Aquitaniæ ei commissa est ab Innocentio post annum MCXXX. Ipse vero obiit anno MCXXXVIII. Itaque non potuit legatione illa fungi per annos quindecim.

Vita S. Bernardi lib. 3. cap. 6.

CAPUT XLVII.

De arcanis artibus, quos Pontifices in mittendis legatis exercuerunt, licet alios prætextus simularent.

SYNOPSIS.

I. Perpetuos in provinciis Legatos instituendos esse censuerunt Romani Pontifices; reserato retinendæ dominationis arcano per legationes. Probatur ex Honorio III.

II. Sed, ut res ista ordine procederet, insinuanda erat ægro mortalium generi necessitas mittendorum Legatorum. Ea necessitas deducta ex cura universalis Ecclesiæ, quam Romanæ sedis antistiti incumbere scribit post Vigilium Alexander secundus. Eam curam expetere, ut Romanus Pontifex mittat, qui provincias vice sua visitent. Hoc jus a veteri consuetudine repetit Gregorius septimus. Ex ea persuasione factum, ut cuncta Ecclesiastica negotia Legatis committerentur, specie extirpandi vitia & inserendi virtutes.

III. Religiosissima illa Pontificum verba non ita semper accipiebantur in provinciis, eaque species pietatis aliquando passa est contradictionem.

IV. Eandem veterem consuetudinem obtenderunt etiam Paschalis II. & Callistus II.

V. Prædecessorum suorum cogitata magnificis verbis elocutus est Innocentius III. Legatorum utilitatem ac necessitatem commendans.

VI. Ex eo factum est, ut in immensum posterioribus seculis excreverit Legatorum dignitas & auctoritas, ita, ut cuncta omnino provinciarum negotia ad eos deferrentur. Olim causas judicabant in Conciliis. Ultimis vero temporibus insuper habuerunt Episcoporum nomen.

VII. Tanta olim fuit Legatorum auctoritas, ut non liceret judicia eorum retractare. Probatur auctoritate Alexandri II. apud Thomam Spalatensem. Item ex Gregorio septimo.

VIII. Fuit illud unum ex arcanis retinendæ dominationis, ea approbare, quæ a Legatis acta erant. Maxima porro & amplissima potestate ornabantur. Facile Legatis erat quemlibet suæ legationis Episcopum opprimere.

IX. Ivo Carnotensis docet, tantam fuisse Legatorum auctoritatem, ut ad reddendam factorum suorum rationem cogi non possent, quantumvis iniqua sententia esset.

X. Judicia Legatorum ac delegatorum apostolicæ sedis debere esse sacrosancta, declaravit Innocentius III. in causa Episcopi Pictaviensis.

XI. Eadem sententia sedit Innocentio IV. sed callidius expressa.

I. Reserato retinendæ dominationis arcano per legationes, perpetuos in provinciis Legatos ea de causa instituendos esse censuerunt Romani Pontifices. Eam illis mentem fuisse, docet Honorii III. epistola ad Rogerium Archiepiscopum Pisanum, in qua verbis minime ambiguis scribit, Corsicam deferbuisse a subjectione & obedientia sedis apostolicæ ob desuetudine Legatorum. *Corsicana vero*, inquit, *tam prolixitate spatiorum quam negligentia pastorum, dominorum insolentia, & desuetudine Legatorum sedis apostolicæ a subjectione & obedientia Romanæ Ecclesiæ deferbuerat*. Scilicet ea prima & potior cura Legatis erat, ut populos imbuerent reverentia Pontificum Romanorum, commendata successione Apostolorum & loci auctoritate, intentatis porro pœnis adversus eos, qui majestatem Romanæ sedis minus colere viderentur. Et suetus jam Legatis Christianus orbis nihil aliud malebat, imbutus nimirum ea persuasione, curam universalis Ecclesiæ ita pertinere ad summum Pontificem, ut cuncta Ecclesiarum negotia ab illo seu a Legatis ejus judicanda essent.

Tom. 3. Ital. sac. pag. 441.

II. Hanc disciplinam in animos hominum immittere curarunt Pontifices variis temporibus. Diserta in eam rem sunt Alexandri secundi verba ex epistola generali de legatione Petri Damiani Episcopi Ostiensis, quæ infra describuntur in capite trigesimo libri sexti. Is ergo jus mittendorum in provincias Legatorum ex eo capite arcessit, ut olim factum a Vigilio, quod cura universalis Ecclesiæ eum cogat mittere ad vicem suam personas, quæ visitent Ecclesias, cum id efficere per se ipse non possit. Altius hoc jus repetit Gregorius septimus, qui Legatum in Gallias mittens Amatum Episcopum Oloronensem, ait, se id facere juxta veterem consuetudinem Romanæ Ecclesiæ, quæ *ab ipsis suæ fundationis primordiis*, ut ipse ait, ad omnes partes, quæ Christianæ religionis titulo prænotantur, suos Legatos misit; *quatinus ea, quæ gubernator & rector ejusdem Romanæ Ecclesiæ per suam præsentiam expedire non prævalet, vice sua Legatis concessa, monita salutis ac morum honestatem per eos cunctis per orbem terrarum constitutis Ecclesiis nuntiaret*. Ex ea persuasione factum, ut cuncta ecclesiastica negotia Legatis committerentur, specie extirpandi vitia & inserendi virtutes. Gregorius itaque post magnificam illam præfationem hæc addit: *Proinde horum præsentium portitorem venerabilem confratrem nostrum A. Episcopum ad partes vestras dirigimus; ut, quæ ibi vitia eradicanda sunt, a fundamento evulsis, plantaria virtutum Deo auctore sollerti vigilantia plantare procuret*.

Vide supra cap. 37. §. 3.

Epistola Gregorii VII. extat integra in capite superiori.

III. Verum licet ista religiosissimis verbis scriberent Pontifices, non ita tamen semper accipiebantur

tur in provinciis, eaque specie pietatis aliquando passa est contradictionem. Miserat idem Gregorius Legatos in Germaniam anno MLXXIV. Hubertum Episcopum Prænestinensem & Giraldum Ostiensem, ut vice ejus & auctoritate fulti, convocato Concilio generali, *quæ corrigenda essent, corrigerent, quæ religioni addenda essent, adderent*. Intercessit his mandatis Liemarus Bremensis Archiepiscopus omnium Germaniæ Episcoporum nomine, synodum a Legatis celebrari prohibens, tanquam rem inusitatam & longe a suis rationibus alienam. Itaque re infecta Legati reversi sunt; castigatusque propterea est graviter Liemarus a Gregorio, licet irrito conatu. Ista porro contigerunt, quo tempore dissociata erat concordia sacerdotii & imperii.

Vide Baron. ad an.1074. §.2.

Gregor. VII. lib.2. epist.28.

IV. Eandem veterem consuetudinem, quam obtendebat Gregorius, obtendit & Paschalis II. ad Henricum Regem Anglorum scribens his verbis: *Universum siquidem terrarum orbem Dominus & magister noster suis discipulis dispertivit; sed Europæ fines Petro singulariter commisit & Paulo; nec per eorum tantum, sed per successorum discipulos ac Legatos, Europæ universitas conversa est & confirmata. Unde usque ad nos, licet indignos, eorum Vicarios hæc consuetudo pervenit, ut per nostræ sedis Vicarios graviora Ecclesiarum per provincias negotia pertractarentur seu retractarentur*. Item Callistus secundus, cum anno MCXX. Legatum in Galliam mitteret P. Presbyterum Cardinalem. Nam de legatione ejus scribens ad Ludovicum Regem Francorum ita loquitur: *Nos enim a latere nostro eum secundum antiquam apostolicæ sedis consuetudinem ad terram potestatis tuæ pro corrigendo & confirmando, quæ corrigenda & confirmanda fuerint, delegamus*.

Apud Eadmer. pag. 115.

Tom.3. Spicilegii pag. 146.

V. Innumera sunt exempla hujusmodi, si quis ea congerere velit. Verum cum referre omnia necesse non sit, sufficiet unicus Innocentii III. locus, qui, quod decessores ejus simplici sermone dixerunt, magnificis verbis elocutus est ad Imperatorem Constantinopolitanum scribens de legatione concessa Pelagio Episcopo Albanensi. Primum igitur scribit, Dominum Jesum Christum sedem apostolicam instituisse totius Christianitatis caput & magistram, a qua panis intellectus & vitæ ad alias procedat Ecclesias. Pontificem Romanum portare onera gravia cum plenitudine potestatis. Verum quia ipse cuncta per se facere non potest, multos sibi operarios & coadjutores adjungere, ac per eos exequi, quod per se non potest personaliter adimplere, sic vices suas aliis committendo, ut intelligatur ipsemet facere, quod per alios fieri decernit. Cum autem necessitas Ecclesiæ CP. postulet, illuc mitti Legatum a latere, destinasse se in eam rem Pelagium Episcopum Albanensem; *cui nos vices nostras commisimus*, inquit, *ut juxta verbum propheticum evellat & destruat, ædificet & plantet, quæ secundum Deum evellenda & destruenda nec non ædificanda cognoverit & plantanda*.

Innoc. III. lib.16. epist.104. & seqq.

VI. Ex eo factum est, ut in immensum posterioribus seculis excreverit Legatorum dignitas & auctoritas, ita ut cuncta omnino provinciarum negotia ad eos deferrentur, sive de judiciis ageretur, sive de confirmatione privilegiorum; tum etiam si qui lites concordia inita finivissent, pactiones suas auctoritate Legatorum firmari postulabant. Ea cum sint notissima, inutile esset ea persequi, & satis est observasse. Quare non sine causa adnotavit Paschalis II. ad Henricum Regem Anglorum scribens, hanc esse consuetudinem, ut per sedis apostolicæ Vicarios graviora Ecclesiarum per provincias negotia pertractentur. *Unde usque ad nos*, inquit, *licet indignos, eorum Vicarios hæc consuetudo pervenit, ut per nostræ sedis Vicarios graviora Ecclesiarum per provincias negotia pertractarentur seu retractarentur*. Legati vero, tametsi omnia pro suo arbitrio gererent, utplurimum cuncta peragebant in Conciliis, ut, quæ ipsi statuebant, etiam Episcoporum auctoritate tenerent. Sed ultimis temporibus, postquam solidata fuit suprema illorum potestas, insuperhabuerunt nomen Episcoporum, satis dignitati illorum prospectum putantes, si coram illis decreta conderentur. Denique Gerardus Episcopus Sabinensis & apostolicæ sedis in Sicilia Legatus, cum generale Concilium celebrasset apud Melphiam anno MCCLXXXIV. in eoque nonnullas constitutiones edidisset, eas suo tantum nomine publicavit, nulla facta mentione Concilii approbantis: *Universis Archiepiscopis & Episcopis & aliis Ecclesiarum Prælatis per regnum Siciliæ constitutis tenore præsentium districte præcipiendo mandamus, ut constitutiones, quas in generali vocatione Prælatorum regni apud Melphiam in præsenti edidimus, observent & a subditis suis faciant inviolabiliter observari*.

VII. Tanta enim fuit olim Legatorum apostolicæ sedis auctoritas, ut non solum, quod jam vidimus, cuncta Ecclesiarum per provincias negotia per eos agitarentur, sed non liceret præterea judicia eorum retractari, omninoque ea servanda essent, quæ ab illis decreta fuerant in Conciliis provincialibus. Alexandri secundi pontificatu, cum Sclavi maxime cuperent fieri sibi potestatem, divina celebrandi in lingua Sclavonica, quod prohibitum in synodo fuerat a Maynardo sedis apostolicæ Legato, idem Alexander negavit, jubens interim, ut decreta Maynardi servarentur. Rem ita gestam narrat Thomas Archidiaconus Spalatensis cap. XVI. historiæ Spalatensis, qui hæc Alexandri verba ad Legatos Sclavorum dicta refert: *Nunc vero euntes, gentem illam facite observare omnia, quæ a venerabili fratre nostro Maynardo sanctæ Rufinæ Episcopo Cardinali synodaliter statuta sunt*. Sic Gregorius VII. Papa, quantumvis justæ viderentur quorundam Aquitanorum Episcoporum querelæ adversus Giraldum Episcopum Ostiensem & sedis apostolicæ Legatum, noluit rationem habere eorum, quæ ab illis postulabantur, ne auctoritatem Legati in dubium revocare videretur, seu ne temeraret ea, quæ ab illo gesta fuerant; *respectu conservandæ auctoritatis tuæ*, inquit, *& honori tuo providentes*.

Gregor. VII. lib.1. epist. 16.

VIII. Fuit illud unum ex arcanis retinendæ dominationis, ea approbare, quæ a Legatis acta erant in provinciis, ne dignitas eorum in contemptum veniret. Quam ob causam potestate maxima & amplissima ornabantur; eaque auctoritas, ut Mariana scribit, major erat, quam ut ei obsisti a quoquam posset. Insignis est in eam rem locus ex veteri charta Aquensis Ecclesiæ in Novempopulania, quam illustrissimus Archiepiscopus edidit in Historia Benearnensi. Descripta enim successione quorundam Episcoporum illius Ecclesiæ, demum additur: *Tempore Bernardi præfuit Olorensi Ecclesiæ Episcopus nomine Amatus, vir e contrario magnæ astutiæ & calliditatis, & totius Vasconicæ Legatus; qui quoniam totius Vasconicæ & aliarum provinciarum Legatus erat, facile quemlibet suæ legationis Episcopum (*) supprimere poterat*.

Mariana lib.9. de reb. Hisp. c. 18.

Hist. Benearn. pag. 520.

(*) *Opprimere.*

IX. Quanta tum esset Legatorum auctoritas, docet vel unicus Ivo Carnotensis Episcopus: qui tametsi libere perstringat tyrannidem Hugonis Archiepiscopi Lugdunensis & apostolicæ sedis Legati, fatetur tamen, tantam esse illius potestatem, ut ad reddendam rationem rei a se gestæ cogi non posset, quantumvis iniqua sententia esset. *De cetero*, inquit, *prædam a Puteacensibus in me & in Carnotensem Ecclesiam factam jure possem a vobis repetere, si reverentiam vestram in jus vocare possem, qui ad suggestionem æmulorum meorum prædictos sacrilegos a me & coepiscopis meis communione privatos me nesciente communioni reddidistis, ac per hoc scelerum suorum impunitate ad perpetranda majora sacrilegia relaxastis*.

Vide Baron. ad an. 1099. §. 3.

X. Denique judicia Legatorum ac delegatorum sedis apostolicæ facta in provinciis debere esse sacrosancta decrevit Innocentius III. adversus Episcopum Pictaviensem scribens. Cum enim præfatus esset de magnitudine & dignitate Romanæ Ecclesiæ, dixissetque, eam esse conditionis humanæ legem, ut ho-

ut hominem simul in diversis locis existere aut ad loca remotiora transvolare subito non permittat, addit, Romanum Pontificem, quæ per se ipsum non potest, per Legatos suos vel delegatos judices exequi. Castigat deinde temeritatem Episcopi Pictaviensis, qui publice prædicabat, se in episcopatu suo esse velle Episcopum atque Papam, & asserebat, quod per judices delegatos a Papa, quos Papæ judicellos appellabat, in sua diœcesi nihil agi sineret, Capellanis porro de Mirebello præsumpserat inhibere, ne observarent sententias, quas delegati ab Innocentio judices protulerant & præceperant firmiter observari. Castigato igitur Episcopo illo, jubet, uti sententia illa firmiter observetur, ea præclara ratione addita: *Si enim delegatos a nobis judices pro mandatorum executione nostrorum tanto discrimini subjacere contigerit, quis commissiones nostras recipere aut mandata exequi non timebit?*

Vide supra c. 26. §. 8.

Innoc. III. lib. 16. epist. 12.

XI. Quare culpandus aliquo modo videtur Innocentius IV. qui licet intelligeret, Legatorum acta non esse excutienda, ut ipsemet innuit in epistola, quam anno sexto sui pontificatus scripsit ad Abbatem sancti Martini Treverensis, attamen confirmare recusavit ea, quæ a Legato sedis apostolicæ gesta fuerant in causa Ecclesiæ Warmaciensis, donec totum illud negotium apud sedem apostolicam examinatum aut discussum fuisset. Præstat heic describere epistolam integram ex veteri codice bibliothecæ Colbertinæ. *Ex parte dilecti filii R. electi VVarmaciensis fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum dilectus filius noster P. sancti Georgii ad velum aureum Diaconus Cardinalis apostolicæ sedis Legatus, electione, quam Capitulum VVarmaciense de Corrado Præposito VVarmaciensis Ecclesiæ de facto celebraverat rite cassata, de prædicto Ricardo ipsi Ecclesiæ duxerit in Episcopum providendum, provisionem eandem confirmare de benignitate sedis apostolicæ curaremus. Licet autem vehementer præsumamus pro iis, quæ a Legato acta sunt in hac parte, plenius tamen de præmissis, an canonice omnia processerint, certificari volentes, mandamus quatenus præfatum electum & alios, si qui fuerint, qui se provisioni factæ de dicto R. velint opponere, ex parte nostra peremptorie citare procures, ut infra competentem terminum a nobis præfigendum eisdem cum omnibus rationibus & munimentis suis per se vel sufficientes & idoneos procuratores nostros se conspectui repræsentent, facturi & recepturi, quod justitia suadebit. Datum Lugduni II. Nonas Augusti anno sexto.*

CAPUT XLVIII.

De initiis, progressu & insigni abusu procurationum Legatis Romanis solvendorum in genere.

SYNOPSIS.

I. Legatorum in provincias adventus ne minimo quidem sumptui olim erat provincialibus. Demum lata lex est, qua cautum est, uti ei suppeditarentur sumptus, non solum necessarii, sed etiam liberales. Refertur elegans locus Serlonis Episcopi Sagiensis.

II. Gregorius II. hortatus est Germanos, uti Bonifacio impendia necessaria præberent. Idem Paschalis I. mittens Ebbonem Remensem. Tandem Gregorius VII. formulam jurisjurandi præscribens Metropolitanis, jurare eos præcepit, uti Legatos Romanos in eundo, & redeundo honorifice tractarent & in suis necessitatibus adjuvarent.

III. Hoc Gregorii decretum statim receptum est. Hungari tamen restitere; ut colligitur ex epistola quadam Paschalis secundi, quæ emendatur. Baronii hallucinatio detegitur, qui ex una Paschalis epistola duas fecit.

IV. Stabilita necessitate suppeditandorum Legatis sumptuum, præscriptus ab iis est ordo solutionis, coactique provinciales immensas auri argentique moles pendere. Probatur ex Joanne Saresberiensi, & ex sancto Bernardo.

V. Probatur etiam ex epistola Friderici I. ad Adrianum quartum, in qua sævi Legatorum quorundam actus describuntur. Eis charta pura sigillata dabatur, ut in ea secundum occasiones scriberent, quod animis collubitum esset suis.

VI. Hunc fuisse vetustis illis seculis morem Ecclesiæ seu curiæ Romanæ probatur etiam ex Matthæo Parisio.

I. Legatorum apostolicæ sedis in provincias adventus ne minimo quidem sumptui olim erat provincialibus. Simpliciter victitabant; & si quid illis dabatur, ultro dabatur, nemoque cogebatur ad præbendos sumptos Legatis. Ultimis vero temporibus lata lex est, qua cautum est, uti Legatis apostolicæ sedis suppeditarentur sumptus, non solum necessarii, sed etiam liberales, ab iis, ad quos mittebantur. Elegans est locus Serlonis Episcopi Sagiensis apud Ordericum Vitalem in libro duodecimo historiæ ecclesiasticæ. Hic ergo cum inaudivisset, Cardinales Romanos Petrum & Gregorium adesse, clericis dispensatoribus suis dixit: *Velociter ite, & diligenter Romanis servite, abundanter eis omnia dantes, quæ necessaria sunt, quia legationem Domini Papæ, qui post Deum universalis pater est, deferunt, ipsique, qualescunque sint, magistri nostri sunt.*

Order. Vitalis pag. 877.

II. Primus omnium Gregorius II. mittens in Germaniam Bonifacium, clericis ac nobilibus laicis eum commendaverat, nihil sane imperans, sed hortans, ut ei impendia necessaria præberent. Contributio autem illa infra mediocritatem subsistebat, quod exigui admodum sumptus sufficerent homini frugaliter viventi & Apostolorum virtutibus æmulanti; ac præterea contributio illa sponte fiebat a volentibus. Paschalis I. Ebbonem Archiepiscopum Remensem & Halitgarium Episcopum Cameracensem Legatos mittens ad septentrionales regiones nihil imperat, sed tantum rogat clerum & populum illarum regionum, *ut in omnibus necessitatibus legationis hujus eis solatiari certent*, & quæque itineri hujusmodi necessaria perspexerint, pia benignitate pro viribus succurrere non negligant. Tandem Gregorius septimus, qui Legatorum auctoritatem in immensum extulit, etiam eorum commodis consulens, Metropolitanis formulam præscripsit, secundum quam jurare debebant, cum Pallium eis ab apostolica sede dabatur. In ea vero formula addita est clausula de procurationibus Legatorum, ut eo pacto certi illis essent sumptus necessarii. Clausulæ illius hæc sunt verba: *Legatum Romanum eundo & redeundo honorifice tractabo & in necessitatibus suis adjuvabo.*

Vide infr. lib. 6. cap. 30. §. 9.

Apud Baron. ad an. 1079. §. 9. & cap. Ego N. De jurejurando.

III. Hoc Gregorii decretum statim publicatum statim receptum est, Hungari tamen, quamquam sit major e longinquo reverentia, detrectaverunt per illas tempestates tribuere Legatis munera seu tributa, quæ citra contradictionem eis solvebantur in aliis provinciis. Colligitur istud ex epistola Paschalis secundi ad Archiepiscopum Colocensem, qui ad eum scripserat Regem & regni majores admiratione permotos, quod Pallium sibi ab Apocrisiariis apostolicæ sedis tali conditione oblatum fuisset, si sacramentum juraret, quod ei per Apocrisiarios eosdem miserat summus Pontifex, id est, sacramento a Gregorio VII. inventum, de quo mox dicebamus. Ut ergo Hungaros ad obsequium inclinet, primum ostendit, quid sit Pallium, deinde disputat de auctoritate Romani Pontificis in universa Ecclesia, denique docet, illud juramentum per omnes ubique provincias vigere, etiam apud Danos & Saxones. Sic namque inter cetera scribit ad eundem Archiepiscopum: *Numquid non ultra vos Saxones Danique consistunt? Et tamen*

Apud Baron. ad an. 1102. §. 9.

eorum

eorum Metropolitani & idem juramentum afferunt, & Legatos apostolicæ sedis honorifice tractant & in suis necessitatibus adjuvant. Erravit autem Baronius, ut hoc obiter dicam, falsa epistolæ istius inscriptione, quæ extat in libris Decretalium, deceptus, cum putavit parem a Paschali secundo epistolam scriptam esse ad Archiepiscopum Panormitanum. Erravit inquam. Nam in libris Decretalium legendum non est *Panormitano Archiepiscopo*, ut vulgo editum est, sed *Colocensi Archiepiscopo*, ut recte observatum est ab eruditissimo viro Francisco Florente ad tit. *De usu & auctoritate Pallii* p. 338.

IV. Stabilita semel necessitate suppeditandorum Legatis sumptuum, præscriptus ab iis est ordo solutionis, coactique provinciales immensas auri argentique moles pendere. Unde illa justissima Joannis Saresberiensis querela. *Sed nec Legati sedis apostolicæ*, inquit, *manus suas excutiunt ab omni munere, qui interdum in provinciis ita debacchantur, ac si ad Ecclesiam flagellandam egressus sit Satan a facie Domini.* Et infra: *Provinciarum diripiunt spolia, ac si thesauros Crœsi studeant reparare.* Ista vero adeo publica erant per illa tempora, ut & ipse sanctus Bernardus ad Eugenium III. scribens eum moneat, uti tales in Cardinalium collegium admittat, qui, cum legatione sedis apostolicæ ornati fuerint, *Ecclesias non spolient, sed emendent, qui marsupia non exhauriant, sed corda reficiant, & crimina corrigant*, qui cum ad apostolicam sedem redierint, *redeant fatigati quidem, sed non suffarcinati simul & gloriantes, non quod curiosa seu pretiosa quæque terrarum attulerint, sed quod reliquerint pacem regnis, legem barbaris, quietem monasteriis, Ecclesiis ordinem, clericis disciplinam, Deo populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.*

Joan. Saresb. lib. 5. Policr. cap. 10. & lib. 6. cap. 24.

V. Eadem tempestate, cum Adrianus IV. de Friderico primo Imperatore, conquestus esset, quod Cardinalibus a latere Romani Pontificis directis non solum Ecclesias sed & civitates regni sui clauderet, rescripsit Fridericus eadem ferme, quæ ad Eugenium scripsisse vidimus sanctum Bernardum. Hæc sunt enim verba Friderici: *Cardinalibus utique vestris clausæ sunt Ecclesiæ & non patent civitates; quia non videmus eos Cardinales, sed Carpinales; non prædicatores, sed prædatores; non pacis corroboratores, sed pecuniæ raptores; non orbis reparatores, sed auri insatiabiles corrasores. Cum autem viderem eos, quales requirit Ecclesia, portantes pacem, illuminantes patriam, assistentes causæ humilium in æquitate, necessariis stipendiis & commeatu eos sustentare non differemus.* Idem in edicto tum publicato adversus eosdem Legatos ait: *Porro quia multa paria literarum apud eos reperta sunt, & schedulæ sigillatæ ad arbitrium eorum scribendæ adhuc, quibus, sicut hactenus consuetudinis eorum fuit, per singulas Ecclesias Teutonici regni conceptum iniquitatis suæ virus respergere, altaria denudare, vasa domus Dei asportare, cruces excoriare nitebantur, ne ultra procedendi facultas eis daretur, eadem, qua venerant via, ad Urbem eos redire fecimus.*

Apud Goldast. tom. 1. Constitut. imper. pag. 263.

Apud Radevicum lib. 1. c. 10.

VI. Hunc fuisse vetustis illis seculis morem Ecclesiæ seu curiæ Romanæ, colligi potest ex his, quæ Matthæus Parisius narrat de Magistro Martino, quem Innocentius IV. in Angliam misit cum amplissima auctoritate, non tamen cum nomine Legati: *Per modum enim Legati se gerens, licet Legati vestibus pro privilegio Regis sophistice salvando non insignitus, passim significabat imperiose illi Abbati &c.* Hic ergo extraordinaria & amplissima, uti diximus, auctoritate instructus in Angliam veniens anno MCCXLIV. *manus extendit ad contributionem exigendam, provisiones secundum mentis suæ impetum, ratione relegata, ad opus ignotorum faciendas, reditus violenter extortos consanguineis Domini Papæ conferendos, auctoritate Papali truculenter armatus, cujus novas chartas secundum desiderium suum & secundum repentini casus emergentis negotium singulis diebus ostendit. Unde fuerunt, qui dicerent, ipsum habere multas schedulas non scriptas, tamen bullatas, ut in eis, quicquid placeret, scriberet, quod absit. Missus est igitur iste Legatus sophisticus &c.*

CAPUT XLIX.

De rapacitate & fœdissimis moribus Legatorum Romanorum, speciatim Joannis Cremensis, Rogerii Hovedeni, Joannis Neapolitani & Willelmi Episcopi Eliensis.

SYNOPSIS.

I. Ineunda est, quamvis invitis, narratio fœdissimorum facinorum per provincias patratorum a Legatis. Non omnia tamen congerenda. Comparandarum in primis divitiarum aviditatem in Legatis accusavit antiquitas. Violentia denariorum apud VVillelmum Malmesburiensem.

II. Joannes Cremensis primum locum fastuose occupans in Concilio super Archiepiscopos & Episcopos regni Anglici, adversum se commovet indignationem Anglorum.

III. Tum etiam propter munerum acceptionem, & quia deprehensus cum meretrice ferebatur. Sed hanc narrationem esse falsam contendit illustrissimus Cardinalis Baronius.

IV. Referuntur verba sancti Bernardi, qui mores improbos cujusdam Legati describit, rapacitatem illius in primis exagitans.

V. Rogerius Hovedenus in causa sancti Thomæ Cantuariensis, loquens de Legatis Romanæ Ecclesiæ, ait, eos plus aurum & argentum sitire, quam justitiam & æquitatem.

VI. Joannis Neapolitani horrenda cupiditas & avaritia, qui lucri causa etiam injustissimam causam iniquissima sententia absolvit. Tum impudens ejus responsum.

VII. Adeo vulgata tum res erat Legatorum avaritia, ut, cum Joannes Anagninus in Galliam missus esset ad revocandam concordiam inter Reges Franciæ & Angliæ, & isti palam faveret, publice objectum ei ab alio sit, illum olfecisse sterlingo Regis Angliæ.

VIII. VVillelmus Episcopus Eliensis, Legatus in Anglia & Hibernia, gravis nimium fuit Ecclesiæ Anglicanæ, cunctos ad inopiam redigens. Elegans locus ex epistola Hugonis Episcopi Coventrensis, qui ait, crucem illius Legati redemisse, id est, ad redemptionem coegisse omnes Ecclesias Angliæ, nec fuisse aliquem immunem, qui crucis illius stigmata non sentiret. Sed ad excusandos istius Legati actus extant scripta Petri Blesensis & Cælestini III.

I. INvitus aggredior narrationem tot fœdissimorum facinorum, per provincias patratorum a Legatis, quæ virorum sanctissimorum ac doctissimorum querelas vetustis temporibus non semel excitarunt. Etenim quando ita Deus voluit, ut in me susciperem istud argumentum, revocandus gradus non est, immo per tot probra & discrimina pergendum est inoffenso pede. Scilicet ex illa turpium facinorum commemoratione illum maximum profectum percipiemus, quod ætatis nostræ felicitatem nobis gratulabimur, ætatis inquam nostræ, quæ, cum remota multum sit a malis illis temporibus, non patitur nunc populationes provinciarum, & lætatur, agnovisse tandem orbem, necessariam non esse Legatorum præsentiam in provinciis, quæ tamen necessaria putabatur esse, quo tempore frequentia Legatorum urgebantur. Narraturi igitur probra atque dedecora Legatorum, sequemur ordinem temporum; illud tamen in primis præfati, non omnia congerere nos, quæ Romanum nomen vetustis temporibus in invidiam adduxerunt,

runt, sed quosdam tantum eventus colligere, ut ostendamus, generalem fuisse eam pestilentiam, eosdemque fuisse omnium prope Legatorum mores, eandem comparandarum divitiarum aviditatem. Nam illud præcipue in Legatis accusavit antiquitas. Testis sit Willelmus Malmesburiensis: qui describens ea, quæ anno MCXVII. acciderunt in Anglia, ob frequentiam Legatorum & ad propulsandam Legatorum ingruentium rapacitatem, ut Baronii verbis utamur, ait, illos nullo magno rei publicæ fructu advenisse, attamen cum grandi præda recessisse, & in ea causa commemorat violentiam denariorum. *Nam & in principio regni Henrici*, inquit, *venerat Angliam ad exercendam legationem Guido Viennensis Archiepiscopus, qui postea Apostolicus fuit, tunc Anselmus, nec multo post quidam Petrus; omnesque reversi nullo effectu rei, grandi præda sui, Petrus maxime, quod omnes eum incendere caverent, qui esset filius Petri Leonis summi Romanorum Principis. Crebra ergo ad Angliam commeabat legatio Romanorum insidiantium imbecillitati Radulphi. Sed effugabantur omnes cautela Henrici. Nolebat enim in Angliam præter consuetudinem antiquam recipere Legatum, nisi Cantuariensem Archiepiscopum, illique libenter refringebant impetum propter violentiam denariorum.*

Baron. ad an. 1117. §. 9.

Willelmus Malmesb. lib. 1. gest. pontif.

II. Aliquot exinde post annos, cum Joannes Cremensis sanctæ Romanæ Ecclesiæ tituli sancti Chrysogoni Presbyter Cardinalis venisset in Angliam, proque dignitate Legati primum locum ubique occuparet super Episcopos, etiam in Conciliis, commovit ea res animos provincialium, quia nova præsumebantur. Rem ita narrat Gervasius Dorobernensis in actibus Pontificum Cantuariensium: *His diebus venit in Angliam Legatus quidam nomine Joannes a VVillelmo Cantuariensi Archiepiscopo & Turstano Eboracensi & Episcopis Angliæ nimis pompose susceptus est. Post modicum idem Legatus, peragrata Anglia, celebravit Concilium apud VVestmonasterium, & totam Angliam in non modicam commovit indignationem. Videres enim rem eatenus regno Anglorum inauditam, clericum scilicet presbyterii tantum gradu perfunctum Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, totiusque regni nobilibus, qui confluxerant, in sublimi solio præsidere, illos autem deorsum sedentes ad nutum ejus vultu & auribus animum suspensum habere. Die quoque Paschæ cum idem primo veniret in Angliam, officium diei loco summi Pontificis in matrice Ecclesia celebravit, eminenti cathedræ præsidens, & insigniis pontificalibus utens, licet non Episcopus sed simpliciter fuerit Presbyter Cardinalis. Quæ res quam gravi multorum mentes scandalo vulneraverit & inusitata negotii novitas & antiqui regni Anglorum detrita libertas satis indicat.*

Vide infra c. 51. §. 4.

Gervas. Dorob. p. 1663.

III. Non solum autem propter hanc novitatem in se concitavit hic Joannes odia Anglorum, sed etiam propter munerum acceptionem, ut observat Henricus Archidiaconus Huntindoniensis his verbis: *Ad Pascha vero Joannes Cremensis Cardinalis Romanus descendit in Angliam; perendinansque per episcopatus & abbatias, non sine magnis muneribus ad nativitatem sanctæ Mariæ celebravit Concilium solenne apud Londoniam.* Nolo heic commemorare fœdissimum facinus, quod paulo post ista narrat idem Huntindoniensis, de meretrice nimirum deprehensa cum Legato, cum sciam, illustrissimum Cardinalem Baronium contendere, narrationem hanc esse falsam. Quamquam si quis eam veram præstare vellet, facile, ut ego quidem arbitror, argumenta Baronii dissolveret.

Henr. Huntind. lib. 7.

Baron. ad ann. 1125. §. 14.

IV. Tempore dein Eugenii III. fuit quidam Legatus adeo infamis & inverecundus, ut iracundiam sancti Bernardi adversum se excitaverit. Fuit is, ut Baronius adnotat, Jordanes Cardinalis, Legatus tum ad Conradum Imperatorem missus. Sic ergo de eo scribit sanctus Bernardus ad Hugonem Episcopum Ostiensem: *Pertransiit Legatus vester de gente in gentem & de regno ad populum alterum, fœda & horrenda vestigia apud nos ubique relinquens. A radice Alpium & regno Theutonicorum per omnes pene Ecclesias Franciæ & Normanniæ & circumquaque circumiens usque Rothomagum vir apostolicus replevit non evangelio sed sacrilegio. Turpia fertur ubique commisisse, spolia Ecclesiarum asportasse, formosulos pueros in ecclesiasticis honoribus, ubi potuit, promovisse, ubi non potuit, voluisse. Multi se redemerunt, ne veniret ad eos. Ad quos pervenire non potuit, exegit & extorsit per nuntios. In scholis, in curiis, in triviis, fabulam se ipsum fecit. Seculares, religiosi, omnes male loquuntur de eo. Pauperes & monachi & clerici conqueruntur de eo. Homines quoque suæ professionis ipsi sunt, qui magis exhorrent & famam ejus & vitam. Hoc testimonium habet & ab his, qui intus & ab his, qui foris sunt.*

Baron. an. 1151. §. 6. Otto Frising. lib. 1. de g. Frider. cap. 63.

S. Bernard. ep. 290.

V. Nihilo favorabilior Legatis Romanis fuit Rogerius de Hoveden in causa sancti Thomæ Cantuariensis. Agens enim ad annum MCLXV. de dissidio, quod exortum erat inter eundem Thomam & Henricum secundum Regem Anglorum, adversus quem Henricus legatos ad Alexandrum Papam miserat, addit: *Illi autem videntes, se non posse proficere, petierunt a Domino Papa, duos Legatos mitti in Angliam ad cognoscendam controversiam, quæ erat inter Regem & Archiepiscopum Cantuariensem, & ad determinandam eam in honorem Dei & sanctæ Ecclesiæ & regni. Sed Dominus Papa nullum Cardinalem nec aliquem Legatum mittere voluit, sciens, quod Rex Angliæ potens erat in opere & sermone, & quod Legati ex facili possent corrumpi, utpote qui plus aurum & argentum sitiunt, quam justitiam & æquitatem.*

VI. Eadem tempestas protulit monstrum avaritiæ, Joannem scilicet Cardinalem Neapolitanum vulgo dictum, qui lucri causa, ut Baronius observat, frequenter munus legationis in Siciliam ab Alexandro tertio extorquere consuevit. Nolo heic commemorare, quæcunque de eo narrat Hugo Falcandus, illorum temporum elegantissimus scriptor. Sufficiet unica causa divortii Comitis Richardi, quam iste Legatus summo jure contra fas & instituta majorum diremit pecunia corruptus. *Per idem tempus*, inquit Hugo Falcandus, *Richardus de Sagio Panormum veniens uxorem suam sororem Bartholomæi Perusini secum adduxerat, ut, ea dimissa, neptem Archiepiscopi Capuani nobilissimam meretricem, cujus amore dudum captus fuerat, matrimonio sibi conjungeret. Hic cum Apuliæ diu Capitaneus & magister Comestabulus extitisset, toties aliis rebellantibus fidem inconcussam retinens, nunquam ab Rege defecit: quem Regina benigne suscipiens, dedit ei comitatum Richardi de Aquila Fundani Comitis, qui sine spe reditus in Romanorum finibus exulabat. De solvendo quoque matrimonio præcepit curiæ familiaribus, ut convocatis Episcopis aliisque personis ecclesiasticis, & auditis utriusque partis allegationibus, quod inde dictaret æquitas, expedirent. At illi rogaverunt Cardinales, ut ejusdem interessent examinationi negotii, eo quod ipsi promptiorem harum rerum haberent notitiam, cum Romana curia frequenter super hujusmodi causis cognosceret. Joannes ergo Neapolitanus eorum facile petitioni consensit. Episcopus autem Hostiensis, vir honestatis non indubiæ, cum socium suum vidisset muneribus & gratia præcorruptum, eoque ipso recte judicandi libertatem sublatam, nullis precibus adduci potuit, ut eorum vellet judiciis interesse. Causa vero, propter quam prædictus Richardus putabat oportere dissolvi conjugium, hæc erat, quod se dudum ante contractum matrimonium cum quadam uxoris suæ consobrina rem habuisse dicebat, cujus rei testes processerant duo Milites, hoc se vidisse certissime protestantes. Quod cum adversa pars denegaret, essentque, qui falsum eos perhibere testimonium se probaturos assererent, non quia causam hujusmodi crederent, etsi constaret, ad solvendum matrimonium posse sufficere, sed ut objecti consan-*

Baron. ad an. 1167. §. 95.

Hugo Falcandus in hist. Sicil. pag. 126. ex MS.

consanguineæ suæ criminis injuriam propulsarent, Cardinalis rem breviter satagens definire, prædictos testes jurare præcepit. Inde soluto matrimonio, & ab utraque parte de non coeundo deinceps præstito sacramento, Richardo potestatem dedit ad secundas nuptias licite transeundi, illam autem jussit sine spe conjugii permanere. In quo, licet eum ecclesiastici viri, qui aderant Richardi de Sagio & amicorum ejus gratiam sequutum fuisse non ambigerent, illud tamen propensius mirabantur, quod viro, qui deliquerat, absoluto mulieri, quæ nihil admiserat, perpetuam continentiam indixisset. Cumque latenter ejus impudentiam arguentes, tentandi gratia quærerent ab eodem, utrum in causis paribus idem jus consequenter admitterent, respondit sibi licere, quod eis non liceret, neque nunc id se fecisse, ut ad consequentiam traheretur. Subdit Baronius, qui ista refert: *Huc usque Hugo Falcandus de scandalis, quæ amore auri Cardinalis venalis inferret.*

VII. Adeo vulgata res erat seculo illo Legatorum apostolicæ sedis avaritia, ut, cum Joannes Anagninus a Clemente III. missus in Galliam fuisset Legatus ad revocandam pacem inter Reges Franciæ & Angliæ, & propositis quibusdam concordiæ capitibus, re infecta utrique discederent, Legatusque assereret, *quod, nisi Rex Franciæ ad plenum componeret, cum Rege Angliæ totam terram suam sub interdicto poneret*, inter alia, quæ adversum Legati minas reposuit Rex Francorum, quæ referuntur a Rogerio Hovedeno, *adjecit etiam, quod prænominatus Cardinalis jam sterlingos Regis Angliæ olfecerat.*

VIII. Haud ita multo post, id est, anno millesimo centesimo nonagesimo, Willelmus Eliensis Episcopus, commendatione usus Richardi Regis Anglorum, apud quem præcipua gratia florebat, legationem totius Angliæ & Hiberniæ obtinuit a Clemente III. cujus ea de re literæ referuntur a Matthæo Parisio. Legationis autem officium, *quod mille fusis argenti libris adquisierat, adeo immoderate peregit, ut omnibus Angliæ Ecclesiis tam conventualibus quam cathedralibus fieret onerosus. Si quidem mille & quingentis per Angliam evectus equitaturis, clericorum stipatus catervis, Militumque vallatus agminibus, omnia fere, quæ episcopali reverentiæ congruunt, prætermisit.* Hic fastos in eum concitavit Anglorum invidiam & odium merito excandescentium adversus hominem, qui ad nihil aliud videbatur impetrasse legationem sedis apostolicæ, quam ut universam Angliam una ruina opprimeret. Describit ista eleganter Hugo Coventrensis Episcopus in epistola de dejectione ejusdem Legati, quam recitat Hovedenus. *De consilio universorum statuimus*, inquit Hugo, *ne talis de cetero in regno Angliæ dominetur, per quem Ecclesia Dei ad ignominiam & populus ad inopiam erat redactus. Ut enim cetera omittam, ipse & ganeones sui totum regnum exhauserant.* Addit paulo post, Eliensem Episcopum Cantuariam properasse, *ut ibi, sicut decebat, crucem acciperet peregrinationis & deponeret crucem legationis, quam per annum & dimidium anni post mortem Papæ Clementis in præjudicium Romanæ Ecclesiæ & detrimentum Anglicanæ portaverat. Omnes enim Ecclesias Angliæ crux illa redemit, id est, ad redemptionem coegit, nec fuit aliquis immunis, qui crucis illius stigmata non sentiret. Et si forte alicujus Episcopi domum intravit, ab eo scire poteritis, quod centum vel ducentarum marcarum pretio sua constiterit procuratio.* Porro adversus hanc Hugonis Episcopi Coventrensis epistolam Petrus Blesensis aliam epistolam scripsit pro Episcopo Eliensi, in qua eum valde laudat. Cælestinus quoque tertius, qui tum sedi apostolicæ præsidebat, in gratiam ejus scripsit ad Archiepiscopos & Episcopos Angliæ, ista adversus Episcopum Eliensem præsumpta fuisse per invidiam Joannis Comitis Moretonii, quem & complices ejus in hoc facto denuntiari solenniter excommunicatos jubet.

Matth. Paris. in Richardo I.

C A P U T L.

Adducuntur alia exempla de rapacitate legatorum Pontificis Romani, ut Joannis Salernitani, Joannis Ferentini, Gualonis, Ægidii, Ottonis & Pilei.

S Y N O P S I S.

I. Rursum avaritiam Legatorum insectatur Rogerius de Hoveden in persona Joannis Salernitani, quem ait a ceteris potionibus, quæ homines inebriare solent, abstinuisse, ceterum aurum & argentum sitivisse.

II. Raynaldus, ut dedecus illud amoliatur a nomine Legatorum, vitium illud confert in corpus virorum ecclesiasticorum. Notatur a veteri scriptore mos Romanorum ad bursarum corrosionem.

III. Refertur insignis locus Guiberti de Novigento adversus avaritiam Romanæ curiæ, qui illustratur ex alio loco Matthæi Parisii.

IV. Cupiditatem in Joanne Ferentino notat idem Parisius. Refellitur Odoricus Rainaldus, qui factum istius Legati excusare conatur, hanc rapinam descendere faciens ex veteri more faciendarum collectarum.

V. Gualo Legatus in Angliam missus ab Innocentio III. honesta & inhonesta omnia quæstui habebat. Itaque ob insatiabilem avaritiam accusatus apud Pontificem, ab eo mulctatus est pœna pecuniaria. Verum hæc narratio falsi suspicione laborat.

VI. Impudens Ægidii Legati mendacium; qui post corrosam multam auri vim, finxit, se a latronibus spoliatum fuisse, cum eam pecuniam in summa ambitione ac luxu profudisset, & ita crumena inani Romam rediit. Frequentia Legatorum commotus Alexander Scotorum Rex novum Legatum repudiat. Vehemens oratio Episcopi cujusdam Scoti adversus Legatos.

VII. Otto Legatus in Angliam missus, a Gregorio IX. magnifice acceptus & multis muneribus donatus. Neque fanis pepercit neque profanis. Sed præda sua spoliatus, factus est præda de prædatore.

VIII. Interdum Legati spoliabantur pecunia compilata. Talayrandus a latronibus spoliatus in Gallia.

IX. Talayrando felicior fuit in Anglia Pileus Cardinalis. Nam cum immensam auri vim collegisset variis modis, eam prius Anglia eduxit, quam ipse exiret.

I. Extincto Cælestino successit Innocentius istius nominis tertius. Hic anno MCCI. Legatum in Scotiam & Hiberniam misit Joannem Presbyterum Cardinalem tituli sancti Stephani in Cœlio monte; cujus præclaras virtutes cum celebret Rogerius Hovedenus, avaritiam tamen insectatur. *Eodem anno*, inquit, *Joannes Salernitanus tituli sancti Stephani in monte Cœlio Presbyter Cardinalis apostolicæ sedis Legatus in Scotia & in Hibernia & in insulis adjacentibus venit Eboracum.* Et paulo post: *Prædictus vero Johannes non manducavit carnem, vinum & ciceram non bibit, nec aliquid, quo inebriari potuit, sed aurum & argentum sitivit.* Meminit istius legationis Radulfus de Diceto in imaginibus historiarum his verbis: *Joannes Salernitanus Presbyter & Cardinalis a summo Pontifice transmissus tam Hyberniæ quam Scotiæ Legatus, transitum habens per Angliam, solemni processione receptus est in Ecclesia doctoris gentium Pauli prid. Kal. Septembris.*

II. Odoricus Raynaldus referens hunc locum ex annalibus Hovedeni, ut dedecus illud amoliatur a nomine Legatorum, vitium illud confert in corpus virorum ecclesiasticorum. *Deploranda plane est*, inquit, *complurium ecclesiasticorum conditio, qui, reliquis superatis vitiis, avaritiæ sordibus perliti, insanæ pecuniæ cupiditati, summo aliorum scandalo, suæque animæ detrimento, turpissime succumbunt.* Sed ab ista generali reprehensione absti-

Odor. Raynald. ad ann. 1201. §. 35.

abstinuisset haud dubie Raynaldus, si voluisset intelligere, ista referri non posse ad omnes clericos, sed ad mores Legatorum Ecclesiæ Romanæ, quorum avaritia fato quodam semper & ubique notata est; adeo, ut, cum Simon de Bria Cardinalis, natione Gallus, apostolicæ legationis auctoritate per Gallias instructus, augendis fortunis suis studeret, passus sit severam animadversionem a quodam scriptore illorum temporum, qui adnotat, illum, quamvis esset natione Gallus, bene didicisse morem Romanorum ad bursarum corrosionem. Hæc sunt ejus verba relata a viro clarissimo Francisco Duchesnio in probationibus historiæ Cardinalium Gallorum pag. 590. *Et licet iste Cardinalis esset natione Gallicus, & fuisset Cancellarius Regis Franciæ & Thesaurarius Turonensis, bene didicerat morem Romanum ad bursarum corrosionem.* Sic Giraldus Cambrensis in libro de expugnatione Hiberniæ cap. 36. loquens de Legatis ab Alexandro III. missis in Angliam post cædem sancti Thomæ ait: *Viri, ut putabantur, justi, & boni & ad hoc fideliter electi, sed tamen Romani.*

III. Nolo heic recensere cuncta, quæ antiquitus dicta sunt adversus cupiditatem & avaritiam Romanorum. Sufficiet in præsentiarum, ad retundendum hunc Odorici Raynaldi conatum, testimonium Guiberti de Novigento, qui lib. III. de vita sua cap. IV. loquens de Galdrico electo Episcopo Laudunensi ad Paschalem II. proficiscente, ut electionem suam ab eo confirmari procuraret, ait: *At Palatini, Papæ videlicet necessarii, comperta hominis opulentia, aggratulari, virum ferre laudibus. Moris enim est, ut audito auri nomine mansuescant.* Sic Matthæus Parisius ad annum MCIII. adnotat, sedem apostolicam clementissimam esse ac nulli deesse consuevisse, dummodo aliquid albi vel rubei intercedat.

IV. Anno Christi millesimo ducentesimo sexto, ut Matthæus Parisius scribit, *Johannes Ferentinus apostolicæ sedis Legatus veniens in Angliam, eamque perlustrans, magnam pecuniæ summam congessit, & tandem apud Radingum in crastino sancti Lucæ Evangelistæ Concilium celebravit. Quo facto, sarcinulis cum magna cautela dispositis & prudenter commendatis, festinus viator ad mare perveniens, Angliam a tergo salutavit.* Conatur ista excusare Odoricus Raynaldus, malo sane consilio, sed eventu pejore, hanc rapinam descendere faciens ex veteri Ecclesiæ consuetudine mittendi Legatos in provincias ad faciendas collectas. Nam ea consuetudo multis ante seculis desierat, & illa Legatorum sæva ac violenta rapacitas, qui magnam illam auri argentique vim, quam exegerant, in suos usus vertebant, immensum distabat a voluntaria illa contributione, quam veteres Christiani pendebant in solatium fratrum pauperum. Esset hic locus ostendendi, quantum inter ea discrimen esset. Sed cum id facile unusquisque apud se expendere possit, supersedeo, ut cœptum opus persequar.

V. Fuit hoc seculo Anglia ludibrium Legatorum, theatrumque, ubi maximos illi quæstus prædasque faciebant. Eodem Innocentii tertii pontificatu, cum civile bellum esset in Anglia, Rexque Joannes auxilium Innocentii implorasset, iste Gualonem tituli sancti Martini in montibus Presbyterum Cardinalem Legatum in Angliam misit anno MCCXVII. qui *non prius Angliæ proceres ac Præsules*, ut Hector Boetius narrat, *in gratiam recepit, quam ingentem numerassent argenti summam. Nam illi moris erat honesta & inhonesta omnia quæstui habere.* Excitasse porro Gualonem adversum se querelas Episcoporum Angliæ & Scotiæ, qui acriter apud Innocentium conquesti sunt de avaritia ejus, unumque ex iis Episcopis, quos, quia aurum pendere recusaverant, Romam ire Legatus jusserat, aliorum ac suo nomine coram summo Pontifice ac Gualone ipso, quem ob eam causam commotus Pontifex Romam revocaverat, præsente, enarrasse cuncta, quæ, ex quo in Angliam Legatus Gualo venerat, avare ac scelerate perpetrata ab eo erant, tradit idem Boetius; qui addit, Gualonem, quum se non satis purgaret, mulctatum esse ab Innocentio pro ejus arbitrio pœna pecuniaria. Sed adversus narrationem illam Hectoris Boetii opponi potest auctoritas Honorii III. qui eodem anno scribens ad Gualonem, cum jubet injunctum sibi legationis officium laudabiliter, ut cœperat, prosequi. Unde colligi posse videtur, neque Romam revocatum fuisse Gualonem, neque castigatum fuisse ob male gestam legationem, cum testetur Honorius, illum laudabiliter in hoc munere se gessisse.

Matth. Paris. ad annum. Hect. Boet. lib. 13. histor. Scotor. fol. 281.

Apud Odor. Raynald. ad an. 1216. §. 30. & ad ann. 1218. §. 62.

VI. Sub eodem Honorio, anno millesimo ducentesimo vigesimo primo, Ægidius Cardinalis in Scotiam legatus, ut in subsidium novæ expeditionis in terram sanctam pecuniam aliquam conquireret, accepta haud parva & a laicis & a clero, cum eam in itinere in summa ambitione ac luxu profudisset ac dilapidasset, spoliatum se a latronibus confinxit, & ita crumena inani Romam rediit. Paucis igitur diebus postquam ille reversus erat, eadem de causa missus est alius in Scotiam Legatus. Sed ista Legatorum frequentia commotus Scotorum Rex Alexander, habito suorum Concilio, admittendum illum non esse censuit. In eo vero Concilio Episcopus quidam supra modum avaritiæ Legatorum Romanorum infensus, liberrime multa adversus eos proloquutus est, quorum summa hæc erat. Intolerandam esse omnem tyrannidem, sed in primis servorum aut infimæ sortis hominum. Si mala, quibus Scotorum regnum affectum erat, superioribus annis a summo Pontifice illata fuissent, ea utcunque ferenda videri. Verum, ut homines infimi & ad aliquam fortunam per flagitia provecti per tantam injuriam in Scotos sæviant, insuper etiam ea, quæ sanctissima hactenus a patribus Scoti acceperant, avarissime quæstui habeant, ea non indigne patienda; præsertim cum nec finem ullum faciant, & Scotorum simplicitatem ac modestiam superbissime contemptui habeant. Revocavit deinde in memoriam conventus, quæ perperam & inhumaniter gesta erant a Gualone & ab Ægidio, huc demum flectens, ut censeret, neque tertium istum Legatum, neque ullum alium deinceps admittendum in regnum, ut tot malis iretur obviam.

Hect. Boet. lib. 13. fol. 282.

Hect. Boet. ibid.

VII. Gregorius deinde nonus an. MCCXXXVII. Legatum in Angliam misit Ottonem Diaconum Cardinalem tituli sancti Nicolai in carcere Tulliano. Commovit ea legatio universum regnum, ut Matthæus Parisius docet: *Venit igitur in magno apparatu Legatus prænominatus & potentia magna. Et occurrerunt ei Episcopi & clerici famosi usque ad littus; & aliqui in naviculis navigando obviarunt ei, applaudentes, & munera imprecibilia offerentes, imo etiam Parisiis in obviam ei obtulerunt telas escarleti & vasa pretiosa nuntii diversorum Episcoporum.* Damnat istum morem Parisius, describitque deinde, qua pompa susceptus Legatus sit. Mansit autem in Anglia per triennium, neque fanis parcens neque profanis, ut se suosque ditaret. Deplorat hanc patriæ suæ infelicitatem idem Parisius his verbis: *In crastino Epiphaniæ apud Doveram Legatus navem ascendens, post regales amplexus & oscula, legationis deposuit insignia, & transfretans apporriatam Angliam a tergo salutavit, nullo præter Regem & quos idem Legatus bonis regni saginaverat de recessu suo condolente. Nec remansit eadem hora, ut veraciter dicebatur, in Anglia tantum pecuniæ, exceptis sanctorum vasis & ornamentis Ecclesiarum, quantum a regno jam extorserat Anglicano. Præbendas autem, Ecclesias, & varios reditus opimos plusquam trecentos ad suam vel Papæ contulerat voluntatem, unde regnum, quasi vinea exposita omni transeunti, quam exterminavit aper de sylva, miserabiliter languit desolatum.* Et paulo post: *Ut manifesto argumento mon-*

monstraretur, quod non missus erat ad oves, quæ perierant, protegendas, sed ad pecuniam, quam invenerat, vindemiandam. Idcirco meritis multipliciter exigentibus, Domino flagellante per Imperatorem, præparantem muscipulas, illa præda meruit spoliari, factus præda de prædatore.

Vide Guillelmum Neubrig. lib. 3. cap. 9. & Baron. ad ann. 1183. §. 10.

VIII. Ea fuit Legatorum quorundam fortuna, ut, cum magnam auri vim collegissent per tempora suæ legationis, ea deinde spoliarentur finita legatione. Extant quamplurima talium rerum exempla. Unicum sufficere posset. Verum nunc visum est aliquot e multis proferre. An. MCIV. Bruno, Episcopus Signinus, Legatus a Paschale II. missus est in Galliam. *Cum autem de Gallia reverteretur*, inquit auctor vitæ ejus, *in itinere sibi latrones insidias posuerunt, volentes ipsum suis facultatibus spoliare*, non privatis, ut par est existimare, sed iis, quas putabant illum e Gallicana legatione retulisse. Sed valde errabant. Testatur enim idem auctor, illum in ea legatione non abiisse post aurum, nec sperasse in pecuniæ thesauris. Itaque mala quorundam aliorum Legatorum fama persuaserat latronibus, Brunonem quoque esse prædonem, & ob hoc eum facultatibus suis spoliare destinaverant. Anno

Vide infr. c. 56. §. 11.

MCLXXVI. *Vivianus tituli sancti Stephani in Cœlio monte Presbyter Cardinalis, apostolicæ sedis Legatus, Scotiam intravit, conculcans & comminuens obvia quæque, expeditus capere, nec impeditus rapere*, ut ait auctor annalium Mailrosiensium. Verum illa cura multum ei fuit inutilis quoad Hiberniam, quo se contulerat. Nam suborto ingenti tumultu in ea regione, *cum in Ecclesiis simplicitatis barbaræ*, ut ait Guillelmus Neubrigensis, *liberius agere morem vellet Romanum, denuntiantibus præfectis regiis, ut vel abscederet vel secum militaret, auro Hybernico, quod multum sitierat, minus onustus in Scotiam remeavit*. Anno MCCCXVII. missi sunt in Angliam Legati Gaucelmus Joannis & Lucas de Flisco Cardinales, ut concordiam revocari procurarent inter Reges Angliæ & Scotiæ. Verum quia videbantur inclinare in Regem Angliæ, Scotus eos ingredi non permisit regnum suum. Itaque *in itinere versus Scotiam in agro Dunelmensi deprædati sunt*. Reversi ergo ad Regem Angliæ, cum Regem Scotiæ excommunicassent & regnum ejus interdicto supposuissent, *pro ablatis a prædonibus duplicia receperunt a Rege & proceribus sponte collata*. Quamquam paulo aliter rem narrat Matthæus Parker in libro de antiquitate Britannicæ Ecclesiæ, ubi ait, calamitatem, quæ Legatis acciderat in itinere versus Scotiam, lucrosam illis fuisse, quod reversi, cum hanc sibi factam injuriam deplorassent, collecta ad hoc damnum resarciendum grandi a clero pecunia, duplo plus repetierunt quam amiserunt. Anno MCCCLIX. cum Talayrandus, Episcopus Albanensis Avenionem rediret, functus legatione apostolica ad Reges Francorum & Anglorum, perque diœcesim Lingonensem transiret, fuere, qui animo destinarunt eundem Legatum spoliare opibus suis, quos ob hoc ipsum Legatus epistola generali ad Episcopos Gallicanos missa excommunicari solenniter jussit. Sane Legatus captus non est, quia se continuit intra villam de Castellione. Famuli vero ejus capti sunt cum thesauro, & adducti ad castrum de Giam. Res vero captas eas fuisse docet Talayrandus in epistola, quam, uti diximus, adversus prædones scripsit ad Episcopos Gallicanos, vasa nimirum argentea, cruces aureas, lapides pretiosos, vestes, & res alias, quas non nominat. Scio reponi posse ista rapto parta non fuisse, hunc quippe Cardinalem ortum ex nobilissima familia Comitum Petragoricensium, præterea divitiis abundasse, ut constat ex ejus testamento nuper edito. Sint ista vera. Ex hoc tamen facto colligitur, insidias illi positas fuisse, non ob privatas opes, de quibus certo constare non poterat latronibus, sed ob publicas, id est, ob eas, quas ex procurationibus, quæ Legatis debebantur, de quibus mox acturi sumus, probabile erat illum peperisse.

Guill. Neubrig. lib. 3. cap. 9.

Odor. Raynald. an. 1317. §. 42. 48. Thomas de la Moor in vita Eduardi II. p. 594.

Apud Severtium in Episc. Matiscon. cap. 51. §. 2.

IX. Talayrando felicior fuit Pileus Presbyter Cardinalis tituli sanctæ Praxedis, quem anno MCCCLXXXI. Urbanus VI. Legatum in Angliam destinavit. Hic enim, ut Thomas Walsinghamus refert, cum immensam auri vim collegisset variis modis, *recessurus aurum nec argentum post se nequaquam relinquere voluit, sed secum super summarios deferri fecit, ad tantam quidem summam, quantam nunquam Anglia in taxa vel talliagio semel pendere consuevit*. Præstat autem heic describere, quibus artibus hic Legatus tantam auri argentique vim collegerit, tanquam præcipitantibus fatis diripienda esset Anglia, seu jure id sive injuria fieret. Describit ista idem Walsinghamus his verbis: *Nam, ut asseruit, potestatem afferens inauditam, in brevi totum regnum ad ipsum confluere fecit pro diversis gratiis impetrandis. Revera diversa diversis beneficia contulit; indulgentias, quas Dominus Papa concedere solummodo consuevit & ipse concessit, biennales, triennales. Confessionales literas quibuslibet solventibus gratanter indulsit. Ad capellanatum Domini Papæ tam possessionatus, quam mendicantes admisit; nec aurum eorum respuit, qui Notarii publici effici precabantur. Altaria quoque portatilia nulli pecuniam offerenti negavit. Quadraginta libras cum aliis donis Cisterciensium non repulit, quum gratiose concederet eis licentiam generalem vescendi carnibus extra monasterium indifferenter, ut in monasterio edere consueverunt. Excommunicatis gratiam absolutionis impendit. Vota peregrinationis ad Apostolorum limina, ad terram sanctam, ad sanctum Jacobum, non prius remisit, quam tantam pecuniam recepisset, quantam juxta veram æstimationem in eisdem peregrinationibus expendere debuissent. Et ut cuncta concludam brevibus, nihil omnino petendum erat, quod non censuit interveniente pecunia concedendum. Interrogatus autem, in qua potestate hæc faceret, cum summa indignatione respondit, se Romæ, si scire vellent ejus potestatem, omnibus responsurum. Jam jamque adeo referti erant argento ejus sacculi, ut advenientibus ejus ministri respondere didignarentur nisi aurum afferrent dicentes: Afferte nobis aurum. Argento enim vestro pleni sumus.* Hic est ille Pileus, qui velut alter Proteus, partibus Urbani VI. relictis, ad Clementem VII. profugus, illum postea deseruit post mortem Urbani.

CAPUT LI.

De procurationibus Legatis solvendis, deque earum quantitate & qualitate, & motibus inde passim ortis.

SYNOPSIS.

I. Agendum in hoc capite de procurationibus Legatorum. Procurationis vocabulo intelliguntur cibaria, quæ debentur Episcopis visitantibus, ut docet etiam glossa. Inde procurare & exhibere. Gregorius VII. sumptus Legatis præberi mandavit. Hinc paulatim introductum, uti procuratio eis solveretur. Alexander III. modum procurationum præscripsit in Concilio Lateranensi.

II. Cum procuratio tribuebatur tantum in victualibus, modica erat. Dabitur Legatis lac ad bibendum, & non bibent ultra tertiam vicem. Sed ista abrogata esse adnotat Gambarus. Cardinales Legati sunt bonis & consuetis cibis procurandi.

III. Procurationis vocabulum in eo sensu introductum erat desinente seculo duodecimo, ut probatur duobus locis illustribus. De luxu & pompa Episcopi Eliensis in Anglia.

IV. Nihilo illo modestiores erant ceteri Legati. Innocentius III. procurationes Legatorum restrinxit ad necessaria, causas querelarum amputare studens.

V. Frequentia Legatorum dedit occasionem huic constitutioni. Præscriptio longa non eximit a solutio-

lutione procurationum. Solum privilegium apostolicæ sedis hoc potest.

VI. Exempti contendebant, se non teneri ad solutionem procurationum.

VII. Legati exigebant procurationes ab iis etiam, quos non visitabant. Et huic quoque malo modum aliquem ponere studuit idem Innocentius. Sed idem tamen hanc saluberrimam constitutionem evertit in sequenti clausula, permittens Legatis, uti cum oportuerit eos apud aliquem locum moram facere longiorem, procurationes recipiant ab Ecclesiis & personis, quas non visitaverint.

VIII. Id ipsum constituit Nicolaus IV.

IX. Episcopi in Concilio Triburiensi congregati hunc agendi modum damnarunt in aliquibus Episcopis sui seculi.

X. Antiquitus ergo pecunia non exigebatur pro procuratione. Dein Legati exegerunt, specie levandi onera provincialium. Otto Legatus duas marcas argenti ab Ecclesiis conventualibus Angliæ exegit nomine procurationis.

XI. Cum alias Otto in Anglia passus esset contradictionem propter procurationes, Anglis respondentibus, quod toties bona Ecclesiæ exhauserat Romana importunitas, quod nullo modo amplius tolerarent, ad humilitatem religiosorum se convertit, & ab eis magnam pecuniæ vim extorsit nomine procurationis.

XII. At non propterea destitit Otto ab exigendis procurationibus. Misit enim mandata ad Archiepiscopos & Archidiaconos, uti procurationes in suis quique locis nomine suo exigerent, & ad se mitterent.

XIII. Cistercienses, qui per privilegia sedis apostolicæ exempti erant a solutione procurationum, querelas adversus Ottonem suas detulerunt ad Gregorium IX. Papam. Is vero vetuit ab eis exigi procurationes pecuniarias, cibis porro regularibus absque esu carnium contentus esset Legatus quandiu apud illos esset.

XIV. In Gallia quoque motus aliquos excitarunt procurationes Legatorum. Probatur ex epistola Innocentii IV. nondum edita, & ex epistolis Alexandri IV. & Urbani IV.

XV. Sub Clemente V. adeo intolerabiles erant procurationes Legatorum, ut se provinciales ab eis præstandis eximere studerent omnibus modis. Probatur ex facto virorum ecclesiasticorum diœceseos Helenensis. Contendebat Episcopus Helenensis, se, cum esset de regno Arragoniæ, non teneri ad præstationem procurationum Legatis in Franciam missis. Allegabat privilegium Innocentii quarti.

XVI. Eo processerat Legatorum aviditas, ut se ita redderent in procurationum exactionibus onerosos, quod oppressi subditi hujusmodi onera non valebant supportare. Frustra enim fuit decretum Innocentii IV. & Gregorii X. in Concilio Lugdunensi. Gradum deinde ad licentiam fecit Bonifacius octavus. Divites pro magna parte exempti a præstatione procurationum. Quo fiebat, ut pauperes multum gravarentur. Abolitæ dein prorsus sunt illæ procurationes.

XVII. Notatur superbia, arrogantia & avaritia Archiepiscopi Messanensis.

I. REdeamus nunc ad procurationes, quæ Legatis olim debebantur. Procurationis nomine intelligo epulas, quæ ab inferioribus debentur Prælato visitanti, quas *comestiones* ob hoc ipsum vocat glossa in Clement. *Ad nostrum. De exactionibus.* Inde frequenter in scriptoribus medii temporis ille procuratus dicitur, cui alimenta præbita sunt, & procurationis nomine intelliguntur, ut dixi, comestiones exhibitæ visitantibus, unde & *exhibere* quoque interdum dicebant pro *procurare*, ut notat etiam glossa in cap. *Vas electionis. De censibus, inter Extravagantes communes.* Gregorius igitur septimus sumptus Legatis præberi mandavit ab Archiepiscopis & Episcopis, uti supra diximus. Nondum tamen declaratum erat, ad illos spectare procurationem, quæ ratione visitationis debetur. Tandem quia Legati mittebantur, ut provinciarum morbos introspicerent, quod fieri non poterat, nisi visitarent Ecclesias, paulatim introductum est, uti procuratio solveretur Legatis, non secus ac Episcopis, visitantibus Ecclesias suarum diœceseon. Quis primus istius constitutionis auctor fuerit, non invenio traditum memoriæ literarum. Alexander III. præscribens modum procurationum episcopalium in Concilio Lateranensi, nihil circa Legatos statuit; nisi si Legatorum dignitati prospexit, cum vetuit, ne Cardinales parochias visitantes viginti quinque evectionis numerum excedant. Necessarium autem erat, modum quendam his rebus poni, quod, ut illic ait Alexander, quidam Episcopi *ita graves in procurationibus suis subditis existebant, ut pro hujusmodi causa interdum ornamenta ecclesiastica subditi compellerentur exponere, & longi temporis victum brevis hora consumeret.* Ex quo interim loco multam lucem accipient ea, quæ supra relata sunt de querelis adversus Legatos, quorum violentia effectum est, ut altaria nudarentur, vasa Dei asportarentur, cruces excoriarentur, & alia multa horrenda per provincias perpetrarentur.

II. Initio autem, ut supra observabamus, ea Legatorum procuratio modica fuit, quod præberetur tantum in victualibus, pauca porro sufficerent viris, qui vice Apostolorum fungebantur. Unde glossa in cap. *Cum instantia. De censib.* loquens de procurationibus, quæ debentur Legatis apostolicæ sedis, ait: *Dabitur enim Legatis lac ad bibendum, ut dicit Joannes, ne rubentibus buccis prædicent jejuniorum doctrinam.* Addit autem Petrus Andreas Gambarus ista: *At quæro, quomodo debeant procurari Legati de latere. Respondeo, quod debent acquiescere illis cibis, qui dantur, & eos cum gratiarum actione suscipere. Decet enim eos esse parcos & imitari Apostolos, quorum se successores faciunt. Alias quomodo possent visitando instruere plebem ad jejunia & ad bona opera, si rubentibus buccis & ventre delicatis epulis plena evangelium Dei præjudicarent?* Et paulo post: *Unde dicit glossa in c. Cum instantia, quod Legatis dabitur lac ad bibendum secundum Joannem, qui locutus est ex more patriæ. Erat enim Theutonicus. Alias lac debetur ei, qui gregem pascit.* Rursum glossa providens honestati Legatorum, prohibet eos in locis, ubi procurantur, bibere ultra tertiam vicem. *Nec bibent*, inquit, *ultra tertiam vicem.* Quia vero auctor glossæ, dum Legatis potestatem fecit exhauriendi tres calices, nihil dixit de magnitudine poculi, idcirco ista per jocum effudit idem Gambarus. *Item nec bibent Legati ultra trinam vicem, sed de magnitudine poculi nihil dicitur.* Cum autem post auctorem glossæ dixisset, Legatos teneri *comedere carnes cum aceto vel lardum*, demum addit, ista per consuetudinem abrogata esse. Instruit deinde eos, apud quos Legati apostolicæ sedis hospitabuntur, quonam modo eos tractare debeant. Hæc sunt ejus verba: *Meminisse tamen debent, qui Reverendissimos procurant, alia cibaria esse danda rusticis, alia nobilibus. Nam rustici cepis & fabis ac caseo utuntur; & si quis aliter eos procuraret, peccaret. Nobiles ergo, quales sunt Reverendissimi Cardinales, qui sunt superillustres & nobilissimi, sunt bonis & consuetis cibis procurandi.* Nescio, an Gambarus istam comparationem mutuatus sit a sancto Ambrosio, qui sermone 80. ita ait: *Tale est enim iis prædicare, quod perfectum est, quale si mendicum pannis obrutum holoserico velis induere & esurientem rusticum placento delectare.*

III. Procurationis vocabulum, ad significandum tributum, quod Legati imponebant provincialibus, receptum fuisse in Ecclesia desinente seculo duodecimo, colligitur ex epistola Huberti Archiepiscopi Cantuariensis ad Capitulum Eboracense, cujus verba referentur infra, & ex epistola Hugo-

Gambarus lib. 2 de auctoritate Legati §. 86.

Gambarus ibid. §. 91.

Ibid. §. 94.

Vide infra c. 55. §. ult.

Hugonis Episcopi Coventrensis de dejectione Willelmi Episcopi Eliensis, de qua superius actum est. Nam hæc sunt omnino ejus verba: *Et si forte alicujus Episcopi domum intravit, ab eo scire poteritis, quod centum vel ducentarum marcarum pretio sua constiterit procuratio*. Verum itaque tunc erat, quod Alexander III. observavit in canone quarto Concilii Lateranensis, quosdam ita graves in procurationibus existere suis subditis, ut pro hujusmodi causa interdum ornamenta ecclesiastica subditi compellerentur exponere & longi temporis victum brevis hora consumeret. Episcopus autem ille Eliensis, præter amplissimam familiam, mille & quingentis per Angliam equitaturis vehebatur, ut docet Matthæus Parisius.

IV. Nihilo modestiores erant ceteri Legati, nihil eorum omittentes, quæ ad pompam ac fastum & ad comparandas divitias pertinebant. Quare necessarium fuit Innocentio tertio maximo & doctissimo Pontifici, qui sedi apostolicæ præsedit paulo post casum Episcopi Eliensis, justis provincialium querelis satisfacere & modum aliquem ponere ambitioni & avaritiæ Legatorum. Scribens igitur ad Primicerium & clerum Mediolanensem, qui procurationem solvere recusaverant Bernardo tituli sancti Petri ad vincula Presbytero Cardinali & apostolicæ sedis Legato, declarat quidem omnes Ecclesias teneri ad impendendum procurationes Legatis & Nuntiis apostolicæ sedis, & ab earum præstatione nullam prorsus haberi posse excusatam, nisi forte per speciale privilegium sedis apostolicæ sit exempta; sed tamen eodem tempore procurationes illas restringit ad necessaria, *prædicto Cardinali vel potius nobis in ipso contumaciter resistentes, necessaria denegastis*, & neminem ex ea præstatione vult indebite prægravari. *Sane in his exigendis*, inquit, *eum modum & ordinem volumus observari, ut nulla Ecclesia vel Prælatus se indebite prægravari rationabiliter conqueratur*.

Innoc. III. lib. 1. epist. 568. & cap. *Cum instantia*. De censibus.

Vide Petrum Paulum Paris. in cap. *Accedentes* & in cap. *Cum ex officii*. De præscriptionibus.

V. Orta erat tempestas illa in Ecclesia Mediolanensi ex contumacia Canonicorum & quorundam ministrorum illius Ecclesiæ, quos Ordinarios vocabant. Hi cum se longa possessione tuerentur, ne procurationes Legatis præstarent, ex eoque ceteri clerici onerarentur, propterea quod Legati sæpe illac commeabant, quibus necessario præstanda erat procuratio, eo usque incaluit contentio, ut dicerent ceteri, non soluturos se procurationem, nisi prius eam Canonici persolverent, & nisi etiam Ordinarii parte illos oneris, ut æquum erat, sublevarent. Nam procuratio imponebatur a Legato, quæ universis cujuslibet diœceseos clericis incumberet, singulis autem portio sua cuique solvenda injungebatur ab iis, quibus ea res committebatur in unaquaque diœcesi. De ea re scribit Innocentius ad Abbatem de Cerreto, cui causam committit, simulque decernit, quæ in posterum observanda essent. Sed antequam verba ejus referamus, necesse est proponere lectori fontem & originem tot malorum, frequentiam nimirum legationum. *Cum enim per civitatem ipsam*, inquit Innocentius, *sæpe contingat transitum facere nostros Nuntios & Legatos, quanto in eorum procurationibus faciendis pauciores existunt, tanto facientes amplius prægravantur, & quanto per plures onus esset procurationis divisum, tanto a facientibus facilius portaretur*. Tum commendata sollicitudine sua pro omnibus Ecclesiis curaque sua pro Ordinariis & aliis clericis Ecclesiæ Mediolanensis, demum ita statuit: *Volentes autem, ut, quod omnibus imminet, ab omnibus comportetur, discretioni tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus prædictis Ordinariis ad tuam præsentiam convocatis, nisi per speciale privilegium apostolicæ sedis a præstandis procurationibus ostenderint se immunes, etiamsi longissimo tempore procurationis obsequium non impenderint, cum in talibus sibi præscriptio locum nequeat vendicare, ipsos ad procurationis sarcinam ordine debito subeundam appellatione remota teneri decernas*.

Innoc. III. l. 1. epist. 569. & c. *Accedentes*. De præscriptionibus.

Vid. glos. ad c. *Accedentes*. De præscript. & in cap. *Cum instantia*. De censib.

VI. Quinquagesimo post anno Raimundus Nemausensis in prima Narbonensi Episcopus parem querelam detulit ad Innocentium quartum, sufficere se non posse solvendis procurationibus Legatorum, quibus non modicum gravabatur, nisi personarum ecclesiasticarum suæ diœceseos opibus adjuvaretur, quæ se per privilegia sedis apostolicæ prætendebant immunes esse a solutione procurationum. Extat hujus rei testis epistola Innocentii IV. ad Episcopum Uceticensem in veteri codice MS. bibliothecæ Colbertinæ, quam heic putamus esse describendam. *Ex parte venerabilis fratris nostri Episcopi Nemausensis fuit nobis humiliter supplicatum, ut, cum ipse in procurationibus Legatorum & Nuntiorum apostolicæ sedis non modicum aggravetur, ad contribuendum eidem in hoc Abbates, Priores, & alios Prælatos & clericos Ecclesiarum subjectarum sibi suæ civitatis & diœcesis compelli, prout Ecclesiarum ipsarum facultates exigunt, mandaremus. Attendentes igitur, quod onus omnibus competens in plures divisum facilius supportatur, mandamus, quatenus prædictos Abbates & alios, ut in iis ipsi Episcopo juxta facultates proprias proportionaliter contribuant, monitione præmissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellas. Non obstante indulgentia, si qua est eorum aliquibus ab apostolica sede concessa, ut interdici, suspendi, & excommunicari non possint per literas apostolicas absque ipsius sedis speciali mandato faciente de hac indulgentia mentionem. Datum Lugduni III. Kal. Decembris anno sexto*.

VII. Quia vero Legati interdum excedebant modum sibi præscriptum, immo exigebant procurationes ab iis etiam, quos non visitabant, Innocentius III. huic malo mederi cupiens, constitutionem edidit in Concilio Lateranensi anno MCCXV. in hunc modum; *Procurationes, quæ ratione visitationis debentur Episcopis, Archidiaconis, vel quibuslibet aliis, etiam apostolicæ sedis Legatis aut Nuntiis, absque manifesta & necessaria causa nullatenus exigantur, nisi cum personaliter visitationis officium impendunt, & tunc evectionum & personarum mediocritatem observent in Lateranensi Concilio constitutam*. Hæc quidem recte & ex ordine Innocentius, & secundum jus ab ipso stabilitum in epistola ad Episcopum Slesvvicensem in Dania. Sed quæ sequuntur in eadem constitutione Concilii Lateranensis, omnino evertunt ea, quæ præcesserunt. Nam cum decrevisset, ne quis ab Ecclesiis exigeret procurationes, nisi cum personaliter visitationis officium impenderet, statim illud speciali privilegio indulget Legatis, ut si necesse sit, eos alicubi moram facere necessariam, procurationes recipiant etiam ab illis Ecclesiis, quas non visitaverint. Subdit enim post ea, quæ superius descripta sunt: *Hoc adhibito moderamine circa Legatos & Nuntios, ut cum oportuerit eos apud aliquem locum moram facere necessariam, ne locus ille propter ipsos nimium aggravetur, procurationes recipiant moderatas ab aliis Ecclesiis vel personis, quæ nondum fuerunt de suis procurationibus aggravatæ, ita, quod numerus procurationum numerum dierum, quibus moram hujusmodi fecerint, non excedat, & cum aliqua non suffecerit per se ipsam, duæ vel plures conjungantur in unum*.

Concil. Lateran. sub Innoc. III. c. 33.

Innoc. III. lib. 16. epist. 26.

VIII. Secundum jus illud, quod hauddubie dexteritate dein & industria Legatorum explicatum & amplificatum est, Nicolaus IV. anno MCCLXXXIX. ad Rudolphum Imperatorem mittens internuntium Benevenutum Episcopum Eugubinum, eumque commendans Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, aliisque Ecclesiarum Prælatis, primum jubet, ut ei *pro suis & familiæ suæ necessariis in tribus libris Turonensium parvorum diebus singulis & securo conductu nec non in evectionibus opportunis, si suæ in via defecerint vel defecerint, liberaliter providere* curent. Deinde decernit, *ut si eundem Episcopum in aliquibus locis vel loco interdum moram trahere contigerit, non solum*

Odor. Raynaldus ad anno 1289. §. 47.

lum earundem eisque vicinarum & adjacentium partium, sed, aliarum etiam remotarum Patriarchæ, Archiepiscopi &c. contribuere in subventionibus hujusmodi teneantur. Ac ne quis se privilegio tueri posset, privilegia abrogat, ac præterea eos ad eam contributionem cogendos esse edicit auctoritate censuræ ecclesiasticæ. Addit enim: *Alioquin sententiam, quam ipse per se vel per alium seu alios rite tulerit in rebelles, super quo plenam ei concedimus auctoritate præsentium potestatem, ratam habebimus & faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam appellatione remota inviolabiliter observari.* Epistola illa, quæ data est XII. Kal. Maji anno secundo, extat in veteri codice MS. bibliothecæ Colbertinæ.

IX. Huic juri is color quæsitus, ne loca, in quibus Legati moram traxerint longiorem, nimium propter ipsos aggraventur. Tum itaque licere Legatis decernit Innocentius III. procurationem exigere ab Ecclesiis, quas non visitaverint. Scio, ingens esse discrimen inter majestatem Legatorum illius temporis & sacram Episcoporum auctoritatem, nostrique officii non esse, ultimorum temporum mores reducere ad antiquos. Attamen si licet heic componere Episcoporum in synodo Triburiensi congregatorum constitutionem cum constitutione illa Concilii Lateranensis, erit, unde cisalpinis Episcopis gratulari possimus, qui negligentiæ & avaritiæ coarguerunt Episcopos visitationem parœciarum suarum non peragentes & tamen ab eis exigentes pretium mansionum, ut tum dicebant, sive procurationum. Hæc sunt verba canonis Triburiensis: *Delata est coram sancta synodo querimonia plebium, eo quod sint quidam Episcopi nolentes ad prædicandum vel ad confirmandum suas per annum parochias circumire, qui tamen exigunt, ut mansiones, quibus in profectione uti debuerant, aliquo pretio redimant, qui parare debent. Quæ duplex infamia negligentiæ & avaritiæ sanctæ synodo magno fuit horrori. Statuerunt itaque, ne quis ultra exerceat id cupiditatis ingenium, & ut sollicitiores sint Episcopi de suis gregibus visitandis.* Ista statuebantur anno Domini DCCCXCV. id est, trecentis & viginti annis ante Concilium istud Lateranense.

Vide Concil. Valent. III. Can. 21.

Concil. Tribur. c.26. apud Burchard. lib. 1. cap. 229.

Vide Baluzii Notat. ad Agobard. pag. 41.

X. Antiquitus ergo pecunia non exigebatur pro procuratione. Dein factum est, ut Legati, quo se minus graves & onerosos exhiberent provincialibus, nomine procurationis certam pecuniæ summam exigerent ab Ecclesiis intra legationis suæ terminos constitutis. Testatur istud de Ottone, quem anno MCCXXV. Honorius III. in Angliam miserat, Matthæus Parisius his verbis: *Tunc idem Otto cepit ab omnibus Ecclesiis Angliæ conventualibus, nomine procurationis, duas marcas argenti.* Delusum porro fuisse Ottonem & clitellis vacuis ab Anglia recessisse confusum tradit idem Parisius ad annum MCCXXVI. *Eodem anno cum magister Otto Domini Papæ Nuntius tempore quadragesimali ad Northanhumbriam profecturus, & procurationes desideratas exacturus, Northamtonam usque pervenisset, venerunt ad eum, Cantuariensi Archiepiscopo procurante, literæ Domini Papæ, in quibus continebatur expressum, ut statim visis literis Romam veniret, ejus potestate penitus enervata. Obliquo igitur oculo literis inspectis, demisso vultu eas projecit in ignem, atque illico proposito mutato, clitellis vacuis ab Anglia recessit confusus.*

XI. Alius ejusdem nominis Legatus Otto tituli sancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconus Cardinalis, qui in Angliam venerat a Rege Henrico III. vocatus, regnum illud iisdem artibus concussit anno millesimo ducentesimo trigesimo nono. Referenda sunt autem verba Matthæi Parisii, qui ista describit: *Per idem tempus convenerunt omnes Episcopi Londinum, pridie scilicet Calendas Augusti, de oppressionibus Ecclesiæ Anglicanæ tractaturi. Exigebat enim Legatus, post quotidianas exactiones, procurationes. Cui, habito consilio, responderunt Episcopi communiter, quod toties bona Ecclesiæ exhauserat Romana importunitas, quod nullo modo amplius tolerarent. Exhibeat vos, qui inconsulte vos vocavit.* Agit iterum infra Parisius de isto conventu; additque Legatum, cum talem in multis constantiam videret, ad humilitatem religiosorum se convertisse & ab eis pecuniam non minimam extorsisse nomine procurationis.

XII. At non propter hos rumores destitit Otto a consilio corrogandarum pecuniarum. Anno namque sequenti mandata dedit ad Episcopos & Archidiaconos, uti curam gererent in suis quique locis exigendarum procurationum, eo colore quæsito, quod ei mora longior esset facienda in Anglia, æquum porro non esse, ut propriis sumptibus suis aliena negotia perageret. Recitat ista idem Parisius. *Legatus interea*, inquit, *sui non oblitus, nummos & reditus non segniter sibi rapuit; procurationesque sibi dari compellens, mittebat Episcopis & Archidiaconis districta mandata circa festum Annunciationis beatæ Mariæ in hæc verba.*

Otto miseratione divina &c. discreto viro illi Episcopo, vel Archidiacono, salutem. Cum necesse habeamus de mandato summi Pontificis moram trahere longiorem, nec possimus propriis stipendiis militare, discretioni vestræ, qua fungimur auctoritate mandamus & quæsumus, ut procurationes nobis debitas in episcopatu vel archidiaconatu vestro colligi faciatis nostro nomine diligenter, eas, quam citius poteritis nobis, transmissuri, contradictores per censuram ecclesiasticam compescendo. Proviso, quod qualibet procuratio summam quatuor marcarum aliquatenus non excedat. Et ubi una Ecclesia non sufficiet ad procurationem hujusmodi habendam, duæ pariter unam solvant, nimirum juxta constitutionem Innocentii III. in Concilio Lateranensi.

XIII. Cum vero idem Otto nullum neque finem, neque modum faceret rapacitati, & a monachis Cisterciensis ordinis, quos privilegia Pontificum Romanorum immunes reddiderant a procuratione Legatorum, procurationes exigeret pecuniarias, victualibus non contentus, ii querelam suam adversus illum deferentes ad Gregorium IX. Papam, literas, ut ait Matthæus Parisius, eidem Legato sub hac forma reportarunt:

Gregorius Episcopus &c. Legato Ottoni &c. Licet tibi, si bene meminis, nuper direxerimus scripta nostra, ut liceat tibi de monasteriis Cisterciensis ordinis procurationes exigere moderatas, indulgentia concessa eidem ordini non obstante, quia tamen non est intentionis nostræ, nec credimus esse tuæ, ut contra ipsorum indulgentiam procurationes ab eis pecuniariæ exigantur, mandamus, quatenus cibis regularibus contentus, absque esu carnium, cum ad eos accesseris, prout in prædicta indulgentia continetur, procurationes pecuniarias occasione literarum hujusmodi non patiaris exigi ab eisdem.

Vide Clement. Ad nostrum. De censib.

XIV. In Gallia quoque nostra motus interdum aliquos excitarunt illæ Legatorum procurationes, ut supra vidimus in paragrapho sexto istius capitis. Sed præterea illud ipsum colligitur ex epistola Innocentii IV. ad Episcopos provinciæ Narbonensis, ex qua constat, illos difficiles se præbuisse in solutione procurationum. Extat ea epistola in archivo Archiepiscopi Narbonensis. Sic autem habet:

Innocentius Episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus Archiepiscopo Narbonensi ejusque suffraganeis salutem & apostolicam benedictionem. Volentes, ut in vestris & Franciæ partibus sit uniformitas in procurationibus sedis apostolicæ Legatorum, præsentium auctoritate præcipiendo mandamus, quatinus hujusmodi procurationes in provincia vestra ratione prævia reducatis ad legitimum modum, qui in aliis provinciis regni Franciæ observatur. Datum Lugduni II. Idus Junii, pontificatus nostri an. quarto.

Sed luculentius immoderatam Legatorum rapacitatem in Galliis edisserit Alexander IV. in epistola encyclica ad Archiepiscopos Ecclesiæ Gallicanæ, cujus exemplar extat in chartulario Archiepisco-

episcopi Bituricensis hoc modo: *Alexander Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Archiepiscopo Bituricensi salutem & apostolicam benedictionem. Sedes apostolica, emergentibus undique quampluribus magnis arduisque negotiis, necesse habuit, nostris præsertim temporibus, suos nuntios, imposita eis aliqua hujusmodi negotiorum parte, ad diversas mundi provincias destinare; quarum aliquibus de ipsorum quam prætendebat probitate confisas suas pro habendis necessariis in eundo, morando & redeundo litteras, non expresso in eis personarum & evectionum numero, quibusdam vero hujusmodi litteras certum personarum & evectionum numerum continentes exhibuit, sperans, quod tam hi quam illi prætextu talium litterarum ab Ecclesiis & personis ecclesiasticis, per quas transitum facerent secundum statum & conditionem eorum procurationes exigerent & reciperent moderatas. Sed, sicut ad audientiam nostram non sine animi turbatione pervenit, horum nonnulli famæ suæ prodigi & salutis obliti, reputantes iniquum voluntatis libitum fræno discretionis arguere, quin immo licentiantes ad illicita, interdictis prorsus licitis, appetitum, occasione procurationum hujusmodi a nonnullis Ecclesiis & ecclesiasticis personis secularibus & regularibus regni Franciæ magnas & immoderatas pecuniarum summas, equos etiam & mulos, debita super hoc non observando confinia, extorquere ausu sacrilego præsumpserunt, diversas excommunicationum, suspensionum & interdicti sententias in quamplures ex personis & Ecclesiis nolentes & forsitan nequeuntes eorum in his avaritiæ satisfacere temere promulgando in animarum suarum periculum, nostram & dictæ sedis infamiam, & scandalum plurimorum. Cum igitur hæc & alia multa enormia de ipsis nuntiis jam sæpius fuerint ad nos clamante fama & clamore diffamante delata, nos volentes talium insolentias debita auctore Domino animadversione punire, quia super præmissis, antequam procedamus ad pœnam, scire volumus plenius veritatem, fraternitati tuæ per apostolica scripta in virtute obedientiæ districte præcipiendo mandamus, quatinus statim receptis præsentibus in tua provincia per te vel per alium seu alios diligenter inquiras, quid, quantum, & qualiter nuntii nostri per dictum regnum transitum facientes procurationum suarum prætextu a te & clero ejusdem provinciæ receperunt, & quicquid super his inveneris, nec non & nomina nuntiorum ipsorum in scriptis redigere & ad nos sub tuo sigillo fideliter destinare procures, ut ex tua & aliorum Archiepiscoporum ejusdem regni, quibus consimiles super hoc mittimus litteras, relatione sufficienter instructi illos, quos culpabiles in hac parte fore invenerimus, taliter castigemus, quod & ipsi pœnam debitam pro eorum transgressione reportent, & ceteri similis pœnæ metu similia præsumere pertimescant. Datum Anagniæ Idus Januarii, pontificatus nostri anno quinto.*

Cum vero nihilo minus Legati semper in rapacitate essent avari, ac propterea Gallicana Ecclesia suam rursum querelam detulisset ad Urbanum IV. Papam, vir optimus rescripsit anno MCCLXIII. VIII. Kal. Februarii, taxasse se eorum expensas modicas, daturum porro operam, ne id deinceps fiat. *Sane*, inquit, *de procurationibus nuntiorum sedis ejusdem nulla digne potuit, maxime nostris temporibus, querela prorumpere, cum singulis, quos, ut præmittitur, non pro nostris, sed pro aliorum necessitatibus, ex officii tamen debito, misimus, taxaverimus modicas expensas, & si de ipsorum excessibus aliquid certum ad nostrum perferri contingat auditum, scire vos volumus & tenere pro certo, quod eos non intendimus relinquere incorrectos, sed taliter castigare proponimus excedentes, quod eorum pœna ceteros a similibus deterrebit.* Hæc bulla habetur in eodem chartulario Archiepiscopi Bituricensis. Aliquam autem partem ejus edidit Odoricus Raynaldus an. 1263. §. 13.

XV. Anno MCCCX. cum Clemens V. Legatos in Galliam misisset Stephanum tituli sancti Cyriaci *De hac legatione vide Odor. Raynaldum ad an. 1310. §. 33.* in Thermis Presbyterum Cardinalem & Landulfum tituli sancti Angeli Diaconum item Cardinalem, eisque indulsisset, uti, quandiu ea legatio duraret, tam in præsentia, quam in absentia procurationes usque ad summam viginti librarum Turonensium parvorum diebus singulis pro eorum quolibet, pro suis & familiæ suæ expensis, reciperent a personis ecclesiasticis exemptis & non exemptis illarum partium, per quas eos transire contingeret, eisque vicinarum vel adjacentium, habuit ista res contradictionem in episcopato Helenensi, qui tum erat intra fines regni Arragoniæ. Nam cum imperassent, uti personæ ecclesiasticæ provinciæ Narbonensis persolverent quingentas libras monetæ Turonensis, & Vicarii generales Archiepiscopi Narbonensis personas ecclesiasticas diœceseos Helenensis taxassent in viginti libris Turonensium parvorum, *Acta extant in archivo Archiepiscopi Narbonen.* Raymundus Episcopus Helenensis suo diœcesanorumque suorum nomine respondit, non teneri se ad præstationem illius pecuniæ, ea videlicet de causa, quod, cum Helenensis diœcesis foret de alio regno, nunquam persolverat procurationes debitas Legatis aut Nuntiis, qui a Romana Ecclesia mittebantur ad Regem Franciæ pro negotiis dictum Regem & regnum Franciæ tangentibus. Allegavit præterea privilegium Innocentii IV. qui Jacobo Regi Arragonum per speciale privilegium concessit, *quod si Legati vel Nuntii per sedem apostolicam mitterentur, legationis officium in diœcesi Elenensi minime exercerent, licet sit de provincia Narbonensi, nisi de episcopatu prædicto Elenensi faceret mentionem, & quod in regno Arragoniæ esset situs.* Quin & infans Sancius Regis Majoricarum, ad quem tum comitatus Ruscinonensis pertinebat, primogenitus & Locumtenens de eadem re scripsit ad Vicarios generales Archiepiscopi Narbonensis, asserens, inter cetera istud redundare in præjudicium & gravamen Domini Regis Majoricarum. Quod ideo annotavi, ut ostenderem, variis interdum contradictionibus jactatas fuisse procurationes Legatorum, variis coloribus quæsitis.

XVI. Nam eo processerat Legatorum apostolicæ sedis aviditas, ut, cum amplissima auctoritate instructi ad provincias accederent, tum in literis pontificiis de legatione sua potestatem accepissent exigendi procurationes, etiam intentatis pœnis excommunicationis, sic se redderent in dictarum procurationum exactionibus onerosos, ut oppressi subditi hujusmodi onera non valerent supportare, & victum longi temporis brevis hora consumeret. *Vide Spelman. T. 2. Concilior. Angl. pag. 503.* *Cap. Vas electionis. De censibus inter Extravag. comm.* Frustra enim fuit decretum Gregorii X. in Concilio Lugdunensi, qui ad exemplum Innocentii IV. vetuerat, ne procurationes reciperentur in pecuniis, munerumque receptionem interdixerat. *Cap. Exigit. De censib. in Sexto.* Gradum deinde ad licentiam fecit Bonifacius VIII. qui eis, quibus officium visitationis incumbit, permisit, uti *Cap. Felicis. ibid.* *a volentibus Ecclesiarum & locorum visitatorum rectoribus seu personis pecuniam licite recipere valeant pro sumptibus moderatis faciendis in victualibus, diebus, quibus visitationis officium personaliter exercebunt.* Immo mittens an. MCCCI. in Hungariam Nicolaum Episcopum Ostiensem, ei concessit potestatem *compellendi* Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, & ceteros ecclesiastici ordinis viros, etiam monachos exemptos & non exemptos, *per censuram ecclesiasticam ad contribuendum in procurationibus tibi debitis, non obstantibus quibuslibet privilegiis & indulgentiis.* Et ad illos, quos nominavimus, de ea re scribens, serio monet, ut procurationes hujusmodi exhibeant Legato. *Alioquin*, inquit, *sententiam, quam idem propter hoc rite tulerit in rebelles, ad quod ei plenam concedimus auctoritate præsentium potestatem, ratam habebimus & faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus, si aliquibus est ab eadem sede indultum, quod Legatis vel Nuntiis sedis ipsius aliquam procurationem exhibere, vel in ipsa contribuere, nisi ad eos declinaverint, minime teneantur.* Hinc factum, ut sequen-

ſequenti tempore & Pontifices Legatis fecerint poteſtatem exigendi procurationes pecuniarias contra majorum inſtituta, & Legati ad omnem aviditatem proni neque deſides eſſent, neque negligentes in exigendis procurationibus. In quo illud rurſum incommodum eveniebat, ut quoniam *ſedes apoſtolica*, quemadmodum adnotat Joannes Paulus de Pavinis, *pro magna parte per ſua privilegia divites a præſtatione procurationum exemerat*, pauperes multum gravarentur ex ea penſitatione; quæ levior non imponebatur, tametſi divites ab ea præſtanda immunes eſſent, ſicque fiebat, quod de ſeculo ſuo querebatur Salvianus, ut pauperculos homines tributa divitum premerent, & infirmiores ferrent ſarcinas fortiorum, ſolutionemque ſuſtinerent divitum & indigentiam mendicorum. Sed tandem juſtiſſimæ regnorum & provinciarum querelæ fecerunt, ut querelis deinceps locus non eſſet, abolitis nimirum prorſus illis procurationibus.

Joa. Paul. de Pavinis in tractatu de viſitationib. 1. parte q. 9. §. 39.

Salvianus l. 5. de gubern. Dei pag. 107.

XVII. Addenda neceſſario eſt in hoc loco notabilis hiſtoria de Joanne Columna Archiepiſcopo Meſſanenſi, quem anno MCCLVII. Alexander IV. in Angliam miſit cum ampliſſima poteſtate Legati a latere, tametſi eum a nomine Legati abſtinere juſſerit. Præ iſto enim ceteri ferme Legati fuere modeſtiſſimi in exercendo munere ſuo, ſi vera ſunt, quæ de illo narrat Matthæus Pariſius. Aſſumptus ille fuerat ad Archiepiſcopatum Meſſanenſem ex ſodalitio Dominicanorum; ideoque abjecti, ſed non deſerti, inſtituti memor, magnum fratrum numerum ſecum in provinciam duxit, ut eorum ope & induſtria facilius ea perduceret ad effectum, quæ tentanda inter Anglos forent. Quanta fuerit ejus avaritia, quanta ſuperbia hominis, quem indigenæ ex priore vitæ inſtituto colligebant debere eſſe modeſtiſſimum, quæ crudelitas in exigendis procurationibus, docet idem Pariſius his verbis: *Anno quoque ſub eodem, imminente quadrageſima, miſſus eſt a Domino Papa, neſciebatur ad quid, Archiepiſcopus Meſſanenſis in magno apparatu familiæ & equorum, videlicet fratrum de ordine Prædicatorum. Et cum habuiſſet literas papales de procuratione exigenda & recipienda cum magna pœna contradictores puniendi, miſit literas imperioſas ad quemlibet Prælatum, ut ei, ſecundum quod eis ſignificavit, in procuratiis providerent, ita quod ex domo ſancti Albani & ejus cella viginti & unam marcam extorſit. Et cum veniſſent monachi ſancti Albani, ut ipſum in hoſpitio ſuo civiliter viſitarent, non permiſit eos exire, imo ipſos quaſi incarceratos retinuit, donec ſuæ avaritiæ ſatisfeciſſet. Et cum modeſte reſpondiſſent monachi, ſe nullum ibi habere denarium, iratus Archiepiſcopus reſpondit procaciter: Ut quid tam mendici eſtis? Mittite igitur pro aliquo mercatore, qui vobis commodare velit. Et factum eſt ita, quia ſic oportuit. Non enim permittebantur exire monachi, quamvis eſſent de conventu praelecti, videlicet Archidiaconus ſancti Albani, & Dominus Johannes Abbatis bajulus & procurator. Iſte Archiepiſcopus Meſſanenſis fuit frater de ordine Prædicatorum, in quo humilitatem ſperabamus uberiorem, qui a Domino Papa de procurationibus extorquendis talem litteram meruit obtinere.*

Matth. Pariſ. ad an. 1257.

CAPUT LII.

De luxu, faſtu & pompa, ut & veſtibus rubris Legatorum.

SYNOPSIS.

I. Legati pecuniam ex procurationibus collectam effundebant cum probro atque dedecore. Agendum eodem tempore de luxu & pompa Legatorum. Anaſtaſius Epiſcopus Theſſalonicenſis notatus.

II. Miſſus in Germaniam Legatus a Silveſtro ſecundo Frithericus, vir cetera bonus, ambitioſo apparatu in provinciam profectus eſt, ambitioſe provinciam habuit. Ei tamen primus locus datus non eſt in Concilio, quamdiu in eo adfuit Archiepiſcopus Moguntinus.

III. Hugo Archiepiſcopus Lugdunenſis & apoſtolicæ ſedis Legatus, ut magnitudinem ſuam oſtentaret provincialibus, ſynodum generalem celebrare cogitat intra Gallias. Conſultus a Rege Ivo Carnotenſis reſpondit iſtam audentiam non eſſe tolerandam.

IV. Jam tum Legati contendebant, primum locum ſibi competere in Conciliis generalibus cum prærogativa ſuffragii. Sed hanc legem duram & iniquam eſſe putabant Angli, ut patet ex Gervaſio Dorobernenſi.

V. Notatur ambitio Gerardi Epiſcopi Engoliſmenſis, qui generales ſynodos congregabat, ut Concilio præſidens generali amplitudinem ſuæ poteſtatis gloriabundus inſpiceret.

VI. Luxus & ambitio Petri Leonis in legatione Gallica & Anglica, tum perditiſſimi mores, & ad irritamenta gulæ ſollicitus animus.

VII. Faſtus tamen omnis abeſſe debet a Legatis, ut probatur etiam auctoritate ſancti Bernardi.

VIII. Illuſtre faſtus Legatorum exemplum in perſona VVillelmi Epiſcopi Elienſis, ex Matthæo Pariſio.

IX. Item in Pelagio Epiſcopo Albanenſi, quem Innocentius III. Legatum miſit Conſtantinopolim.

X. Item in Ægidio Cardinale, qui ſub Honorio III. Legatus in Scotia fuit.

XI. Otto Cardinalis Legatus in Anglia tanta pompa tantoque faſtu Concilium generale celebravit, ut ob hoc ipſum graviter reprehenſus ſit a Matthæo Pariſio.

XII. Narratur hiſtoria cujuſdam nebulonis, qui ſe Legatum ferens apoſtolicæ ſedis, munera pretioſa ab Abbatibus & Prioribus Angliæ exigebat, ea reſpuens, quæ faſtui & ambitioni ejus non videbantur eſſe congruentia, repoſcens interim pretioſiora.

XIII. Explicatur Matthæi Pariſii locus de privilegio Regis Angliæ ſophiſtice ſalvando. Privilegium illud in eo verſabatur, ut Legatus in Angliam mitti non poſſet, niſi a Rege poſtulatus.

XIV. Inſignia Legatorum, id eſt, rubræ veſtes, ex Matthæo VVeſtmonaſterienſi. Apoſtolicæ dignitatis inſignia vocantur ab Innocentio III. & apoſtolica paramenta atque inſignia a Tangmaro.

XV. Hinc colligitur, indumenta Romanorum Pontificum, quæ rubea erant, communicata fuiſſe cum Legatis poſteriorum temporum, ſicut olim Pallium. Veſtes Romanorum Pontificum fuiſſe olim purpureas probatur ex Concilio Remenſi adverſus Arnulphum & ex Joanne Saresberienſi.

XVI. Probatur etiam ex Ottone Friſingenſi, ex actis Gregorii ſeptimi, & ex veteri codice Vaticano apud Baronium.

XVII. Tum ex Petro Damiani, Leone Oſtienſi, & aliis. In Pallio ſive manto poſita olim erat conſummatio electionis Romani Pontificis.

XVIII. Legati veſtibus rubeis uſi diu ante quam Romani Pontifices rubeam veſtem concederent Cardinalibus. Exemplum in Pelagio Epiſcopo Albanenſi. Tum in Dominicanis Polonis. Innocentius IV. Cardinalibus conceſſit uti galero rubeo. Qui ſecuti ſunt Pontifices ſua & illi decora addiderunt.

XIX. Itaque veſtes Paparum erant purpureæ: Cur communicatæ cum Legatis. Nicolaus Epiſcopus Oſtienſis Legatus in Hungaria, utens inſigniis papalibus.

XX. Iſtud ipſum confirmatur ex bulla Innocentii IV. de legatione Patriarchæ Antiocheni.

XXI. Legati in Galliam miſſi a Nicolao IV. multum graves fuere provincialibus propter eorum ſuperbiam & ſumptus immenſos.

XXII. Magiſter Herletus ab Alexandro IV. miſſus in Angliam, quamvis non eſſet Legatus, faſtum tamen Legatorum imitatus eſt. Matthæus Pariſius emendatus.

I. Pro-

I. PRocuratio Legatorum sedis apostolicæ ab initiis satis bonis primum profecta, deinde versa est in malam consuetudinem exigendi sumptus immensos, qui postea effundebantur cum probro atque dedecore ob fastum & luxum Legatorum. Quod ut ostendamus esse verum, exemplis agendum erit neque obscuris neque ambiguis, & quæ petantur ex auctoribus antiquis & bonæ fidei. Simul autem, ne causas dividamus, de luxu & pompa Legatorum agemus, qui graves provinciis non erant ob procurationum exactionem. Neque enim recens est hoc malum. Quippe supra vidimus Anastasium Thessalonicensem Episcopum Leonis magni temporibus affectasse celebrationem Conciliorum generalium Illyricianæ Diœceseos, per cujus tractus Episcopus Thessalonicensis erat Vicarius seu Legatus apostolicæ sedis, ut provincialibus potentiam & magnitudinem suam tali modo ostentaret. Medii temporis historiæ apertiora istius ambitionis exempla proferunt, quæ nos referemus.

Vide supra cap. 16. §. 11. & cap. 17. §. 6.

II. Sedente in apostolica sede Silvestro istius nominis secundo, cum Willigisus Archiepiscopus Moguntinus synodum contra canones celebrasset in diœcesi Hildesheimensi, cujus Episcopus erat sanctus Bernvvardus, isteque querelam de ea re ad Concilium a Silvestro celebratum detulisset, primum damnata est Willigisi temeritas; deinde placuit, *synodum Episcopis per Saxoniam indici, Vicarium nihilominus ex parte Domini Apostolici destinari, qui synodo præsideat.* Legatum illum, qui vocabatur Frithericus, summis laudibus effert Tangmarus in vita sancti Bernvvardi. Neque ego ista negaverim. Illud tantum ex hac historia colligam, etiam tum in modestissimi hominis animum penetrasse ambitionem Legatorum sequentis ætatis. Nam istum ambitioso apparatu in provinciam profectum, ambitiose illic egisse, docet idem Tangmarus, homo alioqui Fritherico non infensus, his verbis: *Frithericus Cardinalis Presbyter sanctæ Romanæ Ecclesiæ, postea Ravennæ Archiepiscopus, Saxo genere, juvenis ætate, sed senior morum probitate, Vicarius Domini Apostolici eligitur atque dirigitur, apostolicis paramentis atque insigniis non minus infulatus, quam si ipse procedebat.* Repetit ista rursum Tangmarus paulo post occasione synodi in Germania ob eam causam habitæ. *Interea affuit*, inquit, *ab Apostolico & Imperatore vice Papæ directus Cardinalis Presbyter Frithericus, omnibus insigniis apostolicis ac si Papa procedat infulatus, equis apostolica sella Romano more nostro instratis.* Ceterum primus locus, ut hoc obiter adnotem, datus Legato non est, quamdiu illic adfuit Willigisus Archiepiscopus Moguntinus.

Vita S. Bernvvardi pag. 24.

III. Anno MXCVI. Urbanus II. duo Concilia generalia celebraverat intra Gallias, primum quidem in civitate Turonensi, aliud vero apud Nemausum in prima Narbonensi. Quia vero Concilia illa plurimum habebant dignitatis ac splendoris, Hugonem Archiepiscopum Lugdunensem, qui Legatus apostolicæ sedis erat, incessit ambitio generalem synodum habendi, ut eo pacto auctoritatem suam ostentaret. Literas itaque ad universos regni Francorum Episcopos cum scripsisset, quibus eos evocabat ad Concilium, Philippus Rex, qui haud dubie ægre ferebat, Episcopos suos evocari ab Episcopo alterius regni, consuluit Ivonem Episcopum Carnotensem, quid facto opus esset. Quod si ille non rescripsisset, non haberemus hodie exemplum ambitionis istius Legati. Sic ergo legitur in epistola LVI. Ivonis ad Philippum Regem: *De eo, quod parvitati meæ mandavit vestra sublimitas, post duo Concilia hoc anno a Domino Papa celebrata, nunc Legatum ejus Lugdunensem Archiepiscopum infra eundem annum tertium generale convocare & ad hoc regni vestri Episcopos invitare, serenitati vestræ respondeo, quia, cum nuper litteras ejus habuerim, nihil tale ibi legi, vel à misso ejus audivi, quod tamen si faceret, non esset hæc apostolica institutio vel ecclesiastica consuetudo.*

Vide infra l. 6. cap. 31. §. 7.

IV. Jam tum Legati contendebant, primum locum sibi competere in Conciliis generalibus cum prærogativa suffragii; ideoque mirum videri non debet, Hugonem cogitasse de celebrando Concilio, in quo ipse cum summa auctoritate præesset universis Archiepiscopis & Episcopis regni Francorum. Istam tamen legem per ea tempora duram & iniquam esse putabant Angli, non tamen contradicere ausi ob metum Romani Pontificis & Legatorum. Extat illustre istius rei exemplum apud Gervasium Dorobernensem, a nobis supra relatum, ut necesse non sit hæc rursum describere. Illud tantum dicam, reprehensione dignum Anglis visum fuisse, quod pompose nimis susceptus esset Legatus ab Archiepiscopis Cantuariensi & Eboracensi, & quod simplex Presbyter præsideret omnibus Archiepiscopis & Episcopis, idque *in sublimi solio*, ut ipsa Gervasii verba ponamus. Addit autem, istud facinus totam Angliam commovisse in non modicam indignationem, & gravi ex ea re scandalo multorum mentes fuisse vulneratas. Contigere ista anno MCXXV.

Vide epistolam Petri Damiani ad Hildebrandum, apud Baron. ad anno 1059. §. 43.

Vide supra cap. 49. §. 2.

V. Scio, hoc, quod dicturus sum de Gerardo Episcopo Engolismensi, e satyra peti, quam adversus ipsum scripsit Arnulphus Sagiensis Archidiaconus, qui dein Episcopus fuit Lexoviensis. Referam tamen; ut, si vera ex omni parte sunt, quæ Gerardo objicit Arnulphus, detestemur hominis superbiam & arrogantiam; sin minus, certe hinc colligamus, multa pro more Legatorum gessisse Gerardum, quæ reprehensione digna videbantur. Sic ergo loquitur Arnulphus de legatione ejus: *Abinde igitur inconcussæ prærogativa potestatis armatus, libera in Ecclesiam Dei facultate grassatus es, singulorum vel depopulando quidem vel augendo substantias, infimis summa, summis infima commutando.* Et mox: *Abinde tua diffusioribus spatiis effusa cupiditas copiosam rapacitati suæ materiam non defuisse gavisa est. Quid ergo manifestas exactiones, quid familiaria ob periculum justitiæ suscepta dispendia dicam? Quid generales synodos, quid fatigatas venerabiles ex remota regione personas edisseram, ut Concilio præsidens generali amplitudinem tuæ potestatis gloriabundus inspiceres, & ambitioni satisfaceret contemplatio subditorum.*

Tom. 2. Spicilegii pag. 343.

VI. Per eadem tempora Petrus Leonis, qui in schismate dein electus est Romanus Pontifex adversus Innocentium secundum, Legatus apostolicæ sedis fuit in Gallia & in Anglia. Qua pompa, quo fastu & luxu, quo denique dedecore in legatione versatus sit, si vera sunt, quæ de illo narrat idem Arnulphus, facile lector judicabit. Neque enim veri periculum ad me recipio, cum sciam, multa interdum studio partium dici, quæ non ita sunt vera, ut leguntur in libris. Hæc tamen vitia ei adhuc viventi publice exprobrat Arnulphus in libro contra Gerardum Engolismensem: *Deinde ad diversas partes functus legationis officio, cupiditati suæ potius quam justitiæ satisfacere studuit, adeo ut illi ea tantum bonos exitus habuisse negotia viderentur, quæ merces adjecta & marsupii plenitudo subsecuta probaret. Ubi ergo nullis intervenientibus causis, nulla rapinæ præstabatur occasio, tunc exactio blanditiis vel comminatione plena non deerat. Bina singulis diebus sumptu plurimo convivia parabantur; tantusque ciborum luxus & superfluitas erat, ut ad exquisitas ferculorum varietates sollicitari plerumque figulos oporteret & ignotæ compositionis nova vasa formare.* Cum autem adversus istam impudentiam graviter detonasset Arnulphus, demum addit: *Taceo, quod hæc effusio non apud divites tantum, sed apud inopes fiebat Ecclesias, quibus postea id luere multis jejuniis & algoribus oporteret. Cumque pauperes Episcopos vel Abbates profusioribus, quam domi didicerat, vexasset expensis, in ipsa Ecclesiarum ornamenta satis impudenti sacrilegio grassabatur, ut plane sponsam Domini spoliare suisque privare monilibus ausu temerario videretur.*

Vide infra cap. 56. §. 7.

Tom. 2. Spicilegii pag. 347.

VII. Sa-

VII. Sane fastum omnem abesse debere a Legatis apostolicæ sedis, quæ a piscatore fundata est, & res ipsa loquitur, & graves omnium seculorum querelæ adversus ipsos evincunt. Sed in primis memorabilis est locus sancti Bernardi Abbatis Claraevallensis: qui Eugenium III. instruens, cujusmodi viros lateri suo applicare debeat, quibus ministris uti in provinciis, generalia quidem monita valde utilia præscribit; præcipue vero jubet, uti Ecclesias non spolient, marsupia non exhauriant, famæ suæ provideant, orandi studium gerant, *se amabiles præbeant, non verbo, sed opere, reverendos exhibeant, sed actu, non fastu*. Quod in hominibus istis non reprehendisset sanctus Bernardus, nisi seculo illo Legatorum fastus & ambitio res fuissent vulgatissimæ, quæ bonis omnibus nauseam & fastidium creabant.

S. Bernard. l. 4. de consid. c. 4.

VIII. Illustre fastus Legatorum exemplum refert Matthæus Parisius, cum describit, quæ gesta a Willelmo Eliensi Episcopo sunt anno MCXC. Hæc sunt ejus verba: *Legationis officium, quod mille fusis argenti libris adquisierat, adeo immoderate peregit, ut omnibus Angliæ Ecclesiis tam conventualibus quam cathedralibus fieret onerosus. Siquidem mille & quingentis per Angliam evectus equitaturis, clericorum stipatus catervis, militumque vallatus agminibus, omnia fere, quæ episcopali reverentiæ congruunt prætermisit. Illi omnes filii nobilium astabant in mensa, quos suis neptibus & consanguineis puellis copulavit per matrimonia, felices se æstimantes quos familiares habebat. Non fuit terra venalis quam non emeret, Ecclesia vel abbatia vacans quam non daret aut retineret. Sequebantur illum ambubaiarum collegia, pharmacopolæ, mendici, mimæ, balatrones, hoc genus omne; ut illi omni musicorum genere & modulationibus vocum obsequeretur in terris, sicut angeli sancti omnipotenti Deo obsequuntur in cœlis. Hoc autem totum fecit, ut cum Domino a pari contendere videretur.*

Vide supra cap. 49. §. 8. & cap. 51. §. 3.

IX. Innocentius deinde tertius an. MCCXIII. Constantinopolim misit Pelagium Episcopum Albanensem, quem diu orientalis Ecclesia habuit apostolicæ sedis Legatum. Nolo heic inire narrationem rerum ab eo gestarum in ea legatione. Referam tantum, quæ de fastu & arrogantia ejus narrat Georgius Logotheta in Chronico Constantinopolitano. *Idem Ericus*, inquit, *cum Byzantii imperaret, ad reginam urbium a summo Pontifice Præsul, quem ipsi Legatum indigitant, Pelagius nomine, Papæ prærogativas omnes referens, ablegatur. Namque calceos rubros induebat, neque diversi coloris indumentis amiciebatur; quinimo equi, sagulum & frana eodem inficiebantur veneno. Et cum moribus esset inhumanioribus, fastus ac insolentiæ plenus, nimium sæviit in Constantinopolitanos*. Vide reliqua apud Odoricum Raynaldum.

Georgius Logotheta ex versione Allatii, apud Odor. Raynald. ad an. 1213. §. 6.

X. Anno MCCXXI. Honorius III. Legatum in Scotiam misit Ægidium Cardinalem, ut in subsidium novæ expeditionis in terram sanctam pecuniam aliquam conquireret. Narrat ista Hector Boetius in libro XIII. historiæ Scotorum; simulque gravem Episcopi cujusdam Scoti orationem in conventu publico habitam refert de avaritia & tyrannide Legatorum. Inter Legatos vero, quos oratione illa perstrinxit hic Episcopus, ista de Ægidio indignabundus effudit, cum dixisset, eum ex populi liberalitate ingentem pecuniam compilasse: *Eam omnem homo audacissimus in summa ambitione ac luxu, etiam nobis aspicientibus, profudit; nec veritus est impudens veterator falsum crimen confingere, ut flagitia sua tegeret, & ne assumptum imo devoratum thesaurum restituere cogeretur.*

Vide supra cap. o. §. 6.

XI. Anno MCCXXXVII. Otto tituli sancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconus Cardinalis, de quo supra diximus, in Angliam a Gregorio IX. missus Legatus tanta pompa tantoque fastu Concilium generale celebravit, ut ob hoc ipsum graviter reprehensus sit a Matthæo Parisio. *Appropinquante vero tempore Concilii*, inquit Parisius, *jussit sibi Legatus sedem parari in occidentali parte Ecclesiæ sancti Pauli Londoniis fastigiosam nimis & solennem, longis trabibus & sedilibus gradatim exaltatam. Misit igitur literas suas, ut vocati omnes Angliæ Prælati, scilicet Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Priores installati, tam sub Conventus sui vel Capituli quam suo nomine, literas procuratorias deferentes, ut, quicquid in Concilio statueret Legatus, ratum utrobique haberetur. Venerunt igitur omnes juxta mandatum Domini Legati, nimis vexati & fatigati in corporibus propriis, equorum & viaticis, utpote ingruente hyeme & multiformi tempestate, omnes Prælati suæ legatiæ, Angliæ tamen potissime*. Hæc erant instrumenta servitutis. Agit rursum de hoc fastu Ottonis idem Parisius occasione narrationis eorum, quæ in Concilio illo gesta sunt, his verbis: *Ingressus Ecclesiam, coram majori ecclesia pontificalibus se induit, scilicet superpellicio, & desuper cappachorali pellibus variis furrata, & mitra. Et præcedentibus Archiepiscopis Cantuariensi & Eboracensi eum cum processione solenni, cum cruce & cereis accensis, & cum letania, sedem suam ascendit per gradus pompose, ut dictum est, præparatam, & jam pomposius tapetis & pallatis redimitam, collocante se a dextris Domino Cantuariensi, & Eboracensi a sinistris.*

XII. Insigne visum est referre locum alium ex eadem historia Matthæi Parisii, de nebulone quodam, cujus ea fuit impudentia, ut palam & aperte ab Abbatibus & Prioribus Angliæ exigeret munera pretiosa, ea respuens, quæ fastui & ambitioni ejus non videbantur esse congruentia, reposcens interim pretiosiora. Præsumpta sunt ista an. MCCXLIV. a Martino sedis apostolicæ Nuntio; qui *per modum Legati se gerens*, verba sunt Parisii, *licet Legati vestibus pro privilegio Regis sophistice salvando non insignitus, passim significavit imperiose illi Abbati, vel illi Priori, ut sibi darent & mitterent munera pretiosa, palefridos desiderabiles, & in esculentis & poculentis sumptuosa xenia, & vestimenta adornativa. Quod cum fecissent, ipse Martinus remisit eis, quæ ei missa fuerunt, asserens ea esse insufficientia, & præcepit eis, ut meliora sibi sub pœna suspensionis & anathematis transmitterent. Suspendit autem omnes a collatione beneficiorum triginta marcas valentium & supra donec suæ satisfactum foret cupiditati.* Hominis impudentiam!

Vide eundem Paris. pag. 647. edit. Tigur.

XIII. Quod ait Parisius Martinum Legati vestibus insignitum non fuisse *pro privilegio Regis Angliæ sophistice salvando*, lucem accipit ex alio ejusdem auctoris loco. Sed ante quam illum referam, placet alium ejus locum afferre isti similem, qui mox descriptus est, ut eadem opera utrumque explicemus. Innocentius IV. mittens identidem Legatos in Angliam ad colligendam pecuniam, non tamen eis tribuebat nomen Legatorum, licet amplissima illos auctoritate ornaret. Aliquot ergo post annis quam Martinum miserat, cum recens adhuc Anglorum odium esset adversus illum, Marinum quendam, *alterum Martinum*, (inquit Matthæus Parisius, ad nomen alludens Martini, tanquam si diceret alterum Catilinam) in Angliam misit anno MCCXLVII. *Hic igitur*, inquit Matthæus, *quamvis insigniis Legati non polleret, potestate tamen Legati, ut sic Domini Regis privilegio illuderetur, fortius armabatur*. Hæc, inquam, lucem accipiunt ex alio Matthæi loco; in quo loquens de Joanne Rufo, quem Innocentius eodem anno MCCXLVII. misit in Hyberniam, ait ei tributum non fuisse nomen Legati propter privilegium Regis Angliæ, cui concessum erat, ne quis in regnum ejus mitteretur Legatus, nisi ab ipso postulatus. Hæc sunt verba Matthæi: *Eisdemque diebus missus est in Hyberniam magister Johannes Rufus ad pecuniam ibidem colligendam cum potestatis plenitudine quasi Legatus, non tamen insignibus Legati redimitus, ne videretur Papa Dominum Regem Angliæ offen-*

offendisse, qui privilegio tali se gaudet umbraliter communitum, ut non veniat Legatus in terram suam nisi postulatus. Memoratus igitur Joannes tam vigilanter mandato Papali & suæ indulsit utilitati & lucro, ut sex millia marcarum ab Hybernia extorserit, quæ per conductum religiosorum in festo sancti Michaelis fecit Londinum transportari & thesauro Papali gaudenter accumulari.

XIV. Insignia Legati, quæ vocat Parisius, rubras vestes dicit Matthæus Westmonasteriensis de hoc ipso Joanne loquens: *magnis armatus potestatibus quasi Legatus, non tamen rubris vestibus insignitus, ne videretur Dominus Papa Dominum Regem Angliæ offendisse, qui quodam gaudet privilegio, videlicet, ut non veniat Legatus in terram suam nisi postulatus.* Eadem Legatorum, quæ heic dicuntur insignia, apostolicæ dignitatis insignia vocantur ab Innocentio III. in Concilio Lateranensi. Hic enim privilegia quatuor patriarchalium sedium renovans, *sancta universali synodo approbante* decernit inter alia, ut quatuor illi Patriarchæ crucis vexillum ante se faciant ubique deferri, nisi in urbe Romana, & ubicunque summus Pontifex præsens extiterit, *aut ejus Legatus utens insigniis apostolicæ dignitatis.* Dixerat autem Tangmarus, ut supra vidimus, Frithericum, qui Legatus in Germaniam missus est a Silvestro secundo, *apostolicis paramentis atque insigniis* non minus infulatum fuisse, quam si ipse Papa processisset.

Concil. Later. sub Innoc. III. cap. 5.

XV. Hinc patet, indumenta Pontificum Romanorum, quæ plurimum splendoris habebant, fuisse communicata cum Legatis posteriorum temporum, non secus ac olim Vicariis apostolicæ sedis Pallium tribuebatur. Quod ut melius intelligatur, ostendendum est, priscis illis temporibus vestes Romanorum Pontificum fuisse purpureas. Initium probationis faciendum est a verbis Arnulphi Episcopi Aurelianensis in synodo Remensi habita anno DCCCCXCI. qui loquens de Pontifice Romano hæc dixit: *Quid hunc, Reverendi patres, in sublimi solio residentem, veste purpurea & aurea radiantem, quid hunc, inquam, esse censetis? Nimirum si charitate destituitur, solaque scientia inflatur & extollitur, Antichristus est in templo Dei sedens & se ostendens tanquam sit Deus.* His congruunt, quæ de Romano Pontifice scribit Joannes Saresberiensis lib. VI. de nugis curialium cap. XXIV. *Sed & ipse Romanus Pontifex omnibus gravis & fere intolerabilis est. Præterea omnes arguunt, quod ruentibus & collabentibus Ecclesiis, quas patrum construxit devotio, altaribus quoque incultis, palatia extruit, & ipse non modo purpuratus, sed deauratus incedit.*

Concil. Rem. cap. 28.

XVI. Purpuram fuisse vestem ordinariam Pontificum Romanorum, colligitur etiam ex pluribus aliis veterum scriptorum testimoniis, quæ heic congerere operæ pretium duximus. Otto Frisingensis loquens de electione Leonis IX. id testatur his verbis: *Hic ex nobili Francorum prosapia oriundus, auctoritate regalis excellentiæ ad sedem beati Petri destinatus fuerat; cumque assumpta purpura pontificali per Gallias iter ageret, contigit eum Cluniacum venire, ubi tunc præfatus Hildebrandus prioratus, ut dicitur, obedientiam administrabat.* Et paulo post: *Inclinatus ille ad monitum ejus, purpuram deponit &c.* Colligitur illud ipsum ex actis vitæ Gregorii VII. a Baronio relatis; in quibus post narrata, quæ in electione ejus contigere, demum ista adduntur: *Indutus rubea chlamyde, sicut est mos, & Papali mitra insignitus, invitus & mœrens in beati Petri cathedram fuit inthronizatus.* Chlamydem illam rubeam fuisse indumentum, quo uti tum solerent summi Pontifices, evincitur etiam ex scripto codice Vaticano, cujus fragmentum refert Baronius. Agebatur de dejectione Burdini, qui Gregorii VIII. nomine assumpto Romanam cathedram diu tenuerat adversus Gelasium secundum & Callistum secundum. Huic ergo victo ea ignominia irrogata est, ut *præparato camelo pro alto caballo, & indultus pilosa pelle vervecis pro chlamyde rubea,* positus sit ex adverso super camelum, dataque sit ei in manibus pro fræno cauda cameli, atque ita in Urbem introductus sit.

Otto Frising. lib. 6. cap. 33.

Apud Baron. ad an. 1073. §. 20.

Apud Baron. ad an. 1121. §. 1.

Vide lib. 3. Miscellaneor. Baluzii pag. 472.

XVII. Rem istam conficiemus adhuc duobus exemplis. Cadalous Parmensis Episcopus Romanam sedem invaserat post Nicolaum secundum. Ad hunc ergo scribens Petrus Damiani, eumque redarguens, his inter alia verbis eum compellat: *Habes nunc forsitan mitram, habes juxta morem Romani Pontificis rubeam cappam.* Leo Ostiensis describens electionem Victoris III. docet primum illum invitum electum esse, eique Victoris nomen a clero & populo impositum fuisse. *Sed quoniam hæc omnia, ut diximus, contra ejus animum fiebant, cappam quidem rubeam induit, alba vero induere eum nunquam potuerunt.* Facilius quippe erat Pallium superponere nolenti, quam albam, quæ manicas habet. In Pallio vero sive manto aut Pluviali, ut sequentis seculi vocabulis utar, posita erat electionis consummatio, uti dicemus ad epistolas Joannis Sarisberiensis. Idem Leo describens electionem Urbani II. cum dixisset *Urbanum illum placere vocari, mox cuncti surgentes capiunt, eumque cappam laneam exuentes, purpuram induunt.* Gerohus Reichersbergensis in collectione Tengnagelii pag. 416. eam partem Cardinalium, quæ Alexandrum III. elegerat, ait, tentasse eum elevare in Papam, *oblato ei, ut mos est, per Archidiaconum manto, rubea videlicet illa cappa, quæ insigne papale est.* Contra Octavianus adversarius Alexandri *alium mantum de sua domo allatum ac præparatum, offerente sibi suo Capellano, vestitus est.* Cum se sic vestitum ostendisset Octavianus, *clerus accurrens, ubi Octavianum in rubea cappa vidit, electum unanimi fratrum assensu credidit, & ei velut electo acclamavit.* Vide Antonium Scappum in libro de birreto rubeo dando Cardinalibus regularibus pag. 70. ubi citantur Ostiensis & Antonius de Butrio docentes insignia apostolica, quibus Legati ultra mare utebantur, fuisse vestes rubeas, palafrenum album, & calcaria deaurata. Revertamur nunc ad causam Legatorum.

Leo Ostiens. l. 3. cap. 65. Idem lib. 4. c. 2.

XVIII. Itaque Romani Pontifices, ut reverentiam Legatis suis conciliarent, cum eis communicabant usum chlamydis rubeæ, quamdiu essent in legatione constituti. Nam & diu ante quam Romani Pontifices rubeam vestem concederent Cardinalibus, sive id factum a Bonifacio octavo, sive a Paulo secundo, diu inquam ante hoc privilegium Legati vestibus rubeis utebantur. Testatur istud de Pelagio Episcopo Albanensi, qui Legatus apostolicæ sedis in oriente fuit ævo Innocentii tertii, Georgius Logotheta: *Purpurea illi talaria,* inquit, *ejusdem coloris vestimenta, frenaque & sagum pariter purpurea erant.* Vidimus deinde Matthæum Westmonasteriensem, cum de insignibus Legatorum loqui vellet, rubras vestes dixisse. Denique Bzovius adnotat, Dominicanis suis in Polonia gerentibus legationem apostolicæ sedis indultum fuisse ab Innocentio IV. ut rubeo galero, rubeis sandaliis, ocreis & chirothecis rubeis caput & manus ac pedes tegerent, ut his purpureis ornamentis significarent, inquit, mortibus devota gestare capita igneque ardentissimo exæstuare ad præparationem evangelii pacis. Innocentius ille, qui primus Cardinalium ornamenta invenit, primum eos galero rubeo uti concessit, ut ea nota distinguerentur a ceteris ecclesiastici ordinis viris. Qui secuti sunt Pontifices, sua & illi decora addiderunt, donec ad eam, quæ hodie visitur, gloriam perventum est. Nam Bonifacius octavus, ut vulgo existimant, Cardinalibus purpurei coloris vestimenta dedit. Paulus vero secundus, ut in ejus vita narrat Platina, primo pontificatus sui anno eis pannum ejusdem coloris dono dedit, quo equos vel mulas sternerent, dum equitant. *Voluit præterea,* subdit statim Platina, *in decretum referre, ut galeri Cardinalium ex serico coccineo fierent. Sed*

Georg. Logoth. ex versione Theodori Douzæ.

Bzov. ad anno 1253. §. 5.

id, quo

id, quo minus decerneretur, vetuere illi, qui bene sentientes diminuendam esse Ecclesiæ pompam, non augendam cum detrimento Christianæ religionis, prædicabant.

XIX. Itaque, ut colligamus, quæ hactenus de hoc argumento dicta a nobis sunt, illud certum esse videtur, vestes Romanorum Pontificum fuisse olim purpureas, illas vero communicatas fuisse cum Legatis ad augendam eorum dignitatem & reverentiam. Verum, ut res ista apertior evadat, addendum est testimonium ex seculo Bonifacii octavi. Misit ille anno MCCCI. Legatum in Hungariam Nicolaum Episcopum Ostiensem. Ut autem negotia, ob quæ mittebatur, exequi posset cum majori auctoritate, ei concessit uti insigniis, quæ concedi solebant Legatis, qui missi de latere mare transibant, id est, purpureis talaribus & vestimentis & reliquis gloriæ ac fastus insignibus. Hæc sunt ejus verba: *Et, ut circa legationis officium, quod in eodem regno Ungariæ tibi duximus committendum, eo possis prosperare facilius, quo solitis Legatorum, qui missi de latere mare transeunt, adornatus insigniis personam nostram quodammodo præsentabis de speciali gratia apostolica tibi auctoritate concedimus, ut eisdem insigniis infra prædictum Ungariæ regnum duntaxat uti libere valeas.* Primum hinc colligitur, ei Legato dari facultatem utendi apostolicis paramentis atque insigniis, quod ait Bonifacius illum, his utendo, personam suam quodammodo repræsentaturum. Sed præterea in lemmate, quod epistolæ illi appositum est in vetustissimo codice MS. bibliothecæ regiæ, in quo continentur bullæ istius legationis, ista leguntur, quæ omnino evincunt, insignia Legatorum nihil aliud fuisse quam imitationem vestium & ornamentorum, quibus indui solebat Romanus Pontifex in sede majestatis, id est, insignia papalia. Nam his verbis conceptum est, ut diximus, lemma illius epistolæ in codice regio. *Littera legationis, & quod possit uti insigniis papalibus. Et dirigitur ipsi Legato.*

Apud Odor. Raynald. ad an. 1301. §. 5.

XX. Insignia illa, quod toties dictum est, fuisse rubea, alios porro Legatos, uti eis de jure non potuisse nisi eos, qui missi de latere mare transeunt, ut ait Bonifacius octavus, docuit etiam nos epistola Innocentii IV. data anno MCCXLVIII. ad Patriarcham Hierosolymitanum. Tribuerat ille auctoritatem Legati per orientem Patriarchæ Antiocheno. Is vero patriarchatum Hierosolymitanum ingressus, sive quod ita mos exigebat, seu ut magnitudinem suam tali modo etiam extra patriarchatum suum ostentaret, legationis insignia portaverat. Male id habuit Hierosolymitanus, qui Legatus quoque erat apostolicæ sedis. Ad hunc ergo leniendum Pontifex hanc epistolam scripsit, quæ sic habet in veteri codice MS. bibliothecæ Colbertinæ.

Cum, sicut ex parte tua fuit propositum coram nobis, ob nostram, præmissa tamen protestatione, reverentiam toleraveris, ut venerabilis frater noster Patriarcha Antiochenus apostolicæ sedis Legatus, quando fuit in Accon, portare legationis insignia, incedere cum rubeis, & signare populum Acconensem, cum talia non competant nisi Legato a nostro latere destinato, nos tuis supplicationibus inclinati præsentium tibi auctoritate concedimus, ut per hæc nullum Ecclesiæ tuæ præjudicium valeat generari. Nulli ergo &c. nostræ concessionis &c. Datum Lugduni IV. Nonas Decembris anno sexto. His ita enarratis de Legatorum insigniis, persequamur instituti nostri rationem.

XXI. Redeundum igitur nobis est ad fastum & pompam Legatorum, ut caput istud claudamus exemplo valde illustri, sive ad personas respiciamus, de quibus heic agitur, sive ad gloriam & apparatum tantæ legationis. Anno MCCXC. Nicolaus IV. Legatos in Galliam misit Gerardum Episcopum Sabinensem & Benedictum Caetanum tituli sancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconum Cardinalem, qui deinde factus Pontifex Romanus, Bonifacius dictus est istius nominis octavus. Illos admodum graves provincialibus fuisse reperio in veteri Chartulario sancti Maglorii Parisiensis, quod nunc censetur in bibliotheca regia. Extat enim in Chartulario illo vetus Chronicon ab auctore illorum omnino temporum scriptum rythmis Gallicis; in quo inter cetera agit de ista legatione. Ait ergo venisse in Franciam Cardinales anno MCCXC. cum Rege tractaturos de quibusdam negotiis, quorum causa nondum vulgata erat, illos immensos ac prodigiosos sumptus fecisse, quacunque iter facerent, hincque factum, ut multum incommodi fuerint Abbatibus & Prioribus. Habuisse enim in comitatu suo, præter domesticos, equites quingentos, scire se pro certo, eos non ita splendide procedere solitos in patria sua, id est, in Italia. Deum sane, cum inter homines degeret, istiusmodi satellitio munitum non fuisse. Præstat autem heic describere ipsa hominis verba:

Vide tom. 2. Spicil. pag. 818.

Odor. Raynal. ad an. 1290. §. 17. & seqq. & ad an. 1294. §. 23.

Et cele annèe sans doutance
Vindrent le Cardenal en France
En mesage parler au Roy.
Mais on ne seut onqes pourquoi.
Et outrageus despens fesoient
Par tous les leus ou ils aloient.
Dont le Prieur & li Abbé
Se tenoient a mont grevé.
Bien orent en leur compaingnie
Cinq cens chevaux sans leur mesnie.
En leur pais sai-je sans doute
Qu' il ne menoient pas tel route.
Ainsi n' ala pas Dex par terre
Quant il vint ses amis requerre.

XXII. Quanto modestior Legatis illis fuit magister Herlotus, quem Alexander IV. in Angliam proficisci jusserat anno millesimo, ducentesimo, quinquagesimo octavo. Et tamen illius fastum damnat Matthæus Parisius, licet verbis non admodum duris. Hæc sunt ejus verba: *Et cito post, videlicet septimana proxima ante Pascha, venit in Angliam magister Herlotus Domini Papæ Notarius & clericus specialis; qui quamvis Legatus non diceretur, non tamen Legati caruit nobilitate. Venit enim Londinum cum viginti equitaturis; cujus familia collateralis octo cappis, videlicet quinque clausis, & quinque manicatis de optimo morcto superbivit redimita.* Verum, ut libere dicam quod sentio, puto, locum istum emendatione indigere, & pro *viginti* legendum esse saltem *centum viginti*. Nam quo modo fastus hic Herloti notari potest, si modicus iste viginti equitum numerus conferatur cum fastu Legatorum illius seculi ac superioris, qui vigesimum evectionum numerum longe superabant contra instituta Concilii Lateranensis? Præterea equites viginti sufficere non poterant dignitati illius viri, qui collaterales saltem octo habebat cappis indutos, quorum propterea quilibet habere debuit plures famulos, ut omnia congruerent. Itaque omnino puto, in editionibus Matthæi Parisii excidisse heic vocem *centum*, quæ restituenda est. Locum autem illum esse alioqui mendosum vel ex eo colligitur, quod primo auctor collaterales illos cappis indutos, ait fuisse octo, statim vero decem. Hunc autem Herlotum, non secus ac alios, qui frequenter per ea tempora a Romano Pontifice mittebantur in Angliam, illic fuisse in damnum & subversionem totius regni, haud dubie ob exactionem procurationum & immensos sumptus, adnotat infra Parisius his verbis: *Unde certatim advenerunt in Angliam Nuntii Papales ultramontani, sterlingorum speciem olfacientes, ad Regem, ut opima munera reportarent; utpote Episcopus Bononiensis, qui ex parte Papæ annulo quodam dictum Edmundum de regno Apuliæ investivit. Messanensis quoque Archiepiscopus, qui non vacuus recedebat. Nunc frater Johannes de Diva, nunc magister Bernardus, nunc magister Senisius, nunc Rustandus, nunc Herlotus, & multi alii, quos longum esset enumerare; quosque omnes & singulas Dominus Rex cum summa reverentia suscepit & honore, in damnum tamen totius regni sui & subversionem.*

CAPUT LIII.

Ob nimiam Legatorum insolentiam nonnunquam Pontifices pœnituisse, quod amplissimam potestatem eis concesserint, nonnullis exemplis declaratur.

SYNOPSIS.

I. Mala fama Legatorum hauddubie Romanos Pontifices ægre habebat. Romana Ecclesia non solet neque vult decretis suis patenter obviare. Bona fama valde necessaria est Ecclesiæ Romanæ. Eadem, licet aliqua interdum toleret, nunquam a concordia canonicæ traditionis discedit. Ob res tamen a Legatis perperam gestas pœnituit aliquando summos Pontifices, quod amplissimam potestatem concessissent Legatis.

II. Cum Giraldus Ostiensis Episcopus nonnulla præter fas jusque præsumpsisset in Gallia, commovit ea res Gregorii VII. animum, qui omnino ita hanc causam exaggerat, ut plane appareat penituisse illum, quod ista a Legato acta fuissent.

III. Richardus Abbas Massiliensis, qui legatione Hispanica abusus insolenter erat, tandem revocandus fuit. Contigit istud sub Urbano secundo.

IV. Hyacinthus Bobo cum auctoritate legationis translationem cujusdam Episcopi peregisset, castigatus est ab Alexandro III. ut docet Innocentius III.

V. Et hunc quoque Innocentium penituisse, dubium non est, quod Cencium Legatum in Siciliam misisset. Colligitur istud ex epistola ab eo scripta ad Legatum.

VI. Conradus Marpurgicus Legatus in Germania constitutus adversus novos quosdam hæreticos, ferro flammaque grassatus, multos nimis præcipiti sententia damnavit, ut scribit Godefridus.

VII. Istud ipsum probatur ex epistola Archiepiscopi Moguntini & fratris Bernardi. Docet autem Albericus, Gregorium, his auditis, pœnituisse, quod tantam potestatem Conrado permiserit, unde talis confusio emersit.

VIII. Eidem Gregorio necessarium fuit revocare ex Anglia Ottonem Legatum, ob motus occasione Legati exortos in ea regione.

IX. Notatur temeritas cujusdam Nuntii apostolici, qui potestatem suam æqualem esse ajebat potestati summi Pontificis.

I. INfelices illi eventus, quos in superioribus capitibus enarravimus, & mala fama Legatorum, quæ sedem apostolicam onerabat, hauddubie in animis Pontificum Romanorum ægre accipiebantur. Verum quia ea est Romanæ Ecclesiæ consuetudo, quemadmodum observat Ivo Carnotensis Episcopus, ut neque soleat neque velit decretis suis patenter obviare, toleranda aliqua fuerunt, ne, si statim quorumlibet Legatorum facta in quæstionem adducerentur, bona Romanæ Ecclesiæ fama periclitaretur, quam sedi illi valde necessariam esse ait idem Ivo. At cum Legatorum crimina adeo erant manifesta, ut nulla arte, nulla dissimulatione tegi possent, adeoque tolerari non deberent, tum Romana Ecclesia sequebatur regulam a Gregorio VII. constitutam, qui sic scribit ad Sancium Regem Arragonum: *Solet enim sancta & apostolica sedes pleraque considerata ratione tolerare, sed nunquam in suis decretis & constitutionibus a concordia canonicæ traditionis discedere.* Itaque cum Legati, gradus & ordinis sui immemores, potestatem, quam acceperant, in apertam licentiam vertebant, tum vero fremere & indignari Romani Pontifices, & si decens fuisset, facta Legatorum mittere in irritum. Verum quia periculum erat, ne infamis apostolicæ sedis inconstantia notaretur, & *quoniam*, ut ait Baronius, *prudentia carnis, & non spiritus, perperam facta a ministris defendi solent ab eorum dominis*, Romani Pontifices non palam

[Margin notes: Ivo epist. 260. — Idem epist. 89. — Gregor. VII. lib. 2. epist. 50. — Baron. an. 1099. §. 10. — Eadmer. lib. 3. pag. 65.]

quidem rescindebant, quæ acta a Legatis essent in provinciis; sed tamen interdum eos pœnituit, quod amplissimam potestatem Legatis concessissent.

II. Initium faciamus a Gregorio septimo. Pontificatu ejus Giraldus Ostiensis Episcopus & sedis apostolicæ in Aquitania Legatus nonnulla præter jus fasque, ut Baronius ait, præsumpserat. Nimirum quosdam Episcopos injuste excommunicaverat, quosdam inordinate deposuerat, alios merito interdixerat. Certum erat Gregorio, acta Legatorum non esse abroganda. Et tamen, cum nollet infamiam pravi judicii ad se usque pertingere, ut ejus verbis utamur, in Giraldum nonnihil commotus, asperioribus eum verbis perstrinxit, simul modum præscribens, quem tenere oporteat, ut justæ provincialium querelæ sopiantur. Et omnino ita hanc causam exaggerat, ut plane appareat, nihil aliud eum per ea tempora maluisse, quam ne Giraldus auctoritate Legati instructus fuisset, ob honorem scilicet apostolicæ sedis. Extant Gregorii literæ ad Giraldum, quas lector consulere potest.

III. Idem Gregorius Legatum in Hispaniam misit Richardum Abbatem Massiliensem. *Multa is* (ut Mariana ait) *insolenter facere videbatur, & concessa ad salutem potestate maxima & amplissima ad quæstum & tyrannidem abuti. Respublica sursum deorsum agebatur. Romani Pontificis nomen & majestas importunis Legati actionibus sugillabatur.* Vivente Gregorio mansere, quæ constituta gestaque a Richardo fuerant, nullo obsistere auso. Immo tanta ejus auctoritas erat, tanta dignatio, ut, licet eum Victor III. Gregorii successor excommunicasset in synodo Beneventana, semper tamen apostolicæ sedis vices ageret in Hispania. Sed cum ille multa, uti diximus, ageret insolenter, Bernardus Toletanus Archiepiscopus, cujus dignitas tum surgebat, ad subvertendum Legatum Romam profectus, eo pervenit sub initia pontificatus Urbani secundi, a quo obtinuit, uti Legatus Richardus revocaretur, ut docet Rodericus Archiepiscopus Toletanus his verbis: *Verum quia Richardus Legatus se gerebat in aliquibus minus caute, religione & auctoritate compescuit attentata, adeo, quod ille Richardus legatione privatus, fuit ab Urbano summo Pontifice revocatus.*

IV. Hyacinthum Bobonem tituli sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconum Cardinalem, qui postea fuit Romanus Pontifex dictus Cælestinus tertius, Hispania, ut Marianæ verbis utamur, Legatum priorum Pontificum diu habuit, præcipue vero temporibus Alexandri tertii, sub quo plures in Hispania synodos ab Hyacintho celebratas fuisse reperio. Suetus potestati & imperio animus multa tentavit, quæ varias querelas excitarunt, ut alibi observabimus. Nunc satis sit admonere castigatum fuisse illum ab Alexandro, quia præsumpserat peragere translationem Episcopi ab una sede in aliam. Testatur istud Innocentius III. ad Cencium Cardinalem scribens, qui, ut statim dicetur, Trojanum Episcopum transtulerat ad Ecclesiam Messanensem. Nam cum factum illius culpasset, demum addit: *Non ergo in ejus odium vel ad injuriam tui reputes esse factum, sed ut privilegium Petri maneat inconcussum, cum etiam felicis memoriæ Alexander Papa, prædecessor noster quasi simile fecerit, obviando præsumptioni Legati, quem in Hispaniam destinarat volenti simile attentare.*

V. Innocentium quoque tertium non dubito quin pœnituerit, quod amplissimam potestatem tribuisset Cencio Presbytero Cardinali tituli sancti Laurentii in Lucina, quem, uti dictum est supra, Legatum constituerat in regno Siciliæ. Is propria auctoritate, inconsulto Pontifice, qui translationes Episcoporum ad solum Pontificem Romanum pertinere declaraverat, Gualterum Trojanum Episcopum ad Panormitanam Ecclesiam transtulerat. Graviter & iniquo animo id tulit Innocentius, ut patet ex epistola ab eo scripta ad Legatum, ex qua colligere possumus, pœnituisse illum, quod Cen-

[Margin notes: Baron. ad an. 1073. §. 35. — Gregor. VII. l. 1. epist. 16. — Mariana lib. 9. de reb. Hisp. c. 18. — Roder. Tol. l. 6. de reb. Hispan. c. 26. — Mariana l. 11. de reb. Hisp. c. 17. — Cap. Quod translat. De off. Leg. in Tertia Collect. — Vide supra cap. 26. §. 7. — Cap. Inter corporalia. De translat. Episc. & in Regesto Innoc. III. lib. 1. epist. 535.]

Cap. Nisi specialis. de off. Leg. in Tertia collect.

cium Siciliæ Legatum creasset. *Nisi specialis illa dilectio*, inquit, *quam ad personam tuam habuimus & habemus, justum immo justissimum motum nostri animi temperaret, pœna docente cognosceres, quantum in personam * tuam excesseris, quantum in Romanam Ecclesiam deliqueris matrem tuam; quæ cum te nutriverit & exaltaverit, tu eam penitus sprevisse videris. Tu autem spretis canonicis sanctionibus & consuetudine generali, motu proprio præsumpsisti, quod nec factum fuit, nec auditum, venerabilem fratrem nostrum Trojanum Episcopum regni Siciliæ Cancellarium præter speciale mandatum nostrum de Trojana Ecclesia ad Panormitanam de facto, quia de jure non potuisti, transferre*. Sed altius penetravit dolor Innocentii, cum temperamentum a se allatum in hac causa contemptum vidit a Gualtero per summam audaciam. Tum puto, Innocentium ex intimo cordis sensu pœnituisse concessæ Cencio legationis, cum obsisti sibi videret in re magni momenti.

* Nostram.

V. de Odor. Raynald. ad anno 1200. §. 5.

Odor. Raynald. an. 1233. §. 41. & seqq.

VI. Anno MCCXXXIII. cum quædam fœdissima hæresis suborta esset in Germania, Gregorius IX. ei abolendæ intentus Episcopis quibusdam illarum partium, tum etiam Magistro Conrado Marpurgico, viro eloquentiæ sacræ laude insigni, qui sanctæ Elizabeth Hungarorum Reginæ a confessionibus fuerat, injunxit, uti teterrimam illam luem conscriptis quamprimum crucesignatis præfocarent. Hæc tantum Gregorius. At Conradus, ut erat homo haud dubie fervidus, ferro flammaque grassandum putavit. Quos enim semel suspicatus erat hæresi illa imbutos esse, tametsi innocentes essent, seque hæreticos non esse palam & aperte contestarentur, flammis addici jubebat, nisi faterentur se reos esse. *Nam & propter veras hæreses*, inquit Godefridus monachus sancti Pantaleonis ad Coloniam, *& propter fictas, multi nobiles & ignobiles, clerici, monachi, inclusæ, burgenses, rustici, a quodam fratre Conrado ignis supplicio per diversa Teutoniæ loca (si fas est dici) nimis præcipiti sententia sunt addicti. Nam eodem die, quo quis accusatus est, seu juste seu injuste, nullius appellationis, nullius defensionis refugio proficiente est damnatus & flammis crudeliter injectus*.

VII. Extat in Chronicon Alberici monachi Trium fontium epistola Archiepiscopi Moguntini & fratris Bernardi Dominicani, qui fuerat olim Pœnitentiarius Papæ, ad Gregorium IX. in qua describuntur, quæ per eundem Conradum sæve ac crudeliter gesta tum in Germania fuere. Inter cætera vero ista dicunt, quæ optime congruunt cum narratione Godefridi: *Et horum accusatio paulatim cœpit ascendere a rusticis ad burgenses honorabiles & eorum uxores, inde ad castellanos & nobiles, in fine ad Comites prope & longe positos. Et Magister nulli quantumvis altæ personæ locum dedit legitimæ defensionis, nec etiam confiteri proprio sacerdoti; sed accusatum oportuit confiteri, se hæreticum esse, buffonem, cattum, callidum virum, & hujusmodi monstra diffidentiæ pacis in osculo salutasse. Taliter quidam catholici abjudicati maluerunt innocenter cremari & salvari, quam mentiri de crimine turpissimo, cujus non erant conscii, & supplicium promereri. Quibus ipse Magister martyrium promittebat. Alii infirmi potius elegerunt mentiri, quam comburi*. Et infra: *Et facta est confusio a sæculis inaudita. Ego Archiepiscopus Magistrum Conradum primo solus, postea cum duobus Archiepiscopis Coloniensi & Treverensi, monui, ut moderatius & discretius in tanto negotio se gereret. Qui non acquievit; sed tandem contra nostram monitionem crucem publicè prædicavit Moguntiæ. Quo viso, quidam ex illis interfecerunt eum prope Marburch*. Eadem & pejora narrat Trithemius in Chronico Spontheimensi. Cum vero Conradus postea occisus esset, *ex hinc*, inquiunt gesta Treberorum MS. in bibliotheca regia, *procellosa illa persecutio cessavit, & periculosissima tempora, quibus a diebus Constantii Imperatoris hæretici & Juliani apostatæ nulla alia fuere similia, sereniori cœperunt spirare clementia*. Addit post ista Albericus: *Quid ad hæc Dominus Papa rescripserit nondum scimus; nisi quod pœnitet eum satis, quod tantam dicto Magistro Conrado potestatem permiserit, unde talis confusio emersit*.

VIII. Misit idem Gregorius an. MCCXXXVII. in Angliam Legatum Ottonem Diaconum Cardinalem tituli sancti Nicolai in carcere Tulliano. Cum vero is multa insolenter ageret & Anglorum animos fiducia legationis exulcerasset, Gregorius, qui jam tum intelligebat, quantum invidiæ Romanæ sedi ex his pessimis Legati facinoribus creabatur, facti pœnitens, eum revocavit. Narrat ista Matthæus Parisius his verbis: *Eodem tempore Dominus Papa & tota Curia Romana audiens tot tumultus in Anglia fuisse subortos pro alienigenarum multitudine, quam Rex inconsulte vocaverat, & pro adventu Legati in Angliam, quem similiter in depauperationem suorum in Angliam attraxerat, multosque contra ipsum commoveri, sub magna eundem Legatum festinatione revocando, rigorem ejus temperavit*.

Matth. Paris. p. 405. edit. Tigur.

IX. Scilicet proprium humani ingenii est ambitione labi & persæpe homines omnia honesta negligunt, ut Cicero ait, dummodo potentiam consequantur eamque ostentare possint, facili descensu a recto potestatis usu ad abusum. Anno MCCCCLVII. Callistus Papa III. Paulum Archiepiscopum Craiensem extraordinaria potestate instructum misit in Albaniam & Serviam ad promulgandam sacram militiam adversus Turcas. Quibus ille rebus inflatus & elatus, ac pristini status sui parum memor, crucem erectam ante se deferri fecit per illas regiones, & se omni papali potestate instructum esse asserens Romanum iter, ac si inutile, prohibebat iis, qui ad summum Pontificem proficisci volebant, ac præterea, quod pejus est, publice prædicabat, fidem Græcorum nostra veriorem esse & eorum ritum Romanæ Ecclesiæ ritui prævalere. Commoverunt ista facinora bilem Callisti, qui propterea justissime decrevit uti, si ea vera essent, huic Archiepiscopo condigna deinde ignominia afficiendo & pœna castigando adimeretur potestas, qua abutebatur.

Odor. Raynald. an. 1457. §. 29.

CAPUT LIV.

Probatur, Pontifices nonnunquam parasitos suos hunc in finem in provincias misisse, ut divitias ingentes corraderent.

SYNOPSIS.

I. Romani Pontifices interdum, ut caris suis gratificarentur, occasionemque darent opum brevi compendio parandarum, legatione illos sua ornabant. Probatur ex Ivone Carnotensi.

II. Probatur etiam ex epistola Leodiensium adversus Paschalem II. qui scribunt, Legatos a latere Romani Pontificis exeuntes ad ditanda marsupia discurrere.

III. Apertius adversus corruptelam illam declamat sanctus Bernardus, qui salutem populi Legatis viluisse scribit præ auro Hispaniæ. Adnotat Baronius, ista scripta esse a sancto Bernardo adversus frequentiam legationum.

IV. Si quid mali suspicari liceret de moribus Innocentii III. pronum esset affirmare, non ob aliud eum misisse in Angliam Joannem Ferentinum, quam ut ei daret occasionem ditescendi. Quippe is Angliam perlustravit tantum, ac statim abiit cum magna pecuniæ summa, quam vi & auctoritate legationis corrogaverat.

V. Conradus Episcopus Portuensis in Galliam missus ab Honorio III. necesse habuit, pignori in sumptus legationis tradere ornamenta sua. Verum spes erat, illum ex legatione reportaturum, unde solvendo esset, illis quibus oppignoratæ res erant.

VI. Nebulo quidam, Legatum apostolicæ sedis agens

agens in Dania ad divitias ex scelere atque ementita dignitate comparandas, in carcerem conjicitur ab Archiepiscopo Lundensi.

I. APerta semel janua divitiarum comparandarum per Legationes, Romani Pontifices, ut caris suis gratificarentur, legatione illos sua ornabant, sicque instructos ad provincias mittebant opulentas & ad obsequium inclinatas. Quo fiebat, ut, qui pauperes & inopes accedebant ad provincias, repente divites facti, eas statim deponerent; adeo, ut non ob aliud venisse viderentur, ut innuit Ivo Carnotensis, quam ut provinciam raptarent sub umbra legationis. Hæc sunt ejus verba ad Paschalem secundum summum Pontificem:
Ivo epist. 109. *Cum enim a latere vestro mittitis ad nos Cardinales vestros tanquam filios uterinos, quia in transitu apud nos sunt, non tantum non possunt curanda curare, sed nec curanda prospicere. Inde est, quod multi præpositorum facta gladio linguæ ferire cupientes dicunt, sedem apostolicam non subditorum quærere sanitatem, sed suam aut lateralium suorum quærere commoditatem.*

II. Vulgatissimam per ea tempora fuisse querelam illam, colligitur ex epistola Leodiensium adversus Paschalem secundum, a quo fuerant excommunicati. Scribentes ergo apologiam, reddentesque fidei suæ rationem, ita de Legatis scribunt: *Illos vero Legatos a latere Romani Episcopi exeuntes & ad nos ditanda marsupia discurrentes omnino refutamus, sicut temporibus Zosimi, Cælestini, Bonifacii Concilia Africana probaverunt.*

III. Apertius adversus illam corruptelam declamat sanctus Bernardus ad Eugenium III. scribens, satis innuens, Legatos apostolicæ sedis ad ditanda tantum marsupia discurrere, neque ullo in loco diu consistere, nisi quanto tempore opus est ad colligendas pecunias. *Vestri*, inquit, *qui terram austri tam sæpe visitant, ecce hi sciunt, & possunt dicere tibi. Eunt & redeunt per medium illorum, aut transeunt secus. Sed quid boni adhuc cum illis egerint, necdum audivimus. Et forsitan audissemus, nisi præ auro Hispaniæ salus populi viluisset.* Recte autem adnotat illustrissimus Cardinalis Baronius, sanctum Bernardum heic deplorare frequentes legationes, quæ sine fructu erant & lucri tantummodo causa susceptæ.

S. Bernard. l. 3. de consider. c. 1.

Baron. ad anno 1152. §. 1.

IV. Scio, Innocentium III. nihil pro sua prudentia egisse, unde colligi posset apertus bonæ disciplinæ contemtus, cunctaque, quæ ab eo acta sunt, ordinata fuisse, saltem in speciem, secundum regulas antiqui juris. Deinde magnitudo animi istius Pontificis non sinit, ut quicquam sordidum ab illo patrari potuisse suspicemur. Quod nisi notæ essent ingentes hominis virtutes, facile cuivis esset suspicari, non ob aliud eum misisse in Angliam Joannem Ferentinum, quam ut occasionem ei daret opum brevi compendio parandarum. Nam ille non aliter provinciam lustravit, quam solent prædones & raptores, nihil omittens, ut brevi ad maximas opes venire posset, dein cito abiit cum amplissima præda, parum aut nihil sollicitus de statu Ecclesiarum Britannicarum. Quippe Angliam tantum perlustravit, ut ait Matthæus Parisius, non visitavit, non correxit, non emendavit; sed, quod erat præcipuum in ea legatione, *magnam pecuniæ summam congessit, & sarcinulis cum magna cautela dispositis & prudenter commendatis, festinus viator ad mare perveniens, Angliam a tergo salutavit.*

Vide supra cap. 50. §. 3.

V. Anno MCCXX. Honorius III. Legatum in Galliam adversus Albigenses misit Conradum Episcopum Portuensem, qui Cistercienfis Abbas fuerat, virum certe sanctissimum, sed pauperem, justitiæ tenacem, munerum contemptorem, ut testatur chronicon Montis-sereni, & cui ea auctoritas oneri esse poterat ob eam causam. Sed pontifex putabat hauddubie, se satis illi divitiarum dedisse cum auctoritate Legati industriam suam exereret. Itaque ingressus provinciam Narbonensem necesse habuit pecuniam mutuari in sumptus legationis, adeoque ornamenta varia in pignus tradere. Testatur illud ipse Conradus in epistolis tum scriptis ad Capitulum Narbonense, quas olim descripsimus ex archivo ejusdem Ecclesiæ.

Vide Thom. Cantiprat. lib. 1. c. 9.

Conradus miseratione divina Portuensis & sanctæ Rufinæ Episcopus, apostolicæ sedis Legatus, universitati & singulis Capituli Narbonensis dilectissimis sibi in Christo salutem in Christo Jesu. Fatemur, quia ad multa vobis tenemur anteriora, & eo specialius, quo veri crucifixi imitatores adhæsistis fixius crucifixo. Tenemur etiam vobis in centum quinquaginta libris Melgoriensibus; pro quibus volumus & mandamus vobis, quatenus coronæ & aliis apud vos a nobis depositis tanquam pignori incumbatis, donec satisfecerimus vobis de pecunia memorata, honori autem & utilitati vestrum omnium & singulorum secundum Deum nos inveneritis paratos. Datum Trecis XVIII. Kalendas Septembris.

Conradus miseratione divina Portuensis & sanctæ Rufinæ Episcopus, apostolicæ sedis Legatus, venerabilibus viris & dilectis sibi in Christo Capitulo Narbonensi salutem in Christo Jesu. Mandamus vobis, quatenus pro tribus millibus solidorum Melgoriensium, in quibus vobis tenemur, in pignore teneatis coronam auream & cruces & alium thesaurum, quem nos vobis meminimus commisisse, donec vobis ad plenum satisfecerimus de eisdem. Datum Cabilone anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo tertio Kal. Septembris.

VI. Claudamus caput istud magno exemplo, falso quidem, sed ex quo colligi potest, maximam animis mortalium infixam fuisse tum reverentiam erga Legatos apostolicæ sedis, persuasos autem fuisse ævi illius homines pecunias maximas iis deberi, qui legatione Romana ornati erant, quicunque tandem illi essent, licere porro Pontificibus Legatos mittere absque causa, tantum, ut magnam auri argentique vim congererent. Alioqui non tolerassent hominem inutilem, & qui sanguinem humanum crudeliter exsugeret. Rem gestam narrat Odoricus Raynaldus his omnino verbis: *Projecta adeo cujusdam impostoris fuerat audacia, ut Episcopi ac Legati apostolici personam indueret ad divitias ex scelere atque ementita dignitate comparandas; cumque vinculis mancipatus fuisset, Lundensis Archiepiscopus, qui apostolicæ legationis munere fungebatur, ea de re Pontificem consuluit; qui omnia pseudoepiscopi gesta rescindi decrevit, illumque perpetuæ custodiæ traditum doloris pane, ut ait, & angustiæ aqua sustentari jussit.* Extat illa Innocentii III. epistola in libro XVI. regestorum ejus epist. X. Consuevisse interdum nonnullos se pro Legatis Romani Pontificis gerere, haud dubie, ut pecuniam raperent, patet etiam ex Petro Cellensi lib. IV. epist. IV.

Odor. Raynal. ad an. 1213. §. 10.

CAPUT LV.

Exempla nonnulla Legatorum afferuntur, qui munera spreverunt, & absque omni pompa & luxu incesserunt.

SYNOPSIS.

I. Ex his, quæ huc usque dicta sunt de avaritia ac turpitudine quorundam Legatorum, præjudicandum non est adversus omne Legatorum genus. Non enim adeo steriles fuerunt ætates, quin plurima bona exempla protulerint.

II. Legatorum sane animi patebant utplurimum muneribus. Itaque statim ac adveniebant in provinciam, muneribus honestabantur a provincialibus. Effusio Anglorum in Ottonem Legatum. Sed is tamen munera sibi oblata magna ex parte respuit, contra consuetudinem Romanorum.

III. Nimirum hic est lapis scandali, in quem impingere solebant Legati. Episcopi Gallicani in palatio Vernensi congregati, ac si Legatorum a latere

latere nomen fatale esset, Carolum Calvum orant, ut Legatis, quos a latere suo mitteret in provincias, prohiberet, ne munerum acceptores essent. Gladius conditur, ubi aurum suscipitur, ex Cassiodoro.

IV. Itaque magnam haud dubie laudem merebantur Legati, qui munera repellebant. Fuere viri ea fortitudine præditi. Arsenius Episcopus Hortensis excussit manus suas ab omni munere, ut tradit Adventius Episcopus Metensis.

V. Petrus Damiani Mediolanum missus a Nicolao II. indignationem cleri in se concitavit, quia primum locum in synodo tenuit, super Archiepiscopum Mediolanensem & Episcopum Lucensem. Per eas tempestates Ecclesia Mediolanensis contendebat, se esse liberam, adeoque non debere Romanis legibus subjacere.

VI. Is exemplo suo docuit Legatos, non debere accipere munera. Ministrorum Romanæ Ecclesiæ mos tum erat, nihil prorsus accipere ab his, quorum negotium pendebat, non tamen omnium, sed illorum duntaxat, qui meliuscule se ab aviditate custodiebant.

VII. Cono Prænestinus Episcopus ab Hildeberto laudatur, quod integer esset inter munera. Admonet deinde illum, ut in proposito perseveret, neque se muneribus præstet obnoxium.

VIII. Sanctus Bernardus summis laudibus effert Gaufridum Episcopum Carnotensem, qui omne munus cum summa animi fortitudine respuens, legationem Aquitaniæ propriis sumptibus strenue administravit per plures annos. Poculenta tamen & esculenta suscepisse, sed hoc cum summa frugalitate, docet Joannes Saresberiensis.

IX. Martinus Cardinalis contra morem a legatione Daniæ rediens pauper equum, quo valde indigebat, ab Episcopo quodam sibi in itinere donatum statim ad eum remisit, ex quo intellexit, illum causam habere in curia Romana. Testis Joannes Saresberiensis. Testis etiam sanctus Bernardus.

X. Exclamat sanctus Bernardus in felicitatem istius exempli, aperte insinuans tanto magis æstimandum Martinum, quanto minus frequentia erant exempla istiusmodi. Deplorat deinde statum curiæ Romanæ illius temporis.

XI. Idem sanctus Bernardus valde laudat Joannem Paparonem Legatum Hyberniæ.

XII. Hubaldus Episcopus Ostiensis laudatur ab Hugone Falcando, quod nullis precibus adduci potuerit, ut causam quandam judicaret cum collega suo muneribus corrupto.

XIII. Admirabilem abstinentiam in Cardinale ejusdem nominis commendat sanctus Thomas Cantuariensis. Ex hac Romanæ Ecclesiæ sive curiæ mala consuetudine accipiendi aurum & argentum ait idem Thomas factum esse, ut flagella Dei gravia & toti mundo vix portabilia veniant super eam.

XIV. Henricus Abbas Clarevallensis commendat abstinentiam Petri Cardinalis tituli sancti Chrysogoni, quod quingentas marcas argenti strenue refutasset in una electione, ne sub obtentu muneris a tramite diverteret veritatis.

XV. Hubertus Archiepiscopus Cantuariensis & apostolicæ sedis Legatus nihil a quoquam exegit, nemini fuit onerosus occasione legationis. Hinc illi rara gloriandi fiducia.

XVI. Frater Raynerius multum laudatus de abstinentia sua a muneribus.

XVII. Item Joannes de sancto Paulo Cardinalis. Et Guido Episcopus Prænestinus.

XVIII. Item Nicolaus de Cusa Legatus in Germania. Quædam ejus opera inedita recensentur.

I. HActenus probra atque dedecora Legatorum vidimus, hactenus avaritiam & libidinem eorum executi sumus. Quod si quis illa legat, scio, illum prima fronte ex his præjudicaturum, omnes Legatos fuisse malos, avaros, ac pecuniarum avidos. Sed is istam opinionem deponat necesse est. Non adeo quippe generalis fuit ea pestilentia, quin aliqui evaserint, neque adeo virtutum steriles ætates, ut non & plurima bona exempla protulerint. Sanctis igitur & castis Legatis caput istud destinabitur, in quibus tanto major laus, quanto in malis plus culpæ est.

II. Principio fatendum est, Legatorum animos patuisse utplurimum muneribus; adeo, ut si qui interdum reperirentur paulo modestiores, licet munera respuerent, quædam tamen acciperent. Itaque quum primo Legati in provinciam veniebant, muneribus honestabantur a provincialibus. Usurpatum id sæpe, sed magno apparatu ab Anglis an. MCCXXXVII. erga Ottonem tituli sancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconum Cardinalem. Hæc sunt verba Matthæi Parisii: *Occurrerunt ei Episcopi & clerici famosi usque ad littus, & aliqui in naviculis navigando obviarunt ei, applaudentes & munera impreciabilia offerentes, imo etiam Parisiis in obviam ei obtulerunt telas escarleti & vasa pretiosa nuntii diversorum Episcoporum.* Quod si quis Legatus reperiebatur, qui munera nollet accipere, is tum valde laudabatur, quod contra consuetudinem Romanorum ea respueret, ut observat idem Parisius de eodem Ottone loquens. *Dominus autem Otto Legatus*, inquit, *de quo superius mentio facta est, prudenter ac modeste se gerens, munera pretiosissima sibi oblata in magna parte respuens contra consuetudinem Romanorum, indignationem in toto regno conceptam tam a clero quam militia citra opinionem multorum per gestum suum ordinatum temperavit.* Sane Alexander Nequam, cujus in illo tempore magna doctrinæ fama erat inter Anglos, summam istius Ottonis abstinentiam & ceteras multas virtutes laudat, in eum transferens ea, quæ sanctus Bernardus lib. 4. de consideratione cap. 6. scripsit de Legatis, ubi Eugenium III. instruit, quales illi esse debeant, quibus virtutibus ornati. *Hic est*, inquit, *qui Regibus exhibet se Joannem, Ægyptiis Moysen, fornicatoribus Phinees, Heliam idololatris, Helizeum avaris, Petrum mentientibus, Paulum blasphemantibus, negotiantibus Christum &c. qui Ecclesias non spoliat, sed emendat, qui marsupia non exhaurit, sed corda reficit &c.* ut apud Robertum Holkoth lectione 114. in librum sapientiæ Salomonis, ubi refert hoc fragmentum ex Alexandro Nequam.

III. Nimirum hic est lapis scandali, in quem impingere solebant Legati. Unde factum, ut Episcopi Gallicani in palatio Vernensi congregati an. DCCCXLIV. ac si Legatorum a latere nomen fatale esset, Carolum Calvum Regem oraverint, ut Legatos a latere suo mitteret in provincias, qui delicta Episcoporum coercerent, canonesque juberent observari, & ut Legatis istis præciperetur, ut in obeundo munere suo, *absque respectu personarum & excæcatione munerum*, castos se videlicet atque abstinentes & integros præstarent. Sciebant enim sapientissimi viri, verissimam esse illam Theodorici Regis Italiæ sententiam, gladium condi, ubi aurum suscipitur. Nam Theodoricus eum, cui dignitatem Comitivæ provinciæ tribuebat, quæ dignitas proxime accedit ad potestatem & auctoritatem Legatorum, monet, ne muneribus se præstet obnoxium. *Nemo redemptionibus tuum velle deflectat. Gladius conditur, ubi aurum suscipitur. Tu te inermem reddis, si a virili animo cupiditate recesseris.*

Concil. Vern. cap. 2.

Cassiodor. lib. 7. Var. c. 1.

IV. Cum itaque malum illud fato quodam commune fuerit in Legatis, uti supra observavimus ex Joanne Saresberiensi, magnam hauddubie laudem merebantur, qui eo veneno non inficiebantur, seu, qui ea magnitudine animi præditi erant, ea fortitudine, & ea constantia, ut munera omnino repellerent. Rarum illud fuit, fateor. Fuere tamen, qui munera respuerent & in explicanda auctoritate sua solum Deum haberent præ oculis. Jam enim superius mentio facta est Arsenii Episcopi Hortensis, viri certe, qui sedis apostolicæ potestatem sibi mandatam non neglexit, sed qui tamen

Vide supra cap. 44. §. 10.

excussit

excussit manus suas ab omni munere, si vera sunt, uti vera esse puto, quæ de illo scripsit ad Nicolaum Papam Adventius Episcopus Metensis.

V. Nicolai secundi pontificatu, cum graves motus exorti fuissent in Ecclesia Mediolanensi, ad eosque componendos missus Legatus fuisset Petrus Damiani Episcopus Ostiensis, passus est contradictionem a clericis, qui ajebant, *non debere Ambrosianam Ecclesiam Romanis legibus subjacere, nullamque judicandi vel disponendi vim Romano Pontifici in illa sede competere*, nimis indignum esse, ut, quæ sub progenitoribus eorum semper exstiterat libera, ad confusionis eorum opprobrium nunc alteri foret Ecclesiæ subjecta. Auxit hanc indignationem ordo consessus in synodo servatus; cui præfuit Petrus Legatus, ad dexteram habens Anselmum Episcopum Lucensem, ad sinistram vero Guidonem Archiepiscopum Mediolanensem. Et tamen ista tentabantur ab homine sanctissimo & modestissimo, & qui ista agere ausus non esset, nisi ea fuisset seculi illius disciplina.

Apud Baron. ad an. 1059. §. 43. Vide etiam Joannem monachum in vita Petri Damiani c. 16.

VI. Ista præmittenda erant, ut veniremus ad narrationem magni exempli ab eo tum editi. Ea est auctoritas, cui contradici non possit. Rem quippe ad se pertinentem scripsit ipse Petrus Damiani in epistola ad Dominicum Loricatum ejusque fratres: *Dico vobis, quid mihi nuper acciderit. Mediolanensem urbem Domini Nicolai Papæ legatione functus adivi. Ibi dum essem, Abbas sancti Simpliciani vasculum mihi argenteum loco muneris misit. Quod dum oblatum repente vidissem, primo quidem aspernatus abhorrui, & cur ille mihi munus offerret subtiliter inquisivi. Suspicatus quippe sum, quod negotium fortassis haberet, atque ideo anticipando præveniens, muneribus occuparet. Mos quippe est apud nos, ministros videlicet apostolicæ sedis, ab his, quorum negotium pendet, nihil prorsus accipere, ab his autem, qui omnino quieti sunt, si dare voluerint, non abjicere. Et hæc regula non omnium nostrum, sed illorum duntaxat est, qui meliusculè se ab aviditate custodiunt. Quid plura? Convenitur ad commune colloquium, cur donum sit largitus inquiritur, utrum causam habeat sciscitatur.* Addit deinde Petrus, manifeste patuisse hoc munus ab Abbate datum esse amicitiæ tantum causa, multas porro contradictiones passum esse se in conscientia sua propter munus acceptum, denique temperamentum excogitasse, quo, cum alter recipere nollet datum, munus retineret, & cupiditatis suæ turpitudinem, ut loquitur vir sanctus, palliaret. Verum cum nec sic conquiesceret mens ejus, ex eremo, quo se receperat, rixam mentis suæ ultra non perferens, Abbati illi munus suum remittere studuit, certus, se contra sordes munerum jam cautius vigilaturum.

Pet. Damiani epist. 31. cap. 4.

VII. Sequens seculum plurima bona exempla protulit. Initium autem faciendum est a Conone Episcopo Prænestino, quem legatione apostolicæ sedis in Gallia ornatum fuisse ævo Callisti secundi constat. Laudat illum Hildebertus Archiepiscopus Turonensis ob ceteras quidem virtutes ejus, sed ob eam in primis causam, quod integer esset inter munera, id est, quod flecti se non sineret muneribus. Hæc sunt ejus verba ex epistola XLV. ad hunc Legatum data: *Zelum legis habes; quem tamen tibi cathedra non contulit, sed apud te invenit. Id ostendunt commissa tibi Ecclesiæ negotia, quæ pariter & inter minas intrepidus & integer inter munera sub capitis discrimine peregisti.* Admonet deinde illum, ut in proposito perseveret, neve se muneribus præstet obnoxium. *Perseveres oro*, inquit, *nec aliquando patiaris, ut illud purissimum bonæ conscientiæ tuæ argentum cujuslibet muneris scoria decoleret. Venturus est Sathanas ad te, qui tentet te, qui dicat; Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me. Sed, si bene novi te, sic responsurus es tentanti: Vade retro Sathana.* Hæc Hildebertus, satis innuens, raram fuisse abstinentiam illam in Legato sedis apostolicæ, existimans insuper ejus momenti ejusque periculi rem esse, ut non immerito admonendus esset Legatus, ne se munerum oblatione frangi sineret.

VIII. *Sed o mihi locum suavem*, inquit sanctus Bernardus, *ubi incidit occasio memorandi & nominandi suavissimi odoris virum, Episcopum loquor Carnotensem Gaufridum, qui legationem in partibus Aquitaniæ propriis sumptibus strenue administravit, idque annos plures. Rem loquor, quam vidi ipse. Eram cum eo in terra illa, cum a quodam Presbytero præsentatus illi est piscis, quem vulgo vocant sturgionem. Percunctatus Legatus, quanti venierit, Non accipio, inquit, nisi receperis pretium, & resignavit solidos quinque invito & verecundo. Item cum essemus in quodam oppido, domina illius oppidi obtulit ei pro devotione cum manutergio duas vel tres paropsides pulchras, ligneas tamen: quas aliquamdiu intuens homo scrupulosæ conscientiæ, laudavit eas, sed non acquievit accipere. Quando argenteas recepisset, qui ligneas refutavit?* Perstringit ista Joannes Saresberiensis, auctore usus sancto Bernardo, his verbis: *Taceo, quod venerabilis pater Gaufridus Carnotensis Legatus Aquitaniæ provincialium munera non recepit nisi in causa esculenti & poculenti, & hoc cum summa frugalitate, sed omnia, quæ in xeniorum ratione offerebantur, ut stercora contemnebat. Testatur sanctus Clarevallensis, quod piscem, quem vulgo sturgonem dicunt a devoto quodam legationis suæ clerico gratis accipere noluit, nec ante acquievit offerentis improbitati, quam ei pro admisso pretium numeraret.* Fuit autem Gaufridus Legatus in Aquitania sub Innocentio II. ut supra vidimus.

S. Bernard. l. 4. de consider. c. 5.

Joan. Saresb. l. 5. policrat. c. 15.

Vide supra cap. 46. §. 11.

IX. Ejusdem Innocentii ætas protulit alium virum memorabilem, dignumque habitum, cui idem sanctus Bernardus elogium poneret. Fuit is Martinus Presbyter Cardinalis apostolicæ sedis legatione functus in Dania primis Innocentii pontificatus annis; unde reversus est in Italiam an. MCXXXIV. quo tempore Pisanum Concilium celebrabatur. Meminit istius viri Joannes Saresberiensis in loco paulo ante laudato his verbis: *Quid referam Martinum, qui contra morem a legatione rediens pauper, cum ab Episcopo Florentino equum socio necessarium magna compulsus instantia accepisset, eundem restituit donatori, ex quo eum ab initio dati muneris causam in Romana curia ventilandam habuisse cognovit.* Sed audiamus sanctum Bernardum. *Dignum nunc*, inquit, *ad medium venire factum dulcis memoriæ Martini nostri. Nosti hoc; sed an memineris, ignoro. Is Cardinalis Presbyter, functus aliquando legatione in Dacia, tam pauper remeavit, ut pene expensis & equis deficientibus, vix perveniret Florentiam. Ibi Episcopus loci donavit ei equum, quo Pisas usque, ubi eramus tunc, pervectus est. Postridie credo secutus Episcopus, (erat enim illi causa cum adversario, & agendi aderat dies) cœpit requirere suffragia amicorum. Cumque per singulos sollicitarentur, ventum est ad Martinum. Fiducia erat major in illo, qui non posset immemor esse recentis beneficii. Tum Martinus, Decepisti me, inquit, nesciebam tibi imminere negotium. Tolle equum tuum; ecce in stabulo est. Et hora eadem resignavit illi.*

Baron. ad an. 1134. §. 1.

X. Exclamat hoc loco sanctus Bernardus in felicitatem istius exempli, Eugenio tertio, ad quem ista scribuntur, aperte insinuans tanto magis æstimandum Martinum, quanto minus frequentia erant exempla istiusmodi. *Quid dicis, mi Eugeni? Nonne alterius seculi res est rediisse Legatum de terra auri, sine auro, transiisse per terram argenti & argentum nescisse, donum insuper, quod poterat esse suspectum, illico rejecisse?* Et paulo post, cum retulisset historiam sturgionis repudiati a Gaufrido Episcopo Carnotensi, rursum exclamat: *O si talium daretur virorum copia, quales perstrinximus nunc? Quid te felicius, quid illo jucundius seculo? Nonne secunda ab æternitate illorum tibi temporum beatitudo videretur, cum te quaquaversum procedens stipatum videres tam inclyto agmine beatorum?* Deplorat deinde statum curiæ Romanæ illius temporis. *Et nunc*, inquit, *reduc oculos, mi Eugeni, ad eum, qui nunc*

est, curiæ sive Ecclesiæ statum & studia Prælatorum, eorum præsertim, qui sunt in circuitu tuo.

XI. Idem sanctus Bernardus alibi impense laudat alium virum sanctissimum, Joannem videlicet Paparonem, quem Eugenius III. Legatum in Hyberniam misit anno MCLI. ut in eam insulam quatuor deferret Pallia, quorum usus illic hactenus non fuerat, adeoque Malachias Archiepiscopus illius insulæ non habuerat plenitudinem potestatis. Non est hujus loci differere de his, quæ gesta ab eo sunt in illa legatione. Sufficit ostendisse mores ejus fuisse inculpatos longeque diversos a Jordano Legato, quem idem Eugenius in Germaniam miserat. Quippe sanctus Bernardus, cum enarrasset fœda & horrenda facinora ac sacrilegia Jordani, de quibus supra dictum est, flectit deinde ad Joannem Paparonem, quem laudat ob dissimilitudinem morum. *Non sic Dominus Joannes Paparonus*, inquit, *non sic, cujus laus est in Ecclesia, quippe honorificantis ubique ministerium suum.*

Baron. ad anno 1151. §. 6. Vide Joannem Hagustald. in continuat. hist. Simeonis Dunelm. p. 279.

Vide supra cap. 45. §. 4.

S. Bernard. epist. 290.

XII. Inter hæc temporum mala nonnulli reperiebantur, ut vides, viri sancti, qui ministerium suum honorificabant, ut loquitur sanctus Bernardus, & neque muneribus neque gratia sinebant mores suos corrumpi. Jam antea locuti sumus de Joanne Neapolitano Cardinale, quem una cum Episcopo Ostiensi Alexander III. in Sicilia Legatum constituit. Et is quidem amore pecuniæ fecit, quicquid ab eo petebatur, nullam occasionem prætermittens congerendarum divitiarum, adeo, ut causam injustissimam in se susceperit lucri causa. *Episcopus autem Hostiensis*, inquit Hugo Falcandus, *vir honestatis non indubiæ, cum socium suum vidisset muneribus & gratia esse corruptum, eoque ipso recte judicandi libertatem sublatam, nullis precibus adduci potuit, ut eorum vellet judiciis interesse.* Erat is Humbaldus Episcopus Ostiensis.

Vide supra cap. 49. §. 7.

Hugo Falcand. in hist. Sicil. p. 127.

XIII. Admirabilem abstinentiam in Cardinale ejusdem nominis valde laudat sanctus Thomas Cantuariensis. Miserat Henricus secundus Anglorum Rex ad curiam Romanam *nonnullas auri libras*, ut Baronius ait, *erogandas in Cardinales*, ut eos sibi propitios habere posset adversus sanctum Thomam. Victa est curia Romana. Fuere tamen aliqui, & inter hos Humbaldus, qui Regis aurum contemnerent. Laudat illum, ut dixi, ob eam ipsam causam idem sanctus Thomas ad eum scribens his verbis: *Non abiistis post aurum, quo nuper ad læsionem nostram & apostolicæ sedis confusionem capti sunt quidam; quorum patrocinio receptis literis apostolicis, quas lectitari facit in utriusque regni compitis Rex Anglorum, se de Romana Ecclesia gloriatus est triumphasse.* Ex hac Romanæ Ecclesiæ sive curiæ mala consuetudine factum ait idem Thomas, ut flagella Dei gravia & toti mundo vix portabilia veniant super eam.

Baron. ad ann. 1167. §. 93.

Apud Baron. ibid. §. 94.

Ib. ad an. 1170. §. 32. Vide Joannem Saresb. ep. 222.

XIV. Anno MCLXXVIII. missus in Gallias est Petrus Presbyter Cardinalis tituli sancti Chrysogoni. Occasio mittendi Legati fuit recens oborta hæresis in pago Tolosano. Laudat illius abstinentiam Henricus Abbas Clarevallensis in epistola ad Alexandrum III. summum Pontificem, ei gratulans, quod talem virum assumpsisset in partem sollicitudinis apostolicæ. *Habetis in partibus Gallicanis*, inquit, *virum, sicut experti sumus, justitiæ & veritatis amicum, Dominum P. tituli sancti Chrysogoni Cardinalem, qui in una sola electione me teste quingentas marcas argenti strenue refutavit, ne sub obtentu muneris a tramite diverteret veritatis. In eo plurimæ consolationis hausto remedio Deum glorificamus, & patrem in eo magnificamus & vos, videntes, quod illustrium dignitatum gratia, quæ de vestræ plenitudinis fonte procedit, in tales confluit ex apostolica discretione personas, quæ per vitæ meritum fastigia illustrare comprobentur honorum. Hinc vobis materia gaudii, hinc Ecclesiæ Dei solatii fomes exoritur, quod tales assumitis in partem sollicitudinis, qui honorent in vobis plenitudinem potestatis. Probat iste, quem diximus, vestrum in se non errasse judicium.*

Vide Baron. ad an. 1178. §. 22.

Vide epistolam Alexandri III. To. IV. Duchesnii p. 563.

XV. Anno denique MCXCVI. omnes Ecclesiæ conventuales in Eboracensi provincia constitutæ ad Cælestinum III. Pontificem Romanum scribentes hoc testimonium perhibuerunt Huberto Archiepiscopo Cantuariensi & apostolicæ sedis Legato; *Cum apud nos visitationem suam exerceret, vices apostolicas diligenter executus fuit, agrum dominicum fructuosum in messis abundantiam excoluit, nihil nobis moleste intulit, nihil a nobis exegit, sed in omnibus verbis & operibus modeste se habuit, in nullo onerosus nobis existens.* Ista scribi ad summum Pontificem optaverat Hubertus, ut probaret, bene se usum auctoritate Legati & provincialibus gravem non fuisse. Sic enim scripserat ad Capitulum Eboracense & ad reliqua Capitula, Abbates & Priores; *Cum his etiam volumus Romanæ sedi certius a singulis designari, quantum nobis in causa procurationis impenderint, vel quatenus eis occasione legationis fuerimus onerosi. Quod ideo sub hac forma fieri mandamus, quia sicut de securitate nostra confidentes rei hujus fidele testimonium formidare non possumus, sic nec poteritis, quæ vobis super articulis memoratis constiterint, salva honestatis conscientia subticere.*

Apud Radulfum de Diceto p. 694.

XVI. Haud ita multo post, cum Rex Legionis filiam Regis Castellæ, neptem videlicet propriam, in matrimonium duxisset, Innocentius III. ob eam causam in Hispaniam anno MCXCVIII. legavit fratrem Raynerium cum amplissima potestate, ut patet ex variis ejusdem Innocentii epistolis. De rebus autem ab eo gestis in legatione illa scribens anno sequenti ad Archiepiscopum Compostellanum & ad Episcopos in regno Legionensi constitutos, eum ex eo inter alia commendat, quod manus suas excusserit ab omni munere. Præstat heic referre ipsa ejus verba: *Quod cum ad nostram notitiam pervenisset*, inquit, *dilectum filium fratrem Raynerium, virum scientia & religione pariter reverendum, Deo & hominibus obtentu scientiæ & honestatis acceptum, in Hispaniam duximus destinandum, ut juxta verbum propheticum dissolveret colligationes impietatis, solveret fasciculos deprimentes: qui per Dei gratiam ab omni munere manus excussit, ita ut, quod legitur de ipso, possit vere referri: Non fuit, qui ditaverit Abraham.* Describit ista auctor gestorum Innocentii III. iisdem omnino verbis, ut necesse non sit ea repetere.

Innoc. III. lib. 5. epist. 92. 93. 125.

Idem l. 2. ep. 75.

XVII. Anno MCCI. Joannes de sancto Paulo Presbyter Cardinalis tituli sanctæ Priscæ, qui exeunte anno superiore missus fuerat in Galliam, ut cognosceret de causa divortii inter Philippum Regem Francorum & uxorem ejus Ingeburgem, *adveniens mense Majo*, ut ait auctor auctarii Aquicinctini ad Sigebertum, *cum magno in Suessionensi urbe a Rege, Archiepiscopis & Episcopis excipitur gaudio. Cui oblata sunt munera a Rege. Sed ille justus manus suas excussit ab omni munere.* Sic enim legitur in vetustissimo codice MS. bibliothecæ regiæ. Erat ille monachus ordinis sancti Benedicti, ut scribit idem auctor. Eadem ferme tempestate Innocentius III. misit in Germaniam Legatum Guidonem Episcopum Prænestinum, ut Ottonis in Imperatorem electi partes foveret & adjuvaret adversus Philippum Suevum. Gloriatur autem Innocentius, quod a muneribus excusserit manus suas, & quod, licet necessitates nimias passus esset, noluerit esse cuiquam oneri, sed paucis contentus existens, paupertatem quasi divitias reputaverit.

Innoc. III. lib. 5. epist. 128.

Innoc. III. in registro de negot. imp. epist. 56. 109.

XVIII. Anno MCCCCLI. celebris ille Nicolaus de Cusa Cardinalis Presbyter tituli sancti Petri ad vincula missus est Legatus in Alemanniam, susceptus cum magna pompa, cum copiosa equitum multitudine, *ipse super mulum suum cum exiguo Romano comitatu humiliter insidens, cruce argentea a Domino Apostolico sibi data cum suo stipite deargentato semper præcedente, ad Ecclesiam processionaliter deductus, ibidem devote fuit susceptus.* Quis non miretur tantam modestiam, temperantiam, ac simplicitatem in Legato posteriorum temporum? Sed audi reliqua: *Ipse etiam ab omni munere manus*

M. Chron. Belgic. pag. 380.

Ibid. pag. 381.

nus suas puras servavit, quod tamen terræ magnates & alii divites copiose offerebant, esculentis & poculentis, sine quibus vita præsens transigi non potest, duntaxat exceptis. Vulgo, ut hoc quoque dicam, vocatur Nicolaus de Cusa. Sed ego vidi illum frequenter vocari de Cosa vel de Cosera in libro diurno Petri Bruneti de gestis Concilii Basileensis. Porro præter opera ejus edita habeo in veteri codice meo MS. replicam ejus invectivam in Nicolaum de Tudisco Abbatem Panormitanum propositam anno MCCCCXLII. in dieta Francoferdiensi, in qua Panormitanus tuitus erat auctoritatem Concilii Basileensis. In eodem codice extat defensio Eugenii IV. adversus idem Concilium, auctore eodem Nicolao.

CAPUT LVI.

De odio & fastidio erga Legatos communi, & introducta necessitate consensum regum in receptione eorum exquirendi.

SYNOPSIS.

I. Juvit Legatorum fortunam timor ex potestate eorum. Cuncta terrore complebant, ut colligitur ex Arnulpho Lexoviensi. Reges & Principes illis loco cedebant, eisque assurgebant. Cuncta negotia in se trahebant. Sed ex malis eorum facinoribus paulatim factum est, ut eorum nomen & auctoritas viluerit apud Francos & Romana Ecclesia vilis deinceps & contemptui habita sit. Hinc legationes in fastidium versæ.

II. Legati antiquitus nullam muneris sui partem attingere in Gallia poterant absque petitione aut expresso consensu Regis. Quod jus adeo competit Regibus, ut non solum nostri, sed etiam Angli & Scoti, illud summa cura retinuerint. Pro Regibus nostris illustris est locus Alexandri III. qui destinaverat legationem Galliæ tribuere Thomæ Archiepiscopo Cantuariensi, si consensus Regis & Episcoporum Galliæ accederet.

III. Jus illud evincitur etiam ex decretali Super gentes, *quæ docetur esse Bonifacii VIII. cum tamen in vulgatis editionibus tribuatur tantum Joanni XXII.*

IV. Referuntur verba illius constitutionis, quæ manifeste ostendunt, illam a Bonifacio conditam fuisse adversus Philippum Pulcrum. De actis in Concilio Basileensi.

V. VValterus Episcopus Albanensis in Angliam missus ab Urbano II. cum Rege VVillelmo conventionem fecit, ne Legatus Romanus ad Angliam mitteretur, nisi quem Rex præciperet. Ita visum expedire, ne qua vis inferretur consuetudinibus regni. Sub Paschali II. Anselmus Abbas Legatus in Angliam missus, nec Angliam intrare, nec ullo Legati officio fungi permissus a Rege est, ne antiquis Ecclesiæ Anglicanæ consuetudinibus præjudicium inferretur.

VI. Idem jus regium acriter retinuit Henricus primus Rex Anglorum, ut patet ex Eadmero, illud etiam a Callisto extorquens, ut Legatus in Angliam nullus a Pontifice mitteretur nisi quæpiam causa ita gravis incideret, quæ ab Episcopis regni definiri non posset.

VII. Idem Petrum Leonis prohibuit exequi officium Legati in Anglia, obtendens patrias consuetudines, quia regnum Angliæ liberum erat ab omni Legati ditione. Legati auctoritas, ut explicari posset, indigebat consensu Episcoporum, Abbatum, & procerum, ac totius regni.

VIII. Adnotanda est hoc loco prudentia Henrici: qui, ne Legatus auctoritatem suam explicaret in Anglia, prohibuit, ne ad Ecclesias aut monasteria regni accederet, neve aliunde victus ei suppeditaretur, quam ex publico. Quod factum specie honoris, Legati tamen potestatem infregit.

IX. Parem repulsam passus in Anglia fuerat Callistus secundus, cum adhuc esset Archiepiscopus Viennensis. Sic enim ei contradictum est, ut nullum Legati officium exercuerit. Itaque sicut venit, ita reversus est, ut Eadmerus ait.

X. Hugutio in Angliam missus ab Alexandro III. susceptus quidem est, ut Legatus, sed quia eum mitti postulaverat Henricus II. Rex.

XI. Cum Vivianus ab eodem Alexandro missus esset in Scotiam, quo pergere destinaverat per Angliam, non ante permissus est progredi quam jurasset, quod nihil præsumeret de potestate Legati contra voluntatem Regis Angliæ. Et sic data est ei licentia transeundi usque in Scotiam.

XII. Anno 1245. inter gravamina nomine totius regni Angliæ proposita in Concilio Lugdunensi, etiam illud additum est, Legatum in Angliam venisse sine Domini Regis licentia, quod erat contra privilegium Regis. Innocentius IV. postulata Anglorum elusit rarissima moderatione.

XIII. Ob eandem causam magnates Angliæ anno 1264. noluerunt recipere Guidonem Episcopum Sabinensem.

I. JUvit Legatorum fortunam timor ex potestate eorum: quia cum in provincias venirent cum summa & amplissima auctoritate, quæ, ut supra diximus, major erat, quam ut obsisti ei posset, cuncta terrore complebant. Testatur istud Arnulphus Episcopus Lexoviensis in epistola XXIII. ad Cardinales Romanæ Ecclesiæ: in qua laudans Legatos quosdam, ait, in eis tantam refulgere apostolicæ sanctitatis & doctrinæ perfectionem, *ut eis plus gratiæ merita contrahant, quam terroris reverentia disciplinæ.* Quis enim, quantumvis sui securus, non timeret, cum intelligeret, omnia provinciarum negotia in arbitrio Legati posita esse, eam porro esse dignitatem ejus, ut ei Reges & Principes loco cederent, ei assurgerent? Quis Episcoporum, etiam de sanctitate morum suorum præsumens, ea securitate instructus esse poterat, ut non timeret hominem, qui fiducia legationis eos propria auctoritate suspensurus erat, si id animo collubitum esset suo, a ministerio & officio eorum, tum etiam a gradu episcopali dejiceret, si res ita ferret? Præterea electiones Episcoporum pendebant ab auctoritate Legatorum. Quod quantum conferret ad conciliandam illis populorum reverentiam, nemo est, opinor, qui non intelligat. Ista cum sint notissima, & maxima ex parte jam explicata sint in superioribus capitibus, necesse non est ea persequi. Satis erit observasse tot Legatorum pessimis facinoribus, quæ huc usque narrata sunt, factum esse, ut paulatim eorum nomen & auctoritas viluerit apud Francos, ut observat Joannes Saresberiensis, & Romana Ecclesia vilis deinceps & contemptui habita sit, ut ad Alexandrum III. scribit P. Decanus sancti Aniani Aurelianensis. Hinc legationes in fastidium versæ, ut adnotabit infra illustrissimus Archiepiscopus, desuetudine postea pauciores extiterunt, Legatique ultimis temporibus missi non sunt, nisi raro & propter causas magni momenti. Reliquum est, ut heic agamus de consensu Principum necessario Legatis, ut mitti possint, & ut exequi valeant ea, quæ mandata illis sunt a summis Pontificibus. Ampla sane & illustris materia, cui antiquitas suffragatur, & cui posteriorum temporum exempla multam lucem afferunt.

Joan. Saresb. epist. 252.

Apud Duchesn. T. IV. pag. 576. *Vide infra l. 6. cap. 30. §. 11. & seq.*

II. Primum omnium satis constat, Legatos nullam muneris sui functionem attingere antiquitus in Gallia potuisse, absque petitione aut expresso consensu Regis; ut patet ex epistolis sancti Gregorii & aliis multis testimoniis. Atque id jus adeo competit Regibus, ut non solum nostri, sed etiam Angli & Scoti, illud summa cura retinuerint. De nostris, cum res sit manifesta, & cum præterea illustrissimus Archiepiscopus bene multa de hoc argumento dixerit, nunc opus non est multa dicere. Sufficiet unicum Alexandri III. testimonium:

Vide infra l. 6. cap. 31. §. 2. 5.

S. Gregor. lib. 9. epist. 64. *Vnde Probat. Libert. Eccles. Gallic. cap. 23.*

nium: qui, cum legationem Gallicanæ Ecclesiæ committere cogitaret Thomæ Archiepiscopo Cantuariensi, ut tali ratione solaretur exulem ac peregrinum, ac fortassis etiam, ut eo pacto paupertatem ejus sublevaret, prius exploravit animum Ludovici Regis, non ante ei vices suas delegare ausus, quam certus esset de consensu Regis & Episcoporum Galliæ. Extat ea de re Alexandri epistola a Baronio edita; in qua hortans Regem Ludovicum, ut revocandæ inter Henricum Anglorum Regem & Thomam concordiæ studeat, demum illum admonet, destinasse se, si pax inter illos constitui non possit, legationem Gallicanam ei tribuere, modo consensus accedat regiæ majestatis, & modo istud fieri possit absque gravi scandalo personarum regni Gallici, id est, ut interpretatur Baronius, si id placeret Gallicanis Episcopis. Hæc sunt verba Alexandri: *Si autem, quod Deus avertat, convenire non possint, dummodo regiæ voluntati sederet & beneplacito tuo, nobis per omnem modum complaceret & gratum valde existeret & acceptum, quod si absque gravi scandalo personarum regni tui fieri posset, ut nos prænominatum Archiepiscopum specialis honoris prærogativa inter ceteros donaremus, & sibi vices nostras committeremus in illis partibus exequendas. Unde serenitatem tuam, quanta possumus prece, rogamus, ut, si pacem salva honestate sua & Ecclesiæ, quod omnimodis optaremus, habere non possit, nobis super his voluntatem tuam sub omni celeritate studeas intimare.* Consenserintne Ludovicus & Episcopi Gallicani, non liquet. Sed hinc colligi potest, non consensisse, quod non reperiamus, sanctum Thomam aliqua Legati auctoritate usum esse in Gallia.

Vide supra cap. 45. §. 6. apud Baron. ad anno 1168. §. 9.

III. Rursum jus illud Regum nostrorum, ut etiam ista addamus, evincitur ex decretali *Super gentes*, quam Bonifacius VIII. edidit adversus Philippum IV. Francorum Regem. Scio, eam in vulgatis Extravagantium communium editionibus tribui Joanni XXII. cui etiam tribuitur in veteri codice MS. bibliothecæ regiæ. Verum, præterquam, quod eadem in illo ipso codice regio descripta est, etiam sub nomine Bonifacii ante, quam ponatur sub nomine Joannis, a Bonifacio primum editam fuisse, ex eo manifeste probatur, quod in mandatis, quæ ab illo data sunt Joanni Presbytero Cardinali tituli sanctorum Marcellini & Petri, quæ edita sunt ab Odorico Raynaldo & a Petro Puteano in probationibus dissidii, quod fuit inter Bonifacium & Philippum IV. Francorum Regem, in mandatis, inquam, illis jubetur Legatus denuntiare & declarare eidem Regi, *quod Romanus Pontifex Legatos de latere & non de latere ac Nuntios libere mittere potest ad quævis imperia, regna, vel loca, prout vult, absque petitione cujuslibet vel consensu, usu vel consuetudine, contrariis nequaquam obstantibus.*

Oder. Raynald. ad anno 1303. §. 34.

Histoire du different de Boniface pag. 90.

IV. Hic locus evincit, constitutionem illam editam a Bonifacio fuisse, ut Philippum consiliis & potestati suæ resistentem opprimeret ista auctoritate. Nam in constitutione illa sic prorsus legitur: *Verum cum aliqui hujusmodi officium & potestatem ipsius Romani Pontificis, quam non ab homine sed a Deo recepit, sub suo arbitrio redigere molientes, Legatos ipsos, nisi ab eis petiti fuerint, vel de beneplacito eorum transmissi, subjectas sibi terras, dicentes, hoc eis de consuetudine competere, ingredi non permittunt, nos hujusmodi consuetudinem non tam irrationabilem, quam iniquam animarum saluti contrariam, detrahentemque apostolicæ potestati, auctoritate apostolica penitus reprobantes, Legatos ipsos ab omnibus, cujuscunque præeminentiæ, conditionis, aut status fuerint, debere admitti decernimus, nec eos prætextu cujusvis consuetudinis impediri posse a quoquam Christiano nomine gloriante, quo minus regna, provincias & terras quaslibet, ad quæ ipsos destinari contigerit, ingrediantur libere, ac commissæ sibi legationis officium exerceant in eisdem.* Excommunicat deinde eos, qui præsumerent impedire Legatos, eorumque regna & terras ecclesiastico suppo-nit interdicto, *quamdiu in hujusmodi contumacia duxerint persistendum.* Revocat autem omnia privilegia, quibus iidem uti vellent ad asserendum hoc suum jus, seu ex consuetudine descenderet, seu aliunde. Hæc vero a Pontifice iracundo scripta esse adversus Philippum Francorum Regem, satis, ut reor, manifestum est. An. MCCCCXXXIV. cum in Concilio Basileensi tractaretur de mittendo in Galliam Legato ad constituendam pacem inter Reges Franciæ & Angliæ, docet Petrus Bruneti sacri Concilii Notarius in libro diurno, quem tum scripsit de gestis istius Concilii ambassiatores Regis Franciæ asseruisse, *quod Rex habet privilegium a sede apostolica, quod nullus Legatus a latere debeat exercere officium legationis inconsulto Rege, protestantes de juribus & privilegiis Regis, sperant tamen, quod, si Rex requiratur, consentiet exercitio hujusmodi legationis.*

V. Primum exemplum in ista causa datum apud Anglos fuit ævo Urbani secundi. Missus tum in Angliam Walterus Episcopus Albanensis Willelmum Regem adiit, cuncta facturus, per quæ Regis animum sibi conciliare posset, etiam cum periculo propriæ famæ. Cum eo itaque, ut narrat Hugo Abbas Flaviniacensis, *conventionem fecit, ne Legatus Romanus ad Angliam mitteretur, nisi quem Rex præciperet.* Verba sunt manifesta, neque ullis ambagibus involuta. Et haud dubie illud a Legato exegerat Willelmus, ne antiqua consuetudo violaretur, qua receptum erat, ne quis alius in Anglia Legatus apostolicæ sedis esset, præter Archiepiscopum Cantuariensem. Extremis deinde Paschalis secundi temporibus, cum Anselmus Abbas a Romano Pontifice accepisset legationem Angliæ, trajicereque propterea vellet a Normannia in Angliam, *Rex Henricus*, inquit Eadmerus, *antiquis Ecclesiæ consuetudinibus præjudicium inferri non sustinens, illum ab ingressu Angliæ detinebat, & ei, utpote Nuntio beati Petri, largiter & officiose ministrari faciebat.* Narrat deinde Eadmerus, illum nec Angliam intrare nec aliquo Legati officio fungi dignum habitum esse, sicque inglorium abiisse.

Eadmer. lib. 2. p. 32.

Hugo Flavin. p. 241.

Eadmerus pag. 112. 118. 126.

VI. Idem jus regium acriter retinuit Henricus, istius nominis primus, Anglorum Rex, qui Willelmo fratri proxime successit. Cum enim anno MCXIX. idem Rex & Callistus II. convenissent apud Gisorcium in Normannia, concessit Regi Pontifex, ut antiquæ regni ejus consuetudines manerent, ac nominatim, ne quis Legatus in Angliam mitteretur, nisi quem Princeps peteret, nimirum si quæpiam causa major incideret, quæ ab Episcopis Anglicanis pro sui magnitudine terminari non posset, adeoque opus esset majori auctoritate. Hæc sunt verba ejusdem Eadmeri in libro quinto Historiæ Novorum: *Itaque post hæc Calixtus Gisortium venit; & Rex Henricus illic ei locuturus accessit. Acta igitur sunt multa inter eos, quorum gratia par erat tantas personas convenisse. Inter quæ Rex a Papa impetravit, ut omnes consuetudines, quas pater suus in Anglia habuerat, & in Normannia sibi concederet, & maxime, ut neminem aliquando Legati officio in Anglia fungi permitteret, si non ipse, aliqua præcipua querela exigente, &, quæ ab Archiepiscopo Cantuariorum ceterisque Episcopis regni terminari non posset, hoc fieri a Papa postularet.*

Vide infra l. 6. cap. 31. §. 5.

Vide Simeonem Dunelm. p. 241. & Joan. Bromton. p. 1008.

VII. Adeo autem diligenter & studiose prærogativam illam servavit idem Henricus, ut, cum aliquot post annis Papa Callistus sponte Legatum in Angliam misisset Petrum Leonis monachum Cluniacensem, tametsi eum magnifice receperit Henricus pro reverentia sedis apostolicæ, Legati tamen officium exequi prohibuerit, obtendens *patrias consuetudines ab apostolica sede concessas; in quibus hæc & de maximis una erat, quæ regnum Angliæ liberum ab omni Legati ditione constituerat.* Itaque Legatus ille regno egredi coactus est, cum nullam prorsus muneris sui functionem attigisset. Rem

Vide supra cap. 52. §. 6.

Eadmer. lib. 6. pag. 138.

narrat

narrat idem Eadmerus inquiens, inter alia Regem pronuntiasse, *legationis illius stabilem auctoritatem, nonnisi per conniventiam Episcoporum, Abbatum, & procerum, ac totius regni conventum roborari posse.*

VIII. Sed adnotanda est hoc loco prudentia Henrici: qui, ne Legatus auctoritatem suam explicaret in Anglia, prohibuit, ne ad Ecclesias aut monasteria regni accederet, donec ad ipsum pervenisset, neve aliunde victus ei suppeditaretur, quam ex fisco. Quod factum specie honoris, magni tamen momenti erat. Sic quippe providebatur, ne vel minima Legati potestate uteretur. Sumptus enim Legatis præstare tenebantur Episcopi earum regionum, ad quas illi mittebantur, ut supra diximus. Unde argumentum trahere potuisset Petrus, susceptam fuisse ab Episcopis & Abbatibus Anglicanis legationem suam, si diversatus apud Ecclesias aut monasteria, procuratus ab illis fuisset. Sapienter itaque Rex Henricus ad excipiendum Legatum mittens nonnullos eis, *prudenti usus consilio*, inquit Eadmerus, *injunxit, quatenus iter ejus ita disponerent, ut post ingressum Angliæ nec Ecclesias nec monasteria qualibet, ad se tendens, hospitandi gratia ingrederetur, nec aliunde quam de suis victus necessaria ei ministrarentur.*

IX. Parem repulsam passus in Anglia fuerat ipse Callistus sub Paschali secundo; a quo cum in regnum illud missus fuisset, cum auctoritate Legati, ei auctoritati sic contradictum est, ut nullum Legati officium exercuerit. Hæc sunt verba Eadmeri. *Eodem anno venit in Angliam Guido Archiepiscopus Viennensis*, (*) *functus, ut dicebat, legatione totius Britanniæ ex præcepto & auctoritate apostolicæ sedis. Quod per Angliam auditum, in admirationem omnibus venit, inauditum scilicet in Britannia cuncti scientes quemlibet hominem super se vices apostolicas gerere, nisi solum Archiepiscopum Cantuariæ. Quapropter sicut venit, ita reversus est, a nemine pro Legato susceptus, nec in aliquo Legati officio functus.* Hujus legationis, quæ & Anglis displicebat, & Ecclesiæ Cantuariensi injuriosa erat, mentionem facit sanctus Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis ad Paschalem Papam scribens. *Audivi tamen*, inquit, *quod, dum eram pro fidelitate sedis apostolicæ in exilio, legationem ipsam Archiepiscopo Viennensi vestra commendavit auctoritas. Quod quanta difficultate, immo impossibilitate plenum sit, intelligunt hi, qui longum & periculosum intervallum maris & regnorum, Franciæ scilicet & Burgundiæ, inter Angliam & Viennam noverunt, ut scilicet Archiepiscopus Viennensis Angliam aut Angli Viennam pro suis causis frequentent.* Ceterum quod ait Eadmerus, inauditum esse in Britannia, quemlibet hominem super se vices apostolicas gerere, nisi solum Archiepiscopum Cantuariæ, confirmari potest auctoritate Joannis Saresberiensis, qui ait, non solere Ecclesiam Romanam tempore legationis indultæ alteri Legato subjicere ratione legationis.

Eadmer. lib. 3. pag. 58.

(*) Functurus.

S. Anselm lib. 4. epist. 2.

Saresber. epist. 178.

X. Anno MCLXXV. missus quidem in Angliam est Legatus Hugo sive Hugutio tituli sancti Michaelis Cardinalis, & susceptus ut Legatus. Sed annotandum est, illum a Rege Henrico secundo petitum fuisse. Rogerius de Hoveden: *Eodem anno, paulo ante festum omnium sanctorum, applicuit in Anglia quidem Cardinalis nomine Hugezun, apostolicæ sedis Legatus, pro quo Dominus Rex Romam miserat. Et invenit Dominum Regem apud VVintoniam; & Dominus Rex venit ei obviam, & Henricus filius ejus cum eo, & eum cum debito honore susceperunt.* Narrat deinde Hovedenus, illum convocasse Concilium apud Westmonasterium, cujus celebratio impedita fuit ob contentionem de præsessione inter Archiepiscopos Cantuariensem & Eboracensem; qui sane primum locum cedebant Legato, sed uterque a dextra ejus sedere volebat.

XI. Anno sequenti editum est in Anglia magnum exemplum auctoritatis Principum, quod apprime congruit cum moribus nostris. Miserat Alexander III. Legatum in Scotiam Vivianum. Is vero, ut in Scotiam proficisci commodius posset, per Angliam sibi putavit esse pergendum. Quod cum Regi nuntiatum fuisset, statim ad illum misit, qui ab eo peterent, qua auctoritate factum erat, ut in Angliam intrasset absque ipsius permissu; ac non ante permissus est ultra progredi, quam jurasset, quod nihil præsumeret de potestate Legati contra voluntatem Regis. Docet nos ista idem Hovedenus his verbis: *Eodem anno Alexander Papa misit Vivianum Presbyterum Cardinalem apostolicæ sedis Legatum in Scotia & in in insulis circumjacentibus, & in Hybernia, & in Norevveia, ad causas ecclesiasticas audiendas & determinandas, secundum quod Deus ei administraret. Qui cum in Angliam veniret, Dominus Rex misit ad eum Richardum VVintoniensem & Gaufridum Eliensem Episcopos, ut interrogarent eum, cujus auctoritate ausus erat intrare in regnum suum sine licentia ipsius. His igitur interrogationibus prædictus Cardinalis plurimum territus, de satisfactione juravit Regi, quod ipse nihil ageret in legatione sua contra voluntatem ipsius. Et sic data est ei licentia transeundi usque in Scotiam.*

Vide supra cap. 50. §. 8.

XII. Anno MCCXLV. inter varia gravamina, quæ in Concilio Lugdunensi proposita sunt nomine totius regni Angliæ, etiam illud additum est, Martinum, cujus superius fecimus mentionem, in Angliam venisse *sine Domini Regis licentia*. Deinde procuratores universitatis Angliæ, de eodem Martino loquentes, ajunt istud factum esse *privilegio Regis admodum derogando, per quod ei a sede apostolica specialiter indulgetur, ne quis in Anglia legationis fungatur officio, nisi a Domino Rege specialiter postulatus.* Perculsus improvisa interrogatione Innocentius IV. nihil respondit; sed postulata Anglorum elusit rarissima moderatione, rem esse dictitans, quæ morosa deliberatione indigeret, indistanter tamen se responsa daturum pollicendo.

Vide supra cap. 52. §. 11.

Matth. Paris. pag. 647. edit. Tigur.

Vide supra cap. 52. §. 13.

XIII. Anno MCCLXIV. cum Urbanus IV. in Angliam domestico bello agitatam misisset Guidonem Fulcodium Sabinensem Episcopum, illeque suos nuntios in Angliam præmisisset, responsum est eis a magnatibus, *quod nullum Legatum debent admittere, nisi fuerit petitus a Rege & regni communitate.* Ad quod respondit Legatus in litteris ad eosdem magnates scriptis, cum in civitate Ambianensi esset, multum se mirari, quod Legatum apostolicæ sedis nollent recipere. *Sane vos, viri nobiles & capita populorum*, inquit, *nobis scribitis, quod communicato consilio sic Londoniis ordinastis. Et asseritis privilegium vestrum esse, quod ad vos Legatus non veniat non petitus. Sed absit, ut Romana Ecclesia lege propria se arctaverit, ne possit, per alios visitare, quorum visitationem præsentialiter nequit adimplere. Nec potuit aliquis summus Pontifex legem ponere successori, quia non habet imperium par in parem, nec Papa unius prædecessoris heres est, sed successor.* Et statim addit: *Cessant tamen hæc omnia ipso facto, cum Rex vester institerit & importune petierit ad regnum suum destinari Legatum.* Acta istius legationis extant apud sanctum Ægidium in Septimania, unde ortus erat Guido.

CAPUT LVII.

De Scotorum antiquo circa Legatos recipiendos & admittendos jure.

SYNOPSIS.

I. Scotia tum iisdem pene moribus vivebat, quibus Anglia. Cum Scoti frequentia Legatorum urgerentur, istud tandem pervicerunt a Clemente III. Pontifice Romano, ut nulli, qui Scotus non esset,

liceret

liceret officium legationis exercere in Scotia, nisi forte ei, quem de corpore suo sedes apostolica specialiter destinaret.

II. Hoc privilegium a sequentibus Pontificibus confirmatum est.

III. Verum cum nec sic quieta aut secura esset Scotia a rapacitate & tyrannide Legatorum, res eo deducta est, ut non ita multo post Scoti liberrima Episcopi cujusdam oratione commoti Legatum quendam, qui recenter advenerat, repulerint.

IV. Factum id bono exemplo & in posterum profuturo. Nam sub Clemente IV. Legatus ab eo missus, extra fines Scotiæ subsistere jussus est, ac per litteras mandata exponere, denique in regnum admissus non est.

V. Quare existimandum est, Ottonem, cui Gregorius IX. commisit legationem Scotiæ, aut admissum non fuisse in regno, aut certe prius mandata sua per literas exposuisse, quam admitteretur. Conjectura est, timuisse Gregorium, ne Legatus uti prohiberetur auctoritate sua in Scotia.

VI. Scoti contendebant, Scotiam non comprehendi sub legatione Anglica, ut docet Bonifacius VIII.

VII. Ratio autem, cur Scoti nollent comprehendi sub generali legatione Angliæ; hæc erat, quia regnum eorum divisum erat ab Anglia, & quia ex quo Christianam fidem Scoti susceperant, Scotia libera fuerat, & nulli extra suam regionem subjecta, præterquam uni Romano Pontifici.

I. TRanseamus ab Anglia in Scotiam, tum quidem divisam a corpore Britanniarum, sed tamen iisdem pene moribus viventem. Mittebant interdum Romani Pontifices in Scotiam Legatos, non rogati & in nullum rei publicæ usum, tantum ut provincialium opibus ditarentur. Displicebant haud dubie ista Regibus Scotorum. Itaque istud tandem pervicerunt anno MCLXXXVIII. *ut nulli de cetero, qui de regno Scotiæ non fuerit, nisi quem apostolica sedes propter hoc de corpore suo specialiter destinaverit, licitum sit in eo legationis officium exercere.* Hæc sunt verba Clementis III. ex epistola ad Willelmum Scotorum Regem, quam recitat Rogerius de Hoveden, & ex eo Baronius. Ista autem ea haud dubie de causa postulaverant Scoti, ad exemplum Francorum, quod frequentia & avaritia Legatorum premerentur; cum vero viderent, stabilitam esse necessitatem Legatorum in provinciis, malebant, ut ea auctoritas cuipiam Scoto tribueretur, quam exteris hominibus.

Vide infr. lib. 6. cap. 30. §. 10.

II. Hoc privilegium Scotorum confirmavit deinde Cælestinus III. anno MCXCII. ad eundem Willelmum Scotorum Regem scribens. Refert illius litteras idem Rogerius de Hoveden, in quibus hæc verba leguntur: *Adjicimus, ut nulli de cetero, qui de regno Scotiæ non fuerit, nisi quem apostolica sedes propter hoc de corpore suo specialiter destinaverit, licitum sit in eo legationis officium exercere.* Istud ipsum iisdem verbis confirmatum est ab Innocentio III. cujus bulla extat in Chartulario Ecclesiæ Glasguensis, & ab Honorio III. in epistola ad Alexandrum Regem Scotorum, ut testatur Odoricus Raynaldus.

Odor. Rayn. ad an. 1218. §. 62.

III. Verum cum nec sic quieta aut secura esset Scotia a rapacitate & tyrannide Legatorum, cum videlicet Pontifices frequenter mitterent Legatos de corpore Romanæ Ecclesiæ, nimirum Cardinales, qui Scotiam raptabant sub umbra legationis, res eo deducta est anno MCCXXI. ut, cum illuc missus esset ab Honorio Papa Legatus, Alexander Rex consulendos suos ratus Concilium convocaverit. Ibi Præsul quidam multa præfatus de avaritia & pravis moribus Legatorum demum huc flexit, ut censeret, *non modo hunc non admittendum reclamante populo ac regno exhausto, sed ne in posterum quidem alium.* Addit autem Hector Boetius, ea liberrima Præsulis illius oratione permotos, qui in conventu aderant, Legatum censuisse in regnum admittendum non esse. *Quæ quum summo Regis, inquit, & assidentium assensu probata essent, Legatus in regnum admissus non est.*

Hector. Boet. lib. 13. hist. Scotor. fol. 282.

IV. Ista quidem fortiter ac viriliter acta sunt, bono sane exemplo, ac in posterum profuturo. Nam ævo Clementis quarti, cum Pontifex Legatum in Scotiam misisset *ad conquirendam ad expeditiones in Sarracenos pecuniæ summam grandem*, ille statim admissus non est, sed extra fines Scotiæ subsistere jussus, *ac per literas mandata exponere*. Ita Legatus in regnum admissus non est. Misit inde Scotorum Rex Alexander mille marcas argenti Pontifici Maximo Clementi IV. in subsidium profectionis.

Hector. Boet. ibid. fol. 289.

V. Quare cum videmus, apud Odoricum Raynaldum, Gregorium IX. legationis apostolicæ munus commisisse per Scotiam Ottoni tituli sancti Nicolai in carcere Tulliano Diacono Cardinali, ita interpretari debemus, aut admissum non fuisse illum in regno recentibus adhuc odiis adversus Legatos, aut non ante admissum, quam per literas mandata sua exposuisset. Verum opus non est argumentis, ubi probationes habemus idoneas & sufficientes. De hoc enim Ottonis accessu in Scotiam sic scribit Matthæus Parisius: *Volente autem Domino Legato intrare regnum Scotiæ, ut ibi de negotiis ecclesiasticis tractaret sicut in Anglia, respondit Rex Scotiæ: Non me memini Legatum in terra mea vidisse, nec opus esse, aliquem esse vocandum, Deo gratias, nec adhuc opus est, omnia bene se habent. Nec etiam tempore patris mei vel alicujus antecessorum meorum visus est aliquis Legatus introitum habuisse, nec ego, dum mei compos fuero, tolerabo.* Et mox: *Quibus auditis, Legatus avidam voluntatem intrandi Scotiam temperavit.* Nam præterea colligi posse videtur ex verbis Gregorii, illum valde timuisse, ne Legatus prohiberetur uti auctoritate sua in Scotia. Scotos quippe demulcet, & variis argumentationibus utitur aptis, ut illi videbatur, ad commovendos eorum animos. Referenda sunt ejus verba: *Nos consultius attendentes, quod, cum circa regnum Scotiæ eo majorem curam gerere teneamur, quo fortius Ecclesia Scoticana Romanam Ecclesiam solam matrem & metropolitanam nullo medio recognoscit, indignum existeret, nisi, quæ nos singularem patrem in spiritualibus obtinet, specialem a nobis reciperet consolationis affectum, eidem Cardinali in dicto regno Scotiæ legationis officium motu proprio duximus committendum: quia relinquere conscientia salva nequivimus, quin eidem Scoticanæ Ecclesiæ per dictum Legatum apostolicæ visitationis solatium mitteremus, ne a nobis affectione materna spoliari se crederet, si nobis Ecclesiam visitantibus Anglicanam, regnum Scotiæ sic in vicino positum expers visitationis apostolicæ remaneret.*

Apud Odor. Raynald. ad an. 1237. §. 40. Vide Baron. ad an. 1180. §. 27. & 1192. §. 4. & Hectorem Boet. lib. 13. fol. 273.

VI. Speciales huic Legato literas pro Scotia dederat Gregorius, quia sub legatione Anglica non comprehendi Scotiam contendebant Scoti, ut ad Eduardum Anglorum Regem scribit Bonifacius VIII. his verbis: *Ceterum nobis nullatenus venit in dubium, quin potius certi sumus, quod, cum apostolicæ sedis præcellens auctoritas per suas literas in Angliæ ac Scotiæ regni simul alicui legationis committit officium exequendum, vel pro quavis causa, quam rationabilem reputat, decimæ solutionem indicit, hujusmodi apostolicæ literæ ad præfatum Scotiæ regnum se aliquatenus non extendunt, speciali prædictæ sedis privilegio Scotis indulto penitus obsistente; prout tempore felicis recordationis Adriani Papæ prædecessoris nostri, tunc S. Adriani Diaconi Cardinalis, & per ipsius sedis literas simul in regnis ipsis Legati cum quo familiariter tunc eramus, contigit evidenter. Nam Legatus ipse ad præfatum regnum Scotiæ admissus non extitit, donec per literas apostolicas speciales sibi legationis fuit commissum officium in eodem.*

Apud Odor. Raynald. ad an. 1299. §. 17.

Vide Raynald. ad ann. 1265. §. 61.

VIII. Ratio autem, cur Scoti nollent comprehendi sub generali Angliæ legatione, hæc erat, quia regnum eorum divisum erat ab Anglia, & quia,

quia, ex quo fidem Christianam Scoti suscepissent, (ut in conventu apud Northamtoniam disseruit Gilbertus, qui dein Episcopus fuit Cathenensis anno MCLXXVI.) Scotia libera fuerat, & nulli extra suam regionem, præterquam uni Romano Pontifici velut Christi Vicario subjecta. Unde & Clemens III. & Cælestinus III. Innocentius III. aliique deinceps Pontifices decernunt, *ut Scoticana Ecclesia apostolicæ sedi, cujus filia specialis existit, nullo mediante debeat subjacere.* Hinc Gregorius IX. eo se circa regnum Scotiæ majorem curam gerere teneri ait, quo fortius Ecclesia Scoticana Romanam Ecclesiam solam matrem & metropolitanam nullo medio recognoscit.

Apud Hector. Boet. lib. 13. fol. 27.

CAPUT LVIII.

De Legatis Romani Pontificis non aliter quam cum consensu Regis in Gallia recipiendis.

SYNOPSIS.

I. Legatus in Galliam mitti non potest nisi ad postulationem Regis, vel cum consensu ejus. Non potest exercere facultates suas, nisi quatenus Regi placuerit. Intactas præstare debet libertates regni. Facultates ejus examinantur in suprema Parlamenti curia; ubi modificantur, si res ita poscat. Tum demum illis utitur, si Rex permittat.

II. Hæc consuetudo fuit observata antiquitus.

III. Cum anno 1456. *Callistus III. Legatum destinaret in Galliam, Rex Carolus VII. jura regia obtendens, noluit ei concedere, ut Legati auctoritate uteretur. Insignibus tamen Legati permissus est uti.*

IV. Eundem legationis suæ exitum habuit Julianus Cardinalis, quem Sixtus IV. miserat ad Ludovicum XI. Magnifice tamen habitus est pro more Legatorum.

V. Nicolaus Episcopus Mutinensis, cum amplissima potestate Legati veniens in Franciam, Regi in primis significare curavit, nolle se uti auctoritate sua absque consensu ejus, neque aliquid agere adversus jura regni aut libertates & privilegia Ecclesiæ Gallicanæ. Quod literis manu sua subscriptis confirmavit. Ita permissus est Legatus uti facultatibus suis.

VI. Sixtus mittens iterum Julianum in Galliam, primum Ludovici Regis consensum elicere studuit. Propter istum consensum, quem Rex præstitit, Legatus permissus est uti insignibus Legati, non tamen in præsentia Regis. Factum id salvis juribus & libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ. Qua de re litteras suas dare jussus est Legatus.

VII. Litteræ illæ non extant. Attamen in indiculo Petri Doriolæ Cancellarii refertur, Legatum Regi dedisse litteras manu sua ac duorum secretariorum subscriptas, quibus declarabat, gratiam sibi a Rege factam trahi non posse in consequentiam, neque ex ea ullum præjudicium afferri juribus & privilegiis Regis aut regni.

VIII. Cum deinde Balua Cardinalis injussu & absque consensu Regis præsumeret, uti auctoritate Legati in Gallia, multaque insolenter ageret adversus sanctorum canonum reverentiam & mores in Gallia receptos, intercessit Nanterra, emissa appellatione. Tandem tamen Balua uti permissus est facultatibus suis.

IX. Missus est ad restaurandam disciplinam ecclesiasticam. Quod cum aggredi tentaret, onere illo levatus est ab Episcopis Gallicanis. Quod indignum visum est Sixto IV. & sacris canonibus bonæque consuetudini repugnans.

X. Inutile esset omnia persequi, quæ posterioribus temporibus acta apud nos erga Legatos sunt. Reliquum igitur est, ut nonnulla dicamus de moribus Hispanorum. Facultates Legatorum ac Nuntiorum apostolicæ sedis illic examinantur a supremo Regis Consilio, ne quid fiat in rei publicæ dispendium.

XI. Æquum prima fronte videtur, ut is, qui in provinciam venit cum potestate extraordinaria, fidem faciat auctoritatis suæ. Legatus ergo non est tanquam Legatus recipiendus, nisi primo visis legationis suæ litteris. Et ita servatur in regno Franciæ, ut observat Boerius.

XII. Epilogus eorum, quæ dicta hactenus sunt de Legatis.

I. INter axiomata libertatum Ecclesiæ Gallicanæ illud constantissimum est, non posse summum Pontificem mittere in Galliam Legatos a latere cum facultatibus amplissimis, nisi ad postulationem Regis, vel cum consensu ejus; Legatum porro uti non posse facultatibus suis, donec scripto jurejurandoque pollicitus Regi fuerit, non usurum se illis, nisi quamdiu majestati ejus placuerit, desiturum porro, statim ac certior factus fuerit, Regem nolle, ut illis amplius utatur. Debent etiam Legati jurare, nihil se facturos adversus sancta decreta, canones Conciliorum generalium, neque adversus libertates & privilegia Ecclesiæ Gallicanæ aut Universitatum & Academiarum publicarum istius florentissimi regni. Ea de causa, & quia multa interdum continentur in facultatibus Legatorum, quæ moribus nostris & juri recepto adversantur, primum summus Pontifex Regem admonet, destinasse se in Galliam Legatum, exempli causa, Joannem, ut consensum ejus eliciat. Dein, cum Legatus attigit fines Galliæ, nuntium mittit ad Regem cum facultatibus suis, ut videre possit, an aliquid in illis contineatur contrarium libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ aut juribus regiis. Quia vero Princeps, aliis negotiis occupatus, ista per se examinare non potest, facultates illas mittit ad Parlamentum Parisiense, simul mandans, uti eas verificent & actis curiæ inscribant. Parlamenti vero officium est, eas diligenter examinare, adnotare, si quid deprehenderint illic insertum adversus vetustos mores & publicam regni disciplinam; si nihil istiusmodi animadverterint, in acta referre; si vero nonnulla repererint emendatione digna, his decernere, non teneri Gallos, adeoque modum peregrinis decretis imponere, quod vulgo dicimus modificare facultates Legati. Tum demum, si Rex permittat, Legatus utitur facultatibus suis sic modificatis, & inflexis.

II. Hanc consuetudinem fuisse observatam antiquitus, jam ostendimus, allatis etiam Bonifacii VIII. verbis, qui nobis istam prærogativam auferre conatus est. Ostendamus nunc illud ipsum exemplis posteriorum seculorum, quibus omnino firmatum est illud caput nostrarum libertatum & regiæ dignitatis.

Supra cap. 56. §. 3.

III. Anno MCCCCLVI. Callistus III. delendo Turcarum imperio intentus, Legatum in Gallias misit Alanum Coetivum Cardinalem *ad conquirenda pro tuitione Christianæ fidei opportuna præsidia & classem adversus immanissimum Turcum ejusque complices præparandum, publicandum quoque literas apostolicas cruciatæ, & alia magna & ardua negotia.* Cum ea legatio decreta fuisset inscio Carolo VII. ille pro munere suo cavens, ne quid res publica detrimenti caperet, literas de legatione Alani publicari in Gallias vetuit, ut Odoricus Raynaldus ait. In literis tamen Callisti ad eum hoc anno datis VII. Kal. Novembr. illud solum continetur, eum *in concedenda publicatione literarum cruciatæ & indulgentiarum difficilem se præbere.* Orat deinde Carolum Pontifex, obtestaturque per viscera misericordiæ Dei nostri, ut patiatur prædicari subditis & in regnis ac dominiis suis sanctam Domini crucem, literasque super hoc editas solemniter publicari. Quid ad hæc Princeps? Misso Avenionem Joanne Bastardo Cantore Ecclesiæ Parisiensis, hæc Legato dicenda mandavit. Regiæ majestati

Odor. Raynald. an. 1456. §. 2.

Ibid. §. 3.

Probat. libert. Eccles. Gall. c. 23. §. 3.

jestati jus esse repellendi Legatos apostolicæ sedis, nullum porro Cardinalem vel alium quempiam Legatum a latere ad se venire posse cum insignibus & auctoritate Legati, neque uti posse potestate & auctoritate Legati, in istius juris possessione semper fuisse Carolum & ejus prædecessores Reges Francorum. Nolle se, ut Alanus utatur auctoritate Legati in regno suo. Attamen se id certis quibusdam de causis Alano tribuere, ut ad se accedat, crucemque ante se deferri faciat in regno, seque Legatum a latere nominet. Ista suscepit Alanus, usurum se illis pollicitus absque præjudicio jurium Regis & regni ac successorum ejus aut Pragmaticæ sanctionis, infecta decernens, quæ forsitan contra facta ab eo forent. Literas ea de re Cantori dedit Alanus apud Avenionem die prima Januarii anni sequentis.

IV. Eundem legationis suæ exitum habuisse Julianum Roboreum Cardinalem, quem anno MCCCCLXXVI. adversus Turcas miserat Sixtus IV. ejus patruus, colligi potest ex verbis Odorici Raynaldi; qui ait illum, præter in Galliis acceptos honores, nullum eorum, ob quæ missus fuerat, ad votum perduxisse. Scilicet obstitit Rex Ludovicus XI. ne Legatus amplissima potestate instructus quippiam ageret adversum jura regni & libertates Ecclesiæ Gallicanæ. Satis porro dignitati ejus prospectum putavit, si magnifice haberetur pro more Legatorum.

Odor. Raynald. ad ann. 1476. §. 3.

V. Eodem anno Sixtus in Galliam misit Nicolaum Sandonninum Episcopum Mutinensem cum amplissima potestate Legati a latere. Iste vero gnarus jurium majestatis & sacrosancta ea esse, Regi Ludovico XI. significare curavit, nolle se uti auctoritate sua absque consensu ejus, neque aliquid agere adversus jura regni aut libertates & privilegia Ecclesiæ Gallicanæ, petere propterea ab eo, uti se fineret uti potestate & facultatibus sibi a summo Pontifice concessis. Præterea idem Nicolaus literas sua manu subscriptas Regi dedit, quibus pollicebatur, non usurum se in regno facultatibus suis adversus jura & libertatem regni, nisi quatenus facultates suæ modificatæ erant & restrictæ per auctoritatem regiam, quas modificationes & restrictiones idem Legatus suscepit. His ita gestis, Ludovicus literis datis apud Turones die quarta Januarii anni sequentis potestatem Nicolao fecit pro hac vice tantum, utendi facultatibus suis secundum modificationes ab eo approbatas; ea tamen adhibita cautione, ut hic regius consensus trahi non posset in consequentiam, neque ex eo quæri aliquod jus posset aut possessio adversus Regum Francorum majestatem aut jura, sive adversus libertates & privilegia Ecclesiæ Gallicanæ. Literas porro Legati, quibus approbaverat modificationes in literis legationis appositas, misit Rex ad Parlamentum Parisiense, haud dubie ut in acta curiæ referrentur.

Probat. libert. Eccles. Gallic. cap. 23. §. 4.

VI. Anno dein MCCCCLXXX. Sixtus Legatum cum amplissimis facultatibus in Galliam misit eundem Julianum, cujus supra meminimus, ut pacem & concordiam revocaret inter Ludovicum Regem & Maximilianum Ducem Austriæ. Sed ante quam Legatus iste mitteretur, Sixtus in primis effecerat, ut ei mittendo accederet consensus Ludovici, absque quo vanam & inutilem fore legationem pluribus jam experimentis compertum habebat. Itaque Rex præfatus Legatum apostolicæ sedis in Galliam mitti non posse neque facultatibus suis uti absque consensu suo, ac considerans istius legationem decretam fuisse cum consensu suo, edicit, uti recipiatur velut Legatus a latere, & ut antelatione crucis & ceteris Legatorum insignibus uti ubique possit intra regnum, præterquam in præsentia Regis, *fors en nostre presence*. Salvis tamen juribus & libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ & regni. Daturum porro Legatum literas suas patentes & authenticas, quibus declarabit salvas esse nihilominus libertates Ecclesiæ Gallicanæ & jura regni.

Odor. Raynald. an. 1480. §. 33. & seq.

Probat. libert. cap. 23. §. 5.

VII. Non extant illæ Legati literæ. In veteri tamen codice MS. bibliothecæ regiæ extat indiculus manu Petri Doriolæ Cancellarii scriptus, in quo enumerantur acta, quæ ipse in Cameram compotorum detulit die XV. Septembris ejusdem anni de legatione ejusdem Cardinalis. In hoc ergo indiculo, post literas Regis, de quibus mox dicebamus, & post instrumentum protestationis factæ a Commissariis Regis, quæ edita est inter Probationes libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, tertio loco compendio describuntur literæ ejusdem Legati datæ in loco sancti Symphoriani Auzonis die secunda Augusti, subscriptæ vero manu ejus & a Sigismundo secretario summi Pontificis, itemque a magistro Matthæo Vaillant secretario Legati. In his ergo literis declarat Legatus, permissionem sibi a Rege concessam, ut legatione sua uti possit in Gallia, trahi non posse in consequentiam, neque ex ea ullum præjudicium afferri juribus & privilegiis Regis aut regni.

VIII. Anno MCCCCLXXXIII. Idem Sixtus Legatum in Galliam destinavit Joannem Baluam Episcopum Albanensem, ut collapsam disciplinam ecclesiasticam restauraret. Quia vero ille, ut erat homo audax, *regnum Franciæ ingressus est licentia vel consensu Domini nostri Regis minime petita seu habita, ejusque legatione minime recepta nisus est officium suæ legationis exercere, & quæcunque ad jurisdictionem ordinariam Archiepiscoporum &c. spectant & pertinent, exercere*, pluraque insolenter agere adversus sanctorum canonum reverentiam & mores in Gallia receptos, Joannes Nanterra nomine Regis, qui tum erat Carolus octavus, ab his gravaminibus appellavit *ad sanctissimum Dominum nostrum Papam Sixtum minus debite consultum ad ipsum melius consulendum, ac ad illum vel illos ad quem seu quos de jure provocare & appellare mihi licet*. Acta hæc anno Domini MCCCCLXXXIV. die XX. Augusti. Attamen eo tempore, cum maxime agitata fuisset hæc causa in sacro Consistorio & in curia Parlamenti, permissus est Balua, ut insignibus Legati, *dempta facultate utendi *** & aliis facultatibus*, uti decretum fuerat circa Cardinalem sancti Petri ad vincula vivente Ludovico Rege.

Odor. Raynald. an. 1483. §. 36. & seqq.

Probat. Libert. cap. 13. §. 15.

Ibid. cap. 24. §. 8.

IX. Ea tempestate Balua, qui ad revocandam disciplinam ecclesiasticam missus a Sixto erat, gravem in Galliis contradictionem passus est in hoc capite. Episcopi enim alicubi congregati eam curam ad se revocarunt, insuperhabita Legati potestate. Is vero cum querelam ea de re suam ad Pontificem detulisset, licet in hoc Gallicanorum Episcoporum facinore *pietatis aliqua affulgeret species*, ut ait Odoricus Raynaldus, *altius tamen rem penetranti Pontifici indignum visum est*, ista ab Episcopis tentari, absurdumque illud esse & sacris canonibus bonæque consuetudini repugnans. Itaque dolorem suum propter istam Episcoporum Gallicanorum audentiam perscripsit ad Ducem Borbonii, hortatus eum, ut huic rei & incepto maxime improbando obsisteret. Præstat autem integram epistolam referre, plenam videlicet antiqui moris. Sic ergo illa habet apud Odoricum Raynaldum.

Intelligimus electos esse nonnullos Prælatos in defensores & reformatores Ecclesiæ Gallicanæ. Quod cum sit absurdum, & sacris canonibus bonæque consuetudini repugnans, possitque ea res motus & perturbationes excitare & pessimo exemplo esse, hortamur nobilitatem tuam, ut suam in hoc pietatem, quemadmodum in aliis fecit & factura esse videtur, erga hanc sedem ostendere velit, & huic rei & incepto maxime improbando obviare, ne locum habeat. Ad nos enim spectat, si quid Ecclesiæ Gallicanæ deest, providere, qui & possumus & volumus opportune procurare & agere, quæ necessaria ad illius defensionem essent &c.

Odor. Raynald. an. 1483. §. 39.

X. Inutile esset omnia persequi, quæ posterioribus temporibus acta apud nos erga Legatos sunt. Quippe ista diligenter collecta a clarissimo viro

Petro

Petro Puteano in omnium manibus versantur. Præterea illustrissimus Archiepiscopus ista, breviter quidem, sed tamen satis accurate executus est in libro sequenti, ut necesse non sit, ea heic repetere. Reliquum igitur est, ut nonnulla dicamus de moribus Hispanorum, qui vicini nobis sunt, & qui, licet a nobis in plerisque dissentiant, in hoc tamen consentiunt, quod Legatorum & Nuntiorum facultates apud eos examinantur in Consilio Regis. Auctor enim est Didacus Covarruvias, apud Hispanos potestatem seu facultatem Legatorum seu Nuntiorum apostolicæ sedis examinari, *ut admoneri possint a summo Regis prætorio*, inquit, *quibus uti conveniat dispensationibus & commissionibus, ne quid fiat in reipublicæ dispendium, cum plerumque Nuntii apostolici exteri sint, nec satis noverint, quæ sint præcavenda, ne falsis precibus & suggestionibus decipiantur*. Addit Franciscus Salgadus ex Enrique, quod quando Nuntius aut Legatus a latere mittitur in Hispaniam a summo Pontifice, in more habet Senatus Regis petere, ut ostendat facultates commissas a Pontifice, non animo examinandi idoneitatem personæ missæ, sed ut hunc jubeat, quem litteris patentibus constat esse Nuntium aut Legatum Papæ, & ut adhibeatur ei fides in iis, quæ pertinent ad munus suum.

Vide infr. lib.6. cap. 31. §.8.

Covàrruvias c. 35. practicar. quæst. §. 4.

Fr. Salgad. in tractatu de supplicat. fol. 27. §.52.

XI. Sane æquum prima fronte videtur, ut is, qui in provinciam venit cum potestate extraordinaria, fidem faciat auctoritatis suæ per litteras ejus, a quo mittitur. Legatus ergo, ut recte adnotat Nicolaus Boerii, prius non est tanquam Legatus recipiendus, nisi primo visis suæ legationis litteris. Cum enim nunquam apostolicæ sedis moris fuerit, absque apicibus undecunque legationem suscipere, nec alii etiam sine litteris suos recipere coguntur, ut adnotat idem Boerius. *Et ita servatur hic in regno Franciæ*, inquit, *quia antequam intret regnum, & suo utatur legationis officio, jurat servare jura regni intacta & ordinationes regias. Et ejus potestas solet in suprema Parlamenti Parisiensis curia registrari.*

Nic. Boer. in tractatu de pot. Leg. a latere. §. 28.

Vide etiam Thomam in Turri Tract. de auctor. Legator. lib. 1. §. 3.

Ibid. §. 31.

XII. Hactenus ergo egimus de dignitate & auctoritate Legatorum sedis apostolicæ, quomodo ab exiguis primum initiis profecta, magnis subinde incrementis aucta, deinde paulatim viluerit apud Francos & alias Christiani nominis nationes. Vidimus ingentes Pontificum Romanorum ac Legatorum conatus uno seculo frustra fuisse, alio valuisse. Deploravimus insatiabilem & inverecundam quorundam cupiditatem & avaritiam, quia abjecta omni modestia & reverentia religionis, nihil reliquum fecerunt, ut ad magnas opes pervenire possent, quocunque tandem modo per fas seu nefas pararentur. Laudavimus deinde sanctas illas beatorum hominum mentes, qui manus suas abstinentes a muneribus & donis, caste & incorrupte provincias cum summa auctoritate administrarunt. Descendimus postea ad consensum Regum, quatenus Legatis necessarius est in explicatione potestatis eorum, & ad morem in regno Franciæ & alibi usurpatum circa eorum facultates. Hæc autem omnia executi sumus amore veritatis, non odio privato, neque ea mente, ut in quemquam simus contumeliosi. Nobis semel destinatum est, nemini injuriam aut contumeliam inferre. Quod si ista feliciter & utiliter scripta sunt, Deo, a quo est omne bonum datum optimum, gratiæ agendæ sunt. Sin vero res bono consilio suscepta, malo exitu finita est, meminerit lector, hominem me esse, multaque mihi deficere, quæ necessaria sunt ei, qui res tam arduas tractare in animo habeat. Hos tamen conatus meos publicæ utilitatis causa susceptos æqui bonique consulat.

LIBER SEXTUS.

CAPUT PRIMUM.

De distributione Ecclesiarum ab Apostolico jure fluente generatim, & speciatim de origine Ecclesiarum metropolitanarum.

SYNOPSIS.

I. Agitur in hoc libro de auctoritate Conciliorum provincialium & nationalium. Dissertatio isthæc bifariam dividitur. Primum ergo agetur de ordinationibus Episcoporum. Tum de administrationibus.

II. In Ecclesia unicus est episcopatus, cujus portio unicuique Episcopo commissa est. Genuinus Cypriani sensus indicatus.

III. Portionum distributio fluxit a jure apostolico. Probatur ex Actis Apostolorum. Præscripta ab iis forma regiminis sub unius præsidentia. Retenta nimirum civili imperii dispositione in distribuendis provinciis.

IV. Probatur auctoritate sanctorum Petri & Pauli. Judæi, Hellenistæ & Græcanici dicti. Eorum Patriarcha Babylone degebat. Inde scripta prima epistola canonica B. Petri; cujus auctoritate probatur Ecclesiæ in provincias facta distributio ab Apostolis. Quod etiam probatur ex variis locis D. Pauli.

V. Exponitur consilium Apostolorum in constituendis Episcopis metropoleon. Ad eos pertinet ordinatio Episcoporum provinciæ. Probatur ex Paulo, Hieronymo & Chrysostomo.

VI. Asiæ proconsularis metropolis Ephesus. Provincia ecclesiastica fuit ipsis Apostolorum temporibus; ex Apocalypsi Joannis, ex D. Paulo, ac etiam ex Actis Apostolorum.

VII. Nobile argumentum metropolitici juris extat in epistola ad Corinthios. Achaja jam ætate Pauli provincia ecclesiastica erat, metropolis Corinthus. Ecclesiæ apostolicæ magnæ apud veteres auctoritatis. Præclara Augustini regula.

VIII. Investigatur ratio, quæ Apostolos impulit ad sequendum exemplum imperii in instituendis Metropolitanis. Ea petitur ex Concilio Antiocheno. Hierosolyma subjecta Episcopo Cæsareæ Palæstinæ. De patriarchatu Hierosolymitano.

IX. Veteres tamen hanc provinciarum divisionem vetustæ consuetudini tribuerunt. De jure metropolitico trium præcipuarum metropoleon, Romanæ, Alexandrinæ & Antiochenæ.

X. Objicitur, divisionem, quæ deprehenditur in subscriptionibus veterum Conciliorum, ei similem esse, quæ ab Imperatore Constantino peracta est.

XI. Respondetur, innovationem quidem circa provincias evenisse post Apostolorum tempora, sed quæ tamen illam metropoleon institutionem non abolevit. Sectis videlicet provinciis in plures provincias.

XII. Nova provinciarum divisio introducta a Constantino sub nomine Diœceseon.

I. UT statum politiæ ecclesiasticæ istius regni intelligamus, necessarium est, ut agamus de auctoritate Conciliorum provincialium & nationalium, in quibus causas tractari mos fuit. Quia vero res, quæ in his synodis agitabantur, aut ordinationes respiciebant aut administrationem, ut Concilii Constantiensis verbo utamur, id est, aut episcopatuum, monasteriorum aliorumque beneficiorum, provisionem, aut jurisdictionem contentiosam, & decreta canonica, dissertationem istam in duas partes distribuam: quarum prima aget de ordi-

ordinationibus, secunda autem de administrationibus. At enim quoniam ad plenam hujus materiæ cognitionem perveniri non potest, nisi prius perspecta fuerit origo divisionis provinciarum, quid mihi in mentem venerit, exponam, velut in argumento difficili & obscuro, cuique multum inest curiosæ eruditionis.

II. Sicut Ecclesiæ corpus unum est, divisum in plurima membra per universum orbem, ita unicus est in ea episcopatus, qui ubique diffusus est in concordia plurium Episcoporum: qui si tanquam corpus aliquod considerentur, episcopatum integrum tenent in solidum. Portio tamen quædam gregis unicuique Episcopo tributa est, ut eam ducat & gubernet singulariter, secundum charitatem nihilominus & communionem, quæ universo corpori debetur: ne si unitas relinquatur, Episcopus ille, qui abscesserit a corpore, arescat velut rivus, qui ab origine sua deflexerit, & in modum rami a trunco & radice recisi marcescat. Ea est doctrina, quam D. Cyprianus in diversis epistolarum suarum locis docet; cujus genuinum sensum exposui, quem alii in diversum traxerunt, prout varii fuerunt affectus eorum, qui loca illa protulerunt.

Cyprian. lib. 3. epist. 13. lib. 4. epist. 2. & 3. & libro de unitate Ecclesiæ.

III. Hæc portionum distributio, quæ diversis Episcopis commissæ sunt, fluxit a jure apostolico. Etenim quando Apostoli fundabant Ecclesias, tametsi Episcopo ordinato conferrent cum impositione manuum omnem potestatem & ordinis & jurisdictionis, tamen ei locum assignabant, ubi munus suum impleret. Satis manifeste id scriptum est cap. XX. Actorum, ubi legimus, Spiritum sanctum constituisse Presbyteros, sive Episcopos, ad regendam gregis certam portionem: *in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Sed quoniam Ecclesia regenda est juxta unitatem, necessarium fuit institui ab Apostolis modum quendam communionis inter Episcopos, secundum exemplum a Christo datum in institutione collegii apostolici, quod universum Ecclesiæ corpus repræsentabat; ideoque præscribenda fuit ab iis forma regiminis, aristocratici nimirum, ita, ut unus præsideret. Præclara sunt in hanc rem verba sancti Leonis Papæ. *Inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis; & cum omnium par esset electio, uni tamen datum est, ut ceteris præemineret. De qua forma Episcoporum etiam orta est distinctio; & magna dispositione provisum est, ne omnes sibi omnia vendicarent, sed essent in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia, & rursus quidam in majoribus urbibus constituti sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad beatam Petri sedem universalis Ecclesiæ cura conflueret.* Observatum id ab Apostolis in infantia Ecclesiæ: qui sapienter in Ecclesia retinuerunt civilem imperii Romani dispositionem, in quo Dei religio facilius suscepta est, quam apud gentes barbaras; adeo ut, cum imperii corpus in provincias tributum esset, orbem quoque & ipsi ecclesiasticum in provincias partiti sint. Rursum cum in imperio provinciæ contributæ essent cuidam civitati primariæ, quæ metropolis dicebatur, apud quam magistratus subjectorum causas judicabant, & quo propterea populi frequentius conveniebant, quod singulari quodam jure ceteræ civitates a matrici penderent, Apostoli itidem Episcopos in civitatibus constituerunt, eo videlicet ordine, ut penderent ab Episcopo in metropoli sive urbe primaria collocato. Hæc est mea sententia circa constitutionem metropoleon; quam cum aliqui Petro & Ecclesiæ Romanæ acceptam referri debere censeant, alii ex jure divino descendisse, quidam tamen ad vetustam Ecclesiæ consuetudinem referunt. Temperamenti loco esse potest vera sententia, nimirum, consilium illud generale distribuendi episcopatus in provincias & metropoles ex traditione apostolica esse, cujus clara documenta extent in sacra scriptura, sed executionem & in tot provincias sectionem ex consuetudine ecclesiastica fluxisse.

P. Leo epist. 88.

Vide supr. lib. 1. cap. 3. §. 2.

IV. Igitur duo quædam docui, desumpta ex ipsis sacræ scripturæ verbis. Ac primum quidem scripsi, Apostolos orbem ecclesiasticum in provincias distribuisse ad exemplum dispositionis civilis, quæ per illas tempestates vigebat in imperio. Sententiam illam luculenter probamus auctoritate sanctorum Petri & Pauli: quorum primus, cum destinatus fuisset ad erudiendos Judæos, jamque in Judæa evangelium prædicasset, curam suam convertit ad Judæos, tum primæ dispersionis, tum secundæ, quos Hellenistas aut Græcanicos ideo vocari mos erat, quod dispersi essent in provinciis Græcorum sive gentilium. Abiit itaque Alexandriam, quæ Ægypti metropolis erat, & in qua habitabant Judæi secundæ dispersionis; instituto que illic Episcopo Marco Evangelista, Antiochiam profectus est, atque hinc Babylonem, ubi degebat hereditarius Patriarcha Judæorum primæ dispersionis. Ea in urbe constitutus scripsit epistolam primam canonicam, ut patet ex subscriptione, quæ sic habet: *Salutat vos Ecclesia, quæ est Babylone.* Tametsi enim veteres existimaverint, D. Petrum vocabulo Babylonis significasse urbem Romam, probabilis est Scaligeri conjectura, qui ex ipsa Babylone scriptam a Petro putat epistolam hanc ad Judæos dispersos, qui habitabant in provinciis, quarum synagogæ pendebant a Patriarcha Babylonico. Utcunque se res habeat, constat, eam esse datam ad novos Christianos dispersionis provinciarum Ponti, Galaciæ, Cappadociæ, Bithyniæ & Asiæ, id est, Christianis totidem provinciarum imperii Romani. Patet igitur, principem Apostolorum Christianos per provincias compellasse; atque id eo magis placet, quod distributio illa in his regionibus perseveraverit primis Ecclesiæ seculis. Quippe semper habuimus provinciam Bithyniam, in qua Nicomedia metropolis, provinciam Cappadociam, cujus metropolis erat Cæsarea, provinciam Ponti, & metropolim ejus Amaseam, provinciam denique Asiæ proconsularis, cujus metropolis fuit Ephesus. Nam, quod ad Galatiam attinet, quæ provincia Romana erat, cujus metropolis Ancyra, sanctus Paulus in universum scribit ad Ecclesias Galatiæ. Hinc itaque factum, ut ob epistolam illam ad Galatas & per consequentiam ad cives metropolitanæ civitatis Ancyræ a Paulo scriptam urbis illius Ecclesia apostolica dicatur a veteribus; quemadmodum legimus in epistola Papæ Julii ad orientales, quæ extat apud Athanasium. In diversis quin etiam locis epistolarum D. Pauli deprehenditur distributio Ecclesiarum in provincias, veluti Ecclesiarum Macedoniæ & Ecclesiarum Asiæ, & quod magis notandum est, in epistola ad Romanos, provinciarum Macedoniæ & Achajæ nomine comprehenduntur Ecclesiæ illarum provinciarum.

Petri ep. I. c. I.

Paulus epist. ad Galat. c. 1. & 1. Cor. cap. 16. meminit collectarum, quæ fiunt in Ecclesiis Galatiæ.

2. Cor. cap. 8. 1. Cor. cap. 16. Rom. cap. 15. *Probaverunt Macedonia & Achaja collationem aliquam facere in pauperes sanctorum, qui sunt in Jerusalem.*

V. Superest nunc, ut probemus aliam observationem, nimirum Apostolos, quum Ecclesias distribuerent in provincias, in animo habuisse, ut in iis corpus Episcoporum statueretur sub præsidentia Episcopi metropoleos. Evidens ejus rei argumentum extat in epistola Pauli ad Titum; ubi scribit, se illum reliquisse Cretæ, ut constitueret Presbyteros per civitates. Ecce Metropolitani institutionem. Atque is quidem habet auctoritatem ordinandi Presbyteros, id est, Episcopos, juxta interpretationem ipsiusmet Pauli in versiculo sequente sancti Hieronymi, sancti Joannis Chrysostomi, & aliorum veterum, ita tamen, ut eos ordinet in unaquaque urbe κατὰ πόλιν. Ecce integrum consilium politiæ ecclesiasticæ. Episcopi in urbibus provinciæ, qui ab uno quodam Episcopo ordinantur, quamvis cum consortio suorum collegarum, *per impositionem manuum presbyterii.* Universi quidem Episcopi manus imponunt Episcopo; sed uni tantum competit jus tribuendi vim ordinationi, veluti Tito apud Cretam, & ad exemplum illius, unicui-

Epist. ad Tit cap. 1. *Reliqui te Cretæ, ut constituas per civitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi.*

unicuique Metropolitano in sua provincia. Creta porro provincia erat imperii Romani; cujus metropolis erat Gortyna, quæ prærogativam illam semper in Ecclesia servavit.

VI. Asia proconsularis, quæ vigesima tantum pars erat ejus, quam Strabo & Geographi nuncupant Asiam minorem, provinciæ item imperii erat; cujus metropolis erat Ephesus, ut habetur apud Ulpianum. Illic Apostoli constituerant corpus Episcoporum in modum provinciæ; quemadmodum colligitur ex capite primo Apocalypseos, ubi literæ scriptæ sunt septem Angelis vel septem Episcopis Asiæ, quorum unus erat Ephesinus. Haud absimili instituto Paulus instruens Asianos epistolam suam scribit ad Ephesios, quæ Asiæ metropolis est, ut adnotat sanctus Joannes Chrysostomus in suis ad epistolam illam commentariis. Sed & in Actis legimus, Apostolum Ephesi commoratum esse per biennium, atque illic erudiisse in fide Judæos & gentiles Asiæ; adeo, ut Demetrius aurifex, instituta adversus illum accusatione, asseveraverit, eum innumeram hominum multitudinem in errorem traxisse, non solum ex civibus Ephesi, sed & ex Asia universa. Recte itaque Paulus apud Miletum consistens, convocatis Presbyteris Ephesi, dixit: *Vos scitis, quia a prima die, qua ingressus sum in Asiam*, & cetera, quæ sequuntur.

L.4.ff.de offic. Proconf.

Apoc. c. 1. *Mitte septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia, Epheso & Smyrnæ, & Pergamo, & Thyatiræ, & Sardis, & Philadelphiæ, & Laodiciæ.*

Act. c.9. & 20.

VII. Nobile argumentum metropolitici juris a Paulo observati colligitur ex epistola ejus ad Corinthios. Urbs illa metropolis erat Achajæ, ut Florus adnotavit. Ideo igitur Paulus epistolam suam ad Corinthios scribit, non solum pro illis, sed etiam pro fratribus, qui sunt in Achaja. Typus heic est provinciæ ecclesiasticæ sub sua metropoli constitutæ ad exemplum imperii; isque ordo in Achaja viguit, Corinthusque semper habita est metropolis ecclesiastica Achajæ, quamdiu Christi nomen illic in honore fuit. Neque dubito, quin vel unicum illud exemplum sufficiat ad ostendendum, divisionem provinciarum ex institutione apostolica esse. Sed tamen præterea epistola ejusdem Pauli ad Thessalonicenses scripta est pro illis & pro fratribus, qui sunt in Macedonia, quod urbs illa esset metropolis civilis Macedoniæ. Affirmare igitur licet, sic Christianorum curam gessisse Apostolum, tanquam jam in corpus provinciæ distributorum sub metropoli Thessalonicensi, quæ dignitatem suam retinuit in laterculo Ecclesiæ. Non me latet, Ecclesias illas, de quibus sermonem institui, magnæ apud priscos auctoritatis fuisse, ob hoc, quod essent apostolicæ, hoc est, ab Apostolis fundatæ; apud quas existimaverunt veræ fidei traditionem fuisse conservatam. Sed aliud mihi nunc onus incumbit; neque aliud in præsentiarum ostendere cupio, quam, id fuisse Apostolorum consilium, ut Ecclesias in provincias secarent. Consilium illud non latuit Tertullianum; qui in libro de præscriptionibus hæreticos ad traditionem apostolicarum Ecclesiarum vocans, hæc ait: *Proxima est tibi Achaja, habes Corinthum. Si non longe es a Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum. Si autem Italiæ adjaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præsto est.* Episcopum Carthaginis fuisse caput provinciarum Africæ & Numidiæ, & Galliarum Hispaniarumque Episcopos in provincias fuisse distributos, legimus apud Cyprianum. Quare secundum propositam ab Augustino regulam affirmare oportet, id ex traditione apostolica esse, quod ab initio Ecclesiæ observatum, a nullo tamen generali Concilio præscriptum fuit.

Florus lib. 1. cap. 16.

2. Cor. cap. 1. *Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi cum omnibus sanctis qui sunt in universa Achaja.*

Ep.1. ad Thessalon. c. 4.

Vide infr. lib.7. cap.4. §.7. 8. & cap.16. §. 6. & seqq.

VIII. Quæ ratio Apostolos impulerit ad imitandum in sua illa provinciarum institutione exemplum imperii, præclare admodum explicavit synodus Antiochena: quæ Metropolitanos ait institutos esse in civitate, quæ provinciæ caput erat, quoniam in illam omnes confluunt pro negotiorum suorum utilitatibus: *Propter quod ad metropolim omnes undique, qui negotia videntur habere, concurrunt.* Opportunitas itaque & commoditas populorum effecit, ut in Ecclesia ratio haberetur dignitatis, quam civitas illa obtinebat in imperio. Atque in ea parte adeo religiosi fuere veteres, ut, tametsi magna esset eorum reverentia erga urbem Hierosolymorum, (quæ metropolis fidei erat, ut cum Cyrillo loquar, & ubi sanctus Jacobus Apostolus episcopatus munia exercuerat, quam ob rem eorum Episcopus eo in honore erat, ut primum post Episcopos Romæ, Alexandriæ & Antiochiæ locum teneret) nihilominus, quantum ad jurisdictionem, subjectus erat Episcopo civitatis Cæsareæ Palæstinæ, ut constat ex canone septimo synodi Nicænæ. Neque obscura hujus institutionis ratio est. Nam Cæsarea provinciæ illius caput & metropolis erat, jam inde a temporibus Vespasiani: qui post excisa Hierosolyma proconsulatum Judææ transtulerat Cæsaream, ut in Constitutione Novella CIII. Imp. Justiniani adnotatum est. Nam si translatio illa facta non fuit statim post relegationem Archelai Regis Judæorum, in cujus contumeliam regnum illud publicatum, fisco imperii addictum est, qui fieri potuit, ut Proconsul, spretis Hierosolymis, apud Cæsaream urbem maritimam moraretur? quod ex actis Apostolorum liquet. Episcopus sane Hierosolymitanus semper subjectus fuit Episcopo Cæsareæ, donec Hierosolymorum episcopatus in patriarchatum erectus est auctoritate rescriptorum Imp. Theodosii; tributis videlicet huic novo patriarchatui provinciis Phœniciæ, Arabiæ & Palæstinæ a patriarchatu Antiocheno resectis. Sed cum huic institutioni intercessissent Patriarchæ Antiocheni, certamini illi finem fecere conventiones inter Juvenalem Episcopum Hierosolymorum & Maximum Antiochenum initæ; quibus placuit, ut Phœniciæ duæ & Arabia Maximo redderentur, tres vero Palæstinæ ad Diœcesim Episcopi Hierosolymitani pertinerent. Conventiones illas approbavit synodus Chalcedonensis & judices item imperiales.

Concil. Antioch. c. 9.

Tacit. lib. 11. histor. ait, Cæsaream esse Judææ caput.

Concil. Chalcedon. act. VII.

Hoc Metropolitanorum in primariis provinciarum urbibus constituendorum consilium secutus est Isidorus Mercator in sua collectione, in quam etiam sententiam iverunt Joannes VIII. Leo IX. & Gregorius VII. Pontifices Romani & Gratianus in Decreto dist. LXXX. & XCIX.

Joan. VIII. ep. 95. Leo IX. ep. 4. Greg. VII. lib.6. epist.35. & in Tractatu.

IX. Enimvero licet, ut ego quidem existimo, formam distribuendarum provinciarum & Metropolitanorum instituendorum Apostoli tradiderint, quia tamen id nuspiam in sacris scripturis præceptum est, & præterea executio & singularis institutio processu dein temporis facta est Episcoporum cura, qui Ecclesiis apostolicis præsidebant fundatis ab Apostolicis, duo quædam notatu valde digna contigere. Primum enim inde factum est, ut veteres hanc provinciarum divisionem non ipsis Apostolis, sed patribus & vetustæ consuetudini tribuerint. Unde pariter factum, ut Episcopi magnarum urbium, cum Episcopos ad novas provincias fundandas mitterent, eximium quoddam jus in ceteras Ecclesias sibi reservaverint; quod ei privilegio respondebat, quo ratione originis potiuntur erga colonias a se deductas eæ urbes, quæ inde *Matres* appellantur a veteribus. Jus autem illud situm erat in quodam veluti obsequio & reverentia; quæ validiora erant vel remissiora inter Ecclesias juxta uniuscujusque possessionem, quam servari præcipit Concilium Nicænum canone sexto.

Vide lib. 1. c. 1 §. 5.

Episcopi trium magnarum urbium imperii Romani, Romæ videlicet, Alexandriæ & Antiochiæ, jure illo singulari potiebantur in plerasque provincias, ut ceteris præeminerent. Episcopus enim Romanus Episcopos instituit in Italia, Galliis, Hispaniis, Africa & insulis. Quam ob rem provinciarum illarum Episcopi suum caput esse Romanum fatebantur, ut scribit Innocentius primus in epistola ad Decentium Eugubinum. Ob eandem causam Ægyptus Episcopum Alexandriæ velut Patriarcham

cham suum agnoscebat, & provinciæ Diœceseos orientalis Antiochenum. Præterea ceteræ Ecclesiæ apostolicæ, tametsi ab eorum Episcoporum patriarchatu non penderent, magnos illis honores habebant, contemplatione dignitatis urbium, in quibus illi erant instituti, & ob reverentiam Petri episcopatus eorum institutoris. Nam Roma erat orbis domina; Alexandria secunda Romani imperii civitas, eo quod Ægyptiaci regni caput esset, Antiochia vero, tertia, quod Regina orientis esset, in eaque Reges Seleucidarum sedes fixissent, ut testantur Strabo, Herodianus, aliique veteres.

X. Attamen dissimulanda non est insignis difficultas, quæ nostram hanc opinionem de distributione provinciarum ab Apostolis facta impugnare videtur, eo videlicet argumento, quod divisio, quæ deprehenditur in subscriptionibus Concilii Nicæni, Ephesini, & Chalcedonensis, omnino similis est ei, quæ ab Imperatore Constantino peracta est in imperio, ita, ut & provinciæ & Diœceses ecclesiasticæ, id est, magna illa provinciarum inter se conjunctarum corpora, similes sint iis, quas Constantinus in imperio instituit, quando creavit Præfectos prætorio & eorum Vicarios. Unde factum, ut Concilium Constantinopolitanum trium Diœceseon, *Asianæ*, *Ponticæ* & *Thracicæ* mentionem faciat, præter Diœceses orientis & Ægypti. Occidens insuper duas in Italia Diœceses habebat, unam in Galliis, aliam in Hispania, aliam item in Africa, ac demum in Illyrico unam.

XI. Adversus hæc argumenta excipi potest, post Apostolorum tempora innovationem quandam circa provincias evenisse: quæ tamen veterem illam metropoleon institutionem non abolevit, sed auxit, eamque illustriorem fecit. Primum enim provinciæ, quæ immensum patebant, in duas vel tres in laterculo Ecclesiæ sectæ sunt post Apostolorum tempora, cum id in imperio factum fuisset ab Imperatoribus pro utilitate reipublicæ. Exempli causa, Africa, quæ ab uno tantum Metropolitano regebatur, id est, Episcopo Carthaginis, divisa est in sex provincias ecclesiasticas. Galatia, quæ vivente Paulo una tantum provincia fuit, in primam dein & secundam secta est in imperio & in Ecclesia, quod evenit etiam Cappadociæ & Ponto. Idem quoque factitatum in Gallia; quæ cum ab Augusto divisa esset in partes quatuor, in plures dein ab Hadriano secta est, diu tamen ante, quam Dei religio per omnem Galliam suscepta esset.

XII. Excipi dein potest, novum diversarum provinciarum simul conjunctarum corpus a Constantino introductum esse sub nomine Diœceseon, eique formulæ se addixisse patres Constantinopolitanos in administranda Ecclesia; ut patet ex canone secundo Concilii Constantinopolitani & ex Socrate, qui Imperatorem approbasse hanc provinciarum ecclesiasticarum unionem; extatque ejus de ea re lex in Codice Theodosiano. Quin & Theodoretus hanc divisionem Diœceseon Concilio Constantinopolitano tribuit in epistola ad Flavianum. Ea tamen cautio adhibita est in illa provinciarum unione, quæ Diœcesim conficiebant, ne quid decideret de juribus provinciarum a Concilio Nicæno confirmatis; iis tantum exceptis, quæ infra explicabo.

Socrates lib. 5. c. 8.

l. 5. Cod. Theod. de fide cathol.

CAPUT II.

De auctoritate metropolitanorum in Synodis, & harum primo genere, propter electiones coactarum, ubi de antiquo jure eligendi potissima capita eruuntur.

SYNOPSIS.

I. Concilia quædam provincialia fortuito congregabantur, videlicet pro peragendis electionibus & ordinationibus Episcoporum. Alia vero certa erant & canonum decretis statuta, in quibus causæ ecclesiasticæ definiebantur.

II. Primum illud conventum genus Concilium est; ex Hincmaro, & Concilio Antiocheno. In Conciliis hujusmodi electiones discutiebantur, non peragebantur.

III. Quod in oriente obtinuit & in occidente. Aliter tamen visum quibusdam viris eruditis, quorum sententia refellitur.

IV. Episcopi, ante Concilium Nicænum, cleri ac plebis suffragio eligebantur; ex Cypriano, Concilio Nicæno, Constantino Imperatore & aliis.

V. Confirmatio electionis pertinebat ad Metropolitanum & ad Episcopos comprovinciales. Suffragium fraternitatis & judicium Episcoporum, *apud Cyprianum, explicantur. Usus ille descendit* de traditione divina & apostolica observatione, *ex Cypriano.*

VI. Eadem consuetudo vigebat etiam post Concilium Nicænum. Probatur ex Concilio Chalcedonensi, & ex Justiniano. Genuinus sensus canonis XIII. Laodiceni explicatus.

VII. Græcis tandem placitum, ut Episcoporum electiones a solis provinciæ Episcopis fierent. Ita visum patribus secundæ synodi Nicænæ. Detegitur hallucinatio Zonaræ, Balsamonis & Matthæi Blastaris. Vox χειροτονίας apud auctores ecclesiasticos significat semper ordinationem.

VIII. Robustius laicos ab electionibus Episcoporum removit octava synodus, cujus ea de re canon extat in versione Anastasii.

IX. In occidente sero laici exclusi sunt ab electionibus Episcoporum. Jus illud translatum ad Canonicos Ecclesiarum cathedralium sub finem seculi duodecimi. Reges tamen Francorum fruebantur quibusdam privilegiis, quæ explicantur.

X. Ex iis, quæ dicta sunt, deprehenditur verus sensus Concilii Nicani primi. Dionysius Exiguus χειροτονίαν vertit ordinationem.

XI. Electio Episcopi approbari debet ab Episcopis provinciæ. Ordinatio autem a tribus saltem Episcopis est peragenda. Confirmatio sive τὸ κῦρος, pertinet ad Metropolitanum. In dissidio obtinere debet sententia plurimorum.

XII. Decretum electionis scripto fiebat. Judicium, & dein ordinatio, ad Metropolitanum & Episcopos comprovinciales pertinent. Probatur multis auctoritatibus.

XIII. Divisis eligentium votis, arbitrium discordiæ referendum est ad Metropolitanum; cujus judicio is præferri debet, qui majoribus & studiis juvatur & meritis, ut inquit Leo primus.

XIV. Forma electionum præscripta a Justiniano. Non licebat appellare a confirmatione electionis. Solum adversus confirmationem datam remedium erat ordinati depositio.

I. Post explicatam Metropolitarum institutionem superest, ut eorum auctoritatem consideremus, ac præterea eam, quæ provincialibus synodis competebat. Ac primo quidem adnotandum est, duo fuisse genera Conciliorum. Nam quædam fortuito congregabantur, nullo temporis ordine servato, sed prout occasio ferret, videlicet pro peragendis electionibus & ordinationibus Episcoporum. Alia certa erant & canonum decretis statuta bis in anno, aut saltem semel; & in iis causæ ecclesiasticæ litesque civiles & criminales cleri judicabantur, & provinciæ politia ordinabatur.

II. Primum illud conventuum genus quin Concilium vocari debeat, nullus dubito, Hincmarum sequens; cum præsertim Antiochenum Concilium in XIX. canone synodum appellet cœtum Episcoporum ad ordinationem congregatorum: *Episcopus præter synodum & præsentiam Metropolitani nullatenus ordinetur.* Ea non erat præcipua istius Concilii cura, ut Episcopum eligeret in sede vacante, sed, ut examinaret, an electio canonica esset, an electus canonicis impedimentis prohiberetur accedere

dere ad episcopatum, ob bigamiam videlicet, ætatis defectum, aut ignorantiam, & utrum accusatio aliqua adversus eum instituta esset. Et si nihil horum obsisteret, ordinatio peragebatur.

III. Synodus ergo illa, ut dixi, non ob id præcipue cogebatur, neque in occidente, neque in oriente, ut electionem celebraret. Verum huic meæ scriptioni refragantur eruditorum virorum sententiæ, quibus persuasum est, eam fuisse Ecclesiarum orientalium consuetudinem, ut nullum electionis Episcoporum genus apud eas viguerit, quam ejus, quæ fiebat ab Episcopis; exclusa prorsus electione cleri & populi, quæ in solo occidente usurpabatur. Ea est opinio Cl. V. Jacobi Sirmondi & aliorum quorundam; qui eam se colligere existimant ex canone IV. Synodi Nicænæ, XIII. Laodiceno, & ex commentariis Zonaræ & Balsamonis, qui canones illos ita interpretantur. Attamen ab ea sententia discedere cogor, quod videam, orientales usurpasse electiones a clero & a populo factas ante & post habita illa Concilia; quæ & Conciliorum Nicæni & Chalcedonensis auctoritate & Principum legibus firmatæ sunt.

IV. Haud sane destinatum mihi est agere hoc loco de electionibus; nihilque aliud in præsentiarum promere placet, quam novam rationem, necessariam tamen, ad interpretandos canones Nicænum & Laodicenum, cum ii fundamentum & basis esse debeant earum rerum, quæ dicturi sumus de auctoritate Metropolitani & Episcoporum comprovincialium in peragendis ordinationibus. Auctoritas illa in eo versatur, non ut electio ab illis celebretur, sed, ut eam approbent aut repudient, prout consentanea fuerit aut contraria canonibus, (quod a canonici juris interpretibus vocatur jus confirmandi electionem) utque dein electi ordinationem aut consecrationem peragant. Certum itaque est, Episcopos ante Concilium Nicænum electos fuisse *cleri ac plebis suffragio*, ut loquitur Cyprianus. Idipsum verbis minime ambiguis docet Nicæna synodus, quæ sibi ipsi repugnare non potest, in epistola ad Episcopos Ægypti scripta, quæ extat apud Theodoretum; cui consentiunt Constantinus Imperator ad populum Antiochenum scribens & Athanasii apologia variis in locis.

Cypr. lib. 1. ep. 3. & 4. Theodor. lib. 1. cap. 9. Euseb. lib. 3. de vita Constant. c. 58. 59. 60. Athan. Apol. 2. in literis Synodi Alexand. & Julii, & in epistola ad Orthodoxos.

V. At confirmatio electionis ad Metropolitanum præcipue spectabat, & ad Episcopos comprovinciales, qui ob eam rem congregati erant, sive quum electio celebrabatur, vel postquam ea facta, decretum ejus ad Metropolitanum fuerat delatum. Clerum ac populum suffragia sua conferre consuevisse, Episcoposque eodem tempore judicium suum tulisse, testis est Cyprianus, de Sabino Episcopo scribens: *Ut de universæ fraternitatis suffragio & de Episcoporum, qui in præsentia convenerant, judicio episcopatus ei deferretur.* Quo in loco Cypriani id accurate considerandum est, eum distinguere jus suffragii, quod fraternitati competit, id est, clero & populo a judicio, quod Episcopis tribuit, id est, examine electionis & confirmatione. Usum autem illum *de traditione divina & apostolica observatione* descendisse pronuntiat. Quare antiquus auctor constitutionum apostolicarum præcipit, ut is, qui electus fuerit a populo, Episcopis præsentetur, & ut is, qui primus est inter eos, diligenter inquirat de omnibus iis, quæ necessaria sunt, ut ei manus imponantur.

Cyprian. lib. 1. epist. 4.

Constit. Apostol. lib. 8. c. 4. ὁ δὲ προέχων τῶν λοιπῶν.

VI. Post Concilium Nicænum clerus & populus intererant electionibus. Clarissima hujus sententiæ argumenta extant in Concilio Chalcedonensi; quod electionis Metropolitanorum, in quibus præcipuo quodam & eximio jure interesse possunt Episcopi, formulam præscribens decernit, ut fiant decreto clericorum metropoleos, possessorum, & clarissimorum virorum, & Episcoporum provinciæ; quibus jus præcipuum competebat, quod ageretur de electione Metropolitani. *Decreto facto a clericis uniuscujusque metropolis, & possessoribus, atque clarissimis viris, super hac & a reverendissimis Episcopis provinciæ.* In actione XI. ejusdem Concilii Stephanus Episcopus Ephesinus probare volens, se canonice vocatum esse ad metropolim Ephesinam, ait, se a quadraginta Episcopis Asiæ ordinatum fuisse cum decreto & consensu præcipuorum & clarissimorum civium urbis totiusque cleri. *Me quadraginta Episcopi Asiani suffragio clarissimorum & primatum & totius reverendissimi cleri & omnis civitatis ordinaverunt.* Clerum & populum interfuisse electionibus Episcoporum post tempora Concilii Nicæni, probatur etiam ex Justiniano, qui disertis verbis præcipit, ut Episcopus eligatur *per clericos & primates*, πρώτους τῆς πόλεως, *cujus futurus est Episcopus*, & ut decretum ad Metropolitanum perferatur, ab eo examinandum. Ex hac lege colligitur genuinus sensus canonis XIII. synodi Laodicenæ: *Quod non sit permittendum turbis, electiones eorum facere, qui sunt ad sacerdotium promovendi.* Lex enim conservans, secundum canones, jus suffragii civibus honoratis, sive primatibus civitatis, ut illa loquitur, plane ostendit, ab eo jure vi canonis excludi plebeculam. Prohibitio enim hæc non extenditur ad *honoratos* & *ordinem*, ut Latini vocant, vel, ut cum Græcis loquamur, ad λαμπροτάτους, λογάδας, πρώτους; sed propter eos tantum lata est, quos canon ille τοὺς ὄχλους nuncupat, quos vero Dionysius vertit *turbas*.

Concil. Chalcedon. Act. 16.

Concil. Chalcedon. Act. XI.

Novella 123. c. 1. & Novell. 137. c. 2. & l. 42. c. de Episc. &. Cleric.

Vide lib. 8. c. 6 §. 2. & seqq.

VII. Fatendum tamen est, Græcis tandem placitum, ut & ipsi magistratus a jure eligendorum Episcoporum arcerentur, quos a solis provinciæ Episcopis eligi satius esse existimarunt. Ita visum patribus Nicænæ synodi secundæ: qui tamen, ne hujus novæ institutionis auctores esse viderentur, ejus originem prorsus importune arcessunt a canone quarto synodi Nicænæ I. prætextu quorundam verborum hujus canonis, quæ ambigua esse videntur. Decretum hoc prompta reverentia susceperunt universæ orientis Ecclesiæ. Hinc orta est hallucinatio Zonaræ, Balsamonis, & Matthæi Blastaris; qui seculi sui morem præ oculis habentes, secuti auctoritatem septimæ synodi, crediderunt, eadem ratione explicandum esse canonem Concilii primi Nicæni. Atque id eo facilius sibi persuaserunt, quod existimaverint vocem χειροτονία, quæ in canone quarto Nicæno habetur, accipi posse, quasi significet electionem, cum eo sensu reperiatur apud Demosthenem & alios auctores prophanos. Apud auctores tamen ecclesiasticos vox illa semper significat ordinationem, quemadmodum a Frontone Ducæo adnotatum est in Notis ad opera Chrysostomi.

Concil. Nic. 2. c. 3.

VIII. Laicos ab electionibus Episcoporum robustius removit octava synodus, secuta exemplum septimæ: cujus canon habetur in versione Anastasii Bibliothecarii, tametsi inter Græcos canones non reperiatur. *Promotiones atque consecrationes Episcoporum, concordans prioribus Conciliis, electione ac decreto Episcoporum collegii fieri sancta hæc & universalis synodus definit & statuit; atque jure promulgat, neminem laicorum principum vel potentum semet inserere electioni vel promotioni Patriarchæ, vel Metropolitæ, aut cujuslibet Episcopi; ne videlicet inordinata hinc & incongrua fiat confusio vel contentio; præsertim cum nullam in talibus potestatem quemquam potestativorum vel ceterorum laicorum habere conveniat, sed potius silere ac attendere sibi usquequo regulariter a collegio ecclesiastico suscipiat finem electio futuri Pontificis.*

Synod. octava can. 22.

IX. Quod attinet ad Ecclesias occidentis, diutius illæ jus electionum permisere clero & laicis, atque ipsi etiam plebeculæ, & ipsis etiam Gregorii VII. temporibus, id est, seculo undecimo; ut patet

Gregor. VII. l. 1. ep. 35. 36. lib. 2. epist. 50.

lib. 5. ep. 3. 5. 8. 11. lib. 6. ep. 21. lib. 8. ep. 1. 3. 18. 19. 20. lib. 9. ep. 18.

patet ex ejus epistolis. Sed fine seculi duodecimi clerus & populus paulatim jus electionum transmiserunt ad Canonicos Ecclesiarum cathedralium; quos novo jure confirmarunt Pontificum Romanorum variæ & multiplices constitutiones, quæ habentur editæ in libris Decretalium, in Clementinis, & inter Extravagantes. Reges nihilominus Francorum privilegiis quibusdam fruebantur, sive integræ nominationis, sive necessitatis obtinendi eorum consensum in personam electi. Populus enim diutius jus suum in Gallia retinuit, quam alibi. Certe ævo D. Bernardi, hoc est, duodecimo seculo, electiones Episcoporum Cabilonensis & Gebennensis factæ sunt cum consensu populi; tametsi apud Senones, & in aliis quibusdam Ecclesiis, eas clerus perageret cum consensu monachorum diœceseos.

S. Bern. ep. 13. 27.

Idem ep. 202. 275. 282. 329. & lib. 3. de Consid. c. 2.

X. Ex iis, quæ supra dicta sunt, discimus, canonem quartum Concilii Nicæni primi non tribuere Episcopis jus electionis, sed consensus tantum aut confirmationis, & auctoritatem ordinationis.

Interpretationi huic meæ favet versio Dionysii Exigui, qui χειροτονίαν heic vertit *ordinationem*, non autem *electionem*, quam Concilium jam antea factam esse volebat juxta usum perpetuum Ecclesiæ: *Episcopum convenit maxime quidem ab omnibus, qui sunt in provincia Episcopis ordinari. Si autem hoc difficile fuerit, aut propter instantem necessitatem, aut propter itineris longitudinem, tribus tamen omnimodis in idipsum convenientibus, & absentibus quoque pari modo decernentibus & per scripta consentientibus, tunc ordinatio celebretur. Firmitas autem eorum, quæ geruntur, per unamquamque provinciam Metropolitano tribuatur Episcopo.* Canonem hunc sequuntur & interpretantur Concilium Africanum can. XIII. & Antiochenum can. XIX. quod addit, Metropolitanum ea de causa coepiscopos suos convocare.

XI. Itaque tres ex iis canonibus regulæ colliguntur. Prima est, debere Episcopos provinciæ illius, in qua ordinandus est Episcopus, ejus electionem approbare eique consensus suos adhibere; viva scilicet voce, si præsentes fuerint; aut per literas, si eos abesse contingat. Secunda, ordinationem a tribus saltem Episcopis esse peragendam. Tertia, firmitatem eorum omnium, id est, confirmationem, sive τὸ κῦρος, ut loquitur Concilium, pertinere ad Metropolitanum. Regula prima & tertia explicantur in canone sexto Nicæno, ubi statuitur, eum pro Episcopo habendum non esse, qui absque consensu Metropolitani fuerit ordinatus. Unde patet, magni momenti visam esse veteribus auctoritatem Metropolitani. Attamen si ille aut alius quispiam Episcopus pertinacia potius, quam ratione pugnaret adversus communem sententiam collegarum suorum, ita tamen, ut repugnantium numerus duos vel tres non excedat, statuit Concilium, obtinere debere sententiam plurimorum. *Obtineat*, inquit, *sententia plurimorum*.

XII. Decretum electionis scripto fiebat, ut constat ex epistolis Papæ Leonis I. in actione XVI. Concilii Chalcedonensis descriptis & ex pluribus aliis auctoritatibus. Examen, discussio, judicium, & dein ordinatio ad Metropolitanum & ad Episcopos comprovinciales pertinent secundum antiquos canones. *Judicium* id, aut *confirmatio electionis*, dicitur in canone XXVII. Concilii Antiocheni: *Servetur autem jus ecclesiasticum, id continens, oportere non aliter fieri, nisi cum synodo & judicio Episcoporum, qui post obitum quiescentis potestatem habent, eum, qui dignus extiterit, promovere.* Quod autem hoc loco nominatur *judicium Episcoporum*, in canone XIX. ejusdem Concilii dicitur *decretum ordinarium*; ubi etiam admonetur, necessariam esse auctoritatem Metropolitani. Disciplina eadem deprehenditur in canone XII. Laodiceni Concilii, quod etiam judicii vocem in eadem causa usurpet: *Ut Episcopi judicio Metropolitanorum & eorum Episcoporum, qui circumcirca sunt, provehantur ad ecclesiasticam potestatem.* Magnam orientalibus illis Conciliis lucem adferunt canones occidentis, qui judicium difficultatum in electionibus contingentium Episcopis permittunt. Canon XL. Concilii III. Carthaginensis, qui est quinquagesimus in Codice canonum Ecclesiæ Africanæ, statuit, ut, si qua contradictio fuerit oborta adversus personam electi, ab Episcopis, qui ordinationem peracturi sunt, judicetur, quem locum, ut & plerosque alios canones ad hanc materiam spectantes, in Decretum suum retulit Gratianus.

Dist. 23. cap. *Illud statuendum.*

XIII. Quod si in plures personas divisa fuerint eligentium vota, censuit Leo, arbitrium discordiæ hujus referendum esse ad Metropolitanum; cujus judicio is præferri debebit, in quem major eligentium pars consenserit, habita ratione meritorum ejus. *Cum ergo*, inquit, *de summi sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præferatur, quem cleri plebisque consensus concorditer postularit; ita, ut, si in aliam forte personam partium se vota diviserint, Metropolitani judicio is alteri præferatur, qui majoribus & studiis juvatur & meritis.*

Leo I. in Epist. ad Anast. Thessal. & ad Gratian. d. 63. c. fin.

XIV. Justinianus Imp. cum formam electionum in Novellis constitutionibus præscripsisset, ea videlicet ratione, ut clerici & cives honorati trium personarum electionem scripto facere teneantur, edicit, ut decretum electionis istiusmodi ad Metropolitanum & ad ejus synodum deferatur, ut unus e tribus deligatur. Quod si accusatio quæpiam adversus electum instituta fuerit, eam Metropolitanus intra trium mensium spatium judicare debet, ut deinceps ordinatio peragi possit; hoc tamen addito, ut tota culpa in Metropolitanum rejicienda sit, si ea facta fuerit contra canones. Non licebat igitur appellare a confirmatione electionis; nullaque alia ratio suppetebat ad infringendum confirmationis decretum, quam ut Episcopus recens ordinatus depositionis pœna plecteretur, si justa aliqua causa subesset.

Nov. 123. & 137.

CAPUT III.

De antiquo jure metropolitico in Gallia circa electionem & consecrationem Prælatorum.

S Y N O P S I S.

I. In Gallia, judicium electionis & ordinationis pertinebat ad Metropolitanum & ad Episcopos provinciæ, ex Leone I.

II. Et ex Concilio Arelatensi secundo. Regis consensum necessarium esse decernit Concilium Aurelianense V.

III. Eadem forma observata est sub secunda Regum nostrorum dynastia. Ævo Caroli Magni omnes Metropolitani vocabantur Apostolici. Abstinuit sequens ætas ab illa simplicitate. Prisci eligendorum Episcoporum mores approbati in Capitularibus.

IV. Sede vacante, clerus a Rege postulabat licentiam eligendi. Scribebat etiam ad Metropolitanum, qui secundum Regis voluntatem Episcopum visitatorem delegabat in Ecclesia vacante. Qui cleri vocabulo comprehendantur. Quæ fuerint Visitatoris partes. Electionum ritus.

V. Si electores scienter elegissent indignum, electio devolvebatur ad Metropolitanum & ad Episcopos provinciæ.

VI. Hincmarus explicatus. Forma examinis electionis.

VII. Vicarii Episcoporum absentium exhibebant

vicem

vicem eorum cum litteris tractoriis. Variæ tractoriarum species.

VIII. Si nihil canonicum obstabat, Metropolitanus ordinabat electum; ac dein illi litteras tribuebat, quibus fidem faceret ordinationis. In earum locum successere Bullæ pontificiæ.

IX. Sub tertia Regum nostrorum dynastia vetus electionum forma servata est, ut patet ex Ivone Carnotensi. Ejus ætate introduci in Ecclesiam cœpere appellationes a confirmatione electionum.

X. In Gallia consecratio Episcoporum fiebat a Metropolitano & Episcopis comprovincialibus, absque auctoritate summi Pontificis, nisi Metropolitanus electum ordinare recusaret. Quo casu, appellabatur ad summum Pontificem. Suspensis Metropolitanis, Legati sedis apostolicæ ad se trahere conabantur consecrationes Episcoporum. Ivo tamen negat, id justum esse.

XI. Viguit eadem regula in universo occidente, etiam sub Gregorio VII.

XII. Duodecimo seculo introducta appellatio ad apostolicam sedem. Consecratio tamen Metropolitano & duobus Episcopis comprovincialibus relicta. Gregorius VII. recusat consecrare quendam Episcopum, donec constiterit, eum a jurisdictione Metropolitani sui esse exemptum. Nihil huic Metropolitanorum juri adversum reperitur in Decreto aut Decretalibus.

XIII. Episcopi ordinati scripto tradebant professionem fidei, sed nullam Episcopis obedientiam promittebant. Ea nova est, & ævo Leonis I. inventa. Inquiritur in originem subsequentium sponsionum. Discrimen professionis, quæ Regi præstatur & Metropolitano.

XIV. Magnam fuisse professionis vim, quæ Metropolitano fiebat, ostendit Ivo. Quid mediæ ætatis Pontifices circa hæc decreverint.

ADDITIO. *Ad se tandem traxerunt confirmationes & consecrationes Episcoporum, a quibus juramentum fidelitatis exigebant. Unde factum, ut illud Metropolitanis præstare recusarent suffraganei. Quorum temeritatem repressit Clemens VI.*

I. PRaxis illa, quæ per universam Ecclesiam vigebat, qua judicium electionis & ordinationis permittitur Metropolitano & coepiscopis ejus, prorsus obtinebat in Galliis; adeoque certa res est ac tam claris argumentis constans, ut a congerendis hoc loci innumeris testimoniis abstinendum censeam, paucis contentus. Totam hanc materiam paucis verbis complexus est Leo I. in epistola ad Rusticum Episcopum Narbonensem: *Nulla ratio sinit, ut inter Episcopos habeantur, qui nec a clericis sunt electi, nec a plebibus expetiti, nec a provincialibus Episcopis cum judicio Metropolitani consecrati.* Ubi vides, Leonem æque ac canones supra laudatos, *judicii* vocabulum usurpare, ut electionis confirmationem significet.

II. Concilia Gallicana vim disciplinæ hujus constantissime retinuerunt. Omnium antiquissime de ea re sancivit Concilium Arelatense secundum habitum circa annum CCCCXLV. in cujus canone quinto hæc leguntur: *Episcopum sine Metropolitano, vel epistola Metropolitani, vel tribus comprovincialibus, non liceat ordinare; ita ut alii comprovinciales admoneantur, ut se suo responso consensisse significent. Quod si inter partes aliqua nata fuerit dubitatio, majori numero Metropolitanus in electione consentiat.* Morem illum suis decretis confirmarunt Concilia Arvernense & Aurelianense quintum, quod Regis consensum electioni cleri & plebis connectit, ut necessarium, potestatemque Metropolitano facit vices suas uni ex coepiscopis suis delegandi ad consecrationem impertiendam: *Cum voluntate Regis, juxta electionem cleri ac plebis, sicut in antiquis canonibus tenetur scriptum, a Metropolitano, vel quem in vice sua præmiserit, cum comprovincialibus Pontifex consecretur.* Extant præterea quamplures aliæ synodi, quæ docent electiones olim sub prima Regum nostrorum dynastia fuisse confirmatas a Metropolitano & comprovincialibus Episcopis, quorum etiam ministerio manus imponebantur Episcopis.

Conc. Arvern. an. 535. c. 2.

Concil. Aurelian. V. an. 549. c. 10.

III. Sub Carolo dein Magno & Ludovico Pio forma eadem observata est. Quippe tum post electionem cleri & populi, ut docet Alcuinus, decretum electionis ad Metropolitanum deferebatur, ut electum consecraret. *Cum Episcopus civitatis*, inquit Alcuinus, *fuerit defunctus, eligitur alius a clero seu populo; fitque decretum ab illis; & veniunt ad APOSTOLICUM cum suo electo, deferente secum suggestionem, hoc est, rogatorias literas, ut eis consecret Episcopum.* Ceterum heic observandus est modus loquendi illarum tempestatum, quibus licebat Metropolitano tribuere titulum Apostolici: cujus moris initia referenda sunt ad tempora Gregorii Turonensis. Sequens ætas abstinuit ab illa simplicitate; & deinceps Apostolici titulus soli Romano Pontifici tributus est ab auctoribus.

Alcuinus de divinis offic. c. 36.

Vide Notas ad Agobardum p. 115.

Canon XII. Concilii Laodiceni, quem supra adduximus, vim legis in Gallia obtinuit, postquam in Regum nostrorum Capitulis descriptum est. Idem dicendum est de canone Carthaginensi, qui præscribit modum examinandæ contradictionis obortæ adversus personam electi. Supremum autem harum rerum judicium illic tribuitur Archiepiscopo, ut eadem Capitula regia loquuntur, & Episcopis comprovincialibus.

Perspicua est in hoc negotio synodi Tullensis apud Saponarias congregatæ sententia, quæ, ad Britonum Episcopos scribens, ait, consecrationem Episcopi ab iis peragi canonice non posse absque præsentia aut consensu Herardi Turonorum Archiepiscopi: *Ita, ut præter ejus præsentiam aut consensum nullus canonice possit ordinari Episcopus.*

Sed inutile foret diutius immorari in recensendis testimoniis, quibus hæc opinio fulciatur, cum extent formulæ, quæ tum in usu erant, editæ cum operibus Hincmari & in calce tomi secundi Conciliorum Galliæ. Formulæ porro illæ melius docent priscum morem, quam nuda & simplex canonum lectio. Usus enim præsens facilius eis genuinum eorum sensum indicabat, quam facere possit nostro seculo improba lectio usu destituta.

IV. Sede igitur vacante, clerus civitatis Regem admonebat eam vacare, quo libertatem eligendi ab eo impetraret. Literæ præterea scribebantur ad Metropolitanum pro eadem causa: qui precibus itidem suis Regem adibat, simulque poscebat uti Rex patefaceret, quemnam Episcopum delegari cuperet Visitatorem in Ecclesia vacante. Origo hujus instituti, nimirum, ut Episcopus quidam ad Ecclesiam vacantem dirigatur, qui electionem quantocyus fieri procuret, petenda est a Concilio Africano, ubi Episcopi illi vocantur *Intercessores*, quos vero sanctus Gregorius *Visitatores* nominat. Data eligendi licentia, clerus & populus illius Ecclesiæ conveniebant ad celebrandam electionem. Cleri autem vocabulo comprehenduntur, non solum clerici civitatis, id est, Canonici Ecclesiæ cathedralis, & Rectores parœciarum civitatis, sed etiam clerici monasteriorum, & Presbyteri rusticanarum parœciarum, qui vicarios suos mittebant cum literis, quæ consensus suos testarentur ac illorum, qui in eorum parœciis habitabant. Cives quoque & nobiles laici civitatis in hoc cœtu præsentes esse debebant. Unde eruitur interpretatio horum vocabulorum, alioqui obscurorum, quæ leguntur in decretis Cælestini & Leonis Pontificum Romanorum; qui ad hoc, ut electio legitima censeri possit, volunt, ut in eam consentiant *vota civium, desideria populorum, honoratorum arbitrium, electio clericorum, ordinis consensus*, id est, consensus cleri & populi totius diœceseos, qui heic describitur secundum varias hominum conditiones. Visitator a Metropolitano delegatus orationem ad eos habebat, & coram legi jubebat canones & decreta Pon-

Cod. Canon. Eccles. Afric. cap. 74.

Hincmar. in form. 11. *Quia electio non tantum a civitatis clericis erat agenda, verum & de omnibus monasteriis ipsius parochiæ, & de rusticanarum parochiarum Presbyteris occurrant Vicarii, commorantium secum concordia vota ferentes.*

Sed & laici nobiles ac cives adesse debebunt.

Quoniam ab omnibus debet eligi, cui debet ab omnibus obediri.

Pontificum Romanorum, in quibus forma electionum continetur, & cujufmodi homo debeat effe is, qui eligendus eft. Poft factam electionem præfente Vifitatore, decretum ejus fcripto tradebatur, & ab omnibus electoribus fubfcribebatur; ac deinde, die a Metropolitano indicta, ad eum deferebatur a certo electorum numero, qui fidem facerent eorum, quæ acta erant; & Metropolitani præfentiæ fiftere fe debebat electus, pro examine. Interim apud Regem id agebatur, ut ipfe confenfum fuum præftaret in gratiam electi. Metropolitanus datis ad comprovinciales Epifcopos, ad electum, & vicarios electorum literis, utrofque ad diem, quam edicebat, & ad certum locum evocabat ad examinandum decretum & virtutes electi. Quod fi in varias perfonas fe vota partium diviſiffent, Metropolitanus eum præferebat, *qui majoribus ftudiis juvabatur & meritis*, id eft, eum, quem major pars elegerat, & qui capax in primis videbatur. Dein electum examinabat, ut intelligeret, an aliquo impedimento canonico prohiberetur ejus ordinatio, utrum ea doctrina præditus effet, quæ Epifcopo neceffaria eft, & utrum in profeffione fidei catholice crederet. Si quod in eo impedimentum reperiretur, electio repudiabatur & electores jubebantur novam electionem celebrare, ut patet ex formula fecunda.

V. At fi electores fcienter & de induftria virum elegiffent, qui fecundum canones aliquo impedimento teneretur, eis pœna imponebatur ob contemptum canonum; & Metropolitanus eo cafu electionem celebrabat cum Epifcopis comprovincialibus. Judicium autem illud circa vitium electi fiebat a Metropolitano & Epifcopis, ut patet ex Hincmaro in formula quarta: *Si perfonam a facris canonibus deviam fcienter nobis adduxeritis, non folum ex ea Pontificem non habebitis, verum etiam pro illicita electione, ut contemptores canonum, judicium incurretis; fed & noftro ac coepifcoporum judicio refutata rationabiliter electione veftra incongrua, talem fecundum Laodicenfes canones ftudebimus eligere, qui veftris vitiofis voluntatibus non valeat confentire.*

VI. Cavendum igitur eft ab eodem Hincmaro adverfus Hincmarum Laudunenfem Epifcopum fcribente; qui defcribens fpecialia Metropolitani jura circa electiones ait: *In Remenfi provincia fi fuerit defunctus Epifcopus, ego, & non tu, Vifitatorem ipfi viduatæ defignabo Ecclefiæ, & electionem cum decreto canonico præcipiam fieri. Et fi in partes fe eligentium vota diviferint, meum, & non tuum erit, eligere, qui majoribus ad ordinandum ftudiis juvetur & meritis.* Vera quidem hæc citra omnem controverfiam. Sed id, quod poftea fequitur, explicatione indiget: *Et meum eft*, inquit, *ordinandum examinare, non tuum.* Significat folius Metropolitani effe, electum interrogare, neque id licere Epifcopis comprovincialibus, ullo modo. Examen nihilominus illud fit a Metropolitano coram Epifcopis comprovincialibus, ut videre eft in examine Epifcopi Catalaunenfis, quod in formula XI. defcriptum eft. *Anno ab Incarnatione Domini DCCCLXVIII. convenientibus apud Carifiacum in Ecclefia pro examinatione VVilleberti Presbyteri, qui futurus erat Catalaunenfis Epifcopus, Hincmaro diœcefis Remenfium Archiepifcopo, item Hincmaro Laudunenfium Epifcopo, Hodone Belgivacorum Epifcopo, cum Legatis Hrotadi, Erpoini, Hilmeradi, Raginelmi, & Joannis ejufdem diœcefis coepifcoporum vicem eorundem patrum fuorum cum tractoriis, ficut regulæ præcipiunt, exhibentibus, & quampturimis Abbatibus, Canonicis, Monachis, Presbyteris, Diaconibus, atque Subdiaconibus.*

VII. Legati five Vicarii Epifcoporum abfentium exhibebant vicem eorum cum literis tractoriis. Sic illa ætas vocabat literas, quibus Epifcopi committebant fuas vices iis, quos ad fynodos mittebant; ut patet ex hoc loco & ex formula XIV. quæ continet tractoriam, quam Prudentius Tricaffium Epifcopus per vicarium fuum mittit ad celebrandam electionem Epifcopi Parifienfis. In collectione tamen canonum Africanorum can. LXXVI. *tractoriæ* five *tractatoriæ* dicuntur literæ, quibus Metropolitanus Epifcopos comprovinciales invitat ad fynodum.

VIII. Itaque fi nihil canonicum obftaret, Metropolitanus cum coepifcopis fuis ordinabat electum; ac dein illi literas tribuebat, quibus fidem faceret ordinationis, aliafque infuper ad clerum & populum Ecclefiæ, cui ordinatus erat Epifcopus, juxta canones Africanos, qui ordinatos ab Epifcopis jubent accipere litteras ab ordinatoribus fuis: *Deinde placuit, ut quicunque deinceps ab Epifcopis ordinantur per provincias Africanas, literas accipiant ab ordinatoribus fuis manu eorum fubfcriptas, continentes Confulem & diem, ut nulla altercatio de pofterioribus vel anterioribus oriatur.* Cod. can. Eccl. Afric. c. 84. Harum literarum formulæ extant in formulis XV. & XVI. in quarum locum fubftitutæ funt Bullæ fummorum Pontificum.

IX. Sub tertia Regum noftrorum dynaftia vetus confirmationis electionum inftitutum perfeveravit in Gallia: ubi electiones fiebant a clero & populo, & a Metropolitano confirmabantur; vel, fi forte contradictio quædam oborta effet, examinabantur a Metropolitano cum confilio Epifcoporum comprovincialium, qui dein confecrationis munus electo impertiebant. Hunc feculi fui morem fuiffe docet Ivo Carnotenfis Epifcopus in epiftola CXXXVIII. *Electioni Domni Fulconis vel alterius affenfum non dabimus, nifi quem aut cleri plebifque confenfus elegerit, aut Metropolitani judicium cum connivenntia fuffraganeorum, habita legitima difcuffione, probaverit.* Vides itaque heic electionem Epifcopi Parifienfis a clero & populo effe peractam, & difcuffionem oppofitionum refervatam Metropolitano & Epifcopis comprovincialibus. Idem Ivo evocatus ab Archiepifcopo Senonenfi ad judicium hujus caufæ refpondit, fe fortaffis iturum ad eum; fed fi id fieri non poffit, totque præterea Epifcopi abfint, ut ea legitime definiri non valeat, fuadet, ut aut eam in aliud tempus differat, aut ad fedem apoftolicam contendentes remittat; quo Fulco ire decreverat, five rata five irrita cenferetur ejus electio. *Si autem aliqua præpediente ratione venire non potero, neque tot de collegis convenerint, qui ad tanti negotii definitionem fufficiant, aut in aliud tempus rem differte, aut ad fedem apoftolicam utramque partem remittite; ad quam iturus eft Domnus Fulco, five rata five irrita fiat ejus electio.* Ivo epift. 139. Locus porro hic docet, jam tum, fcilicet a fexcentis ferme annis, cœpiffe in Ecclefiam invehi appellationes a confirmatione electionum. Seculo duodecimo judicium controverfiarum, quæ in hujufcemodi electionibus fuboriebantur, pertinebat ad Metropolitanum & comprovinciales Epifcopos, ut ad Remenfem Archiepifcopum fcribit Innocentius III. Innoc. III. lib. 11. ep. 152.

X. Confecratio autem Epifcoporum fiebat in Gallia a Metropolitanis & comprovincialibus Epifcopis; nec quicquam in eas juris competebat Epifcopo Romano aut ejus Legatis. Attamen fi Metropolitanus electum ordinare recufabat, electores appellabant Pontificem Romanum; ut factum eft a Carnotenfibus, qui ab Urbano II. poftularunt, ut Ivonem, qui in locum Gofridi ab epifcopatu depofiti electus erat, confecrare dignaretur: Urbani II. ad Richer. Senon. Archiep. ep. 2. inter epiftolas Ivonis. qui cum Senonenfis Archiepifcopi contradictionem injuftam effe agnoviffet, Ivonem manibus propriis confecravit. Legati quin etiam Romanæ fedis contendebant, confecrationem Epifcopi ad fe pertinere, quoties Metropolitano provinciæ interdictum erat, ne quid epifcopalis operis ageret, quod vulgo fufpenfionem ab epifcopalibus functionibus vocant. Ivo tamen negat, id juftum effe, Ivo epift. 61. tametfi in eo cafu Legatis concedat confirmationem electionis, ceterum confecrationem, etiam in eo cafu, ad Epifcopos provinciæ pertinere. Idem epift. 54. Sane ipfe

ipse cum collegis suis Sancionem Episcopum Aurelianensem consecravit, quod Archiepiscopo Senonensi interdictum esset, ne Metropolitani munia exerceret.

XI. Ea tamen non erat Ecclesiæ Gallicanæ privata consuetudo, cum ejus usus in universo occidente tum temporis obtineret. Quippe seculo undecimo Concilium Romanum sub Gregorio VII. habitum anno MLXXX. statuit, ut defuncto pastore alicujus Ecclesiæ Visitator Episcopus ad eam dirigatur, sive a Papa in sua provincia, seu a Metropolitanis in suis quoque provinciis; cujus instantia clerus & populus celebrent canonice electionem alterius Episcopi, quam deinde confirmari oporteat a Metropolitano. Quod si is fortean eligeretur, qui idoneus non esset, Concilium electores, qui ad pravam electionem declinaverint, eligendi potestate privat pro hac vice. Quod ab Hincmaro adnotatum supra vidimus; & repetitum est in Concilio Lateranensi cap. *Quia propter*. De elect.

Cap. *Quia diligentia*. cap. *Innotuit*. c. *Cum dilectus*. De elect. c. *Cum olim*. De translat. Episc.

XII. Duodecimum seculum conservavit Metropolitanis auctoritatem examinandi electiones, eas confirmandi, & controversias circa hæc obortas judicandi; ut patet ex variis Decretalium locis, quæ laudantur in ora hujus paginæ. Appellatio tamen ad sedem apostolicam introducta est. In quo magna vis illata est vetustis canonibus. Consecratio tamen Metropolitano & duobus Episcopis comprovincialibus, modo consensu absentium non destituerentur, relicta est a Leone IX. & Gregorio VII. qui Episcopos, qui pertinent ad consecrationem Papæ, distinguit ab iis, qui pertinent ad consecrationem aliorum Metropolitanorum, in qua re adeo religiosum se præbuit, ut Episcopum quendam consecrare recusaverit, donec sibi constaret, eum a jurisdictione Metropolitani sui esse exemptum. Constantissimum est hoc Metropolitanorum jus; neque aliquid in Decreto Gratiani aut in Decretalibus invenitur ei adversum, nisi ob negligentiam Metropolitani, aut si canonicis censuris teneatur.

Leo IX. ep. 3. 4. Gregor. VII. Lib. 6. post ep. 50. Lib. 9. epist. 24.

XIII. Episcopi autem, postquam consecrati fuerant, scripto tradebant professionem fidei; sed nullam Episcopis obedientiam promittebant, nisi verbis generalibus conceptam, scilicet observaturos se, quæ canonibus præscripta essent. Praxim enim illam, quæ reverentiam quandam & obedientiam Metropolitano præstandam esse edicit, novam esse colligitur ex epistola Leonis I. ad Anastasium Thessalonicensem: in qua eum objurgat, quod ab Episcopo Attico *chartulam de obedientiæ sponsione* exegerat conscribi. *Legebatur*, inquit Leo, *in literis tuis, quod frater Atticus chartulam de obedientiæ sponsione conscripserat, in qua signum prodebatur injuriæ*. Locus hic relatus est in libris Decretalium; ubi glossa laborat in conciliatione ejus cum quibusdam aliis capitibus, sponsionem illam scripto tradi præcipientibus. Qua difficultate ut se expediat, Atticum ait clericum fuisse, cui animarum cura non erat commissa. Vera tamen solutio hæc est; anno nimirum CCCCL. id est, sub tempora Leonis primi sponsiones illas, sive *juramenta fidelitatis*, ut sequens ætas vocavit, nondum fuisse receptas in usum. Invaluere postea, adeo, ut in professione fidei, quam Episcopi in consecratione emittebant, mentio in primis fieret Metropolitani, cui pollicebantur, se ei obedientiam & reverentiam in canonibus & decretis sedis apostolicæ contentam conservaturos, & insuper privilegia, quæ secundum eosdem canones & decreta Metropolitanis debebantur, nulla prorsus mentione facta sedis apostolicæ. Origo hujus consuetudinis extat in libello quorundam Episcoporum Aquilejensium oblato Imperatori Mauritio circa annum DXC. qui ajunt, se tempore ordinationis suæ cautionem scriptis emittere, qua sponderent, se studiose servaturos fidem ordinatoris sui & fidem integram reipublicæ. Itaque hæc illorum professio fidei continebat, secuturos se exemplum & auctoritatem Metropolitani in damnandis hæresibus & pro canonum executione, ac præterea servaturos integram fidem, quæ reipublicæ, id est, Imperatoribus, debetur. *Suggerimus, pie Dominator, quia tempore ordinationis nostræ unusquisque sacerdos in sancta sede Aquilegiensi cautionem scriptis emittimus studiose de fide ordinatoris nostri, & nos fidem integram sanctæ reipublicæ servaturos*.

Ap. Baron. de an. 590. §. 42.

Formula professionis fidei Adalberti Morinensis Episcopi, quam ante consecrationem Hincmaro Metropolitano suo tradidit, docet, illum promisisse, se observaturum canones usu receptos & privilegium Metropolitani: *Privilegio etiam metropolis Remorum Ecclesiæ ac ejus Præsulis secundum sacrosanctos Conciliorum canones & decreta sedis apostolicæ ex sacris canonibus & legibus promulgata pro scire & posse absque dolo & simulatione vel indebita & pertinaci contradictione me obediturum profiteor*.

Professio Hincmari Laudunensis Episcopi continet juramentum fidelitatis ab eo Regi præstitum; cui se obediturum promittit, *sicut homo seniori suo*. Deinde promittit, se privilegio Hincmari Metropolitani Ecclesiæ Remensis obediturum secundum canones. Sed heic adnotandum est discrimen, quod intercedit inter utramque professionem; cum prima contineat fidem, quæ domino debetur a vasallo, altera vero obedientiam canonicam.

XIV. Quæ porro esset professionis illius vis, ostendit Ivo Carnotensis Archiepiscopi Senonensis suffraganeus. Hugo Lugdunensis Archiepiscopus & Ecclesiæ Romanæ Legatus eum evocaverat ad ordinationem Episcopi Nivernensis; quam Hugo peragere destinaverat omisso Archiepiscopo Senonensi, ad cujus metropolim pertinet Ecclesia Nivernensis. Respondit Ivo, timere se, ne si ad eam consecrationem accederet, reus fieret violatæ sponsionis, quam sedi metropolitanæ fecerat, id est, sponsionis a se factæ eo tempore, quo fuerat ordinatus: *Timentes rei fieri sponsionis, quam metropolitanæ sedi fecimus*. Quem morem ea tempestate ubique obtinuisse, scribit idem Ivo in epist. LXXIII. *Reliqui Pontifices ante consecrationem examinantur, omnem veterum morum honestatem & debitam obedientiam se exhibituros suis ordinatoribus pollicentur*.

Ivo epist. 61.

At Gregorius IX. Pontifex Romanus decrevit, ut Metropolitani a suffraganeis suis idem juramentum fidelitatis & obedientiæ canonicæ exigant, quod Pontifici Romano præstatur ab iis Episcopis, qui immediate pertinent ad ejus consecrationem; neque ipse aut alii Pontifices contendebant, ut Episcopi inferioris ordinis ullam sedi apostolicæ professionem fidei facerent.

In eo tamen mire lascivit sequens ætas ob reservationes Ecclesiarum cathedralium a summis Pontificibus introductas, de quibus agitur in capite IX. hujus libri. Hinc factum, ut, cum Episcopi auctoritate summi Pontificis inscio Metropolitano consecrarentur, juramentum fidelitatis exhibere Metropolitanis recusarent, eo prætextu, *quod ipsi Episcopi non fuerant per eorum Capitula electi, nec per Archiepiscopum suum Metropolitanum confirmati, seu etiam consecrati; sed solum per sanctam sedem apostolicam promoti, ac de ejus mandato in Curia Romana vel extra munus consecrationis receperant; cui sanctæ sedi apostolicæ juramentum præstiterant*; ut scribit Petrus de Judicia Archiepiscopus Narbonensis. Ægre ferebat hanc contumeliam sibi ac suæ sedi illatam idem Petrus. Itaque de ea re conquestus apud Clementem VI. avunculum suum, ad quem Episcopi illi rebelles appellaverant, injuriam illam ultus est. *Tandem, Deo disponente*, inquit ille, *proposito negotio in Consistorio, sententiam reportavi, & declarationem seu determinationem ad perpetuam rei memoriam pro me & aliis omnibus subditos habentibus obtinui: quam hic inserui, ut omnibus clarius pateat, & nullus amodo dubitare habeat in prædictis*.

Additio Baluzii.

DECLARATIO.

CLEMENS Episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Romanus Pontifex obtinens super universas orbis Ecclesias divina institutione primatum, circa ipsarum jurium conservationem more benevoli patris libenter intendit, sic eis, cum expedit, præficiendo Prælatos, ut per hoc juri alterius nullatenus derogetur. Cum itaque, sicut multorum insinuatio ad apostolatus nostri deduxit auditum, nonnulli revocare conentur in dubium, utrum Episcopi seu alii Prælati sedi apostolicæ non immediate subjecti, qui per sedem eandem ad cathedralium Ecclesiarum vel quarumcunque dignitatum regimina pro tempore promoventur, munusque consecrationis seu benedictionis a nobis, seu de mandato nostro in Romana Curia, seu extra suscipiunt, ac fidelitatis debitæ nobis & eidem sedi præstant solitum juramentum, suis Metropolitanis teneantur, seu Prælatis aliis, quibus immediate subsunt, aliud consuetum juramentum præstare, Nos, volentes cujuslibet hæsitationis scrupulum in præmissis auferre, Episcopos & Prælatos alios supradictos per sedem eandem ad hujusmodi regimina jam promotos, & quos in posterum promoveri continget, auctoritate præsentium declaramus, ad omnia illa suis Metropolitanis, seu Prælatis aliis immediate superioribus omnino teneri, ad quæ tenerentur, si non per dictam sedem vel de mandato ipsius sedis ad hujusmodi regimina promoti, nec juramentum hujusmodi per eos nobis vel eidem sedi præstitum extitisset. Nulli ergo &c. nostræ declarationis & constitutionis infringere &c. Datum Avinioni Kalendis Octobris, pontificatus nostri anno octavo.

Odor. Raynald. an.1370. §. 2. Bellamera conf. 31. Hanc constitutionem postea Urbanus V. ad preces Gaffredi Archiepiscopi Tolosani renovavit anno MCCCLXX. XII. Kal. Decembris. Illam vero observatam fuisse in provincia Rothomagensi docet Ægidius Bellamera.

Addit Petrus Archiepiscopus: *Qua declaratione facta & bullata, ut est moris, Episcopi, qui prius contradixerant, statim venerunt ad prædictam nostram sanctam Narbonensem Ecclesiam pro dicto juramento præstando: a quibus ipsum juramentum recepi secundum solemnitatem præcedentem, nihil de contingentibus omittendo.* Ceterum ea Petri Narbonensis Archiepiscopi narratio extat integra in veteri codice MS. Ecclesiæ Narbonensis.

CAPUT IV.

De electione & consecratione Metropolitanorum.

SYNOPSIS.

I. Metropolitanorum electio pertinebat ad Episcopos comprovinciales cum consensu cleri & populi.

II. Ita electi Stephanus Episcopus Ephesinus, Flavianus Antiochenus, & Nectarius Constantinopolitanus.

III. Eadem forma præscripta est in Conciliis Gallicanis. Aliud tamen obtinuit ævo Hincmari.

IV. Ordinationes Metropolitanorum pertinebant ad Patriarchas. Quod probatur ex Concilio Chalcedonensi & Innocentio primo.

V. Metropolitani tamen Constantiæ Cypri ordinatio relicta est synodo provinciæ, & vetita Patriarchæ Antiocheno, decreto Concilii Ephesini.

VI. Quæritur, an ordinationes omnium Metropolitanorum pertineant ad summum Pontificem tanquam Patriarcham occidentis. Concluditur, ad eum pertinere ordinationem Metropolitanorum, qui Diœceseos Urbicariæ finibus continentur. Discrimen Episcopi Romani cum ceteris Patriarchis.

VII. Metropolitanorum Italiæ ordinationes fiebant absque auctoritate summi Pontificis. Ordinatio Metropolitæ Aquilejensis pertinebat ad Episcopum Mediolanensem, Primatis vero Mediolanensis ordinatio ad Episcopum Aquilejensem. Ævo tamen D. Gregorii necessarius erat summi Pontificis consensus pro ordinatione Episcopi Mediolanensis & Salonitani.

VIII. Provinciæ, quæ extra Italiam erant, Metropolitanos suos ordinabant absque auctoritate aut consensu Episcopi Romani. Exemplum in Africa, in Hispania, Dardania, ceterisque provinciis Illyrico vicinis.

IX. Ecclesia Gallicana eodem jure usa, quæ Metropolitanos suos non alibi ordinari permisit, quam in synodo provinciæ; nisi si apud quasdam provincias aliud obtineret. Notatus interpres Græcus canonis VI. Sardicensis. Remensis & Trevirensis Ecclesiæ sorores dictæ ab Hincmaro.

X. Sub secunda Regum nostrorum dynastia vetus consuetudo valuit. Probatur ex Hincmaro, qui hinc concludit, Metropolitanos Galliarum esse Primates. Duo Primatum genera. Pallii genium.

XI. Acriter eum morem retinere contendit Ivo Carnotensis. Decretalium libri conservaverunt Episcopis comprovincialibus ordinationem Metropolitani. Quæ paulo post eis adempta est.

ADDITIO. Ævo Guillelmi de Montelauduno Archiepiscopi consecrabantur sola summi Pontificis auctoritate. Recensentur lucubrationes hujus viri.

I. MAjoris haud dubie momenti erant Metropolitanorum electiones & ordinationes, quam ceterorum Episcoporum; ideoque majorem curam desiderabant. In electionibus sane, Episcopi integro suffragii jure fruebantur, & ea quidem auctoritate, quam in ceterorum collegarum suorum electionibus non usurpabant; ob id videlicet, quod cum a Metropolitano pendere deberent, ipsorum valde interesset, cujusmodi homo ad eam dignitatem vocaretur. Præclare itaque Leo: *Metropolitano defuncto, cum in locum ejus alius fuerit subrogandus, provinciales Episcopi ad civitatem metropolitanam convenire debebunt; ut omnium Clericorum atque omnium civium voluntate discussa, ex Presbyteris ejusdem Ecclesiæ vel ex Diaconibus optimus eligatur.* Hunc Leonis locum imitatus est Isidorus Mercator in suppostitia epistola Aniceti, quæ a Gratiano relata est. Leo I. ep. 88. ut 63. c. 19. Dist. 64. c. 4.

II. Secundum rationem a Leone prolatam recte in actione XI. Concilii Chalcedonensis pronuntiavit Anatolius Patriarcha, CP. electionem Metropolitani Ephesini ab iis omnibus celebrandam esse, qui ab eo regendi erant: *Dabitur autem Ephesiorum metropoli Episcopus ab omnibus, qui pascendi sunt, eligendus.* Quare Stephanus civitatis illius Episcopus ajebat, se electum fuisse ab Episcopis Asiæ & a clero & civibus honoratis Ephesi. Patres quin etiam secundæ synodi œcumenicæ, quæ Constantinopoli habita est, recte adnotant in epistola synodica Flavianum Episcopum Antiochenum electum fuisse suffragiis Episcoporum comprovincialium & totius Diœceseos orientalis, & concordibus etiam suffragiis Ecclesiæ Antiochenæ, id est, cum consensu cleri & populi specialis diœceseos Antiochenæ. In eadem synodica epistola habetur, Nectarium Episcopum CP. electum fuisse ab Episcopis illius synodi, cum suffragiis clericorum & civium, præsente Imperatore. Vide supra lib. 5. cap. 20. §. 8. & cap. 21. §. 5. & seqq.

III. Ob eam causam Concilia Gallicana jubent, ut Metropolitanus eligatur ab Episcopis provinciæ & a clero ac populo civitatis, in qua ordinandus est Metropolitanus. *In ordinandis Metropolitanis Episcopis* (inquit Concilium Aurelianense II. anno DXXXIII. habitum) *antiquam institutionis formulam renovamus, quam per incuriam omnimodis videmus amissam. Itaque Metropolitanus Episcopus a comprovincialibus Episcopis, clericis, vel populis electus, congregatis in unum omnibus comprovincialibus Episcopis ordinetur.* Concil. Aurel. can. 7.

Disertior est sententia Concilii Aurelianensis III. habiti

habiti anno DXXXVIII. ubi indicatur discrimen, quod intercedebat inter electiones Episcoporum & Metropolitanorum. Præcipit namque, ut Metropolitanum Episcopi comprovinciales eligant cum consensu cleri & civium. Comprovincialium autem Episcoporum electionem a clero & populo fieri jubet cum consensu Metropolitani. Quod discrimen cum aliqui non satis expendissent, irrito labore conati sunt conciliare canones, quorum sententiæ videbantur esse diversæ in materia electionum. *Metropolitanus a comprovincialibus Episcopis, sicut decreta sedis apostolicæ continent, cum consensu cleri vel civium eligatur: quia æquum est, sicut ipsa sedes apostolica dixit, ut qui præponendus est omnibus, ab omnibus eligatur. De comprovincialibus vero ordinandis cum consensu Metropolitani, cleri, & civium juxta priorum canonum statuta, electio & voluntas requiratur.* Apud Hincmarum tamen & in antiquis formulis legimus electiones Metropolitanorum factas esse a clero tantum & populo civitatis, absque Episcoporum suffragio.

Concil. Aurelian. III. can. 3.

IV. Ordinationes autem sive consecrationes Metropolitarum pertinebant ad Patriarchas; ut patet ex actione XVI. Chalcedonensis synodi, quæ sedem Constantinopolitanam evehens ad honorem patriarchatus, & Diœcesim ejus synodumque patriarchalem componens ex provinciis Pontica, Asiana & Thracica, novo quidem Patriarchæ concedit ordinationes Metropolitanorum harum Diœceseon, non tamen Episcoporum, quos a suis Metropolitanis ordinari debere censet. Sed ordinationem celebrare debet Episcopus CP. postquam decretum electionis ad eum fuerit delatum; ejusque arbitrio relinquitur personam electam evocare Constantinopolim, illic ordinandam aut consensum suum dare, ut ibi ordinetur, ubi electio celebrata est, κατ' ἐπιτροπὴν αὐτοῦ. Id ipsum probatur ex epistola Innocentii I. ad Alexandrum Episcopum Antiochenum, in qua sic scriptum est: *Metropolitanos auctoritate ordinas singulari.* Patriarcha vero Ægypti non solum Metropolitanos Ægyptiacæ Diœceseos ordinabat, sed etiam omnes Episcopos a suo patriarchatu pendentes; ut constat ex epistola synodica Concilii Nicæni, quæ extat apud Theodoretum, & ex epistolis Synesii ad Theophilum Episcopum Alexandrinum. Idem jus sedi suæ asserere tentavit Alexander Episcopus Antiochenus, id est, jus ordinandi non solum Metropolitanos, sed etiam reliquos Episcopos sedi suæ subjectos. Desiderium ejus approbavit Innocentius I. ad ejus consulta respondens; eo tamen adhibito temperamento, quoad ordinationem Episcoporum secundi gradus, ut vicinos quidem ad se accersat, longe tamen positos in provinciis consentiat ordinari: *Ceteros non sine permissu conscientiaque tua sinas Episcopos procreari. In quibus hunc modum recte servabis, ut longe positos literis datis ordinari censeas ab iis, qui nunc eos suo tantum ordinant arbitratu; vicinos autem, si æstimas, ad manus impositionem tuæ gratiæ statuas pervenire.*

Theodoret. lib. 1. hist. eccles. c. 9.

V. In Concilio tamen Ephesino conquerentibus Episcopis Cypriis, metropolis illius insulæ, tametsi intra patriarchatus Antiocheni limites contineretur, retinuit priscum morem, secundum apostolicos canones & Nicænos; id est, ordinatio Episcopi Constantiæ, qui Cypri Metropolitanus erat, relicta est synodo illius provinciæ, & vetita Patriarchæ Antiocheno. Constitutio illa manavit in omnes provincias Ecclesiæ, quibus sua libertas conservata est secundum canones; addito, ne Episcopi quicquam audeant in provinciis, quæ ab eis ex veteri consuetudine non pendebant: *Ne patrum canones prætereantur, neve sub sacerdotii prætextu mundanæ potestatis fastus irrepat; ne clam paulatim libertas amittatur, quam nobis donavit sanguine suo Dominus noster Jesus Christus omnium hominum liberator.*

VI. Posset tentari ex iis, quæ supra dicta sunt, ordinationem omnium Metropolitanorum occidentis pertinere ad Romanum Pontificem, qui Patriarcha est occidentis; cum præsertim Episcoporum Alexandriæ & Antiochiæ auctoritatem Nicæna synodus constituat ad exemplum Episcopi urbis Romæ. Equidem id necessario consequitur ex iis, quæ dicta sunt; sed ita tamen, ut auctoritas illa ordinandorum Metropolitarum coerceatur intra limites synodi patriarchalis ordinariæ Episcopi Romani, id est, de Metropolitanis tantum accipiatur, qui Diœceseos Urbicariæ finibus continentur. Quapropter Justinianus formam præscribens synodorum, quæ a Patriarchis convocari debent, ait disertis verbis, ad illas convenire debere Episcopos, qui pertinent ad eorum ordinationem. Unde sequitur, idem prorsus significari, si quis dicatur ad synodum Patriarchæ cujuspiam aut ad ejus ordinationem pertinere. In quibusdam porro ceteri Patriarchæ cum Romano componi possunt, in quibusdam discrepant. Alexandrinus enim & Antiochenus unicam tantum Diœcesim ecclesiasticam obtinebant ex decem Metropolitanis conflatam, quamquam postea Constantinopolitano tributæ sunt tres Diœceses, in quibus XXVII. Metropolitani numerabantur. At Episcopi Romani cura, præter patriarchatum ordinarium, qui saltem ex Diœcesi Urbicaria decemque Metropolitanis constabat, porrigebatur in reliquas omnes occidentis metropoles, quæ sexagenarium numerum egrediebantur. Majoris itaque Italiæ partis Metropolitani a summo Pontifice ordinabantur in ipsa Urbe; at postquam Episcoporum comprovincialium consensus electionem firmaverat, ii permissu ejus ordinationem Metropolitani celebrabant. Sed in Diœcesi Urbicaria receptum erat, ut Episcopi aliis Metropolitanis subjecti ab eo consecrarentur. In quo similis est Episcopo Alexandriæ, juxta Concilium Nicænum. Ceterum id a nemine ante me observatum fuerat.

Nov. 123. & 137.

VII. Ambrosii sane Mediolanensis Episcopi electio & ordinatio, quæ facta est a synodo totius Italiæ, decreto Imperatoris Valentiniani coacta, evincit, nihil juris per illas tempestates Romano Pontifici competivisse in ordinatione Metropolitani Mediolanensis; a qua manus abstinuit per multum ævi, sero usurpata ejus ordinatione. Colligi id abunde potest ex epistola Pelagii I. anno DLV. in sede Petri præsidentis: qui docens, Episcopos Aquilejensem & Mediolanensem consuevisse invicem sibi manus imponere, quando alterutra harum sedium pastore proprio viduata erat, insinuare tamen nititur, hanc consuetudinem introductam esse vitandis sumptibus, qui electo incumberent, si Romam pro ordinatione accedere cogeretur; cum vera hujus instituti ratio in eo consistat, quod, cum Mediolanum esset caput Diœceseos Italicæ, ut constat ex Concilio Aquilejensi, ordinatio Metropolitæ Aquilejensis ad Episcopum Mediolanensem optimo jure pertinebat, Primatis vero Mediolanensis ordinatio ad Aquilejensem Episcopum, quod primus esset inter Metropolitanos synodi generalis Diœceseos Italicæ. Ex epistola tamen quadam Gregorii I. colligitur, jam ævo ejus, id est, LVIII. annis post Pelagium, invaluisse, ut necessarius esset summi Pontificis consensus ad hoc, ut Episcopis provinciæ Mediolanensis libera esset ordinatio Metropolitani. Verba ejus minime ambigua sunt ad Exarchum Italiæ scribentis de electione Episcopi Mediolanensis. Ait enim, se, ut consuetudinem servet, missurum esse ministrum Ecclesiæ Romanæ, qui electum ab Episcopis comprovincialibus, sicut vetus mos exigit, cum assensu quoque Pontificis Romani faciat consecrari. Distinguit autem illic accurate jus canonicum Episcoporum comprovincialium, quod veteri mori adscribit, ab Ecclesiæ Romanæ possessione, quam simpliciter consuetudinem appellat, absque ullo epitheto, quæ consuetudo haud dubie introducta erat post schisma Ecclesiarum Mediolanensis & Aqui-

Vide supra lib. 1. c. 7. § 3.

Vide supr. lib. 5. cap. 55. § 4.

24. q. 1. cap. 33. Pudenda.

S. Greg. lib. 2. Ind. 11. ep. 31.

Aquilejensis, *Necesse fuit pro servanda consuetudine*, inquit Gregorius, *militem Ecclesiæ nostræ dirigere, qui eum, in quo omnium voluntates atque consensum concorditer convenire cognoverit a suis Episcopis, sicut vetus mos exigit, cum nostro tamen assensu, faciat consecrari.* Idem ad Joannem Subdiaconum, cui harum rerum executionem commisit, scribens ita loquitur: *Tunc eum a propriis Episcopis, sicut antiquitatis mos exigit, cum nostræ auctoritatis assensu facias consecrari: quatenus hujusmodi servata consuetudine, & apostolica sedes proprium vigorem retineat, & a se concessa aliis sua jura non minuat.* Idem jus in Ecclesia Salonitana, quæ Dalmatiæ metropolis erat, usurpabat Gregorius, ut refertur apud Gratianum.

Ibid. epist. 30.

Dist. 63. c. Salonitana.

VIII. At provinciæ, quæ extra Italiam erant, Metropolitanos haud dubie suos ordinabant absque auctoritate Episcopi Romani & absque consensu ejus. In Africa quippe unaquæque provincia ordinationes suas celebrabat, ut videre est in canonibus Conciliorum Africanorum & apud Augustinum. Hic enim respondens Donatistis, qui Cæciliani Episcopi Carthaginensis ordinationem non esse legitimam affirmabant, eo prætextu, quod, cum totius Africæ Primas esset, debuerat ordinari a Primate Numidiæ aut ab alio quodam Primate, quod factum non fuerat, ait, hanc esse consuetudinem Ecclesiæ, non ut Primatem Carthaginis ordinet aliquis Episcopus Metropolitanus, sed propinquiores Episcopi; sicut nec Ecclesiæ Romanæ antistitem ordinat aliquis Episcopus Metropolitanus, sed Episcopus Ostiensis: *Quod non expectaverit Cæcilianus, ut princeps a principe ordinaretur, cum aliud habeat Ecclesiæ consuetudo, ut non Numidiæ, sed propinquiores Episcopi, Episcopum Ecclesiæ Carthaginis ordinent; sicut nec Ecclesiæ Romanæ ordinat aliquis Episcopus Metropolitanus, sed de proximo Ostiensis Episcopus.*

Augustinus in Brevic. Collat. diei 3. c. 5.

Eodem jure utebantur Ecclesiæ Hispaniarum, ut discimus ex Concilio IV. Toletano, quod anno DCXXXIII. habitum est. *Episcopus*, inquit, *comprovincialis ibi consecrandus est, ubi Metropolitanus elegerit. Metropolitanus autem nonnisi in civitate metropoli, comprovincialibus ibidem convenientibus.*

Concil. Tolet. IV. c. 18.

Dardania quoque, & ceteræ provinciæ Illyrico contiguæ, jure eodem communi utebantur ætate Gelasii Pontificis Romani, ut ipse testatur ad eorum Episcopos scribens: *Charitatem vestram*, inquit, *duximus instruendam, ut vos omnes in commune fratres, sive per Dardaniam, sive per quamcunque contiguam provinciam constituti, qui vos sub Metropolitanis vestris esse meministis, & ab eisdem substituti decedentes, sicut vetus consuetudo deposcit, unanimiter statuatis antistites. Et vicissim si Metropolitanus humanæ conditionis sorte decesserit, a comprovincialibus Episcopis, sicut forma transmisit, sacrari modis omnibus censeatis, nec quemquam sibi, quod vobis antiqua dispositione concessum est, patiamini vendicare.*

Gelas. epist. ad Episc. Dardan. & Illyr. apud Gratian. dist. 64. c. Quia.

IX. Ecclesiæ etiam Gallicanæ libertas ea erat, ut canonum præscriptis inhæreret, Metropolitanosque suos non alibi sineret ordinari, quam in synodo provinciæ; nisi si apud quasdam Ecclesias hic mos inoleverat, ut Episcopus Metropolitanus a propinquiori Metropolitano acciperet manus impositionem. Sed novam illam consuetudinem abolevit synodus Aurelianensis secunda; quæ *antiquam constitutionis formulam* renovavit, statuens, ut Metropolitanus ab Episcopis comprovincialibus ordinetur, cujus synodi verba supra relata sunt in §. III. hujus capitis. At Concilium Aurelianense III. quinquennio post celebratum, id est, anno quingentesimo trigesimo octavo, repudiato canone illo prioris synodi, novam consuetudinem revocavit, qua receptum erat, Metropolitanos a Metropolitanis ordinari: *De Metropolitanorum vero ordinationibus id placuit, ut Metropolitani a Metropolitanis, omnibus, si fieri potest, præsentibus comprovincialibus, ordinentur; ita, ut ipsi Metropolitano ordinandi privilegium maneat, quem ordinationis consuetudo requirit.* Quæ institutio aliqua in re similis est versioni Græcæ canonis sexti Sardicensis, quo sancitum est, ut Episcopi vicinæ provinciæ invitentur ad ordinationem Metropolitani alienæ provinciæ: Χρὴ δὲ καὶ μετακαλεῖσθαι καὶ τοὺς ἀπὸ τῆς πλησιοχώρου ἐπαρχίας ἐπισκόπους πρὸς τὴν κατάστασιν τοῦ τῆς μητροπόλεως ἐπισκόπου. Attamen fatendum est, interpretem Græcum non cepisse sententiam hujus canonis, qui in contextu Latino nullam hujus rei mentionem facit. Hincmarus in synodo Metensi, quæ propter Caroli Calvi in regno Lotharii coronationem coacta est, adnotavit, Remensem & Trevirensem Ecclesias *commissis sibi Ecclesiis* velut *sorores & comprovinciales* haberi, sive in ordinationibus peragendis, sive pro judiciis causarum ecclesiasticarum, sicut antiqua demonstrat consuetudo.

Synodus illa edita est inter Capitula Caroli Calvi, & Tom. I. oper. Hincmari.

X. Sub secunda Regum nostrorum dynastia vetus consuetudo valuit, nempe, ut Metropolitani ab Episcopis comprovincialibus ordinarentur. Hunc seculi sui usum fuisse docet Hincmarus; qui præterea probat, Galliarum Metropolitanis jus illud competivisse secundum canones Nicænos, Antiochenos & Africanos, & ob idipsum Primates esse. Nam duo Primatuum genera agnoscit; quorum quidam iidem sunt cum Patriarchis, alii vero Metropolitani, quod discrimen hausit ex versione Concilii Chalcedonensis a Dionysio Exiguo confecta, & ex canonibus item Africanis. De Primatibus autem secundi generis sic loquitur Hincmarus: *Sed & quidam Archiepiscopi vel Metropolitani Primates provinciarum multoties in sacris canonibus inveniuntur, illi videlicet, qui in loco defunctorum ab Episcopis uniuscujusque provinciæ sine interrogatione alterius Primatis prævalent ordinari, & ex antiquæ consuetudinis lege a sede apostolica Pallii solent genio insigniri, & in loco decedentium Episcoporum, sine consensu vel licentia Primatis alterius, in sua provincia cuique possunt Episcopos ordinare.* Hanc loquendi formam, id est, *Pallii genium*, mutuatus est Hincmarus ex epistolis sancti Gregorii, qui, de Siagrio Augustodunensi Episcopo loquens, ait, ipsum petiisse pallium *pro genio & honore suæ Ecclesiæ.*

Vide Marcam in libro de Primatibus §. 24.

Hincmar. in Opusc. c. 17. & in ep. 6. c. 5.

Gregor. lib. 7. ep. 121. Vide etiam epistolam Synodicam Concilii Duziac. I. ad Hadrianum II.

XI. Ætate Ivonis Carnotensis Hugo Lugdunensis Archiepiscopus sibi, tanquam Primati, deberi professionem obedientiæ, contendebat ab electo Senonensi ante quam consecraretur; suumque hoc consilium fulcire nitebatur auctoritate sedis apostolicæ, qua fungebatur. Rescripsit Ivo, consecrationem Metropolitani Senonensis pertinere ad Episcopos comprovinciales, neque expectandum esse, ut electus faciat prius professionem canonicam Primati Lugdunensi, cum id canonibus sit contrarium. Deinde addit: *Cum ergo tam ista, quam alia generalia instituta tam absolute consecrationem Metropolitanorum contineant, miramur, cur privatis legibus & novis traditionibus veteres traditiones & consuetudines removere contenditis, præcipiendo, ut Senonensis electus ante consecrationem suam vobis præsentetur, & jure primatus vestri subjectionem & obedientiam profiteatur.* Tum ait, se nihil prorsus heic remissurum esse ex jure Ecclesiarum suæ provinciæ; & si contra tetenderit Hugo, comminatur, se ab ejus communione discessurum: *De tantillo jure, quod habent Ecclesiæ nostræ, nec volumus nec debemus cedere.* Infra: *Si autem petitionibus nostris non adquieveritis, & aliquod schisma inde fuerit exortum, secure dicam, neque iniquitas mea, neque peccatum meum, neque vos poteritis dicere, vobis non fuisse prædictum.*

Ivo epist. 60.

Ordinationem porro Archiepiscopi comprovincialibus Episcopis conservaverunt libri Decretalium, ut videre est in responsis Lucii III. in cap. *Si Archiepiscopus.* De tempore ordinandorum.

Attamen immutato paulo post hoc jure Archiepiscoporum consecratio paulatim adempta est Episcopis

Additio Baluzii.

scopis

scopis comprovincialibus & summo Pontifici servata, ut omnibus est notissimum. Sed tamen prætermitti non debet insignis locus viri illi ætate celeberrimi Guillelmi de Montelauduno, juris canonici Professoris in Academia Tolosana, qui vivebat anno millesimo trecentesimo quadragesimo sexto. Is ergo in libro sacramentali, *Rubrica de ordine episcopali* Tit. X. sic ait: *Quis consecrat Episcopum? Dic, quod Archiepiscopus cum suis suffraganeis de te. or. nec Episcopi. Sed quis Archiepiscopum vel superiores? Dic, quod de jure communi omnes Episcopi debent consentire, & tres illorum consecrare, supra eod. tit. Si Archiepiscopus* 63. *dist. per ambitionem. Papa tamen jam præscripsit contrarium, cujus auctoritate tantum hodie consecrantur, ut* 24. *q.* 2. *Pudenda. &* 51. *dist. cap. fin.* Liber ille sacramentalis Guillelmi de Montelauduno extat MS. in bibliotheca Ecclesiæ Helenensis, unde locum hunc a me describi Marca jussit anno MDCLX. quum apud Ruscinonenses degeret pro figendis regnorum limitibus in Pyrenæo. Ejusdem libri duo manuscripta exemplaria extant in bibliotheca monasterii Rivipullensis apud Catalanos, aliud in archivo Ecclesiæ Narbonensis, aliud in bibliotheca Regis Christianissimi, quinque vero in Colbertina. Ceterum Guillelmi hujus lucubrationes frequenter laudant Richardus Archiepiscopus Armachanus in tractatu MS. *De audientia confessionum*, itemque Franciscanus quidam, qui ea tempestate adversus huncce Richardi tractatum scripsit, Bernardus Lauretus Præses Tolosanus in tractatu de potestate seculari in Ecclesiasticos, Arnulphus Ruzæus in tractatu juris Regaliæ, Philippus Probus in tractatu item juris Regaliæ, Glossator libri Sexti Decretalium, aliique. Quoniam vero nullus hactenus, quod sciam, ejus viri opera recensuit, utar hac occasione, ut ea promam, quæ mihi comperta sunt. Scripsit itaque Guillelmus de Montelauduno, præter librum sacramentalem, lecturam in librum Sextum Decretalium, quam laudant Ruzæus & Probus, ad quam Apostillas seu Additiones scripsit Blasius Aurioli Doctor Tolosanus. Scripsit præterea Apparatum constitutionum Clementis V. qui frequenter item laudatur a Ruzæo & Auferrio in Repetitionibus ad Clementinas. Hujus autem Apparatus tria manuscripta exemplaria extant in bibliotheca monasterii sancti Sergii Andegavensis, aliud in bibliotheca monasterii sancti Albini Andegavensis, duo in Colbertina. In eodem codice sancti Albini extat Apparatus ejusdem Guillelmi *super Extravagantes Domini Johannis Papæ XXII.* qui laudatur etiam a Ruzæo & Probo. Ejusdem operis duo exemplaria MSS. extant in eadem bibliotheca Colbertina. Scripsit etiam Guillelmus iste tractatum de Cardinalibus, qui laudatur ab Ægidio le Maistre in tractatu de Regalibus cap. VII. Quædam porro ejus lecturæ in aliquot juris canonici posterioris capita editæ sunt in voluminibus repetitionum juris canonici.

CAPUT V.

Quod Metropolitani extra specialem Diœcesim Episcopi Romani olim ab eo confirmati haud fuerint, ostenditur.

SYNOPSIS.

I. Quæritur an Metropolitani, qui summi Pontificis auctoritate consecrati non erant, ejus confirmationem obtinere tenerentur post consecrationem. Quæstio hæc proposita est a Glossatore Decreti; cui hæret aqua. Episcopi specialis Diœceseos Ecclesiæ Romanæ confirmabantur a summo Pontifice. Diversum prorsus obtinebat quoad alios.

II. Objicitur, Patriarchas antiquitus ea necessitate obstrictos fuisse, ut tenerentur ad obtinendam confirmationem suam a summo Pontifice. Potiori jure id observandum esse, quoad Metropolitanos.

III. Opponitur deinde exemplum Ecclesiæ Thessalonicensis, ad cujus Episcopum relationem de ordinatione sua mittere tenebantur Metropolitani Illyrici orientalis. Hoc ex eo profectum, quod Episcopus Thessalonicensis jus patriarchicum obtineret in Illyrico.

IV. Tum adducitur exemplum Episcoporum Gallicanorum, qui Hincmari Remensis ordinationem confirmari petunt a Sergio. Sed id trahi non potest in consequentiam, cum ob gravem causam ita fieri oportuerit, ad infringendos nimirum conatus Ebbonis.

I. HEic sese offert quæstio magni momenti, habita ratione argumentorum, quæ inde deduci possunt; nimirum an Metropolitani, qui neque a summo Pontifice neque ex mandato ejus consecrati erant, ejus confirmationem obtinere tenerentur post consecrationem. Difficultatem hanc proponit Glossa in cap. *Quia igitur.* dist. 63. Verum cum decisio hujus quæstionis molestum haberet auctorem hujus glossæ, eo confugit, ut diceret, plures esse Archiepiscopos, qui a summo Pontifice non confirmantur, sed tantum recipiunt Pallium. Erudita quidem & vera est hæc opinio. Attamen explicatione indiget & testimoniis scriptorum, quibus fulciri possit. Episcopi namque specialis Diœceseos Ecclesiæ Romanæ distinguendi sunt a reliquis Episcopis occidentis, qui ad eam Diœcesim non pertinebant. Illi a summo Pontifice confirmabantur, cujus consensus accedebat ante vel post consecrationem. At ceteri neque ab eo confirmabantur, neque consecrabantur; fruebanturque privilegiis, quæ Nicæna synodus decrevit, Metropolitanis esse servanda & ea libertate, quam eis Ephesinum Concilium præcipit, conservari.

II. Ac mihi quidem in hanc quæstionem accurate inquirenti visum est, tria potissimum adversus hanc regulam posse opponi; measque esse partes duxi, ut palam promerem, quæ mihi in mentem circa hæc venerunt, quibus difficultates illas complanari posse existimo. Primum ergo dici potest (id quod illustrissimus Cardinalis Baronius, iique, qui de fidei controversiis tractant, persuadere conantur) Patriarchas antiquitus ea necessitate obstrictos fuisse, ut tenerentur ad obtinendam confirmationem suam a summo Pontifice. Quod se probare existimant auctoritate Leonis I. qui rogante Theodosio Imperatore confirmavit electionem Anatolii Constantinopolitani. Addućunt etiam auctoritatem Papæ Simplicii, qui confirmationem Patriarchæ Alexandrini recusavit, & alia his similia argumenta. Cum itaque eo jure erga Patriarchas uteretur Episcopus Romanus, dubitari non potest, quin potiore jure Metropolitani teneantur ad obtinendam ejus confirmationem. Leo epist. 35. & 57. Simplicius ep. 171.

Quod ad Patriarchas attinet, responderi potest, confirmationem illam non esse signum jurisdictionis, sed tantum susceptionis in communionem & testimonium, quo constabat, summum Pontificem consentire consecrationi jam peractæ, quod Cyprianus de episcopatu Papæ Cornelii loquens, his verbis explicat, ut dicat, ejus electionem consensione Cypriani & reliquorum Episcoporum esse firmatam. Quippe usu receptum erat per illas tempestates, ut Patriarchæ, & ipse etiam Romanus Pontifex recens electus, litteras de sua ordinatione mitterent; quibus addebatur professio fidei in synodicis eorum epistolis conscripta. Cum itaque Papæ Urbis redditæ essent relationes, quæ harum ordinationum gesta continerent, is litteras communicatorias scribebat ad Patriarchas, nisi admonitus fuisset, extare aliquod impedimentum canonicum in persona electi. Quo casu communionem ei suam ad tempus denegabat; ut factum est a Simplicio in causa Patriarchæ Alexandrini recens electi. *Vide sup. lib. 5. cap. 21. §. 10.* *Cyprian. ep. 52.* *Vide sup. lib. 5. cap. 35. §. 13.*

III. Ad-

III. Adduci deinde potest adversus regulam a nobis propositam exemplum Ecclesiæ Thessalonicensis, quæ eo jure fruebatur, ut Metropolitani Illyrici orientalis tenerentur ad Episcopum Thessalonicensem mittere relationem de sua ordinatione. Quippe temporibus Hormisdæ summi Pontificis Dorotheus Episcopus Thessalonicensis acriter ultus est injuriam sedi suæ factam ab Episcopo Metropolitano Nicopoleos in Epiro, qui officium illud omiserat post consecrationem suam. Dorothei facinus illud improbavit Hormisda, eo prætextu, quod cum Episcopus Thessalonicensis se abstinuisset ab Ecclesiæ Romanæ communione, Nicopolitanus omiserat veterem consuetudinem, ut sedis apostolicæ communionem promereretur, non autem, ut consuetudinem violaret. *Obtulit nobis*, inquit Hormisda, *epistolam Joannis Episcopi sui, & aliam synodi subjacentis Ecclesiæ Nicopolitanæ, quæ queruntur ab Episcopo Thessalonicensi excitatas adversus se tam principales, quam judiciarias potestates, concussionibus & dispendiis se vehementer affligi, propter hoc, quia de ordinatione sua ad Episcopum relationem secundum prisca exempla non miserit.* Item in epistola XXII. *Non igitur consuetudo est neglecta, sed vitata contagia.* Telum hoc repelli potest nullo negotio, si privatam Episcopi Thessalonicensis consuetudinem spectemus, qui jus exarchicum sive patriarchicum obtinebat in Diœcesim Illyricianam. Antiquitus itaque jus illud ei competebat, ut Metropolitani suæ Diœceseos ab eo ordinarentur, aut, de consensu ejus, ab Episcopis comprovincialibus. Ita enim ad Anastasium Thessalonicensem rescripsit Leo primus: *De cujus nomine ad tuam notitiam provinciales referant sacerdotes, impleturi vota poscentium, cum, quod ipsis placuit, tibi placuisse cognoverint.* Jus autem illud ad Episcopum Thessalonicensem spectabat secundum veterem Ecclesiæ suæ consuetudinem, non vero ratione vicariatus sibi a summis Pontificibus concessi in his regionibus. Vicariatu enim illo non tam nova auctoritas tribuebatur Ecclesiæ Thessalonicensi, quam cumulatio juris, quemadmodum alibi accurate explico. Jus illud nihilominus aliquantulum infregerat consuetudo contraria a temporibus Hormisdæ, id est, octoginta annis post Leonem. Moris quippe in posterum non fuit, ut ab Episcopo Thessalonicensi peteretur libertas ordinandi Metropolitanum; cui satis esse putabant, si de ordinatione ad eum referretur. Illud tamen trahi non debet in consequentiam, quoad Metropolitanos, qui tali consuetudini non erant subjecti.

Vide epistolam Xisti Papæ ad Synodū Thessalonicensem inter acta Synodi Rom. sub Bonifacio II.

Vide sup. lib. 5. cap. 25. § 7. & seqq.

Hormisda ep. 17.

IV. Tertio opponi posset Concilium Suessionense habitum anno DCCCLIII. in quo Hincmarus Remensis Archiepiscopus, ut probaret, electionem & ordinationem suam canonice celebratam esse, ostendit epistolam ab Episcopis Gallicanis ad Sergium Papam scriptam pro confirmatione ordinationis Hincmari: *Porrexit etiam epistolam totius Galliæ Episcoporum subterscriptam ad apostolicam sedem pro confirmatione ipsius ordinationis.* Sed non inde sequitur, jus illud ordinarium fuisse in Gallia, ut necessaria esset summi Pontificis confirmatio pro ordinatione Metropolitani. At in causa Hincmari necessarium fuit hoc obsequii & reverentiæ genus. Ebbo Remensis Archiepiscopus, in cujus cathedra sedebat Hincmarus, adhuc vivebat; & licet ab episcopatu dejectus fuisset, semper tamen sperabat, eam Ecclesiam sibi restitutum iri, adeo, ut post depositionem ei reddita fuerit auctoritate Lotharii Imperatoris. Nihilominus eam postea dereliquit; neque intercessit ordinationi duorum Archiepiscoporum, qui post abdicationem ejus eam per XXVII. menses obtinuerunt, nec aliquid turbarum adversus illos excitavit. Quam ob rem synodus nationalis Belvacensis sancivit, ut Episcopus in Ecclesia Remensi ordinaretur. Hincmarus igitur cleri ac populi civitatis suffragiis electus, in synodo ordinatus est ab Episcopis comprovincialibus, quam ordinationem regio diplomate confirmavit Carolus Calvus. Episcopi vero Gallicani literas ad Sergium Papam scripsere, ut judicium eorum & ordinationem dein peractam a sede apostolica approbari peterent. Quod ea de causa factum est, ut omnis Ebboni via præcluderetur, quo minus summi Pontificis auctoritate causa ejus retractaretur, id enim ab eo tentari intelligebant, quod & aliquot post annis obtinuit, sed prorsus inutiliter. Approbatio igitur illa, quam a Sergio Papa postulabant Episcopi, necessaria erat pro ordinatione Hincmari & ad infringendos conatus Ebbonis, non autem ad hoc tantum, ut Metropolitani ordinatio confirmaretur a sede apostolica. Sane ordinationem illam Leoni IV. placuisse & ab eo approbatam esse, docet Hincmarus in schedula a se porrecta Concilio Suessionensi III. an. DCCCLXVI. ubi etiam scribit Pallii usum sibi a Leone concessum.

Concil. Suession. tract. 3. tom. 3. Concil. Gallia.

Conc. Belvac. an. 845.

CAPUT VI.

De Pallii antiqua forma & origine.

SYNOPSIS.

I. De Pallio dato Metropolitanis. Ejus concessio paulatim infregit eorum libertatem & synodorum provincialium auctoritatem. Origo ejus satis vetusta. Ea tamen, quæ hodie usurpantur, antiquitati prorsus ignota fuere. Discrimen antiqui & novi juris.

II. Pallium olim longe aliud erat, quam illud, quo hodie utimur. Erat autem genus quoddam imperatorii indumenti. Ante Zachariæ Pontificis tempora non tribuebatur universis Galliarum Metropolitanis.

III. Descriptio Pallii hodierni & antiqui. Vetus a Latinis constanter appellatum est Pallium; a Græcis vero ὠμοφόριον & φελόνιον. Omophorii vox ambigua. Quippe interdum significat vestem laneam, quam Episcopi deferebant extra sacrificii tempora.

IV. Alias Omphorion accipitur pro indumento Patriarcharum. Ejus descriptio. Augusta erat hæc vestis. Ex Pelagio I. & Gregorio Magno.

V. Pallium illud erat vere pallium, non autem exigua fascia; ut patet ex Liberato & Joanne Diacono.

VI. Pallii usus Patriarchis permissus ab Imperatoribus. Id Ecclesia Romana fatetur. De donatione Constantini.

VII. Explicantur verba donationis. Card. Baronius notatus. Phrygium est ornamentum capitis, quod mitram vocamus. Lorum non est Pallium. Lora, id est, fasciæ. Tunicæ dilores & trilores apud Fl. Vopiscum.

VIII. Chlamys, id est, Pallium imperiale. Cujusmodi illud fuerit. Pelagius I. & sanctus Gregorius illustrati.

IX. De Sacco, Stichario & Phenolio. Saccum omnium optime referebat Pallium Latinorum. Forma ejus describitur, ex Balsamone, & Gregorio Chomateno.

X. Pallium esse beneficium Imperatorum, probatur etiam ex Liberato. Pallium Arelatensibus Episcopis tributum cum consensu Imperatorum. Gregorio tamen primo sufficere visus est consensus Regis Childeberti. Necessitas illa consensus Imperatoris honorificentissima est pro summo Pontifice.

XI. Baronius notatus, qui Pallium ait esse indumentum ecclesiasticum. Ætate Theodosii Pallium non erat in usu apud Ecclesiam. Anastasius Bibliothecarius notatus.

I. POst explicatam superiori capite priorem Glossæ observationem, superest, ut ad secundam veniamus. Cum itaque ibi scriptum sit nonnullos esse Metropolitanos, qui non confirmantur a Papa, sed tamen ab eo Pallium accipiunt, observationes

tiones & ipſe meas circa hanc materiam proponam; quæ magni eſt momenti, ob argumenta, quæ inde peti poſſunt.

Optabant ſane olim ſummi Pontifices, ut omnes Metropolitani, qui ad eorum patriarchatum pertinebant, aliquod confirmationis genus a ſede apoſtolica acciperent. Verum quia ubique receptum erat, conſecrationes fieri poſſe extra Italiam abſque eorum conſenſu, vim ei legi palam adferre noluerunt; ſed Metropolitanos rei cujuſdam novæ miraculo velut obſtupefecerunt; quæ in initio magnifica, paulatim tamen antiquam eorum libertatem per cuniculos infregit, & ſynodorum provincialium auctoritatem peſſumdedit. De Pallii uſu loquor: cujus origo cum ſit ſatis vetuſta, effectus tamen ejus & cetera, quæ nunc uſurpantur, antiquitati prorſus ignota fuere. Quippe Galliarum Metropolitani ſtatim poſt ordinationem ſuam exercebant functiones ſui muneris, juxta canones antiquos. At jus novum eos prohibet quicquam pontificalis officii attingere, donec a ſede apoſtolica miſſum ad eos fuerit Pallium de corpore beati Petri ſumptum.

II. Cum materia iſthæc digna ſit eruditorum hominum curioſitate, dicam primum, quid ipſe ſentiam de origine Pallii; tum aperiam, quo primum tempore neceſſitas ejus introducta ſit. At mihi quidem tria præcipue notatu digna obſervaſſe videor. Primum, initio Pallium alia prorſus forma compoſitum fuiſſe, quam illud, quod hodie in uſu habetur. Secundum, (quod nonnulli viri eruditi ſubodorati ſunt, neque tamen ſatis probavere,) Pallium antiquitus fuiſſe genus quoddam imperatorii indumenti, cujus uſum Imperatores permiſere Patriarchis, a quibus dein communicatum eſt cum Metropolitanis. Tertium, illud non fuiſſe tributum univerſis Galliarum Metropolitanis ante tempora Zachariæ Pontificis Romani, id eſt, ante annum circiter ſeptingenteſimum quadrageſimum quartum.

M. Ant. de Dominis.

III. Igitur in anteceſſum ſtatuere debemus, Pallium hodiernum mihi aliud eſſe, quam faſciam laneam candidam, in modum circuli contextam, quæ ſuper humeros imponitur: ex quo circulo impendet pectori faſcia ſimilis, & alia ex adverſo inter humeros demittitur; utraque habens crucem rubeam, præter eas, quæ in ipſo circulo extant ſuper humeros. Pallium autem illud alligatur ope trium acicularum aurearum ſive ſpinularum. Ita enim Pallium deſcribunt Honorius Auguſtodunenſis, Hugo a ſancto Victore, & Innocentius tertius, qui aciculas illas vocant *ſpinulas*. Priſcum vero Pallium indumentum erat præclariſſimum & fulgens, quod ad terram demittebatur. Quod me facilius probaturum eſſe, confido, ſi prius explicavero varia nomina indumenti hujus apud veteres. Apud Latinos quidem Pallium conſtanter appellatum eſt; apud Græcos vero *ὠμοφόριον*, hoc eſt, *ſuperhumerale*, *φενόλιον*. Omophorii tamen vox ambigua eſt. Quippe interdum ſignificat veſtem quandam laneam, quam Epiſcopi utplurimum humeris ſuis imponebant extra ſacrificii tempora, ſaltem apud orientales, aliquo modo ſimilem ei * Palliolo, quo hodie utuntur Epiſcopi noſtrates. Omophorii hujus mentionem facit Iſidorus Peluſiota, qui adnotat, ideo laneum illud eſſe, ut oſtendatur, quantam gregis ſibi commiſſi curam gerere debeant Epiſcopi. Effigiem ejus exhibet vetus numiſma Imperatoris Theodoſii apud Fulvium Urſinum; in quo beati Apoſtoli Philippus & Joannes habitu Epiſcoporum repræſentantur, capite raſo, & cum Palliolo illo crucibus ornato & ad pectus uſque pertingente; poſito volumine quodam in manu dextra, & cruce in ſiniſtra.

Innoc. III. lib. 1. de myſter. Miſſæ cap. 63.

* Gallice *Camail* Italice *Mozzetta*.

Iſidor. Peluſ. lib. 1. ep. 136.

IV. Alias Omophorion accipitur pro indumento Patriarcharum, quod Latini Pallium appellant. Hoc autem indumentum uſque ad talos demittebatur. Deſcriptionis hujus probatio ſumitur ex Zonara: qui in vita Conſtantini Copronymi ait, Anaſtaſium inſiſtentem veſtigiis Germani Patriarchæ Omophorion ejus calcaſſe, ut eum admoneret, ne feſtinaret. Sane vox ipſa Pallii evincit, illud fuiſſe indumentum integrum, non autem faſciolas aliquot laneas; ut probatur ex Pelagio & Gregorio I. Pontificibus Romanis, qui docent, illud fuiſſe veſtem auguſtam, quæ haud vulgari more ornaret eum, qui ea utebatur. Pelagii enim primi verba hæc ſunt ad Sapaudum Arelatenſem Epiſcopum ſcribentis: *Pallium dirigentes; ut in tanti loci faſtigio conſtitutus, præclaro quoque habitu decoreris*. Gregorius vero Pallium eſſe dicit *habitus exterioris clariorem cultum, indumenti magnificentiam*, ad Syagrium Auguſtodunenſem ſcribens; quem ſtatim admonet, neceſſe eſſe, *ut cultui veſtium actionis quoque ornamenta conveniant*. Et lib. IV. epiſt. LIV. ſcribens ad Marinianum Ravennatenſem Epiſcopum, eadem eum meminiſſe monet his verbis; *Sic eris alterno invicem decore conſpicuus, ſi ad hujuſmodi corporis habitum mentis quoque bona conveniant*. Quæ loca manifeſte probant, Pallium fuiſſe indumentum præclariſſimum, non vero faſciolas ſolum laneas.

Vide ſupr. lib. 5. cap. 36. §. 4.

Gregor. lib. 7. epiſt. 112.

V. Sed præterea Pallium illud fuiſſe vere pallium, hoc eſt, aliud, quam exiguam faſciam, colligi poteſt ex iis, quæ refert Liberatus in capite XVIII. Breviarii, ſcilicet, ſententiam damnationis a Felice Papa latam adverſus Acacium Patriarcham Conſtantinopolitanum, quam is recipere noluerat, Pallio ejus alligatam fuiſſe a quodam monacho, cum Acacius ad celebranda ſacra ingrederetur: *Ita, ut cogerentur*, inquit, *qui eas*, (id eſt, Felicis literas adverſus Acacium) *detulerunt, per quendam monachum Achimetenſem ipſam chartam damnationis, dum ingrederetur ad celebranda ſacra, ſuſpendere in ejus Pallio, & diſcedere*. Quibus addi poteſt locus Joannis Diaconi ex vita ſancti Gregorii, cujus auctoritas efficiet, ne temerarius eſſe videar in hac ſententia proferenda; ſimulque oſtendet, jam ejus ævo diſcrimen ingens fuiſſe inter Pallium veterum & illud, quod ejus tempore in uſu erat. Affirmat enim, beatum Gregorium in veteribus picturis videri indutum Pallio ex byſſo candente contexto & nullis acubus perforato, quod in morem veſtis humeros ejus operiebat. *Pallium ejus*, inquit, *byſſo candente contextum, nullis acubus perforatum, ſic ipſum circa ſcapulas devolutum fuiſſe, non autem confixum, ſicut vetuſtiſſimis muſivis vel picturis oſtenditur*.

Joannes Diac. in vita S. Gregor. lib. 4. cap. 80.

VI. Alterum, quod mihi obſervaſſe videor notatu dignum, nempe Pallium eſſe genus quoddam imperatorii indumenti, cujus uſum Imperatores permiſere Patriarchis, videri prima fronte poſſet audaciæ plenum, niſi fidejuſſores optimos darem. Eccleſia namque Romana ita eſſe fatetur; quæ Conſtantini donationem, ubi ſcriptum eſt, Pallium Romano Pontifici tributum beneficio iſtius Imperatoris, Decreto Gratiani inſertam ſuſcepit. Aſſentior ſane viris eruditis, qui donationem illam falſi arguunt, eo in primis argumento, quod a Conſtantino facta eſſe dicatur. Fatendum eſt nihilominus, vetus eſſe monumentum illud, & antecedere tempora Caroli Calvi, contra quam viſum eſt iis, qui antiquitatem ei maximam tribuere ſe exiſtimant, cum jam in rerum natura fuerit ævo Hadriani I. & Caroli Magni, ut oſtendi ſupra lib. III. cap. XII. Sufficit in præſentiarum, quod donatio illa, cujus auctoritas ſemper viguit in Eccleſia Romana, donec techna iſthæc detecta eſt, originem Pallii tribuit Imperatoribus. Id enim probat, eam octingentos per annos invaluiſſe opinionem, & ob hoc ipſum non poſſe argui novitatis.

VII. Arte tamen quadam & induſtria opus eſt, ut Pallium in hac donatione deprehendi poſſit. Silveſtro enim Pontifici omnium indumentorum imperialium uſum permittit his verbis: *Deinde diadema, videlicet coronam capitis noſtri, ſimulque Phrygium, nec non ſuperhumerale, videlicet lorum, quod imperiale circumdare aſſolet collum, verum etiam & chlamydem purpuream, atque tunicam coccineam*.

Illu-

Illustrissimus Cardinalis Baronius existimat, heic *Phrygium* accipi debere pro Pallio, in quo eum sua decepit industria. Phrygium enim nihil aliud est, quam illud capitis ornamentum, quod mitram vocamus, superiore sui parte clausum, in parte vero inferiore circulum habens aureum in modum coronæ. Mitram illam Bonifacius VIII. altero circulo aureo auxit, & Urbanus V. tertio, eodem prorsus modo dispositis, quo hodie videmus in Tiara summi Pontificis. Phrygium esse illud mitræ genus, docent ipsa donationis verba, quæ sic habent: *Phrygium candido nitore splendidum, ejus sacratissimo vertici nostris manibus imposuimus;* tum etiam Glossæ Isidori, & vetus interpres Vaticanus, qui Phrygium ajunt esse mitram. Quibus addi debet locus Sugerii in vita Ludovici Grossi; ubi ait, capiti Innocentii secundi impositum fuisse Phrygium, quod Sugerius vocat *imperiale ornamentum*. Innocentius quoque III in sermone de sancto Silvestro, eandem explicationem adhibet, dicens, Papam loco regii diadematis uti Phrygio, alludens haud dubie ad donationem illam Constantini, in qua hæc leguntur: *Pro diademate regio utitur auriphrygio circulari*. Balsamo, etsi lorum confudit cum Phrygio, utrumque tamen pro tegumento capitis usurpat.

Glossæ Isidor. *Phrygium mitra* Vatic. Interpres: *Phrygium μίτραν καμηλαύκιον*.

Vid. etiam Chronicon Mauriniac. pag. 379. Anacletum 2. apud Baron. ad an. 1130. §. 37. & Saresber. lib. 8. Policr. c. 23.

Balsamo ad tit. 8. Nomoc. c. 1. & Meditatione 1.

Superhumerale vero, sive *Lorum*, quod deinde in ea donatione legitur, existimant vulgo accipi debere pro Pallio. Igitur, quia hæc opinio potest decipere incautos, dicam libere, quid mihi in mentem venerit; hoc uno in antecessum monito, sententiam meam inniti auctoritate scriptorum historiæ augustæ, apud quos vera lori significatio extat. Lora ergo fascias aureas recte dixerimus, aut purpureas, sive prætextas tunicæ cuidam aut Pallio alligatas & connexas. Unde apud Flavium Vopiscum legimus, *Tunicas purpureas recta dilores & trilores*, id est, tunicas purpureas, quibus duo vel tria lora prætexta erant alligata.

Flavius Vopiscus in D. Aureliano.

VIII. Donatio igitur illa duo quædam docet, Constantinum videlicet dedisse *lorum* sive fascias, quibus indumentum ejus ornabatur, & *chlamydem*, id est, Pallium imperiale. Unde colligi non absurde potest, Pallii vocabulum olim fuisse complexum & Pallium ipsum regium integrum & fascias sive lora, quibus illud erat ornatum. Quapropter mirum videri non debet, si Pelagius primus & sanctus Gregorius tantopere commendant pulchritudinem & splendorem hujus Pallii, quod ad humum usque demittebatur, ut ostendi superius: quia non solum ex loris constabat, sed etiam ex Pallio regio, ut notavit Balsamo Meditatione prima. *Unde fit*, inquit, *ut sanctissimi Patriarchæ, qui sanctarum Ecclesiarum Dei capitis vicem implent, saccos induant, tunicasque fluviis ac triangulis & penulas multis crucibus depictas*. In responsione ad XXXVII. interrogationem Marci Patriarchæ Alexandrini ait, indumentum, cui *Sacco* & *Polystaurio* nomen est, in quo depictæ sunt cruces, indumentum esse, quo Patriarchæ ornantur ad differentiam reliquorum Episcoporum. *Eos enim hisce decorari placuit*.

Chlamydem esse Pallium patet ex his, quæ supra dicta sunt lib. 5. cap. 52. §. 16.

IX. Igitur tria hæc, *Saccus*, *Sticharium*, & *Phenolium*, non erant ejusdem coloris, & ad varios usus porrigebantur. Quippe Sticharium & Phenolium interdum purpurea erant, non undis, non crucibus onusta; & nullo alio in usu erant quam in officiis, jejuniis & funeribus. Aliquando autem candida erant, undis quoque & crucibus onusta; eorumque usus usurpabatur cum sacco. Saccus porro necessario candidus esse debuit, cui hæc insuper necessitas adstricta erat, ut eo uti Metropolitani non possent, nisi in tribus diebus solennium festorum, id est, Paschæ, Pentecostes, & Natalis Domini, ut observavit Demetrius Chomatenus Bulgariæ Archiepiscopus in responsione ad secundam interrogationem Cabasilæ. Unde colligi videtur, saccum omnium optime referre Pallium Latinorum, cum in solennibus tantum festis diebus usurpari potuerit a Metropolitanis, velut Pallium. Ceterum, quod attinet ad molem & formam sacci, eam colligere possumus ex verbis Balsamonis, qui Meditatione prima ait, saccum significare vestem opprobrii, quæ Christo imposita est. Cum autem Demetrius Chomatenus nos docuerit, eum fuisse coloris albi, patet, ejus descriptionem congruere cum ea, quam Joannes Diaconus exhibet in vita sancti Gregorii, cum ait, Gregorii Pallium ex bysso candente contextum fuisse in veteribus picturis.

X. Sed præter illam Ecclesiæ Romanæ confessionem, quæ octingentis abhinc annis agnovit, Pallium, quo Romani Pontifices utuntur, Imperatorum esse beneficium, suppetunt etiam gravissima hujus rei argumenta, quibus contradici non posse existimo. Legimus enim apud Liberatum Diaconum in cap. XXI. Breviarii, Antimum Patriarcham Constantinopolitanum a sede sua dejectum Pallium Imperatori Justiniano reddidisse. *Anthimus*, inquit, *videns, se sede pulsum, Pallium, quod habuit, Imperatoribus reddidit*, id est, Justiniano conjugique ejus Theodoræ. Nihil dici potuit apertius. Reddere enim ad eum refertur, a quo res quæpiam accepta est. Sed ne quis hujus argumenti vim eludere se posse putet eo prætextu, quod, cum Anthimus Justiniani & Theodoræ suffragatione ad hanc sedem promotus esset, Pallium ob hoc eis reddere voluerit, addam & argumentum aliud ex eadem antiquitate petitum. Episcopus Arelatensis nova quadam & peculiari dignitatis prærogativa auctus erat beneficio Zosimi summi Pontificis anno quadringentesimo decimo septimo. Eam deinde auxit & Symmachus anno DXIV. sedis apostolicæ vicariatu per Gallias & Hispanias eidem Episcopo concesso. Auxanius ad hanc cathedram evectus anno DXLIII. præter vicariatum Papæ Vigilii, Pallio etiam insigniri cupiit, quod Pontifex distulit, donec ab Imperatore Justiniano probatum foret. Hujus autem dilationis hanc reddit rationem: *Ut & vobis gratior præstitorum causa reddatur, dum, quæ postulatis, cum consensu Christianissimi Principis referuntur, & nos honorem fidei ejus servasse cum competenti reverentia judicemur*, id est, fidem servasse Imperatori cum reverentia debita. Et biennio post, cum Episcopo illi morem gessisset, secundum desiderium Childeberti Regis, eum hortatur, ut preces ad Deum fundat pro Justiniano & Theodora, qui, annitente Belisario, consenserant, ut Auxanio vicariatus ille tribueretur, utque Pallium ad eum mitteretur: *qui pro his vestræ charitati mandandis præbuere consensum*, inquit Vigilius Papa in epistola secunda ad Auxanium. Auxanio vero defuncto, successorem ejus Aurelianum eodem honore prosecutus est Vigilius, ut Regis Childeberti votis obsequeretur; sed epistola ad Aurelianum scripta jussit, ut Belisario grates ageret, qui & laborem & sumptus itineris, quod Aureliani tabellarius ad Justinianum instituerat, sua cura abstulerat, & consensum Principis obtinuerat pro hoc beneficio. Gregorius tamen primus & vicariatum & Pallii usum continuavit anno DXCV. Virgilio Arelatensi Episcopo, non expectato consensu Imperatoris orientis, sufficere videlicet ratus consensum Childeberti Regis Franciæ, quod usu jam receptum esset, ut Pallium tribueretur Episcopis Arelatensibus. At sequenti anno, cum Regina Brunechildis optasset, ut Syagrius Episcopus Augustodunensis Pallio honestaretur, non refragatus est Pontifex, sed tamen non ante concessit, quam consultus Imperator per Gregorii Diaconum in CP. urbe commorantem respondit sibi placere, ut ita fiat. *Syagrio*, inquit, *Pallium dirigere secundum postulationem vestram voluimus. Propter quod & serenissimi Domni Imperatoris, quantum nobis Diaconus noster, qui apud eum responsa Ecclesiæ faciebat, innotuit, prona voluntas est, & concedi hoc omnino desiderat.* Heic nunc interrogo, quæ tandem ratio excogitari possit, qua ostendatur necessitas consensus Imperatoris, ut Syagrio Pallium absque

Vide supr. lib. 5. cap. 30. §. 3.

Symmach. ep. XI.

Vide supr. lib. 5. cap. 33. §. 9.

Vide sup. lib. 5. cap. 36.

Vigil. ep. 1. ad Auxan.

Vigil. epist. 5.

Gregor. lib. 4. epist. 53.

Greg. I. lib. 7. epist. 5.

que vicariatu concedi possit, & Auxanio Aurelianoque cum vicariatu conjunctum? Sane nullam aliam reperiri posse arbitror, quam jus illud, quod sibi Imperatores retinuerant in concessione horum indumentorum: quæ cum imperialia essent, & summo Pontifici ceterisque Patriarchis concessa ab Imperatoribus, vulgari non poterant absque eorum consensu; multo minus absque eodem consensu tribui poterant Episcopis Gallicanis; qui cum Regis Francorum imperio subjecti essent, auctoritatem Imperatoris non agnoscebant. Indumenta quidem imperialia cum Rege Lazorum communicata sunt, sed a Justiniano, ut Procopius scribit. Leges vero læsam majestatem pronuntiant, si quis utatur vestibus imperialibus. Par igitur erat, ut summus Pontifex Imperatorum consensu non destitueretur, quum Episcopis Gallicanis honorem illum recenter tribuebat. Ceterum necessitas illa consensus Imperatoris, ex dignitate Pallii petita, honorificentior haud dubie est pro sede apostolica, quam si quis eam arcessat ab insita quibusdam opinione, non licere videlicet summo Pontifici gratificari cuipiam Episcopo absque consensu Imperatoris. Extat in hanc sententiam locus singularis apud sanctum Gregorium, qui Imperatorem rogat, ut Anastasius Patriarcha Antiochenus, qui sede sua pulsus erat, apud sedem apostolicam commorari possit ac dignitatem suam retinere, *concesso usu Pallii*. Cur autem beneficium hoc ab Imperatore postulet Gregorius, nulla alia ratio esse potest, quam quod Patriarcha ille Pallium ab Imperatoris munificentia habebat. Gregor. lib. 1. epist. 27.

XI. Hieronymus Rubeus in historia Ravennatum edidit rescriptum quoddam sub nomine Imp. Theodosii; quo Princeps ille anno CDXXXII. plurimas civitates subjicit metropoli Ravennatensi, Palliique usum Episcopo ejus concedit. Verum rescriptum illud omnino [illegible] est & egregie confutatum [illegible] Cardinale Baronio, ipsa Latini sermonis [illegible] omnem ejus auctoritatem elevante apud [illegible] In eo tamen cogor a Baronio dissentiri, quod enixe contendat, Pallium Episcopo tribui non posse ab Imperatore, eo quod indumentum sit ecclesiasticum. Nam præterea suspicor, Pallium ætate Theodosii non fuisse in usu apud Ecclesiam. Neque mihi admodum placet, quod scribat Anastasius, Marcum Papam Episcopo Ostiensi concessisse, ut Pallio uti possit in consecratione summi Pontificis.

CAPUT VII.

De Pallii usu primitus Vicariis sedis Romanæ concesso & necessitate postea Metropolitanis recipiendi Pallium, & professionem fidelitatis & obedientiæ edendi imposita.

S Y N O P S I S.

I. Ante annum sexcentesimum Pallium nemini antistitum Gallicanorum tributum est, præter Arelatensem, qui Vicarius erat sedis apostolicæ.

II. In Concilio Matisconensi statutum est, ne Archiepiscopi Missam celebrent absque Pallio. Quod intelligendum est de Pallio Gallicano, non autem de Romano, id quod pluribus argumentis probatur.

III. Ævo divi Gregorii Pallio ornabantur præcipui Metropolitæ, qui ad Romani Episcopi consecrationem pertinebant, vel Vicarii sedis apostolicæ. An Gregorius confirmaverit ordinationem Leandri Hispalensis.

IV. Primus omnium Bonifacius Moguntinus induxit necessitatem Pallii Romani. Quonam consilio id factum. Eo traxit Episcopos, specie honoris. Cujusmodi fuerit Pallium per illas tempestates. Pallium est discretio inter Archiepiscopum & ejus suffraganeos, *ex Alcuino. Datur* propter apostolicam vicem, *ex Rabano. Quo unico astu infracta est auctoritas Metropolitanorum. Verba Hincmari Remensis referuntur, notatu digna.*

V. Necessitas obtinendi Pallii decreta in octava synodo. Patriarchæ orientis Pallium ad Metropolitanos mittebant, sicut summus Pontifex in occidente. Balsamo illustratus. An Metropolitani orientis deponerent Pallium ante consecrationem corporis Christi.

VI. Cum Pallio novæ conditiones a summis Pontificibus impositæ Metropolitanis, nimirum, ut subjectionem & obedientiam apostolicæ sedi pollicerentur. Novi hujusce juris repertor Bonifacius Moguntinus. Quæ antea esset Metropolitanorum professio. Veteres professionum formulæ.

VII. Sub Gregorio VII. professio illa versa est in juramentum fidelitatis.

VIII. Ea postrema formula vim juris communis obtinuit; quæ Principum jura atrociter violavit. Ita visum Hungaris anno millesimo centesimo secundo.

IX. Metropolitanis vetitæ consecrationes Episcoporum & synodorum celebrationes, donec Pallium acceperint. Primus ita pronuntiavit Nicolaus I. cujus sententia vim legis obtinuit apud posteros. Jus illud confirmaverunt quamplurimæ Decretales.

I. Nunc examinanda est tertia observatio nostra, quam capite superiori protulimus, nimirum, an omnibus Galliarum Metropolitanis antiquitus positum in usu fuerit, ut Pallium a Romana sede acciperent. Ac primum quidem quæstio hæc inutilis esse videbitur ei, qui Vigilii Papæ litteras legerit, cum in eis scriptum sit, Pallium Episcopo Arelatensi Auxanio concessum esse ob vicariatum sedis apostolicæ, atque adeo ad illum non pertinuisse jure proprio, eo quod Metropolitanus esset. Quibus addi potest necessarium fuisse, ut de eo ad Principem referretur, ut consensus ejus haberi posset. Unde patet manifeste, datum id extra ordinem & ex privilegio, neque tribui potuisse, quin eodem tempore vicariatus tribueretur. *Et quia*, inquit Vigilius in epistola prima ad Auxanium, *digna credimus ratione compleri, ut agenti vices nostras Pallii non desit ornatus*. Idipsum probatur ex epistola Pelagii primi ad Sapaudum Episcopum Arelatensem scripta anno DLVII. quo eum instituit Vicarium: *Pariter etiam Pallium dirigentes; ut in tanti loci fastigio constitutus, præclaro quoque habitu decoreris*. Itaque institutum illud Pontificum Romanorum, ut ad neminem Episcoporum Gallicanorum mitterent Pallium, præterquam ad Arelatensem, ut ea arte vicariam ejus dignitatem in sublime eveherent, eumque ab omnibus aliis Episcopis distinguerent, duravit usque ad tempora beati Gregorii Papæ, id est, usque ad annum sexcentesimum.

II. Non levis tamen difficultas adversus hæc insurgit ex Concilio Matisconensi primo petita; in quo sancitum est, ut nullus Archiepiscopus præsumat Missam celebrare absque Pallio. Sed animadvertendum est, Pallium istud non esse Romanum, non solum ob eam rationem, quam statim proposui, illud eo tempore nulli alii Episcopo communicatum fuisse præter Arelatensem, sed etiam, quod Romani usus non erat licitus præterquam in festis solennibus, ut constat ex Gregorio, qui hunc etiam fuisse morem Metropolitanorum orientis docet. At in canone isto Matisconensi statuitur, ut Archiepiscopi Pallio utantur, quoties sacrum Missæ sacrificium celebrabunt. Indefinita enim hæc locutio eam vim habet, ut vicem suppleat universalis propositionis: *Ut Archiepiscopus sine Pallio Missas dicere non præsumat*. Pallium itaque Archiepiscoporum Galliæ diversum erat a Romano, quantum ad ornamentum & fastum; ac fortassis loro carebat, id est, iis fasciis, quæ in indumentis imperialibus ornandi causa insuebantur, ut in donatione Constantini legitur: *Lorum, quod imperiale circum-*

Concil. Matisc. con. 1. an. 581.
Gregor. lib. 4. epist. 14.
Concil. Matisc. co. 1. c. 6.

cumdare assolet collum. Inde hauddubie factum est, ut ego quidem existimo, ut sequentis ætatis Pontifices, cum Pallio Metropolitanos ornare destinassent, Pallium integrum non miserint, sed tantum fascias illas, quæ nunc usurpantur, & illis quidem deinceps habitum honorem, sed Pallium ipsum evilui sse paulatim, atque ob hoc ipsum apud omnes fuisse vulgatum. Forma porro ejus, ut indicare videntur veterum Pontificum imagines, prorsus referebat indumenta illa, quæ nunc Cappas aut Pluvialia vocamus.

Vide sup. lib. 5 c. 52. §. 17.

III. Ævo divi Gregorii invaluerat, ut Romanus Pontifex Pallio ornaret præcipuos Metropolitanos, qui ad ejus consecrationem pertinebant, aut eos, quibus vices suas in provinciis committebat. Primi generis fuere Episcopi Ravennates in Italia, Syracusani in Sicilia, Calaritani in Sardinia, Salonitanus in Dalmatia, & Corinthius in Achaja; secundi vero, Archiepiscopus Thessalonicensis, & Justinianæ primæ sive Bulgariæ Metropolita; & in Galliis, Arelatensis. Leandrum insuper Episcopum Hispalensem in Hispania Gregorius Pallio ornavit, rogante Recaredo Rege. Quod non ita accipi velim, ut ea ratione Gregorius Leandri ordinationem confirmasse dicatur, cum ea ante multos annos peracta fuerit, sed, ut suam & sedis apostolicæ in eum benevolentiam illi ostenderet novo hoc honore tributo. Ob eandem vero causam eodem honore prosecutus est Syagrium Augustodunensem Episcopum, qui præcipua apud Reges Francorum gratia vigebat.

Greg. lib. 2. ep. 54. lib. 4. epist. 14. & 15. lib. 5. ep. 8. lib. 7. ep. 125. & seq. & alibi.

IV. Mansere in eo statu Galliarum Episcopi, quoad Pallium, donec Bonifacius in Galliam Germaniamque a Zacharia Pontifice missus est. Hic enim anno DCCXLII. synodum coegit, in qua decretum est, ut omnes deinceps viverent in unitate & subjectione Ecclesiæ Romanæ & * Vicarii beati Petri, & ut Metropolitani a sede Romana Pallium quærerent, & per omnia canonice obsequerentur præceptis sancti Petri. *Decrevimus*, inquit Bonifacius, *in nostro synodali conventu & confessi sumus fidem catholicam & unitatem & subjectionem Romanæ Ecclesiæ fine tenus servare, sancto Petro & Vicario ejus velle subjici, Metropolitanos Pallia ab illa sede quærere, & per omnia, præcepta sancti Petri canonice sequi*. Huc usque enim Metropolitani Galliarum Pallio tantum Gallicano usi fuerant. At Bonifacius eos coegit illud a Romana sede quærere, ut ea ratione illos magis obnoxios esse faceret ei sedi, ac præcipuo quodam jure Episcopo Romano subjiceret. At illi, quibus unicus metus erat, ne novitate illa adigerentur ad insolitam quandam reverentiam in sedem apostolicam, ac ne insuper exciderent ab ea auctoritate, quam canones tribuunt Metropolitanis, in ambiguo fuere, an promissis stare deberent. Certe licet Bonifacius, cumque eo Princeps Carlomannus, tria Pallia a Pontifice Zacharia postulassent pro Archiepiscopis Ecclesiarum Rothomagensis, Remensis & Senonensis, ab ea petitione cessavit paulo post, qua de re apud ipsum conquestus est Zacharias anno septingentesimo quadragesimo quarto. Bonifacius vero ad eum rescripsit, Francos in hoc esse, ut propediem promissorum fidem violent: *De eo, quod jam præterito tempore de Archiepiscopis, & de Palliis a Romana Ecclesia petendis juxta promissa Francorum, sanctitati vestræ notum feci, indulgentiam apostolicæ sedis flagito: quia, quod promiserunt, tardantes non impleverunt; & ventilatur, & quid inde perficere velint, ignoratur*. Verum cum illis ostensum fuisset, Pallium non ob aliud Archiepiscopis tribui, quam ut hoc exteriori signo a suffraganeis suis distinguantur, & ut eo admoneantur, teneri se ad vitam severiorem & sanctiorem & continendos in officio subjectos, amplexi sunt honorem oblatum, ut constat ex Capitularibus Caroli Magni: *Dignum est, ut Metropolitanus, qui est Pallio sublimatus, honoretur*. Pallium autem per illas tempestates ejus formæ erat, cujusmodi nostra tempestate videmus; ut constat ex Alcuino, hujus ævi scriptore, qui illud confert cum Rationali, quod Pontifex Judæorum in pectore gestabat; aitque insuper, illud a sede apostolica dari Metropolitanis, ut distinguantur a ceteris Episcopis. *Pro Rationali*, inquit, *nunc summi Pontifices, quos Archiepiscopos dicimus, Pallio utuntur, quod a summa sede apostolica dante accipiunt*. Infra: *Pallium nihil est aliud, nisi discretio inter Archiepiscopum & ejus suffraganeos*. Brevem ejus descriptionem inivit Rabanus Maurus, quæ Pallio ævi nostri congruit; ideoque ab Archiepiscopis deferri scribit, ut ostendant, se Vicarios esse apostolicæ sedis. *Super hæc omnia*, inquit Rabanus, *summo Pontifici propter apostolicam vicem Pallii honor decernitur, quod genus indumenti crucis signaculum purpureo colore exprimit, ut ipso indutus Pontifex a tergo & pectore crucem habeat*. Ceterum hæc Rabani verba sunt notatu valde digna, cum ex eis disci possit, cur tanta summorum Pontificum cura fuerit in mittendis Palliis ad Archiepiscopos Gallicanos, nimirum, ut jus metropoliticum, quod ad illos pertinebat secundum canones, arcessiri crederetur a vicariatu sedis apostolicæ: *Propter apostolicam vicem Pallii honor decernitur*. Sapienter itaque Hincmarus Remensis Archiepiscopus, artium & temperamentorum Romanæ curiæ callentissimus, cum ei Nicolaus primus exprobrasset privilegia a Benedicto Papa concessa, inter quæ illud in primis eminebat, ut Pallium deferre posset *ad quotidianum usum*, respondit, privilegia illa nihil sibi novi juris tribuere, præter id, quod prisci canones tribuunt Metropolitanis, attamen se nova hæc decreta expetiisse, eo quod, cum Ecclesia Remensis sita esset in confinio duorum regnorum, iis privilegiis indigebat, ut terrorem injiceret quibusdam hominibus carnalibus & animalibus, apud quos veteres constitutiones canonicæ eviluerant. *Privilegia autem sedis apostolicæ non ideo petii, ut mihi non sufficeret, quod sacri canones & decreta sedis Romanæ Pontificum cuique metropoli sedi concedunt .... ut, quia veteres constitutiones jam quasi pro vili apud quosdam habentur, his novis decretis carnales & animales homines territi quiddam reverentius agerent contra Ecclesiam mihi commissam*.

* id est, Romani Pontificis, qui vulgo vocatur Vicarius B. Petri. Bonif. epist. 105.

Zachar. ep. 5.

Capitul. lib. 6. c. 79.

Alcuinus in libro de divin. offic.

Rab. lib. 1. de Instit. Cleric. c. 23.

Hincmar. ep. 36. ad Nicol. Vide sup. lib. 3 c. 1. §. 8. & lib. 5. c. 39. §. 5.

V. Necessitas tamen obtinendi Pallii decreta est in octava synodo œcumenica, quæ Constantinopoli celebrata est anno DCCCLXXII. sub Hadriano secundo: in qua statutum est, debere Metropolitanos confirmationem a Patriarcha suo recipere, sive per impositionem manuum, sive per concessionem Pallii. *Ita ut earum* (id est, sedium Patriarchalium) *Præsules universorum Metropolitanorum, qui ab ipsis promoventur, & sive per manus impositionem, sive per Pallii dationem, episcopalis dignitatis firmitatem accipiunt &c.* Canon ille non extat in editione Græca hujus Concilii, sed tantum in versione Anastasii. Ex ea autem id colligitur, consuevisse Patriarchas orientis Pallium ad Metropolitanos mittere, quemadmodum a summo Pontifice fiebat in occidente. Quare non frustra observatum est superius, auctoritate sancti Gregorii Metropolitanos orientis usum Pallii habuisse, quod confirmatur ex responsione Demetrii Chomateni, qui eo uti licitum non esse ait, nisi in festis Paschatis, Pentecostes & Natalis Domini. Ceterum hæc Demetrii observatio lucem afferet Balsamoni scribenti Saccum, Sticharium, & Phenolium indumenta esse, quibus uti licet solis Patriarchis. Quod intelligendum est de usu ordinario & quotidiano; cum alias Metropolitanis non concedatur, nisi ex privilegio, & pro certis tantum anni diebus. In Concilii namque octavi canone XXVII. prohibetur Metropolitanis, ne quotidie Pallio utantur in sacrificiis vel in ceteris functionibus ecclesiasticis. *Omni tempore divini officii*, inquit canon, *vel alius ecclesiastici ministerii*. Ex eo tamen colligi non potest, non licere Metropolitanis uti Pallio omni tempore divini sacrificii, aut vi horum canonum ad ejus depo-

Concil. VIII. can. 17. apud Anastasium.

posi-

positionem ante consecrationem, quod tamen eruditissimo viro hac nostrâ ætate placuisse video. Illa quidem sententia locum habet quoad Omophorion ordinarium, quod Episcopi ferebant, ut ceteras vestes vulgatas ævo Isidori Pelusiotæ, qui docet, Episcopos illud deponere consuevisse post recitatum evangelium. Consuetudo autem illa rationi prorsus consentanea erat: quia, cum liturgia post evangelium inchoaretur, sumenda erant indumenta propria ad celebrandum sacrificium.

Isid.Pelus.lib. 1. ep. 136.

Vide Habertũ part.2.observ. 3. ad Pontificale Eccles. Græcæ.

VI. Post devoratam ab Europæ Metropolitanis Pallii accipiendi necessitatem, quæ a Concilio octavo firmata est canone, novas dein conditiones sibi a summis Pontificibus impositas coacti sunt amplecti. Primum enim eo res devenit, ut coacti sint scripto polliceri subjectionem & obedientiam apostolicæ sedi & per omnia, præcepta ejus canonice sequi. Novi hujus juris repertor fuit Bonifacius Moguntinus in synodo ab eo celebrata an. DCCXLII. ut discimus ex ejus epistola ad Gudbertum. Antea enim Metropolitani nulla alia lege tenebantur, quam ut fidei suæ professionem emitterent & observationem canonum comprovincialibus Episcopis pollicerentur in sua consecratione. Nullam porro obedientiæ sponsionem faciebant: quam adeo alienam a prisco more censebat Leo primus, ut ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum scribens in causa Attici Episcopi, a quo Anastasius similem sponsionem exegerat, dixerit in ea signum injuriæ contineri. At post Bonifacium nova clausula huic professioni addita est, qua videlicet subjectionem & obedientiam Romano Episcopo promitti invaluit; ut videre est in veteri formula, quæ Caroli Calvi ætate in usu erat: *Beato vero Petro & Vicario ejus debitam subjectionem & obedientiam, suffraganeis vero nostris adjutorium me exhibiturum profiteor*. Illa nihilominus obedientia ad observationem canonum coercetur; id est, promittunt Metropolitani, se summo Pontifici obedituros juxta canones, hoc est, quoties jussa ejus canonum statutis innitentur: *Per omnia, præcepta Petri canonice sequi*. Hanc enim esse horum verborum vim, docet ipse Zacharias Papa ad Bonifacium scribens: *Nec enim*, inquit, *ab hac apostolica sede illa diriguntur, quæ contraria esse patrum sive canonum statutis inveniantur*. Bonifacius vero, qui sponsionis hujus vim intelligebat, eandem in propria causa adhibuit clausulam, quum eam sponsionem Zachariæ faceret pro archiepiscopatu Moguntino: *Sicut prædecessorum vestrorum pro auctoritate sancti Petri servi devoti, & subditi obedientes, & subditi sub jure canonico*; inquit ille in epistola 132. ad Zachariam.

S. Bonifacius epist. 105.

Form.XIII. in App. tom. II. Concil.Gallic.

Zachar. epist. 1. ad Bonifac.

VII. Gregorius VII. formulam veterem auxit quibusdam clausulis, quæ illam obedientiæ sponsionem prorsus convertunt in juramentum fidelitatis, quod vasallus domino suo præstare tenetur. Hujus juramenti formula extat in eo, quod Patriarcha Aquilejensis eidem Pontifici præstitit in synodo Romana anni MLXXIX. in quo vetus quidem clausula obedientiæ canonicæ omissa non est, *canonice obediam*, sed insuper fidelitatem his verbis pollicetur, quibus eam vasallus domino suo polliceretur: *Non ero in consilio neque in facto, ut vitam aut membra aut Papatum perdant, aut capti sint mala captione*. Præterea promittit, se conservaturum *regulas sanctorum Patrum*, ut habet vera lectio hujus loci.

Gregor. VII. lib. 6. post epist. 17.

VIII. Ceterum ea formula vim juris communis obtinuit, & in libris Decretalium descripta est. Adeo autem Principum jura violavit hæc formula, ut, cum Gregorius summo jure usurpasset dominationem in omnes Metropolitanos, in alia deinde synodo prohibuerit, ne quis Episcopus homagium Regibus præstaret, quod a successoribus ejus Urbano II. & Paschali II. confirmatum est. Attamen cum Gregorius VII. non ignoraret canones octavæ synodi, quibus utitur adversus investituras Principum, potuit animadvertere, canonem octavum ejusdem synodi prohibere, ne Patriarchæ ab Episcopis aliam sponsionem exigerent, quam eam, quæ fieri consueverat, nimirum illos veram fidem servaturos. Occasio hujus prohibitionis nata est ex eo, quod Patriarchæ CP. novam consuetudinem invexerant *ad propriam tutelam*, ut promissa scripto acciperent ab Episcopis, quos ordinabant. *Quoniam legitimi Patriarchæ*, inquit canon VIII. Concilii octavi, *a sacerdotali catalogo propriæ manus scripta facere ad propriam tutelam favoremque suum & quasi stabilitatem exigunt & compellunt, visum est sanctæ huic & universali synodo, nequaquam id ex hoc a quopiam fieri; excepto eo, quod secundum formam & consuetudinem pro sincera fide nostra tempore consecrationis Episcoporum exigitur*. Formula professionis fidei Metropolitanorum orientis, qua pollicentur, se observaturos canones & pacem ecclesiasticam, & in omnibus sequi auctoritatem sui Patriarchæ, extat in libro sexto Juris Græco-Romani. Sane nova hæc juramenti præstatio visa est admodum dura Hungaris anno MCII. quam non esse consentaneam canonibus asserebant; adeo, ut *Rex & regni magnates* prohibuerint, ne Metropolitani juramentum illud præstarent, eo prætextu, quod ad officium illud non adigerentur auctoritate Conciliorum. Ad quæ Paschalis II. reposuit, Ecclesiam Romanam non subjici decretis Conciliorum, quibus ipsa addit auctoritatem. At secretarius ejus mirabilis technæ artifex fuit, ut tenebras offunderet oculis Hungarorum, nimirum, quatuor Concilia harum rerum formam præscripsisse. *Quibus tamen*, inquit, *quatuor Conciliorum decretis dandi Pallii modus præfixus est, & professionis vel obedientiæ ordo sancitus est*. Epistolam illam edidit illustrissimus Cardinalis Baronius tomo XII. annalium ecclesiasticorum.

L.4. de jurejur.

Vide supr.lib. 5. c.48. §.3.

Baron. ann. 1102. unde sumptum est c. 4. de elect.

IX. In ea porro epistola deprehenditur aliud jus novum, a consuetudine introductum, non licere nimirum Metropolitanis Episcopos consecrare aut synodos celebrare, antequam Pallium acceperint; *Juxta sedis apostolicæ & totius Ecclesiæ consuetudinem, ante acceptum Pallium Metropolitanis minime licet aut Episcopos consecrare aut synodum celebrare*. Primus, mea quidem sententia, effatum illud pronuntiavit Nicolaus primus: qui respondens ad consulta Bulgarorum, permittit Episcopis comprovincialibus, ut Metropolitanum instituere possint: *Sane interim in throno non sedentem, & præter corpus Christi non consecrantem, priusquam Pallium a sede Romana recipiat, sicut Galliarum omnes & Germaniæ & aliarum regionum Archiepiscopi agere comprobantur*. Et ille quidem nullo decreto vetuit Metropolitanos attingere functiones suas; donec Pallium recepissent; mens tamen ejus locum legis habuit apud ejus successores, qui hoc pacto vim auctoritatis Episcoporum comprovincialium infregerunt, ut eos arctiori vinculo cogerent ad conservandam cum capite suo communionem. Decretales dein plurimæ jus illud confirmarunt; quod haud dubie per consequentiam necessariam firmari potest auctoritate canonis XVII. Concilii octavi œcumenici: in quo scriptum est, necesse esse, ad hoc, ut Metropolitanus esse possit in possessione integra juris metropolitici, ut aut a Patriarcha sit consecratus, aut Pallium ab eo acceperit.

Nicol. I. ad Cons. Bulg. c. 73.

Cap. 28. & 44. de elect. & c. 5. de consecr. Eccles.

CAPUT VIII.

De jure antiquo metropolitico circa translationes Episcoporum, olim Pontificis consensum non requirentes, ut & de coadjutoribus cum futura successione substitutis.

SYNOPSIS.

I. Soli Episcopo Romano competere jus separandi conjugium Episcopi & Ecclesiæ, pronuntiavit Innocentius III.

II. Mi-

II. Migrationes a civitate in civitatem vetitæ antiquitus. Eam ob causam Eusebius Cæsariensis recusat episcopatum Antiochenum.

III. Eæ prohibitiones locum habent, quando Episcopi, avaritia aut ambitione inflammati, aliam invadunt. At si Ecclesiæ utilitas id fieri postulet, tum vero vetitæ non sunt. Ad synodum provinciæ pertinet cognitio hujus utilitatis. Probatur ex Concilio IV. Carthaginensi.

IV. Pelagius II. recte explicat casus, in quibus vetitæ aut licitæ sunt translationes, ad eas autem peragendas necessarium non esse consensum sedis apostolicæ, sed tantum auctoritatem Metropolitani.

V. Varia hujus rei vocabula apud Græcos. Translatio autem & migratio apud eos permittuntur, ex auctoritate tamen synodi provinciæ. Invasio vero prohibetur.

VI. Cessiones episcopatuum olim vetitæ erant. Probatur ex Cyrillo Alexandrino. Emergunt tamen interdum occasiones, in quibus discedendum est a summo illo jure. Probatur ex synodo Pamphyliæ, & ex Concilio Ephesino, & ex Constantinopolitano sub Photio. Item ex Pelagio, Gregorio magno, & aliis.

VII. Renuntiationes admittere poterant Metropolitani. Innocentius III. id jus reservavit apostolicæ sedi. Hilgodus Suessionensis renuntiavit episcopatui, & in monasterium secessit, inscio prorsus summo Pontifice.

VIII. Per eas tempestates resignationes non poterant fieri in favorem. Quippe vetitum erat, ne Episcopi sibi deligerent successores. Augustinus tamen Valerio Hipponensi datus est coepiscopus. Cur Augustinus dicat, violatos in hoc facto fuisse canones Nicænos. Ipse vero successorem sibi constituit Heraclium.

IX. Consuetudo hæc viam aperiebat ad successiones hereditarias in Ecclesiis. Quod improbat Hilarus Papa.

X. Quandonam substitutiones illæ tolerandæ sint, aut legitimæ.

XI. An soli Pontifici Romano liceat coadjutores dare cum futura successione. Jus illud competere synodo provinciæ, probatur exemplo Augustini & auctoritate Concilii Meldensis.

XII. Abbates, etiam exempti, ordinabantur a suis Episcopis. Probatur ex privilegio, quod monasterio Corbejensi concessit Episcopus Ambianensis.

XIII. Idem usus vigebat ætate Ivonis Carnotensis. Sed Episcopis professionem obedientiæ non faciebant Abbates exempti aut sedi apostolicæ immediate subjecti. Jure novo exempti a summo Pontifice confirmari debent.

I. NUnc quoniam accurate expendimus ordinem consecrationis Episcoporum, tria notatu digna esse arbitror, quæ contingere possunt in his occasionibus, nimirum cessiones sive renuntiationes, quas nos episcopatuum resignationes vocamus, translationes, & Coadjutorum institutiones cum futuræ successionis reservatione.

Innocentius III. in decretali epistola pronuntiavit, soli Pontifici Romano ex jure divino competere auctoritatem separandi conjugium spirituale, quod ab Episcopo cum sua Ecclesia contractum est; sive illud fiat per viam cessionis, translationis, aut depositionis. Quia vero in libro septimo, in quo agitur de depositione Episcoporum, ostensurus sum, hanc Innocentii propositionem, saltem quoad depositionem, antiquis canonibus & decretis summorum Pontificum esse contrariam, satis erit hoc loco, si eandem curam adhibeam quoad cessiones & translationes.

II. Primum omnium satis constat, migrationes ab Ecclesiis sive sedibus ad alias gravibus pœnis intentatis prohibitas esse a canonibus, cum in canone Nicæno XV. ita legatur: *De civitate in civitatem non Episcopus, non Presbyter, non Diaconus transferatur*, quod in Conciliis quoque Antiocheno & Sardicensi confirmatum est. (Conc. Antioc. c. 21. Sardic. cap. 1. & 2.) Julius vero Episcopus Romanus in epistola ad orientales, quæ extat apud Athanasium, Eusebianis exprobrat, quod Ecclesias suas desererent, ut ad alias commodiores migrarent. Eusebius Cæsareæ Episcopus Ecclesiæ Antiochenæ cathedram recusavit, quæ ei a clero illius civitatis offerebatur; quoniam id canonibus contrarium extitisset, si Cæsareensem Ecclesiam pro Antiochena dimisisset. (Euseb. de vita Constant. lib. 3. c. 59. Theod. lib. 5. c. 11.) Quin & Romana synodus sub Damaso celebrata eos communione privat, qui ab una Ecclesia in aliam migraverint, donec ad primam redierint. Concilium Carthaginense can. 48. damnat in universum translationes, quas in synodo quoque generali Capuensi damnatas fuisse pronuntiat, *quod etiam*, inquit, *in Capuensi plenaria synodo videtur statutum*. Ceterum hoc disciplinæ caput suo etiam suffragio comprobant Leo I. in epistola ad Anastasium Thessalonicensem, Hilarus in epistola ad Ascanium cap. XXV. & synodus Meldensis canone trigesimo.

III. Igitur eæ prohibitiones locum habent, quando Episcopi avaritia aut ambitione inflammati Ecclesias suas absque superiorum suorum auctoritate dimittunt & aliam sedem invadunt. At si Ecclesiæ utilitas postulet, ut translationes fiant ab uno episcopatu in alium, tum vero vetitæ non sunt. (Vid. supr. lib. 5. cap. 27. §. 4. & cap. 34. §. 6.) Quinimo sæpissime sic usurpatum est in Ecclesia; ut ex diversis translationum exemplis a Socrate allatis colligitur, & ex Theodoreto. (Socrat. lib. 7. c. 35. & 39. Theod. lib. 5. c. 4. & 8.)

Ad Metropolitani autem & Episcoporum comprovincialium cognitionem spectat, an ex translatione hujusmodi emersura sit utilitas Ecclesiæ; & eo casu translationem Episcoporum decernere possunt. Diserta prorsus in eam rem sunt verba Concilii Carthag. IV. can. XXVII. *Episcopus de loco ignobili ad nobilem per ambitionem non transeat, nec quisquam inferioris ordinis clericus. Sane si utilitas Ecclesiæ fiendum poposcerit, decreto pro ea clericorum & laicorum Episcopis porrecto, in præsentia synodi transferatur, nihilominus alio in locum ejus subrogato*. Qui locus a Gratiano relatus est 7. q. 1. c. *Episcopus*.

IV. Consuluerat Pelagium secundum Benignus Archiepiscopus, an secundum canones licitæ forent Episcoporum translationes, & utrum peragi possent auctoritate Metropolitanorum, an vero necessarium esset apostolicæ sedis potestatem implorare. *Exigit ergo dilectio tua*, inquit Pelagius ad Benignum scribens, *consulta sedis apostolicæ, si licitum foret, Episcopum transire de civitate in civitatem, dum quidam canones, ut tibi videtur, hoc fieri prohibeant*. (Hæc epistola falso tribuitur Pelagio.) Infra: *Quidam dicant, hoc fieri licere, nisi consensum apostolicæ sedis habuisses*. Primæ ergo inquisitioni aperte & dilucide respondet Pelagius, canones interpretando. *Quod in canonibus legitur*, inquit, *non debere Episcopum de civitate ad civitatem transire vel transferri, non de his dicitur, qui aut vi expulsi, aut necessitate coacti, aut auctoritate majorum hoc agunt, sed de iis, qui avaritiæ ardore inflammati sponte sua prosiliunt, & potius ambitioni quam utilitati Ecclesiæ servire & qui, ut dominationem agant, insistere cupiunt*. Hanc autem interpretationem probat exemplis veterum & variis argumentis. Secundæ vero inquisitioni, an videlicet consensus sedis apostolicæ necessarius sit, ut translationes fieri possint, respondet ingenue, dicens Metropolitanum, qui jus habet ordinandi Episcopos, eisque titulos & Ecclesias assignandi, posse etiam, si necessitas cogat aut utilitas, eos mutare ac transferre: *Quia sicut potestatem habes Episcopos & sacerdotes regulariter titulare & ordinare, ita, ut prædictum est, causa necessitatis aut utilitatis habes & mutare ac de titulo ad titulum translatare, licet de minori ad majorem urbem mutandus sit*.

V. Juris canonici interpretes Græci eandem distinctionem adhibent, & eam his vocabulis exprimunt, μετάθεσις, μετάβασις, ἐπιβασία, id est, *translatio*, *migratio* & *invasio*. Harum primam permit-

permittit canon XIV. apostolicus, eo quod pro Ecclesiæ utilitate fiat, non Episcopi translati motu, sed plurimorum Episcoporum judicio: οὐκ ἀφ' ἑαυτοῦ ἀλλὰ κρίσει πολλῶν ἐπισκόπων. Secundam quoque permittit canon XVI. Antiochenus, cum Episcopus sede sua pulsus, quæ ab ethnicis aut hæreticis occupatur, in Ecclesia vacante functiones Episcopi exercet, sed tamen migrationem illam fieri debere in synodo provinciæ præcipit idem canon Antiochenus: μετὰ διαγνώσεως τελείας συνόδου. At invasio prorsus vetita est. Invasio autem dicitur, cum Episcopus sponte sua ab una Ecclesia in aliam migrat, vel ad eam transfertur absque ulla Ecclesiæ utilitate. Apud Leunclavium in libro quarto Juris Græco-Romani extat tractatus περὶ μεταθέσεων, in quo referuntur quamplurima exempla variarum translationum; unde concludit auctor: *Migratio prohibita est, non translatio*: μετάβασις κεκώλυται, οὐ μία ἡ μετάθεσις.

VI. Cessiones vero episcopatuum olim vetitæ erant, ut disertis verbis docet Cyrillus Alexandrinus in epistola ad Domnum. Ratio inde petitur, quod, si Episcopus suo episcopatu dignus est, in eo permanere debet; sin vero dignus non est, illum quidem deserere tenetur, non tamen per renuntiationem, sed cum causæ cognitione, & post sententiam adversus eum pronuntiatam. Negari tamen non potest, quin interdum emergant occasiones, in quibus discedendum est a summo illo jure, videlicet si Episcopus ægrotet, si dura & pertinax plebs in contumacia perseveret, aut si ea sit Episcopi infirmitas, ut negotiorum in dies emergentium nimia frequentia opprimatur, neque omnia exequi possit. Ultima hæc exceptio impulit synodum Pamphyliæ, ut Eustathii Metropolitani sui resignationem admitteret; in cujus locum suffectus est
Epist. synodi Ephes. ad syn. Pamphyl.
Theodorus. Verum Eustathius apud synodum Ephesinam conquestus est de hac dejectione sua; non quod cessionem suam in irritum mitti vellet; sed ut benignitatem synodi huc flecteret, ut & nomen & dignitatem Episcopi retinere posset, id est, honorem & reditus necessarios ad vitam, quod ei concessum quidem est, sed ea lege, ut nullam episcopalis muneris partem attingeret absque consensu Theodori. Præjudicio synodi Ephesinæ, quæ renuntiationem episcopatus fieri permittit, fretæ Ecclesiæ orientis & occidentis Episcoporum resignationes recepere, modo æquitate quadam niterentur. Et Græcorum quidem usus confirmatus est in Concilio CP. sub Photio can. XVI. Occidentis vero praxim litteris suis firmarunt Pelagius, Gregorius primus, & alii, quorum auctoritates adducuntur
Cap. 10. de renuntiat.
in Decreto Gratiani 7. q. 1. Innocentius autem III. in quadam decretali recenset causas, ob quas resignationes episcopatuum admitti possunt.

VII. Constat igitur, translationes olim fieri consuevisse auctoritate Metropolitanorum: qui ob eandem rationem admittere etiam poterant renuntiationes, donec novo jure eas Innocentius III. apostolicæ sedi reservavit. Sane apud Ivonem Carnotensem in epist. LXXXVIII. legimus, Hilgodum Suessionensem Episcopum renuntiasse suo episcopatui & in monasterium secessisse, inscio prorsus summo Pontifice. Quippe Paschali II. ignotas fuisse causas hujus renuntiationis, tametsi diu ante peracta fuisset, probatur ex hac epistola: in qua Ivo (ob aliam tamen causam, neque enim de hoc agebatur) causas hujus renuntiationis & secessionis ab Hilgodo factæ aperit eidem Paschali.

Secessisse Hilgodum ad Majus monasterium Turonense, abdicato episcopatu, illicque monachum fuisse, quum synodus Claromontana celebrata est ab Urbano II. scribitur in veteri codice MS. Bibliothecæ Seguierianæ.

VIII. Ceterum resignationes puræ esse debebant, non autem in favorem alicujus certæ personæ; quod secundum canones vetitum esset, ne Episcopi sibi deligerent successores, ut patet ex canone XXIII. Concilii Antiocheni: *Episcopo non licere pro se alterum successorem sibi constituere, licet ad exitum vitæ perveniat. Quod si tale aliquid factum*
Theodor. lib. 5. cap. 23.
fuerit, irritum esse hujuscemodi est constitutum. Ad hunc canonem alludit Theodoretus, dum invehitur in Paulinum Episcopum Antiochenum, qui successorem sibi constituerat Evagrium. Extant tamen exempla in contrarium. Nam Valerius Hipponensis Episcopus Augustinum in Ecclesia sua ordinari Episcopum fecit, ut coadjutor & coepiscopus esset; *ita ut novo more*, inquit Paulinus, *non tam succederet quam accederet*. Ceterum ordinationem illam probavit cleri & populi consensus & Episcoporum comprovincialium. Canones nihilominus Nicænos in ea violatos esse fatetur Augustinus; August. ep. 34.
non quia ipse successor Valerio destinatus esset, sed quia Episcopus una cum illo fuit. Quippe Concilium illud vetuerat, ne duo Episcopi essent in una Ecclesia. Nam quod spectat ad electionem successoris, nihil in ea reprehendebat, modo fieret cum consensu cleri & plebis, id est, eorum, ad quos jus eligendi pertinebat. Certe ipsemet Augustinus successorem sibi constituit Heraclium in plenario Ecclesiæ suæ cœtu; cui electioni ut accederet cleri & populi Hipponensis consensus, effecit, & acta consensus eorum per Notarios excipi jussit. Sed extant præterea quamplurima exempla hujus praxis. Idem ep. 110.

IX. Fatendum tamen est, plenam periculi fuisse hanc consuetudinem, viamque aperuisse ad successiones hæreditarias in Ecclesiis, exclusa prorsus contemplatione virtutum ac meritorum, quo nihil politiæ ecclesiasticæ perniciosius contingere poterat. Sapienter itaque Hilarus Papa, qui hæc deinceps in Ecclesiis Hispaniarum fieri prohibuit his verbis: *Episcopatum, qui nonnisi meritis præcedentibus datur, non divinum munus, sed hereditarium putant esse compendium; & credunt sicut res caducas atque mortales, ita sacerdotium velut legatario aut testamentario jure posse dimitti.* Synod. Rom. sub Hilare.

X. Substitutiones illæ cum futura successione possunt tolerari, si consensus accedat superioris & eorum, quibus jus eligendi competit. Sed prorsus legitimæ sunt, si tanta fuerit Episcopi ægritudo, ut functiones suas exercere non possit, ita, ut coadjutore indigeat. Huic enim coadjutori concedi posse futuram successionem, ut hoc stimulo excitetur ad exequenda coadjutoris munia, decrevit Gregorius I. ad Reginam Brunichildem scribens: *Si vero nullo tempore ad mentis sanæ redit officium, quæri persona debet vita & moribus decorata, quæ & animarum curam gerere, & ejusdem Ecclesiæ causas utilitatesque salubri valeat ordinatione disponere; talisque, si superstes fuerit, ejus possit loco succedere.* Greg. lib. 11. epist. 8.

XI. Quod si quis objiciat, nemini licere coadjutores dare cum futura successione, præterquam summo Pontifici, opponi poterit exemplum Augustini; ex quo trahi potest argumentum, jus illud Episcopis quoque comprovincialibus competere, si quis Episcopus coadjutorem postulet, & eorum consensus accedat, ad quos electio pertinet. Verum ne negotium illud ab ea antiquitate repetamus, canones quoque Gallicani probant, usum illum esse legitimum & synodum provinciæ posse decernere hoc jus futuræ successionis in gratiam eximii cujusdam viri, sive de episcopatu agatur, sive de archiepiscopatu. Legatur canon XLVII. Meldensis Concilii, quod anno DCCCXLV. convenit. *Sed si Episcopum ministerium ecclesiasticum propter infirmitatem corpoream exhibere non potuerit, in Archiepiscopi hoc, cum voluntate Episcopi ejusdem Ecclesiæ, maneat ordinatione, qualiter debitum officium non remaneat. Obsequium vero ad Remp. pertinens qualiter exequatur per tales ex subditis & ecclesiasticis ministris, cum consensu Archiepiscopi, propter pacis caritatisque custodiam, Episcopus ordinet ac disponat, quos succedendi in episcopatu appetitus indebitus non elevet neque vexet; nisi ita moratus extiterit, ut secundum instituta beati Gregorii in libro epistolarum, & humiliter in subditione præsit, & post viriliter conveniens sanctis regulis præsit, quia ob hoc in multis Ecclesiis scandalum magnum conspeximus. Sin autem in Archiepiscopo talis necessitas acciderit, similiter ipse consilio coepiscoporum suorum hujusmodi ordinationem exhibeat.*

XII. Abbates autem, cum antiquitus in Episcoporum potestate consisterent, ab iis quoque ordinabantur post electionem a monachis celebratam. Quod locum habebat etiam quoad monasteria exempta; ut patet ex privilegio immunitatis & libertatis, quod Episcopus Ambianensis cum consilio suorum collegarum concessit monasterio Corbejensi anno DCLIV. in gratiam Regis Chlotarii fundatoris ejusdem monasterii. Quippe universa monasterii bona eximens ab Episcoporum potestate, monachorumque correctionem Abbati permittens, sibi tamen ac successoribus suis reservat ordinationem Abbatis: *Cum Abbas fuerit de seculo isto evocatus, quem unanimiter congregatio ipsius monasterii ex semetipsis bonum & dignum elegerint, data auctoritate a præfato Principe vel ejus successoribus, a nobis vel successoribus nostris absque ullo commodo secundum sanctos canones ordinetur.*

Ivo ep. 73. & 88. XIII. Ætate Ivonis Carnotensis Abbates Gallicani confirmabantur & benedicebantur a suis Episcopis, quibus omnem subjectionem & obedientiam promittebant. At si Abbates forent exempti & sedi Apostolicæ immediate subjecti, benedictionem quidem ab Episcopo suo recipere debebant, non tamen ei professionem obedientiæ facere. Nam professio, quam idem Ivo exegerat a Goffrido Abbate Vindocinensi inter ordinationis ejus solennia cassata est ab Urbano secundo, ut scribit ipse Goffridus lib. II. epist. XXVII. Jus autem istud prorsus immutatum est quoad exemptos, qui, ut jure novo præscribitur, a summo Pontifice confirmari debent. (V. Gloss. Pragmat. Sanct. tit. *De elect.* Verbo *Pertinet.*)

CAPUT IX.

De reservationibus & expectativis papalibus noviter introductis, Gallis vehementer illis contradicentibus.

SYNOPSIS.

I. Proponitur synopsis eorum, quæ superioribus capitibus explicata sunt.

II. Libri decretalium invexere jus novum. Recensentur varia innovationum capita.

III. Jura sedis apostolicæ, quoad hæc, immensum aucta sunt ope reservationum.

IV. Ecclesia Gallicana invehitur in reservationes & gratias expectativas. Ac remedium adhibet.

V. Joannes XXIII. ea de causa misit in Gallias Cardinalem Pisanum, qui omnia turbavit. Hinc factum, ut renovata sint decreta Ecclesiæ Gallicanæ. Quæ Legatos mittit ad Concilium Constantiense; quibus mandatum est, ut ab eo peterent confirmationem deliberationum Ecclesiæ Gallicanæ. Sed eorum petitionem elusere Concilium & Martinus quintus.

VI. Edictum anni 1418. *est magni momenti. Quippe latum post electionem Martini V. Eo abolentur reservationes & gratiæ expectativæ; jusque commune revocatur.*

VII. Idipsum statuit Carolus VII. Et Concilium Basileense. Appellationes tamen reservantur sedi apostolicæ.

VIII. Ecclesia Gallicana amplexa est decreta Concilii Basileensis. Pragmatica sanctio ob id edita Avarici Biturigum an. 1438.

IX. Quid in Decretis Basileensibus immutatum ab Ecclesia Gallicana, quæ existimavit, licere Principibus preces adhibere in electionibus Episcoporum.

X. Pragmatica sanctio abolita diplomate Ludovici XI. Sed revocato, ob intercessionem Parlamenti Parisiensis. Abolita rursum auctoritate Concordatorum. Discrimen inter Pragmaticam & Concordata. Eorum publicationi intercedunt Clerus & Parlamentum.

XI. Major regno utilitas emergit ex Concordatis, quam ex Pragmatica sanctione.

XII. Jus commune antiquum in edicto Caroli VI. intelligendum de jure Decreti & Decretalium. Idem dicendum de Pragmatica sanctione B. Ludovici.

XIII. Rursum de discrimine, quod intercedit inter Pragmaticam & Concordata.

I. Ex iis, quæ supra dicta sunt, colligere quivis potest, synodos provinciarum, quæ propter ordinationes Episcoporum conveniebant, auctoritate Metropolitanorum fuisse congregatas, tum eis competivisse examen decreti electionis factæ ab electoribus, sive a clero & populo facta fuerit secundum canonicas sanctiones, sive a Rege, sive tandem a solis Capitulis, confirmationem prætetea Episcoporum pertinuisse ad Metropolitanum, Metropolitani vero ad Episcopos comprovinciales. Sed & illud adnotatum est, contradictiones, quæ oriebantur in electionibus, judicari solitas suprema Metropolitani con suis coepiscopis auctoritate, & synodos consuevisse admittere resignationes, translationes, & coadjutorias cum futura successione.

II. Libri decretalium jus novum nobis invexere. Primum enim electiones ad trituræ forensis leges revocatæ sunt. Nam cum adversis veterem disciplinam decretum fuisset, electionem jus quoddam acquirere electo, quod *jus ad rem* vocari invaluit, hinc factum, ut, quoties vota eligentium in duas partes se diviserant, aut varietas opinionum sive nullitas quæpiam incidisset, litis istius judicium ad Metropolitanum pertineret, qui tamen eam definire non posset, nisi post contestationem. Tum appellationes ad sedem apostolicam introductæ sunt, ingentium sumptuum & incredibilium morarum materia. Secundo, si electores essent negligentes, aut si scienter aliquam personam incapacem elegerant, vel aliquid eorum omisissent, quæ necessaria sunt ad hoc, ut electio rite celebrata dici possit, tum vero jure eligendi privabantur, & integra episcopatus collatio ad summum Pontificem devolvebatur. Et hæc est una ex reservationibus, quæ sunt in corpore juris. Tertiò, Metropolitanis interdictum est universis functionibus episcopalibus, donec Pallium receperint; præter juramentum fidelitatis ei simile, quod vasallus domino suo præstare tenetur, quod una cum formula introductum est. Quarto, sedi apostolicæ reservatum est jus admittendi cessiones episcopatuum decernendique translationes & coadjutorias cum futura successione. (Vide lib. 3. c. 6. § 4.) (C. *Quanquam.* de elect. in VI. & cap. *Quia propter.* eod. tit.)

III. Sed jura illa immensum auxit Bonifacius VIII. qui sedi apostolicæ reservavit provisionem Ecclesiarum, quæ in curia Romana vacarent, sive illæ cathedrales essent, sive abbatiales, aut alius generis. Sequentes autem Pontifices fuere paulo audaciores, cum eidem sedi specialibus primum rescriptis, tum in regulis cancellariæ, reservarunt provisionem omnium Ecclesiarum cathedralium & aliorum beneficiorum, quibus provideri consueverat per electionem, per universum orbem Christianum. Unde factum, ut provisio Papæ in bullis ejus contenta vim obtineat electionis & confirmationis. Nam quoad consecrationem, eam committit tribus Episcopis in partibus, nulla facta mentione Metropolitani. (C. *Si eo tempore.* De elect. in sexto.)

IV. Tantum veteris consuetudinis contemptum ferre non potuit Ecclesia Gallicana libertatis suæ conservandæ avidissima. Nam licet Benedicto XIII. in schismate adhæreret, noluit tamen committere, ut in ejus gratiam ruere pateretur causam publicam religionis. Atque, ut malo illi canonice remedium adhiberi posset, Carolus VI. conventum Ecclesiæ Gallicanæ coegit Parisiis anno MCCCCVI. exeunte, in quo Advocatus Regius repræsentavit confusionem ab aliquot annis introductam a summis Pontificibus circa provisionem Prælatorum & aliorum beneficiorum ob reservationes & gratias expectativas, quæ electiones adimebant Capi- (Tit. 22. libert. Eccl. Gallic. num. 9.)

Capitulis & collationes ordinariis in contemptum decretorum Conciliorum generalium, unde sequebantur immensa damna & pernicies irreparabilis; quorum capita singillatim recensuit. Itaque in eo Concilio nationali decretum est, ut deinceps obtineret forma in statutis Conciliorum generalium & decretis sanctorum patrum præscripta tam in provisionibus Ecclesiarum cathedralium & collegialium; quam aliorum beneficiorum secularium & regularium, quibus per electionem consueverat provideri, nimirum, ut electionum jura ubique obtinerent. Quoad alia vero beneficia, statuerunt, ut iis provideretur per collationem, præsentationem & institutionem ab iis, quibus jus illud competebat ex jure communi, privilegio, aut consuetudine. Reservationes autem a summo Pontifice aut ejus auctoritate factas, gratias item expectativas, in universum sustulerunt, donec aliter statueretur in Concilio generali legitime celebrando, cujus ordinationi se Gallicana Ecclesia submisit. Statim vero Regem adeunt; orantque, ut deliberationem hanc gratam ratamque habere velit, & ut eos, quantum in ipso erat, priscæ libertati jurisque communis dispositioni restitueret quoad capita illa, eosque in ea libertate conservaret, amotis prorsus omnibus impedimentis. Rex vero, ex sententia Consilii sui, deliberationem illam, utpote decretis Conciliorum generalium consentaneam, ratam habens, decrevit, quantum in ipso erat, ut Ecclesiæ & personæ ecclesiasticæ regni hujus restituerentur, quoad hoc, & conservarentur in sua antiqua libertate & in dispositione juris communis. Mandat curiæ Parlamenti, Ballivis, Seneschallis, & aliis officiariis, ut secundum formam superius præscriptam personas ecclesiasticas frui faciant jure electionis, collationis & præsentationis, & ut contradictiones omnes amoveant, & contravenientes puniant, cujuscunque qualitatis & conditionis existant.

V. Sed persuasio, quæ in Gallia invaluerat, futurum ut Pontifex, audita hac deliberatione, sponte sua his malis mederetur, edicti hujus publicationem differri suasit per biennium, id est, a die XVIII. Februarii anni MCCCCVI. usque ad decimam quintam Maji anni MCCCCVIII. Eo enim die Princeps Parlamenti curiam ingressus edictum illud se præsente publicari jussit; cujus tamen executio dilata fuit ob spem, quam præceperant, fore, ut brevi Concilium generale celebraretur. Interim Papa Joannes XXIII. ad summum pontificatum evectus missa ad eum amplissima legatione sollicitatus est, ut tot malis remedium adhiberet. Ipse vero se ea de causa missurum esse Cardinalem Pisanum pollicitus est; qui cum in Gallias pervenisset, edictorum executionem impedire potius conatus est, quam mederi malis, quibus Ecclesia Gallicana misere opprimebatur. Quod Regem impulit, ut literas ad Parlamentum scriberet anno MCDXIII. quibus consilium ejus exquirebat circa ea, quæ fieri conveniebat in hoc negotio. Parlamentum vero respondit, edictum anni MCDVI. executioni mandandum esse, quam sententiam Princeps amplexus est. Ejus tamen executio retardata est arte quorundam e Consilio regio, ob privatam suam utilitatem. Interim Constantiense Concilium generale convocatum est: quo Clerus Gallicanus Parisiis jussu regio congregatus anno MCDXIV. legatos sive deputatos misit, quibus inter cetera mandatum est, ut a Concilio peterent confirmationem deliberationum Ecclesiæ Gallicanæ circa provisiones beneficiorum. Sed quantumvis id urgerent deputati, nihil obtinere potuerunt a Concilio; quod negotii hujus discussionem decrevit non attingere, nisi post electionem Papæ, ut constat ex sessione quadragesima. Martinus vero V. in Concilio electus silentio transmisit negotium Ecclesiæ Gallicanæ. Igitur anno MCCCCXVII. mense Novembri congregati jussu regio Episcopi, gentes Consilii Regis & curia Parlamenti, decreverunt, ut edictum anni MCCCCVI. circa provisionem beneficiorum executioni mandaretur.

Tit. 22. Libert. Eccl. Gallic. num. 14.

VI. Deliberationem hanc secutum est aliud edictum regium publicatum die XIII. Aprilis MCDXVIII, quod magni momenti est. Decretum quippe non est pendente schismate, quo Ecclesia laborabat, sed post depositionem trium contendentium de pontificatu, & post electionem Martini quinti. Præterea nihil illic decernitur per provisionem, ut vocant, id est, donec Concilium generale celebretur; sed lex regia fertur, quæ prorsus observari debeat, lata, postquam Concilium Constantiense & summus Pontifex jus reddere recusarunt Ecclesiæ Gallicanæ. Nam in diplomate regio continetur Regem frequentibus omnium ordinum regni conquestionibus coactum esse, ut susciperet curam conservandarum libertatum Ecclesiæ, atque ob hanc causam, imperandi executionem eorum, quæ decreta fuerant anno MCCCCVI. quam retardaverat ob spem, quam conceperat, futurum, ut Concilia Pisanum & Constantiense finem tandem aliquem adferrent tot ingentibus malis, præsertim cum nonnulli Archiepiscopi & Episcopi facile adduci non possent, ut electiones confirmarent, quæ consequenter post edicta illa celebrarentur. Itaque jubet, ut Ecclesiæ & personæ ecclesiasticæ hujus regni restituantur in perpetuum suis antiquis franchisiis & libertatibus. Tum, ut Ecclesiis cathedralibus & collegialibus ac beneficiis electivis secularibus & regularibus provideatur per electiones Capitulorum, conventuum, & collegiorum, sive per postulationes canonice factas, cum confirmatione superiorum. Aliis vero beneficiis, quibus per electionem provideri non consueverat, provideri mandat per præsentationes, collationes & institutiones ordinariorum, *secundum antiqua jura communia Conciliaque generalia;* non obstantibus quibuslibet reservationibus, gratiis, expectativis, & contrariis quibuscunque. Hujus autem edicti executionem imperat curiæ Parlamenti aliisque officiariis.

VII. Edicta illa confirmavit Carolus VII. statim atque in solio regali sublimatus est, diploma date anno MCDXXII. quo jubet, ut electiones & aliæ beneficiorum provisiones fiant secundum jus commune & antiquum. Interim Concilium Basileense celebratum est, in quo vetitæ sunt omnes beneficiorum reservationes generales & speciales, quæ deinceps a summis Pontificibus fieri possent, electionesque restituuntur. Duobus id decretis sancitum: quorum unum factum est anno MCDXXXIII die XIII. Julii, aliud vero MCDXXXVI. mense Martio. His igitur decretis electiones restituuntur, & confirmationes ad jus commune revocantur; id est, statuitur, ut Episcopus confirmet eos, qui sibi subjecti sunt, Archiepiscopus Episcopos, & summus Pontifex Archiepiscopum, sive per viam confirmationis, sive mittendo Pallium, & ut insuper Episcopi & Abbates exempti ab eo confirmentur. Quod ita statuitur, ut nullum per hoc præjudicium generetur appellationibus ad apostolicam sedem a judiciis confirmationis per ordinarios latis, quas Romæ agitari placuit. Jam cum edictis regiis abolitæ sint reservationes, decreto quoque Concilii Basileensis abolentur; exceptis tamen iis, *quæ sunt in corpore juris clausæ*, id est, cum electores secundum sententiam summi Pontificis privantur jure suffragii, ob hoc, quod indignum elegerint, vel cum beneficia vacant in curia Romana, aut quando agitur de translatione Episcopi. Præterea in eo decreto excipiuntur terræ patrimonii Ecclesiæ, quarum provisionem Pontifex, si ita ei videbitur, sibi reservare poterit. Extat etiam aliud ejusdem Concilii decretum, quo gratiæ expectativæ prohibentur quoad beneficia non electiva, quo libere & canonice fiat collatio ab ordinariis; servatis tantum summo Pontifici mandatis apostolicis pro unico beneficio, si collatores habebant jus disponendi de decem beneficiis; si vero triginta pertinerent ad eorum collationem, duo Papæ reservarentur.

Num. 17. d. tit.

Concil. Basil. sess. 21. & 23.

VIII. Ecclesia Gallicana Avarici Biturigum congregata jussu Caroli VII. anno MCDXXXVIII. amplexa est decreta illius Concilii, & in primis hæc duo, quæ reservationes, & gratias expectativas abolent, libertatemque electionum & collationum reducunt. Quod Princeps edicto confirmavit, quod vulgo dicitur *Pragmatica sanctio*, (usitato Codicis vocabulo, ubi rescripta Imperatorum ad componendas provincias missa dicuntur *Pragmatica forma* aut *sanctio*) ejusque executionem commisit curiæ Parlamenti.

IX. At Ecclesia Gallicana his decretis modum adhibuit in duobus capitibus. Primum enim decernit, ut consecrandus ad suum superiorem immediatum remittatur a summo Pontifice *pro munere consecrationis*, ut eum consecret *ipsius Papæ auctoritate*; nisi si confirmatus sit in comitatu curiæ papalis, & illic consecrari aut benedici cupiat. Nam in eo casu volunt, ut personæ consecratæ seu benedictæ remittantur ad suum superiorem immediatum, ut obedientiæ juramentum ei præstent. Quoniam vero Ecclesia Gallicana leges dare non poterat summo Pontifici, pœnas illi intentant, qui, cum Romæ consecratus non fuerit, consecrari se vigore commissionis apostolicæ cupierit ab alio, quam a suo superiore immediato: cui sic conanti mulcta quadringentorum scutorum dicta est, cujus media pars ordinario cederet, reliquum vero fabricæ Ecclesiæ. Tum illud quoque modificatum & inflexum, quod a Concilio decretum fuerat, nempe quod Concilium hortaretur Reges & Principes, ne libertatem electionum turbarent precibus aut minis, electoribus sub pœna excommunicationis inhibendo, ne harum precum aut minarum rationem habeant. Ecclesia itaque Gallicana existimat, licere Regi ac Principibus preces adhibere, modo vis absit, in gratiam eorum, quorum virtutes & merita in Remp. ornari cupient.

X. Pragmatica sanctio aliquot per annos obtinuit, invita licet ac contradicente Romana curia: quæ sub Pio II. tam frequentes preces adhibuit apud Ludovicum XI. ut animum ejus eo flexerint, ut diploma daret, quo Pragmatica illa aboleretur. Intercessit tamen Curia Parlamenti Parisiensis; cujus oratio ad Principem (id vulgo nostrates vocant *Remonstrances*) ejus ponderis fuit anno MCCCCLXI. ut Pragmaticæ usus fuerit revocatus & in consuetudinem abierit: transmissis prorsus declarationibus Sixti IV. & deinceps Julii II. in Concilio Lateranensi, ubi abrogata est hæc sanctio. Verum cum Gallia contra niteretur, Rex Franciscus I. & Leo X. inivere *Concordata*, quæ Pragmaticam quidem abolent, sed leges tamen ad sananda hæc mala præscribunt, quæ prorsus similes sunt iis, quæ in Pragmatica sanctione continebantur; si electiones excipias, quæ mutantur in nominationem regiam quoad beneficia, quibus per electionem provideri solebat. At clerus, qui se jure electionis privatum esse ægre ferebat, viriliter intercessit publicationi hujus Concordati, & ad futurum Concilium generale provocavit, quod ejus consilium approbavit curia Parlamenti, quæ tam subitam mutationem, quæ magni momenti erat, concoquere statim non poterat.

XI. Ego vero contendo, Concordata majorem utilitatem regno attulisse, quam Pragmatica sanctio adferret. Illa quidem conservabat antiquos canones & Regum edicta pro restituendo jure electionum adversus reservationes summorum Pontificum; sed supremam auctoritatem pro confirmatione electionum non restituebat synodis provinciarum, aut Metropolitanis. Contra contendentium arbitrio relinquebat libertatem eundi Romam, ut illic proponerent nullitates & vitia electionum; & summo Pontifici concedebat jus providendi beneficiis, quorum causa lis erat instituta, si persona electa reperiretur incapax, id quod sæpe eveniebat. Præterea Metropolitanos compellebat ad recipiendam a Papa confirmationem vel Pallium; sine quo nullam functionum metropoliticarum partem attingere poterant, ex jure tunc recepto. Ecclesia ergo Gallicana misere lacerabatur ob consecrationes, nisi summus Pontifex his statutis consentiret, auctoritatemque adderet electionibus. Sane quamplures Archiepiscopi recusabant consecrare Episcopos absque illa cautione, ut patet ex edicto anni MCCCCXVIII.

XII. Carolus VI. prima fronte videtur robustius aliquid & excelsius cogitasse, quam Concilium Basileense, cum edicto suo restituerit Ecclesias regni sui in franchisias & libertates suas secundum antiqua jura communia Conciliaque generalia. Affirmare tamen licet, in edicto illo jus commune antiquum non aliud intelligi, quam jus, quod in Decreto Gratiani & in Decretalibus continetur; ut opponatur videlicet novo, quod recenter introductum erat in gratiam reservationum. Quin etiam Conciliorum generalium auctoritas in edicto illo proponitur. Quod intelligendum est ex sententia doctorum hominum illius ævi. Hi enim Conciliorum generalium nomine comprehendebant ea, quæ anno præterito recensita erant a Concilio Constantiensi in formula professionis fidei, quæ summo Pontifici eligendo præscribebatur, octo nimirum œcumenica, & Concilia generalia Lateranense, Lugdunense & Viennense. Unde sequitur, hoc edictum, cum fortius ac vehementius invehatur adversus injustum jus reservationum & gratiarum expectativarum, ut necessitatem electionum & collationum probat, sic eo recidere, ut necessariam esse agnoscat Romani Pontificis auctoritatem pro confirmatione Metropolitanorum. Eadem quoque fuit mens Beati Ludovici, quum anno MCCLXVIII. in Pragmatica constitutione sua juberet, ut electiones ad prælaturas & collationes beneficiorum fierent *secundum dispositionem, ordinationem, & determinationem juris communis, sacrorum Ecclesiæ Dei canonum, atque institutorum antiquorum sanctorum Patrum*. Difficillimum quippe erat, ut summo Pontifici jus adimeretur judicandi lites in electionibus obortas; nec facile erat præterea eum privare jure confirmandi Metropolitanos, sive per concessionem Pallii, aut alio modo; quandoquidem Concilium CP. octavum œcumenicum, quod in occidente receptum erat, jus illud patriarchicum confirmaverat.

XIII. Unde constat, Pragmaticam sanctionem, quæ pravam reservationum consuetudinem tollebat, invitis iis, quorum intererat, Gallos tamen in pari confusione reliquisse quoad statum hierarchicum Ecclesiæ, eo, quod summi Pontifices recusarent confirmationem electionum Metropolitanorum, & in aliis præterea articulis acquiescere nollent. Quo fiebat, ut, cum in speciem bono reformationis frueremur, schismatis malo laboraremus, licet nulla nostra culpa esset. Animorum concordiam revocavere Concordata, quæ reservationum abusum prorsus sustulerunt. Electiones sane Capitulorum ambitu fiebant, eisque persæpe vim inferebant Regum preces a Pragmatica sanctione approbatæ; adeo, ut Guillelmus Benedicti, celeberrimus illa ætate Jurisconsultus, affirmet preces illas habuisse & habere debuisse vim imperii apud Canonicos electores. Concordata igitur abolent electiones, & in earum locum substituunt jus nominationis, quod Regi tribuunt, exemplo petito a Regibus primæ stirpis, qui jure illo utebantur cum consensu cleri, quod jus viam præcludit ambitioni & simoniæ, quæ exercebatur ad emenda suffragia Canonicorum. Attamen nominationis jus sic conceditur Principi, ut ad summum Pontificem pertineat confirmatio electionum, qua potiebatur absque ulla controversia ante Pragmaticam sanctionem edictam. Verum incommodum hoc compensatur ingenti commodo, cum hoc pacto finis impositus sit litibus, quas in Romana curia contestari receptum erat sumptibus

Tacitus: *Preces erant, sed quibus contradici non posset*. Ausonius *Et quod est potentissimum imperandi genus, rogabat, qui jubere poterat*.

Guill. Bened. in c. *Raynut*. in verbo *Et uxor. nom. Adelas*. decis. 2. §. 82.

Vide lib. 4. c. 19. §. 2.

bus

bus immensis, ut electionum nullitas discuteretur. Quo fiebat, ut partes contendentes ad inopiam redigerentur, regno incommoda importarentur, & Ecclesiæ ob id diu vacarent.

CAPUT X.

De origine Annatarum ex veteri more recipiendi aliquid pro ordinatione deducta.

SYNOPSIS.

I. Inquirendum in origines annatarum.

II. Earum origo, avaritia. In Concilio Chalcedonensi vetitum, ne Episcopi aut clerici pretio ordinarentur. Ordinatio ea tempestate comprehendebat impositionem manuum & beneficii provisionem. Inventum dein, ut pecunia daretur post ordinationem. Cui fraudi restitit Gennadius Episcopus CP. qui hanc ait esse mentem Concilii Chalcedonensis, ut nec ante nec post ordinationem pecunia detur.

III. Ævo Justiniani dabatur ab Episcopis quædam pecuniæ summa pro inthronizatione. Ea videtur dedisse originem taxationibus cancellariæ. Dabatur autem Archipresbytero & Archidiacono ordinatoris.

IV. Quibusnam personis pecunia isthæc distribui debeat. Rejecta Gothofredi conjectura. Explicatur, cui usui esset illa pecunia, ex ipsis Novellæ CXXIII. verbis. Enthronisticorum & Annatarum discrimen.

V. In iis præscribendis emicat Principis auctoritas. Inquiritur consilium Justiniani, cum hanc Novellam conderet. Laudata & approbata a Gregorio magno.

VI. Episcopi aliquam pecuniæ summam accipiebant ab Episcopis a se consecratis. Quod deinceps fieri prohibet eadem Novella. Permittit, ut clerici ordinati & in Ecclesia intitulati ministris ordinationis solvant salaria consueta, modo ea non excedant reditus unius anni. Ea salaria vocantur emphanistica *vel* insinuativa. *Novella LVI. explicatur.*

VII. Isaacius Comnenus Imperator præscribit jura, quæ Episcopis competunt propter ordinationem clericorum.

VIII. Gregorius magnus in synodo Romana decernit, ne quid unquam de ordinationibus accipiatur.

IX. Curat autem, ut decretum illud per omnes provincias observetur. Ordinationes, quæ pretio constant, hæresim simoniacam vocat.

X. In oriente dein vetitum, ne Episcopus ordinator jura enthronistica verteret in suos usus.

XI. Zacharias Papa censet, veram simoniam committi, si quis pecuniam accipiat ratione Pallii.

XII. Concilium Parisiense sub Ludovico Pio, simoniæ crimen in Ecclesia Romana amputari, postulat.

XIII. Nondum desierat ætate Ivonis Carnotensis.

XIV. Durandus Mimatensis graviter invehitur in morem recipiendi pecunias pro ordinatione Episcoporum, idque simoniacam hæresim vocat.

XV. Eas solutiones immoderatas olim fuisse, patet ex Hovedeno. Reditus, ut plurimum annuus ei rei destinabatur. Laudata auctoritas Ostiensis.

I. EXcipi potest adversus nostram sententiam, annatarum usum esse abrogatum auctoritate Pragmaticæ sanctionis, sed iterum introductum per Concordata. Ut intelligatur, quanta sit vis hujus objectionis, materia isthæc accurate tractanda est; præsertim cum de ordinationibus agamus, ad quas annatæ pertinent. Verum, ut materia hæc melius intelligi possit, inquirendum videtur in origines annatarum, sed ita, ut eodem tempore adnotemus, quid turbarum variis seculis excitaverint ii, qui eas aut similia jura introduxere.

Vid. Cassiodor. lib. 9. Variar. epist. 15. II. Avaritiam hujus mali originem esse non ambigo; quod seculo quarto cœpit invalescere, sed damnationis sententia perculsum est in Concilio Chalcedonensi. Antoninus Episcopus Ephesi venundabat ordinationes Episcoporum secundum valorem annuum redituum Ecclesiæ, *pro modo redituum*, ut ait Palladius in vita Chrysostomi. Sanctus Joannes Chrysostomus Concilium Ephesi coegit: in quo abusus ille damnatus est, quod contrarius esset expressis verbis sacræ scripturæ. Episcopi vero sic ordinati depositionis pœnam subiere, tametsi dicerent, se pecuniam dedisse secundum consuetudinem. Pecuniam tamen suam repetere ab heredibus Antonini, qui lite pendente excesserat e vita, permissum illis fuit. Corruptio illa impulit synodum Chalcedonensem, ut depositionis pœnam eis intentaret, qui pretio ordinarent Episcopos, aliosve clericos, aut ministros in Ecclesia constituerent; quod avaritia sua eos impelleret ad vendendam gratiam, τὴν ἄπρατον χάριν, id est, id quod gratis debet dari. Ceterum adnotandum est, ea tempestate ordinationes ita peragi solitas, ut eodem tempore, quo quis ordinabatur, certæ cuipiam Ecclesiæ assignaretur, quo fit, ut ordinatio comprehenderet & manuum impositionem & beneficii provisionem. Paulo post hanc prohibitionem fraudibus & dolis agi cœptum est adversus eam, data videlicet pecunia post ordinationem. Vivebat tum, id est, ad annum CDLXIX. sub Leone Imperatore, Gennadius Episcopus Constantinopolitanus, qui fortiter restitit huic fraudi, ac pœnas a Concilio Chalcedonensi decretas intendit, injecto anathemate. Decretum ejus, quod in synodo patriarchali CP. repertum est, argumentum damnandi hunc abusum sumit ex verbis Christi, qui Apostolis suis præcepit, ut, quod gratis acceperant, gratis darent. Addit, mandatum illud ad Episcopos porrigi. Porro oportere illud exequi simpliciter & ad litteram, non autem eludere sophisticis argutiis, ut fiebat, ne in opus plenum aleæ & periculi se darent præcipites. Verba enim, inquit, evidentissima sunt, nec diversas explicationes admittunt. Unde concludit, non licere pecuniam dare neque ante ordinationem nec postquam ea peracta est, eamque esse mentem Concilii Chalcedonensis: *Sed nec ante tempus ordinationis, nec post, dare concedit*. Abrogat autem contrariam consuetudinem, quæ paulatim recepta erat in provincia Galatiæ: οὐδὲ πρὸ τοῦ καιροῦ τῆς χειροτονίας, οὐδὲ κατὰ τὸν καιρὸν αὐτὸν τῆς χειροτονίας ὑπὲρ τῆς χειροτονίας δίδοσθαι χρήματα συγχωρεῖ.

Vide lib. 8. cap. 13. §. 5.

Vide Photium in Biblioth. cap. 96.

Concil. Chalced. cap. 3.

Lib. 3. Juris Græco-Romani.

III. Ævo Justiniani & octuaginta annis post Gennadium invaluerat consuetudo, quam princeps ille Novella constitutione firmavit; ex qua videntur traxisse originem taxationes cancellariæ; nimirum ut Episcopi, postquam consecrati fuerant, pro inthronizatione sua certam pecuniæ summam darent, quæ in hac constitutione præscribitur. Pontifex Romanus, ceterique Patriarchæ, ac Metropolitani, & Episcopi consueverant eam pecuniæ summam tradere Archipresbytero & Archidiacono ordinatoris, ut eorum cura distribueretur iis, qui illam accipere debebant secundum consuetudinem; ea tamen conditione adjecta, ut, si quis aliquid ultra acciperet, in triplo componeret Ecclesiæ. Taxatio autem illa modum non excedit. Quippe ea, quæ solvenda incumbit Episcopo Romano & ceteris quatuor Patriarchis, quæ haud dubie omnium major est, coercetur ad viginti libras auri, id est, ad mille quadringenta scuta, nisi consuetudo obtineat, ut minor ab eis summa exigatur. Aliæ infra mediocritatem consistunt; quarum nonnullæ ad duo vel trecenta scuta porriguntur, quædam ad quinquaginta.

Nov. 123. c. 33.

IV. Quæri solet, quibusnam personis pecunia isthæc distribui debeat. Gothofredus in Notis ad hanc Novellam suspicatur, eam debuisse impendi in utilitatem Ecclesiæ & alimoniam pauperum; cum mos ille obtineret, ut traderetur Archipresbytero & Archidiacono, quibus ea cura incumbebat. Sed conjecturis opus non est, ubi legis verba aperta

Marca de Conc. Sacerd. & Imp. Y 3 sunt.

sunt. Illa quippe docet, partem ejus pecuniæ distribui solitam Episcopis, qui in consecratione aderant, aliam vero clericis & notariis, qui in ea ordinatione ministrabant & diplomata conficiebant. Primum illud a Justiniano vocatur *inthronisticum*, quod Julianus Antecessor vertit *cathedraticum*. Aliud vero dicitur *συνήθεια*, vel *consuetudo*. Hæc vocabula indicant prætextum, quo illi utebantur, ut pecuniam illam reciperent. Nimirum ab Episcopis accipiebatur pro inthronistico & cathedratico, quod nos installationem vocamus, non autem pro consecratione; a clericis vero pro ministerio suo in consecratione, & pro salario expeditionum. Nam ea pars pecuniæ, quæ decidebat Episcopis, eo prætextu accipi potuit, quo sumptibus itineris consuleretur. Quippe ex diversis provinciæ locis congregandi erant; & mora facienda erat pro examine electionum ac consecratione. At istud congiarii genus, & modicum subsidium, quæ a Justiniano probantur, multum aberant ab annatis, quæ ad immensam pecuniæ vim porriguntur, & aliunde officiariis curiæ Romanæ donantur pro confirmatione electionis, cum cathedratica illa a Justiniano probata tribuerentur ad levandos sumptus, qui incumbebant Episcopis, qui celebrabant ordinationem.

V. Sed in hoc negotio in primis observanda est Principis auctoritas, quæ in hac constitutione emicat; qui salariis & congiariis modum præscribit ab Episcopis Ecclesiarum, quæ in imperio sunt, persolvendis. In quo illud quoque animadvertendum est, cum duabus de causis, quæ pertinent ad jurisdictionem secularem, quæque duobus verbis in hac Novella explicantur, potuisse hanc legem condere pro taxatione illa. Prima ratio petitur ex eo, quod cavendum est, ne reditus Ecclesiarum alieno ære prægraventur; quod contrahi necessum esset, si solutiones illæ modum excederent. Secunda vero, ne sacerdotia fiant venalia; quod Principis officium sit punire crimina, exempli causa simoniam, & ejus effectus impedire: *Igitur jubemus, hæc omnibus modis observari; ut non ex talibus occasionibus Ecclesiæ debitis prægraventur, & sacerdotia venalia fiant*. Ceterum ea constitutio eo majoris momenti est, quod Ecclesiam quoque Romanam, ut ceteras complectitur; præsertim cum a beato Gregorio laudetur & approbetur, quamvis aliam ob causam.

Gregor. I. lib. 11. epist. 54.

VI. Aliam quoque pravam consuetudinem invexerant Episcopi, nimirum, ut aliquam pecuniæ summam acciperent ab Episcopis a se consecratis. Id deinceps fieri prohibet eadem Novella constitutio Justiniani: quæ tamen permittit, ut clerici ordinati & in Ecclesia intitulati solvant salaria consueta iis, qui in hujusmodi ordinationibus ministrant; ea tamen lege, ne illa excedant reditum unius anni: *Unius anni diaria non excedentes pecunias præstet*, ut interpretatur Julianus, quod non excedebat centum aut centum quinquaginta libras Turonenses. Quippe ea tempestate clericis assignati non erant certi reditus; sed eis quædam reditus portio, velut pro salario, præbebatur e publico. Unde sequitur, id trahi non posse in consequentiam quoad annatas episcopatuum aut monasteriorum, quæ ad immensam pecuniarum vim assurgunt. Sane Justinianus non concessit, ut reditus unius anni persolverentur pro magnis illis beneficiis, sed aliqua tantum pecuniæ summa, quæ infra mediocritatem subsistit, eique modus impositus est in capite tertio hujus Novellæ; adeo, ut episcopatus, quorum annui reditus non excedunt duas libras auri, hoc est, centum quadraginta quatuor scuta, liberi omnino censeantur ab omni solutione. Salaria a clericis persolvenda vocantur *emphanistica*, vel *insinuativa*, quasi diceres, pecunia debita pro insinuatione & descriptione clerici in libris & matricula Ecclesiæ. Consuetudinem illam in magna Ecclesia CP. tolerat Justinianus, sed in ceteris eam prohibet. Quod non ita intelligendum est, ac si generalis esset illa prohibitio & ad omnes Ecclesias patriarchatus porrigeretur, id enim contrarium esset rebus constitutis in Novella CXXIII. Intelligendum est igitur de privatis Ecclesiis urbis Constantinopolitanæ, id est, ut Juliani verbis utar, de *oratoriis* aut sacellis: *Si quis in Constantinopolitana civitate clericus sit, emphanistica præstet, quæ ex consuetudine præstari oportet. Sin autem alterius oratorii clericus fuerit, nihil ab eo emphanisticorum nomine exigatur.*

Nov. 123. c. 16.

Nov. 56.

Julian. Num. 191.

VII. Isaacius Comnenus Imperator, qui anno MLVIII. imperabat in oriente, præscribit secundum formam antiquam jura, quæ Episcopis competunt propter ordinationem clericorum; quæ non excedunt septem aureos nummos pro universis ordinibus usque ad presbyteratum inclusive, quod jus vocatur *συνήθεια*, id est, *consuetudines*, non autem *canonicum*, quod in hac Novella significat tributum, quod unaquæque diœceseos parœcia pendit Episcopo proprio, sive illud sit pecunia, sive segetes. Tributum vero illud non erat in usu ætate Balsamonis, ut notat ipse Balsamo in responsione sua ad LVII. interrogationem Marci Alexandrini; ubi ait, Episcopos nihil aliud accipere consuevisse a populis, quam id, quod ultro offerebatur: *ἀρκέμεθα τῇ συνηθείᾳ καὶ προαιρέσει τῶν διδόντων*.

Lib. 2. Juris Græco-Rom. & ap. Balsamonem tit. 1. Nomocan. c. 34.

VIII. Tributa ergo illa Principis auctoritate & consuetudine firmata obtinuerant citra cujuslibet calumniam, donec sanctus Gregorius congregato Romæ Concilio anno DXCV. nihil unquam de ordinationibus dandum esse constituit *ex traditione chartarum*, id est, pro expeditione literarum ordinationis. Quippe interpretans synodum Chalcedonensem, cujus verba eo tantum tendere videntur, ut prohibeant emptionem suffragiorum pro electione & ordinatione, significat ejus synodi canone in universum prohiberi, ut ne quid unquam accipiatur juris aut emolumentorum, non pro expeditione literarum, aut concessione Pallii, neque etiam ob eam causam, quæ prætexi solet vocabulo *pastelli*, seu convivii. Hujus autem constitutionis hanc rationem reddit, quia, si Episcopus manum suam, quam super ordinati caput imponit, vendere non debet, ita nec Diaconus vocem suam, quam adhibet in lectione evangelii, neque Notarius calamum, quo utitur ad scribendas literas confirmationis, venundare debet. Prohibet insuper, ne ordinatus aliquid det pro ordinatione, Pallio, literis, aut convivio. Si tamen post ordinationem acceptasque literas & Pallium, proprio motu, & irrequisitus, aliquid, gratiæ tantummodo causa, clero dare voluerit, licitum id esse ait, modo id non fiat ex conventione, quæ præcesserit. Decretum igitur illud prorsus damnat annatas. Refertur autem apud Gratianum. Sic autem habet: *Antiquam patrum regulam sequens nihil unquam de ordinationibus accipiendum esse constituo, neque ex datione Pallii, neque ex traditione chartarum, neque ex ea, quam nova per ambitionem simulatio invenit appellatione pastelli. Quia enim ordinando Episcopo Pontifex manum imponit, evangelicam lectionem minister legit, confirmationis autem ejus epistolam notarius scribit, sicut Pontificem non decet manum, quam imponit, vendere, ita minister vel notarius non debet in ordinatione ejus vocem suam vel calamum venundare. Pro ordinatione vero vel Pallio seu chartis atque pastello eundem, qui ordinandus vel ordinatus est, omnino aliquid dare prohibeo. Ex quibus prædictis rebus si quis hinc aliquid commodi appellatione exigere vel deferre forte præsumpserit, in districto Dei omnipotentis examine reatui subjacebit. Is autem, qui ordinatus fuerit, si non ex placito, neque exactus, neque petitus, post acceptas chartas & Pallium aliquid cuilibet ex clero, gratiæ tantummodo causa, dare voluerit, hoc accipi nullo modo prohibemus: quia ejus oblatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ ex accipientis ambitu non processit.*

Apud S. Gregor. li. 4. epist. 51.

Dist. 100. c. Novit. & 1. q. 2. c. Sicut Episcopum.

IX. Post constitutionem illam in Concilio Romano factam sanctissimus hic Pontifex cupiit, ut prava isthæc consuetudo, quæ in universo occidente vigebat, prorsus evelleretur. Hanc ob rem urgentissimas epistolas scripsit ad Regem Childebertum & ad

Gregorius l. 4. ep. 51. 53. 55. 56. lib. 5. ep. 7. lib. 7. ep. 5. 113. 114. lib. 9. ep. 40. 51. 53. & 54. lib. 11. ep. 46.

& ad Metropolitanum Arelatensem pro Episcopis Galliarum & Germaniarum, ad Reginam item Brunichildem, ad Reges Theodoricum & Theodebertum, & ad Episcopos Galliarum, ad Metropolitanum Corinthiacum, & ad Episcopos provinciæ Hellados sive Græciæ, ad Episcopos Epiri sive Albaniæ, ad Hesychium Patriarcham Hierosolymitanum, & ad Eulogium Patriarcham Alexandrinum. Hanc autem curam post Concilium celebratum suscepisse Gregorium, patet ex notis annorum in calce epistolarum positis, tum etiam ex verbis epistolæ ad Joannem Episcopum Corinthiacum scriptæ, ubi sanctus Gregorius ait, abolitam fuisse in eo Concilio consuetudinem accipiendi aliquod lucrum pro Pallio. Unde concludit, non debere Metropolitanum illum ullum *commodum*, id est, aliquam utilitatem aut lucrum percipere ex ordinationibus.

1. q. 1. *De Ordinationibus.*

Ceterum idem Gregorius in his epistolis velut fundamentum istius prohibitionis laudat præceptum Jesu Christi, qui apud Matthæum ait in capite XIX. *Gratis accepistis, gratis date.* Item exemplum Domini nostri, quando ejecit e templo eos, qui vendebant columbas, & sententiam a sancto Petro pronuntiatam adversus Simonem magum, qui dona Spiritus sancti emere volebat. Quibus auctoritatibus fretus non dubitat dicere; *quia eum, quem quis cum pretio ordinat, provehendo agit, ut hæreticus fiat;* & illas ordinationes, quæ pretio constant, hæresim simoniacam vocat.

Luc. 19. *Actor. VIII.*

X. Præjudicium illud a sancto Gregorio factum ejus momenti visum est in oriente, ut, licet Metropolitani non cessarent a recipiendis juribus enthronisticis, quæ Justiniani auctoritate firmata erant, decretum tamen fuerit, ne Episcopus ordinator ea verteret in suos usus, sed pauperibus clericis distribueret pro eorum alimonia. Prohibitio autem illa descripta est in articulo X. instructionum, quas Patriarcha tempore ordinationis suæ dabat Metropolitanis: *Statuimus, ut inthronismus, quem vocant, non ei, qui ordinat Episcopum, (absit, ut hoc fiat) sed pauperioribus clericis vel alio quodam ecclesiastico munere fungentibus, ratione facultatum ecclesiasticarum habita, detur. Quippe si locuples sit Episcopus, nequaquam prohibemus, quominus in eos, qui ministeriis ecclesiasticis inserviunt, & inopem vitam traducunt, velut ex beneficentia, munuscula quædam conferantur.*

Libro VI. Juris Græco-Rom.

XI. Laudabilis illa consuetudo, ut nihil accipi debeat neque pro Pallio neque pro literis confirmationis, vigebat etiamnum Romæ an. DCCXLIV. ut patet ex responsione Papæ Zachariæ ad Bonifacium sedis apostolicæ Legatum, qui ad eum scripserat, probra adversus Ecclesiæ Romanæ clericos palam ingeri, quod pretia ex iis rebus acciperent. Gravem ex hoc sibi contumeliam generari censet Zacharias, atque insuper fatetur, veram simoniam committi, si quis pretium aliquod accipiat ratione Pallii: *Quasi nos corruptores simus canonum*, inquit, *& patrum rescindere traditiones quæramus, ac per hoc, quod absit, cum nostris clericis in simoniacam hæresim incidamus, accipientes, & compellentes, ut hi, quibus Pallia tribuimus, nobis præmia largiantur, expetentes ab illis pecunias.* Infra: *Fastidiosum a nobis & injuriosum suscipitur, dum illud nobis ingeritur, quod nos omnino detestamur. Absit enim a nobis & a nostris clericis, ut donum, quod per Spiritus sancti gratiam suscepimus, pretio venundemus.*

Zachar. ep. 5. ad Bonifac.

XII. Sed non semper Romanæ curiæ clerici manus suas abstinuerunt ab hoc turpi commercio. Nam non toto post Zachariam seculo revocarunt consuetudinem a Gregorio & Zacharia damnatam. Unde ortæ querelæ Parisiensis Concilii jussu Imperatorum Ludovici Pii ejusque filii Lotharii congregati anno DCCCXXIX. quod cum abusus quamplurimos corrigere vellet in Ecclesiam Gallicanam invectos, & in primis simoniæ crimen, ait, necessarium esse, ut auctoritate imperiali, cum consensu Episcoporum, amputetur in Ecclesia Romana; quoniam, ægro capite, membra vigorem suum obtinere non possunt. *Quæ etiam*, inquit, *Deo odibilis pestis primum necesse est, ut imperiali auctoritate & potestate, cum consensu venerabilium Sacerdotum, & a Romana Ecclesia amputetur: quoniam si caput languerit, membra incassum vigeant necesse est.* (*)

Concil. Parif. lib. 1. cap. 11.

XIII. Morbus hic in Romana curia perseverabat, ac vigebat an. MXC. ut docent epistolæ Ivonis Carnotensis, ex quibus discimus, simoniam illam in eo stetisse, quod Episcopi & Abbates cogebantur dare pecunias pro sua consecratione aut benedictione. Quippe respondens Richardo Legato apostolico, qui Ivoni exprobaverat, eum connivere cuidam pravæ consuetudini Ecclesiæ Carnotensis, ubi Decanus & Canonici quandam pecuniæ summam recipiebant in receptione novorum Canonicorum, ait, Capitulum Carnotense se tueri consuetudine Ecclesiæ Romanæ: *Romanæ Ecclesiæ consuetudine se defendunt, in qua dicunt Cubicularios & ministros sacri palatii multa exigere a consecratis Episcopis vel Abbatibus, quæ oblationis vel benedictionis nomine palliantur; cum nec calamus nec charta gratis ibi, ut ajunt, habeatur.* Porro posteritas ostendit, veram esse prorsus vaticinationem Ivonis: qui loquens alicubi de prava hac Curiæ Romanæ consuetudine, ait, imperium cupiditatis extingui non posse, donec mundi deflagratio consequatur & pacatum regnum caritas obtineat: *Nec in diebus malis regnare desinet cupiditas, donec finito mundi termino pacatum regnum accipiat caritas. Semper abundabit palea, donec ventiletur area.*

XIV. Sub Clemente deinde quinto vivebat magnus ille Jurisconsultus Guillelmus Durandus Episcopus Mimatensis, auctor libri, qui *Speculum Juris* inscribitur, unde *Speculatoris* nomen indeptus est. Huic ergo cum a Clemente præceptum fuisset, ut in aliquot capita conjiceret ea, quæ reformatione digna esse judicaret, ut in Concilio generali, quod ille Pontifex Viennæ in Gallia congregavit anno MCCCXI. proponerentur examinanda, ille ipse Guillelmus ea tempestate composuit librum *De modo generalis Concilii celebrandi*, in quo non omisit commemorare corruptelam malæ consuetudinis, quæ in Romana curia vigebat, nimirum, ut pecunia ab iis acciperetur, quibus consecrationis aut benedictionis munus conferebatur, quæ deinde dividebatur inter Papam & Cardinales. Id autem damnat ut simoniacum. Nec legitimam esse putat distinctionem, quam Romani adhibebant ad exemplum Galatarum ævo Patriarchæ Gennadii, se nimirum pretium accipere post consecrationem, non autem ante, quasi Concilia nihil

Liber de modo generalis Concilii celebrandi non est Speculatoris, sed nepotis ejus.

(*) Tanta priscis illis temporibus insederat Romanis Pontificibus cura, pravam illam consuetudinem abolendi, qua receptum erat, pecuniam dari pro ordinatione Episcoporum ac reliquorum e clero, ut etiam quadringentis ferme post Gregorium magnum annis Benedictus Papa Concilium Romæ celebraverit ea de causa, præsente Ottone Imperatore, verbisque sancti Gregorii usus sit ad prohibendum hoc malum. Tempus illius Concilii non est adnotatum in codice Cuxanensis monasterii, unde illud describi curaverat illustrissimus Archiepiscopus. Verum cum ejus publicandi cura delegetur Mironi Episcopo, Gerundensi nimirum, isque circa annum DCCCCLXXIII. ad eam cathedram vocatus ab Aymerico Narbonensi Archiepiscopo consecratus sit jussu Benedicti Papæ, par est existimare, synodum illam esse revocandam ad annum DCCCCLXXXIII. quo Romanum Concilium a Benedicto VII. celebratum est ad discutiendam causam Giseleri Episcopi Magdeburgensis, qui malis, ut aliqui ajebant, artibus ad eam sedem pervenerat. Quæ res dare potuit occasionem decernendi pœnas adversus eos, qui pecuniam pro ordinatione aut accipiunt aut tribuunt. Eo autem anno Ottonem II. extitisse Romæ ac fine anni illic obiisse satis constat. Utcunque se res habeat, certum est, eam synodum, si non eo anno, saltem per illas tempestates fuisse celebratam. Cum autem nondum edita fuerit, visum est, eam addere in calce hujus capitis. Ceterum, ut hoc quoque dicamus, Miro Episcopus Gerundensis ex illustri genere ortus erat, filius nimirum Comitis Bisuldunensis. Unde & ipse se frequenter in veteribus actis inscribit Comitem & Episcopum. Fuisse autem virum magnæ dignationis patet ex veteribus actis illius ævi.

nihil aliud prohibuissent, quam ne pecunia daretur ad emenda suffragia. Durandi autem verba sunt magni momenti. Nam post laudatum canonem secundum Concilii Chalcedonensis, post adducta aliquot loca ex Decreto Gratiani, & titulum Decretalium, in quo simonia damnatur, addit: *Cum illa, in quibus agitur de simonia, in novo & veteri testamento, in Conciliis a sanctis patribus & Romanis Pontificibus damnata, non serventur, & maxime in curia Romana, in qua etiam cœtus Dominorum Cardinalium vult habere una cum Domino Papa certam portionem a Prælatis, qui promoventur ibidem, videretur super hoc maxime providendum. Nam hæc hæresis maxime corrumpit Ecclesiam universalem & universos populos, & provisa remedia jam pro nihilo reputantur, cum in curia Romana publice contrarium fiat, ac si non esset peccatum, committere simoniam, vel si dare vel accipere post non esset idem, sicut dare vel accipere ante, 1. q. 1. Eos c. si quis præbendas &c. Si quis objecerit. & ead. caus. q. 3. c. Salvator. (*)*

Durand. parte 2. de modo cel. Conc. gener. rubr. 20.

XV. Pecuniæ, quæ Romanæ Curiæ solvebantur ab Episcopis pro consecratione, summam satis magnam conficiebant. Legitur quippe apud Rogerium de Hoveden, historiæ Anglicanæ scriptorem, Episcopum Cenomanensem circa annum MCXC. dedisse pro sua ordinatione septingentas marchas argenti. Durandus vero adnotat consuevisse sua ætate Papam & Cardinales accipere certam portionem; quæ hauddubie exigebatur secundum valorem beneficii, ut aliqua justitiæ species servaretur in hac perturbatione. Reditus utplurimum annuus ei rei destinabatur; ut docet Ostiensis, Durandi magister, qui circa annum MCCLX. florebat. Is ergo scribit magnas tempore Alexandri IV. motas fuisse querelas adversus annatas: quæ videlicet annatæ constituebant portionem, quam Papa & Cardinales inter se partiebantur, quam vero Episcopus Romæ, consecratus persolvere tenebatur. Hi tamen fructus primi anni modice taxati fuerunt in libris cancellariæ.

Ostiensis in cap. Inter cetera. De officio ordinarii.

CONCILIUM ROMANUM SUB BENEDICTO PAPA.

De tempore hujus Concilii vide Additionem ad §. XII. hujus capitis.

Ex codice MS. monasterii Cuxanensis in Comitatu Ruscinonensi.

Benedictus Episcopus servus servorum Dei. Notum esse volumus omnibus catholicis & orthodoxis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Regibus, & Principibus, Ducibusque & Comitibus, vel universis in toto orbe terrarum Christo famulantibus, qualiter synodum aggregatum est in Ecclesia beati Petri Apostolorum Principis ante sacratissimum ejus corpus una cum Domno Ottone serenissimo Imperatore augusto spirituali filio nostro, cum nostris suffraganeis Archiepiscopis & Episcopis, Presbyteris & Diaconibus, vel cuncto clero sanctæ catholicæ & apostolicæ Romanæ Ecclesiæ. Et ibidem perlecta sunt capitula de sacris canonibus, qualiter liceret Episcopo de (*) sacris ordinibus aliquod præmium accipere. Et auxiliante Deo, & annuente ipso Apostolorum principe beatissimo Petro, in eodem loco interdictum est primitus a nostro proprio ore, & postea a cunctis venerabilibus Archiepiscopis & Episcopis in eodem sacratissimo loco residentibus, quod ab ista hora in antea ab ostiario usque ad sacerdotium nullum pretium exinde accepturos esse, sicuti in decretis sanctorum patrum continetur. Si quis per pecunias Episcopum, aut Presbyterum, aut Diaconum, vel quemlibet, qui connumeratur in clero, aut promoverit per pecunias dispensatorem, aut defensorem, vel quemquam, qui subjectus est regulæ, pro suo turpissimo lucro proprii gradus periculo subjacebit. Et qui ordinatus est, nihil ex hac ordinatione vel promotione, quæ est pro negotiatione facta, proficiat, sed sit alienus a dignitate vel sollicitudine, quam pecuniis quæsivit. Si quis vero mediator tam turpibus & nefandis datis extiterit, si quidem clericus fuerit, deponatur; si vero laicus aut monachus, anathematizetur. *Idem in eisdem decretis:* Si quis per pecuniam hanc obtineat dignitatem, dejiciatur & ipse & ordinator ejus, & a communione modis omnibus abscindatur, sicut Simon magus a Petro. *Verum etiam propter illam pessimam emptionem Hierosolyma capta est: quia ipsi sacerdotes iniqui, qui debuerant esse observatores legis & prædicatores, ipsi primi facti fuerant prævaricatores. Denique invenerant sibi quoddam ingeniolum, ut persuaderent filiis Israel de longinquo venientibus, ut victimas secum non deferrent, sed munera; offerentibusque sibi non, sicut præceptum erat a Domino, immolabant, sed ad hoc sibi reservabant, ut aliis atque aliis venderent, & ad hoc sibi pretium muneris multiplicarent. Nam idem Dominus & salvator noster Jesus Christus, non per Prophetas, neque per Apostolos, aut per doctores aliquos, sed per se ipsum flagellos de funiculis fecit, & ejecit omnes de templo, boves quoque, & oves, & nummulariorum effudit æs, & mensas nummulariorum subvertit, & his, qui columbas vendebant, dixit: Auferte ista hinc, & nolite facere domum patris mei domum negotiationis. Domus autem a Salomone ita condita fuerat, ut domus Dei vocaretur, essetque, sicut ipse sapientissimus Rex. (*) Sed domus negotiationis facta est, quando in ea boves & oves & columbæ vendebantur. Unde nos, carissimi fratres & dilectissimi filii, sollicite vigilare oportet, qui pastoralem curam in nostris ovibus exercendam suscepimus, ne eas lupinis dentibus lacerandas tradamus, & ad ultimum nosmetipsi, qui pastores vocamur, in die tremendi examinis apud pium & benignum judicem lupi rapaces inveniamur. Pro quibus vestram sanctam fraternitatem rogando, obsecrando, monendo & arguendo mandamus, ut omni occasione postposita, diligenti studio, & maxima sollicitudine ea, quæ vobis agenda transmisimus, implere studeatis. Nam si quislibet Presbyterorum aut Diaconorum gratis donum Spiritus sancti ab (*) Archiepiscopo sive a Metropolitano suo accipere non potuerit, studeat venire ad sanctam matrem Romanam Ecclesiam catholicam atque apostolicam, & in eadem episcopalem benedictionem recipiat sine omni simoniaca hæresi. Is autem, qui ordinatus fuerit sine explacito, neque exactus, aut petitus, post acceptas chartas & Pallium offerre aliquid cuilibet ex clero gratiæ tantummodo causa voluerit, hoc accipi nullo modo prohibemus: quia ejus oblatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ ex accipientis ambitu non processit. Quicunque de sanctis ordinibus hanc no-*

(*) Id est, ecclesiasticis.

Conc. Chalced. can. 2.

(*) f. Episcopo.

Ex B. Gregorio lib. 4. ep. 44.

ADDITIO STEPHANI BALUZII.

(*) Aliud testimonium ejusdem omnino temporis heic addere visum est, nimirum ex libello *de recuperatione terræ sanctæ*, ut habet titulus in editione Bongarsii, tum oblato Regi Angliæ Eduardo a Patrono causarum ecclesiasticarum Ducatus Aquitaniæ. Is monita præscribens ad Eduardum, ut ea monstraret, quæ Rex emendari procurare debebat in futuro Viennensi Concilio, hæc inter cetera ait in capite XVII. *Consideret etiam, qualiter ubique terrarum Ecclesiæ Romanæ subjectarum clamatur, cum aliquis de simonia arguitur. Nonne videtis, qualiter Dominus Papa & Cardinales munera recipiunt ab ipsis, quibus beneficia conferuntur, præsertim ab illis, quibus de prælationibus providetur? Qualiter illis per suos mercatores sub gravibus usuris faciunt pecunias, quas ab eis capiunt mutuari, præsertim ab exemptis? Videtis: quod cum duo electi, quorum etiam unus habet jus, venire solent ad curiam, demum post factas ab ipsis magnas expensas & munera recepta, laboribus & periculis viarum ac curiæ sustentis, inducitur uterque & aliquando compellitur alter renuntiare suo juri, totum in manibus Domini Papæ ponere, & qualiter Papa consuevit alii de Ecclesia vel monasterio providere, & qualiter consuetum est, quod sic provisus serviat curiæ de magna pecunia, aliquando septem, octo, vel decem millibus libris sub gravibus usuris perceptis ab illis, qui publice vocantur Papæ mercatores.*

nostram viderit epistolam, & verba vel exempla sanctorum patrum non observaverit, sciat, se non esse connumeratum inter discipulos Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi, sed damnatus inter impios, & inter eos, qui dixerunt Domino Deo: Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Hi vero, qui legitime illam custodierint, & pio intuitu observaverint, recipiant partem cum Abraham, Isaac & Jacob in regno cœlorum, una cum eodem Domino & Salvatore nostro Jesu Christo, qui nunc & semper vivit & regnat Deus in cuncta secula seculorum.

Hanc itaque nostram epistolam jubemus atque præcipimus, ut per manum charissimi confratris nostri Mironis Episcopi cunctis aliis Archiepiscopis & Episcopis deportetur, ut idem ipse per suum laborem & certamen dignam exinde mercedem recipiat & fructum afferat in pœnitentia.

CAPUT XI.

De progressu annatarum, & variis contra eas obluctationibus in Gallia.

S Y N O P S I S.

I. Annatæ igitur antiquiores fuere ævo Joannis XXII. qui eas amplificavit & modum earum immutavit.

II. Successores ejus legem annatarum sanciverunt esse perpetuam. Porrecta autem ab iis est ad beneficia electiva.

III. Discrimen inter annatas beneficiorum electivorum & non electivorum. Bonifacius VIII. edixit, ne quis Episcoporum aut Abbatum ullam muneris sui partem attingeret, donec bullas accepisset.

IV. Ecclesia Gallicana cœpit adversus has novitates mutire sub Carolo VI. Rege, qui remedium adhibere edicto tentavit.

V. Validius tamen remedium adhibendum fuit sub eodem Carolo, qui vetuit, ne deinceps in regno fierent exactiones annatarum & minutorum servitiorum.

VI. Ea controversia agitata a deputatis nationis Gallicanæ in Concilio Constantiensi, sed irrito conatu.

VII. Quo factum est, ut in conventu habito in Parlamento Parisiensi an. 1417. recitatis his, quæ Constantiæ acta fuerant, renovatæ sint superiores Regis constitutiones, earumque executio imperata.

VIII. Quod confirmatum est a Carolo VII. adjectis pœnis adversus rebelles.

IX. Tandem illi contentioni finis impositus est, in Concilio Basileensi. Confirmationes electionum gratis concedendas decernit, & annatas abolet.

X. Eugenium IV. rogat per Legatos, ut his decretis consentiat, Joannis de Bachenstein oratio plena dignitatis; quam Antonius Rotæ Auditor callide elusit.

XI. Decretum Basileense adversus annatas amplexa est Ecclesia Gallicana. Tum edita sanctio Pragmatica.

XII. Licet autem in Concordatis per consequentiam necessariam rescissa sit prohibitio solvendi annatas, earum solutioni Princeps non consensit conceptis verbis.

XIII. Titulus tamen XLI. Concordatorum favere videtur annatarum exactioni. Attamen validum hinc telum peti potest adversus annatas.

I. HÆc est vera origo annatarum, & quoad rem ipsam, & quoad nomen. Unde patet, eas antiquiores esse ætate Joannis XXII. Equidem pontifex ille eas amplificavit, & sub alio nomine, quam consecrationum recepit. Nam priscæ Annatæ ab iis solummodo exigebantur, qui consecrationis munus in urbe Romana accipiebant. Quod in Episcopis provinciarum procul dissitarum tunc tantum eveniebat, quando eorum electiones illic contestabantur, ob quod electus cogebatur eo proficisci, ut jus suum prosequeretur, quo fiebat, ut ibidem consecraretur. Sane si de Metropolitanis Italiæ agebatur, necessarium erat eos Romam ire, ubi confirmari debebant aut ordinari. At Joannes XXII. novum tributi genus invenit, quod *Annata* vocatum est, exigendum ex omnibus beneficiis non electivis ad subveniendum necessitatibus Ecclesiæ Romanæ, atque ob eam causam reservavit usque ad triennium fructus omnium præbendarum, Ecclesiarum parochialium, & capellarum, quæ intra illud temporis spatium vacarent, ut patet ex ejus constitutione extravaganti. Cap. *Cum nonnulla.* De præb. & dignit. in Extr. comm.

II. Successores ejus annatarum legem conservarunt, perpetuamque esse sanciverunt; hoc addito, ut tributum illud exigeretur ab episcopatibus & monasteriis non secus ac ab aliis beneficiis. Unde factum est, ut beneficia electiva, quibus jugum hoc annatarum a Joanne XXII. impositum non fuerat, quod taxatio cancellariæ locum teneret valoris antiquarum annatarum, quæ ex beneficiis illis percipiebantur, novo hoc tributo oppressa sint.

III. Illud tamen discrimen intercedebat, quod fructus aliorum beneficiorum vacantium exigebantur per collectores a sede apostolica deputatos, & servitia episcopatuum & monasteriorum Romæ in pecunia numerata solvebantur, aut sub obligatione & hypotheca omnium bonorum mobilium & immobilium Ecclesiæ quam provisi faciebant Camerariis Papæ sub pœna excommunicationis *latæ sententiæ*. Ita enim eos agere necessitas præcipiebat, quod eis literæ apostolicæ non ante tribuerentur quam solutio facta esset aut obligatio concessa. Magni porro momenti erat hæc bullarum retentio ob constitutionem Bonifacii VIII. qui edixit, ne quis Episcoporum, tametsi consecratus, aut Abbatum, tametsi benedictus, ullam muneris sui partem attingeret, donec bullas accepisset. Emolumenta porro, quæ ex his juribus proveniebant, multum aucta sunt ope reservationum generalium omnium Ecclesiarum cathedralium & monasteriorum, quarum provisio sedi apostolicæ reservata est. Vide Responf. Nationis Gallic. factam Constantiæ c. 13. tit. 22. Libert. Eccles. Gallic. Extrav. *Injuncta*. de elect.

IV. Clerus nationis Gallicanæ, Germanicæ, Hispanicæ & Anglicæ impatienter ferebat has novitates. Sed præ ceteris Galliam opprimebant hujuscemodi exactiones ob immensum beneficiorum ejus numerum; quæ tandem, post devoratam multa patientia longam malorum seriem, movere cœpit lacertos sub Carolo VI. Rege. Subsidio fuit caput quintum Pragmaticæ sanctionis beati Ludovici, editæ anno MCCLXVIII. quo omnes Romanæ curiæ exactiones ex reditibus beneficiorum prohibentur, nisi Regis & Ecclesiæ Gallicanæ consensus accedat. Prima igitur libertatis adipiscendæ spes affulsit sub Carolo VI. qui turbatis rebus mederi tentavit anno MCCCLXXXV. edicto publico. Procurator regius majestati ejus suggessit, collectores apostolicos recipere fructus & reditus primi anni omnium beneficiorum Galliæ, sive per obitum vacarent, sive per resignationem, permutationem, aut alio quovis modo, neque rationem ab illis ullam haberi juris regaliæ aut præsentationis ad Regem pertinentis sive ad alium patronum laicum. Carolus igitur ex sententia Magni sui Consilii præcepit Præposito Parisiensi, Seneschallis & Ballivis, ut provisos ad præsentationem Regis aut aliorum patronorum laicorum frui facerent fructibus suorum beneficiorum, neve paterentur, molestiam eis quovis prætextu exhiberi a collectoribus. Tit. 22. Libert. Eccles. Gallic. c. 7.

V. Validius tamen remedium adhiberi necesse fuit anno MCCCCVI. die XVIII. Februarii. Clerus enim Gallicanus Parisiis auctoritate regia congregatus in modum Concilii apud Regem disseruit de variis exactionibus, quæ mandato summi Pontificis fiebant; cujus auctoritas a Christo instituta fuerat ad ædificationem Ecclesiæ, non autem ad destructionem, potestatem ejus his limitibus circum- Tit. 22. Libert. Eccles. Gallic. c. 8.

cum-

cumscriptam, ut jus suum cuique tribuere teneatur ac justum judicium judicare, unde porro illi auctoritas clero tributa imperandi, cui Dominus pascendum & erudiendum gregem commisit? annon & terrenis lucris inhiare permisit? Inter has autem exactiones commemorant annatas sive reditus primi anni omnium beneficiorum exigi, annatas porro magnarum dignitatum dividi inter Papam & collegium Cardinalium, non sufficere tamen eam annatam, sed aliam quoque taxationem institutam esse, quæ vulgo *minuta servitia* dicitur, pro familiaribus & domesticis Papæ, adigi omnes Episcopos ad solutionem horum servitiorum, retentione bullarum; sine quibus administrari episcopatus non poterat, emptionem id beneficii prorsus videri. At Carolus perpendens, regiam potestatem ad hoc esse institutam, ut Ecclesiæ patrocinium suscipiat, regnum porro cœleste attolli ope terrestris, quoties Ecclesiæ destructores prosternuntur auctoritate Principum, canones statuere, ut auxilium Regis imploretur, cum sublimiores Ecclesiæ personæ peccant in commoda publica, sanctos prætereа doctores docere, Papæ obediendum non esse in iis, quæ manifeste perturbant ordinem ecclesiasticum, his de causis ex sententia sui Consilii decernit, ne deinceps exactiones illæ obtineant in regno, præcipiendo curiæ Parlamenti & aliis officiariis suis, ut constitutionis hujus executioni invigilent.

Vide supra c. IX. hujus libri. Nonnulla hujus constitutionis capita perviguere. Quo factum est, ut anno MCDXII. Papa miserit in Galliam Archiepiscopum Pisanum, quo curaret, prohibitiones illas in irritum mitti. Verum intercedente academia Parisiensi Consilium regium statuit, ut constitutio Caroli prorsus observaretur. Quod si Legati pontificii quempiam ad solutionem censuris cogere tentarent, appellare se ad futurum Concilium, ut narrat Monstreletus vol. I. cap. LXVII.

Libellus defensionis Natio nis Gallic. Tit. 17. Libert. Eccles. Gallic. c. 13. VI. Tandem materia isthæc in Concilio Constantiensi proposita est a deputatis nationis Gallicanæ. Occasionem illi de ea re differendi sumpserunt e re nata. Quippe Cardinales Pisanus Cameracensis, & Florentinus a Concilio delegati sunt una cum Deputatis Quinque Nationum, ut in commune consulerent, quid facto opus esset circa reformationem Ecclesiæ, tam in capite, quam in membris. Cardinales vero delegati mentionem inter alia injecerunt annatarum & minutorum servitiorum, eaque legitimo jure deberi probare conati sunt. Ac licet major pars delegatorum existimaret, annatas & servitia illa debere aboleri, Cardinales tamen obstiterunt, ne sententia concluderetur. Deputati itaque Nationis Gallicanæ seorsim ob hoc congregati decreverunt, annatas omnino tollendas esse. Joannes de Scribanis Procurator fiscalis cameræ apostolicæ ab hac Gallorum deliberatione appellavit, non quidem ad Concilium, quod heic celebrabatur, sed ad futurum summum Pontificem, cui appellationi nomine collegii Cardinalium adhæsit Joannes Poncetus. Contentio autem illa effecit, ne Concilium Constantiense definiret hanc quæstionem. Rationes autem, quibus Galli nitebantur, hæ in primis fuere. Annatas hujuscemodi, a Joanne XXII. ad certum tempus introductas, quoad Præbendas, Ecclesias parochiales, & Capellas, & ab ejus successoribus certis de causis continuatas, exigi potuisse, quamdiu eas clerus, Principes & populus toleravere, at postquam causæ tolerandi desierant, veluti peregrinatio transmarina, quod *Passagium transmarinum* vocabant, aut alia quæpiam occasio pietatis, solutionem earum juste negari posse, nam quomodo opponi posset præscriptio aut consuetudo, cum & frequentes ob hoc querelæ fuerint & oppositiones, prætereа superiorem non facile præscribere adversus inferiorem.

Quod attinet ad prælaturarum annatas, ajunt, eas in initio nihil aliud fuisse, quam gratuitam oblationem eorum, secundum quos pronuntiatum fuerat in curia Romana, quique electionis suæ confirmationem obtinuerant. Canonibus tamen vetitum esse, ne pecunia detur ante vel post promotionem. Quo fit, ut nullum sit statutum, privilegium, consuetudo, præscriptio, aliusve titulus, qui vim addere possit huic praxi, cum simoniaca sit. Nam episcopatuum annatas non ob hoc exigi, quod beneficia vacent, sed quia conferuntur. Adde quod pecunia, quam provisi solvunt aut promittunt, ab eis exigitur per violentiam & retentionem bullarum, quo vel unico facinore præscriptio impeditur.

In universum autem loquentes de annatis utriusque speciei, affirmant, neque Papæ neque Romanæ Ecclesiæ datam esse licentiam imperandi tributa personis ecclesiasticis; idque eo magis obtinere debere, quod Ecclesiæ ad inopiam hoc pacto redigantur, & Principes populique se lædi existiment, cum novitates illæ invehantur absque eorum consensu & in injuriam fundationum ab eis factarum. Adferunt auctoritatem constitutionis regiæ editæ, ut deinceps via præcludatur hujuscemodi corruptelis, simoniis, ac perniciei, quam tributa hæc inferebant regno Gallico. Addunt insuper, Regem, cum subtilitas Romanæ curiæ artem extorquendi aurum invenisset, in gravem hujus constitutionis injuriam, Legatos ad Joannem XXIII. Papam misisse, qui suaderent, ut ei malo remedium adhiberet, ipsum nihilominus silentio transmisisse hanc petitionem, itaque licet Regi liberum foret, statuta circa hanc materiam edere, maluisse tamen præcipere Deputatis, ut negotium istud urgerent apud Concilium Constantiense.

VII. Et Concilium quidem nova tributa prohibuit, quæ clero imperabantur per viam decimæ, annatæ, aut quamlibet aliam. Annatæ tamen episcopatuum monasteriorum duravere; quoniam earum solutionem facilem esse faciebat retentio bullarum. Itaque Gallis satisfactum non est: qui, post celebratum Concilium, ad Parlamentum convenere anno MCDXII. mense Martio, ubi congregati fuere Prælati & gentes Magni Consilii Regis & curiæ Parlamenti. In eo conventu narratum est, Deputatis cleri Gallicani præceptum esse, ut apud Concilium urgerent approbationem constitutionum, quæ editæ fuerant pro abolitione annatarum & reservationum; sed neque Concilium, neque Papam recenter electum, id est, Martinum quintum, ullum his malis remedium adhibere voluisse, neque ipsis providere. Quapropter decretum fuit, ut constitutio diei XVIII. Februarii anni MCDVI. executioni mandaretur. Dein edicto Principis anni MCDXIII. renovantur prohibitiones in superiori constitutione comprehensæ adversus exactiones curiæ Romanæ; sive fierent prætextu vacationis Ecclesiarum, sive alio colore quæsito. Aliis prætereа literis delegatur aliquot viris ministerium custodiendi clusas. Suæ tamen intentionis esse, ait Princeps, ut summum Pontificem & Romanam Ecclesiam adjuvet in necessitatibus suis, prout occasio tulerit. Tit. 22. Libert. Eccl. Gall. c. 14. Cap. 15. & 16.

VIII. Statim vero atque Carolus VII. in regno patris est institutus, has ejus constitutiones confirmavit diplomate dato anno MCDXXII. quo prætereа jussit, ut ex lege ageretur adversus eos, qui contra venirent, non obstantibus bullis apostolicis aut excommunicationibus, quæ harum bullarum auctoritate ferri possent. Sed urgentissimis Martini V. precibus victus diploma illud revocavit anno MCCCCXXIV. Verum cum revocatio illa facta esset absque deliberatione Consilii, ejus executione supersederi placuit propter intercessionem Cousinoti regii in curia Parlamenti Procuratoris. Cap. 17. 18. & 19.

IX. Tandem ingens illa contentio finita est anno MCDXXXV. in Concilio Basileensi, cujus ob eam rem extant decreta duo. Horum unum pertinet ad jus electionum. Prohibet autem sub finem, ne ii, ad quos electionum confirmationes perti- Concil. Basil. sess. 12.

nent,

nent, aliquod commodum recipiant ab electis; sive illud nomine subventionis tribui soleat, vel subsidii, gratitudinis, aut alio quocunque colore; non obstantibus omnibus privilegiis & consuetudinibus contrariis. Additur in decreto, curaturos patres, ut ante dissolutionem Concilii omnino debite & congruenter provideatur sustentationi Cardinalium & necessariorum officialium.

Sess. 21. Alterum decretum respicit annatas. Prohibet autem, ne deinceps in Romana Ecclesia aut alibi quidquam exigatur ratione bullarum, sigilli, annatarum, communium & minutorum servitiorum, aut alia quavis causa vel occasione, pro electionibus, confirmationibus, consecrationibus, investituris, installationibus, aliisque expeditionibus Ecclesiarum cathedralium & monasteriorum aliorumque Beneficiorum & officiorum ecclesiasticorum quorumcunque, sive pro Pallio, prætextu privilegii, consuetudinis, vel cujusvis statuti, sub intentatione pœnarum adversus simoniacos inflictarum; *solum scriptoribus, abbreviatoribusque registratoribus literarum seu minutarum, pro ipsorum labore competenti salario solvendo*, ut Concilium loquitur: *Et si (quod absit) Romanus Pontifex, qui præ cæteris universalium Conciliorum exequi & custodire canones debet, adversus hanc sanctionem aliquid faciendo Ecclesiam scandalizet, generali Concilio deferatur. Ceteri vero per suos superiores digna ultione puniantur.*

X. Eugenium porro quartum synodus orandum censuit, missis primum duobus Cardinalibus, ut decreta adversus annatas & reservationes edita observaret, deinde alia legatione missa, cujus pars erat Joannes de Bachenstein Decretorum Doctor, qui omnium nomine Pontificem allocutus est. In sua igitur oratione exposuit perniciem, quam afferebat exactio harum annatarum, & magnum Ecclesiæ dedecus generari ob earum *sublevationem*, quæ canonibus contraria erat; oravitque Pontificem, *quatenus velit, ipsum decretum in sua curia servari & alibi observari facere & custodire*, ajens nihilominus, *sacrum Concilium omnino dispositum esse, & jam laborare per aliquem modum honestiorem summo Pontifici & Cardinalibus talem facere provisionem, de qua sanctitas ejus Dominique Cardinales merito poterunt contentari.* Ad quæ Antonius Rotæ Auditor ab Eugenio missus ad Concilium respondit, mirari se satis non posse, *quod in re tam grandi, irrequisitis & insciis sanctissimo Domino nostro atque sacro collegio, tam cito conclusum fuerit*, negotium annatarum, quod si unquam in hac materia supersedendum fuit, hoc præcipue tempore supersederi debuerat, *quo Romana Ecclesia innumerabilia damna passa erat. Si qui in his prætendebantur abusus, his providendum erat sine privatione substantiæ; aut saltem provisio debita simul facienda erat, ut sic justitia & pax obviarent sibi.* Tum recensitis præsentibus Cardinalium necessitatibus, quibus unica hæc vitæ sustentatio præsto erat, injecta quoque mentione ingentium sumptuum, quos summus Pontifex suppeditare tenebatur pro bono Ecclesiæ universalis, demum concludit, supersedendum esse in executione hujus decreti, *saltem donec aliter fieret sufficiens provisio; de qua provisione sufficienti sanctissimus Dominus noster vult esse bene contentus juxta desiderium hujus sacri Concilii, proviso quod taliter fiat, quod stabilis & firma permaneat.*

Collatio Joannis de Bachenstein in append. Concil. Basil.

Responsio facta per Dominum Antonium in dicta appendice.

XI. Sed cum postea res eo devenisset, ut in divortium inter Pontificem & Concilium desineret, Ecclesia Gallicana, Avarici Biturigum congregata, amplexa est decretum hoc Basileensis Concilii adversus annatas, quod Pragmatica Principis sanctione confirmatum est. *Voluit tamen hæc congregatio pro instanti necessitate moderni Papæ & sacri collegii Dominorum Cardinalium hodie notorie ingruente, quod præfatus summus Pontifex modernus habeat, ejus vita durante duntaxat, ex fructibus quarumcunque Ecclesiarum, monasteriorumque, quorumcunque beneficiorum*, quæ per obitum vacare contingeret, *quintam illius taxæ*, quæ superioribus annis facta fuerat pro decimis.

Pragm. Sanct. Tit. IX. de Annatis.

XII. Octavo & septuagesimo anno post Pragmaticam editam inita fuere Concordata. Iis vero cum consensu Francisci I. Regis abolerentur omnes deliberationes Ecclesiæ Gallicanæ, & per consequentiam necessariam abolita quoque est prohibitio solvendi annatas pro bullis episcopatuum & monasteriorum. Sed tamen ei annatarum solutioni Princeps non consensit verbis conceptis. Nullum enim decretum extat in Concordatis, quo annatarum pro episcopatibus exactio confirmetur. Itaque, quoad annatas, summus Pontifex & Reges nostri nullo jure adstricti sunt, & ad juris communis observationem redire possunt. Ecclesia ergo Gallicana contendere potest, id quod ab ea tentatum est in Concilio Constantiensi, annatas solvi non posse absque simonia. Summus vero Pontifex reponere potest, inesse sibi auctoritatem ad purgandam simoniam, ac præterea consuetudinem illam esse præscriptam ob tolerantiam Regum Christianissimorum.

XIII. Unicus in Concordatis titulus XLI. materiam istam attingit. Statuerat Leo X. ut gratiæ & provisiones beneficiorum, etiam cathedralium Ecclesiarum, nullæ essent ipso jure, si verus beneficii vacantis valor in literis apostolicis expressus non fuisset. Sed isthoc titulo modificatus & inflexus est rigor illius statuti quoad Galliam. Permittit quippe, ut impetrantes beneficia petere possint, ut verus valor ipsorum Beneficiorum in eisdem literis corrigatur, *infra annum a die datæ literarum earundem computandum*; statuitque, ut pro hoc valoris augmento annata solvatur cameræ apostolicæ. Verum correctiones illæ pro expressione valoris necessariæ non sunt, nisi, ut eatur obviam periculo secundæ impetrationis; quæ tamen, modo nihil aliud peccatum esset, non toleraretur in Gallia, cum articulus ille non sit receptus in regno, ut testatur Rebuffus in commentario ad dictum titulum. Contra vero validum hinc telum peti potest adversus annatas. Quippe cum a summo Pontifice non reserventur, nisi in casu expressionis veri valoris beneficiorum, planum est, ex hoc titulo locum non esse solutioni annatarum, cum moris non sit, ut ea valoris expressio fiat.

CAPUT XII.

De fundamento & justitia annatarum, & quod in Gallia ex consensu Regis dependeant.

SYNOPSIS.

I. An ii, qui annatarum pecuniam recipiunt, dici possint simoniaci. Duplex simoniæ genus. Prior, quæ pretium temporale recipit pro re sacra, jure divino vetita; altera jure ecclesiastico introducta est. Explicatur, in quo ea consistat.

II. Si habeatur ratio prisci moris, pura simonia committitur. At si novi juris ratio habeatur, annatæ liberari possunt a suspicione simoniæ.

III. Pars prior probatur multis auctoritatibus, & ratione. Sententia Panormitani refertur.

IV. Secundum jus novum, annatæ liberari possunt a crimine simoniæ. Jus illud novum explicatur. Gersonis sententia adducitur.

V. Petrus de Alliaco censet, omnes beneficiatos contribuere debere annatas pro sustentatione Papæ.

VI. Remittendum igitur aliquid ex prisca severitate; neque recipienda virorum eruditorum opinio scribentium, exactionem annatarum esse simoniacam, etiam post Concordata. Si ea valeret, immanis & horrenda confusio turbaret Ecclesiam.

VII. Summus Pontifex tributa imperare non potest in Gallia absque consensu Regis & Ecclesiæ Galli-

Gallicanæ. Probatur auctoritate Pragmaticæ sanctionis beati Ludovici & Concilii Constantiensis.

VIII. Duplex decretum circa decimas papales in hoc Concilio. Eorum discrimen.

IX. Parisiensis appellavit anno 1491. *a Commissariis executoribus decimæ unius anni impositæ beneficiatis Galliæ. Item Capitulum Parif. an.* 1501. *& Clerus Hispaniæ an.* 1523.

X. Quidam, jus percipiendi decimam redituum ecclesiasticorum Romano Pontifici competere, contendunt ad exemplum Pontificum veteris testamenti. Aliud sensit Concilium Constantiense. Discriminis autem ratio manifesta est.

XI. Alii jus illud Romano Pontifici asserunt ex eo, quod summam obtineat auctoritatem in bona ecclesiastica. Ea opinio exorta est ævo Bonifacii VIII. & eodem tempore explosa a Joanne de Parisiis.

XII. Igitur Regi & Episcopis liberum est, cum annatæ titulo tantum subsidii debeantur, ei solvendo consensum suum revocare. Æquitati tamen injuria fieret, si subsidia semel concessa revocarentur.

XIII. Rex prohibere potest, ne nova tributa imperentur personis ecclesiasticis, aut vetera augeantur. Probatur multis auctoritatibus.

XIV. Civilius ageretur, si summus Pontifex rogaretur, ut remittat subsidia veteribus annatis addita. Proponitur exemplum Canuti Regis Anglorum.

XV. Quid in Gallia tentatum anno 1532. 1561. *&* 1587.

I. POstquam aperuimus originem & progressum annatarum, & quibus contradictionibus jactatæ fuerint, consequens est, ut examinemus, an pecunia, quæ solvitur ob bullas episcopatuum, quæ vulgo *Annata* dicitur, simoniacos reddat eos, qui eam recipiunt. Sed ante quam ad rem ipsam veniamus, docendum est in antecessum, duo esse genera simoniæ. Nam vera simonia in eo consistit, si quis aliquod pretium temporale recipiat pro re quapiam sacra. Hoc genus simoniæ jure divino vetitum est, ut constat ex cap. VIII. Actorum: ubi legimus, Simonem magum emere voluisse donum Spiritus sancti, quod per impositionem manuum dabatur. Alterum simoniæ genus jure ecclesiastico introductum est. In eam autem inciditur, quando res Dei ministerio consecratæ, aut pro sustentatione Presbyterorum dedicatæ, venduntur: quæ licet non sint res spirituales, aliquid tamen spirituale connexum habent, ut loquuntur canonici juris interpretes & theologi; id est, considerantur quasi pendentes a functione quadam spirituali. Priscis temporibus, quando videlicet ordinationis vocabulo comprehendebantur impositio manuum & provisio beneficii, inutilis erat illa distinctio: quia is, qui simoniam committebat, in veræ simoniæ crimen incidebat.

II. Sed ut ad rem redeamus, sic censeo. Si ratio habeatur prisci moris & auctoritatis antiquorum patrum, puram esse simoniam, si quis, etiam post ordinationem, pecuniam recipiat; excepto tamen salario notarii, quod exhiberi debet secundum operam ejus. At si novi juris ratio habeatur, annatæ liberari possunt a suspicione simoniæ.

III. Pars prior facillime probari potest, adductis auctoritatibus Gennadii Patriarchæ Constantinopolitani & sancti Gregorii, Juris Græco-Romani, Zachariæ Pontificis & synodi Parisiensis sub Ludovico Pio, quarum supra facta mentio est. Quibus addi possunt testimonia Doctorum, Guillelmi videlicet Durandi Episcopi Mimatensis & deputatorum nationis Gallicanæ in Concilio Constantiensi, quorum loca supra laudata sunt, & determinatio Concilii Basileensis. Ratio hujus sententiæ hinc petitur, quod, cum pecunia illa detur contemplatione ordinationis, aut ob confirmationem electionis, gratia sancti Spiritus venundatur. Neque admitti potest, ut supra laudati auctores adnotarunt, distinctio illa, an pecunia detur ante vel post ordinationem: tametsi verum sit, mediocrem pecuniæ summam accipi potuisse pro jure installationis, juxta Novellam Justiniani, nisi id quoque prohibitum esset a sancto Gregorio. Sed adversus hoc excipi potest, ordinationem ab aliquot seculis separatam esse a provisione beneficii, ideoque praxim illam simoniæ crimine damnari non posse. Respondet Panormitanus disputans adversus Papam & Episcopos, qui pecuniam recipiunt pro expediendis titulis beneficiorum ordinationem conferre potestatem clavium *in habitu*, sed provisionem superioris tribuere exercitium in actu, id est, executionem ordinationis. *Per titulum beneficii*, inquit, *confertur executio ordinis & clavium, non tantum temporalia bona.* (Panormit. in reper. c. *Extirpandæ*. §. *Qui vero*. §. *Ecce sufficienter*. cum c. seq. 16. q. 1.)

IV. Secundum vero jus novum, quod auctoritatem addidit tributis, quæ beneficiorum possessoribus imperantur pro necessitatibus Ecclesiæ Romanæ & sustentatione Cardinalium, annatæ ab episcopatibus exactæ liberari quidem possunt a crimine simoniæ, sed non a vitio avaritiæ. Nam post conditum illud jus curia Romana novo prætextu usa est ad exigendas annatas, impositionis videlicet & subsidii, cum antea id non soleret, nondum videlicet evulgato Ecclesiæ Romanæ arcano, posse eam tributa imperare singulis Ecclesiis. Porro necessitatem illam contribuendi sumptus Ecclesiæ Romanæ, quæ inferioribus Ecclesiis incumbit, fundamentum esse annatarum, affirmavit Joannes de Scribanis in Constantiensi Concilio disputans adversus deputatos nationis Gallicanæ, itemque Antonius synodum Basileensem alloquens nomine Eugenii quarti. (Supra cap. XI. hujus libri.) Tanti autem ponderis visa est hæc ratio Joanni Gersoni, qui Constantiæ aderat pro natione Gallicana, ut coactus sit excogitare distinctionem quandam, quæ in ejus operibus extat, qua concederet, annatas quidem legitime solvi posse, sed modum eas exigendi non posse tolerari. Annatas tolerat titulo subventionis; sed eas simoniæ suspicione laborare ait, si possessio aut exercitium beneficii impediatur, donec pecunia fuerit persoluta, id quod fuse probat in tractatu de simonia. (Gerson de potestate eccles. consid. 8. & tract. de simonia.) Alibi tamen materiam istam temperat his verbis: *Status summi Pontificis & Cardinalium dum recipit & quærit subventiones consuetas in oblationibus, decimis, vel annatis, & similibus, non debet eo ipso de simoniaca pravitate notari. Nisi forte vitium aliud in executionis modo concurrerit, quod vitium corrigi debet, non exinde status minui, destrui, culpari, vel juribus aliunde debitis defraudari, sicut ab infirmo morbus tollendus est, non subjectum vel corpus destruendum. Oppositum vero pertinaciter opponens, notando generaliter de simoniaca pravitate totum statum istum, temerarius esset, nec ferendus.* (Idem de statu Papæ & Cardinalium, consid. 5.)

V. Sane Petrus de Alliaco nullam aliam ætate illa probabilem rationem invenit firmandæ annatarum exactioni, quam contributionem pro sustentatione curiæ Romanæ; æquumque esse censuit, ut, quomodo Levitæ contribuebant decimam suarum decimarum pro summo Pontifice Judæorum, sic omnes contribuerent annatas pro sustentatione Papæ. *Sicut in veteri testamento*, inquit, *Levitæ tenebantur decimarum decimam dare summo Pontifici, propterea posse juste decimam omnium beneficiorum exigere, loco vero decimæ annatas.* (Petrus de Alliaco parte 2. de eccles. auctor. c. 2.)

VI. Quare paulo audacior Gersone censeo, æquum non esse, ut priscam severitatem mordicus teneamus quoad annatas, quas Episcopi solvunt, cum eæ obnoxiæ sint interpretationi, quæ ipsas liberat a vitio simoniæ, titulo videlicet subventionis. Modus quippe adigendi ad earum solutionem, retentis videlicet bullis, qui erat lapis scandali tempore Conciliorum Constantiensis & Basileensis, in consuetudinem versus est absque ulla conquestione Prælatorum aut Principum, qui solutioni huic consenserunt sub titulo subventionis. Ea videlicet ratione tollitur omnis suspicio simoniæ; quandoquidem alio titulo reali & legitimo solvuntur, cujus

natura

Duaren. lib. 6. c. 3. de eccles. minist. Molin. in commentad edictum contra pœnas datas. natura mutari non potest ob modum, qui observatur in solutione. Quapropter discedere cogor ab opinione Duareni & Caroli Molinæi scribentium, exactionem annatarum esse simoniacam, etiam post Concordata. Nam præterquam, quod ratio superius adducta liberat Episcopos a suspicione simoniæ, necesse est, ut universi pedibus eant in illam sententiam ob rationem, quam additurus sum, quæ est maximi momenti. Immanis quippe & horrenda confusio turbaret Ecclesiam, si omnes istæ promotiones essent simoniacæ. Papa quippe esset irregularis, & Episcopis omnibus interdictum esset functionibus sui ministerii. Neque opponi posset, Papam, conferendo beneficium, dispensare ab hoc vitio: quia simonia hæc, si ulla in eo esset, juri divino, super quo dispensari non potest, repugnaret, ut supra dixi; & præterea Papa non posset dispensare super crimine, quod ipse committeret.

VII. Attamen non assentior Petro de Alliaco, neque Joanni de Scribanis, qui in suam sententiam traxerunt omnes fere hujus ætatis juris canonici interpretes, dum affirmant, summo Pontifici competere jus imperandi tributa clero, & personas ecclesiasticas contribuere debere partem aliquam suorum redituum pro sustentatione ejus. Jamdiu enim quæstio ista definita est in Gallia, ubi pro lege inviolabili habetur, summum Pontificem nullam contributionem imperare posse in bonis ecclesiasticis absque expresso consensu Regis & Ecclesiæ Gallicanæ. Clara in eam rem sunt verba Pragmaticæ Pragmatica S. Ludov. art. 5. sanctionis B. Ludovici: *Item exactiones & onera gravissima pecuniarum per curiam Romanam Ecclesiæ regni nostri impositas vel imposita, quibus regnum nostrum miserabiliter depauperatum existit, sive etiam imponendas vel imponenda, levari aut colligi nullatenus volumus, nisi duntaxat pro rationali, pia & urgentissima causa, vel inevitabili necessitate, ac de spontaneo & expresso consensu nostro & ipsius Ecclesiæ regni nostri.* Eadem quæstio in gratiam omnium personarum ecclesiasticarum definita est decreto Concilii Constantiensis: *Declarat sancta synodus, non licere summo Pontifici indictiones sive exactiones quascunque supra Ecclesias vel Ecclesiasticas personas imponere per modum decimæ vel alio quovis modo. Si vera causa necessitatis accideret, propter quam esset eidem debite subveniendum, vocato generali Concilio, secundum quod expediens videbitur & utile, secundum decretum Concilii provideatur eidem.*

VIII. Sed heic observandum est, decretum illud fuisse deliberatum post electionem Martini V. summi Pontificis. Etenim in sessione XL. habita die XXX. Octobris anno MCDXVII. statuitur, ut futurus Pontifex post electionem suam deliberet cum Concilio de reformatione Ecclesiæ in capite & in membris & de curiæ etiam Romanæ reformatione; propositis ob eam rem XVIII. articulis, quorum postremus agit de decimis. Martinus electus fuit die XI. Novembris, & die XXI. coronatus. Die dein XXI. Martii in sessione XLIII. publicata sunt decreta summo Pontifice & Concilio statuta circa quosdam articulos ex octodecim propositis, & inter ceteros, circa articulum decimarum papalium. Verum decretum nomine Martini V. editum discrepat aliquantulum a decreto synodi, in eo scilicet, quod respicit auctoritatem imponendi decimas & alia onera. Eam enim ad se trahit Pontifex, Concilium vero sibi arrogat. Quoad effectum tamen utroque decreto idem prorsus statuitur, nimirum onera illa imponi non posse absque consensu Prælatorum. Hæc decretorum discrepantia in eadem materia facit, ut credam divisas fuisse sententias summi Pontificis & Concilii, tandemque inter eos ita convenisse, ut utrinque decreta fierent, quibus sua jura summo Pontifici servarentur, & sua item Concilio. Id quod in primis observandum est, neque antea acciderat. Sane prætermitti non debet, decretum Concilii valde periclitatum esse, ac parum abfuisse, quin perierit. Quippe descriptum non est in corpore actorum, sed in calce, post confirmationem constitutionum Friderici II. Imperatoris, pudore videlicet prohibente, ne collectores illud supprimerent. Sed præterea descriptum est integrum in actis appellationis Universitatis Parisiensis, quorum mentio fit paulo infra.

Verba decreti pontificii omnino ambigua sunt. Nam præcipit, ne decimæ & alia onera clero imponantur, *nisi de consilio & consensu & subscriptione Cardinalium & Prælatorum, quorum consilium commode haberi poterit;* quæ tamen levari non poterunt *specialiter in aliquo regno vel provincia* absque consensu Prælatorum *vel eorum majori parte.* Deinde vult evitare celebrationem Concilii generalis, sibique reservare potestatem imponendi. Et tamen prohibet, ne exactio fiat in regnis, nisi cum consensu Prælatorum, sperans videlicet, facilius singulos in partes transgressuros, quam si congregarentur. *Per nos autem nullatenus imponantur,* inquit, *generaliter super totum clerum, nisi ex magna & ardua causa & utilitate universalem Ecclesiam concernente, & de consilio & consensu & subscriptione fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium & Prælatorum, quorum consilium commode haberi poterit. Nec specialiter in aliquo regno vel provincia, inconsultis Prælatis ipsius regni vel provinciæ, & ipsis non consentientibus, vel eorum majori parte; & eo casu per personas ecclesiasticas, & auctoritate apostolica duntaxat, leventur.* Conc. Constant. sess. 43.

IX. Praxis, quæ post hæc invaluit in Gallia & in Hispania, evincit, regulam illam esse certam. Nam academia Parisiensis appellavit a commissariis executoribus decimæ unius anni impositæ decreto Papæ Innocentii VIII. beneficiatis Galliæ anno MCDXCI. cui exigendæ prætexebatur bellum adversus Turcas, cujusque tertia pars decidere debebat cameræ apostolicæ, reliquum vero Regi; ab iis inquam commissariis academia Parisiensis appellavit ad Papam & ad futurum Concilium universale. Inter fundamenta vero appellationis commemorat duo decreta Concilii Constantiensis supra laudata, id est, decretum nomine Concilii editum, & illud item quod nomine Pontificis conceptum est; quæ integra descripta sunt in actis appellationis. Anno MDI. Capitulum cathedralis Ecclesiæ Parisiensis ab impositione decimæ ab Alexandro VI. imperatæ appellans ad ipsum melius informatum, ad Concilium universale, Regem Christianissimum, & ad curiam Parlamenti, & ad illum seu illos, ad quos pertinuerit, appellationis suæ caput arcessit a libertate Ecclesiæ, & ex decreto Concilii Constantiensis, quo decimæ impositio reservata est Concilio generali. Clerus vero Hispaniæ appellans anno MDXXIII. ab impositione quartæ partis redituum beneficiorum Hispaniæ, quam Papa Hadrianus VI. imperaverat, adducit constitutionem Papæ Martini V. in Concilio Constantiensi editam, nulla prorsus mentione facta decreti nomine Concilii publicati. Tit. 13. Libert. Eccl. Gall. n. 5. Tit. 22. Libert. Eccl. Gall. n. 19 Ibidem.

X. Ii, quibus cordi fuere Romanæ Ecclesiæ negotia, contenderunt, ei competere jus percipiendi decimam redituum ecclesiasticorum, ad exemplum videlicet Pontificum veteris testamenti, quibus Levitæ contribuere tenebantur decimam suorum redituum; adeo ut Petrus de Alliaco in sententiam illam tractus sit, quam amplexi sunt universi Doctores Itali. At decretum Concilii Constantiensis contrariam sententiam confirmavit, ad eruendam ex animis hominum falsam illam doctrinam, petitam ex comparatione Pontificis Judæorum, cum Pontifice Romano, ut ait Capitulum Parisiense in actis appellationis anni millesimi quingentesimi primi. Discriminis autem ratio manifesta est. Pontifices namque legis Judaicæ nullo alio reditu fruebantur. At disciplina Ecclesiæ Christianæ alia ratione providit sustentationi sui cleri; distributis vide-

videlicet Ecclesiis in diœceses, ea methodo, ut omnes reditus diœceseos in potestate essent Episcopi, juxta canones Antiochiæ & Chalcedonis decretaque Pontificum Gelasii & Symmachi. In hac generali institutione portio quoque sua Romanis Pontificibus tributa est in diœcesi Romana: qua portione sibi satisfactum putarunt, nullum præterea auxilium implorantes, etiam tum, quando solis matronarum oblationibus potiebantur, ut loquar cum Ammiano. Satis quippe id erat, sub paganis Imperatoribus, pro sustentatione cleri Romani & mille quingentorum pauperum; sufficiebatque insuper subsidiis, quæ a summis Pontificibus mittebantur ad Ecclesias remotas; ut testatur Eusebius lib. IV. cap. XXII. & lib. VI. cap. XXXV. historiæ ecclesiasticæ. Potentia porro eorum crevit ex reditibus latifundiorum, quæ Romanæ Ecclesiæ in diversis provinciis collata sunt ab Imperatore Constantino & Senatoribus Romanis; quorum numerus ab Anastasio Bibliothecario recensitus est. Tantum autem abest, ut ea patrimonia non sufficerent alendo Episcopo Romano ejusque clero, ut etiam ex iis reditibus prisci Pontifices alerent in provinciis ingentem pauperum numerum, præter eos, qui eorum quoque cura alebantur in Urbe, ut constat ex diversis locis epistolarum sancti Gregorii. Quin etiam testatur Papa Martinus in epistola XVI. eos magnifice exercuisse jus hospitii erga peregrinos omnes. Potiori itaque ratione Romana Ecclesia censenda est, hodie possidere ultra id, quod necessarium est summo Pontifici & Ecclesiæ capiti alendo, postquam liberalitate Christianissimorum Regum Pipini, Caroli magni & Ludovici Pii locupletata est ob concessum sedi apostolicæ exarchatum Ravennæ, ducatum Romanum, itemque Spoletanum, aliaque ingentia patrimonia. Nisi fortassis adversus hæc dicatur, Pontificem quidem Romanum ad Principis dignitatem evectum fuisse his donis, sed eodem tempore præbitas novas prodigendi causas. Verum clerus non tenetur in eo agnoscere dignitatem Principis secularis. Quamquam, si redituum pontificiorum dispensationi modus adhiberetur, sufficerent haud dubie huic magnificentiæ & his sumptibus, neque necessarium esset, subjectos Romanæ sedis aut personas ecclesiasticas tributorum onere opprimi.

XI. Quidam jus illud imperandi tributa clero, quod summo Pontifici competere ajunt, ex eo deducunt, quod summam obtineat auctoritatem in bona ecclesiastica; adeo ut, si eis male utatur, peccet quidem graviter, sed tamen dispensationem eorum fore validam. Opinio hæc, quæ proprietatem bonorum ecclesiasticorum summumque in ea imperium Pontifici Romano asserit, exorta est ævo Bonifacii octavi, auctoribus quibusdam adulatoribus. Sed eodem tempore explosa est a Joanne de Parisiis: qui bonorum proprietatem ait pertinere ad Christum, administrationem ad Episcopos, dispensationem vero pro bono generali Ecclesiæ ad summum Pontificem; adeo, ut decreta ejus circa dispensationem horum bonorum nulla sint ipso jure, nisi fiant ob evidentem utilitatem Ecclesiæ universalis. *Talia bona sunt Ecclesiæ*, inquit, *quantum ad proprietatem; sed Prælatorum, quantum ad dispensationem. Unde patet, quod Papa non potest ad libitum detrahere seu distrahere bona Ecclesiarum, ita, quod quicquid ordinet, de ipsis teneat. Hoc enim esset, si esset dominus. Sed cum sit dispensator bonorum communitatis, in quo requiritur bona fides, non habet sibi collatam potestatem super ipsis, nisi ad necessitatem vel utilitatem Ecclesiæ communis.* Infra: *Propter quod si aliter pro libito distrahat Papa, & non bona fide, de jure non tenet.* Sane modus hic, qui potestati pontificiæ præscribitur, prohibet, ne Papa bonis Ecclesiæ abuti possit; sed tamen in eo quandam auctoritatem agnoscit, secundum quam de his constituere possit, cum necessaria occasio ingruerit. Verum heic observandum est, hæc scribi a privato Doctore, qui prudentiæ temperamentum adferre volebat adversus torrentem novarum opinionum. Fortius aliquid expectari debuit ab Ecclesia in Constantiensi Concilio congregata; quæ jus tributa universo clero imperandi pertinere ad solum generale Concilium edixit, non vero ad summum Pontificem. Decretum porro illud innititur sententiæ, quæ ait proprietatem bonorum ecclesiasticorum pertinere ad Ecclesiam universalem, sive ad communitatem uniuscujusque Ecclesiæ, dispensationem vero ad unumquemque Episcopum; unde sequatur, eorum, quorum interest, consensum esse necessarium, ut in sumptus extraordinarios, veluti ad subveniendum Ecclesiæ Romanæ, ea bona convertantur. Sed quæcunque tandem Concilii ratio fuerit, satis est, quod decreto ejus potestas Concilio generali reservetur imperandi subsidia, quotiens ita Romanæ Ecclesiæ necessitas postulabit. Ceterum cum materiei istius cognitio necessaria sit & erudita, alibi accurate disseram de auctoritate ecclesiastica seculari in bona ecclesiastica.

Vide Innoc. III. lib. 10. ep. 108.

Joannes de Paris. in tract. de potest. reg. & papali cap. VI.

XII. Ex iis, quæ supra dicta sunt, potest colligi, cum annatæ titulo tantum subsidii debeantur, quod exigere Pontifex non potest absque consensu Regis & Ecclesiæ Gallicanæ, liberum esse Regi & Episcopis, consensum suum revocare eique tributo finem imponere. Solutio enim illa nihil aliud est, quam donum spontaneum & gratuitum, quod præscriptioni obnoxium esse non potest. Atque ideo majoris est momenti, quod annatæ non approbantur conceptis verbis in Concordatis, & tamen diserte vetantur in constitutionibus regni, quæ matura deliberatione factæ sunt a Carolo VI. Rege annis MCCCCVI. & XVIII. extincto nimirum schismate, & residente in sede apostolica Papa Martino quinto. Secundum has constitutiones exactio annatarum prohibita est a Concilio Basileensi; eique prohibitioni Concordata non derogaverunt expresse, quæ id solum agunt, ut Pragmatica sanctio aboleatur, quoad horum decretorum Basileensium acceptationem. Itaque acceptatio revocata est, non tamen substantia decretorum. Quamquam videatur æquitati injuria fieri, si subsidia semel concessa revocentur, nisi manifeste constiterit ingrati crimen esse in summo Pontifice.

XIII. Quicquid sit, Rex, tanquam protector libertatum ecclesiæ Gallicanæ, & vi etiam regiæ auctoritatis, prohibere potest quæcunque tributa, quæ summus Pontifex, sive titulo annatarum, sive alio quolibet modo, imperare vellet personis ecclesiasticis, ac etiam prohibere, ne, ea, quorum exactioni consensus jam est adhibitus, augeantur in posterum.

Hujus axiomatis probatio pendet ex iis, quæ dicta sunt, quorum vis comprehenditur hoc dilemmate. Aut enim annatæ accipiuntur contemplatione confirmationis electionis Episcopi, aut titulo subsidii. Primus casus laborat vitio simoniæ. Ad Principem autem spectat providere legibus suis, ne Episcopi imperio suo subjecti crimen simoniæ committant; adeo, ut de iis redditurus sit rationem, si conniveat. Quare Leo & Justinianus Imperatores legibus eam suis prohibuerunt sub magnis pœnis. Et Gregorius magnus ad Francorum Reges Childebertum, Theodebertum, Theodoricum, ad eorumque successores in eorum personis scripsit, officii eorum esse, ut simoniam in regno suo extirpent, & reddituros eos Deo rationem conniventiæ suæ. *Hortamur, ut tam detestabile facinus de regno suo excellentia vestra prohiberi præcipiat.* Infra: *Hoc admoneo, quia animam vestram salvari desidero.* Sane Concilium Parisiense Ludovicum Pium monuit, simoniam, quæ in Romana Ecclesia vigebat, ab ea amputandam esse *imperiali potestate, cum consensu venerabilium sacerdotum*, id est, adhibito consilio Episcoporum Italiæ. Henricus III. Imperator simoniam prohibuit anno MXLVII. edicto lato in plenariis comitiis Gallia-

L. 32. l. 42. C. de Episc. & cleric.

Gregor. lib. 4. ep. 35. & alibi.

Glaber. lib. 5. c. 2. Galliarum & Germaniæ, ut tradit Glaber illius temporis scriptor: *Tunc proposuit edictum omni imperio suo, ut nullus gradus clericorum vel ministerium ecclesiasticum pretio aliquo acquireretur; ac si quis dare vel accipere præsumeret, omni honore destitutus, anathemate multaretur.* Eam quoque suis constitutionibus in Gallia prohibuerunt sanctus Ludovicus aliique Reges.

In secundo casu Principes summam habent auctoritatem impediendi exactiones curiæ Romanæ in regnis suis; quæ adeo perniciosæ olim fuere, ut Stephanus Tornacensis, jocose quidem, sed tamen exprobrans, scripserit in epistola CLXV. *Anglico plumbo teguntur Ecclesiæ, nudantur Romano.* (Vide Notas Baluzii ad ep. 13. Lupi Ferrar.) Piaculum esset in Gallia, si quis de hac potestate dubitaret post edicta sancti Ludovici Regumque Philippi Pulcri, Philippi Valesii, Caroli V. VI. & VII. & post varias constitutiones Regum subsequentium. Quod si nolint eas in universum prohibere, possunt tamen eis modum adhibere; ut quoad enthronistica usurpatum est a Justiniano, (Nov. 123.) & ab Isaacio Comneno quoad jura, quæ Presbyteri persolvebant Episcopo, a quo ordinabantur. Cum autem inita sunt Concordata, annatarum & provisionum beneficiorum sumptus reducti sunt ad certum quendam modum; adeo, ut nisi Romæ observetur, Rex possit prohibere, ne nova exactio superponatur.

XIV. Quod si negotium istud paulo liberalius tractare visum fuerit, rogandus erit summus Pontifex, ut remittat nova illa subsidia veteribus annatis addita, ipseque rationem habebit querelarum, quæ fient adversus ministros curiæ Romanæ. Hujus rei exemplum dedit Canutus Rex Anglorum; qui religionis causa Romam petiit, obtinuitque, ut Episcopi Angliæ liberi essent a solvendis pecuniis, quæ ab eis exigebantur ratione Pallii: (Willelmus Malmesbur. de Gestis Reg. Anglor. lib. 2. c. 11.) *Conquestus iterum sum coram Domino Papa & mihi valde displicere dixi, quod mei Archiepiscopi in tantum angariabantur immensitate pecuniarum, quæ ab eis exigebantur, dum pro Pallio accipiendo secundum morem apostolicam sedem expeterent; decretumque est, ne deinceps fiat.*

XV. At Gallia anno MDXXXII. remedium his malis sibi parare studuit, (Tit. 22. Libert. Ecclef. Gallic. num. 30.) propositis nimirum & explicatis summo Pontifici incommodis, quæ proveniebant ex novis illis & indebitis exactionibus, quæ Romæ exigebantur pro expeditione bullarum, præter annatas, quæ modum excedebant, & quarum solutio in necessitatem versa erat; quarum rerum proponendarum cura demandata est illustrissimis Cardinalibus Turnonio & Gramontio. Sed in *Instructionibus*, quas vocant, sive mandatis, quæ eis data sunt, habetur, Regem rogatum fuisse, ut Ecclesiam Gallicanam congregaret, quo finis imponeretur his rebus honesto prorsus & decoro adversantibus, utque cuncta revocarentur in eum statum, in quo erant antiquitus, noluisse tamen Principem convocare cœtum illum, vitandis consequentiis; quia spem conceperat, futurum, ut summus Pontifex toleraturus non fuerit novas illas & indebitas exactiones.

Num. 34. Anno MDLXI. Præses Ferrerius ad Pium IV. summum Pontificem missus est, ut ei significaret querelas a comitiis Aurelianensibus Regi Carolo IX. propositas adversus annatas & præventiones; rogaretque Pontificem, ut querelarum hujusmodi causam exscinderet, quandoquidem annatæ illæ prohibitæ fuerant variis Regum prædecessorum ejus constitutionibus, velut contrariæ libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ; cum præsertim ab academia Parisiensi aliisque regni academiis responsum fuisset, eas exigi non posse absque enormi simonia. Quantum autem ad Concordata; mandatum est Ferrerio, ut differeret, ea per metum magis quam alio modo fuisse recepta, neque aliter publicata fuisse, quam vi necessitatis, ideoque illa officere non posse libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ. Sed nullam video necessitatem, quæ cogere possit, ad ea extrema deveniri, ut Concordatorum nullitas allegetur; Quippe nihil vetat, quin valeant, ut supra adnotatum est. Præterea, si id e republica esse videatur, cessare possumus a solutione annatarum, nulla prorsus a nobis vi facta huic pactioni.

Anno MDLXXXVII. Rex Henricus III. Romam misit illustrissimum Cardinalem a Joyosa Protectoris negotiorum regiæ majestatis officium illic impleturum. N. 38. Ei autem dedit in mandatis, ut se opponeret novis pecuniarum exactionibus, quas Datariæ ministri meditabantur pro expeditione beneficiorum hujus regni. Eodem anno Parlamentum Parisiense decreto vetuit, ne Banquarii & Sollicitatores majorem pecuniarum summam pro expeditionibus Romanis solverent, quam eam, N. 39. quæ solita erat.

CAPUT XIII.

De Synodis provincialibus & jure Metropolitanorum circa illas.

SYNOPSIS.

I. Duo genera synodorum provincialium. Quæ sint provinciales, quæve nationales.

II. Convocatio synodi provinciæ pertinet ad Metropolitanum. Plenaria est synodus, cui interest Metropolitanus. Concilia plenaria ex orbe universo.

III. Episcopi comprovinciales tenentur convenire ad locum, quem Metropolitanus jusserit. Qui accedere non poterant, vicarios mittebant; qui sententiam nomine eorum promebant, a quibus mittebantur. Panormitanus notatus.

IV. Synodus Agathensis excusat Episcopum, qui ob præceptionem regiam non adfuerit. Item Emeritensis. Synodus Turon. II. explicatur, quæ excusationem illam amitti prohibet.

V. Canon XX. Antiochenus explicatus ex canone XIII. Concilii Tarraconensis. Synodorum provincialium consessus explicatus in Concilio Toletano quarto.

VI. Concilium Emeritense jubet, ne vicariatus ad synodum detur Diaconis, sed Presbyteris. Tum ut synodus convocari non possit absque permissione regia. Quod etiam probatur ex Concilio Meldensi.

VII. Concilia provincilia celebranda sunt bis in anno. Discrimen inter synodum Nicænam & canones apostolicos, qui explicantur. Immutatus ordo vetus a Justiniano.

VIII. Olim in Gallia synodi illæ bis in anno celebrabantur. Secunda synodus Aurelianensis eas semel tantum haberi jubet. Institutum hoc fluxit ab Africanis. Eadem immutatio accidit in Hispania. Quam probat Gregorius magnus.

IX. Lege Capitularium revocati sunt prisci mores. Interrupti iterum ob bella civilia. Concilium Parif. an. 829. petit a Ludovico Pio, ut synodi bis in anno celebrentur; & synodus Lingonensis a Carolo Calvo. Concilium Lateranense eas semel in anno celebrari jubet. Longius abierunt posteriora Concilia. Canon ultimus synodi Matisconensis explicatus.

I. Deinceps de synodis provincialibus agendum est, quatenus coactæ sunt pro causarum judiciis. Constant autem vel ex Metropolitano cum Episcopis suæ provinciæ, vel ex Episcopis plurium provinciarum in unum corpus congregatis. Prioris generis synodi vocantur provinciales, aut metropoliticæ; posterioris vero, Concilia generalia, universalia, sive regionalia, & post Concilium Constantiense, nationalia. Antequam autem de istis agamus, breviter ac strictim tractare convenit de synodis primi generis, quæ aliarum origo sunt. Apud Cyprianum & Eusebium legimus, viguisse in antiqua Ecclesia Conciliorum provincialium celebra-

lebra-

lebrationem; metropoleon institutione ab Apostolis eo consilio facta, ut communio hæc inter Episcopos retineretur; cujus tamen certa firmaque constitutio facta est in Concilio Nicæno. Materia porro ista ad quatuor præcipua capita revocari potest. Primum, ad quem pertineat convocatio harum synodorum. Secundum, quonam tempore celebrari debeant. Tertium, quasnam causas in eis tractare oporteat, & cujus ponderis sint judicia illic reddita. Quartum, ob quam causam desierint hæc Concilia celebrari.

II. Conventum a Metropolitano convocandum esse, adeo verum est, ut Episcopi provinciæ non possint convenire absque consensu ejus, quemadmodum conceptis verbis definivit Concilium Antiochenum can. XX. ex versione Dionysii Exigui: *Metropolitano provinciales Episcopos admonente --- Nullis vero liceat apud se celebrare Concilia præter eos, quibus metropolitana videntur esse jura commissa*; ut vertit Hincmarus, juxta sensum verborum Græcorum. Nam Concilium illud perfectum est, cui Metropolitanus interest, ut in canone XVI. ejusdem Concilii legitur: *Perfectum vero Concilium illud est, ubi interfuerit Metropolitanus antistes*. Græcus contextus habet, τελείαν σύνοδον. Ferrandus autem Diaconus Carthaginensis in Breviario canonum plenariam synodum vertit in illo canone: *Ut synodus plenaria tunc dicatur, cum Episcopus Metropolitanus aderit. Concilium Antioch. tit. 16.* Recte itaque Augustinus Concilia œcumenica vocat *plenaria Concilia ex orbe universo*, ut ea distinguat a Conciliis metropoliticis.

Vid. Baluzii notas ad Agobard. p. 100.

Concil. Laod. c. 40. Παρεκτὸς εἰ μὴ δι᾽ ἀνωμαλίαν ἀπολιμπάνοιτο. Per ægritudinem, ut vertit Dionysius.

III. Tenentur autem Episcopi convenire ad locum, quem Metropolitanus jusserit sub pœna suspensionis a communione; ut statutum est in canone XL. Laodiceno, LXXVI. Africano, & XIX. Chalcedonensi. Placuit ea institutio Gallicanis Episcopis, qui eam retinendam esse censent in suis canonibus. Ita enim statutum est in Concilio Arelatensi II. habito circa annum CDXLIV. ubi prætere a decernitur, ut, si quis Episcoporum morbo præpeditus interesse non potuerit, vicarium pro se mittat. *Si quis commonitus infirmitatis causa defuerit, personam vice sua dirigat.* Praxis autem illa invaluerat antea; ut colligi potest ex canone XXIX. Concilii primi Arausicani, quod anno CCCCXLI. habitum est. Licentiam porro illam mittendorum vicariorum amplexæ sunt posteriores synodi Galliarum & Hispaniarum; in quibus leguntur subscriptiones Presbyterorum, hoc modo: *Missus a Domino Episcopo*, vel *Vicarius*, aut *vices agens*. Dubitandum non est, quin sententiam nomine eorum promerent, a quibus mittebantur, cum id satis constet ex epistola Aviti Episcopi Viennensis ad provinciæ suæ Episcopos, qua eos invitat, ut ad synodum veniant Epaonensem: *Duos Presbyteros magnæ ac probabilis vitæ mandati instructione firmatos fratribus pro se præsentare procuret. Sed tales dignetur eligere, quos Episcoporum Concilio non minus scientia, quam reverentia jure faciat interesse, cum quibus delectet (*) summos Pontifices conferre sermonem, quos definitiones pro Episcopo suo sanciendas subscribendasque cum fuerit solertia eligi, sit auctoritas legi. Sed istud non extorqueat, nisi summa necessitas.* Qui locus utilis admodum est ad confutandam opinionem Panormitani, qui existimat, Vicarios illos non habuisse jus suffragii in Conciliis provincialibus.

Conc. Arelat. 3. c. 18. 19.

Avit. epist. 80.

(*) i. e. Episcopos, ne quis heic aliud somniet.

IV. Synodus Agathensis celebrata anno DVI. excusationem, præter ægritudinem corporis, agnoscit etiam præceptionem regiam: *Postpositis omnibus, excepta gravi infirmitate corporis, aut præceptione regia, ad constitutum diem adesse non differant.* Unde Concilium Emeritense habitum anno DCLVI. hausit, quod in canone V. decrevit: *Aut per regiam jussionem injunctum acceperit aliquid agere, ut sit per quod Concilio non possit interesse.* Concilium Aurelianense III. habitum an. DXXXVIII. eidem pœnæ subjacere decernit Metropolitanum, qui moram adhibet in congregandis Episcopis, & Episcopos, qui ad synodum accedere recusant, nimirum, *ut anno integro Missas facere non præsumant.* Neque eorum excusationem admittit, qui alterius sortis fuerint, id est, alterius portionis regni, quod tunc in tetrarchias divisum erat: *Si absentiam suam divisione sortis crediderint excusandam.* Turonensis secunda synodus an. DLXVII. habita præcipit, ut Metropolitanus locum eligat, ad quem omnes Episcopi accedere teneantur sub pœna suspensionis a communione *usque ad majorem synodum*, nisi *ob infirmitatis certissimæ laborem* impediantur; adeoque severe cum iis agit, ut admittendam non esse pronuntiet excusationem, quæ impedimentum regiorum jussorum præferret. Quod Agathensi Concilio adversari videretur, nisi vera canonis hujus sententia spectaretur, quæ coercetur ad celebrationem synodi provincialis: quæ celebratio cum decreta sit in canonibus Nicænis, quorum protectores sunt Principes, æquum non est, ut prætextu constitutionum regiarum Episcopi violent antiquas illas institutiones. Adde, quod decretum illud Concilii Turonensis ea de causa factum est, ut iretur obviam conquisitis Episcoporum excusationibus, qui se regiis negotiis immiscere conabantur, quo abstinere possent ab officio suo. Id ea, inquam, de causa factum, non autem, ut repugnaretur mandatis Principis, quorum executio retardari non potest absque gravi damno rei publicæ.

Concil. Agath. c. 35. qui relatus est a Gratiano dist. 18. c. Si Episcopus.

Concil. Aurelian. 3. c. 1.

Neque per impedimentum ordinationis regiæ ... debeat a Concilio separari.

V. Concilium Tarraconense, habitum an. DXVII. usui esse potest ad explicandum canonem Antiochenum, quo præcipitur Presbyteris & Diaconis, atque insuper iis, qui se læsos existimant, ut ad synodum veniant. Metropolitanus enim ad Episcopos tantum mittit epistolas. Isti vero secum adducere debent, ex præcepto Concilii Tarraconensis, certum Presbyterorum numerum Ecclesiarum suarum cathedralium aliarumque Ecclesiarum diœcesanarum & aliquot insuper seculares personas: *Epistolæ tales per fratres a Metropolitano sunt dirigendæ, ut non solum de cathedralibus Ecclesiis Presbyteros, verum etiam de diœcesanis ad Concilium trahant, & aliquos de filiis Ecclesiæ secularibus secum adducere debeant.* Canonem illum non omisere in suis collectionibus Burchardus & Ivo. Ejus autem effectus deprehenduntur in Conciliis Galliæ & Hispaniæ; in quibus videntur Presbyteri cum Episcopis & laicis, & deinde cum Abbatibus. Sed de his agere non est hujus loci. Cujusmodi autem debeat esse consessus horum Conciliorum, nimirum, ut Presbyteri post Episcopos sedeant, & Diaconi stent, qua præterea ratione in iis tractanda sint negotia, recte explicatum est in canone III. Concilii quarti Toletani habiti anno DCXXXIII.

Concil. Antiochen. cap. 20. *In ipsis autem Conciliis adsint Presbyteri & Diaconi & omnes, qui se læsos existimant, ut synodi experiantur examen.*

Concil. Tarracon. c. 13.

VI. Sed prætermittere non debeo, Concilium Emeritense, in Lusitania habitum anno DCLXVI. duo decreta edidisse, quæ magni momenti esse mihi videntur. Primum enim prohibet, ne Episcopi ægroti vicariatum suum tribuant Diaconis, quibus non licet sedere inter Episcopos; eique rei destinandos præcipit Presbyteros frugi & sapientes. Deinde decernit, synodum provincialem convocari non posse absque permissione regia: *Tempore, quo Concilium per Metropolitani voluntatem & regiam jussionem electum fuerit agere.* Et in canone VII. *Comprovinciales Episcopi, dum a suo Metropolitano fuerint admoniti, præsentes esse debeant ad locum temporis debiti. Quæ res non extra regiam agitur voluntatem.* Necessariam esse in Gallia Regis permissionem, agnovit etiam Concilium Meldense, habitum anno DCCCXLV. *Ut Principes, juxta decreta canonum, per singulas provincias saltem bis aut semel in anno a Metropolitanis & diœcesanis Episcopis synodice conveniri concedant.*

Concil. Emerit. can. 5.

Concil. Meld. c. 2.

VII. Quoad tempus autem celebrationis Conciliorum, canon quintus Concilii Nicæni præcipit, ut illa bis in anno habeantur, quod in canone quoque apostolico XXXVII. statutum est, & in

Antio-

Antiocheno & Chalcedonensi Concilio. Discrimen porro reperitur quoad tempus celebrationis. Quippe Nicæna synodus primum conventum in quadragesima haberi præcipit, ante Pascha, secundum vero per autumnum. At canon apostolicus, quem sequitur Antiochenus, primum conventum agi jubet quarta septimana Pentecostes, id est, quarta septimana post festum Paschatis. Quippe quinquaginta dies, qui intercedunt a die Paschatis usque ad festum Pentecostes, quod quinquagenarium illum numerum claudit, comprehenduntur vocabulo Pentecostes in hoc loco, quemadmodum & in Actis Apostolorum, apud Tertullianum, & alibi. Primum igitur conventum quarta septimana post festum Paschatis agi jubet canon apostolicus, secundum vero mense Octobri, quod in titulo quoque septimo decretorum Leonis primi Papæ statutum reperitur. Verum Novella Justiniani celebrationem horum Conciliorum semel tantum in anno fieri concessit, quod etiam secuta est synodus in Trullo, & secunda Nicæna, utraque Græca.

Concil. Antiochen. c. 20. Male Gothofredus verba Justiniani in Nov. 137. c. 4. quæ sumpta sunt ex hoc canone Antiocheno, sic interpretatur, *quarta septimana*, i. e. die *Mercurii*; cum legendum sit. *Quarta septimanæ*.

Nov. 123. & 137 Synod. in Trullo c. 8. Septima Nic. c. 6.

VIII. Similibus mutationibus obnoxium in Gallia fuit illud tempus. Synodus enim Rejensis anno CDXXXIX. & Arausicana biennio post habita statuerunt, ut Concilia illa bis in anno celebrentur. Sed synodus secunda Aurelianensis eas semel in anno fieri decernit: *Ut Metropolitani singulis annis comprovinciales suos ad Concilium evocent*. Neque vero existimandum est, Gallos hujus institutionis formam mutuatos esse ex Justiniano. Nam præterquam, quod imperio ejus subjecti non erant, observandum est, Concilium illud fuisse habitum anno DXXXIII. cum Novellæ Justiniani, quarum auctoritate hæc canonum modificatio introducta est, anno tantum DXLI. editæ fuerint. In ea ergo sum sententia, ut existimem, utrosque formam hujus institutionis sumpsisse ex canonibus Africanis, qui semel in anno statuunt celebranda esse Concilia generalia Africæ, de quibus agam suo loco. Concilium Toletanum III. habitum anno DLXXXIX. hanc temporis præscriptionem secutum est cum quadam prudentia. Decrevit namque, ut auctoritas antiquorum canonum, quæ bis in anno præcepit Concilia congregari, inviolata permaneat. Et tamen, habita ratione longitudinis itinerum & paupertatis Ecclesiarum Hispaniæ, edicit, ut semel in anno Episcopi conveniant ad locum, quem Metropolitanus elegerit: *Ut stante priorum auctoritate canonum, quæ bis in anno præcipit congregari Concilia, consulta itineris longitudine & paupertate Ecclesiarum Hispaniæ, semel in anno, in locum, quem Metropolitanus elegerit, Episcopi congregentur*. Idipsum confirmavit sanctus Gregorius ad Episcopos Galliarum scribens: *Et quidem, quid de habendo bis in anno Concilio patrum sit regulis statutum, non latet. Sed ne forte aliqua impleri hoc necessitas non permittat, semel tamen in anno sine excusatione aliqua decernimus congregari; ut expectatione Concilii nihil pravum, nihil præsumatur illicitum. Nam plerumque, etsi non amore justitiæ, metu tamen examinis, abstinetur ab hoc, quod omnium notum est posse displicere judicio*.

Concil. Tolet. 3. c. 8.

Gregor. lib. 7. epist. 110.

IX. Antiquum jus restitutum est in Capitularibus: in quibus decretum est, juxta canones Antiochiæ & Chalcedonis, qui illic laudantur, ut Concilia provincialia bis in anno teneantur. Et quia tumultus in regno suborti eorum usu interruperant, Concilium Parisiense, habitum anno DCCCXXIX. distulit apud Imperatorem, hinc oriri gravem contemptum auctoritatis episcopalis, quoniam clerici, qui obedire nolebant, ordinariis correctionibus Episcoporum suorum, aures Imperatoris importune pulsabant. Ludovicum autem Pium orant patres, ut eis libertatem concedat bis in anno coeundi juxta canones, aut saltem semel, ut jus suum cuique tribuere possint. *Ob id ecclesiasticæ utilitati*, inquiunt, *magnum dispendium & principalibus auribus insolens impedimentum & multorum impunitas nascitur flagitiorum*. Infra: *Si hæc semel in anno per unamquamque provinciam celebrata fuerint, & honor ecclesiasticus vires ordinis sui obtinebit, & impudentia quorundam superborum clericorum, quæ passim auctoritate canonica calcata auribus imperialibus molestiam ingerit, cessabit*. Tum etiam Presbyteros, Diaconos, eosque qui se læsos existimant, ad Concilium accedere volunt: *Ut in ipsis Conciliis adsint Presbyteri & Diaconi & omnes, qui se læsos existimant, & synodi experiantur examen*. Quæ verba omnino descripta sunt ex canone XX. Antiocheno. Similia a Carolo Calvo postulavit synodus Lingonensis anno DCCCLVIII. Et Concilium quidem Lateranense sub Innocentio III. ea Concilia semel in anno celebrari præcepit. Sed longiorem moram præscripserunt Concilio Basileense & Tridentinum, & Constitutio Blesensis; quæ unoquoque triennio jubent ea Concilia convocari. Quod spatium definitum est ad exemplum Concilii Matisconensis secundi. Sed in eo aberratum est, ob hoc videlicet, quod canon ultimus illius synodi explicatus est de Conciliis provincialibus; qui tamen loquitur de Conciliis generalibus Galliæ, ut dicam inferius.

Capitul. lib. 1. c. 13.

Concil. Paris. lib. 1. c. 26.

Ordonnance de Blois.

CAPUT XIV.

De suprema Synodorum provincialium decidendi potestate, & quatenus postea infracta astutia Pontificum fuerit.

SYNOPSIS.

I. In synodis provincialibus agitabantur causæ ecclesiasticæ.

II. Majores causæ referebantur ad sedem apostolicam. Judicia synodorum provincialium, quæ lata erant de disciplina, supremæ erant auctoritatis, nec ab eis appellare licebat. Quid placitum Concilio Sardicensi: quod nihil detraxit de suprema Conciliorum provincialium auctoritate, quoad Presbyteros. Canones Sardicenses proferuntur a Zosimo Papa sub titulo Nicænorum.

III. Hic agendi modus offendit Afros. Status controversiæ proponitur. Verus canonis XVII. Sardicensis sensus adfertur. Explicantur verba epistolæ Concilii Africani ad Cælestinum. Balsamo notatus.

IV. Concilium Carthaginense vetuit, ne Presbyteri ad transmarina judicia appellent.

V. Suprema illa potestate fruebantur Concilia provincialia Galliarum. Probatur ex Innocentio primo.

VI. Et ex Concilio Francofordiensi. Cur ad hæc Concilia convenire jubeantur Comites.

VII. Conciliorum provincialium suprema potestas confirmata est in Concilio VIII. œcumenico.

VIII. Sub Carolo Calvo primum infracta eorum auctoritas, ob appellationes Presbyterorum ad sedem apostolicam. Transmarinum judicium, & transalpinum. Servandos canones admonet Carolus ad Joannem VIII. scribens.

IX. Quædam Ecclesiæ consentiebant, Presbyteros damnatos judicari in synodo Romana. Præclara distinctio Caroli.

X. Ecclesia Gallicana non pertinet ad specialem Diœcesim Romanam. Nicolai primi plenum calliditate consilium Episcopos Gallicanos ad Concilium Romanum invitantis. Ejus consilium eludunt Episcopi Gallicani. Quandonam ii teneantur accedere ad Concilium Romanum. Urget iterum Nicolaus, sed irrito conatu. Princeps jure proprio prohibere potest, ne Episcopi regni sui Romam accedant.

XI. Joannes VIII. Episcopos Gallicanos revocat ad observationem priscæ consuetudinis. Temperamentum Hadriani II. in causis Presbyterorum.

Eorum ſucceſſores appellationes Presbyterorum admiſere.

XII. Concilia provincialia poſſunt condere canones, modo contrarii non ſint canonibus Conciliorum generalium. Probatur variis exemplis ex Gallia & Hiſpania. Item ex auctore apologetici pro Decretis Gregorii ſeptimi.

XIII. Notatus Gratianus; a quo recedit auctor Gloſſæ. Seculi noſtri ſententia de auctoritate Conciliorum provincialium. Declarationes Cardinalium pro explicatione Concilii Tridentini non obtinent apud nos.

I. QUænam materiæ tractandæ ſint in his Conciliis provincialibus, definivit canon quintus Nicænus, itemque vigeſimus Antiochenus. In eum itaque cenſum referendæ ſunt cauſæ clericorum & laicorum, qui ab Epiſcopis ſuis excommunicati ſunt, accuſationes adverſus Epiſcopos, difficultates, quæ contingebant circa adminiſtrationem bonorum eccleſiaſticorum, & in univerſum, omnes controverſiæ & dubitationes, quæ ad ceremonias ſacrorum, perſonas & res eccleſiaſticas pertinent: *Propter utilitates eccleſiaſticas & abſolutionem earum, quæ dubitationem controverſiamque recipiunt.* Hæc autem omnia unico verbo complectitur Concilium Chalcedonenſe τὰ ἀνακύπτοντα, *quæ emerſerint*, ut vertit Dionyſius Exiguus, id eſt, negotia, quæ incidunt, quod in Novella conſtitutione CXXXVII. explicavit Imperator Juſtinianus.

Concil. Nic. cap. 5. Antioch. c. 20. τὰς τῶν ἀμφισβητουμένων διαλύσεις.

Nov. 137. c. 4.

II. Materiæ fidei, & majores dubitationes, quæ pertinebant ad aliquod caput diſciplinæ canonicæ, quod nondum ſatis explicatum eſſet, referebantur ad Papam in occidente per conſultationes, ut fuſe diſſerui in diſſertatione de judiciis canonicis Epiſcoporum. At judicia in ſynodis illis reddita quoad diſciplinam ſummæ erant auctoritatis, ut conſtat ex Concilio Nicæno, non ſolum quoad correctionem & depoſitionem Presbyterorum aliorumque inferioris ordinis clericorum, ſed etiam quoad depoſitionem Epiſcoporum. Itaque appellationi locus non erat, nullaque alia antiquitus ratio ſuppetebat damnatis, quam ut reſcripto Principis negotium retractaretur in majore ſynodo; quando videlicet agebatur alicujus Epiſcopi cauſa, aut aliquod negotium magni momenti. Ei auctoritati temperamentum in occidente adhibuit Sardicenſis ſynodus in gratiam Epiſcoporum gradu ſuo dejectorum; data nimirum licentia appellandi apoſtolicam ſedem, ut judicium renovetur in provincia, ſi Romanus Epiſcopus exiſtimaverit renovandum eſſe. Quoad vero Presbyteros & laicos excommunicatos nihil innovatum fuit, quoniam eorum cauſæ non erant ejus momenti, ut Romanus Pontifex appellari poſſet; ſicut nec in oriente conceſſa iis erat appellatio ad Patriarchas, ut patet ex canonibus Nicænis, Antiocheno ſexto, & nono Chalcedonenſi. Concilium inquam Sardicenſe nihil prorſus detraxit de ſuprema Conciliorum provincialium auctoritate quoad Presbyteros. Contra, eam canone XVII. firmavit adverſus iniquas quorundam Epiſcoporum molitiones, qui ferre non poterant Presbyterorum aut Diaconorum dejectorum querelas adverſus ipſos propoſitas apud ceteros Epiſcopos: *Habeat poteſtatem is, qui abjectus eſt, ut Epiſcopos finitimos interpellet, & cauſa ejus audiatur ac diligentius tractetur, quia non oportet ei negare audientiam roganti. Et ille Epiſcopus, qui juſte vel injuſte eum abjecit, patienter accipiat, ut negotium diſcutiatur; ut vel probetur ſententia ejus a plurimis, vel emendetur.* Interim tamen demandanda eſt executioni ſententia Epiſcopi, ut ait canon: *Tamen prius quam omnia diligenter & fideliter examinentur, eum, qui fuerit a communione ſeparatus, ante cognitionem nullus debet præſumere, ut cum communione ſociet.* Hujus canonis præjudicio, quem Legatus Fauſtinus tanquam canonem ſynodi Nicænæ protulerat, Zoſimus firmare conatus eſt cognitionem a ſe habitam de accuſatione Apiarii Presbyteri Africani a proprio Epiſcopo dejecti, exiſtimans videlicet, eum eſſe canonis illius ſenſum, ut Presbyteri excommunicati arbitrio relinquat querelam ſuam deferendi, ad quos voluerit Epiſcopos, modo provinciæ vicini eſſent; cujuſmodi eſſe Roma videbatur, habita ratione provinciarum maritimarum Africæ.

Vid. lib. 7. c. 15.

III. Quapropter canon ille offendit Afros; qui contenderunt, eum non eſſe recenſendum inter canones Nicænos ac nihilominus illum cauſæ cognitionem tribuere Epiſcopis provinciæ, non autem aliis, tametſi finitimis. Ita namque explicanda eſt interceſſio Novati Legati Mauritaniæ in Concilio Carthaginenſi: *Nunc meminimus hoc commonitorio etiam de Presbyteris vel Diaconibus contineri, qualiter audiri ab Epiſcopis ſuis vel finitimis debeant, quod in Concilio Nicæno minime legitur.* Itaque Afri juſſerunt conſuli authentica canonum Nicænorum exemplaria, quæ Conſtantinopoli & Alexandriæ ſervabantur. Interim vero præcipiunt obſervari canonem Sardicenſem, quoad appellationes Epiſcoporum ad ſedem apoſtolicam, in quo morem gerunt votis ſummi Pontificis. Idipſum de Presbyterorum appellationibus interim obſervari præcipiunt, ea tamen lege adjecta, *ut clericorum cauſæ apud ſuarum provinciarum Epiſcopos finiantur.* Igitur, quoad caput iſtud, præclare providebant ſuæ auctoritati, eluſis Romani Pontificis conſiliis, ſequuti videlicet inſtitutionem Concilii Milevitani, quod appellationes Presbyterorum judicari decreverat apud Primates provinciarum in Conciliis generalibus Africæ. Ceterum hoc Africanorum decretum viam aperuit novo Zoſimi beneficio in Apiarium: qui, interim dum authentica Concilii Nicæni exemplaria conquirebantur, iterum accuſatus, ac gradu ſuo dejectus, Romam appellavit; reſtitutuſque eſt a ſummo Pontifice, qui Fauſtinum Legatum miſit in Africam, ut Apiarium loco ſuo reddi procuraret. Sed repugnantibus Afris, inveſtigandum Fauſtino fuit, quonam modo oſtenderet, Zoſimum in ea cauſa competentem judicem fuiſſe. Neque enim obtendi poterat canon Sardicenſis, quem interim obſervandum eſſe conſenſerant Afri; quoniam eam conſenſui ſuo conditionem adjecerant, juxta genuinum canonis ſenſum, ut appellationem quidem tolerarent ad Epiſcopos comprovinciales, non autem indefinite ad Epiſcopos finitimos. Itaque Fauſtinus, ut reſtitui rurſus Apiarium ſuaderet, laudavit privilegia Eccleſiæ Romanæ, quæ in ſuam communionem receperat Apiarium, ac proinde nihil reliqui eſſe, quam, ut ab Afris pariter ſuſciperetur. Synodus tamen hujus allocutionis rationem non habuit; quod exiſtimaret, non debuiſſe Apiarium in communionem recipi a Zoſimo poſt appellationem, tametſi revera Apiarius probare non potuerit, ſe appellaſſe. Contra ſynodus repetita cognitione adeo reum variis interrogationibus urſit, ut crimen confiteretur. Narratio hæc colligitur ex epiſtola Concilii Africani ad Cæleſtinum ſcripta; tametſi quidam conentur contextum ejus corrumpere, & alio detorqueant ejus ſenſum; qui nondum ſincere explicatus eſt, neque etiam ſtatus controverſiæ ob canonem Sardicenſem motæ, qui Presbyterorum cauſam exequitur. *Nam primum, quantum obſtiterit* (Fauſtinus) *omni congregationi diverſas injurias ingerendo, quaſi Romanæ Eccleſiæ aſſerens privilegia, & volens eum* (id eſt, Apiarium) *in communione ſuſcipi, quem tua ſanctitas credens appellaſſe, quod probare non potuit, communioni reddiderat, quod minime tamen licuit &c.* Verſio Græca canonis Sardicenſis, quæ extat apud Balſamonem, ſincera non eſt; cum potius ſit paraphraſis interpretis, qui ſenſum aliquem tribuere conatus eſt verbis a ſe non intellectis. Voces enim illæ, *finitimos interpellet*, ſi generaliter accipiantur, confuſionem introducere poſſunt in politiam eccleſiaſticam. Quo factum eſt, ut interpres crediderit ſynodum Sardi-

Concil. Carthagin. can. 6.

Vetus interpretatio canonis Sardicenſ. Ἐχέτω ἐξουσίαν ἐπὶ τὸν ἐπίσκοπον τῆς μητροπόλεως τῆς αὐτῆς ἐπαρχίας καταφυγεῖν. εἰ δὲ ὁ

τοῦ μητροπολίτου ἄπεισιν, ἐπὶ τὸ πλησιόχωρον κατατρέχειν. Sardicensem non tribuere Presbyteris licentiam interpellandi Episcopos vicinæ provinciæ, nisi absente Metropolitano. Ea fuit causa, cur eum in versione sua addiderit contra ipsa verba canonis; de cujus fide dubitari non potest, cum Dionysii versio, &, quod in primis observandum est, Concilium Africæ in epistola ad Bonifacium eum nobis exhibeant clausula illa carentem.

Can. 28. Conc. Afric. IV. Concilium Carthaginense renovavit canonem Milevitanum, edicto ne Presbyteri *ad transmarina judicia*, id est, Romam, appellarent, sub pœna excommunicationis: *Non provocent ad transmarina judicia, sed ad primates provinciarum suarum, sicut & de Episcopis sæpe constitutum est. Ad transmarina autem qui putaverit appellandum, a nullo intra Africam ad communionem suscipiatur.* Quod fuse explicant idem Afri in epistola ad Cælestinum: *Presbyterorum quoque & sequentium clericorum improba refugia, sicut te dignum est, repellat sanctitas tua: quia & nulla patrum definitione hoc Ecclesiæ derogatum est Africanæ, & decreta Nicæna sive inferioris gradus clericos sive ipsos Episcopos suis Metropolitanis aperte commiserunt. Prudentissime enim justissimeque viderunt quæcunque negotia in suis locis, ubi orta sunt, finienda, nec unicuique provinciæ gratiam sancti spiritus defuturam; — maxime quia unicuique concessum est, si judicio offensus fuerit cognitorum, ad Concilia suæ provinciæ vel etiam universale provocare.*

V. Suprema illa potestate fruebantur Concilia provincialia Galliarum, jure tamen consultationis Ecclesiæ Romanæ servato in majoribus causis, ut constat ex celebri illo loco epistolæ Innocentii primi ad Victricium Episcopum Rothomagensem, cujus veram interpretationem investigavi in dissertatione de judiciis canonicis Episcoporum. Sic igitur

Innoc. I. epist. ad Victric. c. 3. scribit Innocentius: *Si quæ autem causæ vel contentiones inter clericos tam superioris ordinis, quam etiam inferioris fuerint exortæ, ut secundum synodum Nicænam, congregatis ejusdem provinciæ Episcopis, jurgium terminetur. Nec alicui liceat, (sine præjudicio tamen Romanæ Ecclesiæ, cui in omnibus causis debet reverentia custodiri) relictis his sacerdotibus, qui in eadem provincia Dei Ecclesiam nutu divino gubernant, ad alias convolare provincias.* Secundum hos canones & decreta veteres synodi Gallicanæ præcipiunt, ut clerici, qui de Episcopis suis conqueruntur, ad synodum accedant; ut patet ex Concilio Vasensi anni CDLXII. Arelatensi secundo anni CDXLIV. & Aurelianensi III. anni DXXXVIII.

VI. Ævo Caroli magni Conciliis istiusmodi conservata est suprema potestas in judicandis Abbatibus, Presbyteris, monachis, aliisque clericis, & [illegible] excommunicatis. Absoluta auctoritas est, id [illegible], cum ita factitatum fuisse doceat

Vide cap. 26. §. 2. & 3. Concilium Francofordiense generale, habitum anno [illegible] cui interfuit legatio Hadriani I. Papæ, & ad quod convenerunt Episcopi Galliarum,

Concil. Francoford. c. 6. Germaniæ & Italiæ, a Rege evocati. *Statutum est*, inquit, *a Domno Rege & sancta synodo, ut Episcopi justitias faciant in suis parochiis. Si non obedierit aliqua persona Episcopo suo de Abbatibus, Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, monachis, & ceteris clericis, vel etiam aliis in ejus parochia, veniant ad Metropolitanum suum, & ille dijudicet causam cum suis suffraganeis. Comites quoque nostri veniant ad judicium Episcoporum. Et si aliquid est, quod Episcopus Metropolitanus non possit corrigere vel pacificare, tunc tandem veniant accusatores cum accusato cum literis Metropolitani, ut sciamus veritatem rei.*

Constat igitur, hoc canone nullum appellationis genus relinqui a judicio Metropolitani. Excipit solum, ut, si post sententiam synodi supersit adhuc aliqua controversia, accusator & reus adeant Prin-

Vide cap. 25. §. 6. cipem cum literis Metropolitani; ut Rex cognitionem extrajudicialem causæ suscipiat, auctoritatemque suam tribuat pro executione rei judicatæ, aut protectionem suam subditis suis, si contingeret eos opprimi in injuriam legum & canonum, qua de re alibi accurate dissero.

Cur autem Comites, quos hic canon jubet interesse judiciis Episcoporum, ad hæc Concilia convenire debeant, docet præfatio Concilii Moguntini jussu Caroli magni habiti anno DCCCXIII. *Convenit nobis de nostro communi collegio clericorum seu laicorum tres facere turmas, sicut & fecimus. In prima turma consederunt Episcopi — legentes atque tractantes sanctum evangelium. — In alia vero turma consederunt Abbates ac probati monachi. — In tertia denique turma sederunt Comites & judices in mundanis legibus decertantes, vulgi justitias perquirentes, omniumque advenientium causas diligenter examinantes, modis, quibus poterant, justitias terminantes.* Unde colligitur, Comites ea de causa ad synodos convenire solitos, ut pro sua virili leges discerent, & ut seculares causas eorum definirent, qui undequaque ad conventus hujuscemodi accedebant. Præterea eorum præsentia necessaria erat ad terminandas lites, quæ forte exoriebantur inter clericos & laicos, quas ab Episcopo una cum Comite judicandas esse sancivit canon XXX. Concilii Francofordiensis: *Si forte inter clericum & laicum fuerit orta altercatio, Episcopus & Comes simul conveniant, & unanimiter inter eos causam definiant secundum rectitudinem.* Praxis autem illa introducta est a Concilio IV. Aurelianensi celebrato anno quingentesimo quadragesimo primo. Comites insuper lege Capitularium tenentur adjuvare Episcopos *ad justitias faciendas*. Concil. Aurelian. IV. c. 20. Addit. III. c. 54. §. 64.

Concilium Parisiense habitum an. DCCCXXIX. manifeste probat, viam appellandi ad sedem apostolicam nondum fuisse apertam per illas tempestates, cum doceat, clericos ab Episcopis suis castigatos querelas suas ad Regem deferre solitos, quando synodi provinciales non habebantur. Concil. Paris. c. 26.

VII. Suprema Conciliorum provincialium potestas confirmata est disertis verbis in canone XXVI. Concilii octavi œcumenici, quod anno DCCCLXX. in urbe Constantinopolitana habitum est adversus Photium ejusdem urbis Patriarcham, cui præfuerunt Legati Hadriani secundi summi Pontificis. Ac licet Galli Concilium illud non admisissent, summi tamen Pontifices, post suam electionem, ejus observationem jurejurando promittebant, non secus ac superiorum septem Conciliorum. Canon ergo ille causas Episcoporum distinguit a causis Presbyterorum & aliorum clericorum; decernitque, ut Episcopi judicentur in synodo patriarchali. Appellationes autem Presbyterorum a suis Episcopis dejectorum a Metropolitano & synodo provinciali præcipit judicari, *ad confirmandum scilicet sine omni suspicione, vel destruendum, per generalem synodum, &, multorum sententia, clerici depositionem*. Hic autem canon Latine tantum habetur ex versione Anastasii Bibliothecarii, qui synodo intererat, quique synopsin ejusdem canonis confecit verbis ambiguis: *Quod clericus depositus, vel injuriam passus ab Episcopo suo, potestatem habeat recurrere ad majores Ecclesiæ catholicæ Principes, id est, ad summos Pontifices.* Quibus vocibus heic significantur Metropolitani, ut patet ex verbis canonis. Generalis autem synodi vocabulo utitur Anastasius ad significandum provinciale Concilium, & ut illud opponat synodo diœcesanæ.

VIII. Extremis annis regni Caroli Calvi vis prima illata est auctoritati Conciliorum provincialium. Presbyteri enim depositi & pœnitentiæ subjecti, qui nec judicio Episcoporum suorum acquiescere volebant, nec Metropolitanum interpellare, Romam proficiscebantur; illincque literas canonibus adversas deferebant, in quibus citra ullam causæ cognitionem judicia Episcoporum rescindebantur, & judices Romam vocabantur, sententiæ suæ rationes illic allaturi. De hoc enim usu cum Joanne octavo expostulat Carolus Calvus Imperator in epistola ad eum scripta, cujus auctor est Hinc-

marus Remensis Archiepiscopus: in qua illud quoque additur, nolle Episcopos agnoscere auctoritatem harum litterarum, quas existimabant concessas fuisse a ministris, commotis videlicet misericordia quadam querentium, neque sibi persuadere posse, eas jussu Pontificis fuisse decretas. *Transalpinarum regionum Presbyteri*, inquit, *a suis Episcopis de certis criminibus ab ordine sacerdotali dejecti & pœnitentia subacti sine licentia & conscientia Primatuum suorum huc venire & hinc epistolas, quæ regulis non conveniunt, referre cœperunt. Quas non jussione apostolica, sed ut assolet etiam in republica, propter multiplicia reclamatorum negotia, quorumcunque ministrorum pia miseratione factas & nos & illius regionis putant Episcopi.* Tum in capitibus XIII. XIV. XV. XVI. & XVII. Imperator probat, debere Presbyteros judicari ab Episcopis & a synodo provinciæ, si querela moveatur, ita namque decretum in Conciliis Nicæno, Antiocheno, Sardicensi, Constantinopolitano & Chalcedonensi, neque licitam esse provocationem ab eis judiciis, ut synodus Carthaginensis disertis verbis definivit dicens: *Transmarinum judicium non erit ratum.* Quo loco Hincmarus ita adnotat, in gratiam Francorum, *quod tantundem est*, *Transalpinum*, & hanc praxim usque ad sua tempora obtinuisse affirmat: *Hæc itaque* (inquit ille in capite XIX.) *transalpinis Ecclesiis earumque rectoribus ---- de Presbyterorum ac Diaconorum appellatione, si de judiciis Episcoporum suorum questi fuerint, ad comprovinciales synodos & dijudicatione regulari eorum in iisdem synodis, ante longissime ætatis annos usque ad nostra tempora servata & a decessoribus ac prædecessoribus eorum secuta & executa fuerunt.* Unde colligit, epistolas illas, quas ex Urbe Presbyteri adferebant, cum canonibus essent contraria, a sede apostolica datas non fuisse, quæ sibi contraria esse non potest, id est, decreto Papæ Gelasii, qui scribit, eam sedem *præ ceteris* exequi canones Conciliorum: *Quas epistolas sacris regulis obvias nec auctoritate apostolica fuisse missas, sed compilatas quorumcunque vafricia credimus. Non enim sibi ipsi sedes apostolica potest esse contraria vel diversa.* Demum in cap. XXIV. & XXV. Joannem Pontificem alloquens concludit, auctoritatem pontificiam & imperatoriam potestatem debere sollicite considerare, quid ab eorum prædecessoribus decretum fuerit circa observationem legum & canonum, eosque inviolabiliter custodire, ut ratum firmumque esse faciant, quicquid ipsi secundum leges & canones statuerint: *Et servando, quæ legaliter & regulariter gesta sunt, rata esse faciamus, quæ legaliter & regulariter jusserimus.*

Hincmar. ep. 9. c. 2.

Vide lib. 4. c. 6. §. 4.

Cap. 26. *Ab Episcopis transalpinis Presbyteri regulariter judicati ad hanc sanctam Romanam sedem inscii suis Episcopis veniunt, & eis epistolas eorum refragantes judicia deferant; eosque vel commonitores illorum ad hanc sedem ad conquerendum contra eos venire præcipiunt. Quod nullis antiquorum legibus vel patrum regulis decretum fuisse legimus.* Cap. 21.

IX. Francorum desiderio opponebatur consuetudo aliarum Ecclesiarum, quæ Presbyteros damnatos consentiebant in synodo Romana, cui Episcopi eorum interessent, judicari. Excipit Imperator præclare admodum, disparem esse rationem Episcoporum Romanæ urbi vicinorum & eorum, qui trans Alpes essent, illos quippe a Papa consecrari, & ad ejus synodum pertinere, quo secundum canones accedere tenentur, ideoque interesse posse examinandis querelis, quas eorum Presbyteri proponunt, at transalpinorum aliorumque, qui in longinquis regionibus commorantur, diversam esse causam, canones & decreta Pontificum nihil aliud ab eis exegisse, quam id, quod possibile fuerit, & quod auctoritati canonicæ pacique ecclesiasticæ consentaneum foret, nunquam adactos transalpinos Episcopos ad iter Romanum pro quæstionibus Presbyterorum, quamquam fortassis ita usurpatum quandoque fuerit quoad alios, qui ad specialem Episcopi Romani Diœcesim pertinebant: *Potest fieri, ut illi, qui in vicinis provinciis sunt hujus sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quique juxta sacras regulas ad manus impositionem & ad synodos huc convenire solent, ipsi pro reclamatione contra Presbyterorum suorum ad præfatam examinationem conveniant, sicut sacri canones ac leges præcipiunt, ut ad Primatum cujusque provinciæ, qui negotia videntur habere, concurrant, vel ad synodum, qui se læsos existimant, quo non sit difficile testes adhibere, invitentur. Transalpinis autem & aliis, qui in similiter longinquis regionibus commorantur, apostolica sedes & sacrorum canonum promulgatores, loquente in eis sancto spiritu, quæ sunt unicuique provinciæ possibilia & auctoritati convenientia atque paci Ecclesiæ congruentia tenenda & exequenda discretissime præfixerunt.* Infra: *Legimus etiam, quamvis rarissime, præceptum a sede apostolica, quosdam de longinquioribus parochiis specialis Diœceseos Romani Pontificis, ad cujus sollicitudinem universalis Ecclesia pertinet, propter contumaces contentiones aliquos invitatos fuisse. Sed de transalpinis regionibus, quibus decreta privilegia servari debent, tale quid pro Presbyterorum & Diaconorum appellatione a sede apostolica præceptum fuisse non legimus.*

In dicta epistola Hincmari c. 31.

Cap. 32.

X. Exceptio illa, nimirum Ecclesiam Gallicanam non pertinere ad specialem Diœcesim Romanam, id est, neque ad consecrationem Episcopi Romani, nec ad ejus synodum, tametsi sedem apostolicam coleret, velut particulare caput occidentis, & etiam tanquam caput Ecclesiæ universæ, exceptio inquam illa prorsus legitima erat. Prudenter itaque Nicolaus primus conatus est efficere, ut Episcopi Galliarum ad Concilium Romanum convenirent, ut ea ratione eandem in Gallia & in universo occidente patriarchalis jurisdictionis amplitudinem constitueret, quam Patriarchæ orientis possidebant in sua quisque Diœcesi. Hi autem Metropolitanos omnes evocabant ad synodum patriarchalem, juxta canones Constantinopolitanos & Chalcedonenses, Justinianique Novellas. Ea itaque de causa literas ad Episcopos Galliarum & Germaniarum scripsit, ut eos ad Concilium Romanum, anno DCCCLXV. celebrandum, evocaret, quæ redditæ illis fuere cura Regum Caroli Calvi & Ludovici. At Episcopi, qui Nicolai consilium intellexerunt, nihil suo nomine responderunt, sed scribi ad eum procuravere a Regibus suis, qui protectores sunt libertatum Ecclesiæ. Igitur Principes scripserunt, non potuisse Episcopos accedere ad Concilium ob brevitatem temporis & ob pericula itinerum, & ob id etiam, quod occupati essent pro tuitione regni adversus piratas. Quibus addunt, nullam esse necessitatem, quæ Episcopos cogat Romam mittere, ut Concilio intersint, *Ut Episcopos de regnis vestris Romam mittendi necessitas non postulet*, ut ait Nicolaus in sua ad Reges epistola, qui ex his verbis colligit, nolle Episcopos mandatis suis obedire: *Sed intelligi datur eos monitis nostris non velle parere.* Nam Reges tanquam rem certam existimant, Episcopos suos non pertinere ad corpus Concilii Romani, atque ideo non teneri ad illud accedere toties quoties eos evocari contingit, sed tantum, si ea necessitas incidat, ut Concilium œcumenicum sit celebrandum.

Nicol. ep. 26. ad Ludov. Germaniæ & Carolum Calvum Reges.

Bilem Nicolai commovit hæc responsio; qui repræsentat, communi consensu provideri posse necessitatibus Ecclesiæ, si Episcopi venirent ex provinciis ad Concilium Romanum. At diversa ratio prohibebat Reges nostros & Episcopos Galliarum, ne illuc accederent. Quippe illic lex ipsis imposita fuisset; contendissentque Pontifices, canones in eo Concilio conditos executioni demandandos esse citra novum examen, cum eis decernendis accessisset consensus Episcoporum Gallicanorum. Secus eveniebat, quando Concilia habebantur intra Gallias. Causæ enim in eis agitabantur ex sententia & consensu Regis & omnium ordinum; & si quid a Roma mittebatur, deliberationi Concilii obnoxium erat. Mitigatus tandem est animus Nicolai quoad jura Regum in Episcopos. Agnoscit enim, eam illis auctoritatem inesse, ut prohibere possint, ne Episcopi Romam accedant, neque id ullo modo exprobrari posse Episcopis, si obsequio suo prohibitionem exequantur. Attamen contendit,

posse

posse Reges vituperari, si ea auctoritate abutantur. *Quod si quis ex confratribus nostris Episcopis talia nobis misissent, habueramus, qualiter illos reprehendere & arguere deberemus; excepto si regalem magnitudinem vestram sibi impedire dixissent, in vobis hoc reprehendere & corrigi debere videretur.* Videbimus postea in capite XVI. quid sexennio post in octava synodo tentaverit summus Pontifex adversus jura regni Francici.

XI. Et Joannes quidem octavus videtur majorem antiquarum institutionum curam habuisse post acceptam Caroli epistolam, quam decreto Concilii octavi inniti conspiciebat. Quippe Sigebodo Narbonensi Archiepiscopo exprobrat facinus quorundam Episcoporum provinciæ Narbonensis, qui Presbyterum quendam accusatum ad sedem apostolicam accedere jusserant, interim vero eum suspenderant, ac *quibusdam eptitimiis*, id est, pœnitentiis, oneraverant, donec aliter summus Pontifex statuisset. Porro ea de causa Presbyterum illum Romani Episcopi judicio commiserant, quod, ut ait Pontifex, causa dubia esset. Addit vero, recte illos ita agere potuisse, si ea in *plenario Concilio* (quem loquendi modum hausit e Ferrando Diacono) examinata, constitisset esse difficilem, eo enim in casu consuli potuisse sedem apostolicam secundum antiquam consuetudinem: *Ut ita facta scripto relatione*, inquit, *si quid dubium sibi seu difficile ingessisse videretur, nostrum super hoc more prisco decretum exposcerent.* Quapropter Joannes cognitionem illam ab eo Metropolitano suscipi jubet, ut jure proprio eam definiat cum collegis suis: *Ergo saltem nunc fraternitas tua Metropolitani jure potita ex Episcopis sub se degentium vel vicinorum sex, una cum Episcopo, cujus est iste parœcia, sibi socians, tantum negotium subtili ventilet discussionis ventilabro, & invento, quod justum est, canonice decernat, & communi fratrum censura definiat.*

Apud Ivonem parte 10. c. 26.

Hadrianus secundus Joannis octavi decessor quandam moderationem adhibuerat in causa Herlefridi Presbyteri, qui provocaverat a judicio Episcopi sui ad sedem apostolicam tanquam ad caput omnium Ecclesiarum. Nam laudato Carolo Calvo Rege, qui Presbytero illi permiserat iter Romanum, æquum esse censet, ut injusta sententia ab Episcopo lata in Concilio civitatis irrita esse jubeatur in Concilio provinciali, Hincmari Archiepiscopi auctoritate: *Quod præsentem Presbyterum Herlefridum, potestate sui Præsulis plus quam canonica veritate perculsum, ad sedem apostolicam, utpote caput omnium Ecclesiarum, venire passi estis, bene quidem fecistis. Sed nunc melius faceretis, si, quod in civili Concilio apud suum Episcopum perperam gestum est, in provinciali synodo apud vos rationabiliter & apud fratrem nostrum Hincmarum Archiepiscopum cassaretur.* Tum id quoque Regi tribuit, ut eundem Presbyterum procuret Ecclesiæ suæ reddi usque ad celebrationem synodi; vel Episcopum cogat Romam mittere Legatum, quo, parte utraque audita, statuatur prout justum visum fuerit, quemadmodum constat ex epistola Hadriani scripta anno DCCCXIX. Agnoscit itaque auctoritatem Metropolitani, cui negotium istud judicandum relinquit; ac tamen indicat, cupere se, ut causa apud sedem apostolicam judicetur, si Rex ita pateretur. Ejus tamen arbitrio rem integram permittit.

Epist. 13. Hadr. ad Carolum Calvum.

Hadriani & Joannis successores, ruptis canonum cancellis, appellationes Presbyterorum admisere; adeo ut Gregorius VII. in decretis suis, quæ vulgo *Dictatus Papæ* dicuntur, hoc quoque præcepérit: *Ut nemo audeat condemnare apostolicam sedem appellantem.* Quod in jus commune versum est in Decreto Gratiani & in libris Decretalium.

XII. Quæri solet, utrum præter exercitium illud jurisdictionis Conciliis provincialibus inesset potestas condendi decreta canonica. Et in praxi quidem veteris Ecclesiæ dubitari non potest, quin ita fieri posset, modo tamen ea decreta contraria non essent canonibus Conciliorum generalium. Exemplo erunt Concilia Gallicana. Valentia quippe synodus coacta anno CCCLXXIV. cui interfuerunt Episcopi provinciæ Viennensis, decreta sua misit ad universos Episcopos Galliarum & Quinque provinciarum. Ita pariter synodus Rejensis in secunda Narbonensi coacta anno CCCCXXXIX. Arausicana prima anno CCCCXLI. Vasensis anno sequenti, Andegavensis in provincia Turonensi anno CCCCLIII. Venetensis in eadem provincia anno CCCCLXV. Arelatensis quarta anno DXXIV. Carpentoratensis in eadem provincia anno DXXVII. Synodus Arausicana secunda habita anno DXXIX. provincialis item erat; sed tamen canones suos edidit adversus Pelagianos, *juxta capitula ab apostolica sede transmissa;* ut adnotatum est in præfatione synodi. Eodem anno Vasensis synodus in eadem provincia suos etiam canones edidit. Synodus Antissiodorensis ab Aunachario Episcopo celebrata anno DXC. cum Abbatibus & Presbyteris suæ diœceseos XLV. canones edidit, tametsi unius Episcopi synodus esset. Concilium Metense habitum anno DCCCLXXXVIII. in quo XIII. canones editi sunt, provinciale item est, celebratum ab Archiepiscopo Treverensi cum suis suffraganeis Episcopis provinciæ Belgicæ. Concilium Troslejanum prope Augustam Suessionum convocatum fuit ab Heriveo Archiepiscopo Remensi, cui interfuerunt Episcopi provinciæ Remensis. In eo editi sunt canones quindecim.

Hispanis quoque magni momenti semper visi sunt canones editi in suis Conciliis provincialibus. Argumento erunt Concilium Eliberitanum anno CCCV. coactum, in quo decreti sunt canones octuaginta & eo amplius, Cæsaraugustanum in provincia Tarraconensi habitum an. CCCLXXX. Bracarensia primum & secundum in Gallæcia habita annis DLXIII. & DLXXII. & Lucensia ejusdem provinciæ & eodem ferme tempore celebrata, quæ provinciam illam in duas metropoles divisérunt tempore Regum Suevorum, Narbonense habitum anno DLXXXIX. sub Recaredo Rege, qui Narbonensem provinciam obtinebat velut membrum coronæ Hispanicæ, Hispalense primum anno DXC. & secundum anno DCXVIII. cui præfuit Isidorus Metropolitanus, cujusque canones referuntur ab Ivone & Gratiano.

Sane adeo verum est & manifestum, inesse Conciliis provincialibus auctoritatem ad condendos canones, ut & ipse auctor apologetici pro decretis Gregorii VII. editis in Concilio Romano anno MLXXIV. tametsi prorsus addictus Gregorio, veritatem illam constituat inter axiomata disciplinæ canonicæ. Ait enim, decreta Conciliorum œcumenicorum observanda esse velut leges evangelicas, dein rationem etiam habendam canonum in synodis provincialibus editorum, modo contrarii non sint canonibus Conciliorum, quandoquidem eas bis in anno celebrari præcipiunt canones Nicæni, Constantinopolitani & Chalcedonenses: *Patet, quod authenticæ sanctiones etiam provincialia Concilia fieri præcipiunt. Quod in cassum præciperent, nisi & nos eorundem Conciliorum probabiles sententias observare decernerent. Unde & in tertio Toletano Concilio universali decretum est: Qui Concilia orthodoxorum Episcoporum consona sanctissimis quatuor Conciliis non recipit, anathema sit.* Præclare autem admonet idem auctor, persæpe magnos & egregios viros his Conciliis interfuisse, ac sicut temerarium esset contradicere opinioni illustrium horum virorum, ita tolerandam prorsus non esse eorum contumaciam, qui nolunt obsequi decretis ex sententia multorum sapientium statutis. *Ergo*, inquit, *multorum sapientium judicio non acquiescere multo magis est intolerabile, in his duntaxat capitulis, quæ prædictis authenticis statutis non adversantur, sed institutioni Christianæ religionis proculdubio suffragantur.*

Apologet. pro decret. Greg. VII. c. 2. & 4.

XIII. Quapropter merito reprehendendus est Gra-

Gratianus, qui novum jus introducere conatus est in Decreto suo, nimirum, posse quidem Concilia hæc causas judicare & criminibus debitas pœnas irrogare, non tamen novos canones condere, *non constituere aliquid vel definire*, ut ipse loquitur in dist. XVIII. Itaque auctor glossæ eum aperte redarguit, qui ita scribit ad hunc locum: *Illud non est verum. Quia Episcopi bene condere possunt canones episcopales, & Archiepiscopus provinciales. Sed de majoribus negotiis non possunt aliquid statuere*. Exceptio illa glossæ aperit genuinum sensum capitis *Concilia*, ex quo Gratianus sententiæ suæ fundamentum mutuatus est, quodque descriptum est ex apologetico Ennodii Ticinensis. Sed caput illud a me explicatum est in dissertatione de judiciis canonicis Episcoporum.

Dist. 17. cap. Concilia.

Sane Doctores nostræ ætatis non contradicunt huic auctoritati Conciliorum provincialium, modo eorum decreta consentanea sint juri communi, id est, juri, quod in Decretalibus continetur, juxta receptum loquendi modum. Tamen dissimulandum non est, Cardinales congregationis institutæ pro explicatione Concilii Tridentini auctoritatem illam quibusdam limitibus circumscripsisse, vim apertam inferendo verbis decreti Tridentinæ synodi, cum declarant, Concilia provincialia publicanda non esse, ante quam sedes apostolica consulatur: *Decreta, quæ in Conciliis provincialibus conduntur, publicari non debent inconsulto Romano Pontifice*. Sed Declarationes illæ vim legis non obtinent in Gallia.

Azor. Instit. moral. par. 2. lib. 3. c. 47.

Declarationes ad c. 2. Concil. Trident. de reform. sess. 24.

CAPUT XV.

Quando & qua occasione Concilia provincialia celebrari desierint?

S Y N O P S I S.

I. Concilia provincialia celebrari desierant tempore Concilii Chalcedonensis. Idem de sua ætate testantur Justinianus, Zonaras, Balsamo, & Matthæus Blastares.

II. Hujus desuetudinis origo debetur institutioni Conciliorum patriarchalium; quæ singulis annis celebrantur, & quibus omnes Metropolitani interesse tenebantur. Canon Concilii octavi omnino conditus adversus Episcopos Gallicanos. Verum Concilium illud receptum non fuit in Gallia.

III. Diutius Ecclesia occidentalis retinuit morem celebrandorum Conciliorum provincialium. Cur tandem ab iis celebrandis abstinuerint Episcopi. Eorum usum restituere tentavit Innocentius III. irrito conatu.

IV. Quid Concilio Basileensi & Tridentino placitum.

V. Edictum Blesense præcipit, ut Concilia provincialia tertio quoque anno habeantur. Verum nihil horum observatum est hunc usque. Et tamen valde optandum esset, ut celebrandorum Conciliorum provincialium consuetudo revocaretur.

I. SI quis autem curiose inquirat, quibus tandem de causis celebrari desierint Concilia provincialia, reperiet, morbum hunc in universa Ecclesia, non solum occidentali, sed etiam orientali, grassatum esse, atque adeo causam debere esse communem. Adnotatum namque est in canone XIX. synodi Chalcedonensis, Concilia illa desiisse celebrari per illas tempestates: *Pervenit ad aures nostras, quod in provinciis statuta Episcoporum Concilia minime celebrentur, & ex hoc plurima negligantur ecclesiasticarum causarum, quæ correctione indigent.* Sed exprobratio illa, ab œcumenico Concilio facta, parum profuit. Quippe Justinianus octuagesimum post annum admonet in Novella CXXXVII. canones, qui præcipiunt celebrationem Conciliorum provincialium, observatos non fuisse usque ad ætatem suam: *Quando autem, quod in Canonibus cautum est, synodis sanctissimorum Episcoporum per singulas provincias congregandis huc usque minime observatum est*. Apud Græcos congregandorum Conciliorum provincialium statuta renovata sunt auctoritate canonum synodi in Trullo & secundæ Nicænæ. Attamen Zonaras observavit, ea adeo ætate sua (id est, ad annum MCLXXX.) neglecta fuisse in oriente, ut nuspiam ea Concilia haberentur. Quod Balsamo quoque, qui anno MCXC. vivebat, pro ætate sua testatur; & pro sua item Matthæus Blastares, qui circa annum MCCC. floruit.

Nov. 137. c. 4.

Zonaras & Balsamo in comm. ad Cano. V. Nicæn.

II. Ac mihi quidem inquirenti in causas hujus desuetudinis, nulla alia occurrit præter celebrationem Conciliorum patriarchalium, quæ singulis annis congregabantur a Patriarcha, cuique interesse debebant Metropolitani juxta canones Concilii CP. & Novellam constitutionem Justiniani, qui Metropolitanos istiusmodi brevi descriptione explicat. Episcopi, inquit, qui a Patriarcha ordinantur, & ipsi jus habent alios ordinandi, id est, Metropolitani, ut explicat Photius in Nomocanone. Quapropter tollenda est negatio, quæ adjecta est in contextu Novellæ, *hi, qui non habent jus alios Episcopos ordinandi*; ac prorsus legendum, *qui habent jus*. Illud autem incommodum ex eo sequebatur, quod Concilia illa generalia patriarchatus impediebant, ne particulares provinciarum synodi haberentur, ut in Concilio octavo œcumenico propositum est. At synodus octava difficultatem sustulit, jubendo, ut, si utraque Concilia haberi non possint, Metropolitani teneantur præferre Concilium patriarchale, ad quod accedere teneantur, cum evocati fuerint a Patriarcha, in hoc enim Concilio judicandas esse omnes causas, non solum unius provinciæ, sed etiam totius patriarchatus. Quo unico decreto tacite concessa est libertas abstinendi a celebratione Conciliorum provincialium. Clausulæ, quæ sequuntur in canone, additæ sunt in gratiam Patriarcharum. Quippe jubetur, ut Metropolitani nullam rationem habeant mandatorum Principum, si forte contingeret eos vetari, ne ad synodum Patriarchæ accederent. Et quia in occidente omnes Metropolitani non consecrabantur a Patriarcha, statuitur, ut omnes Metropolitani, qui aut impositionem manuum aut Pallium a Patriarcha acceperint, teneantur accedere ad ejus Concilium. Duo illa capita ostendunt, canonem illum adversus Episcopos Gallicanos decretum esse juxta suggestiones Legatorum pontificiorum. Ii autem eo consilio illum canonem condi procurarunt, ut a Concilio œcumenico firmata esse videretur Nicolai primi nova molitio sexennio ante prolata. Tum, ut Episcopos Gallicanos hac sententia percelli procurarent: qui, ne ad Concilia ordinaria patriarchatus Romani convenire cogerentur, & ut impositas Episcopis Italiæ conditiones detrectarent, eas excusationes adferebant, neque accipere se manuum impositionem ab Episcopo Romano, & præterea a Principibus impediri, ne ad synodos illas accedant. Convellebat præterea idem canon aliam consuetudinem Galliæ, quoad Concilia generalia regni, qua de re dicetur in alio loco hujus dissertationis. Verum Concilium illud receptum non fuit in Gallia, ut Ademarus Cabanensis adnotavit, quod quædam capita edidisset contra antiquos canones, tum pro imaginum adoratione, tum etiam in gratia summi Pontificis, ut ait hic auctor: *In qua synodo de imaginibus adorandis aliter quam orthodoxi Doctores ante definierant, statuerunt; quædam etiam pro favore Romani Pontificis, qui eorum votis de imaginibus adorandis annuit, quædam contra antiquos canones & contra decreta patrum, ut, qui ipsam synodum legerit, inveniet*. Itaque ex congregatione Conciliorum patriarchalium consequebatur per consequentiam pene necessariam cessatio Conciliorum provincialium. Sed aliunde eisdem Conciliis ingens pernicies imminebat.

Vide lib. 2. c. 17. §. 3.

Vide Annales S. Bertini ad an. 872.

Quippe appellari poterat ab eorum judiciis ad Concilium patriarchale; quod etiam persæpe invocabatur, *omisso medio*. Octava synodus huic morbo medicinam adhibere tentavit canone XXVI. quo suprema in Presbyteros judicia permittuntur synodis Metropolitanorum. Verum transmissa hujus canonis observatio effecit, ut synodi provinciales prorsus desierint in oriente; ut ex Zonaræ Balsamonis & Blastaris testimonio constat.

III. Diutius in Ecclesia occidentali viguit consuetudo celebrandorum Conciliorum provincialium, quoniam eorum auctoritatem sartam tectamque esse voluit occidens usque ad nonum seculum. Sed statim atque summi Pontifices abolere tentarunt supremam eorum in judicando potestatem, comminati sunt Episcopi, se ab eis celebrandis, quod inutilia futura sint, abstenturos. Hic est enim sensus Hincmari, Caroli Calvi nomine scribentis ad Joannem octavum, qui Presbyterorum ab Episcopis suis depositorum & rursum in synodis provincialibus damnatorum appellationes recipiebat: *Nihil prodest eos* (id est, Episcopos) *secundum sacros canones & decreta sedis Romanæ Pontificum pro accusatis Presbyteris de manifestis criminibus comprovinciales Episcoporum synodos frequentare; sed faciet licenter quisque Presbyterorum quod libet. Unde si fuerit redargutus, veniat Romam. Et quia pro singulis Presbyteris Episcopi transalpini regulariter judicatis missos dirigere & actionum documenta scribere non valent, nec testium necessarias personas tunc producere, fiducialiter poterit mentiens quisque innocentiam suam asserere, cum non erit, qui mendacia ejus possit refellere.* Cum itaque summi Pontifices pertinaciter contendissent, appellari posse ad sedem apostolicam, non solum a sententiis definitivis, sed etiam ab instructione, ac hujusmodi appellationes reciperent, Episcopi omnem horum Conciliorum curam abjecerunt, quæ nihil aliud ipsis adferebant, quam sumptus & dedecus. Eorum usum Innocentius III. decreto Concilii Lateranensis restituere tentavit. *Sicut olim*, inquit, *a sanctis patribus noscitur institutum, Metropolitani singulis annis cum suffraganeis suis provincialia non omittant Concilia celebrare; in quibus de corrigendis excessibus & moribus reformandis, præsertim in clero, diligentem habeant cum Dei timore tractatum; canonicas regulas, maxime, quæ statutæ sunt in hoc generali Concilio, relegentes, ut eas faciant observari.*

Hincmar. ep. 9. cap. 19. & 20. edit. Mogunt.

Decretum illud omni effectu caruit, quia remedium non adhibebat malo, quod ortum erat ex cessatione celebrandorum Conciliorum provincialium. Durandus Episcopus Mimatensis, qui centum post annis scribebat; fidem facit hujus desuetudinis, deque ea conqueritur: *Cum in Concilio Nicæno caveatur, quod per singulas provincias bis in anno Episcoporum Concilium teneatur, ut quæ corrigenda & reformanda in qualibet provincia fuerint, corrigantur & reformentur, & dictum salubre constitutum non servetur, videretur utile, quod per providentiam Concilii executioni debitæ mandaretur.*

Durandus de modo Concilii gen. celebr. Rubr. XI.

IV. Synodus Basileensis præcipit, ut ea Concilia celebrentur; quorum præcipuum fructum esse putat inquisitionum vitæ, morum & conversationis Episcoporum, lectionum canonum, & ut eorum, qui negliguntur, observatio præscribatur in provincia. Par cura fuit Concilii Tridentini, quod ea Concilia jubet tertio quoque anno celebrari.

Concil. Trid. sess. 24. de Reform. c. 2.

V. Eorum Conciliorum sanctitati æmulatur edictum Blesense: quod præcepit, ut Archiepiscopi synodos suarum provinciarum habeant tertio quoque anno, in quibus provideatur disciplinæ, morum correctioni, politiæ ecclesiasticæ, & institutioni seminariorum & scholarum, secundum formam in sanctis decretis præscriptam. Magistratibus autem adimit potestatem impediendi celebrationem horum Conciliorum. Quod si contingat, a rebus pro disciplina & correctione morum illic decretis appellari tanquam ab abusu, decernit, ut eorum executio retardari non possit prætextu illius appellationis. Verum nihil horum observatum est huc usque; quæ tamen prorsus obtinere deberent, resecatis & resciffis iis malis, quæ harum synodorum celebrationem interruperunt. Sane res eo temperamento constitui posse videtur, quod nec pontificiam auctoritatem lædat nec regiam.

Ordonnance de Blois article 10. & 24.

CAPUT XVI.

De origine Synodorum nationalium tam in oriente, quam occidente.

SYNOPSIS.

I. De Conciliis nationalibus. Inquiritur in eorum originem. De variis Diœcesibus imperii occidentalis & orientalis.

II. Earum Diœceseon administratio explicatur. Origo synodorum nationalium tribuenda est legi Impp. Valentis, Gratiani & Valentiniani. Anianus notatus. Variæ significationes vocis Diœcesis. Παροικία *quid. Ejus variæ significationes.*

III. Lex illa mire placuit personis ecclesiasticis; cujus institutio firmata est canone secundo Concilii Constantinopolitani.

IV. Canon ille antecedit institutionem patriarchatus Constantinopolitani. In eo autem agitur tantum de Diœcesibus imperii orientalis, nulla prorsus mentione facta Diœceseon occidentis.

V. Occidens jam inde a Constantino habuit sua Concilia nationalia. Probatur de Africa.

VI. Diœcesis Illyriciana constituebat suam synodum. Idem obtinuit in ceteris Diœcesibus Occidentis.

I. PRæter Concilia provincialia, quæ ex provinciæ unius Episcopis constabant, alia quoque diu in Gallia perviguere, quæ vulgo nationalia vocantur, ex pluribus provinciis conflata. Quippe Ecclesia Gallicana eo jure semper usa est, ut in unum corpus congregari posset, quoties agebatur de negotiis ecclesiasticis statum totius regni contingentibus. Neminem adhuc auctorem legi, qui horum Conciliorum originem adnotaverit. Ea tamen in antiquis Conciliis & in legibus Imperatorum deprehendere licet, si quis hanc curam suscipere velit. Verum, ut id facilius fieri possit, observandum est in antecessum, Imperatorem Constantini imperii sui administrationem partitum esse sub quatuor Præfectis prætorio in diversa provinciarum corpora, quæ in legibus vocantur *Diœceses*, id est, administrationes, quæ suberant speciali administrationi Vicarii cujusdam præfectorum prætorio, vel Proconsulis, aut alius magistratus, cujus splendida esset administratio. Imperium occidentale comprehendebat septem Diœceses sive regiones. Sub Præfecto nimirum prætorio Galliarum Diœcesis Gallicana, quæ constabat ex XVII. provinciis Galliarum, Diœcesis Britanniarum ex quinque provinciis, Diœcesis Hispaniarum ex septem provinciis. Sub Præfecto prætorio Italiæ Diœcesis Africana ex provinciis sex, Diœcesis Italica, cujus caput erat Mediolanum, ex provinciis septem, Diœcesis Romana ex decem provinciis. Sub Præfecto prætorio Illyrici Diœcesis Illyriciana, in qua XVII. provinciæ. Imperium vero orientale comprehendebat Diœcesim Thracicam ex provinciis sex conflatam, in qua Constantinopolis fuit, Diœcesim Ponticam, in qua provinciæ undecim, Diœcesim Asianam, in qua provinciæ totidem, & Diœcesim orientalem, ubi Antiochia, in qua provinciæ quindecim. Quatuor illæ Diœceses parebant præfecto prætorio orientis. Diœcesis vero Ægyptiaca, quæ sex provincias complectebatur, suberat Præfecto Augustali. Sed ætate Theodosii senioris huic imperio adjecta est portio quædam Illyrici; quod

quod ea ratione divisum est in duas Diœceses, in Illyricum videlicet orientale, cujus metropolis Thessalonica, cui contributæ undecim provinciæ, & occidentale, cujus caput fuit Sirmium, in eoque sex provinciæ, sub Præfecto prætorio Italiæ; ut patet ex actis Concilii Aquilejensis.

II. Itaque in unaquaque Diœcesi aderat Vicarius Præfecti prætorio, aut Proconsul, sive alius quispiam magistratus illustris, qui universarum harum provinciarum curam gerebat, & jus apud eas dicebat, juxta mores illarum tempestatum, in publicis earum provinciarum conventibus, *agendo conventus juridicos*. Eandem in Ecclesiam consuetudinem invehi concesserunt Imperatores, id est, ut Episcopi conventus provinciarum & universæ Diœceseos agerent, in quibus causas suas finirent. Eam consuetudinem lege sua, quæ extat in Codice Theodosiano, firmarunt Impp. Valens, Gratianus & Valentinianus. In ea lege Concilia unius regionis seu Diœceseos, quæ nunc nationalia vocantur, conceptis verbis fieri jubentur; tametsi interpretatio Aniani, cui perspecta non erat vis vocabuli *Diœceseos*, procul a sententia legis recedat, cum eam coercere voluerit ad synodos ordinarias Episcoporum. *Qui mos est causarum civilium, iidem in negotiis ecclesiasticis obtinendi sunt; ut, si qua sunt ex quibusdam dissensionibus levibusque delictis ad religionis observantiam pertinentia locis suis & a suæ Diœceseos synodis audiantur.* Quoniam vero diversitas significationum vocabuli *Diœceseos*, lectorem remorari posset, monemus, eam appellationem hodie tribui territorio uniuscujusque episcopatus, exemplo canonum Africanorum, qui eo sensu Diœceseos vocem usurpant, qui usus ab iis manavit ad synodos Galliarum & Hispaniarum usque ad nostram ætatem. At in legibus Codice Theodosiano comprehensis, in Codice & Novellis Justiniani, & in canonibus Græcis Διοίκησις sive *Diœcesis* semper accipitur pro tractu quodam & diversarum provinciarum collectione; provincia vero, pro collectione plurimorum episcopatuum. Integrum autem episcopatus territorium Græci vocant παροικίαν sive *parœciam*, quam vocem Dionysius Exiguus conservavit in sua canonum versione. Unde factum, ut ea vox, sive *parochia* vitio librariorum, persæpe in canonibus Latinis significet territorium episcopatus; dein vero prorsus versa est ad significandum id, quod nos hodie parochiam vocamus.

L. 23. C. Theodos. de Episcopis. Vide lib. 3. c. 1. §. 1.

III. Lex illa Codicis Theodosiani mire accepta fuit personis ecclesiasticis; qui existimarunt, necessarium in primis esse, ut novus canon conderetur, quo institutio hæc singillatim explicaretur. Quamobrem Ecclesiæ corpus in Diœceses distributum est canone secundo Concilii Constantinopolitani, quod anno CCCLXXXI. celebratum est. Hic enim canon supremam integræ uniuscujusque Diœceseos synodo auctoritatem tribuit regendi & administrandi omnia negotia Ecclesiastica provinciarum, quæ continebantur in ea Diœcesi, sub gubernatione tamen Primatis sive Exarchi Diœceseos; quemadmodum accurate explicui in dissertatione de judiciis canonicis Episcoporum, & aliquatenus attigi in capite primo hujus libri.

IV. Sed duo in primis heic observanda sunt, quæ nuspiam hactenus explicavi. Primum enim observandum est, canonem illum antecedere institutionem patriarchalis Diœceseos Constantinopolitanæ, quæ septuaginta tantum post annis facta est in Concilio Chalcedonensi. Itaque toto illo septuaginta annorum intervallo tres Diœcesanæ synodi in oriente erant œcumenici Concilii decreto approbatæ, Thracica scilicet, Pontica & Asiana, quæ nulli Patriarchæ parebant; adeoque non erant synodi patriarchales, sed Diœcesanæ tantum, aut regionales. Nam quoad duas alias Diœceses imperii orientalis, Ægyptum videlicet & orientem proprie dictum, suis illæ Patriarchis suberant, oriens nimirum Antiocheno, & Ægyptus Alexandrino. Ex observatione ista, cujus integras probationes afferam in dissertatione de patriarchatu Constantinopolitano, pendet alterum caput nostrarum observationum, nempe canone secundi Concilii de Diœcesibus tantum imperii orientalis agi, nulla prorsus mentione facta Diœceseon occidentis: quia cum synodus illa ex solius orientis Episcopis constaret, noluit condere canones pro gubernatione Ecclesiarum occidentalium. Hinc factum, ut Concilia illa Diœcesana non adeo illustria sint in occidente, eaque deprehendere res sit non minimi laboris. Atque id eo magis observare convenit, quod eorum institutio non adeo valuit ac in oriente, ubi unaquæque Diœcesis suum Primatem habebat sive Exarchum reliquorum Metropolitanorum, qui post editum illum canonem eos propria auctoritate evocare poterat absque speciali permissione Imperatoris, eodem jure, quo Patriarchæ convocare poterant synodos patriarchales.

V. Et in occidente quidem jam a Constantino deprehenduntur synodi Diœceseon, sive Concilia regionalia. Sed antiqua eorum forma non adeo nota est ac orientalium; si synodos Africanas excipias. Episcopus enim Carthaginis jure suo convocare poterat cœtum Concilii generalis totius Africæ, quo particulares provinciarum synodi a Primatibus suis congregatæ legatos mittebant, quod ea de causa *Concilium universale* dicebatur, ut patet ex capite XIX. & XX. canonum Africanorum. Interdum vero Episcopi præter legatos provinciarum, majorem Episcoporum partem ad synodum evocabant, prout causæ gravitas postulabat; ut videre est in epistola Concilii Carthaginensis ad Bonifacium Papam, quæ nomine Episcoporum Africanorum inscripta est: *qui præsentes adfuimus numero CCXVII. ex omni Concilio Africæ.*

Vide lib. 5. c. 3. §. 1.

VI. Ceteræ occidentis Diœceses eodem modo congregabantur. Sane ex epistola Damasi ad synodum Illyricianam, & ex ea, quam synodus Illyriciana scripsit ad synodum Asianam, quæ extat apud Theodoretum, colligitur, Episcopos hujus Diœceseos Illyricianæ constituisse suam synodum. Præterea in Concilio Ephesino Africa & Illyricum distinguuntur a synodo occidentali urbis Romæ. Hispanicas autem provincias ad Concilia nationalia convenire solitas probant acta Concilii primi Toletani, quod anno quadringentesimo celebratum est. Diœcesis Italica, quæ septem provincias complectebatur, auctoritati suberat Episcopi Mediolanensis. Diœcesis vero urbicaria, quæ ex decem provinciis constabat, ad ordinariam synodum patriarchalem summi Pontificis pertinebat; ad quam etiam, seculo quinto, pertinebat universa Italia.

Concil. Ephes. in epist. ad Theodos. Imp.

CAPUT XVII.

De Synodis Gallicanis, & cujus auctoritate fuerint congregatæ.

SYNOPSIS.

I. Agendum nunc de synodis Gallicanis.

II. Stante imperio Episcopi Galliarum unum synodi corpus constituebant. Probatur ex Concilio Agrippinensi, Arelatensi, & aliis.

III. Synodus Galliarum corpus erat separatum a Romana synodo. Utriusque dignitas par visa est Episcopis Illyrici.

IV. Probabile est Metropolitani Treverensis auctoritate convocari tum consuevisse Concilia nationalia Galliæ. In conventibus extraordinariis necessaria erat auctoritas Imperatoris.

V. Conventus Episcoporum Galliæ fiebant auctoritate Imperatorum. Probatur ex epistola Maximi Imperatoris ad Siricium Papam & ex Sulpitio Severo.

VI. Episcopus Arelatensis contendebat, olim ad se per-

se pertinere potestatem congregandæ synodi generalis Galliarum. Origo hujus ambitionis investigatur. Septem provinciæ quænam.

VII. Quid Patroclo Arelatensi concesserit Papa Zosimus. Ejus auctoritatem intendit Imp. Valentinianus.

VIII. Hinc factum, ut Episcopi Arelatenses ad exarchatum Galliarum aspiraverint. Eis concessa auctoritas congregandorum Conciliorum ex pluribus provinciis.

IX. Quod Leo primus fieri in posterum vetuit, imminuta admodum dignitate sedis Arelatensis. Constituitur epocha synodi secundæ Arelatensis. Post Hilarii Arelatensis obitum Leo aliquatenus restituit dignitatem illius sedis.

X. Primus omnium Hilarus Papa Arelatensibus Episcopis tribuit potestatem convocandi Concilium Galliarum.

XI. Irruptiones barbarorum in Gallias communicationi Episcoporum obstitere. Explicatus Hilarus Papa.

XII. Diversa regna constituta in Galliis. Quare non poterat congregari corpus Episcoporum Gallicanorum, ob diversitatem regnorum. Probatur ex Avito.

I. Agendum nunc de synodis Gallicanis, quod eæ sint præcipuus hujus dissertationis scopus. Verum, ut id ex ordine fiat, considerandi sunt conventus generales Episcoporum Galliæ, sive in imperio, sive postquam Franci Gallias occupaverunt, regnumque esse fecerunt. Quoniam vero facies ecclesiasticæ politiæ multis mutationibus obnoxia fuit sub Regibus nostris, agam primum seorsim de Conciliis generalibus Galliæ sub prima dynastia, dein sub secunda & tertia usque ad hanc nostram ætatem; & in primis duo quædam accurate examinabo, cum eorum circumstantiis, quanam videlicet auctoritate Concilia illa congregarentur, quamve illa potestatem haberent quoad materias ecclesiasticas.

II. Stante imperio, Episcopi Galliarum unum synodi corpus constituebant, æque ac Episcopi aliarum Diœceseon, de quibus paulo ante sermonem institui. Sane Concilium Agrippinense habitum anno CCCXLVI. adversus Euphratam illius urbis Episcopum, qui illic ob Arrianam hæresim damnatus est, constabat ex provinciis Treverensi, Agrippinensi, Moguntina, Remensi, Senonensi, Rothomagensi & Vesontionensi, ut colligitur ex subscriptionibus Episcoporum. Anno CCCLIII. Episcopi Galliarum congregati sunt in civitate Arelatensi; ubi Paulinus Episcopus Treverensis depositus est, quod damnationi Athanasii consentire noluisset. Biennio post iidem Episcopi convenerunt apud Biterras; ubi sanctus Hilarius Episcopus Pictaviensis in exilium missus est, factione Saturnini Episcopi Arelatensis. Sulpitius Severus, cui memoriam horum duorum Conciliorum debemus, scribit, ea fuisse conflata ex Episcopis Galliarum. *Ceterum a nostris tum apud Arelatem ac Biterras oppida Galliarum Concilia fuere.* Anno etiam CCCLXII. corpus Episcoporum Gallicanorum congregatum est in civitate Parisiensi; ubi formula fidei in Ariminensi Concilio proposita, quæ usiæ sive consubstantialitatis vocabulum supprimebat, revocata est, & Saturninus Arelatensis depositus. Certe synodicam suam epistolam ad Episcopos orientales miserunt sub titulo Episcoporum Gallicanorum; ad cujus calcem iis verbis utuntur, quibus testatum voluerunt, auctoritatem suam extendi ad universam Galliam: *Quisque his, quæ statuimus, intra Gallias putaverit renitendum, a communione ac sede sacerdotii sit abjiciendus.* Infra: *Saturninum excommunicatum ab omnibus Gallicanis Episcopis caritas vestra cognoscat.*

Vide Notas Baluzii ad Lupum Ferrar. p. 486.

Sulpit. Sev. lib. 2.

Hilar. lib. adversus Constantium.

III. Magni momenti est istud exemplum. Illustrius tamen est illud, quod sequitur. Constat ex professione fidei synodi Illyricianæ, quæ extat apud Theodoretum una cum epistola Valentis Imperatoris ad synodum Diœceseos Asianæ, habitam fuisse synodum Romæ anno CCCLXIV. itemque aliam eodem tempore in Gallia, quarum fidem amplectuntur Episcopi Illyriciani. Duo quædam hinc colliguntur, quæ scire oporteat. Primum, synodum Galliarum separatum corpus fuisse a Romana synodo. Deinde utriusque synodi rationem habitam ab Episcopis Illyricianis, quasi æqualitas quædam esset inter eas: *Nos autem non aliter sentimus atque duo Concilia, quorum alterum jam Romæ, alterum habetur in Gallia.*

Theodor. lib. 4. c. 8.

IV. Difficile est pronuntiare, quanam auctoritate corpus illud Episcoporum Gallicanorum coiret per illas tempestates. Attamen quoniam civitas Treverensis erat sedes præfecturæ Galliarum, ut ex Ausonii Mosella constat, ob quod vocata est *metropolis Galliarum*, ut testatur Athanasius, suspicari fortasse liceret, penes Episcopum illius urbis fuisse auctoritatem primi Metropolitani, quo nomine ad eum pertinet potestas congregandorum omnium Episcoporum. Affirmare certe licet, Imperatores aut Vicarios Præfecti prætorio Galliarum, qui semel in anno civiles Galliarum conventus agebant, propter negotia publica juxta formam in legibus præscriptam, conventus quoque Episcoporum permisisse, quos ipsi literis suis haberi jubebant, quoties rogabantur a Metropolitanis. Quod in oriente & occidente obtinebat antequam Concilium CP. habitum anno CCCLXXXI. synodos Diœceseon vertisset in jurisdictionem ordinariam, quam institutionem ab Imperatore Theodosio confirmari procuravit. Quippe certum est, omnia Concilia, exceptis ordinariis, jussu Imperatorum convocata fuisse, id est, Concilia œcumenica, Concilia uniuscujusque Diœceseos, & Concilia extraordinaria ex variis Diœcesibus composita, tametsi œcumenica non essent. Sane Constantinus Imperator synodum Arelatensem coegit anno CCCXIV. in causa Donatistarum, qui appellaverant a judicio, quod Melchiades Papa cum Episcopis collegis suis tulerat secundum Cæcilianum Episcopum Carthaginensem. Necessaria illic erat auctoritas Principis; quoniam synodus illa constabat ex legatis Diœceseon Galliarum, Britanniarum, Hispaniarum, Africæ & Italiæ; ut patet ex subscriptionibus. Concilium celebratum anno CCCLXXXI. in civitate Aquilejensi, quæ a Diœcesi Italica pendebat, cujus caput erant urbs & Episcopus Mediolanensis, decreto Imperatoris Gratiani convenit, juxta preces sancti Ambrosii, ad damnandos duos Episcopos Arrianos. Ad illud convenerunt aliquot Episcopi Italiæ, Pannoniæ, quæ Illyrici provincia erat, & legati Diœceseon Galliarum & Africæ. Itaque quoniam conventus erat extraordinarius, necessaria fuit auctoritas Imperatoris. Quamobrem recte Ambrosius in actis hujus Concilii ait: *Nos in occidentis partibus constituti convenimus ad Aquilejensium civitatem juxta Imperatoris præceptum.* Quin etiam synodica epistola ad Principes missa idipsum testatur: *Gratias agimus vobis, clementissimi Principes, quod & fidei vestræ studium probavistis, qui ad removendas altercationes congregare studuistis sacerdotale Concilium.* Infra: *Omnes prope ex omnibus provinciis occidentalibus missis adfuere legatis.*

V. Sed quod propius spectat ad res nostras, conventus Episcoporum Galliæ agi solitos auctoritate imperatoria probat epistola Maximi Imperatoris, qua Siricio Papæ respondet. Conquestus erat ille apud Principem de Agrecio quodam, qui indebite consecutus erat gradum presbyterii. Rescripsit Princeps, se, ut difficultatem illam solvat, congregaturum synodum ex omnibus Galliis, vel ex quinque provinciis tantum, quæ tum temporis speciale reipublicæ corpus constituebant in Galliis: *Ceterum de Agrecio, quem indebite ad presbyterii gradum conscendisse commemoras, quid religioni nostræ possum præstare reverentius, quam ut de hoc ipso,* cujus-

cujuscemodi esse videatur, catholici judicent sacerdotes? Quorum conventum ex opportunitate omnium, vel qui intra Gallias, vel qui intra quinque provincias commorantur, in qua elegerint urbe constituant. Idem Imperator Maximus congregavit Concilium Burdigalense anno CCCLXXXV. adversus hæresim Priscilliani: ad quod convenerunt Episcopi Galliarum & Hispaniarum, ut Sulpitius Severus testatur.

Hujus Concilii Acta extare inter schedas Hier. Vignerii affirmat V. C. Lucas Dacherius in præfat. ad To. V. Spicilegii.

VI. Episcopus Arelatensis olim contendebat, ad se pertinere potestatem congregandæ synodi generalis Galliarum. Sed ambitio ejus repressa est a Leone summo Pontifice, qui conatum ejus improbavit tanquam ratione destitutum. Et quoniam jus illud sibi rursum vindicare studuerunt Episcopi Arelatenses in prima Regum nostrorum dynastia, cui etiam constituendo auctoritatem suam adhibuerunt summi Pontifices, operæ pretium est altius scrutari, quo fundamento jus illud innitetur; præsertim cum materia hæc nondum satis explicata sit. Excisa a Vandalis urbe Treverorum, Honorius Imperator sedem præfecturæ Galliarum transtulit Arelatem, & *Matrem omnium Galliarum* vocavit, id est, Galliarum metropolim, quo titulo antea honestabatur civitas Treverensis. Alia deinde constitutione (quæ edita est a Nicolao Cusano, Scaligero & Sirmondo) decernit, ut conventus ordinarius septem provinciarum in ea urbe habeatur ad ordinandam politiam. Corpus illud septem provinciarum constabat, ut fidem faciunt veteres Notitiæ, ex provincia Viennensi, Narbonensi prima & secunda, provincia Alpium, Novempopulania, & utraque Aquitania, additis videlicet ad quinque provincias aliis duabus. Quoniam vero dignitas, quæ civitatibus competebat in ordine civili facile communicabatur episcopatibus earum urbium, incessit Episcopum Arelatensem ambitio sibi vindicandi titulum primi Metropolitani Galliarum.

Vide supra lib. 5. cap. 30. §. 7.

Vide epist. Marcæ ad Henr. Valesium §. 14.

Vide supra lib. 5. cap. 31. §. 1.

VII. Sane Patrochus Arelatensis Episcopus eam dignitatem impetrare tentavit a Zosimo Pontifice Romano; qui exiguam ejus portionem ei concessit, edicto, ne ulla persona ecclesiastica, cujuscunque gradus ea foret, Romam aliove accederet absque epistola formata Metropolitani Arelatensis, qua testatum universis fieret, quem gradum illa persona obtineret in Ecclesia. Eo pacto Zosimus cum eo communicavit unam ex prærogativis, quas Africani canones Metropolitano deberi testantur supra Episcopos & clerum provinciæ. Sed privilegium illud coercitum fuit ad unicum hoc caput jurium metropoliticorum, nulla congregandorum Conciliorum Galliæ potestate concessa; ac præterea Patroclo tantum conceditur, ea ratione, ut ad successores non transmittatur: *meritorum ejus speciali contemplatione*, inquit Zosimus. Merito igitur reprehendendi sunt Episcopi provinciæ Arelatensis, dum in libello, quem Leoni primo obtulerunt, ajunt, eam auctoritatem sedi Arelatensi competere, quam verbis admodum magnificis explicant contra tenorem rescripti: *Ut omnes Gallias, sibi apostolicæ sedis vice mandata, sub omni ecclesiastica regula contineret*. Imp. Valentinianus III. auctoritatem Patrocli Episcopi Arelatensis intendit, lege data, qua ejus jurisdictioni subdidit Episcopos Galliarum, qui Pelagii erroribus adhærerent.

Zosim. ep. 5. an. 417.

Vide supra l. 5. c. 30. §. 4.

Can. 23. Concil. Afric.

VIII. Privilegia istæc personalia Arelatensibus Episcopis concessa, quæ aliunde confirmata fuerant a Zosimo, quoad ordinationes Episcoporum provinciæ Viennensis & utriusque Narbonensis, tametsi dein Bonifacius Papa ea extendi prohibuit ad primam Narbonensem, viam aperuerunt ambitioni eorum, adeo, ut ad exarchatum Galliarum aspirare ausi sint. Hanc ob rem Hilarius Arelatensis Episcopus in secunda synodo Arelatensi decerni procuravit, penes Episcopum illius urbis futuram potestatem congregandi synodum Galliarum, quoties ita illi visum foret, expedire. Hic est enim sensus canonis XVIII. ut ejus verba satis indicant: *Ad Arelatensis Episcopi arbitrium synodus congreganda: ad quam urbem ex omnibus mundi partibus, præcipue Gallicanis, sub sancti Martini tempore legimus celebratum fuisse Concilium atque conventum*. Sed in eo capite callide agit hic canon, cum constet, primum illud Concilium Arelatense anno CCCXIV. convocatum fuisse ab Imperatore Constantino. Excipi posset, synodum illam Arelatensem fuisse tantum ex provincia Viennensi, ideoque canonem illum intelligi tantum debere de conventu synodi provincialis, quæ arbitrio Arelatensis Episcopi permittitur. Verum aperte constat, eam synodum constitisse ex pluribus provinciis & ex diversis Metropolitanis, de quibus componendis agitur in XLII. & LVI. canonibus. Unde sequitur, canonem XVIII. voluisse tribuere auctoritatem convocandi synodum plurium provinciarum.

L. 47. Cod. Theod. de Episc. Zosim. ep. 3. an. 417.

Vide supra lib. 5. cap. 32. §. 3.

IX. At Leo primus ferre non potuit præsumptionem Hilarii, vetuitque, ne deinceps synodos ex variis provinciis cogeret. *Suis* (inquit Leo in epistola LXXXIX. ad Episcopos provinciæ Viennensis) *unaquæque provincia sit contenta Conciliis, nec ultra Hilarius audeat conventus indicere synodales*. Sed heic obiter adnotandum est, posse ex iis, quæ dicta sunt, constitui epocham Concilii Arelatensis secundi, quæ viro clarissimo Sirmondo ignota fuit, eique occasionem dedit scribendi, *exploratum hactenus de tempore hujus Concilii nihil esse*. Conlocandum est immediate post Concilium Vasense, quod anno CDXLII. celebratum est, & ante annum CDXLV. quo scripta est epistola Leonis adversus Hilarium. Porro Hilario adempta insuper est a Leone dignitas metropolitana, ac Viennensi Episcopo adjudicata. Attamen idem Pontifex eandem provinciam, post Hilarii obitum, divisit in duas, relicta Episcopo Viennensi cura quinque civitatum, reliquis autem tributis Ravennio recens ad Episcopatum Arelatensem electo. Ac præterea, restituendæ huic urbi veteris dignitatis cupidus, Ravennio jus quoddam eximium tribuit, quod primo Metropolitano competit, denuntiandi nimirum reliquis Episcopis res in Concilio definitas. Eam namque illi curam commisit, missa ad eum celebri illa epistola, qua controversias de mysterio dominicæ incarnationis decidit, edicto, ut eam communicaret cum Episcopis Galliarum, qui dein Leoni gratias egerunt.

Leo ep. 109.

Idem ep. 110.

X. Primus omnium Hilarus Papa Arelatensibus Episcopis jus & auctoritatem tribuit convocandi Concilium Galliarum. Anno namque CCCCLXII. jussit, ut Leontius Arelatensis Episcopus synodum ex provinciis, quæ congregari possent, convocaret. *Per annos itaque singulos*, inquit, *ex provinciis, quibus poterit congregari, habeatur episcopale Concilium; ita, ut opportunis locis atque temporibus, secundum dispositionem fratris, & coepiscopi nostri Leontii, cui sollicitudinem in congregandis fratribus delegavimus, Metropolitanis per literas ejus admonitis celebretur*.

Vide supra lib. 5. c. 34. §. 7.

Hilarius Papa ep. 8.

XI. Ceterum hactenus placuerit examinare, quanam auctoritate sub Imperatoribus Romanis convocata fuerint generalia Galliarum Concilia. Quippe irruptiones Francorum, Gotthorum, & Burgundionum, qui majorem Galliarum partem ab imperio resecuerant, multum difficultatis attulere communicationi antistitum, quæ aliunde valde erat interrupta, ob hoc, quod auctoritas pontificia ad congregandas synodos esset penes Episcopum Arelatensem Romano imperio subjectum. Recte igitur Papa Hilarus ad Leontium scribit, ut synodum habeat cum Episcopis provinciarum, quæ congregari poterunt. Ceterum, ut membrum hoc concludam, ajo, synodos generales Galliarum congregati solitas ab Imperatoribus, vel eorum auctoritate, Episcopum vero Arelatensem sibi vindicare voluisse jus illas convocandi, sed a Leone Papa repressum fuisse, Hilarum deinde Episcopo Arelatensi delegasse sollicitudinem congregandi, quos

posset,

posset, Episcopos, id est, qui a Regibus sinerentur accedere ad synodos.

XII. Nam eo tempore Reges Gotthi, partim jure belli, partim ex pactis, occupaverant aliquot provincias; quarum fines ita propagaverunt, ut per illas tempestates possederint utramque Aquitaniam & Novempopulaniam, utramque Narbonensem, & provinciam Alpium. Burgundionibus parebant Lugdunenses, Viennenses & Vesontionenses. Franci vero reliquum Galliarum occupabant. Constat ergo, non potuisse illa tempestate congregari corpus Episcoporum Gallicanorum, ob diversitatem regnorum. Cujus rei illustre testimonium extat in epistola Aviti Episcopi Viennensis ad Senatores Urbis Romæ scripta anno quingentesimo tertio. Primum enim illis significat dolorem, quem conceperat ex judicio Romæ lato adversus Papam Symmachum; tum se apud eos excusat, quod ipse solus inter Episcopos Galliarum hanc epistolam scribat, quod regnorum divisio impediat eorum conventum. Affirmat tamen, literas ad se ab omnibus collegis suis missas, quibus eum orant, ut scribendæ istius epistolæ curam in se suscipiat: *Vellemus, ut, quæ in causa communi supplicari oportet amplitudo vestra congregatorum Galliæ Sacerdotum relatione cognosceret. Sed quoniam hujus quoque voti compotes reddit provincia præfixis regnorum determinata limitibus, quamprimum supplici prece posco, ne celeberrimo ordini vestro pagina hæc aliquod moveat, quasi ab uno dictata, fastidium; quoniam a cunctis Gallicanis fratribus meis ad hoc ipsum non minus per mandata quam per literas oneratus, quæcumque a vobis omnes ambimus, unus suggerenda suscepi.* Avitus epist. 31.

CAPUT XVIII.

De variis Synodis Gallicanis, provinciis Galliæ inter se disruptis, & quod auctoritate regum convocatæ fuerint.

SYNOPSIS.

I. Synodus Agathensis constitit ex solis Episcopis regni Gotthorum. Conjectura de Petro Episcopo de Palatio, qui ei synodo subscripsit. Concilium Epaonense ex Episcopis regni Burgundionum.

II. Post excisum regnum Gotthorum prima Francorum synodus fuit Aurelianensis. Ad ejus formam celebrata sunt cetera Galliæ Concilia. Quinam Episcopi ad eam convenerint.

III. Conventus ille extraordinarius erat; ideoque convocandus a Rege. Itaque a Clodoveo convocatus est.

IV. Post obitum Clodovei regnum ejus divisum in tetrarchias. Utriusque Regum portio regnum *dicebatur, velut* regnum Childeberti. Marcham Childeberti *vocat Marii Chronicon. Arvernense Concilium* fortem.

V. Varia tum temporis fuere Galliarum Concilia. Quippe interdum constabant ex Episcopis universæ Galliæ, interdum vero ex Episcopis unius regni. Canon Concilii III. Aurelianensis explicatus.

VI. Concilium Aurelianense secundum congregatum fuit jussu Regum. Explicatur immutatio, quæ in sequentibus Conciliis accidit circa jura regia. Prima omnium synodus Arvernensis imminuere cœpit regiam auctoritatem. Apertior fuit audacia sequentium Conciliorum.

VII. Temperamento usa synodus secunda Parisiensis, itemque secunda Turonensis.

VIII. Sequentia Concilia iis verbis usa sunt, quæ Regum auctoritati respondent. Evocationis *vox explicata.*

IX. Concilium Matisconense secundum congregatum est jussu Guntramni Regis. Ei interfuerunt omnes Episcopi regni Burgundici. In eo statutum est, ut tertio quoque anno Concilium celebretur una cum dispositione Principis. Vox dispositio *explicatur. Conantur patres novam Patriarchæ dignitatem tribuere Episcopo Lugdunensi. Synodus Parisiensis quinta convocata est a Rege Clotario. Et Cabilonensis a Clodoveo secundo.*

X. Episcopi tenentur accedere ad synodum, quam Rex indixerit. Probatur ex insigni loco Gregorii Turonensis. In literis tamen convocationis exprimendæ erant causæ, ob quas conventus præcipiebatur.

I. Attamen licet corpus Galliarum in synodo congregari non posset, provinciæ, quæ uni Regi parebant, synodum componebant absque ulla permistione Episcoporum alienarum provinciarum, ut constat ex synodo Agathensi, quæ anno DVI. habita est permissu Alarici Regis Wisigotthorum, tametsi is Arianus esset: *Cum in nomine Domini, ex permissu Domini nostri gloriosissimi, magnificentissimi, piissimique Regis, in civitate Agathensi sancta synodus convenisset.* Præfatio Concilii Agath. In subscriptionibus autem leguntur nomina Metropolitani Arelatensis, Narbonensis, Burdegalensis, Elusani, Bituricensis & Vicarii Metropolitani Turonensis, itemque plurimorum Episcoporum earundem provinciarum, quæ regnum Tolosanum constituebant. Nullus porro Episcopus regni Francorum aut Burgundionum ei synodo interfuit; neque etiam ex Hispania, tametsi magna illius pars Regis Alarici imperio pareret. Vide supra lib. 5. cap. 35. §. 2. 4. Suspicandi tamen locus heic esset, Petrum Episcopum de Palatio, qui synodo huic subscripsit (cujus civitatis vocabulum ad nullam urbem referri potest earum, quæ pendebant a metropolibus supra memoratis) fuisse ex Hispanis, e (*) *Palentio* nimirum, sive Palentia, quæ civitas erat episcopalis in provincia Carthaginensi; qui cum forte Tolosæ degeret in comitatu Alarici, synodo Agathensi potuit interesse.

Synodus Epaonensis, itemque Lugdunensis habitæ fuerunt anno DXVII. ab Episcopis regni Burgundionum; quibus nulli regni Francorum Episcopi adfuere.

II. Quod attinet ad Episcopos, qui Francorum dominationi parebant, prima eorum synodus fuit Aurelianensis prima; quæ ex præcepto Clodovei Regis habita est post excisum regnum Wisigotthorum adjectasque imperio Francico quatuor metropoles ex iis, quas Alaricus obtinebat, Turonensem videlicet, Bituricensem, Burdegalensem, & Elusanam sive Novempopulanam. At Narbonensis, excepta civitate Tolosana, remansit sub ditione Regum Gotthorum in Hispania, Arelatensis vero, Theodorico Regi Italiæ cessit. Consideranda autem est in primis diligenter auctoritas hujus Concilii, quod paulo post habitum est quam Clodoveus Christianam religionem suscepisset; quoniam ad illius formam cetera Galliæ Concilia celebrata sunt, tam in prima Regum nostrorum dynastia quam in secunda.

Igitur Concilium habitum fuit anno DXI. in civitate Aurelianensi ab Episcopis provinciarum Galliæ, quæ Regi Clodoveo parebant. Nam præter Metropolitanum Turonensem, Bituricensem, Burdegalensem & Elusanum, ac quamplurimos Episcopos earum provinciarum, quæ recens imperio Clodovei adjectæ erant, convenere etiam Metropolitanus Rothomagensis & quamplurimi Episcopi provinciarum Senonensis & Remensis. Treverensis tamen, Moguntinus & Coloniensis non adfuere; nisi

(*) Hanc conjecturam confirmat vetustissima collectio canonum Hispaniæ bibliothecæ Colbertinæ, ubi Concordius Episcopus Palentinus ita subscribit Concilio Toletano XII. *Concordius Palatinæ sedis Episcopus hac synodica instituta a nobis edita subscripsi.* In vetustissima tamen editione soliloquiorum sancti Isidori Episcopi Hispalensis ita scriptum est: *Incipit prologus in libro soliloquiorum Isidori Episcopi Palatinensis urbis.* Sed potior apud me est auctoritas collectionis Hispanicæ.

nisi fortassis hac in parte laborent subscriptiones Episcoporum,

III. Quoniam vero conventus ille coactus erat ex septem provinciis, ideoque extraordinarius erat, necessarium fuit, ut a Rege convocaretur. Atque id eo magis obtinere debuit, quod nullus Exarchus aut primus Metropolitanus esset in regno; cum Arelatensis, cui ea sollicitudo olim delegata fuerat ab Hilaro Papa, Regum Italiæ dominationi subjectus esset, qui angulum illum Galliæ in regno Italiæ annumerabant velut provinciam particularem, ita ut *Gallia provincia* diceretur; quemadmodum apud Gotthos Hispanos provincia Narbonensis vocabatur *provincia Gallia*. Sane præfatio Concilii Aurelianensis docet, illud a Clodoveo Rege convocatum esse, quod in primis quærebamus.

IV. Post obitum Clodovei regnum ejus divisum est in tetrarchias, ita tamen, ut unusquisque liberorum ejus retinuerit nomen Regis Francorum. Portiones autem eorum distinguebantur ex nomine Regis, exempli causa regnum *Childeberti*, vel *Clotarii*, ut patet ex epistolis a Vigilio Papa scriptis *ad Episcopos sub regno Childeberti Regis per Gallias constitutos*. Vetus Chronicon Marii uniuscujusque portionis tractum *marcham* nuncupat, ut *marcham Childeberti*. Id vero *sortem* nominat Concilium Arvernense habitum anno DXXXVIII. in epistola ad Regem Theodebertum scripta; qua eum Episcopi rogant, ne clerici aut laici, qui sub unius Regum imperio habitant, facultates amittant, quæ ipsis competunt in sorte alterius Regis: *Ne dum unius Regis quisque potestati ac dominio, subjacet, in alterius sorte positam amitteret facultatem*.

V. Quoniam vero quilibet Regum jura regni sui conservare studebat, hinc factum est, ut Concilia, quæ tunc temporis habita sunt, diverse composita sint. Quippe interdum ad ea conveniebant Episcopi ex provinciis omnium regnorum. Verum id ex Regum consensu fiebat; quemadmodum synodus Sardicensis, quæ ex Episcopis orientis & occidentis constabat, convocata fuit literis Imperatorum Constantii & Constantis, qui fratres erant. Aliquando vero Concilia ex iis tantum Episcopis constabant, qui in ejus Regis imperio habitabant, a quo evocabantur, cujusmodi sunt omnia fere Concilia Gallicana. Ad hoc autem, ut ea rata essent, necessarium non erat, ut eis Episcopi ex omnibus Galliæ provinciis interessent. Nam canon primus Concilii tertii Aurelianensis, quo rejiciuntur excusationes Episcoporum, qui eo prætextu absunt a synodo, quod in alterius Principis sorte seu divisione consistant, intelligendus est de synodo uniuscujusque Metropolitani, id est, provinciali, non autem de synodo nationali, ut constat ex verbis canonis.

Concil. Aurel. tertii can. 1. *Qui tamen & hanc excusationem sibi noverint esse sublatam, si absentiam suam divisione sortis crediderint excusandam.*

VI. Concilium Aurelianense secundum congregatum fuit jussu Childeberti ejusque fratrum anno DXXXIII. quemadmodum synodus ipsa fatetur in præfatione: *Cum ex præceptione gloriosissimorum Regum in Aurelianensem urbem, de observatione legis catholicæ tractaturi, Deo auxiliante convenissemus*. Unde patet, patres illius synodi agnoscere, inesse Regi auctoritatem pro convocatione synodi. At sequentia Concilia eam infringere tentarunt, ut suam conservarent integriorem, tribuentia videlicet Regi simplicem consensum, Episcopis vero jus conveniendi. Verum ea præsumptio repressa est, quoties potestate sua uti Reges voluerunt, quam legitimam esse agnovit Gregorius magnus.

Anno DXXXV. habita fuit synodus Arvernensis eorum Episcoporum, qui in regno Theodeberti erant, in regno scilicet Austrasiorum, veluti Treverensis, Agrippinensis, Metensis, Virdunensis, & aliquot Episcoporum regni Burgundionum, quod abolitum anno DXXXIII. inter Reges Francorum fuerat divisum. Synodus illa Arvernensis prima omnium imminuere cœpit regiam auctoritatem. Tantum enim abest, ut se coactam fateatur jussu Principis, quemadmodum a duabus synodis superioribus pronuntiatum fuerat, ut etiam dicant Episcopi, se congregatos fuisse a Spiritu sancto cum consensu Regis Theodeberti; multum videlicet recedentes a consuetudine Conciliorum generalium, quorum patres profitebantur, se literis Imperatorum congregatos fuisse in nomine Spiritus sancti, non autem a Spiritu sancto. *Cum in nomine Domini*, inquit Concilium Arvernense in præfatione; *congregante sancto Spiritu, consentiente Domno nostro gloriosissimo piissimoque Rege Theodeberto, in Arverna urbe sancta synodus convenisset*. At Episcopi Concilii tertii Aurelianensis robustius deprimunt auctoritatem regiam. Nullam enim mentionem faciunt consensus regii pro congregandis sacerdotibus; sicut nec Aurelianense quartum, habitum anno DXLI. nec Parisiense tertium anno DLVII. neque demum Lugdunense secundum anno DLXVII. tametsi Gregorius Turonensis in libro V. hist. cap. XX. scribat, illud fuisse coactum jussu Regis Guntchramni. *Congregari synodum ad urbem Lugdunensem jussit*.

VII. Concilium Parisiense secundum, itemque Turonense secundum iis verbis utuntur, quæ jura quidem Regum non omnino dissimulant, sed ita enervant atque imminuunt, ut, ni aliunde ratio suppeteret ea restituendi, dimidium regiæ auctoritatis periclitari videatur. Nam licet Concilium Aurelianense quintum, habitum anno DXLIX. intra temperamenti cujusdam cancellos se contineat, dum ait, *Clementissimus Princeps, triumphorum titulis invictissimus, Domnus Childebertus Rex, pro amore sacræ fidei & statu religionis, in Aurelianensi urbe congregavit in unum Domini sacerdotes*, synodus tamen Parisiensis secunda, habita an. DLV. quæ fuerint in ea convocanda partes Principis, frigide admodum explicat his verbis: *Cum in urbem Parisios ad invitationem Domini Regis gloriosissimi Childeberti venissemus*. Synodus vero Turonensis secunda habita anno DLXVII. nihil heic spectat præter conniventiam consensumque Principis: *Quapropter Christo auspice in Turonica civitate, Concilio concordante, juxta conniventiam gloriosissimi Domini Chariberti Regis annuentis, coadunati*. Sed Episcopi illi multam de se suspicionem injiciunt in hac causa. Quippe apertius animi sui sensa exprimentes, non quidem ratione habita Principis tunc regnantis, sed Clodovei primi, qui diu ante mortuus erat, cujusque res gestæ ceteris Principibus exemplo esse debent, non dubitant scribere in canone XXI. illum supplicasse Episcopis, ut ad synodum Aurelianensem convenirent. Et tamen epistola synodica illius synodi contrarium evincit; cum in ea patres ingenue fateantur, se jussu Clodovei fuisse congregatos in urbe Aurelianensi.

Conc. Tur. II. c. 21. *In synodo Aurelianensi, quam invictissimus Rex Clodoveus fieri supplicavit.*

VIII. At Concilium Matisconense primum & secundum, itemque Valentinum secundum, Parisiense quintum, & Cabilonense iis verbis usa sunt, quæ Regum auctoritati respondent; penes quos est jus non solum invitandi Episcopos ad synodum, aut eorum congregationi consentiendi, sed etiam eam jubendi & imperandi. Episcopi Concilii Matisconensis primi, quod habitum est anno quingentesimo octuagesimo primo, fatentur, se congregatos esse *ex evocatione gloriosissimi Domini Gunthramni*. Qui loquendi modus explicat jus & potestatem ejus, qui per literas suas convocat synodum. Sane jus, quod Metropolitano competit, convocandi Concilii Episcoporum suæ provinciæ, eo vocabulo explicatur in Concilio Aurelianensi tertio can. I. *Ad suam civitatem suos evocet fratres*. Tractus est autem hic loquendi modus ex capite quadragesimo decretorum Papæ Leonis, qui ad Episcopum Thessalonicensem Illyrici Exarchum ita scribit: *In evocandis autem a te Episcopis moderatissimum esse te volumus*. Quare, cum synodus Matisconensis fateatur, se congregatam esse *ex evocatione Regis Gunthramni*, prorsus manifestum est, eam in unam conspirare sententiam cum Episcopis synodi Valentinæ secundæ habitæ an. DLXXXIV.

Vide supr. lib. 5. cap. 26. §. 11. & cap. 27. §. 5.

qui

qui scribunt, mediocritatem suam in urbe Valentina convenisse *juxta imperium gloriosissimi Gunthramni Regis*.

IX. Magni momenti est secunda synodus Matisconensis. Quippe cum regnum Francorum in tres partes divisum est inter filios Clotarii, earum unam Guntramnus sub vocabulo regni Burgundionum obtinebat; ceteras, quæ Austrasia & Neustria dicebantur, fratres ejus suo jure possidebant. Cupiit autem Guntramnus, ut omnes regni sui Episcopi simul congregarentur; eamque ob causam eis præcepit, ut ad Matisconensem urbem accederent. Ne quis vero id a me gratis dictum putet, auctorem laudabo Gregorium Turonensem, cujus ea sunt verba in libro VIII. cap. XX. *Episcopi ex jussu Regis Gunthramni apud Matisconensem urbem collecti sunt*. Præfatio vero synodi testatur, ei interfuisse omnes Episcopos, qui in regno Guntramni erant constituti: *Gaudemus, quod omnes Episcopi, qui in regno gloriosi Domini Guntramni Regis episcopali funguntur honore, in uno se conspiciunt coadunati Concilio*. Inter eos autem in primis videre est, Metropolitanos Lugdunensem, Viennensem, Rothomagensem, Burdegalensem, Sennonensem, Bituricensem, Vesontionensem, Ebredunensem & Tarantasiensem. Illud Episcoporum corpus jubet in canone ultimo, ut Concilium nationale, quod universale vocat secundum phrasim Africanorum, id est, Concilium ex universis regni provinciis, tertio quoque anno celebretur; ea tamen lege, ut id fiat jussu Principis, qui locum commodum assignabit, situm velut in centro & in medio Episcoporum: *Hoc adimplere sollicitudinis sit Metropolitani Lugdunensis Episcopi, una cum dispositione magnifici Principis nostri prius definientis locum mediterraneum, ad quem omnes Episcopi sine labore alacres congregentur*. Patres Matisconenses vocabulum *dispositionis* (quod in legibus Codicis significat edictum) hauserunt ex epistola sancti Leonis ad Pulcheriam, qui eo utitur, ut significet jussa Imperatoris data pro convocatione Concilii: *Ne autem piissimi Principis dispositioni, qua episcopale Concilium voluit congregari, nostra videretur præsentia defuisse, fratres meos Julianum Episcopum & Renatum Presbyterum & filium meum Hilarum Diaconum misi, qui vicem præsentiæ meæ implere sufficerent*. Episcopo autem Lugdunensi curam delegant petendi & obtinendi a Principe mandata pro convocatione Concilii universalis; ea videlicet de causa, quod Metropolitanus esset urbis regiæ regni Burgundionum, in qua Gunthramnus commorari solebat. Quoniam vero Concilium, juxta Principis desiderium, satagebat ei Episcopo novam Patriarchæ dignitatem procurare, quo eum vocabulo honestant in præfatione, placuit, ut ipse regia diplomata pro congreganda synodo mitteret cum suis literis.

Vide Marcam in libro de Primatibus §. 22.

Synodi demum Parisiensis quintæ patres, quæ anno DCXV. celebrata est, agnoscunt, se congregatos esse *ex evocatione gloriosissimi Principis Domni Clotacharii Regis*, cui Neustria & Burgundia parebant. Quin & synodus Cabilonensis habita anno DCL. cui interfuerunt Episcopi Burgundionum & Neustriæ, coacta est *tam ex communi omnium voluntate, quam ex revocatione vel ordinatione gloriosissimi Domni Clodovei Regis*, qui duo illa regna possidebat. Et in epistola synodica Concilii patres ajunt: *Quod gloriosus Domnus Clodoveus Rex in urbe Cabilono synodale præcepit esse Concilium*.

X. Sufficiunt, opinor, ista, quæ diximus, ut difficilibus & morosis ingeniis persuaderi possit, magnam Regibus auctoritatem competere ad convocanda Concilia; cujus tanta vis est, ut Episcopi teneantur accedere ad synodum, quam Rex celebrandam indixerit. Necessitatem illam parendi mandatis Principis docet illustris locus apud Gregorium Turonensem. Narrat ille, Childebertum Regem Austrasiorum suis literis anno DXC. evocasse Episcopos regni sui ad urbem Virdunensem, ut accusatio adversus Ægidium Remensem Archiepiscopum instituta judicaretur. Ac licet iter illud plurimum incommodi adferret Episcopis, ob intolerabilem hyemis asperitatem, pluvias, & fluminum inundationem, tamen, ut ait Gregorius, præceptioni regiæ obsistere nequiverunt. *Rex Episcopos accersiri ad ejus examinationem præcepit, scilicet, ut ab initio mensis octavi apud Viridunensem urbem adesse deberent, dirigens epistolas, ut supra diximus, ad omnes regni sui Pontifices, ut medio mense nono ad discutiendum in urbe supradicta adesse deberent. Erant autem pluviæ validæ & immensæ, rigor intolerabilis, dissolutæ luto viæ, amnes litora excedentes. Sed præceptioni regiæ obsistere nequiverunt*. Nihilominus dissimulandum non est, difficiles se præbuisse Episcopos, nisi causæ conventus, quæ notæ esse debebant, in literis convocationis exprimerentur. Nam in eo casu Mapinius Episcopus Remensis ad Nicetium Treverorum Episcopum scribens fatetur, obediendum esse Regi: *Quamquam parere nos regiis præceptis in bonis rebus & conveniat & libeat*, (tametsi is ipse Mapinius Tullum accedere recusasset post literas Principis) *indicamus nos literas filii nostri Regis Theodebaldi excepisse, ut in Tullensium urbe die Calendarum Juniarum adesse deberem; & nullam causam evocationis declarantes, reciprocante pagina indicavimus, nos illuc accedere non debere, quia causam conditionemque nos constabat ignorare, iteratis scriptis edocuit &c.*

CAPUT XIX.

De jure convocandi Synodos, Primatibus vel Vicariis Sedis Romanæ in Gallia olim competente, præcedente Regis jussione.

SYNOPSIS.

I. Gregorius magnus agnoscit auctoritatem Regum Francorum in convocandis Conciliis.

II. Imperatores possidebant auctoritatem convocandi Concilia extraordinaria. Sed id non excludebat literas Metropolitanorum ad comprovinciales Episcopos, neque Patriarcharum ad Metropolitanos. Probatur ex Conciliis Ephesino & Chalcedonensi.

III. Acceptis literis, Metropolitani congregabant synodos suarum provinciarum, quæ Legatis consensus suos dabant. Interdum Imperatores mittebant literas convocatorias ad Patriarchas, qui dein synodum patriarchalem congregabant. Eo literis suis evocabant Metropolitanos. Literæ Principum & Metropolitanorum non sunt dissociabiles.

IV. Idem jus obtinebat in Gallia, quamdiu Conciliorum convocatio penes Reges fuit. Quid si summus Pontifex eam curam ad se traheret? Prudentia Gregorii magni laudata.

V. Regum in eo auctoritas probatur ex epistola Sigeberti Regis ad Desiderium Episcopum Cadurcensem; quæ explicatur.

VI. Hilarus Papa Leontio Arelatensi Episcopo contulit potestatem convocandi Concilia ex diversis provinciis. Symmachus ultra progressus est.

VII. Vigilius Auxanio Arelatensi concessit usum Pallii & auctoritatem convocandi synodum omnium Episcoporum Gallicanorum. Ea legatio data precibus Regis Childeberti; in cujus quoque gratiam vicariatum suum idem Pontifex contulit Aureliano Auxanii successori. Arelas prima sanctissimarum Galliæ Ecclesiarum *dicta a Justiniano.*

VIII. Pelagius primus Sapaudo Arelatensi non tribuit aperte auctoritatem convocandorum Conciliorum. Legatio illa data precibus Regis Childeberti. Ex verbis Pelagii colligitur, non admodum habitos in honore Arelatenses Episcopos, tametsi Vicarii essent Apostolicæ sedis.

IX. Gre-

IX. Gregorius dignitatem Vicarii tribuens Virgilio Arelatensi non evagatus est extra veteres fines.

I. SEd, ut omnis cavillandi via iis præcludatur, qui hoc Episcoporum erga Reges obsequium ab adulatione proficisci existimare possent, utar auctoritate Gregorii magni: qui, cupiens abolere pravam consuetudinem, quæ in regnis Burgundiæ & Austrasiæ invaluerat adversus canones, venditionem scilicet ordinationum, synodum haberi ea de causa jussit anno DXCIX. literis datis ad Syagrium Episcopum Augustodunensem, Ætherium Lugdunensem, Virgilium Arelatensem, & Desiderium Viennensem. Quoniam vero optime noverat, quænam in Conciliis convocandis esset Principum auctoritas, heic subsistere noluit; sed eandem ob causam literas ad Reginam Brunichildem, quæ Regum avia erat, scripsit, quibus, Excellentia ejus affectu paterno salutata, petit, ut jussione regia synodum fieri constituat. Et quia Syagrio Augustodunensi Episcopo, intimo Regum amico, solicitudinem synodi celebrandæ delegaverat, Brunichildem orat, ut ei commodas aures præbeat supplicanti, eumque ope sua adjuvet ad extirpandum hoc malum: *Salutantes excellentiam vestram paterno affectu, petimus, ut de hujus pravitatis emendatione Deum vobis placabilem faciatis. Et ut nulla deinceps valeat occasione committi, synodum fieri jussio regia constituat.* Infra: *Curam vero & sollicitudinem ejusdem synodi, quam fiendam decrevimus, fratri coepiscopoque Syagrio, quem vestrum proprium novimus, specialiter delegare curavimus; quem petimus, ut & supplicantem libenter audire & ope juvare dignemini &c.* Eandem ob causam scribens ad Reges Theodoricum & Theodebertum verbis utitur disertissimis; quæ ostendunt, summo Pontifici persuasum fuisse, Regibus competere auctoritatem convocandi synodum: *Qua de re, ut magnum omnipotenti Domino munus valeatis offerre, synodum congregari præcipite.*

Gregor. lib. 7. indict. 2. ep. 1. *Fraternitati vestræ auctoritate Dei volumus synodum congregare.*

Lib. 7. ep. 113.

Lib. 7. ep. 114.

Et quoniam Concilium illud, quod sanctus Gregorius justissime expetebat, non statim convocatum fuit, literas anno DCI. scripsit ad Virgilium Episcopum Arelatensem & Ætherium Lugdunensem, quibus eos hortatus est, ut synodi convocationem urgerent. Interim ad Theodoricum Regem Burgundionum scribens illum rursus hortatur, ut synodum congregari jubeat: *Iterata vos pro vestra magna mercede adhortatione pulsamus, ut congregari synodum jubeatis.* Item in epistola ad Clotarium Regem: *Petimus, ut pro mercede vestra congregari synodum faciatis.* Et ad Reginam Brunichildem: *Itaque synodum congregari præcipite.*

Gregor. lib. 9. c. 49. *Ut Synodus congregari possit, insiste.* Et epist. 50. ad Ætherium: *Assidue instanterque ad congregandam Synodum imminete.*

Lib. 9. ep. 53.

Ibid. epist. 56.

Ibid. epist. 57.

II. Posset heic aliquis suspicari, quandam in iis epistolis esse contradictionem, aut saltem aliquatenus imminui auctoritatem regiam, quod Gregorius præcipiat Metropolitanis Arelatensi, Viennensi, & Lugdunensi, & Syagrio Augustodunensi Episcopo, ut synodum congregent. Verum si ratio politiæ ecclesiasticæ, quæ ipsis Imperatorum temporibus in usu erat, expendatur, manifestum erit, mirificam in eo capite fuisse sacerdotii & imperii concordiam, & modum agendi, quo illi utebantur in Gallia, fuisse continuatum ævo beati Gregorii. Imperatores enim, qui citra omnem controversiam possidebant auctoritatem congregandi Concilia extraordinaria, ei tamen eum modum adhibebant, ut mandata eorum non excluderent literas Metropolitanorum ad Episcopos comprovinciales, neque literas Patriarcharum ad Metropolitanos, qui post præceptionem Principis munere suo fungebantur. Nam convocatio illa non exigebat præsentiam omnium Episcoporum tanquam absolute necessariam, sed majoris eorum partis, qui a collegis suis delegabantur; quod alii in provinciis commorari cogerentur, sive pro ecclesiastico ministerio, seu etiam ob infirmam valetudinem. Ita namque fieri consuevisse colligitur ex collatione diversarum epistolarum Imperatorum & Conciliorum. Exemplo sit Concilium Ephesinum œcumenicum tertium, quod literis Imperatoris Theodosii indictum est ad unumquemque Metropolitanum missis; quibus præcipiebatur, ut Metropolitani certum Episcoporum numerum ex sua provincia adducerent, rursumque nonnullos illic relinquerent pro ministerio ecclesiastico. Sic enim nos docet epistola Theodosii ad Cyrillum Episcopum Alexandrinum: *Tua pietas --- operam dabit ---- ut ad Ephesiorum civitatem accurrat, nonnullosque, quos nimirum idoneos judicabit, sanctissimos provinciæ suæ Episcopos abducat; ita ut neque necessarii sanctissimis ejusdem provinciæ Ecclesiis desint, neque ii rursum, qui ad eam rem apti censebuntur, in sacra synodo desiderentur. De indicta autem sanctissima synodo nostra serenitas ad omnes omnino Deo dilectos Episcopos Metropolitanos litteras scripsit.* Imperator Marcianus litteras convocatorias Concilii Chalcedonensis misit ad Metropolitanos, jubens, ut cum certo Episcoporum numero ad civitatem Nicænam accederent: *Tua sanctitas cum quibus approbaverit Episcopis sub suo sacerdotio constitutis ---- ad memoratam Nicænam civitatem advenire festinet.*

Ephes. Concil. par. 1. c. 32.

Epistola Marciani par. 1. Concil. Chalc. num. 56.

III. Acceptis litteris, Metropolitani congregabant synodos suarum provinciarum, quæ legatis consensus suos dabant, ut colligitur ex epistola synodica Concilii CP. œcumenici secundi, in qua patres dicunt, se nullum alium ab Episcopis, qui manserant in provinciis, consensum habere, quam ut Constantinopolim accedant pro celebrando Concilio, ideoque sibi liberum non esse Romam proficisci, quo eos occidentale Concilium evocabat cum litteris Imperatoris: *De hoc uno Concilio celebrando consensum Episcoporum, qui in provinciis manserant, una nobiscum attulimus.*

Aliquando Imperatores litteras suas Concilii convocatorias mittebant ad Patriarchas; ii vero dein mandata sua ad Metropolitanos, synodumque patriarchalem congregabant, in qua delegabantur cognitores, qui Concilio œcumenico interesse deberent. Hunc ordinem tenuit Theodosius pro congregatione Concilii Ephesini secundi; ut discimus ex ejus epistola ad Dioscorum Patriarcham Alexandrinum, cum in eundem modum scripsisset reliquis Patriarchis: *Igitur & tua sanctitas, sumptis secum decem reverendissimis Metropolitis Episcopis, qui sub tua degunt Diœcesi, & aliis similiter decem sanctis Episcopis, --- proximis Calendis Augustis Ephesum metropolim Asiæ convenire absque ulla dilatione festinet.*

Epist. Theodosii ad Dioscorum, act. 1. Concil. Chald.

Patriarchæ igitur Metropolitanos convocabant cum litteris suis, quæ in Conciliis Africanis vocantur tractoriæ, ii vero Episcopos, secundum auctoritatem præceptionis imperatoriæ. Duas illas res mirabili solertia junxit Concilium CP. secundum œcumenicum in sua epistola synodica; ubi patres ajunt, se a Concilio occidentali evocatos fuisse Romam cum literis Imperatoris: *Nos velut membra propria per Deo amantissimi Imperatoris litteras accersivistis.*

Ex iis, quæ dicta sunt, manifeste colligitur, litteras Principum & Metropolitanorum non esse dissociabiles, & utrarumque usum obtinuisse in convocandis Conciliis, ita tamen, ut litteræ Patriarcharum & Metropolitanorum executioni mandarentur in consequentiam litterarum Principis.

IV. Idem mos obtinuit in Gallia, quamdiu nulla illic auctoritas fuit præter regiam, quæ superior esset Metropolitanis Galliarum, quæque convocandorum Conciliorum curam in se traheret, ut constat ex iis, quæ huc usque vidimus observata fuisse in celebratione omnium synodorum. Sed quando summus Pontifex, qui Metropolitanorum superior est, cuique jus competit jubendi, ut Concilium nationale habeatur, eorum convocationem faciebat, æquum erat, ut locum illic obtineret, qui dignitati & auctoritati ejus debebatur. Gregorius porro

porro magnus, vir non solum ob sanctitatem morum & eruditionem clarus, sed etiam ob prudentiam admirabilem intelligentiamque politiæ ecclesiasticæ, eo temperamento usus est, quod adhiberi conveniebat ad conservanda jura sedis apostolicæ & Principum. Recensens quippe abusus, qui in Gallia invaluerant adversus canones, jubet, ut Concilium ea de causa habeatur intra Gallias, cujus convocandi sollicitudinem delegat Metropolitanis. Sed eodem tempore cupit & postulat, ut Rex utatur suo jure, nimirum, ut is auctoritate sua synodum haberi præcipiat, litteris ad Metropolitanos missis, vel etiam ad singulos Episcopos, si Regi ita visum fuerit expedire. Metropolitani vero, post regiam præceptionem, congregare debebant suas synodos pro celebratione Concilii, mentione insuper facta pontificiæ permissionis. Sed in primis observandum est, delegationem illam sancti Gregorii non debuisse mandari executioni, secundum quod ipse præceperat, donec regia jussio accederet ob eandem causam. Quare Concilium illud, quod summus Pontifex constituerat, habitum non fuit, tametsi ille id vehementer urgeret, quoniam Reges ejus congregationem non præceperunt. Affirmare itaque licet, concursum auctoritatis pontificiæ firmasse potestatem Metropolitanorum pro congregatione Conciliorum in ordine ecclesiastico, sed non violasse jus regium, quod versatur in politia exteriori & in protectione Ecclesiæ; præsertim cum congregatio ita fieret auctoritate summi Pontificis, ut necessaria esset regia jussio. Contra vero consensus Pontificis non erat necessarius, quando synodus congregabatur auctoritate Principis.

V. Ceterum, ut concludam hoc caput, & ut præterea testatior fiat auctoritas Regum in convocandis Conciliis, addam hoc loco epistolam Sigeberti Regis Austrasiorum scriptam circa annum DCL. ad Desiderium Episcopum Carducensem: in qua ei significat, relatum sibi fuisse, Wlfoleudum Episcopum evocasse comprovinciales Episcopos ad Concilium in regno habendum, sed nullam ejuscemodi consilii mentionem fecisse apud Regem, cupere se quidem, exemplo Regum decessorum suorum, observare canones ecclesiasticos, attamen ex procerum suorum consilio statuisse tolerandum non esse, ut Episcopi sibi subjecti Concilium ullum in regno celebrent, quin prius ipse admoneatur, quod si ostendatur regiæ majestati, congregationem illam utilem futuram, sive pro statu ecclesiastico, sive etiam pro regni utilitate, non denegaturum consensionem suam. Quapropter Desiderio suadet, ne ad synodum illam accedat. Desiderius autem, cum Cadurcorum antistes esset, non pertinebat ad regnum Sigeberti; licet inter intimos esset ejus Principis, ut constat ex alia ejusdem Regis ad ipsum epistola. Wlfoleudus vero, qui provinciæ suæ Episcopos convocaverat, Biturigum antistes erat, quorum metropoli contributa erat Divona Cadurcorum, & ad regnum Burgundiæ spectabat, cujus Rex tunc erat Clodoveus secundus. Istius autem Wlfoleudi Episcopi Ecclesiæ Bituricensis subscriptio deprehenditur in Concilio Cabilonensi, quod anno DCL. Rex Clodoveus congregavit. Insolens videri posset hujus Metropolitani præsumptio, qui Episcopos suffraganeos suos extra provinciam suam evocavit synodali conventui interfuturos, nisi ratio habeatur canonum apostolicorum, Constantinopolitanorum & Antiochensium, qui permittunt Episcopis unius provinciæ ad aliam transire, si literis Metropolitani, qui eorum ope indigeat, evocentur. Ex quibus id conficitur, Episcopum Bituricensem ab Episcopis regni Austrasiorum rogatum esse, ut ad quandam civitatem conveniret, in qua synodus major haberi posset, existimantes, ita licere fieri secundum canones. Verum jam observavimus, communicationem illam Episcoporum fuisse interruptam ob divisionem regnorum; cui præterea locus non erat, sicuti nec celebrationi Concilii nationalis unius regni, nisi jussio regia præcessisset. Utriusque horum capitum probatio extat in epistola Sigiberti. Tametsi, eo casu, prohibitio unius ab alio pendeat; id est, si Concilium Episcoporum unius regni haberi non possit, sequitur, Episcopos alterius regni ad illud convenire non posse. Hæc sunt verba Sigiberti: *Licet statuta canonum & ecclesiasticas regulas, sicut parentes nostri in Dei nomen conservarunt, ita & nos conservare optamus, tamen dum ad nostram antea notitiam non fuit perlatum, sic nobis cum nostris proceribus convenit, ut sine nostra scientia synodale Concilium in regno nostro non agatur, nec ad dictas Kal. Septembris nulla conjunctio sacerdotum ex his, qui ad nostram ditionem pertinere noscuntur, non fiatur. Postea vero opportuno tempore, si nobis antea denuntiatur, utrum pro statu ecclesiastico, sive etiam pro qualibet rationabili conditione, conventio esse decreverit, non abnuimus; sic tamen, ut diximus, ut in nostri prius deferatur cognitionem.* Epistola Sigeb. R. ad Desider. Episc. Cadurc.

VI. Potestas illa convocandorum in Gallia Conciliorum, qua summi Pontifices fruebantur, exigit, ut paulo altius scrutemur eam, quam pro eadem causa communicabant cum Episcopis Arelatensibus. Hilarus Papa providens dissipationem Galliarum earundemque in diversa regna sectionem obstituras communicationi Episcoporum inter se, Leontio Arelatensi Episcopo contulerat facultatem convocandi Concilia hujuscemodi ex totidem provinciis quot posset, ut supra vidimus. Eam Cæsario Arelatensi continuavit Symmachus anno DXIV. cui præcepit invigilare rebus omnibus, quæ ad religionem spectant, non solum in provinciis Galliarum, sed etiam in Hispaniensibus; quoniam ea tempestate provincia Arelatensis, tametsi esset intra Gallias, imperio parebat Regis Italiæ Theodorici, penes quem erat administratio regni Wisigothorum in Hispania. Sed postquam civitas Arelatensis in jus Francorum cessit, Vigilius Papa aut ejus successores nullam Arelatensibus Episcopis sollicitudinem in Hispanias attribuerunt. Verum Symmachus non eo loci substitit, ut generalem tantum religionis curam Cæsario committeret, sed insuper ei auctoritatem tribuit convocandi Concilium Episcoporum, si religio ita posceret, ut in eo controversiæ finirentur, quod si tale negotium emerserit, quod illic difficile fuerit terminari, ad sedem apostolicam referatur ab Episcopo Arelatensi. Quoad Episcopos vero ex regionibus Galliarum & Hispaniarum, jubet, ut ii, qui Romam proficisci voluerint, literas Cæsarii secum deferant, ut summus Pontifex agnoscat, quæ sit eorum dignitas & utrum eis communionem suam impertiri debeat: *Decernimus, ut circa ea, quæ tam in Galliæ, quam in Hispaniæ provinciis de causa religionis emerserint, solertia tuæ fraternitatis invigilet. Et si ratio poposcerit præsentiam sacerdotum, servata consuetudine unusquisque tuæ dilectionis admonitus auctoritate conveniat. Et si Dei adjutorio controversia incidens amputari potuerit, ipsius hoc meritis applicemus. Alioquin existentis negotii qualitas ad sedem apostolicam te referente perveniat.* Infra: *Si quis de Gallicana vel Hispana regionibus ecclesiastici ordinis atque officii ad nos venire compulsus fuerit, cum fraternitatis tuæ notitia iter peregrinationis arripiat; ut nec honor ejus per ignorantiam aliquam contumeliam patiatur, & ambiguitate depulsa, a nobis animo securo in communionis gratiam possit admitti.*

Vide supra cap. 17. §. 10. hujus libri.

Symmach. ep. XI. Vide supra lib. 5. cap. 35. §. 9.

VII. Anno DXLV. Vigilius Papa vicariatum suum per Gallias concessit Auxanio Episcopo Arelatensi, concesso etiam usu Pallii. Tribuit autem ei potestatem convocandi synodum omnium Episcoporum Gallicanorum; quos adesse jubet sub pœna suspensionis, quam synodus adversus eos decernet, nisi justam excusationem adferant. Eo tamen casu tenentur mittere vice sua Presbyterum aliquem aut Diaconum, qui eis nuntiet, quæ decreta fuerint in illa synodo: *Et quia necesse est, ut aptis*

Epistola Vigilii PP. ad Episcopos Galliæ.

aptis Deo propitiante temporibus Arelatensis Episcopus nostris vicibus fungatur, quoties judicaverit expedire, ut pro facienda consolatione communi Episcoporum debeant congregari personæ, nullus inobediens ejus forte mandatis sit. Sed observandum est, legationem illam Arelatensi Episcopo fuisse concessam petente Childeberto Rege. Quippe extraordinariæ res hujusmodi, quæ novitatem inducunt adversus canones, obtinere non possunt in regno absque consensu regio. *Sicut nos*, inquit Vigilius ad Auxanium scribens, *pro tuæ pietatis affectu, & pro gloriosissimi filii nostri Regis Childeberti Christiana devotione mandatis, vices nostras libentissima voluntate contulimus.* Post obitum Auxanii idem Pontifex vicariatum suum Aureliano ejus successori tribuit; sed id factum in gratiam Regis Childeberti, qui ita fieri optaverat. *Administrationem vicum nostrarum*, inquit, *fraternitati vestræ animo libenti committimus; --- quando & summi sacerdotii consortio vos dignos divina esse gratia judicavit, & gloriosissimi Childeberti Francorum Regis Christiana & Deo placita in perhibendo vobis testimonio voluntas accessit.* Inde factum, ut Justinianus in rescripto ad quintam synodum œcumenicam misso loquens de hoc Aureliano dicat, eum fuisse Episcopum Arelati, *quæ est prima sanctissimarum Galliæ Ecclesiarum.* quod dein repetitum est in collatione septima.

Epist. Vigilii ad Aurelianũ Episc. Arelat.

Rescriptum illud extat in collat. I. quintæ Synodi.

VIII. Vicariatum quoque suum Sapaudo Arelatensi tribuit Pelagius primus; cujus tamen auctoritatem ad duo quædam capita coercere videtur. Primum quidem, ut primum ubique locum obtineat inter Episcopos, tanquam Legatus, & quadam velut præfectura fungatur in clero, ei tamen aperte non tribuens jus convocandorum Conciliorum: *Ut sedis nostræ Vicarius constitutus, ad instar nostrum in Galliarum partibus primi sacerdotis locum obtineas.* Alterum est; ut singulæ personæ ecclesiasticæ Galliarum finibus excedentes, formatas epistolas a Sapaudo accipiant. Ad Regem autem Childebertum scribens ait, se precibus ejus dedisse hanc legationem, *secundum petitionem vestram*, inquit. Sed magni momenti est clausula, quæ sequitur, quæ ostendit dignitatem illam parum gloriæ attulisse prædecessoribus Sapaudi. Petit enim a Rege, ut, quoniam ipse optaverat, ejus Episcopi dignitatem hoc honore amplificari, non patiatur, eum contemni ab Episcopis Gallicanis aut ab aliis personis ecclesiasticis; *Ne quem per vices nostras augeri postulastis, in aliqua parte cuique Gallicanorum sacerdotum vel cujuslibet ecclesiastici ordinis personæ, quod non oportet, contemptibilis habeatur.*

Pelag. ep. 6. ad Sapaudum.

Vide sup. lib. 5. cap. 38. §. 3. & seqq.

Verba illa indicant, Episcopos Arelatenses, tametsi legationis apostolicæ sedis munere fungerentur, non admodum habitos in honore. Certe nullum regni generale Concilium reperitur ab iis convocatum fuisse, prohibentibus nimirum Regibus ac reliquis Metropolitanis. Quin etiam nulli eorum Conciliorum unquam præfuere. Contra Aurelianus Arelatensis post Sacerdotem Episcopum Lugdunensem subscripsit Concilio quinto Aurelianensi anno quingentesimo quadragesimo nono. Quo fortassis alludit Pelagius, dum Childebertum orat, ne patiatur, Sapaudum sedis apostolicæ Vicarium contemni, ut acciderat prædecessori ejus Aureliano. Ceterum ad corrigenda peccata illa Sapaudus, tametsi recenter ordinatus, præfuit Concilio Parisiensi anno DLX. subscripsitque ante Metropolitanos Viennensem, Bituricensem, Burdegalensem, atque etiam Senonensem, quamvis synodus haberetur in provincia Senonensi.

IX. Anno DXCV. Gregorius Magnus dignitatem Vicarii continuavit in Virgilio Episcopo Arelatensi, juxta petitionem Regis Childeberti; concessa prorsus illa amplitudine potestatis, quam Vigilius repererat, convocandi nimirum Concilia, in quibus controversiæ ecclesiasticæ terminarentur. Quod si causa fidei illic ageretur, aut negotia inciderent, quæ dubia essent, aut ejus momenti, ut in provinciis decidi nequeant, jubet, ut ad sedem apostolicam referatur. Præterea illi hoc tribuit, ut personæ ecclesiasticæ, quæ extra Gallias proficisci volent, teneantur ab eo accipere literas communicatorias. Attamen facile est agnoscere, integram convocandorum Conciliorum auctoritatem non fuisse penes Virgilium; quandoquidem ei sanctus Gregorius tres alios Episcopos adjunxit, ut supra adnotatum est, & a Regibus postulavit, ut synodum intra Gallias haberi juberent. Nihil igitur Virgilio supererat præter honorem & amplitudinem Vicarii & quandam velut generalem præfecturam in Ecclesia Gallicana; de cujus negotiis referebat ad summum Pontificem, quocum particularem communicationem habebat.

Gregor. lib. 4. epist. 50.

CAPUT XX.

De discrimine Synodorum generalium in Diœcesibus orientis & Galliis habitarum.

S Y N O P S I S.

I. Discrimen synodorum generalium Diœceseon orientis & Gallicanarum.

II. Inquiritur in originem synodorum nationalium. Cardinalis Perronius notatus. Theodosius Imperator relationes synodicas Illyrici in rebus dubiis tribuit Episcopo Constantinopolitano, quod caruit effectu.

III. Photii expositio refutatur, qui omnes quæstiones canonicas tribui putat Episcopo Constantinopolitano.

IV. De synodis generalibus Africæ. Nicæna Synodus explicata. Dionysius Exiguus emendatus.

V. In Concilio universali Africæ tractabatur de causis communibus. Ceteræ provincialibus synodi relinquebantur discutiendæ. Quæ sint causæ communes.

VI. Variant canones Africani quoad causas Presbyterorum. Conciliantur canones.

VII. A Conciliis universalibus Africæ non licebat appellare ad transmarina judicia, neque etiam a provincialibus.

I. VErum, ut perfecte intelligere possimus, quænam esset auctoritas Conciliorum generalium Diœceseos Gallicanæ, non inhærendum est omnino canoni secundo Concilii Constantinopolitani, qui synodis quinque Diœceseon orientis supremam auctoritatem tribuit decernendi de omni re, quæ ad disciplinam ecclesiasticam pertinet. Nam duæ synodi, Ægyptiaca nimirum & Antiochena, patriarchales erant; reliquæ vero tres, Pontica, Asiana & Thracica, quæ suis quæque exarchis parebant, attributæ sunt jurisdictioni Episcopi CP. ad constituendum Concilium patriarchatus CP. juxta canonem XXVIII. Concilii Chalcedonensis. Itaque cum illæ synodi Diœceseon suo quæque Patriarchæ subessent, earum auctoritas suprema prorsus esse debuit, neque fieri poterat, ut ab alia quapiam jurisdictione penderent. Concilia autem patriarchalia semel in anno habenda esse sanciverat Justinianus; eoque accedere Metropolitani tenebantur loco & die, quem Patriarcha constituisset, judicaturi in eis quæstiones ad fidem vel ad disciplinam spectantes, sive in prima cognitione adversus Metropolitanos, aut etiam ob appellationes à sententiis Episcoporum. At synodorum Gallicanarum tanta esse auctoritas non potuit, cum patriarchales non essent. Quinimo cum Galliæ essent in occidente, auctoritatem sedis apostolicæ colebant, ad eamque necessario respicere tenebantur. Sed eo temperamento res gerebantur, ut reverentia illa nihil detraheret de suprema Conciliorum potestate in quibusdam capitibus; quemadmodum celebratio Conciliorum universalium regni nihil adimebat de juribus synodorum provincialium.

II. Utra-

II. Utraque harum propositionum plurimum difficultatis habere videtur. Et tamen utraque verissima est. Nam materiæ difficiles, quæque, cum maximi momenti essent, in synodis provincialibus definiri nequibant, deliberabantur finiebanturque in synodo uniuscujusque Diœceseos. Jus autem illud melius explicari non potest, quam auctoritate legum, quæ synodis illis Diœcesanis initium dederunt. Impp. Honorius & Theodosius in rescripto dato ad Philippum Præfectum prætorio Illyrici orientalis jubent, ut omni innovatione cessante, id est, pervasionibus secularis jurisdictionis vel etiam synodi Diœcesanæ, antiqui canones obtineant in universis provinciis Illyrici. Quod si aliquid ambiguum aut dubium emerserit, reservari jubent judicio conventus generalis Episcoporum Diœceseos Illyricianæ, quem vocant conventum sacerdotalem, quo etiam nomine dicebantur cœtus generales pro rebus politicis congregati. Addunt tamen in gratiam Episcopi Constantinopolitani, ne dubiæ causæ definiantur eo inconsulto, quoniam privilegiis veteris Romæ fruitur. *Omni innovatione cessante vetustatem & canones pristinos ecclesiasticos per omnes Illyrici provincias servari præcipimus.* Tum (ita legit Codex Theodosianus) *si quid dubietatis emerserit, id oporteat non absque scientia viri reverendissimi sacrosanctæ legis antistitis urbis Constantinopolitanæ, quæ Romæ veteris prærogativa lætatur, conventui sacerdotali sanctoque judicio reservari.* Antiqui canones, de quibus loquitur illa lex, alii non sunt præter Nicænos; in quibus statutum est, ut causæ ecclesiasticæ judicentur a synodis uniuscujusque provinciæ, omni earum cognitione prorsus interdicta cuilibet alii jurisdictioni ecclesiasticæ & seculari. Hi canones haud dubie violati fuerant in Illyrico, sive a Præfecto prætorio, sive a synodo generali Diœceseos, quæ synodorum particularium jurisdictionem convellebat. Id autem esse verisimile, suadent ea, quæ sequuntur: *Tum si quid dubietatis emerserit;* id est, si tunc, quando videlicet particulares provinciæ causas tractant secundum canones, incidat aliquod dubium, definiatur in conventu generali Episcoporum universæ Diœceseos. Explicatio illa evertit conjecturam illustrissimi Cardinalis Perronii: qui existimat, legem illam fuisse latam a Theodosio per subreptionem Attici Episcopi Constantinopolitani, qui apud Principem conquestus sit de Episcopis Illyrici, qui reverentiam Attico denegabant contra antiquam consuetudinem & canones ecclesiasticos, id est, canonem tertium Constantinopolitanum, quo secundus dignitatis gradus Episcopo CP. decernebatur, quod esset nova Roma. Sententia hæc adversatur canoni, quem vir illustrissimus laudat; quo nulla jurisdictio tribuitur Episcopo Constantinopolitano, sed tantum honoris prærogativa; præsertim cum nulla Diœceseos Illyricianæ mentio fiat in hoc canone, quæ vel unica allegatio pessumdedisset consilium Attici. Sane eo præcipue tendere videtur sententia legis, ut componat jurisdictiones synodorum provincialium Illyrici ac Diœceseos Illyricianæ; per occasionem autem Princeps, ornandi Episcopi CP. cupidus, novum jus introducit in ejus gratiam, jus nimirum relationis. Quod ea in primis de causa fecit, ut communionem istius Diœceseos, etiam quoad res ecclesiasticas, distraheret ab occidente; a quo avulsa fuerat in dispositione civili, & unita imperio orientali. Ceterum exemplum illud, e prærogativa veteris Romæ petitum, ostendit, relationes causarum difficilium ad sedem apostolicam mitti consuevisse a Concilio generali Diœceseos Illyricianæ, vel ab Episcopo Thessalonicensi, qui Exarchus Illyrici Episcopique Romani Vicarius erat. Idipsum probant epistolæ Papæ Leonis primi ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem; in quibus præcipitur, ut eæ relationes fiant, si causa, quæ finiri non potuit in synodo provinciali, nec in Concilio dein generali potuerit terminari. Unde præterea colligitur, clausulam legi Theodosianæ insertam in gratiam Episcopi Constantinopolitani irritam fuisse nec executioni mandatam. Sane Concilium Chalcedonense, cum sedem Constantinopolitanam in patriarchatum eveheret, nullam ei potestatem tribuit in provincias Illyrici, quæ patriarchatui Romano semper adhæserunt, donec occasione hæresis Monothelitarum ab eo distractæ sunt circa annum septingentesimum.

L. 45. C. Theodos. de Episc. l. 6. C. de Sacros. Ecclesiis.

Vide supra lib. 4. cap. 2. §. 1. 2. & lib. 5. cap. 24. §. 11.

Ill. Card. Perron. c. 32. Replicæ.

Vide lib. 1. c. 5. §. 3.

III. Eam legem Photius Patriarcha Constantinopolitanus, dignitatis suæ augendæ cupidus, alio vertit, vim apertam verbis legis inferens. Ejus quippe sensum hunc esse ait, canonica judicia ab Archiepiscopo Constantinopolitano & ab ejus synodo definienda esse. *Ὅτι τὰς ἀναφυομένας κανονικὰς ἀμφισβητήσεις ἐν ὅλῳ Ἰλλυρικῷ οὐ δεῖ τέμνεσθαι παρὰ γνώμην τοῦ Ἀρχιεπ. Κ.πόλεως, καὶ τῆς αὐτοῦ συνόδου, ἥτις ἔχει προνόμια τῆς ἀρχαίας ῥώμης.* Et tamen Imperator jubet, ut judicia illa ferantur a synodo Illyriciana, cum consilio Episcopi Constantinopolitani. Ea nihilominus lege ejusque explicatione usi sunt Græci ad distrahendam ab Illyrico Bulgariam, ævo Photii; quæ resecta fuit a Diœcesi Romana, & subjecta patriarchatui Constantinopolitano.

Phot. tit. IX. Nomoc. cap. 1.

Vide supra lib. 1. c. 1. §. 5. & 6.

IV. Sed ut redeamus, unde digressi sumus, ad auctoritatem videlicet Conciliorum generalium, necesse est, ut lucem materia hæc accipiat a Conciliis Africanis. Canon itaque decimus Africanus docet, Concilium universale Africæ semel in anno debere fieri ad definiendas causas ecclesiasticas, ut Nicæna synodus statuit: *Confirmandum est in hac synodo, ut secundum statuta Nicæna propter causas ecclesiasticas, quæ ad perniciem plebium sæpe veterascunt, singulis quibusque annis Concilium convocetur: ad quod omnes provinciæ, quæ primas sedes habent, de Conciliis suis binos, aut quantos delegerint, Episcopos mittant; ut congregato conventu, plena possit esse auctoritas.* Ubi observandum est, opportune admodum Afros uti canonibus Nicænis, ut generalis conventus Africæ auctoritatem firment. Quamvis enim Nicæna synodus, si verba ejus recte expendantur, synodi tantum Episcoporum unius provinciæ mentionem faciat, quæ a Metropolitano convocetur, attamen evidens est, synodum, quæ ex quinque aut sex provinciis convenerit, minoris auctoritatis non futuram ex eo capite, quod & frequentior fuerit & illustrior. Atque adeo Concilium generale Africæ spectandum est non secundum ipsa verba canonum Nicææ, sed juxta sensum & mentem eorundem canonum. Eidem fundamento innititur secunda synodus œcumenica, cum Diœceseon corpora constituens ait, hinc eventurum, ut causæ ecclesiasticæ tractentur; in synodis provinciarum secundum Nicænam synodum. Hinc pariter factum, ut Hincmarus Remensis Archiepiscopus, eorum patrum menti æmulatus, persæpe auctoritatem Conciliorum generalium Ecclesiæ Gallicanæ deducat a Concilio Nicæno; quod ea revera sint Concilia provincialia, tametsi ex quibusdam provinciis constituta. Quippe provinciæ cuilibet liberum est aliam convocare juxta canones apostolicos, Antiochenos & Constantinopolitanos. Zonaras in commentario ad hunc canonem Africanum, qui est XXI. in ejus collectione, cum non satis animadverteret, eo loco agi de synodo generali Africæ, non autem de synodo unius tantum provinciæ, pravam admodum explicationem proposuit, nimirum eo canone juberi, ut Metropolitanus duos Episcopos ex comprovincialibus suis deleget, qui ejus auctoritatem in synodo illa repræsentent, tanquam Vicarii, *τοποτηρηταί*. Balsamo vero contextum canonis integrum non refert, sed synopsin tantum Dionysii Exigui Græce versam; quæ docet, debere Metropolitanos semel unoquoque an. ad synodum accedere, *πρὸς σύνοδον οἱ μητροπολῖται ἔρχονται*. Unde colligendum est, eum canonem intelligi debere de synodo universali, ad quam Metropolitani adesse tenentur cum legatis suarum provinciarum. Porro ope istius versionis Græcæ corrigenda est hoc modo synopsis Dionysiana: *Ut per annos singulos per omnes provincias ad Concilium*

Vide lib. 5. c. 3. §. 1.

lium Metropolitani conveniant. Rejiciendaque est lectio editionis Parisiensis anni MDCXXXVIII. quæ ita habet, *conveniatur*.

V. Concilium autem illud universale Africæ nullas alias causas ad suam cognitionem trahebat, quam eas, quæ communes erant omni clero Africano; ceteras vero, quæ particulares erant, uniuscujusque provinciæ definitioni permittebat. Distinctio illa extat in canone XCV. collectionis canonum Africanorum: *Placuit, ut non sit ultra fatigandis fratribus anniversaria necessitas; sed quoties exegerit causa communis, id est, totius Africæ, undecunque ad hanc sedem de hac re datæ literæ fuerint, congregandam esse synodum in ea provincia, ubi opportunitas persuaserit. Causæ autem, quæ communes non sunt, in suis provinciis judicentur*. In eo porro consistit difficultas, quænam dicerentur causæ communes. Balsamo in commentariis ad hunc canonem ait, causas communes esse illas, quæ dogmaticæ sunt, δογματικαὶ αἰτίαι; quas privatis opponit, id est, controversiis, quæ inter clericos aut Episcopos emergunt. Verum explicatio hæc habet adhuc aliquid difficultatis, eique non convenit cum reliquis canonibus Africanis. Certum quidem est, causas dogmaticas, id est, eas, quæ fidem respiciunt, primas esse inter communes. Sic Pelagii hæresis damnata est in Concilio Carthaginensi generali: de qua relatum est ad Innocentium primum. Sed aliæ quoque causæ in eum numerum referuntur, nimirum controversia, quæ circa jurisdictionem accensa est inter Ecclesias Africanas & summos Pontifices, quæ in Conciliis universalibus Africæ disceptata est. Canones, quorum auctoritate ordinabatur politia ecclesiastica, decernebantur in Conciliis generalibus. In accusationibus vero adversus Episcopos prima causæ cognitio, prout reo libebat, ad synodum provinciæ deferri poterat, vel ad Concilium universale; ut patet ex canone IX. & LXXVII. Itaque omnes illæ causæ annumerantur communibus.

VI. Quoad causas vero Presbyterorum variant canones Africani. Quippe canon XXV. ex Concilio Milevitano desumptus eis liberum esse decernit appellare a judiciis Episcoporum suorum *ad Africana Concilia, vel ad Primates provinciarum suarum*. Idipsum etiam scribit Concilium Africanum in epistola ad Cælestinum Papam: *Unicuique concessum est, si judicio offensus fuerit cognitorum, ad Concilia suæ provinciæ vel etiam universale provocare*. Et nihilominus canone XXVIII. prohibentur, ne ad alios appellent, quam *ad Primates suarum*
Vide lib. 1. c. 10. §. 6. *provinciarum*. Varietas illa explicanda est ope canonis XCV. quo decisio causarum, quæ communes non sunt, permittunt synodo uniuscujusque provinciæ, causarum vero communium synodo generali, adeo, ut si judicium latum adversus Presbyterum aut quemlibet e clero in causam generalem vertatur ob incommoda, quæ inde sequi possent, tum appellatio Presbyteri aut clerici judicari debeat in Concilio generali Africæ. Exempli causa si lis moveatur circa caput aliquod nondum satis perspicue explicatum in canonibus, si is, adversus quem accusatio instituta est, vir sit tali dignitate præditus, ut, si judicium ejus fieret in provinciis, timendum foret, ne tumultus in eis excitarentur, vel si ob illud judicium oriretur conflictio jurisdictionis, quemadmodum accidit in causa Apiarii Presbyteri, aut tandem ob aliquam aliam causam similem. Tunc enim, ut dixi, appellatio Presbyteri aut clerici judicanda est in Concilio generali Africæ. At si tantum agatur de executione canonum, de quorum sententia dubitari non possit circa negotium noviter emergens, tum appellatio terminanda est in unaquaque provincia, neque licet a Concilio provinciali provocare ad universale. Secundum illam regulam legimus appellationem Palladii laici, qui a Triferio Episcopo suo excommunicatus fuerat, itemque appellationem Exuperantii Presbyteri, cui interdictum erat functionibus suis ob gravitatem earum fuisse judicatas in Concilio Taurinatensi ex diversis provinciis congregato. Conc. Taurin. c. 4. 5.

VII. Judicia vero, quæ in Conciliis illis universalibus Africæ fiebant, vel etiam in synodis provincialibus, propter causas, quæ communes erant, suprema prorsus erant, nec ab eis *ad transmarina judicia*, id est, Romam, appellare licebat. *Ad transmarina autem qui putaverit appellandum, a nullo intra Africam in communione recipiatur*. Adeo Canon 28. & 125. certa & inviolabilis erat apud Africanos hæc regula, quoad Presbyteros & reliquos e clero, ut ad Cælestinum Papam scribere non dubitent: *Presbyterorum quoque & sequentium clericorum improba refugia, sicut te dignum est, repellat sanctitas tua; quia & nulla patrum definitione hoc Ecclesiæ derogatum est Africanæ*. Nihilominus, quoad appellationes Episcoporum, Zosimus Papa ejusque successores contendunt, apud sedem apostolicam judicandum esse, an appellatio admitti debeat, quod si justa fuisse appellandi causa videretur, ad Episcopum Romanum pertinere jus statuendi, ut ea retractetur in provincia. Verum id accurate expendimus in dissertatione de judiciis canonicis Episcoporum.

Præterea Concilia universalia Africæ condebant canones, qui in auctoritatem recepti sunt in Ecclesia universali.

CAPUT XXI.

De auctoritate & potestate conciliorum generalium Gallicanorum, & de canonum ibi conditorum valore.

SYNOPSIS.

I. Concilia generalia Galliarum similia prorsus erant Conciliis Africanis. Major synodus *in canone Antiocheno. Conciliorum Gallicanorum auctoritas explicatur. Verba Hilari Papæ referuntur*.

II. Recessit Hilarus ab institutis majorum, confirmans celebrationem Conciliorum ex diversis provinciis.

III. Jubet autem, ut per annos singulos *Concilium generale celebretur. Eo alludit synodus Agathensis. Genuinus sensus synodi Matisconensis secundæ indicatur*.

IV. Jubet postremo Hilarus, ut regulæ, quæ in his Concilis promulgabuntur, sint juxta canonum definitiones. Idem profitentur Concilia Gallicana.

V. Indicantur canones, ad quos alludit Hilarus. De collectione canonum Dionysii Exigui. Liber Canonum *vocatur a Gregorio Turonensi*.

VI. Canones novi secundum auctoritatis gradum obtinebant post antiquos. Probatur ex Augustino, & Agobardo.

VII. De collectione canonum Gallicanorum. Vim legis obtinebant in Hispania.

I. CONCILIA generalia Galliarum eodem nomine nuncupabantur, quo Concilia universalia Africæ, ejusdemque erant auctoritatis. Nam in secunda synodo Matisconensi, quæ de hujuscemodi Conciliis loquitur, legimus *generale Concilium & universale*, in Turonensi vero, quæ anno Conc. Matisc. 2. c. 9. & 20. DLXVII. congregata est, *major synodus*. Quod imitatum est ex canone XII. Concilii Antiocheni, quod majorem synodum vocat eam, quæ extraordinaria erat, convocata nimirum ab Imperatoribus ad judicandas appellationes eorum, qui a judiciis synodi provincialis provocaverant. Concilia isthæc generalia Galliæ condere poterant canones & causas judicare. Canones pro libito condere poterant, modo contrarii non essent canonibus Conciliorum generalium, & definitivo judicio terminare omnes causas ecclesiasticas, quæ synodis provincialibus visæ essent difficiles. Quod si generali Concilio tanta esse videretur difficultas, ut solvi non posset, consulenda erat sedes apostolica. Ea est sententia Hilari Papæ in epistola scripta an. CDLXII. ad Episcopos quin-

quinque provinciarum Galliæ, Viennensis videlicet, Lugdunensis, utriusque Narbonensis, & Alpium Penninarum: cui præiverat Innocentius primus ad Victricium Episcopum Rothomagensem similia Hilaro scribens de auctoritate synodorum provincialium, & majores causas ad apostolicam sedem referendas esse. *Ut si quid usquam*, inquit Hilarus, *vel in ordinandis Episcopis vel Presbyteris aut cujuslibet loci clericis faciendis contra præcepta apostolica reperitur admissum, aut in eorum conversatione quicquam reprobatur, communi omnium auctoritate resecetur*. Infra: *Nec cuiquam licebit a regulis evagari, quas sibi juxta canonum definitiones unita fraternitas in commune præfixerit; cum, imminente quotannis examine, ita singuli actus suos dirigent, ut his discussio judicii optari magis debeat, quam timeri. In dirimendis sane gravioribus causis, & quæ illic non potuerint terminari, apostolicæ sedis sententia consulatur*.

II. Tria quædam observanda sunt in hoc decreto. Primum quidem summum illum Pontificem disertis verbis confirmare celebrationem Conciliorum ex diversis provinciis congregatorum, contra quam visum erat prædecessoribus ejus Innocentio & Leoni. Hi quippe edixerant, ut unaquæque provincia suis specialibus Conciliis contenta esset, in quibus causæ terminarentur, neque licere ad alias provincias convolare. Quod eo consilio, ut ego quidem existimo, actum est, ut ea arte facilius flecterent provinciales ad consulendam statim Romanam sedem. *Suis unaquæque provincia sit contenta Conciliis*, inquit Leo. *Nec alicui liceat*, inquit Innocentius, *ad alias convolare provincias*.

III. Secundum caput in eo constat, quod Concilium illud generale jubetur celebrari semel in anno, *per annos singulos*; non autem bis, velut synodi provinciales, quod ad formam Concilii universalis Africæ institutum est. Ad ea decreta alludit synodus Agathensis, cum præcipit, ut Concilium Episcoporum regni Gotthici, ex quibus illa constabat, renovetur annis singulis, secundum constituta patrum: *Synodum etiam juxta constituta patrum singulis annis placuit congregari*. Falluntur autem, qui in eo canone agi putant de Conciliis provincialibus; nisi ostendant, in præcedentibus canonibus celebrationem eorum Conciliorum semel tantum anno jussam, quemadmodum LXXI. canon Agathensis supponit. Id quod probari non potest, nisi quoad Concilia generalia, ut dixi. Tempus autem illud ad triennium coercet canon vigesimus Concilii Matisconensis secundi, perperam a nonnullis intellectus de synodis provincialibus: *Ad synodum post triereticum tempus omnes conveniant*, id est, ex omnibus provinciis, quæ tum coiverant.

Canon. 71. Concil. Agath.

IV. Tertium caput, quod est magni momenti, consistit in modificatione, quam facit Hilarus, nimirum, ut regulæ, quæ in his Conciliis promulgabuntur, sint *juxta Canonum definitiones*. Eadem est sententia Concilii Venetici in epistola synodica: *Ut quæ in prioribus patrum statutis videmus omissa, & procedente tempore licentia ex nimia labentis seculi libertate præsumpta, statutis saluberrimis sanciremus*. Hinc factum, ut præfationes omnium Conciliorum hanc cautionem contineant, velle se canones antiquos renovare & novos condere ad evellenda nova mala. Et in epistola tractoria Aviti Episcopi Viennensis, qua collegas suos evocat ad Concilium Epaonense, legitur, id Concilium ea de causa convocari, ut animi omnium revocentur ad memoriam antiquorum canonum, & ut novi condantur; si res ita ferat: *Justum est, quantum reor, ut constitutis prioribus sub communis præsentiæ opportunitate tractatis, nostris simul nobisque, prout ordo collocutionis invenerit, vel insinuemus vetera, vel si necesse est, etiam nostra jungamus*. Eadem fuit sententia Concilii Arvernensis habiti an. DXXXV. cujus ea sunt verba: *Id nobis rationabile visum est, ut, quamvis ecclesiasticæ regulæ pene omnia comprehendant, tamen quædam vel adderentur nova, vel repeterentur antiqua*.

Avit. epist. 80.

V. Canones antiqui, ad quos alludit Hilarus, nulli alii sunt præter eos, qui continentur in collectione, quæ canone primo Concilii Chalcedonensis recepta est, id est, canones Nicæni, Ancyrani, Neocæsarienses, Gangrenses, Antiocheni, Laodiceni & Constantinopolitani, ne interim Chalcedonenses omittam, quæ collectio Latine versa est tempore Concilii Chalcedonensis. Sed quoniam translatio ista confusa erat & indigesta, Dionysius Exiguus, natione Scytha, & Abbas apud Romam novam versionem aggressus est ævo Justiniani Imperatoris; quæ statim obviis ulnis excepta est ab Ecclesia Romana, ut testatur Cassiodorus: *Ex Græcis exemplaribus canones ecclesiasticos moribus suis, ut erat planus atque disertus, magna eloquentiæ luce composuit, quod hodie usu celeberrimo Ecclesia Romana complectitur*. Ceterum sufficere visa non est Dionysio collectio canonum Græcorum. Itaque, ut eam integram esse efficeret, canones Sardicenses addidit, & collectionem canonum Africanorum, præter quinquaginta canones apostolicos, qui prima statim fronte occurrunt apud Dionysium. Constat integra hæc collectio ex CCCLXXII. canonibus: quos statim subsequuntur decreta Pontificum Romanorum Syricii, Innocentii, Zosimi, Cælestini, Leonis, Gelasii & Hilari. Corpus illud canonum & epistolarum decretalium statim in universo occidente obtinuit ad dirimendas lites ecclesiasticas; præcipue vero in Gallia, ut patet ex Gregorio Turonensi, qui illud vocat librum canonum.

Vide lib. 3. c. 3. §. 7.

Cassiod. c. 23. div. lect.

Vide supra lib. 3. c. 4. §. 3.

VI. Ex iis, quæ dicta sunt, colligi potest, eam Hilaro Papæ & Episcopis Gallicanis mentem fuisse, ut debitam antiquis canonibus in veteri collectione comprehensis reverentiam custodirent, & ut suos tantum conderent ad interpretationem & supplementum antiquorum, quibus derogari non poterat. Canones itaque novi secundum auctoritatis gradum obtinebant post antiquos; quia Concilia regionalia cedere debent Conciliis plenariis Ecclesiæ universalis, ut sanctus Augustinus scribit. *Ipsa Concilia*, inquit, *quæ per singulas regiones vel provincias fient, plenariorum Conciliorum auctoritati, quæ fiunt ex universo orbe Christiano sine ullis ambagibus cedunt*. Quare Agobardus Archiepiscopus Lugdunensis præclare dicebat de canonibus Ecclesiæ Gallicanæ, canonum Gallicanorum sanctiones non esse passim æquali auctoritate recipiendas, *ut Nicæni, Chalcedonensis, & ceterorum generalium ex totius mundi consensu congregatorum receptorum; sed quia congrua veneratione pro causis necessariis, quarum definitiones in illis generalibus non inveniuntur, fides sit eis adhibenda religione debita*. Canones illos vocavi novos post Concilium Vasense anni DXXIX. cujus ea sunt verba ex præfatione: *Et quamvis omnia, quæ a sanctis sacerdotibus vel clericis observari debeant & antiqui & novelli canones continere probentur &c.*

Aug. lib. 2. de Bap. c. 3.

Agobardus in libro adversus legem Gundobati cap. 12.

Vide supra lib. 3. cap. 4. §. 6.

VII. Eorum canonum collectio fiebat, qui conditi erant ab universa Ecclesia Gallicana, vel a quadam ejus portione, sive in regno Wisigotthorum, Burgundionum aut Francorum, sive etiam in provincia Gallicana regni Italiæ, in qua habitæ fuere synodi Arausicanæ & aliæ quædam provinciales; hique canones recipiebantur ab Episcopis aliarum provinciarum, confecta collectione sub nomine Gallicanorum canonum. Id docet epistola encyclica Cæsarii Episcopi Arelatensis data anno DXXXIV. qui adducit canones a Joanne secundo Papa missos ad significandam pœnam crimini debitam, quod Episcopo Rejensi Contumelioso objiciebatur, qui descripti sunt ex collectione Dionysiana: quibus addit Cæsarius canonem nonum Concilii Nicæni, & dein titulum hunc apponit; *Incipiunt tituli Canonum Gallicani*. Addit quoque canonem quartum Valentinum, nonumque Concilii primi Aurelianensis, tum XXIII. Arausicani primi, & XXII. Concilii Epaonensis. Demum his verbis epistolam suam concludit: *Ecce manifestissime constat, quia, secundum quod & tituli antiquorum patrum*,

Vide lib. 3. c. 4. §. 6.

patrum, -- sed & canones Gallicani continere videntur, clerici in adulterio deprehensi, aut ipsi confessi, aut ab aliis revicti, ad honorem redire non possunt.

Vide Notas Baluzii ad Agobardum pag. 50. Ecclesiarum communicatio efficiebat, ut in Hispaniis quoque vim legis obtinerent canones Gallicani, ut patet ex Concilio Tarraconensi habito anno DXVII, quod eos recipit, quoad monachorum statum: *Canonum ante omnia Gallicanorum*, inquit, *de eis constitutione servata*.

CAPUT XXII.

Decreta Conciliorum generalium a Regibus Galliarum confirmanda fuisse ad exemplum Conciliorum œcumenicorum ab Imperatoribus confirmandorum ostenditur.

SYNOPSIS.

I. Ad executionem publicam canonum necessaria erat auctoritas regia & tuitio. Confirmatio canonum decernenda est a Principe cum cognitione causæ.

II. Imperatores confirmaverunt Concilia œcumenica. Theodosii confirmationem petit secunda synodus œcumenica.

III. Synodus Aurelianensis prima tractavit de titulis a Clodoveo Rege propositis, a quo Episcopi petunt confirmationem canonum. Actum id a Clodoveo ad exemplum Theodosii.

IV. Insignis est locus e synodo CP. sub Mena ad probandam in hac materia Principum auctoritatem.

V. Justinianus Concilio quinto proposuit materiam, quæ tractanda erat.

VI. Synodus Aurelianensis secuta est exemplum veterum Conciliorum. Eam Clodoveus confirmavit, tametsi edictum ejus non extet. Cur necessaria confirmatio Principum.

VII. Expenditur edictum Clotarii Regis pro confirmatione canonum Concilii Parisiensis quinti. De electionibus Episcoporum. De venia clericorum. De eorum causis. Quinam sint juniores Ecclesiæ. Crimina privilegiata. De statu libertorum. Edictum illud decretum est ex sententia & consilio Episcoporum & optimatum regni. Quare summo applausu acceptum est a personis ecclesiasticis. De raptoribus viduarum aut monialium.

VIII. Post conditos canones agebatur de judiciis causarum.

IX. In Conciliis generalibus tractabantur causæ communes, id est, magni momenti. Imperatores dare poterant judices ecclesiasticos in causa ecclesiastica. Non licebat excedere terminos causarum in synodo propositarum a Principe. Probatur variis exemplis.

I. SEd præter modificationem a me paulo ante explicatam circa convenientiam novorum & antiquorum canonum, necessarium insuper erat, ad executionem eorum publicam, ut Regum nostrorum auctoritate firmarentur. Quo in capite ii jure Imperatorum utebantur, quibus successerant in provinciis, quæ, cadente imperio, regiæ Francorum coronæ cesserant. Episcopi vero Gallicani eundem ordinem servabant, quem veteres Episcopi in Conciliis universalibus congregati tenuerant, petendo nimirum confirmationem decretorum ab Imperatoribus, sive pro damnatione hæreseos, sive etiam pro constitutione disciplinæ ecclesiasticæ. In quibus tamen discrimen observare licet. Nam vis & robur definitionum in materia fidei non pendent ab auctoritate Principum, sed ab ecclesiastica: quæ sola potest judicare de jure, & ad quam pertinet inquirere, an opinio, quæ controvertitur, hæretica sit, an orthodoxa; adeo ut, quoad hoc, nullæ aliæ sint auctoritatis regiæ partes, quum decreta de fide confirmat, nisi, ut supremam tuitionem impertiat executioni rerum judicatarum, utque pœnis ecclesiasticis addat seculares, exilii videlicet, publicationis, & ultimi supplicii. Quantum autem ad canones; cum ii legum loco sint & instituta perpetua, quæ spectant ad subditos Principum, sive clericos, sive laicos, novamque politiam introducant in dispositionem civilem, valde interest Principum, ne eorum ante executionem permittant quam eos consideraverint, ut sciant, an aliquid in eis contineatur, quod lædat utilitatem publicam aut jura & tranquillitatem imperii. Quare confirmatio horum canonum decernenda est a Principe cum cognitione causæ; quandoquidem eis vim legis publicæ in regno tribuit acceptatio & consensus Principis, tanquam capitis populorum, & confirmatio etiam, tanquam Principis, qui superiorem non agnoscit.

(Vide lib. 2. c. 10. & seqq. Vide lib. 4. c. 5. §. 1. — Vide lib. 2. c. 10. §. 8.)

II. Vetus illa consuetudo probari potest tum ex praxi, tum etiam ex edictis Constantini, Theodosii, Marciani & Justiniani Imperatorum: qui confirmaverunt decreta Concilii Nicæni, Constantinopolitani, Ephesini, Chalcedonensis & Constantinopolitani sub Agapeto & Mena. Verum sufficit, quod ad præsens institutum attinet, epistola synodica Concilii CP. œcumenici secundi ad Theodosium Imperatorem; in qua patres ajunt, se ex officio teneri ad relationem eorum, quæ in synodo gesta sunt, Principi mittendam; adduntque, se damnasse hæreses subortas adversus catholicam fidem, ac præterea quasdam regulas pro disciplina Ecclesiæ constituendas decrevisse, quas epistolæ adjungunt. Quapropter clementiam Principis orant, ut ea confirmare dignetur. *Rogamus itaque tuam clementiam, ut per litteras quoque tuæ pietatis confirmetur Concilii decretum; ut sicuti litteris, quibus nos convocasti, Ecclesiam honore prosecutus es, ita etiam finem eorum, quæ decreta sunt, obsignes.* Vide lib. 2. c. 10. §. 9. & seqq.

III. Quoad vero praxim Ecclesiæ Gallicanæ, illustrius exemplum proferri non potest quam epistola synodica Concilii Aurelianensis primi, quod ceterorum forma & exemplar esse debet. Tractant enim patres de *titulis*, id est, Capitibus a Rege propositis, cujus judicio submittunt canones a synodo conditos, quorum confirmationem petunt. *Quia*, inquiunt in epistola ad Clodoveum Regem, *tanta ad religionis catholicæ cultum gloriosæ fidei cura vos excitat, ut sacerdotalis mentis affectu sacerdotes de rebus necessariis tractaturos in unum colligi jusseritis, secundum voluntatis vestræ consultationem & titulos, quos dedistis ea, quæ nobis visum est, definitione respondimus; ita, ut, si ea, quæ nos statuimus, etiam vestro erecta esse judicio comprobantur, tanti consensus Regis ac Domini majori auctoritate servandam tantorum firmet sententia sacerdotum.* At non fortuito, aut per occasionem, synodus deliberat de materia a Rege proposita, sed quia inter jura regia & hoc etiam eximium est, ut Conciliorum cognitionem Principes intra certos limites coerceant, servato quoque ordine præscripto. Modus hic agendi deprehenditur in literis Imperatoris Theodosii pro convocatione Concilii Ephesini primi atque item secundi, in quibus præscribit materias, de quibus tractari oporteat. Praxis autem illius instituti extat in Chalcedonensi synodo; quæ coacta quidem erat ad definiendam causam fidei; sed cum ad causarum particularium judicium ventum est, sive adversus Dioscorum, sive aliam ob causam, tum in actis leguntur nonnullorum libelli Marciano Imperatori oblati petentium, ut eorum causæ judicentur in Concilio una cum rescripto Principis.

IV. Singularis est in hac materia auctoritas Concilii CP. sub Mena. Imperator Justinianus in ea urbe synodum congregaverat an. DXXXVI. ex Episcopis quatuor patriarchatuum Ecclesiæ orientalis ad judicandas accusationes, quas adversus Anthimum Episcopum Trapezuntinum proponebat Marianus Archimandrita. Postquam is judicio synodi dejectus fuit, Episcopi patriarchatus Antiocheni, itemque nonnulli alii Episcopi, monachi, ac Vide lib. 2. c. 10. §. XI.

clerici

clerici enixe & cum acclamationibus extraordinariis a Mena Patriarcha efflagitarunt, ut statim sententiam damnationis & anathema pronuntiaret adversus Severum Episcopum Antiochenum, Petrum Episcopum Apameæ, & Zoaram monachum, complices hæreseos Anthimi. At Menas, qui videbat, literas Principis pro convocatione Concilii solius Anthimi mentionem facere, respondet, referendum esse de hac petitione ad Principem. Nam addit ille, *nihil eorum, quæ in sanctissima Ecclesia moventur, convenit fieri præter sententiam & jussum ipsius. Rogamus itaque vestram charitatem in præsentiarum quiescere, ut nos tempus accipiamus referre ad pias suas aures ea, quæ a vobis exclamata fuerunt.* Tum in actione quinta extant libelli Justiniano oblati ab Episcopis secundæ Syriæ & ab Archimandritis, quibus eum orant, ut jubeat Menæ Patriarchæ & synodo, ut judicium peragant adversus illos hæreticos. Post quæ mandatum Principis exiit, delatum ad synodum *per Theodorum Referendarium, qui detulit pium ejus mandatum, quo jubet sanctæ vestræ synodo, ut ea omnia discutiat, quæ libello continentur*, ut ajunt monachi in libello suo ad synodum.

Act.IV. Concilii CP. sub Mena.

V. Eo fundamento patres Concilii quinti œcumenici Vigilium Papam per Legatos orarunt, ut ad synodum accederet, simul cum iis tractaturus de tribus capitulis. Materia enim isthæc proposita Concilio fuerat ab Imperatore Justiniano in literis convocationis. *Adhortantes vero eum* (id est, Vigilium) *convenire una nobiscum & tractare & disponere de tribus capitulis, de quibus piissimus Imperator nos ejusque beatitudinem in scriptis interrogavit.*

Concil. V. coll. 2.

VI. Ex quibus colligi potest, patres Concilii Aurelianensis secutos esse exemplum obsequii Principibus exhibiti ab antiquis Episcopis. Quare dubitandum non est, quin Clodoveus synodum illam confirmaverit, tametsi edictum ejus non extet, quod ea Principes ab Episcopis discere debeant, quæ ad doctrinam fidei, vel morum spectant, *ut audiant ex ore patrum, quod sacrum est*, ut ait Concilium quintum Aurelianense in præfatione. Tenentur enim præterea Principes auctoritate sua exteriori fulcire documenta, quæ consentanea sunt sacræ scripturæ & traditioni. Canones autem de disciplina conditi confirmari debent pro bono status ecclesiastici, qui regiæ protectioni subjacet.

Caremus aliorum Principum edictis pro confirmatione canonum datis; quod sufficere persæpe crederent, si eos verbo firmarent, eorumque executionem permitterent. Attamen non adeo sumus infelices in hac quoque parte, quin supersint illustria aliquot exempla hujus moris. Primum enim proferri potest declaratio Episcoporum in urbe Pictaviensi congregatorum anno DXC. ad judicandam causam monialium Pictaviensium; qui ajunt, causas religionis communicandas esse Regibus regionis, ut illis quodam modo socientur, & eorum decreto firmentur: *Propitia divinitate piis atque catholicis populo datis Principibus, quibus concessa est regio, rectissime causas suas patefacit religio, intelligens, sacrosancto participante spiritu, eorum, qui dominantur, se sociari & constabiliri decreto.*

Greg. Turon. lib. 10. c. 16.

VII. Edictum Clotarii Regis, quo canones Concilii Parisiensis habiti anno DCXIV. confirmantur, expressius ostendit, non solum Principes confirmasse canones in synodis editos, sed etiam eis addere solitas modificationes, in iis præcipue capitibus, quæ vim auctoritatis regiæ & jurisdictionis secularis infringebant. Edixerat Concilium illud, in primo canone, Episcopum esse eligendum a Metropolitano & Episcopis comprovincialibus, itemque a clero & populo civitatis, si vero aliquis *potentia* ordinaretur, ejus ordinationem fore nullam. Ei canoni, qui novare tentabat adversus antiquos canones & jura regia, modificationem adhibet edictum Clotarii. Quippe jubet, ut electio fiat a clero & populo, non autem a Metropolitano & comprovincialibus Episcopis, a quibus ordinationem peragi præcipit juxta antiquos canones. Ad conservanda autem jura regia, quorum dignitatem violare velle videtur synodus vocem potentiæ usurpando, jubet, ut, si electus fuerit dignus, ordinetur secundum mandatum Principis; vel certe, si e palatio eligatur, juxta merita doctrinamque suam ordinetur. Ceterum ea modificatio iis verbis concepta est, quæ simul canonis confirmationem continent: *Ideoque definitionis nostræ est, ut canonum statuta in omnibus conserventur, & quod per tempora ex hoc prætermissum est, vel de hinc perpetualiter observetur; ita, ut Episcopo decedente, in loco ipsius, qui a Metropolitano ordinari debet cum provincialibus, a clero & populo eligatur. Et si persona condigna fuerit; per ordinationem Principis ordinetur. Vel certe si de palatio eligitur, per meritum personæ & doctrinæ ordinetur.*

Canone tertio prohibetur clericis, sub pœna depositionis, ne Principem, aut ullam aliam potestatem adeant, omisso proprio Episcopo; nisi si ad eos accedant pro obtinenda venia. Clausula illa duo quædam significat, veniam scilicet criminis, quoad leges publicas, & postulationem Episcopo faciendam pro indulgentia, remissione aut moderatione pœnitentiæ. Exemplo esse potest Childebertus, qui Episcoporum clementiam imploravit pro Crodielde & Basina apud Gregorium Turonensem, itemque Rex Sigismundus pro Stephano in Concilio Lugdunensi. At edictum addit, recipiendum esse clericum ab Episcopo suo, si Principis epistolam ad eum deferat, quacunque tandem de causa Principem imploraverit: *Et si pro qualibet causa Principem expetierit, & cum ipsius Principis epistola ad Episcopum suum fuerit reversus, excusatus recipiatur.* Hac modificatione edicti Clotarii usus est Carolus Calvus an. DCCCXLIII. in causa Presbyterorum Septimaniæ, qui opprimi se a suis Episcopis querebantur: *Ut Episcopi nullam inquietudinem, sive exprobratione Presbyteris aut aperte ingerendo, aut alia qualibet occasione machinando, pro eo, quod se ad nos hac vice reclamare venerunt, inferant; quia longa oppressio hujusmodi itineris eos fecit subire laborem.*

Greg. Turon. lib. 10. c. 20. Concil. Lugdun. an. 517.

Capitulare Tol. c. 1.

Canon quartus magni momenti est ad extollendam jurisdictionem ecclesiasticam in detrimentum secularis. Ejus hæc sunt verba: *Ut nullus judicum neque Presbyterum neque Diaconum vel clericum ullum aut juniores Ecclesiæ sine scientia Pontificis per se distringat aut damnare præsumat. Quod si fecerit, ab Ecclesia, cui injuriam fecisse dignoscitur, tamdiu sit sequestratus, quamdiu reatum suum corrigat & emendet.* Quid Episcopi velint, recte explicat hic canon. At edictum causas distinguit, & utriusque jurisdictionis terminos accurate admodum præscribit. Nam discrimen esse docet inter causas civiles & criminales, itemque inter Presbyteros, Diaconos & clericos inferioris ordinis. De causis civilibus clericorum, cujuscunque ordinis sint, seculares judices non posse cognoscere, nisi causa citra omnem controversiam fuerit evidens & manifesta; exceptis nihilominus Presbyteris & Diaconis, quorum omnes causæ civiles ab Episcopis eorum omnino judicandæ sunt, quoad causas vero criminales omnium clericorum, si capitales essent, examinandas esse a judicibus secularibus simul cum Episcopis, quod si causa vertatur inter hominem Ecclesiæ addictum, cujusmodi viros *juniores Ecclesiæ* vocat hic canon, & hominem liberum, judicandam esse in audientia publica a præposito Ecclesiæ & judice publico. Hæc sunt verba edicti: *Ut nullus judicum de qualibet ordine clericos de civilibus causis præter criminalia negotia, per se distringere aut damnare præsumat, nisi convincitur manifestus; excepto Presbytero, aut Diacono. Qui vero convicti fuerint de crimine capitali, juxta canones distringantur, & cum Pontificibus examinentur. Quod si causa inter personam publicam & homines Ecclesiæ steterit, pariter ab utraque parte præpositi Ecclesiarum & judex publicus in audientia publica positi ea debeant judicare.* Causas criminales judicibus secularibus refer-

reservaverat Concilium Matisconense primum anno DLXXXI. cujus ea sunt verba in canone septimo: *Absque causa criminali, id est, homicidio, furto, aut maleficio*. Synodus vero Pictaviensis, apud Gregorium Turonensem, crimina capitalia his tribus vocabulis comprehendit, *adulterium, homicidium* & *maleficium*. Verum materia hæc non est hujus loci. In præsentiarum satis erit adnotare modificationem canonis edicto Clotarii introductam; cui accepta referri debet origo instituti, quo clericos gravium criminum reos, quæ nunc *privilegiata* dicuntur, a judice ecclesiastico & seculari conjunctim judicari apud nos invaluit.

Greg. Turon. lib. 10. cap. 16.

Canon quintus Episcoporum jurisdictioni absolute submittit quæstiones de statu & libertate libertorum, adeo, ut Episcopis licere edicat, eos excommunicatione plectere, qui libertos revocare conarentur ad pristinam servilem conditionem, nisi rationem actus sui reddant Episcopo aut præposito Ecclesiæ. Edictum vero nihil Episcopo tribuit præter protectionem libertorum, & ut præsens sit in judicio, quod in ea causa feret judex publicus: *Libertos a sacerdotibus juxta textus chartarum ingenuitatis suæ defendendos, nec absque præsentia Episcopi aut præpositi Ecclesiæ esse judicandos, vel ad publicum revocandos*. Ceterum hujus loci auctoritate modificatus quoque censeri potest canon septimus Concilii Matisconensis secundi, quod omnem judicibus secularibus cognitionem ademit in hac materia, nisi si Episcopo visum fuerit eos in audientiam accersere.

Si edictum illud extaret integrum, alias proderet modificationes aut explicationes jurium regiorum; & fortassis ob similem diligentiam amissa sunt edicta aliorum Principum. Ex hoc autem edicto colligi potest, Reges confirmasse decreta Conciliorum cum cognitione causæ, tum non ita severe accipienda esse verba canonum, quando de jurisdictione seculari agunt, ut ab iis discedere nefas esse putemus vel transversum unguem; contra æquum esse, ut explicentur ac terminis quibusdam circumscribantur, eaque modificatio adhibeatur, quæ legibus antiquis & Principum possessioni congruat, ne regia auctoritas detrimentum patiatur. Ea porro regula in primis uti oportebit, quoad posteriorum seculorum Concilia, quæ maxime tentarunt imminuere regiam potestatem in res & personas ecclesiasticas.

Sed observandum hauddubie est edictum illud Clotarii, quo nonnulla alia capita continentur, latum non esse per vim, sed ex sententia & consilio Episcoporum & optimatum regni, ut ex ipsis edicti verbis constat: *Quicunque vero hanc deliberationem, quam cum Pontificibus vel tam magnis viris optimatibus aut fidelibus nostris in synodali Concilio instituimus, temerare præsumpserit, in ipsum capitali sententia indicetur; qualiter alii non debeant similia perpetrare. Quam auctoritatem vel edictum perpetuis temporibus valiturum manus nostræ subscriptionibus decrevimus roborandum*. Adeo autem acceptum illud fuit personis ecclesiasticis, ut synodus Remensis congregata anno DCXXX. excommunicationi subdat judices, qui aut canones ipsos in contemptum hujus edicti aut edictum ipsum violabunt. Solebat enim disciplina illius seculi, quo pœnitentiæ publicæ in usu erant, eos judices aliasve personas, ex consensu Regum, excommunicatione plectere, quos eorum edicta pœnæ capitali subjiciebant. *Judices*, inquit synodus Remensis, *qui super auctoritate & edicto dominico canonum statuta contemnent, vel edictum illud dominicum, quod Parisiis factum est, violaverint aut contempserint, placuit eos communione privari*. In ejusdem Concilii Remensis canone XXIII. excommunicantur ii, qui *viduas vel puellas Domino consecratas* rapuerint etiam *per auctoritatem regiam*. Quod ea de causa præcipitur, quoniam edictum Clotarii irrita esse decernit hujusmodi rescripta, & raptores, qui sibi jungunt moniales, pœnæ capitali subjicit.

VIII. Postquam canones conditi erant, de causarum judiciis agebatur. Id docet canon primus Concilii Arvernensis, habiti anno DXXXV. relatus in Decreto Ivonis Carnotensis: *In primis placuit, ut quoties secundum statuta patrum sancta synodus congregatur, nullus Episcoporum aliquam prius causam suggerere audeat, quam ea, quæ ad emendationem vitæ, ad severitatem regulæ, ad animæ remedia pertinent, finiantur*. Ivo par. 5. c. 1.

IX. Existimandum est, causas in his Conciliis tractari consuevisse secundum distinctionem in canonibus Africanis prolatam, id est, in eis tractatum non fuisse, nisi de causis communibus & magni momenti, veluti fidei, disciplinæ, aut accusationum adversus Episcopos, sive institutæ illæ essent ob eorum mores, sive etiam ob vitia ordinationum. Jam enim ostendi auctoritate quamplurium canonum Ecclesiæ Gallicanæ, causas Presbyterorum & aliorum clericorum, atque etiam causas civiles Episcoporum judicari solitas in synodis provincialibus citra appellationem. Sed præter accusationes adversus Episcopos nonnullæ etiam causæ magni momenti in synodo diversarum provinciarum judicabantur jussu Principum. Exemplo erit gravis controversia, quæ exarsit inter Chrodieldem filiam Chariberti Regis monialem in monasterio beatæ Radegundis Pictaviensis & Leuboveram Abbatissam: quæ controversia judicata est in Concilio Pictaviensi ab Episcopis, quos ea de causa congregaverant Guntramnus & Childebertus Reges. In epistola autem sua ad Reges missa, qua eorum sententia continetur, Episcopi confitentur, se congregatos esse ab iis ad judicium illius causæ; neque altius scrutantur, an Regibus liceat judices ecclesiasticos dare in causa ecclesiastica, quod intelligerent, canonem centesimum quartum Africanum eam auctoritatem agnovisse in Imperatoribus. Igitur judicium fertur, non solum a Metropolitano provinciæ, sed etiam ab Episcopis alienarum provinciarum, ad unicam hanc causam judicandam congregatis jussu Principum, ad cujus solius cognitionem coerciti sunt. *Et quia*, inquiunt Episcopi, *ex jussione potestatis vestræ, cum ad Pictavam civitatem pro conditionibus monasterii sanctæ recordationis Radegundis convenimus, ut altercationes inter Abbatissam ejusdem monasterii & monachas ipsis disceptantibus agnoscere deberemus, evocatis partibus &c.* In calce autem epistolæ, restituta Abbatissa, excommunicatisque Chrodielde & complicibus ejus, addunt: *Hæc nos pro vestra jussione, quod ad ecclesiasticum spectat ordinem, circumspectis canonibus, absque personarum aliqua acceptione, suggerimus peregisse*. Venia tamen eis data est, rogante Childeberto Rege, in Concilio, quod eodem anno convenit in civitate Metensi: *Utriusque Rex veniam impertiri deprecatus est; & sic in communionem receptæ*.

Examen regulæ sancti Columbani, quam multi arguebant superstitionis, peractum est anno DCXXVII. in synodo generali Episcoporum regni Burgundici, quod complectebatur medietatem fere provinciarum Galliæ, ab Episcopis a Clotario Rege convocatis, *qui statuit, ut synodali examinatione probarentur*. Infra: *Tunc emanante regale auctoritate multi jam Burgundiæ Episcopi in suburbio Matisconensis urbis conveniunt*.

Jonas monachus in vita Eustasii, relatus tom. I. Concil. Gall. p. 477.

Audoenus Rothomagensis Archiepiscopus narrat in vita sancti Eligii, quendam hæreticum Monothelitam e Græcia profugum, in Galliam se contulisse, & apud Augustodunensem urbem clanculum docuisse pravam suam doctrinam, Regemque Clodoveum secundum congregasse Concilium apud urbem Aurelianensem anno DCXLV. in quo hæreticus ille damnatus fuit, & pulsus e regno, exemplaque sententiæ adversus ipsum latæ per singulas civitates commeasse.

Vita S. Eligii lib. I. c. 34.

Quinquennio post, id est, anno sexcentesimo quadragesimo nono, eam hæresim Martinus Papa primus damnavit in Concilio Romano; cujus acta

acta misit ad Amandum Trajectensem Episcopum, ut ejus cura damnatio in eo Concilio decreta firmaretur consensione Episcoporum illarum partium in synodo congregatorum; *Atque synodali conventione omnium fratrum & coepiscoporum nostrorum partium illarum effecta, secundum tenorem encycliæ a nobis directæ scripta una cum subscriptionibus vestris nobismet destinanda concelebrent, confirmantes atque consentientes eis, quæ pro orthodoxa fide & destructione hæreticorum vesaniæ nuper exortæ a nobis statuta sunt.*

Martinus PP. in epist. ad Amandum Traject. Episc.

CAPUT XXIII.

De moribus Hispaniæ in convocandis Synodis generalibus.

SYNOPSIS.

I. Hispania iisdem moribus vivebat, quibus Gallia. Reges illic convocabant Concilia generalia, eorumque canones confirmabant. Concilium Toletanum tertium convocatum est a Recaredo Rege, qui canones ejus edicto suo confirmavit. Tum temporis Gallia Narbonensis pertinebat ad regnum Hispaniæ. Cinthila Rex confirmavit Concilium Toletanum quintum.

II. Episcopi Hispani distinguebant causas, quæ tractandæ erant in Concilio generali ab iis, quæ pertinebant ad cognitionem Conciliorum provincialium. Probatur ex Concilio Toletano quarto.

III. Concilium Toletanum octavum jubet, ut diversitas judiciorum referatur ad Concilium universale Hispaniarum.

I. Verum ne quis existimet, Reges nostros excessisse limites auctoritatis suæ, cum generalia regni Concilia convocabant, eorumque canones confirmabant, adferam exemplum Hispaniarum, in quas eadem praxis introducta est, statim atque Recaredus Rex, Gotthicæ stirpis, ejurato Arrianismo, catholicam religionem amplexus est. Is ergo Concilium Toletanum tertium congregavit an. DLXXXIX. cui interfuerunt Episcopi sex provinciarum Hispaniæ, aut per se, aut per legatos suos, scilicet Toletanæ, Hispalensis, Bracarensis, Emeritensis, Tarraconensis & Narbonensis, quæ tum pertinebat ad regnum Hispaniæ. Unde factum, ut Concilium illud, itemque alia generalia, dicatur *synodus Episcoporum totius Hispaniæ & Galliæ*. Editi sunt in eo Concilio canones XXIII. quos edicto suo confirmavit Recaredus, eorumque titulos ei inseruit: *Capitula enim, quæ nostris sensibus placita, & disciplinæ congrua a præsenti conscripta sunt synodo in omni auctoritate sive clericorum, sive laicorum, sive quorumcunque omnium observentur & maneant.* Infra: *Has omnes constitutiones ecclesiasticas, quas summatim breviterque perstrinximus, sicut plenius in canone continentur, manere perenni stabilitate sancimus.* Subscriptio autem ejus ita habet: *Flavius Recaredus Rex hanc deliberationem, quam cum sancta definivimus synodo, confirmans subscripsi.* Tum subscribunt Metropolitani, Episcopi, & absentium legati, LXII. numero. Concilium porro Toletanum quintum anno DCXXXVI. edicto suo confirmavit Rex Cinthila.

II. Exemplo Africæ & Galliarum, Hispaniarum Episcopi distinguebant causas, quæ tractandæ erant in Concilio generali ab iis, quæ pertinebant ad cognitionem Conciliorum provincialium. Diserte id docet canon tertius Concilii Toletani quarti a Rege Sisenando convocati an. DCXXXIII. cui præfuit Isidorus Hispalensis: *Si causa fidei est, aut qualibet alia Ecclesiæ communis, generalis totius Hispaniæ & Galliæ synodus convocetur. Si vero nec de fide nec de communi utilitate tractabitur, speciale erit Concilium uniuscujusque provinciæ, ubi Metropolitanus elegerit peragendum.*

III. In Concilio octavo Toletano habito anno DCLIII. jussu Regis Recesvvinthi, canone XI. nova quædam causa reservatur Concilio universali, videlicet cum in quæstione quapiam reperitur diversitas judiciorum: *Ut illic de diversitate judiciorum protensæ lites habeant terminum, ubi spiritus sanctus universalem coadunavit cœtum.* Dein Concilium jubet, ut universi canones horum Conciliorum, *generalia statuta*, inviolabiliter observentur.

CAPUT XXIV.

De Synodis auctoritate Carlomanni & Pipini congregatis, & confirmatis.

SYNOPSIS.

I. Ignoratio canonum pessumdedit ecclesiasticam politiam sub finem primæ Regum nostrorum dynastiæ. Inde factum, ut nonnullæ gentes in limite Rheni ad idololatriam converterentur. Ea de causa missus in Germaniam Bonifacius; quem Gregorius secundus Papa commendavit Carolo Martello. Obliterata erat in regno Austrasiorum consuetudo celebrandorum Conciliorum.

II. Carlomannus Dux Francorum convocavit Concilium Liptinense; cujus etiam decreta confirmavit Bonifacius Missus sancti Petri. *Decernit autem Carlomannus* juxta sanctorum canones.

III. Pipinus convocavit synodum Suessionensem; cujus canones editi sunt sub nomine Pipini, quemadmodum Liptinenses sub nomine Carlomanni. Solus Pipinus illic decernit confirmationem canonum cum consilio ceterorum. De appellationibus tanquam ab abusu. Vox illa Vel *interdum æquivalet conjunctioni* Et. Servi Dei, *id est, Abbates.*

IV. Zacharias Papa cuncta confirmavit, quæ apud Liptinas & Suessionem acta fuerant. Auctoritatem suam vocat commonitionem, *Principum vero* mediationem. *Expenduntur verba Zachariæ.*

V. Pipinus Rex synodum Vernensem congregat. Canone quarto præcipitur, ut bis in anno celebretur synodus, ubicunque Domnus Rex jusserit, in ejus præsentia. *Prima synodus,* regia *dicebatur; alia* ecclesiastica. *Ad primam conveniebant Episcopi & proceres.*

VI. Conventus mensis Martii revocatus ad Majum in Concilio Compendiensi. Conventus vocabatur Campus. *Emendati annales Francici.*

VII. Angli veteres conventus suos mense Majo agi jusserunt. Conventus Francorum interdum vocantur Placitum, Concilium, Conventus, Synodus & Colloquium. *In iis tractabantur causæ ecclesiasticæ & civiles. Conventus Gentiliacensis examinavit quæstionem de processione Spiritus sancti & de cultu imaginum.*

VIII. Secundus conventus constabat solum ex Episcopis, Abbatibus, & Presbyteris. Novos canones ut plurimum non condebat. Sed si quos conderet, ii non ante vim legis obtinebant, quam edicto Principis fuissent confirmati.

I. Concilia habita sub secunda Regum nostrorum dynastia abunde probabunt auctoritatem regiam pro convocatione Conciliorum, itemque pro confirmatione aut modificatione canonum.

Turbulenta bella, quæ post annum sexcentesimum sexagesimum inflammata sunt in regno tantam confusionem attulerunt in politia Ecclesiæ Gallicanæ, ut canones prorsus ignorarentur; eoque pacto cessatio ab eorum executione aliquatenus excusabatur, ob inscientiam Episcoporum. Hinc factum, ut vita hominum non solum paulo solutior esset, sed ad superstitiones etiam inclinaret, nonnullique in limite Rheni fluminis ad idololatriam

Gregorii epistola ad Carolum Ducem, & epistola Caroli.

converterentur. Gregorius secundus Pontifex Romanus intelligens, sibi ob dignitatem sedis suæ imminere curam universalis Ecclesiæ, Legatum in Germaniam misit Bonifacium, ut illic operam daret conversioni paganorum; eum porro commendavit Carolo Martello Duci Francorum, qui eum sub sua protectione suscepit anno septingentesimo vigesimo secundo. Optimus ille Episcopus magnos progressus fecit in Germania. Dein Carlomanno Duci Francorum Caroli Martelli filio persuasit, ut synodum congregaret in regno Austrasiæ, quod Carlomanno evenerat. Obliterata erat in ea regione Conciliorum celebratio, cum nullum illic habitum fuisset elapsis jam sexaginta & eo amplius annis; quod nimirum nullus illic fuisset Archiepiscopus, qui eorum convocationem faceret, episcopatus vero dati essent utendi laicis aut personis quidem Ecclesiasticis commissi, sed adulteris & dissolutis; ut ad Zachariam Papam scripsit Bonifacius anno septingentesimo quadragesimo tertio. Respondet Zacharias, laudare se desiderium Carlomanni, Legatumque jubet celebrare synodum. *Præcipimus*, inquit, *celebrare synodum*.

Bonif. epist. ad Zachar. c. 2.

Zachar. epist. ad Bonif. c. 2.

II. Existimari posset, Bonifacio pontificia præceptione fulto competivisse auctoritatem congregandi Concilii Episcoporum Galliæ. Verum ætatis illius politia aliud obtinebat, quæ nihil de jure Regum detrahi patiebatur in gratiam Ecclesiæ Romanæ; cui satis concedi videbatur, si Legatus Concilium celebraret cum Episcopis. Quapropter Carlomannus, penes quem erat Regia auctoritas tempore Childerici Regis, Liptinas evocavit Bonifacium Legatum apostolicæ sedis aliosque Episcopos & eorum presbyteros, ut eorum consiliis juvaretur ad restituendam religionem, quæ sub aliis Principibus pessumdata fuerat. *Ego*, inquit ille in præfatione Concilii Liptinensis, *Carlomannus Dux & Princeps Francorum anno ab incarnatione Domini DCCXLIII. cum consilio servorum Dei & optimatum meorum Episcopos, qui in regno meo sunt, cum Presbyteris ad Concilium & synodum pro timore Christi congregavi, id est, Bonifacium Archiepiscopum &c. ut mihi consilium dedissent, quomodo lex Dei & ecclesiastica religio recuperetur, quæ in diebus præteritorum dissipata corruit*. Inutilis autem futura est opera nostra, si probare velimus, statuta hujus Concilii a Principe confirmata fuisse, cum decretum publicatum sit ejus nomine, de consilio Episcoporum & optimatum. Canon primus illius Concilii ejus est momenti, ut nostram quoque curam requirat. Ait quippe Princeps, se constituisse Episcopos in civitatibus, eisque præposuisse Bonifacium Archiepiscopum, *qui est Missus S. Petri*, bona sua Ecclesiis restituisse, suis reditibus privasse, regradasse, & ad pœnitentiam compulisse falsos Presbyteros, Diaconosque & clericos dissolutos. Tum clausulam addit, quæ regulam probat a nobis propositam quoad convocationem Conciliorum & decretorum confirmationem: *Statuimusque, per annos singulos synodum congregari; ut nobis præsentibus canonum decreta & Ecclesiæ jura restaurentur, & religio Christiana emendetur*. Deinde in quibusdam capitibus nonnulla jubet de obsequio Presbyterorum erga Episcopos in functionibus ecclesiasticis, castigatione Presbyterorum dissolutorum, & quibusdam aliis rebus. Utitur autem iis verbis, quæ Justinianus frequenter usurpat in Novellis constitutionibus, quæque in usum hodie recepta sunt in Regum nostrorum constitutionibus: *Decernimus juxta sanctorum canones*.

Can. 3. 4. 5.

III. Pipinus frater Carlomanni Dux & Princeps Francorum, penes quem regia auctoritas erat in regnis Burgundiæ & Neustriæ, synodum anno sequenti DCCXLIV. congregavit in urbe Suessionensi ad restituendam disciplinam canonicam in his regionibus. Eodem autem jure in hac synodo usus est, quo frater ejus in Austrasia usus erat. Præcepit enim, ut antiqui canones observarentur; & nonnulla statuta edidit cum consilio Episcoporum & optimatum regni pro constituendis Episcopis per civitates, & pro recta gubernatione clericorum, monachorum & laicorum. Hi autem canones sub nomine Pipini eduntur, quemadmodum Liptinenses sub nomine Carlomanni. *Propterea nos*, inquit Pipinus, *una cum consensu Episcoporum, sive sacerdotum seu servorum Dei, & optimatum meorum consilio, decrevimus, ut annis singulis synodum renovare debeamus*. Reliqui autem canones eodem modo concepti sunt: *constituimus, statuimus, diximus*. Quod non ea mente dictum velim, ut ea explicatione removere velim Episcopos a conditione canonum aut eorum auctoritatem imminuere, sed ut ostendam, ad Principes pertinere jus consentiendi canonibus eosque auctoritate sua firmandi. Explicatio enim hæc, quæ statim occurrit, cum sit apertissima, colligitur præterea ex verbis ultimi canonis, in quo pœna decernitur adversus eos, qui canones illos violarent ab Episcopis cum consensu Principis & optimatum decretos. Quo loco injecta est mentio consensus Principis & consilii ejus. Quantum autem ad confirmationem, deprehenditur quidem illa in singulis canonibus, sed Princeps solus eam decernit cum consilio ceterorum. Quibus addo, ultimum illum canonem tribuere Principi, Episcopis & Comitibus, id est, Parlamento Franciæ, auctoritatem puniendi violatores horum canonum Suessionensium, in quo extat exemplar appellationum tanquam ab abusu, quæ nunc apud nos usu quotidiano recipiuntur, qua de re dixi alibi. *Si quis contra hoc decretum*, inquit synodus, *quod XXIII. Episcopi cum aliis sacerdotibus vel servis Dei una cum consensu Principis Pipini vel optimatum Francorum consilio constituerunt transgredi vel legem irrumpere voluerit vel despexerit, judicandus sit ab ipso Principe vel Episcopis vel Comitibus, & componat, secundum quod in lege scriptum est, unusquisque juxta ordinem suum*. Vox illa *Vel* apud mediæ ætatis scriptores æquivalet conjunctioni *Et*. Itaque quum legis in hoc canone *vel Episcopis vel Comitibus*, intelligendum est *& Episcopis & Comitibus*. Item *sacerdotibus, vel servis Dei*; id est, *& servis Dei*, hoc est, Abbatibus.

IV. At Zacharias Pontifex, cum acta horum Conciliorum ad se a Bonifacio missa recepisset, non damnavit temeritatis auctoritatem a Carlomanno & Pipino usurpatam in his synodis. Contra cuncta, quæ in eis statuta fuerant, approbavit. Recte autem auctoritatem suam distinguit ab auctoritate Principum. Quippe suam vocat *commonitionem*, Principum vero *mediationem*. Legato autem suo potestatem tribuit monendi synodum de vitiis, quæ in Ecclesia erant. Episcopos autem, Duces & Comites admonet, ut Legati consilia sequantur, ejusque commonitionibus obediant, remediumque una cum Principibus adhibere satagant malis, quæ in clero erant. Heic autem considerranda est mira potestatum concordia, cum unusquisque juxta gradum suum laboraret pro reformatione Ecclesiæ. *Referente nobis*, inquit Zacharias, *reverendissimo atque sanctissimo fratre nostro Bonifacio Archiepiscopo, quod dum synodus aggregata esset in provincia vestra juxta nostram commonitionem, mediantibus filiis nostris Pipino & Carlomanno Principibus vestris, peragente etiam vicem nostram Metropolitano Bonifacio, Dominus illuminasset corda vestra cum Principibus vestris in prædicationem ejus, ut omnibus commonitionibus ejus obedireris, & falsos & schismaticos & homicidas & fornicarios a vobis expelleretis sacerdotes, omnipotenti Deo gratias egimus &c.* Epistola porro illa inscripta est universo clero Ducibusque & Comitibus Franciæ, qui suffragia sua contulerant in conditione horum canonum.

Capitul. lib. 5. tit. 1.

V. Præclara hæc initia, pro restituenda disciplina canonica, Pipini auctoritate firmata sunt, postquam unctus est in Regem; tametsi continua bella,

bella, quæ gessit cum Hunaldo & Waifario Ducibus Aquitaniæ, multum incommodaverint pio ac generoso consilio Pipini, pro reformatione Ecclesiæ suscepto. Hinc illæ querelæ Pipini in Concilio generali Vernensi, in quo *universos pene Galliarum Episcopos* congregavit anno DCCLV. nonnullosque in eo canones condi procuravit, interim valituros, donec revocata pace licitum ei foret cuncta restituere, secundum antiquos canones. Unicuique civitati dari jubetur Episcopus. Tum quibusdam delegatur ministerium Metropolitanorum, donec plenius statui possit. Canon quartus præcipit, ut unoquoque anno duæ synodi celebrentur; prima, mense primo, Kalendis Martiis, *ubicunque Domnus Rex jusserit, in ejus præsentia*; secunda vero Kalendis Octobris in urbe Suessionensi, vel ubi ab Episcopis statutum fuerit in præcedenti Concilio. Heic autem observandum est, primam synodum eam esse, quæ *synodus regia* dicebatur, aliam vero *synodum ecclesiasticam*. Prima ergo illa synodus non solum ex Episcopis constabat, sed etiam ex optimatibus & Comitibus regni; in qua omnium suffragiis condebantur statuta ad disponendam politiam ecclesiasticam civilem, quæ postea confirmabantur a Rege. Quod probari potest ex inscriptione Concilii Compendiensis, habiti anno DCCLVII. *quod apud Compendium palatium publicum in generali populi conventu celebratum est*. Cui consentanea sunt verba Eginhardi in annalibus, *ubi tunc populi sui generalem conventum habuit*.

VI. In hoc Concilio Compendiensi mutatum est tempus hujus conventus, qui Kalendis Martiis habendus erat juxta canonem synodi Vernensis. Nam Pipinus eum Kalendis Maji præcepit haberi, ut docet Fredegarius; *Pipinus Aurelianis placitum suum campo Madio, quod ipse primus pro campo Martio pro utilitate Francorum instituit, tenens, multis muneribus a Francis & proceribus ditatus est.* Conventus hoc loco vocatur campus, eo quod in campo ageretur, ut docet Eginhardus. Unde apud Gregorium Turonensem libro II. cap. XXVII. & in antiquis Chronicis vocatur *Campus Martius*. Campus ille Martius in Majum mutatus est a Pipino in hoc Concilio Compendiensi. Quod probatur auctoritate annalium Francicorum ab Andrea Duchesnio editorum, in quibus habetur, conventum, qui mense Martio agi consueverat, haberi deinceps jussum esse mense Majo, idque ita institutum eo tempore, quo Tassilo Dux Bajoariæ ad Regem Pipinum accessit, ejusque se vasallum professus est. *Anno DCCLV.* (inquiunt annales Francici) *venit Thasilo ad Martis campum. Et mutaverunt Martis campum in mense Majo*. At subjectio Tassilonis facta est in conventu Compendiensi, qui in annum DCCLV. incidit, ut testatur Eginhardus in annalibus. Quare emendandus est error, qui irrepsit in annales Francicos paulo ante laudatos; in quibus scriptum est, Tassilonem accessisse ad Pipinum anno DCCLV. legendumque *anno DCCLVII.*

Eginh. ad an. 767. *Pipinus conventum more Francico in campo egit.*

Ap. Duchesn. Tom. 2. p.7.

VII. Angli veteres, exemplum Francorum secuti, conventus suos, quos Parlamenta vocant, mense Majo agi jusserunt, ut patet ex legibus sancti Edwardi. Conventus autem hic Francicus diverse vocatur in vetustis annalibus, *Placitum* videlicet, *Concilium*, *Conventus*, *Synodus*, & *Colloquium*. In eo, ut dixi, tractabantur causæ ecclesiasticæ & civiles; ut colligere possumus ex canonibus Concilii Compendiensis, & ex quæstionibus propositis in Concilio Gentiliacensi anno septingentesimo sexagesimo septimo. Nam cum Legati Pipini & summi Pontificis ex urbe Constantinopolitana rediissent una cum Legatis Græcorum, Rex congregavit Episcopos & optimates regni in villa Gentiliacensi, in agro Parisiensi; ubi quæstiones de processione Spiritus Sancti & de cultu imaginum examinatæ sunt, ut Eginhardus testatur in annalibus: *Rex Pipinus, conventu in Gentiliaco villa congregato, synodum de ipsa quæstione habuit.* Ex epistola vero Pauli Papæ ad Pipinum discimus, eam synodum constitisse ex *aggregatis sacerdotibus atque optimatibus*.

Chron. S. Arnulfi: *Carolus habuit colloquium vel synodum in VVormatia civitate.*

Eginh. ad ann. 767.

VIII. Secundus vero conventus, a Synodo Vernensi imperatus, constare debebat ex Metropolitanis, Episcopis, Abbatibus & Presbyteris. Sed novos canones condere non debebat, eamque tantum curam suscipiebat, ut veterum observationi invigilaret & hominum vitia corrigeret. Ita docet canon quintus Concilii Vernensis; in quo statutum est, ut illi, qui monasteriis præsunt, si peccaverint, definitivo decreto corrigantur a Concilio, postquam Episcopi & Metropolitani irrita opera fuisset. Quod si conventus hujuscemodi canones aliquos edebant, ii non ante vim legis obtinebant, quam in regio consilio examinati fuissent & Regis edicto confirmati.

CAPUT XXV.

De Conciliis generalibus sub Carolo M. habitis & eorundem ratione & modo.

SYNOPSIS.

I. Sub Carolo magno politia ecclesiastica restaurata est. Duplex item conventus unoquoque anno celebrabatur ejus ævo. Liber Adalardi. De ordine palatii.

II. In his conventibus condebantur statuta de rebus ecclesiasticis & civilibus. Carolus magnus conventui proponebat capitula, de quibus deliberari volebat.

III. Acceptis capitulis, optimates examinabant causas. Principis auctoritas quoad constituta in his conventibus.

IV. Episcopi & Abbates interdum in his conventibus deliberabant seorsim a laicis, interdum conjunctim, pro genere causæ, quæ tractabatur. Probatur ex Hincmaro.

V. Eginhardi locus ex Annalibus explicatus. Item Capitulare anni 779.

VI. Carolus magnus præcepit quinque Concilia in diversis locis celebrari. Quæ fuerint in eis Episcoporum partes, quæ Abbatum, ac Comitum. Canones suos a Principe emendari aut confirmari postulant Concilia isthæc. Eos Carolus præsente se examinari jussit in conventu Aquisgranensi; ubi eos confirmavit.

VII. Synodus Francofordiensis congregata est jussu Caroli magni, qui præfuit synodo. Explicatur præsidentia illa. Concilia Gallicana habebantur per illas tempestates in aula palatii.

VIII. In Concilio Francofordiensi explosa hæresis Felicis Episcopi Urgellensis. Tum synodus Nicæna secunda repudiatur. Quæstiones illæ sola Episcoporum auctoritate definitæ sunt. Tassiloni Duci Bajoariæ venia a Carolo data, nulla Episcoporum mentione facta.

IX. Causæ communes in synodis generalibus tractari solitæ. Causæ vero, quæ communes non erant, in provinciis agitabantur.

ADDITIO.) Agitur de Concilio Narbonensi adversus Felicem Urgellensem, quod jussu Hadriani primi & Caroli magni habitum est. Ejus acta referuntur. Tum disputatur de tempore hujus Concilii. Reges Francorum Imperatores interdum dicti, tametsi imperium Romanum non obtinerent. De limitibus diœceseos Narbonensis & Helenensis. De Episcopatu Ausonensi & Archiepiscopatu Tarraconensi Confinium Hispaniæ, *id est, diœcesis Ausonensis.*

I. SUb Carolo magno politia ecclesiastica restaurata est juxta antiquos canones, cura & diligentia hujus Principis, qui eos renovari procurabat in generalibus regni conventibus; novosque condi

condi præcipiebat, si necessitas postularet. Quoniam vero Hincmarus Remensis Archiepiscopus impense laudavit ordinem in his conventibus observatum ævo Caroli magni, brevi ejus descriptio ineunda est per versionem, utilis futura ad recte intelligendum diversa loca synodorum, capitularium, & vetustorum annalium illius ævi. Adalardus Abbas Corbejensis, propinquus & Consiliarius Caroli magni, librum ediderat: *De ordine Palatii*, cujus synopsin retulit Hincmarus: in quo ajebat, duos unoquoque anno conventus haberi solitos; quorum unus generalis esset, alter vero particularis. Primus constabat ex Episcopis & Abbatibus & Comitibus regni; & in eo disponebatur status politicus in eum annum. Secundus autem constabat ex antiquioribus Episcopis & Comitibus & ex nonnullis etiam ex iis ministris, quorum consiliis Princeps utebatur in republica administranda; in eoque conventu secreto digerebantur ac decernebantur ea, quæ proponi & statui debebant in proximo conventu generali. Præterea conventus ille virorum principum ordinabat negotia, quæ per annum incidebant, quæque differri non poterant, sive pro renovandis induciis, aut ob bellum minime expectatum, aut ob alias similes occasiones.

Vide Notas ad Capitularia p. 1212.

Hincmar. ep. 3. cap. 29. edit. Mogunt. *bis in anno placita duo tenerentur &c. in quo placito generalitas universorum majorum tam clericorum quam laicorum conveniebat.*

II. In his conventibus, præcipueque in generalibus, condebantur statuta de rebus ecclesiasticis & civilibus. Rex enim conventui proponebat nonnulla capitula, de quibus deliberari volebat in conventu, ut disertis verbis adnotavit Hincmarus. Heic autem animadvertere potest lector, in usu tunc apud nos fuisse modum agendi, quem Romani Imperatores olim usurpabant, de quo supra dissérui. Tum etiam revocari potest exemplum Clodovei primi Regis Christiani, qui synodo Aurelianensi dedit *titulos*, id est, capitula, de quibus agi voluit in Concilio. Eundem ordinem sequebatur Carolus magnus. *Mox*, inquit Hincmarus in capite XXXIV. ejusdem epistolæ, *auctoritate regia per denominata & ordinata capitula, quæ vel ab ipso per inspirationem Dei inventa, vel undique sibi nunciata post eorum abscessum*, (id est, postremum conventum habitum) *præcipue fuerant, eis ad conferendum vel considerandum patefacta sunt*.

Supra cap. 32. hujus libri.

III. Acceptis capitulis, optimates examinabant causas: ea tamen ratione, ut penes antiquiores esset maxima in censendo auctoritas, eisque juniores consensum suum adderent. Juniores tamen interdum loquebantur, sed ut sensus suos potius promerent, quam ut suffragii ferendi jure uterentur. Discussio isthæc biduum aut triduum durabat; delegato palatinis ministerio, ut Regis responsa super dubiis propositis ad conventum referrent, donec ad eum delata foret deliberatio synodalis. Tunc vero Princeps eam sententiam præferebat, quam æquiorem existimabat, eamque omnes dein amplectebantur. *Donec*, inquit Hincmarus in cap. XXXIV. ejusdem epistolæ, *res singulæ ad effectum perductæ gloriosi Principis auditui in sacris ejus obtutibus exponerentur, & quicquid data a Deo sapientia ejus eligeret, omnes sequerentur*.

IV. Attamen quia differentia occurrebat in causis, quarum aliæ erant spirituales, aliæ vero seculares, quædam vero mixtæ, discrimine etiam aliquo utebantur in modo deliberandi. Episcopi enim & Abbates seorsim a laicis conveniebant, foris nempe, si cœlum serenum esset, alias intra ædes, ita ut unusquisque suam curiam haberet discretam ac separatam ac splendide ornatam & instructam, ad quam summo mane conveniebatur. Comites vero & optimates a reliquis laicis discernebantur *subselliis honorificabiliter præparatis*. Inter deliberandum autem, seorsim interdum promebant sententiam suam, interdum simul congregabantur, prout ipsis videbatur, ut se ad genera causarum accommodarent, quæ aut spirituales erant, aut seculares, aut mixtæ: *In eorum manebat potestate, quando simul vel quando separati residerent, prout eos tractandæ causæ qualitas docebat, sive de spiritualibus, sive de secularibus, seu etiam commixtis*.

Hincmar. c. 20.

Cap. 35. *ad suam constituendam curiam.*

Descriptio hæc viam aperit ad genuinum manifestumque sensum verborum Eginhardi, cujus scriptio accuratissima est præ omnibus illius ævi annalium scriptoribus. Is ergo scribit, Pipinum Regem, habito conventu generali in Gentiliaco villa, synodum habuisse de quæstione Trinitatis & de cultu imaginum, id est, eum discussioni Episcoporum, qui in conventu generali aderant, commisisse quæstionem de rebus spiritualibus. Eadem distinctio adhibenda est verbis Caroli magni ex Capitulari anni DCCLXXIX. dum jubet, ut constitutiones patris sui Pipini observentur, sive illæ, quæ *in placitis* factæ sunt, sive *in synodis*, id est, de causis civilibus & ecclesiasticis; *Capitula vero, quæ bonæ memoriæ genitor noster in suis placitis constituit, & in synodis conservari volumus*. Nam licet annalium scriptores & Pipinus vocem *synodus* usurpaverint pro conventu generali, attamen utriusque distinctio introducta est, postquam canonum auctoritas manifestius invaluit. Verum quia canones de disciplina lati ad rempublicam spectabant, materia hæc ab Episcopis simul cum laicis tractabatur, nec aliud Episcopis solis permittebatur, quam quæstiones mere spirituales. Sane Capitulare anni DCCLXXIX. decretum est ex sententia Episcoporum, Abbatum & Comitum, cum consensu Regis: *Congregatis in unum synodali Concilio Episcopis, Abbatibus, virisque illustribus Comitibus, una cum piissimo Domino nostro, secundum Dei voluntatem pro causis opportunis consenserunt*. Post conditos canones, controversiæ particularium personarum agitabantur; quas Princeps reservabat cognitioni conventus generalis, si forte Comes palatinus eas ob aliquam causam noluerat definire.

Capitulare anni XI. cap. 12.

Hincmar. c. 33.

VI. Docuit nos ergo Hincmarus, ordinem observari solitum illa ætate in conventu generali Galliæ ad discutiendas causas canonicas, earumque decisionem ab arbitrio Regis pependisse, qui eam pro libito confirmabat aut retractabat. Idem agendi modus probari etiam potest exemplo valde illustri, quod innititur testimonio omnium Episcoporum Galliæ. Carolus magnus, ætate jam provecta, cupiens integre restaurare politiam ecclesiasticam, jussit anno DCCCXIII. ut Episcopi Galliarum conventus ecclesiasticos agerent in quinque locis, id est, apud Arelatensem urbem, Moguntiacensem, Remensem, Turonensem & Cabilonensem. At Episcopi, gratias agentes Carolo, quod eos congregari jussisset, quosdam canones condiderunt, postquam causas examinaverant summa cura & diligentia. Concilium enim Moguntinum docet, eos viros, qui in illa synodo aderant, in tres turmas fuisse divisos; quarum primum constituebant Episcopi quærentes remedia malorum in sacris scripturis & canonibus, in alia vero turma consedisse Abbates *regulam sancti Benedicti legentes atque tractantes diligenter, qualiter monachorum vitam in meliorem statum atque augmentum cum Dei gratia perducere potuissent*, in tertia demum Comites, qui in eam curam sedulo incumbebant, ut leges mundanas sive seculares examinarent, & jus cuique suum tribuerent, *vulgi justitias perquirentes, omniumque advenientium causas diligenter examinantes, modis quibus poterant justitias terminantes*. Denique Concilia isthæc, cum intelligerent, quæ sint regiæ auctoritatis partes, canones ecclesiasticos a se editos tradunt Principi, ut eos emendet, si ei ita visum fuerit; si vero eos æquitate niti existimaverit, confirmet. Obsequio autem illo defunguntur verbis conceptis ad calcem canonum, velut Concilium Arelatense & Turonense; aut in præfatione, velut Moguntinum & Cabilonense. En verba Concilii Arelatensis: *Hæc igitur sub brevitate, quæ emendatione digna perspeximus, quam brevissime adnotavimus, & Domino Imperatori præsentanda decrevimus, poscentes ejus clemen-*

Eginhardus ad an. 813. *Concilia quoque jussu ejus super statu Ecclesiarum corrigenda per totam Galliam ab Episcopis celebrata sunt.*

clementiam, ut, si quid hic minus est, ejus prudentia suppleatur; si quid secus, quam se ratio habet, ejus judicio emendetur; si quid rationabiliter taxatum est, ejus adjutorio divina opitulante clementia perficiatur. Præfatio autem Concilii Moguntini sic habet: *Quatenus ea, quæ paucis perstrinximus capitulis, a vestra auctoritate firmentur, si tamen vestra pietas ita dignum esse judicaverit; & quicquid in eis emendatione dignum reperitur, vestra magnifica imperialis dignitas jubeat emendare*. Postquam autem canones illorum Conciliorum ad Carolum delati fuere, eos præsente se examinari jussit in conventu generali Aquisgranensi; ubi eos confirmavit, ut vim legum obtinere possent. Ita enim docent annales Eginhardi: *Constitutionum, quæ in singulis* (id est, synodis) *factæ sunt, collatio coram Imperatore in illo conventu habita*.

VII. Qui vero scire voluerit, quanam cura negotia tractarentur illa ætate, legat canones Concilii Francofordiensis anno DCCXCIV. celebrati. Constabat illud ex Episcopis omnium provinciarum, quæ Caroli imperio parebant, ex Gallia nimirum, Germania & Italia; eique præterea intererant Theophylactus & Stephanus Episcopi, Hadriani primi Papæ Legati. Itaque ei synodo interfuit legatio sedis apostolicæ. Convocatio tamen ejus facta est jussu Principis. Testis erit Eginhardus, cujus ea sunt verba ad annum DCCXCIV. *Concilium Episcoporum ex omnibus regni provinciis congregavit*. Quin & canon primus ejusdem Concilii id aperte profitetur: *Conjungentibus, Deo favente, apostolica auctoritate, atque piissimi Domini nostri Caroli Regis jussione, anno XXVI. principatus sui, cunctis regni Francorum, seu Italiæ, Aquitaniæ provinciæ Episcopis ac sacerdotibus, synodali Concilio, inter quos ipse mitissimus sancto interfuit conventui*. Episcopi etiam Italiæ, qui huic synodo intererant, in libello suo adversus Elipandum scribunt, eam fuisse congregatam decreto Caroli: *Imperii illius decreto per diversas provincias regni ejus ditioni subjectas summa celeritate percurrente, multitudo antistitum sacris obtemperando præceptis in uno collegio aggregata pervenit*. Præterea canon primus docet, ei Concilio interfuisse Carolum. In epistola autem synodica patres ajunt, eum synodo præfuisse. Quod Legatis non adimit jus præsidendi Episcopis; sed jus regium explicat, id est, jus præsidendi universo cœtui: *Congregatis in unum charitatis conventu, præcipiente & præsidente piissimo & gloriosissimo Domino nostro Carolo Rege*. Effectus autem regiæ præsidentiæ non in eo solum versabantur, ut omnibus præesset, sed ut ordini judiciorum interlocutionibus suis immineret. Cum enim allata esset in medium epistola Elipandi Archiepiscopi Toletani, cujus præcipue causa Concilium fuerat congregatum, jussit Carolus, ut publica voce legeretur; & oratione habita de materia fidei, *adjecit: Quid vobis videtur?* ut adnotant Episcopi Italiæ. Neque prætermitti debet, eosdem Episcopos scribere Concilium habitum fuisse *in aula palatii*, juxta morem illius seculi; cujus moris fidem facit Concilium Tullense apud Saponarias habitum anno DCCCLIX. *Ut in eorum palatiis saltem semel intra biennium generalis Episcoporum conventus agatur*.

Vide infra cap. 28. §. ult.

VIII. Tria quæstionum genera in synodo Francofordiensi agitata fuerunt. Præcipua fuit quæstio fidei, confirmatio nimirum damnationis adversus hæresim Elipandi Archiepiscopi Toletani & Felicis Episcopi Urgellensis decretæ in synodo Romana, itemque in Concilio Ratisbonensi jussu Regis congregato. Asserebant namque Felix & Elipandus, Jesum Christum fuisse filium adoptivum Dei secundum carnem, non autem filium naturalem, quæ hæresis damnatur in primo canone. Agitatum insuper est, an secunda synodus Nicæna, quæ præcesserat adorationem imaginum, recipienda foret tanquam septima synodus œcumenica. Decretum itaque fuit in canone secundo, synodum illam repudiandam esse & damnandam, rejiciendam quoque adorationem imaginum, eamque servitutem repellendam a Christianis. Quoniam vero quæstiones illæ pertinebant ad dogma, sola Episcoporum auctoritate definitæ sunt, tametsi Princeps interesset deliberationibus: *Omnes, qui supra sanctissimi patres nostri contradixerunt &c. eradicandam statuerunt, consentientes condemnaverunt*, inquiunt canones, qui nullam interim mentionem Principis faciunt in his sententiis damnationis. Sicut e contra, Tassiloni Duci Bajoariorum, qui ad synodum accesserat, ut veniam a Carolo peteret, venia data est a Principe solo, nulla synodi mentione facta: *Idcirco Dominus noster misericordia motus præfato Tassiloni gratuito animo & culpas perpetratas indulsit & gratiam suam pleniter concessit*. Decretum etiam de moneta solo Regis nomine publicatum est in canone quinto. At regulæ canonicæ in hoc Concilio editæ conceptæ sunt sub nomine Regis & synodi: *Statutum est, definitum est a Domno Rege & a sancta synodo*. Can. 6. 7.

IX. Præterea ex hoc Concilio discimus causas communes, tractari solitas in synodis generalibus. Nam in ista synodo controversia, quæ erat inter Archiepiscopos Viennensem & Arelatensem, judicata fuit secundum epistolas veterum Pontificum Romanorum; Tarantasiensis vero, Ebredunensis & Aquensis, sedis apostolicæ dispositioni relictæ sunt. Accusatio instituta adversus Petrum Episcopum læsæ majestatis reum judicata est *a Domno nostro Rege & a sancta synodo*. Causa etiam Gerbodi Episcopi in eodem Concilio Francofordiensi examinata est; cumque ordinationem ejus perperam factam fuisse constitisset, Metropolitanus & Episcopi comprovinciales jussi sunt eum deponere. Canone autem XXXIX. causa Presbyterorum in crimine deprehensorum ab accusatore, de quo aliunde non constaret, quam ex affirmatione accusatoris, Episcopo proprio judicanda committitur; vel si is non possit eam finire, remitti jubetur *ad Concilium universale*, id est, ad synodum generalem Ecclesiæ Gallicanæ, quod nimirum materia isthæc magni momenti esset & maxime ambigua in modo agendi. Causæ vero, quæ communes non erant, in provinciis judicabantur, juxta legem Capitulariorum: *Causæ, quæ communes non sunt, in suis provinciis judicentur*.

Can. 8. Can. 9. Can. 10.

ADDITIO STEPHANI BALUZII.

Cum in paragrapho octavo hujus capitis agatur de hæresi Felicis Episcopi Urgellensis, quæ damnata est in Concilio Francofordiensi, visum est heic addere Concilium Narbonense pro eadem causa, ut inquiunt acta ejus, habitum jussu Hadriani I. & Caroli Regis, quod sic habet.

CONCILIUM NARBONENSE
habitum Anno DCCLXXXVIII.

ANno incarnationis dominicæ DCCLXXXVIII. indictione XII. gloriosissimo quoque Domino Imperatore Carolo regnante an. XXIII. 5. Kal. Jul. dum pro multis & variis ecclesiasticis negotiis, præsertim pro Felicis Urgellitanæ sedis Episcopi pestifero dogmate, monente per suæ auctoritatis literas Domno Apostolico Adriano, ac Domino Imperatore per Missum suum nomine Desiderium, convenissemus urbem Narbonam intra Basilicam sanctorum Justi & Pastoris, ego scilicet Danihel, licet indignus atque peccator, gratia tamen Dei sanctæ metropolitanæ præmissæ urbis Episcopus, nec non & Elifantus Arelatensis Episcopus, cum plurimorum collegio venerabilium Episcoporum, una cum auctoritate Domni Apostolici, Missoque præ-

prædicto Domni Imperatoris Caroli, inter cetera, quæ veraci sermone finem acceperunt, orta est querela coram nobis omnibus de parrochia Narbonensi, unde præcipiente Domino Imperatore, subtili examinatione & speciali, ob prolixas altercationes examinari jusserat. De qua Danihel Episcopus per testes idoneos, Justum scilicet Agathensem, & Witeringum Nemausensem Episcopum, atque Amicum Magalonensem Comitem, cerorsque quamplures discutiendo elucidans, totum Redensem pagum super Winedurium (*) Heltnensem Episcopum justissime evindicavit, & marginem parrochiæ Narbonensis ex alia parte usque ad flumen, qui vocatur Orbus, quamdiu vocabulum suum idem comitatus retinet, superius & inferius perduxit, plenissime ratione Vulfegarii Episcopi Biterrensis cum prædictis testibus superata. Præterea idem Danihel Archiepiscopus de Ausonensis parrochia rationem adhibens ostendit, quod nullo modo Episcopum ponere illuc potuisset ob paganorum infestationem, & quemadmodum auxiliante Deo per antecessoris sui industriam quondam ibidem hæresis extincta fuerit, & quia ejusdem pagi plebs, sicut quidam ipsorum in præsentia retulerunt, nulli parrochiæ adhærere vellet, nisi Narbonensi, ob principalitatem tantæ sedis præcipuæ. Cujus Archiepiscopi rationem salubrem esse comprobantes, pro prædictis commoditatibus, & ne confinio Hispaniæ occasionem tristitiæ ingereremus, unanimiter justo perpendimus examine, ut nulli sedi deinceps sociata habeatur nisi Narbonensi; servata veruntamen auctoritate, si per se Episcopum habere nequiverit. Rogamus igitur cunctos subsequentes nos, & hoc nostræ auctoritatis decreto confirmamus, sancimus, stabilimus, tam de Redensi pago, quam etiam de Ausonensi, sive confinio Narbonensi & Biterrensi, quod est Orbus, ut sicut coram nobis discussum & comprobatum est, ita inconvulsum & incontaminatum nullius contradictione valente in perpetuum permaneat. Si quis vero nostram communem contemnens diffinitionem, per aliquam insidiam aut subreptionem hoc nostræ firmitatis decretum infregerit, aut aliqua machinatione violaverit, si ordine ecclesiastico est adunatus, canonica sententia irrecuperabiliter feriatur, sicut temerator tanti Concilii ac decreti. Quod si laica potestas in hoc se per atrocitatis violentiam miscuerit, nisi a temeraria præsumptione se citissime subtraxerit satisfaciendo, quod deliquit, digna ultione totius anathematis sit undique & ubique multatus, Domini nostri Jesu Christi & nostra auctoritate vigente. Ut autem hoc nostræ firmitatis decretum certiorem roborationis obtineat vigorem, manus nostræ subscriptione illud roborare studuimus.

(*) Apud Catellum Hostiensem.

In Christi nomine Danihel Dei miseratione sedis Narbonensis metropolitanæ Ecclesiæ Episcopus hujus decreti institutione subscripsi.
Ego Elefantus primæ sedis Arelatensis Episcopus confirmavi.
Desideratus Diensis Episcopus subscripsi.
Ego Salicus Arausiensis Episcopus.
Ego Arricho Tolosanæ sedis Episcopus confirmavi.
In Dei nomine Donadeus Wappencensis Episcopus.
Ego Francolinus Conseranensis Episcopus subscripsi.
Ego Lupus Cavalionensis Episcopus subscripsi.
Ego Arimundus Ucecicensis Episcopus S.
Ego Hiscipio Carcassensis Episcopus subscripsi.
In Christi nomine Magincus Adtensis Episcopus subscripsi.
Witeringus Nemausensis Episcopus confirmavi.
Felix Episcopus Urgellitanæ sedis subscripsi.
Ego Bonitus Valentinæ sedis Episcopus S.
Ego Justus Agatensis Episcopus subscripsi.
Ego Adaulfus Jerundensis Episcopus subscripsi.
In Christi nomine Wenedurius Heltnensis Episcopus S.
Ego (*) Se........ Barcinonensis Episcopus S. (*) Servus Dei.
Ego Autbertus Antipolitanæ sedis Episcopus subscripsi.
Ego Johannes Cimelanensis Episcopus S.
Ego........ Forojulensis Episcopus S.
Ego Johannes Madolonensis Episcopus S.
Ego Asinarius Vicujuliensis Episcopus.
Abraham Commenensæ sedis Episcopus S.
Ego Amatus, Carpentoratinensis Episcopus S.
Ego Raganbaldus Diaconus, Diniensis vocatus Episcopus, S.
Ego Ansebrandus Diaconus ad vicem Landeberti Eglinensium Episcopi S.
Ego Riccimirus indignus Presbyter ad vicem Vulfegari sedis Biterrensis Episcopi S.
Ego Arricho Cancellarius, ac si indignus Presbyter, hoc decretum scripsi die & anno quo supra.

NOTÆ STEPHANI BALUZII.

Acta Concilii Narbonensis sub Carolo magno habiti, quæ nunc damus, edita olim fuerunt a clariss. viro Guillelmo Catello Senatore Tolosano ex Chartulario Archiepiscopi Narbonensis. Sed tam fœdis tamque multis illic mendis scatent, ut dici vix possit. Ego vero ea ante hos quadraginta annos descripsi ex vetustissima membrana, quæ aut ætati Caroli suppar est, aut certe non multum remota, quantum colligi potest ex characterum forma & literis fugientibus. Quanquam autem non dubitem, quin ea acta germana sint, extentque in eis non obscura vestigia prisci moris, dissimulare tamen nolim difficultates, quæ in illis occurrunt, quæque falsi suspicionem nonnullis injicere possunt. Etenim Concilium illud celebratum dicitur anno DCCLXXXVIII. regni vero Caroli XXIII. Sed si anni ejus computentur ab anno DCCLXVIII. quo Pipinus Caroli pater decessit, omnino annus DCCLXXXVIII. erit XX. regni Caroli, contra quam legitur in fronte horum actorum. Itaque aut fatendum est, peccatum heic esse a librario, aut alia numerandi ratio ineunda est. Ac primum quidem omnium constat, Carolum & Carlomannum, Pippini filios, diu ante patris mortem appellatos fuisse Reges Francorum, etiam a Pontificibus Romanis, nimirum ab anno DCCLIV. quo una cum patre uncti sunt in Reges a Stephano Papa. Sed hoc pacto initium regni Caroli in ulteriora, quam par sit tempora produceretur. Tradunt annales Francorum, Pipinum anno DCCLXIII. vel LXIV. (variant enim heic annales) conventu VVormatiæ habito filiis suis, qui jam Reges erant, divisisse comitatus, id est, ut ego quidem existimo, regni divisionem inter filios constituisse. Ac Carolo quidem haud dubie data est Aquitania, Septimania, & ea Hispaniæ pars, quæ Francico imperio parebat. Tunc vero primum potuere gentes illæ annos regni Caroli computare, incipiendo forrassis ab anno sequenti. Atque eo pacto aliquatenus constare posset æra hujus Concilii Narbonensis, quæ alioqui gravi mendo laborat. Conventus autem ille VVormatiensis post Pascha actus est.

Nam quod ad nomen Imperatoris spectat: quod Carolo tribuitur XIII. annis ante quam Imperator renuntians sit, res tanti momenti non est, ut quemquam remorari debeat. Quippe Reges Francorum, quod Romanis Imperatoribus successissent in regno, aliquando vocabantur Imperatores per illas tempestates, tametsi revera imperium Romanum non obtinerent. Exemplo sit Pipinus Rex, qui vocatur Imperator in charta Maurengi pro monasterio Flaviniacensi: *Actum Flavinia cœnobio anno XVII. Pipini Imperatoris.* Exemplo quoque sit Ludovicus Balbus, Caroli magni pronepos: qui tametsi Imperator nunquam fuerit, a Joanne VIII. Pontifice Romano Imperator vocatur in privilegio, quod Pontifex ille monasterio Trenorchiano concessit anno DCCCLXXVIII. in Concilio Tricassino. Odo vero, is qui sub Carolo simplice Balbi filio Regem se fecit, Imperator quoque dicitur in literis Stephani V. summi Pontificis, si tamen literæ illæ non sunt supposititiæ, & in veteribus actis, quæ extant in archivo monasterii Rivipullensis in Catalonia. Quin & simplex ipse Imperator vocatur in Chartulario Ecclesiæ Helenensis lib. IV. charta XXVI. *Facta scriptura donationis sub die XIII. Kalend. Maji anno 1. quod obiit Carolus Imperator filius Ludovici, Christo regnante Rege.* Hujus vero filius Ludovicus Transmarinus Imperator etiam vocatur in actis quibusdam veteribus anno DCCCCLXIV. confectis, quæ extant in archivo Ecclesiæ Gerundensis: in quibus & illud observandum est, adnotatum illic esse, ea confecta esse *imperante Lotario Rege, anno octavo principatus ejusdem.* Quare mirum videri non debet, quod idem Lotharius Rex Augustum se vocat in diplomate dato anno DCCCCLXXXI. quod extat in Chartulario monasterio S. Petri Rodensis apud Emporitanos, itemque in privilegio, quod eodem anno concessit monasterio

sancti Genesii de Fontanis in comitatu Ruscinonensi. Denique, ne singula commemorem, in Roberto quoque Rege imperatoriam dignitatem inesse agnovit Helgaldus loquens de dedicatione basilicæ sancti Aniani Aurelianensis. *Post quæ omnia*, inquit, *cupidus sanctæ benedictionis Rex Robertus gloriosus, jussione imperatoria evocavit Archipræsules Gauzelinum Bituricensem & Abbatem Floriacensem, Leothericum Senonensem &c.* Et tamen horum nemo fuit Imperator. Ex libello autem sacrosyllabo Episcoporum Italiæ, qui ex synodo Francofordiensi per provincias missus est, tentari fortassis posset etiam illa ætate imperatoriam veluti dignitatem in Carolo magno agnovisse Episcopos Italos. Ajunt enim, ut significent, missas esse ab eo Principe literas ad universos regnorum ejus antistites, quibus eos evocabat ad Concilium Francofordiense, *imperii ejus decretum* in universas regni provincias missum esse. Atqui Concilium Francofordiense, ut omnes norunt, habitum est anno DCCXCIV. id est, septem annis ante delatum Carolo imperium.

Major insurgit difficultas ex eo, quod Narbonensis isthæc synodus congregata dicitur *præsertim pro Felicis Vrgellitanæ sedis Episcopi pestifero dogmate*, idque auctoritate pontificia & regia. Quippe Francorum annales tradunt, ejus hæresim *tertio* damnatam esse in Concilio Francofordiensi; cum antea profligata fuisset Romæ & in Concilio Ratisbonensi. Quod constare nequit, si revera in hoc Narbonensi Concilio damnata fuit. Nisi si ejuratio a Felice facta Romæ coram Hadriano Pontifice distinguatur ab expressa damnatione facta in synodo. Cum enim hæreses, juxta priscum morem, in eis provinciis damnari debeant, ubi ortæ sunt, par est existimare, eam sollicitudinem fuisse Archiepiscopo Narbonensi, cujus metropoli tunc temporis subjecta erat civitas Urgellensis, ut nascenti malo occurreret, cum consilio Episcoporum suorum. Quoniam vero causa gravis erat, Episcopos quoque adesse cupiebat ex aliis provinciis, quod fieri non poterat absque permissu Principis. Quippe huic Concilio Narbonensi interfuerunt Episcopi ex provinciis Narbonensi, Arelatensi, Viennensi, Aquensi, Elusana, & aliis.

In eo autem actum est, inter cetera, de limitibus *parrochiæ*, id est, diœceseos Narbonensis, de quibus controvertebatur inter Archiepiscopum Narbonensem & Episcopum Helenensem, ac pagus Redensis adjudicatus est Archiepiscopo Narbonensi. Unde factum, ut nonnulli sequentium Archiepiscoporum, ne judicii istius memoria interiret, se Narbonenses & Redenses Archiepiscopos dixerint, eodemque nomine vocentur in Præceptis Regum Caroli Calvi, Carlomanni, & Caroli simplicis, quæ extant in archivo Archiepiscopi Narbonensis.

Tum retulit Daniel Archiepiscopus Narbonensis, sibi liberum hactenus non fuisse Episcopum instituere in Ecclesia Ausonensi *ob paganorum infestationem*, & quia ejusdem pagi plebs nullum proprium Episcopum habere volebat præter Archiepiscopum Narbonensem. Quod ut melius intelligatur, res supra repetenda est. Transgressi in Hispaniam Mauri & Sarraceni neque fanis pepercerunt, neque profanis. Hac generali clade perculsa est inprimis civitas Ausonensis, atque ipsa Tarraco provinciæ caput. Provincia itaque dein subjecta est Metropolitano Narbonensi, tanquam viciniori; & speciali diœcesi Narbonensi adjecta diœcesis Ausonensis, quamvis longo intervallo disjuncta, donec proprium Episcopum habere posset; cujus instituendi cum opportunitas eveniret, delegata cura est Archiepiscopo Narbonensi. Acta hæc circa annum DCXC. ut patet ex litteris Urbani II. ad Raynerium Legatum; in quibus scriptum est, Episcopos Tarraconenses metropoli Narbonensi fuisse subjectos jam inde a quadringentis annis. In epistola vero ad Berengarium Episcopum Ausonensem, in Tarraconensem metropolim translatum, data Capuæ anno MXCI. Kal. Julii, ait Tarraconensem urbem ab Agarenis, id est, Sarracenis, dirutam fuisse *transactis jam trecentis nonaginta annis*. Quod confirmari potest ex eo, quod in dissertatione nostra de episcopatu Egarensi adnotavimus, Egarensis urbis excidium referendum esse ad annum circiter DCXCIII. post Maurorum in Hispanias adventum. Quoniam vero hic mos obtinebat, ut singuli Episcopi, atque etiam Metropolitani, rationem in synodis redderent rerum a se gestarum. Daniel Narbonensis Archiepiscopus, gnarus consuetudinis, causas attulit, ob quas Episcopum instituere non potuerat in Ecclesia Ausonensi. Itaque edicunt patres, ut in eo statu maneat, donec proprium Episcopum habere possit. Probabile est, easdem causas obstitisse per multum ævi, ne suus Ausonæ Episcopus redderetur, cum ei datus non fuerit antistes, nisi centesimum tandem post annum, hoc est, circa annum octingentesimum octuagesimum octavum. Tunc enim Theodardus Narbonensis Archiepiscopus Gotmarum Ausonensem Episcopum consecravit; ut patet ex Præcepto Odonis Regis, & ex Concilio Barcinonensi habito anno DCCCCVI. in causa Ecclesiæ Ausonensis nondum edito. Incessit dein Attonem Episcopum Ausonensem ambitio evehendi sedem suam in metropolitanam, quod unaquæque provincia suum Metropolitanum habere debeat, nullaque tunc spes affulgeret restituendæ Tarraconis. Ergo curante Borrello Comite a Joanne XIII. summo Pontifice & prærogativam primæ sedis nomenque Archiepiscopi impetravit ac Pallium, utque Episcopi provinciæ Tarraconensis Episcopo Ausonensi deinceps obedirent tanquam Metropolitano; decretoque eodem, adductis exemplis ex B. Gregorio, unitæ sunt Ecclesiæ Ausonensis & Tarraconensis, ut color huic novæ institutioni quæreretur. Datæ ea de re litteræ anno DCCCCLXXI. quæ extant in archivo Archiepiscopi Tarraconensis. Verum cum nova hæc Archiepiscopi institutio facta esset invocato & inaudito Archiepiscopo Narbonensi, cujus valde intererat, ambitio illa Attonis caruit effectu. Constat enim, Archiepiscopos Narbonenses diu post hæc tempora usos fuisse jure metropolitico in ea provincia citra omnem controversiam. Præterea Fruja, sive Frugifer, antistes Ausonensis; qui annis DCCCCLXXII. & DCCCCLXXVII. sedebat, se solum vocat Episcopum, non autem Archiepiscopum. Quin & in Concilio Romano celebrato anno DCCCCXCVIII. eo inter alia argumento reprobata est Guadaldi Episcopi Ausonensis, qui Frujano successerat, ordinatio quod ab alio Metropolitano peracta esset quam a suo, id est, Narbonensi, ut explicant Gregorii V. litteræ nondum editæ. At Urbanus secundus episcopalem sedem Tarraconi post longa tempora restituens an. MLXXXIX. *salvam* esse jubet *Narbonensis Ecclesiæ justitiam*, id est, ut ejus metropoli semper subjecta foret sedes Tarraconensis. Pollicitus tamen est, se antiquam dignitatem metropoliticam tributurum Episcopo Tarraconensi, *si Romani auctoritate privilegii Tarraconensem provinciam canonice vendicare Narbonensis antistes nequiverit*. Pessumdata fuit hac unica clausula Narbonensis Archiepiscopi auctoritas in provinciam Tarraconensem. Quippe subjectio illa provinciæ Tarraconensis facta fuerat Episcoporum decreto & consensu populorum, ac præterea firmata erat consuetudine. Nulla Romanæ sedis inter hæc mentio. Itaque cum de privilegio apostolico non constaret, Urbanus biennio post Berengarium Episcopum Ausonensem transtulit ad metropolim Tarraconensem, concesso etiam usu Pallii; eique insuper indulsit, ut Tarraconensem & Ausonensem Ecclesias, quæ Joannis XIII. decreto unitæ erant, retineret, *donec auctore Deo ad pristini status plenitudinem Tarraconensis Ecclesia reformetur*. Quoniam vero Archiepiscopus Narbonensis conquerebatur, gravem sibi in eo factam esse injuriam, Urbanus eum restituit in integrum, litteris datis ad Raynerium Legatum, quæ nuper editæ a nobis sunt, in quibus hæc habentur: *Inter cetera præjudicium sibi factum de Tarraconensium Episcoporum subtractione per Romanam Ecclesiam suppliciter intimavit, cum eos Narbonensis metropolis per annos quadringentos sine alterius Ecclesiæ reclamatione possederit. Nostra igitur vice in partibus illis fungens Tarraconensibus Episcopis nostra auctoritate præcipito, ut Narbonensi tanquam proprio Metropolitano obediant, donec præstante Domino Tarraconensis restauretur Ecclesia.* Interlocutus est tamen iterum Pontifex in eisdem litteris, ut si Narbonensis Archiepiscopus probare non potuerit, sibi primatum ex privilegio competere in provinciam Tarraconensem, Legatus cum *principibus terræ*, de restituenda Ecclesia Tarraconensi laboret. *Interim tamen Tarraconenses Episcopos ei tanquam Metropolitano proprio obedire præcipito*. Obtinueritne id, an non, facile est pronuntiatu. Nam Berengarius interfuit Concilio Nemausensi anno MXCVI. initio mensis Julii tanquam Archiepiscopus Tarraconensis. Et deinceps, citra controversiam, Tarraco suos habuit Archiepiscopos. Hæc, quia subobscura erant, visum est, explicari debere; ut vel ex hac unica narratione auctoritas conciliari possit huic Concilio Narbonensi. De subjectione porro Ecclesiæ Ausonensis rursum actum est in Concilio Barcinonensi an. DCCCCVI. & in Concilio habito anno sequenti apud monasterium sancti Tyberii in diœcesi Agathensi.

Confinio Hispaniæ) id est, Ecclesiæ Ausonensi, quæ vicina erat Hispaniæ. Quamvis enim certum sit provinciam Tarraconensem ultra Pyrenæos esse semperque fuisse portionem Hispaniarum, tamen quia tum temporis ea Hispaniæ pars Regibus Francorum optimo jure parebat & ad eorum regnum pertinebat, *Marca Hispanica* sive *Limes Hispanicus* dicebatur, quod idem est ac *confinium Hispaniæ*. Eosdem fines Francici regni designant litteræ Helmeradi Episcopi Helenensis datæ Kal. Septembris anno DCCCCX. quæ extant in vetusto Chartulario Ecclesiæ Helenensis. In iis enim Helmeradus Monasteriolum donans Ecclesiæ suæ ait locum illum esse *citra clusas Hispaniæ*, in Comitatu Barcinonensi. *Ego igitur exiguus Præsul Helmeradus*, inquit, *in hac ipsa dedicationis die, quam rogatu meo sacri peragunt præscripti Episcopi, offero omnipotenti Deo & B. Eulaliæ Dominæ meæ de exiguis facultatibus meis CITRA CLVSAS SPANIÆ proprietatis meæ, quem Monasteriolum vocant; & conjacet in comitatu Barchinonense in ipsa maritima.* Diu perseveravit apud eas gentes illa regnorum divisio. Extat quippe in archivo regio Barcinonensi vetus instrumentum, confectum anno septimo regni Philippi I. Regis Franciæ, in quo scriptum est, Arnallum Mironis vendidisse R. Comiti Barcinonensi castrum de Castroferris, situm videlicet citra Rubricatum, haud procul urbe Ausonensi, quod illi advenerat *per largitionem Dei, qui nobis hoc dedit de potestate Sarracenorum. Et sunt hæc omnia in extremis finibus marchiarum juxta Hispaniam*, id est, in extremis Francici regni finibus, ultra Barcinonem & Ausonam, ad Rubricatum fluvium. Heic enim fuit limes regni Francici, ultra quem Sarraceni habitabant per illas tempestates. Docet illud etiam VVitikindus lib. I. loquens de divisione regni inter filios Ludovici Pii: *Carolo Aquitaniæ & VVascanorum cessere regiones, terminum habens ab* [illegible] *Barcilonam Hispaniæ urbem*. Igitur ultra Rubricatum Hispania erat, si loca quædam excipias admodum vicina oræ fluminis, Monasteriolum videlicet, Minorissam, & quædam alia finitima; citra vero,

Marca

Marea Hispanica, quæ provincia erat regni Francici, In eodem confinio Hispaniæ, citra Rubricatum, sita fuit Egara, sedes olim episcopalis, ubi habitum fuit Concilium Egarense anno sexcentesimo decimo quarto.

Desiderium) missum Imperatoris, Caroli, ut diserte illic scriptum est. Itaque multum erravit, qui Tom. VII. Concilior. pag. 964. adnotavit, illum fuisse Legatum sedis apostolicæ.

Elefantus) Ejus mentio est in canone VIII. Concilii Francofordiensis.

Heltnensis) id est, Helenensis, hoc enim verum est nomen. Est autem civitas Helenensis in comitatu Ruscinonensi sive Rossilionensi, ut sequens ætas vocavit, ædificata in ruderibus castri Helenensis; ubi institutus est episcopatus post excisum regnum Tolosanum, ut adnotat illustrissimus Archiepiscopus in libro primo Marcæ Hispanicæ, de quo libro dictum est in vita ejus. Porro hodie vox *Helenensis* mutata est in *Elnensem*. Quod autem ea Ecclesia sita esset in comitatu Rossilionensi, Episcopi Helenenses frequentissime vocantur *Rossilionenses* in actis veteribus. Unde in Concilio apud Tusiacum anno DCCCCLX. legitur *Audesindus Roscellensium Episcopus*. At Vuenedurii, seu Vuinedurii, mentio diserta extat in Chartulario Helenensi, ubi levi mutatione vocatur Vinedarius; diciturque sedisse ante Ramnonem, qui sub Ludovico Pio Helenensis antistes fuit. Utilis autem esse potest hic locus ad emendandos vulgatos Helenensium Episcoporum cathalogos, cum Episcopi, qui sederunt post Vinedurium usque ad Audesindum, illic optime recensiti sint: *Prædecessores Audesindo Episcopo, videlicet Vinedario Episcopo, Ramno Episcopo, Salomone Episcopo, & isto præsente Audesindo &c. Facta recognitione evacuationis sub die XVI. Kal. Januarii, anno XXXVI. regnante Carolo Rege*, id est, Carolo Calvo.

Cimelanensis) id est, Cemelenensis, in extrema Alpium maritimarum provincia, sub metropoli Ebredunensi, haud procul Castro Nicænsi. Ei sedi præfuit Valerianus Episcopus; cujus tempore Ecclesiæ Cemelenensis & Nicænsis unitæ sunt auctoritate sancti Leonis Papæ.

Madolonensis) id est, Magalonensis in prima Narbonensi. Magdalona enim & Madalona dicebatur per illas tempestates, ut nullo negotio probari potest. Porro sedes Magalonensis jamdiu translata est in urbem Monspeliensem.

Viculejensis) id est, Aturrium Episcopus. Sunt autem Aturres in Novempopulis ad Aturrum fluvium, qui postea Adures dici cœperunt. Nomen autem primum populi fuit, non oppidi. Oppidi enim Aturrensium nomen Vicus Julius; cujus clara extant documenta.

Commenensæ) id est, Convenarum in Novempopulis, quorum urbs antiquitus Lugdunum. Ceterum ex hoc loco patet, introduci tum cœptam corruptionem nominis hujus civitatis, quæ nunc *Comenge* dicitur.

Dunensis) Assentior lubens clarissimo viro Carolo Cointio, qui istic edidit *Diniensi*. Nullus enim hac ætate fuit Episcopus Dunensis.

Eglinensium) id est, Engolismensium in Aquitania secunda. Eam autem urbem vocat *Egolisenam* Eginhartus ad annum DCCLXIX. alii *Egolismam*, nonnulli *Inculismam*, & synodus isthæc Narbonensis *Eglinam*. Mirifica enim fuit illorum temporum audacia in corrumpendis urbium nominibus. Vide Sirmondum in Notis ad Capitula Caroli Calvi p. 29.

CAPUT XXVI.

Synodos Gallicanas reverentiam erga sedem Romanam tempore Caroli M. observasse ostenditur.

SYNOPSIS.

I. Reverentia Ecclesiæ Gallicanæ erga apostolicam sedem.

II. De Presbyteris gravium criminum reis magna olim quæstio fuit, quonam modo judicandi essent. Consulitur Leo III. Papa. Dein Carolus summo jure decernit secundum responsionem Pontificis. Purgatio canonica indicta Presbyteris suspectis sed non convictis.

III. Unde orirentur suspiciones illæ, docet Hincmarus. Difficilis erat accusatio in Presbyterum.

IV. Chorepiscoporum ambitio diu turbavit Ecclesiam Gallicanam. Eos Leo III. a Carolo consultus vetuit quicquam muneris episcopalis attingere. Tum edicit, eos esse pellendos in exilium.

V. Ea pœna modificata est a synodo & ab Imperatore.

VI. Principes de rebus arduis referunt ad summos Pontifices. Novum non est, decreta curiæ Romanæ ante in Gallia executi debere, quam vim legis obtinere possint.

I. HIc locus me admonet, ut revocem in memoriam ea, quæ supra adnotata sunt, synodos nimirum Gallicanas debitam sedi apostolicæ reverentiam semper retinuisse, non ita tamen, ut a suis judiciis permiserint provocari, cum appellationes in usum receptæ non essent, nisi quoad depositionem Episcoporum, juxta modificationem a me alibi explicatam. Reverentia igitur synodorum Galliæ in eo posita erat, ut consultationes ad summos Pontifices mitterent, quoties inciderent causæ dubiæ & graves, vel causam ejus judicio prorsus permitterent. Causæ ad sedem apostolicam dimissæ exemplum extat in paragrapho ultimo superioris capitis, in causa Metropolitanorum Ebredunensis & Aquensis. Consultationum vero duo illustria exempla extant in libris Capitularium. Primum respicit Presbyteros suspectos, aliud Chorepiscopos.

II. Quoad Presbyteros, constat ex Capitularibus, difficultatem illam diu agitatam esse in synodis Gallicanis, a temporibus Pipini Regis, neque tamen unquam fuisse definitam. Agebatur de Presbyteris gravium criminum reis, sed de quibus nondum satis constabat, ipsi vero negabant. Supra adnotavimus, canone XXXIX. Concilii Francofordiensis, causam Presbyteri horum criminum infamati commissam esse Episcopo ejus proprio; vel si is eam finire non posset, non remissam quidem ad synodum provinciæ, sed ad Concilium generale seu universale Ecclesiæ Gallicanæ. Tandem Carolus magnus, cupiens confusioni hujuscemodi modum adhibere, Episcopos aliquot misit ad Leonem tertium Papam, ut cum eo consultarent, quid de his Presbyteris agendum esset. Episcopos vero & regni proceres admonuit, missam a se esse legationem illam, statim autem ut redierit, communicaturum se esse cum omnibus responsa Pontificis: *Unde ad consultandum patrem nostrum Leonem Pa-* Lib. 5. Capitul. cap. 33.
pam sacerdotes nostros mittimus, & quicquid ab eo vel a suis perceperimus, vobis, una cum illis, quos mittimus, renuntiare non tardabimus. Interim Episcopos & proceres hortatur, ut sedulo negotium illud expendant; ut dein ipse cum illis & cum instructionibus Pontificis decernere possit, quod æquum fuerit visum ad compescendos populorum clamores: *Vos interdum vicissim tractate attentius, quid ex his vobiscum constituamus una cum prædicti sancti patris institutionibus, ut murmur cesset populi.* At Leo Pontifex causam definiri jussit in synodo Romana. Cum autem ejus responsio ad Carolum allata esset, eam ipse in conventu generali regni considerari præcepit; & cum consilio Episcoporum, consiliariorum, & omnium *fidelium*, sive vasallorum decreta est constitutio de ordine tenendo, quoties hujuscemodi Presbyterorum causæ inciderent; quæ nomine Imperatoris edita, omnium supra dictorum consensus continet. *Consultu Domni & patris nostri Leonis Apostolici ceterorumque Romanæ Ecclesiæ Episcoporum & reliquorum sacerdotum, sive orientalium & Græcorum Patriarcharum, & multorum sanctorum Episcoporum & sacerdotum, nec non & nostrorum Episcoporum omnium, ceterorumque sacerdotum & Levitarum auctoritate & consensu, atque reliquorum fidelium & cunctorum consiliariorum nostrorum consultu, definitum est.* Sane Princeps, Legatos suos pro consultatione ad Leonem mittens, sibi reservaverat auctoritatem decernendi cum sententia Concilii Gallicani, & *cum institutionibus* Papæ, non autem juxta institutiones. Statutum itaque est *consultu omnium, ut, quotiescunque cuiquam sacerdoti crimen*

impo-

imponitur, si ipse accusator talis fuerit, ut recipi debeat, reusque legitimis testimoniis convictus fuerit, *canonice dijudicetur*, at si accusator satis probare non posset, crimen negotium pariter canonice definiendum, quod si nihilominus criminis perpetrati suspicio gravis inhæreret animis hominum, purgatio canonica indicitur Presbytero; id est, jubetur Presbyter, adhibito tactis evangeliis sacramento tam suo quam trium, quinque, vel septem, aut eo amplius Presbyterorum, itemque hominum nonnullorum bonæ famæ, se purgatum populo comprobare, *exemplo Leonis Papæ*. Vide lib. 1. c. 11. §. 6.

III. Hincmarus in epistola septima accurate explicat hunc agendi modum, ostenditque, suspiciones illas fluxisse ex commercio Presbyterorum cum mulieribus probrosis, vel ex eorundem cohabitatione cum aliis, neque impositam fuisse accusatori necessitatem convincendi reum cujuspiam probrosi facinoris. Attamen probatio difficilis erat; quoniam accusatio peragi non poterat ab accusatore, quin eodem tempore septem testes adessent, iis dotibus ornati, quas ab hujuscemodi testibus exigunt leges & canones. Quod si præscriptus testium numerus non adesset, vel hujusmodi homines essent, qui secundum canones ad accusationem sacerdotum admitti non possent, mulcta eis dicebatur. Verum id non tollebat suspicionem populorum. Itaque ea demum dimovebatur, quum Presbyter accusatus se suo & sex Presbyterorum sacramento purgabat juxta consuetudinem tum receptam. Ea autem a divo Petro arcessebatur: qui cum reprehensus fuisset, quod cum gentibus communicaret, ut accusationem illam purgaret, usus est sex fratrum testimonio: *Venerunt autem mecum & sex fratres isti*. Actor. cap. XI.

IV. Veniendum nunc ad causam Chorepiscoporum. Sæpe in conventibus & synodis regni controversum fuerat, an ordinationes Presbyterorum, Diaconorum & Subdiaconorum a Chorepiscopis peractæ, confirmationes baptizatis tributæ, benedictiones chrismatis, Ecclesiarum, & virginum ab iis tentatæ, vitiosæ essent, an canonicæ. Carolus censuit, apostolicam sedem esse consulendam, & inter cetera Arnonis Archiepiscopi ad Leonem tertium delegati mandata hoc etiam caput adjunxit. Respondit Pontifex, secundum canones liberum non esse Chorepiscopis ullam muneris episcopalis partem attingere, atque adeo quicquid ab eis præsumptum fuerat, irritum esse. Tum decernit, Chorepiscopos esse damnandos, id est, deponendos, & in exilium pellendos. Series hujus negotii, itemque illius, de quo mox dicebamus circa Presbyteros, magni momenti est ad ostendendum, quonam modo se gererent Galli nostri in recipiendis rescriptis curiæ Romanæ. Nam post reditum Arnonis Imperator conventum generalem regni Ratisbonæ egit, ut Leonis responsio examinaretur. Vide lib. 2. c. 12. §. 7. & c. 13. & 14.

V. Hic autem agendi modus adeo legitimus erat, ut etiam Leo consenserit, synodum ea de causa celebrari; non, ut illic revocaretur in dubium definitio consentanea canonibus, sed, ut in publico conventu susciperetur hæc institutio canonica, ejusque decernendæ rationes subducerentur, quo facilius ei assentirentur universi, tum etiam, ut pœna depositionis & exilii adversus Chorepiscopos a summo Pontifice decreta temperamento quodam adhibito molliretur. Itaque coacto, ut diximus, conventu generali, modificata est hæc pœna a synodo & ab Imperatore. Statuerunt enim Chorepiscopis remittendam exilii pœnam, & ut gradum Presbyterorum tenerent, existimantes eam modificationem Leoni acceptam fore: *Prædictos autem Chorepiscopos omnes præcepit damnare & in exilia detrudi. Ista vero omnes, maxime regni nobis a Deo commissi Episcopi cum eodem Arnone, permittente præfato Apostolico, mitius tractantes, jamdictos villanos Episcopos inter Presbyteros statuerunt*, inquit Carolus in libro septimo Capitularium. Præterea in eodem conventu suscepta est responsio Leonis, & singula edicto Imperatoris confirmata sunt: *Placuit, sicut Leonis Papæ & omnium Episcoporum nostrorum atque reliquorum fidelium generali & synodali consultu decrevimus, ut nullus Chorepiscopus &c.* Ceterum heic observandum est, decretum Papæ & definitionem synodi Gallicanæ edicto regio Caroli nomine concepto promulgata fuisse; tametsi res esset omnino spiritualis, cum de jure & auctoritate ordinationum ageretur. Lib. 7. Capitular. c. 187. Lib. 7. Capitular. c. 328. 329.

VI. Ex his autem duo quædam colligenda sunt. Primum, Regem de rebus arduis ad summum Pontificem referre consuevisse, atque adeo auctoritatem præsidis synodi exercuisse. Alterum, novum non esse in Gallia, ut decreta curiæ Romanæ non ante vim legis apud nos habeant, quam Principum rescriptis firmata sint.

CAPUT XXVII.

De Synodis generalibus sub Ludovico Pio habitis & earum forma.

SYNOPSIS.

I. Explicatur modus agendi Ludovici Pii Imperatoris. Quatuor synodos in Gallia haberi præcepit; quarum canones confirmavit, postquam jussu ejus examinati fuerunt in Concilio VVormatiensi, præsente Legato Gregorii quarti.

II. Ejus Legati præsentia necessaria non erat in illo conventu: cui per occasionem interfuit, cum ob alia negotia venisset in Galliam. Probatur ex Eginhardo. Idem dicendum de Legatis, qui synodo Compendiensi interfuerunt anno 757.

III. Nulli canones præsentia Legatorum de industria missorum firmati reperiuntur præter Liptinenses & Francofordienses. Caute itaque legendus Benedictus Levita, qui Capitula Regum ait, maxima ex parte fuisse statuta coram Legatis sedis apostolicæ, qui ea firmarunt auctoritate apostolica.

IV. Attamen Legatorum præsentia nihil detrahit de dignitate Regum nostrorum. Capitulare Lotharii, in quo quamplurima decreta extant circa disciplinam canonicam. Illud se observare velle profitetur Leo Papa quartus.

I. Eundem ordinem tenuit Ludovicus Pius Caroli magni filius. Leges enim suas & capitula condebat, tribuendæ auctoritati rebus constitutis, in conventibus generalibus; Missosque persæpe suos dirigebat in provincias ad fovendam eorum executionem rebellesque puniendos, ut constat ex epistola ab eo scripta ad Sicharium Burdegalensem Archiepiscopum post habitam synodum Aquisgranensem anno DCCCXVI. & ex Capitulari ejus tertio edito anno octingentesimo vigesimo octavo. Anno autem sequenti una cum filio suo Lothario præcepit, ut antistites regni in quatuor locis congregarentur, Moguntiæ videlicet, Parisiis, Lugduni & Tolosæ, tractaturi de rebus ad religionem Christianam morumque emendationem pertinentibus, ac præterea significaturi, quæ virtutum opera incumbant Principibus, Episcopis, & cujuslibet conditionis hominibus. Data ex eo Episcopis Lutetiæ congregatis occasio in unum corpus componendi nonnulla documenta valde utilia sub titulo Concilii Parisiensis in tres libros distributi. Horum porro quatuor Conciliorum canones Imperator confirmavit, postquam jussu ejus examinati fuerunt in conventu generali apud Wormatiam habito, *Omnium tam Episcoporum quam fidelium laicorum votis convenientibus*, ut ait Hincmarus; qui addit Legatum Gregorii quarti summi Pontificis huic Wormatiensi synodo interfuisse. Epist. Ludov. ad Sichar. T. 2. Capitulare III. pag. 426. Concil. Gall. pag. 463. Epist. Ludovici & Lotharii, præfixa Concilio Paris. an. 829. Hincmar. de divortio Lotharii & Thetbergæ, in responsione ad interrogat. V.

II. Præsentia hujus Legati necessaria non erat in synodo Wormatiensi ad adjungendam auctoritatem

tatem canonibus in ea conditis, cum Impp. Carolus magnus & Ludovicus Pius quamplures alias congregari jusserint citra ullius Legati præsentiam, & cum præterea vetusti Pontifices agnoverint inesse synodis provincialibus auctoritatem condendi canones. Verum cum Legatus ille in comitatu adesset ob nonnulla negotia, placuit eum interesse in deliberationibus causarum ecclesiasticarum. Docet autem Eginhardus, Legatos ex diversis regionibus, ac nominatim ex urbe Romana, ad hunc conventum Wormatiensem venisse, ut res suas expedirent ac conficerent, quæ juxta usum illius seculi definiendæ erant ex sententia conventus generalis. *Imperator medio Augusto Wormatiam venit*, inquit Eginhardus, *ibique habito generali conventu, & oblata sibi annua dona suscepit, & legationes plurimas, quæ tam de Roma & Benevento, quam de aliis longinquis regionibus venerant, & audivit & absolvit*. Idem dicendum est de Legatis pontificiis, qui Concilio Compendiensi interfuerunt anno DCCLVII. *Georgio* nimirum *Episcopo Romano*, id est, Episcopo provinciæ Romanæ, & *Joanne Sacellario*, quorum mentio extat in canone IX. illius synodi. Nam missi fuerant a Paulo primo ad Pipinum Regem, ut eum certiorem facerent de sua electione, amorisque in Pipinum sui ac totius populi Romani abundantiam illi ostenderent, ut patet ex epistola Pauli Pontificis ad Pipinum.

Eginh. ad an. 829.

III. Itaque nullos alios canones præsentia Legatorum de industria missorum firmatos reperio præter Liptinenses sub Carlomanno editos anno DCCXLIII. & Francofordienses anno septingentesimo nonagesimo quarto. Quare caute legendus est Benedictus Levita, cum in præfatione ad librum quintum Capitularium ait, ut auctoritatem illis conciliet, ea fuisse maxima ex parte statuta in conventibus, quibus Legati sedis apostolicæ interfuerunt, ea firmantes apostolica auctoritate. Id enim intelligendum est de tribus postremis Capitularium libris, ut ipsemet Benedictus scribit in fine ultimi libri.

Vide Baluzii præfationem ad Capitularia §.XI. & seqq.

IV. Tametsi illud nihil detrahit de dignitate Regum nostrorum. Contra præjudicio illo firmatur jus, in cujus possessione tunc illi erant, convocandi nimirum Concilia, eorumque decreta confirmandi aut modificatione adhibita inflectendi. Lotharius Imperator Capitulare edidit anno DCCCXLVII. quod ex legibus Caroli Magni, Ludovici Pii, Pipini, & ipsius Lotharii constat; quod observari jubet per universum imperium, mulcta eis indicta, qui contra venirent, sive ecclesiastici forent, sive laici, in quo Capitulari quamplurima decreta extant circa disciplinam canonicam. Tantum autem abest, ut Leo quartus ea damnet, tanquam a judice non competenti edita, ut etiam ad Lotharium scribens profiteatur se observare velle illud Capitulare: *De capitulis vel præceptis imperialibus vestris nunc & in ævum nos conservaturos modis omnibus profitemur*.

Capitulare Lotharii editum a Goldasto t. 2. Constit. imperial. pag. 102.

Apud Gratian. dist. 10. c. 9. Vide Baluzii præfationem ad Capitularia §. 21. & seqq.

CAPUT XXVIII.

De libertate Conciliorum Gallicanorum sub Carolo Calvo, & quatenus deinceps a Nicolai I. P. R. admodum imminuta sit.

SYNOPSIS.

I. Antiqua politia nondum prorsus eversa erat ævo Caroli Calvi. Episcopi tum lacertos movere cœperunt. Eorum tamen decreta in synodis edita non ante valebant, quam in conventu regio approbata fuissent. Probatur exemplo Concilii Meldensis. De raptoribus alienarum sponsarum.

II. Synodus Suessionensis anni 853. nullum canonem edidit extra materiam a Carolo propositam. Ejus canones confirmati sunt apud Vermeriam in generali regni conventu.

III. Sub Carolo Calvo imminui cœpta Regum dignitas. Nicolaus primus ad se traxit convocationem Conciliorum absque litteris Principis. Actum id adversus mores antiquos.

IV. Tamen summus Pontifex potest synodum convocare intra Gallias, si id Ecclesiæ utilitas postulaverit. Ita sensit synodus Suessionensis anno 866. adversus Britonum Episcopos scribens.

V. Antea convocatio Concilii generalis fiebat auctoritate Principis, etiam quando summus Pontifex synodum in regno haberi præcipiebat. Probatur auctoritate Gregorii magni & Hincmari.

VI. Nicolaus primus sequi noluit exemplum beati Gregorii. Sua auctoritate eam synodum Suessionensem celebrari jussit. Quare synodus fatetur, se congregatam fuisse jussu & auctoritate Nicolai, quod etiam agnoscit Carolus ad Nicolaum scribens.

VII. Volfadi Remensis Presbyteri causa aliam occasionem subministravit infringendæ Conciliorum Gallicanorum auctoritati. Synodus Suessionensis cedit jussis Nicolai. Sed tamen eum haud occulte increpat, graviterque monet, datum esse exemplum perniciosum posteris.

VIII. Volfadus gradui suo restitutus in synodo Suessionensi, statim fit Archiepiscopus Biturigensis; inexpectata restitutionis ejus confirmatione, quam Rex a summo Pontifice postulaverat. Ex eo tempore summi Pontifices ad se traxerunt judicia appellationum Episcoporum & Presbyterorum.

IX. Concilium Metense jussu Nicolai congregatum postulante Lothario Rege. Causa enim dubia erat. Agebatur de divortio Lotharii cum Theberga.

X. Attamen Nicolaus non transmisit prorsus jura regia. Ex facto ejus deprehenditur, epistolas Pontificum apud nos obtinere non posse vim legis, donec Regi ostensæ fuerint.

XI. Lethale vulnus synodis inflixit Nicolaus primus, præcipiens, ut acta synodi Metensis ad se mittantur; ut si injuste fuerit judicatum, restaurari jubeat cognitionem.

XII. Nicolaus primus omnium pronuntiavit, neminem posse synodum generalem convocare absque jussione sedis apostolicæ.

XIII. Duo loca male intellecta occasionem præbuerunt huic propositioni. Primus petitur ex synodo Romana in causa Symmachi Papæ. Vera hujus synodi mens explicatur.

XIV. Secundus locus eruitur ex epistola Pelagii secundi adversus Joannem CP. quæ explicatur. Canones generales Ecclesiæ condi non possunt absque sententia Romani Pontificis.

XV. Verissimum est, Concilia non posse celebrari absque sententia summi Pontificis. Sed regula illa extendi non potest ad Concilia nationalia. Hincmari præclaræ regulæ afferuntur. An generalia regni Concilia haberi possint in palatio.

I. ANtiqua politia nondum prorsus eversa erat ætate Caroli Calvi; tametsi manifeste appareat, bella civilia, quæ vim regiæ auctoritatis infringere solent, divisionem item imperii Francorum inter tres fratres, viam aperuisse ad introducendas novitates in hac materia. Nam Episcopi a Rege evocati frequentius quam sub Carolo Magno & Ludovico Pio celebraverunt synodos ex diversis provinciis, seorsim a generali regni conventu; in quibus judicabant causas graves, Episcoporum nempe, ac Presbyterorum, & Diaconorum, si res tanti momenti esset; ut constat ex synodis Moguntina, Suessionensi, Valentinensi, Tullensibus duabus apud Saponarias & apud Tusiacum, aliisque. Interdum vero ultra progrediebantur. Quippe in synodis illis canones & statuta condebant. Verum ii non ante vim constituti obtinere poterant, quam in conventu regio approbati fuissent. Hinc nata controversia, quæ post Concilium Meldense excitata est anno octingentesimo quadragesimo sexto. Nam cum Episcopi illic condidissent LXXIX. canones, jussit Rex, eos ad se deferri, ac de-

ac dein eos examinari præcepit in conventu generali, habito in villa Sparnaco ad Matronam fluvium; in quo ex procerum regni consilio statutum est, novemdecim tantum ex illis canonibus observandos esse: *Ex omnibus illis capitulis hæc tantum observanda & complacenda sibi collegerunt, & Episcopis scripta tradiderunt, dicentes, non amplius de eorum capitulis, quam ista & ista velle cum Principe observare.* Ad hanc hauddubie modificationem alludunt Episcopi in canone ultimo hujus synodi, qui post decretum Sparnacense additus est ceteris; in quo Regem hortantur, ut saltem observet capitula recenter ab ipso decreta cum Episcopis manuque ejus confirmata: *Ut autem capitula, quæ Domino mediatore communiter decrevistis, & manu propria confirmastis, pleniter observetis &c.* Præterea eum orant, ut observari in futurum jubeat pœnas, ab iis decretas adversus raptores sponsarum alienarum, utque decretum ea de re suum ceteris canonibus, qui recepti ab eo erant, adderet: *Hoc diploma, si complacet, adnectatur.* Pœnæ illæ anathematis extant in canone LXVIII. synodi Meldensis, qui octavum & decimum locum occupat inter eos, quos observandos censuit conventus Sparnacensis.

Capitula excerpta in villa Sparnaco, in Capit. Caroli Calvi, & t. 3. Concil. Galliæ p. 63.

II. Synodus Suessionensis, quæ an. DCCCLIII. congregata est ex quinque provinciis, reverentius constitit intra limites æqui. Convocata illa fuerat a Carolo Calvo Rege, nullumque canonem condidit extra materiam a Principe propositam. Canones autem ejus admissi & confirmati sunt in conventu generali regni, habito apud Vermeriam eodem anno: *Sed & capitula, quæ synodali consultu Dominus Rex Carolus in Concilio memorato apud Suessionis civitatem sacro proposuit conventui, coram fidelibus suis in eodem palatio Vermeria relegi fecit; & ab omnibus consonanter suscepta sunt & accepta.* Synodus quoque Tullensis an. DCCCLIX. habita fuit coram Regibus, qui confirmarunt canones in ea conditos. Item Duziacensis habita, anno DCCCLXXIV. *nutu divino & sanctione Caroli Regis.*

Concil. Vermer. §. 3.

III. Sub Carolo Calvo introduci cœpere ingentes novitates in gratiam sedis apostolicæ & in detrimentum regiæ auctoritatis. Etenim Nicolaus primus Pontifex Romanus ad se traxit immediatam convocationem Conciliorum absque litteris Principis. Aliud tamen obtinuerat quoad Concilium Francofordiense; quod auctoritate quidem Pontificis Romani celebratum fuerat coram Legatis ejus, sed Caroli magni jussione convocatum, missis quaquaversum literis.

IV. Sane diffiteri nolim, inesse summo Pontifici auctoritatem convocandi Concilii intra Gallias, si id Ecclesiæ utilitas postulaverit. Neque enim me latet, synodum Suessionensem, quæ anno DCCCLXVI. congregata est, eam auctoritatem agnoscere in sede apostolica. Scribens enim ad Nicolaum primum adversus Episcopos Britonum, qui obedientiam Metropolitano Turonensi debitam abjecerant, ait, eos nolle prorsus convenire ad generales regni synodos, neque legatos aut literas mittere, etiam tum cum summus Pontifex earum congregationem fieri præcipiebat ad discutiendas causas emergentes, atque id eo minus ferendum esse, quod Episcopi illi nulla ratione prohiberentur ad eas accedere, non ob pericula in mari, aut propter asperitatem montium, non longo regionum intervallo disjuncti. *Sed neque ad generalitatis nostræ synodum*, inquit synodus Suessionensis, ad Nicolaum Papam scribens, *si quando apostolatus vestri auctoritas nostram fraternitatem pro quibuslibet emergentibus vel imminentibus negotiis adgregandam decernit, illorum præsentiam, legatos, literas, cum infra sinum occiduæ Galliæ commorentur, & nec juga montium, nec marinum pelagus, sed neque gravis intercapedo terrarum convolare prohibeat, nostræ unanimitati quemquam habere meruimus.*

V. Itaque illud solum ajo, hunc ordinem ad ea usque tempora observatum esse in Gallia, ut Regis auctoritate fieret convocatio Concilii generalis regni, non solum semel in anno, aut quando ita Principi videbatur expedire, sed etiam quando summus Pontifex præcipiebat synodum haberi in regno; cujus celebratio differebatur, donec consensus Principis accederet, ejusque ipse convocationem literis suis faceret, ut supra probatum est exemplo beati Gregorii. Eadem est sententia Hincmari, tum viventis; qui in epistola sexta docet, Episcopos provinciarum Galliæ congregari solitos, *si fraterna charitas nos invitaverit, potiusque jussio apostolicæ sedis & præceptio Domini nostri Caroli Imperatoris Augusti nos ad synodum, sicut præcipiunt regulæ, vocare decreverit pro talibus, quæ forte provinciali nequiverint examine definiri, maxime in causa fidei vel generalis religionis, sicut in apostolicæ sedis Pontificum & in epistolis legimus Augustorum. Quoniam Imperatorum auctoritate convocatas generales synodos & in historiis ecclesiasticis & in epistolis apostolicæ sedis Pontificum reperimus. Et sanctus Gregorius Reges Francorum synodos in Gallicis & Belgicis provinciis convocare sæpe commonuit.*

Hincmar. ep. 6. c. 37. & 38. edit. Mogunt.

VI. At Nicolaus primus sequi noluit exemplum beati Gregorii; sed sua auctoritate conceptis verbis synodum Suessionensem celebrari jussit anno DCCCLXVI. locumque & tempus, quo ea habenda esset, præscripsit in epistola scripta ad Archiepiscopos & Episcopos Galliarum. *Præcepimus vos*, inquit Nicolaus ad Herardum Turonensem Archiepiscopum scribens, *una cum ceteris Archiepiscopis & Episcopis Galliarum & Neustriæ &c. apud Suessionicam urbem pariter convenire.* Attamen literas quoque ad Carolum Calvum scripsit, quibus eum faceret certiorem constitutionis suæ. Sed id factum est ea tantum mente, ut is executionem urgeret auctoritate sua. Hinc factum, ut epistola synodica Concilii Suessionensis alio verborum sensu concepta sit, quam canon primus Concilii Francofordiensis, quod, ut habet canon, *auctoritate apostolica & jussione regia* congregatum est. Concilii vero Suessionensis patres fatentur, se congregatos esse jussu Nicolai, nulla Principis mentione, *Synodus*, inquiunt, *Suessionis habita jussu & auctoritate sanctissimi apostolatus vestri.* Quin & Carolus ipse in epistola ad Nicolaum scripta, quæ extat in actis ejusdem Concilii agnoscit, eam synodum fuisse convocatam jussu Pontificis: *a synodo præceptione vestra congregata.*

VII. Occasio celebrandæ hujus synodi aliam quoque infringendorum canonum causam invexit, quæ plurimum detraxit de auctoritate Conciliorum Galliæ. Concilium enim illud congregatum fuit ex universis regni provinciis ad examinandam depositionem Volfadi aliorumque clericorum ab Ebbone Archiepiscopo Remensi ordinatorum post depositionem ejus & pravam restitutionem, quæ multis de causis nulla erat & irrita. Eorum namque ordinationem in dubium revocaverat Hincmarus Archiepiscopus Remensis, Ebbonis successor. Quare illi anno DCCCLIII. querelam ea de re suam detulerunt ad synodum Suessionensem, permissu Caroli congregatam, qui locum ac diem celebrationis indixerat: *Episcopis juxta instituta canonum synodum celebrare volentibus, annuit idem Rex Carolus, eosque ad urbem Suessionum X. Calendas Majas convenire præcepit*, ut legitur in præfatione ejusdem synodi. In ea autem declaratum fuit judicio synodi & judicum, qui inter adversarios convenerant, horum clericorum ordinationem esse nullam. At Nicolaus, delata ad se eorundem clericorum querela, tredecim post annis jussit eam causam retractari in Concilio generali Episcoporum Galliæ, quos ad eandem urbem Suessionensem convenire præcepit; addito conceptis verbis, quod si clerici depositi a judicio hujus Concilii ad sedem apostolicam appellarent, eorum causa judicanda esset apud urbem Romam, quo Hinc-

Nicolaus I. in epist. ad Herardum Archiep. Turon.

marus ac clerici vicarios suos mittere possent. Quo loci animadvertere licet tria atrocia vulnera inflicta esse auctoritati Conciliorum generalium Galliæ contra præscripta canonum. Primum enim decernitur revisio causæ adversus Presbyteros judicatæ in Concilio congregato ex diversis provinciis; cum tamen, juxta canones, eorum causæ in his Conciliis judicandæ sint definitivo decreto. Tum reis relinquitur potestas appellandi a judicio post revisionem lato. Istud vero contrarium est legibus & canonibus Sardicensibus, etiamsi de Episcoporum depositione ageretur. Tertio partes Romam evocantur, id est, Hincmarus Archiepiscopus Remensis, & clerici dejecti; cum tamen appellationes, etiam Episcoporum, ad provincialia judicia remitti debeant, juxta canones Sardicenses. Sane ad vitandam conflictionem jurisdictionis synodus Suessionensis, sequuta modum ab Hincmaro propositum in schedula ab eo porrecta synodo, ad Nicolaum scripsit, se, manente auctoritate judiciorum secundum canones latorum, consensisse votis pontificiis, id est, ut clerici illi gradibus suis restituantur ex speciali gratia & intuitu misericordiæ. Sed addunt patres monitionem, quæ magni momenti est, cavere nimirum debere Nicolaum, ne ex hoc synodi obsequio emergat pernicies disciplinæ ecclesiasticæ, provideatque, ne exemplum illud trahatur in consequentiam ab iis, qui se deinceps restitui postulabunt.

Ep. synod. Concilii Suession.

VIII. Arbitror autem, eo facilius synodum flecti se passam esse in hac causa, quod, ut ego quidem existimo, ita fieri debere convenisset inter Carolum Regem & Hincmarum in gratiam Volfadi. Video quippe, Volfadum illum, qui hujusce controversiæ præcipua causa fuit, statim post hæc cum consensu synodi a Rege promotum esse ad archiepiscopatum Biturigensem; non expectata etiam restitutionis ejus confirmatione, quam Rex a summo Pontifice postulaverat, de qua præcipitatione conqueritur Nicolaus in epistola ad Episcopos synodi Suessionensis. Itaque simillimum veri est, eum æmulatione auctoritatis callide tractum in partes, ut eliceretur ab eo consensus pro restitutione Volfadi & aliorum clericorum, quorum depositio, petente Hincmaro, confirmata fuerat a Benedicto Papa. Verum hic agendi modus ingentem rebus nostris perniciem attulit, cum ab eo tempore Romani Pontifices sibi adversus canones & vetustam possessionem vindicaverint judicia appellationum, non solum Episcoporum, sed etiam Presbyterorum, ut ostendi in capite decimo quinto hujus libri.

IX. Opponi posset, Nicolaum primum propria auctoritate convocasse Concilium Metense ante synodum Suessionensem, atque adeo existimandum non esse, tum primum imminui cœptam auctoritatem regiam, cum Suessionica synodus decreto Pontificis convocata est. Sed magnum inter hæc duo Concilia discrimen intercedit. Quippe Metense Concilium celebrari postulaverat Lotharius Rex Austrasiæ; qui Nicolaum rogavit, ut illud convocaret, ac Legatos eo suos mitteret, ad judicandam causam matrimonii sui cum Thetberga conjuge sua. Causa enim dubia erat; ob quam synodus Aquisgranensis anno DCCCLX. congregata, cui interfuerant Archiepiscopus Treverensis aliique Episcopi in regno Lotharii constituti, Nicolaum consuluerat. Optimo igitur jure poterat non solum decernere celebrationem hujus Concilii, sed etiam illud convocare; quoniam Regis Lotharii, ad quem convocatio pertinebat, agitanda illic erat causa: cui rei necesse erat congregare Episcopos ex diversis regnis.

Nicol. I. ep. 19. *Regalis excellentia vestra nuper apostolatui nostro direxit, ut pro percipienda synodo Missos e latere nostro mittere dignaremur.*

Epistola Episcopor. regni Lotharii ad Nicolaum.

X. Attamen si propius introspiciamus, quem ordinem tenuerit Nicolaus in convocatione hujus Concilii, constabit; jura regia non fuisse prorsus transmissa. Quippe Nicolaus Legatos suos mittens, eis litteras dedit ad Episcopos Galliæ & Germaniæ scriptas, quibus eos evocabat ad urbem Metensem, illic judicaturos causam Lotharii. Verum eam cautionem adhibet quoad Carolum Calvum, ut Legatos velit ad eum accedere, eique *epistolas synodicas*, id est, literas Concilii convocatorias, ostendere, quæ ad Episcopos regni ejus scriptæ erant, itemque *commonitorium*, id est, mandata Legatis data. Tum & illud quoque fieri annuit, ut isthæc omnia cum Episcopis cunctisque aliis communicentur. *Eidem glorioso Regi*, inquit Nicolaus in epistola ad Legatos in Franciam missos, *epistolas synodicas, & has, quas vobis nunc dirigimus, pariter cum commonitorio, præsentibus cunctis ostendite.* Ex his autem colligi possunt vestigia prisci moris, quo receptum erat, non posse vim legum apud nos obtinere epistolas Pontificum Romanorum, donec Regi ostensæ fuissent. Convocatio nihilominus isthæc effectu caruit quoad Francos, habita nimirum synodo Metensi anno DCCCLXIII. a solis Episcopis regni Lotharii & Legatis Nicolai; ut ipse Nicolaus testatur in epistola LVIII. ad Episcopos in regno Ludovici constitutos.

Nicol. ep. 22.

Vide supra lib. 5. cap. 45. §. 5. 6.

Appendix epistolar. Nicolai I. ep. 2.

XI. Fatendum tamen est, modum illum mittendorum Legatorum ad convocanda provinciarum Concilia causasque in eis judicandas placuisse summis Pontificibus, qui ea ratione in se traxerunt omnem auctoritatem, quæ penes Episcopos erat. Auctoritas enim Legatorum ad eam formam disposita est, quam Nicolaus instituerat in hac legatione ad synodum Metensem. Ea autem in eo versabatur, ut Legati una cum synodo dijudicarent causam Lotharii causasque ecclesiasticas definirent, quæ inciderent; ea tamen lege, ut, si talis controversia oboriretur, quæ in synodo terminari non posset, ad sedem apostolicam referretur. Nihil heic novi statutum est; quoniam ea erat portio antiqui juris, quod Episcopo Romano competebat in occidente, ut ad eum referendæ essent causæ ambiguæ, quemadmodum ostendi in superioribus libris. At clausula sequens prorsus abolet auctoritatem synodorum, sive pro judicandis causis, seu etiam pro condendis canonibus. Nam jubet Nicolaus acta synodi ad se mitti; ut, si invenerit, causas secundum æquitatem definitas fuisse, Deo omnipotenti gratias referat; si vero injuste fuerit judicatum, restaurari jubeat cognitionem; *ea renovare summopere jubeamus*, inquit Nicolaus in epistola XXIII. ad Episcopos in Concilio Metensi residentes.

Vide supra lib. 5. cap. 45. §. 3. 4.

XII. Et Legatorum quidem missio magnum præsidium erat ad traducendas ad apostolicam sedem universas provinciarum causas, sed ostendendum erat, necessariam esse eorum præsentiam in Conciliis. Primus omnium Nicolaus in medium protulit propositionem, unde petita est hæc consequentia. Nam in sermone, habito Romæ in vigilia Natalis Domini, qui relatus est in Concilio Romano, quod anno DCCCLXV. celebratum est, post judicatam causam Rothadi Episcopi Suessionensis, qui depositus fuerat in synodo generali Sylvanectensi, affirmavit, neminem posse synodum generalem convocare absque jussione sedis apostolicæ: *Cujus rei gratia facto Concilio generali, quod sine apostolicæ sedis præcepto nulli fas est vocandi, &c.* Axioma illud, quod extenditur ad omnia Concilia, quæ neque episcopalia sunt, neque provincialia, sumptum est ex decretis supposititiis Papæ Julii, quæ extant in collectione Isidori Mercatoris; cujus auctoritatem imminui, ferre non poterat Nicolaus, ut ostendi in cap. V. §. VI. & cap. VI. §. I. libri tertii.

XIII. Certum quidem est, duo loca male intellecta occasionem præbuisse huic propositioni. Primus est Concilium Romanum tertium sub Symmacho; in cujus actis legitur, quod, cum Theodoricus Rex Italiæ synodum generalem Italiæ convocasset ad judicandam accusationem institutam adversus Symmachum, Episcopi provinciarum Liguriæ, Æmiliæ & Venetiarum Romam ad Concilium proficiscentes, ac per Ravennam iter agentes, ubi Rex morabatur, ei suggesserunt Symmachum Papam,

Papam, tametsi reus esset, debuisse convocare Concilium, *ipsum, qui dicebatur impetitus, debuisse synodum convocare*. Certe exprobratio illa locum habebat quoad Italiam, neque recipienda esset in aliis regnis: quia Concilium patriarchale convocandum est a Patriarcha, & a nullo alio convocari potest secundum canones. Ideoque ad Papam Symmachum, non autem ad Regem spectabat evocatio Episcoporum Italiæ, qui per illas tempestates patriarchalem synodum Romanam constituebant.

XIV. Secundus locus eruitur ex epistola Pelagii secundi adversus Joannem Patriarcham Constantinopolitanum, qui se dicebat Episcopum universalem, eoque titulo, quem indebite usurpabat, Concilium generale inscio Pelagio convocare præsumserat; ad quod non solum Episcopos orientis invitaverat, sed etiam occidentales, evocato nimirum Episcopo Thessalonicensi atque Episcopis Græcis, qui ad patriarchatum Romanum spectabant. *Relatum est ad apostolicam sedem*, inquit Pelagius secundus in epistola octava, quæ est ad Episcopos, qui ad synodum Constantinopolim conveniunt, *Joannem Constantinopolitanum Episcopum universalem se scribere, vosque ex hac sua præsumptione ad synodum convocare generalem, cum generalium synodorum convocandi auctoritas apostolicæ sedi beati Petri sit tradita*. Nullus Pontificum Romanorum ante Pelagium sibi arrogaverat auctoritatem convocandi Concilia. Utcunque tamen se res habeat, constat, Pelagium eo loco contendere, ad solam sedem apostolicam pertinere jus convocandi Concilium omnium patriarchatuum, exclusis prorsus ab eo jure Episcopo CP. & reliquis Patriarchis. Et haud dubie Joannes Constantinopolitanus egrediebatur limites suæ auctoritatis, quod evocare præsumeret Episcopos, qui erant extra suam Diœcesim, contra canonem secundum Concilii œcumenici secundi. Sed hoc præcipuum ac magnificum pro Pelagio erat, quod in epistola genuina Papæ Julii ad synodum Antiochenam scriptum sit, non quidem competere Romano Pontifici jus convocandi Concilia generalia, cum ea auctoritas pertineret ad Imperatores, sed canones Ecclesiæ generales condi non posse absque ejus sententia, *ἄνευ*
Vide supra lib. 5. c. 12. § 1. & addit. ad cap. 14. § … *τῆς αὐτοῦ γνώμης κανονίζειν τὰς ἐκκλησίας*. Hæc sunt verba Græca, quæ sic versa sunt in historia tripartita: *Non debere absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrari*. Unde Papa Pelagius hæc verba hausit: *Multis denuo apostolicis & canonicis atque ecclesiasticis instruimur regulis, non debere absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrari*.

XV. Sed quemadmodum verissimum est, non posse Concilia celebrari absque sententia Episcopi Romani, ita absurdum est, regulam illam porrigere ad Concilia Diœcesana sive regionalia contra mentem antiquitatis, quod tamen contendit Nicolaus Papa. Equidem collectio canonum, quæ ab Adriano primo data est Angilramno Episcopo Metensi, docet, Concilia provincialia pro depositione Episcoporum convocari debere a summo Pontifice. Unde Ivo & Gratianus occasionem arripuerunt tribuendi soli summo Pontifici auctoritatem
Vide lib. 3. c. 5. § 4. 5. convocandi synodos. At Hincmarus, qui & decreta supposititia Julii & capitula Angilramno data viderat, tria quædam affirmat. Primum, canones Conciliorum servandos præ istis epistolis. Secundum, Metropolitanos, quum Concilia provincialia aut nationalia celebrant, ita agere vi auctoritatis sancti Petri, quæ omnibus Apostolis communicata est & Episcopis eorum successoribus. Tertium, verba illarum epistolarum (de quarum fide jam tum dubitabatur, tametsi satis non constaret, eas esse supposititias) intelligi debere de conventu
Hincm. c. 20. & seqq. Opusculi adversus Hincmarum Laudun. generali Ecclesiæ in causa fidei: *Constat ergo de generali fidei causa hoc dixisse apostolicam sedem*. Alibi vero ostendit, Regibus Francorum competere jus convocandi generalia regni Concilia, quasi voluerit opponere doctrinam Galliarum novæ Nicolai ambitioni. Probabile est, Legatos Hadriani secundi in octava synodo conatos esse infringere jura Regum nostrorum circa convocationem Conciliorum, quemadmodum diversa alia eorundem jura pulsare tentaverant juxta propositiones Nicolai primi, ut observavi supra. Verum nihil aliud obtinere potuerunt, quam ut canone septimo decerneretur adversus praxim Galliæ, quæ volebat, ut generalia regni Concilia haberentur *in palatio*, eam propositionem falsam esse, *Non posse synodum* Vide lib. 2. c.
absque principali præsentia celebrari. Quin etiam 17. § 3. & lib.
pronuntiatum est, non decere prorsus Principes in- 6. c. 25. § 7.
teresse synodis, nisi sint œcumenicæ.

CAPUT XXIX.

De Legatis perpetuis in Galliam a Pontifice Rom. missis ad intervertendam ejus libertatem, & eorum differentia a vicariis sedis Apostolicæ pristinis.

SYNOPSIS.

I. Pontifices Romani Legatos perpetuos in Gallia instituere tentarunt, firmandæ auctoritati suæ. Nihil in antiquitate illa tentatum adversus jura Principum aut Conciliorum.

II. Vicarii sedis apostolicæ Primates & Primicerii dicti ab Hincmaro.

III. Drogonis Episcopi Metensis vicariatus effectu caruit, repugnantibus Episcopis Gallicanis. Præfuit synodo ad Theodonis-villam. Datum id nobilitati ejus, non autem Legationi.

IV. Cur Episcopi Gallicani huic novæ Drogonis dignitati intercesserint. Nimirum ob conditiones in rescripto de legatione ejus adjectas prorsus adversas libertati Ecclesiæ Gallicanæ.

V. Ansegisi Archiepiscopi Senonensis legationem admittere nolunt Episcopi Gallicani; quamvis acriter id urgeret Carolus Calvus. Hincmarus Remensis nobilem epistolam scripsit adversus ambitum Ansegisi. Rostagni item Arelatensis Archiepiscopi legatio irrita fuit.

VI. Cum Pontifices Romani viderent, Episcopos Gallicanos ferre non posse, ut jus perpetuæ præsidentiæ Gallicanis Episcopis concederetur, exteros miserunt. Frodoardus explicatus.

I. SEd, ut ad legationes redeamus, cum summi Pontifices intelligerent, initam hoc pacto esse optimam rationem conservandæ suæ auctoritatis in Gallia, Legatos in ea perpetuos instituere tentarunt; optimumque propterea factu visum est, legationem iis viris tribuere, quorum esset amplissima dignitas, quique præcipua apud Reges auctoritate & gratia florerent. Jam antea in Vide supra
capite vigesimo hujus libri examinatus est vicaria- lib. 5. cap. 19.
tus Episcoporum Arelatensium, ostensumque, nul- § 2.
lius illum roboris fuisse sub Imperatoribus Romanis, neque etiam sub prima Regum nostrorum dynastia. Sub secunda dein Bonifacius Archiepiscopus Moguntinus a sede apostolica missus est ad erudiendos in fide populos Germaniæ, idolis addictos, & ut Episcopos in Gallia restitui procuraret: qui vicariatum suum exercuit cum consensu Regum nostrorum & Episcoporum, quorum intererat, nulla injuria facta juri Principum aut Conciliorum. Sic enim ad Zachariam Pontificem Romanum scribit idem Bonifacius. *Notum sit paternitati vestræ, quia postquam indigno mihi mandastis, in provincia Francorum, sicut & ipsi rogaverunt sacerdotes, Concilio synodali & conventui præesse.*

II. Interfecto autem in Frisia Bonifacio ab infidelibus anno DCCLIV. Galliæ per nonaginta annos nullum habuere Primatem. Interim jura Metropolitanorum conservata fuere. Ecclesiasticæ vero

causæ definiebantur secundum canones & decreta sedis apostolicæ Pontificum & Principum suorum dispositionem, ut verbis Hincmari utar, qui apostolicæ sedis Vicarium Primatem & Primicerium vocat, *Hactenus*, inquit, *provinciæ cisalpinæ temporibus Pipini Regis & Caroli ac Ludovici Imperatorum sine hoc Primicerio vel Primate a sede apostolica delegato annos circiter XXIII.* (legendum XCIII.) *manserunt; & Metropolitani singulis suo jure servato, apostolicæ sedis favore & Principum suorum dispositione, secundum sacros canones & decreta ejusdem sedis Pontificum, quæque fuerunt agenda venerabiles Episcopi per auctoritatem canonum sacrorum & decreta sedis Romanæ Pontificum peregerunt.*

Hincmar. ep. 6. c. 19. edit. Mogunt.

Vide supra lib. 5.

III. Drogo Caroli Magni filius ex concubina, & Metensis Episcopus hanc Vicarii dignitatem renovare studens in Gallia, eam a Papa Sergio obtinuit anno octingentesimo quadragesimo quarto. Verum obtineri non potuit ab Episcopis Gallicanis, ut liberam ei Vicarii apostolici auctoritatem permitterent. Et de consensu quidem Regum nepotum suorum primum locum obtinuit in synodo ad Theodonisvillam: Verum cum negotium illud propositum fuisset in Concilio Vernensi, pro solo jure præsidendi, *de prælatione reverendissimi Drogonis*, pronuntiatum est in canone XI. de hoc acturos Episcopos in proximo conventu Episcoporum Galliæ & Germaniæ, in quo inquiri posset, an ei prærogativæ consensum suum adhibere velint Metropolitani reliquique antistites. In antecessum tamen synodus ait, quod si dignitas hæc alicui committi possit, nihilque arcanæ ambitionis in ea lateat præter eam, quæ prætenditur, *& non alia, quam quæ prætenditur, latet causa*, id est, præsidentiam, videri eum honorem nemini potius tribui posse, quam Drogoni, qui & Episcopis communione sacerdotii sociatus erat, & excellentiæ Principum privilegio propinquitatis. Hincmarus autem testatur, ambitionem illam effectu caruisse, ob hoc, quod ii, quorum interesat, consensum ei suum adhibere noluerunt. *Quod affectu ambiit*, inquit Hincmarus in cap. XXX. epistolæ paulo ante laudatæ, *effectu non habuit: & quod efficaciæ usu, non consentientibus, quibus intererat, obtinere non potuit, patientissime, ut eum decuit, toleravit; ne scandalum fratribus consacerdotibus generans, schisma in sanctam Ecclesiam introduceret.*

Vide lib. 4. c. 5. §. 4. lib. 5. cap. 44. §. 7. 8.

IV. Ego vero existimo, Episcopos Gallicanos intercessisse huic legationi, non ob causam præsidentiæ, cum ei consenserint in Concilio Vernensi contemplatione nobilitatis Drogonis, sed ob conditiones, quæ in rescripto delegationis ejus adjectæ erant, prorsus adversæ libertati Ecclesiæ Gallicanæ. Unde nil mirum, si jus sibi reservaverint examinandi, an aliquid occultum in eo esset præter jus præsidentiæ. Atqui si rescriptum legationis ejus excutiatur, deprehendentur in eo clausulæ aliquot, quæ derogant auctoritati Conciliorum provincialium & generalium. Primum enim Sergius secundus Papa ei tribuit auctoritatem convocandi nomine Pontificis Concilia generalia, ex quo capite violabatur regia dignitas. Tum jubet, ut, quæcunque causæ definientur in Conciliis provincialibus, ad eum referantur. Quod si quis nullo discrimine adhibito, sive Episcopus sit, sive clericus, aut laicus, appellaverit apostolicam sedem, causam ejus discutiendam esse coram Vicario & ejus synodo. Si vero diversitas opinionum inter Episcopos oriretur, reum mitti debere Romam cum actis synodi & litteris Vicarii. Servato in omnibus primatu Ecclesiæ Romanæ, *& vigore & exaltatione charissimi ac spiritalis filii nostri Domini Lotharii magni Imperatoris.*

Rescriptum Sergii PP. extat T. 3. Concil. Gall. p. 9.

V. Anno DCCCLXVI. legationis dignitas per Gallias & Germanias a Joanne VIII. concessa est Ansegiso Archiepiscopo Senonensi in gratiam Caroli Calvi Imperatoris. At Joannis literæ miro temperamento conscriptæ sunt ac verbis iis conceptæ, quæ dignitatem canonum ferme illæsam præstant. Ansegiso enim vicariatum suum confert, ut eo utatur in convocatione synodorum & in aliis causis ecclesiasticis, cum Ecclesiæ utilitas ita postulaverit. Tum jubet, ut decreta sedis apostolicæ communicentur cum Episcopis ab Ansegiso Vicario: qui, si necessitas ingruat, curabit ad Summum Pontificem mittere relationem eorum, quæ acta fuerint, ut secundum ejus relationem ipse majores difficilioresque causas definire possit. Singulari porro industria, ut dixi, confectum est rescriptum Pontificis. Illud ab Episcopis in Concilio Pontigonensi eodem anno congregatis suscipi contendit Imperator Carolus, præsentibus apostolicæ sedis Legatis. Verum nihil aliud obtinere ab Episcopis potuit, quam obedituros se jussionibus summi Pontificis, *servato singulis Metropolitanis jure privilegii secundum sacros canones & juxta decreta sedis Romanæ Pontificum ex iisdem sacris canonibus promulgata*. Tametsi autem Imperator & Legati eos urgerent, ut absolute responderent, se obedituros primatui Ansegisi, responsum illud a corpore Episcoporum extorquere non potuerunt. Solus Frotarius Burdegalensis Archiepiscopus, itemque Odo Episcopus Belvacensis desiderio Imperatoris obsequuti sunt. Odo vero legit quædam capitula *sine conscientia synodi dictata*. Hincmarus Remensis adversus ambitum Ansegisi scripsit celebrem illam epistolam sextam de juribus Metropolitanorum: in qua protestatur, paucorum consensum in eo Concilio adhibitum, & aliorum silentium, *fastu imperialis potentiæ contra suprascripta sacrorum canonum & apostolicæ sedis Pontificum decreta ex eisdem sacris canonibus promulgata*, nullum detrimentum adferre posse antistitibus Galliarum. Pertinacem autem se in ea epistola præstat adversus præsidentiam ab Ansegiso prætensam, tribus præcipue de causis. Primum, quod ei Pontifex tribuisset jus convocandi Concilia generalia, (quod soli Pontifici competit & Regi, & si provincia finitima ita roget) trahere in partes Principem oblique conatus, ut novæ huic dignitati faveret, quæ jura regia violabat. Tum, quod eidem Ansegiso præsidentiam concedit; quæ tamen secundum canones nulli Metropolitano debetur, nisi juxta tempus ordinationis. Tandem vero, quod ei auctoritatem tribuit de rebus gravioribus referendi ad sedem apostolicam; cum tamen id jus unicuique Metropolitano competat, juxta epistolam Innocentii primi ad Victricium Rothomagensem, quod intelligendum est de Conciliis provincialibus. Nam quoad generalia, relationem illa suam faciebant per epistolam synodicam aut regiam.

Vide lib. 4. c. 5. §. 5. 6. 7.
Rescriptum Joannis VIII. extat To. III. Concil. Gall. p. 433.

Hincmar. ep. 8. c. 32.

Ansegisi consilium interrupit obitus Caroli Calvi Imperatoris, qui anno sequenti decessit. Veruntamen Joannes VIII. Papa, ut possessionem suam retineret, vicariatum suum per Gallias tribuit Rostagno Archiepiscopo Arelatensi. Sed ea legatio omni prorsus effectu caruit.

Joannes VIII. ep. 94. 95.
Vide supra lib. 5. cap. 40. §. 3.

VI. Pontifices Romani, cum intelligerent, Metropolitanos ferre nolle uni ex suo corpore conferri jus perpetuæ præsidentiæ, existimarunt, mittendos esse Legatos in Gallias & in alia regna, cum potestate convocandi Concilia pro necessitate temporum, eisque præsidendi, ac relationem rerum in eis statutarum mittendi ad apostolicam sedem, ut Romæ aut confirmarentur aut retractarentur. Hujuscemodi legationem exercuit Robertus Archiepiscopus Treverensis: cui data est potestas præsidendi synodo apud Mosomum in diœcesi Remensi habitæ anno DCCCCXLVIII. in causa Archiepiscopi Remensis, ut narrat Frodoardus in Chronico: cujus locus explicari non debet de legatione generali, sed de ea tantum, quæ concessa erat ad judicandam appellationem Episcopi juxta canones Sardicenses: *Mandatum legationis apostolicæ, quam dudum Robertus Archiepiscopus deferente Frederico Præsule Mogonciacensi coram Regibus & Episcopis tam Galliæ, quam Germaniæ susceperat, & par-*

Frodoardus ad an. 948.

& partem jam præceptionis ipsius exegerat. Marinus quoque sedis apostolicæ Legatus pro eadem causa venit ad Gallias; & conventui generali Ingilenheimensi præfuit eodem anno, postquam literas legationis ostenderat. *Missus apostolicæ sedis chartam suæ legationis honorifice protulit*, inquit Concilium Ingilenheimense in præfatione. Relationem ille suam ad Agapetum secundum misit de rebus in hac synodo gestis: cujus synodi sententiam Romana confirmavit anno sequenti, ut testatur idem Frodoardus. Ceterum ea ratione causas ad se trahebant Pontifices Romani.

CAPUT XXX.

De Legatorum Pontificiorum auctoritate in convocandis Conciliis, prima causarum cognitione, & condendis canonibus usurpata, ut & de eorum procuratione & frequentia.

SYNOPSIS.

I. Sub initia tertiæ Regum nostrorum dynastiæ nova politiæ forma introducta est, in detrimentum auctoritatis Metropolitanorum & Conciliorum, tum etiam regiæ. Quippe omnes causæ pendebant ab arbitrio Legatorum.

II. Canon Sardicensis satis modeste observatus est, usque ad seculum decimum. Dein Alexander secundus pronuntiavit, curam universalis Ecclesiæ ad se pertinere, ideoque, cum id per se ipse non posset, mittendos, qui vice sua Ecclesias visitarent. Expenditur ea Alexandri sententia. Petrus Damiani Legatus in Gallia.

III. Amatus Episcopus Oloronensis Legatus in Aquitania. Item Geraldus Cardinalis Ostiensis. Quid Aquitanicæ legationis nomine comprehenderetur.

IV. Ad Legatos ea tempestate pertinuit convocatio Conciliorum generalium ex provinciis, quæ intra legationis eorum terminos continebantur. Gregorius VII. definivit, Legatos apostolicæ sedis præcedere debere omnes Episcopos. Deponere poterant Episcopos. Eorum suffragium æquiparabatur collectis totius synodi suffragiis.

V. Concilia ab illis convocata constabant utplurimum ex Episcopis & Abbatibus eorum legationis; eisque interdum intererant optimates. Probatur variis exemplis.

VI. Primam omnium causarum cognitionem ad se trahebant in provinciis. Irascitur tantisper Ivo Carnotensis ob eam præsumptionem.

VII. Canones & statuta in Conciliis condebant pro disciplina ecclesiastica.

VIII. Tum acta Conciliorum suorum mittebant ad apostolicam sedem. Omissum obsequium illud a Geraldo Episcopo Ostiensi gravem Gregorii VII. reprehensionem adversus ipsum excitavit.

IX. Procuratio Legatorum introducta ævo Alexandri secundi, & frequentia Legatorum sub Gregorio VII. qui Metropolitanos jurejurando adegit polliceri, se sumptus necessarios Legatis suppeditaturos. Origo hujus instituti peti potuit ex litteris Gregorii secundi. Verum quantum abfuit sequens ætas a modestia illius seculi!

X. Procurationes Legatorum gravissimam in Galliis querelam excitaverunt. Et occasionem præbuit auri sacra fames. Episcopi Gallicani Paschalem secundum orant, ut legationem suam tribuat cuidam Episcopo transalpino.

XI. Frequentia Legatorum in fastidium versa. Judicia lata in synodis Gallicanis interdum Romæ cassabantur parte inaudita altera. Unde occasionem sumit Ivo scribendi, inutilem esse Conciliorum celebrationem. Idipsum diu ante senserat Hincmarus.

XII. Ita summi Pontifices cuncta ad se traxerunt. Eo pacto abolita sunt generalia regni Concilia ecclesiastica. Frequentes dein non fuere legationes, nisi ob gravem causam. Concilium Biturigense anni 1226. in quo sessum non fuit quasi in Concilio, sed ut in Concilio. Cur ita factum.

I. HActenus satis æqua lege constiterat ecclesiastica politia. At ex fundamentis, quæ jacta sunt desinente secunda Regum nostrorum dynastia, consecuta est nova ejusdem politiæ forma, sub initia tertiæ eorum stirpis, in detrimentum Metropolitanorum Conciliorumque provincialium & generalium regni. Quin & eodem tempore valde imminuta est regia auctoritas. Nam Legatorum missiones adeo frequentes erant, & potestas illis ab apostolica sede concessa tam splendida erat ac magnifica, ut omnes causæ ecclesiasticæ ab eorum nutu penderent & secundum illorum voluntatem judicarentur, aut ad apostolicam sedem remitterentur. Vide supra lib. 5. cap. 46. §. 1.

II. Decreverat quidem synodus Sardicensis, posse Episcopum Romanum, si ita existimaret, Legatum *a latere suo* in provincias mittere, illic cum Episcopis provinciæ judicaturum revisionem causæ Episcopi depositi. Satis modeste observata est hæc lex usque ad seculum decimum, nequicquam promovente Nicolao primo, qui consilium iniverat vertendi legationes hujuscemodi in consuetudinem ordinariam, eo prætextu, quod, ut recenter inventum fuerat, irrita forent Concilia generalia, quæ non cum auctoritate apostolicæ sedis habita erant. Post annum millesimum necessarium visum non est prætexi ad mittendos Legatos judicia appellationum. Quippe Alexander II. jus mittendorum Legatorum ex eo capite arcessit circa annum MLXII. quod cura universalis Ecclesiæ eum cogat mittere ad vicem suam personas, quæ visitent Ecclesias, cum id ipse efficere per se non possit. Certum quidem est, ei incumbere sollicitudinem Ecclesiæ universalis. At novum est, cum dicitur, ex ea sollicitudine sequi, ut teneatur ad personalem diœceseon visitationem, id enim ad unumquemque Episcopum pertinet in sua diœcesi. Ministerium autem Romani Pontificis in eo tantum versatur, ut ad eum majores causæ & appellationes referantur; quibus ipse providere tenetur secundum canones. Attamen Alexander II. axioma illud innuens tanquam certum, hinc occasionem sumit probandi necessitatem mittendi in Gallias Petrum Damiani Cardinalem Ostiensem cum dignitate Legati, qui illic personam Pontificis repræsentaret. Epistola Alexandri scripta est ad Archiepiscopos Remensem, Senonensem, Turonensem, Biturigensem & Burdegalensem: cujus hæc sunt verba: *Non ignorat sancta vestra fraternitas, dilectissimi, quod ex auctoritate sedis apostolicæ, cui nos indignos clementia divina præfecit, totius universalis Ecclesiæ regendus ac disponendus nobis status incumbit. Quoniam igitur pluribus Ecclesiarum negotiis occupati, ad vos ipsi venire non possumus, talem vobis virum destinare curavimus, quo nimirum post nos major in Ecclesia Romana auctoritas non habetur, Petrum videlicet Damianum Ostiensem Episcopum, qui nimirum est noster oculus & apostolicæ sedis immobile firmamentum. Huic itaque vicem nostram pleno jure commisimus; ut quicquid in illis partibus Deo auxiliante statuerit, ita ratum teneatur ac firmum, ac si speciali nostri examinis fuerit sententia promulgatum.* Vide supra lib. 5. cap. 47. §. 1. 2. Alexander II. ep. 10.

III. Legati hujuscemodi mittebantur ad diversa regna; & eorum legatio interdum porrigebatur in universum regnum, interdum vero in quasdam tantum provincias. Exempli causa, Amatus Episcopus Orolonensis apud Benearnos creatus est Legatus in universa Aquitania anno MLXXIV. eaque legatio complectebatur metropoles Burdegalensem & Auscitanam, atque etiam Turonensem. Eadem legatio commissa est Geraldo Cardinali Ostiensi: quæ, ut testatur auctor vitæ sancti Bernardi, complectebatur, quicquid inter Pyrenæos montes & Ligerim fluvium intercipitur, ut in Notis ad librum Vide supra lib. 5. cap. 46. §. 8. 9. Vide supra lib. 5. cap. 46. §. 3. & seqq.

librum primum Goffridi Vindocinensis ostendit Sirmondus.

IV. Eorum vero auctoritas non in eo solum posita erat, ut privatam aliquam causam soli judicare possent. Magnificum fuit, quod ad eos pertinebat convocatio Conciliorum generalium ex provinciis, quæ intra legationis eorum terminos continebantur. Tum vero in synodis præsidebant super universos Metropolitanos, tametsi prærogativam hanc anno DCCCLXVI. Ansegiso Senonensi Archiepiscopo contradixisset Concilium Pontigonense. Sed tempore addito devorata est hæc lex a Metropolitanis, postquam Gregorius VII. definivit, Legatos apostolicæ sedis, cujuscunque tandem gradus ii forent, præcedere in Conciliis debere omnes Episcopos, ut habetur in dictatibus ejusdem Papæ: *Quod Legatus ejus omnibus Episcopis præsit in Concilio, etiam inferioris gradus, & adversus eos sententiam depositionis possit dare*. Magna autem erat eorum dignatio, quod in provincias accederent cum auctoritate suspendendi & deponendi Metropolitanos & alios Episcopos, quo facilius mandatorum suorum executionem obtinerent, ac votorum suorum compotes fierent, cujus rei exempla extant quamplurima in epistolis Gregorii VII. & Ivonis Episcopi Carnotensis. Quin etiam sedis apostolicæ judicio reservare poterant ea, quibus Episcopi consentire nollent in Conciliis; ea Legatis auctoritate concessa, ut unicum eorum suffragium æquipararetur collectis totius synodi suffragiis, divisionemque sententiarum hoc pacto introducerent. Præceptum id fuerat ad exemplum auctoritatis, quam Leo primus tribuerat Episcopo Thessalonicensi, cui Vicarii sedis apostolicæ dignitatem contulerat in Diœcesi Illyriciana: *Si autem in eo, quod cum fratribus tractandum definiendumve credideris, diversa eorum fuerit a tua voluntate sententia, ad nos omnia sub gestorum testificatione ferentur, ut remotis ambiguitatibus, quod Deo placeat, decernatur*. Leo in Decret. tit. 41.

V. Infinitum esset & inutile persequi omnia Concilia, quæ ab hujuscemodi Legatis celebrata sunt in Gallia, quorumque mentio extat in epistolis Gregorii VII. & aliorum Pontificum, apud Ivonem Carnotensem, & Goffridum Vindocinensem. Satis erit adnotasse tria quædam. Primum, Concilia illa, utplurimum constitisse ex Episcopis & Abbatibus earum regionum, ad quas Legati auctoritas porrigebatur, eisque interdum interfuisse optimates. Diserta in eam rem sunt verba Nicolai monachi Suessionensis, cum loquitur de Concilio Trecensi, habito a Richardo Episcopo Albanensi Paschalis secundi Legato. *Richardus Cardinalis & apostolicæ sedis Legatus apud Trecenses celeberrimum habuit conventum Episcoporum, Abbatum, & Galliæ procerum*, inquit Nicolaus in vita sancti Godefridi Episcopi Ambianensis lib. I. cap. XXX. At principes illi viri invitabantur ad synodum, postquam ejus celebrationi consensus eorum accesserat, ut colligitur ex litteris Amati Episcopi Oloronensis apostolicæ sedis Legati, quibus Archiepiscopo Turonensi Rodulfo præcipit, ut ad synodum Burdegalensem veniat: *Noverit vestra charitas, frater dilectissime, nos auctoritate Dei omnipotentis omniumque legationis nostræ Episcoporum, Abbatum, Principum consensu Concilium Burdegalæ in octava sancti Michaelis celebrandum constituisse*. Ap. Sirmond. in Notis ad Goffrid. Vindoc. lib. I. ep. 39. In Germania quoque Legati invitabant proceres ad Concilia; quemadmodum factum est anno MCXVI. cum excommunicationis sententia lata est in Henricum Imperatorem, apud Trithemium in Chronico Hirsaugiensi.

VI. Alterum caput notatu dignum hoc est, Legatis infra magnitudinem eorum visum, si de appellationibus tantum cognoscerent in Conciliis. Itaque primam omnium causarum cognitionem ad se trahebant in Conciliis definiendarum, & interdum etiam absque Concilio; sive ageretur de electionibus Episcoporum, deque eorum moribus, sive de simplicibus clericis, aut etiam de titulis beneficiorum, aut laicorum excommunicationibus. Eum ordinem tenuit Cono Episcopus Prænestinus in Concilio Belvacensi anno MCXIV. in quo Thomas de Marla, qui diœceses Remensem, Laudunensem & Ambianensem vexabat, excommunicatus est, *cum sederet Belvaci generali conventu Gallicana Ecclesia*, ut ait Sugerius Abbas. At Ivo Carnotensis gravem adversus Hugonem Archiepiscopum Lugdunensem & apostolicæ sedis Legatum querelam movit, eo quod primam cognitionem electionis Episcopi Aurelianensis ad se traxisset. *Si intra provinciam*, inquit, *secundum quod instituta majorum continent, fieret prima discussio, sicut necesse foret &c.* Ivo ep. 68.

VII. Tertium caput nostrarum observationum ita habet, non solum judicia in his Conciliis tulisse Legatos, sed etiam canones & statuta condidisse pro disciplina ecclesiastica, cujus rei exempla suppetunt. Namque Concilium Pictaviense habitum anno millesimo centesimo a Legatis Paschalis II. decem canones condidit, quorum nonnulli transcripti sunt in Concilio generali, quod Callistus II. celebravit anno MCXXII. in Ecclesia Lateranensi. Aliud quoque Concilium in eadem urbe Pictaviensi celebravere Legati anno MCIX. in quo editi sunt canones sexdecim. In Anglia quoque Legati sedis apostolicæ varia Concilia celebraverunt, in quibus etiam constituti sunt canones; velut in Londinensi habito anno MCXXV. a Joanne de Crema Legato, qui disciplinam ecclesiasticam restauravit.

VIII. Quoniam autem potestas horum Legatorum non ad hoc tantum instituta erat, ut causas provinciarum definirent, sed, ut insuper sedis apostolicæ auctoritatem apud eas retineri procurarent, necessarium erat, ut acta synodorum Romam referrentur, eo magis, quod appellationes & conquestiones adversus illorum judicia recipiebantur, tametsi interim effectum eorum non impedirent. Officium Legatorum in referendis ad apostolicam sedem rebus eorum auctoritate decretis recte explicavit Gregorius VII. anno MLXXIV. ad Geraldum Episcopum Ostiensem & apostolicæ sedis in Hispania Legatum scribens, qui peccaverat aliquatenus in hanc regulam: *Miramur & multum anxii sumus, quod cum semper consuetum & valde necessarium fuerit, ut, si quando Legatus apostolicæ sedis Concilium in remotis partibus celebraverit, sine mora ad annuntiandum omnia, quæ egisset, reverteretur*. Infra: *Debuerat prudentia tua illum, quem tibi adjunximus, aut aliquem, qui synodo interfuisset, quique omnia vice tua nobis rationabiliter expedire sciret, ad nos direxisse; quatenus perspectis omnibus, confirmanda confirmaremus, & si qua mutanda viderentur, discreta ratione mutaremus*. Infra: *Alii injuste se excommunicatos, alii inordinate depositos, alii immerito interdictos conqueruntur*. Gregor. VII. lib. I ep. 16. Vide supra lib. 5. c. 53. §. 2.

IX. Hujuscemodi Legatorum numerus immensum crevit ætate Gregorii VII. quoniam post regulam ab Alexandro II. propositam subtilitas illius seculi invenit artem extorquendi sumptus Legatis necessarios ab Ecclesiis, quæ erant intra limites legationis eorum, exemplo petito a procurationibus, quæ debentur Episcopis pro visitatione. Præterea Gregorius novam anno MLXXIX. clausulam adjecit juramento Metropolitanorum, quando Pallium recipiebant, qua cogebantur ad suppeditandos sumptus necessarios Legatis, quoties per provincias eorum iter agerent ad legationem suam euntes, ut eo pacto certi essent sumptus eisdem Legatis necessarii: *Legatum Romanum eundo & redeundo honorifice tractabo, & in suis necessitatibus adjuvabo*. Constat sane, Gregorium II. anno DCCXXII. clericis ac nobilibus laicis commendasse Bonifacium, quem in Germaniam mittebat ad convertendos infideles, eosque hortatum esse, ut sumptus ei alendo suppeditarent. Hæc sunt Grego- Vide supra lib. 5. c. 48. §. 1. & seqq. & cap. 51. §. 1. & seqq. Concil. Rom. an. 1079. Vide supra lib. 5. cap. 43. §. 1. & cap. 48. §. 2.

Gregorii verba in epistola quarta: *Cui, hortamur ob amorem Domini nostri Jesu Christi & Apostolorum ejus reverentiam, ut in omnibus solatia exhibeatis, eumque in nomine Jesu Christi recipiatis, ut scriptum est de suis discipulis: Qui vos recipit, me recipit. Providentes insuper necessaria itineris ejus, comitesque tribuentes. Cibum etiam ac potum, vel si quid eguerit, largientes &c.* Gregorius inquam secundus clerum ac nobiles laicos hortatus est, ut impendia necessaria Bonifacio præberent. Verum contributio illa infra mediocritatem subsistebat, quod exigui admodum sumptus sufficerent homini frugaliter viventi & Apostolorum virtutibus æmulanti; ac præterea contributio illa sponte fiebat. At cum Legati in provincias accederent cum pompa & splendido comitatu, necessarii erant immensi sumptus; adeoque contributio propter illos imperata personas ecclesiasticas opprimebat; quæ cogebantur eam pendere pro visitatione, tametsi Legati ad eas non accederent. Quare Innocentio III. visum est, ut modus quidam iis rebus adhiberetur, edito in eam rem canone in Concilio Lateranensi anno MCCXV. qui tamen non admodum iniquus est Legatis.

Vide supra lib. 5. cap. 51. §. 6.

Cap. *Procurationes* de censibus.

X. Hæ Legatorum procurationes gravissimam in Galliis querelam excitaverunt. Etenim Episcopi videntes perpetuam velut reciprocationem Legatorum Roma venientium ac statim abeuntium, ante quam eis licuisset mala provinciarum introspicere, ac per consequentiam ante quam iisdem malis remedia adhibuissent, cum id inquam Episcopi cernerent, dicebant, summos Pontifices potius studere augendis suorum fortunis, quam sanandis subjectorum malis. Ita enim ad Paschalem II. scribit Ivo Carnotensis Episcopus: *Cum enim a latere vestro mittitis ad nos Cardinales vestros tanquam filios uterinos, quia in transitu apud nos sunt, non tantum non possunt curanda curare, sed nec curanda prospicere. Inde est, quod multi præpositorum facta gladio linguæ ferire cupientes dicunt, sedem apostolicam non subditorum quærere sanitatem, sed suam aut lateralium suorum quærere commoditatem.* Et quoniam mos mittendorum Legatorum prævaluerat, Episcopi Gallicani, non spernendam occasionem rati, eum vertere studuerunt in commodum regni. Etenim quemadmodum ducentis ante annis contenderant, ne cuiquam Episcoporum Gallicanorum concederetur legatio sedis apostolicæ, nullusque præterea perpetuus Legatus mitteretur in Gallias, nunc Paschalem orant, ut legationem suam tribuat Episcopo cuipiam transalpino, qui penitus introspicere poterit provinciarum morbos, eisque remedium adhibere per se aut per relationes, ad sedem apostolicam mittendas. Addunt autem, cupere se in primis, ut ministerium illud delegetur Hugoni Archiepiscopo Lugdunensi, qui præclare admodum in eo se gesserat sub Gregorio VII. & Urbano II. *Alicui transalpino legationem sedis apostolicæ injungatis, qui & vicinius subrepentia mala cognoscat, & ea vel per se vel per relationem ad sedem apostolicam maturius curare prævaleat.*

Vide supra lib. 5. cap. 54.

Ivo epist. 109.

XI. Tandem diversæ vexationes, quæ regna afflixerunt ob frequentiam Legatorum, qui prætextu disciplinæ ecclesiasticæ sæpenumero se negotiis publicis immiscebant, & marsupia sua inflabant, Episcopos & populos in fastidium harum legationum verterunt; ut colligi potest ex Matthæo Parisio variis in locis. Quod auctum est ob inutilitatem horum sumptuum. Nam judicia a Legatis lata in synodis regni interdum Romæ mittebantur in irritum parte inaudita altera. Hinc illæ lacrymæ Ivonis Carnotensis ad Paschalem secundum scribentis ob thesaurariam Ecclesiæ Cabilonensis, cujus possessione Drogo quidam deturbatus fuerat judicio Concilii generalis Galliarum apud urbem Pictaviensem habiti a Legatis sedis apostolicæ: *Confirmantibus eisdem Cardinalibus judicium nostrum,* (inquit Ivo in epistola XCV.) *ex ratione & auctoritate judicavimus, non fuisse canonicam investituram.* Interim Drogo restitutus fuerat a summo Pontifice, inauditis iis, quorum intererat. Unde occasionem sumit Ivo affirmandi, modum hunc agendi efficere, ut inutilis omnino sit celebratio horum Conciliorum: *Quid etiam ultra valebunt celebranda Concilia, quorum per unius personæ delationem irrita fient, quantalibet auctoritate fulta judicia? Unde rogamus sanctitatem vestram, ut librata consideratione commodorum & incommodorum, quæ de ejusmodi perturbatione nasci possunt, saniori sententiæ animum accommodetis; ut & judicia synodalia nonnisi summa ratione cassentur, & mandata apostolica curiosius observentur.* Eadem Hincmaro mens fuerat ducentis & eo amplius ante Ivonem annis; quam cum indignatione aperit in epistola ad Nicolaum primum scripta, quæ extat apud Flodoardum, occasione Rothadi Episcopi Suessionensis in generali regni synodo depositi a judicibus electis; quod judicium instaurari nihilominus in Concilio Romano volebat Nicolaus: *Si de reliquo verba iniquorum prævaluerint adversum nos, sicut jactitant proferentes, non erit necesse de provincialibus synodis, in quibus hactenus laboravimus, magnopere laborare, quippe quoniam erit & lex & spes sibi quisque.* Antea autem dixerat propter appellationes hujuscemodi: *Non solum ab ecclesiasticis personis, verum & multo magis a secularibus, nostra judicia contemnuntur.* Itaque in animum inducit, monendos a se esse Episcopos, si quid peccent. *Si corrigere se voluerint,* inquit, *congaudebo. Sin autem, ad vestrum eos judicium provocabo. Qui si ire voluerint, vestra sancta sapientia, quid inde melius viderit, decernere procurabit. Si autem ire noluerint, facient, quod sibi utile judicaverint.*

Ap. Flodoard. lib. 3. hist. Rem. c. 13.

XII. Summi Pontifices, postquam Episcopos Gallicanos eo flexerant, ut appellationes a judiciis suis patienter ferrent, omnem auctoritatem in se trahere studuerunt, ita, ut eam cum nullo communicarent. Eo pacto Concilia generalia ecclesiastica regni sensum abolita fuere. Frequentiæ vero Legatorum hæc ratio præscripta est, ut nonnisi ob graves causas accederent ad provincias, sive pro revocanda pace inter Reges Galliarum & Angliæ, sive pro bello adversus Albigenses, seu etiam ob alias similes causas. Hujuscemodi legationis illustre exemplum extat apud Matthæum Parisium. Narrat ille, Cardinalem Romanum anno MCCXVI. missum esse in Galliam, cum auctoritate Legati, ut provideret petitionibus Raymundi ultimi Comitis Tolosatium; cujus bona publicata fuerant ob hæresim Albigensium, quorum ipse erat fautor. Unde patet, summum Pontificem extendisse sollicitudinem suam ad res temporales, tanquam connexas spiritualibus, id est, hæresi; quemadmodum observavit Clemens IV. in suis epistolis. Igitur cum Legatus advenisset, Concilium convocavit apud urbem Biturigensem; ad quod invitavit Regem, Archiepiscopos, Episcopos, & clerum Ecclesiæ Gallicanæ, atque insuper Comitem Tolosanum. In hoc conventu adfuerunt centum Episcopi e novem provinciis; præter Abbates, Priores & procuratores Capitulorum. Et quia Lugdunensis Archiepiscopus de primo consessu contendebat cum Archiepiscopo Senonensi, Rothomagensis vero cum Biturigensi, Burdegalensi, Narbonensi, & Auscitano, adnotat Matthæus Parisius, ad vitandam contentionem consessum illic non fuisse dispositum tanquam in vero Concilio, sed tanquam in conventu & Consilio extraordinario: *Timebatur de discordia. Et ideo non fuit sessum, quasi in Concilio, sed ut in Consilio.* Cum autem controversia moveretur inter Simonem Comitem Montisfortis & Raymundum Comitem Tolosanum, Legatus præcepit Archiepiscopis, ut unusquisque seorsim cum suffraganeis suis sententiam promeret, eamque scripto traderet, quo illam summo Pontifici & Regi Francorum Legatus ostendere posset, excom-

Similis historia habetur supra lib. 5. c. 59. §. 10.

excommunicationi interim subdens eos, qui sententiæ suæ secretum proderent. Unde colligi potest, vim conventuum ecclesiasticorum Galliæ redúctam esse ad simplex consilium. *Præcepit Archiepiscopis singulis Legatus cum præsentibus, ut convocatis seorsum unusquisque suffraganeis, cum eis deliberarent super negotio præfato, & traderent Legato consilium suum redactum in scripto. Quo facto, Legatus excommunicavit omnes, qui super hoc sua consilia revelarent, dicens, se ea velle Domino Papæ significare & Francorum Regi ostendere.*

CAPUT XXXI.

Quod Legati Apostolici in Gallia & aliis regnis nihil absque Regis consensu de jure facere possint, ostenditur, ubi simul canones Concilii Claromontani explicantur.

SYNOPSIS.

I. Legati in se traxerunt omnem auctoritatem Conciliorum ecclesiasticorum. Confirmationem autem canonum summo Pontifici reservaverunt.

II. Non possunt ministerium suum exequi intra Gallias absque consensu Regis. Probatur ex Gregorio magno.

III. Ratio hujus instituti aperitur. Epistola Concilii Africani ad Cælestinum explicata contra mentem illustrissimi Cardinalis Perronii.

IV. Concilium Sardicense Vicarios apostolicæ sedis adesse sinit in synodis provincialibus, si causa Episcopi dejecti retractanda fuerit. Aliud obtinebat in Africa, cui ignotum erat Concilium Sardicense. Legati in provincias mitti non possunt absque consensu Principum.

V. Idem jus obtinuit olim apud Anglos. Probatur ex Rogerio de Hoveden. Prudens Philippi Pulcri Regis ad Bonifacium VIII. responsio.

VI. Si quid Legati tentabant adversus canones & vetustam consuetudinem, intercessione regia rescindebatur. Legati persæpe convellebant dignitatem Episcoporum. Gravis monitio Ivonis Carnotensis ad Hugonem Lugdunensem scribentis.

VII. Episcopi regiam auctoritatem implorabant adversus temeritatem Legatorum. Probatur ex Ivone.

VIII. Legatorum facultates examinari debent ante quam munere suo fungantur. Probatur exemplis.

ADDITIO) Canones quidam Concilii Claromontani sub Urbano secundo nunc primum eduntur. De censu annuo Episcoporum, quem ex altaribus recipere debent. Emendatus & illustratus canon primus Concilii Nemausensis. Illustratus etiam canon quartus Concilii Claromontani. Dedit is originem juri præsentationis, quo Abbates fruuntur quoad Ecclesias parochiales. De Primatu Lugdunensi. Ei acriter restiterunt Senonenses. De archiepiscopatu Dolensi. Rursum nonnulli canones Claromontani nunc primum editi.

I. SUperest, ut examinemus, an per illas tempestates pessumdata fuerit regia auctoritas, quoad convocationem Conciliorum Gallicanorum aut promulgationem decretorum pro ordinanda politia ecclesiastica propositorum. Lucem magnam iis, quæ dicturi sumus, afferet distinctio illa, quam supra attulimus inter synodos ecclesiasticas & regias, quæ a Pipino Rege introducta fuit, simulque viam aperiet ad perfectam intelligentiam hujus difficultatis. Nam synodi ecclesiasticæ cognoscebant de litibus & controversiis, quæ ad causas communes pertinebant; interdum vero canones condebant, qui tum demum obtinebant vim legis, postquam eos Princeps confirmaverat in synodo regia. At Legati omnem horum Conciliorum auctoritatem in se traxerunt, atque etiam cognitionem causarum, quas in Conciliis provincialibus tractari, receptum antea erat. Confirmationem autem canonum summo Pontifici reservaverunt. Quo agendi modo multum imminuta est regia auctoritas. Attamen Principes eam sartam tectam conservaverunt in tribus capitibus magni momenti. Primum enim passi non sunt, Legatos absque consensu suo exequi munia legationis intra Gallias. Tum si quid a Legatis tentabatur adversus canones & vetustam consuetudinem, intercessione regia infringebatur. Demum suæ dispositioni conservaverunt convocationem Conciliorum regiorum.

Vide supra c. 34. hujus libri.

II. Primum omnium satis constat, Legatos nullam muneris sui functionem attingere in Gallia potuisse absque petitione aut expresso consensu Regis, cum id aperte doceat Gregorius magnus. Jusserat ille synodum in Gallia celebrari ad abolendam simoniam. Verum Episcopi parum erant solliciti de exequendis jussis ejus. Quare Gregorius cupiit, ut Legatus apostolicæ sedis ad Gallias accederet pro executione sui consilii. Quoniam vero jura Principum recte noverat, negotiorum tractationi assuetus, quod responsalem apostolicæ sedis egisset apud Imperatores Constantinopolitanos, Regum Francorum auctoritatem sartam tectam integramque esse voluit. Itaque anno DCI. summo studio institit apud Reginam Brunichildem, ut ipsa ad se scriberet, quatenus, si ita Regina jusserit, Legatum cum consensu auctoritatis regiæ in Galliam mittat, cujus industria corruptelæ consuetudinis ad regulam dirigerentur in synodo regni: *Sed quoniam eos, quorum est locus hæc insequi, nec sollicitudo ad requisitionem nec zelus excitat ad vindictam, scripta ad nos vestra discurrant, ut personam, si præcipitis, cum vestræ auctoritatis assensu transmittamus, quæ una cum aliis sacerdotibus hæc & subtiliter quærere & secundum Deum debeat emendare.* At Regina, morem gerens Pontifici, legatos anno sequenti DCII. misit Romam pro variis negotiis, eisque inter cetera mandavit, ut Legatum apostolicæ sedis in Galliam mitti peterent; ut constat ex quadam Gregorii epistola, qua hanc Reginæ pietatem mirifice laudat. *Præfati autem viri magnifici filii nostri,* inquit Gregorius ad Reginam Brunichildem scribens, *dato capitulari inter cetera petierunt, quod sibi ex vestra perhibuere jussione mandatum, ut talis debeat a nobis in Galliis persona transmitti, quæ facta synodo cuncta, quæ contra sacratissimos canones perpetrantur omnipotenti Deo auctore possit corrigere.* Verum res ista caruit effectu ob bella apud Gallias suborta. Ceterum jus illud regium confirmari etiam potest ex literis summorum Pontificum Vigilii & Pelagii, quorum verba relata sunt ad calcem capitis decimi noni. Quippe duo illi Pontifices declarant, se vicariatum suum concessisse Episcopis Arelatensibus juxta petitionem Regum, *juxta petitionem & mandatum.*

Vide supra lib. 5. c. 56. & c. 58.
Vide lib. 5. c. 16. §. 6.
S. Gregor. lib. 9. epist. 64.
Idem lib. 11. epist. 8.

III. Ratio hujus introductionis haud dubie canonica est, quandoquidem summi Pontifices se ad eam accommodant. Peti autem ex eo potest, quod extraordinarium in politia ecclesiastica esset, mitti in provincias Legatum, qui Conciliis provinciarum interesset, quemadmodum ad Cælestinum Papam scribit Concilium Africanum: *Nam, ut aliqui tanquam a sanctitatis tuæ latere mittantur, nulla invenimus patrum synodo constitutum.* Unde concludunt, non toleraturam diutius Africam Faustini Episcopi sedis apostolicæ Legati præsentiam. De illo enim intelligi debet hic locus, non autem de Apiario, ut censuit illustrissimus Cardinalis Perronius. *Securi sumus, quod eum, probitate ac moderatione tuæ sanctitatis, salva fraterna charitate ulterius Africa minime patietur.*

IV. Fatendum quidem est, hanc Africanorum propositionem esse contrariam Concilio Sardicensi, quod sedis apostolicæ Vicarios in synodis provinciarum tum adesse sinit, si causa Episcopi dejecti retractanda fuerit. Verum Afris ignotum erat istud

istud Concilium. Canones autem in eorum synodo propositi νόθοι accusati sunt, ob hoc, quod è synodo Nicæna laudarentur, cum revera Nicæni non essent. Interim Africanorum regula certa manet; nisi si casus evenerit in Concilio Sardicensi notatus. Unde sequitur, necessarium esse, ut si ea tempora incidant, ut necesse sit, hanc disciplinæ canonicæ regulam transgredi, suprema protectionis canonum auctoritas, quæ penes Reges est, conveniat cum suprema executionis auctoritate, quæ ad summos Pontifices pertinet, atque adeo non posse Legatos mitti in provincias, nisi ita fieri Principes consentiant ob causam aliquam, quæ ad statum Ecclesiæ Gallicanæ pertinet. Equidem Pontifices Romani suos Nuncios sive Apocrisiarios habebant Constantinopoli degentes apud Imperatores. Verum id fiebat ex consensu Imperatorum; ac præterea Apocrisiarii illi nullam jurisdictionem exercebant in vicinis patriarchatibus, nisi ex speciali delegatione Principis. Exemplo sit Justinianus; qui Pelagium sedis apostolicæ Apocrisiarium, Euphremium Patriarcham Antiochenum, & Petrum Hierosolymitanum, ac Hypatium Ephesinum Episcopos delegavit, qui Pallium auferrent Paulo Patriarchæ Alexandrino, qui decreto Principis damnatus erat & in exilium pulsus apud urbem Gazam, quo se judices delegati contulerunt pro executione. Verum munus horum Apocrisiariorum sive Responsalium in suggestionibus positum erat, quas Principibus faciebant pro negotiis Ecclesiæ Romanæ & publicis Ecclesiæ occidentalis. Sic suum quisque Patriarcha Apocrisiarium generalem mittebat pro universa Diœcesi patriarchali; ut constat ex capite tertio Novellæ constitutionis sextæ Imperatoris Justiniani, & a nobis supra adnotatum est in cap. XVI. libri quinti, paragrapho quarto.

Vide lib. 5. c. 17.

Liberatus in Breviario c. 23.

Vide lib. 5. cap. 16. §. 5.

Vide lib. 5. cap. 17. §. 2.

V. Jus autem illud adeo competit Regibus, ut non solum nostri, sed etiam Angli, illud semper summa cura retinuerint. Illustre hujus rei argumentum extat, etiam post introductam Legatorum frequentiam. Cum enim anno MCXIX. Callistus Papa & Henricus primus Rex Angliæ convenissent apud Gisortium in Normannia, concessit Regi Pontifex, ut antiquæ regni ejus consuetudines manerent, ac nominatim, ne quis Legatus in Angliam mitteretur, nisi ita fieri Princeps postularet a Pontifice. Diserta sunt in eam rem verba Rogerii de Hoveden in parte priori annalium. *Rex a Papa impetravit*, inquit, *ut omnes consuetudines, quas pater suus in Anglia & in Normannia habuerat, sibi concederet, & maxime, ut neminem Legati officio in Anglia fungi permitteret, si non ipse, aliqua præcipua querela exigente, quæ ab Episcopis regni sui terminari non posset, hoc fieri a Papa postularet*. Reges vero Francorum hunc usum semper retinuisse constat ex ea, quæ inter Bonifacium octavum Papam & Philippum Pulcrum Regem suborta est discordia, affirmante Pontifice, misso in Galliam Joanne Cardinale, posse se libere Legatos & Nuncios ad regna mittere *absque petitione cujuslibet vel consensu, usu vel consuetudine contrariis nequaquam obstantibus*. At Philippi responsio, tametsi multa comitate condita, sartam tectam integramque præstat auctoritatem regiam. Ait enim, non prohibere se, quin Legati, Nuncii, & aliæ personæ accedant ad Gallias, *nisi sibi & regno sint legitima ratione suspecti, vel alias habeat justam causam*. Praxis, quæ dein obtinuit usque ad hæc nostra tempora, præclare admodum probatur auctoritate actorum, quæ edita sunt in capite XXIII. §. 11. libertatum Ecclesiæ Gallicanæ.

Vide supra lib. 5. cap. 56. & 57.

Vide supra lib. 5. cap. 56. §. 3.

VI. Nunc veniendum est ad alterum caput nostrarum observationum. Illud autem versatur in jure, quo usos fuisse diximus Reges nostros prohibendi ea, quæ a Legatis tentarentur contra canones, quæ propositio omnino manifesta est. Legati persæpe convellebant dignitatem Episcoporum, eisque interdum nonnulla præcipiebant, intentata excommunicationis pœna, propter causas indifferentes, sive etiam in certis capitibus, quæ antiquis canonibus contraria erant. Constat id ex epistolis Ivonis Episcopi Carnotensis, qui alicubi Hugonem Archiepiscopum Lugdunensem sedis apostolicæ Legatum rogat, ne deinceps novi quicquam præcipiat adversus canones & jus Episcopis quæsitum; ne si ea imperentur, quæ effici non possint, contumaciter ejus imperia spernantur. Tum eum monet debere prudentiam ejus considerare, cum aliquid in materia levi & indifferenti præcipit, vel quando imminuit aut mutat ea, quæ antiquitas sancivit, consuetudo servavit, & patrum auctoritas confirmavit, debere, inquam, prudentiam ejus considerare, quamnam institutionem sequi oporteat, quibusve obediendum sit, patribusne, qui adhuc nobis in scriptis suis loquuntur, an Legato, qui nihil aliud prædicat, quam ut eorum vestigia adorentur. *Cum vero ea*, inquit, *quæ indifferenter se habent, & in quibus non observatis minime salus periclitatur, vel observatis minime juvatur, tam obnixe servanda sancitis, vel cum ea, quæ antiquitas sanxit, consuetudo servavit, & venerabilium auctoritas patrum sacrata firmavit, prout vultis, minuitis aut mutatis, attendere debet prudentia vestra, quid saluti eorum, quibus per omnia prodesse debetis, conferatis, vel quorum institutio sit tenenda, vel quibus obedientia potius sit exhibenda, an illis sanctis patribus, qui adhuc nobis in scriptis suis loquuntur, an vobis, quibus nihil aliud est propositum, nisi priorum sequi & honorare vestigia*. Alibi vero apertius eum alloquitur. Significat enim timendum esse, ne Episcopi jugum excutere meditentur, si agnoverint Hugonem cupidine potentiæ accensum adimere velle subjectis sua jura. Tum eum admonet, debere potius eum sua cuique jura servare, exemplo beati Petri: qui tametsi Paulo prælatus fuisset, curam Ecclesiæ cum eo communicavit; adeo, ut ille evangelium Judæis prædicaverit, hic vero gentibus. *Licet enim*, inquit idem Ivo, *prudentia vestra velit & debeat ministerium suum honorare, reminisci tamen debet, quia cum Petrus Paulo esset prælatus, dederunt tamen sibi invicem dexteras societatis, ut alter in gentibus, alter in circumcisione prædicaret evangelium. Attendat ergo discretio vestra, utrum hoc ita fieri liceat, & si liceat, utrum expediat; ne forte odisse & detrectare incipiant jugum vestrum, quos vultis habere subjectos, dum, hoc exemplo, suo se intellexerint jure privandos*.

Ivo ep. 60.

Ivo ep. 61.

VII. Episcopi, tametsi eo tempore servitutem satis æquo animo tolerarent, concoquere non poterant audaciam Legatorum; cui quodam modo resistebant, cum eorum mandata exequi recusabant, aut cum admonitionibus suis eos urgebant. Verum quoniam Legati fulmen excommunicationis habebant adversus eos, qui mandatis suis resistere nitebantur, necessarium fuit regiam auctoritatem implorare adversus infractionem canonum & vetustæ consuetudinis. Intelligebant quippe Episcopi protectionem canonum & optimarum consuetudinum, quæ ad Reges pertinet, in eo præcipue versari, ut eorum temeritatem reprimat, qui suprema auctoritate, quæ ad executionem canonum usurpanda est, abutuntur. Probatio hujus praxis peti potest ex epistola, quam anno MXCVI. ad Regem Philippum primum scripsit Ivo Carnotensis. Paulo ante Urbanus II. Papa duo Concilia celebraverat, unum apud Clarumontem in Aquitania prima, aliud vero apud Nemausum in prima Narbonensi. Tum vero Lugdunensis Archiepiscopus Hugo sedis apostolicæ Legatus tertium Concilium eodem anno celebrare constituerat, ad quod Episcopos Gallicanos evocare volebat. *Post duo Concilia hoc anno a Domno Papa celebrata*, inquit Ivo ad Philippum Regem scribens, *nunc Legatum ejus Lugdunensem Archiepiscopum infra eundem annum tertium generale convocare & ad hoc regni vestri Episcopos invitare*. Eam igitur ob causam consultus Ivo respondit, se nihil accepisse de convoca-

Vide supra lib. 4. cap. 9. §. 4. & lib. 5. cap. 52. §. 3.

Ivo ep. 56.

vocatione hujus Concilii, neque per literas ad se a Legato scriptas, neque per latorem earum; si tamen Hugo faceret eam convocationem, eam institutioni apostolicæ consentaneam non fore, neque consuetudini ecclesiasticæ; adeo ut, si Legatus Episcopos urgere vellet ultra terminos a patribus constitutos, Rex teneatur hujuscemodi injustis oppressionibus resistere cum consilio Episcoporum. *Quod tamen si faceret*, inquit, *non esset hæc apostolica institutio vel ecclesiastica consuetudo. Quod si quis eos ultra terminos a patribus constitutos angariare voluerit, vos habito cum eis communi consilio injustis oppressionibus pro persona vestra resistite; sic, ut, quæ Dei sunt, Deo reddant, & quæ Cæsaris sunt, Cæsari reddere non omittant.*

VIII. Reges nostri semper retinuerunt potestatem impediendi executionem constitutionum a Legatis editarum, quoties illæ adversari videbantur vetustæ consuetudini Galliarum. Verum id ea via tentatum est, quæ plurimum haberet humanitatis, minimum morarum, quæque præterea valentior erat, quam ea, quæ occasiones expectari suadebat, ut conquisito in præsens remedio, earundem constitutionum executio impediretur, id quod ætate Ivonis assolebat. At præsens usus postulat, ut Legatorum facultates examinentur. Si vero aliquid in eis adversum reperiatur libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, tum Rex declarat, prohibere se executionem facultatum, quoad caput illud adversum libertatibus, id quod vulgo vocant Legati facultates * verificare, eisque modificationem adhibere, quæ necessaria visa fuerit. Prima omnium modificatio singillatim facta continetur in literis Regis Francisci primi pro legatione Ludovici de Canosa Episcopi Tricaricensis anno MDXIV, item pro Archiepiscopo Barensi anno MDXXII, & pro Cardinale Farnesio anno MDXXXIX. Dein Reges eam curam delegarunt curiæ Parlamenti: quæ modificationes tum primum auxit annis MDXLII. & MDXLVII. arrestis latis pro facultatibus Cardinalium Sadoleti & sancti Georgii.

* Verifier les facultez du Legat.

ADDITIO STEPHANI BALUZII.

Duo Concilia generalia ab Urbano secundo celebrata esse in Galliis, adnotat Ivo Carnotensis in loco paulo ante laudato: Claromontanum videlicet, & Nemausense, ut explicat illustrissimus Archiepiscopus. Verum non agitur illic de Concilio Claromontano, quod anno superiore habitum fuerat, sed de Turonensi & Nemausensi. Ea tamen nos occasione usi in prima librorum istorum editione canones aliquot Claromontani Concilii heic edidimus, quos in ista quoque exhiberi debere visum est, ne quid deesset ex prima editione.

CONCILIUM CLARAMONTANUM
Habitum anno MXCV.

Ex pervetusto codice MS. monasterii Anianensis in diœcesi Monspeliensi, qui nunc extat in bibliotheca Colbertina.

ANno dominicæ incarnationis MXCVI. indictione IV. XIV. Kal. Decemb. celebrata est apud Clarummontem Arverniæ synodus, præsidente Domino Urbano Papa, considentibus diversarum provinciarum Archiepiscopis numero XII. cum Episcopis LXXXII. Abbatibus innumeris. Die igitur quarta de laicis quæstio facta est, qui morientibus Episcopis, sive aliis clericis, res defunctorum invasas Ecclesiæ pauperibus subripiebant: contra quos commune Concilii totius anathema prolatum est, Papa ipso hujusmodi promulgante sententiam.

I. Si quis post interdicti præsentis cognitionem Episcoporum, seu Presbyterorum, aut aliorum clericorum res invaserit, usque ad satisfactionem excommunicetur. Episcoporum vero deficientium res per Archipresbyterorum seu Archidiaconorum manus aut secundum mortuorum judicium pro ipsorum salute in eleemosynas dispensentur, aut successori, qui futurus est, reserventur. Idipsum de Presbyterorum seu clericorum aliorum rebus per Episcopum vel per supradictas personas, aut cui deficientes commiserint, fiat. Si quis autem adversus ista præsumpserit, anathema sit.

Factæ sunt & in sequentibus diebus quæstiones de clericis, qui per Gallias Archipresbyterorum seu Archidiaconorum & Decanorum dignitatibus utebantur, cum eorum aliqui in primo tantum gradu consisterent. Præceptum itaque est.

Ap. Gratian. dist. 60. cap. Nullus Episcopus.

II. Nullus Episcopus in Ecclesia sua, nisi Diaconus sit, Archidiaconum instituere, nec Archipresbyterum aut Decanum, nisi Presbyter sit, ordinare præsumat. Quod ut districtius teneatur, auctoritate apostolica prohibemus & interdicimus.

Questum est etiam de Episcopis, qui altaria monasteriis data frequenter redimi pecunia compellebant. Decretum itaque est.

III. Quia quidam simoniacæ pravitatis ramus in Galliarum partibus jam diutius inolevit, ut Ecclesiæ vel decimæ, quæ vulgari vocabulo apud eos altaria nuncupantur, monasteriis datæ, sæpius ab Episcopis sub palliata avaritia vendantur, mortuis nimirum seu mutatis clericis, quos personas vocant, nos, auctore Deo, venalitatem omnem tam ex rebus, quam ex ministeriis ecclesiasticis propellentes, hoc ulterius fieri auctoritate apostolica prohibemus; sicut etiam præbendas omnes venundandas interdicimus. Porro quæcunque altaria vel decimas ab annis triginta & supra hujuscemodi redemptione monasteria possedisse noscuntur, quiete deinceps & sine molestia qualibet eis possidenda firmamus, salvo utique Episcoporum censu annuo, quem ex eisdem altaribus habere soliti sunt.

IV. Sane quia monachorum quidam Episcopis jus suum auferre contendunt, statuimus, ne in parochialibus Ecclesiis, quas tenent, absque Episcoporum consilio Presbyteros collocent, sed Episcopi parochiæ curam cum Abbatum consensu sacerdoti committant; ut ejusmodi sacerdotes de plebis quidem cura Episcopo rationem reddant, Abbati vero pro rebus temporalibus ad monasterium pertinentibus debitam subjectionem exhibeant, & sic cuique sua jura serventur.

V. Confirmata sunt in eodem Concilio capitula superiorum omnium Conciliorum, quæ per eundem Papam aut Melphiæ, aut Beneventi, aut Trojæ, aut Placentiæ celebrata sunt.

VI. Depositi sunt propter ordinationem infra annos factam Episcopi duo; sed iidem ipsi totius Concilii precibus in fine synodi restituti, promittentibus omnibus Episcopis, ab hujusmodi ordinatione se ulterius cessaturos.

VII. Lugdunensi Ecclesiæ primatus restitutus est super Lugdunensem, Senonensem, Turonensem & Rotomagensem provincias. Turonensi metropoli citerioris Britanniæ restitutio facta est.

VIII. Tunc etiam expeditio facta est & constituta est equitum & peditum ad Hierusalem & alias Asiæ Ecclesias a Sarracenorum potestate eruendas. Et in eorum bonis usque ad reditum pax continua promulgata.

IX. Et quia pleræque Galliarum regiones alimentorum inopia laborabant, indictum est, treugam usque ad annos tres villanis & mercatoribus esse continuam, Militibus vero a quinta feria usque ad dominicam per singulas hebdomadas observandam, clericis autem & monachis omnibus æque temporibus, ac perinde peregrinis ad loca sacra tendentibus.

NO-

NOTÆ STEPHANI BALUZII,

in aliquot Canones Concilii Claromontani.

CAn. III.) Repetitus eſt ad verbum hic canon in Concilio Nemauſenſi; referturque a Gratiano 1. q. 3. c. *Quæſitum.* Concilium iſtud Nemauſenſe publici juris fecit vir optimus & eruditiſſimus Dacherius in tomo quarto Spicilegii ex apographo, quod multorum manibus terebatur & in meas quoque pervenerat. Verum tot mendis ſcatet apographum illud, ut dici vix poſſit. Sane graviter peccatum eſt in hoc canone in his verbis: *ſalvo utique cenſu annuo, quem ex eiſdem altaribus habere ſoliti ſunt.* Quo loco deeſſe aliquid manifeſtum eſt, legendumque *ſalvo utique Epiſcoporum cenſu annuo &c.* admonet codex MS. duplex ſancti Albini Andegavenſis, uterque vetus, itemque Gratianus in dicto cap. *Quæſitum.* Quod etiam modo legi debere docet, præter auctoritatem horum canonum ſynodi Claromontanæ, Paſchalis II. in epiſtola ad Ivonem Carnotenſem & Ranulfum Santonenſem Epiſcopos: quæ edita quidem eſt in Notis ad Goffridum Vindocinenſem, ſed mutila in hoc loco, ideoque fortaſſis operæ pretium fuerit, eam rurſum edi ex pervetuſto codice MS ſancti Albini Andegavenſis. Unde colligitur, falli virum eruditiſſimum Antonium Dadinum Alteſerram, dum nimis credens Goffrido Vindocinenſi, aſſerere non dubitat, clauſulam illam canoni Claromontano fuiſſe *adiectam commento Epiſcoporum, qui peccandi titulum & auctoritatem quærebant.* Hæc ſunt verba Paſchalis. Alteſerra lib. 4. diſſertat. jur. canon. cap. 8.

*PASCHALIS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabilibus Epiſcopis Ivoni Carnotenſi & Ranulfo Santonenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Juxta ſanctorum canonum ſanctiones non ignotum eſſe vobis credimus, quid ultionis maneat eccleſiaſtici ordinis viros, apoſtolicæ ſedis decreta ſpernentes. Ipſi enim Arvernenſi Concilio aſſuiſtis: in quo præſidente prædeceſſore noſtro bonæ memoriæ Papa Vrbano, conſidentibus Galliarum Epiſcopis, decretum eſt, ut altaria, quæ ab annis XXX. & ſupra ſub vicariorum redemptione monaſteria poſſediſſe noſcuntur, quiete deinceps & ſine moleſtia qualibet monaſteriis ipſis firma permaneant. Salvo utique Epiſcoporum * cenſu annuo, quem ex eiſdem altaribus habere ſoliti ſunt. Vos autem huic ſimplicitati incongruas duplicitates innectitis, & perſonarum redemptionem mutatis nominibus extorquere conamini. Vnde oportet nos hujuſcemodi verſutiis ſinceritate veritatis apoſtolicæ obviare. Præcipimus ergo, ut decretum illud omnino integre teneatur, nec ſuper illud quicquam ulterius pro eiſdem altaribus exigatis. Sane quod vobis dicimus, ceteris quoque Galliarum Epiſcopis erga ſuarum diœceſium monaſteria præcipimus obſervandum. Datum Romæ II. Idus Martii.*

* In codice S. Albini ſcriptum eſt ſupra lineam, manu fortean ſuppare, ſed diverſa, *ſynodali.*

Extant in eodem codice ſancti Albini litteræ Gaufridi Epiſcopi Carnotenſis apoſtolicæ ſedis Legati, quibus prohibet, ne deinceps Archidiaconus & Decanus Eccleſiæ Andegavenſis annuum cenſum exigant a monachis ſancti Albini pro Eccleſia Legionenſi, quæ eſt apud Andegavos, & a monaſterio ſancti Albini pendet. Et hauddubie annuus ille cenſus, quem ii viri exigebant a monachis S. Albini, diverſus erat a cenſu annuo, quem Epiſcopis conſervavit canon Claromontanus. Nam epiſtola illa Gaufridi in codice ſancti Albini deſcripta eſt ſtatim poſt epiſtolam Paſchalis II. Papæ.

Gaufridus Dei gratia Carnotenſis Epiſcopus apoſtolicæ ſedis Legatus R. venerabili Andegavenſis Eccleſiæ Archidiacono & Hu. Decano ſalutem in Domino. Quod a ſanctis patribus inhibitum eſt, & a Romanæ ſedis Pontificibus ſolenniter ſub anathemate condemnatum, nobis aut vobis retractare non licet, nec a quoquam minore debet reſcindi. Quapropter eam pravam & antiquam conſuetudinem de relevandis poſt deceſſum alicujus perſonæ Eccleſiis a beatæ memoriæ Papa Vrbano & ejus ſucceſſore Domino Paſchali dudum prorſus abolitam & damnatam innovare vel reſtituere vel ejus aliquam adinvenire compoſitionem, plane ſimoniacum eſt, & hæreſeos ab omnibus improbandæ notam incurrit. Vnde veſtræ fraternitati apoſtolica auctoritate & noſtra per præſentia ſcripta mandando præcipimus, quatenus abominabilem illam & ignominioſam conſuetudinem de annuo cenſu apud Legionem a fratribus noſtris monachis beati Albini exigendo prorſus omittatis, & interdictum, quod in prædicti loci Eccleſiam pro extorquendo hujuſmodi cenſu promulgaſtis, poſt acceptas has litteras ſine dilatione ſolvatis, & ne ulterius ad nos prædicti monachi fatigentur hujus rei cauſa, modis omnibus caveatis. Alioquin flagitii tanti piaculum graviter in vos compellemur ulciſci.

Can. IV.) Repetitus quoque eſt ad verbum hic canon in eodem Concilio Nemauſenſi; extatque apud Gratianum 16. q. 2. c. *Sane quia.* Refertur autem in epiſtola Eugenii III. quæ nunc primum editur ex Chartulario Archiepiſcopi Narbonenſis, data ad Tomerienſem & Craſſenſem Abbates in prima Narbonenſi.

Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis ſancti Poncii & Craſſenſi Abbatibus ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Grave nimis eſt, ſedis apoſtolicæ mandatis dura cervice reſiſtere & ejus conſtitutiones velle in irritum revocare. Per alia ſiquidem ſcripta ſollicitudini veſtræ mandavimus, ut excommunicatos venerabilis fratris noſtri Petri Narbonenſis Archiepiſcopi nequaquam ſuſciperetis, & de ſubſtituendis ſacerdotibus in parrochialibus veſtris Eccleſiis, quas in provincia ipſius habetis, decretum prædeceſſoris noſtri ſanctæ memoriæ Vrbani Papæ firmiter ſervaretis. Quod nimirum tale eſt. Sane quia monachorum quidam Epiſcopis jus ſuum auferre contendunt, ſtatuimus, ne in parrochialibus Eccleſiis, quas tenent abſque conſilio Epiſcoporum, Presbyteros collocent, ſed Epiſcopi parrochiæ curam cum Abbatum conſenſu ſacerdoti committant; ut hujuſmodi ſacerdotes de plebis quidem cura Epiſcopis reſpondeant, Abbati vero pro rebus temporalibus ad monaſterium pertinentibus debitam ſubjectionem exhibeant, & ſic ſua cuique jura ſerventur. *Vos vero, ſicut ex iterata ipſius fratris noſtri conqueſtione accepimus, neque ipſius interdictum neque decretum ipſum ſervare ullatenus voluiſtis. Per iterata itaque vobis ſcripta mandamus & mandando præcipimus, quatenus & a conſortio excommunicatorum memorati fratris noſtri omnino abſtineatis, & in veſtris Eccleſiis, quas in ejus epiſcopatu habetis, abſque ipſius conſenſu Presbyteros minime collocetis. Alioquin nos & ipſos Presbyteros excommunicandi & Eccleſias interdicendi ei auctoritatem conceſſimus. Data Romæ apud ſanctum Petrum IV. Idus Maji.*

Tum in epiſtola generali ad univerſos monachos per epiſcopatum Narbonenſem conſtitutos eundem canonem, quem ab Urbano ſecundo in Arvernenſi Concilio ſtatutum eſſe docet, prorſus obſervari jubet. Editur autem nunc primum ea epiſtola ex eodem Chartulario.

Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, & aliis monachis per epiſcopatum Narbonenſem conſtitutis ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Quoniam quidam monachorum Epiſcopis jus ſuum auferre contendunt, a venerabilis memoriæ Vrbano prædeceſſore noſtro in Alvernenſi Concilio ſtatutum eſt, ne in parrochialibus Eccleſiis, quas tenent abſque conſilio Epiſcoporum, Presbyteros collocent, ſed Epiſcopi parrochiæ curam cum Abbatum conſenſu ſacerdoti committant, ut hujuſmodi ſacerdotes de plebis quidem cura Epiſcopis rationem reddant, Abbati vero pro rebus temporalibus ad monaſterium pertinentibus debitam ſubjectionem exhibeant. Quia ergo juſtitiæ ac rationis ordo ſuadet, ut, qui a ſucceſſoribus ſua deſiderat mandata ſeu inſtituta ſervari, deceſſoris ſui voluntatem & ſtatuta cuſtodiat, per præſentia vobis ſcripta mandamus, quatenus Presbyteros, quos in parrochialibus ejus Eccleſiis collocatis venerabili fratri noſtro Petro Narbonenſi Archiepiſcopo præſentetis; ut, ſi idonei fuerint, animarum curam, ſicut ſtatutum eſt, ab eo ſuſcipiant. Nihilominus quoque vobis præſentium auctoritate mandamus, ut oblationum & decimarum portionem, quæ a populo provenit, & ſecundum ſtatuta canonum ad jus Archiepiſcopi ſpectare dinoſcitur, exceptis his, quæ vobis a ſede apoſtolica ſpecialiter de his indulta ſunt, ei abſque contradictione aliqua perſolvatis. Præterea quoniam ad aures noſtras perlatum eſt, quod quidam ex vobis parvulos ſolemniter baptizare, laicis pœnitentias & euchariſtiam contra ſuæ profeſſionis regulam dare præſumunt, præſentium auctoritate omnimodis prohibemus, ne de cetero id attentare præſumant. Alioquin nos eidem fratri noſtro Archiepiſcopo veſtro poteſtatem conceſſimus, ut in hujuſmodi præſumptores eccleſiaſticæ ſeveritatis cenſuram exerceat. Data Romæ apud ſanctum Petrum IV. Idus Maji.

Litteræ autem ad eoſdem Abbates, quarum in priore epiſtola mentionem fecit Eugenius, ſic habent in eodem Chartulario:

Eugenius Epiſcopus ſervum ſervorum Dei dilectis filiis ſancti Poncii & Craſſenſi Abbatibus ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Ex conqueſtione venerabilis fratris noſtri Petri Narbonenſis Archiepiſcopi & Canonicorum Eccleſiæ ſuæ accepimus, quod in Eccleſiis, quas in ejus epiſcopatu tenetis, Capellanos abſque conſcientia eorum ponatis, & ab eis excommunicatos in vita & in morte recipitis, quod & rationi contrarium & ſanctorum patrum decretis omnino adverſum eſſe dinoſcitur. Quia ergo tantæ præſumptionis exceſſum diſſimulare non poſſumus nec debemus, per præſentia vobis ſcripta mandamus, quatenus eorum excommunicatos de cetero nullatenus recipiatis, & de ſubſtituendis Presbyteris in parrochialibus veſtris Eccleſiis, quas in eodem epiſcopatu habetis, prædeceſſoris noſtri ſanctæ memoriæ Vrbani Papæ conſtitutum firmiter teneatis; ut videlicet vos ipſi Presbyteros eligatis & prædicto Archiepiſcopo præſentetis, quibus, ſi idonei fuerint, animarum curam committere debeat, ut de plebis cura ei reſpondeant, vobis vero pro rebus temporalibus debitam ſubjectionem exhibeant. Videte itaque, ut hoc mandatum noſtrum ita efficere ſtudeatis, ne iteratus clamor exinde ad aures noſtras debeat pervenire. Data Ferentini III. Idus Aprilis.

Major fuit monachorum Engoliſmenſium reverentia, quam Narbonenſium. Quod abunde patebit ex editione actorum, quæ extant in Chartulario monaſterii ſancti Amantii de Buxia in diœceſi Engoliſmenſi.

Quando Aimericus Capellanus Eccleſiæ ſancti Clementis de Caſſanolio perrexit in Jeruſalem cum Comite Pictavenſi, remanſit ipſa Eccleſia ſine Capellano. Monachus autem ſancti Amantii, Iterius nomine, qui obedientiam illam tenebat, venit ad Petrum Epiſcopum, quærens ab eo dari ſibi aliquem Presbyterum, qui in Eccleſia illa cantaret. Epiſcopus vero non habens

quem

quem mitteret, prædicto monacho ltério, ut loco Aimerici præfatæ Ecclesiæ capellaniam teneret, præcepit & facere omnia, quæ Presbyter facere in Ecclesia debet, jussit, scilicet Missas celebrare, pœnitentias dare, infirmos visitare, mortuos sepelire, & hoc tamdiu, donec ipse Presbyterum per manum suam secundum voluntatem suam mitteret, qui in Ecclesia ipsa cantaret.

Quod autem in hoc canone Claromontano præcipitur, ut Presbyteri in parrochiis monachorum instituti de plebis cura rationem reddant Episcopo, discedere ab hoc loco non possum, quin addam verba Guillelmi Episcopi Cadurcensis, quæ accurate docent, quidnam Presbyteris illis incumberet. Instituta erat controversia de Ecclesia sancti Stephani Vairiacensis apud Cadurcos inter Ebalum de Turenna Abbatem Tutelensem & Presbyterum quendam nomine Petrum. Ea tandem composita est Divonæ Cadurcorum anno MCXIII. adjudicata Ecclesia Abbati & monasterio Tutelensi, jussu Gerardi Episcopi Engolismensis sedis apostolicæ Legati, ac consentiente Leodegario Biturigum Archiepiscopo. Ait vero Guillelmus Episcopus Cadurcensis: *Hæc autem redditio, donatio, atque concessio ita facta est, ut electione & providentia Tutelensis Abbatis & monachorum in sæpedicta Ecclesia sancti Stephani de Vairiaco sacerdos ponatur, sed nobis præsentetur, a nobis curam suscipiat animarum, nobis obedientiam promittat, de * synodali censu & parata nobis respondeat, ad synodum nostram more ecclesiastico & ad Concilium Archidiaconi & ad communiam nostram juxta consuetudinem Cadurcensis patriæ veniat.* Hæ Guillelmi Cadurcensis Episcopi litteræ extant in Chartulario Ecclesiæ Tutelensis. Renovatus autem est hic canon Claromontanus in Concilio Lateranensi sub Callisto II. ut illic adnotabimus. Ceterum heic adnotandum est, huic canoni Claromontano imputandam esse originem juris, quo hodie utuntur Abbates, quoties beneficia vacant, quibus animarum cura imminet, quæque ab eorum monasteriis pendent. Destinant enim virum huic ministerio, quem Episcopo præsentant. Tum vero Episcopus eum in beneficio instituit, si idoneus repertus fuerit.

* Hic est *census annuus* Episcopi conservatus in canone Claromontano.

SVA JURA SERVENTUR.) In vetustissima collatione canonum bibliothecæ Colbertinæ nota num. 4048. post hæc verba additur: *Item ibidem. Si vero laici decretis canonicis resistentes Ecclesias violenter tenere præsumpserint, ipsi excommunicentur, in Ecclesiis vero illis nullum divinum officium fiat, nullus ibi oret, lumen non ponatur, mortuus non sepeliatur, baptismi tantum gratia ibi non negetur, infirmis remedio pœnitentiæ & communionis subveniatur.*

CAN. VII.) Decretum Urbani secundi in hac synodo Claromontana editum pro primatu Lugdunensi ex MS. codice Lugdunensi primus in lucem emisit illustrissimus Archiepiscopus cum eruditissima dissertatione de Primatibus. Hanc dignitatem Gregorius VII. contulit Archiepiscopo Lugdunensi Gebuino, postquam is cum Gregorio redierat in gratiam, ut ipsemet Gebuinus scribit ad Rodulfum Archiepiscopum Turonensem: *Veruntamen sciatis, nos postea Romam perrexisse, & gratiam Domni Apostolici, quam quidam occasione litigii Pictavensis subtraxisse videbantur, plenitur &, ut credimus, inretractabiliter suscepisse; sicut videre potestis in privilegio nobis ab eo facto, quo confirmat cetera Lugdunensium dignitatum privilegia. Nos enim vobis illud mittimus, quia præcepit Domnus Papa, ut in Ecclesia vestra & in Ecclesiis suffraganeorum vestrorum scriberetur in testimonium.* Eas litteras integras nuper dedimus in appendice libri de Primatibus, itemque alias ejusdem Gebuini ad eundem Rodulfum & suffraganeos ejus, in quibus eos laudat, quod Ecclesiam Lugdunensem *matrem & dominam more bonæ sobolis* vocarent. Ceterum ei Lugdunensium dignitati acriter restiterunt Senonenses. Extat autem ea de re gravis epistola a Ludovico VI. Rege Francorum scripta ad Callistum II. Papam, quæ edita est in tomo III Spicilegii Dacheriani pag. 147. & postea in appendice libri de Primatibus titulo XIV.

CITERIORIS BRITANNIÆ.) Mirum est, quod heic dicitur, Turonensi metropoli factam esse in synodo Claromontana restitutionem citerioris Britanniæ. Nam ea suum Archiepiscopum per multum ævi habuit post hanc synodum, ut adnotatum est in capite XLVI. libri quinti, qua de re nos plura, Deo juvante, dicemus ad Hildebertum. Sed multa per eas tempestates decernebantur in synodis, quorum usus non adeo facile obtinebat. Exemplo sit vel unicus hic canon Claromontanus. Tametsi enim Urbanus provinciam Senonensem subjecisset Lugdunensi, sero id observatum fuit. Quoad vero Britanniam, jam ostendimus sub Innocentio demum tertio eam ad officium rediisse. Et apud Beslyum in probationibus historiæ Comitum Pictavensium pag. 414. extant acta quædam data recenter post Concilium Claromontanum, anno nimirum MXCVI. Indictione IV. VI. Non. Martii, quibus subscribit Rollandus Dolensis Archiepiscopus.

ITEM ALII CANONES CONCILII CLAROMONTANI.

Ex veteri codice MS. illustrissimi viri PETRI DE MARCA Archiepiscopi Parisiensis.

Urbanus II. in Concilio Clarimontis. Ea, quæ a sanctis patribus de simoniacis statuta sunt, nos quoque sancti spiritus judicio & apostolica auctoritate firmamus. Quicquid igitur in sacris ordinibus vel in ecclesiasticis rebus vel data vel promissa pecunia adquisitum est, nos, irritum esse nullasque vires obtinere, censemus. Si qui tamen a simoniacis non simoniace ordinati sunt, siquidem probare potuerint, se, cum ordinarentur, eos nescisse simoniacos, & si tunc pro catholicis habebantur in Ecclesia, talium ordinationes misericorditer sustinemus, si tamen laudabilis eos vita commendat. Qui vero scienter se a simoniacis consecrari, imo execrari permiserint vel passi sunt, eorum consecrationem omnino irritam esse decernimus.

Quicunque sane cupiditate parentum, cum adhuc parvuli essent, Ecclesias vel Ecclesiarum beneficia per pecunias adepti sunt, postquam eas omnino dimiserint, si canonice in eis vivere voluerint, pro misericordia ibidem eos esse concedimus, neque pro hoc facto a sacris ordinibus removemus, si alias digni inveniuntur.

Illi vero, qui per se ipsos, cum jam majoris essent ætatis, nefanda cupiditate ducti, eas emerunt, si in aliis Ecclesiis canonice vivere voluerint, servatis propriis ordinibus pro magna misericordia inibi eos ministrare permittimus. Quod si ad alias fortasse transferri non poterunt, & in eisdem canonice vivere promiserint, minoribus ordinibus contenti, ad sacros ordines non accedant, salva tamen in omnibus apostolicæ sedis auctoritate. Si qui tamen ante emptionem catholice ordinati sunt, cum ea, quæ emerunt, dimiserint, & vitam canonicam egerint, in suis gradibus permittantur; nisi forte ejusmodi Ecclesia sit, ut ibi primum locum debeant obtinere. Primum enim vel singularem vel præpositura vel officii locum in emptis Ecclesiis eos habere non patimur.

ET INFRA. Quamvis autem misericordiæ intuitu, magnaque necessitate urgente, hanc in sacris ordinibus dispensationem constituerimus, nullum tamen præjudicium sacris canonibus fieri volumus; sed obtineant proprium robur, & cessante necessitate, illud quoque cesset, quod factum est pro necessitate.

ITEM. Illud quoque præcipimus, ut pro chrismate & baptismo & sepultura nihil unquam exigatur.

ITEM POST ALIA. Illud summopere & apostolicæ auctoritatis privilegio prohibentes, ut nullus in clericali ordine constitutus nullusque monachus episcopatus aut abbatiæ aut cujuslibet ecclesiasticæ dignitatis investituram de manu laici suscipere audeat. Quod si præsumpserit, depositione mulctetur.

Hi canones maxima ex parte sumpti sunt ex Concilio Placentino, quod præterito mense Martio Urbanus celebraverat in Longobardia. Repetiti autem fuerunt in hoc Concilio Claromontano; ut fidem facit, præter canones Anianenses supra descriptos, Bertholdus Constantiensis in Chronico: *In hac synodo* (Claromontana) *Domnus Papa eadem statuta, quæ & in præterita synodo Placentina confirmavit.*

Quinam autem Episcopi & Cardinales huic Concilio interfuerint, longum esset recensere, neque facile numerus eorum iniri potest. Illustriores nominant monachi Majoris-monasterii Turonensis in sua narratione; de qua mentio facta est in capite XLVI. libri quinti.

CA-

CAPUT XXXII.

De Convocatione Conciliorum Regiorum, ab Ecclesiasticis in Gallia distinctorum.

SYNOPSIS.

I. De convocatione Conciliorum regiorum. Enumeratio eorum, quæ supra dicta sunt.

II. Reges semper retinuerunt convocationem horum Conciliorum. Varia eorum nomina. Curia, Parlamentum, *&c.*

III. Conventus habiti propter res ecclesiasticas sub tertia Regum nostrorum dynastia non condebant canones. Ratio hujus instituti investigatur. Mansit tamen sua auctoritas Conciliis regiis. Probatur ex Glabro.

IV. Item ex Sugerio. Religiosi viri apud Sugerium, & religiosi laici apud Glabrum. Probatur etiam ex auctore vitæ sancti Bernardi, & ex Arnulpho Lexoviensi.

I. NUnc inspiciendum est tertium caput observationum, quas proposuimus in capite superiori, convocatio nimirum synodorum regiarum. Jam antea monuimus, eas fuisse distinctas ab ecclesiasticis, ex eo capite, quod istæ de causis singularibus cognoscebant, Concilia vero regia causas generales tractabant, quæ pertinent ad disciplinam & politiam Ecclesiæ & reipublicæ; adeo ut, si quæpiam synodus ecclesiastica novos canones condidisset, non ante rati erant, quam in Concilio regio examinati & a Principe confirmati fuissent. Adnotavimus supra, eum fuisse morem sub Pipino Rege, Carolo Magno, Ludovico Pio, & Carolo Calvo. Tum etiam observavimus, ea Concilia constitisse non solum ex Episcopis & Abbatibus, sed etiam ex Comitibus & proceribus regni ac regiis Consiliariis. Hi vero examinabant, quicquid ad politiam ecclesiasticam pertinebat, Regique significabant, quænam modificationes adhibendæ essent rebus circa eam constitutis.

II. Quamvis Legati in se traxissent curam convocandorum Conciliorum ecclesiasticorum, eorumque inutilitas pervicisset, ut prorsus omitterentur in regno, Reges tamen prorsus retinuerunt convocationem Conciliorum regiorum, quorum per illas tempestates valida fuit auctoritas. In secunda dynastia vocabantur *Synodus*, *Conventus*, *Concilium*, *Placitum*, & *Colloquium;* in tertia vero, *Curia*, *Conventus*, *Concilium generale regni* apud Rigordum, & *Parlamentum.* Hincmarus locum, ad quem Episcopi conveniebant, *curiam* vocat. Ivo autem multoties id nomen tribuit conventui agi solito in Natali Domini, aut in Paschate, cui Episcopi & proceres regni intererant; ut in epistola CLVIII. *Commonitorias litteras mittatis Archiepiscopis & Episcopis ad curiam, quæ habenda est in Natali Domini Suessionis.* Sugerius vero interpretans vocem *colloquium*, quæ Latina est, eum conventum recepto tum Gallico vocabulo *Parlamentum* vocat. *Magnum Parlamentum congregavit*, inquit de Rege Ludovico juniore loquens. *Ibi Archiepiscopi, Episcopi, & Abbates, & magna pars Baronum Franciæ convenerunt.* Utrumque nomen conjungit Abbas Urspergensis, ut conventus hujuscemodi significet, *curiale colloquium*. Eo exemplo Franci conventus generales nominaverunt curias Parlamenti, quod nomen retinuere corpora eorum judicum, qui vice sacra judicant.

III. Ad probandum autem jus, quod Regibus competit in convocandis Conciliis regiis, neque major neque illustrior auctoritas adferri potest, quam ea, quæ extat apud Abbatem Sugerium, qui tum summæ rerum præerat apud Gallos, pari auctoritate & gratia vigens apud summos Pontifices & Reges Francorum. Hic ergo in vita Ludovici junioris ait, Regem illum, post ductam Burdegalæ anno MCXXXVII. in matrimonium Eleonoram Aquitaniæ Ducissam, audita patris morte, Lutetiam remeasse: *quæ est*, inquit, *regni caput & sedes regia; ubi solent Reges antiquitus conventum Prælatorum & Principum* (id est, magnatum regni) *evocare ad tractandum super statu Ecclesiæ & de regni negotiis ordinandum.* Sugerius in Gestis Ludovici VII. cap. I. Per illas vero tempestates hi, qui conveniebant ad tractandum de rebus ecclesiasticis, nullos canones, nulla edebant statuta, procul a moribus synodorum, quæ sub prima & secunda Regum nostrorum dynastia celebratæ sunt. Ea immutatio ex eo profecta est, quod, cum innumeri canones jam conditi essent, necessarium non erat, ut novi conderentur; tum etiam ex eo, quod summi Pontifices, qui antea solebant synodis provinciarum hanc curam relinquere, nondum recepto, ut canones ederentur in Conciliis Romanis, eam auctoritatem ad se traxerunt, edicto, ut Legati ad sedem apostolicam dimitterent cognitionem causarum. Constat quidem, hoc agendi modo ademptum non fuisse Conciliis regiis jus edendorum statutorum, neque Regibus auctoritatem ea confirmandi. Tamen nusquam invenimus, id a quoquam per ea tempora usurpatum. Satis esse existimabant, si fidem & antiquam disciplinam intemeratam præstarent adversus novitates, quas nonnulli conabantur introducere, in detrimentum vetustorum canonum. Exempli causa, cum Robertus Rex anno MXVII. admonitus fuisset a Richardo Comite Aurelianensi in ea urbe grassari hæresim quandam novorum Manichæorum, eo accessit; habitoque regio conventu Episcoporum, Abbatum, illustriorumque ac religiosorum laicorum, inquiri jussit, quinam hujus impietatis auctores fautoresve essent. Cum autem compertum fuisset, duos viros præcipuos e clero, Heribertum videlicet & Lisoium, capita esse hujus sectæ, cum frustra admoniti fuissent, ut insanam illam opinionem deponerent, Rex ex sententia omnium laicorum eos igne cremari jussit, ut testatur Rodulphus Glaber hujus temporis scriptor: *Quantocyus Aurelianis properans, convocatis plurimis Episcopis & Abbatibus ac religiosis quibusque laicis, acerrime cœpit perscrutari, qui essent auctores hujus perversi dogmatis. ——— Dictum est eis, quoniam nisi celerius ad sanam fidei mentem redeant, Regis jussu & universæ plebis consensu igne essent protinus crematuri.* Necessarium autem non erat, ut Romanæ sedis sententia expectaretur, tametsi de hæresi ageretur; quoniam ea nova non erat aut dubia, sed vetus hæresis, jam olim aperte damnata in veteribus Conciliis.

IV. At in schismate, quod in Ecclesia Romana emersit inter Innocentium II. Papam & Petrum Leonis anno MCXXX. Rex Francorum Ludovicus, edoceri cupiens, utrius communionem amplecti deberet, Concilium regium convocavit apud Stampas: ubi congregavit Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, & alios viros religiosos, id est, laicos. Electi virtutes potius examinatæ sunt quam ipsa electio. Nam quamvis major eligentium pars in Petrum Leonis inclinasset, Rex tamen, ex sententia Ecclesiæ Gallicanæ, Innocentio adhæsit, qui & propriis virtutibus juvabatur & eorum meritis, a quibus electus erat. Regem porro convocasse hoc Concilium testatur his verbis Sugerius: *Quo Rex, ut erat piissimus Ecclesiæ defensor, cito compunctus, Concilium Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum & religiosorum virorum Stampis convocat: & eorum consilio magis de persona quam de electione investigans &c.* Existimandum autem non est, magnates regni non interfuisse huic conventui. Nam præterquam, quod verba illa Sugerii, *& religiosorum virorum*, id satis testantur, (juxta modum loquendi a Glabro usurpatum, qui *religiosos laicos* vocat proceres, qui Roberti Regis jussu convenerunt apud urbem Aurelianensem) extat etiam diserta ejus rei probatio apud Bernardum Abbatem

Bonæ-

Bonæ-vallis. Narrat ille in libro secundo de vita sancti Bernardi Claravallensis Abbatis, sanctum illum ad Concilium illud fuisse evocatum, Regem autem, Episcopos & proceres communi consilio integrum hoc negotium ejus judicio prorsus permisisse. Unde patet, magnates regni ei Concilio interfuisse. *Ubi vero ad locum ventum est*, inquit, *celebrato prius jejunio, & precibus ad Deum fusis, cum de eodem verbo tractaturi Rex & Episcopi cum principibus consedissent, unum omnium consilium fuit, una sententia, ut negotium Dei famulo imponeretur, & ex ore ejus tota causa penderet*. (*)

CAPUT XXXIII.

De fine Conciliorum regiorum, ubi simul ostenditur, etiam laicos censuisse de Politia Ecclesiastica.

SYNOPSIS.

I. Conciliorum regiorum præcipua cura erat videre, ne quid detrimenti caperent antiqua Regis & Ecclesiæ Gallicanæ jura. Procerum præsentia justam Episcopis causam subministrabat, qua se apud summum Pontificem excusarent, si recederent ab institutis curiæ Romanæ. Probatur ex Ivone Carnotensi. Episcopi homagium Regi præstare coacti, quamquam aliud statuissent Romani Pontifices.

II. Probatur item ex litteris a clero Gallicano ad Bonifacium VIII. scriptis. Ex iis colligitur, non solum Episcopos, sed etiam laicos censuisse de politia ecclesiastica. Tum, Proceres & populum continere solitos in officio clerum.

III. Hunc coactum obtendebant Episcopi Gallicani, quoties Italicas artes eludere destinaverant. Probatur ex iis, quæ in urbe Biturigensi contigere anno 1226. apud Matthæum Parisium.

I. PRæcipua horum conventuum cura erat videre, ne prætextu novitatum, quæ in politiam ecclesiasticam introducebantur, quid detrimenti caperent antiqua Regis & Ecclesiæ Gallicanæ jura. Ea autem erat temporum illorum cautio, ut, quoniam deliberatio fieri debebat a corpore Concilii, causarum definitio non permitteretur solis Episcopis, quos jam Vaticani fulmina terruerant, sed magnatum etiam regni sententia adjungeretur, qui personarum ecclesiasticarum corpus compellebant æquitatis rationem habere. Coactus enim ille & efflagitatio laicorum justam Episcopis causam subministrabat, qua se apud summum Pontificem excusare possent, cum se accommodaverant ad eorum voluntatem. Sed tamen id aliquo exemplo probandum est. Extant autem duo valde illustria. Primum petitur ex Ivone Episcopo Carnotensi: qui ad Paschalem II. Papam scribens circa annum MCVIII. narrat, quid actum fuisset in Curia seu Parlamento, quod Rex Philippus primus in festo Natalis Domini habuerat apud urbem Aurelianensem. Agebatur de restitutione Radulfi Archiepiscopi Remensis, ejusque Ecclesiæ possessione abjudicanda Gervasio. Negotium autem illud Ivo valde urgebat apud Regem. Is vero consensit, ut Radulfus se sisteret curiæ mox habendæ, in qua agitari posset hoc negotium cum proceribus regni. *Adquievit tandem precibus nostris*, inquit Ivo, *& concessit, ut eum ad curiam suam, quæ Aurelianis in Natali Domini congreganda erat, secure adduceremus, & ibi cum eo & cum principibus regni de hoc negotio, quantum fieri posset, salva regni integritate, tractaremus*. Verum id quod sequitur, magni momenti est. Nam Radulfus restitutus quidem est, ut Ivo optaverat, sed ea lege, ut homagium ab omnibus Episcopis præstari solitum Regi præstaret. Gregorius septimus, Urbanus secundus, & Paschalis secundus summi Pontifices prohibuerant in Conciliis Romanis, ne Episcopi homagium præstarent Principibus. At Galli nostri his decretis consensum suum adhibere noluerunt. Unde intelligere possumus, Concilia regia non cessisse Romanis, quæ jura regia infringebant, ac præterea eadem Concilia adegisse Episcopos regni ad reverentiam erga Principes. *Sed reclamante curia*, inquit Ivo, *plenariam pacem impetrare nequivimus, nisi prædictus Metropolitanus per manum & sacramentum eam fidelitatem Regi faceret &c. Quod persuadentibus & impellentibus totius curiæ optimatibus, etsi propter mandatorum rigorem minus licebat, factum est tamen, quia ecclesiasticæ paci & fraternæ dilectioni sic expediebat*. Rogat autem Ivo Paschalem Papam, ut factum illud gratum habere velit, quod non alia de causa pravum est, quam quod superiorum prohibitioni contradicat; verum illud esse tolerandum, quod neque reparari possit, neque locus sit ultioni: *Ibi consilii & pietatis studeatis visceribus abundare, ubi fas non est debitam fortitudinem exercere*.

Ivo epist. 158.

Vide lib. 4. 13. §. 1.

II. Alterum exemplum petitur ex literis a clero Gallicano ad Bonifacium VIII. Papam scriptis. Docent quippe, Regem Philippum Pulcrum convocasse Episcopos, Abbates, Priores conventuales, Decanos, Præpositos, & procuratores Ecclesiarum cathedralium & collegialium, syndicosque & procuratores urbium & communitatum regni, eos vero, juxta Principis edictum, Parisios accessisse, & in Ecclesia cathedrali congregatos esse anno MCCCII. die decima mensis Aprilis. In eo conventu, cui Philippus interfuit, oratio Principis per procuratorem ejus audita est. Disseruit ergo, Archidiaconum Narbonensem Philippo Regi literas Pontificis reddidisse, in quibus duo quædam continerentur. Primum, regnum Franciæ sedi apostolicæ subjectum esse, etiam quoad temporalia. Secundum, quod nihil aliud erat quam primi executio, præcipere Pontificem omnibus Prælatis, Magistris in theologia & Professoribus utriusque juris, ut Romam accedant, ad corrigendum excessus & damna, quæ Rex, officiales ejus, Barones & populi inferebant Ecclesiis & personis ecclesiasticis. Quoniam vero ex illa Episcoporum aliorumque virorum absentia oriretur miserrima totius regni vastitas, unde consequeretur pernicies fidei rarusque sacramentorum usus, præter immensam vim auri, quæ extra regnum ea ratione asportaretur, velle Principem, cum consilio hujus conventus, providere, ne quid detrimenti Regi, regno, & Ecclesiæ Gallicanæ adferant ea, quæ a summo Pontifice & Ecclesia Romana tentabantur circa hæc, quæ supra dicta sunt & alia nonnulla capita. Introductas nempe reservationes beneficiorum, consecrationes Archiepiscoporum & Episcoporum ademptas Episcopis comprovincialibus, beneficia a summo Pontifice conferri alienigenis, qui neque in iis resident, neque ullo munere suo funguntur; super hæc, omitti non debere pensiones, novas exactiones, & servitia immoderata, nonnullasque alias novitates, quas Princeps dissimulare ultra non poterat. Tum a Prælatis,

(*) Illustre est in eam rem testimonium Arnulphi Sagiensis Archidiaconi tum temporis adversus Gerardum Episcopum Engolismensem Petri Leonis in Aquitania Legatum scribentis. Ait ergo Arnulphus in capite quinto: *Nuntiato in Galliis schismate, dum pro partibus vario favore multi multa loquuntur, fidelisque populus ancipiti raptatur errore, primus Regum catholicus Princeps Rex Francorum Ludovicus occurrit. Is vocatis Episcopis & omnibus, qui probatæ religionis in Galliis habebantur, convocato etiam clero regnique majoribus, Concilium statuit generale*. Tractatus ille Arnulphi Sagiensis Archidiaconi, qui dein antistes Lexoviensis fuit, editus est ab amicissimo viro Domno Luca Dacherio monacho Benedictino in tomo secundo Spicilegii veterum scriptorum pag. 336.

tatis, Baronibus, ceteris, & ab unoquoque eorum summo studio postulavit, præcepit tanquam dominus, & ut amicus rogavit, ut se consilio & ope sua juvarent, quemadmodum ad id tenebantur ratione fidei, quam Principi spoponderant. Quippe cupere se serio studere conservandæ antiquæ libertati, honori, & statui regni sui suorumque subditorum, ac præterea reparandis damnis supra memoratis, ac reformationi regni & Ecclesiæ Gallicanæ. At Baronibus & syndicis communitatum seorsim deliberantibus in hac materia, una omnium vox fuit, reddere se Principi gratias, quod tam præclarum consilium suscepisset, vitam porro se ac fortunas suas lubenter oblaturos periculis, ut regium illud consilium ad effectum perducatur. Addunt autem, se novitates illas non toleraturos deinceps, tametsi Princeps eas pati aut dissimulare voluerit. Episcopi vero in epistola sua, quam diximus, ad Bonifacium ajunt, se conatos esse animos Regis ac Baronum placare ac lenire, ac publice dixisse, eam summo Pontifici mentem non fuisse, ut libertatem regni vel famam Regis violaret. Coactos tamen statim respondere, omni cunctatione remota; adeo, ut publice tunc dictum ad eos fuerit, quod si quis ipsorum contrariam sententiam promeret, haberetur pro inimico Regis & regni. *Ac prædicto*, inquiunt, *patenter & publice universis quod si quis voluntatis contrariæ appareret, ex tunc pro inimico Regis & regni notorie habebatur*. Cum autem intelligerent, in eo positum esse negotium, ut, si voluntati Regis & Baronum repugnarent, periculum esset, ne laici exuerent reverentiam & obsequium in Ecclesiam Romanam & Gallicanam, necessitate illa adactos respondisse, adjuvaturos se Regem consilio & ope sua pro conservatione personæ ejus, rerumque, honorum, ac libertatis regni; eos nimirum Episcopos, qui ducatus, comitatus, baronias, aliave feuda possidebant, juxta conditiones suorum juramentorum, alios vero, secundum sponsionem fidei. Regi nihilominus supplicasse, ut pateretur Episcopos ad Bonifacium accedere, quandoquidem Romano Pontifici obedire tenebantur. Regem vero ac Barones respondisse, non permissuros se, ut Episcopi iter illud aggrederentur. Cum itaque manifestum foret, imminere dissidium inter regnum & Ecclesiam Romanam, cum eis minæ frequenter proponantur pro captione temporalitatis, resque eo devenerit, ut pro nihilo habeantur excommunicationes, quas ferri circa hæc contingeret, orare se Pontificem, ut eam curam his malis adhibeat, quæ animorum concordiam possit reducere, tum etiam, ut literas revocet, quibus eos evocaverat ad Concilium, *vocationis edictum*, ut ajunt Episcopi.

Epistola illa manifeste probat, duas observationes a me paulo ante prolatas. Primum quidem, non solum personas ecclesiasticas, sed universum conventum deliberasse de politia ecclesiastica, ad prohibendam novitatis introductionem. Tum, Proceres & populum continere solitos in officio clerum, eisque securitatem addere adversus aulæ Romanæ terrores.

III. Intelligebant sane personæ ecclesiasticæ, eum agendi modum plurimum valere apud ingenia curiæ Romanæ. Itaque quoties privatim eorum intererat, publice protestabantur, non solum non assentiri se summi Pontificis desideriis, sed etiam Regem & Principem palam obsistere, adeo ut minarentur, se vitam ac fortunas suas ea de causa lubenter objecturos periculo. Illustre hujus rei exemplum extat in conventu Ecclesiæ Gallicanæ, quem anno MCCXXVI. Avarici Biturigum egit Romanus Cardinalis, ut in Henrico III. narrat Matthæus Parisius. Cum is de negotio Albigensium disseruisset, secretis conatibus, cum jam plures ex delegatis recessissent, obtinere tentavit, ut ratio haberetur petitionis, quam Papa faciebat, nimirum, ut duarum præbendarum collatio sedi apostolicæ reservaretur, quarum una ad Episcopi aut Abbatis collationem pertineret, alia vero ad Capitulum aut monasterium. Verum huic petitioni intercesserunt procuratores Capitulorum Ecclesiarum metropolitanarum, asserentes, id fieri non posse, quin scandalum ingens excitetur in Ecclesia Gallicana, consensum vero quorundam nullius roboris futurum in causa, quæ ad publicam omnium utilitatem spectabat. Addunt autem, Regi & omnibus Principibus destinatum esse ei petitioni obsistere: *Cum fere omnes majores, & generaliter omnes subditi, nec non & ipse Rex, & omnes principes parati sint contradicere & resistere usque ad capitis expositionem & omnis honoris privationem; præsertim cum videatur imminere propter hoc scandalum subversio regni & Ecclesiæ generalis.* Infra: *Domine, moveat vos zelus universalis Ecclesiæ: quia si omnium esset universalis oppressio, posset timeri, ne immineret generalis discessio, quod Deus avertat.* Verba hæc cum indignatione quadam facta Legati consilium interruperunt: qui palam professus est, se, cum in curia Romana versaretur, nunquam consensisse hujuscemodi exactionibus, & hauddubie mandatum illud ad se missum esse ea mente, ut executioni mandaretur, si imperii aliorumque regnorum consensus accederet.

Vide supra cap. 12. §. 30.

CAPUT XXXIV.

De Conciliis Regiis Gallicanis tempore schismatis sub Carolo VI. & conservata per illa Ecclesiastica libertate.

SYNOPSIS.

I. De Conciliis Ecclesiæ Gallicanæ tempore schismatis ultimi.

II. In iis nihil reperitur adversum regiæ auctoritati; quæ semper tota integra conservata est. Deliberationes Ecclesiæ Gallicanæ spectantur tantum velut consilium Regi datum. Indigent ejus consensu & confirmatione. Debent congruere statutis Conciliorum. Præclara verba Joannis Juvenalis de Ursinis Advocati regii referuntur.

III. Carolus sextus conatur extinguere schisma. Eam ob rem congregavit Concilium Gallicanum; in quo decreta est cessio Benedicti XIII. quam is pollicitus erat.

IV. Ex diversis ordinibus conflatam esse hanc congregationem, probatur ex constitutione Caroli. Caute itaque intelligendus est Archiepiscopus Remensis, qui solius cleri mentionem facit.

V. Ordo observatus in rogandis personarum ecclesiasticarum sententiis, explicatus verbis Joannis Juvenalis de Ursinis. Simon Cramaudus Patriarcha Alexandrinus præfuit huic conventui. Ei per legatos præfuisse Regem adnotatum est in vita MS. Caroli sexti.

VI. Legati ad Benedictum missi, qui viam cessionis ei proponerent. Vir callidus eorum ingenia elusit. Rursum legatio ad eum missa; itemque ad Bonifacium IX. ab Hispania. Irrito conatu. Dein subtractio ab obedientia Benedicti decernitur in Concilio Ecclesiæ Gallicanæ.

VII. Ei restituitur obedientia, opera Ducis Aurelianensis.

VIII. Rursum in congregatione Ecclesiæ Gallicanæ anno 1406. *agitata est materia cessionis & subtractionis. Quorundam audacia edicto Principis repressa, qui aperte invehebantur in viam cessionis & subtractionis. Tum pronuntiat Concilium, non toleraturos se deinceps reservationes beneficiorum aliave ingenia aulæ Romanæ. Magni viri interfuerunt huic Concilio.*

IX. Anno 1408. *decreta est neutralitas. Ecclesia Gallicana modum præscribit tenendum in dispensationibus, judiciis appellationum, & provisionibus beneficiorum, donec durabit ea neutralitas.*

Ea statuta confirmata sunt a Principe & a Concilio Pisano.

X. Post extinctum schisma, Carolus sextus Ecclesiam Gallicanam reduxit in suam antiquam libertatem. Magni momenti est ejus constitutio.

I. Sub Carolo sexto, Carolo septimo, & Ludovico duodecimo Concilia Gallicana novam rursum faciem sumpsisse videntur. Attamen si res propius introspiciatur, deprehendere licet, id nihil aliud esse, quam continuationem celebrationis Conciliorum regiorum, cum accessione quadam exteriori fulgoris, quo dignitas Ecclesiæ Gallicanæ illustratur. Certe occasiones, quæ tunc inciderunt, magni momenti erant, quod ageretur de reformatione Ecclesiæ in capite & in membris, adeo, ut ad obtinendum id, quod destinatum erat, necessarium fuerit inveteratis corruptelis opponere consensum universæ Ecclesiæ Gallicanæ, quæ eam ob causam omnium oculis proponi debuit, ut amplitudo ejus clarius eluceret in conventu generali.

II. Attamen in Conciliis illis, quæ ab anno MCCCXCIV. usque ad annum MCCCCXL. frequentissima fuerunt, nihil regiæ auctoritati adversum reperitur. Contra in iis deprehenditur integra executio jurium regiorum, quæ in initio hujus libri adnotata sunt, ad Regem nimirum pertinere jus convocandi Ecclesiam Gallicanam, proponendi materiam, quam in conventu agitari voluerit, examinandi res in eo decretas, easque, si visum fuerit, expedire, approbandi, earumque executionem jubendi. Duobus modis fieri potest illud examen, vel cum consilio illustriorum virorum ex tribus regni ordinibus, vel etiam ex sententia minoris numeri. Primi modi exempla superius proposita sunt quoad tempora secundæ Regum nostrorum dynastiæ & initia tertiæ. Unde factum, ut Hincmarus ad Regem Ludovicum Balbum scribens anno DCCCLXXVII. dicat: *Quia de generalibus Ecclesiæ ac regni negotiis sine generali primorum regni consilio & consensu speciale dare consilium nescio, & consensum deliberare non valeo, nec præsumo.* At nunc videbimus Consilium regium ad pauciores esse redactum; cum e contra corpus Ecclesiæ firmetur præsentia plurimorum hominum eruditorum, ut in conventibus negotia accuratius expendantur. Nunquam tamen discedere oportet ab hac certissima regula, deliberationes Ecclesiæ Gallicanæ considerari non posse aliter, quam velut consilium Regi datum, easque executioni non posse mandari absque consensu & confirmatione ejus. Præterea decreta illa rata esse non possunt, si quid statutum fuerit, quoad politiam ecclesiasticam, adversum canonibus Conciliorum generalium in regno susceptorum. Oportet autem, ut eorum sententiæ congruant statutis Conciliorum, ita, ut eo tantum tendant, ut aut mentem canonum interpretentur aut extendant. Sed Regum ea semper dignatio fuit, etiam illa ætate, ut ab eis tanquam a capite fluere existimarentur bona consilia; tribuebantque ipsi decretis auctoritatem, executionemque maturabant, pro reformatione politiæ ecclesiasticæ; conventus vero Ecclesiæ Gallicanæ, in quibus negotia agitabantur, consilium suum subministrabant. Propositio hæc a Joanne Juvenale de Ursinis Advocato regio in curia Parlamenti propugnata fuit in congregatione Ecclesiæ Gallicanæ, quæ anno MCCCCVI. habita est Parisiis. Advocati hujus regii verba refert filius ejus Joannes Juvenalis de Ursinis Archiepiscopus Remensis in historia Caroli sexti: *Il monstra deux choses. L'une, la puissance du Roy de France, qui est le bras dextre de l'Eglise, & qu'il luy loit & doit assembler les personnes ecclesiastiques de son royaume touchant le faict de l'Eglise, pour avoir Conseil & en iceluy præsider comme Chef, quand il en est requis; & sans aucune requeste de personne, si bon luy sembloit; comme au cas, qui s'offroit, ou il avoit esté requis de par l'Université & d'aucuns Prelats & personnes ecclesiastiques. Et que sans supplication de personne, quand il verroit estre expedient, le pourroit faire, & en iceluy conclurre, & faire executer ce qui seroit & conclu & avisé en iceluy Conseil.* Ea vero sic reddi Latine possunt: *Duo quædam ostendit*, inquit Archiepiscopus Remensis de patre suo loquens: *Primum quidem Regi Francorum, qui dextrum Ecclesiæ brachium est, eam inesse auctoritatem, ut quoties causa Ecclesiæ agitur, si Concilium Ecclesiæ Gallicanæ ab eo petatur, congregare illud & possit & debeat, in eoque præsidere tanquam caput. Deinde posse Regem illud ipsum, etiam non rogatum, si majestati ejus visum foret, expedire, uti Concilium habeatur. Nunc quidem id fecisse eum juxta preces academiæ Parisiensis & quorundam Prælatorum & personarum ecclesiasticarum. Addidit dein, posse Regem, si eæ causæ inciderent, propter quas ipse putaret celebrandum esse Concilium, posse inquam illum, etiam nullo rogante, personas ecclesiasticas regni sui evocare, in eo autem Concilio curare, uti decreta condantur, quibus ipse robur & firmitatem auctoritate sua tribuet.* Hujus regiæ auctoritatis clara documenta extant in modo agendi, qui tunc temporis usurpatus est ad sopiendum diuturnum illud schisma, quod Ecclesiæ unitatem scidit per multos annos. Hunc locum visum est Latine reddere in hac editione.

III. Cum Carolus V. Rex Clementi VII. Avenioni sedenti adhæsisset in schismate, filius ejus Carolus VI. pariter cum universo regno adhæsit Benedicto XIII. quem post Clementis obitum Cardinales Avenioni commorantes elegerant, postquam eis pollicitus fuisset, amplexurum se omnes vias, quæ proponerentur pro unione Ecclesiæ, etiam usque ad cessionem sive resignationem papatus inclusive. Summa cura conatus est Carolus, ad unitatem revocare contendentes, tam eum, qui Romæ commorabatur, quam qui Avenioni. Ut autem investigaret, quanam in primis ratione id assequi posset, in Concilio generali, sive per viam compromissi, aut cessionis, Concilium congregavit Prælatorum, Capitulorum, nobilium, communitatum, Doctorum in theologia & in utroque jure, aliorumque procerum: qui censuerunt, viam cessionis securiorem esse, breviorem, ac omnium maxime honestam & decoram, porro eam fidelium conscientiam in tuto collocaturam, ac schisma prorsus extincturam.

IV. Ex diversis ordinibus conflatam fuisse hanc congregationem, discimus ex litteris Caroli sexti, in quibus sic habetur: *Convocavimus Concilium Prælatorum, Capitulorum, Nobilium, Universitatum, plurium sacræ paginæ & utriusque juris Doctorum, religiosorumque devotorum, & aliorum procerum regni nostri: intra quos visis diligenter atque discussis ac digestis mature pluribus viis, tandem per opinionem ipsius convocati Concilii comperimus assumendam &c.* Tom.1.Libert. Eccl. Gallic. c. 20. §. 1. Quare cum cautione quadam intelligendus est Archiepiscopus Remensis in sua historia; in qua ait, Regem anno MCCCXCIV. congregasse Parisiis Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, monachos, & alias personas ecclesiasticas, ut sententiam eorum exquireret in causa hujus schismatis, *pour avoir leurs avis de proceder en cette matiere.* Verba enim hæc non excludunt Nobiles aut ceteros, quos Rex evocaverat; tametsi indicant, eos in corpore Ecclesiæ Gallicanæ constitutos non fuisse, sed in Consilio regio. Unde factum, ut eorum quoque sententiæ, æque ac sententiæ Prælatorum, secundum quam subtractio hujusmodi decreta est, mentio fiat in decreto anni MCDVI. lato contra epistolam quandam academiæ Tolosanæ: *Prælatos, Universitates, viros devotos, Principes insuper & Duces, Barones, Milites, & cetera Regni & Delphinatus & utriusque brachii supposita accitos ad Concilium acciri & congregari feceramus.* Item in litteris Caroli VI. datis an. MCCCCVII. *Avons par plusieurs & diverses années fait assembler pardevers nous en nostre ville de Paris les Prelats & le Clergé & plusieurs des Princes de nostre sang, Barons, Universitez des estudes, & autres sages & preud'hommes de nostre Royau-*

Royaume en tres-grand nombre pour avoir sur ce leurs avis & conseil. Quæ sic Latine reddi possunt: *Coram nobis per plures diversosque annos congregari fecimus in civitate nostra Parisiensi Prælatos clerumque & plures ex principibus nostri sanguinis, Barones, Universitates studiorum, & alios sapientes & prudentes viros regni nostri in magno numero, ut super ea re sententiis consiliisque eorum juvaremur*.

V. At ex historia Joannis Juvenalis de Ursinis discimus ordinem observatum in rogandis personarum ecclesiasticarum sententiis; qui melius explicari non potest, quam ipsis verbis auctoris: *Pour demander les opinions & en faire les relations au Roy & à son Conseil fut ordonné Messire Simon de Cramaut Patriarche d'Alexandrie & Evesque de Carcassone, qui estoit un des principaux du Conseil du Roy & notable Clerc. Les Prelats & autres personnes ecclesiastiques furent tous assemblez au Palais à Paris*. Ea vero Latino sermone ita reddi possunt: *Ad rogandas autem sententias relationemque de iis ad Regem & ad Consilium ejus faciendam constitutus est Dominus Simon de Cramaudo Patriarcha Alexandrinus & Episcopus Carcassonensis, vir unus e primis in Consilio Regis, & notabilis clericus, id est, plurima rerum ac litterarum peritia clarus. Prælati igitur cum aliis personis ecclesiasticis congregati fuere Parisiis in Palatio*. Infra: *Le Patriarche leur exposa comme le Roy les avoit mandez pour avoir leur avis & conseil des manieres de proceder & de trouver la voye d'y parvenir. Lors lesdits Prelats, en gardant les louables coustumes anciennes, firent une procession par la grand sale du Palais & par la cour pour venir à la Sainte Chapelle; où fut dite une Messe du saint Esprit par un Prelat pour invoquer l'ayde de Dieu, à ce qu'il les voulut inspirer à bien deliberer. Puis s'en retournerent en ladite sale. Et les fit le Patriarche jurer qu'ils diroient leur vraye opinion, sans aucune fiction ny partialité; & demanda a chacun son opinion; dont il y en eut plusieurs belles & hautes. Et finablement tous furent d'opinion que la voye de cession estoit la plus expediente, imò necessaire à trouver union, & meilleure que la voye de compromis, dont aucuns avoient touché. Laquelle deliberation fut rapporportée au Roy, aux Seigneurs du Sang & du Grand Conseil: lesquels en furent tres-contens. Et fut conclu que ladite voye diligemment se pratiqueroit*. Nos ista quoque Latine reddenda esse censuimus in gratiam exterorum, non quidem verbum e verbo reddentes, sed verborum sententiam sequentes: *Patriarcha habita ad eos oratione monuit, Regem eos ad se vocasse, ut eorum sententia & consilio juvaretur in investiganda ratione extinguendi schismatis. Tum Prælati, juxta morem antiquitus observatum, processionem agentes per magnam aulam & cortem Palatii, demum ad sacram capellam venerunt, ubi ab uno ex Prælatis celebrata fuit Missa de spiritu sancto ad invocandum auxilium divini numinis in capienda maxima deliberatione. His ita peractis, tum demum in eandem aulam rediere. Jurejurando autem eos adegit Patriarcha prompturos sententiam ex animo, absque ulla fictione, & nullo partium studio. Rogavit deinde uniuscujusque sententiam. Multa porro & eleganter & docte hac occasione dicta in conventu sunt. Una tandem omnium vox fuit, viam cessionis magis expedire, immo necessariam esse ad constituendam unionem, & hauddubie meliorem viam compromissi, de qua actum fuerat ab aliquibus. Cum ita constitutum fuisset, eaque sententia ad Regem, ad Principes regii sanguinis, & ad magnum Consilium relata fuisset, summo ab iis applausu excepta est. Itaque decretum fuit, uti via cessionis omnino obtineret*. Verum Joannes Juvenalis silentio transmittit id, quod auctor MS. vitæ Caroli sexti adnotavit, Duces Biturigensem, Burgundum, & Aurelianensem huic conventui præfuisse vice Regis.

VI. Anno MCCCXCV. Carolus exequi volens hanc deliberationem, Duces Biturigum & Burgundiæ patruos suos & Ducem Aurelianensem fratrem suum ad Benedictum Papam misit, qui ei persuaderent, ut secundum quod ipse pollicitus fuerat, viam cessionis amplecteretur. Verum eorum ingenia elusit Benedictus, viam compromissi proponens inter partes, quod negotium illud adeo implicabat, ut finis nunquam sperari posse videretur. Post reditum Legatorum Rex cum consilio alterius congregationis rursum aliquot viros ad Benedictum destinavit, oratum, ut Papatu cederet; si vero is recusaret, finem se schismati imponere curaturum indicarent, prout melius fieri posse existimaret. Eodem vero tempore idem ab Bonifacio IX. Antipapa Romæ commorante postulari jussit, quem ob eandem causam urgebant Legati Regum Angliæ & Castellæ, irrito utrobique conatu, quod uterque Pontificum dignitatem suam retinere destinasset. Quo factum est, ut Carolus Concilium Ecclesiæ regni sui Parisiis congregaverit: ad quod accessere Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, procuratores Prælatorum absentium, ac deputati Capitulorum Ecclesiarum cathedralium. In eo conventu Rex præsente se, ac præsentibus etiam Principibus & gentibus Consilii sui, causam hanc examinari orarique jussit utrinque a viris doctis, ad eum modum, quo orari causæ solent in curia Parlamenti. *Itaque*, inquit Carolus, *alternatis diebus in Consilio nostro, modo & forma, quibus audientia in curia nostra dantur &c.* Dictum itaque est, teneri Regem juxta sacram scripturam & canones ad adhibendum schismati remedium ejusque extirpationem, una cum ceteris Regibus procurandam. Quoniam vero ejus schismatis continuatio imputanda erat Benedicto summo Pontifici, quod viam cessionis a se in electione sua juratam respueret, subtrahendam illi obedientiam velut schismatico, Itaque Rex se ad sententiam Ecclesiæ Gallicanæ accommodans decernit, cum consilio Principum regii sanguinis ac nonullorum aliorum Principum Ecclesiæque regni sui, se, Ecclesiam, clerum, & populum recedere ab obedientia Benedicti. Jubet autem, ut interim beneficiis provideatur per electiones & collationes. Constitutio illa data fuit Parisiis die XXVII. Julii MCCCXCVIII. & proposita in Parlamento XXIX. mensis Augusti insequentis. Quoniam vero provisiones beneficiorum aliæque expeditiones in curia Romana fieri solitæ multis difficultatibus implicatæ erant, Concilium Ecclesiæ Gallicanæ nonnulla statuta edidit, ut observarentur. Sed eorum confirmationem postulavit a Rege; qui eam concessit, postquam statuta illa in Consilio regio examinata fuerunt; ut patet ex constitutionibus regiis editis annis MCCCXCIX. & MCCCCVI.

Vide Notas ad Vitas Papar. Avenion. pag. 1011. 1051. 1156. 1167. 1315. 1336. 1339. 1342. 1348. 1351. 1355. 1383. 1386. 1388.

VII. Cum subtractio non succederet ex sententia eorum, qui ejus repertores fuerant, Dux Aurelianensis summa vi tentabat, ut obedientia Benedicto restitueretur. Eam ob causam Rex clerum regni sui convocavit Lutetiam anno MCCCCIII. quo Benedictus misit duos Cardinales. Negotium agitatum est in Consilio regio, præsente Rege, *in absentia Prælatorum*; in quo decretum fuit, restituendam esse obedientiam Benedicto, iis conditionibus, quæ in quadam scedula continebantur; quarum præcipuæ fuerunt istæ: Cessurum Pontificatu Benedictum, *cedente, decedente, vel ejecto adversario*, provisionesque beneficiorum valituras, quæ factæ fuerant tempore subtractionis. His actis, Princeps, præsentibus Biturigum & Burgundiæ Ducibus, *determinationem* suam per Cancellarium significari jussit conventui Prælatorum: quorum aliqui statim consenserunt regiæ constitutioni, alii vero moram sibi dari postularunt ad communicandum cum Episcopis suarum provinciarum. Interim Rex ad se Duces illos accersivit, & ad cathedralem Ecclesiam Parisiensem profectus est: ubi Missa per Cardinalem Prænestinum celebrata,

Vita Caroli VI. MS.

populo significata est voluntas regia, habita in eam rem concione a Petro de Alliaco Episcopo Cameracensi. Attamen constitutio regia modestissimis verbis conscripta est. Declarat enim Rex, se quinquennio ante decrevisse subtractionem cum consilio Prælatorum, Principum, cleri, & magnatum regni. Cum autem sibi affirmatum fuerit a duobus Cardinalibus Papam Benedictum serio amplecti velle viam cessionis, idcirco se, cum consilio & consensu Ducum Biturigensis & Burgundi patruorum suorum, fratris sui Ducis Aurelianensis, & patrui item sui Ducis Borbonii, cum consilio etiam Prælatorum, academiarumque Parisiensis, Tolosanæ, Andegavensis & Monspeliensis, plurimorumque magnatum & nobilium regni decernere subtractionem illam in posterum cessaturam, restitutumque iri Benedicto Papæ obedientiam. Isthæc verbis Gallicis explicantur in alia ejusdem Regis constitutione, quæ sic habet: *Scavoir faisons que comme à grande & meure deliberation, & par le conseil des Seigneurs de nostre sang & lignage, des Gens de nostre Grand Conseil, des Prelats de sainte Eglise, Université & Clergié de nostre Royaume &c.* Quorum verborum hæc est versio: *Notum fieri volumus, quoniam post magnam & maturam deliberationem, & ex consilio Principum de sanguine & genere nostro, gentium magni nostri Consilii, Prælatorum sanctæ Ecclesiæ, Universitatum & cleri regni nostri &c.*

Tom. 2. Libert. Eccl. Gall. c. 30. num. 9.

VIII. Anno MCCCCVI. rursum congregata est Ecclesia Gallicana, ac rursum examinata materia cessionis & subtractionis. Jussit autem Rex in suo Consilio, ut de ea in utramque partem disputaretur a duodecim Theologis & Canonistis: inter quos magister Petrus Plaout sacræ theologiæ Doctor * luculenter ostendit, quanta esset in hujuscemodi rebus regia auctoritas, ut inquit Joannes Juvenalis de Ursinis. Tandem Concilium Regi supplicavit, ut quorundam audaciam compesceret, qui paulo acerbius invehebantur in viam cessionis paulo ante propositam ad extirpandum schisma, subtractionemque vituperabant, quæ facta fuerat. Eam ob rem orarunt regiam majestatem, ut sub certis pœnis prohiberet, ne quis deinceps talia loqueretur, utque decerneret, rata esse & firma, quæcunque acta fuerant tempore subtractionis; quicquid vero secus præsumptum fuerit, in irritum mitteretur. Annuit Princeps postulatis, constitutione data die XIV. Januarii MCDVI. in qua continentur jussiones, mandata & prohibitiones, uti Concilium postulaverat. Præterea Concilium pronuntiavit, non toleraturos se deinceps reservationes beneficiorum, gratias expectativas, aliave ingenia aulæ Romanæ in contemptum veterum Conciliorum a summis Pontificibus introducta. Regem vero rogavit deliberationi huic auctoritatem addere, donec Concilium generale posset haberi. Cui petitioni se Procurator regius adjunxit. Notatu digna sunt verba constitutionis regiæ, quæ data est anno MCDVI. die XVIII. Februarii: *Supplicabant humiliter & devote, quatenus nos ipsorum deliberationi & conclusioni conformanter adhærentes, ipsas gratas habere, & dictas Ecclesias & viros ecclesiasticos nostrorum Regni & Delphinatus quoad prædicta ad suam libertatem antiquam & juris communis dispositionem, quantum in nobis est, reducere & in eadem libertate eos conservare & manutenere, omnia in contrarium impedimenta submovendo, dignaremur. Nos igitur attendentes, quod sicut sacerdotes debitores sunt, ut veritatem, quam audiverunt a Deo, libere prædicent, sic Princeps debitor est, ut veritatem, quam audivit a sacerdotibus, probatam quidem scripturis, defendat fiducialiter & efficaciter exequatur, habita prius deliberatione matura & tractatu diligenti cum pluribus de genere nostro Principibus aliisque viris notabilibus & famosis, dictorum Prælatorum & aliorum virorum ecclesiasticorum & Procuratoris nostri supplicationem & requestam justam & rationabilem sanctorumque patrum & Conciliorum generalium decretis conformem reputantes, eam in forma sicut præmittitur de nostra certa sententia duximus admittendam, prædictas deliberationes & conclusiones ratas habentes, dictas Ecclesias & viros ecclesiasticos quoad prædicta ad suam libertatem antiquam & juris communis dispositionem reducendos esse censemus, & quantum in nobis est reducimus, eosque in eadem libertate per nos de cetero manuteneri & conservari volumus per præsentes; mandantes & districtius injungentes dilectis & fidelibus Consiliariis nostris gentibus nostrum præsens tenentibus, & qui futurum tenebunt Parlamentum &c.* Verba ipsa referre volui, quoniam hæc est summa congregationis, cui interfuerunt quamplures viri doctissimi, adeo, ut Joannes Juvenalis de Ursinis affirmet, nullos ætate illa in universo orbe Christiano reperiri potuisse viros, qui istos doctrina superarent. Quapropter mirum non est, si causas hujus constitutionis sequens ætas descripsit in Pragmatica sanctione. Ceterum in his verbis constitutionis videmus quidem Ecclesiam Gallicanam decreta sua edere, sed ita tamen, ut ea a Rege confirmari postulet. At parte ex alia Princeps profitetur, se ex officio teneri ad tuitionem veritatis, quam sacerdotes docuerint. Sed tamen observandum est, non ita se agere Principem, quasi ad eum simplex tantum executio pertineat, sed causæ etiam cognitionem ad se trahere, ut videat, an ea, quæ proponuntur, consentanea sint sacræ scripturæ & canonibus antiquorum Conciliorum. Uno verbo, universa examinat in suo Consilio, pronuntiat, petitiones æquas esse, Ecclesiam Gallicanam reducit in suam antiquam libertatem quoad provisionem beneficiorum, decernit eam libertatem in posterum obtinere debere, ac consiliariis suis imperat hujus constitutionis executioni invigilare. Discrimen illud, quod intercedit inter deliberationes Ecclesiæ Gallicanæ & regias pariter observatum est in constitutione edita anno MCDXVIII. in qua Princeps profitetur, recipere se deliberationes Ecclesiæ regni sui per modum consilii: *Certas conclusiones per eos electas & tandem nobis ab eisdem per modum consilii relatas suscepissemus, approbassemus, & eas solide tenendas ac inviolabiliter observandas statuissemus.*

* *Monstra bien la puissance du Roy en telles matieres.*

Cap. 20. §. 12.

Cap. 22. num. 5.

Aussi en toute Chrestiente on eut bien failly à trouver de plus notables Clercs.

IX. Tandem anno MCCCCVIII. decreta est neutralitas, hoc est, decretum, ne alterutri Pontificum obedientia exhiberetur, non ei, qui Avenioni morabatur, neque etiam ei, qui Romæ habitabat. Interim Ecclesia Gallicana Parisiis congregata nonnulla statuta condidit, quibus præscripsit ordinem tenendum in dispensationibus, judiciis appellationum, & provisionibus beneficiorum, præside Archiepiscopo Senonensi, ob absentiam Patriarchæ Alexandrini. Magni momenti est ultima clausula: *Hæc omnia deliberata sunt, salvis juribus Coronæ Franciæ & libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, salva etiam debita sanctæ sedi apostolicæ reverentia & Domino Papæ futuro legitimo, clave non errante.* Statuta illa a Rege confirmata fuerunt. Et quamvis ejus constitutio de ea re non extet, hujus tamen confirmationis mentio extat in constitutione diei XVII. Aprilis MCDXVI. itemque in constitutione anni MCDXII. quæ ratas esse ac firmas sanciunt provisiones factas tempore neutralitatis: *A nous, qui sommes Gardien, Protecteur, & Defenseur des Eglises de nosdits Royaume & Dauphiné, & qui les statuts & ordonnances dessusdites faites audit Concile avons ratifiées & approuvées, appartient iceux & tout ce qui s'en est ensuivy faire tenir & garder sans enfreindre,* id est: *Ad nos, qui sumus Custos, Protector & Defensor Ecclesiarum dictorum nostrorum Regni & Delphinatus, quique statuta & ordinationes supradictas in dicto Concilio factas ratificavimus & approbavimus, pertinet, ipsas & quicquid ex eis secutum est sartas inviolatasque præstare & cavere, ne contra eas veniatur.* Concilium generale Pisa-

Cap. 14. Libert. Eccl. Gallic. num. 16.

Num. 21.

Pisanum habitum anno MCDIX. ea statuta approbavit; ut constat ex ejus decreto, quod extat in regestis Parlamenti.

Num. 22. X. Extincto tandem apud Constantiam schismate, ac Martino V. summo Pontifice electo, querelæ tamen Gallorum non desiere, quia Concilium non decreverat prohibitionem reservationum beneficiorum, neque pecuniarum exactionem vetuerat. Quapropter Rex coactus fuit definitivo decreto providere his rebus. Jam antea quidem anno MCDVI. statuerat ex sententia Concilii regni sui, ut Ecclesia Gallicana reduceretur in suam antiquam libertatem quoad electiones & collationes beneficiorum. Verum id decretum tantum fuerat interim valiturum, donec Concilium generale celebraretur. Sed cum videret nullum a Conciliis Pisano & Constantiensi remedium esse quæsitum, definitive pronuntiat. Reducens autem in perpetuum Ecclesias regni sui in antiquam suam libertatem decernit, ut provisiones beneficiorum fiant secundum antiqua Concilia, abolitis prorsus reservationibus & gratiis expectativis. Tum prohibet exactiones Romanæ curiæ. Quo loco duo quædam observanda sunt. Primum, constitutionem illam post extinctum schisma latam esse, cum data sit anno MCCCCXVIII. Alterum, integrum Ecclesiæ Gallicanæ Concilium non fuisse convocatum ad tractandum de editione hujus constitutionis; quæ decreta fuit in Consilio extraordinario Principis, in quo aderant Prælati quamplurimi, nonnulli Consiliarii Parlamenti Parisiensis, ac Doctores, Hæc sunt verba Constitutionis: *Præhabita deliberatione matura cum Prælatis quamplurimis & gentibus camerarum dicti nostri Parlamenti aliisque pluribus Doctoribus & Magistris de dicta Universitate Parisiensi, in ingenti numero, in camera dicti nostri Parlamenti de mandato nostro congregatis.* Eapropter verba, quæ sequuntur, addita sunt ad calcem hujus constitutionis: *Per Regem, ad relationem magni sui Consilii in camera Parlamenti tenti per Dominum Delphinum Viennensem.*

CAPUT XXXV.

De Conciliis regiis Gallicanis sub Carolo VII. & Ludovico XII.

S Y N O P S I S.

I. Carolus septimus Ecclesiam Gallicanam congregat Avarici Biturigum. In eo conventu examinantur decreta Concilii Basileensis, ac recipiuntur.

II. Publicam eorum acceptationem fieri postulat Ecclesia Gallicana. Tum condita Pragmatica sanctio. In ea emicant clara argumenta regiæ auctoritatis.

III. Gallorum Reges in coronatione sua pollicentur Episcopis protectionem & tuitionem jurium Ecclesiæ. Intelligendum id juxta veteres formulas; quæ explicantur. Jusjurandum Philippi primi Regis.

IV. Emicat item auctoritas regiæ protectionis in congregatione Ecclesiæ Gallicanæ habita Avarici Biturigum anno 1440.

V. Conventus Turonensis tractavit de capitulis a Rege Ludovico XII. propositis anno 1510. *de bello inferendo Papæ Julio. Responsa Ecclesiæ Gallicanæ spectanda sunt tanquam data ab iis, penes quos est auctoritas decernendi.*

I. CArolo dein septimo regnante Concilium Ecclesiæ Gallicanæ congregatum est Avarici Biturigum anno MCCCCXXXVIII. in eoque ad usum revocatæ sunt omnes regulæ supra a nobis observatæ. Concilium Basileense generale plurima decreta statuerat pro reformatione disciplinæ ecclesiasticæ, præsertim quoad provisionem beneficiorum & judicia causarum. Dein Legatos suos ad Regem & ad Ecclesiam Gallicanam misit oratum, ut ea decreta susciperentur & observarentur in Gallia. Rex vero ex sententia magni sui Consilii convocavit in urbem Biturigensem Archiepiscopos, Episcopos, insignia Capitula, Abbates, Decanos, Præpositos, & alios Prælatos ecclesiasticos, Magistros & Doctores in jure divino & humano, aliosque viros doctos academiarum, aliasque item personas regni & Delphinatus; quos omnes in magno numero congregavit in Capitulo sanctæ Capellæ Biturigensis. Congregationi præsidebat Carolus Rex, assidentibus ei primogenito ejus filio Ludovico Delphino Viennensi, Duce Borbonio, aliisque magnatibus, & viris eruditissimis in rebus ecclesiasticis & secularibus de magno suo Consilio: *In qua quidem solemni congregatione præsidentes, assistentibus nobis primogenito nostro Ludovico Delphino Viennensi, Duce Borbonio, aliisque magnatibus, proceribus, & viris peritissimis in ecclesiasticis & secularibus de magno Consilio nostro.* In ea congregatione auditi sunt a Principe Legati Eugenii IV. causam ejus orantes, tum etiam Legati synodi Basileensis. Post quæ Carolus utrorumque causam se præsente examinare jussit diversos Doctores. Cum autem ea discussa fuisset, ecclesiasticæ personæ repræsentantes Ecclesiam Gallicanam summa cura apud eum enarraverunt, quanta confusio in politiam ecclesiasticam introducta esset, cui, ut ipsi existimabant, abunde providerant decreta Concilii Basileensis, itaque consentire se acceptationi horum decretorum, alios quidem prout concepta erant, nonnullos cum modificationibus a se additis, eas porro modificationes non ea mente introductas fuisse, quasi dubitaretur de auctoritate eorum, qui decreta hæc condiderant, sed quia existimarunt eas congruere utilitati publicæ & consuetudini Ecclesiæ Gallicanæ.

II. Concilium itaque Biturigense censuit, suscipienda esse decreta illa, orandumque Regem, ut publica eorum acceptatio fieret, utque edicto sive Pragmatica Principis sanctione firmarentur, eorumque executio imperaretur curiæ Parlamenti & aliis officiariis. Tum omnes Episcopi & personæ ecclesiasticæ repræsentantes Ecclesiam Gallicanam humiliter Regi supplicarunt, ut rebus in congregatione decretis regium consensum adhiberet, easque cum effectu protegeret, jubens, ut inviolabiliter observentur. At Princeps de negotio isto deliberari jussit in magno suo Consilio, in quo aderant Principes regii sanguinis, quamplurimi magnates, & viri graves ecclesiastici & seculares. Considerans autem Carolus, sacerdotes teneri ad prædicandam veritatem, quam a Christo didicerunt, Regem vero ad ejusdem veritatis protectionem teneri, si sacris scripturis congruat, intelligens porro, post maturam deliberationem in Consilio suo habitam, supplicationem ac postulationem cleri justam esse & rationabilem ac decretis sanctorum patrum consentaneam, prædictas deliberationes ratas habuit, eisque consensum & auctoritatem suam adjunxit, præcipiens, ut eæ custodiantur & observentur & inter constitutiones regias describantur. Tum curiæ Parlamenti & aliis officiariis præcepit, ut eas inviolabiliter observari facerent a personis ecclesiasticis & secularibus, gravi pœna rebellibus irrogata. Singula, quæ hucusque diximus, colliguntur ex edicto, quod Pragmaticam sanctionem vocant. Ex eo enim discimus, Regem convocare Concilium regni sui, eique cum Consilio suo præsidere, causas præsente ac jubente eo tractari, deliberationes Ecclesiæ Gallicanæ non ante executioni posse mandari, quam Regis edicto firmatæ sint, examinari porro debere a Principe in Consilio suo, protectionemque executionis infractionumque castigationem delegari magistratibus regiis. Initio autem edicti Rex declarat, se ex officio, quod ipsi commune est cum universis Principibus, teneri ad conservationem cano-

num antiquorum patrum, ac præterea id sibi privatim incumbere ob promissionem sive jusjurandum, quod in coronatione sua juraverat, quas pariter causas attulerat Carolus VI. in constitutione edita anno MCDVI. de qua superius egimus.

III. Nam Reges nostri in coronatione sua pollicentur, se protectionem & tuitionem suam exhibituros juribus Ecclesiæ conservandis. Quod intelligendum est juxta veteres formulas, in quibus conservatur voluntas Episcoporum, qui petitionem hanc fecerant. Eorum autem mens non ea tantum est, ut bonorum suorum conservationem sibi a Principe promitti velint, aut libertatem celebrandi officia divina, sed præterea solliciti sunt de conservatione jurium & privilegiorum, quæ ad ipsos pertinent secundum canones. Ita enim docet formula jurisjurandi a Philippo primo emissi anno MLIX. cum consecratus est Rex vivente patre. Ea autem his verbis concepta est: *Ego Philippus Deo propitiante mox futurus Rex Francorum in die ordinationis meæ promitto coram Deo & sanctis ejus, quod unicuique * de vobis commissis canonicum privilegium & debitam legem atque justitiam conservabo & defensionem, quantum potero, adjuvante Domino exhibebo, sicut Rex in suo regno unicuique Episcopo & Ecclesiæ sibi commissæ per rectum exhibere debet, Populo quoque nobis credito me dispensationem legum in suo jure consistentem nostra auctoritate concessurum.* Formula illa descripta est, usque ad vocem *populo*, ex ea, quam Hincmarus Remensis Archiepiscopus obtulit Ludovico Balbo Caroli Calvi filio anno DCCCLXXVII. cum is apud Compendium coronatus & consecratus fuit; quæ extat in Capitulis Caroli Calvi a Sirmondo editis, quamque Reges semper usurparunt usque ad tempora Philippi primi. Ac licet dein ejus verba fuerint immutata, res tamen ipsa mansit. Sicut ante Ludovicum Balbum Reges eandem quidem promissionem faciebant, sed aliis verbis; ut constat ex promissione facta a Carolo Calvo anno DCCCLXIX. quando Rex Metis coronatus est in regno Glotharii: *Sciatis me — unicuique in suo ordine secundum sibi competentes leges tam ecclesiasticas, quam mundanas legem & justitiam conservare.*

* Legendum de vobis & Ecclesiis vobis commissis.

Vide appendicem actor. veter. post Lupum Ferrar. tom. VI. VII.

Tom. 2. Libert. Eccl. Gallic. §. 24.

IV. Alia quoque Ecclesiæ Gallicanæ congregatio juxta decretum Caroli VII. habita fuit Avarici Biturigum anno MCDXL. occasione schismatis in Ecclesia vigentis, in qua auctoritas protectionis regiæ singulariter emicat. Cum synodus Basileensis deposuisset Eugenium IV. & in ejus locum substituisset Amadeum Ducem Sabaudiæ, qui Felix quintus dictus est, Legati Eugenii & Concilii Basileensis auditi sunt a Rege coram Concilio Ecclesiæ Gallicanæ, quæ nonnullas conclusiones edidit in hac materia. De his ergo cum relatum esset Principi in suo magno Consilio, ipse eas *gratas & acceptas* habuit; & secundum eas constitutionem edidit, quæ ad Parlamentum missa est. Hujus constitutionis sententia hæc est. Regem lubenter auditurum Ecclesiam legitime congregatam. Quoniam vero multi viri sapientes & docti dubitabant, an depositio Eugenii & nova Felicis electio in Concilio Basileensi factæ juste ac canonice decretæ fuerint, & utrum Concilium illud sufficienter tunc repræsentaret Ecclesiam universalem, Principem persistere in obedientia Papæ Eugenii. Cum autem merita hujus causæ cognoverit, sive per Concilium œcumenicum, sive per congregationem Ecclesiæ Gallicanæ, quæ frequentior convocabitur cum Ducibus, Baronibus, & affinibus suis, aut per communem consensum Principum, tum amplexurum eum veritatem catholicam. Accidit autem, ut per ea tempora, interim dum schisma erat inter Papam Eugenium & Concilium Basileense, personarum ecclesiasticarum studia se diviserint; adeo ut nonnulli partes Concilii sequerentur, alii
Num. 25. Pontificis. Quoniam vero unius partis fautores & adhærentes excommunicabantur & beneficiis suis privabantur ab alia, unde horrenda confusio emergebat in regno, Carolus, tametsi Eugenio adhæreret, propria auctoritate (nulla facta mentione Concilii Ecclesiæ Gallicanæ, tametsi ea adesset in urbe Biturigensi) suspendit citationes, censuras, privationes, & inhabilitationes, sive a Papa sive a Concilio factas; & curiæ Parlamenti præcepit, ne pateretur eo prætextu personas ecclesiasticas perturbari in suis beneficiis, ut constat ex constitutione anni MCCCCXL.

Quas nobis in magno nostro Consilio relatas & per nos debite consideratas gratas & acceptas habendo etc.

V. Ecclesia Gallicana congregata Cæsaroduni Turonum a Ludovico XII. anno MDX. deliberavit de capitulis a Rege propositis, de necessitate nimirum belli gerendi adversus Julium II. Papam, ad prohibendas invasiones ejus, & de nullitate sententiarum, quas Julius postea ferre posset. Responsa Ecclesiæ Gallicanæ non spectanda sunt tantum velut responsa Doctorum, qui interrogantur de causa aliqua, quæ ad conscientiam pertinet, sed velut responsa data ab eis, penes quos est auctoritas decernendi circa materiam propositam. Quamquam necessaria futura erat auctoritas regia ad publicam eorum executionem. Num. 28.

CAPUT XXXVI.

Quod Princeps solus possit imperare executionem canonum, non expectata sententia Ecclesiæ, ostenditur.

SYNOPSIS.

I. An Princeps imperare possit solus executionem canonum, non expectata etiam sententia Ecclesiæ Gallicanæ. Id jus competere Principibus, probatur variis exemplis Imperatorum Christianorum.

II. In Gallia vero sanctus Ludovicus eo jure usus est. Quem ob hoc mire laudat Joannes Juvenalis de Ursinis.

III. Utuntur adhuc eo jure Reges Francorum. Magni momenti est edictum Caroli sexti latum anno 1418.

I. Quæri potest, an ex eo, quod suprema canonum protectio ad Regem pertinet, sequatur, eum jubere posse, ut observentur, non expectata etiam sententia Ecclesiæ Gallicanæ. Certum quidem est, earum constitutionum observationem fore sanctiorem, si conderentur cum generali cleri consensu; quoniam unusquisque eam rem obtinere modis omnibus cupit, quam ipse suo judicio comprobaverit. Nihilominus æque certum est, Regem ex sententia Consilii sui, quod auget aut minuit, prout ei lubet, posse latis edictis decernere, ut canones observentur, ac circumstantias & modos necessarios addere ad faciliorem eorum executionem, sive etiam ad veram eorum mentem explicandam, eosque accommodare ad utilitatem regni. Ad probationem autem hujus auctoritatis extant exempla omnium Imperatorum Christianorum, Constantini videlicet, Valentiniani, utriusque Theodosii, Arcadii & Honorii, Marciani, Leonis, Justiniani, Heraclii, Leonis Philosophi & Basilii.

II. In Gallia vero, inter Reges tertiæ stirpis emicat sanctus Ludovicus; qui propria auctoritate, nulla facta mentione congregationis Ecclesiæ Gallicanæ, celebre illud edictum tulit anno MCCLXVIII. quo pessumdantur novitates ab Ecclesia Romana per illas tempestates introductæ, & Ecclesia Gallicana revocatur ad observationem canonum. Joannes Juvenalis de Ursinis Archiepiscopus Remensis in oratione sua ad Regem Carolum septimum, quæ citatur in Notis ad historiam Caroli sexti ab eodem Joanne conscriptam, laudat hunc Principem ob editam Pragmaticam sanctionem. Dein addit: *Et n'estes pas le premier Roy, qui a fait telles choses. Car qui bien void l'Histoire de Philippes le Conquerant, il ordon-*

ordonna le mesme. Si fit S. Louis, qui est saint & canonizé. Et faut dire qu'il fit tresbien. Vostre pere & les autres les ont approveé, (id est. *Neque enim primus es inter Reges, qui istiusmodi constitutionem edideris. Nam & in historia Philippi Augusti legimus, ipsum similiter olim statuisse. Ejus vestigia assecutus est & sanctus Ludovicus, qui sanctus est & canonizatus. Affirmare autem decet, illum recte egisse. Pater tuus aliique eorum acta probaverunt.*)

III. Utuntur adhuc eo jure Reges Christianissimi. Nam licet tomos deliberationum cleri Gallicani recipiant, eæ tamen tantum spectantur velut consilium & * oratio ad Principem. Dein Rex decernit id, quod lubitum ipsi fuerit; sive respondendo in margine tomi, ut vulgo fieri consuevit; sive etiam per edictum, ut factum est in edicto Melodunensi anno MDLXXIX. & Parisiensi anno millesimo sexcentesimo sexto. Præterea Reges nostri condunt constitutiones pro ordinanda politia ecclesiastica, ad executionem canonum; neque ullam cujuslibet cœtus sententiam rogant, quam sui Consilii, quod ex personis ecclesiasticis & secularibus constat. Ævo Caroli VI. cum maxime frequentes erant congregationes Ecclesiæ Gallicanæ, facile abstinebatur a roganda earum sententia. Quare non inutiliter a me observatum est in capite superiori, prohibitionem perpetuam reservationum & gratiarum expectativarum, quæ adversus curiam Romanam facta est, decretam fuisse a Rege anno MCDXVIII. cum consensu sui magni Consilii, ad quod extraordinarie vocati sunt nonnulli Prælati & Proceres, & officiarii Parlamenti, ac plurimi Doctores ex academiis. Ceterum edictum illud ex eo capite magnificum est ad probandam auctoritatem regiam in protectione canonum, quod editum est post schisma tandem extinctum, & postquam his malis remedium adhibere recusaverat Concilium Constantiense, insuper habitis Gallorum postulatis. Porro, quod Ecclesia Gallicana anno MCCCCVI. fieri debere approbaverat, quamdiu schisma duraret, & donec Concilium generale celebraretur, id definitivo decreto Princeps decrevit post extinctionem schismatis.

* *Remonstrances.*

Per Regem ad relationem magni sui Consilii in camera Parlamenti per Dominum Delphinum Viennensem.

ADMONITIO STEPHANI BALUZII
de libro sequenti.

Editurus rursum librum septimum dissertationum de concordia sacerdotii & imperii, in quo agitur de judiciis canonicis Episcoporum, putavi, in antecessum præmittenda esse aliquot insignia loca veterum scriptorum, ex quibus constabit, materiam hanc esse difficilem, quod nemo audeat accusare majorem, cum manifesta crimina in Episcopo vix accipiant fidem, & quia, si convictus fuerit Episcopus, non punitur. Hinc enim fit, ut Episcoporum peccata interdum maneant impunita, tum etiam quia non convenit inter omnes, quænam jurisdictio sit competens ad ea castiganda.

Ex libello Precum Marcellini & Faustini Presbyterorum pag. 37.

Sed Clementinus, licet non esset Christianus, tamen exhibens reverentiam nomini episcopatus, id eo maxime homine, quem videbat rationabiliter & fideliter obtinere, respondit Osio, Non audeo, inquit, Episcopum in exilium mittere, quamdiu in Episcopi nomine perseverat.

Sanctus Hieronymus in caput octavum Ecclesiastis.

Possumus hoc testimonium accipere adversus Episcopos, qui acceperunt in Ecclesia potestatem, & scandalizant eos magis, quos docere & ad meliora debuerant incitare. Hi frequenter post mortem laudantur in Ecclesia, & beati in his, quæ non probabiliter fecerant, publice sive a successoribus sive a populis prædicantur. Et hoc itaque vanum est, quia non, ut egerunt, sic audiunt, nec statim corripiuntur in peccato suo. Nemo quippe audet accusare majorem. Propterea quasi sancti & beati & in præceptis Domini ambulantes augent peccata Peccatis. Difficilis est accusatio in Episcopum. Si enim peccaverit, non creditur. Et si convictus fuerit, non punitur.

Cassiodorus Senator lib. I. *Var. epist. IX.*

Manifesta crimina in Episcopo vix accipiunt fidem.

Sanctus Gregorius in libro I. *de cura pastorali cap.* II.

Nemo quippe amplius in Ecclesia nocet, quam qui perverse agens, nomen vel ordinem sanctitatis habet. Delinquentem namque hunc nemo redarguere præsumit; & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia ordinis peccator honoratur.

Citatur ex Augustino apud Burchardum lib. I. *cap.* 209. *sed male, cum sit sancti Gregorii.*

LIBER SEPTIMUS.

CAPUT PRIMUM.

De judiciis Eccleſiaſticis uniuſcujuſque provinciæ, eorumque ſumma auctoritate.

SYNOPSIS.

I. Neceſſitas agendi de depoſitione Epiſcoporum, quod ea materia indiligenter admodum tractata ſit, quamvis magni momenti eſſe videatur.

II. Epiſcopos vetus Eccleſia inſtituit in principalibus urbibus uniuſcujuſque regionis. Rerum omnium confirmatio tributa Epiſcopo metropoleos, ita tamen, ut eas componeret cum conſilio coepiſcoporum ſuorum. Itaque judicia eccleſiaſtica uniuſcujuſque provinciæ erant ſupremæ auctoritatis, nec ab eis provocare licebat.

III. Illuſtre hujus inſtituti exemplum extat apud Cyprianum in cauſa quorundam clericorum Africanorum. Cauſa illic audiri debet, ubi crimen eſt admiſſum, quod illic commodius haberi poſſint & accuſatores & teſtes.

IV. In cauſa Baſilidis & Martialis Epiſcoporum Hiſpaniæ conſultus Cyprianus reſpondit obtinere debere ſententiam ſynodi provinciæ Bæticæ, quæ Epiſcopos illos depoſuerat, & alios in eorum locum ſubſtituerat, neque habendam rationem communionis illis a Stephano Papa impenſæ.

V. At in cauſa Marciani Epiſcopi Arelatenſis, hæreſeos jam damnatæ ſectatoris, ſcribit Cyprianus, eum ſententiam accipere debere, non dicere, ac propterea deponendum. Egregia regula a Cypriano propoſita, ſi quis hæreſim facere & gregem Chriſti lacerare tentaverit.

VI. Magnifica ſunt Cypriani verba ad Stephanum Papam ſcribentis. Refelluntur Novatores, qui ea in diverſum trahunt. Notatur illuſtriſſimus Cardinalis Perronius, qui ex hoc Cypriani loco colligit, jus deponendi Epiſcopos pertinere ad ſolum Pontificem Romanum.

VII. Neceſſaria fuit illa loci Cyprianici explicatio, ut & noſtrorum & adverſariorum ſententia de hoc loco rectius ad veritatem redigi poſſet. Referuntur deinde Cypriani verba.

I. INter varias ac multiplices difficultates, quæ in explicanda veteri Eccleſiæ diſciplina occurrunt, nulla indiligentius tractata eſt, quam ea, quæ de Epiſcoporum depoſitione agit, cum tamen illa vel inter præcipuas referenda ſit. Nam hinc Innocentii III. effatum, qui ſcribit, materiam hanc jure divino ſedi apoſtolicæ reſervatam eſſe, obſtat, ne canonici juris interpretes, iique, qui ætate noſtra de fidei controverſiis tractant ad contrarias ſe cogitationes convertant. Illinc vero laici non accedunt ad inveſtigationem rerum in hac materia definitarum, quod illæ nullius ſint uſus in foro. Attamen multum refert altius ſcrutari, quæ fuerit veteris Eccleſiæ praxis; ut noſcamus, quænam juriſdictio ſit competens ad caſtiganda Epiſcoporum peccata, quæ aliquo modo impunita dimittuntur ob confuſionem hujus controverſiæ.

II. Verum ut melius intelligere poſſimus ordinem juriſdictionis epiſcopalis, neceſſe eſt, ut in anteceſſum ſtatuamus, Eccleſiam in initio ſe ad civilem Romani imperii diſpoſitionem accommodaſſe, Epiſcopoſque propterea conſtituiſſe in principalibus urbibus uniuſcujuſque regionis, primum vero locum & rerum omnium confirmationem tribuiſſe Epiſcopo metropoleos provinciæ, cum conſilio collegarum ſuorum. Ordinationes itaque Epiſcoporum & judicia eccleſiaſtica fiebant a ſynodo cujuſque provinciæ, cum auctoritate Metropolitani, adeo ut non liceret provocare a judicio lato in ſynodo provinciæ.

III. Illuſtre hujus inſtituti exemplum extat apud Cyprianum, qui Epiſcopus Carthaginenſis erat & caput provinciæ Africanæ; quæ tum, præter provinciam Carthaginenſem, complectebatur etiam Numidiam & duas Mauritanias. *Sed quoniam latius fuſa eſt noſtra provincia*, inquit, *habet enim Numidiam & Mauritanias duas ſibi cohærentes.* Cyprianus ergo, cum ex ſententia Concilii ſui a ſua communione rejeciſſet quoſdam clericos & quendam pſeudoepiſcopum hæreticorum, iraſcitur adverſus Cornelium Epiſcopum Romanum, quod cum illi Romam acceſſiſſent, hæſitaſſet aliquantulum Pontifex, an eos in communionem ſuam reciperet. Hanc ob rem Cyprianus apud Cornelium aperte diſſerit jura Epiſcoporum uniuſcujuſque provinciæ; quæ in eo verſantur, ut ad eos pertineat diſcuſſio judiciumque cauſarum & regimen gregis, rationem adminiſtrationis ſuæ Deo reddituros, neque licere Romam aliove appellare; neque enim minorem eſſe auctoritatem Epiſcoporum Africanorum, quam reliquorum, damnatos porro, ſi ad Cyprianum accedere voluerint, auditurum ſe lubenter, & pœnitentiam eorum amplexurum, ſi crimine ullo fuerint involuti. *Poſt iſta*, inquit Cyprianus, id eſt, poſt damnationem ſuam & ſchiſma, *navigare audent, & ad Petri cathedram & Eccleſiam principalem, unde unitas ſacerdotalis exorta eſt, a profanis & ſchiſmaticis literas ferre.* Infra: *Nam cum ſtatutum ſit omnibus nobis & æquum ſit pariter ac juſtum, ut uniuſcujuſque cauſa illic audiatur, ubi eſt crimen admiſſum, & ſingulis paſtoribus portio gregis ſit adſcripta, quam regat unuſquiſque & gubernet, rationem ſui actus Domino redditurus, oportet utique eos, quibus præſumus, non circumcurſare nec Epiſcoporum concordiam cohærentem ſua ſubdola & fallaci temeritate collidere, ſed agere illic cauſam ſuam, ubi & accuſatores habere & teſtes ſui criminis poſſint; niſi ſi paucis deſperatis & perditis minor eſſe videtur auctoritas Epiſcoporum in Africa conſtitutorum, qui jam de illis judicaverunt.* Infra: *Jam cauſa eorum cognita eſt, jam de eis dicta ſententia eſt.* Infra: *Si judicium noſtrum voluerint experiri, veniant. Denique ſiqua illis excuſatio & defenſio poteſt eſſe, videamus, quem habeant ſatisfactionis ſuæ ſenſum, quem afferant pœnitentiæ fructum.*

Vide lib. I. cap. 10. §. 8.

Cyprianus lib. 4. ep. 45.

Cyprian. lib. I. ep. 3.

IV. Ei fundamento nixus idem Cyprianus, ab Epiſcopis Hiſpaniæ conſultus in cauſa Baſilidis & Martialis Epiſcoporum, qui depoſiti fuerant ob crimen idololatriæ ab Epiſcopis provinciæ Bæticæ, (quæ tum complectebatur civitates Legionenſem, Aſturicenſem & Emeritenſem) quique Stephanum Papam fallentes geſtæ rei ac tacitæ veritatis ignarum, ab eo ſe in communionem recipi obtinuerant, conſultus, inquam, Cyprianus reſpondit, debere Epiſcopos Hiſpanos primo judicio firmiter adhærere, quandoquidem depoſitio facta erat ob juſtam cauſam, aliique Epiſcopi ordinati erant ab Epiſcopis provinciæ in loco depoſitorum.

Vide lib. 4. c. 5. §. 10.

V. Suprema illa auctoritas Conciliorum provincialium in judiciis faciendis non impediebat communicationem Epiſcoporum diverſarum provinciarum, qui ſe mutuo juvabant adverſus hoſtes Eccleſiæ. Sed præcipue emicuit vetuſtis illis temporibus eximia quædam ac principalis ſollicitudo Eccleſiæ Romanæ in decernendis cum conſilio aliarum ſynodorum provincialium remediis adverſus ſchiſmata & hæreſes. Conſtat id ex ſententia damnationis prolata adverſus Novatianum, auctorem ſchiſmatis & hæreſeos Novatianorum: qui damnatus fuit in Synodis Romana, Italica, & Africana, ut ſcribunt Hieronymus & Euſebius, & ab Epiſcopis totius orbis; *per totum orbem*

Hieron. de ſcriptor. eccleſ. in Cornelio. Euſeb. lib. 6. c. 35.

bem a sacerdotibus Dei abstento, ut ait Cyprianus. Marcianus Episcopus Arelatensis se factioni Novatiani adjunxerat. Episcopus Lugdunensis Faustinus & collegæ ejus, cum intelligerent, suæ jurisdictioni non subjacere Marcianum, eo quod in aliena provincia Episcopus esset, in Narbonensi nimirum, Stephanum Papam & Cyprianum per epistolas consuluerunt, quid facto opus esset. Agebatur de hæresi jam damnata. Ideoque Cyprianus ait, communem causam esse omnium Episcoporum, neque opponi posse discretionem provinciarum. *Idcirco enim*, inquit, *copiosum est corpus sacerdotum concordiæ mutuæ glutino atque unitatis vinculo copulatum, ut, si quis ex collegio nostro hæresim facere & gregem Christi lacerare & vastare tentaverit, subveniant ceteri, & quasi pastores utiles & misericordes, qui oves dominicas in gregem colligant.* Unde concludit, deponendum esse Marcianum, qui jam ab universis Episcopis damnatus erat, nimirum in persona Novatiani. *Ex quibus cum Marcianus esse cœperit, & se Novatiano conjungens, adversarius misericordiæ & pietatis extiterit, sententiam non dicat, sed accipiat; nec sic agat, quasi ipse judicaverit de collegio sacerdotum, cum ipse sit ab universis sacerdotibus judicatus.*

(Vide lib. 1. c. 10. §. 8.) (Cyprian. lib. 3. epist. 13.)

VI. Quoniam vero Cyprianus in epistola superius laudata agnoverat primatum Ecclesiæ Romanæ, dicens, eam esse Petri cathedram & Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, hanc primatus prærogativam Stephano Papæ conservat, dum eum monet, ut literas ad Episcopos in Galliis constitutos scribat, ne ulterius Marcianum eo prætextu tolerent, quod nondum Romæ neque apud Africam fuerit damnatus, cum Novatianus, cujus factioni se Marcianus conjunxerat, jam foret excommunicatus. Sed magnificum est, quod Cyprianus Stephanum hortatur, ut literas *in provinciam*, id est, ad Episcopos provinciæ Narbonensis, *& ad plebem Arelate consistentem* dirigat, quæ contineant abstentionem sive excommunicationem Marciani, jubeatque, ut alius in locum ejus substituatur. Judicium adversus Marcianum ab Episcopis Gallicanis constitutum erat, qui de eo Romanum & Carthaginensem Episcopos monent; isti vero communi consilio respondent, Marcianum esse damnatum. At potestas decernendi & pronuntiandi & plenissima executionis cura Pontifici Romano demandatur. Hoc exemplum imitata sunt Concilia Arelatense anno CCCXIV. & Sardicense anno CCCXLVII. in suis epistolis synodicis ad Silvestrum & Julium Pontifices Romanos, quibus plenissimam executionis rerum in his Conciliis judicatarum curam mandaverunt. Porro colligi potest ex verbis Cypriani, prærogativam illam ævo ejus in cathedra Petri constitutam fuisse, quod nulla industria novatores elevare possunt. Futilis enim est & Cypriani verbis adversa responsio illa, non deponi a Stephano Marcianum, sed ad plebem Arelate consistentem scribi æquum sibi videri, ut deponatur. At in contrariam partem frequentissime peccat illustrissimus Cardinalis Perronius in sua Replica: qui ex hoc Cypriani loco colligit, jus deponendi Episcopos ad solum Pontificem Romanum pertinere.

(Vide epistolam Marcæ ad Henr. Valesium §. 16.)

VII. Necessarium visum est, hunc Cypriani locum sincere & sedulo excutere, ut intelligi possit, quid magni conferat ad explicandam summi Pontificis auctoritatem. Hæretici enim nihil heic magnificum deprehendunt pro sedis apostolicæ dignitate. Nostri vero in ea epistola extare putant non obscura argumenta juris, quod Episcopo Romano quæsitum non erat ante hos octingentos annos. Hæc sunt verba Cypriani: *Quapropter facere te oportet plenissimas litteras ad coepiscopos nostros in Galliis constitutos, ne ultra Marcianum pervicacem & superbum & divinæ pietatis ac fraternæ salutis inimicum collegio nostro insultare patiantur, quod necdum a nobis videatur abstentus, qui jampridem jactat & prædicat, quod Novatiano studens & ejus pervicaciam sequens a communicatione nostra se segregaverit; cum Novatianus ipse, quem sequitur, olim abstentus & hostis Ecclesiæ judicatus sit.* Infra: *Dirigantur in provinciam & ad plebem Arelate consistentem a te litteræ; quibus abstento Marciano; alius in locum ejus substituatur.*

CAPUT II.

De supremis Synodorum provincialium judiciis, & sententiarum in his latarum retractatione in majoribus synodis auctoritate Principis suscipienda.

SYNOPSIS.

I. Supremam Conciliorum provincialium in deponendis Episcopis auctoritatem confirmavit Nicæna synodus & scripto mandavit. Antea enim consuetudine tantum agebatur.

II. Judicia Episcoporum eo canone Nicæno contineri, sensit secunda synodus œcumenica. Quid administrationis *vocabulo intelligant patres Constantinopolitani, qui administrationem sive gubernationem Ecclesiarum unicuique provinciæ mandatam dicunt a synodo Nicæna.*

III. Africani ad Cælestinum Papam scribunt, synodum Nicænam clericos omnes, atque adeo Episcopos, suis Metropolitanis apertissime commisisse.

IV. Clericorum omnium causas in synodo provinciæ terminandas secundum Nicænam synodum, scribit etiam Innocentius primus ad Victricium Episcopum Rothomagensem.

V. Episcoporum causas definitivo judicio terminandas esse, in synodo provinciali censuit Concilium Antiochenum. At si divisæ forent Episcoporum provincialium sententiæ, tum judices alios ex vicina provincia convocandos esse a Metropolitano. Concilium Antiochenum explicatur.

VI. Canon tamen duodecimus ejusdem Concilii detrahere videtur de suprema auctoritate Conciliorum provincialium. Permittit enim Episcopis damnatis, ut ad majus Concilium provocent. Proponitur conciliatio hujus ἀντινομίας. De retractatione sive revisione, quæ fiebat rescripto Principis. Edicta Præfectorum pretorio obnoxia non erant appellationi, sed revisioni tantum.

VII. Implorabantur etiam rescripta Principum adversus suprema synodorum judicia. Temperamentum huic consuetudini adhibuit canon duodecimus Antiochenus. Ecclesia non existimabat, jus illud Principum esse injustum.

VIII. Causa Athanasii & Marcelli Ancyrani retractata est in Concilio Sardicensi post judicia diversarum synodorum, permissu Impp. Constantii & Constantis. Probatur ex epistola synodica ad Julium Papam, quæ explicatur.

IX. Photinus hæreticus a synodo Sardicensi damnatus Constantii Imperatoris auctoritatem imploravit, ut causam suam retractari obtineret, quod impetratum est, felici eventu pro veritate fidei.

X. Cyrillus Episcopus Hierosolymitanus in synodo Palæstinæ damnatus provocavit ad majorem synodum absque rescripto Principis, quam novitatem redarguit Socrates. Postea tamen rescriptum Constantii impetravit, cujus auctoritate causa retractata est in Concilio Seleuciensi. Notatus Cardinalis Perronius.

XI. Chrysostomus in synodo ad Quercum depositus, accusationes de integro judicari in synodo postulat ab Arcadio Imperatore. Et synodus quidem congregata est, sed infelici prorsus eventu.

XII. Arcadius dein & Honorius Impp. vetuerunt, ne Episcopi damnati ad Principes accedant, neve rescripta impetrent. Ex quo capite probatur etiam Principum auctoritas in decernenda revisione.

XIII. Galli quoque per eas tempestates censebant, supremam esse synodorum provincialium auctoritatem in deponendis Episcopis. Probatur ex Concilio Agrippinensi adversus Euphratam.

XIV. Probatur etiam ex Concilio Parisiensi adversus Saturninum Episcopum Arelatensem.

I. CONsuetudo illa, quæ Conciliis uniuscujusque provinciæ supremam Episcoporum ordinandorum aut deponendorum potestatem tribuit, scripto tradita est & firmata canone quinto Concilii Nicæni, in quo sic habetur: *De his, qui communione privantur, seu ex clero, seu ex laico ordine, ab Episcopis per unamquamque provinciam, sententia regularis obtineat, ut hi, qui abjiciuntur, ab aliis non recipiantur.* Infra: *Placuit annis singulis per unamquamque provinciam bis in anno Concilia celebrari; ut communiter omnibus simul Episcopis provinciæ congregatis discutiantur hujusmodi quæstiones.* Canon ille confirmat auctoritatem cujusque provinciæ in judicandis definitivo decreto causis ecclesiasticis, quæ ad clericos aut laicos spectant; & per consequentiam, idem jus statuitur quoad correctionem & depositionem Episcoporum, tametsi casus ille disertis verbis non extet in canone. Sane dubitari non potest, quin hic canonis sensus sit & ea mens, ut in generali hac lege comprehendantur judicia adversus Episcopos, cum eorum mentionem alias nusquam faciat synodus Nicæna.

II. Præter argumentum illud extat aperta & expressa auctoritas Concilii secundi œcumenici, itemque Africani Concilii & Innocentii primi Papæ; quorum ea est sententia, ut judicia Episcoporum eo canone Nicæno contineri existiment. Canon quippe secundus Concilii CP. œcumenici aperte testatur administrationem & gubernationem Ecclesiarum hoc canone Nicæno mandatam esse unicuique provinciæ. Administrationis vero vocabulo patres Constantinopolitani comprehendunt judicia adversus Episcopos æque ac alia politiæ & regiminis ecclesiastici capita, quemadmodum accurate explicabo in capite quinto hujus libri.

III. Manifestissima est Concilii Africani sententia ad probandam scriptionem meam. Facile est colligere ex verbis patrum illius Concilii, eos paria sensisse cum Cypriano, cum eadem ferme verba usurpent in causa simili. Sic enim ajunt in epistola ad Cælestinum Papam: *Decreta Nicæna sive inferioris gradus clericos sive ipsos Episcopos suis Metropolitanis apertissime commiserunt. Prudentissime enim justissimeque viderunt, quæcunque negotia in suis locis, ubi orta sunt, finienda, nec unicuique provinciæ gratiam sancti spiritus defuturam.*

IV. Eidem interpretationi favet Innocentius primus ad Victricium Episcopum Rothomagensem scribens, viamque aperit ad veram interpretationem canonis sexti Nicæni, quem superiori adjungit, ut jura sedis apostolicæ conservet, quæ confirmantur in hoc canone, ut iis summus Pontifex utatur secundum vetustam consuetudinem, qua de re paulo inferius agam occasione Concilii Sardicensis. Innocentii verba hæc sunt in epistola ad Victricium cap. III. *Si quæ autem causæ vel contentiones inter clericos tam superioris gradus quam etiam inferioris fuerint exortæ, placuit, ut secundum Nicænam synodum, congregatis omnibus ejusdem provinciæ Episcopis, judicium terminetur. Nec alicui liceat (sine præjudicio tamen Romanæ Ecclesiæ, cui in omnibus causis debet reverentia custodiri) relictis his sacerdotibus, qui in eadem provincia Dei Ecclesiam nutu divino gubernant, ad alias convolare provincias.*

V. Eadem veritas colligi potest ex canonibus Concilii Antiocheni, quod habitum est anno trecentesimo quadragesimo primo, cujusque auctoritas recepta fuit in Concilio Chalcedonensi, & dein in Ecclesia universa. Concilium enim illud cupiens prorsus tollere difficultates, quæ persæpe occurrebant in executione Concilii Nicæni quoad depositiones Episcoporum, iis verbis utitur, quæ aperte docent definitivum judicium ad synodum uniuscujusque provinciæ pertinere. Supremæ huic auctoritati innititur canon XV. quo definitur, sententiam ex omnium Episcoporum provinciæ suffragiis latam rescindi non posse ab aliis Episcopis: *Si quis Episcopus de certis criminibus accusatus condemnetur ab omnibus Episcopis ejusdem provinciæ, cunctique consonanter eandem contra eum formam decreti protulerint, hunc apud alios nullo modo judicari, sed firmam concordantium Episcoporum provinciæ manere sententiam.*

Eam sententiarum convenientiam exigit Concilium Antiochenum, ut eatur obviam querelis eorum, qui judiciis in synodo factis ægre patebant, quando judicum sententiæ diversæ erant, eoque prætextu manebant in suis episcopatibus, favore urbium adjuti, in quibus instituti erant. Casus ergo ille divisionis sententiarum componitur in canone Antiocheno XIV. in quo decretum est, ut Metropolitanus ante ullius sententiæ pronuntiationem vicinæ provinciæ Episcopos convocet, ut una cum iis de accusatione cognoscat, decernatque, quod justum fuerit. Hæc sunt verba canonis: *Si quis Episcopus de certis criminibus judicetur, & contingat, de eo provinciales Episcopos diffidere, cum judicatus ab aliis innocens creditur, reus ab aliis, pro totius ambiguitatis absolutione sanctæ synodo placuit, ut Metropolitanus Episcopus a vicina provincia judices alios convocet, qui controversiam tollant, ut per eos simul & per provinciales Episcopos, quod justum visum fuerit, approbetur.*

Hi canones Antiocheni abunde probant, judicia Episcoporum fieri olim solita suprema Episcoporum comprovincialium auctoritate, etiamsi ob diversitatem sententiarum necesse esset, convocare nonnullos ex Episcopis vicinæ provinciæ. Quod non fiebat ea mente, ut appellatio quæpiam aut revisio adversus primum judicium judicaretur, cum illud nondum factum esset, & cum e contra illud supersederi debere visum fuerit, postquam unusquisque sententiam prompserat. Igitur conventus hic extraordinarius fiebat, ut primum decretum conderetur, cum retractando locus non erat.

VI. Attamen dissimulandum non est, sibi in speciem repugnare Concilium Antiochenum. Quippe hi canones, quos protulimus, jubent, ut judicia adversus Episcopos facta a synodo provinciæ suprema sint, adeo, ut ab iis non liceat provocare. Et tamen canon duodecimus ejusdem Concilii permittit Episcopis damnatis in synodo provinciæ, ut ad majus Episcoporum Concilium provocent, in quo rursus judicium feratur de accusatione. Unde colligi videtur, idem judicium esse supremum & appellationi obnoxium. Hæc sunt verba canonis duodecimi Antiocheni: *Si quis a proprio Episcopo Presbyter aut Diaconus, aut a synodo fuerit Episcopus forte damnatus, & Imperatoris auribus molestus extiterit, oportet ad majus Episcoporum converti Concilium, & quæ putaverint habere justa, plurimis Episcopis suggerant, eorumque discussiones ac judicia præstolentur. Si vero hæc parvipendentes molesti fuerint Imperatori, hos nulla venia dignos esse, nec locum satisfactionis habere, nec spem futuræ restitutionis penitus operiri.*

Conciliatio horum canonum pendet, ut ego quidem existimo, a praxi illarum tempestatum; quæ interpretibus Græcis, atque etiam Latinis, ignota fuit. Ea autem versabatur in auctoritate, quam Imperatores possidebant, concedendi videlicet rescripta pro revisione supremorum judiciorum, sive illa civilia essent, sive ecclesiastica. Nam edicta Præfectorum prætorio obnoxia non erant appellationi, sed revisioni tantum, si eam is, qui causa ceciderat, fieri peteret libello in eam rem oblato

Impe-

Imperatori. Diserta sunt verba legis Impp. Diocletiani & Maximiani: *Litigantibus in amplissimo prætorianæ præfecturæ judicio, si contra jus se læsos affirment, non provocandi, sed supplicandi licentiam ministramus.* Remedium illud in lege ult. *Cod. de appellat.* & alibi vocatur *retractatio*, vel *ἀναψηλάφησις*. Illud litigantibus concessit Imp. Justinianus in Novella CXIX. cap. V. jubens, ut libellum ea de causa offerant Præfectis prætorio aut eorum Assessoribus; atque eo modo exsolvit illos necessitate implorandi rescriptum Principis, ut antea fiebat, quemadmodum constat ex legibus Codicis.

L. 16. C. de sentent. Præf. præt.

L. un. C. de sentent. Præf. præt. & l. 5. C. De precib. Imp. offer.

VII. Implorabantur etiam rescripta Principum adversus suprema synodorum judicia. Cui consuetudini temperamentum adhibet canon duodecimus Antiochenus; ut his quidem omnis spes restitutionis adimatur, qui postquam damnati fuerint, preces Imperatori obtulerint, ut ejus auctoritate restituantur, eorum vero causa per revisionem retractetur, qui ab Imperatore obtinuerint, ut novum Concilium habeatur, ad quod major Episcoporum numerus accedat.

Plurima haud dubie hujus juris imperatorii exempla suppetunt, quæ probant, Principes concessisse rescriptis suis retractationem judiciorum in synodis factorum. Verum omnia recensere inutile fuerit. Quapropter satis erit nonnulla eaque magni momenti adnotare; ex quibus constabit, Ecclesiam non existimasse jus illud fuisse injustum.

VIII. Primum itaque exemplum petitur a Concilio Sardicensi; quod de judiciis a synodis Tyria, Antiochena & Constantinopolitana adversus Athanasium Episcopum Alexandrinum & Marcellum Ancyranum latis cognovit permissu Impp. Constantii & Constantis, qui eorum causam retractari concesserant. Ingenue id fatetur ipsa synodus in epistola synodica ad Julium Papam scripta, quæ edita est inter Fragmenta Hilarii: *Tria fuerunt, quæ tractanda erant. Nam & ipsi religiosissimi Imperatores permiserunt, ut de integro universa discussa disputarentur, & ante omnia, de sancta fide, & de integritate veritatis, quam violaverunt. Secunda de personis, quas dicebant esse dejectas de iniquo judicio; ut si potuissent probare, justa fieret confirmatio &c.* Ubi fortasse legendum, *non iniquo judicio*. Eo Imperatorum permissu se synodus Sardicensis tuebatur adversus orientalium conquestionem, qui ajebant, judicia a suis prædecessoribus fato functis facta non posse retractari. *Non erat fas eorum, qui jam cum Deo sunt, sententiam refricare*, ut inquiunt orientales in sua epistola synodica. Ex ea porro epistola colligi potest usus, qui tum apud Episcopos invaluerat auxilium Principum implorandi adversus judicia Episcoporum. Nam cum occidentalibus obtulissent, consensuros se, ut *ex utroque Concilio* legati in Ægyptum mittantur ad noscenda Athanasii crimina, eam conditionem addunt, consentire se damnationi suæ, si calumniam ei impactam fuisse constiterit, ac præterea, ut ipsis præcludatur omnis via implorandi præsidium Imperatorum, aut Concilii, vel etiam cujuspiam Episcopi. Petunt tamen, ut, si aliter evenerit, eadem conditione teneantur Athanasii fautores. *Si falsa*, inquiunt, *inventa fuerint, quæ Concilio nuntiavimus, ipsi damnemur, nec Imperatoribus, nec Concilio, nec cuiquam Episcopo conqueramur.*

IX. Secundum exemplum extat apud Epiphanium. Scribit enim in hæresi LXXI. (quæ est Photinianorum) Photinum a synodo Sardicensi damnatum velut novæ hæreseos auctorem, Constantii Imperatoris auctoritatem implorasse, ut causam suam retractari obtineret, & ut ostenderet, iniquo se judicio fuisse depositum. Constantius itaque octo Comites, id est, Consiliarios suos delegavit, qui una cum Concilio orientalium, quod an. CCCLVII. congregatum est in urbe Sirmiensi, causam ejus judicarent, suscepta a Basilio Episcopo Ancyrano cura convincendi impietatis & hæreseos propositiones Photini. Hujus porro delegationis adeo felix eventus fuit, ut damnatio hujus hæretici illic confirmata fuerit; cujus acta ad Imperatorem missa sunt; quæ item authentica secum detulit Basilius, & Comites item qui judicio intererant.

X. Tertium exemplum subministrat Socrates; qui libro II. cap. XXXIX. scribit, Imperatorem Constantium, quum anno CCCLIX. Concilium orientalium apud Seleuciam congregasset, diversas ad eos literas scripsisse; cum in istis præciperet, ut primum de causa fidei tractaretur, in aliis vero juberet, ut causæ Episcoporum ante omnia judicarentur. At quod in capite sequenti ait Socrates, de Cyrillo Hierosolymorum Episcopo loquens, nullum dubitandi locum relinquit. Fuerat is depositus ab Acacio Episcopo Cæsareæ Metropolitano suo in synodo provinciæ Palæstinæ; a qua provocavit ad majus Concilium, oblato judicibus libello appellationis. Adnotat Socrates, primum omnium Cyrillum contra consuetudinem & canonem ecclesiasticum appellationem usurpasse ad eum morem, qui in foro obtinet: *τοῦτο μὲν ἓν, μόνος καὶ πρῶτος παρὰ τὸ σύνηθες τῷ κανόνι ἐκκλησιαστικῷ Κύριλλος ἐποίησεν, ἐκκλήτοις ὡς ἐν δημοσίῳ δικαστηρίῳ χρησάμενος*. Unde colligere possumus, nondum receptam ea ætate fuisse appellationem a minori synodo ad majorem, neque a provinciali ad patriarchalem. Nam Concilium Antiochenum, quod novemdecim ante annis celebratum fuerat, quam Seleuciense haberetur, non tribuebat facultatem appellandi ab una synodo ab aliam. Unica ei mens fuit præscribere, quandonam deposito liceret Principis rescriptum ad majus Concilium impetrare ad obtinendam revisionem, quæ primos judices non vetabat secundo judicio interesse. Nihilominus Cyrillus simpliciter appellavit ad majus Concilium; appellationemque suam primis judicibus denuntiavit, cum mos postulare videretur, ut rescriptum Principis impetraret. Expostulatio itaque adversus eum facta ei prorsus similis est, quæ adversus eum fieret, quem Parlamenti consultum damnasset, si is scripto provocaret, judicibusque appellationem suam denuntiaret; qui potius sibi providere deberet impetratis literis cancellariæ, quas vocant, & proposita erroris exceptione. At Cyrillus ultra progressus est. Nam præter innovationem ab eo introductam, rescriptum quoque Constantii obtinuit secundum morem: quo causa eadem retractari jussa in Concilio Seleuciensi, cujus auctoritate restitutus est Cyrillus. Hunc autem Socratis locum ea de causa accuratius explicare placuit, quod vir eruditissimus ejus sensum non bene ceperit, ut neque canonis Antiocheni.

Card. Perron. c. 35. Replicæ.

XI. Quartum exemplum peti potest ex damnatione sancti Joannis Chrysostomi: qui cum in synodo ad Quercum, suburbium id est Chalcedonis, depositus fuisset a Theophilo Episcopo Alexandrino, in exilium actus est ab Imperatore, revocatus tamen ab eo paulo post. At is, tametsi revocatus fuisset, ægre ferens judicium adversum se latum, tametsi nullitatibus plenum & erroribus, Arcadii Augusti præsidium expetiit, rogans, ut synodum congregaret, in qua omnes accusationes de integro judicarentur: *Mox obsecrabamus Christianissimum Regem, ut Concilium ageret, quo facta hæc justificarentur*, ut ipse ait in epistola ad Innocentium. Et Concilium quidem illud convocatum est, sed infelici eventu quoad causam magni hujus viri.

Vide infra c. 9. hujus libri.

XII. Præter ea argumenta validum quoque testimonium ad probandam veterem illam Principum auctoritatem sumi potest ex lege, quæ prohibuit, ne deinceps hic mos usurparetur. Ea extat in Codice Theodosiano, ubi Impp. Arcadius & Honorius edicunt, ut Episcopi depositi in synodo collegarum suorum pellantur in exilium, si quid adversus sententiam in illos latam, aut contra publicam tranquillitatem tentaverint. Præterea diserte

damna-

damnatis Episcopis inhibent, ne ad Principes accedant, neve rescripta impetrent; quæ nulla esse pronuntiant iidem Augusti, si eorum Episcoporum damnatio peracta sit justam ob causam. *Quicumque residentibus sacerdotibus fuerit episcopali loco detrusus & nomine, si aliquid vel contra sententiam vel contra quietem moliri fuerit deprehensus, rursusque sacerdotium petere, a quo videtur exclusus, procul ab ea urbe, quam indignus infecit secundum legem divæ memoriæ Gratiani centum millibus vitam agat.* Infra: *Sit hujusmodi personis tenore præsentis legis inlicitum sacra nostra adire secreta & impetrare rescripta. Omnia dejectis per culpam sacerdotio personis, quæ impetrata sunt, infecta permaneant.*

Lex illa Gratiani extat in appendice cod. Theodos. p. 24.

XIII. Manet itaque sententia a me paulo ante prolata, judicia nempe in synodis provincialibus lata adversus Episcopos appellationi obnoxia non fuisse secundum antiquos canones, tametsi revisioni locus esset, si ita Princeps rescripto juberet. Obtinebat ea consuetudo non solum in oriente, sed etiam in Gallia; ut constat ex iis, quæ Valerianus Episcopus Antissiodorensis disseruit in synodo Agrippinensi, quæ anno CCCXLVI. habita est adversus Euphratam illius civitatis Episcopum. Eum quinque Episcopi deposuerant propter hæresim. Primi vero judices optarunt, ut damnatio ab ipsis decreta confirmaretur & approbaretur a majori Episcoporum Gallicanorum numero. Eam itaque ob causam Metropolitanos octo provinciarum evocarunt ad Coloniam Agrippinam, Treverensem nimirum, Arelatensem, Lugdunensem, Vesontionensem, Moguntinum, Remensem, Senonensem & Rothomagensem; qui eo accesserunt *ad postulatum fratrum*, ut ipsi ajunt. In eo Concilio Valerianus dixit, validam esse depositionem a quinque illis Episcopis decretam, neque necessarium prorsus fuisse, ut nova hæc congregatio fieret. *Valerianus Episcopus dixit: Etsi non omnes conseniores, hic apud Agrippinam Dei voluntate, qui sumus adunati, convenissemus, suffecerat a quinque Episcopis Euphratam blasphemum, quia Christum Deum negat, pro meritis suis sententiari* (*) *eodem jure esse depositum.* Infra: *Ideo eundem censeo juste esse depositum.* Idipsum luculentius probant verba Amandi Episcopi Argentoratensis in eodem Concilio, quæ sic habent: *Amandus Episcopus dixit: Siquidem in præsenti, quando Euphrata a quinque Episcopis sententiam accepit, me inter ipsos fateor esse consentaneum, qui epistolis meis ad eundem deponendum consensi, secundum falsam doctrinam ipsius, qui Christum Dominum Deum negat, merito in ipsum sententiam collatam esse constat, ad cujus damnationem consentio.*

(*) Legendum *eoque jure esse depositum.*

XIV. Saturninum Episcopum Arelatensem Gallicani Episcopi in synodo Parisiensi excommunicarunt anno CCCLXII. qui, nulla mentione facta confirmationis a Romano Pontifice decretæ, synodicam suam epistolam miserunt ad Episcopos orientis. Significant, se inter excommunicatos reponere Auxentium & reliquos Episcopos, quos excommunicatos fuisse scripserant Episcopi orientales; tum denuntiant excommunicatum a se fuisse Saturninum Arelatensem. *Saturninum, qui statutis salubribus impiissime contradixit, secundum fratrum nostrorum geminas jam literas excommunicatum ab omnibus Gallicanis Episcopis charitas vestra cognoscat; quem & vetera, dissimulata jamdiu licet, crimina & cetera edita epistolis suis nova temeritatis irreligiositas indignum Episcopi nomine esse fecerunt.*

CAPUT III.

De translato jure decernendi revisiones in Episcopum Romanum, ut & de Concilii Sardicensis historia.

S Y N O P S I S.

I. Synodus Sardicensis jus illud imperatorium, nempe decernendi revisiones, transfudit in Episcopum Romanum.

II. Ei synodo occasionem dedit causa Athanasii in synodo Tyria & Antiochena damnati. Attamen Julius Episcopus Romanus eum in suam communionem recepit, spreta orientalium intercessione.

III. Cum ex ea contradictione schisma immineret inter Ecclesias, Imperatores Concilium convocarunt apud Sardicam. Res tamen in divortium abiit, eo prætextu, quod Episcopi occidentales publice reciperent Episcopos dejectos.

IV. Synodus Sardicensis dejectos sedibus suis restitui postulavit a Constantio, quod ille imperavit. Synodica epistola Concilii Sardicensis nullam mentionem facit canonum apud Sardicam conditorum.

V. Inquiritur, an Concilium Sardicense sit œcumenicum. Convocatio ejus ea mente facta est, ut esset œcumenicum. Verum, ob divortium, censeri tantum potest occidentale, quo modo illud vocant Hilarius & Epiphanius.

VI. Huic Concilio debetur prima origo juris Summi Pontificis, quoad depositiones Episcoporum. Nihil tamen statuit adversus supremam synodorum provincialium auctoritatem. Concessit enim tantum jus decernendi revisionem. Revisio autem multum differt ab appellatione. Sed hinc nata errandi occasio, quod synodus Sardicensis improprie utatur verbo appellandi & provocandi.

VII. Decernere igitur poterat Episcopus Romanus causæ retractationem; remisso videlicet integro judicio ad Episcopos provinciæ; & ad finitimos. Revisio non impediebat, quin sententia depositionis mandaretur executioni.

VIII. Novam esse hanc institutionem, probatur ex Osio Cordubensi, qui synodo præsidebat.

IX. Perturbatus est ordo canonum Sardicensium.

X. Canon tertius Episcopo Romano tribuit jus decernendi revisionem aut eam denegandi. Quartus vero prohibet, ne quis ordinetur in loco dejecti, donec apud apostolicam sedem determinatum fuerit, an revisio concedenda sit. Sed non præcipit supersedendum esse interim depositione.

XI. Septimus edicit, ut, si revisio concedenda sit, Episcopus Romanus det judices ex vicina provincia, qui causam retractent, cum primis judicibus. Tum posse illum mittere Legatum, qui synodo præsideat.

XII. Interpretes Græci non ceperunt sensum horum canonum. Contendunt enim, licere Episcopo damnato rursum appellare a judicio Episcoporum, quos Pontifex Romanus delegaverit, quod falsum est. Rectum hoc loco vidit Hincmarus.

XIII. Leges civiles prohibent, ne judex appellationis causam remittat in provincias, quod fraudi fuit Balsamoni; cum non intelligeret, in Concilio Sardicensi non agi de appellatione, sed tantum de retractatione. Explicantur ambages Balsamonis.

XIV. Explicatio canonum Sardicensium, proposita ab auctore, petita est ex Hincmaro in epistola ad Joannem VIII. nomine Caroli Calvi scripta.

XV. Canon Sardicensis non vetat, quin damnatus possit etiam implorare auxilium Principis.

XVI. Indicatur discrimen auctoritatis imperatoriæ & ejus, quæ tributa est Episcopo Romano in Concilio Sardicensi.

XVII. Referuntur ipsa verba canonum Sardicensium.

I, Ca-

I. CAnone itaque Nicæno firmata est, uti diximus, suprema synodorum provincialium auctoritas in ferendis judiciis: quæ temperata fuit rescriptis Principum, qui revisiones causarum fieri præcipiebant. Hinc novæ regulæ data occasio, quam Sardicense Concilium condidit anno CCCXLVII. qua transfusa est in Episcopum Romanum potestas illa, quæ Imperatoribus competebat, concedendi revisiones hujuscemodi; eo tamen adhibito temperamento, quod infra adnotabitur in explicatione canonum hujus Concilii, postquam ejus celebrandi causas exposuero.

II. Ei occasionem subministravit causa sancti Athanasii Episcopi Alexandrini. Quippe eum Episcopi orientales, qui factionis erant Eusebii Nicomediensis Episcopi, vel quos artificiis ille suis incautos decipiebat, in synodis Tyria & Antiochena damnaverant. Contra Julius Episcopus Romanus in synodo Romana, quæ ex Episcopis Italiæ constabat, Athanasium recipit in communionem suam, insuperhabita intercessione orientalium, qui Romam miserunt decretum damnationis adversus Athanasium decretæ. Hæc ergo, ut dixi, occasio fuit celebrandi Concilii.

Vide supra lib. 2. cap. 15. §. 5.

Sozom. lib. 3. cap. 11.

III. Nam Imperatores Constantius & Constans, cupientes extinguere schisma ea occasione emergens, literis suis Concilium convocarunt apud Sardicam, quæ Illyrici civitas erat, in imperio occidentali sita & in confinio Thraciæ, quæ ad imperium orientis pertinebat. Convocatum illud fuit ex magnis provinciis utriusque imperii; sed numerus Episcoporum coercitus est ad octoginta ex unoquoque imperio. Cum orientales Sardicam convenissent, occidentalibus se conjungere noluerunt, neque cum eis corpus Concilii constituere, probabili in speciem argumento. Declararunt enim, ferre se non posse, ut Athanasium & Marcellum Ancyranum communione sua publice honestarent occidentales, quod de retractanda eorum excommunicatione ageretur, deque eorum depositione a superioribus synodis decreta; cujus judicii executio retardari non poterat eo prætextu, quod Concilium Romanum eosdem Episcopos in suam communionem suscepisset, cum ea ipsi auctoritas non competeret. *Nos enim omnino illis communicare noluimus, nisi eos, quos damnavimus, projecissent, & dignum honorem Concilio orientis tribuerent*, inquiunt illi in sua epistola synodica. Quoniam vero occidentales eis morem in hac parte gerere recusabant, arrepta est protinus ab orientalibus occasio divortii, quod probe intelligerent, fieri non posse, quin calumniæ Athanasio impactæ detegerentur; ideoque noctu aufugerunt in Thraciæ urbem Philippopolim. Illic actiones Concilii sui continuarunt sub nomine Concilii Sardicensis adversus occidentales; quemadmodum isti Sardicæ, quo synodus convocata fuerat, eam continuarunt adversus auctores factionis orientalium.

IV. Constabat synodus illa Sardicensis ex octuaginta Episcopis occidentis, ac præterea ex aliquot Eusebianis, qui, agnoscentes dolos & malam fidem sociorum suorum, secessione ab eis facta, legitimo conventui adhæserunt. Hæc ergo synodus, quæ Sardicæ constitit, Athanasium & Marcellum sedibus suis restitui jussit. Restitutionem autem illam scriptis quaquaversum synodicis epistolis significavit Imperatoribus, Julio Episcopo Romano, Ecclesiæ Alexandrinæ, & universis Episcopis Ecclesiæ catholicæ. Constantius a fratre suo Constante & a legatis veri Concilii Sardicensis rogatus rescripto jussit, ut Athanasius aliique Episcopi, qui dejecti fuerant sedibus suis, restituerentur. Ac licet Constans factione Magnentii tyranni tum occisus fuisset, Constantius, tametsi inimicis Athanasii aperte faveret, Episcopos tamen sedibus suis reddi procuravit. Interim dum hæc agebantur, Athanasius ex urbe Roma in orientem, ubi Constantius morabatur, accedens, indeque Alexandriam profectus, synodicam de restitutione sua epistolam

De cade Constantis apud Helenam, fuse Marca in lib. 1. Marcæ Hispanica.

subscribi obtinuit a CCCXLIV. Episcopis ex oriente aut occidente. Epistola porro illa nihil aliud continet præter restitutionem Episcoporum & causas, ob quas eam fieri synodus decreverit, tum depositionem nonnullorum Episcoporum factionis orientalium, nulla interim mentione facta canonum apud Sardicam conditorum.

V. Historiam Concilii Sardicensis heic per aversionem describendam esse existimavi; quoniam observatio illa, quæ verissima est, & colligitur ex variis locis Athanasii & Hilarii, valde conducit ad decidendam celebrem illam controversiam, quam illustrissimi Cardinales Baronius & Perronius summa cura tractant, an videlicet Concilium Sardicense sit œcumenicum. Hac vero quæstione semel definita, facilis esse videtur responsio, an XXI. canones in Sardicensi synodo editi ejusdem auctoritatis sint ac Nicæni. Cui quæstioni respondeo, convocationem hujus Concilii ea mente factam esse, ut Concilium œcumenicum celebraretur, id est, compositum ex legatis omnium Diœceseon & magnarum provinciarum imperii orientalis & occidentalis, intra quorum limites Ecclesia Christiana pene coercebatur. Sed quia divortium ante contigit, quam Concilium foret constitutum ex Episcopis utriusque imperii, res in eo definitæ spectari non possunt, nisi tanquam a Concilio occidentali decretæ, quandoquidem decretæ sunt absentibus Episcopis orientalibus. Sane sanctus Hilarius Episcopus Pictaviensis, qui tum vivebat, itemque Epiphanius, Concilium illud Sardicense vocant Concilium occidentalium. Nam quod ad CCCXLIV. Episcopos attinet, referri numerus ille non potest ad eos tantum, qui Concilio interfuerunt, sed etiam ad eos, qui restitutioni Athanasii subscripserunt post celebrationem Concilii.

Vide sup. lib. 2. cap. 15. §. 5.

Hilar. in lib. adversus Constantium. Epiphanius hær. 71.

VI. Huic tamen Concilio debetur prima origo juris summi Pontificis quoad judicia canonica Episcoporum. Quamquam si rem propius introspiciamus, neque canonum verba egrediamur, manifestum erit, nihil illic statutum esse adversus supremam synodorum provincialium auctoritatem canone Nicæno firmatam. Fateor equidem, hactenus universis persuasum fuisse, repertam esse in synodo Sardicensi legem de appellationibus adversus Episcoporum judicia, easque a summo Pontifice judicandas esse ex præscripto hujus Concilii. Verum ut ab ea persuasione recedam, facit, quod a me observatum est, nempe jus tantum concedendi revisionem a synodo Sardicensi introductum esse in gratiam sedis apostolicæ & in quoddam velut detrimentum auctoritatis imperatoriæ. Hæc interpretatio mea est: quam cum aliquot viris doctis aperuissem, eam illi suffragio suo comprobarunt. Discrimen quippe est inter appellationem & revisionem. Illa namque integram causæ cognitionem transfert ad judicem superiorem, qui quæstionem excutit & definit in suo tribunali. At revisio definitivum judicium relinquit priori jurisdictioni, ea ratione, ut prioribus judicibus novi etiam adjungantur, ut constat ex quadam constitutione Græca, quam Cujacius restituit in suis Observationum libris. Sed huic persuasioni, quam dixi, occasionem dedit ipsa synodus Sardicensis, quæ vocibus *appellandi & provocandi* improprie utitur, quod retractatio vicem subeat appellationis. Unde factum, ut sequens ætas existimaverit, in his canonibus agi de vera appellatione, juxta propriam hujus vocis significationem.

VII. Attamen jus in ea synodo quæsitum Episcopo Romano diversum prorsus est a judicio appellationis, cum nihil aliud ei concessum sit, quam ut decernere possit causæ retractationem. Quippe synodus statuit, ut, si Episcopus damnatus Pontificem Romanum appellaverit, in potestate ejus sit appellationem respuendi, quo pacto sententia Episcoporum provinciæ confirmabitur, aut eam admittendi. Quo casu debet Episcopus Romanus judicium integrum remittere ad Episcopos provinciæ

& ad

& ad finitimos, ut illi causæ cognitionem suscipiant præsente Legato summi Pontificis si is existimaverit mittendum esse. Præterea appellationis ea vis est, ut priore interim sententia supersedendum sit. Quod aliter obtinet in revisione. Nam confugium illud ad apostolicam sedem non impediebat, quin interim sententia depositionis executioni mandaretur.

Vide supra in addit. ad cap. 16. lib. 2.

VIII. Hujus autem juris novam esse institutionem, probant verba canonis. *Si placet vobis* (inquit Osius Cordubensis Episcopus, qui synodo præsidebat) *sancti Petri Apostoli memoriam honoremus*. Non ait, confirmandam esse antiquam traditionem, quemadmodum fieri consuevit in negotiis, quæ renovatione tantum aut explicatione juris antiqui indigent.

IX. Institutio porro illa continetur in tribus canonibus apud Dionysium Exiguum & apud Cresconium in Breviario canonum, tertio videlicet, quarto & septimo. Transpositi sunt tamen haudubie hi canones; removendique ab hoc loco sunt quintus & sextus, qui de materia prorsus diversa tractant, ut tertius, quartus & septimus simul collocentur. Quod eo ordine fieri potest, ut ponantur V. VI. & VII. quemadmodum citantur in collectione Ferrandi Diaconi; vel III. IV. & V. ut habet collectio Græca.

X. Unusquisque eorum canonum, quos ex collectione Dionysiana ab Ecclesia Romana recepta proferam, quiddam speciale continet, quod in aliis non habetur. Quippe tertius jubet, ut, si quispiam Episcopus existimet sibi justam causam suppetere postulandi, ut negotium retractetur, primi judices ad Episcopum Romanum scribant, ut, si retractandi locus erit, is judices donet; si vero secus ei visum fuerit, res constitutæ suum robur obtineant. Itaque hic canon Episcopo Romano tribuit supremam auctoritatem decernendi revisionem aut eam denegandi, dato insuper jure delegandi novos judices. Canon autem quartus vetat, ne in locum Episcopi dejecti alius substituatur, donec causa fuerit in judicio Episcopi Romani determinata. Vis pontificiæ auctoritatis continetur hoc canone. Ejus porro sensus hic est, ut velit non ante ordinari posse Episcopum in loco depositi, quam determinatum fuerit apud apostolicam sedem, an revisio concedenda sit dejecto, atque adeo supersedendum esse interim, quoad hoc, executione judicii facti in provincia. Nihil tamen hujusecemodi vetat quoad depositionem damnati, quam nihilominus peragebant, ut ostendam in capite vigesimo primo. Quamquam canon quintus & septimus Concilii Sardicensis id satis manifeste docent.

XI. Septimus ergo canon præscribit ordinem judiciorum, postquam ab Episcopo Romano concessa fuerit revisio, atque ita agendum esse, eo casu, ut summus Pontifex donet judices ex vicina provincia, qui causam retractent cum prioribus judicibus; tum, ut Pontifex Legatum quoque mittere possit Concilio præfuturum, si ipsi visum fuerit, aliquem esse mittendum. Revisio hæc omnino similis est *propositioni*, quam vocant *erroris* adversus decretum Parlamenti, quæ rescripto Principis instituitur: cui definiendæ interesse debent priores judices, itemque par novorum judicum numerus, ac præterea duo.

XII. Interpretes Græci Zonaras & Balsamo, qui commentarios ediderunt in hos canones Sardicenses, itemque Harmenopulus in Epitome canonum genuinum eorum sensum non ceperunt: Contendunt enim, licere Episcopo damnato rursum appellare a judicio lato ab Episcopis, quos Pontifex Romanus delegaverit. Rationem autem hujus opinionis Balsamo petit ex canone quarto; tametsi is additio tantum sit ad tertium, ad supersedendum videlicet executione primæ sententiæ, ut ipsa canonis verba indicant. Id sane vidit Hincmarus: qui post laudatos canones tertium & septimum synodi Sardicensis, quarti synopsin his verbis expressit: *Interim tamen alter Episcopus non ordinetur*. At Zonaras, quem sequitur etiam Balsamo, secundam hanc appellationem institutam putat his verbis septimi canonis: *Quod si is, qui rogat causam suam iterum audiri*. Et tamen certum est, ea verba respicere tantum ad primum judicium.

Hincmar. ep. 5. cap. 8.

XIII. Hæret autem Balsamoni aqua ex eo, quod, cum legibus Principum prohibitum sit, ne judex appellationis causam remittat in provincias, hi tamen canones decernunt, ut Pontifex Romanus judices donet in provinciis. Itaque eo confugit, ut dicat, *præsentem canonem esse specialem & ita editum esse propter viæ longitudinem, & ne vexentur Episcopi in adeo longinquam & alienam regionem trahendi*. At gravius laborat idem Balsamo in explicatione judicii secundæ appellationis, quæ rursum committitur judicibus delegatis ex provincia finitima ei, a cujus judicio appellatum fuit. Quod adversum est legibus; ideoque Balsamo id dictum esse putat *specialius*; nisi si quis dicere velit, secundos judices non esse eosdem cum primis. *Si autem dixeris*, inquit, *alios esse Episcopos, qui sententiam tulerint, nihil invenies repugnans*. Sed lapsus heic non esset Græcus iste interpres, si animadvertisset, novum istud judicium institutum non esse ad judicandam appellationem, sed ad retractandum negotium, neque duas in una eademque causa appellationes introduci ab his canonibus, sed tantum expostulationem.

XIV. Sed illud monendum est, non esse me inventorem hujus interpretationis canonum Sardicensium. Eam quippe hausi ex illustri quodam loco Hincmari Remensis Archiepiscopi. Scribit is in epistola ad Joannem VIII. Papam, quæ nomine Caroli Calvi Imperatoris scripta est, auctoritatem a Concilio Nicæno tributam synodis provincialibus ad judicandos Episcopos violatam non esse, sed potius confirmatam in synodo Sardicensi, quæ præcipit, ut causa Episcopi depositi terminetur in ejus provincia, secundum sententiam nimirum eorum Episcoporum, qui ipsum prius judicaverant, itemque Episcoporum, qui in finitima provincia commorantur, coram Legato summi Pontificis: *Cujus sanctæ synodi* (Nicænæ) *constitutionem Sardicenses canones non convellunt; qui cum Pontificis Romani Vicario vel arbitrio causam Episcopi in provinciali synodo judicati, etiam Episcoporum arbitrio, vel judicio, qui eum judicaverunt, cum Episcopis, qui in finitima & propinqua provincia sunt, præcipiunt terminari; quatenus sive in manenda sive in immutanda sententia, juxta canones Nicænos, commune sit placitum*.

Epist. Caroli Calvi ad Joannem VIII. cap. XI.

XV. Sane vix credi potest, tam promptos ac faciles fuisse Episcopos, ut statim & absque ulla contradictione consenserint, exui se suprema auctoritate, quam possidebant, ut judicia sua simplici appellationi submitterent. Facilius eis persuaderi poterat, ut approbarent, tribui Episcopo Romano jus concedendi revisionem adversus eorum judicia, id est, jus Imperatoribus quæsitum communicari cum Pontifice Romano, eaque ratione paulatim ac sensim sine sensu adimi Imperatoribus. Neque enim Concilium in universum id jus ademit Principibus; ut colligere possumus ex verbis canonis septimi, quæ sic habent: *Si appellaverit, qui dejectus est, & confugerit ad Episcopum Ecclesiæ Romanæ*. Verbis quidem illis conditionalibus datur damnato facultas implorandi auxilium Episcopi Romani. Verum id non impedit, quia etiam possit adire Imperatorem, cujus auctoritatem in hac materia satis manifeste agnoscit synodica epistola Concilii Sardicensis paulo ante laudata.

XVI. Magnum tamen discrimen intercedit inter jus, quod Imperatoribus competebat & illud, quod Romano Pontifici tribuitur. Imperatores enim, cum retractari negotia præcipiebant, majus Concilium congregabant; ad quod evocabant Episcopos ex diversis provinciis, prout eis libuerat. At canones Sardicenses modum adhibent auctoritati Episco-

Episcopi Romani; cui nihil aliud licere volunt, quam ut novos judices donet Episcopos ex vicina provincia, qui una cum prioribus judicibus intersint renovationi Concilii & judicii. Nam Episcopi provinciales, qui judicium tulerunt, interesse debent secundo judicio, ut docet synodus ipsa in canone tertio his verbis, *Concilium renovetur, renovetur judicium*, itemque in septimo, *renovetur examen*. Unde nil mirum, si Dionysius Exiguus in lemmate hujus canonis retractandi vocabulum usurpat: *De provinciali synodo retractanda per vicarios Episcopi urbis Romæ, si ipse decreverit*. Vox autem illa, ut jam adnotatum est, revisioni competit.

XVII. Post explicatam mentem canonum Sardicensium, reliquum est, ut ipsa eorum verba describamus.

Canon III. *Osius Episcopus dixit:* —— *Quod si aliquis Episcopus judicatus fuerit in aliqua causa, & putat, se bonam causam habere, ut iterum Concilium renovetur, si vobis placet, sancti Petri Apostoli memoriam honoremus, ut scribatur ab his, qui causam examinarunt Julio Romano Episcopo. Et si judicaverit, renovandum esse judicium, renovetur & det judices. Si autem probaverit, talem causam esse, ut non refricentur ea, quæ acta sunt, quæ decreverit, confirmata erunt. Si hoc omnibus placet. Synodus respondit: Placet.*

Can. IV. *Gaudentius Episcopus dixit: Addendum, si placet, huic sententiæ, quam plenam sanctitate protulisti, ut cum aliquis depositus fuerit eorum Episcoporum judicio, qui in vicinis locis commorantur, & proclamaverit, agendum sibi negotium in urbe Roma, alter Episcopus in ejus cathedra, post appellationem ejus, qui videtur esse depositus, omnino non ordinetur, nisi causa fuerit in judicio Episcopi Romani determinata.*

Canon VII. *Osius Episcopus dixit: Placuit autem, ut, si Episcopus accusatus fuerit, & judicaverint congregati Episcopi regionis ipsius, & de gradu suo eum dejecerint, si appellaverit, qui dejectus est, & confugerit ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ, si justum putaverit, ut renovetur examen, scribere his Episcopis dignetur, qui in finitima & propinqua provincia sunt, ut ipsi diligenter omnino requirant, & juxta fidem veritatis definiant. Quod si is, qui rogat, causam suam iterum audiri, deprecatione sua moverit Episcopum Romanum, ut e latere suo Presbyterum mittat, erit in potestate Episcopi, quid velit, & æstimet. Et si decreverit, mittendos esse, qui præsentes cum Episcopis judicent, habentes ejus auctoritatem, a quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si vero crediderit, Episcopos sufficere, ut negotio terminum imponant, faciet, quod sapientissimo consilio judicaverit.*

CAPUT IV.

Utrum canones Sardicenses recepti fuerint per universam Ecclesiam, disquiritur.

SYNOPSIS.

I. Inquiritur, an canones Sardicenses recepti fuerint per universam Ecclesiam. Probabile non est, tam bonos fuisse orientales, ut solius Romani Pontificis auctoritatem sua superiorem esse confiterentur. Nam schisma adversus illum recenter fecerant.

II. Contendebant ea tempestate orientales, res in oriente judicatas non posse retractari in occidente. Probatur ex epistola Concilii Antiocheni ad Julium. Neque contradicit absolute Julius; sed facto Athanasii inhæret. Ait tamen, nihil adversus statuta Nicæni Concilii tentari, si quæ synodus quæpiam statuit in posteriore retractentur.

III. Recepit quidem Julius Athanasium & reliquos Episcopos in suam communionem, non tamen eis Ecclesias suas restituit, nisi per consequentiam. Sozomenus explicatus.

IV. Verba Julii ac Sozomeni hactenus male intellecta fuerant, ideoque explicanda fuerunt accurate.

V. Orientales Sardicæ congregati secessionis suæ causas rejiciunt in occidentales, eo quod illi cognoscere vellent de causis orientalium. Probatur ex synodica eorum epistola.

VI. Occidentales aliter censebant, quam orientales. Julius scripsit depositiones Episcoporum Ecclesiarum apostolicarum, ac præcipue Alexandrinæ, fieri non posse in oriente inconsulta sede Romana. Explicantur verba Julii adversus detortas aliorum interpretationes.

VII. Magna erat per illas tempestates dignatio Ecclesiarum apostolicarum, ad quarum doctrinam hæreticos provocant antiqui patres. Unde fiebat, ut Episcopis illarum Ecclesiarum incumberet necessitas arctissimæ communionis.

VIII. Sed præcipue causas Episcoporum Alexandriæ ad sedem apostolicam ante omnia referendas esse, juxta consuetudinem, contendit Julius; qui consuetudini tribuit exemplum semel usurpatum. Notatur Cardinalis Perronius, & refutatur.

IX. Orientales iniquo animo ferunt, Maximum Episcopum Constantinopolitanum, a secunda synodo dejectum, Romam esse profectum, ut illic causam suam refricari procuraret. Itaque soluta tunc est Ecclesiarum communio. Quæ res magnam sollicitudinem attulit occidentalibus. Quid ii sibi arrogaverint in causa Maximi.

X. Si canones Sardicenses recepti tum fuissent, inventa erat occasio, qua revocarentur in usum. Sed eorum ne verbum quidem in epistola occidentalium, qui nihil aliud contendunt, quam ut una cum orientalibus cognoscere possint de causa Maximi.

XI. Referuntur verba epistolæ Concilii Italiæ ad Theodosium.

I. EXaminandum deinceps nobis incumbit, an canones Sardicenses recepti fuerint per universam Ecclesiam. In antecessum autem adnotandum est, iniquum omnino visum esse orientalibus, si occidentales Episcopi etiam in plenario Concilio tentarent retractare judicia in synodis orientalibus facta, quod eo pacto harum synodorum auctoritatem violari manifestum esset. Itaque vix credi potest, eos ita comparatos fuisse, ut solius Romani Pontificis auctoritatem sua superiorem esse confiterentur; præsertim cum schisma recenter adversus illum fecissent, eumque ob hoc excommunicassent, quod caput esset eorum, qui leges ecclesiasticas pessumdederant: *Ut ducem & principem malorum, qui primus januam communionis sceleratis atque damnatis aperuit, ceterisque aditum fecit ad solvenda jura divina.* Vide lib. 1. c. 4. §. 1.

II. Orientales enim, per illas tempestates, regulam hanc certam & indubitatam ecclesiasticæ disciplinæ esse contendebant, res in oriente judicatas retractari non posse in occidente, nec e contra; Ita namque affirmavit Concilium Antiochenum in epistola ad Julium Papam: in qua Episcopi adferunt exemplum damnationis Pauli Samosateni ab Episcopis orientalibus decretæ, quam occidens recepit consensuque suo firmavit absque novo examine; sicut etiam oriens recepit & approbatione sua confirmavit damnationem a synodo occidentali decretam adversus Novatum. At Julius Papa respondens huic epistolæ Concilii Antiocheni, non contradicit absolute, supremam esse Conciliorum orientalium auctoritatem, sed Athanasii tantum facto inhæret explicandoque judicio, quod adversus eum latum fuerat in synodo Tyria. Ait enim, illud esse irritum, quod adversus Athanasium Presbyterumque ejus Macarium testimonia absentibus illis recepta fuerint a judicibus delegatis apertissimis Atha- Epistola Julii, apud Athanas. apol. 2.

Athanasii hostibus & ab eo ejuratis; ideoque judicium illud integrum non fuisse, sed tantum ἐκ μονομεροῦς; ex quo sequeretur, illud executioni non esse mandandum. Cum itaque Athanasium in suam communionem susceperit, nihil se canonibus adversum egisse, quoniam sententia excommunicationis nulla erat. Quibus addidit momenta ex visceribus causæ petita, falsitatem nimirum accusationis probatam auctoritate actorum, quamplures orientis Episcopos a communione sua non abstinuisse Athanasium, tametsi damnationis sententia in eum lata fuisset; tum nolle Episcopos orientales in unum convenire, quamvis per legatos consensissent, ut Papa Julius universos Episcopos Romam evocaret pro discutienda causa Athanasii. Ait postremo, nihil adversus statuta Nicæni Concilii tentari, si, quæ synodus quæpiam statuit, in posteriore retractentur. Alludit autem ad synodum Alexandrinam, cui centum Episcopi interfuerant, in qua damnatus fuit Arius; cujus causa de integro discussa est in Concilio Nicæno.

III. Sed adnotandum est, non dicere Julium, redditas a se fuisse Ecclesias Athanasio & reliquis Episcopis. Nam ea erat quæstio principalis; quæ reservata erat cognitioni synodi, quam Julius convocaverat rogantibus orientalium legatis; tametsi negarunt dein orientales, id se legatis suis dedisse in mandatis. Sane iidem orientales in sua epistola synodica sub nomine Concilii Sardicensis edita illud tantum conqueruntur, receptos a Julio in communionem Athanasium & reliquos Episcopos damnatos: *Ad Julium Romam perrexit, sed & ad Italiæ quosdam ipsius partis Episcopos; quos seducens per epistolarum falsitatem, ab eisdem perfacile in communionem receptus est.* Quare cum

Sozom. lib. 3. c. 7. Διὰ δὲ ἀξίαν τοῦ θρόνου ἑκάστῳ τὴν ἰδίαν ἐκκλησίαν ἀπέδωκεν.

legis apud Sozomenum Julium recepisse in suam communionem Athanasium ac reliquos Episcopos & unicuique eorum Ecclesiam suam reddidisse, ob curam videlicet universalis Ecclesiæ, quæ ei incumbit propter dignitatem sedis suæ, existimare debes, restitutionem illam Ecclesiarum non fuisse factam directe, sed per consequentiam, eo quod Episcopi illi a Julio in communionem recepti fuerint velut Episcopi hujus & hujus sedis. *Hominemque non condemnaremus, sed reciperemus, eumque pro Episcopo, quemadmodum est, haberemus*, inquit Julius in epistola ad orientales apud Athanasium.

IV. Necessarium esse arbitratus sum discussionem præcipuorum capitum hujus epistolæ, quod ea, æque ac verba Sozomeni, perperam hactenus accepta sint ab iis, qui ea laudavere. Contendunt quippe factum Julii, quod nihil aliud est, quam velut quoddam obsequii genus ad retinendam communionem, a suprema ejus jurisdictione profectum esse, atque illum ea auctoritate cassasse judicia Conciliorum orientalium.

V. Orientales Sardicæ congregati pertinaciter adhærent sententiæ Concilii Antiocheni; causasque secessionis suæ rejiciunt in occidentales, qui adversus veterem Ecclesiæ consuetudinem cognoscere vellent de causis orientalium. Sic enim ajunt in epistola sua synodica, quæ habetur in Fragmentis Hilarii: *Hanc novitatem moliebantur inducere, quam horret vetus consuetudo Ecclesiæ, ut in Concilio; orientales Episcopi, quod forte statuissent, ab Episcopis occidentalibus, refricaretur; similiter quicquid occidentalium partium Episcopi, ab orientalibus solveretur. Verum omnium Conciliorum juste legitimeque actorum decreta firmanda majorum nostrorum gesta consignant. Nam in urbe Roma sub Novato & Sabellio & Valentino hæreticis factum Concilium ab orientalibus confirmatum est; & iterum in oriente sub Paulo Samosateno quod statutum est, ab omnibus est signatum.*

Sed quænam fuerit orientalium mens, manifeste docet epistola Imperatoris Constantii data ad Concilium Ariminense, quod constabat ex Episcopis occidentis. *Non enim*, inquit, *de orientalibus Episcopis in Concilio vestro patitur ratio aliquid definiri. Proinde super his tantum, quæ ad vos pertinere cognoscit gravitas vestra, tractare debetis.* Infra: *Quæ cum ita sint, adversus orientales nihil statuere vos oportet; aut si aliquid volueritis contra eosdem prædictis absentibus definire, id, quod fuerit usurpatum, irrito evanescet effectu. Non enim illa vires habere poterit definitio, cui nostra statuta testantur jam nunc robur & copiam denegari.*

VI. Negari certe non potest, quin aliter ea tempestate visum sit occidentalibus. Verum longe aberant ab opinione eorum, qui nostra ætate tractarunt de controversiis fidei, qui pronuntiant, appellationes Episcoporum orientalium judicandas esse apud urbem Romam a summo Pontifice. Nituntur illi, ut ipsi existimant, præjudicio epistolæ Julii Papæ, quæ extat apud Athanasium, cujus sensum detorquent ad mentem suam, cum tamen ex ea constet, jura sedis apostolicæ temperamento quodam prudenter adhibito per eas tempestates explicari solita. Nihil enim aliud ab orientalibus exigebant Julius & Romana synodus, quam ut causæ Ecclesiarum apostolicarum, in primis vero Alexandrinæ, quoties de depositione Episcoporum earum sedium ageretur, cum Papa & synodo Romana communicarentur, antequam synodi orientales cognitionem de iis instituerent, ut communi consensu componi possent magnæ Ecclesiæ. Quod si post judicium orientalium querela manifestæ oppressionis deferretur ad synodum occidentalem, tum retractandum esse negotium in Concilio occidentalium & orientalium. Unde constat, in ea epistola non agi de appellatione, sed de prima tantum causæ cognitione, aut revisione, neque excitatam controversiam de omnibus Episcopis, sed de iis tantum, qui apostolicis Ecclesiis præsiderent, in primis autem de Alexandrino, ac tamen judicium reddi non debere a solo Episcopo Romano cum Episcopis occidentalibus, sed ab Episcopis occidentis & orientis in unam sententiam conspirantibus. Ista enim colliguntur ex epistola Julii, qua orientales objurgat in causa Athanasii Episcopi Alexandrini & Marcelli Ancyrani, quos orientis Concilia damnaverant inconsulto Episcopo Romano. *Oportuit*, inquit, *scribere omnibus nobis, ut ita ab omnibus, quod justum esset, decerneretur. Episcopi enim erant, & non vulgares Ecclesiæ, qui ista patiebantur, sed quas ipsi Apostoli suamet opera ad fidem instruxerat. Cur igitur, & in primis de Alexandrina civitate, nihil nobis scribere voluistis? An ignari estis, hanc consuetudinem esse, ut primum nobis scribatur, ut postea, quod justum est, definiri possit. Quapropter si isthic hujusmodi suspicio in Episcopum concepta fuerat, id huc ad nostram Ecclesiam referri oportuit.*

Baronius, Bellarminus & Perronius in variis capitibus Replicæ.

Vide addit. ad cap. 12. lib. 5.

VII. Magna erat per illas tempestates dignatio Ecclesiarum apostolicarum, id est, earum Ecclesiarum, quas Apostoli fundaverant, Alexandrinæ nimirum, Antiochenæ, Ephesinæ, Ancyranæ, quæ metropolis erat Galatiæ, Corinthiensis in Achaja, Thessalonicensis in Macedonia, in primis vero Romanæ, quam principes Apostolorum sanguine suo consecraverant. Hinc factum, ut, quoties Irenæus, Tertullianus, Optatus & Augustinus novitatem objiciunt hæreticis, adducant discrimen, quod intercedit inter novam eorum doctrinam & traditionem Ecclesiarum apostolicarum, præcipue autem Romanæ; ac præterea adversus hæreticos adferunt successionem personarum & doctrinæ illarum Ecclesiarum. Unde fiebat, ut Episcopis illis incumberet necessitas arctissimæ communionis, scriptis videlicet ultro citroque communicatoriis epistolis pro conservatione fidei.

VIII. Quamobrem, cum ageretur de causa Athanasii Episcopi Alexandrini & Marcelli Ancyrani in Galatia, quorum Ecclesiæ erant apostolicæ, æquum prorsus videbatur, ut accusatio adversus eos instituta judicaretur ab Episcopis occidentis & orientis. Sed in primis causam Athanasii urget Julius; adfertque consuetudinem jam introductam, a Dionysio

Athan. de sent. Dionysii

nysio

nysio nimirum Episcopo Alexandrino, quem cum clerici ejus hæreticum esse suspicarentur, & ob id querelam adversus eum detulissent ad apostolicam sedem, ipse accusationem hanc purgavit scripta ad summum Pontificem epistola. Unde concludit Julius, monendum se fuisse, si quid suspicionis exortum esset Alexandriæ adversus Athanasium. Huc enim tendit oratio Julii; jus vero suum arcessit a facto Dionysii. Ceterum causam judicari debere scribit ab omnibus, παρὰ πάντων, non autem a se solo. Quare merito reprehendendus est illustrissimus Cardinalis Perronius, qui verum Julii Papæ sensum dissimulat in sua Replica; locum vero hunc mutilat, omittens de industria, quicquid sequitur post illa verba, *Episcopi enim erant*, quod sequentia parum conducerent ad extollendam summi Pontificis auctoritatem. Tum prætextu versionis obscuræ, ex Græco textu in primis conatur elicere sensum prorsus contrarium destinatis Julii. His enim significari ait, nihil in causa Athanasii definiri posse, quin prius definitum fuerit ab Ecclesia
Ap. Athanas apol. 2. Romana. Hæc sunt verba Græca: ἢ ἀγνοεῖτε ὅτι τοῦτο ἔθος ἦν, πρότερον γράφεσθαι ἡμῖν, καὶ οὕτως ἔνθεν ὁρίζεσθαι τὰ δίκαια. *An ignari estis*, inquit Julius, *hanc consuetudinem esse, ut primum nobis scriba-*
Vide supra lib. 5. cap. 12. §. 1. 2. *tur, ut hinc, quod justum est, definiri possit?* Attamen certum est, nihil aliud ex his verbis elici posse, quam eam esse Ecclesiæ Alexandrinæ consuetudinem, ut primum ad summum Pontificem scribatur, ut *dein*, ἔνθεν, decerni possit, quod æquum videbitur, id est, communi omnium suffragio, ut antea dixerat. Ceterum heic observandum est, satis audacter Julium tribuere consuetudini exemplum semel usurpatum.

IX. Si quis vero in dubium revocare velit interpretationem epistolæ Julii a me propositam, quoad jus, quod sibi vendicabant occidentales, is, mea sententia, cedere saltem debet auctoritati Concilii Italici, cui interfuit sanctus Ambrosius Mediolanensis Episcopus. Scribunt hujus Concilii patres in synodica ad Imperatorem Theodosium epistola, Maximum, qui Constantinopoleos Episcopus fuerat ordinatus, cum in synodo Constantinopolitana, quæ est secunda universalis, depositus fuisset, captata occasione Concilii generalis, quod Imperatores Romam convocaverant, ad apostolicam sedem accessisse, ibique expostulasse de sua depositione ac de Nectarii ordinatione in locum suum, attamen occidentales, tametsi Maximum in suam communionem recepissent, nihil quoad episcopatum decernere voluisse absentibus Episcopis orientalibus, qui Constantinopoli substiterant pro celebranda synodo. *Nos igitur in synodo ea*, inquiunt, *quæ totius orbis Episcopis videbatur esse præscripta, nihil temere statuendum esse censuimus*, angi se nihilominus, quod ex ea causa interrupta esset Ec-
De causa Maximi vide supra lib. 5. c. 21. clesiarum communio, orientales enim cum intellexissent, Maximum Romam esse profectum, ut illic causam suam refricari procuraret in synodo, ad quam universi orbis Episcopi invitati erant, nolle ad eam accedere. Tum adferunt vetustam consuetudinem usurpatam ab Athanasio, Petro Alexandrino, & a plerisque orientalium Episcopis; qui judicium expetierant, non solum Ecclesiæ Romanæ, sed etiam Italiæ & totius occidentis. Unde concludunt, orientales, cum Maximus ad Episcopos occidentis accesserit, præstolari debuisse eorum sententiam in causa ejusdem Maximi. Ne quis vero existimet, eos solos velle negotium istud terminare, declarant, se nihil aliud cupere, nisi ut hæc causa in Concilio judicetur ab Episcopis occidentalibus & orientalibus; *ut, ubi una communio est, commune judicium sit*.

X. Quod si tum temporis auctoritas Concilii Sardicensis valuisset, occasio videlicet opportunissima reperta erat, qua revocaretur in usum. Nullam autem ejus mentionem faciunt Episcopi occidentales, nihilque aliud contendunt, quam ut una cum orientalibus cognoscere possint de causa depositionis Episcopi Constantinopolitani. Eam ob causam Theodosium orant, ut Concilium universale apud urbem Romam celebrari jubeat, eamque sibi videri unicam rationem revocandæ communionis inter occidentales & orientales. Attamen occidentalibus satisfactum est epistola synodica orientalium, quam ex Concilio Constantinopolitano scripserunt ad Damasum & ad synodum Romanam; qua Italos orant, non, ut confirment ea, quæ in hac synodo Constantinopolitana acta erant, sed ut charitate spirituale ipsis gratulentur propter ordinationes Ecclesiarum Constantinopolitanæ, Antiochenæ & Hierosolymitanæ, quibus præfecti fuerant Nectarius, Flavianus & Cyrillus. Vide supra lib. 5. cap. 21. §. 9.

XI. Nunc referenda sunt verba epistolæ Concilii Italiæ ad Theodosium, quæ edita est a clarissimo viro Jacobo Sirmondo in Appendice Codicis Theodosiani. *Nam cum cognovissent, ad hoc partium venisse Maximum*, inquiunt Itali; *ut causam in synodo ageret suam, quod, etiamsi indictum Concilium non fuisset, jure & more majorum, sicut & sanctæ memoriæ Athanasius & dudum Petrus Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopi & orientalium plerique fecerunt, ut ad Ecclesiæ Romanæ, Italiæ & totius occidentis confugisse judicium viderentur, cum eum,* Vide supra lib. 5. cap. 28. §. 4.
sicut diximus, experiri velle adversum eos, qui episcopatum ejus abnuerant, comperissent, præstolari utique etiam nostram super ea sententiam debuerunt. Non prærogativam vindicamus examinis; sed consortium tamen debuit esse communis arbitrii. Infra: *Nec quædam nos angit de domestico studio & ambitione contentio; sed communio soluta & dissociata perturbat. Nec videmus eam posse aliter convenire, nisi aut is reddatur Constantinopoli, qui prior est ordinatus, aut certe super duorum ordinatione sit in urbe Roma nostrum orientalium judicium. Neque enim indignum videtur, Auguste, ut Romanæ Ecclesiæ antistitis finitimorumque & Italorum Episcoporum debeant subire tractatum, qui unius Acholii Episcopi ita expectandum esse putaverunt judicium, ut de occidentalibus partibus Constantinopolim evocandum putarent. Si quid uni huic reservatum est, quanto magis pluribus reservandum est? Nos autem a beatissimo fratre tuæ pietatis admoniti, ut tuæ clementiæ scriberemus imperio, postulamus, ut, ubi una communio est, commune velit esse judicium concordantemque consensum.*

CAPUT V.

De supremis Synodorum orientalium judiciis, & eorum independentia a Pontifice Rom. etiam post Synodum Sardicensem.

SYNOPSIS.

I. Orientales Episcopi nihil occidentalibus licere contendebant circa administrationem & gubernationem Ecclesiarum orientalium, quod canone scripto firmarunt in secunda synodo. Hujus autem institutionis ratio ea esse debuit, quod supremam esse contenderent Conciliorum orientalium auctoritatem.

II. Prudenter se gerunt patres Concilii Constantinopolitani. Jura provinciarum & privilegia illustrissimarum Ecclesiarum conservant. Judicia porro de disciplina fieri jubent suprema auctoritate synodorum uniuscujusque Diœceseos. Enumerantur variæ Diœceses utriusque imperii.

III. Prima criminum Episcoporum cognitio pertinet ad synodum provinciæ; secunda vero ad Diœcesanam. Exarchi convocabant synodos Diœcesanas absque permissu Principum.

IV. Ecclesia hoc pacto liberata est a necessitate postulandorum ab Imperatore Conciliorum. Synodi itaque Diœcesanæ, quæ antea extraordinariæ erant, & indigebant rescripto Principis, versæ sunt in synodos ordinarias. Hujus institutionis, quæ nova erat

erat, confirmationem ab Imperatore Theodosio petiit secunda synodus.

V. Excipi potest, canonem Constantinopolitanum non constituere diserte duos gradus jurisdictionis in accusationibus Episcoporum. Solvitur hæc objectio, explicato canone.

VI. Ab una synodo Diœcesana ad aliam provocare non licebat.

VII. Nihil tamen derogatum est juribus Imperatorum; qui etiam post hunc canonem editum, Concilia ex diversis Diœcesibus congregarunt ad judicandas Episcoporum causas. At Theodosius Imperator confirmare noluit institutionem synodi Constantinopolitanæ, quæ supremam potestatem in judiciis de disciplina ferendis tribuebat synodis uniuscujusque Diœceseos.

VIII. Suprema synodorum uniuscujusque Diœceseos auctoritas colligitur etiam ex epistola Cyrilli Alexandrini ad Domnum Antiochenum.

IX. Concilium Chalcedonense novam in oriente distinctionem introduxit. Jubet enim, ut prima de crimine Episcopi cognitio instituatur in synodo provinciali; Metropolitani vero, apud Exarchum Diœceseos, aut thronum Constantinopolitanum. De dignitate sedis Constantinopolitanæ; quæ valde amplificata est in hac synodo. Græca collectio non complectebatur canones Sardicenses, neque etiam Africanos.

X. Distinctionem a Concilio Chalcedonensi introductam amplexus est Justinianus. Eo vero jure Græci semper usi sunt.

XI. Ex his, quæ dicta sunt, constat, canones Sardicenses nondum receptos fuisse in oriente. Eos tandem synodus Trullana recepit, sed cum modificatione quadam; tum ut ostenderet auctoritatem, quæ summo Pontifici tributa erat in his canonibus a Concilio Sardicensi profectam, non autem a Nicæno; tum etiam, ut ostenderet eam restringi ad solum occidentem.

XII. Eam tamen in universum orbem extendi debere contendebant summi Pontifices.

I. HActenus manifeste probavimus, in ea sententia fuisse occidentales Episcopos, ut existimarent, communibus orientis & occidentis suffragiis definiendas esse querelas ab Episcopis illustrissimarum orientis Ecclesiarum delatas in occidentem. At isti semper obstinatis animis contenderunt, nihil occidentalibus Episcopis permittendum esse circa administrationem & gubernationem Ecclesiarum orientalium. Quæ auctoritas, ut valentior esset, eam canone scripto firmarunt in secunda synodo œcumenica, quæ prima est Constantinopolitana. Primum enim orientales Romam accedere noluerunt, tametsi per Imperatoris Theodosii litteras accersiti essent, postquam Constantinopoli in unum conventum esset. Cur autem ita ipsis placitum fuerit, nulla alia probabilis ratio occurrit, quam quod supremam esse contenderent Conciliorum orientalium auctoritatem. Unde in epistola synodica ad Damasum & ad synodum occidentalem non dubitant scribere, se anno superiore Concilium generale celebravisse, tametsi illud constaret ex solis Episcopis orientalibus. Quapropter in Concilio Aquilejensi recte dicebat Ambrosius, esse *consuetudinem hujusmodi, ut in oriente orientalium esset Concilium, intra occidentem occidentalium.*

II. Robustius urget canon secundus Concilii Constantinopolitani, cujus auctoritas ab Ecclesia universa recepta est. Decernit itaque, quonam modo peragenda sint judicia canonica apud orientales, sive pro depositione Episcoporum, sive etiam pro reliquis causis, quæ incidunt. Ordo autem, quem in his rebus præscribit, plenus prudentiæ est, ac mirabili temperamento conditus. Nam primum jura provinciarum & privilegia illustrissimarum Ecclesiarum eo canone conservantur, juxta canones Nicænos. Tum Episcopis damnatis nova remedia tribuuntur, multo commodiora & faciliora, quam ea, quæ Concilium Antiochenum invenerat, cum se vota judicum diviserant, sive accedendo ad Imperatores ad obtinendum novum Concilium. Nam in eo Concilio jurisdictionum limites constituuntur juxta divisionem Diœceseon imperii, & suprema esse decernitur auctoritas uniuscujusque Diœceseos in universis judiciis de disciplina latis. Diœcesim cum dico, eo sensu eam dictionem usurpo, quem obtinet in legibus Imperatorum & in canonibus hujus Concilii Constantinopolitani, scilicet pro tractu quodam & diversarum provinciarum collectione, quæ Præfecto prætorio aut ejus Vicario parebat in causis civilibus, Exarcho vero in causis ecclesiasticis. Itaque cum imperium orientis divisum esset illa tempestate in quinque Diœceses, Ægyptiacam videlicet, orientalem, Thracicam, Ponticam, & Asianam, Concilium Diœceses ecclesiasticas partitur in totidem synodos. Ex Notitia porro imperii constat, quinque in Ægypto provincias fuisse, quarum caput erat Alexandria, in oriente undecim sub Antiochensi civitate, in Ponto decem sub civitate Cæsareæ Cappadociæ, quæ urbs regia Ponti fuerat. Asiana, cujus metropolis erat Ephesus, in Asia proconsulari sita, constabat pariter ex undecim provinciis. Thracica vero sex provincias complectebatur, & in his, provinciam Europam, in qua Heraclea metropolis Diœceseos Thracicæ. At Byzantiorum civitas, quæ quondam metropolis fuerat, amissam dignitatem recuperavit; quæ in civitatem Heracleensem translata fuerat ab Imperatore Severo post excisum ab eo Byzantium. Amplificata dein fuit ejus majestas post Constantinum magnum, cum felicibus nominis ejus auspiciis reædificata fuisset civitas, in eaque posita sedes imperii orientalis, ornataque fuit privilegiis antiquæ Romæ.

III. Diœceses itaque ecclesiasticæ ordinatæ sunt ad exemplum dispositionis civilis Diœceseon; ita, ut prima criminum Episcoporum cognitio pertineret ad synodum provinciæ; si vero de injusto judicio querela moveretur, deferri illa debebat ad synodum Diœcesanam, quam Exarchus convocabat absque speciali permissu Imperatoris. Itaque Patriarcha Alexandrinus convocabat synodum Diœceseos Ægyptiacæ, id est, synodum sui patriarchatus. Patriarcha Antiochenus convocabat Diœcesim orientalem, hoc est, patriarchatum orientis. Episcopus vero Cæsareæ Cappadociæ, qui caput erat universæ Diœceseos Ponticæ, synodum ejus Diœceseos congregabat, ut constat ex Gregorio Nazianzeno in vita Basilii. Episcopus Ephesinus Asianæ Diœceseos Exarchus erat, synodoque generali ejus Diœceseos præsidebat. Quod attinet ad Diœcesim Thracicam, ea speciali curæ Episcopi Constantinopolitani commissa est in hoc Concilio, ut diserte adnotavit Socrates. Sed præter administrationem illam privilegium honoris ei tributum est post Episcopum Romanum, ante ceteros Exarchos, eo quod Constantinopolis esset nova Roma.

IV. In hac divisione conservata sunt privilegia provinciarum & magnarum Ecclesiarum, quæ in Concilio quoque Nicæno confirmata fuerant, ut inquiunt patres Constantinopolitani. Omnia heic magnifica esse video pro dignitate Ecclesiæ; quæ auctoritate hujus canonis liberata est a petendis ab Imperatore Conciliis ad judicandas Episcoporum depositorum querelas, adeo ut synodi Diœcesanæ in synodos ordinarias versæ sint, cum antea extraordinariæ essent, neque convocari possent absque literis Imperatoris. Sane cum hi canones novam politiæ exterioris formam constituerent in Ecclesia, tametsi in melius mutaretur, Concilium hujusmodi innovationis confirmationem petiit ab Imperatore Theodosio, ut constat ex epistola synodica, non autem a Concilio Romano, tametsi aliam quoque synodicam epistolam ad illud dederit.

V. Video quidem, opponi posse adversus hæc, quæ diximus, quoddam velut silentium hujus canonis,

nonis, qui disertam mentionem non facit horum duorum graduum jurisdictionis in accusationibus Episcoporum, ideoque videri, non introductum fuisse ab hac synodo Constantinopolitana, ut prima harum accusationum cognitio pertineat ad Episcopos provinciæ, secunda vero ad synodum generalem Diœceseos. Sane non diffiteor, quin argumentum illud in speciem sit fortissimum. Contendo tamen, satis mentem suam explicare patres Constantinopolitanos, ex eo capite, quod harum quinque Diœceseon limites assignant ad tractandas causas ecclesiasticas, & quod nihilominus intactam esse velint synodorum provincialium auctoritatem canone Nicæno constitutam. Harum autem potestatem hanc esse volunt, ut causas suo jure definiant, ea tamen lege, ut causæ, quæ synodorum Diœcesanarum cognitioni tributæ erant, velut depositiones Episcoporum, in synodo Diœcesana retractentur, in ceteris vero capitibus nihil derogetur supremæ provincialium synodorum auctoritati. *Servata vero*, inquit canon, *quæ scripta est de gubernationibus regula, manifestum est, quod illa, quæ sunt per unamquamque provinciam, ipsius provinciæ synodus dispenset, sicut Nicæno constat decretum esse Concilio.* Hi gradus jurisdictionis luculentius explicantur in canone sexto ejusdem Concilii; qui extat in collectione Græca, licet desideretur in Dionysiana: *Jubet sancta synodus, primum quidem apud provinciæ Episcopos accusationem persequi, & apud eos probare crimina Episcopi, qui accusatur. Quod si evenerit, ut provinciales Episcopi crimina, quæ Episcopo intentata sunt, corrigere non possint, tunc ipsos accedere ad majorem synodum Diœceseos illius Episcoporum pro hac causa convocatorum.*

VI. Quæri potest, an judicia sic definirentur in his synodis Diœcesanis, ut locus non fuerit appellationi aut querelæ ab una ad aliam. Verum inutilis est hæc quæstio, cum institutio illa synodorum Diœcesanarum non ob aliud facta fuerit, quam ut confusioni illi iretur obviam; & ut caveretur, ne quis Exarchorum, aut ipsius synodus, causas alienæ Diœceseos ad se traheret, ut diserte scriptum est in initio hujus canonis: *Qui sunt super Diœcesim Episcopi nequaquam ad Ecclesias, quæ sunt extra terminos sibi præfixos, accedant, nec eas hac præsumptione confundant.* Qui in hac Dionysii versione vocantur *Episcopi, qui sunt super Diœcesim*, ii in contextu Græco dicuntur Ἔξαρχοι τῆς διοικήσεως, *Exarchi Diœceseos*, & in versione Latina *Primates*.

VII. Apertius & luculentius explicatur suprema Conciliorum Diœcesanorum in judiciis faciendis auctoritas eodem canone sexto, quo decernitur, eos ad accusationem admittendos non esse, qui ad Imperatores vel ad tribunalia magistratuum accederent, vel universalem synodum perturbare conarentur, contemptis universis Diœceseos Episcopis, πάντας ἀτιμάσας τοὺς τῆς Διοικήσεως ἐπισκόπους. Constat sane ex historia ecclesiastica, canones illos (qui jus suum Imperatoribus auferre non poterant, sicuti nec volebant, cum nihil in eis contineatur, quod Principes removeat ab hac cura) non obstitisse deinceps, quin Imperatores Concilia ex diversis Diœcesibus congregaverint ad judicandas Episcoporum causas. Verum nihilominus semper est, eam Concilii Constantinopolitani patribus mentem fuisse, ut perpetuam regulam ederent, quæ synodis uniuscujusque Diœceseos conservaret supremam potestatem in judiciis de disciplina ferendis. At Theodosius Imperator institutionem illam approbare noluit, ne juribus imperii vulnus inferri consensisse videretur. Unde factum est, ut ego quidem arbitror, ut, cum synodus ab eo petivisset confirmationem suorum canonum, ipse eam concedere noluerit, quod colligi posse existimo ex collectione Græca a Dionysio Latine versa, in qua omissus est hic canon; tametsi postea Græci eum descripserunt in ultima collectione sua edita in synodo Trullana.

VIII. Eadem synodorum uniuscujusque Diœceseos suprema in ferendis judiciis auctoritas colligitur ex epistola, quam Cyrillus Episcopus Alexandrinus ad Domnum Episcopum Antiochenum scripsit in gratiam Petri Episcopi, quem Domnus inauditum deposuerat, negata etiam licentia defensionis. Is ergo Cyrillum & Proclum Constantinopolitanum adiens, querelam suam ad eos detulit, oravitque, ut se gratia & favore suo juvarent apud Domnum. Ea de causa Cyrillus epistolam dedit ad Domnum, quam Græci posuerunt inter epistolas canonicas. In ea vero Domnum monet, ut senis istius lacrymas temperet eique defensionis locum præbeat secundum morem, idest, Domno coram & Episcopis, qui ei subsunt; iis tamen exceptis, quos velut suspectos Petrus recusabit, ad vitandam judicii nullitatem. Unde discimus, a Patriarchis illis susceptam non fuisse hujus Episcopi querelam, ut de ea cognoscerent, sed eam ad synodum patriarchalem Antiochenam dimisisse, illic judicandam secundum morem.

IX. Concilii Constantinopolitani regulæ confirmatæ sunt duobus canonibus Concilii Chalcedonensis œcumenici quarti; quod tamen novam in oriente distinctionem introduxit, quoad judicia Episcoporum. Distinguit enim inter Episcopum & Metropolitanum. Jubet autem in canonibus IX. & XVII. ut prima de crimine Episcopi cognitio instituatur in synodo provinciali, Metropolitani vero ab Exarcho Diœceseos, sive throno Constantinopolitano. Nihil in his canonibus obscurum, si disjunctivæ explicationem excipias: *Quod si quis a Metropolitano læditur, apud Primatem Diœceseos aut apud Constantinopolitam sedem judicetur.* Sed ut vim hujus difficultatis facilius assequamur, observandum est, hos duos canones fuisse decretos ante constitutionem patriarchatus Constantinopolitani & ante quam Pontica & Asiana Diœceses ei subjicerentur. Id autem non contigit, nisi in actione ultima Concilii, quod Legati apostolicæ sedis ei novitati intercessissent. At canones IX. & XVII. qui sedi Constantinopolitanæ tribuunt auctoritatem judicandi Metropolitanos, nullo refragante decreti sunt, extantque in collectione Dionysii, sed XXVIII. canon, cui contradictum est a Legatis, in ea omissus est. Interpretes Græci Zonaras & Balsamo non agnoverunt istam difficultatem. Quapropter non excurrunt ultra interpretationem, quæ statim occurrit, eo nempe canone tributam unicuique Exarcho potestatem judicandi Metropolitanos, qui ad ejus Concilium aut Diœcesim pertinent, exempli causa, sedi Constantinopolitanæ tribui jus judicandi Metropolitanos ad Concilium Constantinopolitanum pertinentes. Superest igitur, ut intelligamus, quinam Metropolitani ei subjecti essent, antequam Diœceses Asiana & Pontica ad ejus Diœcesim patriarchalem accessissent. Non me latet, ei competivisse jus præsidendi synodo generali Thraciæ; quod sedes Constantinopolitana, quæ erat in provincia Europæ una ex provinciis Thraciæ, ad honorem secundæ sedis evecta esset. Sed ne quid dissimulem, magnificum prorsus est, quod ex ipsis verbis canonis colligitur. Nam sedi Constantinopolitanæ, quæ certam Diœcesim patriarchalem nullam habebat, tametsi prærogativam Patriarcharum obtineret, jus tribuunt judicandi Metropolitanos totius orientis; atque id quidem non post appellationem a judiciis reliquorum Patriarcharum, ut placuit Hincmaro, sed præveniendo Patriarchas, ad arbitrium conquerentium. Patriarcha vero Constantinopolitanus causas illas judicabat in Concilio extraordinario; qua de re nos alibi accurate disseruimus. Ceterum Græca collectio canonum, quæ canone primo Concilii Chalcedonensis firmata est, quæque Latine versa est a Dionysio Exiguo, non complectebatur canones Sardicenses, neque etiam Africanos, quos a se collectioni Græcæ additos fatetur Dionysius. Hæc sunt ejus verba in epistola ad Stephanum Episcopum: *Tum Concilii Chal-*

Vide supra lib. 3. c. 3. § 4.

Chalcedonensis decreta subdentes, in his Græcorum canonum finem esse declaramus. Ne quid præterea notitiæ vestræ credar velle subtrahere, statuta quoque Sardicensis Concilii atque Africani, quæ Latine sunt edita, suis a nobis numeris cernuntur esse distincta.

X. Distinctionem a Concilio Chalcedonensi introductam amplexus est Imp. Justinianus, qui illam in Novella constitutione CXXIII. cap. XXII. itemque in CXXXVII. confirmavit. Jubet autem conceptis verbis; ut Episcoporum causas judicent Metropolitanus & synodus provinciæ; in casu vero appellationis, Patriarcha uniuscujusque Diœceseos. Eidem tribuitur prima cognitio causarum eorum Metropolitanorum, qui ad patriarchatum ejus spectant, interdicta prorsus appellatione a judicio Patriarcharum: *Nullo iis, quæ ab eo constituuntur valente, resistere,* οὐδενὸς τοῖς παρ' αὐτοῦ τυπουμένοις ἀντιλέγειν δυναμένου. Græci semper eo jure usi sunt; ut colligitur ex titulo IX. Nomocanonis Photii, & ex Zonara & Balsamone in commentariis ad hos canones.

XI. Ex his autem, quæ huc usque diximus, constat, canones Sardicenses, qui Pontifici Romano tribuunt potestatem decernendi revisionem, in gratiam Episcoporum depositorum nondum receptos fuisse in oriente, neque a Concilio Constantinopolitano, nec a Chalcedonensi, nec etiam ab Imperatore Justiniano; cum manifestum sit, Patriarcham uniuscujusque Diœceseos solitum judicare de his depositionibus definitivo decreto, æque ac de ceteris omnibus causis, quæ ad disciplinam pertinebant. Attamen synodus in Trullo, quæ anno DCXCII. congregata est Constantinopoli, in sua collectione describi jussit canones Sardicenses, & inter hos, etiam illos tres, qui ad Episcopi Romani auctoritatem pertinent. Verum non ea fuit hujus synodi mens, ut propterea jurisdictioni Episcopi Romani submittere voluerit appellationes Episcoporum, cum in eadem collectione extent canones secundæ synodi œcumenicæ, atque item quartæ, quæ unicuique Patriarchæ supremum harum causarum judicium commiserunt. Nihil ergo aliud voluit Trullana synodus, quam ostendere, quænam auctoritas Pontifici Romano competat in suo patriarchatu, cujus limitibus circumscribit potestatem ei quæsitam in canonibus Sardicensibus, tum etiam, ut ostendat, eam auctoritatem illi tributam esse, non a Concilio Nicæno, sed a Sardicensi. Ea namque est observatio Zonaræ ad canonem quintum Sardicensem: *Neque igitur hic canon a Nicæna synodo editus fuit, neque ad ipsum* (id est, Romanum Pontificem) *provocationes ab omnibus Episcopis, sed ab iis tantummodo, qui eidem subjecti erant, dari oportere decernit.* οὔτε ἐν τῆς ἐν Νικαίᾳ συνόδου ἐστὶν ὁ κανών, οὔτε πάσας τὰς ἐκκλήτους τῶν ἐπισκόπων ἀνατίθησιν αὐτῷ, ἀλλὰ τῶν ὑποκειμένων αὐτῷ.

XII. Verum licet ea Græcis mens esset, ut effectus canonum Sardicensium egredi occidentem non posset, Pontifices tamen Romani contendebant, eos obtinere debere in universa Ecclesia; ut constat ex epistola Papæ Leonis primi inferius laudata, & ex commonitorio Gelasii Papæ ad Faustum, cujus verba necessario intelligenda sunt de canonibus Sardicensibus. *Ipsi sunt canones*, inquit Gelasius, *qui appellationes totius Ecclesiæ ad hujus sedis examen deferri voluere, ab ipsa vero nusquam prorsus appellari debere sanxerunt, ac per hoc illam de tota Ecclesia judicare, ipsam ad nullius commeare judicium; nec de ejus unquam præceperunt judicio judicari, sententiamque illius constituerunt non oportere dissolvi, cujus potius decreta sequenda mandarunt.*

CAPUT VI.

De agnita Pontificis Rom. auctoritate summa ab orientalibus in causis fidei, sed non in causis disciplinam spectantibus.

SYNOPSIS.

I. Concilia orientalia poterant tantum decernere de causis disciplinæ, ad procurandam executionem canonum. Causas autem fidei vel regulas generales Ecclesiæ universæ tractare non poterant absque interventu auctoritatis Episcopi Romani.

II. Hunc Romani Episcopi primatum agnoscebant orientales. Nihil in causis fidei aut de regulis generalibus definiri poterat absque ejus sententia. Socrates explicatus.

III. Hæc explicari debere visum est, ne quis existimet, tentatam fuisse in superioribus capitibus Romani Pontificis auctoritatem. Episcopi orientales, qui Romanam sedem appellarunt, exagitati fuerant propter causam fidei. Quo casu poterant apostolicam sedem appellare.

IV. Eustathius Episcopus Sebastenus depositus ab Arianis literas a Liberio Papa obtinuit, quarum auctoritate restitutus est in sedem suam. De fide agebatur. Quare magni ponderis fuit epistola illa Liberii.

V. Eutyches non appellavit ad solum Pontificem Romanum. Appellavit enim synodos Romanam, Alexandrinam, Hierosolymitanam & Thessalonicensem. Appellatio facta ad Patriarchas censetur etiam facta ad eorum synodos. Cardinalis Perronius refutatus.

I. AUctoritas itaque Conciliorum orientalium his limitibus circumscribi debet, ut decernere tantum potuerint de administrationibus & gubernationibus provinciarum, ut loquuntur canones, id est, de controversiis, quæ incidunt in executione canonum, de disciplina ecclesiastica latorum. Nam quoad causas, quæ ad fidem spectant aut regulas generales Ecclesiæ universæ, certum est, eas definiri non potuisse absque interventu auctoritatis Episcopi Romani: quoniam cum cathedra Petri ea sit, ex qua unitas sacerdotalis exorta est, ut loquitur Cyprianus, par erat, ut reliquæ Ecclesiæ necessitate communionis unirentur cum Ecclesia Romana, eamque colerent tanquam caput & centrum unitatis, ut verbis Optati utamur. Constituto namque capite in Ecclesia, quemadmodum in collegio apostolico fuerat constitutum, sublatæ erant occasiones schismatum & hæreseon, ut observavit Hieronymus: quoniam ea ratione constitutus erat thronus, qui radix & origo erat communionis omnium Episcoporum Ecclesiæ Dei, *unde in omnes venerandæ communionis jura dimanant*, ut ajebat Concilium Aquilejense generale sub Ambrosio. Huic enim sedi omnes Christiani adhærebant inter factiones & dissidia aliarum Ecclesiarum, exemplo Hieronymi, qui in trium Patriarcharum schismate, quo Antiochena Ecclesia laborabat, ad Damasum scribens ait: *Beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri communione consocior.* Vide supra lib. 1. cap. 2.

II. Hunc Romani Pontificis primatum agnoscebant orientales; ut constat ex epistola synodica Concilii Chalcedonensis ad Leonem Papam, in qua eum disertis verbis vocant caput universalis Ecclesiæ. At ex primatu illo jus quoddam eximium sequebatur, quod Romano Pontifici competebat, absque cujus interventu non licebat causas fidei definire nec generales regulas condere pro Ecclesia universa. Hic enim sensus est ejus legis ecclesiasticæ, cujus mentionem facit Socrates, quamque Julius allegabat adversus orientales, nimirum Ecclesias non posse canonizari absque sententia Episcopi Romani, id est, novas regulas, & canones generales, a quibus aliquid introduceretur Vide supra lib. 5. c. 10. §. 2. in margine.

adver-

adverſus vetuſtam conſuetudinem, decerni non poſſe, quin Romanus Pontifex deliberationi interveniat aut per ſe aut per Legatos. Huic legi magis obnoxiæ erant definitiones in materia fidei. Oriens itaque nullam unquam hæreſim damnavit, quin ſtatim decretum ad apoſtolicam ſedem miſſum ſit & in reliquas provincias. Sic damnationes in ſynodis occidentalibus decretæ ad ſynodos orientis mittebantur, ut adnotat ſanctus Hilarius; ea videlicet mente, ut cauſæ communes, cujuſmodi erat materia fidei, tractarentur ex communi omnium conſenſu. Sed magnificum erat pro Romana ſede, quod, cum ipſa prima eſſet, ubi florebat principatus apoſtolicæ ſedis, ut cum Auguſtino loquar, ejus auctoritas juncta ſynodis occidentalibus magni momenti erat ad commendandam damnationem hæreticorum & anathemata adverſus eos decreta, quæ facilius ob hoc ipſum executioni mandabantur, cujus moris clara documenta extant in actis Conciliorum Epheſini & Chalcedonenſis aliorumque poſteriorum.

Vide ſupra lib.5. c.12. §.1. & in additione.

III. Neceſſarium autem viſum eſt hæc per tranſennam adnotare; ut ſi qua forte ſuſpicio in quorundam animis ſuborta eſſet adverſus ea, quæ ſuperius dicta ſunt, quaſi illa convellerent reverentiam, quæ ſedi apoſtolicæ debetur, iis ſcrupulus omnis eximatur; tum etiam, ut hinc occaſionem peteremus heic agendi de quorundam orientalium Epiſcoporum in ſynodis ſuis depoſitorum appellationibus ad ſedem Romanam. Conſtat enim, Epiſcopis illis irrogatas eſſe injurias ob cauſam fidei. Quoniam vero conſervatio veræ religionis adverſus hæreſes præcipue ſpectabat ad ſedem apoſtolicam urbis Romæ, hinc factum, ut, quoties Epiſcopi illi litteras Epiſcopi Romani in orientem deferrent, in quibus contineretur, eos in communionem fuiſſe receptos, ſedibus ſuis reſtituerentur ab Epiſcopis catholicis, cujus rei extant exempla valde illuſtria. Non loquor de Athanaſio aliiſque orientis Epiſcopis, quorum ſupra mentionem feci, quoniam cauſa eorum examinata fuit, tanquam ad diſciplinam pertineret; tametſi fatendum eſt, habitam quoque fuiſſe ab occidentalibus rationem oppreſſionis, quam Epiſcopi illi patiebantur ob cauſam fidei. De Euſtathio Sebaſteno Epiſcopo loquor, Flaviano & Theodoreto.

IV. Sebaſtenus ille depoſitus fuit ab Arianis in Concilio Melitino, quæ civitas eſt Armeniæ inferioris. Dein catholici orientis Epiſcopi Lampſacum convenerunt anno CCCLXIV. ibique ſynodum celebrarunt, cui Euſtathius interfuit. Quin etiam cum nonnullis Epiſcopis in occidentem miſſus eſt, cum formulis fidei, quæ decretæ erant pro reſtitutione veræ fidei adverſus perturbationem, quam Conſtantii Imperatoris auctoritas invexerat. Receptus itaque eſt in communionem ab Epiſcopo Romano & occidentalibus; literaſque a Liberio Pontifice obtinuit, quarum auctoritate reſtitueretur in ſedem ſuam. Cum autem Cappadociam remeaſſet, literas illas obtulit ſynodo Diœceſeos Ponticæ, quæ apud Tyanam habebatur, ad quam ſynodum pertinebat provincia Armenia ſecunda; a qua ſynodo redditus eſt Eccleſiæ Sebaſtenæ. Reſtitutionem illam auctoritate litterarum Epiſcopi Romani factam fuiſſe teſtatur ſanctus Baſilius in epiſtola LXXIV. quæ data eſt ad Epiſcopos occidentales. Certum quidem eſt, Euſtathii depoſitionem irritam & nullam fuiſſe, eo quod ab hæreticis facta eſſet, tum etiam ita ſenſiſſe ſynodum Lampſacenam, quæ, ſpreto judicio illo, Euſtathium in ſuam communionem recepit & ſynodo intereſſe conſenſit, ac præterea in occidentem miſerat legatione functurum pro ſynodo Lampſacena. Quia tamen ſuſpicio adverſus eum orta erat in cauſa fidei, magni ponderis ad confirmandam executionem rerum decretarum fuit epiſtola illa Liberii & juſſio ejus pro reſtituendo Euſtathio data poſt judicium ſynodorum orientis & occidentis. Ob hoc igitur ſynodus Tyanenſis, cujus judicio ſuberat Euſtathius in cauſa diſciplinæ, eum inſuperhabitis ſuſpicionibus de fide recepit in vim decreti pontificii, tametſi ignoraret, quibus conditionibus eum Liberius recepiſſet in ſuam communionem. Hæc ſunt verba Baſilii ex eadem epiſtola LXXIV. *Quæ vero ſint illi a beatiſſimo Epiſcopo Liberio propoſita, & ad quæ conſenſerit, nobis clam eſt; niſi quod epiſtolam attulit, per quam reſtitueretur. Eam ubi Tyanenſi ſynodo exhibuit, in ſuum locum reſtitutus eſt.*

V. Locum inter appellationes ad Epiſcopum Romanum non tribuo ei, quæ ſub nomine Eutychetis Archimandritæ circumfertur poſt damnationem ejus a Flaviano Epiſcopo Conſtantinopolitano peractam, tametſi ea vulgo obtrudatur, quoties controverſiæ de cauſis religionis agitantur. Nolim tamen negare, quin Pontificem Romanum appellaverit; ſed tamen contendo, non ad ſolum Romanum Pontificem provocaſſe. Exemplum hoc variis in locis Replicæ ſuæ laudat illuſtriſſimus Cardinalis Perronius, & appellationem illam Eutychetis probare ſe putat auctoritate epiſtolæ ſancti Leonis ad Flavianum. Ait enim Leo, ſe libellum Eutychetis recepiſſe; in quo continebatur, eum *evocatum ſui præſentiam non denegaſſe, adeo, ut in ipſo judicio libellum appellationis ſe aſſerat obtuliſſe, nec tamen fuiſſe ſuſceptum; qua ratione compulſus ſit, ut conteſtatorios libellos in urbe Conſtantinopolitana proponeret.* Verum quia appellatio illa non dicitur facta eſſe ad apoſtolicam ſedem, ut probationem impleat Perronius, addit auctoritatem Flaviani Leoni reſpondentis, cujus hæc ſunt verba: *Quia idem Eutyches libellos direxit vobis plenos omni fallacia & calliditate, dicens, judicii tempore libellos ſe dediſſe appellationis nobis & hic convenienti ſancto Concilio & appellaſſe veſtram ſanctitatem, quod nequaquam factum eſt.* Sed ex verbis illis colligi non poteſt, appellatas non fuiſſe reliquas ſedes. Sane diſſimulanda non eſt veritas. Appellavit enim Eutyches ſynodos Romanam, Alexandrinam, Hieroſolymitanam & Theſſalonicenſem, ſed clanculum, & in aurem Patricii Florentii, poſt judicium factum, & poſt ſolutam ſynodum: Unde colliguntur duæ egregiæ regulæ. Prima, cauſam fidei, cum communis ſit & generalis, judicandam eſſe a ſynodis Eccleſiæ univerſæ, præcipue vero a Romana, quæ omnium prima eſt, tum depoſitionem hæretici, quæ ſequitur ex deciſione fidei, definitivo decreto judicandam eſſe ab omnibus, ſi nova ſit hæreſis neque hactenus damnata fuerit ab Eccleſia. Secunda vero regula hæc eſt, appellationes factas ad Patriarchas, cenſeri etiam factas ad eorum ſynodos, ut conſtat ex formula appellationis Eutychetis. Non appellavit autem ad ſynodos orientis, quod Patriarcha Antiochenus ſubſcripſiſſet ſententiæ Flaviani, & quod plures Metropolitani Diœceſeon Aſianæ, Ponticæ & Thracicæ adeſſent in Concilio Conſtantinopolitano. Ea vero, quæ huc uſque dicta ſunt de appellatione Eutychetis, deſumpta ſunt ex actis Concilii Conſtantinopolitani, habiti juſſu Imperatoris Theodoſii poſt damnationem Eutychetis ad convincendas falſitates, quas hæreticus ille contendebat admiſſas eſſe in actis ſuperioris Concilii. Inter ceteras querelas, Conſtantinus monachus Eutychetis procurator dixit eum, cum ſententia depoſitionis legeretur, provocaſſe ad ſynodos Romanam, Alexandrinam, Hieroſolymitanam & Theſſalonicenſem, verum ejus appellationem actis non eſſe inſertam. Hæc ſunt enim Conſtantini verba in actis hujus ſecundi Concilii Conſtantinopolitani, quæ referuntur in actione prima Concilii Chalcedonenſis: *ἀναγινωσκομένης τῆς καθαιρέσεως ἐπεκαλέσατο τὴν ἁγίαν σύνοδον τοῦ ἁγιωτάτου ἐπισκόπου Ῥώμης, καὶ Ἀλεξανδρείας, καὶ Ἱεροσολύμων, καὶ Θεσσαλονίκης.* Tum vero Patricius Florentius dixit Eutychetem, poſt ſolutam ſynodum, ſibi in aurem dixiſſe, provocare ſe ad ſynodum Romanam, Ægyptiacam & Hieroſolymitanam,

Vide lib.4. c.4. §.2.

Dd 2 deque

deque ea provocatione commonefactum a se esse Flavianum. Nullam synodi Thessalonicensis mentionem facit, quod ea Diœcesis subesset tum temporis patriarchatui occidentis. Hæc sunt verba Florentii in eisdem actis: Διαλυθείσης τῆς συνόδου, εἶπε σαφῶς ἐμοὶ, ἐπικαλοῦμαι τῆς Ῥώμης, καὶ τῆς Αἰγύπτου, καὶ τῆς Ἱεροσολύμων σύνοδον.

CAPUT VII.

De appellatione Flaviani Episcopi Constantinopolitani in causa fidei ad Pontificem Rom. ut & de judicio appellationis in Concilio œcumenico peragendo.

SYNOPSIS.

I. Flavianus Episcopus Constantinopolitanus depositus in synodo Ephesina sub Dioscoro. Cum Dioscorus sententiam promeret, recusatus est a Flaviano. Notata Perronii hallucinatio, qui tunc appellatum a Dioscoro fuisse putat conceptis verbis. Recusatio fiebat per modum appellationis, etiam post sententiam definitivam. Appellavit deinde, & quidem ad solum Pontificem Romanum. Ceteri enim Patriarchæ aderant in Concilio.

II. Flavianus appellavit ad summum Pontificem, libello contestatorio oblato Legatis ejus. Valentinianus Imp. ait, causam de integro judicandam esse a summo Pontifice, quod de causa fidei ageretur, & quod Flavianus ad eum provocasset secundum solemnitatem Conciliorum.

III. Censet tamen idem Valentinianus, eam causam in synodo œcumenica judicandam esse a summo Pontifice adhibitis suffragiis Episcoporum ex universo orbe.

IV. Haud aliter sensit ipse Leo, ac Romana synodus. Sed tamen intra Italiam convocari Concilium postulant a Theodosio.

V. Causa enim Flaviani connexa erat quæstioni fidei, ut docet idem Leo. Et Valentinianus ait Flaviani depositionem processisse ex quæstione fidei. Videbat enim, non aliter revisioni consensuros orientales, quam si fidei negotium retractandum esse diceretur.

VI. Hoc etiam intellexit Leo. Itaque canones Sardicenses laudavit, sub titulo tamen synodi Nicænæ. Emendatus canon quartus Sardicensis, qui gravi mendo laborat.

VII. Quid significet Valentinianus, cum ait, Flavianum appellasse Pontificem Romanum secundum solemnitatem Conciliorum. Rejecta Cardinalis Perronii conjectura. Indicat eum appellasse per libellum, non autem viva voce, aut in aurem, ut Eutycheti contigerat.

I. VEniendum nunc ad appellationes Flaviani & Theodoreti, quæ magni momenti sunt. Damnatus ob novam hæresim Eutyches a Flaviano, impetravit ab Imperatore Theodosio, ut Concilium generale apud Ephesum haberetur, cui Dioscorus Episcopus Alexandrinus præsideret. In eo autem minis actum est apud Episcopos, ut se accommodare cogerentur ad desiderium Dioscori. Itaque Eutychete restituto, Flavianus depositus est in hac synodo: quæ vulgo secunda Ephesina dicitur; interdum vero synodus Ephesina sub Dioscoro, aliquando prædatoria synodus, & latrocinium Ephesinum. Sed cum Dioscorus, qui primo loco censebat, sententiam promeret, qua deponendum esse Flavianum pronuntiabat, iste Dioscorum recusavit, (*) Græco verbo utens, παραιτοῦμαί σε. Legati vero summi Pontificis huic sententiæ intercesserunt, Latino verbo usi, *Contradicitur*. Illustrissimus Cardinalis Perronius, adhærens antiquæ versioni hujus Concilii, existimat, his omnino verbis Græcis significari *Appello a te*. Unde occasionem sumit suspicandi, corrupta esse acta isthæc, quod verbis tantum generalibus concepta sit hæc appellatio, nec ad Papam fiat disertis verbis. Verum necessarium non est, ad hæc extrema deveniri: quia, ut dixi, verba Flaviani, desumpta videlicet ex formula juris, nihil aliud significant, quam recusari a se Dioscorum. Quoniam vero per illas tempestates recusatio fiebat per modum appellationis, etiam post sententiam definitivam, non autem eo modo, qui introductus dein fuit a Justiniano, hinc factum, ut Flavianus, Dioscorum recusans, ab eo quidem per consequentiam appellaverit, non tamen conceptis verbis. Nam post habitum tandem Concilium libellum appellationis tradidit Legatis summi Pontificis, sic tamen, ut ad solum Pontificem Romanum provocaverit. Necessitate autem coactus fuit ita agere, eo quod reliqui Patriarchæ adessent in Concilio, solusque Romanus deesset; cujus sententia ob hoc ipsum integra erat, tum quod Legati publice contradixissent depositioni Flaviani, tum etiam quod epistola Leonis in causa fidei lecta non fuisset in synodo; tametsi Legati id frequenter petiissent, & decretum ter fuisset a Dioscoro, qui tamen executionis hujus decreti curam omnem abjecit. Hujus dein repulsæ pœnas luit, cum ob hanc ipsam causam depositus est in Concilio Chalcedonensi.

L. ult. C. de sententiis l. 16. & 18. C. de judiciis.

Vide Cujac. lib. 9. observat. c. 23.

II. Flavianum vero ad Leonem Papam provocasse, tradito Legatis libello appellationis, manifeste probatur ex epistola Imperatoris Valentiniani ad Theodosium; ex qua præterea colliguntur duo capita magni momenti, tum quoad auctoritatem summi Pontificis, tum etiam quoad disciplinam illius ævi. Jam enim supra observavimus in capite sexto hujus libri, definitiones fidei non potuisse decerni absque sententia Pontificis Romani. Dioscorus autem in Concilio Ephesino impedivit, ne Leonis epistola legeretur, & per consequentiam impedivit, ne sententia Leonis adversus hæresim Eutychetis publicaretur. Unde concludit Valentinianus, non obstare synodum Ephesinam, quin necesse sit, ut causa de integro judicetur a summo Pontifice, etiam quoad depositionem Flaviani, quod de causa fidei ageretur, & quod Flavianus ad eum provocasset juxta solemnitatem Conciliorum. Hæc sunt verba Valentiniani ad Theodosium scribentis: *Quam*, (id est, fidem) *nos a nostris majoribus traditam debemus, cum omni competenti devotione defendere & dignitatem propriæ venerationis beato Petro Apostolo intemeratam & in nostris temporibus conservare: quatenus beatissimus Romanæ civitatis Episcopus, cui principatum sacerdotii super omnes antiquitas contulit, locum habeat & facultatem de fide & sacerdotibus judicare. Hujus enim rei gratia, secundum solemnitatem Conciliorum, & Constantinopolitanus Episcopus eum per libellos appellavit, propter contentionem, quæ orta est de fide.*

Epist. Valent. par. 1. Concilii Chalced. c. 25.

III. Verum quemadmodum necessitas interventionis summi Pontificis luculenter probatur auctoritate hujus epistolæ, sic ex iis, quæ sequuntur, (quem tamen locum laudare non consueverunt ii, qui de controversiis scribunt) manifeste patet, necessa-

(*) Hanc observationem, quæ verissima est, vehementer pro sua temeritate exagitavit Joannes David in libro de judiciis canonicis Episcoporum pag. 300. ob id merito reprehensus a Paschasio Quesnello. Nam Rusticus Diaconus in annotationibus suis ad hunc locum actorum Concilii Chalcedonensis ait: *Possumus dicere &: Refuto te*. In Concilio Basiliensi, cum die octava mensis Septembris anni MCCCCXXXV. relegerentur quædam decreta Concilii Toletani & Chalcedonensis, ita lectum est ex Chalcedonensi: *Hæc est fides patrum. Qui præter ista sapit, hæreticus est. Qui aliter sapit, anathema sit. Appello a te, quasi diceret, Refuto te*. Ita testatur Petrus Brunetus Notarius Concilii Basileensis in libro diurno, quem scripsit de gestis ejusdem Concilii.

necessarium prorsus fuisse, ut quæstio illa fidei a summo Pontifice judicaretur in Concilio œcumenico, adhibitis suffragiis Episcoporum ex universo orbe. Ait enim Valentinianus: *Huic itaque postulanti* (id est, Leoni) *& conjuranti salutem nostram communem annuere non negavi, quatenus ad tuam mansuetudinem petitionem meam ingererem; ut prædictus sacerdos congregatis ex omni orbe etiam reliquis sacerdotibus intra Italiam, omni præjudicio submoto, a principio omnem causam, quæ vertitur, sollicita probatione cognoscens, sententiam ferat, quam fides & ratio veræ divinitatis expostulat.*

IV. Haud aliter sensit ipse Leo ac Romana synodus. Constat quippe, eos causam fidei aut Flaviani, quæ cohærebat quæstioni fidei in Concilio Ephesino pessumdatæ, non alibi judicandam censuisse, quam in Concilio œcumenico ex Episcopis orientis & occidentis conflato, quod tamen intra Italiam convocari a Theodosio cupiebant. Quod liquido patet ex epistola Leonis & synodi Romanæ descripta in parte prima Concilii Chalcedonensis.

Parte 1. Conc. Chalced. c.10. & 20.

Cui sacramento, inquiunt, id est, veræ divinitatis & veræ humanitatis in Christo, *quia impie nunc a paucis imprudentibus obviatur, omnes partium nostrarum Ecclesiæ, omnes mansuetudini vestræ cum gemitibus & lacrymis supplicant sacerdotes, ut quia & nostri fideliter reclamarunt, & eisdem libellum appellationis Flavianus Episcopus dedit, generalem synodum jubeatis intra Italiam celebrari, quæ omnes offensiones ita aut repellat aut mitiget, ne aliquid ultra sit vel in fide dubium vel in charitate divisum, convenientibus utique orientalium provinciarum Episcopis.*

V. Sed Leonem ea de causa voluisse Flaviani negotium in Concilio generali retractare, quod quæstioni fidei connexum esset, docent hæc verba ex eadem epistola: *Talemque ab ipso*, id est, Dioscoro, *prolatam esse sententiam, ut, dum homo unus*, id est, Flavianus, *impetitur, in omnem Ecclesiam sæviretur. Quod nostri ab apostolica sede directi adeo impium & catholicæ fidei esse contrarium viderunt, ut ad consentiendum nulla potuerint oppressione compelli.* Ob hoc ipsum Valentinianus Imperator in laudata superius epistola ait, depositionem Flaviani processisse ex quæstione fidei, intelligens videlicet orientales, si ratio hæc abesset, non concessuros appellationi Flaviani, neque causæ ejus revisioni consensuros.

VI. At Leo agnoscens, quanta vis esset hujus rationis, epistolæ suæ inseruit canonem Sardicensem, ut ostenderet, æquum esse post appellationem Flaviani, ut nova synodus Romæ haberetur, nihilque interim innovaretur. Canones enim Sardicenses ab annis plus minus triginta in occidente recepti erant, laudati a Zosimo tanquam a synodo Nicæna petiti. Cujus vestigiis inhærens Leo illos ex eadem synodo laudat: *Quam autem post appellationem interpositam*, inquit, *hoc necessario postuletur, canonum Nicææ habitorum decreta testantur, quæ a totius mundi sunt sacerdotibus constituta, quæque subter annexa sunt.* Exemplar hujus canonis extat in calce hujus epistolæ, non quidem inter epistolas Leonis, sed in calce versionis Græcæ, quæ extat in actis Concilii Chalcedonensis; ubi quoque descriptus est canon quartus Sardicensis, paraphrasticè tamen, & corruptus a librario. Et corruptionem quidem jam alii deprehenderunt. Nemo tamen hactenus ei medicinam adhibere tentavit. Perturbatus est autem sensus canonis in his præcipue verbis: Καὶ διεμαρτύρατο ἐν πόλει τῶν καινῶν κινηθῆναι τὰ τοῦ πράγματος. Anxii sunt eruditi in investigando sensu horum verborum, ἐν πόλει τῶν καινῶν, quæ nihil significant. Ego vero existimo, legendum esse ἐν πόλει τῶν Ῥωμαίων: quæ verba cum per abbreviationem scripta essent, erroris occasionem præbuerunt. Atque secundum hanc emendationem sic verti debet hic locus: *& protestatus sit, in urbe Roma negotium esse peragendum*, quod probatur ex ultimis verbis exemplaris hujus canonis, quæ sic habent: εἰ μὴ παρὰ τῶν ἐκεῖσε κριτῶν δέξηται τὸν ὅρον. Canon autem Sardicensis quartus jubet, ne quis in locum Episcopi depositi substituatur, *priusquam Romanus Episcopus sententiam tulerit.* Itaque necessarium est, ut in eo exemplari voces κριταὶ ἐκεῖσε, id est, *judices, qui sunt ibi*, significent judices Romanos: quos tamen cum significare non possint, nisi ratione habita verborum, quæ præcesserunt, necessaria est emendatio, quam proposuimus, ἐν πόλει τῶν Ῥωμαίων.

VII. Quæri potest, quid intellexerit Imperator Valentinianus, dum scriberet, Flavianum scripto appellasse Pontificem Romanum secundum morem Conciliorum. Illustrissimus Cardinalis Perronius, hunc esse eorum verborum sensum, putat, eam nimirum fuisse synodorum consuetudinem, ut appellationes admitterent ad summum Pontificem; ac statim eam consuetudinem arcessit a canonibus Sardicensibus. Verum verba ipsa aperte repugnant huic interpretationi. Nam cum, ut docet Concilium Africanum, *quædam canone constent, & quædam consuetudine*, planum est, Valentinianum, cum Flaviani facinus tribuit consuetudini, ejus originem non petere a canonibus Sardicensibus. Præterea non loquitur in singulari, hanc esse consuetudinem Concilii, sed Conciliorum in plurali, quod coerceri non potest ad solum Sardicense Concilium. Verum itaque sensum indicat vetus versio Concilii Chalcedonensis, quæ habet: *Secundum solemnitatem Conciliorum eum per libellos appellavit.* Verba enim illa, *secundum solemnitatem Conciliorum*, respondent Græcis illis, κατὰ τὸ ἔθος τῶν συνόδων.

Epist. Valent. ad Theodos. part. 1. Conc. Chalced. c.25. τούτων γὰρ χάριν κατὰ τὸ ἔθος τῶν συνόδων, καὶ ὁ τῆς Κωνσταντινουπόλεως ἐπίσκοπος αὐτὸν ἐπικαλέσατο, διὰ λιβέλλου, ἕνεκα τῆς ἀνακυψάσης φιλονεικίας περὶ τῆς πίστεως.

Significant autem, Flavianum appellasse, non solum viva voce, & in aurem, ut acciderat Eutycheti, sed *per libellum*, hoc est scripto, *secundum solemnitatem Conciliorum*, id est, Conciliorum provincialium, a quibus ad synodos superiores appellabatur *per libellum*, id est, libellum appellatorium.

Vide supra lib. 6. §. 5.

Tametsi enim juxta leges liceat appellare viva voce *inter acta*, aut etiam scripto, libello videlicet appellatorio, in quo continebantur nomina ejus, qui appellabat, tum etiam alterius partis, & sententia, a qua appellabatur, nihilominus secundum morem Conciliorum appellatio fieri debebat servatis scripturæ solemnibus, quemadmodum docet hic locus, qui prorsus singularis est; retinuitque in contextu Græco vocabulum istud Latinum, *libellus*, quod appellationibus proprium est.

L.1.& 2. ff. de appellat.

CAPUT VIII.

De appellatione Theodoreti Episcopi Cyrensis ad Pontificem Rom.

SYNOPSIS.

I. Dioscori sævitia afflixit etiam Theodoretum Episcopum Cyrensem: qui non fuit depositus in secunda synodo Ephesina, ut visum Baronio, & Perronio.

II. Damnatus fuit in Concilio Ephesino primo, quod Nestorio favere videretur. Dejectus autem fuit invocatus & inauditus in secundo, in consequentiam sententiæ a primo latæ.

III. Oppressus Theodoretus Leonem Papam appellavit; a quo receptus est in communionem, atque ea ratione episcopatum suum recepit. Admissus dein ad synodum Chalcedonensem, gravis controversiæ occasio fuit; quam ut sedarent judices, dixerunt, eum venisse tantum, ut accusatorem. Absoluta ergo non fuit restitutio Theodoreti.

IV. Restitutio hæc integra fuit, postquam judicio synodi & Imperatoris comprobata fuit, post anathema Nestorio dictum a Theodoreto.

V. Leo ipse agnoscit definitivum decretum de restitutione Theodoreti debere fieri in synodo.

VI. Agi-

VI. Agitur de collectione canonum a Theodoreto concinnata, in qua additi sunt canones Sardicenses. Aberant illi a collectione, quam Concilium Chalcedonense probavit.

I. DIoscori sævitia afflixit etiam Theodoretum Episcopum Cyri in patriarchatu Antiocheno, adeo ut coactus fuerit sedis apostolicæ auctoritatem implorare, ut Ecclesiæ suæ restitueretur. Existimant Cardinales Baronius & Perronius, Theodoretum a Dioscoro depositum esse in Concilio secundo Ephesino. Sed acta hujus Concilii probant, institutam in eo accusationem non fuisse adversus Theodoretum, sententiam vero latam esse solum adversus Flavianum & Eusebium Episcopum Dorylæi Eutychetis accusatorem. Sane Leo solius depositionis Flaviani meminit in suis epistolis. Itaque, ut ego quidem existimo, res supra repetenda est.

II. Theodoretus una cum Joanne Episcopo Antiocheno damnatus fuerat in Concilio primo Ephesino, eo quod scripsisset adversus anathematismos Cyrilli & synodi Alexandrinæ, atque ideo videretur favere Nestorio. Ac licet concordia rediisset Ecclesiis Alexandriæ & Antiochiæ, restaurataque esset earum communio, Ægyptii tamen ferre non poterant Theodoretum. Unde factum, ut Imperator Theodosius, cum convocaret secundam synodum Ephesinam, scripserit ad Dioscorum, nolle se, ut Theodoretus ad eam accedat, nisi ita prius decreverit universa synodus. Quoniam vero deinceps intellexerat, futurum fortassis, ut quamplures Episcopi optarent heic adesse Theodoretum, a quo alienatum se esse ait Princeps, quod in causa fidei scripsisset nonnulla Cyrillo contraria, altera epistola Dioscoro Alexandrino, Juvenali Hierosolymitano, & Thalassio Cæsareensi maximam tribuit auctoritatem in causa Theodoreti & aliis, quæ spectant ad cognitionem synodi. Dioscorus, qui tam illustri potestate ornatus erat, Theodoretum non judicavit in Concilio. Vocandus enim erat ipse, & causa ejus examinanda; cum tamen contraria prorsus cura Dioscoro sederit, nimirum ne Theodoretus accerseretur. Itaque Dioscorus eum habens pro damnato in prima synodo Ephesina, tanquam hæreseos Nestorii fautorem, declaravit coram synodo, curaturum se, ut Ephesini canones adversus illum custodiantur, eumque velut Nestorianum ab Ecclesia sua expulit. Huc enim alludunt Ægyptii in Concilio Chalcedonensi. *Cyrillum*, inquiunt, *ejicimus, si Theodoretum acceperimus. Canones istum ejecerunt*. Unde constat verba hæc eorundem Ægyptiorum, *coram universa synodo damnatus est*, significare, eum fuisse damnatum omissis judiciorum solemnibus in consequentiam sententiæ Concilii primi Ephesini.

III. Oppressus Theodoretus Leonem Papam appellavit. Appellatio autem ejus extat disertis verbis in epistola, quam scripsit ad Leonem, itemque in epistola ad Renatum Diaconum: in quibus explicat fidem suam, ostenditque, se non esse Nestorianum. Eum itaque Leo recepit in suam communionem, ut ait Paschasinus Legatus in actione prima Concilii Chalcedonensis, atque ea ratione episcopatum illi suum restituit. Eum porro in actione prima Concilii interesse jusserunt judices imperiales, ob eam videlicet causam, ut ipsi inquiunt, quod sanctissimus Arhiepiscopus Leo ei episcopatum suum reddidisset, & quod divinissimus & piissimus Imperator præcepisset, eum adesse in Concilio. Attamen quoniam Ægyptii, Palæstini & Illyriciani gravissimos tumultus excitabant adversus susceptionem Theodoreti, contra orientalium, Thracicorum, Ponticorum & Asianorum studiis idem attollebatur, judices in his angustiis constituti eo confugere coacti sunt, ut dicerent, Theodoretum, tametsi locum suum recepisset auctoritate Leonis, venisse tamen, ut accusatorem tantum, injurias suas ulturum, & expurgaturum, si quid adversus eum proponeretur, nam uniuscujusque partis jus integrum esse. Unde colligere licet, absolutam non fuisse restitutionem Theodoreti, sed interim tantum valituram, donec quæstio principalis, ex qua profecta erat ejus depositio, retractata fuisset, quod factum est in Concilio Chalcedonensi.

Act. 1. Concil. Chalced. ἐπειδὰν καὶ ἀποκατέστησεν αὐτῷ τὴν ἐπισκοπὴν ὁ ἁγιώτατος Λέων.

φυλαττομένων δηλονότι μετὰ ταῦτα παντὸς λόγου, καὶ ὑμῖν καὶ ἐκείνῳ.

IV. Hic modus agendi repugnat aliquatenus canonibus Sardicensibus; quibus appellatio quidem ad Episcopum Romanum conceditur, non tamen restitutio ante judicium. Quare necessaria fuit auctoritas Imperatoris, non solum pro juvanda executione decreti pontificii, sed etiam, ut jure a prædecessoribus suis ad se transmisso propria auctoritate decerneret. Quoniam tamen, ut dixi, restitutio illa nihil detrimenti afferebat quæstioni principali, Concilium in actione octava retractans causam Theodoreti, ab eo exegit, ut conceptis verbis anathema diceret Nestorio & Eutycheti. Ac res eo processit, ut parum abfuerit, quin is cum ignominia & dedecore pelleretur a synodo, eo quod, cum desideriis patrum statim satisfacere debuisset, damnando aperte & uno verbo hæresim Nestorii, orationem orsus est, ut fidem suam explicaret. Post emissam itaque a Theodoreto fidei professionem Paschasinus Leonis Papæ Legatus dixit: *Hoc judicio sanctissima & venerandissima synodus, insuper vero & nostra humilitas, reddi ei Ecclesiam propriam definivit*; ea tamen conditione, si in fide constans esset, quod omnium Episcoporum suffragiis comprobatum est, & imperiali auctoritate confirmatum a judicibus: *Gloriosissimi judices dixerunt: Secundum decretum sancti Concilii Theodoretus sanctissimus Episcopus Ecclesiam civitatis Cyri recipiat.* Mentionem autem hoc loco faciunt decreti Concilii, quod definitivum erat.

V. Quare Leo ipse, tametsi scribat, primam causæ Theodoreti cognitionem ad se pertinere, agnoscit tamen, definitivum decretum debere fieri in synodo. Hæc sunt ejus verba in epistola LXIII. ad Theodoretum, in qua agit de restitutione ejus: *Gloriamur in Domino —, qui nullum nos in fratribus detrimentum habere permisit, sed quæ nostro prius ministerio definierat, universæ fraternitatis irretractabili firmavit assensu, ut vere a se prodiisse ostenderet, quod prius a prima omnium sede formatum, totius Christiani orbis judicium recepisset, ut in hoc quoque capiti membra concordent.*

VI. Sed hoc loco observandum est Theodoretum, qui Romanum Episcopum appellaverat, cupientem patrocinari huic sedi, quæ restitutionem suam procuraverat, collectioni canonum a se adornatæ inseruisse XXI. canones Sardicenses. Extat enim in bibliotheca regia vetus codex MS. Theodoreti nomine insignitus, quo canonum collectio continetur in quinquaginta titulos distributa. Constat autem ex canonibus Nicænis, Ancyranis, Neocæsariensibus, Sardicensibus, Constantinopolitanis, Ephesinis, & XXVII. Chalcedonensibus, præter canones Basilii & LXXXV. apostolicos. In calce hujus collectionis extat collatio Novellarum Justiniani, quam Joannes Scholasticus Patriarcha Constantinopolitanus elaboravit. Sed collectio illa, cum privato Theodoreti usui concinnata esset, confirmata non fuit a Concilio Chalcedonensi. Certum quidem est, Concilium illud in canone primo tribuisse auctoritatem cuidam canonum collectioni, ex qua nonnulli canones laudantur in actis Concilii. Verum ea non complectebatur canones Sardicenses; ut constat ex collectione Latina Dionysii Exigui, quæ nihil aliud est, quam versio Græcæ collectionis a Concilio Chalcedonensi approbatæ, quemadmodum observavimus in capite quinto hujus libri.

Vide lib. 3. c. 11 §. 8.

CAPUT

CAPUT IX.

De appellatione Chrysostomi in causa disciplinam spectante ad Concilium oecumenicum.

SYNOPSIS.

I. De appellatione sancti Joannis Chrysostomi Episcopi Constantinopolitani. Eam non judicavit summus Pontifex, ut vulgo existimant.

II. Chrysostomus vocatus in jus a Theophylo Episcopo Alexandrino eum recusavit. Tum provocavit ad Concilium oecumenicum. Factione quorundam Episcoporum repellitur ab Arcadio Imperatore, qui primam sententiam jubet mandari executioni. De hoc agendi modo expostulat Chrysostomus apud Innocentium Papam, Venerium Episcopum Mediolanensem & Chromatium Aquilejensem. Eum in communionem suam recipit Innocentius. Tum ad extinguendum hoc malum necessariam esse ait universalem synodum, quae coacta non est. Tum soluta communio Ecclesiarum.

III. Itaque Chrysostomi appellatio interposita fuit ad Concilium oecumenicum; & suscepta ab Imperatore, a Summo Pontifice, & ab Episcopis Italis. Censuit Innocentius Papa, appellationem & cetera, quae interim contigere, suspendisse effectum judicii lati adversus Chrysostomum. Implicata est haec causa ob praecipitem damnationem Chrysostomi factam ante responsionem Episcoporum occidentalium.

IV. Schisma duravit, donec orientales Chrysostomi nomen reposuerunt in diptychis Ecclesiae. Explicatus Damasi locus, qui ait sedem apostolicam, etiam solam, absolvisse Chrysostomum. Tum vulgata persuasio destruitur.

I. EXempla appellationum supra allata pertinent ad depositiones ob causam fidei decretas. Sed praetermittendum non est exemplum valde illustre, quod ad solam disciplinam pertinet, editum in magno viro ac sanctissimo Joanne Chrysostomo Episcopo Constantinopolitano. Vulgo scribitur, appellatum ab eo fuisse Innocentium primum Pontificem Romanum, hunc vero cassasse judicium a synodo orientali latum adversus Chrysostomum. Sed si negotium istud penitius introspiciatur, constabit, eam in hac causa fuisse Romani Pontificis auctoritatem, ut egressa non fuerit modum, qui per illas tempestates illi praescriptus erat, sed auctoritatem illum suam totam integram retinuisse; non ita tamen, ut appellationem judicaverit tanquam devolutam ad apostolicam sedem, ut vulgo existimant.

Vide supra c. 2. §. 11. II. Dicta Chrysostomo dies est a Theophylo Episcopo Alexandrino & triginta Episcopis Aegyptiacis, a quibus vocatus est in jus apud suburbium quoddam urbis Chalcedonensis. Chrysostomus Theophylum recusavit ob inimicitias capitales; & judicari se ab eo non posse, pronuntiavit, quod judex esset incompetens. Praeceperat enim canon secundus synodi oecumenicae secundae, ne Aegyptii Episcopi judicent Thracicos, in quibus erat Constantinopolitanus. Tum provocavit ad Concilium oecumenicum, expurgaturum asseverans, si notitiam criminum & copiam diluendi habuerit. At illi, nulla habita ratione appellationis, sententiam depositionis in eum tulerunt. Dein ab Imperatore Arcadio pellitur; sed biduo post revocatur. In Ecclesiam autem regreditur majori Episcoporum numero stipatus, quum essent illi, a quibus fuerat condemnatus. Urget vero celebrationem Concilii, appellationi suae insistens; quae suscipitur ab Imperatore, a quo literae exeunt pro convocatione Concilii. Interim turbulenti aliquot Episcopi, quibus gratia Imperatricis Eudoxiae praesto erat, pronuntiant, restitui non posse Chrysostomum adversus primam depositionem, quod in Ecclesiam regressus foret inexpectata sententia majoris synodi, contempto videlicet canone duodecimo Antiocheno, cui pravam omnino interpretationem adhibent. Dein ab Arcadio Imperatore obtinent, ut prima sententia custodiatur & publica auctoritate mandetur executioni. De hoc agendi modo expostulat Chrysostomus apud Innocentium Papam, Venerium Episcopum Mediolanensem, & Chromatium Aquilejensem, ut scribit Palladius in vita Chrysostomi. Extat autem ejus epistola ad Innocentium: qua Pontificem rogat, ut insuperhabito judicio illo, quod omni ex parte irritum est, eum conservet in communione sua & Episcoporum occidentalium, scribatque in orientem, haec inique facta non habere robur, sicut neque ex sua natura habent. At Pontifex Chrysostomum recipit in suam communionem. In epistola vero ad clerum & populum Ecclesiae Constantinopolitanae data ait, indignum & intolerabile prorsus videri facinus illud, dejectum per vim Episcopum, non servato judicii specimine, & adversus canones. Addit, ad sopiendos talium procellarum motus necessarium sibi videri, ut universalis synodus congregetur, quam dudum etiam cogendam esse censuerat. Eam ob rem Honorius Imperator occidentis fratrem suum Arcadium orat, ut orientales Episcopos congregari jubeat apud Thessalonicam, quae occidentis urbs erat. Negat Arcadius. Tum occidentalium & orientalium Ecclesiarum communio solvitur & dissociatur; quae redintegrari non potest, nisi orientales in communionem suam recipiant memoriam sancti Joannis Chrysostomi, qui interim obierat in exilio.

Epist. Joannis Chrys. ad Innoc. & epist. Innoc. ad clerum CP.

Sozomenus.

III. Ex hac narratione colligitur, non quidem Chrysostomum provocasse ad summum Pontificem, aut appellationem ejus a Papa judicatam fuisse, sed appellationem, ab eo interpositam ad Concilium oecumenicum, susceptam esse ab Imperatore pro more illius seculi, ei porro appellationi consensisse Papam & Episcopos Italos, qui cura sua id dein egerunt apud Imperatores, ut Concilium convocaretur. Sed non eo loci substitit Innocentius. Censuit enim cum Episcopis Italis appellationem interpositam ante depositionem ac postea renovatam & manifestas judicii hujus nullitates judicii effectum suspendisse; communionemque suam subtraxit orientalibus, donec illi sententiae suae accederent. Congruit aliquatenus ea historia cum causa Athanasii. Imo validior est causa Chrysostomi, ex eo capite, quod appellatio ejus ad futurum Concilium suscepta sit ab Imperatore & a Pontifice Romano. Rursum altera quoque nullitas proferebatur adversus secundam depositionem; quae occidentalium animos irritavit, qui contumeliam hinc sibi irrogari censuerunt. Theophylus enim Episcopus Alexandrinus & Joannes Chrysostomus Legatos suos miserunt ad Episcopos Romae & Italiae, ut communi consensu huic perturbationi remedium adhiberi posset. Et tamen inexpectata responsione Episcoporum occidentalium, qui ab utraque parte per legatos consulti fuerant, praecipitatum in oriente fuit Chrysostomi judicium, post quod pulsus est in exilium. Interim synodus Episcoporum Romae & Italiae censuit terminandas esse controversias illas in Concilio generali, nullam vero partium abstinendam esse a communione ante judicium ejusdem Concilii. Isthaec quidem docet Palladius. Sed praeterea extat Honorii Augusti epistola ad Arcadium fratrem, quae id ipsum docet; cujus verba magni momenti sunt. Sic autem habet: *Erat inter Episcopos causa, quae collato tractatoque consilio deberet absolvi. Missi ad sacerdotes urbis aeternae atque Italiae utraque ex parte Legati. Expectabatur ex omnium*, id est, orientalium & occidentalium, *auctoritate sententia informatura regulam disciplinae. Integrum nempe esse debuerat, nec quicquam novari, dum definitio deliberata procederet; cum interea mirum quoddam praecipitium festinationis exarsit, ut non expectatis litteris sacer-*

dorum, qui fuerant mutua partium legatione consulti, non examinatis rebus, in exilium truderentur antistites, animadversioni prius addicti, quam sententiam judicii episcopalis experti. Denique quam immatura illa damnatio fuerit, res probavit. Namque hi, quorum expectabatur auctoritas, pacifica Joanni Episcopo communione permissa, faciendam concordiam censuerunt, nec quemquam putarunt ante judicium consortio repellendum. Quid nunc aliud superest, quam ut catholicam fidem schismata in diversum dissociata dilacerent?

Vide lib. 3. c. 7. §. 1. IV. Sane schisma inter Ecclesias duravit, donec Episcopi Constantinopoleos & Antiochiæ nomen Chrysostomi reposuerunt in diptychis Ecclesiæ, id est, in libris, in quibus descripta erant nomina Episcoporum defunctorum; quæ in liturgia recitabantur, ut eorum memoriæ communicaretur, precesque pro eis fierent. Cyrillus Episcopus Alexandrinus, Theophili successor, acriter contendit, id fieri non debere, scripta ad Atticum Episcopum CP. gravissima epistola, qua ajebat, id contra canones esse & adversum auctoritati judicii pro depositione lati, neque ea ratione revocandam esse pacem Ecclesiæ, ut interim vulnus atrocissimum canonibus infligatur. Attamen rediit occidentalibus & orientalibus concordia post restitutionem nominis Chrysostomi. Quare non sine causa scribere hæc potuit Papa Gelasius in epistola ad Episcopos Dardaniæ: *Joannem Constantinopolitanum synodus etiam catholicorum præsulum certe damnarat; quem simili modo sedes apostolica, etiam sola, quia non consensit, absolvit.* Quæ tamen verba non ita intelligenda sunt, tametsi ea sit multorum persuasio, ut hinc colligi videatur, synodum non esse executoriam absque confirmatione summi Pontificis. Nam nihil aliud hinc erui potest, quam sedem apostolicam non consensisse executioni hujus judicii adversus Chrysostomum lati, tum quia ipse appellaverat, tum etiam quod irritum prorsus & nullum censendum illud esset, orientales vero, cum nihil ex obstinata severitate Pontifex Romanus remitteret, necessitate quadam coactos cessisse ejus voluntati, ut pacem Ecclesiarum ea occasione interruptam restituerent.

CAPUT X.

De appellatione Joannis Patriarchæ Alexandrini, & de jure Pontificis Rom. judicandi de appellationibus interpositis.

SYNOPSIS.

I. Joannes Patriarcha Alexandrinus a Petro Moggo dejectus Papam Simplicium appellavit.

II. Summi Pontifices non solum cognoscebant de appellationibus orientalium, sed etiam primam causæ cognitionem in se trahebant, si de hæresi ageretur. Materia enim fidei est causa communis. Eo jure usus est Cælestinus adversus Nestorium.

III. Si post damnatam hæresim Patriarchæ adhærerent hæreticis, deponi poterant a summo Pontifice & synodo Romana absque Concilio œcumenico. Tunc enim Papa se præstat executorem sententiæ latæ adversus hæresim. Probatur ex Gelasio.

IV. Gregorius magnus judicavit appellationes interpositas a sententiis Patriarchæ Constantinopolitani.

I. MAgni etiam momenti est appellatio Joannis Patriarchæ Alexandrini, quem Petrus Moggus hæreticus, jubente Imperatore Zenone, & consentiente Acacio Episcopo Constantinopolitano, episcopatu deturbavit. Imploravit dejectus ille auxilium Calendionis Patriarchæ Antiocheni; ex cujus & synodi orientis sententia Papam Simplicium appellavit, ut scribit Liberatus Archidiaconus Ecclesiæ Carthaginensis in capite XVIII. sui breviarii: *Joannes ingressus est ad Calendionem Patriarcham; & sumptis ab eo intercessionis synodicis literis, Romanum Pontificem appellavit, sicut fecit & beatus Athanasius: & suasit scribere pro se Acacio Constantinopolitano.*

II. Non solum autem summi Pontifices cognoscebant de appellationibus Episcoporum & Patriarcharum orientis, quando agebatur de fide, sed etiam primam causæ cognitionem ad se trahebant, si forte in hæresim incidissent. Nam quia materia fidei est causa communis & generalis, quæ ad universam Ecclesiam pertinet, ut supra dixi, necesse est, ut hæresis ab omnibus Episcopis damnetur, præcipue vero a Romano, qui caput est unitatis, & qui cum primam sedem obtineat, ferre debet primam sententiam; *cujus debet esse prima sententia*, ut loquitur Facundus Hermianensis. Eoque jure usus est Cælestinus Papa adversus Nestorium.

III. At si jam hæresis in synodo damnata fuisset, quemadmodum Eutychiana in Concilio Chalcedonensi, tum, si Patriarchæ communionem hæreticorum amplectebantur, deponi poterant a summo Pontifice & synodo Romana, neque necessaria erat synodus œcumenica. Eo enim casu Papa se tantum præstat executorem sententiæ latæ adversus auctores hæreseos & eorum complices. Vide lib. 4. cap. 17. §. 1. Ei fundamento innixus Gelasius Papa Acacii Patriarchæ Constantinopolitani, qui a Felice Papa dejectus fuerat in synodo Romana, depositionem tuetur adversus exceptionem Euphemii Patriarchæ Constantinopolitani, qui ajebat, decessorem suum non potuisse damnari ab uno, id est, a summo Pontifice, absque congregatione synodi. Respondet itaque Gelasius in commonitorio ad Faustum: *In qua*, id est, in synodo Chalcedonensi, *per numerosam sententiam sacerdotum erroris hujus auctores constat fuisse damnatos, decessoremque meum executorem fuisse veteris constituti, non novæ constitutionis auctorem.*

IV. Auctoritatem judicandi de appellationibus interpositis a sententiis a Patriarcha CP. latis in causa fidei retinuit Gregorius magnus, cujus rei exempla extant in causa cujusdam Presbyteri Chalcedonensis, & monachi cujusdam Lycaoniæ, qui a Joanne Patriarcha Constantinopolitano appellaverant.

CAPUT XI.

Quod sero canones Sardicenses in occidente etiam recepti fuerint, ostenditur.

SYNOPSIS.

I. Inquiritur, an canones Sardicenses in occidente obtinuerint in gratiam Episcoporum dejectorum. Quid occidentis nomine significetur. Variæ occidentis Diœceses enumerantur.

II. Sero itaque canones Sardicenses recepti sunt in occidente. Nam Principes causas retractari jubebant jure suo; quo eos privare noluit Concilium Sardicense.

III. Ex constitutione Gratiani, qua valde amplificata est auctoritas Episcopi Romani, colligitur, eos canones nondum fuisse receptos in usum.

IV. Ei constitutioni edendæ occasionem præbuit Romana synodus, quæ ægre ferebat Episcopos in singulis occasionibus accedere ad Imperatores pro impetranda revisione. Ordo itaque judiciorum nova lege explicatus est a Gratiano, quæ plurimum auctoritatis tribuit Episcopo Romano.

V. Referuntur verba rescripti hujus Principis.

VI. Missum est illud in executionem quadriennio post, in causa Priscilliani & sectatorum ejus: qui cum damnati fuissent in synodo Cæsaraugustana, Romam accesserunt, ut Damaso coram objecta purgarent. Sed ne in conspectum quidem ejus admissi sunt.

VII. Red-

VII. Redditi sunt postea Ecclesiis suis a Gratiano. Sed rursum damnati sunt, post mortem Gratiani, studio Ithacii Episcopi.

VIII. Sulpitius Severus ægre fert appellationem Priscilliani non cohibitam fuisse ab Episcopis, qui sententiam adversus eum tulerant. Loquitur autem de appellatione ad Imperatorem. Explicatur locus Sulpitii Severi.

I. Satis, ut arbitror, orientem spectavimus. Redeamus itaque ad occidentem, & videamus, an illic obtinuerint canones Sardicenses in gratiam Episcoporum dejectorum. Occidentis nomine per eas tempestates comprehendebantur universæ Ecclesiæ, quæ tum continebantur intra terminos imperii occidentalis, a confinio Thraciæ usque ad Oceanum. Distinctio illa orientis & occidentis introducta fuit in imperio temporibus Vespasiani, tametsi corpus imperii divisum non esset. Sed divisionem illam peregit Diocletianus: cujus exemplum imitatus Constantinus imperium divisit inter filios suos, iis limitibus imperiorum constitutis, qui dein Ecclesiarum quoque limites fuere. Divisus autem erat occidens, æque ac oriens, in tractus & Diœceses numero septem. In Italia quippe duæ Diœceses erant; quarum una urbi Romanæ contributa erat, & decem provincias complectebatur; altera vero, quæ constabat ex septem provinciis, civitati Mediolanensi suberat. In Illyrico provinciæ erant XVIII. quarum caput erat Sirmium. Cum autem divisum illud fuisset in orientale & occidentale, Thessalonica constituta est caput Illyrici orientalis; reliqua vero Illyrici pars Præfecto prætorio Italiæ subjecta fuit. Africana Diœcesis sex provincias complectebatur, quarum caput erat Carthago. Diœcesis vero Gallicana ex XVII. provinciis constabat. Britannica quinque provincias numerabat; Hispanica vero, sex. Hæc in antecessum monenda erant, ut facilius intelligi possent ea, quæ heic dicturi sumus.

II. Canones Sardicenses, qui in schismate Ecclesiæ conditi fuerant, sero in occidente recepti sunt: quoniam Imperatores rescriptis suis decernebant celebrationem synodorum ad judicandas caussas Episcoporum, tum etiam rescripta concedebant pro retractatione causarum. Eo autem jure privare Principes noluit synodus Sardicensis; sed tantum in Episcoporum depositorum arbitrio positum esse voluit Episcopum Romanum vel Imperatorem appellare pro obtinenda causæ revisione.

III. Confusio, quæ in his synodis occurrebat, & lentitudo negotiorum, quas invehebant rescripta Principum, novæ constitutioni occasionem præbuerunt, quæ ab Imperatore Gratiano edita est juxta postulata cujusdam synodi Romanæ. Gratianus ergo jurisdictionem ecclesiasticam ordinavit quoad judicia Episcoporum de hæresi suspectorum; & in ea lege magna ratio habetur summi Pontificis, sed alio prorsus modo, quam eo, qui fuerat præscriptus in synodo Sardicensi. Unde colligitur, eos canones nondum fuisse receptos in usum. Nam aut eundem ordinem tenuisset Gratianus, aut saltem eorundem canonum mentionem fecisset.

IV. Synodus Romana congregata anno CCCLXXVIII. ex omnibus Episcopis Italiæ oravit Gratianum & Valentinianum Impp. ut constitutionem ea de causa generalem ederent, in eum sensum, quem ipsa suggerebat, ne Episcopi deinceps cogerentur ad Principem accedere in singulis occasionibus. *Quæsumus*, inquiunt Episcopi, *clementiam vestram, ne rursus in plurimis causis videamur onerosi, ut jubere pietas vestra dignetur*. Itaque rogante synodo, triginta annis post habitum Sardicense Concilium, auctoritate imperiali decretum est, ut Papa Damasus apud Romam judicet accusationes cum consilio quinque aut septem Episcoporum, & ut accusati compellantur a Præfectis prætorio, Proconsulibus, aut Vicariis eas Ecclesias dimittere, a quibus dejecti fuerint, aut Romano se Pontifici sistere ad subeundum judicium. Si vero accusati consistant in longinquioribus provinciis, omnis ejus causæ cognitio pertinebit ad Metropolitanum illius provinciæ. Sed si accusatus fuerit Metropolitanus, tum is debet necessario Romam venire, illic judicandus, aut ad Episcopos accedere, quos Papa judices dederit. At si fortasse Metropolitani suspecti essent accusatis, tum eis pro libito licebit provocare ad Romanum Pontificem aut ad Concilium quindecim finitimorum Episcoporum. Statuunt autem Imperatores, ut, quicquid a Pontifice Romano, sive a judicibus ab eo datis, sive a Metropolitano, aut etiam a Concilio quindecim Episcoporum fuerit statutum, prorsus obtineat; adeo, ut in controversiam deduci non possit, etiam prætextu revisionis, aut alio quovis modo.

V. Vir clarissimus Sirmondus epistolam Concilii Romani itemque rescriptum Gratiani edidit in appendice Codicis Theodosiani. Quamquam rescriptum illud editum fuerat a Baronio in tomo quarto annalium, sed minus emendate. Ea autem, quæ ex ea constitutione retulimus, habentur in his verbis: *Volumus autem, ut quicunque judicio Damasi, quod ille cum consilio quinque vel septem habuerit Episcoporum, vel eorum, qui catholici sunt judicio vel consilio condemnatus fuerit, si injuste voluerit Ecclesiam retentare, ut qui evocatus ad sacerdotale judicium per contumaciam non ivisset, aut ab illustribus viris Præfectis pratorio Galliæ atque Italiæ, sive a Proconsulibus, vel Vicariis, auctoritate adhibita, ad episcopale judicium remittatur, ut ad urbem Romam sub prosecutione perveniat. Aut si in longinquioribus partibus alicujus ferocitas talis emerserit, omnis ejus causæ dictio ad Metropolitæ in eadem provincia Episcopi deducatur examen. Vel si ipse Metropolitanus est, Romam necessario, vel ad eos, quos Romanus Episcopus judices dederit, sine dilatione contendat.* Infra: *Quod si vel Metropolitani Episcopi vel cujuscunque sacerdotis iniquitas est suspecta aut gratia, ad Romanum Episcopum vel ad Concilium quindecim finitimorum Episcoporum liceat provocare; modo ne, post examen habitum, quod definitum fuerit, integretur.*

VI. Executionis hujus rescripti exemplum extat anno CCCLXXXI. in causa Priscilliani hæretici, hominis Hispani, Instantiique Episcopi & Salviani sectatorum ejus, qui damnati fuerunt in Concilio Cæsaraugustano. Hi ergo, post sententiam synodi, Romam accesserunt, ut Damaso coram objecta purgarent; sed ne copiam quidem sui facere voluit Pontifex, ut Sulpitius Severus adnotavit in libro secundo historiæ sacræ. *Instantius*, inquit, *Salvianus & Priscillianus Romam profecti, ut apud Damasum Urbis ea tempestate Episcopum objecta purgarent*. Infra: *Hi ubi Romam pervenere, Damaso se purgare cupientes, ne in conspectum quidem ejus admissi sunt*.

VII. Sed postea rescriptum ab Imperatore Gratiano impetrarunt, quo missa est in irritum sententia adversus eos lata in Concilio Cæsaraugustano, Ecclesiisque suis redditi sunt. Post mortem Gratiani, Ithacius Episcopus Hispanus, qui primum judicium adversus Priscillianum procuraverat, Imperatorem Maximum adiit, qui Gallias, Hispanias, & Britanniam sub imperium acceperat: a quo synodum Burdigalæ in Aquitania secunda cogendam impetravit, in qua Instantius ab episcopatu suo dejectus est. Priscillianus vero, cum jurisdictionem Episcoporum refugeret, provocavit ad Imperatorem; auditusque apud urbem Treverensem, capite damnatus est a Præfecto prætorio una cum quibusdam sectatoribus suis.

VIII. Sulpitius Severus, qui narrationem hanc debemus, ægre fert, quod Episcopi acquieverint appellationi Priscilliani; quem potius damnare debuerant velut contumacem; vel si ipsi reo suspecti essent, judicium illud reservare debuerant aliis

Episco-

Episcopis, non autem Imperatori, ut ipse ait; idque eam hauddubie ob causam, quod judicium de hæresi ad jurisdictionem ecclesiasticam pertineret post editam Gratiani constitutionem. *Priscillianus vero ne ab Episcopis audiretur*, inquit Severus, *ad Principem provocavit. Permissumque id nostrorum inconstantia: quia aut sententiam in refragantem ferre debuerant, aut si sibi ipsi suspecti habebantur, aliis Episcopis audientiam reservare, non causam Imperatori de tam manifestis criminibus permittere.* Arbitror autem temperamentum illud a Sulpitio Severo propositum, nimirum, ut rei ad aliud Episcoporum Concilium dimittantur ob suspicionem primorum judicum, ex rescripto Gratiani petitum esse; nisi si id factum est ob receptum ea tempestate morem, ut si forte synodus cuipiam suspecta videretur, Princeps reum & actorem ad aliud Concilium dimitteret, quod litteris imperialibus contrahebatur, ut constat ex actis Concilii Berytensis, relatis in actione nona Concilii Chalcedonensis. Unde sequi videatur, eam Severo mentem fuisse, ut existimaverit, potuisse Maximum congregare aliam synodum, eo quod Episcopi Burdigalæ congregati reo suspecti forent.

CAPUT XII.

Ulterius demonstratur, ne quidem ætate Innocentii I. Sardicenses canones fuisse receptos, ubi simul de relationibus ad sedem Romanam agitur.

SYNOPSIS.

I. Ætate Innocentii primi canones Sardicenses nondum recepti erant. Is enim jura sedis suæ arcessit a Concilio Nicæno.

II. Canon sextus Nicænus conservavit privilegia Ecclesiæ Romanæ. Inquiritur in privilegia illa. Duæ Diœceses Italicæ prorsus parebant constitutis apostolicæ sedis. Ceteræ vero occidentis Ecclesiæ tenebantur ad eam mittere relationes.

III. Tenebantur ergo referre ad apostolicam sedem de quæstionibus difficilioribus & ambiguis. In quo summus Pontifex utebatur jure quodam imperiali.

IV. Duplex relationum genus in Ecclesia. Vel quando de fide agebatur, vel de quodam disciplinæ capite nondum aperte definito in canonibus. Inferioris ordinis Episcopi referre ad Patriarchas debebant de causis fidei. Probatur ex Hieronymo.

V. Causæ ergo fidei referebantur ex utraque Ecclesia ad Pontificem Romanum, ut de integro examinarentur in synodo Romana. Relationes orientis non mittebantur ad apostolicam sedem, nisi post examen synodi patriarchalis. Relationes vero occidentis recta ex provinciis ad eam sedem deferebantur.

VI. Jus illud apostolicæ sedis canonibus & vetustæ consuetudini tribuit Innocentius primus. Quoad canones, probatur ex illius epistola ad Concilium Milevitanum.

VII. Quoad antiquam vero traditionem, eam ille obtendit in epistola ad Concilium Carthaginense. Referuntur verba illius epistolæ, & explicantur. Gelasius Papa docet, in causis fidei summam totius judicii deberi apostolicæ sedi. Justinianus Imp. relationem ad Joannem secundum Papam misit in causa fidei.

I. NOndum etiam recepti erant canones Sardicenses ætate Innocentii primi, id est, ad annum quadringentesimum. Jus enim, quod ille vindicat sedi suæ, prorsus petit a canonibus synodi Nicænæ: quorum sensum, quoad jura Romani Pontificis in occidente, primus ille aperuit in epistola ad Victricium Episcopum Rothomagensem. Quoniam vero hic locus nondum satis explicatus est, ut ego quidem arbitror, ei explicando nostra quoque cura non deerit; præsertim cum res ista pertineat etiam ad materiam, quam tracto, ad depositionem videlicet Episcoporum.

II. Canon sextus Nicænus privilegia sua, in quorum possessione tunc erat Ecclesia Romana, ei conservavit, æque ac Ecclesiis Alexandriæ & Antiochiæ, aliisque, quarum magna dignitas erat. Verum non explicat, quænam fuerint illa privilegia, aut ad quas provincias porrigerentur. Quin imo cuncta consuetudini adscribit, quæ facile deprehendi non potest in illa antiquitate, eo quod novi canones prorsus mutaverint antiquam formam. Unde fit, ut hodie multum laboremus in detegendis juribus illis. Attamen affirmare licet, duas Diœceses Italicas sedis apostolicæ constitutis omnino paruisse per illas tempestates; quod synodum ejus patriarchalem constituerunt, ut alibi ostendi. At ceteræ occidentis provinciæ tenebantur mittere ad eam relationes, tanquam ad sedem, in qua residebat principatus sedis apostolicæ, & unde fides manaverat in provincias. Roma ergo erat velut matrix fidei. Ecclesiæ vero ceterarum occidentis provinciarum erant velut coloniæ quædam ab ea urbe pendentes, in quo similes erant Ecclesiis Italicis. Hic est sensus epistolæ Innocentii primi ad Decentium Episcopum Eugubinum. *Præsertim cum sit manifestum*, inquit, *in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam, insulasque interjacentes nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus aut ejus successores constituerunt sacerdotes.* Infra: *Oportet eos hoc sequi, quod Ecclesia Romana custodit, a qua eos principium accepisse, non dubium est; ne, dum peregrinis assertionibus student, caput institutionum videantur omittere.*

III. Subjectio illa provinciarum occidentis, quæ ad synodum patriarchalem Romanam non pertinebant, non versabatur tantum in reverentia quadam & obsequio erga sedem apostolicam, sed in eo præcipue, quod illæ tenerentur referre ad Pontifices Romanos de quæstionibus difficilioribus & ambiguis, quæ incidebant. In quo summus Pontifex utebatur jure quodam imperiali, quod probat supremam ejus auctoritatem. Frustra enim sunt, qui eam quærunt in appellationibus Episcoporum, quæ in veteri Ecclesia non recipiebantur.

IV. Sed ut melius intelligamus, quid eximium habeat jus illud relationis, observandum est, nomen illud ex jure civili sumptum esse: ubi legimus, Præsides provinciarum relationes ad Principem misisse, quando dubiæ litis occasio id exigebat, cujus rei exempla extant in Codice Theodosiano & Justinianeo. Quem relationum morem a Plinio Secundo, cum ad ordinandam Bithyniam & Pontum a Trajano Principe missus esset, frequenter usurpatum fuisse legimus. In Ecclesia vero duo causarum genera erant, in quibus necessarius erat usus relationum. Nimirum quoties agebatur de fidei controversæ capitibus, vel de quopiam dubiæ disciplinæ capite nondum satis aperte definito in canonibus. Nam quoad materiam fidei, extat insignis locus apud Hieronymum in epistola LXI. quæ data est ad Joannem Episcopum Hierosolymorum; ex qua patet, eam necessitatem inferioris ordinis Episcopis incubuisse, ut ab iis referendum esset ad Patriarchas de causis fidei. Scribens enim, ut dixi, ad Joannem Episcopum Hierosolymitanum, cum eo graviter expostulat, quod obortis in Palæstina controversiis de erroribus Origenis, de iis retulisset ad Theophilum Episcopum Alexandrinum, cum potius juxta Nicæni canonis præscriptum referre debuisset ad Metropolitanum suum, Episcopum videlicet Cæsariensem, aut ad Episcopum Antiochiæ, qui orientis atque adeo Palæstinæ Metropolitanus erat. *Antiochiam*, inquit, *quæ est metropolis orientis, referre debueras.*

Videlib.1.cap. 10.

V. Causæ ergo fidei ad summum Pontificem referebantur post judicia synodorum provincialium, non

non solum ex occidente, sed etiam ex oriente, ut de integro examinarentur in synodo Romana. Sed illud discrimen intercedebat, quod relationes orientis non mittebantur ad apostolicam sedem, nisi postquam examinatæ fuerant in synodo patriarchali, cum e contra relationes occidentis recta ex provinciis ad sedem Romanam commearent. Sic post damnatam Pelagii & Cælestii hæresim Concilium Carthaginense & Milevitanum relationem ad Innocentium primum miserunt anno CCCCII. ut judicium ab ipsis latum sedis apostolicæ auctoritate firmaretur. Hæc sunt verba epistolæ Concilii Milevitani ad Innocentium: *Hoc itaque gestum, Domine frater, sanctæ charitati tuæ intimandum duximus, ut statutis nostræ mediocritatis etiam apostolicæ sedis adhiberetur auctoritas.* De relationibus utriusque Concilii habita cognitio est in Concilio Romano. Sic enim eorum synodicas epistolas vocat Innocentius in epistola XXVII. ad Aurelium Episcopum Carthaginensem, missa per Julium Episcopum, quem ad eundem Aurelium redire jussit *cum apostolicæ sedis ad relationem duplicis synodi judicatis.* Idem quoque relationis vocabulum usurpat ipse Innocentius in epistola ad eundem Aurelium & Augustinum Hipponensem Episcopum, quæ est XCVI. inter epistolas Augustini: *Vestris relationibus respondentes rescripsimus.* Itemque in responsione ad Concilium Milevitanum, epistola XCI. inter epistolas ejusdem Augustini: *Fiant enim necesse est cautiores, cum inventores malorum ad duplicis relationem synodi sententiæ nostræ statutis viderint ab ecclesiastica communione sejunctos.*

VI. Jus illud apostolicæ sedis, recipiendi nimirum relationes synodorum, canonibus & vetustæ consuetudini tribuit idem Innocentius. Nam quoad canones, illos laudat in epistola, quam diximus, ad Concilium Milevitanum, quam iis verbis conceptam esse, ait Augustinus in epistola CVI. quæ sedis apostolicæ sacerdotem decebant. Nam postquam synodum illam laudibus prosecutus est, quod eo officio defuncta esset erga sedem apostolicam, exemplo aliarum provinciarum, addit, Africanos ita agentes canonum constituta servasse, & universo orbi profuisse, quod hæresim damnaverint. *Neque enim*, inquit Innocentius, *hoc vestram credo latere prudentiam, qui id etiam actione firmastis, scientes, quod per omnes provincias de apostolico fonte petentibus responsa semper emanent; præsertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror, omnes fratres & coepiscopos nostros nonnisi ad Petrum, id est, sui nominis & honoris auctorem, referre debere, velut nunc retulit dilectio vestra, quod per totum possit Ecclesiis omnibus in commune prodesse.* Infra: *Gemino igitur bono charitas vestra fungetur. Nam & canonum potiemini gratia servatorum, & beneficio vestro totus orbis tutabitur.*

VII. Quoad antiquam vero traditionem, disciplinam ecclesiasticam, ac decreta patrum, laudantur ab eo istæc omnia ad asserendum Romanæ sedis privilegium in epistola ejus ad synodum Carthaginensem, quæ est XCII. inter epistolas Augustini. *Antiquæ traditionis exempla servantes*, ait idem Innocentius, *& ecclesiasticæ memores disciplinæ, nostræ religionis vigorem non minus nunc in consulendo, quam antea, cum pronuntiaretis, veneratione firmatis, qui ad nostrum referendum approbastis esse judicium, scientes quid apostolicæ sedi debeatur; cum omnes hoc loco positi, ipsum sequi desideremus Apostolum, a quo ipse episcopatus & tota auctoritas nominis hujus emersit. Quem sequentes, tam mala jam damnare novimus, quam probare laudanda, vel id vero quod patrum instituta sacerdotali officio custodientes non censetis esse calcanda; quod illi non humana, sed divina decrevere sententia; ut quicquid quamvis de disjunctis remotisque provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, nisi ad hujus sedis notitiam perveniret, ut tota hujus auctoritate, justa quæ fuerit pronuntiatio, firmaretur.* Clausula illa generalis, *Quicquid*, coerceri debet ad materiam, qua de agitur, juxta vulgatam juris definitionem. Atque adeo restringenda est ad causas fidei, ut docet Innocentius ipse in epistola ad Concilium Milevitanum: *præsertim*, inquit, *quoties fidei ratio ventilatur.* Quare recte Gelasius Papa in commonitorio ad Faustum scripsit principalem auctoritatem, licet non totam, deberi juxta canones sedi apostolicæ in causa fidei: *Quantum ad religionem pertinet, nonnisi apostolicæ sedi, juxta canones, debetur summa judicii totius.* Extat autem in Codice Justinianeo relatio in causa fidei a Justiniano Augusto facta ad Joannem II. Pontificem Romanum. L. Inter claras. C. De sum. Trin.

CAPUT XIII.

De relationibus in causis dubiæ disciplinæ & aliis majoribus ad Pontificem Rom.

SYNOPSIS.

I. Referebatur etiam ad sedem apostolicam de causis dubiæ disciplinæ. Ratio hujus instituti proponitur, petita ex necessitate communionis cum Ecclesia Romana. Relatio & consultatio promiscue accipiuntur. Probatur multis auctoritatibus.

II. Relationes itaque & consultationes ad apostolicam sedem mittebantur in capitibus dubiæ disciplinæ. Quod ostenditur exemplo Himerii Episcopi Tarraconensis, qui Siricium Papam interrogavit de quindecim capitibus disciplinæ, quæ magni momenti erant.

III. Probatur etiam ex Innocentio primo, qui morem illum arcessit ab institutione majorum.

IV. Ea autem mens fuit Romanis Pontificibus, quum consultationibus provincialium respondebant, non, ut novas leges præscriberent, sed ut eos revocarent ad observationem canonum & antiquæ traditionis. Probatur ex eodem Innocentio & Leone primo.

V. Episcopi adstricti erant ad observationem harum responsionum, quod decisiones essent ex canonibus aut ex traditione petitæ. Quare Siricius epistolam suam ad Himerium significari jubet omnibus Episcopis Hispaniarum.

VI. Locus ex epistola Innocentii ad Victricium Rothomagensem explicatus. Synodus illic memorata non est Sardicensis, sed Nicæna. Sardicensis enim nihil statuit de relationibus ad summum Pontificem mittendis in causa fidei.

VII. Canonibus tamen Nicænis modum quendam præscribit Innocentius; qui petitus est ex canone sexto ejusdem Concilii Nicæni. Explicatur locus Innocentii contra pravas aliorum interpretationes, qui de depositionibus Episcoporum tantum heic agi existimant, quod majores causæ ad apostolicam sedem referri heic jubeantur.

VIII. Quæ sint causæ majores. Priscis illis temporibus depositiones Episcoporum non referebantur inter causas majores, id quod manifestum est, & probatur variis auctoritatibus. Majores causæ, id est, difficiles quæstiones, ex Pelagio II. Papa.

IX. Causæ simplicium Presbyterorum ad sedem apostolicam referebantur, quando de fide agebatur. Probatur multis exemplis. Ergo causæ quoque Presbyterorum possunt esse majores.

X. Existimat tamen Hincmarus, Innocentium alludere ad Concilium Sardicense, tametsi solius Nicæni mentionem faciat. Relationem autem ad eum casum coercet, si Episcopi appellaverint. Refellitur Hincmarus multiplicibus argumentis. Siricius & Innocentius nullos canones, præter Nicænos, in auctoritatem receperunt. Nullos enim alios canones tunc admittebat Ecclesia Romana.

I. PRæter causas, quæ ad fidem pertinebant, relationes etiam fiebant ad sedem apostolicam

licam in cauſis dubiis diſciplinæ canonicæ. Ea quippe tempeſtate Romana Eccleſia ac ceteræ occidentis nulla alia lege tenebantur, quam Nicænis canonibus & more majorum; quarum inſtitutionum auctoritas ſanctius obſervabatur in Eccleſia Romana, ubi quoque apertior erat earum ſententia. Quare cum provinciis occidentis ea neceſſitas incumberet, ut capiti ſuo conſentire deberent tam in capitibus diſciplinæ quam fidei, relationes ea de cauſa ſuas ac conſultationes ad apoſtolicam ſedem mittebant. Conſultationes voco, quod hæc duo vocabula promiſcue accipiantur in Digeſtis, Codice Theodoſiano & Juſtinianeo. Quo exemplo ſcriptores quoque eccleſiaſtici promiſcue his vocibus uſi ſunt. Inde factum, ut Hieronymus in epiſtola ad Ageruchiam, de ſe loquens, dicat, ſe apud Damaſum operam dediſſe, ut orientis atque occidentis ſynodicis conſultationibus reſponderet. Et Innocentius primus, ad Concilium Milevitanum ſcribens, hujuſcemodi relationes *conſulta* vocat; ac teſtatur, eam fuiſſe unam ex occupationibus ordinariis apoſtolicæ ſedis, ut hujuſcemodi conſultationibus reſponderet: *Inter ceteras Eccleſiæ Romanæ curas & apoſtolicæ ſedis occupationes, quibus diverſorum conſulta fideli ac medica diſceptatione tractamus.* Si quis tamen argumentum requirat manifeſtius ad probandum, voces relationis & conſultationis promiſcue accipi conſueviſſe, proferenda ſunt verba Siricii Papæ in epiſtola ad Himerium Epiſcopum Tarraconenſem in Hiſpania citeriori. *Directa*, inquit, *ad deceſſorem noſtrum ſanctæ recordationis Damaſum ſanctitatis tuæ relatio me jam in ſede ipſius conſtitutum invenit; quam cum in conventu fratrum ſollicitus legeremus &c.* Infra: *ad ſingula conſultationi tuæ reſponſum competens non negamus.* In libris quoque juris civilis hæ voces promiſcue etiam accipiuntur. L. 1. C. de rel.

II. Adnotavi ſupra, mitti ſolitas ad ſedem apoſtolicam relationes ſive conſultationes in capitibus dubiæ diſciplinæ. Hujus rei exemplum extat in conſultatione Himerii Tarraconenſis Metropolitani ad Damaſum Papam miſſa; qua eum interrogavit de quindecim capitibus diſciplinæ, quæ magni momenti erant, de baptiſmo nimirum, pœnitentia, clericis, eorumque cœlibatu, ac de monachis. Siricius vero, priſcæ ætatis Pontifex, qui anno CCCLXXXV. & deinceps ſedebat, conſultationem illam profectam eſſe pronuntiat ex mero jure obſequii, quod ſedi apoſtolicæ debetur. Sic enim ſcribit in calce epiſtolæ ad Himerium: *Ad ſingulas cauſas, de quibus ad Romanam Eccleſiam, utpote ad caput tui corporis, retuliſti, ſufficientia, quantum opinor, reſponſa reddidimus.*

III. Earum conſultationum uſus in dubiis diſciplinæ cauſis diſertis verbis expreſſus habetur in epiſtolis Innocentii primi, qui eum arceſſit ab inſtitutione majorum in epiſtola ad Felicem Epiſcopum Nucerianum. *Mirari non poſſumus*, inquit, *dilectionem tuam ſequi inſtituta majorum, omniaque, quæ poſſunt aliquam recipere dubitationem, ad nos, quaſi ad caput atque ad apicem epiſcopatus referre, ut conſulta videlicet ſedes apoſtolica ex ipſis rebus dubiis certum aliquid faciendum pronuntiet.* Excipi poſſet, Felicem illum Epiſcopum Nucerianum pertinuiſſe ad Diœceſim Romanam, quod Nuceriana civitas eſſet in provincia Capuana. Itaque rei hujus probatio aliunde petenda eſt. Eam autem valde illuſtrem exhibet altera ejuſdem Innocentii epiſtola, data ad Exuperium Epiſcopum Toloſanum, a quo conſultus fuerat Innocentius. *Et quidem dilectio tua*, inquit, *inſtitutum ſequuta prudentium, ad ſedem apoſtolicam referre maluit, quid de rebus dubiis cuſtodire deberet potius quam uſurpatione præſumpta, quæ ſibi viderentur de ſingulis obtinere.*

IV. Verum illuſtriora hujus moris exempla petenda ſunt primum ex epiſtola Innocentii ad univerſos Epiſcopos Macedoniæ, in qua miſſæ ab eis relationi de dubiis diſciplinæ reſpondet: *ad quam*, id eſt, ſedem apoſtolicam, *relatio quaſi ad caput Eccleſiarum miſſa currebat.* Tum ex ejuſdem epiſtola ad Victricium Epiſcopum Rothomagenſem, qua ejus conſultationi reſpondet. Ex ea autem colligitur regula valde illuſtris, eam nimirum Romanis Epiſcopis mentem non fuiſſe, quum reſponſa dabant poſt conſultationes, ut novas leges his reſponſis præſcriberent, aut nova ſtatuta inveherent, ſed tantum, ut Chriſtianorum mentes revocarent ad obſervationem canonum & antiquæ traditionis. *Non quo*, ait Innocentius, *nova præcepta aliqua imperentur, ſed ea, quæ per deſidiam aliquorum neglecta ſunt, ab omnibus obſervari cupiamus, quæ tamen apoſtolica & patrum conſtitutione ſunt conſtituta.* Ex eo porro fonte manat, quod Leo primus alicubi ſcribit, decreta ſua ac deceſſorum ſuorum ex canonum diſciplina eſſe petita, *de canonum*, inquit, *ſunt promulgata diſciplinis.*

V. Reſponſa tamen illa non ita accipienda ſunt, ac ſi ſimplicis tantum conſilii vicem ſubirent, ſed velut deciſiones ex canonibus aut ex traditione petitæ, ad quarum obſervationem Epiſcopi erant adſtricti. Eam ob cauſam Siricius Himerio mandat, ut reſponſa ſua deferri curet ad Epiſcopos provinciæ Tarraconenſis, itemque ad eos, qui in reliquis quatuor Hiſpaniarum provinciis morabantur, in Carthaginenſi nimirum, quæ nunc Toletana dicitur, Bætica ſive Andaluſia, Luſitania, & Gallæcia. *Nunc fraternitatis tuæ animum*, inquit Siricius, *ad ſervandos canones & tenenda decretalia conſtituta magis ac magis incitamus, ut hæc, quæ ad tua conſulta reſcripſimus, in omnium coepiſcoporum noſtrorum perferri facias notionem.*

VI. In eadem epiſtola Innocentii ad Victricium extat illius Pontificis perſcriptum deſiderium quoad cauſas Epiſcoporum, ſed iis verbis, quæ moleſtos hactenus habuerunt eruditos. Contendebat quippe Innocentius, majores cauſas eſſe referendas ad ſedem apoſtolicam poſt judicium Epiſcoporum uniuſcujuſque provinciæ, juxta ſynodi conſtitutum & vetuſtam conſuetudinem. *Si autem*, inquit, *majores cauſæ in medium fuerint devolutæ, ad ſedem apoſtolicam, ſicut ſynodus ſtatuit & vetus conſuetudo exigit, poſt judicium epiſcopale referantur.* Innoc. in ep. ad Victric. c. 3. Ex epiſtola porro Innocentii ad Concilium Milevitanum, in qua contendit, jus relationis in materia fidei ad ſedem apoſtolicam pertinere juxta canones, & ex hoc epiſtolæ ad Victricium loco, qui ſynodo tribuit auctoritatem referendi de cauſis majoribus, ex his, inquam, locis colligitur, heic agi de cauſis dubiis fidei & diſciplinæ, non autem ſimpliciter de depoſitionibus Epiſcoporum, aut in univerſum de omnibus cauſis, ut vulgo putant. Synodus vero, cujus hoc loco mentionem facit Innocentius, & canones in epiſtola ad Milevitanum Concilium laudati, omnino ſunt alii præter Sardicenſes. Synodus enim Sardicenſis nihil ſtatuit de relationibus ad ſummum Pontificem mittendis in materia fidei. Itaque ſynodus illa ab Innocentio laudata non alia eſt, quam Nicæna, cujus ipſe mentionem facit in initio hujus capitis tertii; ubi ait, cauſas clericorum tam ſuperioris ordinis, quam etiam inferioris terminandas eſſe ſecundum Nicænam ſynodum ab Epiſcopis provinciæ, adeo, ut non liceat ad alias convolare provincias. Vide lib. 1. c. 10. §. 6.

VII. Canonibus tamen Nicænis modum quendam præſcribit Innocentius his verbis: *Sine præjudicio tamen Eccleſiæ Romanæ, cui in omnibus cauſis debet reverentia cuſtodiri.* Clauſula illa petita eſt ex canone ſexto ejuſdem Concilii Nicæni; quo vetus conſuetudo confirmatur pro conſervatione jurium Patriarcharum & ceterorum Metropolitanorum, præcipue vero pro juribus Epiſcopi Romani conſervandis, qui illic expreſſe nominatur. Quare cum Innocentius pronuntiat, ſynodum Nicænam cauſas clericorum ſuperioris ordinis commiſiſſe judicio ſynodorum uniuſcujuſque provinciæ, recte

addi-

addidit, salvam tamen esse in omnibus debere reverentiam sedi Romanæ debitam, id est, servandam esse auctoritatem primatus Romani ab eadem Nicæna synodo confirmati. Quoniam vero exceptio illa vaga est & generalis, & ad causas Episcoporum & reliquorum clericorum porrigitur, (hic est enim genuinus sensus horum verborum *in omnibus causis*) eam Innocentius aperte explicat in iis, quæ sequuntur, quæ duo quædam probant, nimirum reverentiam illam versari in jure relationis, & relationem tamen fieri tantum debere in causis majoribus, id est, in controversiis fidei & in dubiis disciplinæ causis. Et quia duo illa capita respicere possunt non solum Episcopos, sed etiam reliquos clericos, & laicos, recte scriptum est in initio capitis tertii, servandam esse reverentiam Ecclesiæ Romanæ debitam, id est, mittendam esse relationem ad apostolicam sedem *in omnibus causis*, id est, in causis & contentionibus, *quæ inter clericos tam superioris ordinis, quam etiam inferioris fuerint exortæ*. Existimo autem, eam explicationem multo meliorem esse ea, quæ vulgo huic loco affingitur, verba nempe illa, *in omnibus causis*, nihil aliud significare, quam depositiones Episcoporum, quæ dein explicantur, ut ajunt, sub nomine causarum majorum. Nam interpretatio illa violenta est ac verbis ipsis contraria, quæ, ut dixi, complectuntur causas Episcoporum & clericorum, quoties eas contingit esse majores.

VIII. Ad faciliorem autem intelligentiam hujus materiæ observandum est, causas majores sedi apostolicæ reservatas ea tempestate restrictas fuisse ad duo capita superius allata, ad dubia videlicet fidei & disciplinæ, tum depositiones Episcoporum inter causas majores non fuisse relatas tempore Concilii Nicæni, neque deinceps per multum ævi. Harum observationum probatio in promptu est & manifesta. Constat enim, depositiones Episcoporum peragi olim solitas unica Episcoporum auctoritate, juxta canones Nicænos itemque Sardicenses, qui prorsus obtinuerunt in occidente usque ad tempora Nicolai primi; adeo ut si appellatio non interponeretur, depositiones illæ mandarentur executioni absque auctoritate summi Pontificis. Præterea Pelagius secundus ad Joannem Patriarcham CP. scribens circa annum DLXXVIII. locum hunc ex epistola Innocentii laudans & interpretans ait, unamquamque provinciam habere debere suos judices, Episcopos nimirum, ut in sua quælibet synodo causas terminet tam Episcoporum quam aliorum clericorum, si appellatio non interponeretur. Tum addit, majores & difficiles quæstiones referri semper debere ad apostolicam sedem, sicut synodus statuit & consuetudo exigit. *Majores vero*, inquit, *& difficiles quæstiones, ut sancta synodus statuit & beata consuetudo exigit, ad sedem apostolicam semper referantur*. Quibus verbis explicat verba Innocentii: *Majores causæ*, id est, *difficiles quæstiones*. In eundem sensum Leo primus ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem scribens, tum demum causas Episcoporum referendas esse docet ad apostolicam sedem, si quid inciderit admodum difficile, ita, ut nec a synodo provinciali definiri potuerit, nec a synodo Illyriciana: *Si forte inter ipsos, qui præsunt de majoribus (quod absit) peccatis causa nascatur, quæ provinciali nequeat examine definiri, fraternitatem tuam de totius negotii qualitate Metropolitanus curabit instruere; & si coram positis partibus, nec tuo fuerit res sopita judicio, ad nostram cognitionem, quicquid illud est, transferatur*. Sane Vigilius Pontifex Romanus ad Eutherii (*) consulta respondens, ac causas commemorans sedi apostolicæ reservatas, judicia appellationum Episcoporum & majores causas velut quasdam res prorsus diversas recenset. *Omnium appellantium apostolicam sedem Episcoporum judicia*, inquit, *& cunctarum majorum negotia causarum eidem sanctæ sedi reservata esse liquet*.

[Margin: Pelag. 2. ep. 8.]

[Margin: Vide Avitum epist. 36.]

IX. Præterea causæ simplicium Presbyterorum, quando de fide agebatur, ad sedem apostolicam referebantur, ut patet ex causa Pelagii & Cælestini. Idem constat etiam ex causa Eustathii Diaconi, quem de hæresi suspectum esse censuerant Episcopi Macedoniæ: quem tamen gradu suo dejicere noluit Innocentius, tametsi ab Episcopis illis fuisset damnatus. Tum etiam proferri potest exemplum Eutychetis Archimandritæ Constantinopolitani. Unde colligitur, causas quoque Presbyterorum posse esse majores, æque ac causas Episcoporum.

X. Ea est sententia Hincmari, ut existimet, Innocentium, tametsi Nicæni Concilii mentionem faciat in initio hujus capitis tertii epistolæ ad Victricium, alludere nihilominus ad Concilium Sardicense, cum ait, *ad sedem apostolicam, sicut synodus statuit, referatur*, ac relationem illam tum demum fieri debere, si Episcopi appellaverint. Hæc sunt verba Hincmari. *Beatus quoque Innocentius*, inquit, *ad Victricium Rothomagensem Episcopum duo capitula magni Concilii Nicæni & capitulum Sardicensis Concilii de Episcoporum ad sedem apostolicam appellatione uno capitulo sagaciter atque patenter explicat*. Hæc est sententia Hincmari, ut dixi. Sed multa sunt, quæ me ab eo discedere cogunt. Primum enim propositio Innocentii puris & manifestis verbis concepta est, nulla conditione adjecta. Decernit autem, ut ad sedem apostolicam referatur in omnibus causis majoribus, absque ullo discrimine. Et tamen Hincmarus eas relationes coercet ad solas Episcoporum depositiones, si forte provocaverint. Deinde causæ majores proprie sunt illæ, quas commemoravi, non autem judicia Episcoporum; nisi si in judiciis illis incideret difficilis quæpiam quæstio nondum a canonibus definita, ut adnotavit Hincmarus ipse in epistola ad Nicolaum primum, quæ extat apud Flodoardum, cujusque infra mentionem faciam in capite XXI. hujus libri. Tertio verisimile non est, ut Innocentius alterius Concilii meminisse voluerit in fine capitis, quam cujus mentionem fecit in initio, quin discrimen adnotare etiam voluerit, si ullum fuisset. Demum adnotandum heic est (& hæc observatio multum confert ad decisionem propositionis principalis) Siricium & Innocentium nullos canones in auctoritatem recepisse, quam Nicænos. Neuter enim aliorum canonum observationem imperat, quam Nicænorum, id quod eorum ex epistolis liquet. Quin & Innocentius in epistola ad clerum Constantinopolitanum, quæ extat apud Sozomenum, disertis verbis scribit, nullos esse canones præter Nicænos, ad quorum observationem Ecclesia teneatur. *Canonibus porro obsequendum esse scribimus*, inquit, *qui Nicææ sunt decreti; quos solos consectari decet Ecclesiam catholicam & juxta eos judicare*. Id ipsum scribit Innocentius in epistola ad Theophilum Episcopum Alexandrinum, quæ extat apud Palladium in vita Chrysostomi; ubi ait, Romanam Ecclesiam nullos canones admittere præter Nicænos: *Alios quippe canones Romana non admittit Ecclesia*.

[Margin: Hincmar. ep. 9 c. 12. & alibi.]

[Margin: Siricius ep. 1. & 3. Innoc. ep. ad Victric. ad Alexandr. ad Episcopos Macedoniæ, & ad synod. Tolet.]

C A P U T XIV.

De relationibus a Conciliis generalibus & nationalibus ad Pontificem Rom.

S Y N O P S I S.

I. Relationes etiam a Conciliis generalibus & nationalibus fiebant ad apostolicam sedem, tanquam ad ca-

(*) *Eutherii*) sive Profuturi Episcopi Bracarensis. Sed hic locus sumptus est ex additamento Pseudo-Isidori. Quippe caput de Primatu Romanæ Ecclesiæ non pertinet ad hanc epistolam Vigilii, ut monuimus tom. 1. novæ nostræ collectionis Concilior. pag. 1467.

ad caput omnium Ecclesiarum, ut ejus auctoritate consequeretur executio constitutorum. Neque tamen eorum confirmatio petebatur. Probatur ex epistola synodica Concilii Sardicensis.

II. Concilium Arelatense statutorum suorum publicationem delegat Papæ Silvestro. Secunda synodus œcumenica relationem ad Damasum Papam misit de rebus in synodo gestis, procul a petitione confirmationis.

III. Concilia provincialia occidentis referebant ad sedem apostolicam de depositionibus Episcoporum; ne videlicet Episcopus Romanus & reliqui occidentales deciperentur ab Episcopis dejectis.

IV. Innocentius primus atrox vulnus inflixit auctoritati synodi provincialis Macedoniæ in causa Bubalii & Tauriani. Conquerentibus autem Episcopis Macedoniæ, non attulit Sardicenses canones aut Nicænos, sed æquitatem.

I. POst explicata duo relationum genera, quæ sedi Romanæ tribuebant jus cognoscendi de causis provinciarum post judicia synodorum, superest, ut tertium relationis genus usurpatum fuisse ostendamus, quæ ad sedem apostolicam tanquam ad caput omnium Ecclesiarum fiebat a Concilio generali aut nationali, ut rerum constitutarum executio consequeretur auctoritate Pontificis Romani. Genus illud relationis illustriori exemplo probari non potest, quam ex epistola synodica Concilii Sardicensis, in qua patres fatentur, se relationem illam ad Papam Julium mittere tanquam ad caput; sed ita tamen, ut ab eo non petant confirmationem rerum a se constitutarum, sed tantum, ut certiores de his faciat Episcopos Italiæ, Siciliæ & Sardiniæ. *Hoc enim optimum*, inquiunt, *& valde congruentissimum esse videbitur, si ad caput, id est, ad Petri Apostoli sedem, de singulis quibusque provinciis Domini referant sacerdotes.* Infra: *Tua autem excellens prudentia disponere debet, ut per tua scripta, qui in Sicilia, qui in Sardinia, & in Italia sunt fratres nostri, quæ acta sunt & quæ definita cognoscant, & ne ignorantes eorum accipiant literas communicatorias, quos extra episcopatum justa sententia declaravit.*

Vide supra lib. 1. cap. 10. §. 10.

Epist. Synod. Conc. Sardic. ap. Hilar. in Fragm.

II. Concilium Arelatense primum congregatum ex provinciis occidentis ad Silvestrum Papam retulit de iis, quæ in synodo gesta fuerant; non tamen, ut eorum confirmationem petat, sed ut eorum illi publicationem mandet; Imperatorum more Romanorum, qui rescripta sua mittebant ad Præfectos prætorio; vel ad eum modum, qui hodie apud nos obtinet, ut Rex ad curias Parlamenti sua pariter rescripta mittat. *Placuit a te*, inquiunt patres Concilii Arelatensis, *qui majores Diœceses tenes, per te potissimum omnibus insinuari.* Sic secunda synodus œcumenica ad Papam Damasum & ad synodum occidentis retulit de his, quæ in synodo gesta fuerant adversus hæreses, tum etiam de his, quæ de tribus Ecclesiis patriarchalibus decreta fuerant; non quidem, ut ea confirmari petant a Damaso, sed ut ipse de his instruatur, patribusque synodi gratuletur. *Quibus rebus*, inquiunt, *tanquam legitime & secundum Ecclesiæ canones a nobis constitutis obsecramus vestram reverentiam, ut gratuletur*, τῆ ὑμετέρᾳ συγχαίρειν παρακαλοῦμεν ἀξίαν.

Locus iste Concilii Arelat. explicatur supra lib. 1. c. 5. §. 1.

III. Concilia provincialia, quorum suprema erat auctoritas quoad depositionem Episcoporum, adeo, ut nondum ea tempestate permissa esset in occidente provocatio, relationes tamen interdum suas mittebant ad sedem apostolicam, quibus continebantur ea, quæ adversus Episcopum dejectum decreta fuerant. Quod ea de causa fiebat, ne Romanus Pontifex vel reliqui occidentis Episcopi incauti deciperentur ab Episcopo deposito, recipientes aut ad eum mittentes literas communicatorias, quarum usus frequentissimus erat per illas tempestates. In quo imitabantur cautionem a Concilio Sardicensi adhibitam, quod Julium Papam monuit, quinam Episcopi in Concilio depositi fuissent.

IV. At Innocentius primus, audaciæ subsidium a dignitate sedis suæ petens, atrox vulnus inflixit auctoritati synodi Macedoniæ, cujus judicium retractavit in causa Bubalii & Tauriani ab ea synodo damnatorum. Id ægre tulerunt Episcopi per Macedoniam constituti, qui de ea novitate apud Innocentium questi sunt. Quid faceret summus Pontifex? Erat heic sane locus proferendi auctoritatem canonum Sardicensium, si tunc illi in usu fuissent; nec sane eos omisisset Pontifex. Sed neque Concilium Nicænum laudavit: quod tamen non omisisset, si canone aliquo synodus illa Romanæ sedi jus tribuisset retractandi judicia provinciarum. At fortassis attulit consuetudinem antecessorum suorum, quemadmodum ab eo usurpatum videmus in plurimis occasionibus? Non ita sane. Solam ergo æquitatem prætendit, ajens, veritatem magis splendescere, cum exagitatur, fructumque divinum esse, cum veritas sæpe examinatur. Hæc enim sunt ipsissima ejus verba in epistola septima ad Episcopos per Macedoniam constitutos: *Grave non oportuit videri piissimis mentibus vestris cujuscunque retractari judicium: quia veritas exagitata sæpius magis splendescit in luce, & pernicies revocata in judicium gravius & sine illius, qui primus judicavit, pœnitentia condemnatur: Nam fructus divinus est, justitiam sæpius recenseri.*

CAPUT XV.

De fatis canonum Sardicensium a temporibus Zosimi in occidente.

SYNOPSIS.

I. Primus omnium Zosimus canones Sardicenses protulit. Quo consilio id factum. Negant Africani, eos canones Nicænos esse. Itaque missa legatio Constantinopolim & Alexandriam ad perquirenda vera exemplaria Concilii Nicæni. Interim tamen servaturos se pollicentur canonem Sardicensem de appellationibus.

II. Ei legi subditas non fuisse provincias, si Italiam excipias, patet ex epistola Concilii Africani ad Bonifacium. Notatus Cardinalis Perronius.

III. Redeuntibus Legatis Africanis, patuit, canonem a Faustino Legato sedis apostolicæ prolatum, non extare in synodo Nicæna. Parum id profuit. Nam Cælestinus Papa paulo post admisit appellationem Apiarii Presbyteri. Irritus tamen fuit Faustini conatus, qui Apiarium in communionem recipi ab Africanis urgebat. Rejecta Cardinalis Perronii sententia in explicatione hujus loci. Nolunt Africani Legatum a Pontifice in Africam mitti posse pro arbitrio. Tum ajunt, Africam non passuram ulterius præsentiam Faustini. Indicatur lapsus Cardinalis Perronii.

IV. Repetuntur in aversione, quæcunque dicta sunt in superioribus paragraphis. Canones Sardicenses ignoti fuerunt Africæ & aliis provinciis extra Italiam usque ad tempora Zosimi. Profitentur Africani, nolle se in posterum tolerare appellationes ad sedem apostolicam.

V. Cessere tamen dein Pontificum Romanorum desideriis, admissis canonibus Sardicensibus. Quonam tempore id factum.

I. PRimus omnium Zosimus Papa, qui anno quadringentesimo decimo septimo sedebat, canones Sardidenses protulit, contenditque, ut in occidente vim legis obtinerent. Arbitror autem, eum id consilium cepisse, quod Honorius & Arcadius Impp. paulo ante abjecissent jus concedendi rescripta pro retractando judicio Episcoporum depositorum, quemadmodum supra ostendi in capite secundo, adductis verbis legis. Existimavit itaque

Zosi-

Zosimus, gratum Episcopis futurum, si revisiones non omnino abolerentur, sed contra decernerentur auctoritate sedis apostolicæ. Tentatum id in Africanis ingeniis voluit Pontifex. Itaque anno CCCCXVIII. Faustinum Episcopum Legatum suum misit ad Concilia Africæ, qui omni studio in id incumberet, ut Episcopi Africani finerent Romanam sedem appellari ab Episcopis damnatis. Integra negotii istius series extat in codice canonum Ecclesiæ Africanæ; quæ in codicem canonum Ecclesiæ transcripta est a Dionysio Exiguo, qui sub Imperatore Justiniano floruit. Datum est in mandatis Legato, ut Episcopos Africanos hortaretur ad observationem septimi canonis Sardicensis, in quo agitur de appellationibus ad sedem apostolicam, sed ea dignitate, ut canon ille laudetur, quasi ad Nicænam synodum pertineret. Verum Episcopi, qui canonem illum non reperiebant in exemplaribus Concilii Nicæni a Cæciliano Carthaginensi Episcopo, qui ei synodo interfuerat, in Africam delatis, pronuntiarunt, dubios esse canones a Faustino prolatos. Decreverunt autem, mittendos esse Legatos ad Episcopos Alexandriæ & Constantinopoleos, ubi authenticum Concilium Nicænum esse dicebatur, ut agnosci dein posset, an revera hi canones ad Nicænam synodum pertinerent. Tum etiam decreverunt, monendum de hoc esse Bonifacium Papam Zosimi successorem, ut & ipse curam quoque suam adhibeat in conquirendis veris exemplaribus Concilii Nicæni. Pollicentur tamen, obedituros se huic canoni, si constiterit, eum pertinere ad synodum Nicænam; si vero aliter eveniret, tractaturos dein in sequenti synodo de hoc negotio. Interim statuunt, juxta quod censuerat sanctus Augustinus, ut canon de appellationibus Episcoporum a Faustino propositus executioni mandetur, quemadmodum ipsi anno præterito scripserant ad Zosimum. *Jam priore anno*, inquiunt, *etiam litteris nostris ad eundem venerabilis memoriæ Zosimum Episcopum datis insinuare curavimus, ut ea servare sine ulla ejus injuria paulisper sineremus usque ad inquisitionem statutorum Concilii Nicæni.*

Vide lib.4. cap. 5. §. 9.

Epist. Concil. Afric. ad Bonifacium PP.

II. Attamen in antecessum admonent, Bonifacium intelligere etiam sanctitatem ejus, æquum non esse, ut Afri typhum istum patiantur, si constiterit, canones illos abesse a synodo Nicæna; tametsi, ut ajunt, in Italia custodiatur id, quod in canonibus prolatis statutum est. Unde colligi potest, ei legi nondum subjacuisse reliquas provincias. *Hæc utique usque ad adventum verissimorum exemplarium Nicæni Concilii inserta gestis sunt: quæ etsi quemadmodum ipso, quod apud nos fratres ex apostolica sede directi allegaverunt, commonitorio continerentur, eoque ordine vel apud vos in Italia custodirentur, nullo modo nos talia, qualia commemorata jam nolumus, vel tolerare cogeremur, vel intolerabilia pateremur. Sed credimus, adjuvante misericordia Domini Dei nostri, quod tua sanctitate Romanæ Ecclesiæ præsidente, non sumus jam istum typhum passuri, & servabuntur erga nos ea, quæ nobis etiam non differentibus custodiri debeant, cum fraterna charitate, quæ secundum sapientiam atque justitiam, quam tibi donavit altissimus, etiam ipse perspicis esse servanda, si forte aliter se habent canones Concilii Nicæni.* Hunc locum aliquatenus emendatum proferre placuit, ut manifestior fieret ejus sententia; quæ alioqui obscura est in editis, vitio interpunctionum. Hinc enim data errandi occasio Cardinali Perronio, qui in cap. LII. Replicæ immensum aberrat a vero sensu hujus epistolæ, adducta interpretatione, quam fulcire nititur auctoritate versionis Græcæ, quæ & ipsa quoque multum discrepat a genuino sensu.

III. Effectus legationis ab Africanis in orientem missæ is fuit, ut Cyrillus Episcopus Alexandrinus & Atticus Constantinopolitanus ad Africanos miserint exemplaria viginti canonum Concilii Nicæni, inter quos non extabat ille, quem jussu Zosimi Faustinus protulerat. Parum tamen id profuit. Cælestinus enim, Bonifacii successor, haud multo post admisit appellationem Apiarii Presbyteri ab Episcopo suo depositi; eumque restituens, Legatum in Africam pro executione restitutionis misit Faustinum; tametsi appellatio Presbyterorum prohibita fuisset in Conciliis Nicæno & Sardicensi. Congregata synodo Africana, nullum non lapidem movit Faustinus, ut Apiarium in communionem recipi ab Afris procuraret, *volens eum reddi communioni, Ecclesiæ Romanæ asserens privilegia*. Quod intelligi debet de Faustino, non autem de Apiario, ut Perronio visum. At Faustinus, tametsi multum moverit, nihil promovit. Contra, cum Concilium cognitionem accusationis in se suscepisset, convictus est Apiarius præsente Faustino. Quapropter patres Cælestino supplicant, ne deinceps facile suscipiat eos, qui ex Africa Romam veniunt, neve in suam communionem admittat eorum excommunicatos, quia hoc etiam Nicæno Concilio definitum est. Tum etiam orant, ut Presbyterorum improba refugia repellat: *quia*, inquiunt, *& nulla patrum definitione hoc Ecclesiæ derogatum est Africanæ.* Addunt autem, synodum Nicænam Presbyteros & Episcopos commisisse suis Metropolitanis, ut universæ eorum causæ in provinciis eorum definirentur; ita tamen, ut unicuique concessum sit, si judicio cognitorum se putat offensum, ad universale Concilium Africæ provocare. Causas enim illic serio & diligenter examinandas iri, in plenario videlicet Episcoporum conventu; qui hauddubie veritatem rerum deprehendent, facileque agnoscent, an testimonia vera sint, adductis videlicet coram testibus, qui *ad transmarinum judicium* adduci non possunt. Rejiciunt etiam temperamentum, quod ipsis, ut conjectura suadet, a Faustino propositum fuerat, quo exigebatur eorum consensus pro mittendo Legato ad synodos Africanas: *Nam, ut aliqui tanquam a tuæ sanctitatis latere mittantur, nulla invenimus patrum synodo constitutum.* Orant etiam Cælestinum, ne in posterum clericos Romanos mittat executores; (id enim usurpatum fuerat, misso Faustino, qui communionem Apiario restitui procuraret) *ne fumosum typhum seculi in Ecclesiam Christi, quæ lucem simplicitatis & humilitatis diem Deum videre cupientibus præfert, videamur inducere.* Nam quoad Faustinum, securos se esse ajunt, quod ob probitatem & moderationem summi Pontificis, qui etiam rationem habebit fraternæ charitatis, eum ulterius Africa non patietur. De Faustino enim heic loquuntur patres, non autem de Apiario, ut existimat Cardinalis Perronius, vim apertam inferens verbis epistolæ ad Cælestinum scriptæ.

IV. Ex hac narratione, quæ ex fide actorum descripta est, prout extant in contextu Latino, quem Cardinalis Perronius prætextu emendationis corrupit, ex hac inquam narratione colligitur, Africæ & aliis provinciis, si Italiam excipias, ignotos fuisse canones Sardicenses usque ad tempora Zosimi Papæ, tum in usu non fuisse appellationes Episcoporum ad sedem apostolicam, easque esse contrarias canonibus synodi Nicænæ, demum Episcopos Africanos in ea esse sententia, ut profiteantur, nolle se in posterum tolerare hujuscemodi appellationes, licet eis adquievissent, quamdiu obscurum fuit, an canones ab apostolica sede directi in Nicæna synodo conditi fuissent.

V. Fatendum tamen est, eos tandem cessisse desideriis Pontificum Romanorum, non quidem in isto Concilio, tametsi ita visum Bellarmino, Perronio & Baronio, huic enim sententiæ manifeste repugnant eorum oppositiones verbis minime ambiguis conceptæ in eorum epistola ad Cælestinum. Cessere ergo tandem ob pertinaciam sedis apostolicæ Pontificum, qui nihil remittere voluerunt ex jure sibi legitime quæsito in Concilio generali occidentis, Sardicensi nimirum; præsertim cum possessioni eorum consensissent Africani Episcopi, qui

ad certum tempus morem gesserant desideriis summorum Pontificum. Subsidio fuit exemplum Galliarum & Hispaniarum, apud quas in usum revocatum est privilegium illud. Tum etiam Novella constitutio Valentiniani suggerente Leone primo data anno CCCCXLV. quæ summo Pontifici supremam auctoritatem tribuit in judiciis Episcoporum, sive ii Galli sint, aut ex aliis provinciis, quod Africanos coegit ad observationem canonum Sardicensium. Præterea incursio Vandalorum, qui Arriani erant & in Africa dominabantur, Africanos necessitate adigebat ad arctissimam unionem cum Ecclesia Romana. Vestigia tamen quædam contradictionis extant in epistolis Papæ Leonis in causa Lupicini. Sed adquievisse eos, constat ex Ferrando Diacono Ecclesiæ Carthaginensis, qui sub Justiniano Imperatore floruit; ut patet ex capitibus LIX. & LX. Breviarii canonum ejusdem Ferrandi.

CAPUT XVI.

De ordine judiciorum Ecclesiasticorum in Africa.

SYNOPSIS.

I. Investigatur, quamnam ob causam Zosimus canones Sardicenses protulerit sub titulo Concilii Nicæni. Fieri id ita potuit, quod Innocentius pronuntiasset, Ecclesiam nullis canonibus uti præterquam Nicænis; tum etiam, quod Afris nulla synodus Sardicensis nota erat præter eam, quæ ab Arrianis habita fuerat. Necessarium itaque erat eos Nicæno Concilio tribui, ut contradictioni Africanorum occurreretur.

II. De ordine judiciorum in Africa quoad Episcoporum peccata. Judicabantur a Primatibus & synodis suarum provinciarum; in casu vero appellationis, a Concilio universali Africæ. Africa tum divisa erat in sex provincias.

III. Decretum dein, ut duodecim judices eligerentur a reo & ab accusatore, ab eorum vero judicio appellari non posse.

IV. Episcopus enim judicari debet a duodecim Episcopis. Decimum tertium constituebat Primas; qui necessarius erat. Quare Lucas Patriarcha CP. depositionem cujusdam Episcopi a Metropolitano Cyprio decretam ex eo capite irritam esse pronuntiavit, quod ab undecim tantum Episcopis cum Metropolitano peracta fuisset. Attamen ex consensu partium minor judicum numerus sufficere poterat, ex canone Africano XV.

V. In causis Episcoporum ac Presbyterorum non licebat provocare ad judicia transmarina. Manifeste id scriptum in canone XXVIII. collectionis Africanæ, adjecta videlicet clausula canoni Milevitano. Adversus hanc clausulam pugnant acriter Baronius & Perronius: quorum sententia refellitur. Africa existimabat apostolicam sedem appellari non posse a judicibus electis, neque a Concilio universali Africæ. Placitum etiam id Gallis nostris ævo Hincmari.

VI. Illustrissimus Cardinalis Perronius existimat, appellationes Episcoporum Africanorum recipi solitas ab apostolica sede ante habita hæc Concilia Africana, quod probari putat auctoritate Augustini.

VII. Explicatur locus Augustini; & ostenditur, eum male intellectum esse a Cardinale Perronio. Neque enim probat, apostolicam sedem fuisse appellatam a Cæciliano Carthaginensi & collegis ejus. De dignitate Ecclesiæ Romanæ.

VIII. Ecclesiarum apostolicarum dignitas tandem coercita est ad patriarchales. Justinianus Imp. decernit, eos esse hæreticos, qui neque communicant, neque consentiunt professioni fidei, quæ summo consensu prædicatur a Patriarchis. Rursum explicatus Augustini locus.

IX. Quæritur, cur Augustinus causas Presbyterorum distinguat a causis Episcoporum.

I. Quæri potest hoc loco, quamnam ob causam Zosimus protulerit canones Sardicenses sub nomine Concilii Nicæni, & quinam per eas tempestates esset in Africa judiciorum ordo quoad Episcoporum peccata.

Prima harum quæstionum acriter & animose tractatur a novatoribus, qui Zosimum arguunt falsitatis & imposturæ. Contra nostri id ex eo profectum ajunt, quod ea tempestate canones Nicæni & Sardicenses in eodem volumine descripti essent, nullo discrimine adhibito, sub titulo canonum Nicænorum. Probabilis quidem conjectura, si vetusti codicis auctoritate niteretur; qui * nondum emersit e tenebris. Adde, Nicænos canones semper in titulo prænotari solitos numero viginti, quo unico argumento prohiberi potuit, ne XXI. canones Sardicenses Nicænis annumerarentur. Fortassis igitur propius accedemus ad verum, si dicamus Zosimum aliqua necessitate adactum, ut canones Sardicenses sub nomine Concilii Nicæni laudaret, quod Innocentius primus aperte dixisset, Ecclesiam nullis aliis canonibus uti, præterquam Nicænis in judiciis causarum ecclesiasticarum, tum etiam quod Afris nulla synodus Sardicensis nota esset præter eam, quæ ab Arrianis habita fuerat, ut in epistola CLXIII. testatur Augustinus. Quare necessarium erat, ut Zosimus hos canones Concilio Nicæno adscriberet, ut contradictioni Africanorum occurreret. Nam quod ad rem ipsam attinet, existimabat hauddubie Zosimus, nullam Africanis injuriam fieri, qui sedis apostolicæ auctoritati jam tum suberant, si canones Sardicenses pro Nicænis laudarentur. Quippe Nicæna synodus Ecclesiæ Romanæ privilegia confirmaverat. Sardicensis vero, quæ vere occidentalis synodus fuit, eadem privilegia primatus Romani explicaverat tantum, quamvis magnifice. Igitur sic accipienda sunt Zosimi verba: Canon Nicænus, id est, interpretatio canonis Nicæni. Eosdem canones Sardicenses, ac si Nicæni essent, ex fide decessoris sui laudavit Leo primus ad Theodosium Imperatorem scribens, qua de re supra dixi in capite VII. §. VI. hujus libri.

* Heic adnotandum est, tum Marcæ ignotum fuisse codicem Christophori Justelli, cum hic liber septimus scriptus est.

Vide lib. 3. c. 3. §. 1.

Vid. Augustin. lib. 3. contra Cresconium cap. 34. & lib. 4. cap. 44.

II. Secunda quæstio facilis est. Nam ex epistola Africani Concilii ad Cælestinum discimus, cum in Africa morem obtinuisse, ut Episcopi judicarentur a Primatibus & synodis suarum provinciarum, & in casu provocationis, a Concilio universali totius Africæ: *maxime quia unicuique concessum est, si judicio offensus fuerit cognitorum, ad Concilia suæ provinciæ vel etiam universale provocare.* Ex canone autem vigesimo codicis canonum Ecclesiæ Africanæ patet, accusationem adversus Episcopum proponendam esse ab accusatore apud Primatem provinciæ: *Quisquis Episcoporum accusatur, ad Primates provinciæ ipsius causam deferat accusator.* Sed adnotandum est, hoc loco Africam ea tempestate divisam fuisse in sex provincias, Proconsularem nimirum sive Carthaginensem vel Africam proprie dictam, Mauritanias duas, Numidiam, Tripolitanam & Byzacenam. Nam quoad provinciam Tingitanam, illa pertinebat ad Hispanias, tametsi freto ab iis disjuncta.

III. Ex eodem canone vigesimo colligitur, permissum fuisse Episcopo accusato arbitrium sistendi se coram Primate, vel primam causæ cognitionem deferendi ad Concilium universale Africæ, quod ex universis Africanis provinciis congregabatur cura Episcopi Carthaginensis; cui hanc auctoritatem procuraverat dignitas sedis Carthaginensis, ut jure suo & generalia isthæc Concilia convocaret, & in eis præsideret. Quoniam vero frequenter eveniebat, ut appellationes in synodo generali judicari non possent, decretum fuit, in arbitrio ejus, qui provocat, futurum, utrum causam suam a duodecim Episcopis judicari velit, quorum sex reus eligeret, accusator vero reliquos, ab eorum

rum

rum vero Episcoporum judicio appellari non posse. Sic enim scriptum est in canone XV. *Sane si ex consensu partium electi fuerint judices, etiam a pauciori numero, quam constitutum est, non liceat provocari*. Et in canone XCVI. collectionis Africanæ: *Si autem fuerit provocatum, eligat, qui provocaverit judices, & cum eo & ille, contra quem provocaverit, ut ab ipsis deinceps nulli liceat provocare*. Item in canone CXXII. *A judicibus autem, quos communis consensus elegerit, non liceat provocare*. Institutio illa consentanea erat legibus Romanis, quæ edicunt appellari non posse a judicibus electis.

IV. Constitutum itaque dixi, ut judices electi forent duodecim, quod canon duodecimus jubeat, Episcopum judicari a duodecim Episcopis. Et in canone duodecimo collectionis Africanæ scriptum est, Episcopum Maurentium, cum se de objectis peccatis purgare vellet, septem judices postulasse, quos nominavit, & in his Xantippum Primatem & Augustinum Episcopum Hipponensem. *Sanctum Concilium concessit judices postulatos. Reliquos autem judices ad complendum numerum necessarios, eligentibus ipsis senioribus a nova Germania*, id est, accusatoribus, *senes Xantippus curabit decernere*. Xantippus erat Primas, & decimum tertium judicem constituebat. Unde occasionem sumpsit Lucas Patriarcha CP. mittendi in irritum depositionem cujusdam Episcopi a Metropolitano Cyprio decretam, quod eam peregisset cum undecim tantum Episcopis, ipse vero, qui Primas erat, duodecimi locum impleret, cum juxta canones idem præsidere duodecim omnino Episcopis debuisset, ut refert Balsamo. Attamen si partes communi consensu minorem judicum numerum elegissent, declaravit canon decimus quintus Africanus, vel minorem ad illud numerum sufficere.

Balsamo in can. 12. Conc. Afric. sub Zosimo.

V. Quod si quis quærat, utrum a sententia judicum electorum provocare liceret ad summum Pontificem, huic respondeo, non solum causas Presbyterorum, sed etiam Episcoporum, ita in provinciis finiendas fuisse, ut appellari ad transmarina judicia licitum non esse existimarent Afri, quemadmodum supra ostendimus. Hinc factum, ut, cum illi mentem suam apertius explicare vellent, (nondum enim satis explicatam rebantur in epistola Concilii Africani ad Cælestinum, tametsi non admodum obscure scripsissent) cum canonum suorum collectionem adornarent, clausulam addiderunt canoni XXII. Concilii Milevitani, quæ vetat, ne ad transmarina judicia appellent Episcopi, neque etiam Presbyteri; *sicut & de Episcopis sæpe constitutum est*, ut inquit canon XXVIII. ejusdem collectionis. Digladiantur autem heic scriptores. Cardinales enim Baronius & Perronius contendunt, eam clausulam esse delendam, pluribus argumentis. Primum enim ajunt, eam non extare in canonibus Concilii Milevitani. Verum id quidem. Addita enim de industria fuit, quo primum tempore adornata est hæc collectio. Itaque suspectari debet hic canon tanquam XXVIII. istius collectionis, non autem tanquam XXII. Concilii Milevitani. Deinde ajunt, eo in primis argumento evinci, delendam esse hanc clausulam, quod prohibitio illa nuspiam extet in Conciliis Africanis, quod tamen ut rem certam tradit collector. Gravis sane accusatio, si extarent canones omnium Conciliorum Africæ, nec quicquam simile in eis reperiretur. Verum caremus multis Conciliis Africanis; quibus, si extarent, major habenda fides esset, quam iis, qui eorum scriptioni contradicunt. Nam præterea Concilium Africanum anni CCCCXVIII. aperte pronuntiavit, non toleraturos se appellationes ad sedem apostolicam, si constiterit, jus illud sedi Romanæ tributum non fuisse a synodo Nicæna. Prohibitio autem illa antecedit tempora collectionis canonum Africanorum; quamvis Concilium Milevitanum, in quo addita est hæc clausula, sit antiquius illa prohibitione. Constat ergo, in ea sententia fuisse Afros, ut existimaverint, ad apostolicam sedem provocari non posse a judicibus electis, neque etiam a Concilio universali Africæ. Eo præjudicio usi sunt Galli ætate Hincmari, ut ostendam infra cap. XXIII.

VI. Sed dissimulanda non est hoc loco opinio illustrissimi Cardinalis Perronii, existimantis, appellationes Episcoporum Africanorum recipi solitas ab apostolica sede ante habita hæc Concilia Africana; cujus rei probationem petit ex quadam Augustini epistola. Hic enim loquens de Cæciliano Carthaginensi Episcopo & de Episcopis, qui Cæciliani partes fovebant, adversus quos, licet absentes, synodus Donatistarum sententiam damnationis protulerat, ait, eos posse causam suam reservare judicio aliorum collegarum, præsertim Ecclesiarum apostolicarum, & ostendere, sententias latas adversus absentes nullius esse roboris, non enim agebatur de Presbyteris aut Diaconis, sed de collegis. *Non de Presbyteris*, inquit, *aut Diaconibus, aut inferioris ordinis clericis, sed de collegis agebatur, qui possent aliorum collegarum judicio, præsertim apostolicarum Ecclesiarum, causam suam integram reservare; ut contra eos sententiæ datæ in absentes nullo modo aliquid valerent*. Tum addit, nullius momenti apud Cæcilianum esse debere multitudinem inimicorum ipsi insidiantium, quandoquidem communione junctus erat Ecclesiæ Romanæ & aliis Ecclesiis, unde evangelii fides fluxerat.

Aug. ep. 162.

VII. Verum id non probat, provocatum fuisse ad summum Pontificem, sed tantum expostulatum apud omnes Ecclesias de injuria Cæciliano irrogata. Nam Augustinus eam cognitionem aliis collegis reservat indefinite, præsertim vero Ecclesiis apostolicis; inter quas Romana prima erat, non tamen unica. Jam antea in capite quarto hujus libri adnotavi, quænam essent Ecclesiæ apostolicæ, & quanta esset earum dignitas. Sapienter porro heic Augustinus mentionem facit Ecclesiarum apostolicarum in controversia, quæ Africam turbabat, divisam in Donatistas schismaticos & in Cæcilianum & Ecclesias catholicas ei adhærentes. Nam ad ostendendum, quinam ex illis schisma facerent, ratio habenda non erat damnationum, quæ ab utraque parte in adversarios decernebantur, neque ex eis peti poterat præjudicium bonæ causæ; sed inspiciendum erat, quinam communione consociati essent Ecclesiæ Romanæ & ceteris Ecclesiis apostolicis. Nam regula illa constans est & certa, unitatem consistere in communione Ecclesiarum apostolicarum; contra, schisma fieri, si quis se ab eis separet. Ita namque observatum est a Pelagio primo, itemque a Pelagio secundo; quorum hic scribit ad Episcopos Istriæ, ille vero ad Episcopos Tusciæ, qui schisma adversus Romanam Ecclesiam & orientis Ecclesias fecerant propter tria capitula in Concilio quinto generali damnata: *Ubinam Ecclesia sit constituta, licet ipsius Domini voce in sancto evangelio sit apertum, quid tamen beatus Augustinus ejusdem memor sententiæ definierit, audiamus. In his namque ait esse Dei Ecclesiam constitutam, qui sedibus apostolicis per successionem præsulum præsidere noscuntur. Et quicunque ab earundem sedium se communione vel auctoritate suspenderit, esse in schismate, demonstratur*.

VIII. Ecclesiarum apostolicarum dignitas tandem restricta est ad patriarchales, quod aliæ continerentur in Diœcesibus Patriarcharum in oriente. Nam in occidente nulla Ecclesia apostolica fuit præter Romanam. Quapropter Justinianus Imperator, in usum revocans regulam ab Augustino propositam, decernit in Novella constitutione CIX. eos esse hæreticos, qui neque communicant, neque consentiunt professioni fidei, quæ summo consensu prædicatur a Patriarchis occidentis & Romæ, Constantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno & Hierosolymitano, & ab Episcopis, qui sunt sub eorum potestate. Optime igitur ajebat Augustinus, posse Cæcilianum in hac schismatis causa spernere hostes suos, cum communione junctus

esset Ecclesiæ Romanæ & ceteris Ecclesiis, unde fluxerat evangelium, ac posse illum reservare causam integram aliorum collegarum judicio, præsertim apostolicarum Ecclesiarum. Ostendit autem id quidem auctoritatem illarum Ecclesiarum, ac præsertim Romanæ, pro conservatione unitatis & communionis; sed non probat, appellari posse a judicio Episcoporum Africanorum ad Romanam sedem vel ad alias Ecclesias apostolicas in causa disciplinæ, quando Episcopi sunt catholici.

IX. Si quis vero quærat, cur in hac causa schismatis & communionis Augustinus distinguat Presbyteros ab Episcopis, huic respondeo, recte & ex ordine id agi ab Augustino: quoniam Episcopi sunt caput communionis suarum diœceseon, quam cum aliis Ecclesiis conservant, Presbyterorum vero communio pendet ab Episcoporum suorum communione. Eam ob causam prohibitum erat Presbyteris, ne litteras formatas aut communicatorias darent.

CAPUT XVII.

De jure, quo Bonifacius, Cælestinus & Leo I. usi sunt in judicandis Episcoporum Gallicanorum causis.

SYNOPSIS.

I. Bonifacius & Cælestinus, Zosimi successores, canonum Sardicensium executionem quaquaversum introducere tentarunt. Neque tamen Zosimus eorum auctoritate damnavit Proculum Massiliensem, qui se Metropolitanum in provincia Arelatensi institui procuraverat in synodo Taurinatensi. Nam damnatio ejus decreta est post promulgatam legem Gratiani. Nondum autem habitum fuerat Concilium Chalcedonense, cujus auctoritate Metropolitanorum judicia Patriarchis reservata fuerunt.

II. Romanus Pontifex Episcoporum Gallicanorum causas remittebat ad synodos provinciarum. Probatur ex epistola Bonifacii primi ad Episcopos Galliarum in causa Maximi Episcopi Valentini. Sed tamen Bonifacius auctoritatem suæ sedis conservavit, jubendo, ut acta synodi ad se post judicium mitterentur.

III. Cælestinus causam Episcopi Massiliensis commisit Episcopis provinciæ Viennensis & Narbonensis, id est, finitimæ. Causæ tamen Danielis, qui in altera earum provinciarum Episcopus fuerat ordinatus, cognitionem ad se traxit ob flagitia in oriente commissa, de quibus ad apostolicam sedem retulerant orientales. Quod ideo explicandum fuit, ne quis hinc colligeret, Romanum Pontificem ad se ea tempestate traxisse primam cognitionem criminum Episcoporum Gallicanorum.

IV. Quid de relationibus & appellationibus senserit Leo primus.

V. Idem Leo docet, primam causarum Metropolitanorum cognitionem institui posse apud sedem apostolicam. Probatur exemplo Hilarii Episcopi Arelatensis, qui jure metropolitico privatus a Leone fuit in Concilio Romano. Tum Chelidonii Vesontionensis exemplo, quem eodem decreto Pontifex Ecclesiæ suæ restituit.

VI. Cum autem intelligeret Leo, difficilem fore decreti hujus executionem in Gallia, constitutionem a Valentiniano Imp. impetravit, qua imperata executio est. Magni momenti sunt verba Valentiniani; quæ expenduntur. Tribuunt autem Episcopo Romano potestatem evocandi Romam Episcopos noxios.

VII. Contendit etiam Leo, Metropolitanos judicari non posse absque sententia Episcopi Romani, ut patet ex illius epistola ad Anastasium Thessalonicensem.

VIII. Successores quoque ejus incessit eadem cura quoad Gallias.

IX. Contendit insuper Leo, ordinandum non esse Episcopum in loco dejecti, si is apostolicam sedem appellaverit, donec causa appellationis fuerit judicata. Constitutum id fuerat in synodo Sardicensi. Sed cum ea in auctoritatem recepta non esset apud Afros, abstinuit Leo a proferendis his canonibus in causa Lupicini. Jus appellationum in Africam introducere voluit Leo. Sed Afri ei assentiri noluerunt.

I. Post introductos industria Zosimi Papæ canones Sardicenses, successores ejus Bonifacius & Cælestinus eorum executionem quaquaversum introducere tentarunt, non solum in Africa, sed etiam in reliquis provinciis occidentis. Ex epistola namque Concilii Carthaginensis ad Bonifacium, quæ supra relata est in capite decimo quinto hujus libri, patet, eos canones nondum plane receptos alibi fuisse, quam in Italia. Certum quidem est, Zosimum ad se traxisse primam cognitionem causæ Proculi Episcopi Massiliensis, rogante Patroclo Arelatensi; cujus cura depositus est Proculus a Zosimo, ut patet ex epistolis synodicis ab eo missis ad Episcopos Galliarum, Hispaniæ & Africæ. Verum ille damnatus fuit Romæ post legem Gratiani promulgatam, quæ Romani Pontificis judicio commiserat Metropolitanos, ut supra ostendimus in capite undecimo hujus libri. Concilium enim Chalcedonense, cujus auctoritate Metropolitanorum judicia reservata fuerunt Patriarchis, nondum habitum fuerat. Ceterum Proculus ille per obreptionem in Concilio Tauritanensi anno CCCXCVII. obtinuerat jus metropoliticum in nonnullis urbibus provinciæ Arelatensis, ac dein duos Episcopos ordinaverat contra præscripta canonum. Zosimus epist. 6. an. 417.

II. Si querela a quopiam Episcopo deferretur ad Pontificem Romanum, is causæ cognitionem non suscipiebat, sed ad synodos provinciarum remittebat juxta canones Nicænos. Colligitur id ex epistola Bonifacii primi ad Episcopos Galliarum scripta anno CCCCXIX. in qua asserit, decessores suos constituisse, Maximum Episcopum Valentinum, quem clerici ejus accusaverant, judicandum esse in synodo provinciæ, *a decessoribus meis provinciali delegata cognitione*. Ac licet Maximus detrectaret judicium Episcoporum provincialium, noluit tamen Pontifex cognoscere de hac causa; sed præcise inhærens auctoritati canonum Sardicensium, rursum cognitionem causæ remisit ad synodum provinciæ, jubens causam illic definiri, tametsi Maximus, cui diem certam dixerat, qua se synodo sistere teneretur, accedere recusaret. *Dilationem quidem dedimus*, inquit Bonifacius, *& decrevimus vestrum intra provinciam debere esse judicium, & congregari synodum ante diem Calendarum Novembrium*. Quemadmodum autem Bonifacius jurisdictionem Episcoporum provinciæ illæsam conservabat, sic juri quoque prospiciebat sedi suæ quæsito per canones Sardicenses; nimirum ut si Maximus se læsum esse existimaret, atque adeo sedis apostolicæ auxilium imploraret, in potestate Papæ esset aut primum judicium confirmare aut revisionem decernere. In hac porro causa Maximus injuriam sibi illatam esse conquerebatur etiam ante primum judicium, & summi Pontificis opem efflagitaverat. Itaque Bonifacius merito petere potuit, ut acta synodi ad se post judicium mitterentur, ob conquestionem sive appellationem, quæ præcesserat. *Quicquid autem*, inquit Bonifacius, *vestra charitas de hac causa decernendum esse duxerit, cum ad nos relatum fuerit, nostra, ut condecet, necesse est auctoritate firmetur.*

III. At Papa Cælestinus causam Episcopi Massiliensis, adversus quem gravis instituta accusatio erat, non solum Episcopis provinciæ Narbonensis secundæ, in qua sita erat Massilia, commisit, sed etiam Episcopis provinciæ finitimæ, id est, Viennensis. *Vestro cum audiendum collegio delegamus*, inquit

inquit Cælestinus in epistola ad Episcopos per Viennensem & Narbonensem provincias constitutos. Quoad vero Danielem, qui in altera earum provinciarum Episcopus fuerat ordinatus insuperhabita accusatione adversus eum instituta apud sedem apostolicam, hujus causæ cognitionem ad se trahit Pontifex, haud injuria. Hic enim, cum adhuc clericus esset, sacrarum virginum, quarum monasterium tenuerat, pollutus incestu fuerat in oriente, & post detecta flagitia, in occidentem migraverat. Tum criminum ejus relatio ad Cælestinum, tanquam occidentis Patriarcham, missa fuerat ab orientalibus, ut ait Cælestinus: *missa relatione ex orientalibus ad nos partibus*. Misit vero postea epistolam ad Episcopum Arelatensem, ut Danielem vocaret ad judicium episcopale. Attamen ille *in pontificii dignitatem hoc tempore, quo ad causam dicendam missis a nobis literis vocabatur, obrepsit*, inquit Cælestinus. Causam hujus retentionis explicandam esse existimavi, ne quis hinc colligeret, Pontificem Romanum ea tempestate ad se traxisse primam cognitionem criminum Episcoporum Gallicanorum. Daniel enim accusabatur de variis criminibus, non in Gallia commissis, sed in oriente ante quam Episcopus fieret: quorum criminum cognitio ad Episcopos orientis pertinebat, ii vero auctoritatem in eo casu suam ad Cælestinum transtulerant.

IV. Leo autem primus tria quædam nos docet. Primum enim ostendit, quonam modo se gererent Romani Pontifices, etiam quoad Gallias, postquam relationes de rebus dubiis ad eos missæ fuerant, & post appellationem a judiciis latis adversus Episcopos, quæ aut confirmata fuerant a sede apostolica aut retractari jussa. Hæc sunt ejus verba ad Episcopos provinciæ Viennensis: *Nobiscum itaque vestra fraternitas recognoscat apostolicam sedem pro sui reverentia a vestræ etiam provinciæ sacerdotibus innumeris relationibus esse consultam*, (hoc est antiquum jus, quod a synodo Nicæna arcessit Papa Innocentius) *& per diversarum, quemadmodum vetus consuetudo poscebat, appellationem causarum aut retractata aut confirmata fuisse judicia.* Istud vero jus est a Sardicensi Concilio introductum.

V. Docet deinde Leo primam causarum Metropolitanorum cognitionem institui posse apud apostolicam sedem; ut probatur exemplo Hilarii Arelatensis Metropolitani. Evocatus is fuerat Romam ob multas Episcoporum ordinationes peractas invito clero & populo, quos manu armata instituerat in Ecclesiis. Privatus itaque jure metropolitico a Leone fuit in Concilio Romano. Eodem decreto missa est in irritum sententia lata adversus Chelidonium Episcopum, quem Hilarius sacerdotio dejecerat tanquam viduæ maritum. Verum cum id probare non potuisset Hilarius *in Concilio sacerdotum*, quod tunc Leo Romæ celebrabat, Chelidonius Ecclesiæ suæ redditus est. Suspicari heic merito aliquis posset, vim juri constituto factam a Leone, quod causam Chelidonii Romæ judicaverit, cum eam remittere debuisset ad Episcopos provinciales, ab eis terminandam cum Episcopis provinciæ finitimæ juxta canonem Sardicensem. Sed ex eo capite repetenda est Leonis defensio, quod Chelidonii appellatio juncta esset accusationi adversus Hilarium Arelatensem Episcopum institutæ, ac præterea, quod ipse quoque Metropolitanus Episcopus esset, Vesontionensis nimirum, ut præfert codex monasterii Jurensis a Sirmondo laudatus in Notis ad hanc Leonis epistolam.

(Vide supra lib. 5. cap. 32. §. 4. & seqq.)

(Vide Marcam in libro de Primatibus §. 78.)

VI. Intellexit Leo, difficilem in Gallia fore executionem judicii adversus Hilarium facti, tum ob magnam viri dignationem ex sanctitatis ejus opinione profectam, tum etiam ob infractos canones in causa Chelidonii, quæ Romæ fuerat definita. Itaque constitutionem a Valentiniano Aug. impetravit, quæ præcipit, ut judicium illud mandetur executioni. Verum additio, quæ sequitur, magni momenti est. Edicto enim perpetuo inter alia decernitur, quod, si aliquis Episcopus Galliarum aut aliarum provinciarum Romam evocatus summi Pontificis judicio se sistere recuset, adesse cogatur per gubernatorem provinciæ: *ita, ut quisquis Episcoporum*, inquit Valentinianus, *ad judicium Romani Episcopi evocatus venire neglexerit, per moderatorem ejusdem provinciæ adesse cogatur.* Rescriptum autem illud non solum ratum esse decernit decretum in causa Chelidonii factum, sed etiam novum jus introducit adversus canones Sardicenses. Episcopo enim Romano tribuit potestatem evocandi Romam Episcopos. Sed Galli existimarunt, sic obsequendum esse Pontifici, ut interim nihil detraheretur de auctoritate canonum Sardicensium, quemadmodum supra ostensum est.

(Vide supra lib. 5. c. 32. §. 4. 7.)

VII. In alia quoque occasione contendit Leo, Metropolitanos judicari non posse absque sententia Episcopi Romani. Anastasius Episcopus Thessalonicensis caput erat & primus Metropolitanus Illyrici orientalis, id est, Macedoniæ, Achajæ, Epiri veteris & novæ, aliarumque provinciarum; ac præterea, quo dignitatem muneris sui fortius retineret, vicariatu Papæ Leonis ornatus fuerat, ut ejus Legatus natus esset in his provinciis. Is ergo ad se manu armata adduci a publicis officiis præfecturæ Illyricianæ curaverat Atticum veteris Epiri Metropolitanum antistitem. Id atrociter ac vehementer factum, ait Leo, Anastasium objurgans. Dein addit hæc verba, quæ probant id, quod antea dixi, contendisse nimirum Leonem, Metropolitanos judicari non posse absque sententia Episcopi Romani. *An forte*, inquit, *aliquod tibi facinus fratris innotuerat, & Metropolitanum Episcopum novi apud te criminis pondus urgebat? At hoc quidem alienum ab illo esse, etiam tu nihil ei objiciendo confirmas. Sed etiamsi quid grave intolerandumque gessisset, nostra erat expectanda censura; ut nihil prius ipse decerneres, quam quid nobis placeret, agnosceres.*

(Vide supra lib. 5. cap. 27. §. 1. & seqq.)

(Leo I. epist. 84.)

VIII. Successores quoque ejus incessit eadem cura quoad Gallias. Hinc enim factum, ut Papa Hilarus Hermetem Episcopum Narbonensem suspenderit a juribus metropoliticis anno quadringentesimo sexagesimo secundo. Idem Leontio Episcopo Arelatensi delegavit sollicitudinem castigandi præsumptionem Mamerti Metropolitani Viennensis, reservans tamen sedi apostolicæ judicium, postquam Leontii & synodi relationem receperit. Tum anno CCCCLXIV. post acceptam relationem negotium illud terminavit. Eam autem curam in se traxit Hilarus, quod de Metropolitanis ageretur & de juribus Ecclesiarum, quibus illi præsidebant.

(Vide supra lib. 5. cap. 34. §. 4. & seqq.)

IX. Tertium caput, quod ex epistolis Papæ Leonis colligitur, istud nimirum est, contendisse illum, juxta canones Sardicenses, damnati Episcopi appellationem a synodo quidem provinciæ judicandam esse, interim tamen alium Episcopum non esse ordinandum in sede dejecti; ut constat ex epistola ab eo scripta ad Episcopos Mauritaniæ Cæsariensis, quæ provincia est Africæ, in causa Lupicini Episcopi. Is, lite pendente, provocaverat ad sedem apostolicam. Episcopi tamen reum peregerant, insuperhabita appellatione, eumque deposuerant, substituto etiam Episcopo in locum ejus, quod fieri non potuit, si canonis Sardicensis ratio haberetur. Leo itaque Lupicinum remittit in provinciam, illic judicandum ab Episcopis provincialibus, quibus superordinationem exprobrat. Sed illud observandum est, religiosum heic fuisse Leonem: qui non est ausus allegare canones Sardicenses, quibus prohibetur, ne pendente appellatione ad sedem apostolicam alius Episcopus ordinetur in loco dejecti. Id enim nequaquam omisisset, si tum Sardicensis synodus in auctoritatem recepta fuisset apud Afros. Ergo regulæ generali innititur, nimirum neminem juste damnari posse, nisi præsentem & convictum, aut certe confessum, alium vero in ejus loco ordinari non posse, quin prius sedes vacet. Quoniam vero excipi poterat, Lupicinum deseruisse vadimonium ac suam præsentiam denegasse, atque ideo secundum canones senten-

sententiam damnationis accipere debuisse, occurrit Pontifex huic objectioni, ajens, eum appellasse, atque adeo non refugisse judicium. Unde concludit, non debuisse illum excommunicari pendente negotio, ac eam ob causam se ei sæpius postulanti communionem reddidisse. Unde etiam colligi potest, jus appellationum in Africam introducere voluisse Leonem, sed Afros ei noluisse prorsus assentiri: *Causam quoque Lupicini Episcopi illic jubemus audiri; cui multum & sæpius postulanti communionem hac ratione reddidimus, quoniam cum ad nostrum judicium provocasset, immerito eum pendente negotio a communione videbamus fuisse suspensum. Adjectum etiam illud est, quod huic temere superordinatus esse cognoscitur, qui non debuit ordinari, ante quam Lupicinus in præsenti positus aut confutatus aut certe confessus justæ posset subjacere sententiæ; ut vacantem locum, quemadmodum disciplina ecclesiastica exigit, is, qui consecrabatur, exciperet.*

Leo I. epist. 87. cap. 2.

CAPUT XVIII.

De jure, quo usi sunt Vigilius, Pelagius II. & Gregorius M. in judicandis causis Episcoporum.

SYNOPSIS.

I. Vigilius Papa nihil aliud reservat apostolicæ sedi præter judicia appellationum. Unde sequitur, eum synodis provincialibus relinquere potestatem deponendi Episcopos absque permissu sedis apostolicæ.

II. Eadem est mens Pelagii secundi, qui omnium Episcoporum causas in synodo provinciæ definiendas esse, docet, nisi si ad apostolicam sedem fuerit provocatum.

III. Primus omnium Gregorius magnus canonum Constantinopolitanorum & Chalcedonensium instituta, a decessoribus suis non custodita, transtulit ad explicandam sedis suæ dignitatem. Hi autem primam de crimine Metropolitani cognitionem Patriarchis reservant. Quæ institutio in legem publicam versa est a Justiniano.

IV. Hinc factum, ut Gregorius apostolicæ sedi vindicet secundum canones jus judicandi accusationes adversus Metropolitanos institutas. Judicabat etiam Romæ causas Episcoporum, tametsi Itali non essent. Probatur exemplo Andreæ Episcopi Thebani in Thessalia.

V. Aliquando causæ definitionem remittebat in provinciam, misso etiam Legato, juxta canones Sardicenses. Probatur duobus exemplis.

VI. Aliter se gessit erga Afros, quorum consuetudines illæsas esse concessit, modo fidei contrariæ non essent.

VII. Postulabant Afri, ut causæ eorum definirentur secundum canones Africanos & Sardicenses. Hi enim jam recepti erant; & vicem tum subibant privilegii, ob Novellam Justiniani. Nullam eorum causam in urbe Roma judicavit Gregorius.

VIII. Id unum contendit Gregorius, ut Primas Byzacenus Romam veniret, responsurus de objectis, quod obtineri non potuit. Itaque eo tractus est Pontifex, ut causam in synodo provinciæ judicari consenserit.

IX. Notatur hallucinatio Cardinalis Perronii, qui ex corrupto Gregorii loco colligit, Episcopum Byzantinum, hoc est, Constantinopolitanum, Romano subjectum fuisse.

X. Ecclesia Hispanica utebatur collectione Martini Bracarensis. Canon autem XIII. jubet, ut causæ Episcoporum definiantur in synodis provincialibus; si vero divisa fuerint judicum vota, tum vocandam esse provinciam finitimam.

XI. In causa Stephani & Januarii Episcoporum Hispanorum, qui Romanam sedem appellaverant, Gregorius Joannem Defensorem in Hispaniam misit, ut solus definitivo decreto cognoscere posset de appellatione. Sedes apostolica est caput omnium Ecclesiarum.

XII. Hispani, ut appellationes ad apostolicam sedem abolerent, Episcopo damnato licere voluerunt secundam synodum impetrare ad obtinendam restitutionem suam.

XIII. Ecclesiam Gallicanam Gregorius tractavit ut Africanam.

XIV. Post Gregorii M. tempora Paulus Archiepiscopus Cretæ ausus est prohibere, ne ad Vitalianum Papam provocaretur.

XV. Appellationum usus obtinebat etiam in Anglia ævo Bedæ.

I. Nunc inspiciendum est, quænam mens fuerit Pontificibus subsequentibus. Vigilius certe nihil aliud sedi apostolicæ reservat præter judicia appellationum. Unde sequitur, eum Episcopis provincialibus relinquere jus decernendi depositiones collegarum suorum absque permissu sedis apostolicæ, *Omnium*, inquit ille in epistola ad Eutherium, quæ anno DXL. data est, *appellantium apostolicam sedem Episcoporum judicia eidem sanctæ sedi reservata esse liquet.* Vide supra c. 13. §. 8.

II. Pelagius vero secundus, qui an. DLXXVII. sedebat, aperte pronuntiat, eam esse certam provinciam, quæ constat ex decem vel undecim civitatibus sub uno Rege & totidem inferioribus potestatibus, quoad civilem reipublicæ statum; cujus rei exempla hoc ævo extabant apud Reges Longobardorum & Suevorum in Gallæcia, tum quoad spiritualia administranda, eam etiam esse certam provinciam, quæ unum Episcopum habet & decem vel undecim Episcopos suffraganeos ad judicandas causas omnium Episcoporum in plena synodo, adeo, ut opus non sit ad alias convolare provincias; nisi si ad majorem sedem fuerit provocatum, vel si convenire non potuerit inter judices, quo casu, referendum esse ad majorem sedem, id est sedem apostolicam. Hæc sunt verba Pelagii in epistola ad Joannem Constantinopolitanum: *Scitote, certam provinciam esse, quæ habet decem vel undecim civitates & unum Regem & totidem minores potestates sub se, & unum Episcopum aliosque suffragatores decem vel undecim Episcopos judices, ad quorum judicium omnes causæ Episcoporum & reliquorum sacerdotum ac civitatum causæ referantur, ut ab his omnibus juste consona voce discernantur, nisi ad majorem auctoritatem fuerit ab his, qui judicandi sunt, appellatum &c.*

III. Inter omnes vero Pontifices nemo peritior fuit jurium sedis apostolicæ, quoad appellationes, quam Gregorius magnus. Rebus ille gerendis admotus per multos annos, Ecclesiæ orientalis mores introspexerat, cum sedis apostolicæ Apocrisiarium ageret Constantinopoli; ideoque melius intellexit, quam decessores sui, quænam esset secundum canones auctoritas summi Pontificis in patriarchatu occidentis. Nam Concilium Constantinopolitanum itemque Chalcedonense unicuique Patriarchæ ejusque synodo commiserant judicia appellationum ab Episcopis depositis interpositarum, itemque aliarum causarum ecclesiasticarum, Metropolitanorum vero primam cognitionem. Verum quia versio Latina Dionysii Exigui, qua utebatur occidentalis Ecclesia, pro his canonum Græcorum vocibus *Exarchus Diœceseos*, quæ Diœceseos Patriarcham significant, habebat *Primas Diœceseos*, hinc factum, ut vis hujus vocis ignota fuerit occidenti, creditumque fuerit eam significare Metropolitanum aliquem, qui vicinus esset aut antiquior eo, adversus quem lata sententia erat. Sane Hadrianus I. & Hincmarus Primatem Diœceseos non alium esse existimant, quam Metropolitanum. Præterea cum canon Chalcedonensis ei, qui adversus Metropolitanum agit, tribueret arbitrium implorandi opem Exarchi Diœceseos aut thronum Constantinopolitanum, hanc dignitatem novæ Romæ col-

mæ collatam conqueri non poterat Eccleſia Romana. Itaque his canonibus uti noluit ad aſſerendam auctoritatem ſuam. Nam aliunde poſſidebat illa jus cognoſcendi de appellationibus Epiſcoporum, quod ipſi tributum fuerat in ſynodo Sardicenſi, itemque jus cauſas Metropolitanorum definiendi ante omnem appellationem, primo videlicet judicio, poſt reſcriptum Gratiani. Quo fiebat, ut parum illa ſollicita eſſet de canonibus Chalcedonenſibus. At Gregorius magnus eorum præjudicio dignitatem ſuæ ſedis explicavit, ne quidem nominata ſynodo Chalcedonenſi. Quippe cum animadverteret, veram horum canonum mentem in legem publicam verſam eſſe ab Imperatore Juſtiniano in Novella CXXIII. quæ præcipit appellationes judicari a Patriarchis uniuſcujuſque Diœceſeos, ab ea arceſſit jus illud ſedi Romanæ quæſitum in occidente.

IV. Hinc factum, ut in epiſtolis ſuis apoſtolicæ ſedi jus vindicet judicandi ſecundum canones accuſationes inſtitutas adverſus Metropolitanos: *ſi contra Metropolitanum aliquid cauſæ habuerit, ob hoc ſedis apoſtolicæ petat judicium, quod per canones antiquorum patrum eſt inſtitutione permiſſum.* Legimus vero in regeſto epiſtolarum ejus, eum quandoque apud Romam judicaſſe, non ſolum cauſas Epiſcoporum Italiæ, ſed etiam aliarum provinciarum, interdum vero cauſæ definitionem remiſiſſe in provinciam, miſſo etiam Legato, juxta canones Sardicenſes. Primi caſus illuſtre exemplum extat in cauſa Andreæ Epiſcopi Thebani. Fuerat is depoſitus, nullo juris ordine ſervato, ab Epiſcopo primæ Juſtinianeæ, qui dein Archiepiſcopus Bulgariæ dictus eſt: cujus auctoritas ea tempeſtate porrigebatur ſupra octo Metropolitanos Illyrici occidentalis juxta conſtitutionem Juſtiniani, cui Papa Vigilius conſenſerat. Gregorius ergo appellationem judicans in ſede ſua, judicii acta reſcidit, Andreamque reſtituit, Archiepiſcopum vero a communione ſuſpendit ad ſex menſium ſpatium.

Lib. 7. indict. 11. ep. 8.

Lib. 2. ep. 6.

V. Secundi vero caſus exemplum ſubminiſtrat epiſtola XLVII. libri ſecundi. Epiſcopus urbis Epidauriæ, quæ nunc Raguſa dicitur, abſque ſynodi congregatione depoſitus fuerat ab Epiſcopo Salonitano Metropolitano provinciæ Dalmatiæ. Appellatus Gregorius decernit, ut Metropolitanus ſynodum provinciæ congreget ad judicandam accuſationem ſecundum canones coram Antonio Subdiacono, cui Papa delegat executionem, ut ejus cura cuncta decernantur juxta leges & canones. In provincia quoque Corinthiaca, ſive Achaja, judicari juſſit appellationem Anaſtaſii Epiſcopi dejecti, miſſo in eam rem Secundino Epiſcopo, qui ſententiam depoſitionis confirmavit.

Lib. 4. ep. 50.

VI. At licet Gregorius ad ſe traxiſſet ſupremum arbitrium judicandi appellationes in urbe Roma, aut eas remittendi ad provincias, cum Africanis tamen aliter ſe geſſit, quam cum reliquis provinciis. Conſtat enim, eum morem geſſiſſe Epiſcopis Eccleſiarum Numidiæ & Carthaginis, qui eum oraverant, ut privilegia & conſuetudines illarum Eccleſiarum illæſas præſtaret, in quarum poſſeſſione erant jam a temporibus beati Petri. Quod eis conceſſit Pontifex, modo ne illæ fidei contrariæ eſſent. *Petiiſtis enim*, inquit Gregorius ad Epiſcopos Numidiæ ſcribens, *per Hilarium Chartularium noſtrum a beatæ memoriæ prædeceſſore noſtro, ut omnes vobis retro temporum conſuetudines ſervarentur, quas a beati Petri Apoſtolorum principis ordinationum initiis hactenus vetuſtas longa ſervavit. Et nos quidem juxta ſeriem relationis veſtræ conſuetudinem, quæ tamen contra fidem catholicam nihil uſurpare, dignoſcitur, immotam permanere concedimus, ſive de primatibus conſtituendis, ſive de ceteris capitulis.* Et ad Dominicum Epiſcopum Carthaginenſem: *De privilegiis vero eccleſiaſticis, quod veſtra fraternitas ſcribit, hoc poſtpoſita dubitatione teneat, quia ſicut noſtra defendimus; ita ſingulis quibuſque Eccleſiis ſua jura ſervamus.*

Vide lib. 3. c. 9. §. 2.

Lib. 1. ep. 75.

Vide Baluzii Notas ad Agobardum pag. 44. & 140.

Marca de Conc. Sacerd. & Imp.

VII. Afrorum autem poſtulata huc inter alia tendebant, ut cauſæ eorum definirentur ſecundum antiquos canones Africanos & Sardicenſes. Hi enim jam recepti erant ab Afris; ut conſtat ex collectione Ferrandi, quæ ſexaginta ante Gregorium annis confecta fuerat. Privilegii autem vicem tum ſubibant ob Novellam Juſtiniani, quæ altius evehebat dignitatem Patriarcharum, atque adeo Romani Pontificis in occidente. Ita porro ſe cum Afris geſſit Gregorius, ut nullam eorum cauſam in urbe Roma judicaverit. Contra Columbum Epiſcopum Numidam delegavit, qui curaret, ut ſingula gererentur ſecundum canones in ſynodo provinciæ, etiam quoad cauſam Maximiani Epiſcopi; quem degradari poſſe ait, ſi nocens fuerit, *adunato Epiſcoporum univerſali Concilio*, quod & ipſum ſtatuit de Petro & Paulino Epiſcopis.

Lib. 2. ep. 33. lib. 5. ep. 36. lib. 10. ep. 22.

VIII. Id unum ad conſervandam auctoritatem ſuam contendit Gregorius, ut Clementius Primas provinciæ Byzacenæ Romam veniret, reſponſurus de quodam crimine ei objecto. Quoniam vero ejus imperium detrectabat Clementius, Gregorius reſcriptum a Principe impetravit. Sic enim teſtatur ipſemet in epiſtola LXIV. libri ſeptimi: *In quodam crimine Byzancenus Primas fuerat accuſatus; & piiſſimus Imperator eum juxta ſtatuta canonica per nos voluit judicari.* Sed quoniam Theodorus *magiſter militum*, id eſt, Gubernator Africæ, acceptis decem auri libris, executione hujus reſcripti imperatorii ſuperſederi juſſerat, aliud dein impetravit Gregorius. Poſtea Primas ille Pontifici ſignificat, velle ſe ſubjici apoſtolicæ ſedi; adeoque illum permulſit, ut tandem obtinuerit, cauſam ſuam judicari in Concilio provinciali, juxta præceptum Pontificis.

IX. Sed diſſimulare hoc loco non poſſum gravem hallucinationem Cardinalis Perronii aliorumque, qui de controverſiis religionis libros ſcripſerunt. Confeſſionem enim illam Primatis Byzaceni, qui ſe Romanæ ſedi ſubjectum fatetur, tribuunt Joanni Epiſcopo Conſtantinopolitano, decepti videlicet affinitate nominis, quod in contextu epiſtolæ ſcriptum ſit corrupte *Byzancenus*, quod ipſi corrigi volunt ac reponi *Byzantinus*, cum tamen certum ſit, in uſu nunquam fuiſſe, ut Conſtantinopolitanus Epiſcopus diceretur Byzantinus. *Nam quod ſe dicit*, inquit Gregorius, *ſedi apoſtolicæ ſubjici, ſi qua culpa in Epiſcopis invenitur, neſcio quis ei Epiſcopus ſubjectus non ſit. Cum vero culpa non exigit, omnes ſecundum rationem humanitatis æquales ſunt.* Diſcrimen tamen magnum eſt inter utrumque. Nam ſecundum eorum opinionem Patriarcha CP. agnoſcit, ſubjectum ſe eſſe apoſtolicæ ſedi quoad correctionem morum; cum Clementius Primas fuerit in Africa, quæ in patriarchatu occidentis conſtituta erat. Et tamen ille obtinuit, cauſam ſuam cum auctoritate ſummi Pontificis judicari in ſua provincia ſecundum canones.

Gregor. lib. 10. ep. 37. *Univerſis Epiſcopis Concilii Byzacii.*

X. Alium ordinem tenuit idem ſanctus Pontifex quoad Hiſpaniam; ubi diſciplina quiddam ſpeciale invexerat in judiciis Epiſcoporum. Eccleſiæ enim illius nationis utebantur canonibus a Martino Bracarenſi collectis, itemque iis, qui in ſynodis Hiſpanicis condebantur. Eam collectionem concinnavit Martinus circa annum DLXXI. rogantibus Epiſcopis provinciæ Gallæciæ: in qua canones Græcos in epitomem redactos edidit, quos accommodavit ad uſum Hiſpaniæ & ad canones Conciliorum Toletanorum. In canone autem XIII. cauſam Epiſcopi definiendam eſſe ait in ſynodo provinciali; ſi vero diviſa fuerint judicum vota, tum vocandam eſſe provinciam finitimam, juxta canonem Antiochenum.

XI. Secundum hanc inſtitutionem Stephanus Epiſcopus, læſæ majeſtatis reus, judicatus fuerat & dejectus a ſynodo provinciæ finitimæ; Januarius vero Epiſcopus Malacitanus a collegis ſuis depoſitus fuerat. Uterque ſedem apoſtolicam appellavit. Ob hoc itaque Gregorius Joannem Defenſorem Romanæ Eccleſiæ miniſtrum in Hiſpaniam

Gregor. lib. 11. ep. 50, 53, 54.

misit cum summa potestate, ita, ut ille solus definitivo decreto cognoscere posset de appellatione, & confirmare eorum depositionem, vel eos restituere, ac præterea aliquam pœnitentiam imponere Episcopis, qui Januarium dejecerant, si constaret, ita eos malitiose egisse, id quod Defensor executus est quoad Januarium. In commonitorio autem, quo petitionibus Episcoporum Hispaniæ respondetur, inter alia observatur, Episcopum Stephanum non debuisse judicari ab Episcopis alieni Concilii. Quod alludit ad canonem XIII. collectionis Martini Bracarensis. Sed huic eorum desiderio opponitur Novella Justiniani; quæ præcipit, ut causæ civiles & criminales Episcoporum a suis Metropolitanis definiantur, & in casu appellationis, a Patriarcha. Si quis vero reponat, inquit Gregorius, Stephanum non habuisse neque Metropolitanum neque Patriarcham, huic dici poterit, ejus causam fuisse dirimendam ab apostolica sede, quæ est caput omnium Ecclesiarum. Hæc sunt verba Gregorii: *Contra hæc si dictum fuerit, quia nec Metropolitanum habuit nec Patriarcham, dicendum est, quia a sede apostolica, quæ omnium Ecclesiarum caput est, causa hæc audienda ac dirimenda fuerat; sicut & prædictus Episcopus petiisse dinoscitur, qui Episcopos alieni Concilii judices habuit omnino suspectos.*

XII. Suspicor tamen, Episcopos Hispanos non admodum patienter tulisse judicia isthæc Romana. Nam appellationis ad apostolicam sedem removendæ causa novam legem introduxerunt in gratiam Episcopi damnati, nimirum, ut ei liceat secundam synodum impetrare ad obtinendam restitutionem suam. Colligitur id ex canone XXVIII. Concilii Toletani IV. habiti anno DCLXVI. cujus hæc sunt verba: *Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, si a gradu suo injuste dejectus, in secunda synodo innocens reperiatur, non potest esse, quod fuerat, nisi gradus amissos recipiat coram altario de manu Episcopi.*

XIII. Quoad Ecclesiam vero Gallicanam, eam Gregorius haud aliter tractavit, quam Africanam. Jussit enim, ut causæ Gallorum in Conciliis Gallicanis definiantur, ut statim ostendam.

XIV. Post Gregorii magni tempora Paulus Archiepiscopus Cretæ, quæ patriarchatui occidentis subjecta erat, ausus est prohibere, ne ad Vitalianum Papam provocaretur. Deposuerat is Joannem Episcopum Lappensem in ea insula: qui Romam appellans, occasionem dedit synodo, quæ anno DCLVIII. congregata est a Papa Vitaliano. Cum recitata fuissent acta, revocata sententia est, tanquam contraria canonibus. Docet autem epistola Vitaliani ad Paulum, eum appellationi cedere noluisse, in quo sane nullo jure nitebatur: *Oportebat*, inquit Vitalianus, *tuam fraternitatem secundum canonum vigorem tempore, quo se petiit ad nos venire, eum absolvere tuis literis*, id est, ei dare missionem sive literas dimissorias, *quem non solum noluisti canonice absolvere ad principis Apostolorum limina, sed magis respondisti ei indecenter, inquiens quia non competenter quæris. Quæ ergo sancti sanxerunt patres, indecentia sunt?*

XV. Appellationum usus obtinebat etiam in Anglia; ut colligitur ex Beda, qui in lib. V. hist. cap. XX. refert, Wilfridum Eboracensem Archiepiscopum, cum anno DCCV. a synodo depositus fuisset, Joannem septimum appellasse, Romamque profectum esse, quo etiam accessere accusatores ejus; illic autem restitutum fuisse a summo Pontifice; quæ restitutio demum peracta est in synodo Anglicana ea de causa congregata.

CAPUT XIX.

De praxi Ecclesiæ Gallicanæ in peragendis judiciis Ecclesiasticis sub prima Regum Dynastia.

SYNOPSIS.

I. Inquiritur, quonam modo se Galli sub prima Regum dynastia gesserint circa depositiones Episcoporum. Canones Sardicenses tum recepti erant in Gallia. Synodus itaque provinciæ deponebat Episcopos. In casu appellationis Papa causam retractari jubebat in provincia. Probatur exemplo Contumeliosi Episcopi Rejensis. Depositio tamen peragebatur, tametsi appellatum fuisset.

II. Salonius Episcopus Ebredunensis & Sagittarius Vappincensis, damnati in Concilio Lugdunensi licentiam appellandi sedem apostolicam petunt a Rege Guntramno, qui literas dimissionis illis concessit. Dein restituti sunt decreto Joannis tertii.

III. Synodus a Rege convocata fuerat; & judices ecclesiastici ab eo dati, quod Principibus licere, probatur ex canonibus Africanis, & ex Novella constitutione Valentiniani tertii.

IV. Idem probatur ex Justiniano; qui præterea judicium appellationis Principi reservavit, quod Gregorius magnus approbavit.

V. Reges nostri dabant judices Episcopis. Id vero non displicuit summis Pontificibus.

VI. Salonius itaque & Sagittarius Romanum Episcopum appellarunt juxta Concilium Sardicense. Attamen regno egredi non sunt ausi absque permissu Principis. Ex quo loco colligitur vetustas hujus juris regii. Redditi sunt Ecclesiis suis a Joanne tertio.

VII. Sed iidem iterum accusati, rursum dejecti sunt, alii vero in eorum locis ordinati. Unde colligitur, sententias synodorum mitti solitas in executionem absque auctoritate Papæ.

VIII. Probatur exemplo Saffaraci Episcopi Parisiensis.

IX. Item exemplo Ægidii Remensis Archiepiscopi. Magni præterea momenti est exemplum illud ad probandam auctoritatem regiam.

X. Probatur etiam exemplo Desiderii Viennensis Archiepiscopi.

XI. Tum etiam Didonis & quorundam aliorum Episcoporum sub Theodorico Rege damnatorum.

XII. Gregorius magnus vicariatum suum concessit Virgilio Episcopo Arelatensi, edicto, ut ille causas Episcoporum judicaret congregatis duodecim Episcopis. Sed difficiles quæstiones ad sedem apostolicam referri jussit. Episcopi Arelatenses, tametsi Vicarii essent sedis apostolicæ, nullam synodum congregarunt, si Arelatenses excipias.

XIII. Gregorius magnus nihil aliud optat, quam ut Legatus apostolicæ sedis adsit in synodo, quæ propter Episcopi peccata fuerit congregata; adeoque non cogitabat de evocandis Romam Episcopis, ut prima illic de crimine eorum cognitio haberetur. Mittere tamen legatum non vult absque postulatione Principis.

XIV. Tum missa Romam, legatio a Principe Legatum in Gallias a Gregorio mitti postulavit: quem Pontifex pollicitus est brevi missurum. Verum oborta tunc bella in regno obstiterunt, ne Legatus ille mitteretur.

XV. Charibertus Rex in irritum misit sententiam depositionis a Leontio Burdegalensi Archiepiscopo latam adversus Emerium Episcopum Santonensem.

I. INspiciendum itaque nunc est, quænam fuerit Ecclesiæ Gallicanæ praxis in peragendis judiciis canonicis Episcoporum sub prima Regum nostrorum dynastia. Argumenta sequentia erunt, canones Sardicenses in usu tum fuisse apud Gallos. Synodus itaque provinciæ dejiciebat Episcopos. Si vero Pontifex Romanus appellabatur, is retractari

causam

causam in provincia jubebat, si ita expedire arbitraretur. Exemplo erit causa Contumeliosi Episcopi Rejensis, quem in plena synodo damnatum Cæsarius Arelatensis episcopatu movit. Missa dein relatio ad Joannem II. Pontificem Romanum, qui anno DXXXIV. judicium illud confirmavit literis datis ad Episcopos Galliæ. Attamen quoniam Contumeliosus provocaverat ad sedem apostolicam, Agapetus Papa anno DXXXVI. præcepit, causam ejus de integro examinari a judicibus delegandis in provincia, juxta canones, Sardicenses nimirum, ut patet ex verbis epistolæ Agapeti ad Cæsarium Episcopum Arelatensem. *Delegaturi enim*, inquit, *Deo nostro adjuvante sumus examen, ut secundum canonum venerabilium constituta sub consideratione justitiæ omnia, quæ apud fraternitatem tuam de hujusmodi negotio acta gestave sunt, diligentissima vestigatione flagitentur.* Infra: *Melius autem fecerat fraternitas tua, si postea quam sedis apostolicæ, appellatione interposita, desideravit examen, circa personam ejus a tempore sententiæ nihil permisisset imminui, ut esset integrum negotium, quod interposita provocatione quæreretur. Nam si in executionem mittitur prima sententia, secunda non habet cognitio, quod requirat.* Ex hac ultima clausula discimus, solitos illa tempestate Episcopos Gallicanos exequi sententiam depositionis, tametsi ab ea appellatum esset; quamvis aliud obtinere debere censeret summus Pontifex.

II. Verum, ut mellius intelligamus praxim ejus seculi, expendenda sunt acta synodi, habitæ adversus Salonium Episcopum Ebredunensem & Sagittarium Vappincensem, prout extant apud Gregorium Turonensem. (Gregor. Turon. lib. 5. Hist. c. 20.) Accusabantur illi de violentia, homicidio, adulterio, & de gravi quodam facinore adversus Episcopum Tricastinensem. Harum rerum certior factus Guntramnus Rex synodum Lugdunensem convocavit anno DLXVII. in qua Episcopi illi suis sedibus privati sunt a Nicetio Patriarcha, id est, Episcopo Lugdunensi & ceteris Episcopis illic congregatis. Ii vero cum damnati essent, Regem adeunt, de iniquo judicio conqueruntur, petuntque licentiam appellandi Papam Romanum. Annuit Princeps, deditque literas dimissionis. Joannes dein tertius eos sedibus suis restituit, scripta ob eam rem epistola ad Guntramnum Regem. Disertis hæc verbis docet Gregorius Turonensis: *Sibi tradi licentiam*, inquit, *ut ad Papam urbis Romanæ accedere debeant. Rex vero annuens petitionibus eorum, datis epistolis, eos abire permisit. Qui accedentes coram Papa Joanne, exponunt se nullius rationis existentibus causis dimotos. Ille vero epistolas ad Regem dirigit, in quibus locis suis eosdem restitui jubet. Quod Rex sine mora, castigatis prius illis verbis multis, implevit.*

III. Si quis autem penitus introspiciat negotium istud, intelliget, primo Regem convocasse synodum ad procurandam Episcoporum punitionem, in quo jus imperatorium renovat. Jus autem illud in eo versabatur, ut Principi liceret dare judices ecclesiasticos in causis Episcoporum & clericorum, quod jus approbatum est in canone Africano centesimo quarto, qui extat in collectione canonum, quæ tum in usum recepta erat in Gallia. Præterea nota illis erat Valentiniani III. constitutio, quæ extat in Codice Theodosiano, qua Patroclum Metropolitanum Arelatensem delegavit an. CCCCXXV. ad judicandos nonnullos Episcopos Galliarum, qui Pelagii hæresim fovebant. (L. 47. C. Theodos. de Episc. & Cler.) *Diversos vero Episcopos*, inquit, *nefarium Pelagiani & Cælestiani dogmatis errorem sequentes per Patroclum sacrosanctæ legis antistitem præcipimus conveniri.*

IV. Sane Novella CXXIII. Imperatoris Justiniani non solum admittit praxim illam, ut Imperatori liceat cujuslibet causæ cognitionem Episcopo delegare, sed etiam judicium appellationis Principi reservat in capite quarto. Id autem Gregorius magnus approbat lib. II. epist. VII. in qua mentionem facit accusationis adversus Hadrianum Episcopum Thebanum in Thessalia, cujus cognitionem Mauritius Imperator delegavit Joanni Metropolitano Larissææ civitatis, tum etiam judicii absolutionis ab Imperatore lati post appellationem in gratiam Episcopi damnati.

V. Non displicuit Pontificibus Romanis Regum nostrorum consuetudo, qui judices dabant Episcopis, modo tales darentur, quibus objici incompetentia non posset. Nam si competentes non essent, tum poterant Pontifices expostulare de hoc facto; quemadmodum usurpatum est a Pelagio primo Papa. Expostulavit is anno DLVII. cum Childeberto Rege, quod causam Sapaudi Metropolitani Arelatensis & Primatis Galliarum delegasset Episcopo cuidam, qui dignitate inferior erat Sapaudo. *In judicium sequentis civitatis Episcopi*, inquit Pelagius ad Childebertum scribens, *quod nulla ecclesiastica lege vel ratione conceditur, judicandum juberetis occurrere; ut ipso de conculcato loci sui præjudicio conquerente, illum, qui usurpavit, necesse sit de illicita præsumptione culpari.* (Vide supra lib. 1. cap. 11. §. 3.) Synodus vero, quæ convenit ad judicandam causam Prætextati Episcopi Rothomagensis a Rege Chilperico convocata fuit. (Gregor. Tur. lib. 5. hist. cap. 20.) Itemque ea a Rege convocata est, in qua Gregorius Turonensis expurgavit calumniam sibi impactam, quasi probrosa adversus Reginam Fredegundem verba dixisset. (Idem lib. 5. 49.) *Rex arcessitis regni sui Episcopis, causam jussit diligenter inquiri.*

VI. Rursum ex relatione eorum, quæ gesta sunt adversus Salonium & Sagittarium colligitur, reos ab Episcopis fuisse damnatos juxta auctoritatem, quam ipsis tribuunt canones. Tum dejectos provocasse ad summum Pontificem, quemadmodum constituerat Concilium Sardicense. Attamen egredi regno ausos non esse absque permissu Principis. Ex quo loco colligitur vetustas hujus regii juris, quo Episcopi tenentur ad impetrandam a Rege licentiam exeundi, etiamsi Romam proficisci velint. (Vide Juretum in Notis ad epist. 254. Ivonis Carnot. & Eadmerum in historia Novor.) Abeundi autem potestatem illis facit Guntramnus. Cum vero nullus accusator Romæ adesset, qui reos coram convinceret, eos Joannes III. Pontifex Romanus restitui jussit suis Ecclesiis. In quo nihil iniquum a Pontifice statutum est, cum, ut dixi, nullus Romæ adesset, qui accusationem urgeret. Eam tamen legem restitutioni adjecit, ut, si quis eos accusare vellet, expurgare tenerentur objecta. Et hauddubie ea conditio continebatur in litteris, quas Pontifex ad Regem scripsit pro eorum restitutione.

VII. Sed iterum iidem accusati sunt anno quingentesimo septuagesimo nono. Quare Guntramnus Rex Concilium Cabilonense convocavit; in quo denuo examinata sunt vetera crimina, ea tantum mente, ut aliqua illis propterea pœnitentia imponeretur. Sed additum est crimen læsæ majestatis. Itaque, ut perfidiæ suæ pœnas darent, episcopatibus suis dejecti sunt, & in custodiam traditi in Ecclesia sancti Marcelli: ex qua cum evasissent, per diversa loca vagati sunt, donec in sedibus eorum alii antistites ordinati sunt. Eorum fidem facit idem, qui supra Gregorius, his verbis: *Illud est additum, quod essent rei majestatis & patriæ proditores. Qua de causa ab episcopatu discincti, in basilicam sancti Marcelli sub custodia detrudun-tur. Ex qua per fugam elapsi discesserunt, per diversa vagantes, donec in civitatibus eorum alii subrogati sunt.* (Gregor. Tur. lib. 5. c. 27.) Unde colligere debemus sententias in Episcopos latas a synodis mandari solitas executioni, neque necessarium prorsus fuisse, ut de illis referretur ad summos Pontifices.

VIII. Axioma illud confirmari potest variis exemplis. Magni autem momenti est in hoc argumento causa Saffaraci Episcopi Parisiensis: qui cum semel damnatus fuisset, causam suam in secunda synodo retractari impetravit. Illam Chilpericus Rex eam ob rem convocavit Parisiis anno DLV. & in ea depositus est Saffaracus multorum criminum capitalium reus.

IX. Idem axioma confirmatur etiam alio exemplo

plo valde illustri, cujus narrationem accurate instituit Gregorius Turonensis. Ægidius Remensis Metropolitanus læsæ majestatis accusatus est a Rege Guntramno anno quingentesimo nonagesimo. Accusationis peragendæ cura a Principe delegata est Ennodio, qui Dux olim fuerat. Rex Episcopos regni sui evocat apud urbem Metensem; ubi reus convictus, crimen suum confessus est, ajens, se reum mortis esse. *At ille confusus ait: Ad sententiam dandam super culpabilem ne moremini. Nam ego novi me ob crimen majestatis reum esse mortis.* Judicio itaque synodi depositus fuit. Cum autem Episcopi vitæ gratiam illi fieri obtinuissent a Rege, in exilium pulsus est apud Argentoratum; Romulfus vero in ejus locum substitutus est. *Episcopi ---- obtenta vita, ipsum ab ordine sacerdotali, lectis canonum sanctionibus, removerunt. Qui statim ad Argentoratensem urbem, quam nunc Strataburgum vocant, deductus, exilio condemnatus est. In cujus locum Romulfus, filius Lupi Ducis, Episcopus subrogatus est.* Ceterum ea depositio eo majoris momenti est, quod adversus Episcopum Metropolitanum decreta est; cui Rex dat judices non secus ac simplici Episcopo, tametsi cognitio causarum Metropolitanorum pertinere posset ad summum Pontificem. Tum etiam sententia executioni mandatur, nulla prorsus facta relatione ad apostolicam sedem.

Gregor. Tur. lib. 5. c. 19.

X. Anno dein sexcentesimo tertio, ut narrat Fredegarius in Chronico, Desiderius Metropolitanus Viennensis, pridem Reginæ Brunichildi invisus, in synodo Cabilonensi depositus fuit, & in quandam insulam projectus. Domnolus vero in ejus locum substitutus est, tametsi nulla super hoc apostolicæ sedis rescripta emanassent. *Anno octavo regni Theodorici*, inquit Fredegarius, *synodus Cabillono colligitur. Desiderium Episcopum Viennensem dejiciunt; & instigante Aridio Lugdunensi Episcopo & Brunichilde subrogatus est loco ipsius sacerdotali officio Domnolus. Desiderius vero in insulam quandam exilio detruditur.*

XI. Bella domestica, quæ Gallias commoverunt sub Theodorico Rege & Ebroino Majore domus regiæ nonnullos quoque Episcopos in partes traxerunt, reos ob hoc læsæ majestatis. Itaque cum Rex & Ebroinus synodum alicubi convocassent, plures Episcopi in ea dejecti sunt, ac præsertim Dido, qui dein capite plexus est; alii vero in exilium tantum pulsi sunt jussu Principis. Cum vero in partes quoque transgressus fuisset Leodegarius Episcopus Augustodunensis, dimissus non fuit ad judicium synodi; sed Comiti palatino traditus, ejus jussu capitis pœnam subiit. Vetus auctor vitæ sancti Leodegarii, qui hæc omnia edisserit, acerbe invehitur in eos, qui sanctum hunc virum iniquo judicio morte damnarunt; sed tamen nullam querelam movet adversus pœnam Didoni aliisve Episcopis irrogatam. *Theodoricus Rex*, inquit, *& Ebroinus synodum in quadam villa regia convocantes, multam Episcoporum turbam adesse fecerunt; ibique inter ceteros Didonem ----- condemnatum ab ipsa synodo, calvaria accepta in capite expulsum segregant a sancta congregatione. Deinde exilio condemnatus, morteque secuta pœna capitis exoluit. Alii porro Episcopi tunc a Rege per Ebroinum in ipsa synodo pœnam similem sortiti, perpetuo exilio sunt deportati.*

XII. Recurrit nunc Gregorii magni prudentia, ut se delicatis Gallorum ingeniis accommodaret, interim vero sedis apostolicæ dignitatem retineret, quam prudentiam etiam adhibuerat quoad Afros. Visum itaque expedire, ut Virgilio Arelatensi Episcopo vicariatum sedis apostolicæ tribueret, edicto, ut causas ille fidei aut Episcoporum judicaret, congregatis duodecim Episcopis; ea tamen adjecta conditione, ut si causa quæpiam difficilis incideret, quæ in provincia definiri non posset, ea ad sedem apostolicam referretur. *Si qua vero*, inquit, *inquisitio de fide vel fortasse aliarum rerum inter Episcopos causa emerserit, quæ discerni difficilius possit, collectis duodecim Episcopis ventiletur atque decidatur. Si autem decidi nequiverit, discussa veritate ad nostrum judicium referatur.* Attamen licet Episcopi Arelatenses vicariatum apostolicæ sedis accepissent abhinc annis centum & viginti cum auctoritate convocandorum Conciliorum, certum est, eos nullam synodum congregasse, si synodos provinciæ Arelatensis excipias. Contra, Regum illæ jussu convocatæ fuerunt; & judicia in illis lata sunt adversus Episcopos, nulla mentione facta Episcopi Arelatensis, utplurimum absentis a Concilio.

Gregor. lib. 4. ep. 51.

XIII. Testatum fecerat Gregorius, velle se, ut Episcoporum & aliorum clericorum Africanorum causæ in synodis provincialibus definiantur, delegatione in eam rem data uni ex Episcopis Africanis. Haud absimili consilio vicariatum suum concessit Episcopo Arelatensi, præcipiens item, ut causæ Episcoporum ac aliorum clericorum Gallicanorum in provinciis terminentur. Sed aperta rursum in eam rem sunt verba ejus ad Reginam Brunichildem scribentis. Neque enim aliud ad commendandam sedis apostolicæ dignitatem exigit, quam, ut Regina approbet, mitti in Galliam Legatum; quo, habita synodo adversus Episcopos impudicitiæ reos, pœna in eos decerneretur. Satisfieri itaque censebat auctoritati suæ, si in synodo adesse sineretur Legatus a Romana sede directus; adeoque non cogitabat de evocandis Romam Episcopis, ut illic prima de criminibus eorum cognitio haberetur. Idipsum Afris significari curaverat Cælestinus; qui ejus desiderio cedere noluerunt. Ea porro est ipsamet prærogativa, quæ Gratiani rescripto quæsita est Episcopo Romano, ut si de causa agatur Metropolitani cujuspiam in longinqua regione positi, possit Pontifex dare judices, a quorum sententia provocari non possit. Sed in primis observandum est in Gregorio magno obsequium ab eo præstitum regiæ auctoritati, dum ita se gerit, ut in Galliam mittere personam nolit cum auctoritate extraordinaria absque postulatione Principis. Jus autem illud usque ad hæc tempora conservatum fuit, Pontifices enim Romani Legatos in Galliam mittere non possunt absque consensu Regis.

Vide supra lib. 5. cap. 56. §. 23. & cap. 58. §. 1.

Nunc referenda sunt verba Gregorii ex epistola ad Brunichildem Reginam: *Multorum ad nos relatione pervenit ---- ita quosdam sacerdotes in illis partibus impudice ac nequiter conversari, ut & audire nobis opprobrium & lamentabile sit referre.* Infra: *Sed quoniam eos, quorum est locus hæc insequi, nec sollicitudo ad requisitionem nec zelus excitat ad vindictam*, (Metropolitanos intelligit) *scripta ad nos vestra discurrant, ut personam, si præcipitis, cum vestræ auctoritatis assensu transmittamus, quæ una cum aliis sacerdotibus hæc & subtiliter quærere & secundum Deum debeat emendare.*

Gregor. lib. 9. epist. 64.

XIV. Morem Pontifici gesserunt Regina Brunichildis & nepos ejus Theodoricus Rex; qui duos Legatos Romam misere pro nonnullis negotiis. Inter mandata vero eis data, illud quoque præceptum est, ut Legatum in Gallias mitti postularent, synodum illic habiturum. Id mire placuit Gregorio, qui pollicitus est, se illum brevi missurum. Verum oborta tunc in regno civilia bella obstiterunt, ne Legatus ille mitteretur. *Præfati autem viri magnifici filii nostri*, inquit Gregorius ad Brunichildem scribens, *dato capitulari inter cetera petierunt, quod sibi ex vestra perhibuere jussione mandatum, ut talis debeat a nobis in Galliis persona transmitti, quæ facta synodo cuncta, quæ contra sanctissimos canones perpetrantur, omnipotenti Deo auctore possit corrigere.* Infra: *Apto autem tempore, si Deo placuerit, venerandæ excellentiæ vestræ desideria implere curabimus.*

Gregor. lib. 11. epist. 8.

XV. Ceterum omittendum non est hoc loco judicium latum a Rege Chariberto, qui an. DLXIII. in irritum misit sententiam depositionis, a Leontio Burdigalensi Archiepiscopo & provincialibus Episcopis decretam adversus Emerium Episcopum Santonen-

Vide lib. 4. cap. 5. §. 2.

nensem. Ad episcopatum ille promotus fuerat jussu Regis Clotarii; qui præterea eum ab aliis Episcopis ordinari præceperat, quam a suo Metropolitano, Leontio nimirum. Hic, post decessum Clotarii, Episcopos provinciæ suæ congregavit in civitate Santonensi: in qua synodo dejectus fuit Emerius. Tum celebrata alterius electio, cujus confirmationem a Chariberto Leontius petiit per legatos. At Charibertus ægre ferens contemptam patris sui Clotarii auctoritatem, dejecto videlicet Emerico ab episcopatu, injuriam illam ultus est propria auctoritate; missis videlicet in provinciam viris religiosis, qui Emerium restituerent Ecclesiæ Santonensi; dicta vero mulcta mille aureorum Leontio Archiepiscopo, ut temeritatem ejus hac pœna castigaret; reliquis vero Episcopis; mulcta etiam indicta, sed leviori. Rem narrat Gregorius Turonensis his verbis: *Directis viris religiosis, Episcopum in loco restituit; dirigens etiam quosdam de Camerariis suis, qui exactis a Leontio Episcopo mille aureis, reliquos juxta possibilitatem condemnarent Episcopos. Et sic patris ultus est injuriam.*

Greg. Turon. l. 4. cap. 26.

CAPUT XX.

De nova praxi judiciorum Ecclesiasticorum sub secunda Regum dynastia introducta ex spuriis Pontificum Rom. ex epistolis ab Isidoro collectis.

SYNOPSIS.

I. Sub secunda Regum nostrorum dynastia novum jus introductum est in Ecclesiam Gallicanam. Petitum illud ex collectione Isidori, quæ tum primum prodiit.

II. Epistolæ veterum Pontificum Romanorum, quæ habentur in illa collectione, sunt prorsus apocryphæ citra omnem controversiam.

III. Ea collectio tribuitur Isidoro Mercatori. Tribui autem non potest Isidoro Episcopo Hispalensi. Isidorum Episcopum Setubensem ejus auctorem facit Chronicon Juliani Toletani. Sed illud falsi suspicione laborat.

IV. Eodem tempore emerserunt Capitula Hadriani data Ingilramno Metensi Episcopo.

V. Jure illo novo statuitur, nullum Episcopum posse judicari, nisi in synodo convocata a summo Pontifice.

VI. Sed jus illud contrarium est antiquis canonibus & decretis Pontificum Romanorum. Huic novitati occasionem dedit Concilium Sardicense. Collectio tamen Hadriani non egreditur alibi limites a synodo Nicæna constitutos.

VII. Appellationem Episcopi damnati judicandam esse Romæ, decernunt Capitula Hadriani. Explicatur canon Sardicensis de appellationibus. Tum indicatur innovatio adversus sententiam ejus introducta.

VIII. Præterea præcipitur, ut si forte reus existimaverit, judices sibi esse suspectos, in ejus arbitrio sit, an velit a Romano Pontifice causam suam judicari, an vero a Primate Diœceseos, quod haustum est e canonibus Sardicensibus male intellectis, itemque ex lege Gratiani.

IX. Capitula Hadriani & apocryphæ Pontificum Romanorum epistolæ, tametsi in honore haberentur apud Gallos, vim tamen legis non obtinebant, si constaret, eas canonibus esse adversas. Probatur ex Hincmaro.

X. Præclara sententia Hincmari de auctoritate harum epistolarum. Concilia præ illis servanda.

XI. Canon quintus Sardicensis versus est in legem publicam regni. Probatur e libris Capitularium, & ex Hincmaro.

I. SUb secunda Regum nostrorum dynastia novum jus canonicum in Ecclesiam Gallicanam æque ac in ceteras occidentis provincias introduci cœptum est, inventis eam in rem suppositiis illis veterum Pontificum Romanorum epistolis, in quibus extant quamplurima constituta prorsus adversa veterum canonum statutis. Editæ illæ fuerunt in collectione canonum, quæ Isidoro Mercatori vulgo tribuitur, quam Riculfus Episcopus Moguntinus ex Hispania attulit in Galliam. Unde factum, ut in Capitularibus Regum quamplurima loca descripta fuerint ex falsis illis epistolis.

II. Certum quidem est & omnino indubitatum, ex sententia omnium virorum eruditorum, ac Baronii quoque & Bellarmini Cardinalium, eas epistolas veterum Pontificum, Clementis nimirum, Anteri, Evaristi, Telesphori, Callisti, Julii, Damasi, & in universum omnes illas, quæ tempora Siricii & Innocentii antecedunt, fabricatas fuisse ab hoc Isidoro. Quod colligitur non solum ex barbarie sermonis ac inscientia antiquitatis, sed etiam ex magno discrimine, quod intercedit inter disciplinam veteris Ecclesiæ & eam, quæ in epistolis continetur. Accedit Dionysii Exigui auctoritas, qui cum in sua collectione canonum addiderit epistolas decretales Pontificum Romanorum, nullam tamen mentionem facit earum, quæ in illa Isidoriana continentur. Ac tametsi Leo & Gelasius frequenter laudent epistolas prædecessorum suorum, nullam Isidorianarum mentionem faciunt.

Vide Baluzii præfationem ad Ant. Augustinum §. 2. & seqq.

Vide lib. 3. c. 5.

III. Quærunt anxie viri eruditi, quisnam tandem homo fuerit Isidorus ille Mercator, cui hæc compilatio tribuitur. Neque enim tribui potest Isidoro Episcopo Hispalensi, cum ejus ætas multum antecedat tempus istius collectionis, tum etiam, quod nitidior sit Isidori stylus, quam tota hæc epistolarum apocrypharum farrago. Existimabat Blondellus, Isidorum hunc Mercatorem fuisse fratrem Eulogii Cordubensis, qui in Germaniam confugerat, vitandæ Sarracenorum immanitatis. Verum huic conjecturæ repugnat ratio temporum. Isidorus enim ille vivebat anno DCCCL. cum diu ante eam compilationem ex Hispania in Gallias attulisset Riculfus Episcopus Moguntinus. Si fides habenda esset Chronico Juliani Toletani, quod Parisiis editum est a clarissimo viro Laurentio Ramirezio, non laborandum esset de auctore hujus collectionis. Etenim juxta Chronici illius fidem Isidorus Mercator Episcopus Setubensis (quæ civitas nunc Xativa dicitur in Hispania) ope monachi cujusdam Benedictini operam dedisse dicitur huic compilationi & obiisse anno DCCCV. cum annum ætatis ageret centesimum. Verum Chronicon illud falsi suspicione laborat, uti diximus in capite V. libri III. §. 11.

IV. Eadem tempestate emersit collectio LXXX. capitulorum (alii tamen LXXII. tantum fuisse dicunt) sub nomine Capitulorum Hadriani Papæ, quæ data ab eo est Ingilramno Episcopo Metensi anno septingentesimo octuagesimo quinto. Ea autem excerpta est ex antiquis canonibus & genuinis Pontificum Romanorum epistolis, tum etiam ex legibus Codice Theodosiano comprehensis, vel potius ex breviario illarum legum. In his autem capitulis interdum nonnihil additur antiquis canonibus, interdum vero detrahuntur verba magni momenti, prout conducere visum est ad extollendam Romani Pontificis auctoritatem. Attamen tanta horum capitulorum dignatio fuit, ut etiam frequenter descripta fuerint in Regum nostrorum Capitularibus; & iis usus est Isidorus Mercator in adornanda collectione epistolarum apocrypharum, quas diximus.

V. Nunc penitius inspiciendum est, quid novi juris invexerint hæ duæ collectiones quoad judicia canonica Episcoporum. Primum enim illic statuitur, nullum Episcopum posse judicari, nisi in synodo a summo Pontifice convocata: *Nullus Episcopus, nisi canonice vocatus, & in legitima synodo suo tempore apostolica auctoritate convocata, super quibuslibet criminibus pulsatus audiatur vel impeta-*

petatur. Hæc enim sunt ipsa verba capitis tertii collectionis Hadriani; unde sua exscripsit Isidorus Mercator sub nomine Julii Papæ. Hic autem Hadriani locus laudatur in secunda additione Ludovici Pii cap. XII.

VI. Jus illud novum adversatur canonibus Nicænis, Antiochenis, Africanis, Sardicensibus, & epistolis Innocentii, Leonis, Gregorii, & reliquorum Pontificum Romanorum: qui decernunt, ut prima de criminibus Episcoporum cognitio habeatur a synodo provinciæ, quam Metropolitanus convocabit absque auctoritate Pontificis Romani. Occasionem autem huic novæ institutioni subministravit Concilium Sardicense, quod Episcopum deponi præcipit in Concilio ex delegatione Pontificis congregando; sed illud decernitur tantum in casu appellationis, ad retractandum primum judicium. Eo autem consilio conditum est capitulum illud Hadriani, ut tota dejiciendorum Episcoporum auctoritas ad apostolicam sedem devolvatur, adeo, ut etiam prima causæ cognitio instituatur auctoritate Pontificis, & quod jure ordinario competit Episcopis, ex delegatione tantum Pontificis fiat. Attamen in his, quæ sequuntur, collectio illa non egreditur limites a synodo Nicæna statutos. Nam in capitulis V. IX. XII. & XX. præcipitur, ut primum judicium fiat ab Episcopis provinciæ: quod in executionem mitti debeat, si Episcopus damnatus apostolicam sedem non appellaverit. Descriptum autem est istud in additione quarta Ludovici Pii cap. VIII. & in libro VI. Capitul. cap. CCLXXXVII. itemque in libro VII. cap. CCXXXIV. & CCLXXV.

VII. Secundo ingens tentata est innovatio quoad Episcopum depositum provocantem ad apostolicam sedem. Hunc enim capitulum XX. præcipit a summo Pontifice judicari: *apud Romanæ sedis Pontificem judicetur*. Tum in XXIII. scriptum est ***statuendum, quod ipse censuerit***, quod relatum est in septimo Capitularium libro cap. CCXXXIV. & CCXXXV. In eo autem capite facta est fraus non contemnenda. Quippe id in legem perpetuam versum est, quod antea conditio tantum erat; hujus novæ institutionis colore quæsito ex canone Sardicensi, cujus tamen breviarium tantum refertur, & ipsum procul aberrans a mente canonis. Nam Hadrianus primus in Epitome canonum, quam anno DCCLXXIII. misit ad Carolum magnum, canonis tertii Sardicensis breviarium concepit his verbis: *Quod si damnatus appellaverit Romanum Pontificem, idem observandum est, quod ipse censuerit*. Et tamen canon ille Sardicensis, tametsi supremam Romano Pontifici auctoritatem tribuat, si Episcopus appellaverit, ea nihilominus mente id constituit, ut ea tantum utatur ad judicandum, an prima sententia confirmanda sit, an vero decernenda revisio. Quo casu causam remittere debet ad secundam synodum provinciæ, misso etiam Legato, si mittendum esse aliquem existimaverit. Porro in Capitulis Hadriani omissa non est hæc pars canonis Sardicensis, potestas nimirum decernendi, ut res in synodo judicatæ denuo examinentur; sed disjuncta est illic a materia, qua de agitur, separatumque capitulum constituit. In capitulo enim XLII. extant verba epitomes Hadriani, sumpta ex canone septimo Sardicensi; quæ relata etiam sunt in libro VII. Capitul. cap. CCLXVII.

VIII. Tertio præcipitur, ut si forte reus existimaverit, judices sibi esse suspectos, in ejus arbitrio sit, an velit a Romano Pontifice causam suam judicari, an vero a Primate Diœceseos; ut patet ex capite XX. hujus collectionis, quod relatum est in septimo Capitularium libro capite CCXXXIV. Huic innovationi occasionem præbuerunt canones Sardicenses male intellecti. Nam nonus & decimus permittunt, ut causa Metropolitani judicetur apud Primatem Diœceseos, id est, apud Patriarcham, aut sedem Constantinopolitanam. Itaque collectio ista in diversum trahit mentem horum canonum, edicens, ut Episcopi, quibus Metropolitanus aliive Episcopi suspecti sunt, possint causam suam deferre ad Primatem Diœceseos, id est, juxta mentem istius collectoris, ad antiquiorem Metropolitanum, aut ad sedem Romanam. Eidem innovationi occasionem quoque præbuit rescriptum Gratiani Imperatoris supra relatum in capite undecimo hujus libri; quo tribuitur Episcopo accusato facultas appellandi ad Concilium quindecim Episcoporum, vel ad Episcopum Romanum, si suspectos sibi esse crediderit aut Metropolitanum aut reliquos judices. Verum hæc lex deinceps obtinere non debet post receptos in auctoritatem canones Sardicenses; qui aliam regulam constituerunt quoad Episcoporum judicia, appellarique permiserunt a sententiis depositionis decretis in synodis; cum e contra lex Gratiani vetet, ne is appellet a judicio synodi provincialis, qui se ab ea judicari consenserit.

IX. Attamen observandum est, honorem quidem habitum huic collectioni Hadriani & falsis Pontificum epistolis, adeo, ut eis frequenter utantur Reges nostri in libris Capitularium, sed nihilominus eas vim legis non obtinuisse apud Gallos, quando constabat, eas esse adversas canonibus. Testatur id Hincmarus Remensis Archiepiscopus in opusculo LV. capitulorum, adversus Hincmarum Laudunensem Episcopum sororis filium scribens, qui ea collectione utebatur. Ait enim apertissime Hincmarus de hac collectione Hadriani, eam sibi repugnare in plerisque capitibus, in aliis vero contrariam esse sacris canonibus. *De sententiis vero*, inquit, *quæ dicuntur ex Græcis & Latinis canonibus & synodis Romanis atque decretis Præsulum ac Ducum Romanorum collecta ab Hadriano Papa, & Engelramno Metensium Episcopo data, quando pro sui negotii causa agebatur, quam dissonæ inter se habeantur, qui legit, satis intelligit, & quam diversæ a sacris canonibus, & quam discrepantes in quibusdam ab ecclesiasticis judiciis habeantur*. Infra: *De istis sententiis plena est terra, scilicet & de libro collectarum epistolarum ab Isidoro, quem de Hispania allatum Riculfus Moguntinus Episcopus in hujuscemodi, sicut & in Capitulis regiis studiosus obtinuit, & istas regiones ex illo repleri fecit*. Hincmar. in Opusc. c. 24.

X. Quid autem de veterum Pontificum epistolis ipse sentiret, apertissime ostendit eodem loco; tametsi scribere non audeat, eas esse suppostitias. Docet enim ex Innocentii, Leonis & Gelasii receptis decretis, accurate servanda esse ea, quæ in canonibus Conciliorum præscribuntur; a quibus tamen discederetur, si varia capita controversis illis epistolis comprehensa servarentur, quæ sunt adversa canonibus; qui posteriores cum sint iis epistolis, illis utpote prioribus derogare censendi sunt. Unde tandem orationem suam hac definitione concludit, honorem quidem iis epistolis deberi ob dignitatem auctorum, quorum nomina præferunt, sed Concilia servanda, quorum decreta universalis Ecclesia & sedes apostolica custodit. *In hac discretione*, inquit, *ut præmisi ex verbis Gelasii, suscipe ad instructionem illas epistolas, quas beatissimi Papæ diversis temporibus ab urbe Roma pro diversorum patrum consolatione dederunt legendas venerabiliter; & serva sacra Concilia, quæ sedes apostolica & omnis sequitur Ecclesia, inviolabiliter*. Hincm. c. 25.

XI. At licet in libris Capitularium descripta fuerint Capitula Hadriani, tamen in eisdem scriptus quoque est canon quintus Sardicensis, ut vim legis in regno obtineat quoad negotia ecclesiastica; eoque solo utebatur Ecclesia Gallicana, ut testatur Hincmarus. Hæc sunt verba Capitularium: *Ut judicatus Episcopus ad apostolicam sedem, si voluerit, appellet. Ex Concilio Sardicensi titulo quinto. Quod si appellaverit, in cathedra ipsius alter non ordinetur*, quæ verba transcripta sunt e Breviario Ferrandi Diaconi tit. LIX. & LX. In eisdem Capitularibus descripta est pars illa epistolæ Lib. 7. Capitul. cap. 331.

Leonis

Leonis primi ad Episcopos Mauritaniæ Cæsariensis, qua eorum judicio committit causam Lupicini Episcopi. In universum autem reliqua capitula sic accipienda sunt, ut istis nequaquam derogetur, quemadmodum probavimus ex Hincmaro. Is autem nomine Caroli Calvi Imperatoris scribens ad Joannem VIII. Pontificem Romanum, quinam sit canonum Sardicensium sensus, aperit in capite undecimo illius epistolæ; cujus verba supra relata sunt in hoc libro. Tum capite XIX. docet, eam fuisse praxim sui seculi, eamque semper observatam fuisse in hoc regno. *Hæc itaque transalpinis Ecclesiis*, inquit, *earumque rectoribus a sede apostolica de appellatione Episcoporum ad sedem apostolicam ante longissimæ ætatis annos usque ad nostra tempora servata & a decessoribus ac prædecessoribus eorum secuta & executa fuerunt.* Quod eo facilius is credet, qui observaverit, canones Nicænos, Antiochenos & Sardicenses fuisse descriptos in codice canonum, quo Ecclesia Romana utebatur ævo Caroli magni, quem Hadrianus primus misit ad hunc Principem. In epistola vero, quæ præfixa est huic codici, Hadrianus Carolum hortatur ad observationem horum canonum. *A lege nunquam discede*, inquit, *hæc observans statuta.* Unde Leo quartus scribit, Episcopos judicari secundum regulas a canonibus præscriptas.

CAPUT XXI.

De praxi judiciorum ecclesiasticorum sub Gregorio IV. Leone IV. & Nicolao I.

SYNOPSIS.

I. Gregorius quartus causas Episcoporum audiri jubet a Primate Diœceseos; sed judicium tamen peragi prohibet; quod sibi reservat, vel Legatis in provinciam mittendis.

II. Leo quartus statuit, Episcopum damnari non posse, nisi a duodecim, nisi si Papam appellaverit. Quo casu nemo potest sententiam pronuntiare adversus eum.

III. Hæ constitutiones contrariæ erant canonibus. Ostenditur autem, in quo adversarentur canonibus.

IV. In Gallia tamen Episcopi deponebantur in synodo provinciali, non invitis Pontificibus Romanis.

V. Probatur ex Nicolao primo, qui ait, sedem apostolicam eum habere debere pro damnato, qui judicio Episcoporum fuerat damnatus. At si dejectus appellaverit apostolicam sedem, tum recipi eum posse in communionem, postquam causa fuerit examinata in synodo. Referuntur verba Nicolai.

VI. Agnovit Nicolaus, inesse synodo provinciarum legitimam auctoritatem ad deponendos Episcopos, neque necessariam esse delegationem summi Pontificis. Probatur ex epistola ejus ad Salomonem Regem Britonum.

VII. In Concilio Triburiensi statutum est, ut Episcopus nonnisi a duodecim Episcopis deponatur, nempe in synodo provinciali.

I. GRegorius dein quartus infringere conatus est auctoritatem canonum Sardicensium anno DCCCXXXV. & judiciorum ordinem præscribere, quoad Episcopos, arrepta occasione quadam opportunissima. Aldricus Cenomanensis Episcopus ad eum provocaverat ante sententiam Episcoporum provincialium, qui neque litis instructione neque judicio supersedere volebant. Præcipit itaque Gregorius Pontifex, ut causa ejus audiatur a Primate Diœceseos; sed judicium tamen peragi prohibet; quod sibi reservat, vel Legatis suis in provinciam mittendis. Constitutio autem hæc versa fuit a Gregorio in legem generalem, scripta videlicet epistola ad Episcopos Galliæ, Germaniæ & Europæ, quæ extat integra in secundo tomo Conciliorum Galliæ; ejus autem excerpta extant apud Ivonem in Decreto & apud Gratianum 2. q. 6. Hæc sunt verba Gregorii: *Liceat illi post auditionem Primatum Diœceseos, si necesse fuerit, nos appellare, & nostra auctoritate, aut ante nos, aut ante Legatos nostros ex latere missos juxta patrum decreta suas exercere atque finire actiones; nullusque illum ante hæc judicet aut judicare præsumat.*

Vide Baluzii præfat. ad Ant. Augustin. c. 7.

II. Eam constitutionem imitatus est Leo quartus anno DCCCXLIX. ad Episcopos Britanniæ scribens. Ait enim Episcopum damnari non posse, nisi a duodecim Episcopis, nisi si Papam appellaverit, quo casu nemo potest sententiam pronuntiare adversus eum. *Si Episcopus*, inquit, *suam causam in præsentia Romanæ sedis Episcopi petierit audiri, nullus super illum finitivam præsumat dare sententiam; sed omnino eum audiri decernimus.* Refertur hic locus a Gratiano 2. q. 4. cap. *Nullam.* Epistola vero extat integra in tomo tertio Conciliorum Galliæ.

III. Hæ duæ constitutiones Gregorii quarti & Leonis quarti contrariæ erant canonibus in duobus capitibus. Tum ex eo, quod jubent, ut si Episcopus accusatus appellet a synodo provinciæ ante judicium, vel si primam causæ suæ cognitionem a Romano Pontifice suscipi postulet, litis instructione supersedeatur, donec Papa statuerit, quid sequendum sit. Tum etiam ex eo, quod arbitrio ejus reservant, an Episcopus in urbe Roma judicandus sit, an vero dimittendus in provinciam, illic judicandus coram Legatis apostolicæ sedis. Quod sumptum est ex more usurpato a Gregorio magno; qui tamen Gallias & Africam distinguebat ab aliis provinciis, & cum eis diverso prorsus modo se gerebat, quam cum aliis.

IV. Galli tamen ea tempestate contraria Gregorio quarto & Leoni quarto usurpabant quoad jus appellationum. Nam quoad primam causæ cognitionem dubium non erat, quin Episcopi ad synodum a Principe evocati possent deponere Episcopum. Quin & ipsi quoque Pontifices novarum, quas diximus, constitutionum auctores, aut eorum successores, nunquam contradixerunt huic auctoritati; tametsi jam tum vulgata essent Hadriani primi Capitula & apocryphæ Pontificum Romanorum epistolæ ab Isidoro Mercatore collectæ. Sane res ista probari potest ex adductis Gregorii quarti & Leonis quarti constitutionibus, qui ei Episcoporum auctoritati non derogant, nisi in casu appellationis. Sed præterea idipsum probari potest ex duobus locis Nicolai primi valde illustribus.

V. Primus petitur ex causa Ebbonis Archiepiscopi Remensis. Anno DCCCXXXV. Ludovicus Pius Imperator synodum apud Theodonisvillam convocavit, cui interfuere octo Archiepiscopi & Episcopi triginta quinque; in qua Ebbo dejectus est. Quippe crimen suum confessus fuerat, partes nimirum Lotharii secutum se esse adversus Ludovicum patrem, istum vero exauctorasse prætextu pœnitentiæ publicæ. Cum autem is post dejectionem suam Romam profectus esset, a Sergio in communionem receptus non est. Unde Nicolaus sumit occasionem scribendi, sedem apostolicam eum habere debere pro damnato, qui judicio Episcoporum fuerat damnatus, juxta constitutum canonis quinti Nicæni, quem laudat. At si dejectus appellaverit apostolicam sedem, tum recipi eum posse in communionem Ecclesiæ, postquam causa fuerit examinata in synodo. Unde colligitur, appellatione ad apostolicam sedem suspensum non fuisse effectum sententiæ a primis judicibus latæ, quoad depositionem nimirum & privationem communionis episcopalis, tametsi suspenderetur, quoad ordinationem alterius Episcopi in loco dejecti. Magni autem momenti sunt verba Nicolai, quæ sic habent in epistola ejus ad synodum Suessionensem: *Porro si quispiam sedem apostolicam per Sergium sanctæ memoriæ Papam Ebbonem quondam Archiepisco-*

episcopum indignum clericali communione sanxisse perhibet, noverit quoniam talem sedes apostolica debuit Ebbonem, donec synodali ejus examine causa discuteretur, habere, qualem ab aliis habitum non ignorabat. Infra: *Donec igitur auctoritate sua super hujuscemodi pusillanimitate aut contentione aut alio quolibet vitio examinatio vel dijudicatio proveniret, apostolica sedes nihil agere debuit, nisi quod egit, videlicet, ut ab aliis abjectum ipsa nequaquam indiscusse susciperet; præcipue, cum prædictus Ebbo, non quasi pro depositione sua queritans, vel legitime restitui volens examine præcedente, sedem apostolicam appellaverit, —— a qua, jam reprobatus ab aliis, merito, debuit reprobari, donec supplex ab ea sese canonice posceret adjuvari.*

VI. Secundum caput, quod ex epistolis Nicolai primi colligitur, hoc est, agnovisse illum, inesse synodis provinciarum legitimam auctoritatem ad deponendos Episcopos, neque necessariam esse delegationem summi Pontificis, quod colligitur ex epistola ejus ad Salomonem Regem Britonum scripta. Monet ergo Regem illum depositionem Episcoporum illius provinciæ, qui se simoniacos esse confessi erant, & ob hoc ipsum ab aliis Episcopis jubente Salomone depositi fuerant, validam non esse, quod a duodecim Episcopis peracta non esset, ac præterea quod ei peragendæ defuisset Metropolitanus. Addit vero, Leonem quartum & Benedictum tertium prædecessores suos nihil aliud exegisse, ad hoc, ut judicium adversus Episcopos Britonum rectum esset & legitimum, quam ut duodecim Episcopi adessent in synodo: *Quorum vestigia & ego quoque secundus eadem censui, imo & censeo, nec ullam posse Episcopos sui honoris suscipere jacturam, quos non constat fuisse a duodecim Episcopis, præsente primamque sententiam Metropolitano Episcopo obtinente, cum examinarentur, auditos.* Verum ea, quæ sequuntur, magis urgent. Regi enim imperat, ut Metropolitanum Turonensem conveniat, ejusque judicium expetat, ac propterea ad synodum mittat Episcopos Britonum, qui sunt Ecclesiæ Turonensis suffraganei. Quo casu, nimirum postquam accusati fuerint examinati coram Metropolitano *& integro numero collegarum, id est, duodecim Episcoporum celebrato conventu*, & ipsi legitime deponi poterunt, & alii Episcopi in eorum loco ordinari. Quia tamen intelligebat, ægre consensurum Salomonem, ut Episcopi accusati Cæsarodunum Turonum mitterentur, quod is eum Metropolitanum Britanniæ præesse nollet, Romanum iter aperit, ubi causam ait definitum iri, postquam ii auditi fuerint, quorum interest. Hanc autem Nicolai epistolam in Decreto suo transcripsit Gratianus 3. q. 6. cap. *Hæc quippe.*

VII. Germanos quoque ipsos incessit cupido retinendi vetustam consuetudinem deponendi Episcopos in suis synodis, ita tamen ut a duodecim Episcopis judicarentur; ut constat ex canone decimo Concilii Triburiensis, quod anno DCCCXCV. habitum est: *Statutum est in hac sancta & universali synodo, ut nullus Episcopus deponatur, nisi a duodecim Episcopis.*

CAPUT XXII.

De praxi Ecclesiasticorum judiciorum Gallicanorum, maxime interposita appellatione ante judicium, sub Hadriano II. Pontifice Romano.

SYNOPSIS.

I. Episcopi Gallicani contendebant supersedendum non esse depositione, tametsi appellatio interposita esset ante judicium.

II. Hæc Gallicanorum regula probatur ex controversia, quæ inter eos & Hadrianum secundum exarsit in causa Hincmari Episcopi Laudunensis; qui ante judicium appellavit summum Pontificem, petiitque supersederi judicio. Notatur auctor tractatus De delicto communi.

III. Id unum contendebat Hadrianus, judicandam esse appellationem parte utraque audita. Nihil vero aliud prohibet, quam ne quis pendente appellatione ordinetur in loco dejecti.

IV. Synodus Duziacensis ad Hadrianum rescribens se tuetur auctoritate canonum Sardicensium.

V. Si causam retractari jubeat Pontifex, existimabant Galli, eam retractari debere in provincia. Cui regulæ adhæret Hadrianus.

VI. Magni momenti est hæc Hadriani adhæsio. Quippe canonum Sardicensium & Africanorum auctoritatem inviolatam præstat; ac præterea duas illas Gallorum regulas, supra propositas, certas esse, evincit. Referuntur ipsa Hadriani verba ex epistola ad Carolum Calvum.

VII. Sergius Papa causam Ebbonis Archiepiscopi Remensis retractari jussit in provincia coram Legatis sedis apostolicæ. Probatur ex epistola synodi Tricassinæ ad Nicolaum primum.

VIII. Utraque Gallorum regula probatur etiam auctoritate Hincmari in epistola ad eundem Nicolaum.

I. Ecclesia Gallicana robuste libertatem suam illa ætate retinuit quoad caput appellationum. Primum enim contendebant Episcopi Gallicani, appellationem interpositam ante judicium ab Episcopis provinciæ latum, non esse ejus momenti, ut interim supersedendum foret instructione litis aut pronuntiatione sententiæ, & per consequentiam, privatione communionis episcopalis, tametsi alterius Episcopi ordinatione supersederetur.

II. Hanc eorum fuisse regulam, discimus ex controversia, quæ inter Hadrianum secundum & Episcopos Gallicanos exarsit in causa Hincmari Episcopi Laudunensis. Depositus is fuit in Concilio Duziacensi decem provinciarum an. DCCCLXXI. tametsi ante judicium appellasset summum Pontificem, petiissetque ut interim supersederetur judicio. Ea porro Episcopis illis mens non erat, ut appellationis prosecutionem prohibere voluerint, quemadmodum existimat is, qui tractatum scripsit *De delicto communi*; sed depositionem judicare volebant pendente appellatione. Sane acta ajunt: *Salvo in omnibus judicio sedis apostolicæ.* Hadrianus vero eis exprobrat hanc præcipitationem, contenditque, supersederi debuisse instructione litis post appellationem. Depositionem præterea confirmaturum se negat, donec Hincmarum Laudunensem & accusatorem ejus audiverit in plena synodo; *in præsentia nostra*, inquit, *& totius sedis Romanæ synodali collegio.* Hæc sunt ejus verba in epistola XXVII. quæ data est ad Episcopos synodi Duziacensis: *Tamen, sicut ipsius Concilii actionibus legitur, quoniam salvo in omnibus judicio sedis apostolicæ illum ab Episcopis fuisse judicatum asseritis, nos, non aliqua contra quoslibet commoti invidia, nec alterius culpam in alterum retorquere cupientes, volumus & auctoritate apostolica, nullius partis favorem aut obsequium, sed rei gestæ veritatem magis invenire cupientes, jubemus ipsum Hincmarum Laudunensem Episcopum vestra fretum potentia ad limina sanctorum Apostolorum nostramque venire præsentiam. Quo sane veniente, veniat pariter accusator idoneus, qui nulla possit auctoritate legitima respui. Et tunc in præsentia nostra & totius sedis Romanæ synodali collegio causa illius prudenti ventilata examine, ac diligenter inquisita, secundum Deum & sacrorum canonum constitutiones spiritus Dei prolatas sine protelatione aliqua finietur.*

III. Revera tamen latæ sententiæ connivet Hadrianus, id unum contendens, judicandam esse appellationem utraque parte audita; nihil vero aliud prohibet, quam ne quis ordinetur in loco dejecti, donec

donec judicata fuerit appellatio. *Quia cum clamaret in synodo*, inquit Hadrianus, *se ad sedem apostolicam velle incunctanter venire atque in præsentia ejus pro objectis sibi ab adversario criminibus respondere, damnationis in eum non erat proferenda sententia.* Infra: *Unde quousque causa illius, sicut prætulimus, fuerit iterum refricata atque finita, alter Episcopus in ipsa Laudunensi Ecclesia nullatenus ordinetur.*

IV. Huic Hadriani epistolæ respondens synodus Duziacensis canonum Sardicensium auctoritate se tuetur; ut patet ex eorum epistola, in qua ajunt abstineri potuisse ab hac excusatione, quam mittunt, si is, qui Hadriano erat ab epistolis, diligenter inspexisset acta synodi in loco, quem indicant. *Nunc nobis non esset necessarium excusare*, inquiunt, *si is, quem nobis jussistis rescribere ad locum in gestorum synodalium serie legisset, quod ibi, antequam damnationis in Hincmarum proferretur sententia, scriptum est ita:* (*) *Tunc lectæ sunt in synodo ab Adalgario Diacono sententiæ canonum, ita eo dicente: Sardicenses canones decreverunt, ut si aliquis Episcopus judicatus &c.*

(*) In actis Concilii Duziacensis c. 10.

V. Cum itaque Rex Carolus Calvus & Episcopi Gallicani summopere urgerent observationem canonum Sardicensium, temperamento eo utitur Hadrianus, qua utrorumque juribus consulitur. Unde quoque elicienda est secunda Gallorum regula, nimirum in casu appellationis, si summus Pontifex velit causam retractari, judicandam esse illam in provincia. Cui regulæ adhæret Hadrianus in epistola ad Carolum; in qua mentem ei suam aperit, postquam Episcoporum Gallicanorum ultimas literas expenderat. Ait ergo æquum esse, ut quandoquidem Laudunensis Episcopus appellavit apostolicam sedem, spatium habeat accedendi ad eam, ubi ipsi ostendentur epistolæ & acta adversus eum missa. Quod si, postquam acta cum eo communicata fuerint, pertinaciter contenderit, se injuste esse damnatum, tum Papam jussurum, ut causa retractetur in provincia, vel a judicibus electis, vel a synodo coram Legatis summi Pontificis, ita tamen, ut interim Laudunensis restitui non possit episcopali ordini.

VI. Hic locus magni momenti est, tum ex eo, quod canonum Sardicensium & Africanorum auctoritatem inviolatam præstat, tum etiam quod duas Gallorum regulas supra propositas certas esse evincit. Hæc sunt verba Hadriani: *Sed quia non satis idonea videntur & matura nostris & huic sanctæ sedi condigna*, id est, gesta synodalia habita contra Hincmarum, *donec ad hanc sanctissimam & apostolicam, quam appellavit, sedem spatium habeat veniendi, ideo veniat; & ostensis sibi literis, quas nobis misistis, & libello continenti seriem synodi, libellulo etiam cleri & plebis Laudunensis proclamationem continenti, si adhuc justam putaverit habere proclamationem, asserens, se injuste damnatum, tum electis judicibus, non tamen eo prius in gradu restituto, aut ex latere nostro directis Legatis cum auctoritate nostra, refricentur, quæ gesta sunt, & negotia, in qua orta sunt provincia canonice terminentur. Quod si venire detrectaverit, clareat, quod idem ipse dederit locum damnationis in semetipsum; nec sacer ordo differendo moram patiatur vel detrimentum.*

Epist. 29. Hadr. II. ad Carolum Regem.

VII. Ad majorem autem probationem hujus secundæ regulæ Episcoporum Gallicanorum, causam videlicet in provincia retractandam fuisse, si summus Pontifex appellationem admitteret, adferam exemplum Ebbonis Archiepiscopi Remensis. Fuerat is depositus anno DCCCXXXV. ut supra retuli. Undecim vero post annis Imperator Lotharius, odio adversus Carolum Regem fratrem suum, a Sergio Pontifice rescriptum impetravit, quo causa Ebbonis retractari jubebatur, ac tametsi magna esset ejus gratia, quod Roma ejus imperio pareret, nihil tamen aliud obtinuit, quam, ut negotium in provincia retractaretur coram Legatis, quos Sergius apud urbem Treverensem missurus erat ad Imperatorem. Sane Ebbo dein abstinuit a prosecutione hujus negotii. Sed hanc delegationem factam esse, docet epistola synodi Tricassinæ ad Nicolaum primum scripta anno DCCCLXVII. qua eum synodus certiorem fecit eorum, quæ acta fuerant in causa Ebbonis. *Lotharius Imperator*, inquit synodus, *epistolas a Sergio Papa exegit pro refricando judicio de Ebbonis abjectione, quasi discordia esset in Remensi Ecclesia pro ejus ordinatione. Unde idem Papa Domno Carolo, sed & Guntbaldo Archiepiscopo, & eidem Hincmaro literas misit, ut, cum post diem sanctæ resurrectionis Missos suos in servitium Imperatoris mitteret, Treviris cum Episcopis ad hanc discordiam sopiendam convenire studerent.*

VIII. Ad probandam autem utramque regulam utar etiam testimonio Hincmari ad Nicolaum Papam scribentis. *Hinc juxta Sardicense Concilium*, inquit, *summus primæ & sanctæ sedis Romanæ Pontifex pro examinis renovatione ad se reclamantis & refugientis cum sua clamatione dejecti provincialis Episcopi non statim singularitate privilegii & auctoritatis suæ restituit, sed remittens eum ad provinciam, ubi causa patrata fuerat, —— aut finitimis Episcopis dignatur scribere, aut e latere suo mittit, qui habentes ejus auctoritatem præsentes cum Episcopis judicent, & diligenter causam inquisitam definiant.*

Ap. Flodoard. lib. 3. hist. Rem. c. 13.

CAPUT XXIII.

De praxi Ecclesiæ Gallicanæ, de non admittenda appellatione a judicibus electis, sub Nicolao I. ubi simul ex Hincmaro quinque jura Episcoporum Gallicanorum singularia illustrantur.

SYNOPSIS.

I. Contendebant præterea Episcopi Gallicani, appellari non posse a judicibus electis, etiamsi ii electi essent post appellationem. Ei Gallorum desiderio contradixit Nicolaus primus in causa Rothadi Episcopi Suessionensis. Narratur historia depositionis Rothadi.

II. Dejectionis ejus certior factus Nicolaus excanduit, præsertim quod intelligeret, ordinatum fuisse in loco ejus Episcopum, spreta appellatione. Itaque ad Hincmarum scripsit, non occultis doloris indiciis, adeo ut suspensionem a divinis intentaverit.

III. Synodi acta confirmaturum se negat Nicolaus, donec Rothadus fuisset auditus. Tum irascitur ob depositionem Rothadi peractam post appellationem. Scribendum autem fuisse ad summum Pontificem, tametsi appellatum non fuisset, ut cognosci posset, an is causam retractari vellet, quod contrarium est canoni Sardicensi.

IV. Canones violatos ait ex eo capite, quod Episcopus in loco Rothadi fuerit ordinatus post appellationem. Episcopi vero excipiunt, eum post appellationem expetiisse judicium Episcoporum. Quid dein actum a Nicolao.

V. Temperata fuit excandescentia Nicolai. Postulat, ut aut Episcopi Rothadum restituant, aut aliquos Romam mittant, queis coram judicium renovari possit apud sedem apostolicam.

VI. Hinc occasionem sumpsit Hincmarus scribendi celebrem illam epistolam ad Nicolaum; in qua evulgantur quinque arcana Episcoporum Gallicanorum quoad depositionem Episcoporum. Explicantur regulæ illæ.

VII. Pallium interdum tribuebatur Episcopis, tametsi Metropolitani non essent. Hi vero contendebant, sibi quoque competere privilegium exemptionis a jurisdictione synodorum. Verum exemptio illa non derogabat auctoritati synodorum. Pallium

autem

autem concedi nemini poterat, ob exemptionem illam, absque consensu Regis & Episcoporum Gallicanorum.

VIII. Gregorii igitur quarti & Leonis quarti constitutiones in usum receptæ non erant in Gallia, cum id, quod diu ante ab eis constitutum fuerat in gratiam omnium Episcoporum, ab Hadriano tribuatur Actardo Episcopo Nannetensi tanquam privilegium, ratione Pallii.

IX. Magni momenti sunt verba Hincmari, ex quibus quinque illæ Gallorum regulæ colliguntur.

X. Galli pervicaciter contendunt, appellari non posse a judicibus electis, contra tendente Nicolao Papa. Mirabile temperamentum Hincmari.

XI. Ruituram prorsus ecclesiasticam disciplinam scribit ad Nicolaum Hincmarus, si sententia adversus Rothadum a judicibus electis lata infringatur.

I. PRæter duas regulas Episcoporum Gallicanorum a nobis propositas capite superiori, tertia quoque prorsus animose propugnabatur a nostris, non posse nimirum Episcopum damnatum provocare a judicibus electis, tametsi ii electi essent post appellationem interpositam ad sedem apostolicam. Sed fatendum est, summos Pontifices se ad hanc regulam non accommodasse, licet alias devorassent. Contra Nicolaus primus ei aperte contradixit in causa Rothadi Episcopi Suessionensis. Varia ei crimina objecta fuerant in synodo habita in Convicino villa prope Sylvanectum anno DCCCLXIII. in primis vero depositum ab eo Presbyterum injuste, dissipata bona Ecclesiæ, oppignoratum calicem aureum, spretas Metropolitani monitiones. Cum autem in eo res esset, ut sententia jamjam in eum ferenda esset, provocavit ad sedem apostolicam, prorogarique tantisper judicium obtinuit, donec ipse Romam accessisset. Interim schedulam porrexit nonnullis Episcopis synodi, eorum opem implorans, quam schedulam sic interpretatus est Hincmarus, quasi Rothadus ad judices electos provocaret. Itaque Rex synodum transtulit ad suburbium Suessionense; ubi accusator quoque sex Episcopos elegit, quos judices esse cupiebat. Episcopi vero, ad quos Rothadus scripserat, tum etiam sex, qui ab accusatore electi erant, eum deponunt, ac statim Episcopum alium in loco ejus ordinant. Ipse vero in exilium pulsus, in monasterium projectus est.

II. Dejectionis ejus certior factus Papa Nicolaus excanduit; præsertim cum intelligeret, ordinatum fuisse in loco ejus Episcopum, spreta appellatione. Statim itaque ad Hincmarum scribit, ut famæ & sedi suæ Rothadum restituat intra spatium triginta dierum, postquam hanc epistolam receperit; vel si sententiam existimet esse justam, aut ipse Romam veniat, aut Legatum mittat, ut jus partium agnoscere Pontifex possit. Quod si obedire contempserit Hincmarus, eum Nicolaus *a Missarum solemniis celebrandis* suspendit.

Vide Baluzii præfationem ad Ant. Augustinum c. 8.

III. Interim synodi Sylvanectensis acta Romam deferuntur ab Odone Episcopo Belvacensi; quæ confirmaturum se, negat Pontifex, (id enim postulabatur) donec auditus fuisset Rothadus. In epistola autem scripta ad synodum significat, gravissimam offensionem sibi concitatam esse ex eo, quod Rothadus depositus sit nulla ratione habita appellationis ab eo interpositæ ad sedem apostolicam. Ait vero, secundum canones Sardicenses permissam esse appellationem, ac tametsi Rothadus non appellasset, eam tamen juxta canones illos incubuisse necessitatem, ut ad summum Pontificem scribendum fuerit, quo sciri ac cognosci posset, an is causam retractari vellet ac judices ea de causa dare. Sed heic obiter adnotandum est, Nicolai mentem in hac ultima clausula contrariam esse canoni Sardicensi, qui necessitatem synodo non imponit mittendi acta ad summum Pontificem, nisi in casu appellationis, ut dein ipse judicare possit, an judicium sit renovandum.

IV. In epistola vero XIX. ad Hincmarum manifeste peccatum esse ait ab Episcopis adversus canones, eo quod post appellationem Rothadi alium Episcopum in loco ejus ordinaverant. Et quoniam Episcopi excipiebant, eum post appellationem ad sedem apostolicam Episcoporum judicium expetiisse, reponit Nicolaus, ex Rothadi ore intelligendum esse, quænam ipsi mens tunc fuerit. Quamobrem eis præcipit, ut duo vel tres ex ipsis veniant ad sedem apostolicam, vel vicarios suos mittant, Rothadumque adduci faciant, ut partium jura intelligi possint, quod si intra triginta dierum spatium a die receptionis hujus epistolæ paritum non fuerit, eos suspendere se ait *a Missarum solemniis celebrandis*. Declarat autem se, si illi moras nectant, ad Rothadi absolutionem processurum. *Ipsum quidem Rothadum a nobis*, inquit, *apostolicæ sedis more a damnationis vinculo fore solvendum*. Ut autem Episcopos in partes trahat, eorum quoque interesse ait, ut negotium illud ea ratione terminetur, privilegia enim apostolicæ sedis multum valere ad propulsandas injurias, quas Episcopis forte inferri contingit, quod enim nunc Rothado accidit, posse statim unicuique eorum evenire. Adferam autem ipsa verba Nicolai: *Privilegia sedis apostolicæ tegmina sunt, ut ita dicam, totius Ecclesiæ catholicæ. Privilegia inquam hujus Ecclesiæ munimina sunt circa omnes impetus pravitatum. Nam quod Rothado hodie contigit, unde scitis, quod cras cuilibet non eveniat vestrum? Sic Apostolus admonet dicens: Qui putat se stare, videat, ne cadat. Quod si contigerit, ut verbis utamur propheticis, ad cujus, rogo, confugietis auxilium?*

Epist. 32. ad Episc. syn. Sylvan.

V. Ex hac porro epistola constat, temperatam jam tum fuisse excandescentiam Nicolai, qui paulo commotior Rothadum restitui jusserat, scripta ad Hincmarum epistola, quod dejici non potuisset pendente appellatione. Nam in posteriore ista ad Episcopos synodi Sylvanectensis, quæ scripta non est imprudenter, sed post maturam deliberationem, declarat, non cogitare se de restituendo Rothado, nisi postquam constiterit, nolle eos Romam accedere aut vicarios mittere pro retractanda ejusdem Episcopi causa.

Itaque post epistolas Nicolai ad synodum, ad Regem, & ad Hincmarum scriptas, Rothadus monasterio egredi jussus est. Papa vero ad eum dein scripsit, ut, si se non existimet habere bonam causam, abstineat a profectione in Urbem, se enim Episcopis scripsisse, gratam sibi fore restitutionem ejus, si ipsi ita censuerint, vel aliquos ex ipsis Romam mittant, queis coram judicium renovari possit apud sedem apostolicam.

Nicol. ep. 34. ad Rothadum.

VI. Hinc occasionem sumpsit Hincmarus scribendi ad Nicolaum eam epistolam, quæ apud Flodoardum extat in libro III. historiæ Remensis c. XIII. in qua evulgantur quinque arcana Episcoporum Gallicanorum quoad depositiones Episcoporum. Primum enim docet; synodis comprovincialibus juxta canones Nicænos & aliorum Conciliorum ac decreta Pontificum Romanorum competere jus definiendi omnes causas Episcoporum vel clericorum, neque necessarium esse, ut ob eas summus pontifex adeatur. Tum si quid dubietatis emerserit in judiciis Episcoporum, id est, si ea causa incidat, quæ definita non sit in canonibus, & quæ propterea definiri nequeat in synodo unius vel plurium provinciarum, accedendum esse ad divinum oraculum, id est, ad sedem apostolicam. Tertio Episcopum, postquam depositus fuerit, appellare posse, si velit, Episcopum Ecclesiæ Romanæ; id est, ejus appellationem admitti non posse ante, quam judicatus sit & a gradu suo dejectus in synodo provinciali, juxta Concilium Sardicense. Tum vero renovandum esse judicium, si Romanus Episcopus jusserit renovari. Quarto appellari prorsus non posse a sententia Episcoporum, quos judices elegerint accusator & reus. Quinto Metropolitanus,

qui

qui Pallium a summo Pontifice receperunt, judicandos non esse ab Episcopis provincialibus absque auctoritate sedis apostolicæ, quemadmodum a Leone Papa decretum est. Axioma illud non receptum erat absolute in Gallia, ut adnotatum est superius, quum relata sunt exempla Metropolitanorum dejectorum. Veruntamen certum est, potuisse Papam, si ita existimaret, sibi reservare judicium Metropolitanorum; ut supra vidimus factitatum a Cælestino, Leone & Hilaro. At Hincmarus, ut satis Pontifici faceret, &, ut sibi, qui Metropolitanus erat Remensis, patrocinaretur, regulam illam invehere conatus est.

VII. Interdum autem Episcopis, contemplatione meritorum, Pallium a sede apostolica tribuebatur, tametsi illi non essent Metropolitani. Hi vero contendebant, sibi quoque competere privilegium exemptionis a jurisdictione synodorum; ut patet ex Theodulfo Aurelianensi Episcopo, qui sub Ludovico Pio depositus fuit. Ait enim:

Solius illud opus Romani Præsulis extat,
Cujus ego accepi Pallia sancta manu.

Attamen si penitius introspiciamus privilegium, quod una cum Pallio Hadrianus secundus concessit Actardo Episcopo Nannetensi anno DCCCLXVIII. facile deprehendemus, illud coerceri ad casum appellationis vel recusationis, exemptionem vero illam non derogare auctoritati synodorum. Præterea concedi Pallium nemini poterat absque consensu Regis & Episcoporum Galliæ, ob exemptionem illam a jurisdictione. Hæc sunt Hadriani verba ad eundem Actardum Episcopum Nannetensem: *Nullus Metropolitanorum antistitum vel ceterorum Episcoporum in controversia criminis, si sedem appellaveris apostolicam, vel ejus speciali expetieris audiri vel discuti fortassis examine, præsumat de te proferre non nostro præmisso decreto judicium; sed apostolicæ sedis tantum reserveris examinandus vel judicandus incunctanter arbitrio.*

VIII. Ceterum ex his Hadriani verbis petitur validissimum argumentum ad probandum, constitutiones Gregorii quarti & Leonis quarti receptas tum non fuisse in Gallia; cum id, quod triginta ante annis constitutum fuerat in gratiam omnium Episcoporum, nimirum, ut si sedem apostolicam appellaverint, eorum judicio supersedeatur, nunc ab Hadriano tribuatur Actardo, ut privilegium, contemplatione Pallii.

IX. Magni autem momenti sunt verba Hincmari, ex quibus quinque illæ regulæ colliguntur, ideoque operæ pretium fuerit ea referre. *I. Absit enim a nobis, ut privilegium primæ & summæ sedis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Pontificis pro sic parvo pendamus, ut controversias & jurgia tam superioris quam etiam inferioris ordinis, quæ Nicæni & ceteri sacrorum Conciliorum canones & Innocentii atque aliorum sanctæ Romanæ sedis Pontificum decreta in synodis provincialibus a Metropolitanis præcipiunt terminari, ad vestram summam auctoritatem fatigandam ducamus. II. At si forte de Episcopis causa nata fuerit, unde certa & expressa in sacris regulis non habeamus judicia, & ob id in provinciali vel in comprovinciali nequeat examine definiri, ad divinum oraculum, id est, apostolicam sedem, nobis inde est recurrendum. III. Si etiam de majoribus causis a provinciali Episcopo ad electorum judicium non fuerit provocatum. IV. & in aliqua causa idem Episcopus fuerit judicatus, id est, a gradu suo in comprovinciali synodo dejectus; & putat se bonam causam habere, & appellaverit, qui dejectus est, & confugerit ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ, —— ad illius dispositionem secundum septimum Sardicensis Concilii capitulum renovabitur examen. V. Nam de Metropolitano per sacras regulas constituto, qui ex antiqua consuetudine ab apostolica sede Pallium accipit, sicut Leo ad Anastasium, quod & Nicænum Concilium innuit, & ceteri Romanæ sedis Pontifices in decretis suis ex sacris canonibus monstrant, sedis ipsius Pontificis etiam ante judicium est sententia præstolanda.*

Ap. Flodoard. lib. 3. hist. Rem. c. 13.

X. Tanta autem erat Ecclesiæ Gallicanæ pervicacia quoad quartum caput harum regularum, ut, cum ipsa juxta canones Africanos contenderet, admittendam non esse appellationem a sententia judicum electorum, videret tamen Nicolaum multum urgere, ut Rothadus Romam adduceretur, quo Episcopi mitterent vicarios, queis coram causa retractaretur, ea erat, ut dixi, Episcoporum Gallicanorum in hoc capite pervicacia, ut temperamentum quæsiverint, quo utrorumque jura salva & illibata permanerent. Hincmarus enim scribit, justum esse, ut Rothadus Romam proficiscatur, quandoquidem ita jubebat summus Pontifex; cum æquum prorsus sit, ut quilibet Episcopus ab eo vocatus Romam accedat, nisi legitima excusatione præpediatur, tum æquum pariter esse, ut Episcopi illuc mittant vicarios suos, cum id summo Pontifici placeat, in quo satisfacit dignitati sedis apostolicæ. Sed tamen eos limites præscribit potestati suorum vicariorum, ut manifeste appareat, eum providere voluisse, ne quid detrimenti caperent jura canonica Ecclesiæ Gallicanæ. Neque enim eos mittit ut accusatores, aut ad convincendum Rothadum, sed ut repellant accusationes impactas Episcopis Gallicanis, ac si debitam apostolicæ sedi reverentiam contemnere viderentur repudiata Episcopi illius appellatione; tum etiam ut Nicolao suppliciter significent, judicatum ab illis fuisse Rothadum, qui ad judicium electorum provocaverat juxta canones Africanos & decreta sancti Gregorii. Hæc sunt verba Hincmari in epistola ad Nicolaum. *Cum eo*, id est, Rothado, *quia vobis placet, cui cuncta bona placent, mittimus vicarios nostros, non ut accusatores ad confligendum, sed ut a Rothado atque a vicinis nostris, qui causam pleniter ac veraciter aut nesciunt aut scire non volunt, accusati, quod non in contemptum sedis apostolicæ appellantem Rothadum secundum Sardicenses canones sedem apostolicam, sed eum, qui ad electorum judicium de certis capitulis provocavit, juxta Carthaginenses & Africanos canones ac decreta beati Gregorii, regulariter judicavimus, vestræ summæ auctoritati humiliter intimandum.*

Hincmar. T. 2. pag. 247.

XI. Demum Hincmarus orat Nicolaum, ut rationem habeat canonis Carthaginensis, qui vetat appellari a judicibus electis, tametsi ii duodecim non essent; cum præsertim in causa Rothadi integer ex consensu partium fuerit judicum numerus, a quibus dein lata sententia est, quod si ea sententia infringatur, pessumdari hoc unico facinore auctoritate Metropolitanorum, funditus everti vigorem ecclesiasticæ disciplinæ, & judicia synodorum in contemptum abitura, etiam apud laicos, utcunque se res habeat, si post monitiones illas Papa ex speciali gratia & intuitu misericordiæ Rothadum restituere velit, nolle se auctoritati ejus obsistere, malle enim se credere, multa Nicolao revelata esse, quæ aliis sunt abscondita & occulta.

CAPUT XXIV.

Probatur ulterius, olim a judicibus electis appellari non potuisse.

SYNOPSIS.

I. Rothadus a Nicolao Papa restitutus est in integrum. Intentata autem Hincmaro depositionis pœna, si restitutionis executionem impediat. Vult tamen, ut si quid Rothado objicitur, accusatio peragatur apud sedem apostolicam.

II. Regulam prorsus novam invehere conatur Nicolaus, synodum nempe provincialem non posse deponere Episcopum, etiamsi apostolicam sedem non appellaverit, expectandaque esse mandata specialia summi Pontificis.

III. Con-

III. Contendebat Nicolaus, judicia Episcoporum inter majores causas numerari, quod negabant Galli. Urget Nicolaus, interrogatque, quænam tandem causæ sint majores, si judicia Episcoporum in eum censum referenda non sunt.

IV. Non contradicit Nicolaus Gallorum regulæ, qui ajebant, provocari non posse a judicibus electis. Sed oblique agens, ait, ei locum esse non posse in causa Rothadi, illum enim non appellasse judices electos, quod verum est.

V. Rothadus itaque sedem suam recepit. Sed tamen Galli non discesserunt a regulis suis. Probatur ex Hincmaro, qui synodi judicium contendit non fuisse cassatum, sed Rothado humiliter poscenti veniam ab apostolica sede datam, synodum vero Gallicanam his decretis paruisse, ut præcipiunt antiqua regulæ.

VI. Galli optimo jure contendebant, appellari non posse a judicibus electis. Nicolai tamen desiderium consentaneum prorsus rationi erat. Rothadus enim non appellaverat expresse judices. Præterea pendente appellatione nihil tentari debuit inconsulta sede apostolica.

VII. Certa est regula, appellari non posse a judicibus electis. Cui & Romani Pontifices assentiuntur. Apud Græcos vetita erat appellatio a sententia judicum electorum.

VIII. Appellari non posse a judicibus electis, existimabat ætas divi Bernardi.

I. Romam itaque profectus Rothadus Episcopus Suessionensis juxta præceptum Nicolai, illic semestre integrum commoratus est, adventum vicariorum Episcoporum expectans. Sed cum illi se per literas excusassent, eo prætextu, quod Italia undique obsepta esset armis hostium, significassentque præterea, impositam sibi non fuisse curam accusandi Rothadum, Nicolaus congregato Romæ Concilio anno DCCCLXV. Rothadum in eum statum restituit, in quo erat ante sententiam excommunicationis & depositionis in illum latam. Tum Regem Carolum Calvum orat, ut decreti hujus executionem protegat, Episcopumque illum restitui jubeat. Hincmarum vero objurgans, depositionis pœnam intendat, si decreti hujus executionem impediat. Declarat tamen, eam sibi mentem esse, ut, si quid Rothado objicitur, accusatio institui & peragi possit apud apostolicam sedem.

Nicol. ep. 44. ad Carolum.

II. Sed in primis consideranda est epistola Nicolai ad Episcopos Gallicanos; in qua rationem reddit eorum, quæ a se gesta erant in causa Rothadi. Et tamen cum contemni & atteri turpe ac sordidum arbitraretur, ac ulcisci vellet auctoritatem suam, quam in eo violatam esse existimabat, quod Episcopi dejecti appellationem admittere judices nollent, regulam invehere conatur non solum canonibus receptis & decessorum suorum praxi contrariam, sed etiam variis suimet constitutionibus in superioribus epistolis contentis. Itaque regula ab eo proposita, pompæ nimirum plena, est hæc, synodum provincialem non posse deponere Episcopum, etiamsi apostolicam sedem non appellaverit, expectandaque esse mandata specialia summi Pontificis. Diserta in eam rem sunt verba ejus in ea, quam diximus, epistola ad Episcopos Gallicanos: *Etsi sedem apostolicam nullatenus appellasset, contra tot tamen & tanta vos decretalia efferre statuta & Episcopum inconsultis nobis deponere nullo modo debuistis.* Id ipsum antea viva voce dixerat in sermone, quem habuit in Concilio Romano, cujus hæc sunt verba: *Quamquam etsi nunquam provocasset, nunquam omnino præter scientiam nostram deponi debuerit: quia sacra statuta & veneranda decreta Episcoporum causas, utpote majora negotia, nostræ definiendas censuræ mandarunt.* Decreta autem, unde jus suum repetit Nicolaus, non alia sunt, quam ea, quæ extant in collectione Isidori Mercatoris; quorum ipse veritatem propugnavit in epistola adversus Hincmarum, qui dixerat, eas epistolas in codicem canonum non esse relatas.

III. Addit autem Nicolaus, majores causas definiri non posse *sine censura sedis apostolicæ*, ut ait sanctus Leo, & judicia Episcoporum inter majora negotia numerari, quod Galli concedere nolebant. *Sed dicitis*, inquit, *judicia Episcoporum non esse majora negotia.* Nihil autem aliud reponit, quam eas haud dubie causas esse majores, quod Episcopi primum gradum obtineant in Ecclesia, eorumque judicia ad se eo majori de causa pertinere, quod etiam causas clericorum inferioris ordinis, *cum tempus vel res exegerit*, judicare potest, juxta auctoritatem Innocentii in epistola ad Victricium, quem laudat, cujusque nos genuinum sensum aperuimus in capite decimo tertio hujus libri. Quoniam vero Hincmarus scripserat ad Nicolaum, causas Metropolitanorum judicari non posse inconsulta sede apostolica, ait Nicolaus, nullum se discrimen quoad hoc constituere inter Metropolitanos ac reliquos Episcopos. Demum gravi interrogatione Gallicanos Episcopos urget Nicolaus, quæritque, quænam tandem sint majora negotia sedi apostolicæ reservata, si judicia Episcoporum in eum censum referenda non sint, cui interrogationi jam satisfactum est in eodem capite XIII. hujus libri.

IV. Quantum autem ad objectionem Gallorum, qui ajebant, licitum non esse provocare a sententia judicum electorum, ei non contradicit aperte: sed oblique agens, ostendit, locum ei esse non posse in causa Rothadi, illum enim non appellasse judices electos. Sane Rothadus nonnullis Episcopis scripserat, ut eorum opem imploraret, non certe in præsens, sed postquam summus Pontifex præcepisset causam retractari in provincia. Interim vero neque numerum judicum expresserat, neque declaraverat, renuntiare se appellationi ad sedem apostolicam, quo causam judicari sineret ab Episcopis electis. Contra perstitit postea in appellatione, quando damnatus est a prætensis judicibus. Ait deinde Nicolaus, eum, postquam sedem apostolicam appellaverat, non potuisse provocare ad auctoritatem Romana minorem & inferiorem. Unde colligi potest, hæsuram illi fuisse aquam, nisi appellatio ad sedem apostolicam antecessisset sententiam judicum electorum. Demum magna animi perturbatione & indignatione commotus regulam allegat a me prolatam superius in paragrapho secundo hujus capitis.

V. Auctoritate itaque hujus judicii Rothadus sedem suam recepit. At Episcopi Gallicani non discesserunt a regulis suis; ut constat ex responsione Hincmari ad Episcopum Laudunensem, qui ei exprobraverat, in irritum ab apostolica sede missam esse sententiam in Rothadum latam. Ait enim Hincmarus, judicium synodi; quod latum fuerat & in executionem missum juxta canones, ab apostolica sede non fuisse cassatum, sed Rothado humiliter poscenti veniam ab ea sede datam, multis pro eo rogantibus. Papam vero flecti se passum esse, quod Legati Episcoporum, qui causas judicii lati secum adferebant, Romæ se non stitissent, prohibiti nimirum fauces Alpium transire, synodum vero Gallicanam hoc sedis apostolicæ decretum reverenter suscepisse, quemadmodum præscriptum est in antiquis regulis, atque id eo magis obtinere debuisse, quod jam vita excessisset ille, qui in loco dejecti ordinatus fuerat, & remoto obstaculo, satius fuisse, pacem quam bellum amplecti; præsertim cum frater damnatus ad meliorem frugem se jam recepisset. Hæc compendio perstringere placuit, quæ fusius extant apud Hincmarum in capite quinto opusculi LV. capitulorum; in quo hæc quoque verba habentur: *Nostrum judicium per regulas executum sedes apostolica non cassavit; sed Rothado, qui ad eam fecit confugium, humiliter poscenti, quoniam legati nostri, qui*

causam

causam ejus examinavimus, cum literis, sicut præcipiunt canones, prius non venerunt clusas, id est, fauces & transitus Alpium, *transire prohibiti, solatii benignitatem impendit*.

VI. Quod si mihi sententiam quoque meam proferre liceat inter tantos viros, libere dicam, quid mihi in mentem venerit. Itaque existimo, Gallicanos Episcopos optimo jure contendisse, appellari non posse a judicibus electis, Nicolai vero desiderium rationi prorsus consentaneum fuisse in hac facti specie. Nam postulatio judicum electorum, quam isti contendebant factam fuisse a Rothado, non erat expressa, quandoquidem alium sensum recipere poterat. Præterea appellatio ad sedem apostolicam, quæ facta ante fuerat, cuique synodus Gallicana concesserat, prohibebat quodam modo, ne quid Episcopi definirent inconsulta sede apostolica; præsertim cum reus in appellatione perstiterit, quando sententia adversus illum pronuntiata est.

VII. Attamen, ut dixi, consilio Gallorum prorsus favebat regula generalis; quæ conceptis verbis extat in canone Carthaginensi, cujus auctoritas recepta erat in occidente. Quin & Hadrianus ipse in Epitome canonum hunc quoque Carthaginensem descripsit: *Item, ut a judicibus consensu partium electis non appelletur*. Sane Ecclesia Gallicana insuperhabuit has ultimas Nicolai epistolas, quæ politiam canonicam in regno receptam ex eo capite pessumdabant, quod pronuntiarent, nullum Episcopum posse deponi inconsulta sede apostolica. Itaque perstitit eadem Ecclesia in observatione trium regularum supra adductarum in capitibus XXII. & XXIII. hujus libri: quas dein inviolatas præstitit Hadrianus secundus anno DCCCLXXI. id est sexennio post epistolas Nicolai, adeo, ut etiam causas definiri voluerit *per judicium electorum*. Græci vero, in quorum collectione descripti sunt conones Carthaginenses, nequaquam ambigunt, quin vetita prorsus sit appellatio a sententia judicum electorum; ut observant Zonaras, Balsamo & Matthæus Blastares, qui ad confirmandam hanc decisionem laudant libros Basilicon.

VIII. Adeo autem invaluerat apud Gallos hæc opinio, appellari nimirum non posse a sententia judicum electorum, ut etiam ævo divi Bernardi persuasum omnibus fuerit, id non licere. Scribens enim sanctus ille vir ad Innocentium II. Papam de causa Abailardi, qui ob quædam doctrinæ capita in Concilio Senonensi damnatus fuerat a judicibus electis, ait: *Appellavit ab electis judicibus, quod non putamus licere*. Episcopi tamen Gallicani cesserunt appellationi, *reverentiæ causa*, ut ait idem Bernardus in epistola sequenti. Pace tamen tanti viri dixerim, eo casu, quod ageretur de fide, debuisse causam illam per appellationem rei aut relationem judicum devolvi ad apostolicam sedem. Difficultas enim hæc ad majora negotia pertinebat.

Bernard. ep. 189.

CAPUT XXV.

De introducta praxi in Gallicanis ecclesiis adhibendi Pontificis R. in depositionibus Episcoporum consensum post tempora Nicolai I.

SYNOPSIS.

I. Galli tandem cedere Romanis coacti sunt sub initia tertiæ Regum nostrorum stirpis in causa Arnulphi Remensis Archiepiscopi. Castigatur Cardinalis Perronius, qui heic agi putavit de Arnulpho Episcopo Aurelianensi.

II. Violatæ fidei reus Arnulphus causam dixit in Concilio Remensi; ubi proditionem confessus coram duodecim judicibus, depositus est a synodo.

III. Quæsitum est in synodo, an competens illa esset ad judicandam causam absque auctoritate summi Pontificis. Ad probandam necessitatem auctoritatis Romanæ adducta sunt epistolæ illæ apocryphæ Pontificum Romanorum. Pro synodi vero potestate allati canones Africani, Antiocheni, Nicæni, & auctoritas beati Gregorii, tum etiam exempla Ægidii & Ebbonis Archiepiscoporum Remensium.

IV. Receptæ tum non erant voluntariæ cessiones episcopatuum. De formula confessionis Episcoporum reorum. Ea fiebat singillatim apud confessores, in aversione autem apud synodum. Asserentibus autem confessoribus ejusmodi peccatum fuisse admissum, quod pœna depositionis plectendum esset, depositio peragebatur.

V. De depositione Ebbonis Archiepiscopi Remensis. Tres Episcopos elegit, qui peccatorum suorum judices essent. Tum tres rursum Episcopos confessionis suæ testes postulavit. Qua peracta, depositus est.

VI. Arnulphus quatuor confessores elegit; eisque crimina sua confessus, sententia synodi damnatus est: quoniam neque Papam appellaverat ante electionem judicum, neque postquam ii electi erant.

VII. Exemplo Potamii Bracarensis & Ebbonis Remensis colligit synodus, canonice deponi Arnulphum posse, & alium in loco ejus ordinari.

VIII. Arnulphus publice profitetur, violatam a se fuisse fidem Regi debitam. Brochardus Comes petit, ut proditionis crimen expresse profiteatur. Intercessit Arnulphus Episcopus Aurelianensis, dicens confessionem nemini singillatim fieri debere nisi Presbyteris. Decernitur Arnulphi depositio.

IX. Subscripsit in actis cessionis episcopatus. Indicatur discrimen esse inter resignationes, quæ hodie fiunt sine causa, & eas, quæ tum fiebant ob crimen.

X. Joannes XV. Episcopos hujus depositionis auctores suspendit a divinis. Gerbertus ait, obsequendum non esse huic suspensioni, quod adversus canones decreta esset.

XI. Arnulphus restitutus est in alia synodo Remensi ob eam solam causam, quod depositus fuisset absque consensu & auctoritate sedis apostolicæ. Probatur ex Gerberto.

I. Regula a Nicolao primo prolata, nullam nempe depositionem peragi posse absque auctoritate summi Pontificis, retenta fuit in Romana sede: a qua summi Pontifices non facile discedebant, nisi ea inciderent tempora, ut acriter adversum tendentibus concedere cogerentur. Itaque universum orbem hujus novæ opinionis jugo colla submittere coegerunt, magnis illis nominibus veterum Pontificum ac martyrum munitæ, quæ extant in titulis apocrypharum epistolarum ab Isidoro collectarum, quarum auctoritati nemo contradicebat. Gallia quoque ipsa cedere tandem coacta est sub initia tertiæ Regum nostrorum stirpis in causa Arnulphi Remensis Archiepiscopi: qui cum Metropolitanus esset, facilius parere potuit auctoritati Romanæ. Sed antequam ultra progrediamur, observandus heic est error Cardinalis Perronii: qui Arnulphum hunc Remensem Archiepiscopum confundit cum Arnulpho Episcopo Aurelianensi, eumque nominat Arnulphum Episcopum Aurelianensem, cum tamen certum sit, Archiepiscopum illum causam dixisse ut reum, Episcopum vero Aurelianensem sedisse inter judices.

II. Ex actis Synodi Remensis, habitæ anno DCCCCXCII. colligitur, Arnulphum illum Lotharii Regis filium fuisse ex concubina, Archiepiscopumque Remensem factum fuisse beneficio Hugonis Regis, cui præstiterat juramentum fidelitatis. Et tamen violata fide data, portas urbis Remensis avunculo Carolo aperuerat, qui armis regnum repetebat ab Hugone. Eam ob rem Hugo synodum Remensem convocavit: ad quam vocatus Arnulphus, proditionem suam ac perjurium confessus est coram duodecim Episcopis, quos judices & confessores suos esse postulavit, indignum se esse ajens episcopatu, eoque spoliari petens. Verbis autem generalibus confessionem suam repetiit in Concilio coram Rege & proceribus. Tum deponitur a synodo; quæ pro eo vitam & membra a Rege impetrat.

III. Quæsitum est in synodo, an competens illa esset ad judicandam hanc causam absque auctoritate summi Pontificis. Ad probandam necessitatem auctoritatis Romanæ adductæ sunt suppositititiæ epistolæ Julii, Damasi & aliorum Pontificum. At parte ex alia, duo quædam dicta sunt. Primum, Regem ante hos undecim menses epistolam scripsisse ad Joannem XV. Papam, qua ad eum deferebat querelam suam adversus Arnulphum, petebatque *formam judicii*, in quam etiam sententiam scripserant Episcopi Remenses, sed Joannem nihil hactenus respondisse, necessitate itaque adactum Regem ad congregandam synodum; quæ optimo jure poterat cognoscere de accusatione ista, postquam adeo manifestum erat, Pontificem nolle cognitionem habere, ita quippe sancitum in canonibus, qui totam harum rerum auctoritatem tribuunt synodis provincialibus. Laudantur autem in eam rem canones Africani, itemque Antiocheni, Nicæni, & nonnulla loca ex epistolis beati Gregorii, tum etiam exempla Ægidii & Ebbonis Remensium Archiepiscoporum, & interpretatio, quam Hincmarus adhibuerat canonibus & decretis, quæ in hac materia allegantur.

Vide Baluzii præfat. ad Ant. Augustinum c. 14.

Concil. Rem. cap. 27.

IV. Igitur constituta Concilii potestate, probatur auctoritate Conciliorum Toletanorum proditionem in Principem crimen esse, quod depositionis pœna plecti debet. Ceterum quod spectat ad confessionem Arnulphi, adnotandum est in antecessum, ut res ista melius intelligatur, receptam tum temporis non fuisse voluntariam cessionem episcopatus sine causa legitima, veluti gravis infirmitatis, aut criminis capitalis, quod depositione puniri mos esset. Quoad crimina vero, necessarium erat, ea probari magno testium numero fide dignorum, aut ut ea reus fateretur. Sed valida non erat confessio, nisi secundum præscriptas in jure formulas fieret: quam tamen cautione quadam adhibita fieri necesse erat, si forte crimen capitale esset. Constituerat Leo, sufficere pœnitentibus confessionem criminum solis Presbyteris factam, neque necessarium esse, ut ea scripto proderent. Videbat enim, quod, nisi ea necessitate exsolverentur, eorum inimici possent eis creare vitæ periculum. Eo exemplo Episcopi accusati admittebantur ad confessionem suorum criminum: quam singillatim faciebant, nihil circumstantium omittentes; & id quidem non coram universa synodo, sed apud Episcopos electos, qui ad secretum erant adstricti, tanquam confessores pœnitentis. Hunc autem agendi modum ad dignitatem suam vertebat synodus, ad vitandam scilicet appellationem accusati, quod juxta canones Africanos damnato non liceat ab electis judicibus provocare. Episcopi vero a reo electi, ab eo assumebantur tanquam judices, qui judiciariam ejus confessionem excipiebant, quæ fundamentum erat sententiæ damnationis. Confessio porro illa in aversione scribebatur in actis cessionis episcopatus, quæ accusatus scripto dabat. Confessores vero, id est, judices electi, pronuntiabant crimen illud, quod accusatus fuerat confessus, pœnam depositionis mereri.

V. Exemplo fit depositio Ebbonis Archiepiscopi Remensis: qui cum anno DCCCXXXV. in synodo apud Theodonis-villam accusatus fuisset a Ludovico Pio Imperatore, tres Episcopos elegit, qui judices essent suorum peccatorum; coram quibus omnia confessus, remedium pœnitentiæ ab eis petiit, ut a functione episcopali, cujus se indignum esse agnoscebat, recederet. *Secundum canonicam institutionem elegit sibi, per consensum synodi, Episcopos judices peccatorum suorum, quos canones electos appellant, de quibus scriptum est in Concilio Africano cap. 63. ut ab electis judicibus provocari non liceat.* Tum tres rursum Episcopos confessionis suæ testes postulavit; quam scripto & viva voce per aversionem confirmavit, dicens, se indignum esse episcopatu ob sua crimina. Post quæ damnatus fuit ab Episcopis, *dicentibus per ordinem omnibus: Secundum tuam confessionem cessa a ministerio;* ut adnotavit Hincmarus in posteriori opere adversus Gothescalcum cap. XXXVI. Ceterum præter judices electos ad confessionem criminum, alii quoque eligi poterant ad ea convincenda, aut pro judicandis quæstionibus canonicis, cum appellabatur a Metropolitano; quemadmodum usurpatum est ab Hincmaro in Concilio Suessionensi anno DCCCLXIII.

VI. His positis, videmus in actis Arnulphum quatuor Episcopos seu confessores elegisse & una cum iis secessisse *in cripta secretiorem partem.* Facta autem ab eo confessione proditionis, confessores evocant alios Episcopos, eisque annuntiant, *Arnulphum cum lacrymis & gemitu sua crimina sub nomine confessionis declarasse, seque a sacerdotali officio, quo hactenus indigne usus fuerat, removeri velle.* Tum eum omnes Episcopi hortantur, sub pœna anathematis, ne quid adversus veritatem fateatur. Nihilominus ille in confessione sua perstitit. Præterea ab eo postulant, ut Abbates & clericos, qui in synodo aderant, evocari sinat, testes futuros ejus confessionis, ea tamen cautione, ut jurejurando aut anathemate injecto adigendi antea sint ad sponsionem silentii, quod imperatum est. His actis, synodus existimat, deponi deinceps Arnulphum posse; quoniam neque Papam appellaverat ante electionem judicum, quod tamen potuerat, neque postquam ii electi fuerant. Quo sane casu rejicienda prorsus fuisset ejus appellatio, cum non liceat appellare a judicibus electis.

VII. Adfertur exemplum Potamii Archiepiscopi Bracarensis in Concilio Toletano decimo depositi, postquam impudicitiam suam scripto confessus fuerat; itemque exemplum Ebbonis, qui crimen suum confessus est Episcopis, quos sibi confessores elegerat. Unde colligit synodus Remensis, canonice deponi Arnulphum posse, & alium in loco ejus ordinari.

VIII. Reges Hugo & Robertus ejus filius ad synodum veniunt *cum primoribus palatii.* Arnulphus introducitur, & publice profitetur, violatam a se fuisse fidem Regi debitam. Tum Comes Brochardus postulat, ut is expresse fateatur proditionem, ut alius dein Episcopus canonice ordinari possit in loco ejus. Intercessit Arnulphus Episcopus Aurelianensis, vetus antistes, dicens, confessionem nemini singillatim fieri posse, nisi Presbyteris, satisque esse, si reus crimen suum verbis generalibus publice confiteatur, infidelitatis enim confessionem in aversione factam sufficere ad depositionem. *Imo, inquit pater Arnulphus, non eritis hodie pares sacerdotibus, quibus solis pura debetur confessio.* Uno verbo, decernitur Arnulphi depositio. Quo facto, se in terram ille in modum crucis prosternens coram Regibus, eis cum lacrymis & singultibus supplicat, ut veniam sibi tribuere velint. Archiepiscopus vero Bituricensis vitam & membra pro Arnulpho nomine totius synodi petit a Regibus, quod ab eorum pietate concessum est.

IX. Arnulphus subscripsit actis suæ cessionis secundum formulam ab Ebbone prædecessore suo relictam; cujus heic verba describam, ut appareat discrimen, quod intercedit inter resignationes episcopatuum, quæ nunc fiunt absque causa, & eas, quæ ætate illa fiebant ob crimen. *Ego Arnulfus quondam Remorum Archiepiscopus, recognoscens fragilitatem meam & pondera peccatorum meorum, testes confessores meos Siguinum Archiepiscopum* (& alios duodecim, quos nominat) *constitui mihi judices delictorum meorum; & puram ipsis confessionem dedi, quærens remedium pœnitendi & salutem animæ meæ, ut recederem ab officio & ministerio pontificali, quo me recognosco esse indignum, & alienum me reddens pro reatibus meis, in quibus peccasse me, secreto ipsis confessus sum, & de quibus publice arguebar; eo scilicet modo, ut illi sint testes alii succedendi & consecrandi in loco meo, qui digne præesse & prodesse possit Ecclesiæ, cui hactenus indignus præfui. Et ut inde ultra nullam repetitionem*

nem aut interpellationem auctoritate canonica facere valeam, manu propria mea subscribens firmavi.

X. At depositio illa Arnulphi ac Gerberti successoris ejus ordinatio offendit Joannem XV. Papam, qui Episcopos hujus rei auctores suspendit a divinis. Gerbertus Senonensi Archiepiscopo Seguino scripsit, obsequendum non esse huic suspensioni, quod adversus canones decreta esset. Hugo vero Rex Joannem Pontificem orat, ut ea approbet, quæ apud Remensem urbem acta fuerant; vel si id non velit, saltem Gratianopolim usque accedat, ut de hoc negotio tractare cum Rege possit viva voce; aut in Galliam veniat, ubi honor ei multus habebitur. Tum addit: *Hoc ex integro affectu dicimus, ut intelligatis & cognoscatis, nos & nostros vestra nolle declinare judicia.*

Appendix Aimoini lib. 5. cap. 45.

XI. Tandem Pontifex Leonem Legatum in Galliam misit, qui una cum Seguino Archiepiscopo Senonensi Concilium anno DCCCCXCV. congregavit in urbe Remensi, cujus Concilii decreto Arnulphus sedi suæ restitutus est, eam ob causam solum, quod deponi non potuerit absque consensu & auctoritate sedis apostolicæ. Hanc enim fuisse causam ejus restitutionis, docent epistolæ Gerberti, qui in epistola ad Seguinum ait: *Quomodo ergo nostri æmuli dicunt, quod in Arnulfi dejectione Romani Episcopi judicium expectandum fuit?* Item in epistola ad .. ilderodum Episcopum Argentoratensem: *Ajunt calumniatores nostri, summum sacerdotem Arnulfum a summo sacerdote Romano debuisse tantum dijudicari.*

ADDITIO STEPHANI BALUZII.

I. Arnulphi Remensis Archiepiscopi dejectionem ac dein restitutionem, cum res sit valde intricata, visum est, heic aliquot observationibus esse explicandam, non quidem in universum, sed tantum in eo capite, quod respicit auctoritatem Episcopi Romani, sine qua non potuisse illum judicari, adnotavit illustrissimus Archiepiscopus. Hujus controversiæ mentionem non semel facit Gerbertus in epistola ad Wilderodum; in qua primo disputat de auctoritate Conciliorum nationalium & provincialium, testimoniis ex antiquitate petitis; deinde ostendit, præteritam non fuisse auctoritatem Romani Pontificis; sed quia ipse interpellatus nihil responderat, post octodecim menses institutum fuisse judicium, & Arnulphum fuisse depositum secundum canones & servato juris ordine. Hæc sunt præcipua capita epistolæ ad Wilderodum. Sed operæ pretium est referre loca illa ex ea epistola, in quibus Gerbertus commemorat querelam Romani Pontificis. *Alii Romano Pontifici injuriam factam videri volunt*, inquit, *quasi sine ejus auctoritate & sine suis juribus resumptis deponi non debuerit.* Et infra: *Et tu dicis Arnulphum incendia, seditiones, traditiones, flagitia, captivitates, suorumque direptiones exercentem, suorum Regum interitus molientem, patriam hostibus prodentem, divina humanaque jura contemnentem, nec communione debuisse privari, nec potestate Principis abjici sine Episcopi Romani jussione.* Denique post multa testimonia ex antiquitate sic concludit hanc argumentationem: *Sed neque Primati Romano injuriam illatam, cum per octodecim menses litteris & legatis commonitus respondere noluerit. Non enim ejus silentium aut dissimulatio vel nova constitutio jam constitutis præjudicat legibus.* Item infra: *Monstratum est, ut arbitror, nullam Romano Pontifici jure factam videri posse injuriam, nec sine Romanorum Pontificum auctoritate Arnulphum damnatum.*

II. Idem Gerbertus postea factus Pontifex Romanus, Arnulphum sedi Remensi sua auctoritate restituens, primo eum legitime depositum fuisse, innuit, sed tamen eum Romanæ pietatis munere reparat, quia abdicatio ejus assensu Romano caruerat. Placet autem referre integram epistolam, prout edita est a clarissimo viro Andrea Duchesnio. Sic autem habet:

Silvester Episcopus servus servorum Dei dilecto in Christo filio Arnulfo sanctæ Remensis Ecclesiæ Archiepiscopo. Apostolici culminis est, non solum peccantibus consulere, verum etiam lapsos erigere, & propriis privatos gradibus reparatæ dignitatis insignibus informare; ut & Petro solvendi libera sit potestas, & Romanæ gloriæ ubique fulgeat dignitas. Quapropter tibi Arnulfo Remensi Archiepiscopo quibusdam excessibus pontificali honore privato subvenire dignum duximus; ut quia tua abdicatio Romano assensu caruit, Romanæ pietatis munere credaris posse reparari. Est enim Petro ea summa facultas, ad quam nulla mortalium æquiparari valeat felicitas. Concedimus ergo per hujus privilegii nostri statuta, tibi baculo & annulo redditis, archiepiscopali officio fungi & omnibus insignibus, quæcunque ad sanctæ metropolim Remensis Ecclesiæ pertinent, solito more perfrui. Pallio solemnitatibus statutis utaris, benedictionem Regum Francorum & tibi subjectorum Episcoporum obtineas, & omne magisterium, quod tui antecessores habuisse visi sunt, nostra auctoritate apostolica geras. Præcipimus etiam, ut nullus mortalium in synodo, aut in quacunque parte, abdicationis tuæ crimen tibi quoquo modo opponere præsumat, vel hac occasione in improperii contra te verba exardescat; sed nostra te utique auctoritas muniat, etiamsi conscientiæ reatus accusat. Confirmamus insuper tibi & concedimus archiepiscopatum Remensem in integrum, cum omnibus episcopatibus tibi subjectis, seu cum omnibus monasteriis, plebibus, titulis, & capellis, atque cortibus, castellis, villis, casalibus, & cum omnibus rebus ad Ecclesiam Remensem pertinentibus, salvo & inviolabili testamento beati Remigii Francorum Apostoli. Statuentes apostolica censura, sub divini judicii obtestatione & anathematis interdictione, ut nulli unquam nostrorum successorum Pontificum vel aliæ quælibet magnæ parvæque personæ hoc nostrum privilegium infringere liceat. Si quis vero, quod absit, hoc Romanum decretum violare tentaverit, anathema sit.

III. Ex hac Silvestri epistola colligi potest, non plene restitutum fuisse Arnulphum in synodo, quam in Remensi urbe habuit Leo Romanus Abbas. Quod etiam colligitur ex Aymoino in vita Abbonis Floriacensis cap. XI. & XII. ubi scriptum est, Regem Robertum misisse Romam ad Gregorium quintum Joannis successorem, *quia Arnulfus Remorum Archiepiscopus absque justa audientia sede sua privatus custodiæque fuerat mancipatus.* Addit deinde Aymoinus: *Regressus itaque honorabilis Abbo ad Regem, a quo missus fuerat, cuncta, pro quibus ierat, perfecta nuntiat. Arnulfum Remensem custodia exemptum pontificatui restituit, Pallium illi a Domino Papa directum reddidit.*

IV. Puto, Robertum suscepisse, tum causam Arnulfi tuendam, ut Romanum Pontificem, cui ea causa valde cordi erat, sibi faventem ac propitium habere posset pro confirmatione matrimonii sui cum Berta. Hanc conjecturam adjuvat epistola CLIX. Gerberti, quæ data est ad Adelaidem Reginam: in qua agens de restitutione Arnulfi, his omnino verbis utitur: *Leo Romanus Abbas, ut absolvatur, obtinuit, ob confirmandum senioris mei Regis Roberti novum conjugium.* Postea vero cum videret Robertus, rationem sui habitam non fuisse a Gregorio, qui in Concilio Romæ celebrato anno DCCCCXCVIII. incestas nuptias publice & cum anathemate damnaverat, hauddubie injuriam suam ultus est in persona Arnulfi, eum rursus pellens sede sua. Itaque opus habuit nova restitutione, quam illi concessit Gerbertus tum Pontifex Romanus. Alioqui inutilis illa fuisset, si jam inde a Gregorii temporibus Arnulfus in sede sua libere resedisset.

V. Robertum in Concilio illo Romano ob nuptias illas excommunicatum fuisse, fidem faciunt canones ejusdem synodi nuper editi a clarissimo viro Domno Luca Dacherio in tomo nono Spicilegii. Hæc sunt verba canonis primi & secundi: *Ut Rex Robertus consanguineam suam Bertam, quam contra leges in uxorem duxit, derelinquat & septem annorum pœnitentiam agat, secundum præfixos ecclesiasticos gradus judicatum est. Quod si non fecerit, anathema sit. Idemque de eadem Berta fieri præceptum est. Herchembaldum Turonensem Archiepiscopum talis conjugii consecratorem cum omnibus Episcopis, qui consentientes interfuerunt his incestis nuptiis Regis & Berthæ consanguineæ suæ, a sacrosancta communione suspendimus, donec ad hanc sanctam sedem apostolicam veniant satisfacere.* Non repugnavere illi. Immo Romam ea de causa profecti sunt; ut testatur Leo IX. in epistola ad Henricum Regem Francorum. *Pater tuus Robertus*, inquit, *laude & consultu Episcoporum regni tui Bertam matrem Odonis Comitis sibi duxit uxorem. Ob quam rem, quoniam sibi erat carnis affinitate conjuncta, ab antecessore nostro cum Episcopis, qui placito interfuerunt, excommunicati, post ad sedem apostolicam venientes, cum satisfactione sumpta pœnitentia redierunt ad propria.* Vide præfationem tomi noni Spicilegii.

Apud Ivonem parte 9. cap. 8.

VI. Itaque, ut ad causam Arnulphi redeamus, sic constituere possumus, depositum illum fuisse in synodo Gallicana absque interventu auctoritatis Romani Pontificis, istum vero illam Gallicanorum Episcoporum audientiam ægre tulisse, missum deinde Legatum, qui Romanam auctoritatem sartam tectamque in Gallia præstaret, hujus industria restitutum esse Arnulphum, sed nihilo minus in custodia tentum, donec Abbo rediit ex urbe Roma, nondum tamen plenam fuisse restitutionem Arnulfi, quæ tunc citra controversiam obtinuit, postquam Gerbertus in sede Romana collocatus fuit. Ceterum istic data occasione admonebo, falso a me creditum fuisse, epistolam Abbonis Abbatis Floriacensis ad L. Abbatem, quæ a me edita est in libro primo miscellaneorum, fuisse scriptam ad Abbatem Fuldensem, quam certum est scriptam fuisse ad Leonem Abbatem monasterii sancti Bonifacii in urbe Roma constituti. Quod ea in primis de causa dico, quia temeritas mea in errorem impulit eruditissimum virum Joannem Mabillonium.

CAPUT XXVI.

De continuata praxi adhibendi Pontificis consensum in depositionibus Episcoporum quoad tempora subsequentia.

SYNOPSIS.

I. Præjudicium in causa Arnulphi factum omnino firmavit possessionem Pontificum Romanorum.

II. Ex eo tempore jus illud sic explicant, quasi suæ sedi quæsitum esset jure divino. Probatur ex epistola Leonis IX. ad Episcopos Africanos.

III. Deinceps ergo Episcopi accusati Romam evocati sunt, & eorum depositio peracta in synodo Romana. Interdum tamen Romani Pontifices ea de causa Legatos mittebant in provincias. Probatur aliquot exemplis.

IV. Gregorius septimus edixit, solum Pontificem Romanum posse Episcopos deponere vel reconciliare, & Legatum ejus adversus eos sententiam depositionis dare posse. Legatis tamen suis imponebat necessitatem mittendi ad sedem apostolicam relationem rerum gestarum. Appellationes vero depositorum admittebat, quarum judicium aliquando remittebat ad Legatos.

V. Interdum Episcopis finitimis delegabat curam judicandi causas Episcoporum; servata tamen auctoritate sua. Delegata cognitione adversus Raineriurn Episcopum Aurelianensem, eum a se depositum pronuntiat, si constiterit, vera esse, quæ ei objiciuntur. Factum id cupidine retinendæ auctoritatis. Magni momenti sunt verba Gregorii; quæ referuntur.

VI. Ex jure tum recepto Episcopus accusari poterat apud synodum provinciæ, quæ depositionem decernere non poterat absque auctoritate sedis apostolicæ, quamvis reum suspendere & excommunicare posset. In casu vero appellationis in Papæ arbitrio positum erat, an cognitionem ipse susciperet, aut per Vicarios suos causam judicari præciperet.

VII. Secundum tamen jus illud necessarium non est, ut synodus provincialis congregetur ex speciali delegatione summi Pontificis, tametsi eam necessitatem imponere videatur epistola Julii, quæ explicatur de auctoritate generali. Probatur ex Hincmaro, & ex glossatore Decreti.

VIII. Libri Decretalium nihil immutarunt quoad ordinem judiciorum, nec quoad depositionem Episcoporum. Innocentius III. pronuntiavit, ad solum Pontificem Romanum jure divino pertinere depositiones, cessiones, & translationes Episcoporum. Adducuntur rationes, quibus sententiam ille suam fulcire nititur; quæ refelluntur.

IX. Jus illud receptum ubique erat & versum in morem.

I. SOlenne illud præjudicium, quo rescinditur judicium factum adversus Episcopum, tametsi is non appellasset apostolicam sedem, ob eam solam causam, quod depositio decerni non potuerit absque auctoritate sedis apostolicæ, præjudicium, inquam, illud omnino firmat possessionem summorum Pontificum, quamvis novum illud jus niteretur tantum decretis apocryphis & suppositiis.

II. Ex eo tempore Romani Pontifices jus illud non explicant verbis ambiguis, sed apertis, ac si sedi eorum quæsitum esset jure divino. Colligi id potest ex epistola quarta Leonis IX. quæ data est ad Petrum & Joannem Episcopos Africanos: in qua Episcopo Carthaginensi auctoritatem tribuit in reliquos Episcopos Africanos, qui tum, id est, ad annum millesimum quinquagesimum tertium, ad quinarium numerum redacti erant. *Sed hoc vos non lateat*, inquit, *non debere præter sententiam Romani Pontificis universale Concilium celebrari, aut Episcopos damnari vel deponi. Quia etsi licet vobis aliquos Episcopos examinare, diffinitivam tamen sententiam absque consultu Romani Pontificis, ut dictum est, non licet dare. Quod in sanctis canonibus statutum, si quæritis, potestis invenire; scilicet quia omnium Ecclesiarum majores & difficiliores causæ per sanctam & principalem beati Petri sedem a successoribus ejus diffiniendæ sunt; utpote cui divinitus dicitur, Confirma fratres tuos, &, Tibi dabo claves regni cœlorum.*

III. Itaque, quoties dein actum est de dejiciendo Episcopo, tametsi Gallus esset, Episcopi accusati Romam vocati sunt, & eorum depositio peracta in synodo Romana. Interdum tamen summi Pontifices Legatos a latere miserunt in provincias, qui congregata synodo primam causæ cognitionem instituebant cum Episcopis provinciæ. Illustre hujus rei exemplum extat in causa cujusdam Episcopi simoniaci & quinque aliorum Episcoporum, qui ab Hildebrando Victoris Papæ Legato depositi sunt in Concilio Lugdunensi anno MLV. ut adnotat Petrus Damiani in epistola nona ad Nicolaum Papam. *A Victore Papa*, inquit, *Apocrisiarius in Gallias destinatus* (id est, Hildebrandus) *synodum congregavit; in qua videlicet sex Episcopos diversis criminibus involutos ex apostolicæ sedis auctoritate deposuit.* Stigandi autem Archiepiscopi Cantuariensis itemque alterius cujusdam Episcopi Anglicani depositio peracta est in Concilio apud Wintoniam in Anglia celebrato anno MLXX. cui interfuerunt tres Legati sedis apostolicæ. *In quo Concilio Stigandus Dorobernia Archiepiscopus degradatur*, ut ait Rogerius de Hoveden.

IV. Sed neque major neque illustrior auctoritas proferri potest ad probandam propositionem nostram quam ea, quæ extat in decantatis illis articulis Gregorii VII. editis anno MLXXIV. qui vulgo *Dictatus Papæ* vocantur; in quibus continentur vetera & nova privilegia sedis apostolicæ. Extant autem numero XXVII. in regesto illius Pontificis post epistolam quinquagesimam quintam libri secundi. In tertio sic habetur: *Quod ille solus possit deponere Episcopos vel reconciliare.* In quarto autem: *Quod Legatus ejus omnibus Episcopis præsit in Concilio, etiam inferioris gradus, & adversus eos sententiam depositionis possit dare.* Attamen Gregorius Legatis suis imponebat necessitatem mittendi ad sedem apostolicam relationem rerum gestarum, quam Legati confirmabant scriptis privatim literis: quemadmodum usurpatum est in causa Episcopi Carnotensis, quem Hugo Episcopus Diensis Gregorii Legatus deposuit, & in dejectione Manassis Archiepiscopi Remensis. In casu vero appellationis conquestionem depositorum admittebat; ut constat ex variis locis ejusdem regesti, in primis autem quoad depositionem Archiepiscopi Auscitani & Episcopi Bigorritani, quæ anno MLXXIII. decreta fuerat a Giraldo Episcopo Ostiensi Gregorii VII. Legato. Admissa autem appellatione depositorum, causam interdum integram remittebat ad Legatos, ut eam rursum in plenario Concilio judicarent, cujus moris exemplum datum est in causa Lamberti Episcopi Morinensis, quæ remissa est ad Hugonem Lugdunensem Archiepiscopum Gregorii Legatum.

Gregor. VII. lib. 5. epist. 11. lib. 8. ep. 18.

Lib. 1. ep. 16.

Lib. 9. ep. 32.

V. At Gregorius non mittebat semper Legatos ad judicandas causas Episcoporum; sed sollicitudinem eam quandoque delegabat Episcopis, qui circa morabantur. Ac tamen auctoritatem suam retinebat in rescripto delegationis; cujus formula valde digna notatu est. Rainerius Aurelianensis Episcopus ante legitimæ ætatis annos ad episcopatum promotus fuisse dicebatur absque electione cleri & populi; tum archidiaconatus & abbatias vendidisse arguebatur; cumque Romam ad dicendam causam vocatus fuisset, neque illuc accesserat, neque miserat excusationem; Contumaciam illam excommunicatione quidem ultus est Pontifex; sed Rainerius, spreta excommunicatione, perstitit exercere functiones muneris Episcopalis. Ei accusationi examinandæ Gregorius anno MLXXVII. delegat Archiepiscopos Senonensem ac Biturigensem

eorum-

eorumque suffraganeos, coram quibus, innocentem se esse, probare poterit reus. Si vero constiterit, vera esse crimina, tum eum Pontifex in antecessum deponit auctoritate hujus rescripti, quod publicari & in executionem mitti ab Episcopis jubet, a quibus etiam alium in loco depositi ordinari mandat. Tanta autem retinendæ auctoritatis suæ cupidine flagrabat, ut maluerit sententiam conditionalem ferre contra præscripta legum quam pati, ut depositio decerneretur a Metropolitanis; quibus nihilominus tribuit supremam in causa ista judicanda auctoritatem & purgationem sententiæ suæ. *Auctoritate apostolica vobis præcipimus*, inquit, *ut ad examinationem actuum suorum, in locum, quem magis aptum probaveritis, conveniatis, ad quem prius literis vestris eum convocetis; ibique de supradictis vobis respondeat, & si potest, se innocentem reddat. Quod si forte in contumacia sua permanens, infra quadraginta dies admonitionis venire contempserit, aut veniens de omnibus supradictis canonice se non expurgaverit, judicio sancti spiritus & auctoritate apostolica sententiam damnationis & depositionis sine omni spe restitutionis in eum promulgamus; quam vos, sicut decet, sequentes, per aures circumstantis populi diffundite; & Sansonem ipsum, de quo vos mihi scripsistis, qui beati Petri consilium & nostrum expetiit, in loco illius depositi secundum Deum subrogate.*

Gregor. VII. lib. 5. ep. 8.

VI. Compilatores decretorum, Ivo nimirum & Gratianus, non omiserunt in suis collectionibus excerpta ex epistolis veterum Pontificum Romanorum, quæ extant in collectione Isidori. Eas enim canonicas esse declaraverat Nicolaus primus, ac propterea jus illud jam introductum erat & in usum revocatum ea tempestate quoad judicia canonica Episcoporum. Vivebat Ivo anno millesimo nonagesimo. Is autem frequenter utitur decretis Zephyrini, Fabiani, Sixti, Stephani, Felicis & aliorum. Gratianus vero Decretum suum adornavit circa annum MCXL. quod in auctoritatem dein receptum est, & primam partem facit operis, quod vulgo *Jus canonicum* appellatur. Is ergo adducit etiam decreta Zephyrini, Sixti, Damasi, Eleutherii, Julii & Leonis. Locorum autem ex iis a Gratiano adductorum summa hæc est, posse Episcopum accusari apud Metropolitanum & Episcopos comprovinciales, qui litis instructionem peragere possunt usque ad sententiam definitivam, reumque suspendere & excommunicare possunt; sed tamen depositionem decernere non possunt absque auctoritate sedis apostolicæ. Licere interim Episcopis appellare a synodo provinciæ ad apostolicam sedem. In Papæ vero arbitrio positum, ut aut ipse cognitionem suscipiat, aut per Vicarios causam judicari præcipiat: *Qui aut per se aut per Vicarios suos retractare negotium procuret*, ut ait Papa Sixtus in c. *Accusatus*.

Ivo par. 5. Decreti c. 245. & seqq.

Gratian. 3. q. 6. c. ultra & seqq. & 5. q. 4.

VII. Secundum autem jus illud necessarium non est, ut synodus provincialis, quæ examinare debet accusationem in Episcopum, congregetur ex speciali delegatione summi Pontificis; tametsi eam necessitatem imponere videatur epistola Julii. *Nullus Episcopus*, inquit, *nisi in legitima synodo & suo tempore auctoritate apostolica convocata, super quibusdam criminationibus pulsatus audiatur*. Nam auctoritas illa alia non est, quam auctoritas generalis apostolicæ sedis; quæ & synodos haberi præcepit, & earum auctoritatem confirmavit. Trahi autem non potest ad delegationem specialem, quæ necessaria sit ad hoc, ut Concilium provinciale cognoscere possit de accusatione adversus Episcopum instituta; cum ea auctoritas synodo provinciali competat ex jure communi, etiam juxta ipsa Sixti, Damasi, & Eleutherii decreta, quæ a Gratiano referuntur 3. q. 6.

Gratian. cap. Nullus 5. q. 4.

Interpretatio illa decretorum, quæ significare videntur, necessariam esse specialem summi Pontificis delegationem ad congregandam synodum provincialem pro examinanda accusatione adversus Episcopum instituta prodita est ab Hincmaro ante hos septingentos annos in capite vigesimo opusculi LV. capitulorum. *In eisdem epistolis scriptum est*, inquit, *non debere vel posse convocari synodum sine jussione vel consensu Romani Pontificis*. Addit, canones tamen Nicænos, Chalcedonenses & Antiochenos, itemque Romanos Pontifices Innocentium, Leonem & Gelasium, docere synodos congregari posse absque auctoritate sedis apostolicæ. Tum ait: *Non igitur absque sedis apostolicæ auctoritate Metropolitani Episcopi & Primates provinciarum synodos convocamus*.

Hanc interpretationem in scholas nostras invexit etiam glossator Decreti, qui locum illum Julii cepit de auctoritate generali sedis apostolicæ. Nam in verbo *auctoritate* addit *generali*. Et statim: *Audiri enim potest causa Episcopi; sed non potest terminari sine speciali mandato apostolicæ sedis, licet absolvi possit. Tamen hoc non credo*, id est, Non credit, synodum provinciæ posse congregari absque speciali mandato sedis apostolicæ. Sed hæc ultima clausula est annotatio Bernardi glossatoris, qui dissentit a Joanne & ipso glossatore quoad auctoritatem synodi in impertienda absolutione. Ignotum quippe non fuit glossatoribus illis, fuisse illud tempus, cum causæ Episcoporum non referrentur ad apostolicam sedem, quod collegerant, tum ex canone Antiocheno, tum etiam ex quadam Nicolai epistola, quæ extat in Decreto Gratiani.

VIII. Libri vero Decretalium nihil prorsus immutarunt quoad ordinem judiciorum adversus Episcopos faciendorum, nec quoad eorum depositionem. Solum illud emersit effatum Innocentii III. Papæ, quem audacem Jurisperitum vocat Matthæus Parisius: qui depositiones, cessiones & translationes Episcoporum ad solum Pontificem Romanum jure divino pertinere pronuntiavit. Adeo enim metuebat, ne synodi provinciales sua jura repeterent, ut subsidium audaciæ a metu petens, inauditam ante hoc seculum & a veterum moribus alienam sententiam protulerit; cui præterea stabiliendæ multum operæ posuit, argumento utens a posteris prorsus abjecto. Ait enim, res spirituales facilius institui, quam dissolvi, cum tamen humanæ facilius dilabantur, quam ædificari aut formari possint, unde patet, vinculum spirituale carnali fortius esse. Cum autem Deus sibi reservaverit dissolutionem conjugii carnalis inter hominem & fœminam, planum esse, eum sibi reservasse etiam dissolutionem conjugii spiritualis, quod intercedit inter Episcopum & Ecclesiam. Unde concludit, solum Pontificem Romanum, qui est Vicarius Jesu Christi, posse decernere translationes & depositiones Episcoporum, idque auctoritate divina. Sed argumentum illud minus probat. Nam hinc potius sequeretur, nullo casu Papam posse dissolvere conjugium spirituale, cum ipse, quamvis Christi Vicarius, nullo casu possit dissolvere vinculum conjugii carnalis. Melius dicam, argumentum illud nihil concludit: quoniam unio Episcopi & Ecclesiæ conjugium tantum est per metaphoram; & ideo, si summo jure agamus, comparari non potest cum vero conjugio. Certum quidem est, Athanasium & alios veteres ordinationem sive intitulationem Episcopi in quapiam Ecclesia comparasse cum conjugio; sed id ab iis scriptum est per translationem, ut ostenderent, quam arcto vinculo Ecclesiæ ille suæ esset adstrictus. Hæc sunt verba Innocentii: *Non enim humana sed potius divina potestate conjugium spirituale dissolvitur, cum per translationem, depositionem, aut cessionem auctoritate Romani Pontificis, quem constat esse Vicarium Jesu Christi, Episcopus ab Ecclesia removetur. Et ideo tria hæc, quæ præmisimus, non tam constitutione canonica, quam institutione divina soli sunt Romano Pontifici reservata.*

Cap. 2. de transl. Episc.

IX. Ceterum jus illud in Gallia, æque ac in reliquis orbis Christiani provinciis, receptum erat & versum in morem; ut adnotatum est in glossa Pragma-

Guimer. in Glossa Pragm. tit. De Concub. §. Et si hi. verbo, Destitutio.

Pragmaticæ sanctionis. *Episcoporum depositio*, inquit Guimerius, *est Papæ reservata. Si vero non agatur contra Episcopos ad depositionem, sed ad aliam pœnam arbitrariam vel determinatam, citra tamen depositionem, tunc Concilium provinciale erit judex*. Istud vero probari posset multis exemplis ex historia petitis, si res tanti esset.

CAPUT XXVII.

De nova forma judiciorum introducta per Concordata inter Franciscum Regem & Leonem X. Pont. Rom.

SYNOPSIS.

I. Concordata novam judiciorum formam introduxerunt, qua ferme revocatum esse videtur jus antiquum. Explicatur jus a Concordatis introductum circa judicia causarum & appellationes.

II. Ostenditur, in quo simile sit id jus antiquo juri. Causæ omnes olim commissæ erant unicuique provinciæ, nulla Pontificis Romani mentione. Primi omnium Nicolaus primus & Joannes octavus appellationes Presbyterorum dejectorum admiserunt, quod ægerrime tulit Rex Carolus Calvus. Quid de Episcoporum causis statutum in Concilio Nicæno & Sardicensi.

III. Jus illud observatum est usque ad initia tertiæ Regum nostrorum dynastiæ. Temperamentum inter jus antiquum & novum invehunt Concordata. Explicatur temperamentum illud.

IV. An causæ Episcoporum reserventur summo Pontifici in Concordatis, verbis illis generalibus, majores causæ. *Rejecta responsio inventa ætate Caroli IX. Regis. Episcoporum causæ non recensentur inter majores.*

V. At fortassis intelligenda sunt Concordata de eo, qui cum immediate subjectus sit apostolicæ sedi, eam appellat. Refutatur objectio illa.

VI. Ex titulo De publicis concubinariis *elici videtur, Episcoporum depositiones ipsi summo Pontifici reservari. Explicatur hic locus in gratiam Episcoporum Gallicanorum.*

I. Concordata inita inter Franciscum primum Regem Christianissimum & Leonem decimum Pontificem Romanum novam judiciorum formam introduxere, qua ferme revocatum esse videtur jus antiquum. Nam ante Pragmaticam sanctionem prima omnium causarum cognitio Romæ utplurimum habebatur in perniciem litigantium & jurisdictionis ecclesiasticæ, ac præterea in magnum regni detrimentum, ob immensam vim auri, quæ ad contestandas lites in Italiam asportabatur; quemadmodum in Pragmatica differitur in decreto *De causis*. Hinc factum, ut in Concordatis quoque insertus sit titulus *De causis:* in quo jubetur, ut omnes causæ, exceptis majoribus, agitentur, judicentur, & terminentur coram judicibus ordinariis locorum; in casu vero appellationis, eam interponendam esse ad superiorem immediatum, & dein ad curiam Romanam. Exemptos vero, qui summum Pontificem appellaverint, judicandos esse in provinciis secundum delegationem Pontificis. Si vero a delegatis appelletur, missurum eo casu Pontificem nova mandata, quo terminari causa possit in provincia. Ab hac autem regula excipiuntur Cardinales & officiales summi Pontificis actu servientes; quorum causæ alibi tractari non posse edicitur, quam in curia Romana.

II. Ea ratione revocatur quodam modo jus antiquum, ut dixi. Nam omnes causæ, quæ ad disciplinam ecclesiasticam pertinent, definiri debent in provinciis juxta canones Nicænos, Antiochenos, Sardicenses & Africanos. Causæ enim Presbyterorum ac laicorum unicuique provinciæ commissæ erant; neque primam earum cognitionem ad se trahebant Romani Pontifices, neque rursum ad eos appellabatur. Primi omnium Nicolaus primus & Joannes octavus appellationes Presbyterorum dejectorum aut excommunicatorum ab Episcopis Gallicanis admiserunt. Atque id quidem adeo ægre tulit hac ætate Carolus Calvus, ut graviter ob hoc ipsum expostulaverit cum Joanne VIII. missa ad eum gravissima epistola, quæ extat inter epistolas Hincmari. Causæ Episcoporum definitivo decreto judicabantur in provinciis juxta Concilium Nicænum. Post Concilium vero Sardicense, si quis appellaret apostolicam sedem, secunda causæ cognitio habebatur a synodo provinciæ ex delegatione summi Pontificis.

III. Quod omnino observatum est in Gallia usque ad initia tertiæ Regum nostrorum dynastiæ; ac licet necessarius esset interventus auctoritatis summi Pontificis, judicia tamen peragebantur in regno. Temperamentum inter jus antiquum & usum receptum invehunt Concordata. Nam hinc supremam auctoritatem & definitivum decretum summo Pontifici reservant, Gallis vero restituunt commoditatem judiciorum in provinciis peragendorum.

Dubitari potest, an causæ Episcoporum in eo decreto contineantur, ita ut in regno definiendæ sint ex delegatione summi Pontificis. Cui quæstioni responderi potest, eas hauddubie hoc decreto comprehendi, cum neque nominatim nec speciatim ab eo excipiantur. Solæ enim Cardinalium & officialium Papæ actu servientium causæ sedi apostolicæ reservantur. Quibus addi potest, Episcopos comprehendi iis Concordatorum verbis, quibus ordo judiciorum præscribitur, quoad eos, qui sedi apostolicæ sunt immediate subjecti, quorum causæ delegari debent in provincia. Nam licet Episcopi Metropolitano & synodo provinciali subjecti sint, intelligi id non potest quoad depositiones, quæ summo Pontifici immediate reservantur. Unde sequitur, Episcopos, quoad hoc, sedi apostolicæ esse immediate subjectos, ideoque causas eorum debere a summo Pontifice delegari, ut finiantur in partibus, juxta legem Concordatorum: *Si quis vero immediate subjectus sedi apostolicæ ad eandem sedem duxerit appellandum, causa committatur in partibus per rescriptum usque ad finem litis, videlicet usque ad tertiam sententiam conformem, si ab illis appellari contigerit.*

IV. Objiciet fortasse aliquis, eas causas, eo quod sint causæ majores in jure comprehensæ, exceptas esse in primo articulo hujus capitis, cujus ea sunt verba: *Omnes & singulæ causæ exceptis majoribus in jure expresse denominatis, apud illos judices in partibus, qui de jure aut consuetudine præscripta vel privilegio illarum cognitionem habent, terminari & finiri debeant*. Responsio, quæ extat in memoriis sive codicillis ætate Caroli IX. confectis in gratiam Episcoporum Romæ damnatorum futilis omnino est &, pene dixerim, puerilis. In iis quippe scriptum est, heic per causas majores intelligi lites Ecclesiarum cathedralium juxta Pragmaticam sanctionem, quæ majores causas ita interpretatur. Verum, si concedimus, causas Ecclesiarum cathedralium esse reservatas apostolicæ sedi, non video, qua ratione fieri possit, ut non ei quoque reservatæ censeantur Episcoporum depositiones. Itaque censeo, sic repellendam esse hanc objectionem, depositiones Episcoporum non comprehendi in decisione primi hujus articuli Concordatorum, cui adjecta exceptio est, easque gravem ob causam non comprehendi in hoc articulo, habita nimirum ratione juris tunc recepti. Nam cum in articulo illo dicatur, causas esse terminandas ab ordinariis locorum judicibus, manifestum est, eidem legi subjectas futuras fuisse depositiones Episcoporum, quas Metropolitanus & synodus provinciæ definitivo decreto potuissent decernere, nisi exceptio illa addita fuisset in articulo.

Consen-

Consentanea autem illa est juri, quod in Decreto extat & Decretalibus; quo synodus provinciæ arcetur a decernenda depositione, quæ sedi apostolicæ reservata est, & quoad hoc Episcopum eidem sedi immediate subjectum præstat. At in eo casu Concordata alibi imponunt summo Pontifici necessitatem delegandi judices in partibus ad judicandas eorum causas, qui sedi apostolicæ immediate subjecti sunt. In hoc autem ultimo articulo describi debuit exceptio majorum causarum, si hæc Concordatorum auctoribus mens fuisset, ut existimarent, subjectorum eorundem causas terminari non debere in partibus ex delegatione summi Pontificis.

V. Reponet vero fortean quispiam, sic intelligenda esse Concordata, si is, qui sedi apostolicæ immediate subjectus est, eam appellet. Verum explicatio illa nimis iniqua esset, si eo præjudicio ceteri casus ab hac regula excluderentur. Exempli causa, si quis in jus Romam vocet eum, qui exemptus est a jurisdictione ordinaria, annon æquum est delegari in partibus hujus causæ cognitionem, ut & actori & reo, si appellaverit, jus dicatur, juxta vulgatam juris regulam: *Non debet licere actori, quod non liceat reo, & vice versa*. Jurisdictio enim, quæ competens est quoad appellantem, competens quoque est quoad actorem. Sane certum est, Reges nostros semper existimasse, Episcoporum causas in regno esse judicandas ex delegatione summi Pontificis, non autem Romæ, etiam in causa hæreseos; ut constat ex Memoriis sub Carolo IX. Rege, ut diximus, confectis anno MDLXV. in causa Joannæ Reginæ Navarræ & Episcoporum Romæ damnatorum propter hæresim.

VI. Opponi præterea posset titulus Concordatorum *De publicis concubinariis*, §. *Quod si*, in quo sic scriptum est: *Quod si ii, quorum destitutio ad nos & sedem apostolicam spectat, per Concilia provincialia aut suos superiores propter concubinatum publicum reperiantur privatione digni, statim cum processu inquisitionis ad nos deferantur*. Videtur enim, depositiones Episcoporum heic reservari ipsi summo Pontifici. Sed heic observandum est, Concilium provinciale in eo casu causam Episcopi tractasse absque delegatione summi Pontificis, ideoque, juxta exceptionem in primo articulo *De causis* contentam, decernere depositionem non posse. Contra synodus illa tenetur acta mittere ad sedem apostolicam & noxios denuntiare aut deferre ad eam. Id enim, & nihil omnino aliud, in paragrapho statuitur. Enimvero, postquam synodus officio suo & obsequio defuncta est erga summum Pontificem, accusatio denuntiata tum judicanda est secundum ordinem præscriptum in Concordatis, titulo *De Causis*, id est, delegatis a summo Pontifice Episcopis Gallicanis, qui causam definiant in regno; ita ut accusati Romam evocari prorsus non possint in detrimentum Concordatorum. Certe summa cura provisum est, ne in paragrapho *Quod si* adderetur, causas Episcoporum, qui concubinarii essent, judicandas esse in urbe Roma. Id unum sufficere visum est, si acta Romam mitterentur, & accusati deferrentur ad Papam. Neque crediderunt, addendam esse clausulam, & eo casu Pontificem Romæ judicaturum causam.

CAPUT XXVIII.

De judicibus delegatis a Pontifice Rom. in causis depositionum Episcopalium.

SYNOPSIS.

I. Superest, ut examinemus, an Papa, cum dat judices in partibus, tentet aliquid contra præscripta canonum aut Decretalium, & an deroget auctoritati apostolicæ sedis. Episcopus deponi non potest, nisi ex sententia aliorum Episcoporum. Unde sequitur delegari non posse simplices Presbyteros. Judices debent esse duodecim. Aliud statutum rescripto Gratiani, & a Gregorio magno.

II. Æque suam auctoritatem conservat Pontifex, ac si ipse susciperet cognitionem causæ. Probatur auctoritate legis Gratiani & synodi Sardicensis, & pluribus insuper auctoritatibus.

III. Concilium Tridentinum abolevit auctoritatem synodorum provincialium. Verum Concilium illud receptum non est in Gallia; ac præterea nova hæc institutio contraria est Concordatis. Nam iis derogari non potest absque consensu Regis.

IV. Sententia damnationis a delegatis prolata, mittenda est in executionem, nisi is, qui damnatus est, appellaverit. In causis Episcoporum Gallicanorum dare tenetur Pontifex novos judices ad judicandam appellationem.

V. In casu criminis læsæ majestatis processus Romam mitti non potest, quod evulgari non oporteat imperii arcana. Veteres Episcopi cognoscere nolebant de crimine majestatis.

VI. Nam si Papa difficilem se in eo capite præstaret, monendus esset, timendum valde esse, ne Princeps irritatus pœnam capitis suo jure decernere præsumat adversus Episcopos læsæ majestatis reos. Ea fuit sententia Hervei Episcopi Bellovacensis in synodo Remensi.

VII. Temperamentum allatum ex Concilio Sardicensi; cujus ope regula in universum statui potest quoad depositionem Episcoporum.

I. Superest, ut examinemus, an Papa, cum dat judices in partibus ad decernendam depositionem Episcopi noxii, tentet aliquid contra præscripta canonum aut Decretalium, & an deroget auctoritati apostolicæ sedis.

Quæstio ista nullo negotio solvi potest, si memoria ineatur antiqui juris, mediique ac recentioris. Unde quoque duas regulas colligemus. Earum prima erit, Episcopum deponi non posse, nisi ex sententia aliorum Episcoporum. Quare Papa simplices Presbyteros delegare non posset ad habendam cognitionem de crimine Episcopi, quod canones præcipiant, ut Episcopus nonnisi ab ejusdem gradus & ordinis judicibus judicetur. Eos autem judices duodecim esse debere, edicunt; ut constat ex Concilio Africano, & ex epistola sancti Gregorii ad Episcopum Arelatensem. Unde quoque factum, ut Nicolaus primus, ad Salomonem Regem Britonum scribens, ex eo capite irritam esse pronuntiet Episcoporum Britonum depositionem, quod non a Metropolitano & a duodecim Episcopis peracta fuerit. Eundem numerum Episcoporum exigunt Concilium Triburiense & Lucas Patriarcha CP. apud Balsamonem. Attamen in rescripto Gratiani Augusti vidimus, posse Romanum Pontificem deponere Episcopum cum consilio quinque aut septem Episcoporum. Legimus vero in regesto Gregorii magni, delegatum ab eo fuisse Metropolitam Syracusanum una cum tribus aut quatuor Episcopis ab eo eligendis, ut de causa Lucilli Episcopi cognoscerent eumque deponerent. Lib.7. ep.'61. Præterea decretalis Zephyrini epistola, quæ extat apud Gratianum, quo jure nunc utimur, non exigit absolute numerum duodecim Episcoporum, sed tantum, si ea causa incidat, ut totidem Episcopos haberi necesse sit: *Duodecim judices quilibet accusatus Episcopus, si necesse fuerit, eligat; a quibus ejus causa judicetur.*

II. Secunda regula hæc esse potest, summum Pontificem conservare suam auctoritatem, quoad depositionem Episcoporum, cum eorum judicium delegat, ac si eos ipse judicaret & deponeret. Rescriptum enim Gratiani, cujus supra mentionem fecimus, verbis minime ambiguis ait, Episcopum Metropolitanum, si in longinquis regionibus commoretur, exsolvi a necessitate accedendi ad sedem apostolicam, sed daturum ei Episcopum Romanum judices, *quos Romanus Episcopus judices* dede-

dederit. Concilium autem Sardicense nihil aliud postulat, quam ut Episcopus Romanus *det judices*, Episcopos nimirum ex provincia finitima, una cum primis judicibus, adjudicandam causam appellationis. Bonifacius vero, Leo & Gregorius magnus, aliique Romani Pontifices existimarunt, satis suæ auctoritatis conservationi provisum, si Episcopis provincialibus jurisdictionem suam delegarent, aut Legatis apostolicæ sedis, ad decernendam definitivo judicio Episcoporum depositionem. Quin etiam cum suo illi arbitrio reservarunt potestatem judicandi appellationem in urbe Roma, aut eam curam delegandi in provinciis, abunde auctoritati sedis apostolicæ satisfactum putarunt. Gregorius enim septimus, qui Pontificum Romanorum auctoritatem immensum explicavit, frequenter Legatos misit in provincias ad deponendos Episcopos, jurisdictione sua in eam rem delegata. Ne vero inhærerere tantum videamur antiquo juri & mediæ ætatis, habemus ex novo jure, quod Gratiani Decreto continetur, voluisse Romanos Pontifices, sui arbitrii esse, an Episcopi judicandi essent in synodo Romana, aut per Legatos sedis apostolicæ, *aut per se*, *aut per Vicarios suos*, ut ait Papa Sixtus in cap. *Accusatus* 3. q. 6.

Sess. 24. de Reform. cap. 6. III. Huic autem regulæ opponi non potest decretum Concilii Tridentini; quod, introducto jure novo, in universum synodis provincialibus ademit instructionem criminum Episcoporum, quæ pœnam depositionis merentur, eamque tribuit iis viris, quos Papa delegaverit, servata summo Pontifici definitiva sententia. Decretum, inquam, illud opponi non potest. Præterquam quod enim Concilium illud non est receptum in Gallia, contrarium ex eo capite est Concordatis, quibus neque sedes apostolica neque Concilia derogare possunt absque consensu Regis.

IV. Postquam autem delegati sententiam damnationis protulerint, tum in executionem mittenda est depositio, nisi is, qui damnatus est, appellaverit. Ea enim vis est sententiarum a competenti judice latarum, ut executoriæ sint, nisi earum effectus suspendatur per appellationem. Ita enim usurpatum supra vidimus a Legatis pontificiis; quod etiam satis innuunt Concordata his verbis: *Si ab illis appellari contigerit*. Nam is, qui dejectus est, provocare quidem potest, quemadmodum appellabatur a Legatis. Verum quemadmodum olim summi Pontifices cognitionem appellationis in provinciam remittebant ad Legatos suos, si ita faciendum esse existimarent, (quod usurpatum vidimus a Gregorio VII. in causa Lamberti Episcopi Morinensis,) sic Concordata eam summo Pontifici necessitatem imponunt, ut eo agendi modo utatur in causis Episcoporum Gallicanorum, datis videlicet novis judicibus ad judicandam appellationem.

V. Quod si summus Pontifex pervicaciter in futurum contenderet, mitti debere acta, id est, *processum*, ut hodie vocant, ad apostolicam sedem, etiamsi damnatus eam non appellaverit, antequam bullas ei concedat, quem Princeps nominaret in loco depositi, tum, si de crimine majestatis agetur, reponi posset, postulationem illam non esse æquam, quod evulganda non sint imperii arcana, quæ nullis communicanda sunt, quam iis, qui jurejurando fidem suam Regi obligaverunt, in primis vero ea noscere non debere alienigenas & exteros, ut sunt Cardinales & alii Consiliarii Papæ Romani, qui arcana hæc vertere possent in perniciem regni. Quamobrem veteres Episcopi, qui tempore Imperatorum Romanorum nondum res publicas attingebant, id est, nondum erant Consiliarii Principum, (quæ dignitas ei ordini primum communicata est a Regibus nostris) veteres, inquam, Pontifices antiquitus cognoscere recusabant de crimine majestatis. Hæc enim sunt omnino verba eorum in synodo congregata adversus Chrysostomum: *Continent & libelli læsæ majestatis crimen. Jubeat nunc pietas vestra expelli vel invitum daturum tanti criminis pœnas. Nobis enim non licet ista inquirere.*

VI. Addi potest, ex eo agendi modo ingens periculum imminere jurisdictioni ecclesiasticæ, valdeque timendum esse, ne Princeps irritatus pœnam capitis jure suo decernere præsumat adversus Episcopos læsæ majestatis reos. Eam namque rationem in synodo Remensi adversus Arnulphum habita attulit Herveus Episcopus Bellovacensis. Seguinus Senonensis Archiepiscopus negabat, se causam Arnulphi judicaturum, nisi prius ei pœnam sceleris Princeps remitteret, si constaret, eum esse reum læsæ majestatis. Reposuit Herveus, timendum esse, ne ex hoc agendi modo periculum immineat viris ecclesiasticis, neque enim expectaturos fortean seculares judices ecclesiastica judicia, unde per consequentiam necessariam Episcopi justitiæ seculari subjicientur, si ipsi cunctentur judicia facere secundum canones. *Videte*, inquit Herveus, *ne sit periculosius judicia ecclesiastica deinceps a secularibus non expectari. Consequens enim est, ad forensia jura nos pertrahi, si divinis legibus in aliquo videbimur obniti*. Quod amplexus est Bruno Lingonensis Episcopus in capite sexto. *Cum hoc maxime sit pertimescendum*, inquit, *ne forte, dum uni personæ parcere volumus, sicut frater & coepiscopus noster Herveus retulit, & eam & omnem ecclesiasticum ordinem sub periculo sanguinis relinquamus*. Synodus Rem. sub Gerberto cap. 4.

VII. In universum, adhiberi posse censeo temperamentum, quod ex Concilio Sardicensi peti potest ad conservandam auctoritatem summi Pontificis & jura regni; sive de crimine majestatis agatur, sive de aliis causis, quæ ad depositionem Episcoporum spectant. Temperamentum autem illud in eo versatur, ut acta judicii Romam mittantur, ut statim Pontifex bullarum expeditionem imperare possit secundum sententiam judicum delegatorum, si ita faciendum esse existimaverit, omissa prorsus omni nova sententia confirmationis. Vel si ægre adduci possit, ut ita faciat, peti ab eo poterit, ut det novos judices, qui causam retractent & denuo judicent una cum primis judicibus. Hunc agendi modum synodus Sardicensis non aperuit, nisi in casu appellationis. Hac vero ratione, quam proponimus, idem modus tolerabitur, etiamsi appellatum non fuerit.



LIBER

LIBER OCTAVUS.

CAPUT PRIMUM.

De jure Regaliæ generatim.

SYNOPSIS.


I. Agendum dein de jure regaliæ. Quid sit jus illud, & in quo consistat. Regalia dividitur in temporalem & spiritualem.

II. An jus illud per omnes Ecclesias cathedrales hujus regni diffundatur, an vero ad certas quasdam restrictum sit. Quid anno millesimo sexcentesimo octavo placitum Parlamento Parisiensi. Rex Henricus IV. prohibuit, ne deinceps Parlamentum hujus controversiæ cognitionem susciperet; quam sacri consistorii judicio permisit.

III. Recte autem intelligi non potest hæc controversia, quin ad antiquitatem recurratur, instituta videlicet comparatione antiqui juris & novi.

IV. Vasta est & nobilis controversia isthæc, ideoque accurate describenda.

V. In antecessum autem agendum est de electionibus canonicis Episcoporum, quatenus regiæ auctoritatis, sive assensus regii mixtionem olim ea materia admittebat. Tum de Investituris. Et de juramento, quod vocant fidelitatis.

I. DE regalium jure tractaturos a nominis ipsius vel potius a rei per nomen significatæ origine dissertationes auspicari recta methodus omnino videtur exigere. Sed interim seposita de vocabulo ipso in alium locum opportuniori disputatione, quid illo significetur in hac materia, quam aggredimur, paucis explicandum est.

Jus itaque regalium est jus Regi competens ad fruendum reditibus, qui ad Ecclesias cathedrales sede vacante pertinent, donec novus Episcopus, fide Regi præstita, Ecclesiæ possessionem adipiscatur. Competit quoque jus ad conferendum præbendas aliaque beneficia, quibus animarum cura non incumbit. Quare pragmatici dividunt regaliam (ut ipsi loqui solent, quam dictionem nos quoque deinceps usurpabimus,) in temporalem & spiritualem. Ad illam referunt redituum temporalium fruitionem; ad istam vero beneficiorum collationem, quæ literis regiis fieri consuevit.

II. Porro insignis controversia ab aliquot annis excitata est, an jus istud per omnes Ecclesias cathedrales universi regni diffundatur, an vero ad certas quasdam restrictum sit. Cujus quidem decisio quæstionis, cum variis senatus Parisiensis consultis in longiorem deliberationem protracta fuisset, tandem anno MDCVIII. judicio lato in auditorio publico adversus Ecclesias omnes pro regii juris confirmatione promulgata est. Contra sententiam illam, qua plurium Ecclesiarum libertas pessumdabatur, clerus Gallicanus apud Henricum quartum optimum Regem graviter conquestus est, & literas negotii illius avocatorias obtinuit, quibus, cognitione illa interdicto senatu, Ecclesiarum, quæ se ab eo jure immunes profitentur, status Consilii sanctioris judicio permissus est.

III. Sed juris regii & immunitatum ex adverso propositarum plenissima cognitione imbui non possumus, nisi ab exordio narrationem per seculorum seriem diligenter expansam contexamus, instituta comparatione inter juris canonici regulas & juris regii novitatem; unde possimus addiscere, quo tempore & quibus de causis a veteri & recepto jure discessum sit. Per viam illam regiam pergentibus difficile erit a vero aberrare: cujus dignitatem hac in re violant, qui regalium origines ex arbitrio comminiscuntur.

IV. Neque vero paucis hac de re verbis agi potest, cum disputatio isthæc aliquot capita complectatur, quæ in satis perplexa disquisitione versantur. Attamen argumenti nobilitas delicatiorum hominum, qui exactis disceptationibus anguntur, ingeniis satisfacere poterit; præcipue cum illa tantum attingere velimus, quæ necessaria sunt omnino ad regalium cognitionem; dilatis in aliud tempus, quæ absque piaculo, licet eruditionis plena, hic omitti possunt.

V. Electionum canonicarum materies, quæ tam late patet, hic tamen delibanda est, quatenus regiæ auctoritatis sive assensus regii mixtionem olim admittebat. Unde proficiscitur de investituris, &c, quæ illas secutæ sunt, sacerdotii & imperii controversiis agendi necessitas. Fidei quoque ab Episcopis exactæ & Regibus præstitæ injicienda mentio, cum illius beneficio regaliæ effectus desinant. Canonum quoque & legum publicarum constituta adducenda erunt, quibus vacantium sedium reditus Ecclesiæ aut successoribus olim reservati erant. Discutienda quoque erit feudalium rerum recentiori jure introducta natura; quæ vasalli morte beneficii sive regalium reditus domino feudi addicit, donec hominii præstatione novus vasallus defungatur. Tum subnectendum, quid ex eo jure præsumptum sit a Principibus in perceptione fructuum, qui ad episcopatus vel abbatias vacantes pertinebant, quid a Conciliis posterioribus constitutum, quid regiis edictis receptum, & senatus Parisiensis consultis decisum fuerit. Quibus omnibus disceptatis, aperiet sese juris istius regii, quod regaliam vocant, origo. Unde quisque colligere poterit, quid de principali illa quæstione sentiendum sit, scilicet an coerceri debeat ad certas Ecclesias regalia, vel ad regni istius universas porrigi.

CAPUT II.

De veteri ritu electionum episcopalium, & populi ad illas concursu.

SYNOPSIS.

I. In Episcopis constituendis vetus Ecclesia secuta est exemplum Apostolorum. Designatio personæ olim ab iisdem fiebat a quibus consecratio. Describitur in aversione vetus forma electionum.

II. Antiquitas nihil clero & populo tribuit præter solum testimonium & consensum, electionem autem ipsam & judicium Metropolitano & Episcopis provincialibus. Discrimen nullum erat inter clerum civitatis & populum in testimonio dando.

III. Hæc opinio nova est. Ejus tamen ope conciliari poterunt duæ contrariæ sententiæ, de quibus multum digladiantur scriptores. Ex necessitate consensus populi manavit assensus regii necessitas.

IV. Episcopi provinciales accedebant ad Ecclesiam vacantem; & successorem deligebant plebe præsente, cui relinquebatur facultas suffragandi vel resistendi electioni. Probatur ex Cypriano.

V. Hic usus descendit ex traditione divina. Quonam modo accipiendum sit plebis testimonium & Episcoporum judicium.

VI. Electionum Christianarum ritus illustrantur ex Lampridii loco valde illustri. Probatur iterum auctoritate Cypriani, in arbitrio plebis positum fuisse, an electum admitteret vel recusaret.

VII. Ergo plebs quidem testimonium ferre poterat; sed tamen jus æquum cum Episcopis non habebat in electionibus. Refelluntur novatores, qui Cypriani verba in diversum trahunt, ut electionum jura plebi vindicent.

VIII. Origenes præsentiam populi requirit in ordinando Episcopo. Cur ita visum? Quid significetur

tur iis verbis, qui foris sunt, *in prima Pauli epistola ad Timotheum*.

IX. Clemens quoque Romanus docet, Episcopos eligi ab Episcopis, sed gratos & acceptos debere illos esse fidelibus. Emendatur versio Junii Patricii.

X. Arbitrium electionum penes Episcopos fuisse ævo Origenis, patet ex Eusebio.

I. PRima illa pars aggredienda est, quæ canonicas electiones & regiam cum illis progressu temporis admixtam potestatem respicit. In Episcopis constituendis petitam ab exemplo Apostolorum formam secuta est vetus Ecclesia; quæ in personæ designatione & ejus postea consecratione per manus impositionem versabatur. Quæ duæ actiones ab ipso Ecclesiæ exordio usque ad hanc ætatem in oriente & usque ad quartum seculum in occidente conjungi solebant; adeo ut, quemadmodum fieri solet in actibus legitimis, qui neque diem recipiunt nec conditionem, designatio ab iisdem fieret, a quibus ipsa consecratio. Episcopi scilicet in unum collecti promovendæ personæ vitam anteactam ejusque merita discutiebant, & probatam ordinabant. Sed in personæ deligendæ examine vacantis Ecclesiæ clerum & populum interrogantes, eorum testimonia exquirebant, atque consensum præstolabantur, ne invitis obtruderetur Episcopus. Itaque desideria & vota cleri atque populi necessaria quidem erant, ut in pace fieret ordinatio; sed vis & supremum arbitrium electionis penes Episcopos erat uniuscujusque provinciæ. Harum promotionum ordo deinde per canones apertius explicatus est, ad vitandam scilicet, quæ frequenter accidebat, ex Episcoporum absentia in deligendis personis moram longiorem & in examine faciendo perturbationem. Electiones itaque in occidentali Ecclesia separari cœperunt a confirmatione, & hæc ab ordinatione sive consecratione. Tum clero civitatis, cum consensu populi, electio futuri Episcopi tributa est; & Metropolitanorum cognitioni, una cum Episcopis suæ provinciæ, decreti de electione facti reprobatio vel confirmatio reservata. Quod jus ad solum deinde Metropolitanum posterioribus canonibus translatum est ob synodorum infrequentiam.

II. Ceterum si negotium istud referatur ad primam originem, morumque vetustæ Ecclesiæ & antiquorum canonum ratio habeatur, constans est illa sententia, quæ solum testimonium & consensum designandi Episcopi clero & populo tribuit, ipsam vero designationem sive electionem & judicium Metropolitano una cum synodo provincialium Episcoporum. In quo testimonio dando non reperio discrimen aliquod constitutum a veteribus inter clerum civitatis & populum. Æquo enim jure hac in parte utebantur, & utriusque consensus ad suscipiendum Episcopum expectandus erat. Tota quippe, ut jam dixi, auctoritas erat penes Episcopos, & præcipue penes Metropolitanum, qui rebus gestis τὸ κῦρος adhibebat, ut loquitur synodus Nicæna.

III. Non me latet, quin plerisque nova videri possit hæc opinio & fortasse ob novitatem periclitari. Sed si animo sincero expendatur, ut vera esse testimoniis prolatis statim demonstrabitur, sic ex duabus oppositis conflata, ambarum auctoritate fulciri poterit. Duæ etenim sunt hac in disputatione præcipuæ sententiæ. Altera, plebem a jure electionum remotam semper fuisse, docet, solo relicto illi testimonio & voto, clero autem civitatis electionem in solidum tributam. Altera docet, jus æquum semper fuisse clero & populo in electionibus, idque jure apostolico & veterum patrum testimoniis niti. Nos vero nec clero civitatis nec populo jus merum electionis olim competivisse asserimus, sed solis Episcopis provinciæ, qui testimonio atque consensu cleri & populi in persona eligenda utebantur. Postea jus electionis clero cum populi consensu in occidente communicatum est. [illegible] ab eo [illegible] clusus est. Ex necessitate [illegible] populi [illegible] onibus manavit assensus [illegible], [illegible] de re postea differendum erit.

IV. Definitionis nostræ probationem ex testimoniis veterum patrum & synodorum petemus. Qui luculentius ista explicuit proferendus est Cyprianus epistola LXVIII. *Diligenter de traditione divina & apostolica observatione servandum est & tenendum, quod apud nos quoque & fere per universas provincias tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas ad eam plebem, cui præpositus ordinatur, Episcopi ejusdem provinciæ proximi quique conveniant, & Episcopus deligatur plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissime novit, & uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit. Quod & apud vos factum videmus in Sabini collegæ nostri ordinatione, ut de universæ fraternitatis suffragio & de Episcoporum, qui in præsentia convenerant, quique de eo ad vos literas fecerant, judicio episcopatus ei deferretur & manus ei in locum Basilidis imponeretur*. Locus est insignis: unde discimus, ex more ubique fere recepto Episcopos provinciæ ad Ecclesiam vacantem accedere solitos & plebe præsente successorem deligere. Designandæ personæ actus discutiebantur publice; & plebi facultas relinquebatur suffragandi vel renitendi. Sed judicium & electionis arbitrium integrum erat penes Episcopos præsentes, ut diserte docent verba ultima de ordinatione Sabini in Hispaniis facta.

V. Ex divina traditione hunc usum eleganter trahit Cyprianus, nempe, ut plebe præsente Episcopi præpositos deligant; idque probat ex facto Moysi, qui jubetur exuere Aaronem stola pontificia, eamque filio ejus Eleazaro imponere coram omni synagoga, juxta versionem Septuaginta interpretum: *Coram omni synagoga jubet Deus constitui sacerdotem; id est, instruit & ostendit, ordinationes sacerdotales nonnisi sub populi assistentis conscientia fiere oportere; ut plebe præsente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, & sit ordinatio justa & legitima, quæ omnium suffragio & judicio fuerit examinata*. Quæ verba distributive sunt accipienda; ut suffragium sive testimonium pertineat ad plebem, quæ testimonio suo præponendis suffragatur, vel malorum detegendo crimina, vel bonorum merita prædicando, judicium vero ad Episcopos, ut superius monui ex eodem Cypriano. Dictio suffragii approbationem significat in jure & apud alios auctores.

VI. Ex Lampridio in vita Alexandri Severi illustrari potest electionum Christianarum ritus, & quæ populi partes in eis essent, apertissime explicari juxta mentem Cypriani: *Ubi aliquos voluisset* (Alexander) *vel rectores provinciis dare, vel præpositos facere, vel procuratores, id est, rationales ordinare, nomina eorum proponebat, hortans populum, ut, si quid haberet criminis, probaret manifestis rebus; si non probasset, pœnam subiret capitis. Dicebatque, grave esse, quum id Christiani & Judæi facerent in prædicandis sacerdotibus, qui ordinandi sunt, non fieri in provinciarum rectoribus, quibus & fortunæ hominum committerentur & capita*. In Christianorum ergo electionibus Episcopi promovendum per literas populo proponebant, aliquando in antecessum, ut factum in ordinatione Sabini; vel integram rem Concilio futuro reservabant, quando ad civitatem, cui præficiendus erat sacerdos, Episcopi accedebant. Tunc vel ipsi aliquem proponebant, vel a clero & plebe propositum, susceptis publice testimoniis assistentis populi, electionem perficiebant. Propterea, cum plebis testimonio maxime niteretur electionum gerendarum ratio, Cyprianus eam hortans, ut a peccatore præposito suo discedat, nec sibi blandiatur, quasi immunis a contagione delicti esse possit cum sacerdote peccatore communicans, addit: *Cum ipsa maxime habeat potestatem vel eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi:* quia scilicet

licet illius testimonio stant præcipue, vel cadunt præponendi.

VII. Præter veteris testamenti auctoritatem Cyprianus quoque loca duo Actorum adducit, ut probet plebis de testimonio ferendo potestatem, non autem jus æquum cum Episcopis in agendis electionibus, ut quidam verba Cypriani detorquent: *Quod postea secundum divina magisteria observatur in actis Apostolorum, quando de ordinando in locum Judæ Episcopo Petrus ad plebem loquitur. Surrexit, inquit, Petrus in medio dicentium, fuit autem turba in uno. Nec hoc in Episcoporum tantum & sacerdotum, sed & in Diaconorum ordinationibus observasse Apostolos animadvertimus, de quo & ipsa in actis eorum scriptum est: Et convocaverunt, inquit, illi duodecim totam plebem discipulorum, & dixerunt eis. Quod utique idcirco tam diligenter & caute convocata tota plebe gerebatur, ne quis ad altius ministerium vel ad sacerdotalem locum indignus obreperet.* Non est hic uberior disputatio instituenda de locis istis, ex quibus novatores electionum jura plebi vindicare solent; cum ex Cypriani verbis, quibus illi maxime nituntur, manifeste constet, plebem ab apostolis, qui Ecclesiæ rectores erant, ad hoc convocatam, ut eorum testimonio de præficiendorum meritis fides fieri posset. Ceterum ipsa rerum summa penes Apostolos erat. In primo quippe exemplo Petrus pro jure suo substituendum aliquem Judæ edicit. Nec dubium, quin ipse cum Apostolis duos illos constituerit, ut per sortes Dei voluntas de altero eligendo exploraretur. Ex mandato Apostolorum fideles inquirunt, quinam essent apti ministerio: ἐπισκέψατε οὖν, ἀδελφοὶ, ἄνδρας ἐξ ὑμῶν μαρτυρουμένους: *Considerate, fratres, viros, qui testimonium habeant eorum, quibuscum vixere.* Qua ratione etiam Paulus Timotheum, licet sibi valde notum, Evangelistæ munere ornavit post testimonia eorum, quibuscum vixerat Lystris & Iconii: ὃς ἐμαρτυρεῖτο ὑπὸ τῶν ἐν λύστροις καὶ ἰκονίῳ ἀδελφῶν.

VIII. Eadem fuerat mens Origenis homilia sexta in Leviticum: *Licet Dominus de constituendo Pontifice præcepisset & Dominus elegisset, tamen convocatur & synagoga. Requiritur enim in ordinando sacerdote & præsentia populi; ut sciant omnes & certi sint, quia, qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad sacerdotium; & hoc adstante populo, ne qua postmodum retractatio cuipiam, ne quis scrupulus resideret. Hoc est autem, quod & Apostolus præcepit in ordinatione sacerdotis: Oportet autem illum & testimonium habere bonum ab his, qui foris sunt.* Patet itaque ex Origene, populi præsentiam adhiberi, ut sciat unusquisque, omnia recte atque ordine geri, & testimonium ferre possit de conversatione ejus, de quo agitur. Ad quod probandum adducit locum Pauli in I. Timoth. c. 3. ubi, *qui foris sunt* significant eos, qui non erant in Ecclesia. Argumentum ducitur a minori; ut notatur etiam in scholiis ex Chrysostomo: *Si enim ex iis, qui foris sunt, quanto magis a fratribus:* εἰ γὰρ ἀπὸ τῶν ἔξωθεν, πολλῷ μᾶλλον ἀπὸ τῶν ἀδελφῶν.

IX. Origenem Cyprianumque præmisi, quoniam rerum gerendarum ordinem patefaciunt, & vicem commentarii præstare possunt illustri Clementis Romani loco petito ex genuina ejus epistola, a veteribus tantopere commendata, quam Junius Patricius ex codice MS. publicavit. Docet ille constitutum ab Apostolis, ad prævertendas, quæ de episcopatu obtinendo exorituras prævidebant dissensiones, ut Episcopi in demortuorum locum *ab ipsis Apostolis vel postea a claris & celebribus viris substituantur, gratum sibi hoc esse, testante universa Ecclesia.* Judicio itaque & delectu eorum, qui principem in Ecclesia locum tenent, id est, Episcoporum, dantur Ecclesiis Episcopi, ex Apostolorum instituto, sed qui sint grati & accepti fidelibus. Alioqui ni præcipua & summa esset in his delectibus Episcoporum auctoritas, discordiis in Episcopo eligendo Ecclesia quateretur adversus Apostolorum propositum. Hæc sunt Clementis verba: οἱ ἀπόστολοι ἡμῶν ἔγνωσαν διὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὅτι ἔρις ἔσται ἐπὶ τοῦ ὀνόματος τῆς ἐπισκοπῆς. διὰ ταύτην οὖν αἰτίαν, πρόγνωσιν εἰληφότες τελείαν, κατέστησαν τοὺς προειρημένους, καὶ μεταξὺ ἐπινομὴν δεδώκασιν, ὅπως ἐὰν κοιμηθῶσιν, διαδέξονται ἕτεροι δεδοκιμασμένοι ἄνδρες τὴν λειτουργίαν αὐτῶν &c. Κατασταθέντες ὑπ᾽ ἐκείνων, ἢ μεταξὺ ὑφ᾽ ἑτέρων ἐλλογίμων ἀνδρῶν, συνευδοκησάσης τῆς ἐκκλησίας πάσης. *Apostoli nostri per Jesum Christum Dominum nostrum cognoverunt contentionem de nomine episcopatus futuram. Propter hanc itaque causam perfecta præscientia præditi constituerunt prædictos* (Episcopos nimirum) *& deinceps* * *formam dederunt, ut iis defunctis probati alii viri in eorum ministerium succederent &c. ab illis vel deinceps ab aliis viris celebribus constituti, universa Ecclesia sibi gratum esse testante.*

* Sic reddenda vox ἐπινομὴν: non autem, ut fecit Junius, *Descriptas officiorum vices reliquerunt.*

X. Penes Episcopos arbitrium electionum stetisse quondam, docet, quod Origenis tempestate Hierosolymis accidit. Etenim cum Narcissus Hierosolymorum Episcopus se in locum desertum subduxisset, neminique compertum esset, quo se recepisset, *visum est his, qui finitimis Ecclesiis præerant*, ut alterum Episcopum crearent, qui Dius vocabatur: δόξαν τοῖς τῶν ὁμόρων ἐκκλησιῶν προεστῶσιν, ἐφ᾽ ἑτέρου μετίασιν ἐπισκόπου χειροτονίαν, Δῖος τούτῳ ὄνομα ἦν. apud Eusebium lib. VI. cap. XIX.

CAPUT III.

De jure Metropolitani & Episcoporum provincialium circa electiones Episcoporum.

SYNOPSIS.

I. Canon quartus Nicænus χειροτονίαν *Episcopi tribuit Metropolitano una cum Episcopis provinciæ. Zonaras & Balsamo existimarunt, eo canone in Episcopos translatum esse jus electionis, quod antea populis competebat. De sola autem manuum impositione heic agi; scripsit Franciscus Florens.*

II. Auctoris sententia est, heic agi de utraque actione eligendi & consecrandi, & utramque heic & alibi χειροτονίας *vocabulo significari.*

III. Post mortem Episcopi Metropolitanus & Episcopi provinciales ad sedem vacantem accedebant, ibique in synodo electionem & ordinationem celebrabant. Probatur ex Concilio Antiocheno & Laodiceno.

IV. Jus itaque Episcoporum canone firmatum est, quod pertinet ad populum, consuetudini relictum. Quid judicii vocabulo intelligat canon Laodicenus.

V. In synodo ad celebrandam ordinationem coacta adesse debebant omnes Episcopi provinciæ, vel saltem tres, ceteri enim consensum suum scripto dabant.

VI. Synodus illa habebatur in civitate sedis vacantis, ne clerus & populus civitatis arcerentur a communione electionis.

I. Usus ille in Ecclesia jamdiu receptus a synodo Nicæna sancitus est canone quarto, quo Episcopi χειροτονία Metropolitano una cum provinciæ Episcopis committitur. Ambigua vocis hujus Græcæ significatio Zonaram & Balsamonem induxit, ut eam de electione hic interpretarentur & scriberent electionum jura, quæ olim populis commissa erant, in Episcopos hoc canone transcripta fuisse. De sola autem impositione manuum hic agi, scripsit Antecessor eruditissimus Franciscus Florens ad tit. VI. de electione, ex Dionysii interpretatione, qui χειροτονίαν hic vertit ordinationem: *Episcopum, convenit, maxime quidem ab omnibus, qui sunt in provincia, Episcopis ordinari. Si autem hoc difficile fuerit, aut propter instantem necessitatem, aut propter itineris longitudinem, tribus tamen in id ipsum*

ipsum omnimodis convenientibus, & absentibus quoque pari modo decernentibus & per scripta consentientibus, tunc ordinatio celebretur. Firmitas autem eorum, quæ geruntur per unamquamque provinciam, Metropolitano tribuatur Episcopo.

II. Nos vero certum existimamus, hic agi de utraque actione eligendi & consecrandi, quæ χειροτονίας sive ordinationis nomine hic & passim significatur: qui duo actus olim inter se cohærebant, ut monui supra. Alioqui si de sola manuum impositione ageretur, cur tam anxie decernitur de synodo habenda, de illius judicio, de contentione inter Episcopos, de plurium sententia sequenda?

III. Porro ad vacantem Ecclesiam ordinandam synodus provinciæ veteri instituto cogebatur a Metropolitano in sede vacante celebranda, quæ præficiendum eligebat clero civitatis & plebe præsente atque consentiente, electumque consecrabat. Neque enim primis illis seculis cleri vel populi postulatio jus aliquod dabat; sed ejus tantum ratio habebatur ab Episcopis, nisi ipsorum judicio alius idonior præferendus esset: de quo, quemadmodum & de propositis a plebe, Metropolitanus cum synodo sua provinciali judicabat. Synodum vocavi hunc Episcoporum conventum juxta canonem XIX. synodi Antiochenæ, qui canonem Nicænum designat & interpretatur: *Episcopus præter sententiam Metropolitani nullatenus ordinetur*. Mox: *Et ita sub plurimorum vel præsentia vel decreto ordinatio celebretur*. Omnium enim, si fieri posset, vel saltem plurium Episcoporum præsentiam desiderabat.

Idem ordo constituitur etiam canone XIII. Laodiceno: *Ut Episcopi judicio Metropolitanorum & eorum Episcoporum, qui circumcirca sunt, provehantur ad ecclesiasticam potestatem, ii videlicet, qui plurimo tempore probantur tam verbo fidei, quam recta conversationis exemplo*. Hunc canonem de electionibus diserte interpretatur Martinus Bracarensis, & ex eo Hincmarus.

IV. Ex quibus canonibus aperte conficitur, Episcoporum promotionem judicio synodi plenissime permissam. Et ne consultatio, quæ cum clero & plebe habenda est, auctoritate canonis fulta, contumaces redderet civium animos Episcoporum judicio, ejus mentio omissa est in canonibus; relicta interim consuetudine jam recepta de tractatu electionis habendo cum clero & plebe civitatis. Jus itaque Episcoporum canone firmatum est. Quod pertinet ad populum, consuetudini relictum est. Judicium porro, cujus meminit synodus Laodicena, exercebatur in dispungendis eorum meritis, qui proponebantur vel a clero, vel a populo civitatis, vel etiam a singulis Episcopis, quæ discussio verbo juris ἀνάκρισις dicitur. Pronuntiatio vero illius judicii, quo renuntiabatur antistes, dicebatur κήρυξις, ut apud Gregorium Nazianzenum orat. XIX. & alibi.

V. Ceterum hæc synodus ex omnibus Episcopis provinciæ constare debebat, vel saltem ex tribus præsentibus, qui electionis negotium agebant, judicioque suo, quis præficiendus esset, decernebant. Quod obtinebat, quoniam absentes consensum scripto dabant rebus gerendis, & tres illi cum Metropolitani auctoritate omnia agebant; qua cessante, omnia fuissent irrita, ut docent canon Nicænus IV. & VI. & canon XIX. Antiochenus. Enimvero si diffidium aliquod inter Episcopos de præficienda persona disceptantes accideret, sententia plurimorum potior erat; quemadmodum decernit canon sextus Nicænus & XIX. Antiochenus.

VI. Synodus autem ista habebatur in civitate sedis vacantis, ut dixi, ne clerus & populus civitatis arcerentur a communione electionis, qui testimonium tamen ferre debebant de persona eligenda, & desideria sua proponere, repulsam quoque dare, si utilitati ecclesiasticæ id expediret. Testimonii ferendi ab aliquo necessitas insinuatur a canone Laodiceno, qui præcipit, probatæ per longum tempus conversationis viros ad episcopatum esse promovendos, quæ probatio recte institui non poterat, nisi adhibitis ex Ecclesia & plebe testibus.

CAPUT IV.

De electione Athanasii aliorumque, quibus exemplis praxis antiqua confirmatur.

SYNOPSIS.

I. Athanasii electio & ordinatio peracta est in synodo apud Alexandriam habita, juxta postulationem civium. Probatur ex epistola encyclica Episcoporum Ægypti, quæ extat apud Athanasium.

II. Probatur item ex Athanasio, electionem illic debere fieri, ubi est copia cleri & populi præsentis, id est, in civitate sedis vacantis.

III. Ex eo autem capite validè Constantium Imperatorem & Arrianos exagitat Athanasius, quod Gregorium sibi superposuissent ignotum populo repugnanti, seque expellerent populis gratissimum. Scribit ergo, id tentari adversus Apostolorum traditionem & antiquos Ecclesiæ mores.

IV. Eandem canonum violationem in eadem causa Athanasii graviter Arrianis exprobrat Papa Julius. Ex quo colligitur, necessarium esse cleri populique consensum in constituendo Episcopo.

V. Tum Episcopi institutionem a provinciæ Episcopis in ipsa Ecclesia fieri debere, & promovendum a clero ipsius Ecclesiæ petendum.

VI. Injicitur mentio epistolæ Concilii Nicæni ad Alexandrinos.

VII. Ex Constantini rescriptis patet, quænam Episcoporum partes fuerint in electionibus, quænam vero plebis.

VIII. Eadem praxis confirmatur aliquot exemplis illustribus ex antiquitate.

IX. Probatur etiam ex controversia de episcopatu Ephesino, quæ agitata est in Concilio Chalcedonensi. Eusebius Episcopus Ancyranus in eodem Concilio dixit, habendam provinciæ synodum in civitate, cui ordinandus est Episcopus.

X. Decretum fiebat a clericis & civibus; quo a Metropolitano petebatur Episcopi ordinatio, aut ejus, qui a civibus designatus esset, aut alterius, qui esset idoneus, arbitrio Metropolitani cum sua synodo.

I. Sed ne conjecturis solum niti videamur, utrumque probabimus illustribus exemplis electionum, actarum post synodum Nicænam. Docebimus itaque, & synodum habitam in civitate sedis vacantis ad electionem ordinationemque faciendam, & exploratam prius cleri atque populi sententiam.

Nullis poterat magis parere synodi Nicænæ sententia, quam Ægyptiis Episcopis, qui paulo post peractum Concilium Athanasium ordinarunt. Illi vero in sua enclycica, quæ habetur in apologia secunda Athanasii, testantur, omnem multitudinem populumque Ecclesiæ catholicæ in unum coactum, quasi in speciem unius corporis & animæ, clamoribus vociferationibusque postulasse Athanasium Ecclesiæ Episcopum dari, idque publicis votis a Christo expetiisse, *nosque, ut faceremus*, inquiunt illi, *per multos dies & noctes jurejurando obtestatos fuisse; cum interea nec ipsi ab Ecclesia discederent, neque nobis discedendi facultatem permitterent*. Infra: *Porro quod nostrum plerique ipsum sub omnium oculis exclamationibusque Episcopum crearint, nos ipsi testes fide digniores sumus iis, qui abfuerunt & mentiuntur*, ὅτι πᾶν τὸ πλῆθος καὶ πᾶς ὁ λαὸς τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ὥσπερ ἐκ μιᾶς ψυχῆς καὶ σώματος, συνεληλυθότες ἀνεβόων, ἔκραζον, αἰτοῦντες Ἀθανάσιον ἐπίσκοπον τῇ ἐκκλησίᾳ. τοῦτο

ηὔχοντο

ἐπιτυχόντα δημοσίᾳ τῷ Χριςῷ, καὶ τοῦτο ἡμᾶς ὥρκιζον ποιεῖν ἐπὶ πλείστας ἡμέρας καὶ νύκτας, μήτε αὐτοὶ τῆς ἐκκλησίας ἀφιστάμενοι, μήτε ἡμᾶς ἐπιτρέποντες ἀφίστασθαι. Mox: ὅτι δὲ πλείονες ἡμῶν αὐτὸν ἐχειροτόνησαν ὑπὸ ταῖς πάντων ὄψεσιν καὶ βοαῖς, μάρτυρες πάλιν ἡμεῖς ἀξιοπιστότεροι τῶν ἀπόντων καὶ ψευδομένων, οἱ χειροτονήσαντες. Unde patet, synodum Episcoporum habitam fuisse Alexandriæ, & electionem ordinationemque ab iis factam juxta postulationes civium, quod hic, ut in canone Nicæno, significatur dictione χειροτονεῖν.

II. Extat Athanasii in epistola ad orthodoxos querela de Gregorio sibi viventi per vim ab Arrianis subrogato in sede Alexandriæ; cujus invasionem ex eo quoque probat, inter cetera, quod ejus electio peracta non fuerit juxta formam canonum, quæ debuisset fieri κατὰ τοὺς ἐκκλησιαστικοὺς κανόνας καὶ κατὰ τὸ παύλου ῥῆμα συναχθέντων τῶν λαῶν καὶ τὸ πνεύματος τῶν καθιστανόντων. Mox: παρόντων τῶν αἰτουμένων λαῶν καὶ κληρικῶν: *juxta canones ecclesiasticos & Pauli dictum, congregatis populis cum spiritu constituentium, cum Domini nostri Jesu Christi potestate.* Mox: *populis & clericis, qui poscerent, præsentibus.* En locum electionis, scilicet ubi est copia cleri & populi præsentis, id est, civitas sedis vacantis. Præterea clerus & populus congregari debent cum Episcopis, qui de successore tractant & eorum spiritui esse conjuncti, id est, ab eorum judicio pendere, illisque decernentibus obsequi. Alludit hoc loco ad locum Pauli 1. *Cor.* 5. ubi congregatis Corinthiis cum spiritu Pauli excommunicatur incesti reus ille, quam loquendi formulam eleganter trahit ad explicandam Episcoporum & populi consensionem ad constituendum novum Episcopum.

III. Eandem Constantii & Arrianorum vim eleganter exagitat in epistola ad solitariam vitam agentes; docetque, illos & Apostolorum constitutionem & antiquos Ecclesiæ mores constituendi Episcopos evertisse, quod Gregorium ignotum populo repugnanti cum minis & manu militari obtruderent, & Athanasium expellerent populis gratissimum, οὗτος ἐπενόησεν ἀλλοιῶσαι νόμον, παραλύων μὲν τὴν κυρίου διὰ τῶν Ἀποστόλων διάταξιν, τὰ δὲ τῆς ἐκκλησίας ἀλλάττων ἔθη, καὶ καινὸν αὐτὸς ἐπινοῶν τρόπον τῶν καταστάσεων· ἐξ ἄλλων γὰρ τόπων, καὶ πρὸ πεντήκοντα μονῶν, μετὰ στρατιωτῶν ἐπισκόπους ἀποστέλλει, πρὸς τοὺς μὴ θέλοντας λαοὺς, καὶ ἀντὶ γνώσεως τῆς πρὸς τοὺς λαοὺς, ἐκεῖνοι φέρουσι τὰς ἀπειλὰς καὶ τὰ πρὸς τοὺς δικαστὰς γράμματα. *Hic* (Constantius) *excogitavit, quo pacto legem alteraret, dissolvens Domini constitutionem per Apostolos traditam, & mores Ecclesiæ immutans, novumque excogitans constituendorum Episcoporum modum. Ex aliis quippe locis & quinquaginta mansionum intervallo dissitis ad populos nolentes cum militibus Episcopos mittit, qui loco notitiæ, quæ de illis esset apud populos, minas & literas ad judices deferunt.* Ex quo testimonio habemus diserte, juxta Apostolorum instituta & mores Ecclesiæ, præficiendum Episcopum notum esse debere populis atque gratum, nec invitis illis & repugnantibus per vim obtrudendum. Etenim, ut in eadem epistola monet Athanasius, amari non potest a populis ille, quem nolunt, nec ei credere liberos suos possunt, *cujus nec vitam nec conversationem, nec prorsus quis est, norunt*, οὗ τὸν βίον, καὶ τὴν ἀναστροφὴν, καὶ τίς ἐστιν, οὐ γινώσκουσι.

IV. Graviter eandem canonum violationem Arrianis Gregorium obtrudentibus exprobrat Julius primus Pontifex Romanus apud Athanasium in apologia secunda, iis verbis, quæ jura ecclesiastica infracta ostendunt, non solum in expellendo Athanasio, sed etiam in constituendo Gregorio; qui nec ab Episcopis, nec a Presbyteris, nec a populo postulatus esset, nec illis cognitus, nec apud eos baptizatus, quæ docent, cleri populique consensum necessarium in constituendo Episcopo. Ποῖος κανὼν ἐκκλησιαστικὸς, ἢ ποία παράδοσις ἀποστολικὴ τοιαύτη, ὥστε εἰρηνευούσης ἐκκλησίας, καὶ ἐπισκόπων τοσούτων ὁμόνοιαν ἐχόντων πρὸς τὸν ἐπίσκοπον τῆς Ἀλεξανδρείας Ἀθανάσιον, ἀποσταλῆναι Γρηγόριον, ξένον μὲν τῆς πόλεως, μήτε ἐκεῖ βαπτισθέντα, μήτε γινωσκόμενον τοῖς πολλοῖς, μὴ αἰτηθέντα παρὰ πρεσβυτέρων, μὴ παρ' ἐπισκόπων, μὴ παρὰ λαῶν; *Qualis est ecclesiasticus canon, aut qualis hujusmodi apostolica traditio, ut in pace agente Ecclesia, tantisque cum Episcopo Alexandriæ Athanasio concordantibus Episcopis, Gregorius mitteretur a civitate quidem peregrinus, nec ibi baptizatus, nec multis notus, nec a Presbyteris, nec ab Episcopis, nec a populis postulatus?*

V. Quæ autem eodem loco verba subjunguntur, docent, institutionem a provinciæ Episcopis *in ipsa Ecclesia* fieri debere, & promovendum a clero ipsius Ecclesiæ peti. οὐκ ἔδει τὴν κατάστασιν οὕτως παρανόμως καὶ παρὰ τὸν ἐκκλησιαστικὸν κανόνα γενέσθαι, ἀλλ' ἐπ' αὐτῆς τῆς ἐκκλησίας, ἀπ' αὐτοῦ τοῦ ἱερατείου, ἀπ' αὐτοῦ τοῦ κλήρου, τοὺς ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ ἐπισκόπους ἔδει καταστῆσαι, καὶ μὴ νῦν τοὺς ἀπὸ τῶν ἀποστόλων κανόνας παραλύεσθαι. *Constitutionem adeo illegitime & præter canonem ecclesiasticum fieri non oportebat; sed in ipsa Ecclesia, ex ipso sacrario, ex ipso clero, qui in provincia sunt, Episcopos oportebat constituere.* His verbis respicit & explicat canonem illum quartum Nicænum, de quo agimus.

VI. Possem Concilii Nicæni epistolam ad Alexandrinos adducere; qua statuitur, ordinatum a Meletio Episcopum obeunti catholicæ partis Episcopo in eadem civitate substitui posse, si populus eum eligat, idque decreto suo confirmet Alexandrinus Episcopus. Sed isto loco non agitur de libera electione, sed de remedio schismatis.

VII. Testimoniis ecclesiasticis subjungemus Constantini quoque rescripta, tum ad Nicomediensium Ecclesiam apud Theodoretum lib. I. cap. XX. quam hortatur, ut fidelem Episcopum eligat, *quod nunc quidem in vestra est potestate, & vestri dudum esse judicii oportuit*, ὅπερ ἐπὶ τοῦ παρόντος ἐν ὑμῖν ἐστὶ, ὃ καὶ πάλαι ἐχρῆν τῆς ὑμετέρας κρίσεως ἠρτῆσθαι, tum ad populum Antiochenum, quem omissa Eusebii translatione hortatur, *ut ex Ecclesiæ lege hunc eligant pastorem, quem communis servator designarit:* Θεσμῷ ἐκκλησίας τοῦτον αἱρεῖσθαι ποιμένα, ὃν αὐτὸς ἀναδείξειεν ὁ κοινὸς σωτήρ. apud Eusebium de vita Constantini lib. III. cap. LVII. Sed capite LVIII. adducit ejusdem Constantini epistolam ad Theodotum Laodicenum Episcopum & alios, quæ docet, studia plebis & Episcoporum conjuncta fuisse in petenda translatione Eusebii ad Ecclesiam Antiochenam: κατὰ τὸ τοῦ λαοῦ, καὶ τῆς ὑμετέρας προαιρέσεως, συνῳδὸν τε καὶ βουλήν.

VIII. Nostra illa definitio probatur quoque ex consequentis ætatis electionibus insignioribus, quarum solum memoriam scriptores conservarunt. Vacanti Cæsareensi Ecclesiæ in Cappadocia ex Dianei obitu dandus erat successor. Conveniunt eam ob rem Episcopi Cæsaream; diffidentibusque inter se civibus, cum alius alium proponeret, tandem cum in Eusebium cathecumenum consensissent omnes, illum sibi constitui ab Episcopis extorserunt, teste Gregorio Nazianzeno in oratione de obitu patris. Eusebio mortuo, Episcopi Cæsaream convenere ad electionem Pontificis. Gregorius pater absens scripto in Basilium consensit; & porro ad ejus causam juvandam, ægro licet corpore, in urbem se contulit; & tandem juxta vota cleri, monachorum, honoratorum, curiæ, & plebis, electio decreta est ab Episcopis, ordinatusque Basilius; ut patet ex superiori oratione Gregorii Nazianzeni, & ex ejus epistola XXII.

Flaviani Antiocheni electio & ordinatio facta est Antiochiæ ab Episcopis provinciæ & totius orientalis Diœceseos, tota Ecclesia suffragante, ut docet synodica Concilii CP. anni CCCLXXXI. quæ Nectarium quoque a synodo œcumenica, clero & civitate universa suffragante, constitutum testatur. Gregorii Nysseni ea tempestate delectum & ordinationem a synodo provinciæ factam ipsemet scripsit; in eoque se Flaviano exæquat. ἴση παρὰ συνόδου καὶ μία γέγονεν ἀμφοτέρων ἡμῶν ἡ προνομία.

IX. Vi-

IX. Vigebat mos ille in aliis quoque Ecclesiis, ut ostendi potest ex undecima actione Concilii Chalcedonensis, in qua tractatur de controversia Bassiani & Stephani ob Ephesinum episcopatum. Stephanus enim docere contendens, electionem suam factam juxta canones ait: *Me quadraginta Episcopi Asiani suffragio & nobilium & totius reverendissimi cleri & omnis civitatis ordinaverunt:* Ψήφῳ κ̀ τῶν λαμπροτάτων, κ̀ τῶν λογάδων, κ̀ τ͂ εὐλαβεστάτου παντὸς κλήρου. Negotium quoque istud recte ab Eusebio Episcopo Ancyræ, quæ est metropolis Galatiæ, explicatur in actione decima sexta. Etenim cum ageretur de Metropolitanorum ordinationibus a sede Constantinopolitana peragendis, docet, gravissimum detrimentum civitatibus exinde creandum iri, ob sumptus immensos, quibus attererentur; sed servandos esse canones, qui præcipiunt, in civitatibus ipsis habendam provinciæ synodum, & ab ea constituendos Episcopos, quos ipsa probaverit, a civitate sibi propositos. Si enim non in civitatibus hi, qui eliguntur a civitate, ordinantur a synodo provinciæ comprobati, solvuntur substantiæ: ἐὰν μὴ γὰρ ἐν ταῖς πόλεσιν αὐταῖς, οἱ ψηφιζόμενοι παρὰ τῆς πόλεως, χειροτονῶνται παρὰ τῆς συνόδου τῆς κατὰ τ͂ ἐπαρχίαν δοκιμαζόμενοι, λύονται αἱ οὐσίαι. Huic incommodo mederi se posse, existimarunt judices imperatorii, decernentes, ut a clericis metropoleos, a possessoribus, & clarissimis viris, tum etiam a provinciæ Episcopis, fiat decretum electionis ejus personæ, quam dignam episcopatu judicaverint, gestisque ad Archiepiscopum Constantinopolitanum delatis, penes illum sit, ut ad se evocet electum Constantinopoli consecrandum, aut ex ejus permissione, κατ' ἐπιτροπὴν αὐτοῦ, in provincia ordinetur. Reliquit vero singularum civitatum Episcopos ordinandos a Metropolitano & a provinciæ Episcopis.

X. Quem autem modum servarent in singulis civitatibus, addiscere possumus ex XIII. actione: ubi Eunomius Nicomediæ Episcopus, quæ erat Bithyniæ metropolis, conqueritur adversus Anastasium Nicææ Episcopum; qui ex eo, quod Nicæa civitas jure metropoleos donata fuerat per rescriptum Valentis, Episcoporum ordinationes in quibusdam civitatibus sibi vindicabat, & specialiter Basilinopoli. Eunomius autem, ut probet, ad se jus istud pertinere, ait: *Ostendo decreta Basilinopolitanorum, ubi rogaverunt de Episcopo. Tu ostende, ubi rogaverunt Nicænum, ut eis daret Episcopum.* Decretum itaque fiebat a clericis & civibus; quo a Metropolitano petebatur Episcopi ordinatio, aut a civibus designati, aut alterius, qui esset idoneus, arbitrio Metropolitani cum sua synodo. Etenim (ut recte observat Atticus Nicopoleos in veteri Epiro in eadem actione XIII.) regula ita præcipit, ut in unaquaque provincia Metropolitanus habeat potestatem, & ipse constituat omnes, qui in ea provincia sunt, Episcopos. Decreti facti a Gangrensibus & sibi oblati meminit Eusebius Ancyræ actione XVI.

CAPUT V.

De mutata eligendi forma in oriente, & exclusione populi.

SYNOPSIS.

I. Paulatim a veteri regula discessum est in oriente & in occidente. Orientales Metropolitæ synodum Episcoporum ad suas urbes traxerunt, quando agebatur de ordinando Episcopo exiguæ Ecclesiæ. Unde sequitur, non semper expectata fuisse clericorum & civium suffragia.

II. Zonaras inductum id putat a synodo Nicæna. Ex canone XVIII. Antiocheno colligitur, Episcopos electos & consecratos aliquando fuisse extra sedem vacantem, tum etiam absque populi consensu.

III. Attamen si non accederet populi suffragium, periculum erat, ne consecratus a populo recusaretur. Probatur ex eodem canone Antiocheno. Quæ synodus dici debeat τέλεια *& perfecta.*

IV. Ex Basilii quoque facto ostenditur Episcopum electum & consecratum a Metropolitano extra Ecclesiam vacantem, & absque prævio populi consensu; cui tamen relinquitur licentia recusandi Episcopi.

V. Plebs Episcopum postulare poterat a synodo; sed Dei est designare præficiendum, nempe synodi judicio. Probatur ex Basilio.

VI. Populus nullum Episcopum sibi præponere potest absque judicio synodi, ut patet ex canone XVI. Antiocheno.

I. Attamen dissimulari non debet, quin paulatim ab hac regula discessum fuerit in oriente & occidente, sed diverso modo. Quippe orientis Ecclesiæ, licet in majoribus Ecclesiis ordinandis veterem ritum retinuerint, attamen in aliis tenuioribus Metropolitæ ad suas urbes synodum Episcoporum traxerunt, & per consequentiam clericorum & civium consilia atque testimonia non semper expectarunt. Incommodum illis erat, in parvo oppido synodum habere, electiones per dissensionem civium & criminum objectiones protractas agere, sumptibus atque dispendiis onerari. Quare cum Nicænus canon de synodi loco nihil diserte constituisset, nec de cleri populique testimonio, liberum sibi esse putarunt Episcopi, ex arbitrio Metropolitani apud eum synodum pro gerendis electionibus habere.

II. Zonaras quidem tradit, synodum in canone quarto Nicæno commemoratam, habendam in urbe metropoli, quod ex posterioris ætatis moribus sibi persuaserat. Quod nos evincemus ex Antiocheno canone XVIII. ex quo colligitur, Episcopum electum & consecratum aliquando extra sedem vacantem, tum etiam absque populi consensu: *Si quis Episcopus ordinatus ad parœciam, cui est electus, minime accesserit, non suo vitio, sed quod eum populus vitet,* (vel, reddendo exactius ipsa verba, *propter populi recusationem,* ἤτοι διὰ τ͂ τ͂ λαοῦ παραίτησιν) *aut propter aliam causam, non tamen ejus vitio perpetratam, hic & honoris sit & ministerii particeps, dummodo nil molestus Ecclesiæ rebus existat, ubi ministrare cognoscitur. Quem etiam observare conveniet, quicquid synodus perfecta provinciæ, quod visum fuerit, judicando decreverit.*

III. Attamen si non accederet populi suffragium, periculum erat, ne consecratus a populo recusaretur, ut docent hujus canonis verba. Sed synodi statim ea de re habendæ cognitione, an justa esset recusatio, discutiebatur: quæ synodus τελεία esset & perfecta, id est, Metropolitani & Episcoporum præsentia conflata. Canon quoque decimus septimus Antiochenus decernit, quid constituendum sit adversus Episcopum, qui post ordinationem non vult proficisci ad Ecclesiam sibi concreditam, quod evincit, alibi consecratum fuisse. Vide Baluzii Notas ad Agobard. pag. 100.

IV. Ex isto usu factum, ut Basilius anno CCCLXX. post suffectum a se cum synodo sua Euphronium in Episcopali sede Nicopoleos, senatum ejus urbis hortetur ad suscipiendum Episcopum: quoniam, inquit, *eorum consensu negotium illud perfici debet.* Habes hic Episcopum electum & consecratum a Metropolitano extra Ecclesiam vacantem, & absque prævio populi consensu, cui tamen facultas recusandi Episcopi relinquitur. Elegantia sunt Basilii verba epist. CXCIV. Αἱ κατὰ τὰς ἐκκλησίας οἰκονομίαι γίνονται μὲ παρὰ τῶν πεπιστευμένων τ͂ προστασίαν αὐτῶν, βεβαιοῦνται δὲ παρὰ τῶν λαῶν. ὥστε κ̀ νῦν ὃ μὲ ἦν ἐπὶ τοῖς θεοφιλεστάτοις ἐπισκόποις, πεπλήρωται, τὸ δὲ λειπόμενον ἤδη πρὸς ὑμᾶς βλέπει, ἐὰν καταξιώσητε ἐνδύμως περιέχεσθαι τ͂ δεδομένον ὑμῖν ἐπίσκοπον, κ̀ τὰς παρὰ τῶν ἔξωθεν πείρας ἰσχυρῶς ἀποκρούεσθαι. *Dispensationes Ecclesiarum fiunt quidem ab iis, quibus earum cura credita est, a popu-*

populis vero confirmantur. Nunc itaque, quod erat in Deo dilectissimis Episcopis, impletum est; quod vero reliquum est, vos respicit, ut datum vobis Episcopum ex animo complecti & extraneorum tentamenta fortiter repellere. Utitur verbo οἰκονομίας, quod etiam usurpatur in secundo canone Constantinopolitanæ synodi, ad designandas, quæ ab Episcopis in Ecclesia fiunt, dispositiones.

V. Attamen hæc synodi metropoliticæ auctoritas in eligendo Episcopo non impediebat, quin aliquem postulare possent, relicto penes synodum integro arbitrio; ut patet in hoc negotio Nicopoleos. Senatus enim præfectum a Basilio approbaverat: *Vos probastis, dignum esse,* inquit, *& nos consensimus:* ἄξιον εἶναι τὸν ἀναφανέντα, καὶ ὑμεῖς ἐδοκιμάσατε, καὶ ἡμεῖς συνεθέμεθα. Reliquum erat, ut ordinatum Episcopum a plebe suscipi curaret. Hoc quoque voluit significare idem Basilius in epistola LXII. ad Neocæsarienses, post Musonii Episcopi obitum; *Cavendi vobis lupi, vigilis cujusdam pastoris præsidio, quem repurgatis contentione omni & primatus affectatione animis petere quidem vestrum est, Domini vero designare:* λύκοις φυλακτέον ὑμῖν, ἐγρηγορικοῦ τινὸς ποιμένος ἐπιστασίᾳ, ὃν ὑμέτερον μὲν αἰτῆσαι φιλονεικίας πάσης καὶ φιλοπρωτείας τὰς ψυχὰς καθαρεύοντας, τοῦ κυρίου καὶ ἀναδεῖξαι. Postulare pastorem, a synodo scilicet, positum est in potestate plebis; sed Dei est designare præficiendum, nempe synodi ejusdem judicio.

VI. Sane licet Episcopum hunc vel illum populus petere possit, nullum tamen sibi potest præponere absque synodi judicio; ut docet canon decimus sextus Antiochenus: *Si quis Episcopus vacans in Ecclesiam vacantem prosiliat, sedemque pervadat absque integro perfectoque Concilio, hic abjiciatur necesse est, etsi cunctus populus, quem diripuit, eum habere delegerit. Perfectum vero Concilium illud est, ubi interfuerit Metropolitanus antistes.* Vi hujus canonis, qui recitatur in actione undecima Concilii Chalcedonensis, pulsis sunt episcopatu Ephesi Bassianus & Stephanus, relicta eis dignitate episcopali & alimentis.

CAPUT VI.

De causis, quare tandem plebs ab electionibus fuerit exclusa.

SYNOPSIS.

I. Dein Græci integrum electionum jus traxerunt ad synodum metropoliticam neglectis clero & populo Ecclesiæ vacantis. Incommodum hoc tollere tentavit Justinianus Imperator, qui vilem plebeculam ab electione removit. Tres autem eligi a clero & honoratis jubet, ut unus ex iis a Metropolitano eligatur.

II. Ex hac Justiniani constitutione aperitur verus sensus canonis XIII. Laodiceni, quo cavetur, ut vilis plebecula arceatur ab electione Diaconorum vel Presbyterorum.

III. Olim enim clerus & populus ab Episcopo interrogabantur in ordinationibus clericorum; ut patet ex Cypriano, Eusebio, & canonibus Africanis.

IV. Juris autem istius occasione plebs sæpissime peccabat, adeo ut indignos plerumque eligeret. Invitos etiam quandoque rapiebat ad presbyteratum; ut accidit Augustino.

V. Exemplum item ejus rei datum in Paulino Episcopo, dein Nolano. Marca *factus Presbyter apud Barcinonem in Hispania.*

VI. Exempla item in Piniano & Chrysostomo. Quare prudenter cautum canone Laodiceno, removendam esse plebem ab electione Diaconorum & Presbyterorum.

VII. Potiori ratione porrigenda fuit hæc prohibitio ad electiones Episcoporum. Joannes Scholasticus turbas arceri scribit ab electionibus Episcoporum.

VIII. Justinianus edixit clerum & primates populi solos ad electiones Episcoporum admittendos, neglectis turbis. Blondellus notatus.

IX. Clerus & honorati eligunt. Plebs vero favet & applaudit.

I. Usurpata a Græcis consuetudo, a minoribus civitatibus jus electionum avocans, illud solidum & integrum metropoliticæ synodo addicebat, neglectis clero & populo Ecclesiæ vacantis. Cui gravi incommodo ut Justinianus mederetur, novam legem condidit; qua jus cum temperamento quodam induxit, concessa clericis & populo suffragiorum libertate, ad exemplum occidentalis Ecclesiæ, & relicta Metropolitanis auctoritate non contemnenda. Ac primum clericis & civibus honoratis, qui olim una cum Episcopis de electione consulebant, concessit, ut soli eam peragerent, repulsa ab hac deliberatione vili plebecula, ea lege tamen, ut trium personarum electionem scripto factam ad Metropolitam transmitterent. In istius autem arbitrio positum erat, e tribus, quem magis idoneum judicaret, Episcopum designare & ordinare. Novella CXXIII. & CXXXVII. lex quoque 42. *C. de Episcopis* continent juris istius novi institutionem. *Vide Collectionem Holstenii parte 1. pag. 6. & parte 2. pag. 254.*

II. Ex ista Justiniani constitutione aperitur verus canonis Laodiceni sensus; cujus interpretationem ad hunc locum de industria retulimus. Is est decimus tertius, cujus hæc sunt verba Græca: περὶ τοῦ μὴ τοῖς ὄχλοις ἐπιτρέπειν τὰς ἐκλογὰς ποιεῖσθαι τῶν μελλόντων καθίστασθαι εἰς τὸ ἱερατεῖον. *De eo, quod non liceat turbis electiones eorum facere, qui altaris ministerio sunt applicandi,* ut loquitur vetus interpres. Eodem sensu Ferrandus in Breviatione cap. 105. de Diaconis interpretatur: qui quidem proprie ἐν ἱερατείῳ, sive in sacrario, quæ templi pars erat altari proxima, locum habebant sibi specialiter addictum. Attamen Martinus Bracarensis reddit, *qui ad sacerdotium promoventur:* Dionysius, *qui sunt ad sacerdotium provehendi;* ut εἰς ἱερατείαν legisse videantur. Itaque genuinus hic videtur esse verborum canonis sensus, ut vilis plebecula arceatur ab electionibus Diaconorum vel Presbyterorum. Diaconos quippe ad suam dispositionem plebs trahebat, quod multitudini fidelium electionem Diaconorum Apostoli permisissent. Plerosque etiam invitos ad presbyteratum per vim adigebat.

III. Certum quidem est, in clericorum ordinationibus clerum atque plebem ab Episcopo fuisse consultam olim, ut docet Cyprianus epist. XXXIII. *In ordinandis clericis, fratres charissimi, solemus vos ante consulere & mores ac merita singulorum communi voto ponderare.* Unde Cornelius Papa apud Eusebium lib. VI. cap. XLIII. Novatianum vetitus a clero & a plerisque laicis, ne in presbyterium adsciseceret, hunc solum sibi concedi ordinandum petiit. Hic usus confirmatus est canone XXII. Concilii Carthaginensis tertii: *Ut nullus ordinetur clericus, nisi probatus vel Episcoporum examine vel populi testimonio,* id est, utroque. *Vel* enim conjunctive accipitur, ut fieri solet in scriptoribus hujus ætatis. Quod explicat Concilium Carthaginense quartum can. XXII. *Ut Episcopus sine consilio clericorum suorum clericos non ordinet, ita, ut civium conniventiam & testimonium quærat.*

IV. Sed juris istius occasione plebs sæpissime peccabat, adeo, ut indignos plerumque eligeret. Eleganter Hieronymus lib. 1. adversus Jovinianum: *Nonnunquam errat plebis vulgique judicium; & in sacerdotibus comprobandis unusquisque suis moribus favet, ut non tam bonum, quam sui similem quærat præpositum.* Et in Ezechielem cap. XXXIII. scribit, Episcopum & Presbyterum a populo electos & assumptos, ideo formidandum, ne accedant indigni. Contingebat aliquando, ut invitos etiam raperet ad presbyteratum; ut accidit in Hipponensi Ecclesia, ubi *Valerius episcopatum gerebat: qui, cum flagitante ecclesiastica necessitate de providendo & ordinando Presbytero, civitatis plebem allo-*

que-

quereretur & exhortaretur, jam scientes catholici sancti Augustini propositum & doctrinam, manu injecta --- eum tenuerunt, &, ut in talibus consuetum est, Episcopo ordinandum intulerunt; omnibus uno consensu & desiderio fieri perficique petentibus, magnoque studio & clamore flagitantibus, ubertim eo flente; ut loquitur Possidius cap. LIII.

V. Sic a Lampio Episcopo anno CCCXCIII. apud Barcinonem in Hispania *per vim inflammatæ subito plebis sacratus* Paulinus, ut est in epistola XXXV. Augustini. Qua de re ipse Paulinus, qui fuit postea Nolanus Episcopus, hæc scripsit ad Severum epistola sexta: *Nos in Barcinonensi civitate consistimus. Post illas literas, quas scripsisti, die Domini, quo nasci de carne dignatus est, repentina, ut ipse testis est, vi multitudinis, sed credo ipsius ordinatione correptus & presbyteratu initiatus sum.* Sanctissimi & nobilissimi illius viri, qui natione Aquitanus erat, mihi quoque Aquitanio memoria observabatur, quando Barcinone consistens, ejus opem flagitando, ad presbyteratum sponte sum provectus anno millesimo sexcentesimo quadragesimo octavo.

Vide Baluzium de vita Marcæ §. 16.

VI. Horrendum & perseverantissimum clamorum fremitum Hipponensis multitudinis pro cogendo Piniano ad presbyteratum recitat Augustinus epistola CCXXV. Vim quoque sibi illatam a populo Antiocheno, conqueritur Chrysostomus, ut presbyteratum susciperet.

Quare canonis Laodiceni verbis interdicta est plebi Diaconorum & Presbyterorum electio; nempe ne per tumultus negotium istud ad se pertraheret, invitis quandoque clericis & honoratis.

VII. Attamen cum par ratio & potior reperiatur in Episcoporum electionibus, quas plebs aut factiosorum studiis aut pretio accensa turbare solebat, minus dignos sæpe ingerendo, (ut factum in electione Eusebii catechumeni, ubi ὀχλώδης χεὶρ παρέσυρε τὸ ἀκριβὲς, *turbarum manus evertit jus accuratum*, ut loquitur Nazianzenus epist. XXII. cujus violentiæ similia passim occurrunt exempla) ideo rectissime Joannes Scholasticus Patriarcha Constantinopolitanus, qui floruit sub ultima tempora Justiniani, in veteri canonum collectione canonem Laodicenum sic accipit, ut turbis prohibeantur electiones Episcoporum, tit. VII. collectionis, μὴ τοῖς ὄχλοις ἐπιτρέπειν ἐκλογὰς ποιεῖσθαι τῶν ἐπισκόπων, adducitque statim canonem duodecimum Laodicenum. Eadem fuit sententia Martini Bracarensis, qui primum caput collectionis suæ, quod inscribit *De electione Episcoporum*, ex hoc canone Laodiceno decimo tertio componit.

VIII. Quare canonis istius decretum secutus Justinianus suis legibus diserte clerum & primates populi solos ad electiones Episcoporum admisit, neglectis turbis: quarum assensus non erat negligendus, sed inter suffragia legitima non censebatur. Sic enim accipienda sunt verba canonis, ut plebis interventio prohibeatur, non autem, ut sola ejus violentia arceatur, quemadmodum scripsit vir eruditus Blondellus.

IX. Potest discrimen istud inter honoratos & vulgus, quod insinuavimus, probari ex Theodoreti verbis loquentis de Petro, qui successit Athanasio novem annis post tempora Concilii Laodiceni. Ait, ejus electionem factam quidem ab Athanasio vivente: συμψήφων γενομένων, καὶ τῶν ἱερωμένων, καὶ τῶν ἐν τέλει καὶ ἀξιώμασι. καὶ ὁ λαὸς δὲ ἅπας ταῖς εὐφημίαις ἐδήλου τὴν ἡδονήν: *Suffragantibus sacri ordinis viris & iis, qui erant in magistratu & dignitate constituti. Omnis vero populus acclamationibus lætitiæ signa promebat.* Clerus & honorati eligunt; plebs vero favet & applaudit. Unde apud Liberatum cap. XIV. in locum Dioscori Proterius electus est *a nobilibus civitatis* & ab Episcopis, plebis mentione omissa. Zeno quoque constituit apud Evagrium lib. III. cap. XII. ut Alexandriæ fieret Episcopus, ἐν ᾧ κλῆρος καὶ τὸ κοινὸν ψηφίζοιντο, *quem clerus & commune elegissent*, id est, corpus civitatis, neglecta scilicet plebe.

CAPUT VII.

De electione Episcoporum ad Episcopos devoluta contra Justiniani constitutionem.

SYNOPSIS.

I. Constitutio Justiniani de tribus eligendis a clero & plebe, decretoque ad Metropolitanum mittendo, neque in oriente neque in occidente observata fuit.

II. Secunda synodus Nicæna Episcopis permisit universam electionum potestatem.

III. Decretum priscis illis temporibus erat penes Episcopos solos, exclusis ab eo jure clero & populo. Synodus CP. adversus Photium laicos removit ab electione.

IV. Refertur interpretatio, quam Blondellus adhibet huic canoni Constantinopolitano.

V. Refellitur illa Blondelli interpretatio multiplicibus argumentis.

I. Quod constitutum fuerat a Justiniano de trium electione facienda a clero & plebe mittendoque decreto ad Metropolitanum locum non habuit, nec in oriente, nec in occidente; quamvis occasionem præbuerit postea Imperatoribus Græcis ad se trahendi jus Metropolitano tributum, ut postea dicetur.

II. Tantum vero ab executione illius legis recessum est, ut non solum usu, sed canone quoque in secunda synodo Nicæna lato an. DCCLXXXVII. Episcopis permissa sit universa electionum potestas, citato ad eam firmandam canone quarto primæ synodi Nicænæ: Δεῖ γὰρ τὸν μέλλοντα προβιβάζεσθαι εἰς ἐπισκοπὴν ὑπὸ ἐπισκόπων ψηφίζεσθαι, καθὼς παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων τῶν ἐν Νικαίᾳ ὥρισαι. *Oportet enim eum, qui provehendus est ad episcopatum, ab Episcopis eligi, ut difinitum est in canone Nicænorum patrum.* Unde cum objiceretur Ignatio Patriarchæ, quod non adeptus esset sedem Constantinopolitanam per electionem, responsum fuit, *eum decreto omnium simul Episcoporum & Ecclesiæ consensu canonice & legitime promotum fuisse*, ut docet Nicetas Paphlago: Ψήφῳ πάντων ὁμοῦ τῶν ἀρχιερέων καὶ τῆς ἐκκλησίας συναινέσει κανονικῶς καὶ ἐνθέσμως κεχείρισαι.

III. Eo quippe tempore decretum, Ψῆφος, erat penes Episcopos solos, exclusis & clericis & populis a decreti ferendi potestate; cujus communionem antea cum Episcopis habuerant, licet non æquo jure. Quare nulli mirum videri debet, si canone XXVIII. Concilii CP. habiti an. DCCCLXX. adversus Photium, in editione Latina Anastasii Bibliothecarii ista legantur: *Promotiones atque consecrationes Episcoporum, concordans prioribus Conciliis, electione ac decreto Episcoporum collegii fieri sancta hæc & universalis synodus definit & statuit*, depulsis diserte eodem canone laicis a negotio electionis, sub pœna anathematis.

IV. Hunc locum sic interpretatur vir eruditus Blondellus: *Prima canonis parte ex priorum Conciliorum præscripto episcopalis collegii electione ac decreto promotiones fieri debere decernitur. Cum enim a principio uniuscujusque Ecclesiæ clerus & populus communi sibi consilio de præsule providere soliti essent, novo postea in Episcoporum gratiam condito jure Nicæna synodus can. IV. Antiochena can. XIX. Laodicena can. XII. Episcoporum provincialium synodum ante omnia cogi, vel ejus ductu viduatæ Ecclesiæ clerum & plebem in suffragia ire, vel ad eam referre, nihil sine ea aggredi statuerunt. Collegio igitur Episcoporum promotionem tribuit canon; non quasi penes Episcopos solos electionis jus esse debeat, --- sed quia primas inter omnes tenent, totiusque quantus quantus est conventus duces esse debent Episcopi. Hoc a Nicæni Concilii temporibus extra controversiam semper fuit.*

V. Quibus verbis veritas definitionis nostræ, quam abunde probavimus, aliquo pacto obscuratur.

ratur. Recte quidem vir doctus observat, synodum Episcoporum coactam, ut eorum ductu & auspiciis electio ageretur a clero & a populo. Sed in tribus peccat. Primum, quod synodi illius necessitatem inductam putet a synodo Nicæna, cum demonstraverimus ex Cypriano, jus illud fuisse receptum per omnes fere provincias & Apostolorum exemplo niti, quorum præcipuæ partes fuerunt in electione Matthiæ. Secundum est, quod initio Episcopos ab electionis gerendæ potestate arcere videtur, eamque in solidum clero & populo tribuere; cum potius jus electionis præcipuum penes Episcopos resederit, non omissis tamen cleri & populi votis, quod tandem fatetur; docetque, primas partes inter electores tenuisse. Incidit in hanc dubitationem, quod usum occidentis, quo jus electionis translatum est in clerum & plebem per Decreta Pontificum Romanorum, ut statim docebimus, cum orientalium more confuderit, qui decretum electionis Episcopi clero & plebi consensum olim relinquebant. Tertium erratum est, quod existimet, collegium Episcoporum in hoc canone non excludere saltem cœtum Ecclesiæ. Certum quippe est per septimæ synodi canonem tertium, ex præscripto, ut putabat, prioris Nicænæ synodi, solidas electiones ad Episcopos solos revocatas, licet consilia cleri non fuerint insuperhabita, saltem in Ecclesiis insignioribus. Quapropter octava synodus idem canone suo sancivit, quod deinde ab Episcopis in oriente passim ex recepto jure usurpatum fuit. Id ostenditur eximie ex contentione, quæ inter Polyeuctum Constantinopolitanum & reliquos præsules orta est ob electiones Episcoporum, quas sibi solis isti vindicabant, Polyeuctus vero contendebat. Episcopos teneri secum de illis communicare, *Τῶν μὲν εἰς ἑαυτοὺς ἑλκόντων τὴν ἄδειαν τοῦ ψηφίζεσθαι οὓς ἂν ἐγκρίνοιεν, τοῦ δὲ προέδρου κοινοῦσθαι αὐτῷ τοὺς ἀρχιερεῖς περὶ τῶν μελλόντων ψηφίζεσθαι*, inquit Zonaras in Nicephoro Phoca.

CAPUT VIII.

De electionibus Episcoporum in occidente a clero & populo peractis, & Metropolitano confirmatis.

SYNOPSIS.

I. In occidente Episcopi eligebantur cleri & populi suffragiis & judicio Episcoporum. Probatur ex Cypriano.

II. Probatur etiam ex canone quinto Sardicensi; qui explicatur. Notatus interpres Græcus.

III. Tum ex Concilio Carthaginensi tertio, quod explicatur.

IV. Veterem illum usum paucis verbis complexus est Concilium Carthaginense quartum.

V. Anysius Thessalonicensis Episcopus, a Macedonicis populis obsecratus, ab Episcopis electus est.

VI. Pontificum Romanorum decretis electio personæ collata est in arbitrium cleri & populi, etiam absque synodi episcopalis præsentia: qua decretum de electione ad Metropolitanum mittebant. Ad istum vero pertinebat confirmatio vel rescissio electionis.

VII. Hujus novæ formæ origo tribuenda est Siricio Papæ & sequentibus Pontificibus. Eam Ambrosius Mediolanensis Episcopus ætate Siricii amplexus esse videtur.

VIII. Siricius docet, Diaconopresbyterium vel episcopatum dari, si eum cleri & plebis evocaverit electio. Sed ei electioni adjungendum judicium Metropolitani.

IX. Eundem ordinem observari jubent Innocentius, Zosimus, Bonifacius & Cælestinus.

X. Referuntur verba Leonis primi, quibus idipsum statutum & amplificatum est. Explicantur ejus verba.

XI. Præcipue partes tribuuntur clericis in agenda electione. Ratio hujus instituti. Illustria Leonis in hanc rem verba.

XII. Perduravit synodorum usus quoad electiones Metropolitanorum. Probatur ex eodem Leone.

XIII. A Carthaginensi Concilio profectum, ut vacanti Ecclesiæ Episcopum interventorem seu intercessorem Metropolitanus præficiat. Is apud Gregorium magnum vocatur Visitator. Munus ejus describitur. Decretum electionis fieri non posse absque præsentia Visitatoris, admonet Papa Symmachus.

I. SEd relictis Græcis, qui tandem ad Imperatoris arbitrium electiones omnes retulerunt, nunc redeundum est ad perspiciendam, quæ in Ecclesia occidentali inducta est, in electionibus immutationem.

Observabat ista vetus illud institutum, ut ab Episcopis, a clero, & a plebe in unum congregatis eligeretur, qui præficiendus erat Ecclesiæ vacanti; cum illo tamen discrimine, quod superius adnotavi, ut judicium esset Episcoporum, cleri vero & populi suffragium. Illis testimoniis addi potest Cypriani locus de Cornelii Papæ electione: *Factus est Episcopus de Dei & de Christi ejus judicio, de clericorum pene omnium testimonio, de plebis, quæ tunc adfuit, suffragio, & de sacerdotum antiquorum bonorum virorum collegio.* Conventum sacerdotum sive Episcoporum vocat *collegium*; a quo juxta testimonium clericorum & plebis suffragium decreta fuerat Cornelii ordinatio, qui hoc pacto de Dei & Christi judicio factus fuerat Episcopus.

II. Dubitari non potest, quin eandem formam sequerentur reliquæ occidentis provinciæ. Quod evincitur manifeste ex specie proposita & decisa in can. V. Sardicensis Concilii ann. CCCXLVII. ubi agitur de provincia plurimis quondam Episcopis instructa, in qua unus remanserit Episcopus, aliis puta fato functis, ille vero solus negligat populis petentibus ordinare Episcopum, adjunctis scilicet sibi collegis ex vicina provincia, quos potest convocare. Etenim, ut nullus in alienam provinciam debet irruere nisi vocatus ab Episcopis, ita, si rogetur, potest accedere ad agendas functiones ecclesiasticas. Populi autem conveniunt vicinæ provinciæ Episcopos, quod alioqui ad eos non pertineret, nisi ob Episcopi negligentiam. Episcopi vicini debent literis suis provincialem Episcopum convenire eique ostendere, justam esse populi petitionem, & ut ipsi accedant, ut cum eo ordinent Episcopum. Quod si nihil rescripserit, *satisfaciendum esse populis*, constituit canon, *ut veniant ex vicina provincia Episcopi, & ordinent Episcopum.* En synodum Episcoporum, quæ ad Ecclesiam vacantem accedit, ut ordinet Episcopum, id est, ut tractatu habito cum clero atque populo designet præficiendum Episcopum, eique manus imponat. Græca interpretatio male sententiam hujus canonis expressit, & speciem retulit ad Episcopum, qui monitus literis Metropolitani sui negligit cum aliis Episcopis convenire ad ordinandum Episcopum. Incidit in codicem corruptum Græcus interpres. Legit initio, *in qua plurimi sunt Episcopi*, cum Latinus textus habeat, *in qua plurimi fuerint*. Quos Latinus vocat *vicinos Episcopos provinciæ*, Græcus reddit Exarchum sive Metropolitam provinciæ, respexit enim sensum. De his Episcopis, alienæ scilicet provinciæ, inquit textus Latinus, *ut ipsi veniant & ordinent*. Græcus legit, *ipse veniat*, & refert ad Episcopum negligentem. Hæc autem interpretatio est apud ipsum quoque Joannem scholasticum. Unde patet, primum interpretem in textum Latinum corruptum incidisse. Ceterum illius vera lectio, quam secuti sumus & explicavimus, habetur apud Dionysium & apud collectorem, Dionysio antiquiorem. Apud Burchardum quoque, Ivonem & Gratianum eadem sententia, licet verbis paululum diversis.

III. Huic testimonio adjungi debet Concilium tertium Carthaginense, habitum an. CCCXCVII. can. XL. *Si qua contradictio fuerit suborta, quia talia sæpe facta sunt apud nos, non præsumant ad purgandum eum, qui ordinandus est, tres tantum, sed*

sed postulentur ad numerum supradictorum duo vel tres; & in eadem plebe, cui ordinandus est, discutiantur primo personæ contradicentium, postremo illa etiam, quæ objiciuntur; pertractentur; & cum purgatus fuerit sub conspectu publico, ita demum ordinetur. Hujus canonis aperta est sententia, scilicet Episcopos convenire in Concilium in civitate sedis vacantis, ut Episcopum eligant. Poterat quidem synodus illa a tribus congregatis haberi, consentientibus scripto ceteris provinciæ Episcopis ex præcepto Metropolitani; ut decreverat synodus Nicæna, & Carthaginensis secunda sub Genetlio canone duodecimo, quod hic canon sequitur. Sed addit, si electo crimina objiciantur, tres illos, qui Concilium canonice conflabant, non sufficere ad purgandum accusatum, sed tribus illis adjungendos esse duos aut tres, scilicet de primatis auctoritate; ut sex illi aut quinque, accusatione, ut oportet, discussa in civitate sedis vacantis, de purgatione electi pronuntient, eumque sub conspectu publico ordinent.

IV. In pauca verba veterem illum usum contraxit Concilium Carthaginense quartum anno CCCXCVIII. can. I. ubi post expositas pietatis & veræ fidei dotes, quibus instructus esse debet Episcopus, subjungit: *Cum in his omnibus examinatus inventus fuerit plene instructus, tunc cum consensu clericorum & laicorum & conventus totius provinciæ Episcoporum, maximeque Metropolitani vel auctoritate vel præsentia, ordinetur Episcopus*.

V. Ex hoc more canonico, Acholio Thessalonicensi vita functo, circiter annum CCCXC. Anysius *ad summum sacerdotium a Macedonicis observatus populis, a sacerdotibus electus est*, ut loquitur Ambrosius lib. III. epist. XXII. Vide supra li. 5. c. 24. §. 1.

VI. Quoniam vero pluribus incommodis exposita erat ratio illa electionum, ob necessitatem synodi habendæ, quam protrahi sæpe contingebat per variarum factionum contradictionem, unde a suis Ecclesiis Episcopi longo tempore distracti, sumptibus non ferendis vexabantur, aliam formam decrevere summi Pontifices, quæ potestatem cleri ac populi, deinde vero Metropolitani auctoritatem in magnum Ecclesiæ commodum & dissidiorum remedium vehementer auxit. Etenim electio personæ collata est in arbitrium cleri & populi, etiam absque synodi episcopalis præsentia; qui quidem decretum de electione factum & a se subscriptum, ad Metropolitanum mittebant. Ille vero cum plena causæ cognitione judicium de forma electionis & de persona electi ferebat, confirmata vel etiam rescissa electione. Isto vero ordine semel recepto non abolita est in totum vetustior illa forma synodi habendæ ab Episcopis; qua etiam post ista tempora Episcopi aliquando utebantur, prout occasio postulabat. Semper autem in Metropolitanorum electionibus usurpata fuit: quæ jus speciale videbatur, cum tamen esset pars juris antiqui, quod olim commune fuit in electionibus tum Episcoporum tum Metropolitanorum.

VII. Hujus novæ formæ originem tribuere possumus Siricii, Innocentii, Zosimi, Bonifacii, Cælestini atque Leonis decretis, quæ statim reddemus. Quam Ambrosius, Siricii ætate, pro sua prudentia amplexus videtur in causa Vercellensis Ecclesiæ; quæ cum vacaret, Metropolitani sui Mediolanensis Episcopi studio replenda erat. Quare diuturnior ejus Ecclesiæ vacatio illi imputabatur. Quod ille repellit his verbis epist. LXXXII. *Cum sint in vobis dissensiones, quomodo possumus aliquid aut nos decernere, aut vos eligere, aut quisquam acquiescere, ut inter dissidentes suscipiat hoc munus, quod inter convenientes vix sustineatur?* Infra; *Convenit ergo modestiæ vestræ & concordiæ insigne edere, ut congruatis assensu ad postulandum sacerdotem*.

VIII. Siricius anno CCCLXXXV. in epistola decretali ad Himerium c. X. docet, Diacono presbyterium vel episcopatum dari, *si eum cleri & plebis evocaverit electio*. Idem epist. III. ad orthodoxos per diversas provincias Diœceseos Urbicariæ, ut puto, c. I. apostolicum ordinem servandum docet in Episcopis ordinandis, scilicet, *ut digni posint*, inquit, *& plebis & nostro judicio comprobari*. Ad cleri & plebis electionem adjungendum est judicium Metropolitani. In Diœcesi quippe Urbicaria, quæ decem provinciis constabat, Episcopus Urbis metropolitico jure potiebatur in confirmandis electionibus, ut alibi demonstravi. Vide supra li. 14. c. 7. §. 5.

IX. Innocentius in epistola ad Victricium Rothomagensem docet, ordinationes a Metropolitanis fieri debere, servato nempe ordine a decessore suo jam præscripto. Idem Innocentius in epistola ad synodum Toletanam c. II. ann. CCCCVI. damnat Rufinum; qui, *cum Metropolitano Episcopo ordinandi sacerdotis pontificium deberetur, contra populi voluntatem & disciplinæ rationem Episcopum locis abditis ordinaverat*.

Ex Zosimi epistola ad Patroclum Arelatensem & ex altera ad clerum, ordinem, & plebem Massiliensem, constat, eundem ordinem servari in Gallia. Bonifacius irritam decernit factam a Patroclo Lutubensis Ecclesiæ Episcopi ordinationem quod eam contra patrum regulas egisset, cleri, ordinis, & plebis petitione cessante, & prætermisso Metropolitano.

Cælestinus epist. I. cap. V. ad Episcopos per Narbonensem & Viennensem provincias anno CDXXVIII. *Nullus invitis detur Episcopus. Cleri, plebis, & ordinis consensus atque desiderium requiratur*. Mox: *Sit facultas clericis renitendi, si se viderint prægravari; & quos sibi ingeri ex transverso* (id est, extraneos clericos) *agnoverint, non timeant refutare. Qui etsi non debitum præmium, vel liberum de eo, qui eos recturus est, debent habere judicium*.

X. Sed qui formam istam exacte perpolivit, Leo primus adducendus est; cujus verba Ivo parte III. & Gratianus dist. 63. c. 36. retulerunt; nec tamen hic omitti debent, ut lector liberetur onere conquirendi loci. Leo itaque anno CDXLV. in epistola ad Anastasium Thessalonicensem c. V. ista constituit: *Cum de summi sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem cleri plebisque consensus concorditer postularit; ita ut si in aliam forte personam partium se vota diviserint, Metropolitani judicio is alteri præferatur, qui majoribus & studiis juvatur & meritis; tantum, ut nullus invitis & non petentibus ordinetur, ne plebs invita Episcopum non optatum aut contemnat aut oderit, & fiat minus religiosa quam convenit, cui non licuerit habere, quem voluerit*. Idem in epistola ad Episcopos provinciæ Viennensis c. III. *Teneatur subscriptio clericorum, honoratorum testimonium, ordinis consensus & plebis. Qui præfuturus est omnibus, ab omnibus eligatur*. Et in epistola ad Rusticum Narbonensem cap. I. anno CDLII. *Nulla ratio sinit, ut inter Episcopos habeantur, qui nec a clericis sunt electi, nec a plebibus expetiti, nec a provincialibus Episcopis cum Metropolitani judicio consecrati*. Horum verborum compendio electionis, confirmationis & consecrationis regulam, quæ posthac invaluit, Leo complexus est & propriis verbis explicuit. Electio tribuitur clericis, petitio plebi, judicium Metropolitano, & consecratio Episcopis provinciæ. Soli Metropolitano conceditur electionis judicium; quoniam juxta synodum Nicænam τὸ κῦρος ad eum pertinet. Ita tamen, ut, si perplexa esset definitio, aut decerneret ipse, aut ad synodum referret, vel ad sedem apostolicam remitteret integrum negotium; ut docet Ivo Carnotensis epist. 38. 39. & alibi. Perseveravit apud Metropolitanos hæc potestas discutiendi electiones, & jure Decretalium confirmata est Cap. *Quia diligentia*. Cap. *Innotuit*. & Cap. *Cum dilectus*. *De elect.* & alibi.

XI. Præcipuæ autem partes tribuuntur clericis in electione agenda, quoniam ipsi aliquo pacto Episcopo-

scoporum provinciæ eo in negotio auctoritatem repræsentant, subjectam quidem Metropolitani judicio, sed cujus maximam rationem laici habere debent. Unde idem Leo officium cujusque prudentis-
Dist. 63. c. 27. sime descripsit in epistola ad Episcopos per Viennensem provinciam constitutos an. CMXLV. *Expectarentur certe vota civium, testimonia populorum, quæreretur honoratorum arbitrium, electio clericorum, quæ in sacerdotum solent ordinationibus ab his, qui norunt patrum regulas, custodiri, ut apostolicæ auctoritatis norma in omnibus servaretur, qua præcipitur, ut sacerdos Ecclesiæ præfuturus, non solum attestatione fidelium, sed etiam eorum, qui foris sunt, testimonio muniatur.* Quibus verbis ostenditur, qui modus servandus sit in electionibus, &
Vide supra li. 5. c. 32. §. 8. & cap. 33. §. 2. in quo peccaverat Hilarius Arelatensis, quem eo nomine graviter redarguit & damnat Leo: cujus sententiam constitutione quoque sua Valentinianus tertius firmavit, carpens Hilarium, quod *indecenter* Episcopos *invitis & repugnantibus civibus ordinasset.*

XII. Diximus, in Metropolitani electione synodi habendæ usum perdurasse, quod probamus his ver-
Dist. 63. c. 19. bis Leonis in epistola ad Anastasium: *Metropolitano defuncto, cum in locum ejus alius fuerit subrogandus, provinciales Episcopi ad civitatem metropolitanam convenire debebunt; ut omnium clericorum atque omnium civium voluntate discussa, ex Presbyteris ejusdem Ecclesiæ vel ex Diaconibus optimus*
Vide supra l. 5. c. 27. §. 2. *mus eligatur.* Quod Anastasio agendum præscribebat in Diœcesi Illyriciana, usurpabatur ab Episcopis Gallicanis in electione Ravennii Episcopi Arelatensis; qui a duodecim Episcopis provinciæ *secundum desideria cleri, honoratorum & plebis* consecratus est anno CDXLIX. ut docet Leo in epistola ad Episcopos Provinciæ. Quod fuerat jam decretum in Concilio Chalcedonensi, uti jam observavimus.

XIII. Cum de nova forma in occidentem inducta satis constet, putidum est sequentium Pontificum, qui eam verbis & exemplo firmarunt, Hila-
Codex canon. Eccles. Afric. cap. 74. ri, Gelasii, Symmachi, Hormisdæ, Gregorii magni, & aliorum, ipsiusque Gregorii VII. testimonia referre. Id unum observandum est, ex Carthaginensi Concilio profectum, ut vacanti Ecclesiæ Episcopum interventorem seu intercessorem Metropolitanus præficiat, qui civium animos ad concordiam revocet pro eligendo Episcopo, saltem intra annum. Apud Gregorium magnum vocantur Visitatores, quibus hæc cura imponitur, quorum frequens mentio in ejus epistolis; & ante ipsum, in epistola Symmachi Papæ ad Cæsarium Arelatensem an. quingentesimo decimo tertio. Munus autem describitur his verbis a Gregorio lib. II. regesti epist. XIX. quæ data est ad Benenatum Visitatorem Ecclesiæ Cumanæ: *Assiduis adhortationibus clerum plebemque ejusdem Ecclesiæ admonere te volumus, ut remoto studio diversarum partium, uno eodemque consensu talem sibi præficiendum expectent Pontificem, qui & tanto ministerio dignus valeat reperiri & a venerandis canonibus nullatenus respuatur. Qui dum fuerit postulatus, cum solemnitate decreti omnium subscriptionibus roborati & dilectionis tuæ testimonio literarum ad nos sacrandus occurrat.* Quod ultimum maxime congruit cum decreto Symmachi epist. V. c. VI. *Decretum sine Visitatoris præsentia nemo conficiat, cujus testimonio clericorum ac civium possit unanimitas declarari.*

CAPUT IX.

De electionibus Episcoporum Gallicanorum a clero & populo cum consensu Regis factis, ubi etiam de jure antiquo Imperatorum circa electiones differitur.

SYNOPSIS.

I. Nunc inspiciendum est, quam rationem in electionibus secuti sint Episcopi Galliarum. Episcopi eligebantur a clero & populo.

Marca de Conc. Sacerd. & Imp.

II. Discrimen tamen erat inter electionem Metropolitani & ceterorum Episcoporum. Nam Metropolitani eligebantur ab Episcopis comprovincialibus, cum consensu cleri & populi. Comprovinciales vero a clero & plebe, cum consensu Metropolitani.

III. Jus novum a synodis Gallicanis collatum est Regibus, nempe ut eorum assensus requireretur ad electionem Episcopi, quæ quidem indulgentia non omnino abhorrebat a veterum regularum sensu.

IV. Jus illud Episcoporum libertati in administratione Ecclesiæ profuturum existimarunt Galli. Tum quoque grati animi significatio hanc cogitationem suggerere potuit. Id etiam proficisci potuit ex eo, quod Episcopi in Regum consilia & regni administrationem adhibiti sint.

V. Concilium Aurelianense quintum jus illud confirmavit.

VI. Præcesserant autem Romanorum Principum exempla, qui in Ecclesiis insignioribus electionum summam ad se revocaverunt. Quod probatur variis exemplis.

VII. Arcadius tamen Imperator solum consensum adhibuit in electione Joannis Chrysostomi Episcopi Constantinopolitani.

VIII. Aliquando autem eodem tempore fiebat electio a Principe & Ecclesia. Probatur duobus exemplis valde illustribus.

IX. Gallia exemplum Romanæ sedis secuta est in concedendo Regibus jure assentiendi electioni. Romanus Episcopus ordinari non poterat, donec ejus electio a Principe confirmata fuisset.

X. Constantinus Pogonatus postea concessit, ut absque mora post electionem fieret ordinatio Pontificis. Obnoxii tamen deinceps fuere examini Exarchorum.

XI. Eo jure usi sunt Reges Francorum cum bona Episcoporum & populi gratia.

XII. Aliquando electum a populo respuebant.

XIII. Reges enim quandoque assensum illum vertebant in merum imperium, rescriptis videlicet suis episcopatus concedentes, invitis etiam interdum & repugnantibus populis, quod probatur variis exemplis. Id fieri deinceps vetuit Concilium Parisiense tertium.

XIV. Sed hujus prohibitionis rationem non habuit Clotarius Rex, qui postea Emerium sedi Santonensi præfecit.

XV. Postea se varie habuit negotium istud electionum; quæ aliquando cleri plebisque electione & decreto regio fiebant, interdum vero ex mero Principis imperio. Hanc labem reficere conatum est Concilium Parisiense quintum, cujus constitutio modificata est a Clotario Rege. Expenditur edictum Clotarii.

XVI. Explicantur veteres formulæ electionum, quæ fiebant in palatio cum decreto regio.

XVII. Ferre non poterant Episcopi Galliarum, episcopatus in palatio dari Regis imperio, spreta cleri & populi electione. Quid ab iis decretum in synodis, quidve receptum.

XVIII. Occasione contentionum, electione palatina velut necessario remedio Reges utebantur ad Ecclesiæ quietem, quod probatur variis exemplis. Libertas electionis concessa est Ecclesiæ Ambianensi anno sexcentesimo octuagesimo.

I. NUnc inspiciendum nobis restat, quam rationem in electionibus secuti sint Galliarum Episcopi. Quod satis liquere puto ex superius adductis Pontificum testimoniis, quæ, novam illam formam apud Gallias quoque ex eorum decretis viguisse, ostendunt.

Enimvero, ne in totum ab electionis negotio deciderent Episcopi, constituit Concilium Arelatense secundum can. LIV. circa annum CDXLV. *ut tres ab Episcopis nominentur, de quibus clerici vel cives erga unum eligendi habeant potestatem.* Sed isthæc sacrorum comitiorum partitio hucusque incognita locum non habuit. Conventum Episcoporum juxta canonem Nicænum & Carthaginensem celebravit Patiens Lugdunensis: *qui provincialium sacerdotum*

prævio partim, partim comitante collegio, accessit Cabillonum, *ut municipio summus aliquis antistes ordinaretur; ubi ob illa, quæ bonum publicum semper evertunt studia privata, quæ quidem triumviratus accenderat competitorum, synodi præsentiam necessariam judicavit. Quare consilio cum coepiscopis prius clam communicato quam prodito, strepituque despecto turbæ furentis, stupentibus factiosis, erubescentibus malis, acclamantibus bonis, reclamantibus nullis, Joannem collegam sibi consecravere* Episcopi ann. CDLXX. apud Sidonium lib. quarto epistola ultima. Quare mirum non est, cur in electione Simplicii Bituricensis Metropolitani, quod provincialium collegarum deficeretur numero, Agrœcium, qui caput erat Senoniæ, aliosque Episcopos ad eam ordinationem Sidonius invitat lib. VII. epistola quinta. Unde patet ex recentiore forma, non fuisse omnino abolitam veterem.

II. Ceterum Episcopi Gallicani formam illam novam ex præscripto Romanæ Ecclesiæ inductam sic susceperunt, ut discrimen quoque admitterent inter electionem Metropolitani & ceterorum Episcoporum. Recitanda sunt verba Concilii Aurelianensis tertii, habiti an. DXXXVIII. can. III. quæ hujus rei plenam fidem faciunt: *Ipse Metropolitanus a comprovincialibus Episcopis, sicut decreta sedis apostolicæ continent, cum consensu cleri vel civium eligatur: quia æquum est, sicut ipsa sedes apostolica dixit, ut, qui præponendus est omnibus, ab omnibus eligatur. De comprovincialibus vero ordinandis cum consensu Metropolitani, cleri & civium, juxta priorum canonum statuta, electio & voluntas requiratur.* Eandem formam dederat pro Metropolitani electione Concilium Aurelianense secundum anno DXXXIII. can. VII. Et eodem modo decreverat pro Episcoporum provinciæ electione Arvernense primum an. DXXXV. can. II. quod confirmatum fuit anno DXLIX. in Concilio Aurelianensi quinto can. II. in Concilio Parisiensi tertio an. DXLVII. can. VIII. Parisiensi quinto anno DCXV. can. I.

III. Hoc autem loco præcipue illud observandum est, quod maxime ad harum dissertationum institutum pertinet, jus novum a canonibus Gallicanis collatum fuisse Regibus, nempe, ut eorum voluntas, assensus, & approbatio requireretur ad electionem Episcopi. Quæ quidem indulgentia non omnino abhorrebat a veterum regularum sensu, si discrimen observaretur inter potentiam & præsidium. Vetitum quippe per can. XXXI. apostolicum, ne quis per seculi potestates Ecclesiam obtineat, ἀρχοντικαῖς δυναστείαις, ut loquitur Joannes Scholasticus. Adversatur enim canoni ecclesiastico, si quis Episcopus e palatio mittatur militibus stipatus ad cives invitos, ut notat Julius primus apud Athanasium. Sed si cleri & plebis electio foveatur quoque Principis consentientis præsidio, rebellium & seditiosorum conatus compescentur. Ex illa sententia profectum, quod in mandato synodi Chalcedonensis, quo eis notam facit depositionem Dioscori, additur, Episcopum Alexandriæ ordinandum nutu Principis: *Custodite res ecclesiasticas universas, tanquam qui reddituri estis rationem ei, qui secundum Dei voluntatem & nutum piissimorum Imperatorum nostrorum Alexandrinæ Ecclesiæ ordinandus est Episcopus*, νεύματι τῶν βασιλέων. Etenim cum populi consensus, ordinis, & honoratorum necessarius esset, ut clericorum electio robur haberet, existimarunt Episcopi Gallicani, Principi quoque simile jus concedi posse in universis, quæ in regno fierent, electionibus; quoniam Princeps erat populorum totius regni caput, quam rationem urget Ivo Carnotensis in quadam epistola.

IV. Illud quoque Episcoporum libertati in administratione Ecclesiæ profuturum putarunt, cum Regis consensu promotus expectare debeat faciliorem & procliviorem publicam tuitionem. Imo vero ipsius quoque electionis negotium, quod *potentium patrocinia* perturbabant, (ut docet Concilium Arvernense can. II. an. DXXXV.) liberius futurum videbatur. Adde quod ipsa quoque Regum munificentia in dandis Ecclesiæ agris, ut factum a Clodoveo testatur synodus Aurelianensis prima canone quinto, & concedendis immunitatibus exigebat istam ab Episcopis grati animi significationem.

Neque dissimulanda est potior, ut mihi videtur, ratio, tum apud Reges, ut illud beneficium per canonum interpretationem exposcerent, tum apud Episcopos, ut illud sponte largirentur. Adhibitis quippe in Regum consilia & regni cum reliquis proceribus administrationem Episcopis, juxta monitum, quod Remigius Episcopus dederat Clodoveo Regi, æquum erat, ut invito & repugnante Principe non assumerentur ad eam dignitatem aut incogniti aut suspecti, sed potius, qui essent illi & vitæ meritis, prudentia, ac fide undecunque probati; præcipue cum ex ministerio sibi commisso magnam in populos sibi subditos auctoritatem consequantur.

Remig. in epist. ad Clodoveum: *Sacerdotibus tuis honorem debeferre, & ad eorum consilia semper recurrere.*

V. Aurelianense Concilium quintum, habitum anno DXLIX. hanc Regibus auctoritatem tribuit can. X. ut in eligendo Episcopo, post cleri ac populi decretum, eorum voluntas expectaretur: *Ut nulli episcopatum præmiis aut comparatione liceat adipisci. Sed cum voluntate Regis, juxta electionem cleri ac plebis, sicut in antiquis canonibus tenetur scriptum, a Metropolitano, vel quem in vice sua præmiserit cum comprovincialibus Pontifex, consecretur.* Confirmatum hoc canone jus istud dici potest potius quam institutum; si fides adhibenda narrationi Fortunati Pictaviensis & Gregorii Turonensis, qui Reges Francorum hac potestate usos diserte testantur ante annum quingentesimum quadragesimum nonum. Ille quidem in vita sancti Medardi an. DXX. *Peractis*, inquit, *non sine multo fletu Episcopi sui exequiis, Regis & optimatum assensu sanctissimum sacerdotem Medardum plebs omnis illa Veromandensis & omnes ejusdem provinciæ adjacentes Episcopum sibi unanimiter acclamabant consecrari.* Gregorius vero, in vita patrum cap. XVII. de Nicetio ait, a Rege Theodorico accersitum anno DXXVI. ut Trevericæ urbis Episcopus ordinaretur. *Dato autem consensu populi, & decreto Regis*, inquit, *ad ordinandum adducebatur.*

VI. Si quis inquirere velit penitius, an ipsi Reges auctores fuerint hujusce consuetudinis, aut eam aliunde hauserint, dici potest Romanorum Principum exempla præcessisse: qui quidem non passim & in omnibus Ecclesiis, sed in Constantinopolitana præcipue, aliisque insignioribus aliquando, ad vitandam tumultuum occasionem, electionum summam ad se revocarunt. Quod autem fit aliquando, id ob causas speciales trahi non debet in consequentiam, nec vim legis aut juris quæsiti obtinere. Eo consilio, varias in partes distractis Episcoporum studiis, Theodosius senior, ut tranquillitati Ecclesiæ Constantinopolitanæ consuleret, quam perturbaverant Gregorii & Maximi ordinationes, Nectarium elegit; ita tamen, ut synodi Constantinopolitanæ & plebis consensus statim accederet, teste Sozomeno lib. VII. c. VIII. & Socrate lib. V. cap. VIII. Eandem ob causam διὰ τοὺς κενοσπουδαστάς (ut loquitur Socrates lib. VIII. c. XXIX.) post Sisinnii obitum Nestorium ex Antiochia a se accitum Theodosius secundus, malis licet auspiciis, ad sedem Constantinopolitanam evexit. Idem quoque Princeps, post obitum Maximiani Constantinopolitani, antequam corpus illius sepulturæ daretur, mandavit Episcopis præsentibus, ut Proclum constituerent; ἐνθρονίσαι τὸν Πρόκλον ἐπέτρεψεν, inquit Socrates lib. VII. cap. XXXIX. Sed facti hujus rationem subjungit, ne rursus de electione, ut nuper acciderat, seditiones excitatæ Ecclesiam illam concuterent: ἵνα μὴ πάλιν περὶ ἐκλογῆς ἐπισκόπου ζήτησις ᾖ, καὶ ταραχὴ τῇ Ἐκκλησίᾳ κινήσηται.

Vide supra lib. 5. cap. 21.

VII. Religiosius se gessit Arcadius Imperator, qui per Nectarii obitum vacanti Ecclesiæ Constantinopolitanæ, cum clerus ac populus Joannem Chrysostomum, licet ab ea extraneum, utpote Antiochiæ Presbyterum, præfici postularet, eorum desideriis con-

consensit, teste Sozomeno: ψηφισαμένων δὲ τοῦτο τοῦ λαοῦ καὶ τοῦ κλήρου, καὶ ὁ βασιλεὺς συνῄνει, καὶ τοὺς ἄξοντας αὐτὸν πέπομφε: *Cum populus ac clerus hoc censerent, Imperator consensit, misitque, qui eum adducerent.* Ubi est manifestum regii assensus exemplum dati post electionem cleri ac populi.

VIII. Aliquando autem conjungebantur duo illi actus, & eodem tempore desiderium Principis & Ecclesiæ ad electionem agendam concurrebat. Cujus quidem consensionis mutuæ duo supersunt exempla clarissima. Primi testimonium locuples habetur inter epistolas Hormisdæ Papæ; ad quem Epiphanius Constantinopolitanus scribit de electione sua anno DXX. his verbis: *Post obitum Joannis sedem sacerdotalem sanctæ Ecclesiæ catholicæ regiæ urbis Deus mihi conferre dignatus est, sententia & electione Christianissimi & justissimi Principis nostri Justini & piissimæ Reginæ, quæ ei ad omne studium communicat divinum, sequentiumque eorum, his, quibus bona est conversatio, & qui regiis honoribus sunt sublimiores, simul & sacerdotum, & monachorum, & fidelissimæ plebis consensus accessit.*

Alterum exemplum suppeditat epistola Agapeti Papæ ad Hierosolymorum Episcopum, qui ait, post depositionem Anthimi consecratum a se Menam in sede Constantinopolitana. *Cui simul atque serenissimorum Imperatorum*, inquit, *præter ceteros electio favit, tanta omnis cleri ac populi consensio facta est, ut merito ab omnibus electus visus fuerit:* ᾧτινι καὶ παρὰ τοὺς λοιποὺς τῶν γαληνοτάτων βασιλέων ἐπεγέλασεν ἡ ἐκλογὴ, ὅμως τοσαύτη τοῦ τε κλήρου παντὸς καὶ τοῦ δήμου συνῴδησις προσεγένετο, ὥστε παρ' ἑκάστου ἐκλεγῆναι πιστεύεσθαι. — Act. 1. Concilii CP. sub Mena.

IX. Sed nihil est, quod Gallicanorum Episcoporum animos ad sanciendam Regibus auctoritatem de expectando in electionibus eorum assensu vehementius inclinare potuerit quam Romanæ Ecclesiæ exemplum. Pulsis enim per Narsetem ex Italia Gotthis, cum Roma vetus iterum imperio adjuncta fuisset temporibus Vigilii, ejusque, ut putatur, conniventia, constitutum fuit a Justiniano, qui exemplum in eo sequebatur Theodorici Italiæ Regis, ut electus a clero non ante ab Episcopis ordinari posset, quam ejus electio ab Imperatore Constantinopolitano confirmata fuisset, ut docet Onuphrius Panvinius. Unde postea Gregorius magnus, ut se onere regendæ Ecclesiæ liberaret, scripta epistola ab Imperatore Mauricio petivit, ne electioni assentiretur, quod observavit ante Joannem Diaconum & Aimoinum Gregorius Turonensis: *Scripserat Mauricio Imperatori, conjurans, ne unquam consensum præstaret populis.* Mox: *Data præceptione ipsum jussit institui.*

Vide Baluzii Notas ad Agobard. pag. 122.

Joan. Diac. lib. 1. cap. 39. & 40. Aimoinus lib. 3. cap. 74. Gregor. Tur. lib. 10. cap. 1.

X. Constantinus quidem Pogonatus, post Concilium sextum, indulsit petitionibus Joannis Episcopi Portuensis, ut libera esset Ecclesia Romana a solutione quantitatis, quæ solvenda erat pro confirmatione Pontificis Romani. Sed confirmationis necessitas tunc non est sublata. Quin potius additum fuit illi divali jussioni, teste Anastasio, *quod non debeat ordinari, qui electus fuerit, nisi prius decretum generale introducatur in regiam urbem secundum antiquam consuetudinem, & cum eorum conscientia & jussione debeat ordinatio provenire.* Idem Princeps postea concessit, Benedicto secundo petente, ut absque mora post electionem fieret ordinatio Pontificis. Quod locum habuit in electione Joannis quinti. Sed successoris Canonis electio missa fuit ad Theodorum Exarchum, *ut mos est*, inquit Anastasius. Unde inferri potest, liberatos fuisse Romanos ab onere mittendi decreti Constantinopolim, sed obnoxios fuisse Exarchorum examini, donec ipsi tandem Exarchi defecere.

XI. Sane Reges Francorum jure illo usi sint cum bona Episcoporum & populi gratia. Editus fuerat Aurelianensis ille canon anno quingentesimo quadragesimo nono. Anno sequenti Nicetius *pleno Regis & populi suffragio Episcopus Lugdunensis ordinatus est*, ut loquitur Gregorius Turonensis in vita patrum capite octavo. Quam vero rationem sequerentur in eliciendo Regis consensu, docet formula septima apud Marculfum. Fiebat decretum electionis a clero & a populo, eligentium manibus subscriptum, quod per legatos mittebatur ad Regem a corpore civitatis; quod a Marculfo *commune* vocatur, ut apud Jurisconsultos τὸ κοινόν. Adjungebant libellum supplicem, cujus verba concepta referuntur in formula: *Ne destitutæ sint oves decedente pastore, in loco ejusdem suppliciter postulamus, ut instituere dignemini illustrem virum illum.* Decretum illud consensus civium vocabatur; cujus plerumque rationem habebant Principes, ut patet ex Gregorio Turonensi lib. III. c. II. de Quintiano a Gotthis dejecto a civitate Ruthena, dein ab Arvernis electo an. DXXVI. quem jussit Rex Theodoricus inibi constitui. Ait idem auctor lib. IV. cap. XV. *Turonici audientes, regressum fuisse Regem Clotarium de cæde Saxonum, facto consensu in Euphronium Presbyterum, ad eum pergunt.* Mox: *Et data præceptione Euphronius ordinatur Episcopus.* Hujus præcepti formula habetur apud Sirmondum in appendice tomi secundi Conciliorum; ubi hæc sunt verba: *Cum consilio & voluntate Pontificum procerumque nostrorum, juxta voluntatem & consensum cleri & plebium ipsius civitatis, in supradicta urbe pontificalem in Dei nomine vobis commisimus dignitatem.*

XII. Sed aliquando electum a populo Principes respuebant; ut patet ex Gregorio Turonensi lib. VIII. cap. XXIII. de Valdone, qui Episcopatum Burdegalensem petebat: *Cum muneribus & consensu civium ad Regem properat; sed nihil obtinuit. Tunc Rex data præceptione jussit Gundegisilum Santonicum Comitem, cognomento Dodonem, episcopum ordinari, gestumque est ita.*

XIII. Quare cum pro innata rerum humanarum conditione supremæ auctoritatis arbitrium suis limitibus difficillime contineri possit, Reges aliquando assensum vertebant in merum imperium, & sublata a clero & a populo electionum libertate, rescriptis suis episcopatus concedebant, etiam invitis & repugnantibus populis, adversus decreta sedis apostolicæ. Si gratum & acceptum clero & plebi designarent, ut fecerat de Mena Justinianus, inversus quidem erat canonicus ordo, sed non eversus. Quare nullus desiderio Principis refragabatur. Ejus ordinis exemplum insigne apud Gregorium Turonensem lib. VI. c. XXXIX. de Sulpitio, quem reliquis competitoribus Rex Guntramnus prætulit: *Sulpitius in ipsa urbe Biturigum ad sacerdotium Guntramno Rege favente præeligitur. Nam cum multi munera offerrent, hæc Rex episcopatum quærentibus respondisse fertur: Non est principatus nostri consuetudo sacerdotium venumdare sub pretio, sed nec vestrum cum præmiis comparare; ne & nos turpis lucri infamia notemur, & vos mago Simoni comparemini. Sed juxta Dei præscientiam Sulpitius vobis erit Episcopus.* Ex eodem auctore didicimus Ruthenensem episcopatum vacantem obitu Dalmatii, (qui Regem tabulis testamenti adjurabat, ne personam ab ea Ecclesia extraneam præficeret,) cum multi eum sibi conferri peterent, Theodosio Archidiacono illius Ecclesiæ a Rege donatum post relectum Dalmatii testamentum *in præsentia Childeberti Regis ac procerum ejus.* Quando Turonicæ urbis cives ad Catonem Presbyterum Ecclesiæ Arvernæ accesserunt, ut ejus consensum poscerent pro Turonensi episcopatu, ille tumido animo hanc gratiam respuit. Cui cives dixerunt: *Non enim te nostra voluntate expetivimus, sed Regis præceptione.* Quare cum postea a Turonicis peteretur Euphronius, respondit Rex: *Præceperam, ut Cato Presbyter illic ordinaretur. Et cur est spreta jussio nostra? Responderunt ei; Petivimus eum, sed noluit venire.*

Gregor. Tur. lib. 5. c. 47.

Idem lib. 4. cap. 11.

Ibid. cap. 15.

Enimvero intra modum illum Principes, petitorum molestiis oppressi, sese non continebant; sed a se solis electum ab aliis ordinari præcipiebant, quam a Metropolitano proprio & a provin-

giæ Episcopis, quod erat canonibus Nicænis & Romanorum Pontificum decretis & canonibus Gallicanis omnino contrarium. Quod acciderat in Cautino jussu Regis Theodebaldi ad Arvernæ civitatis episcopatum electo & a convocatis sacerdotibus apud Metensem civitatem ordinato, ut testis est Gregorius Turonensis lib. IV. cap. VII. Ideo Concilium Parisiense tertium anno DLVII. can. VIII. cavit, ut libera relinqueretur electio, nec Principis imperio violaretur; vetitis etiam provincialibus Episcopis, ne per regiam ordinationem electum & ab aliis ordinatum admitterent. *Nullus*, inquit, *civibus invitis ordinetur Episcopus, nisi quem populi & clericorum electio plenissima quæsierit voluntate; non Principis imperio, neque per quamlibet conditionem, contra metropolis voluntatem vel Episcoporum provincialium ingeratur. Quod si per ordinationem regiam honoris istius culmen pervadere aliquis nimia temeritate præsumpserit, a comprovincialibus loci ipsius Episcopus recipi nullatenus mereatur, quem indebite ordinatum agnoscunt.* De anteactis autem ordinationibus Metropolitanus jubetur decernere cum Episcopis provincialibus, juxta antiqua statuta canonum.

§ XIV. Attamen hujus constitutionis rationem non habuit Rex Clotarius, qui Emerium Ecclesiæ Santonicæ præfecit; cavitque decreto suo, *ut absque Metropolitani consilio benediceretur, qui non erat præsens*, scilicet in comitatu, teste Gregorio Turonensi lib. IV. cap. XXVI. qui hæc addit; *Apud urbem Santonicam Leontius Burdegalensis, congregatis provinciæ suæ Episcopis, Emerium ab episcopatu depulit, asserens, non canonice fuisse hoc honore donatum.* Ceterum Episcopi Heraclium Presbyterum Burdegalensem elegere, *consensumque suum* ad Regem *direxerunt*, ut ejus judicio *probaretur*. Nitebatur Leontius auctoritate Concilii Parisiensis, quod ordinationum adversus canones actarum discussionem & judicium synodo provinciæ commiserat. Verum Rex Charibertus, injuriam sibi fieri causatus, quod se inconsulto Episcopum a patre suo Clotario delectum & admissum expulisset, Emerium sedi suæ restituit & ab Episcopis mulctam exegit anno circiter quingentesimo sexagesimo tertio.

XV. Postea varie se habuit negotium istud electionum; quæ, præmissa cleri & populi electione, & decreto regio subsecuto, fiebant; ut docent promotiones circiter annum sexcentesimum factæ Bertharii ad Ecclesiam Carnotensem, Gaugerici ad Cameracensem, Licinii ad Andegavensem, & Lupi ad Senonensem, ut patet ex auctoribus, qui vitas illorum scripsere. Quandoque vero electiones fiebant ex mero Principis imperio. Hanc labem canonum reficere conabatur Concilium Parisiense quintum, habitum anno DCXV. die XV. Kal. Novembris. Quippe canone primo aliquid ex antiquo jure repetivit, ut pondus aliquod adderet electionibus, quas fieri constituit a Metropolitano, cum consensu cleri atque civium, & ab eodem ordinationem fieri cum Episcopis provinciæ; vetatque, ne quis per potestatem subrepat. Eadem illa die Rex Clotarius condidit edictum generale, habito Pontificum & optimatum consilio, qui huic synodo intererant, pro confirmatione Canonum: *Quicunque hanc deliberationem, quam cum Pontificibus vel tam magnis viris optimatibus aut fidelibus nostris in synodali Concilio instituimus, temerare præsumpserit &c.*

Itaque refert magnopere, ut sciatur, quid de primo illo canone constituerit. Ac primo quidem Metropolitano ac provincialibus ordinationem reliquit; secundo, clero ac populo electionem; tertio, Principi approbationem electi. Quæ quidem juxta canonis Aurelianensis præscriptum recte decrevit; nec interim probavit jus illud ex vetere novum, quod Metropolitano electionem tribuebat cum consensu cleri ac populi. Sed quod ultimum adjecit, canonicæ libertati ut detrahebat, ita majestatis regiæ dignitatem augebat permaxime;

Quippe regiam electionem, quæ sola consuetudine nitebatur, jure constituto munivit ex Pontificum & procerum assensu. Quare cum Episcopi duplicem personam sustinerent, soli in synodis canones vetustos sequi se profitebantur, eosque renovabant; sed in Principis Consistorio οἰκονομικῶς, sive per dispensationem, regiæ voluntati non reluctabantur, in iis scilicet, quæ fidei contraria non essent, licet adversa exactæ canonum observationi reperirentur; quamvis interim Reges officii sui admonerent, ne jus derelictum videretur; exemplo Gregorii magni, qui similem regulam sequebatur in variis negotiis, ut ejus epistolæ docent. Hæc sunt edicti verba: *Definitionis nostræ est, ut canonum statuta in omnibus conserventur, & quod per tempora ex hoc prætermissum est, vel dehinc perpetualiter observetur; ita ut Episcopo decedente, in loco ipsius, qui a Metropolitano ordinari debet cum provincialibus, a clero & populo eligatur; & si persona condigna fuerit, per ordinationem Principis ordinetur. Vel certe si de palatio eligitur, per meritum personæ & doctrinæ ordinetur.* Clausulæ ultimæ sententia hæc est, ab electione cleri & populi excipi viros eximios, qui in palatinis obsequiis, lateri Principis adhærentes, hanc gratiam promeriti essent, ut ex Lupo Ferrariensi & aliis testimoniis inferius probabimus. Quamvis intra hos limites non continuerit sese regia potestas.

XVI. Qua vero ratione solerent electiones in palatio, seu decreta regia, docent præceptum de episcopatu & indiculus apud Marculfum formula quinta & sexta. Ecclesia quippe vacante, qui præficiendus est Episcopus, non solius Regis arbitrio designatur, sed eligitur in palatio ab Episcopis & proceribus, qui lateri Principis adsident, ac si cleri & populi vices in se suscepissent. Decretum vero Principis ad Metropolitanum dirigitur, ut eum una cum Episcopis provinciæ ordinet, prævio scilicet examine canonico. Hoc ultimum conservat ordinem canonum in articulo necessario consecrationis. Electio vero, quæ tunc nullum jus electo acquirebat, supplebatur per Episcopos & proceres palatinos; decretumque regium erat vice nominationis hodiernæ, ad proprium Metropolitanum directum.

Subjiciemus verba formulæ sextæ, quæ brevior est quinta: *Domino sancto, sedis apostolicæ dignitate colendo in Christo patri illi Episcopo ille Rex. Credimus, jam ad vestram reverentiam pervenisse, sanctæ recordationis urbis illius antistitem evocatione divina de præsentis seculi luce migrasse. De cujus successore sollicitudine integra cum Pontificibus vel primatibus populi nostri pertractantes decrevimus; illustri viro illi, aut venerabili viro illi, ad præfatam urbem pontificalem regulariter Christo auspice committere dignitatem. Et ideo salutationum jura digno debita honore solventes petimus, ut cum ad vos pervenerit, ipsum, ut ordo postulat, benedici vestra sanctitas non moretur, & junctis vobis cum vestris provincialibus, ipsum in supra scripta urbe consecrare Christo auspice debeatis. Agat ergo almitas vestra, ut & nostræ voluntatem devotionis incunctanter debeatis implere, & tam vos quam ipse pro stabilitate regni nostri jugi invigilatione plenius exoretis.* Ex hujus formulæ verbis addiscimus, quam Reges adhibebant observantiam erga Episcopos in rescriptis suis, de qua nudiustertius disputatum fuit, quique esset in regio consistorio consessus ordo inter Episcopos & proceres, ut loquitur formula quinta, sive *primates populi nostri*, ut loquitur sexta. Demum ostenditur, persuasisse sibi palatinos, regiam illam designationem fieri *regulariter*, id est, juxta regulas canonicas; quoniam electio fiebat in palatio ab Episcopis & a primatibus populi, & de persona, quæ per canones promoveri poterat.

Sed illud perpetuum non fuit, ut in palatio prima fieret electio. Sæpe cleri & populi deside-

ria

ria expectata sunt, quæ assensu regio perficiebantur. Sic Austregisibus obtinuit anno DCXXI. Ecclesiam Bituricensem, *omnium unanimi consensu, Rege quoque annuente*, teste auctore vitæ illius. Eadem ratione Arnulfus episcopatum Metensem adeptus est anno sexcentesimo vigesimo tertio. Sic Audomarus *a Dagoberto Rege & ab omni populo electus est* ad Tarvanensem Ecclesiam. Et populi voto, ac Regis consensu, Sulpitius consecutus est Ecclesiam Bituricensem circiter annum sexcentesimum trigesimum.

XVII. Attamen quoniam in palatio quoque, spreta cleri & populi electione, episcopatus decernebantur Regis imperio, Remense Concilium habitum anno DCXXX. duo sancivit. Alterum, ut capitula canonum Parisiensis superioris synodi, quam generalem vocat, custodiantur. Alterum, ut Clotarii Regis edictum dominicum observetur. Sed statim addunt in ultimo canone, ut electiones Episcoporum fiant universali totius populi voto & provincialium assensu, & ut indigenæ loci eligantur. Scilicet, ut antea dicebamus, testantur de servandis canonibus; ut ne illis nocere posset aliquando, quod ex jure sibi reservato Reges electiones quandoque agebant in palatio. Eadem mente Concilium Cabilonense, habitum anno DCL. decrevit canone decimo a comprovincialibus, clero, & civibus suis electionem Episcopi faciendam. Ut antiquissima illa forma synodi Nicænæ exacte restitueretur, non soli Metropolitano, ut constitutum in synodo Parisiensi, sed etiam provincialibus Episcopis cum clero & populo electionem tribuit, ut fecerat Remense Concilium. Sane Conciliorum repetita sollicitudo non fuit omnino inutilis. Conjunctis enim cleri & populi studiis cum Regis desiderio, digni sacerdotio viri eligebantur. Sic in Modoaldo Treverensi Ecclesiæ præficiendo *Rex & Dux ille æquissimus Pipinus, aliique optimates, clerus & populus concurrisse* dicuntur in Modoaldi vita. Eligium Noviomensis Ecclesia & Audoenum Rotomagensis eodem electionis genere acceperunt anno sexcentesimo quadragesimo sexto. De Audoeno hæc verba usurpat auctor illius vitæ: *Illum enim solum ea sede dignum, tam Rex, quam proceres, itemque clerus & populus testabantur*. Nec omittendus insignis locus, qui legitur in vita Theodardi: in quo juxta Cabilonensis Concilii decretum, Episcoporum provincialium electio cum Regis electione conjungitur, non omisso cleri & populi consensu: *Pari consensu Ecclesiæ & palatii, & unanimi applausu cleri & populi, Theodardus electus, & a Cuniberto Episcopo in Episcopum consecratus, præsedit Ecclesiæ Trajectensi*, scilicet anno sexcentesimo quinquagesimo quarto. De Farone in episcopatum Meldensem promovendo circiter annum DCLV. hæc habentur in ejus vita: *A viris religiosissimis hujus provinciæ missa est suggestio de eo ad Regem Clotarium, ut suo assensu præberet constituendum Pontificem in populo. Qui gratulatione digna ex hoc valde placidus, non solum consensioni animum inclinavit, sed etiam fieri sine scrupulositate ulla adjudicavit*. Consensum scilicet civium præcepto dato firmavit.

XVIII. Quandoque vero contentionum subortarum occasione Reges, necessario veluti remedio, ad Ecclesiæ quietem electione sua palatina utebantur. Quod probatur diserte ex auctore antiquo vitæ sancti Leodegarii. *Incubuit*, inquit, *causa necessitatis, ut in Augustodunensi urbe Leodegarium ordinare deberent Episcopum. Siquidem nuper inter duos contentio de eodem episcopatu exorta fuerat, & usque ad sanguinis effusionem certatum. Cumque unus ibidem occubuisset in morte, & alter pro perpetrato scelere datus fuisset in exilii trusionem, tunc Bathildis Regina, quæ cum Clothario filio Francorum regebat palatium, divino, ut credimus, inspirata consilio, ad memoratam urbem hunc direxit virum, ut ibidem esset Episcopus*. Circa idem tempus, id est, anno sexcentesimo sexagesimo quarto, *optimates & rectores palatii* consilium dederunt Childerico Regi, ut Landebertum præficeret Ecclesiæ Trajectensi: *cui Regis imperio plebs omnis consensit*, inquit auctor vitæ. Id tamen non impediebat, quin alibi eodem anno libera electio ab Episcopis & populis facta locum haberet ante Regis assensum, ut patet ex auctore vitæ Amati: *Senecio Senonensium Episcopo e vita subtracto, ab Episcopis & populis sanctus Amatus eligitur*. Præjectus urbis Arvernæ fit Episcopus *decreto Regis populi petitionibus annuente* anno sexcentesimo septuagesimo. Defuncto Audoeno anno DCLXXVI. *cuncti Rothomagensis urbis cives missa petitione ad Theodoricum Regem, cum ejus permissu & auctoritate beatum Ansbertum sibi elegerunt consecrari antistitem*. Mox: *Tunc eligentibus civibus præfatæ urbis metropoleos, cum unanimi voto sanctorum sacerdotum, Regis & Principum eligitur, trahitur, atque in palatio a sancto Lamberto Episcopo sedis Lugdunensis aliisque sanctis præsulibus, qui ad hoc placitum convenerant, in Pontificem consecratur Ecclesiæ Rothomagensis*. Hæc omnia gesta sunt juxta præscriptum Concilii Aurelianensis. Sed Lamberti illius Lugdunensis electio facta fuerat paucis annis antea juxta edictum Clotarii Regis, ut colligitur ex eodem auctore vitæ Ansberti: *Defuncto sancto Genesio ejusdem urbis Lugdunensis præsule, illico pius Rex Theodoricus & inclytus Princeps Pipinus cum proceribus palatii salubre agentes consilium, divina utique providente jussione, in præfata urbe cum unanimi ejusdem regionis populi voto Lansbertum constituerunt antistitem*.

Rursus libertas electionis conceditur anno DCLXXX. Ecclesiæ Ambianensi. *Audiens*, inquit auctor vitæ Salvii, *Theodoricus Rex Francorum sanctum Honoratum migrasse Episcopum a seculo, legatos suos direxit ad urbem Ambianicam, sanctum scilicet Autgarium Noviomensis Ecclesiæ, Pontificem, ei intimans, ut urbani dignum Deo sibique salutiferum eligerent Episcopum*.

CAPUT X.

De praxi antiqua Hispanica circa electiones Episcoporum cum Regis consensu.

SYNOPSIS.

I. In Hispaniis quoque Regis assensus adhibebatur in electionibus Episcoporum jam inde a temporibus Recaredi Regis. Duorum aut trium designatio fiebat, ex constitutione Concilii Barcinonensis in Hispania Tarraconensi. Quod petitum ex suspicacibus gentis illius animis.

II. Synodus Toletana quarta canonicum electionum ordinem diserte restituit. Sed non exclusit aperte interventionem regiam. Quod probatur variis argumentis ex illa antiquitate.

III. Illum usum apud Hispanos ex Gallia propagatum fuisse vero simile est.

IV. Reges Hispani indulgentiam Concilii verterunt in merum imperium, & plenum jus electionum statim ad se traxerunt. Probatur ex canone sexto Concilii duodecimi Toletani, qui explicatur.

V. Garsias Loaisa notatus, qui sensum istius canonis in diversum trahit. Hallucinationis hujus viri origo indicatur.

Additio) *Duodecimo seculo illud tantum invaluerat in Hispania citeriori, ut electio Episcopi celebrari non posset absque consilio & assensu Regis. Sed id quoque sustulit Petrus primus Rex Ara-*

Aragonum. Jussit tamen, ut postquam electio facta fuerit, electus Regi præsentetur in signum regiæ fidelitatis. Quod ab Innocentio tertio confirmatum est.

I. ANtequam ad ulteriora progrediamur, non alienum erit ab instituto, de consuetudine, quæ invaluerat in Hispaniis post receptam a Recaredo Rege catholicam fidem, paucis disserere. Eam nobis insinuat canon tertius Concilii, habiti anno Recaredi XIV. & Christi DXCIX. ab Episcopis Tarraconensis provinciæ, in urbe Barcinonensi, in Ecclesia sanctæ Crucis: quæ quidem ab usu Regum nostrorum non abhorrebat. Permittebatur scilicet, juxta canones, electio libera clero & plebi, & judicium integrum Metropolitano & coepiscopis. Attamen regius quoque assensus intercedebat, qui designatur in canone illo per *sacra regalia*, id est, sacras literas regias; quarum rationem haberi prohibet, si laicos, omisso tempore a canonibus præstituto, ad episcopatum statim provehi mandent; etiamsi *consensio cleri ac plebis* & Pontificum *electio assensioque* accesserit. Quod in eo canone subjungitur de duorum aut trium designatione, *quos consensus cleri & plebis elegerit*, non est petitum ex lege Justiniani, qua Hispani non tenebantur, sed ex prudentia Episcoporum ingenio provincialium accommodata, quæ trium eligendorum formam desiderabat. Ex Leonis primi præscripto a Metropolitano is aliis præferendus erat, qui majoribus juvaretur meritis & studiis, Sed huic Concilio placuit, ut negotium sorti committeretur, quod tantum ad provinciam Tarraconensem pertinet. *Ita tamen, ut duobus aut tribus, quos ante consensus cleri & plebis elegerit, Metropolitani judicio ejusque coepiscopis præsentatis, quem sors, præeunte Episcoporum jejunio, Christo Domino terminante monstraverit, benedictio consecrationis adcumulet*. Ea est provinciæ illius indoles, etiamnum hodie, ut suspecta habeant hominum judicia; ideoque magistratuum municipalium electiones non ordinis aut plebis judicio, sed sorti committere solent. Quod institutum quoque fuit ad tollendas, quæ ex repulsa oriri solebant, graves inimicitias apud homines injuriarum impatientes.

II. Ceterum synodus Toletana quarta a Sisenando Rege ex omnibus Hispaniarum provinciis congregata anno DCXXXIII, disertis verbis canonicum ordinem in Episcoporum electionibus restituit can. XIX. *Sed nec ille deinceps sacerdos erit, quem nec clerus nec populus propriæ civitatis elegerit, vel auctoritas Metropolitani vel comprovincialium sacerdotum assensio exquisivit*. Quibus verbis non excluditur aperte regiæ voluntatis interventio; per quam præficiebantur sedibus episcopalibus illi, quos auctoritate sua Rex foveret, ut patet ex Braulionis Cæsaraugustani epistola ad Isidorum Hispalensem, qua eum rogat, ut suggerat Regi, quatenus metropolitanæ Tarraconensi Ecclesiæ *illum præficiat, cujus doctrina sanctitas ceteris sit vitæ forma*. Isidorus respondet, Regi *manere incertum, ubi certius convertat animum*. Quæ testimonia citat Loaisa in Notis ad Concilium Toletanum duodecimum. Quibus addi potest illustris locus Juliani Toletani in expeditione Wambæ Regis. Loquens enim de Ranimiro contra jus in episcopatum Nemausensem evecto ait: *In cujus electione nullus ordo attenditur, nulla Principis vel Metropolitani definitio præstolatur*.

III. Illum usum apud Hispanos ex Gallia propagatum credere par est. Quippe cum Hispanicæ Ecclesiæ illa tempestate uterentur codice canonum, qui, præter veteres, continebat etiam Gallicanos, (ut patet ex antiqua collectione, quam propediem in lucem daturi sumus cum aliis veteribus collectionibus tum Græcis tum Latinis) faciles fuerunt Hispani in admittendo assensu regio, qui decretus erat in Concilio Aurelianensi.

IV. Sed statim Concilii indulgentiam verterunt in merum imperium, & ad se jus electionum plenum Reges Hispaniarum traxerunt. Quod discimus ex canone sexto Concilii Toletani duodecimi, habiti anno primo Ervigii Regis, id est, anno sexcentesimo octuagesimo primo, quo canone confirmatur usus ille electionum a Regibus usurpatus; non autem de novo instituitur; ut quidam sibi persuaserunt. Illud unum novum decernitur, quod dignitatem Episcopi Toletani augebat, & faciliorem præstabat regiæ electionis executionem, scilicet, ut electus a Rege judicioque Toletani Episcopi probatus, ab eo ordinaretur, ea lege, ut intra trium mensium spatium a die ordinationis suæ Metropolitano suo se consecratus sisteret, ab eoque monita pro regenda diœcesi opportuna susciperet. Is autem ordo antea servabatur, ut Rex non prius successorem deligeret, quam de obitu decessoris certior factus esset & consultus de persona præficiendi; consultus scilicet a clero & plebe, & a Metropolitano & coepiscopis, qui consensionem suam mittentes, regium decretum pro electo suis suffragiis, aut pro alio ex Regis arbitrio, expectabant. Hæc omnia, quæ non poterant brevi temporis spatio expediri, molestiam creabant Episcopis provincialibus, quorum vota vel admittere vel spernere penes Regem erat, ideoque fere inutilis erat eorum æque ac cleri plebisque consensio. Regis dignitas & potestas erat in suspenso, Ecclesiarum interim vacatio contra canones protrahebatur. Ideo maluerunt Episcopi omnia permittere Regis electioni & judicio Toletani Episcopi. Hic est sensus Concilii, cujus verba retulit Gratianus dist. LXIII. *Dum longe lateque diffuso tractu terrarum, commeantium impeditur celeritas nuntiorum, quo non queat Regis auditibus decedentis præsulis transitus innotesci, aut de successore morientis Episcopi libera Principis electio præstolari, nascitur semper & nostro ordini de relatione talium difficultas, & regiæ potestati, dum consultum nostrum pro subrogandis Pontificibus sustinet, injuriosa necessitas*. Fatentur Episcopi, liberam fuisse Principis electionem ante hunc canonem, sed suspensam, donec consultatio seu relatio missa fuisset e provincia a Metropolitano & Episcopis.

Vide Baluzii præfationem ad appendicem libri Marca de Primatibus.

V. Fallitur vir eruditus Garsias Loaisa in Notis ad hunc canonem, in eo, quod existimat, Regem ante Concilium Toletanum electionem suam ad Concilium generale Hispaniæ retulisse, Concilium autem inquisivisse, an nominatus dignus esset eo munere, & postea nominatum confirmasse. Hallucinationis occasio sumpta ex Concilio Toletano XVI. quod laudat; in quo agitur de Felice Spalensi Episcopo, quem Egica ad Toletanum episcopatum elegerat, eique ejus Ecclesiæ curam interim commiserat, reservans eam translationem decreto Concilii generalis firmandam. Quare Concilium cum consensu cleri ac populi Toletani Felicem de Spalensi sede in Toletanam se *canonice transducere* declarat canone duodecimo. Translatio non poterat juxta canones decerni a Rege, sed a synodo generali: cujus auctoritati eam Egica recte permisit, & præterea translationem Bracarensi ad Hispalensem sedem, & Portucalensi ad Bracarensem, quas Concilium hoc eodem canone decernit. Quod non debuit trahi in consequentiam pro electionibus omnibus. Id autem ex alio capite perspicere poterat Loaisa, quod temporibus Concilii duodecimi, immutata electionum forma, omnia ad merum Regis arbitrium relata erant. Quomodo ergo poterat usum antiquiorem illo Concilio duodecimo interpretari ex usu Concilii decimi sexti, anno DCXCIII. habiti, quod erat posterius duodecimo annis tredecim?

ADDI-

ADDITIO STEPHANI BALUZII.

AT pia posteritas multum remisit de hac severitate. Quippe duodecimo seculo illud tantum in Hispania Tarraconensi invaluerat, ut post Episcopi obitum alius eligi non posset absque consilio & assensu Regis. Parum id conducere ecclesiasticæ libertati censuit Petrus Rex Arragonum. Itaque post peractam Romæ coronationem suam ab Innocentio III. anno MCCVI. æterna lege sancivit, ut deinceps libera esset Episcoporum electio, *assensu regio minime requisito*, id est, inexpectata etiam eligendi licentia, nam antea id quoque obtinebat. Ne tamen prorsus abjiceret jus illud regium, edicit, ut, postquam electio facta fuerit, electus Regi præsentetur *in signum regiæ fidelitatis*. Quod adeo gratum fuit Innocentio Pontifici, ut hoc Petri Regis edictum confirmaverit literis, datis ad Episcopos in regno Arragonensi constitutos, quæ extant in archivo monasterii Rivipullensis in diœcesi Ausonensi & in regesto ejusdem Innocentii.

Innocentius Episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus Archiepiscopis & Episcopis & aliis Ecclesiarum Prælatis & universis clericis in regno Arragonensi constitutis salutem & apostolicam benedictionem. Solet annuere sedes apostolica piis votis & honestis petentium desideriis favorem benivolum impertiri. In literis siquidem carissimi in Christo filii nostri Petri illustris Regis Arragonum sic de verbo ad verbum perspeximus contineri: Petrus Dei gratia Rex Arragonum, Comes Barchinonensis, & dominus Montis pessulani venerabilibus in Christo Terrachonensi Archiepiscopo & universis Episcopis, Abbatibus, ceterisque Ecclesiarum Prælatis, & eorum conventibus in regno & dominio nostro constitutis æternam in Domino salutem. Regi Regum, per quem Reges regnant, reverentiam debitam exhibentes, & sponsæ ejus, sanctæ videlicet Ecclesiæ, integram libertatem conservare volentes, pessimam consuetudinem a nobis hactenus observatam, qua electionem Prælatorum sine nostro consilio & assensu procedere non permittebamus, amore Dei & sanctæ Ecclesiæ & pro remedio animæ nostræ & parentum nostrorum relaxamus; vobisque & universis successoribus vestris & conventibus in omni jurisdictione nostra constitutis liberam eligendi facultatem per nos & per omnes successores nostros, assensu regio minime requisito, in perpetuum indulgemus. Hoc solum nobis & successoribus nostris reservantes, ut libere & canonice electus in signum regiæ fidelitatis nobis & successoribus nostris debeat præsentari. *NOS igitur devotionem regiam in Domino commendantes, & approbantes in hac parte statutum ipsius, illud auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Corneti III. Kal. Novembris, pontificatus nostri anno decimo.* Innocent. III. lib. 10. ep. 144.

Post Innocentii tamen pontificatum Ferdinandus Rex Castellæ contendebat, Episcopos eligi non posse absque assensu regio; ut colligitur ex epistola Honorii III. ad Episcopum Burgensem, quæ extat in quinta collectione Decretalium, titulo *de restitutione spoliatorum*.

CAPUT XI.

De ratione constituendi Episcopos sub Carolo Martello, Carlomanno & Pipino.

SYNOPSIS.

I. Carolus Martellus episcopatus pro arbitrio dabat. Lux tamen quædam electionis affulsit per illas tempestates.

II. Tum laici fruebantur episcopatibus, ob summam vivendi licentiam. Qua de re Zachariam Pontificem graviter monuit Bonifacius Archiepiscopus Moguntinus. Præcipua vero mali labes fuit Ecclesiæ Remensi, quæ per multos annos sine Episcopo fuit.

III. Sub Carlomanno, Martelli filio, instituti Episcopi Principis arbitrio, cum consilio Episcoporum & procerum. Qua de re Francis gratulatur Papa Zacharias in epistola ad eos data.

IV. Idem prorsus actum est a Pipino, Carlomanni fratre, in parte regni, quæ imperio ejus suberat, qua de re ad Zachariam retulit. Is vero lætabundus, ejus acta laudavit.

V. Lupus Ferrariensis dicere videtur, Pipinum ita egisse ex privilegio sibi indulto a Zacharia. Sed verba ejus intelligenda sunt de ratihabitione Zachariæ, non autem de mandato aliquo antecedenti. Bonifacius Moguntinus agnoscebat Principum in hoc electionum negotio auctoritatem.

VI. Pipinus, post adeptum regnum, eundem ordinem tenuit in constituendis Episcopis.

I. INeunte autem seculo octavo, cum Dux Francorum Carolus cognomento Martellus omnia bona ecclesiastica invasisset, episcopatus quoque pro arbitrio tradebat. Attamen inter densas illas tenebras electionis lux quædam affulsit in Aurelianensi civitate anno DCCXVII. quando Eucherius illi Ecclesiæ præfectus est. *Quippe omnis ejus loci plebs congregata*, inquit auctor vitæ ejus, *ad Carolum inclytum Francorum Principem legatos cum muneribus & humili prece mittit*, pro Eucherio scilicet. *Ille disponente Domino ratum habuit, quod ab eo humiliter poscebant.*

II. Piget sequentis temporis turpitudinem patefacere, quando nulla in Episcopis dignitas, nulla in Ecclesiis disciplina, sed in rerum civilium perturbatione, ecclesiastici quoque ordinis sola vigebat deploranda confusio, adeo ut laici episcopatibus fruerentur. Qua de re Zachariam Papam monuit Bonifacius his verbis anno DCCXLII. *Franci, ut seniores dicunt, plusquam per tempus octoginta annorum synodum non fecerunt, nec Archiepiscopum habuerunt, nec Ecclesiæ canonica jura alicubi fundabant vel renovabant. Modo autem maxima ex parte per civitates episcopales sedes traditæ sunt laicis ad possidendum, vel adulteratis clericis, scortatoribus, & publicanis seculariter ad perfruendum.* Hæc perniciosa dilapidatio afflixit præcipue Ecclesiam Remensem, quæ tunc & postea *per multos annos sine Episcopo fuit, & res Ecclesiæ de illo episcopatu sunt ablatæ, & per laicos divisæ, sicut & de aliis episcopatibus*, ut loquitur Hadrianus primus in privilegio dato Ecclesiæ Remensi apud Flodoardum. Addit autem Bonifacius, Carlomannum Ducem Francorum cogitare de synodo congreganda; ut, quæ collapsa est, vel potius, ut ille loquitur, calcata & dissipata religio, possit in aliquo corrigi & emendari; petitque a Zacharia ejus habendi Concilii licentiam, quam iste libentissime concessit.

III. Carlomannus vero statim Concilium coegit in Germania, præsente Bonifacio Legato Papæ: cujus acta confirmata sunt in frequentiore synodo, habita apud Liptinas anno septingentesimo quadragesimo tertio. Primo autem prioris illius synodi canone (pulsis, ut par erat, laicis ab episcopatuum possessione, imo vero & infamibus clericis, qui reditus suos faciebant,) docet Carlomannus, se *per civitates ordinasse Episcopos per consilium sacerdotum, religiosorum, & optimatum suorum, & constituisse super eos Archiepiscopum, qui est Missus sancti Petri.* Hacque ratione ecclesiastica disciplina emergere cœpit ex priori colluvie, constitutis scilicet Episcopis juxta edictum Clotarii Regis & formulas, quæ sunt apud Marculfum, id est, Principis arbitrio cum sacerdotum & procerum consilio. Qua de synodo, post missam relationem a Bonifacio, Francis gratulatur Zacharias epistola ad eos data, quæ habetur libro quinto Capitularium capite primo. At vero in epistola data ad Bonifacium ait, actam synodum *mediantibus Carlomanno & Pipino excellentissimis filiis nostris juxta nostrarum syllabarum commonitionem, peragente nostras vices tua sanctitate.*

IV. Non omisit quoque Pipinus ad eundem Pontificem referre, quæ a se de consilio Episcoporum

porum constituta erant in Concilio Suessionensi anno DCCXLIV. ubi profitetur canone secundo, se constituisse Episcopos *per consilium sacerdotum & optimatum, & super eos Archiepiscopum Abel.* At vero lætabundus hæc illi & Episcopis Zacharias rescripsit: *Gaudio magno gaudemus in Domino, addiscentes per relationem sublimissimi atque a Deo servati prædilecti filii nostri Pipini vestram omnium bonam conversationem, & quod, ut in bonis & Deo placitis dispositionibus unanimes & cooperatores estis.* Quamvis ejectus postea fuerit Abel ab episcopatu Remensi per summam injuriam, teste Hadriano in superiore privilegio.

V. Quare quod Lupus Abbas Ferrariensis epist. LXXXI. scripsit de facultate concessa Pipino a Zacharia, ut delectos a se laudabilis instituti viros Ecclesiis vacantibus Episcopos præficeret, referri debet ad ratihabitionem Zachariæ, de qua jam locuti sumus, potius quam ad mandatum aliquod antecedens, cujus nulla memoria extat inter epistolas illius Pontificis ad Gallos & ad Bonifacium datas. Hæc sunt Lupi verba: *Nam Pipinus, a quo per maximum Carolum & religiosissimum Ludovicum Imperatores duxit Rex noster originem, exposita necessitate hujus regni Zachariæ Romano Papæ, in synodo, cui martyr Bonifacius interfuit, ejus accepit consensum, ut acerbitati temporis industria sibi probatissimorum, decedentibus Episcopis, mederetur.* His verbis respexit synodum Liptinensem, cui vice Papæ Bonifacius interfuit; in qua Carlomannus suo & Pipini fratris nomine, qui Dux erat quoque ac Princeps Francorum, constituit Episcopos. Hæc quippe synodus, teste Zacharia, Pipini & Carlomanni studio acta est. Præterea, quod geri incepit in Liptinensi Concilio de constituendis Episcopis, perfecit Pipinus in Suessionensi. Quod acceptum quoque fuit summo Pontifici; qui laudabili Principum opera Episcopos præfici Ecclesiis in commodum fidelium, non autem laicos illorum reditibus frui in religionis ipsius perniciem, ut antea, perspiciebat. Sane Bonifacius agnoscebat Principum in hoc electionum negotio auctoritatem. Quippe satagens de successore sibi in Ecclesia Moguntina deligendo, cujus rei sibi gratiam fieri a Zacharia petebat, addit, hoc fieri tamen non posse, *si Princeps contrarius fuerit*, in epistola ad Zachariam data anno septingentesimo quadragesimo primo.

Vide Notas Baluzii ad Ep. 81. Lupi Ferrar. & in appendice earundem Notarum.

VI. Quam deinde formam secutus fuerit Pipinus in regnum evectus, inquirere superfluum videtur. Nec enim a semel assumpta auctoritate recessit. Quod insinuat in Concilio Vernensi anno DCCLV. canone secundo, ubi ait, se constituisse Episcopos, qui vicem Metropolitanorum agerent.

CAPUT XII.

De jure, quo usus est Carolus M. in constituendis episcopis.

SYNOPSIS.

I. Transmissam ab avis ad se potestatem exercuit Carolus Magnus. Hadrianus primus probare videtur interventionem Principis in constituendis Episcopis.

II. Carolus Magnus non renuntiavit huic juri, tametsi antiquos canones observari jusserit. Nihil interim turbarum excitatum est ob electiones Episcoporum.

III. Suspicari posset aliquis, eum neglexisse jura electionum, auctoritate synodi Romanæ fultum. Hanc synodum falsam esse scripsit Baronius. Primus omnium Sigebertus mentionem illius fecit.

IV. Referuntur duo præcipua argumenta, quibus utitur Baronius ad convincendam falsitatem hujus Concilii.

V. Tertium argumentum a Baronio allatum parvi momenti est; eique nullo negotio responderi potest.

VI. Refellitur quartum illius argumentum.

VII. Fallitur Baronius, cum existimat, vocem investituræ *nondum fuisse repertam avo Caroli Magni.*

VIII. Sextum argumentum robustum est. Petitur autem ex Romani Pontificis electione.

IX. Falsitas ejusdem synodi tribus aliis argumentis probatur, quæ sunt magni momenti.

X. Attamen licet de falsitate hujus synodi constet, impostor dici non potest Sigebertus. Laudare enim hujus rei auctorem potest Leonem octavum, sedis apostolicæ invasorem. Sed hanc auctoritatem falsi quoque arguere nititur Baronius, irrito conatu.

XI. Sigebertus epocham sive temporis consignationem addidit de suo, itemque numerum Episcoporum & Abbatum.

I. Transmissam ab avis ad se potestatem exercuit Carolus Magnus. Invasas enim a laicis possessiones episcopatus Remensis, sede illa per aliquot annos vacante, restitui curavit Tilpino, quem illi Ecclesiæ præfecerat, & ab Hadriano Pallium illi concedi postulaverat, ut patet ex privilegio superius laudato; in quo Papa probare quoque videtur Principis interventionem in constituendis Episcopis. Quippe idem Hadrianus dat in mandatis duobus Episcopis, ut discutiant Lulli Moguntini, quæ facta jam fuerat de consensu Pipini Regis, ordinationem, *adjunctis sibi Missis gloriosi ac spiritalis filii nostri Caroli Francorum Regis.*

II. Neque vero Carolus illi potestati renuntiavit, quamdiu superstes fuit, liberam electionem clericis & civibus relinquendo juxta canones hac de re editos; quorum nullam facit mentionem in solenni illo Capitulari Aquisgranensi, quod conditum fuit anno septingentesimo octuagesimo nono, & relatum est postea in librum primum Capitularium. Illa quidem constitutione renovat omnes canones, qui disciplinam episcopalis status respiciunt, adductis canonum verbis Nicæni, Antiocheni, Sardicensis & Chalcedonensis Conciliorum. Sed canones, qui de ordinationibus Episcoporum decernunt, omnino omittit. In Conciliis autem, quæ per Gallias ad restaurandam disciplinam acta sunt anno DCCCXIII. ex ejus admonitione ne vestigium quidem ullum extat querelæ pro restituendis aut conservandis electionibus, quod tamen negotium in singulis fere anterioribus synodis summa cura discutiebatur.

III. Suspicari poterit aliquis Carolum auctoritate synodi Romanæ, cujus meminit Gratianus, fultum, electionum jura neglexisse. Sed cum synodi illius veritas ab illustrissimo Cardinale Baronio vocetur in dubium, necesse est, ut nostram hac de re sententiam proferamus. Certum quidem est primum, qui ejusce synodi meminerit, fuisse Sigebertum Gemblacensem in Chronico ad annum DCCLXXII. ex quo transcripsit Gratianus dist. LXIII. Docet itaque auctor ille, Carolum ex obsidione Papiæ Romam contendisse, & Paschæ festo ibidem peracto, redivisse in castra, Papiamque cepisse, statim vero secundum iter Romam instituisse; ubi Hadrianus primus Papa, cum synodo universali CLIII. Episcoporum & Abbatum, Carolo *dedit jus eligendi Pontificem & ordinandi apostolicam sedem, dignitatem quoque patriciatus. Insuper Archiepiscopos & Episcopos per singulas provincias ab eo investituram accipere definivit. Et, ut nisi a Rege laudetur & investiatur Episcopus, a nemine consecretur. Omnesque huic decreto rebelles anathematizavit; & nisi resipiscerent, bona eorum publicari.* In Chronico Sigeberti legitur *principatus*, nullo sensu. Sed in variis MSS. & apud Gratianum e Sigeberto legitur *patriciatus*.

IV. Commentitium istud Concilium a Sigeberto confictum, ut Henrici Imperatoris partes, cui fave-

favebat, hac auctoritate muniret adversus Paschalem II. conqueritur atrocibus verbis Baronius. Imposturam autem ex eo probat, quod hujus synodi altum silentium sit apud Eginhardum & ceteros coævos annalium scriptores. Deinde quod secundum istud post Papiam captam institutum a Carolo iter confixerit Sigebertus contra apertum testimonium Eginhardi, qui, quater tantum Romam advenisse Carolum, testatur. Primus ejus adventus fuit hoc anno septingentesimo septuagesimo quarto, secundus anno septingentesimo octuagesimo, tertius anno septingentesimo octuagesimo sexto, quartus anno octingentesimo. Coincidit ergo quintus ille excogitatus a Sigeberto. Duo isthæc argumenta vim non exiguam habent; qua plane carent tertium & quartum.

V. Tertio contendit, impossibile fuisse, ut Concilium celebraretur ob temporis angustias, quæ intercedebant inter deditionem Ticini & properatum reditum in Gallias ad reprimendos Saxones; intra quod intervallum non poterant evocari Romam CLIII. Episcopi e locis longe dissitis. Sed responderi potest, numerum illum conflatum fuisse ex Episcopis & Abbatibus, qui frequentes fuerunt Romæ una cum Carolo e Gallia & Italia; a quibus subscripta fuit donatio luculenta provinciarum, quam Romanæ Ecclesiæ contulit Carolus, teste Anastasio in vita Hadriani. Si vera esset investiturarum concessio, tunc fieri potuisset ad rependendum ingens illud a Carolo collatum sedi apostolicæ beneficium. Si novam synodum ponamus cum Sigeberto, poterant facile convenire iidem illi Episcopi, qui primum adventum Caroli honestaverant. Nec enim statim ab urbe capta Italiam deseruit Carolus; qui novum regnum legibus & præsidiis firmavit, missis interea copiis adversus Saxones.

VI. Quartum argumentum ceteris præstare videtur, scilicet, confirmatum fuisse jus electionum a Carolo, nec meminisse ullius privilegii, ab Hadriano in contrarium indulti, cui derogaretur. Sed corruit omnino. Etenim electionum episcopalium libertas, quæ constituitur libro primo Capitularium, quem citat, non pertinet ad Carolum, sed ad Ludovicum ejus filium, qui constitutionis est auctor, ut postea ostendemus.

Vide Notas Baluzii ad Concilia Galliæ Narbon. pag. 33.

VII. Addit quintum argumentum, petitum a nomine *investituræ*, quam vocem illa tempestate contendit fuisse incognitam. Attamen, ut notat Lindenbrochius in Glossario ad leges antiquas, *vox illa etiam temporibus Caroli Magni usitata erat. Ut mirum sit*, inquit, *virum multæ & variæ lectionis id negare ausum*. Loquitur de Baronio. Sed ad episcopatuum concessionem significandam nondum erat instituta, ut suo loco dicetur.

VIII. Sextum argumentum robustum est: quod petitur ex Romani Pontificis electione, quæ Caroli ætate & in exordio principatus Ludovici Pii libera fuit ab interventu Principis. Non moror edictum Ludovici Pii, quod adducit, quoniam illo non excluditur necessitas consensus regii post electionem. Solo testimonio Flori Magistri nitor, cujus verba describit ad annum DCCCXIII. *In Romana Ecclesia*, inquit, *usque in præsentem diem cernimus absque interrogatione Principis, solo dispositionis* (adde *divinæ*) *judicio, & fidelium suffragio, legitime Pontifices consecrari*.

Vide Baluzii Notas ad Agobard, pag. 152.

IX. Nos vero, hujus synodi falsitatem ostendi posse, putamus tribus aliis argumentis. Primum est, quod isto decreto tribuatur Carolo patriciatus dignitas, quam tamen jure hereditario possidebat ex pactis initis inter Pipinum Regem & Stephanum Papam. Quare a Stephano quarto & antea a Paulo primo Hadriani decessoribus in literis ad eum datis dicitur Patricius Romanorum. Unde Romam accedens isto anno DCCLXXIV. fuit susceptus ab Hadriano *cum venerandis crucibus & signis, sicut mos est Exarchorum aut Patriciorum Romanorum*, ut observavit Anastasius. Secundum petitur ex testimonio Flori magistri in tractatu de electione Episcoporum, quem scripsit circa annum octingentesimum vigesimum, ubi consensum Regis consuetudine inductum docet. Incognita ergo fuit illi erudito viro hæc constitutio Hadriani & universalis synodi. Adde Lupi Ferrariensis epistolam: qui de jure Regum in electionibus stabiliendo tractans, omne robur trahit a concessione Zachariæ, ut ostensum fuit superius. Recentior erat & firmior auctoritas Hadriani & synodi universalis: quam, si extitisset unquam, Lupus non omisisset. Tertium argumentum suppeditant duæ Hadriani epistolæ, datæ ad Carolum; ex quarum altera anno DCCLXXXIV. scripta docemur, Episcoporum in regno Longobardico constitutorum ordinationes ab Hadriano factas post cleri & plebis decretum ad se missum. Ex altera anni DCCLXXXVII. addiscimus Caroli desiderium, ut Episcopi Ravennatis electio non fieret absque Missorum suorum interventu. Cui respondet Hadrianus, id nunquam factum; sed morem istum observatum etiam temporibus Pipini Regis, ut decreto cleri atque plebis ad sedem apostolicam perlato, proprium antistitem sibi consecrandum Ravennates peterent.

X. Attamen licet de vitio seu potius falsitate hujus synodi constet, nolim Sigebertum imposturæ reum facere. Etenim ille habet auctorem, quem laudet, Leonem VIII. sedis apostolicæ invasorem. Ejus constitutio, in Romana synodo edita in gratiam Ottonis primi, extat apud Gratianum & apud Theodoricum Nihemus: quam falsi quoque arguere nititur vir summus, sed nullo argumento. Quin potius vix de illius veritate dubitare licet, si rei tunc gestæ ordo consideretur. Otto Imperator Romam accessit anno DCCCLXIII. cujus adventu territus Joannes XII. Papa clam ex urbe discessit. Quid post hæc gestum fuerit, narratur apud Luitprandum lib. VI. cap. VI. *Cives vero*, inquit, *sanctum Imperatorem cum suis omnibus in urbem suscipiunt, fidelitatemque promittunt, hæc addentes & firmiter jurantes, nunquam se Papam electuros aut ordinaturos præter consensum atque electionem Domini Imperatoris Ottonis Cæsaris Augusti filiique ipsius Regis Ottonis*. Coacta dein synodo, Joannes evocatus cum huic conventui sistere se noluisset, depositus est per summam audaciam, & Leo octavus ejus loco substitutus. Cum autem Otto se recepisset Spoletum, Joannes in urbem rediit; Leone fuga sibi consulente, quem deposuit Joannes; & ipsemet paulo post infeliciter periit. Ejus loco Romani elegerunt Benedictum quintum. Sed Imperator comparato exercitu Romam repetiit. Statimque collecta synodo, Benedictus damnatur, perjurii crimine inter cetera illi exprobrato, ut testis est idem Luitprandus. *Numquid inficiari potes*, ajebat Leo Papa, *præsenti Domino Imperatori juramento promisisse, nunquam te cum ceteris Romanis Papam electurum aut ordinaturum absque illius filiique sui Ottonis Regis consensu*? Quid aliud expectandum erat post ista, quam ut Romanorum promissio, pœna Benedicti jam sancita, ipsius quoque Leonis pontificatum gerentis auctoritate in synodo confirmaretur, ut factum docent constitutionis tunc editæ verba concepta apud Gratianum. Ceterum Leo, dignitati suæ consulere volens, ostendit, nihil novum a se in Ecclesiam inferri, sed sequi se Hadriani exemplum, qui similem prærogativam Carolo contulit. *Ad exemplum*, inquit, *beati Hadriani apostolicæ sedis antistitis, qui Domino Carolo victoriosissimo Regi Francorum & Longobardorum patriciatus dignitatem & ordinationem apostolicæ sedis & investituram Episcoporum concessit*.

XI. Post Leonis octavi testimonium Sigebertus non poterat dubitare de facti veritate. Epocham sive temporis consignationem addidit de suo. Patriciatus collatio adegit illum, ut, quantum fieri posset, rem promoveret ad exordia regni Carolini. Potuis-

Potuisset ponere synodum in primo adventu Caroli. Sed Ticinum tunc obsessum erat, nondum captum. Porro juxta Leonis verba concessæ fuerant electiones Carolo Regi Francorum & Longobardorum. Quare expectandum fuit tempus adepti regni Italiæ, post deditionem Ticini & Desiderii Regis. Itaque ut omnia congruerent, commentus est secundum Caroli adventum post Papiam captam. Habitam quoque synodum ab Hadriano scripsit, ex eodem Leonis rescripto, quod integrum extat apud Theodoricum Nihemum; licet mentio synodi desit apud Gratiani compendium. Quod autem Sigebertus addit de numero Episcoporum & Abbatum, necessum est, ut e penu sua deprompserit, volens synodo auctoritatem quandam ex illo numero centum quinquaginta trium Episcoporum & Abbatum addere. Sed de Leonis constitutione ejusque sententia dicendum erit suo loco, cum ex verbis ejus investiturarum episcopalium usus manaverit.

CAPUT XIII.

De antiqua electionum forma per Ludovicum pium restituta, & prohibita nundinatione Episcopatuum.

SYNOPSIS.

I. Ludovicus Pius Imperator in integrum restituit electionum formam. Notatus Ansegisus Abbas, qui leges Capitularium confudit.

II. Oppressa enim antea erat electionum libertas. E proprio clero eligi debere Episcopos, constituit, & absque pecuniæ datione. Olim lege generali Episcopi eligebantur e clericis diœceseos. Cur ita placitum.

III. Leo primus præcipit, ut ex Presbyteris ejusdem Ecclesiæ vel ex Diaconis Episcopus eligatur. Subdiaconos quoque eligi permisit Urbanus secundus, itemque Innocentius tertius. Presbyteros quoque rusticanarum parœciarum eligi posse, docet Ludovicus Pius.

IV. Tum præcipit, ut electiones in futurum peragantur absque datione munerum. Quod aulam præcipue respicit, quæ pretio plerumque sacerdotia addicebat. Probatur ex Gregorio Turonensi.

V. Veteres illam sacerdotiorum nundinationem severissime prohibuerunt.

VI. Sub pretio enim redigi non debet gratia, quæ vendi non potest, ut inquit Concilium Chalcedonense. Illa tempestate χειροτονία *complectebatur electionem personæ & consecrationem & in Ecclesia certa institutionem. Explicatus canon Chalcedonensis. Unde commercium vendendorum sacerdotiorum simoniaca hæresis dicta est a Gregorio magno.*

VII. Electionem & ordinationem obnoxias esse crimini simoniæ, probatur auctoritate Leonis Imperatoris.

VIII. Justinianus quoque venalitatem suffragiorum in electionibus & ordinationibus prohibuit. Usum tamen enthronisticorum approbavit. Explicatur ejus Novella. Notatus Gothofredus J. C.

IX. Clerici pro insinuatione persolvebant emphanistica. Justinianus explicatus in Novella 56.

X. Auctoritate Gregorii magni vetitum est, ne quid ordinatoribus aut clericis ministrantibus daretur pro ordinatione, neque notariis ob traditionem chartarum.

XI. Florentini Jurisconsulti publice olim docuerunt, præbendas vendi posse absque simonia. Sed summorum Pontificum decretis jugulata est sententia illa.

XII. Ævo Caroli magni, Presbyteri sine titulo ordinati pretio comparabant Ecclesias; Quæ audacia repressa tum fuit in Concilio Turonensi.

ADDITIO.) Emendatum caput A multis. *ext. de ætate & qualit. ordin. Subdiaconos quoque ad episcopatum eligi posse, pronuntiavit Urbanus secundus in Concilio Beneventano. Notantur Correctores Romani, qui hanc Beneventanam synodum interpretantur de ea, quæ sub Victore tertio habita est. Eduntur acta Concilii Beneventani sub Urbano secundo habiti.*

I. POst propagatam feliciter per diversas provincias victricibus Caroli armis Christianam fidem, & constitutam in plerisque capitibus ecclesiasticam disciplinam, Ludovicus Imper. ejus filius in exordio regni obscuratam vel potius extinctam electionum formam, petentibus Episcopis, in integrum restituit. Quod ille præstitit anno DCCCXVI. edicto suo, quod Aquisgrani edidit post habitam eo loco celeberrimam Episcoporum synodum; nuncupavitque Capitulare, usitato illa ætate vocabulo, eo quod decisiones illo comprehensæ per capita sive capitula digestæ essent. Confuderat Ansegisus Abbas, qui quatuor libros Capitularium collegit, hoc Ludovici Capitulare cum alio, quod Aquisgrani editum fuerat a Carolo anno septingentesimo octuagesimo nono. Sed ista discrevit subtiliter vir eruditissimus Jacobus Sirmondus tomo secundo Conciliorum Galliæ. Quæ distinctio magnam lucem adfert iis, quæ de electionibus a Carolo neglectis superius disputata sunt & postea dicentur.

Ludovicus itaque capite tertio Capitularis, quod est caput octuagesimum quintum libri primi Capitularium, precibus Episcoporum exoratus, seu, ut ille loquitur, ordini ecclesiastico assentiens, electionum veterem usum restauravit: *Sacrorum canonum non ignari, ut in Dei nomine sancta Ecclesia suo liberius potiretur honore, adsensum ordini ecclesiastico præbuimus; ut scilicet Episcopi per electionem cleri & populi secundum statuta canonum de propria diœcesi, remota personarum & munerum acceptione, ob vitæ meritum & sapientiæ donum eligantur, ut verbo & exemplo sibi subjectis usquequaque prodesse valeant.*

II. Oppressam antea fuisse significat electionum libertatem. Quippe quod hic decernit, id agere se profitetur, ut Ecclesia suo liberius potiretur honore. At vero non solam votorum libertatem restituit; sed etiam singularum Ecclesiarum & clericorum in eis ministrantium dignitati consuluit, juxta veterum canonum præscriptum. E proprio clero eligi debere, & absque pecuniæ datione, constituit. Quibus verbis priorum temporum perturbationem suggillat. Vetus est & recepta in Ecclesia regula, clericos post emerita plurium annorum in presbyterii aut diaconii gradibus stipendia ad suarum Ecclesiarum episcopatus evehendos, nec clericis extraneis, neglecto proprio clero, eas dignitates conferendas. Quam formam ad Apostolorum canones, id est, ad consuetudinem antiquam a temporibus Apostolorum ductam, refert Julius primus apud Athanasium apologia secunda. Conqueritur de Gregorii ordinatione contra canones facta, non solum, quod Athanasio viventi superpositus esset ab orientalibus, sed etiam quod extraneus esset ab Ecclesia Alexandrina, illique penitus ignotus; addens, ne canones Apostolorum solverentur, oportuisse ab Episcopis provinciæ constitui aliquem ex ipso sacrario, ex ipso clero: *ἀπ' αὐτοῦ τοῦ ἱερατείου, ἀπ' αὐτοῦ τοῦ κλήρου. καὶ μὴ νῦν τοὺς ἀπὸ τῶν Ἀποστόλων κανόνας παραλύεσθαι.* Cujus instituti ratio una afferri potest e Gregorio Nazianzeno, oratione quando assumptus est in concordia patris; quoniam noto & familiari gregi præesse jucundius est, quam externo & alieno, addam etiam & Deo carius.

III. Sed potior est Cælestini ratio, qui gravem injuriam fieri clericis, docet, si peregrini illis præferantur. Hæc enim sunt ejus verba in epistola ad Episcopos Viennenses & Narbonenses: *Tunc alter de altera eligatur Ecclesia, si de civitatis ipsius clericis, cui est Episcopus ordinandus, nullus dignus,*

dignus, quod evenire non credimus, poterit reperiri. Primum enim illi reprobandi sunt, ut aliqui de alienis Ecclesiis merito præferantur. Habeat unusquisque clericorum suæ fructum militiæ in Ecclesia, in qua suam per omnia officia transegit ætatem. In aliena stipendia minime alter obrepat; nec alii debitam alter sibi audeat vendicare mercedem. Quare Leo I. decernit epist. LXXXVIII. ut ex Presbyteris ejusdem Ecclesiæ, vel ex Diaconis, optimus eligatur. Urbanus secundus & Innocentius tertius in hunc numerum adlegerunt etiam Subdiaconos. Idem Leo primus epistola centesima hortatur Gennadium Constantinopolitanum, ut enitatur, quatenus *Alexandrinis ex clero suo catholicus Episcopus consecretur, juxta veterem morem*. Gratianus in hanc sententiam testimonia adducit, præter Cælestinum, Gregorii & Pelagii dist. LX. & LXI. Ex quorum auctoritate hausit Concilium Remense anno DCXXX. ut desideret *loci indigenam* eligi, canone ultimo. Quod ita explicuit Ludovicus Pius in hoc Capitulari, ut ad diœcesim integram hoc porrigat, id est, ad Presbyteros quoque rusticanarum parœciarum, nec ad solum civitatis clerum restringat. Quod secutum est Concilium Valentinum tertium an. DCCCLV. can. VII. cum aliqua explicatione: *Ut in clero, aut in diœcesi certe ipsa, vel si opus sit, in vicinia ipsius, probata persona quæratur & eligatur.* Hoc remedio & jus vetustum restitui & aulicorum cupiditates reprimi posse, non desperabant.

Vide Notas Baluzii ad Lupum Ferrar. p. 482. & ad Concilia Galliæ Narbon. p. 33.

IV. Altera hujus capituli clausula spondet electiones in futurum absque munerum datione peragendas. Quod aulam præcipue respicit, quæ pretio plerumque sacerdotia addicebat. Observatum illud a Gregorio Turonensi capite sexto de vitis patrum: qui cum scripsisset, Arvernos Galli electionem a se factam a Theodorico Rege ut confirmaretur, muneribus emeruisse, ait, *tunc germen istud iniquum cœpisse pullulare, ut sacerdotium aut venderetur a Regibus, aut compararetur a clericis.* Exemplum ductum fuit a Regibus Gotthorum in Italia, qui confirmationes electionum ad se cum traxissent, fisco suo certam solidorum quantitatem ab electis, quæ antea pauperibus erogabatur, inferri jusserunt, apud Cassiodorum Lib. IX. epist. XV. Quod secutus est Justinianus, & reliqui Imperatores, saltem in Romanæ Ecclesiæ ordinatione. Etenim decreto suo electionem non confirmabant nisi soluta auri quantitate consueta; a qua necessitate Constantinus Pogonatus, petente Agathone Papa, sedem illam liberavit, apud Anastasium; ex quo Gratianus: *ne turpissimi lucri cupiditate allectus, sponsam Christi captivam faceret*, ut conquerebatur de vitiosa illa exactione Gregorius magnus in psalmum quartum.

V. Complectitur quoque clausula illa Capitularis quoscunque, qui ad ordinationem concurrunt, clericos, populum, & Episcopos. Integras enim & puras a pecunia & muneribus quibuscunque ordinationes esse plerisque canonibus, decretis, & legibus publicis, atque pœnis inflictis, antiqui sanciverunt. Vetustissima est, quæ habetur in apostolicis canonibus, constitutio can. XXX. ex versione Dionysii: *Si quis Episcopus aut Presbyter aut Diaconus per pecunias hanc obtinuerit dignitatem, dejiciatur & ipse & ordinator ejus, & a communione modis omnibus abscindatur, sicut Simon magus a Petro.* Basilius quoque hanc nefandam avaritiam corripuit epistola sua canonica. Sed locum habere non potuit, nisi in provinciis Diœceseos Ponticæ. Quare in Diœcesi Asiana mos iste invaluerat, ut pecuniis ordinationes omnes redimerentur. Quod cum ab Antonino Ephesino Episcopo Diœceseos illius Exarcho impudenter gereretur, qui pro modo redituum pecunias exigebat teste Palladio, Joannes Chrysostomus Ephesum se contulit, ut castigatis ejus criminis reis, morbo mederetur in posterum. Sex itaque, Antonino cognitione pendente defuncto, Episcopos depofuit: qui, cum *juxta morem receptum* pecunias a se datas docuissent, obtinuerunt jus repetendi eas ab heredibus Antonini. Alioqui enim non fuisset illis data condictio ob turpem causam. Sed Concilium Chalcedonense canone secundo tantum nefas Ecclesiæ universalis auctoritate confodit, prolata & extensa pœna depositionis in gradus omnes clericatus & in officiorum ecclesiasticorum promotiones, si fiant per turpem lucri negotiationem, & adhibito anathemate in monachos & laicos criminis participes.

Vide lib. 6. cap. 10. §. 2.

VI. Ratio prohibitionis designatur in canone illo his verbis, *sub pretio redegerit gratiam, quæ non potest vendi*, τ ἄπρατον χάριν. Quod significare vult, hoc est. Cum illa ætate ordinatio sive χειροτονία complecteretur electionem personæ atque illius consecrationem per impositionem manuum ipsamque in Ecclesia certa institutionem, (unde necessarium est, ex canone sexto Chalcedonensi ordinandos ad aliquam Ecclesiam specialiter *pronuntiari*, ἀνακηρύττεσθαι) totum illud negotium a digniori parte nomen sumpsit χειροτονίας sive ordinationis, quæ manu imposita ordinem confert. Quare cum pars illa principalis, ad quam duæ aliæ referuntur per connexionem, necessariam, Spiritus sancti gratiam donet, non potuit cadere in commercium, ut docuit Petrus in repulsa Simonis. *Vivit Spiritus sanctus omnipotens Deus noster*, inquit Sidonius in concione libro septimo epistolarum, *qui Petri voce damnavit in Simone mago, cur opinaretur, gratiam benedictionis sese posse pretio mercari.* Rejectæque sunt cavillationes Antonini Ephesini, qui reditus Ecclesiarum suæ negotiationis causam prætendebat, cum *pro modo redituum* pretia constitueret. Neque enim Ecclesiæ tradebantur, nisi ratione ordinis, neque etiam electio antecedebat, nisi ad ordinem postea consequendum. Quare omnia comprehendebantur damnatione illa, quæ gratiam commercio exponebat. Unde simoniaca pravitas, imo etiam hæresis dicta est a Gregorio primo passim; qui in electione personæ eam committi docet, ne quis eam in sola manuum impositione venali versari sibi persuadeat. Unde in elegantissima epistola ad Syagrium *lib. 7. epist.* 110. data anno DXCIX. hæc sunt illius verba: *In sacerdotibus ordinandis sinceritas vigeat, sit simplex sine venalitate consensus, pura præferatur electio, ut ad summa sacerdotii non suffragio venditorum provectus, sed Dei credatur esse judicio.* Probat autem vetitam hanc negotiationem, quoniam Dei donum vendi non potest; deinde quoniam, quod gratis acceptum est, gratis est dandum. Quem Matthæi quoque locum, sumptum ex capite decimo, urgerat in hac causa Gennadius Patriarcha CP. in Concilio Constantinopolitano, anno CCCCLXIX. libro tertio Juris Græco-Romani. Decreto suo vafram illorum interpretationem excludit, qui fraudem faciebant Concilio Chalcedonensi, pecuniis datis post ordinationem. De utroque enim tempore antecedenti & subsequenti docet, intelligendum esse canonem. Et consuetudinem contrariam abolet, quæ in provincia Galatiæ invaluerat.

VII. Plane utramque partem & electionis & ordinationis obnoxiam esse huic crimini simoniæ, docent diserta Leonis Imperatoris verba: *Nemo gradum sacerdotii pretii venalitate mercetur. Quantum quisque mereatur, non quantum dare sufficiat, æstimetur——nec pretio sed precibus ordinetur antistes.* Infra: *Si quis hanc sanctam & venerandam antistitis sedem pecuniæ interventu subiisse, aut ut si quis, ut alterum ordinaret, vel eligeret, aliquid accepisse detegitur, ad instar publici criminis & læsæ majestatis accusatione proposita a gradu sacerdotii retrahatur.*

L. Si quemquam. C. de Episc. & Cleric.

VIII. Justinianus quoque constitutionibus aliquot venalitatem suffragiorum in electionibus & ordinationibus prohibuit. Usum tamen quendam ante suam ætatem inductum de enthronisticis sol-

solvendis quibusdam adhibitis cautionibus approbat in Novella CXXIII. cap. II. cujus loci genuinum sensum, non omnibus obvium, patefaciemus. Episcopi ordinati, etiamsi Patriarchæ essent sive Metropolitani, certam pecuniæ summam Archipresbytero sive Archidiacono ordinatoris tradebant, illis exsolvendam, quibus competebat ex more; tripli pœna decreta in eos, qui pretium constitutum excederent. Modus illius in Patriarchis non excedit viginti libras auri, in tenuioribus vero episcopatibus trecentos aut ducentos solidos vel circiter pro modo redituum. Putabat Gothofredus, in usum Ecclesiæ & pauperum hanc quantitatem conferendam: quoniam eorum curam gerebant Archipresbyter & Archidiaconus, quibus erat tradenda, quod potest juvari ex septima synodo, quæ Ecclesiis dandi, & ex Gregorio in dicta epistola, qui pauperibus erogandi morem ab ordinatis servatum commemorant, licet damnent. Sed non opus est conjecturis, cum sint aperta Novellæ verba; quæ partem quantitatis illatæ Episcopis ordinatoribus, alteram vero partem clericis ministrantibus & notariis attribuit. Jus illud dicitur a Justiniano συνήθεια, sive specialius *inthronisticum*, quod Julianus Antecessor vertit *cathedraticum*; differtque toto genere a cathedratico, id est, a duorum solidorum præstatione, quam in synodis Presbyteri subditi Episcopo deferebant, cujus meminit Concilium Bracarense secundum canone secundo. Unde Joannes Scholasticus Patriarcha Constantinopolitanus hoc caput Novellæ recte inscribit περὶ συνηθειῶν ἤτοι ἐνθρόνων ἑκάστης Ἐκκλησίας. Ex nomine apparet color quæsitus huic pecuniariæ præstationi. Inthronisticum dabatur ratione throni sive cathedræ adeptæ. Missio enim illa in possessionem dicitur a Græcis ἐνθρονισμὸς, quam recentiores in Canonicis a stallo chori dicunt installationem. Sane videbatur æquum, a sumptibus itinerum Episcopos relevari, qui e dissitis civitatibus ad metropolim accedebant, ibique dies aliquot transigebant ad ordinationes peragendas, & honorarium aliquod clericis ministris tribui. Ceterum Justinianus non induxit has præstationes, sed potius ad legitimum modum coercuit: *Ne ex talibus occasionibus debitis Ecclesiæ prægraventur & sacerdotia venalia fiant*, ut loquitur in Novella.

Vide supra lib. 6. cap. 10. §. 4.

IX. Nec omittendum hac Novella cap. XVI. concedi quoque clericis ab Episcopo ordinatis, ut consueta salaria solvant, emphanisticorum sive insinuativorum nomine, clericis, quibus dari solitum erat, [illegible] τῆς ἰδίας ἐμφανείας, *pro insinuatione sua*, id est, quod clericorum in matricula nomina descripsissent & insinuassent actis ecclesiasticis. Ea tamen lex est adjecta, *ut anni unius diaria*, sic vertit Julianus, *non excedentes summa præstent*. Quam insinuativorum solutionem tolerat Justinianus in majori Ecclesia Constantinopolitana, sed non in ceteris Ecclesiis, Novella quinquagesima sexta. Quod ultimum non intelligitur de omnibus omnino Ecclesiis, (id enim contrarium esset Novellæ CXXIII.) sed de oratoriis urbis Constantinopolitanæ, ut colligi potest ex verbis Juliani Antecessoris num. CXCI. *Si quis in Constantinopolitana Civitate clericus fuerit factus, si quidem magnæ Ecclesiæ clericus sit, emphanistica præstet, quæ ex consuetudine præstari oportet. Sin autem alterius oratorii clericus fuerit, nihil ab eo emphanisticorum nomine exigatur.* Illud etiam hinc probatur, quod Justinianus Defensores Ecclesiæ Constantinopolitanæ hortatur, ut hujus legis executioni invigilent, scilicet in urbe. Neque enim in aliis episcopatibus aliquid poterant. Vetus scholion Græcum ad Novellam istam in collectione Joannis scholastici observat, *has præstationes legitimo jure fieri, postquam Imperator, qui secularium rerum est dominus, illas approbavit. Non enim ob ordinationis gratiam pecunia accipitur, neque propterea indigni admittuntur; sed honorarii & beneficentiæ vice prebetur modicum illud, quod lege definitum est.*

X. Sed auctoritate Gregorii magni in synodo Romana vetitum fuit, commoda ulla ordinatoribus aut clericis ministrantibus pastelli nomine, vel notariis ob traditionem chartarum, aut alia quacunque occasione præberi. Cujus constitutionis occasione de simonia evellenda scripsit ad Episcopos & ad Reges Galliæ, ad Metropolitanum Corinthi & provinciæ Hellados Episcopos, ad Episcopos Epiri, ad Hesychium Episcopum Hierosolymorum, & ad Eulogium Alexandrinum. Præjudicii istius rationem quandam habuisse videntur orientales, cum decimo capite mandatorum, quæ Patriarchæ tradunt ordinatis a se Metropolitis, statuant, ut ἐνθρονισμὸς (sic enim vocant præstationes illas) non detur Episcopo ordinatori, sed clericis pauperibus, libro sexto Juris Græco-Romani. Ceterum in occidente & Chalcedonensis synodi canon & Gregorii magni decretum a sequentibus Pontificibus & a posterioribus Conciliis Gallicanis & Hispanicis sæpissime confirmata sunt.

Gregor. lib. 4. ep. 51. 53. 56. lib. 5. epist. 7. lib. 7. epist. 5. 113. 114. lib. 9. ep. 40. 51. 53. & 54. lib. 11. ep. 46.

XI. Emersit tandem nova Florentinorum Jurisconsultorum opinio sexcentis abhinc annis, postquam ordinatio a beneficiorum datione distingui cœpit; qui nullum simoniæ vitium præbendarum emptioni subesse aperte docebant: quod crimen in sola gratiæ spiritualis, quæ jam in ordinatione tradita erat, nundinatione constituebant, cum reditus præbendarum seculares essent & in commercio positi. Quod merito decretis Pontificum statim & postea confutatum fuit. Jus enim fruendi his reditibus pendet ex gratia spiritali collati in ordinatione; cui fit injuria, si pecuniæ vi ad exercitium redigatur. Porro addici alicui speciali Ecclesiæ est pars ordinationis, ut superius diximus, ac proinde institutio illa, sive *pronuntiatio*, non potest emi, nec vendi, juxta Concilium Chalcedonense, estque vera & manifesta simonia. Quod Abbo Floriacensis demonstrabat exemplo vinculi, quod est inter animam & corpus, animæ ordinationis gratiam & corpori præbendam comparans.

Vita S. Abbonis cap. 8.

XII. Temporibus Caroli magni morbus ille invaluerat, ut ea Presbyteris sine titulo ordinatis Ecclesiæ pretio compararentur. Sed qui facinus illud aggrediebantur, non docebant legitime fieri, ut tentatum postea a Florentinis. Ceterum audacia emptorum repressa est canone XV. Concilii Turonensis habiti anno DCCCXIII.

ADDITIO STEPHANI BALUZII.

I. VEtus Ecclesia, ut adnotatur in hoc capite, Presbyteros tantum & Diaconos admittebat ad episcopatum, exclusis prorsus clericis inferioris ordinis. Primus omnium, ut vulgo existimant, Urbanus secundus (non autem primus, ut perperam habetur in capite. *A multis*, extra. de ætate & qualitate ordinandorum) Subdiaconos quoque eligi permisit, opportunitate exigente, si tamen consensus accesserit Metropolitani Ecclesiæ vacantis vel Romani Pontificis. Decretum id in *Beneventana synodo Urbani Papæ capitulo primo* adnotat Ivo Carnotensis Episcopus in parte quinta Decreti cap. LXXII. & lib. III. Pannormiæ cap. V. Verum cum Concilium illud esset ignotum iis, qui sub Gregorio XIII. emendationi librorum juris canonici operam dederunt, Concilium Beneventanum ab Ivone laudatum admonuerunt intelligendum esse de synodo Beneventana, quæ tempore Victoris tertii, cui Urbanus secundus successit, habita est. Falsi sunt autem illi vehementer. Nam in actis Concilii illius Beneventani, quæ extant apud Leonem Ostiensem, nulla illius rei mentio reperitur. Sed ea constitutio legitur in plurimis codicibus manuscriptis sub nomine Urbani secundi in Concilio Beneventano, tum etiam apud Ivonem & Gratianum & in libris Decretalium. Quod evincit, conjecturam Correctorum Romanorum esse vanam, omninoque caput illud esse restituendum Urbano secundo.

II. Hic locus me admonet, ut captata occasione emendem breviarium canonum synodi Claromontanæ, quod extat in libro nono historiæ ecclesiasticæ Orderici Vitalis. Nam ille describens canones illius Concilii in epitomen a se redactos,

ctos, cum ventum est ad constitutionem de electione Episcoporum, his omnino verbis reddidit canonem Concilii Claromontani : *Nemo in Episcopum eligatur, nisi aut Presbyter aut Diaconus aut Subdiaconus, & cui dignitas natalium suffragetur, nisi maxima necessitate & licentia summi Pontificis*. Non cepit Ordericus sensum verborum Urbani, a quo longissime recedit. Quippe Urbanus Subdiaconos non aliter eligi permisit, quam in casu maximæ necessitatis, & cum licentia Romani Pontificis vel Metropolitani, ut patet ex canone primo Concilii Beneventani. Ordericus autem refert, illum statuisse, uti nemo in Episcopum eligeretur, nisi qui Presbyter esset vel Diaconus aut Subdiaconus. Itaque Ordericus Subdiaconos ponit in regula, cum illos Urbanus ponat in exceptione. Deinde Urbanus omnino prohibet, inferioris ordinis clericos, id est, eos, qui infra Subdiaconos sunt, eligi in Episcopos. Sed Orderici breviarium illos quoque eligi sinit *maxima necessitate & licentia summi Pontificis*. Quod alienum esse a mente Urbani, & res ipsa clamat & docet præterea manifeste vel unicum caput *A multis*. Cur enim etiam Innocentii tertii pontificatu dubitatum adhuc esset, an Subdiaconi eligi possent in Episcopos, si clerici quoque inferioris ordinis eligi poterant auctoritate constitutionis Urbani? Denique in eo etiam peccavit Ordericus, quod heic omisit personam & dignitatem Metropolitani, cuncta ad summum Pontificem referens; cum tamen Urbanus, Subdiaconorum causam tractans, eos ita eligi permiserit, si consensus eorum Metropolitani accederet. Attamen quamvis Ordericus a sententia sensuque Urbani multum recesserit in hoc loco, ejus testimonio habemus renovatum in synodo Claromontana fuisse hunc canonem Beneventanum, adeoque verissimum esse, quod adnotatum est in veteri codice MS. monasterii Anianensis, confirmata nimirum in eodem Concilio fuisse capitula superiorum omnium Conciliorum, quæ per eundem Papam, aut Melphiæ, aut Beneventi, aut Trojæ, aut Placentiæ celebrata sunt.

Vide cap. *Miramur*, de servis non ordinandis.

Vide supra pag. 1030.

III. Puto autem, Urbanum ad condendum istum canonem permotum esse ex eo, quod videret, Subdiaconos ac sequentes Clericos interdum eligi in Episcopos absque Romani Pontificis auctoritate; ideoque decretum ea de re sanciendum esse existimavit, ut, quoties ista deinceps tentarentur, fieri viderentur auctoritate Romani Pontificis. Quam conjecturam ut adjuvem, ostendendum est aliquot exemplis veterum temporum, Subdiaconos & inferioris ordinis Clericos interdum ad episcopalem dignitatem vocatos esse ante constitutionem Urbani. Initium autem faciemus a Jordano Episcopo Lemovicensi. Cum Geraldus vacuam fecisset sedem Lemovicensem anno vigesimo supra millesimum, avaritiaque & ambitio irreperet in animos eorum, penes quos erat aliqua vis & auctoritas in eligendo novo Episcopo, Guillelmus Aquitaniæ Dux, ut his malis occurreret, summam electionis in se trahens, habito conventu apud sanctum Junianum in Lemovicibus, *ibi Dei nutu*, inquit Ademarus Cabanensis, *elegit in episcopatus honore Jordanum Præpositum Ecclesiæ sancti Leonardi, magnæ nobilitatis & simplicitatis virum*, tum in subdiaconatu constitutum; eaque electio summo omnium applausu excepta, nullius querelam provocavit, nemo questus est, illam factam esse contra canones, neque licuisse eum eligi, qui nondum Diaconus erat. *Sabbato dein medio Quadragesimæ*, ut ait idem Ademarus, *Diaconus & Presbyter ordinatus est, crastina Dominica consecratus est ab Islone Episcopo Santonensi &c.*

IV. Ista sane tolerari potuerunt; quia Subdiaconi, quamvis olim non essent in sacerdotio constituti, sacris tamen altaribus administrabant, quemadmodum loquitur Urbanus. Sed contra regulas omnino fiebat, cum simplices Clerici ad episcopatum eligebantur. Quod Urbani secundi seculo non semel factum esse, reperio. Primum, quod profero exemplum, editum fuit in persona Geraldi Episcopi Lemovicensis, cui Jordanus successit. Is ergo electus Episcopus anno millesimo & duodecimo, *consecratus est*, ut ait Ademarus Cabanensis, *Pictavis apud sanctum Hilarium mense Novembri pro omnibus gradibus ecclesiasticis a Gisleberto Episcopo, & in gradu pontificali a Signino monacho Archiepiscopo Burdegalensi*. Adnotat idem Ademarus, gravem controversiam fuisse excitatam inter Episcopos, qui interfuerunt consecrationi istius Episcopi, *contradicentibus omnibus Episcopis, non esse auctoritatem patrum ordinationes graduum ab ostiariis usque ad presbyterum fieri debere, nisi per jejunia quatuor temporum anni, & tota quadragesima per dies sabbatorum usque in palmis*. Itaque contradictio fuit, non ob electionem aut ordinationem hominis, qui nondum erat in sacris ordinibus constitutus, quo tempore electus erat in Episcopum, sed quia ille a primo gradu ecclesiastico usque ab presbyteratum una die promotus fuerat contra canones, non servatis nimirum temporum intervallis, quæ præscripta sunt post susceptum unum gradum ecclesiasticum ante, quam sequens ordo suscipi possit.

V. Secundum, quod reperio exemplum, editum fuit anno MLXXIII. in viro celeberrimo, Hugone videlicet Episcopo Diensi, qui dein Legatus fuit apostolicæ sedis & Archiepiscopus Lugdunensis. Electus ille in Episcopum Diensem *de Dei & Christi ejus judicio*, ut Cypriani verbis ait Hugo Flaviniacensis, *de clericorum pene omnium testimonio, de plebis, quæ tunc affuit suffragio, de sacerdotum & bonorum virorum collegio*, quamvis primam tantum tonsuram haberet, approbatus tamen est a Gregorio VII. & ab eo ordinatus Episcopus. Testatur illud idem Hugo Flaviniacensis his verbis: *Non multo post ipse, qui commendabatur, advenit. Et quia solam clericatus tonsuram habebat, in mense Decembris per manum ejus* (id est, Gregorii septimi) *usque ad presbyteratus gradum promotus est; cum hoc aliqui calumniarentur Romanorum, & promerent morem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, neminem, licet electum antistitem, a Papa ordinandum, nisi in eadem deserviret Ecclesia. Quod tamen in ipso Dominus authentica potestate sua fecit. Complacuerat enim sibi in illo anima ejus. In quadragesima vero, sabbato in Presbyterum & sequenti Dominica ad Missas in Episcopum consecratus est*. In ista Romanorum querela adversus hoc Gregorii septimi facinus non arguitur præcipitata ordinatio, quæ peracta erat servatis interstitiis. Nihil adversus electionem simplicis clerici. Illud tantum indignantur Romani, quod Gregorius Hugonem ordinasset absolute, hoc est, nulli Ecclesiæ addixisset, cum eum ad ecclesiasticos ordines promovit, moris quippe esse in Ecclesia Romana, neminem, licet electus sit in Episcopum, a Papa ordinari posse, nisi in Ecclesia aliqua, in qua ministerium suum exequatur, intituletur. Quod Gregorius non fecerat, qui Hugonem ea tantum de causa ecclesiasticis gradibus insigniverat, ut deinceps consecrare Episcopum posset.

Cyprian. ep. 52

VI. Ex his, quæ dicta huc usque sunt, colligitur, invidiosam per ea tempora visam non fuisse electionem eorum, qui nondum erant in sacris ordinibus constituti, & Subdiaconos inferiorisque ordinis clericos ad episcopatum vocatos fuisse ante decretum Urbani. Ea fortassis de causa, ut antea dixi, constitutionem ille suam edidit in Concilio Beneventano, qua Subdiaconos eligi approbavit, non vulgo tamen, sed rarissime, & non sine Romani Pontificis vel Metropolitani licentia. Secundum hanc porro institutionem, cum anno MXCV. Sanson quidam Subdiaconus electus esset Episcopus Ecclesiæ Wigornensis, & ad Anselmum Archiepiscopum Cantuariensem Metropolitanum suum venisset, iste electionem ejus pro jure suo approbans, primum eum ad diaconatum & presbyteratum promovit, dein ad episcopatum, ut narrat Eadmerus in libro secundo historiæ novorum. Contra, cum anno millesimo centesimo Belvacenses clerici elegissent Stephanum de Garlanda, Ivo Carnotensis de electione illa scribens ad Paschalem secundum, indignabundus illam exagitat, inter alia electionis vitia objectans, electum esse hominem *procul a sacris ordinibus inventum, utpote nondum Subdiaconum*.

Eadmerus pag. 35. Ivo Carnot. ep. 89.

VII. Licet autem Urbanus secundus ista declarasset, adhuc tamen sub Innocentio tertio, hoc est, centum & amplius post Urbanum annis, dubitatum est, an Subdiaconus in Episcopum eligi posset, quam dubitationem sustulit Innocentius in capite *A multis*, in quo sancit, *ut Subdiaconus libere valeat in Episcopum eligi, sicut Diaconus vel Sacerdos*. Et tamen, etiam post decretalem Innocentii, fuere, qui contenderent, subdiaconum non posse eligi in Episcopum. Hujus rei probatio extat in Chronico Montis-Sereni pag. 13. ubi notatum est, Conradum, qui factus est Archiepiscopus Magdeburgensis post sanctum Norbertum, passum antea esse contradictionem ab aliquibus dicentibus, *non esse Subdiaconum eligendum*.

Innocent. III. lib. 10. ep. 164. Vide etiam cap. *Miramur*. De servis non ordin.

Nunc edendi sunt canones Concilii Beneventani ab Urbano secundo celebrati, cujus occasione digressi sumus ad explicationem istarum rerum. Sic ergo habent in veteri codice MS. monasterii Anianensis, qui nunc extat in bibliotheca Colbertina, emendati ex aliis codicibus antiquis.

CONCILIUM BENEVENTANUM
Habitum Anno MXC.

ANno dominicæ incarnationis MXC. indictione XIV. V. Kal. Aprilis, celebrata est synodus Beneventi, præsidente Domino Papa Urbano, præsentibus Episcopis & Abbatibus, quorum numerus facile adnotari non potuit. Secundo igitur die hoc capitulum editum est.

Nullus deinceps in Episcopum eligatur, nisi in sacris ordinibus religiose vivens inventus est. Sacros autem ordines dicimus diaconatus atque presbyteratus. Hos siquidem solos primitiva legitur Ecclesia habuisse; super his solis præceptum habemus Apostoli. Subdiaconos vero, quia & ipsi altaribus administrant, opportunitate exigente concedimus, sed rarissime; si tamen spectatæ sint religionis & scientiæ, quod ipsum non sine Romani Pontificis vel Metropolitani licentia fieri permittimus.

Ap. Gratian. dist. 60. cap. *Nullus in Episcopum*.

Item

Item die secundo; Capellanos, qui contra statutum numerum in curiis sine consensu sui Episcopi militaverint, & decimas a laicis sine permissione Episcoporum obtinuerint, nos Sancti Spiritus judicio sanctorumque Apostolorum auctoritate ab officio & beneficio interdicimus, Adclamatum est ab universis: Fiat, Fiat.

Item die tertio. Nullus omnino Episcopus transalpinum, vel transmarinum, vel quemlibet alienum clericum sine formata epistola & commendatitiis sui Episcopi literis recipere aut in sua Ecclesia eum ordinare præsumat. Quod qui præsumpserit, ut canonum contemptor, periculum sentiat gradus sui.

Præceptum est etiam in ejusdem synodi die ultima. Nullus omnino laicus post diem cineris & cilicii, qui caput jejunii dicitur, carnibus vesci audeat, Et omnes, tam clerici, quam laici, viri quam mulieres, die illo cinerem supra capita sua accipiant. A die septuagesimæ usque in octava sancti Paschæ, vel a die dominici adventus usque in octavas Epiphaniæ, matrimonia nullo modo contrahantur.

CAPUT XIV.

De jure regio, quo usus est Ludovicus pius in constitutionibus Episcoporum.

SYNOPSIS.

I. Investigandum nunc, an restituta a Ludovico Pio electionum libertas regii assensus necessitatem excluserit. Non abolitum fuisse, probatur ex Floro, qui sub eodem Ludovico floruit.

II. Referuntur ejus verba quoad electionem canonicam.

III. Tum etiam quoad assensum regium.

IV. Ex Floro colligitur, consultationem Principis tunc adhiberi solitam in electionibus Episcoporum. Debere porro Principes assentiri electioni rite factæ, nisi grave aliquid obsistat.

V. Perstringit autem Florus conatum Ludovici; qui clero & populo eos, qui sibi grati erant, commendabat, ab illis eligendos; sicque vota electorum antevertebat.

VI. Consultationem ad Regem missam post electionem, probatur etiam ex causa Ecclesiæ Senonensis; quæ explicatur. De dignitate Archicapellani.

VII. Cum itaque summam electionum ad se traheret Ludovicus a Concilio Parisiensi monitus est, ut bonos rectores in Ecclesia constitueret.

VIII. Regium assensum in Italiam quoque intulit, contra morem Caroli magni. Tum electio Romani Pontificis subjecta erat ordinationi Imperatorum.

I. Superest non inelegans quæstio ad plenam Capitularis explicationem, an restituta electionum libertas regii assensus necessitatem excluserit. Sane verbis edicti non est reservata, sed neque dempta. Quare cum assensus ille non solum consuetudine nitatur, sed canone quoque a Concilio Aurelianensi sic probatus fuerit, ut cum electionum libertate misceatur, proclivius est, ut dicamus, non abolitum hac lege. In quo non solis conjecturis agendum, cum habeamus disertum Flori magistri testimonium. Florebat hac ætate auctor iste, a Walfrido Strabone valde laudatus: qui sententiam suam de electionibus in fragmento quodam descripsit circiter annum DCCCXX. quod edidit Papirius Massonus, & ex eo illustrissimus Baronius; ex quo decerpenda sunt aliqua.

II. Ac primum, quæ pertinent ad canonicam electionem, deinde, quæ pertinent ad consensum Principis. *Manifestum est*, inquit, *omnibus, qui in Ecclesia Dei sacerdotale officium administrant, quæ sunt illa, quæ in ordinatione episcopali & sacrorum canonum auctoritas & consuetudo ecclesiastica juxta dispositionem divinæ legis & traditionem apostolicam jubeat observari. Videlicet, ut pastore defuncto, & sede vacante, unus de clero Ecclesiæ, quem communis & concors ejusdem cleri & totius plebis consensus elegerit, & publico decreto celebriter ac solenniter designaverit, legitimo Episcoporum numero consecratus locum decedentis antistitis rite valeat obtinere, nec dubitetur divino judicio & dispositione firmatum, quod ab Ecclesia Dei tam sancto ordine & legitima observantia fuerit celebratum. Hæc sunt, quæ & in Conciliis patrum & in decretis apostolicæ sedis Pontificum statuta reperiuntur & comprobantur.* Mox laudato Cypriani loco de electione Cornelii, subjungit: *Juxta hæc verba beati Cypriani ordinatos fuisse constat & legitime præfuisse universo populo deinceps omnes Ecclesiarum Dei antistites absque ullo consultu mundanæ potestatis a temporibus Apostolorum & postea per annos fere quadringentos. Ex quo autem Christiani Principes esse cœperunt, eandem Episcoporum ordinationibus ecclesiasticam libertatem ex parte maxima permansisse manifesta ratio declarat. Neque enim fieri potuit, cum unus Imperator orbis terræ monarchiam obtineret, ut ex omnibus latissimis mundi partibus, Asiæ videlicet, Europæ, & Africæ, omnes, qui ordinandi erant, Episcopi ad ejus cognitionem deducerentur. Sed fuit semper integra & rata ordinatio, quam sancta Ecclesia juxta traditionem apostolicam & religiosæ observationis formam celebravit.*

III. Quid autem sentiat de Regis assensu, qui tunc adhibebatur, sic explicat: *Quod vero in quibusdam regnis postea consuetudo obtinuit, ut consultu Principis ordinatio fieret episcopalis, valet utique ad cumulum fraternitatis, propter pacem & concordiam mundanæ potestatis; non tamen ad complendam veritatem vel auctoritatem sacræ ordinationis, quæ nequaquam regio potentatu, sed solo Dei nutu, & Ecclesiæ fidei consensu, cuique conferri potest. Quoniam episcopatus non est munus humanum, sed spiritus sancti donum, sicut ostendit Apostolus &c.* Mox: *Unde graviter quilibet Princeps delinquit, si hoc suo beneficio largiri posse existimat, quod sola gratia divina dispensat; cum ministerium suæ potestatis in hujusmodi negotium peragendo adjungere debeat, non præferre.* Deinde rem concludit his verbis: *Quæ omnia non ideo dicimus, quasi potestatem Principum in aliquo minuendam putemus, vel contra religiosum morem regni aliquid sentiendum persuadeamus; sed, ut clarissime demonstretur, in re hujusmodi divinam gratiam sufficere, humanam vero potentiam, nisi illi consonet, nihil valere. Quapropter in sacris canonibus patrum, ubi plurimæ causæ commemorantur, sine quibus episcopalis ordinatio irrita habenda est, de hac re nihil invenitur insertum.*

IV. Non existimavi superfluum hujus auctoris verba proferre: quæ duo eximie probant, & *consultum*, ut ille loquitur, sive consultationem Principis tunc adhibitam in electionibus Episcoporum, & modum, quem ille desiderabat a Principibus servari. Nempe, ut rite & legitime factæ electioni assentirentur, nisi grave aliquid obsisteret, & ab ingerendis personis abstinerent, sive, ut Florus loquitur, ministerium suum in hoc negotio adjungerent, non autem præferrent.

V. Perstringit non obscure, quod Ludovicus ipse, assensum suum amplificans, tentabat hoc tempore adversus libertatem electionum edicto suo firmatam. Commendabat enim eos, qui sibi grati erant, clericis & populis, ut decreto suo illos eligerent; sicque electorum vota suis literis antevertebat. Extat ejus rei illustre exemplum in vita Friderici Episcopi Trajectensis. Anno quippe DCCCXXI. aut circiter, *Ricfridi obitu comperto, per legatos suos mandavit Trajectensis Ecclesiæ senioribus, ut Fridericum sibi Episcopum deligerent, & electum cum summo honore ad ipsius palatium adducerent, nesciens, omnes Trajectenses id ante decrevisse, quod ipse & primates ejus percuperent.*

VI. Enim-

VI. Enimvero præter Flori testimonium, quo docemur, consultationem ad Regem missam post electionem, adducendæ sunt epistolæ Senonensis Ecclesiæ ad Judith Imperatricem, ad Hilduinum Archicapellanum, & Einhardum, apud Sirmondum in appendice ad tomum secundum Concil. formula decima. Vacabat sedes Senonensis ex obitu Hieremiæ Archiepiscopi, qui acciderat anno DCCCXXVII. die VII. Decembris. Ecclesia licentiam a Ludovico obtinuit eligendi Episcopum e suo clero. Sed electum sibi oblatum Imperator rejecit; concesso tamen beneficio secundæ electionis. Alter eligitur, qui repulsus est a Missis dominicis. Unde Senonensis Ecclesiæ clerici postulant ab Imperatrice, ut causa suspendatur, donec electum ipsi deducant ad Imperatoris præsentiam; & tunc *discutiatur ac probetur*, inquiunt, *si nobis prodesse valeat, & in servitio vestro aptus esse possit, an minus*. Idem suppliciter postulant ab Hilduino Archicapellano, *ut dignationis ejus judicio aut suscipiatur aut reprobetur*. Pro jure enim sui muneris ecclesiasticas causas in palatio distringebat Archicapellanus, ut docet Adalardus apud Hincmarum & inscriptio hujus epistolæ ad Hilduinum *sacris negotiis a Deo prælatum*. Ex hujus causæ serie discimus, electionum formam cum regio assensu duplici conjunctam. Primus dabatur pro gerenda electione. Secundus pro admittenda electi persona; sic tamen, ut repelli posset. Porro inter ceteras causas repulsæ canonicas hæc quoque civilis erat examini regio subjecta, *si minus aptus esset servitio Regis*, ut loquuntur Senonenses.

Vide lib. 4. c. 7. §. 3. & Baluzii Notas ad Lupum Ferrar. p. 386. 435. 443.

VII. Itaque cum ad se traheret electionum summam Ludovicus, prudenter monetur anno DCCCXXIX. a Concilio Parisiensi lib. III. cap. XXII. (quod refertur in addit. ad Capitul. lib. II. cap. XXIII.) ut magnum studium & solertissimam curam adhibeat in bonis rectoribus Ecclesiæ constituendis. *Quia si aliter factum fuerit*, inquiunt, *& ordo ecclesiasticus suam non habebit dignitatem, & religio Christiana in multis labefactanda detrimenti sui jacturam patietur, & animæ vestræ, quod non optamus, periculum generabitur*.

VIII. Neque vero se intra Gallias continuit in exercendo assensu suo; quin potius eum in Italiam quoque protulit, contra morem Caroli magni, qui a negotio electionum episcopalium in regno Longobardorum abstinuerat, ut superius monuimus. Fortasse tamen post adeptum imperium potestatem illam regiam in Italiæ regno Carolus usurpavit; ut colligi posse videtur ex Floro, qui solam Ecclesiam Romanam & subjectas illi Ecclesias, id est, quæ pendent a metropoli Romana, ab interrogatione Principis, id est, ab ejus assensu electionibus præstando, immunes esse scribebat anno octingentesimo vigesimo. Obnoxiæ ergo erant cæteræ. Sed quæ liberæ relictæ fuerant ab ea necessitate in Romana metropoli, factæ sunt postea illi obnoxiæ a Ludovico Pio. Ille quidem liberam electionem Romani Pontificis reliquit clero & populo edicto suo, quod tamen non pugnat aperte cum assensu regio. Post annum DCCCXX. electus Gregorius quartus *non prius ordinatus est, quam Legatus Imperatoris Romam venit, & electionem populi qualis esset examinavit*, ut legitur in annalibus Bertinianis, quod Platina etiam observaverat. Asserta quidem est tandem in libertatem posterioribus seculis Romana Ecclesia. Sed quod in ea tunc inductum est a Ludovico, in ceteris Ecclesiis Italiæ, non excepta etiam metropoli Romana & subjectis, locum habuit etiam Lotharii & sequentium Imperatorum temporibus; qui electiones canonicas, quas suo assensu & præsidio juvare tenebantur, potestate sua turbarunt, sibique solis, conniventibus quoque Pontificibus Romanis, vindicarunt, cujus rei testimonia extant apud Gratianum & passim in epistolis Joannis octavi.

Vide Baluzii Notas ad Agobard. p. 124.

CAPUT XV.

De jure, quo Reges Galliæ post Ludovici pii tempora usi sunt in constitutionibus Episcoporum.

SYNOPSIS.

I. In Galliis species quædam electionum servata est. Nam Princeps electionem fieri concedebat. Dein, electione facta, facultates Ecclesiæ committebat dispositioni electi, suisque literis ad Metropolitanum & coepiscopos ordinandum transmittebat.

II. Adferuntur verba Hincmari, quibus respondet ineptis quorundam sermonibus, qui eligendum illum dicebant, quem Rex vellet. Ait autem, in electione Episcoporum assensionem Regis esse, non autem electionem, quæ pertinet ad Episcopos.

III. Ait præterea Hincmarus, Bellovacenses amisisse jus electionis, quoniam tres incongruos elegerant, ab Episcopis postea reprobatos. Utitur autem auctoritate canonis Laodiceni.

IV. Eodem sensu canonem illum explicuerat idem Hincmarus in epistola ad Bellovacenses. Ob electionem indigni jus eligendi devolvitur ad Metropolitanum.

V. Attamen Rex Ludovicus non cessit monitis Hincmari; sed Odacri electionem pertinaciter propugnavit adversus Hincmarum.

VI. Idem Hincmarus aperte docet alibi, quidnam Principi competat in electione Episcoporum, consensus videlicet.

VII. Describuntur ritus electionum, prout obtinebant ævo Ludovici Pii & Caroli Calvi.

I. SEd in Galliis constantia Episcoporum factum est, ut species saltem electionum, etsi non vis integra, permaneret, temperata regia auctoritate, & conciliata, quantum fieri potuit, cum jure canonico.

Quænam essent Ecclesiæ & Principis partes in electionibus post Capitulare Ludovici Pii, juxta illius sententiam eleganter docet synodus congregata anno DCCCLXXXI. apud martyrium sanctæ Macræ, in literis, quas per Episcopos transmisit ad Ludovicum III. Regem; cujus verba recitat Hincmarus in epistola duodecima editionis Sirmondi. Sed prius ponenda est species. Vacante Ecclesia Belvacensi, clerus & plebs elegit Fromoldum, insipientem & improbum hominem; quem synodus sibi oblatum repulit. Clerus vero & plebs ejusdem Ecclesiæ in Odonis eo munere indigni personam decreto suo consensit, quam ab ista synodo probari contendebat. Rex Ludovicus non solum consensum suum adhibuerat, sed Odonem quoque suggesserat eligendum. Synodus autem vetusta Episcoporum jura industrie accersit, Metropolitano & Episcopis provincialibus electionem deberi, consensum vero clero & plebi; ad Principem duo pertinere, tum, ut electionem fieri petentibus clero & plebi concedat, tum, electione facta, ut facultates Ecclesiæ, quæ sub illius sunt tuitione, electi dispositioni committat, suisque literis ad Metropolitanum & coepiscopos ordinandum transmittat. Hæc sunt verba literarum synodi de causa Belvacensi apud Hincmarum: *Ut sicut sacræ leges & regulæ præcipiunt, Archiepiscopis & Episcopis conlimitanearum diœceseon electionem concedere dignemini; ut undecunque, secundum formam regularem electionis, Episcopi talem eligant, qui & sanctæ Ecclesiæ utilis & regno proficuus & vobis fidelis ac devotus (*) cooperator existat, & consentientibus clero ac plebe eum vobis adducant, ut secundum ministerium vestrum res & facultates Ecclesiæ, quas ad defendendum & tuendum Dominus vobis commendavit, suæ dispositioni committatis, & cum consensu ac literis vestris eum ad Metropolitanum Episcopum ac coepiscopos ipsius diœceseos, qui eum ordinare debent,* trans-

(*) Vide lib. 2. Capitular. c. 3. supra lib. 4. cap. 7. §. 7.

transmittatis, & sic sine scandali macula ad sanctum sacerdotium provehatur.

II. Ceterum respondet Hincmarus ineptis quorundam sermonibus, qui eligendum illum dicebant, quem Rex vellet: *Nam si quod a quibusdam dicitur, ut audivi, quando petitam apud vos electionem conceditis, illum debent Episcopi & clerus ac plebs eligere, quem vos vultis & vos jubetis; (quæ non est divinæ legis electio, sed humanæ potestatis extorsio) si ita est, ut dici a quibusdam audivi, ille malignus spiritus, qui per serpentem primos parentes nostros in paradiso decepit, & inde illos ejecit, per tales adulatores in aures vestras hæc sibilat; quia hoc in scripturis tam veteris quam novi testamenti non continetur, neque in catholicorum dictis, vel sacris canonibus, nec etiam in legibus a Christianis Imperatoribus & Regibus promulgatis hoc scriptum vel decretum invenitur; sed talia dicta infernus evomuit.* Mox: *Sic enim atavus vester Carolus & abavus Ludovicus Impp. intellexerunt. Et ideo in libro primo Capitularium suorum promulgaverunt scribentes.* Adducit caput LXXXIV. cui subjungit decretum Cælestini & can. XIII. Laodicenum; & mox concludit: *Attendendum est igitur, qualiter hoc imperiale capitulum sacris regulis & antiquorum Imperatorum legibus congruat, ostendens, quoniam sicut & leges & regulæ dicunt, in electione Episcopi assensio Regis sit, non electio, in Episcoporum vero executione sit electio, sicut & ordinatio.* Solum assensum tribuit Regi post electionem, ut fecerat Florus.

III. Quoniam vero Rex, gratissimum Belvacensi Ecclesiæ Odacrum esse, Hincmaro scripserat, respondit iste, Belvacenses decidisse a jure electionis, quoniam tres incongruos elegerant ab Episcopis postea reprobatos. *Perdiderunt*, inquit, *electionem, sicut ostensum est illis in synodo, & per sacras regulas, non ulterius illorum, sed Episcoporum esse electionem, quam non præire, sed subsequi, & non se ab ea debere excidere. Et nunc contra regulas & leges sine Visitatore præsumpserunt electionem.* Cum ex Laodiceno canone didicissent Episcopi, electiones judicio Metropolitani & provincialium Episcoporum committi, alium vero usum inductum viderent, nempe, ut electio prius fieret a clero & a plebe, conabatur synodus apud sanctam Macram, exemplo Cabilonensis Concilii, habiti anno sexcentesimo quinquagesimo, electiones episcopales revocare ad Episcoporum provincialium arbitrium. Ad quos eos maxime impellebat, ni fallor, Græcorum usus, qui canone edito in synodo contra Photium anno DCCCLXX. (cujus acta Latine publicaverat Anastasius) diserte firmatus fuerat. Licet enim illis canonibus nondum uterentur Episcopi Galli, ut factum postea, attamen præjudicio illo majores concipiebant animos ad vindicandam synodo provinciali Episcoporum electionem. Sed cum difficilis esset veteris illius juris plena restitutio, sic interpretatus est Hincmarus canonem illum Laodicenum, ut saltem locum haberet, quando clerus & plebs indignum elegisent; quo casu devoluta esset electio ad Metropolitanum & Episcopos.

IV. Eodem sensu canonem hunc explicuerat Hincmarus epistola ad Bellovacenses in formula quarta in appendice tomi secundi Conciliorum Galliæ. *Prænoscere vos denique volo*, inquit, *quia si personam a sacris canonibus deviam scienter nobis adduxeritis, non solum ex ea Pontificem non habebitis, verum etiam pro illicita electione, ut contemptores canonum, judicium incurretis. Sed & nostro ac coepiscoporum nostrorum judicio refutata rationabiliter electione vestra incongrua, talem secundum Laodicenses canones studebimus eligere, qui vestris vitiosis voluntatibus non valeat consentire.* Hinc trahi potest origo juris similis, quod confirmatum est *cap. VII. & XX. De election.* ubi ob electionem indigni jus eligendi devolvitur ad Metropolitanum.

V. Quare, quod in fine epistolæ duodecimæ concludit Hincmarus, de casu speciali cleri & populi Belvacensis, qui electionis jure privati erant, intelligendum est: *Conveniant, sicut statutum secundum sacros canones fuit, in synodo Episcopi, clerus, ac plebs Belvacensis Ecclesiæ cum libero consensu vestro, sicut regium ministerium vestrum decet, & juxta legalem ac regularem formam electio exequatur & ordinatio prosequatur.* Attamen Rex Ludovicus non cessit monitis Hincmari, sed potius auctoritate sua Odacrum elegit; neque se ab hoc proposito discessurum scripsit Hincmaro, donec in synodo universali conflata ex suo & regnis fratrum suorum aliter definiatur. Quod epistola sua ad Regem data graviter damnat Hincmarus, ut canonibus & legibus contrarium, & tandem, ut Ecclesiæ invasorem, excommunicatione plectit.

VI. Pro Carolomanno Rege, qui Ludovico successerat, Hincmarus admonitionem scripsit ad Episcopos; hæcque adnotavit capite quinto: *Qualiter autem consensu Principis terræ, qui res ecclesiasticas divino judicio ad tuendas & defensandas suscepit, electione cleri ac plebis quisque ad ecclesiasticum regimen absque ulla venalitate provehi debeat & Dominus in evangelio & sacri canones aperte demonstrant, dicente Domino: Qui non intrat per ostium in ovile ovium, ille fur est & latro.*

VII. Ceterum non erit inutile modum illum perscrutari, quem temporibus Ludovici Pii & Caroli Calvi ejus filii sequerentur in electionibus clerus & populus, Episcopi, atque Principes, ut salva esset canonum auctoritas, cum bona Regum gratia. Illud vero non potest certius addisci, quam ex variis epistolis & formulis, quas in appendice tomi secundi Conciliorum retulit Sirmondus, quem modum, ex illis collectum, hic contrahemus in pauca.

De obitu Episcopi monendus erat Metropolitanus a clero & a populo Ecclesiæ vacantis, ut a Regis clementia liberam ac regularem electionem illis obtinere satageret. Enimvero, quoniam Visitator Ecclesiæ vacanti dandus erat, qui electionis canonice faciendæ curam susciperet, Metropolitanus, prius admonito Principe, gratum illi Episcopum pro eo munere gerendo delegabat. Visitatori vero per literas suas dabat in mandatis, ut ageret cum clero & plebe Ecclesiæ, quatenus, remotis studiis, uno consensu virum aliquem probatum eligerent; forma electionis a canonibus præscripta publice antea prælecta. Conventus autem ad faciendam electionem constabat non tantum ex clericis civitatis, sed etiam ex monachis monasteriorum parœciæ sive diœceseos, tum etiam ex delegatis a Presbyteris rusticanarum parœciarum, qui possessorum quoque mandata deferebant; præter eos, laici nobiles (qui vassalli quoque dicuntur formula quinta) & cives urbis adesse debebant. Visitator vero conventum adloquebatur. Ac primo quidem concessam illi a Principe eligendi potestatem denuntiabat, (ut factum tempore Ludovici Imperatoris docet formula sexta) & dein hortabatur ad opus istud sincere obeundum. Si vota consensissent in aliquem regularem virum, id est, cujus actus & vita a canonibus non discreparent, tunc urgente Visitatore decretum ab omnibus subscriptum de ejus electione fiebat: quod Visitator per se, aut per literas suas, ad Metropolitanum referebat; adjunctis aliquot e clero & plebe, qui omnium vice testimonium electo ferre posent. Tandem Metropolitanus decretum illud, a se prius probatum, ad Regem mittebat, ejusque consensum expectabat. Quo suscepto, litteris suis evocabat coepiscopos loco & die constituto ad ordinationem celebrandam; ubi fiebat examinatio canonica ordinandi, juxta formulam undecimam & duodecimam. Ceterum ex formula illa undecima constat, consensum regium de per-

Form. 1. & 6.

Form. 2.

de persona electi hac conditione temperatum, *si Episcopi eum dignum ad onus episcopale invenire valerent.*

CAPUT XVI.

De jure, quo in constitutionibus Episcoporum usi sunt, Carolus Calvus, Crassus & Simplex, ceterique Reges.

SYNOPSIS.

I. Consensum regium suis quoque decretis diserte confirmarunt Concilia Galliarum temporibus Caroli Calvi & Lotharii Imp. habita.

II. Dein palatini clerici a solo Principe designabantur ad episcopatus, absque ulla electione. Quod probatur duobus exemplis.

III. Aliud electionis Palatinæ exemplum habetur apud Lupum Ferrariensem in causa Æneæ Episcopi Parisiensis.

IV. Sed ex eo Regum usu proficiscebantur ingentia incommoda. Plerumque enim promovebantur viri rudes atque imperiti & vitæ inexploratæ. Itaque Concilium Valentinum edixit, ut, si quis e palatio mitteretur, prius diligenter examinaretur, ut sciri posset, an episcopatu dignus esset.

V. Quamdiu se Reges continuerunt intra terminos consensus, Pontifices quoque Romani ejus rationem habendam esse existimarunt.

VI. Non adeo tamen se demittebant Romani Pontifices in hoc electionum negotio, quin aliquando sui loci memores essent. Quod probatur auctoritate Joannis octavi, qui Lausanensis Episcopi institutionem in se traxit, ac tamen consensum a Carolo Crasso suppliciter petiit.

VII. Carolus Crassus quasdam Ecclesias libertate canonica electionum in perpetuum donavit, exempli causa, Genevensem & Cabilonensem.

VIII. Sub Carolo Simplice, tametsi respublica variis motibus concussa fuerit, remansit tamen necessitas assensus regii in electionibus Episcoporum. Probatur auctoritate Joannis decimi Papæ.

IX. Continuata est hæc potestas a sequentibus Regibus, ut ostenditur pluribus exemplis.

X. Initio tertiæ Regum nostrorum dynastiæ perseveravit prior illa consuetudo assensus regii.

I. CONsensum regium suis quoque decretis diserte confirmarunt Concilia Galliarum temporibus Caroli Calvi & Lotharii Imper. habita. Anno DCCCLIV. petunt a Carolo patres in synodo apud Thedonis-villam, ut viduatis Ecclesiis quantocyus præficiantur Episcopi a Deo dati & *a vobis regulariter designati.* Si omissus esset Principis consensus, irrita quidem non erat ordinatio, ut sapienter docuit Florus, attamen discordiæ seminarium erat. Quod ut averteret a capite Wenilonis Senonensis, qui Rege non monito electum a clero & populo Agium Presbyterum Aurelianensi Ecclesiæ ordinaverat, Concilium Vernense anno DCCCXLIV. a Carolo postulat, quoniam rei illius alium exitum non videbat, ut ejus pietas, quod a tantis viris actum est, ratum esse permittat.

II. Ceterum non potuit his limitibus coerceri potestas regia; quæ aulicorum cupiditatibus incitata, electiones in aliis conservando, palatinos clericos a solo Principe designari posse, contendebat. Quod aperte docet Wenilonis & Gerardi Comitis epistola apud Lupum Ferrariensem LXXXI. ad Amulum Archiepiscopum Lugdunensem. Hujus Amuli sedes cum esset in parte regni Lotharii, prolixius a clarissimis illis viris Caroli nomine exorandus fuit, ut Bernum Regis propinquum, & ab eo de Consiliariorum suorum consensu electum, in Augustodunensi Ecclesia ordinaret. Quod, ut impetrent, addunt non esse novum, ut a Rege nobilioribus Ecclesiis ex palatio deligantur antistites: *Idque vestra prudentia Dominus noster jussit suggerere, non esse novitium aut temerarium, quod ex palatio honorabilioribus maxime Ecclesiis procurat antistites.* His subjungunt concessionem a Zacharia factam Pipino, de qua superius actum. Poterant edictum Clotarii Regis proferre, si fuisset illis obvium; cujus verba de hac specie intelligenda suo loco monuimus. Nec contenti Bernum commendare, eadem quoque ratione Godelsadum, a Rege electum, Cabilonensi Ecclesiæ admoveri petunt: *Godelsadum etiam, quem ex palatio suo more prædecessorum Regum majorum suorum, ut ante monstratum est, Cabilonensi Ecclesiæ præfici flagitat idem Rex, in hac quadragesima non gravemini ordinare.* Quæ petitio locum habuit saltem in Godelsado, qui subscripsit Concilio Suessionensi anno DCCCLIII. sex annis post epistolam illam, quæ data est anno octingentesimo quadragesimo octavo. Vide Notas Baluzii ad epist. 81. Lupi Ferrar.

III. Aliud electionis palatinæ exemplum habetur apud eundem Lupum ep. 98. & 99. in Ænea Parisiensi Episcopo, quem anno DCCCLIII. Carolus elegerat. Sed cum postea clerus quoque Ecclesiæ Parisiensis & fratres cœnobiorum sua quoque electione honestarunt, rogantes literis suis Senonensem Archiepiscopum & provinciæ Episcopos, ut quantocyus ejus ordinatio perficiatur, ne dilatione divini & regii beneficii torquerentur. Ratio vero est in promptu, cur Rex electionem Æneæ sibi assumpsisset: quoniam unus erat e clericis aulicis, ut colligitur ex epistola Episcoporum ad clerum Ecclesiæ Parisiensis: *Quis enim vel leviter tetigit palatium, cui labor Æneæ non innotuit & fervor in divinis rebus non apparuit?*

IV. Quoniam vero non omnes episcopatibus admoti referebant Æneæ istius mores, sed inexploratæ vitæ & rudes atque imperiti passim promovebantur, saltem in regno Gallicano Lotharii Imperatoris, qui omnia agebat pro arbitrio, ideo Concilium Valentinum anno DCCCLV. congregatum, quid agendum esset in his angustiis præscripsit canone septimo. Ac primum quidem constituit, ut post obitum Episcopi statim a Principe peteretur, ut canonicam electionem clero & populo permitteret. *Sed etsi a servitio pii Principis nostri*, inquiunt, *aliquis clericorum venerit, ut alicui civitati præponatur Episcopus, timore casto sollicite examinetur, primum cujus vitæ sit, deinde cujus scientiæ. Et vigore ecclesiastico sub oculis omnipotentis Dei agat Metropolitanus in hac parte, Episcopis sicut Dei ministris adjutorium ferentibus, ne maculatæ vitæ, & pompis seculi turbidus, & simoniaca hæresi pollutus, humilibus & mundis membris Christi Ecclesiæque ipsius superponatur Episcopus, nec præsumat illiteratum & cupiditate nimia cæcatum, redditurus facti sui rationem, populo Dei præficere.* Sane in regno Caroli examen ordinandi mansit integrum penes Metropolitanos, ut diximus. Quod in regno Lotharii aliter se habebat. Ideoque Concilium hortatur Episcopos, ut, si rudis & improbatus ingeratur e palatio Episcopus, adeant Imperatorem cum clero & populo, ut *Ecclesiam Dei gloriosus Imperator digno honoret ministro.*

V. Quando intra consensus terminos Reges se continebant, Pontifices quoque Romani ejus rationem habendam docebant; ut patet ex epistola Joannis octavi ad Aripertum Ebredunensem Episcopum anno DCCCLXXVIII. Hic Valdenum, *quem clerus & populus civitatis Venciensis elegerat, pieque memoriæ Imperator suo consensu firmaverat*, noluit consecrare post mortem Imperatoris, sed alium absque Ecclesiæ consensu. Quare Joannes Archiepiscopo & partibus præcipit, ut Romam veniant pro tanti negotii discussione.

VI. Ceterum non adeo se demittebant Romani Pontifices in hoc electionum negotio, quin aliquando sui loci memores essent. Cum divisio ex gravi

gravi partium contentione exorta esset in Ecclesia Lausanensi de Episcopi electione, Joannes VIII. severe interdicit Theodorico Archiepiscopo Bisuntinensi, quatenus *ibi Episcopum neque jussu Regis, neque expetitu plebis, consecrare præsumat*, donec *communi consulto*, quem utiliorem præviderint, consecrari permittant de more. Hieronymum huic Ecclesiæ Joannes præfici voluit: sed, qui ab initio non intervenerat, Regis consensum a Carolo Crasso ipse Pontifex suppliciter petivit, testatus, *illum Regi fidelem in omnibus propriumque esse, sicut ceteri regni Episcopi existunt.*

VII. Attamen reticenda non est Caroli Crassi erga quasdam Ecclesias benigna propensio, quas libertate canonica electionum in perpetuum donavit. Hoc beneficium contulisse Ecclesiæ Genevensi scribit Joannes epist. 281. Eidem Ecclesiæ electionem perenniter de proprio clero donaverat. Profert quoque vir clarissimus Sirmondus tomo tertio Conciliorum Galliæ, ejusdem Caroli præceptum Cabilonensi Ecclesiæ indultum anno DCCCLXXXV. *ut obeunte pastore proprio, omni deinceps tempore canonicam habeat electionem.*

Vide Notas Baluzii ad Concilia Galliæ Narbon. pag. 34.

VIII. Temporis progressu non est imminuta potestas regia in electionibus, licet per bella domi forisque gesta valde debilitata fuerit in rebus civilibus sub Carolo simplice. Ejus rei fidem facit Joannis Papæ decimi epistola anno DCCCCXXI. scripta ad Herimannum Coloniensem, quæ edita est Tomo III. Conciliorum Galliæ. Hilduinus Ecclesiæ Tungrensis episcopatum ab Henrico Rege Germaniæ bellum adversus Carolum gerente precibus & pretio impetravit; seque consecrari ab Herimanno Coloniensi vi metuque compulso per Gislebertum obtinuit. Quod factum aperte contra jus Caroli, in cujus regno sita erat civitas Leodium, sive Legia, (utroque enim nomine dicitur a Joanne) ubi erat sedes Ecclesiæ Tungrensis. Vacanti sedi præficiendum Carolus elegit Richerium Abbatem, adjuncto quoque cleri & populi consensu. Delata dissidii istius querela ad Joannem decimum illique a Berengario Imperatore consanguineo Caroli commendata, præcipit Herimanno Joannes, ut Romam cum Hilduino Richerio accedat ad definiendam hanc controversiam. Interim illum objurgat ob spretam Caroli auctoritatem. *Valde mirari non distulimus*, inquit, *cur contra rationem absque Regis jussione agere pertentastis, cum vobis reminiscentibus hoc nullo modo esse debeat, ut absque regali præceptione in qualibet parochia Episcopus sit consecratus.* Hujus antiqui moris originem a Romanorum Pontificum auctoritate profectam docens, usum illum in posterum observari jubet: *Ut prior antecessorum suorum Regum mos fuit, eum ita illibatam atque inconcussam dominationem obtinere delectamur. Et sicut priores suos antecessores nostrorum antecessorum auctoritate Episcopum per unamquamque parochiam ordinare probabiliter statutum est, ita ut Carolus Rex faciat, confirmando jubemus.* In epistola ad Carolum ad priscam consuetudinem & regni dignitatem hoc refert: *De hoc, quod Gislebertus contra vestra sceptra inutiliter gessit, valde doluimus, eo quod prisca consuetudo & regni nobilitas censuit, ut nullus Episcopum ordinare debuisset absque Regis jussione.* Necessitatem assensus regii aperte prædicat. Neque enim de nominatione electioni prævia intelligendum puto.

IX. Continuata est hæc potestas a sequentibus Regibus, ut fidem facit Artaldus Episcopus Remensis apud Flodoardum lib. III. historiæ Remensis cap. XXXV. qui se electum ait a clero & populo, dante illis Rodulfo Rege *id agendi facultatem ad Dei honorem & sui fidelitatem*. In Chronico Frodoardi anno DCCCCLII. eligitur Odolricus ad Remensem episcopatum, *favente Lothario Rege*. Quam ob rem non dubitat Adalbero Remensis in decreto suo de reformatione cœnobii Mosomensis anno DCCCCLXXXIII. profiteri, *sibi episcopium gratia Dei & benignitate regia contraditum.* His addi potest apertum testimonium Gerberti in epistola LXXX. ad Virdunensem Ecclesiam: *Pastorem tuum voluntate hereditarii Regis*, (id est, Ludovici filii Lotharii) *consensu & favore comprovincialium Episcoporum electum, ac insuper episcopali benedictione donatum, adhuc pertinax minime recognoscis.* Mox: *Idea pastorem non recognoscis, quia Regem tuum regno privare moliris.* Unde colligi quoque potest, Episcopos tunc persuasum habuisse, cum Regis assensu Episcopos provinciales, non expectata cleri & plebis voluntate, potuisse Episcopum eligere atque ordinare.

X. Initio tertiæ Regum nostrorum dynastiæ perseveravit prior illa consuetudo assensus regii. Quod testatur decretum electionis Arnulfi in Episcopum Remensem factum ab Episcopis provinciæ *cum omni clero, acclamante populo, orthodoxis Regibus Hugone & Roberto consentientibus*, anno nongentesimo octuagesimo nono. Iidem Episcopi, post abdicationem Arnulfi, elegerunt Gerbertum *favore & conniventia utriusque Principis Domini Hugonis Augusti & excellentissimi Regis Roberti, assensu quoque eorum, qui Dei sunt in clero & in populo.*

CAPUT XVII.

De origine juris Regaliarum generatim.

SYNOPSIS.

I. Ventum est tandem ad tractatum de jure regaliæ. Materia isthæc omnino bene tractata est, quoad quæstiones, quæ in foro occurrunt. Nemo tamen ejus juris originem hactenus secutus est. Referuntur in aversione variæ plurimorum sententiæ.

II. Itaque visum est inquirere accurate ac diligenter in hanc materiam quæ valde nobilis est.

III. Pasquierius censebat, difficile ostendi posse originem juris regaliæ. Plurimum autem confert ea investigatio, ut agnosci possit, quid statuendum sit in lite, quæ ab Agentibus generalibus in rebus cleri mota est pro asserenda libertate quarumdam Ecclesiarum.

IV. Jus illud non successit in locum investiturarum. Diversum enim non est ab investituris.

V. Consilium operis explicatur.

I. Agendum itaque deinceps nobis est de jure regaliæ, quod ea sit præcipua libri hujus scribendi causa. Et in antecessum quidem admonendus est lector, eam materiam prorsus bene tractatam esse a viris perquam eruditis, quoad quæstiones, quæ in foro occurrunt, de modis videlicet acquirendi & conservandi beneficii juri regaliæ obnoxii. Nondum tamen repertus est quisquam, qui ejus originem assecutus sit, neque ipsius vocabuli, quo jus illud significatur. Id unum pertinaciter asseritur, jus regaliæ ab ipsis regni initiis exortum, regiæ majestati connexum vinculis arctissimis; sive ita visum Episcopis in gratiam Clodovei Regis ad Christianam fidem conversi, ut placuit quibusdam; sive tandem quod ea auctoritas ita principatui competat, ut necessarius non fuerit prævius Episcoporum consensus. Tum jus illud ideo regaliam vocari, quod mere regium sit & vel inter nobiliores regiæ dignitatis partes recensendum; adeo ut, cum soli Regi competat, cum nemine alio communicari possit; exclusis etiam ab eo jure iis, penes quos sub Rege puero administrandæ reipublicæ cura est, quos *Regentes regni* recepto jamdiu vocabulo nominamus. Eo enim tantum dedit eorum sententia, qui materiam istam omnium accuratissime tractaverunt.

II. Verum quoniam illi in limine substiterunt, neque ad originem juris pervenere, quod a suis haud

haud dubie initiis profectum est, cum tamen adeo illustre sit argumentum, ob dignitatem Regis & Episcoporum, quos ea res tangit, ut credi vix possit, ita obscuram esse hanc materiam, quin deprehendi possint hujusce juris initia & progressus, facturum me operæ pretium existimavi, si in eam curam diligenter & accurate incumberem; præsertim cum ex ea causa regnum & sacerdotium non semel dissociata sint, atque ad institutum meum omnino pertineat.

III. Deterrebat me tamen, fateor, ab ea investigatione viri clarissimi Stephani Pasquierii auctoritas, qui in suis illis Disquisitionum Francicarum libris adnotavit, nondum a quoquam proditam fuisse originem regaliæ, neque id injuria, nam si quid in nostra historia obscurum est, id in primis prædicandum esse de hac materia. Referam autem ipsa viri verba: *Qui ait donné l'ancienneté de la regale, je ne l'ay encore veu; non sans cause. Car s'il y a obscurité en nostre histoire, c'est en celle-cy*. Sed præterquam, quod instituti mei ratio postulat, ut inquiram in originem juris, quæ adhuc sub judice lis est, an jus illud regaliæ porrigatur ad universas regni Ecclesias, id quoque exigere videtur. Deprehensa enim semel origine hujus juris, facilius intelligemus, quidnam videatur statuendum in causa, quam in sacrum consistorium attulerunt Agentes generales in rebus cleri, qui quamplurimas regni Ecclesias ab eo jure exemptas & immunes esse contendunt.

Recherches de Pasquier liv. 3. ch. 35.

IV. Itaque procul ab eorum sententia recedo, qui ævo Ludovici XI. nomine Parlamenti Parisiensis apud Regem orantes pronuntiarunt, jus illud regaliæ successisse in locum investiturarum. Nam contendo, diversum illud non esse ab investituris, quin imo ipsas esse investituras, prout cum consensu Regum nostrorum modificatæ fuerunt in Conciliis Claromontano & Remensi & a Callisto secundo Papa anno millesimo centesimo vigesimo secundo, & prout usu ipso explicatæ sunt post tempora ejusdem Pontificis.

V. Ad explicandam autem opinionem meam necessarium videtur ostendere, quid antiqui canones in Gallia recepti præceperint quoad fructus episcopatuum vacantium, quid dein ex vetusto illo jure immutatum sit, & quæ tandem causæ fuerint harum immutationum. Tum de investituris instituenda quæstio, quæ per multum ævi Ecclesiam commoverunt. Quo loco docendum erit, quid eo nomine intelligerent majores nostri, quinam esset earum usus in Gallia, ubi primum titulo concessionis usurpatæ sunt, ac dein investiturarum, demum vero sub vocabulo regaliæ.

C A P U T XVIII.

De prisca bonorum ecclesiasticorum indole, ratione & administratione & spoliis Episcoporum non diripiendis.

S Y N O P S I S.

I. Vetus Ecclesia nullos reditus habebat præter oblationes fidelium. Post Constantinum Ecclesiæ locupletatæ sunt pluribus latifundiis, liberalitate fidelium. Quarto demum seculo inter ordinarios cleri reditus numerabantur fructus ex agris & possessionibus Ecclesiæ.

II. Quoniam vero agri illi maximam habebant invidiam, plebem eorum curam in se suscipere rogabat Augustinus, vitandæ invidiæ. Verum id obtinere non potuit a laicis, ut docet Possidius.

III. Eandem ob causam, & ne suspicioni avaritiæ paterent Episcopi, quibus bonorum ecclesiasticorum cura incumbebat, Concilium Chalcedonense statuit, ut in unaquaque Ecclesia cathedrali œconomus institueretur, e clero illius Ecclesiæ eligendus. Quæ institutio legibus quoque Principum confirmata est.

IV. Eam renovarunt Concilia Hispaniæ: quam in usum revocavit Gregorius magnus. Septima synodus œcumenica edicit, ut, si Episcopus fuerit negligens in instituendo œconomo, negligentiam ejus suppleat Metropolitanus, quod & a Patriarcha fieri jubetur quoad Ecclesias Metropolitanas. Ætate Zonaræ hæc institutio non observabatur in oriente.

V. Oeconomus ergo bona Ecclesiæ administrabat vivente Episcopo, itemque post mortem ejus, ex præscripto Concilii Chalcedonensis, quo jubetur, ut bona Ecclesiæ vacantis futuro antistiti conserventur ab œconomo. Explicatur canon Chalcedonensis.

VI. Propria Episcopi bona pertinent ad eos, quos ipse hæredes suos testamento esse jusserit, quod probatur variis auctoritatibus. Si vero decesserit intestatus, tum propinquos ejus heredes esse oportet, secundum canonem apostolicum itemque Antiochenum, quod Balsamoni quoque placitum.

VII. Eadem est sententia canonis XXII. synodi Chalcedonensis, qui explicatur. Notatus Innocentius II. Papa, qui sensum hujus canonis non cepit.

VII. Notati etiam Zonaras & Balsamo, qui prorsus male ceperunt sensum ejusdem canonis Chalcedonensis.

IX. Bona Episcopi ex reditibus Ecclesiæ comparata pertinent ad Ecclesiam, ex can. XXIV. Antiocheno. Universa Episcoporum morientium bona in suos usus vertebant Metropolitani in oriente, quam consuetudinem sustulit Concilium Trullanum.

X. In occidente quoque clerici intervertere tentabant bona mobilia Episcopi mortui. Vetitum id a Concilio Ilerdensi. Idipsum, quoad laicos, prohibuerunt Urbanus II. & Innocentius II.

XI. Antiqua Concilia Gallicana decreverunt, bona Ecclesiarum vacantium ac spolia Episcoporum decedentium servari debere, expendenda in utilitatem Ecclesiæ & pro futuro successore. Potestates pervadere cœperunt res Ecclesiæ post mortem Episcoporum paulo ante Concilium Troslejanum.

ADDITIO) Bona morientium Episcoporum a laicis diripi prohibuerunt Urbanus secundus & Innocentius secundus, itemque Callistus secundus. Referuntur canones Concilii Tolosani sub Callisto habiti, antehac non editi. Raimundus Comes Barcinonensis pollicitus est, se deinceps non invasurum bona Episcoporum provinciæ Tarraconensis. Exemplum illud sequuta est Ermengardis Vicecomitissa Narbonensis, laudata ob hoc ab Hadriano quarto Papa. Attamen in Gallia Narbonensi perseverabat ea consuetudo ævo Gregorii IX. & Innocentii IV.

I. VEtus Ecclesia nullis aliis reditibus ad suppeditandas expensas alendis Episcopis & clericis sive etiam pro juvanda inopum paupertate necessarias fruebatur præter oblationes fidelium: quæ, ut adnotavit Irenæus, eo usque assurgebant, ut decimam redituum partem egrederentur, quo manifestum omnibus esset, charitatem Christianorum longe esse supra Judæorum pietatem. At postquam Constantinus magnus Imperator Christianis fecit potestatem relinquendi quandam bonorum suorum partem clero, quem lex vocat *sanctissimum Concilium*, tum liberalitate fidelium locupletatæ sunt Ecclesiæ pluribus latifundiis. Præterea Episcopi ex pecunia publica augebant patrimonia Ecclesiarum, metuentes videlicet, ne refrigescente paulatim charitate Christianorum, pauperum tandem nulla cura esset, quemadmodum adnotavit Chrysostomus, qui plebis crudelitatem acriter exagitat, quod parsimonia sua Episcopos adegisset ad curam rerum secularium. Itaque quarto seculo inter ordinarios cleri reditus numerabantur fructus ex agris & latifundiis Ecclesiæ collecti, ut patet ex canone XXV. Concilii Antiocheni, quo statuitur, ut ii proventus ex decreto Episcopi & ex sententia Presbyterorum & Diaconorum impenderentur ad alendum Episcopum & clerum & ad juvandos pauperes.

L. 1. Cod. de sacros. Eccles. *Vnusquisque sanctissimo venerabilique Concilio discedens bonorum: quod optavit, possit relinquere.*

Chrysostomus homil. 86. in Matth. hom. 21 in 1. Cor. & homil. 37. ad populum Antiochen.

II. Secundum hac institutionem legimus apud

Possidium in vita Augustini cap. XXII. Episcopum illum Hipponensem pauperibus erogare solitum aliquid ex reditibus patrimoniorum Ecclesiæ, vel ex oblationibus fidelium. Quoniam vero agri illi Ecclesiæ maximam habebant invidiam, & ob id clerici acerbe traducebantur malevolorum quorundam linguis & sermonibus, huic malo mederi cupiens Augustinus, plebem horum latifundiorum curam in se suscipere rogabat, ut ea ratione clerici ab ea administratione liberarentur, quo vivere deinceps cogerentur ex solis oblationibus Christianorum. Verum id obtinere non potuit a laicis. *Pauperibus erogabat*, inquit Possidius, *vel ex reditibus possessionum Ecclesiæ, vel etiam ex oblationibus fidelium. Et dum forte, ut assolet, de possessionibus ipsis invidia clericis fieret, alloquebatur plebem Dei, malle se ex collationibus plebis Dei vivere, quam illarum possessionum curam vel gubernationem pati. —— Sed nunquam id laici suscipere voluerunt.* Idem conatus infeliciter quoque cessit magno illi viro Joanni Chrysostomo Episcopo Constantinopolitano: qui, ut administrationem patrimonii ecclesiastici a se removeret, populum Constantinopolitanum orabat eam curam suscipere. *Quare rogo & obsecro*, inquit ille in homilia LXXXVI. in Matthæum, *aream & torcular vestram devotionem fieri. Sic enim & pauperes facilius alentur, & Deus glorificabitur.*

III. Enim vero quoniam necessaria erat cura extraordinaria in recipiendis & expendendis reditibus universæ diœceseos, ac præterea ne hinc adversus Episcopum oriri posset suspicio avaritiæ, vel fortean is dilapidasse crederetur pecuniam publicam, can. XXVI. Concilii Chalcedonensis statutum est, ut in unaquaque Ecclesia episcopali œconomus institueretur e clero illius Ecclesiæ eligendus. Id postea confirmatum est ab Imperatoribus; quorum leges extant in Nomocanone Photii tit. X. cap. I. & in Codice Justiniani. Jubent enim Principes, ut Episcopi ministros hujuscemodi constituant; ac nonnulla statuunt observanda circa eorum administrationem, tum pro referendis rationibus.

Conc. Hispal. 2. c. 9. Tolet. 4. c. 47. Gregor. I. lib. 2. ep. 22. & lib. 9. ep. 66.

IV. Concilium Hispalense secundum & Toletanum quartum renovarunt constitutionem Concilii Chalcedonensis. In usum autem eam revocans Gregorius magnus, quendam Episcopum compelli jubet ad instituendum œconomum. Synodus vero Nicæna secunda, quæ est septima œcumenica, jubet in canone undecimo, ut, si Episcopus quispiam negligat instituere œconomum, Metropolitanus illius suppleat hanc negligentiam, quod & ipsum observari a Patriarcha jubet quoad Ecclesias metropolitanas, si negligentia similis fuerit in Metropolitanis. At Zonaras adnotat in commentario ad hunc canonem, institutionem illam in usu non fuisse ætate sua apud Ecclesiam orientalem; quemadmodum in occidente quoque omissa est, postquam bona Ecclesiarum inter Episcopos & Capitula fuere divisa.

V. Non solum autem diœceseos bona vivente Episcopo administrabat œconomus, sed etiam postquam is abierat e vita. Nam in eo casu Concilium Chalcedonense præcipit can. XXV. ut reditus Ecclesiæ viduatæ conserventur integri apud œconomum: τὴν μέντοι πρόσοδον τῆς χηρευούσης Ἐκκλησίας σώαν παρὰ τῷ οἰκονόμῳ τῆς αὐτῆς Ἐκκλησίας φυλάττεσθαι. Hunc canonem ex versione Dionysii Exigui refert Gratianus dist. LXXV. his verbis: *Reditus vero viduatæ Ecclesiæ integros reservari apud œconomum ejusdem Ecclesiæ.* Sed ex eo capite laborat hic canon, quod non doceat præcise, quamnam ob causam reditus illi conservandi sint ab œconomo: quam tamen colligere licet ex canone secundo Concilii Valentini, in quo statuitur, ut Metropolitanus œconomum instituat in Ecclesia vacante, qui & redituum administrationem suscipiat, & sumptus suppeditet clericis Ecclesiæ, ea tamen lege, ut rationem eorum redituum futuro episcopo reddere teneatur. *Ut sede episcopali vacante*, inquit canon, *Metropolitanus ex ea œconomum deputaret, qui clericis stipendia dispensaret & bona administraret, futuro Episcopo rationem redditurus.* Eadem ratione, & quidem apertius, canonem XXV. Chalcedonensem explicat Zonaras in suis commentariis. Ait enim, si forte contingat, ordinationem Episcopi differri per trimestre aut etiam longius spatium temporis, tum futuro Episcopo servandos esse reditus apud œconomum, qui impendia necessaria præstabit, onera episcopatus sustinebit, reliquum vero servabit: ἡ πρόσοδος φυλάττεσθαι ὀφείλει τῷ χειροτονηθησομένῳ Ἐπισκόπῳ παρὰ τοῦ οἰκονόμου Ἐκκλησίας, ποιοῦντος τὰς ἀναγκαίας ἐξόδους τῆς Ἐπισκοπῆς, τὰ δὲ περιττεύοντα ἴσως φυλάττοντος. Zonaras in can. 25. Conc. Chalced.

VI. Præter fructus vero, qui sede vacante colliguntur, aliud quoque bonorum genus est, quæ in controversiam deducuntur post obitum Episcopi, bona nimirum ejus, sive ea mobilia sint, sive immobilia. Cui difficultati provisum est in canone XXIV. Concilii Antiocheni, juxta canones apostolicos. Nam distinguens hic canon bona propria Episcopi ab iis, quæ ex reditibus Ecclesiæ profecta erant, præcipit, ut summa penes Episcopum libertas sit heredes eorum bonorum testamento scribendi, in quorum possessione fuerat ante ordinationem, sive etiam eorum, quæ dein ad eum donatione, successione, aut emptione pervenerint, modo ne nomen aut reditus Ecclesiæ ad eam emptionem insumpti fuerint, quod & leges etiam Imperatorum sancivere, ac præterea Concilium Agathense can. XXXIII. & Toletanum octavum can. IV. At si Episcopus moriatur intestatus, tum propinquos ejus heredes esse oportet, secundum canonem apostolicum itemque Antiochenum. Quod Theodoro quoque Balsamoni placitum, cujus ea sunt verba in commentario ad can. XXII. Concilii Chalcedonensis: ἀπογραφῆς δὲ γινομένης, ἐὰν ἀδιάθετος ὁ Ἐπίσκοπος τελευτήσει, νομίζω ὅτι κατὰ νόμους ὑπὸ τῶν ἐξ ἀδιαθέτου καλουμένων προσγενῶν αὐτοῦ κληρονομηθήσεται.

VII. Addam vero, videri prorsus, eam esse veram mentem can. XXII. Concilii Chalcedonensis; in quo prohibetur, ne post decessum Episcopi clerici invadant bona, quæ propria erant Episcopi, id est, in detrimentum heredum aut propinquorum ipsius Episcopi. Docet præterea canon ille reditus Ecclesiæ servandos esse in usus Ecclesiæ, non autem a clericis vertendos in propria commoda. Quæ explicatio confirmatur auctoritate horum verborum Latinæ versionis: *sicuti præcedentibus regulis constitutum habetur.* Nam superiorum Conciliorum canones discrimen adhibuerunt inter propria Episcopi bona, quæ ad propinquos ejus pertinere decernunt, & bona ecclesiastica, quæ cedere debent in utilitatem Ecclesiæ. Quare integrum & perfectum hujus Chalcedonensis canonis sensum non cepit Innocentius II. in Concilio Lateranensi; qui existimat, eam legem, quæ pervadi Episcopi mortui bona vetat, capiendam tantum esse de bonis, quæ ad Ecclesiam & futurum Episcopum pertinere debent.

VIII. Inutile porro non erit, heic per transennam adnotare, pessimam esse lectionem a Zonara & Balsamone adductam in suis commentariis ad canonem hunc XXII. Chalcedonensem, eamque adversari ei, quæ extat in editionibus Græcis, quam secutus est Dionysius Exiguus: καθὼς καὶ τοῖς παραλαμβάνουσιν ἀπηγόρευται. quod illi explicant de clericis sive Metropolitanis, qui susceperunt custodiam bonorum mobilium Episcopi defuncti. Eam autem interpretationem hauserunt ex can. XXXV. sextæ synodi: quæ tamen Chalcedonensi posterior est, & abusum noviter emergentem emendat, cui nulla superiorum synodorum providerat. Unde sequitur, eam patribus Chalcedonensibus mentem esse non potuisse, ut abusum illum abolere cogitaverint, qui nondum fuerat usurpatus.

IX. Ceterum quoad bona Episcopi ex reditibus Ecclesiæ comparata, Concilium Antiochenum in eo-

in eodem canone XXIV. aperte pronuntiat, ea pertinere ad Ecclesiam: τὰ μέν τοι τῆς Ἐκκλησίας αὐτῆς φυλάττεσθαι. Metropolitanorum nihilominus avaritia pessimam quandam consuetudinem invexerat in orientem. Nam prætextu curæ, quæ eis incumbebat in procuranda electione Episcopi in sede vacante, invadebant bona propria decedentis Episcopi atque etiam ea, quæ ad Ecclesiam ejus pertinebant, eaque vertebant in suos usus. Id severe prohibuit synodus in Trullo canone XXXV. quo decernitur, ut ea bona a clero illius civitatis conserventur usque ad ordinationem futuri Episcopi; vel certe, si clerici illic nulli forent, ea Metropolitanum jubet servare successori.

X. In occidente quoque clerici intervertere tentabant bona mobilia Episcopi mortui. Quod fieri deinceps vetuit Concilium Ilerdense canone XVI. in quo decernitur, ut *omnia usque ad tempus substituendi Pontificis conserventur his, qui in domo inveniuntur, clericis consuetam alimoniam ministrando.* Id ipsum quoad laicos, qui bona mobilia decedentium Episcoporum invadebant, prohibuit Urbanus secundus in Concilio Claromontensi anno MXCV. itemque Innocentius secundus in Concilio Lateranensi anno MCXXXIX. quorum decreta adfert Gratianus 12. *q.* 2.

Cap. hæc 12. q. 2.

XI. Ideo autem antiquas regulas canonicas adducere heic placuit, ut omnes intelligerent, reditus patrimoniorum Ecclesiæ vacantis ac spolia Episcoporum decedentium nunquam pertinuisse ad Principes, quin imo universa hæc emolumenta servari debuisse expendenda in utilitatem Ecclesiæ & pro futuro successore. Quod adeo placuit vetustis illis Episcopis Gallicanis, ut jus illud in canonibus eorum fuerit constitutum, in Concilio nempe Rejensi, habito anno CDXXXIX. canone quinto, in Francofordiensi anno DCCXCIV. can. XLI. in Pontigonensi anno DCCCLXXVI. can. XIV. & in Trossejano anno DCCCCIX. can. XIV. ex quo colligere licet, tum cœpisse invalescere usum illum occupandi spolia Episcoporum: *Quia inter nostrates hic pessimus inolevit mos, ut defuncto Ecclesiæ Episcopo mox a quibuscunque potentioribus pervadantur res Ecclesiasticæ.*

ADDITIO STEPHANI BALUZII.

PEssimam illam consuetudinem, qua receptum ubique in occidente erat, ut bona morientium Episcoporum diriperentur a laicis, coercitam esse ab Urbano II. & ab Innocentio II. recte adnotat illustrissimus Archiepiscopus. Et Urbani quidem decretum, in synodo Claromontana factum, a nobis editum est supra in additione ad cap. XXXI. lib. VI. ex veteri codice MS. monasterii Anianensis, qui nunc extat in bibliotheca Colbertina. Post Urbanum, & ante Innocentii tempora, Callistus secundus idem statuit anno MCXIX. in Concilio Tolosano, ut testatur Bernardus Guidonis Episcopus Lodovensis his verbis a Catello relatis in libro quinto Memoriarum historiæ Occitanicæ pag. 877. *Primitiæ quoque, & decimæ, oblationes & bona cætera deficientis Episcopi & clericorum fuerunt Principibus & quibuscunque laicis sub pœna sacrilegii interdicta.* Sed extant in eodem codice Anianensi canones synodi illius a Callisto secundo in cathedrali Ecclesia sancti Stephani celebratæ; quos, cum nondum editi fuissent, nos anno MDCLXIII. his dissertationibus adjunximus, sicuti nunc etiam adjungimus.

CONCILIUM TOLOSANUM
Habitum Anno MXCIX.

ANno ab incarnatione Domini MCXX. Indictione XII. æra millesima centesima quinquagesima octava, epacta VII. concurrente II. octavo Idus Junii, præsidente venerabili Calixto Papa II. anno pontificatus sui primo in Concilio Tolosano una cum Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus Provinciæ, Gotiæ, Gasconiæ, Hispaniæ, & citerioris Britanniæ, hæc sunt capitula recitata & assensu totius Concilii confirmata. Vide T. VI. Spicilegii p. 25.

I. Sanctorum patrum vestigiis insistentes ordinari quemquam per pecuniam in Ecclesia Dei vel promoveri auctoritate sedis apostolicæ omnimodis prohibemus. Si quis autem sic ordinationem vel promotionem acquisiverit, acquisita prorsus careat dignitate.

II. Nullus etiam in Præpositum, nullus in Archipresbyterum, nullus in Decanum nisi Presbyter, nullus in Archidiaconum nisi Diaconus ordinetur.

III. Porro eos, qui religionis speciem simulantes dominici corporis & sanguinis sacramentum, baptisma puerorum, sacerdotium, & ceteros ecclesiasticos ordines, & legitimarum damnant fœdera nuptiarum, tanquam hæreticos ab Ecclesia Dei pellimus & damnamus, & per potestates exteras coerceri præcipimus. Defensores quoque ipsorum eodem damnationis vinculo, donec resipuerint, innodamus.

IV. Primitias, decimas, oblationes, & cimiteria, domos etiam, & bona cetera deficientis Episcopi & clericorum a Principibus vel quibuslibet laicis diripi & teneri penitus interdicimus. Qui vero pertinaciter ista præsumpserint, ab Ecclesiæ liminibus tanquam sacrilegi arceantur.

V. Liberos homines, clericos, seu laicos, nulla omnino ecclesiastica secularisve persona vinculo servitutis addicat.

VI. Nullus clericorum pro ecclesiasticis beneficiis servire laicis compellatur.

VII. Quartam decimarum & oblationum partem ad Episcopum pertinentem nullus auferre præsumat.

VIII. Nullus Episcopus, nullus Presbyter, nullus omnino de clero ecclesiasticas dignitates vel beneficia cuilibet quasi jure hereditario derelinquat.

IX. Illud etiam adjicientes præcipimus, ut pro sacri olei & chrismatis & sepulturæ acceptione nullum venditionis pretium exigatur.

X. Si quis ecclesiasticæ militiæ titulo insignitus, monachus, vel Canonicus, aut etiam quilibet clericus, primam fidem irritam faciens, retrorsum abierit, aut tanquam laicus comam barbamque nutrierit, Ecclesiæ communione privetur, donec prævaricationem suam digna satisfactione correxerit.

Post habita illa Concilia Raimundus Comes Barcinonensis scripto pollicitus est anno millesimo centesimo trigesimo septimo, biennio ante Concilium Lateranense Innocentii, se deinceps invasurum non esse bona Episcopi Barcinonensis, quod postea porrectum est anno MCL. ad omnes cathedrales Ecclesias provinciæ Tarraconensis, laudabili exemplo. Illud enim paulo post secuta est religiosissima femina Ermengardis Vicecomitissa Narbonensis; quæ similem sponsionem Petro Narbonensi Archiepiscopo fecit anno MCLV. confirmatam dein ab Hadriano quarto summo Pontifice. Sed præstat heic describere ipsa eorum acta, partim ex Chartulario Ecclesiæ Barcinonensis, partim etiam ex Chartulario Archiepiscopi Narbonensis.

Privilegium, quod Raimundus Comes Barchinonæ & Marchio dedit, promisit & vovit Deo & Episcopo Barcinonensi, se non emperare de aliquid sui episcopatus in morte vel vita.

Ex Carthulario Ecclesiæ Barcinonensis.

AD æterni Regis honorem, nec non ad sanctæ Crucis sanctæque Eulaliæ sedis utilitatem. Ego Raimundus Dei gratia Barchinonensis Comes & Marchio, æquo animo, sincero affectu dono, voveo, offero omnipotenti Salvatori nostro Deo, atque Arnallo Barchinonensis sedis electo, & omni ejusdem Ecclesiæ Canonicorum venerabili cœtui, quod ab hodierna die inantea bona Episcopi ejusdem sedis aut res, quæ possessioni ejus pertinere videantur, sive in vita, sive post mortem, nullius personæ consilio imparem, nec imparari faciam, neque auferam, neque auferri faciam, nec alicujus occasionis ingenio defraudem, vel defraudari faciam. Sed deinceps ea sub tuitione mea recipio; ut semper omnia sub defensionis meæ auxilio tueantur & potenter regantur. Adjicio iterum, quod Arnallo Barchinonensis Eccle-

Ecclesiæ electo adjutor sum & defensor ad omnem sui episcopatus honorem habendum, tenendum & possidendum, & quod omnia suprascripta fideliter impleam; exceptis tantummodo castellis, in quorum causis sive stabilimentis fuerim necessarius. Hoc autem devotionis meæ propositum nullus successorum meorum transgredi vel violare præsumat; sed omnis progenies mea hæc in perpetuum fideliter impleat. Quod est actum II. Kal. Julii anno dominicæ incarnationis CXXXVII. post millesimum, Regisque Francorum junioris primo.

Ex Chartulario Ecclesiæ Barcinonensis, & ex archivo Episcopi Gerundensis.

Privilegium, quod Raimundus Comes Barchinonensis & Princeps Arragonum & Marchio in exercitu Almeriæ promisit Deo, quod in morte Episcoporum nil raperet vel acciperet de rebus defuncti.

AD notitiam omnium fidelium volumus pervenire, qualiter ego Raimundus nutu Dei Comes Barchinonensis, Princeps Arragonum, ac Marchio, dum olim essem in procinctu itineris Almeriæ, divina mihi inspirante clementia votum vovi Domino Deo, atque in manu Domini B. Tarraconensis Archiepiscopi aliorumque Episcoporum, videlicet G. Barchinonensis, B. Gerundensis, P. Ausonensis, qui tunc ibi aderant, donavi, quod quandam nefariam consuetudinem, quæ quondam extiterat in cathedralibus Ecclesiis nostri regiminis extirparem & abolerem. Erat enim consuetudo, ut decedentibus Episcopis bona pontificalia, quæ in palatiis & in castris & in dominicaturis ipsorum inveniebantur a Bajulis & Vicariis patris mei & aliorum prædecessorum meorum diriperentur & distraherentur. Quod quia agnovi alienum esse a divinis legibus & humanis, supradictam detestabilem consuetudinem, sicut tunc verbo delevi, sic nunc præsenti scripto in perpetuum evacuo & derelinquo, sicut melius ad utilitatem & dignitatem ipsarum sedium intelligi potest; ita videlicet, quod nec ego, nec ullus de filiis vel successoribus meis, nec aliquis vivens per nostram vocem in cathedralibus Ecclesiis & in earum castris & dominicaturis hoc deinceps possit exigere, expetere, vel habere. Sed omnia, quæcunque tam in pane, quam in vino, pecoribus, & pecudibus, & omnibus domorum utensilibus, omnibusque ad jus ipsorum episcopatuum pertinentibus a decedentibus Episcopis fuerint congregata, cum omni integritate successoribus Episcopis tradantur profutura. Hanc diffinitionem & evacuationem facio propter amorem Dei & remedium animæ meæ & parentum meorum, & ut omnipotens in hoc & in futuro seculo mihi indulgeat. Hoc decretum nostræ diffinitionis & evacuationis si quis infringere tentaverit, nisi resipuerit & satisfecerit, iram Dei omnipotentis incurrat. Quod est actum VIII. Idus Augusti anno dominicæ incarnationis MCL. apud Gerundam, in anno regni Ludovici junioris XIV.

Ex Chartulario Archiepiscopi Narbonensis.

In nomine Domini Jesu. Anno ab incarnatione ejus MCLV. Notum sit omnibus, ad quorum auditum ista devenerint, quod ego Ermengardis Narbonensis Vicecomitissa recognoscens injuriam, quam parentes mei & ego in possidendis honoribus & bonis diripiendis decedentium Archiepiscoporum Narbonensis Ecclesiæ huc usque perperam fecimus, justitiæ instinctu, & pietatis intuitu, pro remedio animæ meæ & parentum meorum, per bonam fidem, & sine malo ingenio, solvo, guirispo, derelinquo, & cum hac charta omnino desamparo Domino Deo & beatis martyribus Justo & Pastori & tibi Petro Narbonensi Archiepiscopo & successoribus tuis in perpetuum, quicquid videlicet rapere vel aliqua occasione accipere solebam, ego seu aliquis pro me Narbonæ, sive in alio aliquo loco, in honore aut in bonis decedentium Archiepiscoporum perceptis vel percipiendis. Hæc, inquam, omnia ego jam dicta Ermengardis Narbonensis Vicecomitissa per me & per heredes meos solvo atque omni modo Narbonensi Ecclesiæ in pace derelinquo, ita quod nunquam amplius liceat mihi sive heredibus meis per se vel per alios in toto honore & in ceteris rebus ad prælibatam Ecclesiam pertinentibus ad læsionem ipsius Ecclesiæ ulla occasione aliquid accipere. Ceterum, si aliquis Narbonæ, sive apud Crusceadas, in quibus locis ego defuncto Archiepiscopo hanc injuriam exercere solebam, in his, quæ ad Archiepiscopum pertinent, sive sint honores, sive sint fructus percepti vel percipiendi, aut aliqua alia res, occasione defuncti Archiepiscopi aliquid amparaverit vel abstulerit, ego Ermengardis jam dicta Vicecomitissa ad id, quod in jam dictis locis ablatum esset, recuperandum, bona fide & sine enganno supradictam Ecclesiam juvarem & defenderem. Hac igitur ratione ego Petrus supra memoratus Narbonensis Ecclesiæ Archiepiscopus pro hac diffinitione & suprascriptæ injuriæ remissione, consilio Aldeberti Nemausensis, Petri Lodovensis, Artaldi Elenensis Episcoporum, & Bertrandi Abbatis sancti Ægidii, & Poncii & Rotguerii Narbonensium Archidiaconorum, dedi tibi præfatæ Ermengardi Narbonensi Vicecomitissæ duo millia solidos Melgoriensis monetæ. Præterea ego Ermengardis Narbonensis Vicecomitissa recognosco, me jurasse cum charta de sacramentali, tibi Petro memorato Archiepiscopo hæc omnia, sicut superius scripta sunt, me observaturam; & mando atque obligo heredes meos in perpetuum, ut hoc idem sacramentum semper Archiepiscopo, sicut in charta de sacramentali scriptum est, faciant. Factum est autem hoc apud Montempessulanum, mense Januarii, XVIII. Kal. Februarii, die Sabbati, sub Lodoico Francorum Rege de sancto Jacobo redeunte, in præsentia Petri Lodovensis Episcopi & Artaldi Elenensis Episcopi & Poncii & Rotguerii Narbonensium Archidiaconorum &c.

Ex Chartulario Archiepiscopi Narbonensis.

Adrianus Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Berengario Archiepiscopo & dilectis filiis Archidiaconibus & universo clero Narbonensi salutem & apostolicam benedictionem. Quoniam apostolicæ sedis curam Deo, prout ipsi placuit, disponente suscepimus, quieti & paci universarum Ecclesiarum sollicita nos convenit attentione prospicere, & quæ pro earum tranquillitate acta viderimus auctoritate apostolica confirmare; ita ut, quæ semel ad honorem Dei, decorem domus ejus, & salutem fidelium fuerint constituta, nulla diuturnitate temporis in oblivionem neglectumque deveniant, nullaque machinatione pravorum a sua valeant stabilitate moveri. Dilecta vero in Christo filia nostra nobilis mulier Ermengardis Narbonæ domina pravam quandam consuetudinem, quæ contra Deum & Ecclesiam vestram antiquitus inoleverat, divinæ legis amore ac tuæ, frater Archiepiscope, dilectionis intuitu abolere desiderans, ad remissionem peccatorum suorum instituit, ut te vel tuorum successorum quolibet obeunte nullus Princeps, nullus Castellanus, nulla omnino secularis persona episcopalia bona invadere, diminuere, aut perturbare præsumat, sed omnia futuro antistiti inconcussa & integra conserventur. Ejus itaque nos pium comprobantes affectum, & renuntiationem ipsius ratam habentes, eam auctoritate apostolica confirmamus & firmam & illibatam perpetuis temporibus decernimus permanere. Archiepiscopo itaque, quicunque pro tempore fuerit, decedente, nec terræ Princeps, nec Castellanus aliquis, sive Miles, nec secularis aliqua laicave persona sub obtentu alicujus consuetudinis Narbonensis Ecclesiæ bona diripere vel direpta audeat retinere. Si quis autem attentare præsumpserit, & infra quadraginta dies præsumptionem suam satisfactione congrua non correxerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus incurrat, & tanquam sacrilegus fidelium communione privatum & vinculo se noverit excommunicationis adstrictum, & a nemine sine licentia Romani Pontificis aut Legati ex ejus latere destinati possit absolvi. Data Laterani V. Idus Decembris.

Attamen pessima illa consuetudo non adeo abolita fuit in Gallia Narbonensi, tametsi illic sub pœna sacrilegii prohibita fuerit a Callisto secundo & Hadriano quarto summis Pontificibus, ut non & Gregorii noni ævo perseveraverit. Extant enim in archivo Archiepiscopi Narbonensis literæ illius Pontificis ad Archiepiscopum Narbonensem & ad Episcopos Magalonensem & Helenensem, quibus acerbe exagitat morem illum, & invasoribus bonorum episcopalium pœnam excommunicationis intentat. Paritum est fortassis præcepto Gregorii. Sed dein alio titulo hunc morem retinere conati sunt laici, prætextu videlicet conservationis bonorum Ecclesiæ, donec successor Episcopus fuerit ordinatus; ut constat ex epistola Innocentii quarti ad Archiepiscopum Narbonensem & Episcopum Helenensem, quæ extat in eodem archivo, & ex epistola Clementis quarti ad Episcopum Biterrensem, quam descripsimus olim ex archivo Ecclesiæ Tolosanæ. Epistolas illas heic subjicere visum est, cum spectent ad materiam regalium, de qua agitur in hoc libro.

Gregorius Episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus Archiepiscopo Narbonensi & Magalonensi & Elenensi Episcopis salutem & apostolicam benedictionem. Ad audientiam nostram fama referente pervenit, quod Senescalli & Ballivi carissimi in Christo filii nostri illustris Regis Franciæ in Narbonensi provincia constituti, decedentibus Ecclesiarum Prælatis in eadem provincia, castra, villas, & alia bona Ecclesiarum vacantium contra juris debitum usurpare ac id de novo in Ecclesiarum juribus attentare præsumunt, quod nullo tempore a prædecessoribus ipsius Regis vel aliis occasione regalium vel alia extitit attentatum. Unde ipsis nostris dedimus literis in mandatis, ut a prædictorum excessuum præsumptione omnino desistant. Ideoque fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatinus si dicti Senescalli & Ballivi mandatum nostrum neglexerint adimplere, vos eos ab hujusmodi præsumptione cessare monitione præmissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota cogatis. Proviso, ne in terram dictis Regis excommunicationis vel interdicti sententiam proferatis, nisi super hoc a nobis mandatum receperitis speciale. Quod si non omnes iis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Laterani XVII. Kal. Aprilis, pontificatus nostri anno undecimo.

Inno-

Innocentius Episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus Archiepiscopo Narbonensi & Episcopo Elnensi salutem & apostolicam benedictionem. Ad aures nostras Ecclesiæ Gallicanæ querela perferente pervenit, quod nonnulli regni Francorum Barones, Ballivi, Præpositi, ac eorum & aliorum nobilium ejusdem regni officiales eandem Ecclesiam contra libertatem ipsius graviter comprimentes, aliquando per se, aliquando ad mandatum dominorum seu majorum suorum, & interdum motu proprio, res & bona Ecclesiarum, hominum earundem, & ecclesiasticarum personarum capiunt, & interdum capi faciunt per eos, qui suas contra ipsas Ecclesias vel personas exerunt actiones, ut per adversarios gravius infestentur, & capta, ut sic ab ipsis aliquid extorqueant, detinent pro suæ arbitrio voluntatis. Eorum autem aliqui jus talia faciendi sibi ex eo vendicare nituntur, quod cum Ecclesiæ vel personæ ecclesiasticæ sub eorum custodia sive advocatione consistant, ex frequenti exercitio hujusmodi captionis se fore in possessione jurisdictionis hujusmodi exercendæ per ipsos in Ecclesias vel personas ecclesiasticas, homines & res ipsarum, licet peccandi diuturnitas non jus eis sed damnationem afferat, & in subversionem privilegiis ordini clericorum talis actus frequentia in consuetudinem convalescere nequeat, asseverant. Habebat insuper Ecclesiæ præfatæ querela, quod vacantibus interdum Ecclesiis seu monasteriis regni prædicti, si super provisione ipsorum duratura discordia oriatur, iidem Barones & alii Barones prætextu guardiæ seu advocationis ad bonorum temporalium eorundem custodiam dissipatores & consumptores deputant, non custodes, in enormem Ecclesiarum & monasteriorum sæpius læsionem. Feruntur etiam quidam esse Ballivi, Præpositi, & officiales eorum, qui multo carius solito sua emunt officia, spem damnabilis lucri ponentes in servitiis seu exactionibus, quæ ab Ecclesiis, hominibus earum, & personis ecclesiasticis extorquent quodammodo violenter, dum ratione guardiæ seu advocationis hujusmodi eorum nomine, a quibus hujusmodi emunt officia ecclesiastica bona capiunt vel capi mandant aliquando eo tempore, agriculturæ videlicet, messium, ac vindemiarum, quo eisdem majora damna noscuntur, etsi vexationem suam ab ipsis redimant, imminere. Super quibus præfata Ecclesia apostolicum petiit remedium adhiberi. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatinus præfatos Barones, Ballivos, Præpositos, officiales, & alios Narbonensis provinciæ, quotiens opus fuerit, ut ab hujusmodi Ecclesiarum & ecclesiasticarum personarum gravaminibus conquiescant, attente monere ac efficaciter inducere studeatis: & si ad monita fuerint pertinaces, ipsos super iis per excommunicationem in personas & interdictum in terras eorum, appellatione remota, veritate per vos vel per alios cognita, compescatis. Non obstante si eisdem a sede apostolica sit indultum, quod excommunicari nequeant vel eorum terræ ecclesiastico subjici interdicto absque speciali sedis ejusdem mandato plenam vel expressam seu de verbo ad verbum faciente de indulto hujusmodi mentionem, sive constitutione de duabus dietis edita in Concilio generali, aut statuto Concilii Lugdunensis de aliquibus per generalem clausulam *Quidam alii* ultra tres vel quatuor auctoritate literarum nostrarum in judicium non trahendis. Nam cum privilegia mereantur amittere abusores eisdem, ecclesiasticæ immunitatis eversoribus, quo minus disciplinalis disciplinæ meritos patiantur aculeos, nulla volumus privilegia vel indulgentias seu constitutionis beneficia suffragari. Quod si non ambo iis exequendis potueritis vel nolueritis interesse, alter vestrum, non expectato reliquo, ea nihilominus exequatur. Datum Perusii VIII. Kal. Augusti, pontificatus nostri anno decimo.

Concil. Lugd. sub Innoc. 4. cap. 1.

Clemens Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Episcopo Bitterensi salutem & apostolicam benedictionem. Significavit nobis venerabilis frater noster Episcopus Tolosanensis, quod cum fama volante in illis partibus mendaciter diceretur, quod ipse viam fuerat universæ carnis ingressus, Vicarius in Tolosa dilecti filii nobilis viri Comitis Tolosæ, prætextu regalium, quæ in bonis episcopatus Tolosanensis eidem Comiti indebite vendicare contendit, domos, bona & cameras episcopales temerario ausu intrare ac bona ipsius Episcopi ibidem inventa nequiter occupare præsumpsit, certis tandem custodibus ad præmissorum domorum, bonorum, & camerarum custodiam deputatis. Verum cum hujusmodi præsumptionis excessus adeo esset notorius, quod nulla posset tergiversatione celari, Officialis Tolosanensis in dictum Vicarium & omnes dantes ei super hoc auxilium & favorem, canonica monitione præmissa excommunicationis sententiam exigente justitia promulgavit. Quare dictus Episcopus nobis humiliter supplicavit, ut sententiam ipsam robur faceremus firmitatis debitum obtinere. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus sententiam ipsam, sicut rationabiliter est prolata, facias auctoritate nostra usque ad satisfactionem condignam appellatione remota inviolabiliter observari. Datum Viterbii XIII. Kalendas Novembris, pontificatus nostri anno tertio.

CAPUT XIX.

De usufructu redituum ecclesiæ vacantis Regibus concesso, hujus causis, & investitura per annulum & baculum.

SYNOPSIS.

I. Principibus dein permissus est ususfructus redituum Ecclesiæ vacantis. Inquiritur in causas hujus innovationis factæ adversus canones. Profectum id ex collatione feudorum. Explicantur jura feudorum.

II. Primus omnium Clodoveus Rex jura regia contulit Ecclesiis. Beneficus quoque in Ecclesias fuit Rex Pipinus. Prudens Caroli magni consilium in distribuendis feudis in gratiam Episcoporum. Affluentia donationum orta est ex liberalitate Episcoporum; qui de antiquæ pœnitentiæ rigore pro modo liberalitatis remittebant in eorum gratiam, qui liberales erant erga Ecclesias.

III. Jus illud Principibus quæsitum in bona ecclesiastica ob conditionem feudorum, auctum deinde fuit ob necessitatem assensus regii in electionibus Episcoporum. Quæ consuetudo introducta a Concilio quinto Aurelianensi, vires accepit ab edicto Clotarii secundi.

IV. Reges nostri in præceptis suis episcopalem dignitatem committebant electis.

V. Hincmarus recte explicat, quo referenda sit illa Principum concessio. Illam enim intellexit de assensu regio & de administratione facultatum Ecclesiæ, quam Rex committebat electo.

VI. Concessio illa bonorum ecclesiasticorum & consensus electioni adhibitus explicantur vocabulis laudandi & investiendi in decreto Hadriani primi in synodo Romana facto, quod decretum esse supposititium affirmant viri eruditissimi.

VII. Refellitur Baronius, qui existimavit, leges Capitularium derogare huic concessioni & investituris. Investituræ feudorum fiebant cum quadam solennitate, veluti per festucam, per ramos arborum, & alia similia. Concessio vero episcopatus fiebat per annulum & baculum.

VIII. Sanctus Romanus Rothomagensis Episcopus in pontificali sede institutus est post acceptum a Clodoveo secundo baculum pastoralem. Probabile est ita a sequentibus Regibus usurpatum. Id ipsum usurpabatur a Regibus Angliæ.

IX. Gregorius septimus ferre non potuit hunc investiturarum. Itaque eum prohibuit in variis Conciliis. Primus autem omnium, ut adnotat Willelmus Malmesburiensis, Episcopos excommunicavit, si investituram a laicis acciperent per baculum & annulum. Tum laicos etiam excommunicat, si eam concedere præsumpserint.

X. Inquiritur in causas hujus prohibitionis.

XI. Spreta tamen hac prohibitione Principes retinuerunt usum investiturarum.

XII. Nam jussa illa Gregorii efficere non potuerunt, ut Reges antiqua majestatis privilegia aboleri sinerent. Ac præterea repugnabant Episcopi huic novitati. Probatur ex Waltramo Episcopo Naumburgensi, illorum temporum scriptore.

XIII. Eam prohibitionem renovavit Urbanus secundus, laudabili tamen adhibito temperamento inter abruptam pervicaciam & deforme obsequium.

XIV. Explicatum temperamentum illud adductis verbis Ivonis Episcopi Carnotensis. Juvatur explicatio ex facto Paschalis secundi, qui Ludovici Francorum Regis præsidium imploravit adversus Henricum quintum Imperatorem investituras acriter renitentem.

I. Itaque permissus est deinceps Principibus ususfructus redituum Ecclesiæ vacantis, contra quam

quam priscæ regulæ statuerant, ut in capite superiori diximus. Si quis vero inquirat in causas tam magnæ immutationis, is reperiet, eam esse profectam ex immutatione, quæ facta est in conditione & qualitate bonorum ab Ecclesia possessorum. Quemadmodum enim in republica quoddam bonorum genus extat, quod vulgo *feudum* vocant, incognitum Romano juri, ideoque novis constitutionibus & antiquarum legum dispositioni contrariis inductum: sic, cum Ecclesiæ Regum beneficio donatæ fuissent bonis hujuscemodi, necessarium prorsus fuit, ut illæ possiderent feuda iis conditionibus, quas in prima feudorum origine invexit publica utilitas. Ergo personæ ecclesiasticæ, quæ feuda possidebant, per consequentiam fiebant vasalli Regum, illisque præstare tenebantur homagium & juramentum fidelitatis itemque certum militum numerum juxta valorem feudorum. Præterea Regi tradere tenebantur arces & castra, quoties id Regis utilitas postulabat. Unde sequitur necessario, Regem post obitum Episcopi, quod eo casu feudum vacet, illud ad se recipere posse ac retinere, donec novus Episcopus investituram feudi receperit homagiumque ac juramentum fidelitatis præstiterit. Interim tamen Regi competit jus quoddam fruendi reditibus, dum custodia durat.

II. Primus omnium Clodoveus Rex jura regia Ecclesiis manu liberali concessit, ut constat ex testamento sancti Remigii apud Flodoardum. Cujus exemplum imitati sunt Reges primæ stirpis, Pipinus quoque, qui secundæ stirpis auctor fuit, eandem liberalitatem exercuit, exempli causa, data Narbonensi Ecclesiæ medietate comitatus Narbonensis, ut apud Catellum testatur Carolus Calvus. Beneficus quoque fuit in alias regni sui Ecclesias; quo constaret, eum haud minus curasse de augendis bonis Ecclesiarum regni, quam Romanæ, cui exarchatum Ravennæ contulerat. At Carolus magnus, ut observat Willelmus Malmesburiensis in libro quinto de gestis Regum Anglorum, præter causas pietatis, motus etiam fuit ad distribuenda liberali manu bona Ecclesiis ob utilitatem reipublicæ, existimans nimirum, Episcopos sanctius observaturos fidem promissam, ac præterea, si res ita postularet, Principem adversus rebelles adjuvaturos ope feudorum datorum & excommunicationum pondere. *Carolus magnus*, inquit Willelmus Malmesburiensis, *pro contundenda gentium illarum* (id est, Germanorum) *ferocia omnes pene terras Ecclesiis contulerat, consiliosissime perpendens, nolle sacri ordinis homines tam facile, quam laicos fidelitatem domini rejicere, præterea si laici rebellarent, illos posse excommunicationis auctoritate & potentiæ severitate compescere*. Posteriores Reges decessorum exemplo illustria feuda contulerunt Ecclesiis & monasteriis, id quod Duces & Comites imitati sunt, postquam feuda facta fuerunt hæreditaria. Sed tum præcipue ea liberalitas viguit, quando Episcopi, in eorum gratiam, qui liberales erant erga Ecclesias, de rigore antiquæ pœnitentiæ remittebant pro modo liberalitatis. Quem morem ante hos sexcentos annos invaluisse docet in quadam epistola Petrus Damiani Cardinalis. *Cum a pœnitentibus terram accipimus*, inquit, *juxta mensuram muneris eis de quantitate pœnitentiæ relaxamus; sicut scriptum est: Divitiæ hominis redemptio ejus*.

Flodoard. l. 1. hist. Rem. c. 6.

Vide Baronium anno 1055. §. 8. & seqq.

III. Jus illud Principibus quæsitum in bona ecclesiastica, ob conditionem feudorum, auctum deinde fuit ob adjunctionem & concursum auctoritatis, quam Reges Francorum a prima statim eorum stirpe possederunt, assentiendi nimirum electioni Episcoporum a clero & populo factæ, ut dein ordinari possent a Metropolitano. Consuetudo hæc introducta anno DXLIX. canone decimo Concilii quinti Aurelianensis, vires postea accepit ex edicto Clotarii secundi in synodo Parisiensi deliberato anno sexcentesimo decimo quinto. Statuit enim Clotarius, ut Episcopus recens electus a clero & populo, si condigna persona fuerit, a Metropolitano consecretur, postquam ita Princeps jusserit. Ac tamen sibi reservat potestatem eligendi cum consilio Episcoporum & procerum Consilii regii eos ex ministris aut clericis palatinis, quos ad episcopatum promovendos esse, existimaverit. Sic enim explicanda est ultima illa clausula edicti: *si de palatio eligitur*. En ipsa verba: *si de persona condigna fuerit, per ordinationem Principis ordinetur. Vel certe si de palatio eligitur, per meritum personæ & doctrinæ ordinetur*.

IV. Formulæ Marculphi, itemque antiquæ formulæ electionum Episcopalium, quæ editæ sunt in tomo secundo Conciliorum Galliæ, continent verba, quæ tum in usu erant quoad electiones & ordinationes Episcoporum, magnifica illa quidem pro jure Principum, sed, quæ tandem gravissimos motus excitarunt in Ecclesia. Nam Rex in præcepto suo ait, committere se dignitatem episcopalem ei, qui electus est: *Cum consilio & voluntate Pontificum procerumque nostrorum, juxta voluntatem & consensum cleri & plebis ipsius civitatis, in supradicta urbe pontificalem in Dei nomine vobis commisimus dignitatem*. Tum clerus ac populus Principem orant, ut eum, qui electus est, instituere dignetur in episcopatu. *Postulamus*, inquiunt, *instituere dignemini illustrem virum*.

V. At Hincmarus Remensis Archiepiscopus, cui disciplinæ canonicæ nota erant omnia, optime admodum explicat, quo referenda sit hæc Principis concessio. Nam si verba ejus paulo accuratius expendantur, manifestum erit, regiam in hac materia auctoritatem ad duo quædam capita porrectam fuisse; quorum unum in eo versabatur, ut Rex electioni consensum suum adhiberet eamque approbaret, aliud vero respiciebat facultates & patrimonia Ecclesiæ, quarum rerum administrationem Rex illi committebat. Hæc enim sunt verba Hincmari in epistola ad Ludovicum tertium Francorum Regem. *Episcopi talem eligant*, inquit, *qui & sanctæ Ecclesiæ utilis & regno proficuus & vobis fidelis ac devotus cooperator existat; & consentientibus clero & plebe, eum vobis adducant, ut secundum ministerium vestrum res & facultates Ecclesiæ, quas ad defendendum & tuendum vobis Dominus commendavit, suæ dispositioni committatis; & cum consensu ac literis vestris eum ad Metropolitanum Episcopum & coepiscopos ipsius diœceseos, qui eum ordinare debent, transmittatis*. Ex quibus verbis mirifice probatur id, quod paulo ante observabamus, nimirum quoddam jus novum in patrimonium ecclesiasticum Regibus quæsitum fuisse ob necessitatem assensus regii pro ordinatione Episcopi electi, & ob naturam bonorum, quibus Ecclesia fruebatur.

Vide supra c. 15. §. 1.

VI. Concessio illa bonorum ecclesiasticorum, quam Rex faciebat, & consensus electionis adhibitus explicantur vocabulis *laudandi & investiendi* in decreto Papæ Hadriani, quod in synodo Romana decretum est in gratiam Caroli magni. Decretum illud refertur a Gratiano cap. *Hadrianus* dist. 63. ex historia ecclesiastica, id est, ex Sigeberto, cujus sensus hic est: *Ut nisi a Rege laudetur & investiatur Episcopus, a nemine consecretur*. Illustrissimus Cardinalis Baronius ac post eum Binius affirmant, decretum illud suppositum fuisse a Sigeberto in gratiam Imperatoris Henrici, ut titulus legitimus videretur quæsitus ad propugnandum morem investiturarum, qui adversus summos Pontifices usurpatus fuerat ab Imperatoribus. Quoad decretum vero Papæ Leonis octavi, qui privilegii ab Hadriano concessi mentionem facit, illudque renovat in gratiam Ottonis primi Imperatoris, contendunt, illud quoque esse suppositiium, ac præterea Leonem fuisse schismaticum. Transversos egit illos viros persuasio hæc, investituras non esse diversas ab electione, & jus illud esse quid extraordinarium. Attamen certissimum

Baron. anno 774. §. 13. & seqq. & anno 964. §. 2. & seqq.

Vide supra c. 12. §. 3. & seqq.

mum eſt, Carolum magnum eo jure uſum ante ſynodum illam Romanam. Unde ſequitur, nihil in eo decreto novum eſſe præter juris illius extenſionem, nempe, ut eo uti poſſit in regno Italiæ, quemadmodum antea faciebat in provinciis regni Francici. Tum illud quoque novum conceditur, quod Carolo poteſtas tribuitur eligendi Pontificem Romanum.

Ex lib. 1. Capit. ap. Gratian. c. Sacror. diſt. 63.

VII. Conſtitutiones, quæ extant in Capitularibus Caroli, relatæ etiam in Decretum Gratiani, non derogant hujuſcemodi conceſſionibus & inveſtituris, ut viſum eſt Cardinali Baronio: quoniam nihil aliud heic præcipitur, quam ut electione cleri & plebis perſonæ idoneæ promoveantur ad epiſcopatus. Verum illud non impedit, quin poſt electionem, & ante ordinationem, neceſſarius fuerit aſſenſus regius, itemque conceſſio ſeu inveſtitura.

Inveſtituræ porro illæ, quæ effectus erant aſſenſus regii, & conceſſio epiſcopatus fiebant adhibitis quibuſdam ſolennibus. Lex enim Salica, qua ſola Rex utebatur, ceremonias quaſdam introduxerat in quorumlibet fundorum traditione uſurpandas; quæ in libris Capitularium vocantur *inveſtituræ*, fiebantque *per feſtucam*, *per ramos arborum*, & alia ſimilia. Quamobrem Reges noſtri, quando epiſcopatum committebant electo, inveſtituram illius ei dabant *per baculum & annulum*.

VIII. Hinc factum, ut antiquus ſcriptor vitæ ſancti Romani Epiſcopi Rothomagenſis doceat, eum circa annum DCXXIII. baculum paſtoralem accepiſſe a Clodoveo ſecundo Rege, ſtatimque in ſede pontificali inſtitutum fuiſſe. *Rex*, inquit, *convocatis tam Epiſcopis quam Abbatibus, baculum illi contulit paſtoralem. Inthronizatur ergo pontificali apice*. Par eſt exiſtimare, eadem ſolennia adhibita in inveſtituris Regum, qui poſt hunc regnarunt. Illud ſane certum eſt, Imperatores ante Gregorii ſeptimi tempora eo jure uſos fuiſſe & tradidiſſe inveſtituras per annulum & baculum, idque ante conſecrationem, non ſolum in Germania, ſed etiam in regno Italiæ & in Arelatenſi, eoque jure in regnis ſuis uſos eſſe Reges Franciæ & Angliæ. Quare Matthæus Pariſius refert, Regem Edwardum, qui ante Guillelmum Conqueſtorem vivebat, virgam epiſcopalem dediſſe Ulſtano Vigornienſi Epiſcopo. Ivo autem Carnotenſis Epiſcopus de ſe ſcribit in epiſtola octava, ſibi vim quodam modo factam, ut epiſcopatum acciperet, clericos ipſum Regi præſentaſſe, hunc vero ſibi tradidiſſe paſtoralem virgam. *Cum clericorum primo ingenio*, inquit, *poſtea violentia, Regi fuiſſem præſentatus, & inde cum virga paſtorali a Rege mihi intruſa ad Eccleſiam Carnotenſem adductus*.

IX. At Gregorius VII. ferre non potuit hunc inveſtiturarum uſum, quod is Epiſcopos Principibus nimirum obnoxios eſſe cogeret, atque adeo minus ſubjectos eſſe faceret apoſtolicæ ſedi. Itaque illum deinceps prohibuit in variis Conciliis, arrepta occaſione abuſus Henrici quarti Imperatoris, quem fama erat inveſtituras infamibus tantum perſonis dare, aut iis, qui dato pretio illas emebant. Adnotat Willelmus Malmesburienſis primum omnium Gregorium VII. excommunicaſſe Epiſcopos electos, ſi a manu laica inveſtituram Eccleſiarum acciperent per baculum & annulum. *Hic quod alii muſſitaverant*, inquit, *palam extulit, excommunicans electos, qui inveſtituras Eccleſiarum de manu laici per annulum & baculum acciperent*.

VVillelm. Malmesb. de geſtis Reg. Anglor. in VVillelmo I.

Diſerta porro ſunt Gregorii verba in ſynodo Romana, habita anno milleſimo ſeptuageſimo octavo. *Quoniam* (*) *inveſtituras Eccleſiarum*, inquit, *contra ſtatuta ſanctorum patrum a laicis perſonis in multis partibus cognovimus fieri, & ex eo perturbationes plurimas oriri, ex quibus religio Chriſtiana conculcatur, decernimus, ut nullus clericorum inveſtituram epiſcopatus, abbatiæ, vel Eccleſiæ de manu Imperatoris vel Regis vel alicujus laicæ perſonæ viri vel fœminæ ſuſcipiat. Quod ſi præſumpſerit, recognoſcat, inveſtituram illam apoſtolica auctoritate irritam eſſe, & ſe uſque ad condignam ſatisfactionem excommunicatum*. Hæc prohibitio non ſolum adverſus Epiſcopos, ſed etiam adverſus Reges, iterata eſt anno MLXXX. in Concilio Romano. Hæc ſunt decreti verba: *Si quis Imperatorum, Regum, Ducum, Marchionum, Comitum, vel quilibet ſecularium poteſtatum inveſtituram epiſcopatuum vel alicujus eccleſiaſticæ dignitatis dare præſumpſerit, ejuſdem ſententiæ vinculo ſe obſtrictum eſſe ſciat*.

(*) *Vetus codex MS. S. Albini Andegav. habet* inveſtituram.

X. Ratio autem una hujus prohibitionis hæc fuit, quoniam Principes contendebant, epiſcopatum vi hujus inveſtituræ dari electo, cum tamen auctoritas epiſcopalis non pendeat a Regum gratia. Nam Gregorius ob eam cauſam, & ut odia univerſorum concitet adverſus inveſtituras, eas multoties nominat *donum epiſcopatus*. Et haud dubie formulæ harum conceſſionum iis verbis conceptæ erant, quemadmodum ſupra adnotavi, ut viderentur Reges dare dignitatem epiſcopalem. Atque ideo magis probabile erat, quod illa inveſtituræ ſolemnitas fieret per traditionem annuli & baculi. Baculus autem ſignum erat auctoritatis paſtoralis, ut inquiunt patres Concilii octavi adverſus Photium in actione ſexta: *βακτηρίον δὲ σημεῖον ἀξίας ποιμαντικῆς*.

Altera prohibitionis Gregorianæ ratio petitur a ſtatutis ſanctorum patrum, ut aperte ſcribitur in ipſo canone. Alludit autem ad can. XXII. ejuſdem Concilii VIII. adverſus Photium ſub Hadriano ſecundo celebrati. Quod colligitur ex epiſtola ejus ad Hugonem Dienſem Epiſcopum Legatum ſuum; in qua ei præcipit, ut ſynodum habeat apud urbem Lingonenſem, in eoque conventu renovet prohibitiones factas Metropolitanis, ne manus imponant iis, qui donum epiſcopatus a laicis acceperint, ſub pœna privationis ſuæ dignitatis, poteſtatibus vero, qui hæc deinceps uſurpabunt, pœnam excommunicationis intentet, prout in Concilio octavo ſtatutum eſt. *Nullus Metropolitanorum*, inquit, *aut quivis Epiſcoporum alicui, qui a laica perſona donum epiſcopatus ſuſceperit, ad conſecrandum illum manum audeat imponere, niſi dignitatis ſuæ honore officioque carere ipſe velit. Similiter etiam, ut nulla poteſtas aut aliqua perſona de hujuſmodi honoris donatione vel acceptione ulterius ſe intromittere debeat. Quod ſi præſumpſerit, eadem ſententia & animadverſionis cenſura, quam beatus Hadrianus Papa in octava ſynodo de hujuſmodi præſumptoribus ſtatuit, ſe aſtrictum fore, cognoſcat*. Canon porro ſecundus itemque vigeſimus Concilii octavi, in verſione Anaſtaſii Bibliothecarii, ſanciunt juxta canones apoſtolicos, *neminem laicorum Principum vel potentum ſemet inſerere electioni vel promotioni Patriarchæ vel Metropolitæ aut cujuſlibet Epiſcopi*. At Ivo Carnotenſis adnotavit, canonem illum intelligendum eſſe de electionibus, non autem de conceſſionibus aut inveſtituris, ut oſtendam inferius §. XIV.

Gregor. 7. lib. 4. ep. 22.

XI. Nihilominus, ſpreta hac prohibitione, quæ adverſus jura regia tentabatur, non ſolum Imperatores, ſed etiam Reges Francorum & Anglorum, uſum illum concedendarum inveſtiturarum retinuerunt. Quod probatur ex regeſto ejuſdem Gregorii Papæ, qui Legatis ſuis præcepit, ut cognitionem cauſæ ſuſcipiant Epiſcopi Ambianenſis, quem aliquot Epiſcopi conſecraverant abſente Metropolitano, poſtquam a manu laica inveſtituram receperat, quæ manus laica alia intelligi non poteſt præter Regem Francorum: *Et præſertim ſi idem Ambianenſis contra Romanæ ſynodi & apoſtolicæ ſedis decretum de manu laici nefanda ambitione & temerario auſu inveſtituram ſuſcipere præſumpſit*.

XII. Nam juſſa illa Gregorii efficere non potuerunt, ut reges antiqua majeſtatis privilegia aboleri ſinerent; & Epiſcopis recti amantibus perſuaderi non poterat, ut novitates illas prorſus ample-

plecterentur. Intelligebant enim, Gregorium, prætextu cujusdam solemnitatis & odiosæ explicationis, Regibus adimere velle auctoritatem, ipsis legitime quæsitam. Quo factum est, ut ea tempestate Waltramus, Episcopus Naumburgensis, tractatum de investituris scripserit: in quo concludit, investituram a Regibus concedi ratione bonorum temporalium ad Ecclesias pertinentium, & parum referre, an a Principe fiat verbo, diplomate, aut baculo, quem præ manibus habuerit; quoniam Episcopus in die consecrationis suæ baculum & annulum ponit super altare, unde illos dein recipit tanquam ab auctoritate beati Petri. Quapropter cum baculus ille congruat aliquatenus rebus temporalibus & spiritualibus, congruum esse ait, ut investitura ante omnia concedatur a Rege, quod ea ratione tuta futura sint Episcopi bona adversus vim tyrannorum & raptorum. *Nihil refert*, inquit, Waltramus, *sive verbo, sive praecepto, sive baculo, sive alia re, quam in manu tenuerit, investiat aut inthronizet Rex & Imperator Episcopum. Quia die consecrationis veniens & annulum & baculum ponit super altare, & in curam pastoralem singula accipit a stola & auctoritate sancti Petri. Sed congruum magis est, quod per baculum, qui est temporalis & spiritualis, & praecedens investitum per Regem in fundis & rebus Ecclesiæ contra tyrannos & raptores quieta & pacifica reddat omnia.*

Vide Eadmerum lib. 4. Hist. Novor. p. 94. & lib. 5. p. 132. 133.

XIII. Victor III. Gregorii successor eam prohibitionem renovavit anno MLXXXVII. itemque Urban. II. in synodo Claromontana an. MXCV. can. XVI. *Interdictum est, ne Reges vel alii Principes aliquam investituram de ecclesiasticis honoribus faciant*. Quoniam vero Concilium illud habitum fuit in Gallia, probabile est, Gallos se primos omnium accommodasse ad voluntatem & desiderium Urbani Papæ: qui, cum Regis Philippi rationes non esse spernendas intelligeret, temperamentum invenit, quo regia auctoritas conservaretur ac tamen prædecessorum suorum statuta manerent. Illud addiscemus ex epistola sexagesima Ivonis Episcopi Carnotensis, modo ea secundum verum ejus sensum accipiatur.

Vide canonem integrum supra pag. 1035.

XIV. Scribens itaque Ivo ad Hugonem Archiepiscopum Lugdunensem sedis apostolicæ Legatum, qui episcopo cuidam recens electo exprobrat, quod a Rege accepisset investituram episcopatus, hoc factum excusare nititur hac ratione. Distinguit enim electionem Episcoporum a concessione episcopatuum, quam Principes faciunt iis, qui electi sunt. Tum fatetur Concilium octavum prorsus arcuisse Principes a jure electionis, sed non prohibuisse, quin illi concessionem episcopatuum facere possint iis, qui fuerint electi, tantum autem abesse, ut id sedes apostolica vetuerit, ut etiam summi Pontifices oraverint Reges nostros, episcopatus concedere electis. Addit, intellexisse se, eam solum Urbano Papæ mentem fuisse in Concilio Claromontano, ut impediret, ne Reges darent investituram corporalem, id est, concessionem, quæ fiebat per baculum & annulum, quod ea fieri videretur in contemptum sacrorum. Quamquam Ivo nihil hcic incommodum esse arbitrabatur; quod Reges non contenderent, quicquam spirituale a se dari, sive illa concessio manu fieret, sive lingua, sive virga; sed ea tantum mente id ab eis usurpari, ut constaret, eos annuere votis eorum, qui electionem peregerant, aut ut electis concederent bona, quæ liberalitate Regum Ecclesiæ possidebant. Demum ait, optandum esse, ut aut supersedeatur hac controversia, aut mala hæc sopiantur. Hæc sunt ejus verba: *Cum hoc nullam vim sacramenti gerat in constituendo Episcopo, vel admissum vel omissum quid fidei, quid sacræ religioni officiat ignoramus, cum post canonicam electionem Reges ipsos apostolica auctoritate a concessione episcopatuum prohibitos minime videamus.* Infra: *Domnus quoque Papa Urbanus Reges tantum a corporali investitura excludit, quantum intelleximus, non ab electione, in quantum sunt caput populi, vel concessione: quamvis octava synodus solum prohibeat eos interesse electioni, non concessioni. Quæ concessio, sive fiat manu, sive lingua, sive virga, quid refert? cum Reges nihil spirituale se dare intendant, sed tantum aut votis petentium annuere, aut villas ecclesiasticas & alia bona exteriora, quæ de munificentia Regum obtinent Ecclesiæ, ipsis electis concedere.* Utcunque se res habeat, apparet, Ivonem, cum Papæ Urbani prohibitiones sic interpretatur, ut solemnitatem baculi & annuli vetitam esse pronuntiet, apparet, inquam, eum innuere, Regem Franciæ Philippum eo temperamento adhibito paruisse decreto synodi Claromontanæ. Id ipsum colligi potest ex eo, quod Paschalis secundus in Galliam venit, ut Ludovici Crassi Regis præsidium imploraret adversus Henricum quintum Imperatorem, qui usum investiturarum acriter retinebat. Nam hic agendi modus omnino intempestivus & absurdus fuisset, si Ludovicus quoque tum temporis in usum revocare solitus esset solemnitatem investiturarum, quæ damnata erat a Papa Urbano, & de qua tum maxime disceptabatur inter Paschalem & Henricum. Sed præterea discimus ex epistola CCXXXVIII. ejusdem Ivonis, schisma, quod in regno Germaniæ vigebat ob investituras, in Francico non fuisse. Sane cum usus solemnitatis hujuscemodi desierit, par est existimare, cessatum ab ea fuisse in consequentiam synodi Claromontanæ.

Vide Hessonem scholast. apud Tengnagelium p. 139.

CAPUT XX.

De controversia circa investituram Episcoporum inter Paschalem II. P. Rom. & Henricum V. Imperatorem.

SYNOPSIS.

I. Investiturarum controversia recruduit sub Paschale secundo Papa & Henrico quinto Imperatore. Habitum ea de causa colloquium in urbe Catalaunensi; ubi jura imperii magnifice disseruit Archiepiscopus Treverensis, dicens, Episcopum eligi non posse absque consensu Imperatoris, deinde vero regalia ab eo accipere debere.

II. Respondit Paschalis, Ecclesiam fore serviliter subjectam Imperatori, si Prælatum absque consilio ejus eligere non possit, mortem vero Jesu Christi irritam esse, si Episcopus investiatur per baculum & annulum.

III. Cum Henricus Italiam bello peteret, Paschalis præcepit, ut Episcopi regalia Imperatori dimittant, ipse vero renuntiet juri investituræ & liberas esse sinat Episcoporum electiones.

IV. Tandem urgentibus Romanam urbem fatis, Paschalis in carcerem ab Henrico conjectus, privilegium investiturarum ei concedere adactus est. Ex verbis hujus privilegii colligitur, quid juris antea competeret Principibus.

V. Privilegium illud vocatum est pravilegium in Concilio Lateranensi. Disputatum eo tempore, an pertinacia illa propugnandarum investiturarum hæresis esset. Refertur sententia Ivonis Carnotensis, qui hæresim esse negat.

VI. Joannes Archiepiscopus Lugdunensis ajebat, investituram exteriorem desinere posse in hæresim, si quis pertinaciter contendat, eam a laico concedi posse licite.

VII. Goffridus Vindocinensis distinguit investituram per annulum & virgam ab ea, quam laici faciebant absque illa solemnitate. Investituram tamen a principe dandam non esse, nisi post electionem & consecrationem. Quod inventum est a Goffrido adversus vetustam consuetudinem.

ADDITIO) Datur nova editio Concilii Lateranensis a Paschale secundo celebrati.

I. INvestiturarum controversia isthæc duravit tota integra inter Paschalem secundum Urbani

bani successorem & Henricum quintum Imperatorem. Antequam tamen res in apertum dissidium erumperet, colloquium Rege Francorum Ludovico præsente habitum est anno MCVII. in urbe Catalaunensi inter summum Pontificem & Legatos Imperatoris. Trevirensis Archiepiscopus disseruit, jam inde a tempore Gregorii magni jus imperii circa electiones Episcoporum in eo versari, ut, ante quam electio publicetur, secreto Imperator admoneatur, quisnam electus sit, Imperatorem vero assensum suum adhibere, si persona electa ei grata sit. Post quæ electio fit publice a clero, & electus consecratur. Post consecrationem autem redit ad Imperatorem pro regalibus, quibus ab eo donatur sive investitur per traditionem annuli & baculi. Imperator vero ab eo recipit homagium & juramentum fidelitatis. Quod omnino æquum esse, ait hic Archiepiscopus. Neque enim debere electum alia ratione occupare civitates, castella, marchias, telonea, & cetera jura imperialia. Rem gestam narrat his verbis Sugerius in vita Ludovici Grossi: *Consecratum ad Dominum Imperatorem pro regalibus, ut annulo & virga investiatur, redire, fidelitatem & hominum facere. Nec mirum. Etenim civitates & castella, marchias, telonea, & quæque imperatoriæ dignitatis nullo modo alter debet occupare.*

II. Papa vero respondit, Ecclesiam, quæ pretioso sanguine Jesu Christi redempta, libera facta fuerat, ancillari deinceps non debere aut ad servitutem redigi. Ecclesiam porro, si Prælatum eligere non possit absque consilio Imperatoris, Imperatori fore subjectam serviliter, ac mortem Jesu Christi irritam & inutilem esse, si Episcopus investiatur per baculum & annulum. Cum enim res illæ ad altaria pertineant, usurpationem hanc esse adversus Deum. Demum Prælatos suo ordini & sacræ unctioni derogare, si manus suas, quæ dominico corpori & sanguini attrectandis destinatæ sunt, sanguinolentis laici manibus supponant, ut sponsionem ei faciant fidei. *Si Ecclesia*, inquit Paschalis Papa apud Sugerium, *eo inconsulto Prælatum eligere non possit, cassata Christi morte, ei serviliter subjacere, si virga & annulo investiatur, cum altaria ejusmodi pertineant, contra Deum ipsum usurpare, si sacratas dominico corpori & sanguini manus laici manibus gladio sanguinolentis obligando supponant, ordini suo & sacræ unctioni derogare.*

Sugerius p. 289. Vide infra c. 21. §. 4.

III. Cum itaque parum ad concordiam conglutinandam profuisset istud colloquium, Henricus Imperator Italiam bello petiit. Quo factum est, ut Paschalis Papa ad pactionem venerit, quæ extat in Chronico Cassinensi lib. IV. c. XXXVII. & in epistola Paschalis ad Imperatorem, in qua præcipit, ut Episcopi Henrico Imperatori successoribusque ejus remittant *regalia*, id est, ut ipse explicat, civitates, ducatus, marchionatus, monetas, dominationes, & reliqua feuda ad imperii servitium pertinentia, neve illa deinceps occupent absque consensu Imperatoris. Sed vicissim, his ita constitutis, dimitti ab Imperatore mandat jus investiturarum Episcoporum, & ut Ecclesias ille liberas esse permittat, cum oblationibus earumque patrimoniis, quæ non pertinent ad regnum. Hæc sunt verba Paschalis in epist. XXII. ad Henricum data: *In vestri regni partibus Episcopi vel Abbates adeo curis secularibus occupantur, ut comitatum assidue frequentare & militiam exercere cogantur.* Infra: *Ministri vero altaris ministri curiæ facti sunt: quia civitates, ducatus, marchionatus, monetas, (*) turres, & ceteras ad regni servitium pertinentia a Regibus acceperunt. Unde etiam mos Ecclesiæ intolerabilis inolevit, ut electi Episcopi nullo modo consecrationem acciperent, nisi prius per manum regiam investirentur.* Infra: *Tibi itaque, fili carissime, & regalia illa dimittenda præcipimus, quæ ad regnum manifeste pertinebant tempore Caroli, Ludovici, Ottonis, & ceterorum prædecessorum tuorum. Interdicimus etiam, ne qui Episcoporum vel Abbatum eadem regalia invadant, id est, civitates, ducatus, marchias, comitatus, monetas, telonium, mercatum, advocatias, jura centurionum, & (*) turres, quæ regni erant, cum pertinentiis suis, (*) militiam & castra; & ne se deinceps, nisi per gratiam Regis, de ipsis regalibus intromittant. Sed nec posteris nostris liceat, qui post nos in apostolica sede successuri sunt, aut te aut regnum super hoc inquietare negotio.*

(*) Leg. curtes, ex Chronico Cassinensi.

(*) Leg. curtes. (*) Leg. militaria castra, ex Chronic. Cassin.

IV. Postquam autem Romam perventum fuit, Henricus pacta & sacramenta sua violans, Paschalem Papam ac nonnullos Episcopos & Cardinales in carcerem conjecit, & ab eo extorsit privilegium investiturarum. Magni porro momenti illud est, quod ex eo colligatur vetusta illa consuetudo, cui tantopere contradicebant summi Pontifices. Extat autem apud Florentium Vigorniensem ad annum MCXI. & apud Willelmum Malmesburiensem in lib. V. de gestis Regum Anglorum. *Illam igitur dignitatis prærogativam*, inquit Paschalis Papa in eo privilegio, *quam prædecessores nostri vestris prædecessoribus catholicis Imperatoribus concesserunt, nos quoque dilectioni tuæ concedimus & præsentis privilegii pagina confirmamus, ut regni tui Episcopis, libere præter violentiam & simoniam electis, investituram virgæ & annuli conferas. Post investitionem vero canonice consecrationem accipiant ab Episcopo, ad quem pertinuerit. Si quis autem a clero & a populo præter tuum assensum electus fuerit, nisi a te investiatur, a nemine consecretur. Sane Episcopi & Archiepiscopi libertatem habeant a te investitos Episcopos & Abbates canonice consecrandi. Prædecessores enim vestri Ecclesias regni sui tantis regalium suorum beneficiis ampliarunt, ut regnum ipsum Episcoporum maxima & Abbatum præsidiis oporteat communiri, & populares dissensiones, quæ in electionibus contingunt, regali oporteat majestate compesci.*

V. Privilegium illud vocatum est pravilegium & revocatum in synodo Romana, quam anno sequenti MCXII. Paschalis Papa convocavit. Disputatum autem est ea tempestate, an pertinacia illa propugnandarum investiturarum hæresis esset, ut Romæ ferebatur. Ivo sententiam suam aperte explicat ad Joannem Archiepiscopum Lugdunensem scribens. Contendit autem, investituram dici non posse hæresim, cum ad fidei materiam nullatenus pertineat, & cum in sola ejus manuali actione versetur, qui dat, & ejus, qui accipit. Si tamen aliquis laicus reperiretur adeo stolidus & vecors, ut sibi persuadeat, se, cum baculum tradit, conferre aliquod sacramentum aut effectum sacramenti cujuspiam ecclesiastici, habendum eum pro hæretico, non quidem ratione investituræ manualis, sed ob diabolicam illius præsumptionem. Addit vero, investituram illam manualem a laicis factam, si res ad vivum & accurate excutiantur, invasionem esse juris alieni & sacrilegam præsumptionem, quam oporteat omnino rescindere pro libertate & honestate Ecclesiæ, siquidem id fieri possit absque detrimento pacis. Demum concludit, tollendam esse investituram, ubi id obtineri poterit absque schismate, sed illic supersedendum esse remediis, ubi certum esse cognoscitur periculum schismatis. Quo loco observandum est, Ivonem, tametsi nihil hæreticum esse scribat in investitura, quæ fit per traditionem baculi, præsumptionem tamen heic esse & quoddam sacrilegii genus existimare, licet in epistola sexagesima hunc usum scripserit esse indifferentem. Sed jam se aliquo modo accommodare volebat ad anathemata, quæ dicta recenter fuerant in hac materia.

VI. At Joannes Lugdunensis Archiepiscopus Ivoni respondens fatetur quidem, investituram exteriorem a laico factam non esse proprie hæresim; sed tamen contendit, in hæresim desinere, si quis pertinaciter contendat, eam fieri licite posse. Cui scriptioni non omnino assentitur Ivo: qui illud tantum fatetur, eorum opinionem schismati

Epist. Joannis Archiep. Lugdun. ad Daimbert. Senon. inter ep. Ivonis num. 237.

mati accensendam esse, qui propugnant investituras. *Eorum sententiam* (inquit Ivo in epistola CCXXXIII.) *qui investituras laicorum defendere volunt, schismaticam judico.*

VII. Goffridus Abbas Vindocinensis illorum temporum scriptor, quem vir clarissimus Sirmondus editionis honore donavit, scribens ad Callistum secundum Papam, ad quem cum sede transierant prædecessorum animi, hanc investiturarum materiam tractat habita ratione illorum temporum; ac viam quandam aperit opportunam sedandæ huic controversiæ, quæ Ecclesiam turbaverat per quinquaginta annos, & occasionem dederat introducendi in Ecclesiam Pseudopontifices itemque Imperatores excommunicatos. Distinguit enim investituram, quæ per annulum & virgam fiebat ab ea, quam laici faciebant absque illa solemnitate. Quoad primum investituræ genus, ait, virgam & annulum esse velut quoddam sacramentum in Ecclesia, non secus ac salem & aquam, oleum & chrisma, nonnullasque alias res, sine quibus peragi non possunt consecrationes hominum aut Ecclesiarum, atque adeo inconcessum aliquid tentari adversus auctoritatem Jesu Christi, quoties laici Prælatis tribuunt investituram per baculum & annulum, quod eos a nemine alio recipere debeant, quam a consecratore suo. Quoniam tamen Ecclesia liberalitate Principum locupletata fuerat multis possessionibus, videri prorsus locum non esse traducendi investituram regiam, quæ fit propter res spirituales. Sed eam tamen cautionem adhibet, ut investituram dari a Principe nolit nisi post electionem & consecrationem. Tum vero ait non referre, quonam id signo fiat. Hæc sunt ejus verba in opusculo ad Callistum Papam c. III. & IV. *Investituram per virgam & annulum accipere, nisi a suo consecratore, manifestum est esse damnosum: quia nulli laico licet illa Ecclesiæ sacramenta dare, sicut ei non licet Episcoporum consecrare.* Infra: *Alia est utique investitura, quæ Episcopum perficit, alia, quæ Episcopum pascit. Illa ex divino jure habetur, ista ex jure humano. Subtrahe jus divinum, spiritualiter Episcopus non creatur. Subtrahe jus humanum, possessiones amittit, quibus ipse corporaliter sustentatur. Non enim possessiones haberet Ecclesia, nisi sibi a Regibus donarentur & ab ipsis, non quidem divinis sacramentis, sed possessionibus terrenis, investirentur.* Infra: *Possunt itaque Reges sine offensione, post electionem canonicam & consecrationem, per investituram regalem in ecclesiasticis possessionibus concessionem, auxilium, & defensionem Episcopo dare. Quod quolibet signo factum extiterit, Regi vel Pontifici seu catholicæ fidei non nocebit.*

Modificationem porro Ivoni incognitam & vetustæ consuetudini contrariam adfert Goffridus, nimirum, non debere Episcopum accipere investituram a Rege nisi post consecrationem, cum tamen olim consecrari non posset, donec approbatus & investitus fuisset a Rege.

ADDITIO STEPHANI BALUZII.

ADnotatum est in paragrapho quinto hujus capitis privilegium, quod Henricus quintus Imperator extorsit anno MCXI. a Paschale secundo Papa vocatum fuisse anno sequenti pravilegium in Concilio Romano. Certum id quidem. Id enim prorsus habetur in editis Concilii hujusce actis. Verum cum illa sint depravatissima, præsertim in subscriptionibus, ac res tanti momenti sit, ut non uno loco referri debeat, facturum me operæ pretium existimavi, si heic bona fide exscriberem eadem acta ex pervetusto codice MS. sancti Albini Andegavensis, unde a me descripta sunt anno MDCLXI. mense Septembri. Sunt enim emendatissima. Sic ergo habent:

CONCILIUM LATERANENSE
HABITUM ANNO MCXII.
ACTIO CONCILII CONTRA HÆRESIM DE INVESTITURA.

(*) Leg. Kal. ANno ab incarnatione MCXII. Indictione V. anno pontificatus Domini Papæ Paschalis secundi XIII. mense Martio, XV. (*) Idus Aprilis, celebratum est Concilium Romæ, Lateranis, in Basilica Constantiniana. In qua cum Dominus Papa Paschalis resedisset cum Archiepiscopis & Episcopis & Cardinalibus & Abbatibus & varia multitudine clericorum & laicorum, ultima die Concilii facta coram omnibus professione catholicæ fidei, ne quis de fide ipsius dubitaret, dixit: AMPLECTOR omnem divinam scripturam, scilicet veteris & novi testamenti, legem a Moise scriptam & a sanctis Prophetis. Amplector quatuor evangelia, septem canonicas epistolas, epistolas gloriosi Doctoris beati Pauli Apostoli, sanctos canones Apostolorum, quatuor universalia Concilia sicut quatuor evangelia, Nicænum, Ephesinum, Constantinopolitanum, Chalcedonense, & Antiochenum Concilium, & decreta sanctorum patrum Romanorum Pontificum, & præcipue decreta Domini mei Papæ Gregorii septimi & beatæ memoriæ Papæ Urbani. Quæ ipsi laudaverunt laudo, quæ ipsi tenuerunt teneo, quæ confirmaverunt confirmo, quæ damnaverunt damno, quæ repulerunt repello, quæ interdixerunt interdico, quæ prohibuerunt prohibeo in omnibus & per omnia, & in iis semper perseverabo. (Vide supra lib. 5. cap. 21. §. 13.)

Quibus expletis, surrexit pro omnibus Girardus Engolismensis Episcopus Legatus in Aquitania, & communi assensu Domini Papæ Paschalis totiusque Concilii coram omnibus legit hanc scripturam.

Privilegium illud, quod non est privilegium, sed vere debet dici pravilegium, pro liberatione captivorum & Ecclesiæ a Domino Paschale Papa per violentiam Regis Henrici extortum, nos omnes in hoc sancto Concilio cum Domino Papa congregati canonica censura & ecclesiastica auctoritate judicio sancti spiritus damnamus & irritum esse judicamus atque omnino cassamus, & ne quid auctoritatis & efficacitatis habeat, penitus excommunicamus. Et hoc ideo damnatum est, quod in eo privilegio continetur, quod electus canonice a clero & populo a nemine consecretur, nisi prius a Rege investiatur, quod est contra Spiritum sanctum & canonicam institutionem.

Perlecta vero hac charta, acclamatum est ab universo Concilio: Amen, Amen. Fiat, Fiat.

Archiepiscopi, qui cum suis suffraganeis interfuerunt, hi sunt. Johannes Patriarcha Veneticus, Sennes Capuanus; Landulphus Beneventanus, Amalphitanus, Regitanus, Idruntinus, Brundusinus, Capsanus, Girontinus; & Græci, Ronsanus, & Archiepiscopus sanctæ Severinæ. Episcopi vero, Cencius Sabinensis, Petrus Portuensis, Leo Ostiensis, Cono Prænestinus, Girardus Engolismensis, Galo Leonensis Legatus pro Bituricensi & Viennensi Archiepiscopis, Rogerius Vulturnensis, Gaufridus Senensis, Rollandus Populoniensis, Gregorius Terracinensis, Guillelmus Trojanus, Guillelmus Siracusanus Legatus pro omnibus Siculis, & alii fere centum Episcopi. Bruno Signinus & Johannes Tusculanus Episcopi, cum essent illa die Romæ, Concilio non interfuerunt; qui postea, lecta damnatione privilegii, consenserunt & laudaverunt. Cardinales vero, Bonifacius tituli sancti Marci, Robertus tituli sancti Eusebii, Romanus tituli sanctæ Priscæ, Gregorius tituli sanctorum Apostolorum, Benedictus tituli sancti Petri ad vincula, Anastasius tituli sancti Clementis, Boso tituli sancti (*) Mauricii in Damaso, Johannes tituli sanctæ Cæciliæ, (*) Divizo tituli sancti Martini, Theobaldus tituli sanctorum Johannis & Pauli, Gregorius tituli sancti Grisogoni, Rainerius tituli sanctorum Petri & Marcellini, Vitalis tituli sanctæ (*) Albinæ. Petrus vero tituli sancti Christ. & Albericus tituli sanctæ Sabinæ, cum essent Romæ illo die, Concilio non interfuerunt. Postea, lecta damnatione nefandi privilegii, consenserunt & laudaverunt. Diaconi vero, Abbas Sublacensis, Johannes Gajetanus, Abbas sancti Andreæ, Leo sanctæ Crucis, Gregorius, Addo, Theobaldus, Roscemnanus, hi omnes in damnatione prædicti privilegii consenserunt cum Abbatibus & innumera multitudine tam clericorum, quam laicorum.

((*) Leg. Laurentii. (*) Leg. Teuzo. (*) Leg. Balbinæ.)

Hæc charta dictata est a Girardo Engolismensi, Leone Ostiensi, Gregorio Terracinensi, Galone Leonensi Episcopis, a Roberto Cardinale tituli sancti Eusebii, Gregorio tituli sanctorum Apostolorum, communi aliorum consilio.

CAPUT

CAPUT XXI.

De fine controversiæ circa investituram, & conservato jure investiendi Episcopos de regalibus & homagium ab iis exigendi.

SYNOPSIS.

I. Investiturarum materia retractata est in Concilio Remensi, cui præsedit Callistus secundus. Propositæ tum Henrico Imperatori conditiones satis æquæ; quarum plerasque recepit. Sed cum investituram rerum ecclesiasticarum dimittere nollet, excommunicatus fuit.

II. Ei excommunicationi consensit Ludovicus Francorum Rex, qui Concilio intererat. Unde sequitur, eum, dimissa bonorum Ecclesiasticorum investitura, solam feudorum investituram retinuisse.

III. Ea controversia finita est anno MCXXII. in Concilio Lateranensi; in quo statutum est, ut Episcopi regalium investituram accipiant per sceptrum, non autem per baculum & annulum. Expenduntur verba Callisti.

IV. Rescripto tamen Callisti abolitum est jus homagii & juramenti fidelitatis, quod Episcopi præstare tenebantur, quod antea quoque vetitum a Gregorio septimo & Urbano secundo. Cur ita visum Pontificibus illis.

V. Verum his prohibitionibus obsequuti non sunt Galli, neque Angli, neque etiam Germani. Quoad Galliam, probatur ex Ivone Carnotensi.

VI. Quoad Angliam vero, auctoritate Willelmi Malmesburiensis.

VII. Emicuit in hoc negotio pietas & reverentia Regum nostrorum erga apostolicam sedem. Dimiserunt enim solennitatem homagii. Istud vero non exegerunt, nisi ab iis Episcopis, qui feuda possidebant. A ceteris vero nihil exactum præter juramentum fidelitatis.

VIII. Veteri constitutione inductum, ut Episcopi juramentum fidelitatis præstent Regibus. Innocentius tertius in Concilio Lateranensi censuit, æquum esse, ut clerici, qui bona temporalia possident, juramentum fidelitatis præstent Principibus.

IX. Callistus secundus investituras confirmavit, tametsi immutationem attulerit in solemnitate. Fridericus tertius regalium investituram per sceptrum dedit Episcopo Tullensi.

X. Gallia jam ante dimiserat solemnitatem investituræ per annulum, & jus illud in feudis tantum retinuerat.

XI. Ævo divi Bernardi investitura feudorum sive regalium in usu erat.

XII. Ex his, quæ dicta sunt, colligitur, investituram regalium ac juramentum fidelitatis publica auctoritate convaluisse post diuturnas contentiones.

ADDITIO.) Datur nova editio Conciliorum Remensis & Lateranensis sub Callisto secundo habitorum. Cujas fuerit Burdinus, qui adversus Callistum sedit. Quid sit Hispanicum iter in canone decimo Concilii Lateranensis. Non est simplex peregrinatio religionis ergo, sed bellum sacrum adversus Saracenos. De parochialibus Ecclesiis, quas monachi tenent.

I. ANno dein millesimo centesimo decimo nono Callistus secundus Papa, qui cum Imperatore Henrico cognatione conjunctus erat, Concilium Remense celebravit, cui interfuit Ludovicus VI. Francorum Rex. In eo examinata fuit controversia illa de investituris; ac dein decreta Concilii missa sunt ad Henricum, qui tribus quibusdam capitibus consensit, liberas nimirum futuras electiones Episcoporum & Abbatum, consecrationes peractum iri ab iis, ad quos id jus spectat, deinceps vero nullam investituram factum iri per virgam & annulum. Verum concoquere non potuit quartum caput, quod proponebatur. Eo autem decernebatur, teste Rogerio de Hoveden, ut *investituram rerum Ecclesiasticarum nihil omnino sibi laicalis exigat persona.* Itaque ob repulsam illam excommunicatus fuit contra sententiam plurimorum.

II. Mirum videri potest, Regem Francorum huic excommunicationi consensisse, qua ipse æque involvebatur ac Imperator. Nam Reges nostri investituram quoque dabant, non quidem episcopatuum, neque cum solemnitate baculi & annuli, sed investituram rerum & possessionum ecclesiasticarum, ut ex Hincmaro & Ivone supra docuimus. Ut ea difficultate nos expediamus, observandum est, bona Ecclesiarum bifariam accipi. Quædam enim vocantur *regalia*, id est, feuda, quæ Regi debent servitium velut a vassallo. Alia vero sunt latifundia & domania, quæ Ecclesiæ data fuerunt. Olim autem Reges concessiones & investituras universi patrimonii ecclesiastici dabant. Sed in pactis, inter Paschalem & Henricum initis ante, quam Paschalis in carcerem conjiceretur, reperta est nova distinctio, quæ potestatem imperatoriam coercebat ad solam feudorum investituram, quæ immediate pertinerent ad imperium. Quoad alia vero bona, Ecclesiis conservabatur antiqua libertas, ut constat ex epistola XXII. ejusdem Paschalis: *Porro Ecclesias cum oblationibus & hereditariis possessionibus, quæ ad regnum manifeste non pertinebant, liberas manere decrevimus.* Adhibenda ergo est distinctio illa propositioni Concilii Remensis. Unde concludendum est, Regem Ludovicum sese accommodasse ad voluntatem Papæ Callisti, dimissa bonorum ecclesiasticorum investitura, solamque feudorum investituram retinuisse. Uno verbo, & quidem apertius, responderi potest, discordiam illam fuisse inter Papam & Imperatorem de investitura corporali disputantes, quæ jam abolita erat in Gallia a tempore Concilii Claromontani.

III. Magnus tandem dies ingenti illi controversiæ, quæ quinquaginta per annos imperium & sacerdotium inter se commiserat, impositus est in Concilio generali Lateranensi a Callisto II. Papa celebrato anno MCXXII. cui interfuit Sugerius Abbas sancti Dionysii, legatus Ludovici Regis Franciæ. Callistus enim, ex sententia Concilii, hunc modum ei rei adhibuit, quo aliquatenus satisfactum est iis, quorum intererat. Rescriptum ejus, quod refertur apud Abbatem Urspergensem & Willelmum Malmesburiensem, heic ante omnia describendum est. *Ego Callistus servus servorum Dei dilecto filio suo Henrico, Dei gratia Romanorum Imperatori Augusto, concedo electiones Episcoporum & Abbatum Teutonici regni, quæ ad regnum pertinent, in præsentia tua fieri absque simonia & aliqua violentia; ut, si qua inter partes discordia emerserit, Metropolitani, & provincialium consilio vel judicio saniori parti auxilium & assensum præbeas. Electus autem regalia per sceptrum a te recipiat, exceptis omnibus, quæ ad Romanam Ecclesiam pertinere noscuntur, & quæ ex his jure tibi debet, faciat. Ex aliis vero partibus imperii consecratus infra sex menses regalia per sceptrum a te recipiat.*

Ceterum in hoc rescripto quatuor adnotanda sunt. Primum enim discrimen ponit inter Episcopos Germaniæ & aliarum provinciarum imperii. Nam Germanos Episcopos præcipit recipere investituram, etiam ante consecrationem. Secus quoad alios; quos ea tantum lege teneri edicit, ut intra sex mensium spatium a die consecrationis investituram accipiant ab Imperatore. Secundo mutat solemnitatem investituræ; quam fieri per sceptrum jubet, non autem per baculum & annulum. Tertio investituras coercet ad sola feuda sive regalia. Demum Imperatori reservat, in consequentiam investituræ regalium, omnia jura & obsequia, quæ ad eum pertinent quoad feuda ab Episcopis possessa.

IV. Sed magni momenti est ultima clausula. Nam

Nam ea comprehendit revocationem juris cujusdam, quod ex investiturarum controversia ortum erat, homagii nimirum & juramenti fidelitatis, quod Episcopi præstare tenebantur. Nam satis visum non est Gregorio VII. quod investiturarum usum prohibuisset; sed præterea vetuit, ne clerici homagia Regibus præstarent. *Ut clericus a laico numquam justificetur*, inquit, *nec pro terra nec pro aliis rebus, quas ab illo teneat, nec sibi hominatum faciat; sed omnino quæ ab eo tenet sibi, antequam ullam patiatur injuriam, dimittat*. Hanc prohibitionem in Concilio Claromontano renovavit Urbanus II. his verbis: *Ne Episcopus vel sacerdos Regi vel alicui laico in manibus ligiam fidelitatem faciat*. Hujus autem prohibitionis decernendæ, quam in Concilio Romano idem Urbanus renovavit, quænam rationes fuerint, aperit Rogerius Hovedenus. Ait enim, Papam in ea synodo disseruisse, execrabile prorsus esse, ut manus, quæ eo honoris & dignitatis pervenere, ut ministerio suo Deum creent, qui creavit universa, quæque eum offerunt Deo Patri pro omnium hominum salute, quod ipsis quoque angelis non licet, indignum, inquam, prorsus esse, ut hæ manus ad eam seu socordiam seu ignaviam demittantur, ut imperio subjiciantur earum manuum, quas noctu & interdiu coinquinant obscœni contactus, rapinæ & injusta effusio sanguinis humani. Eodem quoque argumento usus est Paschalis secundus in colloquio Catalaunensi legatos Henrici Imperatoris alloquens. Nam idem Papa, prædecessorum suorum statutis æmulatus, eandem prohibitionem renovaverat in Concilio Lateranensi. *Patrum nostrorum decreta*, inquit, *renovavimus, sancientes & interdicentes, ne quisquam omnino clericus hominum laico faciat*. Idem sensisse videntur Episcopi provinciæ Remensis e synodo Carisiacensi anno DCCCLVIII. scribentes ad Ludovicum Regem Germaniæ, dum ajunt: *Nos Episcopi Domino consecrati, non sumus hujusmodi homines seculares, ut in vassallatico debeamus nos cuilibet commendare*. Infra: *Manus enim chrismate sacro perunctæ, quæ de pane & vino aqua mixto per orationem & crucis signum conficit corpus & Christi sanguinis sacramentum, abominabile est quicquid ante ordinationem fecerit, ut post ordinationem episcopatus seculare tangat ullo modo sacramentum*.

Vide Eadmerum lib. 2. p. 52. & Joannem Bromton. p. 994.

Vide supra c. 10. §. 2.

Epistola Episcopor. ad Ludovicum c. 15.

V. Verum his prohibitionibus nequaquam obsequuti sunt Galli, neque Angli, neque etiam Germani. Nam Ivo Carnotensis, scribens Paschali Papæ, ait, se secundum Pontificis mandatum de restitutione Radulfi Remensis Archiepiscopi tractasse cum Rege & proceribus regni in curia sive Parlamento in Aurelianensi urbe habito, sed eam obtineri non potuisse, nisi ea lege, ut Radulfus Regi sacramentum *per manum* (id est homagium) præstaret more Remensium Archiepiscoporum prædecessorum ejus & ceterorum Episcoporum regni Francici, eam enim fuisse optimatum in eo negotio pervicaciam, ut plane necessarium fuerit eorum obsequi studiis, tametsi jussa Pontificis omnino contraria forent: *quia ecclesiasticæ paci & fraternæ dilectioni sic expediebat*, ut in epist. CXC. ait idem Ivo. Orat autem Paschalem, ut dispensatione utatur in hac causa, memineritque prudentiæ & pietatis suæ, cum fas non sit debitam fortitudinem hoc loco exercere.

Vide lib. 4. c. 13. §. 1.

VI. Non solum autem in Gallia, sed etiam in Anglia, his Romanorum desideriis contradicebatur, ut colligitur ex Willelmo Malmesburiensi in libro primo gestorum pontificalium. Cum enim acriter inter se contenderent Henricus secundus Rex Angliæ & Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus, qui ob prohibitiones pontificias hominium præstare recusabat, missa est ad Paschalem legatio ad tollendam difficultatem. Sed cum Papa editis ea de re constitutionibus pertinaciter adhæreret, ejusque auctoritate se Anselmus tueretur, Rex Henricus in hæc verba prorupit: *Quid ad me de literis Apostolicis? Jura regni mei nolo amittere*. Unde factum, ut Anselmus jussus sit *Regi hominium facere, vel absolutis morarum nexibus regno excedere*. Tandem Henricus, jus suum retinendo, consensum Pontificis elicuit; ut in lib. II. eorundem gestorum pontificalium testatur his verbis idem Willelmus Malmesburiensis: *Concessit siquidem Papa, ut Rex homagia de electis acciperet, sed nullum per annulum & baculum investiret*.

Vide Eadmer. lib. 3. hist. Novor. p. 61. 70.

Vide Eadmerum p. 65. 66. 73. 87. 91.

VII. Reges tamen Francorum videntur facilius flexisse, ut morem gererent destinatis Pontificum Romanorum, quoad homagia, non secus ac obsequuti iisdem fuerant quoad solemnitatem investiturarum. Dimiserunt enim solemnitatem homagii, quæ in eo versabatur, ut vasallus manus suas supponere teneretur manibus domini. Retinuerunt tamen homagium quoad Episcopos, qui feuda possident, solo fidelitatis juramento ab iis exacto, qui nulla feuda possidebant. Hinc orta est distinctio, quæ extat in constitutione anni MCCCXXXII. in qua Episcopi, qui juramentum fidelitatis & homagium debent, distinguuntur ab iis, qui juramentum tantum fidelitatis debent. Quoniam vero solemnitas homagii sublata est, utrumque hodie confunditur quoad Episcopos; qui nullum aliud juramentum præstant, quam juramentum fidelitatis, tametsi feuda ad homagium quoque adstringant. Recte itaque Fridericus primus Imperator respondit Legatis Hadriani IV. summi Pontificis, qui tametsi consentirent, ut Episcopi Italiæ Friderico præstarent juramentum fidelitatis, homagium tamen præstari non debere contendebant. *Episcoporum Italiæ ego quidem non affecto hominium, si tamen eos de nostris regalibus nil delectat habere. Qui si gratanter audierint a Romano Præsule: Quæ tibi & Regi? consequenter quoque ab Imperatore non pigeat audire: Quid tibi & possessioni?*

VIII. Ceterum ex hoc loco colligitur, juramento saltem fidelitatis consensisse Legatos. Sane in Conciliis Toletanis IV. & X. pronuntiatum fuerat, ad illud Regi præstandum æque teneri Episcopos ac ceteros subditos. Usurpabatur porro id ab Episcopis Gallicanis; ut patet ex canone primo Concilii tertii Turonensis, habiti an. DCCCXIII. & ex synodo Aquisgranensi secunda, habita anno DCCCXXXVI. cujus ea sunt verba in canone duodecimo secundi capituli: *Si quisquam Episcoporum sacramentum fidelitatis illi* (id est, Ludovico) *promissum violaverit, & ejus contrariis malevola intentione quolibet modo se copulaverit, gradum proprium canonica atque synodali sententia amittat*. Certe Episcopi apud Carisiacum congregati, quorum epistolæ facta supra mentio est, non negant, præstitum a se fuisse juramentum fidelitatis ante ordinationem; sed recusant ei Principi homagium post ordinationem præstare, qui legitimus eorum Rex non erat, sed qui partem regni invadere meditabatur adversus Carolum fratrem. Tandem Innocentius tertius in Concilio Lateranensi æquum esse existimavit, ut clerici, qui bona temporalia possident, juramentum fidelitatis ei Principi præstent, a quo illa pendent; tametsi prohibeat, ne ii juramentum illud præstent, qui nulla bona temporalia possident.

IX. Sed, ut ad investituras redeamus, eas Callistus secundus confirmavit; tametsi immutationem attulerit in solemnitate, quam fieri jussit per sceptrum. Ut non injuria scriptum sit ab Ottone Frisingensi lib. II. cap. V. & VI. episcopatus conferri per sceptrum, regna per ensem, & provincias per vexillum, nam id obtinebat in imperio. Sane Fridericus tertius regalium investituram per sceptrum dedit Episcopo Tullensi; ut patet ex ejus rescripto, quod extat apud Gallandium in tractatu de Franco-Allodio pag. 246. *Universa singula regalia, nec non temporalia sive feuda dictæ suæ Ecclesiæ Tullensis, --- cum sceptro regale & aliis*

aliis ceremoniis in talibus fieri consuetis conferimus, ac ipsum de eisdem investimus. Eundem morem in usum revocavit Carolus V. Imperator anno MDXXII.

X. At Gallia solemnitatem investituræ per annulum jam dimiserat ante pactiones Papæ Callisti: & jus illud investituræ in feudis tantum retinebat, quam post ordinationem concedebant Reges nostri, data rescripto licentia occupandi feuda ad Ecclesiam pertinentia, iisque utendi, id quod Ivo in epist. sexagesima vocat *investire manu, nutu, lingua*. Eam ob causam Reges nostri noluerunt uti solemnitate sceptri; sed suam tamen auctoritatem amplificaverunt, arrepta occasione constitutionis Callisti, ut adnotabitur inferius.

XI. Quare mirum non est, ævo divi Bernardi, qui post Callistum floruit, investituram feudorum sive regalium in usu fuisse. Hinc enim, loquens in epistola CLXIV. de quodam, qui ad episcopatum electus erat, ait: *Festinavit ad Regem, regalium investituram accepit*. Quo loco per *regalia* intelligit feuda, quæ liberalitate Principum ad Ecclesiam pervenerant; ut ipsemet alibi explicat his verbis; *Duplex est dominium Prælatorum. Habent enim claves Ecclesiæ, quibus claudunt, & nemo claudit. Habent & regalia: quia domini sunt urbium, oppidorum. Nec solum episcopatus, sed & consulatus* (id est, comitatus) *habent. Ut merito eis dicatur: Quid ultra debui facere, & non feci? Sed quod datum est illis in adjutorium, factum est illis in scandalum*. Eodem sensu accipiebatur vox regalium ab Archiepiscopo Treverensi in colloquio Catalaunensi apud Sugerium, itemque a Paschale secundo in privilegio, quod Imperatori Henrico concessit, & in epistola ejusdem XXII. in Concilio Lateranensi dictata, tum etiam in rescripto Callisti, & in literis Friderici primi ad Hadrianum quartum, quarum supra meminimus.

D. Bernardus in serm. ad Pastor. in fine.

XII. Ceterum ex his, quæ dicta sunt, colligere licet, concessionem sive investituram regalium, itemque juramentum fidelitatis, quod Episcopi præstare tenentur post consecrationem suam, publica auctoritate convaluisse post diuturnas contentiones, Reges vero nostros earum rerum possessionem retinuisse, tametsi aliquid ex suo jure dimiserint, ut se ad statuta Conciliorum accommodarent.

ADDITIO STEPHANI BALUZII.

OMnis cura mea solet in hoc versari, ut prosim, si quo modo possim, fovendis nostris studiis, & ut libros istos pro mea virili illustrem; additis nimirum, ubi occasio tulit, illustribus aliquot ecclesiasticæ antiquitatis monumentis. Ita enim antea in superioribus capitibus addita sunt nonnulla, quæ nemini bene sano stomachum, ut ego quidem arbitror, movebunt; cum nihil in eis contineatur, quod egregium non sit, nobile, ac prorsus scitu dignum. Neque huic capiti deerit par diligentia; quod illustrare placuit additis duobus præclaris monumentis, Conciliis, inquam, Remensi & Lateranensi sub Callisto secundo habitis, quorum in hoc capite facta mentio est, editis illis quidem, sed mendose, quantum colligi potest ex hac nostra editione, si cui libeat eam conferre cum Biniana. Nam quoad Concilium Remense, editum illud fuit ex Rogerio Hovedeno, qui illud transcripsit in annales suos, potius sententiam canonum secutus, quam verba, tametsi ea quoque satis fideliter reddiderit. Extat autem ipsum Concilium, addito etiam in fronte breviario canonum, in pervetusto codice MS. bibliothecæ Seguierianæ, cujus ætas non admodum remota est ab ævo Callisti. De Concilio autem Lateranensi dicetur infra in Notis ad illud nostris.

CONCILIUM REMENSE

HABITUM ANNO MCXIX.

Capitula constitutionum Remensis Concilii, cui præsedit Domnus Calixtus secundus, præsente Ludovico Rege Francorum.

I. De damnatione simoniacæ hæresis.
II. Ne episcopatuum & abbatiarum investitura per manum laicam fiat.
III. De invasoribus ecclesiasticarum possessionum.
IV. Ne quis Episcopus, Presbyter, aut clericus ecclesiasticas dignitates vel beneficia cuique hæreditario jure dimittat, aut pro sacramentis Ecclesiæ vel sepultura pretium exigat.
V. Ne Presbyter, Diaconus, Subdiaconus concubinæ vel uxoris contubernium habeat.

I. QUæ sanctorum patrum sanctionibus de pravitate simoniaca stabilita sunt, nos quoque Spiritus sancti judicio & auctoritate sedis apostolicæ confirmamus. Si quis ergo vendiderit aut emerit per se vel per aliquam summissam personam episcopatum, abbatiam, decanatum, archidiaconatum, presbyteratum, præposituram, præbendam, altaria, vel quælibet ecclesiastica beneficia, promotiones, ordinationes, consecrationes, Ecclesiarum dedicationes, clericalem tonsuram, sedes in choro, aut quælibet ecclesiastica officia, vendens & emens, dignitatis & officii sui ac beneficii sui periculo subjaceat. Quod nisi resipuerit, anathematis mucrone perfossus, ab Ecclesia Dei, quam læsit, modis omnibus abscindatur.

II. Episcopatuum & abbatiarum investituram per manum laicam fieri penitus prohibemus. Quicunque igitur laicorum deinceps investire præsumpserit, anathematis ultioni subjaceat. Porro, qui investitus fuerit, honore, quo investitus est, absque recuperationis spe omnimodis careat.

III. Universas Ecclesiarum possessiones, quæ liberalitate Regum, largitione Principum, vel oblatione quorumlibet fidelium eis commissæ sunt, inconcussas in perpetuum & inviolatas permanere decernimus. Quod si quis eas abstulerit, invaserit, aut potestate tyrannica detinuerit, juxta illud beati Symmachi capitulum anathemate perpetuo feriatur.

IV. Nullus Episcopus, nullus Presbyter, nullus omnino de clero ecclesiasticas dignitates vel beneficia cuilibet quasi hereditario jure derelinquat. Illud etiam adjicientes præcipimus, ut pro baptismatis, chrismatis, olei sacri, ac sepulturæ acceptione, infirmorum visitatione vel unctione, nullum omnino pretium exigatur.

V. Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus concubinarum & uxorum contubernia prorsus interdicimus. Si qui autem hujusmodi reperti fuerint, ecclasiasticis officiis priventur. Sane si nec sic immunditiam suam correxerint, communione careant Christiana.

CONCILIUM LATERANENSE

HABITUM ANNO MCXXII.

Ex veteri codice MS. Monasterii Anianensis, quod nunc extat in bibliotheca Colbertina.

ANno ab incarnatione Domini MCXXIII. indictione secunda, epacta XXII. concurrente VII. XV. Kalend. Aprilis, præsidente Domino Papa Calixto secundo, anno pontificatus sui quinto, celebrata est magna synodus Romæ diversarum provinciarum Archiepiscoporum, Episcoporum & Abbatum quamplurimorum; ubi recitata sunt hæc capitula, & totius assensu Concilii confirmata.

I. Sanctorum patrum exempla sequentes, & officii nostri debita innovantes, ordinari quemquam per pecuniam in Ecclesia Dei vel promoveri auctoritate sedis apostolicæ, modis omnibus prohibemus. Si quis vero in Ecclesia ordinationem vel promotionem taliter acquisierit, acquisita prorsus careat dignitate.

II. A suis Episcopis excommunicatos ab aliis Episcopis, Abbatibus, & clericis in communionem recipi procul dubio prohibemus.

Vide Gratianum dist. 62, cap. 3. III. Nullus in Episcopum, nisi canonice electus, consecretur. Quod si præsumptum fuerit, & consecratus & consecrator absque recuperationis spe deponatur.

IV. Nullus omnino Archidiaconus, aut Archipresbyter, sive Præpositus, vel Decanus animarum curam vel præbendas Ecclesiæ sine judicio vel consensu Episcopi alicui tribuat. Immo, sicut sanctis canonibus constitutum est, cura & rerum ecclesiasticarum dispensatio in Episcopi judicio & potestate permaneat. Si quis vero contra hoc facere aut potestatem, quæ ad Episcopum pertinet, sibi vendicare præsumpserit, ab Ecclesiæ liminibus arceatur.

V. Ordinationes, quæ a Burdino hæresiarcha, postquam a Romana Ecclesia est damnatus, quæcumque etiam a pseudoepiscopis per eum postea ordinatis factæ sunt, nos irritas esse judicamus.

VI. Nullus etiam in Præpositum, nullus in Archipresbyterum, nullus in Decanum, nisi Presbyter, vel Diaconus, nullus in Archidiaconum, nisi Diaconus, ordinetur.

VII. Presbyteris, Diaconibus, vel Subdiaconibus concubinarum & uxorum contubernia penitus interdicimus, & aliarum mulierum cohabitationem, præter quas synodus Nicæna propter solas necessitudinum causas habitare permisit, videlicet matrem, sororem, amitam, vel materteram, aut alias hujusmodi, de quibus nulla valeat juste suspicio oriri.

VIII. Præterea juxta beatissimi Stephani Papæ sanctionem statuimus, ut laici, quamvis religiosi sint, nullam tamen de ecclesiasticis rebus aliquid disponendi habeant facultatem; sed secundum Apostolorum canones omnium negotiorum ecclesiasticorum curam Episcopus habeat, & ea velut Deo contemplante dispenset. Si quis ergo Principum aut aliorum vel laicorum dispositionem vel donationem rerum sive possessionum ecclesiasticarum sibi vendicaverit, ut sacrilegus judicetur.

IX. Conjunctiones consanguineorum fieri prohibemus, quoniam eas & divinæ & sæculi prohibent leges. Leges enim divinæ hoc agentes & eos, qui ex eis prodeunt, non solum ejiciunt, sed maledictos appellant. Leges vero seculi infames tales eos vocant & ab hereditate repellunt. Nos itaque patres nostros sequentes, infamia eos notamus, & infames esse censemus.

X. Eis, qui Hierosolymam proficiscuntur, & ad Christianam gentem defendendam & tyrannidem infidelium debellandam efficaciter auxilium præbuerint, suorum peccatorum remissionem concedimus, & domos & familias atque omnia bona eorum in beati Petri & Romanæ Ecclesiæ protectione, sicut a Domino nostro Papa Urbano constitutum fuit, suscipimus. Quicunque ergo ea distrahere vel auferre, quamdiu in via illa morantur, præsumpserint, excommunicationis ultione plectantur. Eos autem, qui vel pro Hierosolymitano vel Hispanico itinere cruces sibi in vestibus posuisse noscuntur & eas dimisisse, cruces iterato assumere & viam ab instanti Pascha usque ad sequens proximum Pascha perficere apostolica auctoritate præcipimus. Alioquin ex tunc eos ab Ecclesiæ introitu sequestramus, & in omnibus terris eorum divina omnia officia, præter infantium baptisma & morientium pœnitentias, interdicimus.

XI. Sanctorum patrum canonibus consona sentientes, oblationes de sanctissimo & reverendissimo altari beati Petri & Salvatoris & sanctæ Mariæ rotundæ & sancti Nicolai Barensis, sancti Ægidii, aut de aliis omnium Ecclesiarum altaribus, sive crucibus, a laicis auferri penitus interdicimus, & sub anathematis districtione prohibemus.

XII. Ecclesias a laicis incastellari aut in servitutem redigi auctoritate apostolica prohibemus.

XIII. Quicunque monetam falsam se sciente fecerit, aut studiose expenderit, tanquam maledictus, & pauperum virorum oppressor, & civitatis turbator, a fidelium consortio separetur.

XIV. Si qui Romipetas, & peregrinos, seu mercatores & peregrinos Apostolorum limina & aliorum sanctorum oratoria visitantes capere, seu rebus quas ferunt, spoliare, vel novis teloneorum seu pedagiorum exactionibus molestare tentaverint, donec satisfecerint, communione careant Christiana.

XV. Quicquid vero de pace & trevia Dei, vel de incendio, seu de publicis stratis, ab antecessoribus nostris Romanis Pontificibus constitutum est, nos sancti Spiritus auctoritate confirmamus.

XVI. Sanctorum etiam patrum vestigiis inhærentes generali decreto sancimus, ut monachi propriis Episcopis cum omni humilitate subjecti existant, & eis uti magistris & Ecclesiæ Dei pastoribus debitam obedientiam & devotam in omnibus subjectionem exhibeant. Publicas Missarum solemnitates nusquam celebrent. A publicis etiam infirmorum visitationibus, inunctionibus, seu etiam pœnitentiis, quod ad illorum nullatenus officium pertinet, sese omnino abstineant. In Ecclesiis vero, quibus ministrare noscuntur, Presbyteros nonnisi per manum sui Episcopi habeant, qui ei de suscepta animarum cura respondeant.

XVII. Ad hæc sanctæ Romanæ Ecclesiæ possessiones quietas servare per Dei gratiam cupientes præcipimus & sub districtione anathematis interdicimus, ne aliqua militaris persona Beneventinam beati Petri civitatem præsumat invadere aut violenter retinere. Si quis aliter præsumpserit, anathematis vinculo teneatur.

NOTÆ STEPHANI BALUZII.

Concilium istud Lateranense a Callisto secundo habitum, quamquam alii jam vulgavere, heic tamen edere visum est, & cum alius sit canonum ordo, quam in editis, & nonnulla contineat in superioribus editionibus prætermissa, & ejus quidem momenti, ut vel hoc ipsum procurare debuerit nova hæc editio. Hi vero canones, quos nunc damus, descripti sunt ex pervetusto codice MS. monasterii Anianensis in prima Narbonensi.

Can. I.) Descriptus est ad verbum hic canon ex Concilio Tolosano, quod idem Callistus in cathedrali Ecclesia sancti Stephani celebravit anno MCXIX, cujus canones supra editi sunt ex eodem codice Anianensi.

Can. V.) Cujas fuerit Burdinus, dubitatum video etiam ab antiquis auctoribus. Quidam enim veterum memoriæ prodiderunt, eum fuisse natione Hispanum. Sed huic sententiæ repugnat Rodericus Archiepiscopus Toletanus, vetustus Hispanicæ historiæ scriptor, qui eum patria Lemovicem fuisse docet, sed in Hispaniam abductum a Bernardo Archiepiscopo Toletano. Sane Burdinus fuit magnus vir per illas tempestates, adeo, ut Lemovices meos pudere non debeat hujus viri, quamvis Callisto cesserit in monumentum victoriæ. Nos ejus vitam edidimus in libro tertio miscellaneorum nostrorum.

Can. VI.) Et hic quoque canon ad verbum sumptus est ex Concilio Tolosano Callisti secundi; nisi quod in hoc Lateranensi, vitio haud dubie librarii, post vocem *Presbyter* additur *vel Diaconus*, prorsus male & contra mentem canonis. Repetitus dein est idem canon in Concilio Lateranensi sub Innocentio secundo.

Can. X.) Hispanicum illud iter, cujus meminit hic canon, non erat simplex peregrinatio religionis ergo. Sed ad exemplum Urbani secundi, qui belli sacri in oriente gerundi auctor fuit, successores ejus bellum quoque sacrum in Hispania fieri adversus Sarracenos decreverunt, eandemque peccatorum indulgentiam euntibus ea de causa in Hispaniam concesserunt, quæ orientalis Ecclesiæ defensoribus concessa fuerat in Concilio Claromontano. Nam in archivo Ecclesiæ Barcinonensis habetur epistola Callisti secundi ad universos Christi fideles, (data forrassis ex isto Lateranensi Concilio, cum data sit Laterani IV. Nonas Aprilis) qua pugnantibus in Hispania adversum Saracenos eandem peccatorum remissionem concedit, quæ orientalis Ecclesiæ defensoribus concedi solet. At in Concilio Claromontano sub Innocentio II. Papa celebrato, quod nondum editum est, mandatur, incendiariis, quæ pestis tunc in occidente grassabatur, ut Hierosolymam vel in Hispaniam pergant, illic anno integro belligeraturi. Præterea extat in archivo regio Barcinonensi epistola Hadriani quarti, qua Raimundum Comitem Barcinonensem totamque terram ejus sub beati Petri ac sua protectione suscipit, quamdiu pugnaverit contra Sarracenos. In Concilio autem habito apud Montempessulanum in prima Narbonensi anno MCXCV. (cui præfuit Magister Michael sedis apostolicæ Legatus) ab usurarum solutione ita liberantur illi, qui in Hispaniam pergunt, ut etiam fidejussores eorum cogi non possint ad earum solutionem. Concilium illud nos nuper edidimus in Codice Conciliorum Galliæ Narbonensis.

Can. XVI.) Renovata est hoc canone constitutio Urbani secundi, qui in Concilio Claromontano statuerat, ne monachi in parochialibus Ecclesiis, quas tenent, absque Episcoporum consensu Presbyteros collocent, de plebis cura rationem Episcopis reddituros. Vide porro, quæ a nobis supra dicta sunt in Notis ad hunc canonem Claromontanum.

CAPUT

CAPUT XXII.

De origine juris regii in Gallia percipiendi reditus ex bonis ecclesiasticis, sede vacante, ut & spoliis episcoporum.

SYNOPSIS.

I. An Reges Francorum ad se traxerint custodiam bonorum ecclesiasticorum sede vacante. Factitatum id ab eis ostenditur variis argumentis.

II. Adeo autem receptum erat jus illud in Gallia, ut adnotet divus Bernardus, noluisse electum Lingonensem ullam bonorum administrationem suscipere, donec eorum investituram accepisset a Rege, in quo laudatur a Bernardo.

III. Rex Philippus Augustus eam bonorum episcopalium retentionem coercuit ad regalia. Ea vero reddi debent electo post consecrationem. Dein Episcopus tenetur Regi præstare juramentum fidelitatis. Quod si id non fecerit, Dominus Rex poterit saisire regalia sua, & ea tamdiu tenere, *donec præstitum juramentum fuerit.*

IV. Fruebantur præterea Reges reditibus Ecclesiæ vacantis, ut colligitur ex privilegio, quod Papa Formosus concessit Ecclesiæ Remensi. Explicantur verba hujus privilegii.

V. His tamen reditibus aut collatione præbendarum non fruebantur Principes ævo Gregorii septimi & sequentium Pontificum. Ususfructus itaque redituum ecclesiasticorum introductus est post constitutionem Callisti secundi. Inquiritur in rationem hujus novitatis.

VI. Moris hujus originem arcessendam esse a jure feudorum, probatur auctoritate Philippi Pulchri Regis.

VII. Prætextu custodiæ regalium Principes ad se traxerunt usumfructum decimarum & omnium redituum temporalium. Quod ratione non omnino destituebatur. Quoniam vero collatio beneficiorum censetur pertinere ad fructus, ex eo factum, ut Reges ad se traxerint collationem præbendarum, quod jus vetustum est in Anglia.

VIII. In Gallia, jam inde a temporibus Ludovici junioris, Reges fruebantur reditibus episcopatus vacantis.

IX. Omnes reditus episcopatus vacantis ad Regem pertinent, atque etiam omnia mobilia Episcopi, si decesserit intestatus.

X. Ævo Philippi Augusti receptum erat, præbendarum collationem ad Regem pertinere sede vacante.

XI. Hanc esse antiquam & approbatam consuetudinem regni, ajebat idem Philippus. Adeo autem solidata erat hæc potestas ævo divi Ludovici, ut Clemens quartus revocaverit provisionem a se factam de quadam præbenda Remensi, quod idem Ludovicus conquereretur, tentatum id fuisse adversus jura regia. Id jus agnovit Gregorius decimus.

XII. Spolia etiam Episcoporum ad Reges pertinebant in Gallia.

I. SUperest itaque, ut investigemus, an Reges Francorum ad se traherent custodiam bonorum ecclesiasticorum sede vacante. Ac primum quidem vocabulum ipsum investituræ satis indicat, ita prorsus factitatum fuisse. Neque enim revera potuissent Reges eorum concessionem tribuere, nisi ea habuissent in manibus. Hujus bonorum ecclesiasticorum occupationis introductio extat in capite octavo Capitulorum Caroli Calvi: ubi statuitur anno DCCCLXVII. ut post Episcopi obitum Metropolitanus ad Ecclesiam vacantem mittat Visitatorem, qui una cum Comite sive Gubernatore eam custodiat, impediatque, ne quid ea detrimenti capiat. *Si aliquis Episcopus interim obierit*, inquit, *Archiepiscopus ipsi sedi Visitatorem secundum sacros canones deputet, qui una cum Comite ipsam Ecclesiam, ne prædetur, custodiat, usquedum ipsius Episcopi obitus ad vestram notitiam perveniat.* Argumento autem sequentia erunt, solitos Reges ea bona retinere, donec electioni consensissent. Extat enim disertum hujus rei testimonium apud Ivonem Episcopum Carnotensem in epistola centesima quarta. Scribens enim ad Papam Paschalem ait, Regem nolle consentire electioni Galonis pro episcopatu Belvacensi, neque etiam bona ecclesiastica dimittere in gratiam electi. *Rex*, inquit, *non vult electioni assensum præbere, nec electo bona episcopalia dimittere.* De bonis loquitur, absque discrimine ullo. Sed post habitum sub Callisto Remense Concilium, ea retentio coercebatur ad sola regalia.

II. Adeo autem receptum erat jus illud in Gallia, ut divus Bernardus ad Ludovicum VII. Regem scribens de monacho quodam, qui ad episcopatum Lingonensem electus erat, adnotet, eum noluisse ullam bonorum administrationem suscipere, donec eorum investituram accepisset a Rege. In quo, ait Bernardus, testatam eum fecisse fidem suam in Principem, quod a nemine alio recipere voluerit ea, quæ a Rege pendent, quam a Rege ipso. Hæc sunt ejus verba in epist. CLXX. *Electio rite celebrata est. Electus fidelis est. Non autem esset fidelis, si vestra & non per vos habere vellet. Necdum prorsus se intromisit de aliquo; quamquam invitatio cleri & populi, & oppressorum afflictio, & vota bonorum id ab eo vehementissime flagitaverint.*

III. At posteri, tametsi jure regio universa bona episcopalia occupare consueverint sede vacante, veterem tamen loquendi formulam retinuerunt, eam retentionem coercentes ad regalia. Rex quippe Philippus Augustus, ad bellum sacrum proficiscens anno MCXC. Reginæ matri suæ & avunculo suo Remensi Archiepiscopo regni Regentibus constitutis, præcipit, ut regalia retineant, donec electus Episcopus fuerit consecratus. *Regina autem & Archiepiscopus*, inquit, *tamdiu regalia in manu sua teneant, donec electus consecratus sit vel benedictus. Et tunc regalia sine contradictione reddantur.* Jam enim antea pater ejus Ludovicus VII. dixerat anno MCLXI. post obitum nempe Theobaldi Episcopi Parisiensis: *Episcopatus & regale in manum nostram venit.* Unde factum, ut Mauricius Episcopus Cenomanensis fateatur an. MCCXXIII. *quod, quando electus Cenomanensis erit confirmatus a Metropolitano, Rex reddet ei regalia sua.* Electus tamen tenebitur præstare Regi juramentum fidelitatis intra spatium quadraginta dierum. Quod si id non fecerit, *Dominus Rex poterit saisire regalia sua & ea tamdiu tenere, quousque Domino Regi fidelitatem fecerit.* Hinc pariter factum, ut anno MCCXLVIII. matri suæ id indulgeat, ut possit *fidelitates Episcoporum & Abbatum recipere & eis regalia restituere.* Verba hæc accommodata sunt ad statuta Conciliorum; tametsi ea tempestate retentio fructuum porrigeretur ad universa bona episcopalia, ut diximus.

Tit. 2. libert. Eccles. Gallic. cap. 16.

Tit. 7.

Tit. 13.

IV. Sufficienter, ut opinor, probavimus, solitos Reges occupare regalia sede vacante. Nunc ergo inspiciendum est, an iidem fruerentur reditibus, & an præbendas ullo unquam tempore contulerint. Ac prima quidem fronte occurrit, vetustum esse usum illum fruendi reditibus Ecclesiæ vacantis, argumento ducto a privilegio, quod Papa Formosus Ecclesiæ Remensi concessit anno DCCCXCII. precibus Fulconis ejusdem Ecclesiæ Archiepiscopi annuens. Prohibet enim, ne Reges, Episcopi, aut quilibet Christianorum, sede Remensi vacante, in suam utilitatem convertant episcopatum Remensem aut ejus reditus; sed omnia futuro antistiti reserventur, eligendo intra tempus statutum in canonibus, id est, intra trium mensium spatium, ne diutius, quam par est, metropolis sit destituta pastore. Testem hujus constitutionis laudo Flodoardum; cujus hæc sunt verba in libro quarto historiæ Remensis capite secundo:

Sanciens insuper auctoritate beati Petri, ut nemo Regum, nullus antistitum, nemo quilibet Christianus, decedente Remorum Episcopo, ipsum episcopatum vel res ipsius Ecclesiæ suis compendiis applicet, neque sub suo dominio teneat, præter ipsius civitatis Episcopum, & eandem metropolim non ultra constitutionem canonicam sine regulis conveniente pastore manere cogat, neque aliter Episcopum ibidem, nisi ut sacri canones jubent, constitui faciat.

Verum, abusus ille, quem hoc loco damnat Formosus, confundi non debet cum jure regaliæ, de quo nunc agimus. Nam regalia definit post præstitum fidelitatis juramentum. Rescriptum vero Papæ Formosi traducit pravam quandam consuetudinem, quæ in Galliis invaluerat, ubi laicis non solum monasteria concedebantur *propter imminentem reip. necessitatem*, (ut habetur in canone V. synondi, apud Theodonis villam habitæ anno DCCCXLIV. & in canone duodecimo Concilii Vernensis) sed etiam interdum reditus episcopatuum vacantium. Quo alludit canon XXI. Concilii Meldensis anno DCCCXLV. congregati, dum loquitur *de precariis factis ab his, qui loca Episcoporum occupaverunt*. Hinc autem fiebat, ut Episcoporum electiones retardarentur. Cui incommodo occurrit privilegium Papæ Formosi. Porro consuetudo hæc interrupta erat ante controversiam investiturarum.

V. Nam si Principes tum soliti essent frui reditibus episcopatuum vacantium & præbendas conferre, id haudquaquam silentio transmisissent Gregorius VII. Urbanus II. Paschalis II. & Callistus II. summi Pontifices, qui severe admodum damnaverunt unicam illam solemnitatem investituræ per baculum & annulum & solemnitatem juramenti *per manum*, quique investituram coercuerunt ad sola feuda. Itaque in ea sum sententia, ut existimem, usumfructum redituum ecclesiasticorum introductum esse post Constitutionem Callisti editam an. MCXXII. quæ Regibus tribuit potestatem exigendi a Prælatis universa officia & obsequia, quæ ratione feudorum exhibere tenentur: *Quæ ex regalibus debet, faciat*. Unde factum est, ut, quemadmodum plurimarum hujus regni provinciarum consuetudo domino feudi addicit usumfructum, quoties feudum vacat per mortem vassalli, id quod vulgo (*) *Relevium* vocant, sic Reges eo feudorum jure quoad regalia sive patrimonia episcopatuum usi sint interim, dum eorum custodiam ad se receperant, donec sedi vacanti præfectus esset Episcopus, & donec is investituram a Rege accepisset, juramentumque fidelitatis præstitisset. Quod jus in primis introductum est in provincias, in quibus mutatio domini necessitatem imponit solvendi commodum aliquod & utile domino superiori, quod relevium vocant, ut dixi; cum e contra in illis, quæ huic juri relevii obnoxiæ non sunt, nihil a Regibus tentatum fuerit quoad usumfructum regalium.

(*) Relief.

VI. Jus autem illud, tametsi recenter introductum quoad feuda ad Ecclesiam pertinentia, legitimum nihilominus & æquum erat, quod ea feuda iisdem legibus subjecta esse debeant, quibus cetera tenentur. Arbitror autem, Reges resarciendis damnis suis intentos, quæ toleraverant dimittendo jura investiendi Episcopos ante consecrationem, dum Pontificibus Romanis obtemperant ita cupientibus, jure suo usos esse, quoad feuda, ut Papa Callistus approbaverat. Ea mihi semper mens fuerat, hujus moris originem arcessendam esse a jure feudorum. Sed in hanc sententiam facilius transgressus sum post inspecta mandata a Rege Philippo Pulcro data Archiepiscopo Senonensi & Episcopo Antissiodorensi, quibus jubet, ut in controversia quadam exorta in Ecclesia Carnotensi summo Pontifici repræsentent, quænam in ea causa sint jura regia. Extant mandata illa in quodam regesto Cameræ Computorum Paris. fol. 313. ubi hæc leguntur: *Sicut feudus vassallo vocans, interim cum suis reditibus a domino licite occupatur, & propter defectum hominis, ut vulgari nostræ patriæ verbo utamur, de jure & generali consuetudine regni nostri per dominum, quousque superveniat persona, quæ illi serviat, licite detinetur, sic nos & nostri antecessores vacante Ecclesia Carnotensi & temporalem jurisdictionem & bona temporalia accipimus, & nostros facimus omnes fructus, qui proveniunt ex eisdem. Non solum autem nostram potestatem in bonis episcopalibus exercemus; imo bona temporalia præbendarum & dignitatum, sive sit jurisdictio temporalis, sive alia bona temporalia, quæ possint ad aliquem pertinere, cum vacante præbenda vel dignitate concedimus, & de eis, prædicto tamen modo, disponimus nostro jure.*

VII. Verum quoniam facilis est excursus ab æquo ad iniquum, quoties privata utilitas urget, hinc factum est, ut prætextu custodiæ regalium auctoritas regia ad se traxerit usumfructum decimarum & in universum omnium redituum temporalium. Cum itaque reditibus quorundam bonorum, veluti regalium, optimo jure Reges fruerentur, paulatim factum est, ut in Ecclesias quasdam introducta sit consuetudo fruendi universis reditibus. In quo tamen non omnino peccasse videntur Reges nostri; cum id eo prætextu fieri potuerit, quod cum patrimonia episcopatus velut bona nobilia possiderentur ab Episcopo, evecta per consequentiam erant ad dignitatem feudorum. Nam quoad reditus, qui vulgo *spirituales* dicuntur, magna Ecclesiarum pars, cum decimis & oblationibus, laicis in feudum datæ fuerant a Pipino, Carolo magno, & Ludovico Pio, cum consensu Ecclesiæ Gallicanæ, ut alibi ostendo; quæ deinde ecclesiasticis viris concessæ sunt, ex permissu Regum. Itaque Principes non omnino destituti erant ratione, ut contenderent servitia & debita feudorum in hujuscemodi reditibus imposita extincta non esse vi consensus regii adhibiti liberalitati laicorum erga Ecclesias, qui ea ad ipsas omnino transtulerant. Adde quod, licet jus percipiendi decimas spirituale sit, decimæ tamen sunt temporales, ut ajunt canonici juris interpretes. Quoniam vero collatio beneficiorum censetur pertinere ad fructus, secundum quod in libris Decretalium continetur, eo jure prorsus opportune usi sunt Reges, ut usum inveherent conferendi præbendas, quarum provisio ad Episcopum pertinebat. Profectum enim hinc esse jus illud regium, ut collatio beneficiorum interim dum regalia aperta est vacantium ad Regem pertineat, probatur ex rescripto Alexandri III. edito in antiqua collectione Decretalium, quam publici juris fecit Antonius Augustinus: ex quo rescripto discimus, Regem Angliæ Henricum II. frui solitum reditibus episcopatus vacantis, & in consequentiam hujus possessionis, præbendarum quoque collationem ad se traxisse. *Episcopo de medio sublato*, inquit Alexander, *& reditibus episcopatus ad fiscum devolutis, cum quædam præbenda in jamdicta Ecclesia vacaret, carissimus in Christo filius noster H. illustris Rex Anglorum eam Thomæ clerico suo contulit; cui etiam aliam postmodum in eadem Ecclesia vacantem cum archidiaconatu, ad quem dicitur pertinere, concessit. Quas insimul non debet habere, cum nulli sit licitum in una & eadem Ecclesia duas præbendas obtinere.*

VIII. Reges nostros reditibus episcopatus vacantis frui solitos jam inde a temporibus Ludovici junioris absoluta est auctoritas. Nam cum Parisiensis Episcopus e vita excessisset anno MCLXI. ait idem Ludovicus, episcopatum illum & regalia in manum suam devenisse, id est, non solum regalia sive feuda, sed etiam universum episcopatum. Eam tamen in ea possessione cautionem adhibet, ut declaret, nolle se ad suam utilitatem convertere oblationes & reditus altaris Capiceriæ, quos cuidam puellarum monasterio addicit. *Episcopatus*, inquit, *& Regale in manum nostram venit*,

Tit. 2. libert. c. 16. *venit, & similiter Capiceriæ reditus. Sed cum oblationes & reditum altaris nollemus accipere &c.*

IX. Episcopus quoque Matisconensis professus est anno MCCI. omnia regalia regni Franciæ ad Regem pertinere, dum sedes vacat, & Regem de reditibus eorum statuere posse non secus ac Episcopum ipsum, quod si Episcopus decesserit intestatus, non solum ad Regem pertinere reditus episcopatus, sed etiam *omnia mobilia* Episcopi
Tit. 4. defuncti. *Omnia regalia*, inquit, *& omnes proventus regalium existentes in regno Franciæ libere sunt Domini Regis Franciæ, sicut & ea Episcopus libere possidebat. Et si Episcopus Matisconensis decesserit intestatus, tam omnia mobilia, quam omnes proventus sunt Domini Regis Franciæ libere & absolute.*

(*) *Hanc usum conferendi præbendas Ecclesiæ vacantis, in cujus possessione sunt Reges nostri, antiquiorem esse Philippo Augusto dicemus ad Hildebertum.*

X. Collationem (*) autem præbendarum jam fuisse introductam anno MCXC. fidem facit testamentum Philippi Augusti, cujus hæc sunt verba: *Si præbenda vel aliquod beneficium ecclesiasticum vacaverit, quando regalia in manu nostra venient, Regina & Archiepiscopus viris honestis & literatis consilio fratris Bernardi conferant; salvis tamen donationibus nostris, quas per litteras nostras patentes quibusdam fecimus.* Hæc ultima clausula continet donationes anticipatas, quæ prorsus erant gratiæ expectativæ.

XI. Quapropter idem Philippus Augustus apud Innocentium III. ajebat anno MCCX. se præbendam quandam sede Laudunensi vacante contulisse Thomæ de Argentolio clerico suo *secundum antiquam & approbatam consuetudinem regni*; petebatque a summo Pontifice confirmationem hujus provisionis. Quod rescripto suo non refutat Innocentius; sed causam ad examen Capituli Laudunensis remittit, ut intelligi possit, an provisio a summo Pontifice facta in gratiam cujusdam
Tit. 5. libert. Eccl. Gal. Odonis præferenda sit ei, quæ a Rege facta est in gratiam Thomæ de Argentolio. Quod si contingat Odonem præferri Thomæ, Regem orat, ut id gratum habere velit ob reverentiam apostolicæ sedis & ipsius Innocentii. Ceterum potestas illa adeo solidata erat anno MCCLXVII. ut Clemens Papa IV. revocaverit provisionem quandam, quæ auctoritate ejus facta fuerat de quadam præbenda Remensi, quod Rex Ludovicus nonus conquereretur, id tentatum fuisse adversus jura regia, affirmaretque, *quod vacantes confert in Ecclesia ipsa præbendas a tempore, quo eamdem Ecclesiam pastoris regimine contingit destitui, donec substitutus illi Archiepiscopus regalia recipit a Rege.* De eodem sancto Ludovico refert Nangius, eum conferre solitum Præbendas Ecclesiarum cathedralium; *ubi sede vacante, ratione custodiæ regalium, ex consuetudine pertinebat ad eum collatio præbendarum.* Gregorius vero X. epistola sua data anno MCCLXXI. approbavit collationem archidiaconatus Senonensis a Rege factam sede vacante; tametsi beneficium illud vacasset in curia Romana ob consecrationem Archidiaconi, qui ad archiepiscopatum Senonensem electus fuerat.

XII. Præter reditus episcopatus & collationem præbendarum, spolia Episcoporum defunctorum pertinebant ad Regem; licet antiqui canones ab iisdem spoliis removissent clericos & Metropoli-
Vide additionem ad caput XVIII. hujus libri. tanos, ac licet Urbanus II. & Innocentius II. eorundem spoliorum occupationem laicis interdixissent. Reges tamen nostri possessionem illam retinuerant quoad quasdam Ecclesias; ut fidem facit Episcopus Matisconensis anno MCCI. cujus auctoritas paulo supra relata est. Sed idem disertius probatur ex epistola Regis Ludovici junioris, quæ tit. I. cap. XVI. libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, data anno MCXLVII. in qua remittit Episcopis Catalaunensibus veterem consuetudinem, quæ ab officialibus regiis usurpabatur, ut caperent omnia mobilia lignea aut ferrea & animalia, quæ reperiebantur in domo episcopali. Sed disertis verbis retinet, secundum veterem consuetudinem, vinum, annonam, aurum & argentum, quæ tum fuerint in episcopatu: *Præter annonam, vinum, aurum & argentum: quæ omnia, juxta vetustam consuetudinem, & manu & potestate regia retinemus.* Idem Princeps simile privilegium concessit Theobaldo Episcopo Parisiensi, quod a filio ejus Philippo Rege confirmatum est; ut patet ex epistola quadam edita apud Gallandium in tractatu de Franco-Allodio pag. 338.

CAPUT XXIII.

De jure, quo Imperatores Romani & orientales circa spolia Episcoporum & vacantis ecclesiæ reditus usi fuere.

SYNOPSIS.

I. Imperatores quoque fruebantur jure occupandi spolia Episcoporum defunctorum. Sed id jus Ecclesiis remisit Fridericus secundus. Fructuum autem nomine comprehendebant etiam collationem beneficiorum. Sed tamen Fridericus non remisit investituram per sceptrum, neque jus recipiendi homagii ab Episcopis.

II. Post electionem Ottonis quarti Principes Germani scripserunt ad Innocentium tertium, abolitam ab Ottone fuisse consuetudinem occupandi bona mobilia Episcoporum morientium aut Abbatum Principum, statuisseque, ut ea conserventur successoribus.

III. Dubitandum non est, quin Ecclesia orientalis reditus episcopatus vacantis conservaverit successori. Gubernatores tamen provinciarum bona mobilia Episcopi mortui dein occuparunt, & immobilium usumfructum in suos usus converterunt. Ratio hujus immutationis investigatur.

IV. Id lege lata prohibuit Joannes Comnenus Imperator. Tum etiam frater ejus Manuel Comnenus: qui præterea edixit, ne Gubernatores bona immobilia Ecclesiarum vacantium ad suam administrationem adjungerent fiscoque addicerent.

I. At non in Gallia solum viguit consuetudo illa occupandi spolia Episcoporum morientium & fructus episcopatuum vacantium post editam Callisti constitutionem; sed in imperium quoque transgressa est, ut patet ex constitutione Friderici II. Imperatoris, qui jus illud Ecclesiis remisit, ac declaravit, eam pravam consuetudinem a prædecessoribus suis introductam fuisse. Sed in ea constitutione extat clausula magni momenti, quæ probat, Imperatores fructuum nomine collationem quoque beneficiorum fuisse complexos. Ait enim, relinquere se Episcopis dispositionem rerum spiritualium, ut Deo reddantur, quæ sunt Dei, & Cæsari, quæ sunt Cæsaris. Attamen non abjecit investituram per sceptrum, nec homagium Episcoporum, quæ in usu fuerant temporibus prædecessorum suorum. Data est hæc Friderici constitutio anno MCCXIII. confirmata dein bulla aurea ejusdem Principis anno MCCXIX. data ad Honorium III. Papam, quæ asservatur in arce Hadriani & in bibliotheca Vaticana, & a Goldasto edita est. Hæc sunt ejus verba: *Illum quoque dimittimus & refutamus abusum, quæ in occupandis bonis decedentium Prælatorum aut etiam Ecclesiarum vacantium nostri consueverunt antecessores committere pro motu propriæ voluntatis. Omnia nos spiritualia vobis & aliis Ecclesiarum Prælatis relinquimus libere disponenda; ut, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ Dei, Deo recta distributione reddantur.*

II. Eo autem tempore, quo electus est Imperator Otto quartus, Principes & Barones Germaniæ, clerici ac laici Innocentio Papæ III. significarunt anno MCC. abolitam ab Ottone fuisse pravam illam consuetudinem, a superioribus Imperatoribus introductam, occupandi bona mobilia Epi-

ſcoporum morientium aut Abbatum Principum, ſtatuiſſeque illum, ut ea bona conſerventur futuris

Ap. Baron. ad an. 996 & in regeſto Innocentii, & apud Goldaſtum,

ſucceſſoribus. *Pravam illam conſuetudinem*, inquiunt, *quam Imperatores anteceſſores ſui in occupandis rebus mobilibus vel ſe moventibus decedentium Epiſcoporum vel Abbatum Principum hucuſque ſervaverunt penitus extirpans, nos eccleſiaſticos Principes ex hac indebita vexatione regali benevolentia liberos dimiſit, & decedentium bona ſuis ſucceſſoribus ſervanda liberaliter ſtatuit.*

III. Poſt explicatum occidentalis imperii morem, res poſcere videtur, ut orientem quoque ſpectemus; præſertim cum diſquiſitio ita multum conferat ad noſcendum, quænam fuerit Regibus noſtris mens quoad difficultates, quæ ſuperſunt tractandæ. Ac primum quidem certum eſt, Eccleſiam Græcam ſummo ſemper ſtudio obſervaſſe canones de diſciplina latos. Quare dubitandum non eſt, quin juxta Concilium Chalcedonenſe & Novellas Juſtiniani reditus epiſcopatus conſervaverit ſucceſſori, deductis impendiis neceſſariis. Legimus nihilominus, Gubernatores provinciarum quandam immutationem introducere illic conatos, exemplo fortaſſis occidentalium, & bona mobilia Epiſcopi mortui occupaſſe, & immobilium uſumfructum in ſuos uſus convertere voluiſſe, quamdiu ſedes vacabat. Et fortaſſis id jus Imperatori competere aſſeverabant quoad regalia, quibus dotati erant epiſcopatus & monaſteria Græcorum. Nam legimus in Novella Manuelis Comneni Imperatoris Conſtantinopolitani, (quæ extat apud Balſamonem in canonem duodecimum ſeptimæ ſynodi & in libro tertio Juris Græco-Romani) Eccleſias habuiſſe villas, cenſus, telonea, jura introitus & exitus tam in fluminibus quam in mari, & omne redituum genus, quos Latini *regalia* nominabant, atque etiam caſtra: Κάστρα ἔν τινι τόπῳ ᾠκοδομήθησαν.

Ann. 1124. indictione ſecunda. Hæc porro conſtitutio extat lib. 2. Juris Græco-Rom. pag. 147.

IV. At Joannes Comnenus Imperator prohibuit circa annum MCXX. ne Gubernatores provinciarum occuparent bona mobilia Epiſcoporum morientium, ſive illa argentum eſſent, annona, aut animalia, ſive quippiam aliud; pœnis graviſſimis intentatis adverſus eos, ſi ſecus agerent. Joannis vero frater Manuel Comnenus eam prohibitionem renovavit circa annum MCL. eamque porrexit ad

An. 1155. Indict. IV. menſe Septembri.

alium abuſum, qui tunc irrepebat. Gubernatores enim bona immobilia Eccleſiarum vacantium ad ſuam adminiſtrationem adjungebant, fiſcoque addicebant. Id fieri deinceps vetuit Manuel Comnenus, jubens, ut partes ſive membra Eccleſiæ vacantis, id eſt, clerici illius Eccleſiæ, eorum bonorum adminiſtrationem ſuſcipiant ſecundum ſtatuta canonum, donec ſucceſſor adveniat. Hunc autem abuſum acriter traducit, dicens, eum vergere in contemptum Dei & legis naturalis everſionem, ideoque ſe adactum ad abolendum illum morem tanquam indignum profeſſione nominis Chriſtiani:

Lib. 2. Juris Græco-Rom. pag. 155.

τοῖς ἀκινήτοις μὲν τοι τῶν χηρευουσῶν ἐκκλησιῶν οὐδὲ πόδα ὅλως ἐπιβαλεῖ τις τῶν κατὰ χώραν δουκῶν. Infra: Πρᾶγμα καὶ εἰς θεοῦ τολμώμενον περιφρόνησιν. καὶ εἰς ἀθέτησιν θεσμῶν φυσικῶν. Infra: ἔνθεν τοι καὶ ὡς πάντη τῆς τῶν χριστωνύμων ἀνάξιον ἐπαγγέλματος διορθοῦται τοῦτο ἡ βασιλεία μου. Infra: ἀλλὰ πάντα παρὰ μερῶν τῶν τοιούτων ἐκκλησιῶν ἐν αὐτοῖς οἰκονομηθήσεται καθὼς ἄρα καὶ περὶ τούτου νενόμισται καὶ κανονικῶς διηγόρευται.

CAPUT XXIV.

Oſtenditur, jus illud regium circa vacantes eccleſias tantum conſervatum eſſe in iis eccleſiis, ubi ex antiquo receptum erat.

SYNOPSIS.

I. Exemplum orientalium & Friderici ſecundi occaſionem dedit Regibus noſtris, coercendi jus ſuum ad ſolas Eccleſias, in quibus receptum illud erat.

II. Hinc factum, ut in vetuſtis Parlamenti Pariſienſis arreſtis interdum pronuntietur ſecundum Regem, interdum vero adverſus ipſum, habita nimirum ratione poſſeſſionis.

III. Explicatur jus, quod Regi competebat in epiſcopatu Anicienſi, ſede vacante.

IV. Uſusfructus redituum epiſcopalium & collatio præbendarum nitebatur tantum conſuetudine ante tempora Gregorii decimi. Sed Concilium Lugdunenſe, ea tempeſtate habitum, poſſeſſionem Regum in jus vertit.

V. Generali fructuum vocabulo comprehendebatur etiam collatio præbendarum; quamvis id diſertis verbis non definiverit Concilium illud Lugdunenſe.

VI. Ea tamen reticentia occaſionem poſtea dedit Bonifacio VIII. affirmandi, collationem beneficiorum non pertinere ad Philippum Pulcrum. Sed is jus ſuum tuitus eſt allegata veteri conſuetudine regni ſui. Ob eam diſcordiam Joannes de Pariſiis ſcripſit tractatum de poteſtate regia & papali.

VII. In articulis Clementis V. oblatis adverſus memoriam Bonifacii aſſeritur, Eccleſias cathedrales eſſe ſub tuitione Regis. Earum vacantium reditus, qui de ſua regalia exiſtunt, *ad illum pertinere. Eum vero Beneficia ad collationem Epiſcopi pertinentia conferre, cum ſedes vacat.*

VIII. Regum reſcriptis jus regaliæ coercitum eſt ad Eccleſias, in quibus receptum erat, Regem eo jure uti. Enumerantur Eccleſiæ ei juri ſubjectæ, itemque illæ, quæ ei ſubjecta non ſunt.

IX. Eo igitur jure uti non poteſt Princeps, niſi in Eccleſiis, ubi poſſeſſionem habet omni memoria antiquiorem. Quidam tamen contendunt, jus regaliæ eſſe jus mere regium, atque adeo ad univerſas regni Eccleſias porrigendum eſſe ſine diſcrimine, quam opinionem erroneam eſſe pronuntiat Paſquerius.

X. At cum dein in edicto anni MDCVI. ſcriptum fuiſſet, Regem nolle uti jure regaliæ in detrimentum Eccleſiarum exemptarum, data eſt occaſio inveſtigandi, quonam modo intelligenda eſſet exemptio illa. Parlamentum Pariſienſe eam interpretatus eſt de exemptione conceſſa ob titulum oneroſum.

XI. Philippus Auguſtus nonnullas Eccleſias liberavit a jure regalium; ſed Epiſcopis earum non remiſit juramentum fidelitatis. De regalia Turonenſi.

I. Exemplum Imperatoris Friderici, itemque Imperatorum Græcorum praxis, quæ occidentalibus cognita erat ob frequentes noſtrorum peregrinationes ad loca ſancta, Regibus noſtris, ut ego quidem arbitror, occaſionem dederunt, non quidem remittendi in univerſum uſumfructum redituum Eccleſiarum & collationes præbendarum, ſed jus illud coercendi ad ſolas Eccleſias, in quibus receptum illud erat, relicto ceteris antiquorum canonum uſu.

II. Hinc factum, ut in quampluribus veteribus arreſtis Parlamenti Pariſienſis edicatur, probandam eſſe poſſeſſionem Regis in Eccleſiis; juxta quam deinde curia decernebat de jure regaliæ. Itaque ei in quibuſdam Eccleſiis ſervatur jus, in cujus poſſeſſione tunc erat, fruendi omnibus reditibus & conferendi præbendas; in aliis vero jus tantum fruendi regalibus ſive bonis temporalibus, non autem reditibus decimarum; quemadmodum Rubæus in privilegio LV. adnotavit, judicatum fuiſſe anno MCCLXXXII. ſenatuſconſulto Parlamenti Pariſienſis. Quibus addi poteſt, arreſto lato anno MCCLXVI. pronuntiatum fuiſſe in gratiam Eccleſiæ Morinenſis, edictumque, ut Rex & Capitulum futuro Epiſcopo conſervent reditus bonorum ſpiritualium aut annexorum. Contra in arreſtis, latis anno MCCLXII. & LXVIII. legitur, Regem fuiſſe in poſſeſſione percipiendarum decimarum in Eccleſia Biturigenſi; ut diſcimus ex Probo quæſtione LX. num. V. Nam eadem quoque diverſitas judiciorum reperitur quoad collationem beneficiorum; quæ Regi adjudicatur in quibuſdam Eccleſiis, in aliis vero abjudicatur.

III. Pro-

III. Probari istud posset multiplicibus exemplis. Unicum tamen sufficiet admodum illustre. Petitur autem ex constitutione quadam sancti Ludovici Regis, data in consequentiam arresti cujusdam lati a Parlamento Parisiensi pro regalibus Ecclesiæ Aniciensis apud Velaunos. Definita enim fuerat hæc causa post factam inquisitionem. Itaque, juxta consuetudinem in ea Ecclesia receptam, Regi ratione regalium conservata est, interim dum sedes vacaret, jurisdictio temporalis ad Episcopum pertinens, in urbe nimirum, suburbiis, & territorio civitatis, tum etiam jus recipiendorum vectigalium urbis & aliorum redituum ejusdem urbis & territorii; exceptis tamen reditibus altarium, id est, oblationibus & decimis. Cum autem ostensum fuisset, Regem nunquam ad manum suam revocasse domum episcopalem, neque arcem civitatis, aut castra, sive dominationes, neque vectigalia, quæ extra urbem sunt, nisi post decessum duorum postremorum Episcoporum, (quod sufficere non poterat ad introducendum jus consuetudinis,) neque ipsum aut ejus prædecessores unquam contulisse præbendas aut dignitates in Ecclesia Aniciensi vacantes, neque ipsam Regibus annuntiasse mortes Episcoporum aut eligendi facultatem petiisse, vetitum eo arresto fuit, ne deinceps aliquid quoad hoc tentaretur adversus Ecclesiam illam. Datum autem est arrestum illud anno MCCLVIII. extatque in veteribus regestis Parlamenti Parisiensis, unde editum est a Cophino & Corbino. Sed constitutio illa beati Ludovici, quam diximus, data anno sequenti, descripta est in veteri regesto, quod extat in camera Computorum Paris. hoc titulo: *Regestum curiæ Franciæ Domini Regis de feudis & negotiis senescalliarum Carcassonæ, Bellicadri, & Tolosanæ, Caturcensis & Rutenensis.* Extat autem in ea constitutione clausula quædam magni momenti, qua caret arrestum. Rex enim sibi reservat jus occupandi arces & castra jure superioritatis, quoties ita postulabit utilitas Principis, secundum quod fieri assolet antiquitus, quamvis ea ad manum suam non recipiat jure regaliæ, cum sedes vacat.

Excellentissimo Domino suo Ludovico Dei gratia serenissimo Francorum Regi G. Decanus & Capitulum Aniciensis Ecclesiæ se ipsos ad suæ beneplacita voluntatis. Serenitatis vestræ litteras per patrem venerabilem Dominum G. Dei gratia Episcopum nostrum nuper nobis transmissas vidimus in hæc verba: LUDOVICUS DEI GRATIA REX FRANCIÆ. Notum facimus universis, quod inter nos & Ecclesiam Aniciensem super regalibus quæstione suborta, inquiri fecimus diligenter, de assensu ejusdem Ecclesiæ, quæ sunt illa, quæ a nobis & nostris antecessoribus regalium nomine, vacante eadem Ecclesia, accipi consueverant ab antiquo. Quia vero per inquestam, quam fieri fecimus, probatum non extitit seu inventum, quod vacante Ecclesia supradicta nos vel nostri antecessores domum episcopalem, vel forteticia alia civitatis, castra etiam extra civitatem, seu villas alias habuerimus aliquo unquam tempore, sed nec pedagia extra civitatem ad Episcopum pertinentia, nisi a duabus proximis vacationibus citra, vel quod unquam vacante Ecclesia nos vel nostri antecessores dignitatem aliquam in ea contulerimus seu præbendam, vel nobis aut nostris antecessoribus denuntiata fuerit mors Episcopi sive cessio, vel petita a nobis ex parte Capituli licentia eligendi, super his ex nunc in perpetuum dictam Ecclesiam nolumus molestari. Sane licet ratione vacationis fortalitia civitatis peti nolimus in posterum, prout diximus, jus tamen ea petendi ratione dominii & recuperandi nobis & nostris successoribus retinemus in illis casibus, in quibus nobis competit ab antiquo. Verum quia per eandem inquestam invenimus, quod a longis retro temporibus vacante eadem Ecclesia ad nos pertinet, jure regalium, jurisdictio temporalis in civitate, suburbiis & territorio ad Episcopum pertinens, pedagium etiam civitatis, & alii reditus in eadem civitate & territorio ad Episcopum pertinentes, exceptis reditibus altarium, ea nobis & nostris successoribus Regibus Franciæ in perpetuum retinemus. Actum apud Corbolium anno Domini MCCLIX. mense Julio. *Vestræ igitur regiæ majestati referentes, quas scimus & possumus, gratiarum humillimas actiones, quia vestræ benivolentiæ placuit jus nostrum & Ecclesiæ nostræ per usurpationes diversas a quibusdam in ambiguo positum declarare, quæ in eisdem litteris continentur habentes accepta, ea ad vos & successores vestros Reges Franciæ jure regalium, vacante Ecclesia nostra, recognoscimus pertinere, quæ in vestris prædictis litteris vobis & eisdem successoribus vestris retinuistis expresse. In cujus rei testimonium præsentem cedulam eminentiæ vestræ mittimus sigilli nostri munimine roboratam. Datum Anicii in Capitulo anno quo supra, mense Augusto.*

IV. Cum autem ususfructus redituum episcopatus (si reditus feudorum excipias) & collatio præbendarum ex consuetudine proficiscerentur adversus canones introducta, optimum factu esse existimarunt Principes, ut hujus consuetudinis confirmationem decerni procurarent in Concilio generali Lugdunensi, quod a Gregorio X. convocatum & celebratum est anno millesimo ducentesimo septuagesimo quarto. Eam ob rem editus est in eo Concilio canon, præsentibus Francorum legatis, quo idem prorsus decretum est, quod Regis auctoritate statutum fuerat arresto Parlamenti Parisiensis. Confirmatum enim est jus recipiendi regalia in Ecclesiis, ubi recepta erat illa consuetudo: cujus introductio vetita est, quoad Ecclesias, quæ ei non erant obnoxiæ. *Generali constitutione sancimus universos & singulos, qui regalia, custodiam, sive gardiam, advocationis seu defensionis titulum in Ecclesiis, monasteriis, seu quibuslibet piis locis de novo usurpare conantes, bona Ecclesiarum, monasteriorum, aut locorum ipsorum vacantium occupare præsumunt, quantæcunque dignitatis honore præfulgeant, eo ipso excommunicationis sententiæ decernimus subjacere.* Capit. 12. Concilii Lugdun. sub Gregorio X. Infra: *Qui autem ab ipsarum Ecclesiarum ceterorumque locorum fundatione vel ex antiqua consuetudine jura sibi hujusmodi vendicant, ab illorum abusu sic prudenter abstineant & suos ministros in eis sollicite faciant abstinere, quod ea, quæ non pertinent ad fructus sive reditus provenientes, vacationis tempore non usurpent, nec bona cetera, quorum asserunt habere custodiam, dilabi permittant, sed in bono statu conservent.* Ceterum adnotandum est, hoc loco vocem *regalia* heic nove accipi, pro custodia nimirum & ususfructu omnium fructuum & redituum provenientium interim, dum sedes vacat: *Fructus sive reditus provenientes vacationis tempore.*

V. Dubitandum non est, quin generali fructuum vocabulo comprehenderetur etiam collatio præbendarum, cum juxta Alexandri tertii constitutionem, quæ ante hoc Concilium edita est, collationes censerentur in fructibus. Sed tamen maluit Concilium jus illud extraordinarium verbis generalibus, quod & ipsa validæ rationis loco esse possent, complecti, quam illud disertis verbis explicare. Neque enim probabile est, eam fuisse patribus Concilii mentem, cum hunc canonem conderent, ut collationes præbendarum adimerent Principibus; cum Innocentius tertius anno millesimo ducentesimo decimo, Clemens quartus anno millesimo ducentesimo sexagesimo septimo, & Gregorius ipse decimus anno MCCLXXI. hujusmodi præbendarum collationes a Regibus sede vacante factas approbaverint.

VI. Hæc tamen reticentia occasionem postea subministravit Bonifacio Papæ octavo de hoc jure controversiam movendi adversus Philippum Pulchrum Regem Francorum; cui scripsit Pontifex, eos se pro hæreticis habere, qui contendebant, col-

lationem beneficiorum, quod spiritualia sint, fieri posse a laica persona. Verum Rex jus suum tuitus est allegata veteri consuetudine regni sui, Joannes de Parisiis, temporis illius scriptor, ea occasione scripsit tractatum de potestate papali & regia; in quo inter alia examinat quæstionem collationis beneficiorum. Ait autem, quod cum Ecclesia patronis concesserit jus præsentationis contemplatione fundationis beneficiorum, potuit quoque ipsa ac debuit in gratiam insignium virorum connivere eorundem beneficiorum collationibus, velut vices rependens protectioni, quam illi impertiuntur Ecclesiæ, & consideratione beneficiorum ab iis præstitorum Ecclesiis; præsertim cum collatio ac præsentatio non sint proprie res spirituales, sed tantum spiritualibus connexæ *per antecedentiam*, ut ille loquitur. Significat autem, eas antecedere exercitium spirituale & officium, quod beneficiatus præstat Ecclesiæ. Nam licet Episcopo injuria fieri videatur, cum collatione quorundam beneficiorum sede vacante vacantium privatur, leve tamen illud damnum nimirum majore commodo resarcitur, protectione nimirum & donationibus factis & in posterum faciendis in gratiam Ecclesiarum. *Quod annexum est spiritualibus officiis per antecedentiam, ut præsentatio, vel collatio, seu jus conferendi, quia non sic dependet a spirituali, sed e converso, potest competere laico præcipue, & ex concessione Ecclesiæ, vel ex promissione, & ex longa consuetudine præscripta, potest Rex sibi jus acquirere, cum sibi non repugnet*. Infra; *Dicta consuetudo cum non sit damnosa in ministris Ecclesiæ, sed in pluribus fructuosa, non præjudicat juri publico in genere, licet videatur præjudicare in specie. Nam licet videatur præjudicare Episcopis, qui privantur collatione beneficiorum, quæ de jure communi eis debetur, tamen Ecclesia aliunde ex hoc emolumentum accipiunt præponderans, ratione defensionis & donationis & fundationis. Et ideo non præjudicat simpliciter*. Joan. Paris. de potest. reg. & pap. c. 21.

VII. In articulis Clementi Papæ V. a Guillelmo de Nogareto oblatis adversus memoriam Bonifacii octavi, quam is damnari debere contendebat ob crimen hæreseos, tria quædam proponuntur tanquam certa & manifesta adeoque nota, ut nemo contradiceret. Primum enim asseritur, quamplurimas Ecclesias esse sub tuitione Regis, in primis vero omnes Ecclesias cathedrales hujus regni; adeo, ut, si vis aliqua illis inferatur, Rex auctoritate sua resarciri damna procuret. Secundo inter jura regia illud quoque recenseri, ad eum nempe pertinere usumfructum omnium fructuum & redituum Ecclesiarum cathedralium vacantium, *qui de sua regalia existunt*, donec novus Episcopus bona temporalia a Rege receperit, post præstitum videlicet juramentum fidelitatis aut homagium. Tum Ecclesias, in quibus Rex fruitur hoc jure regaliæ, fundatas fuisse a Regibus Francorum. Tertio Regem, sede vacante, conferre præbendas, dignitates, & beneficia, quorum collatio ad Episcopum pertinebat, etiamsi vacent in curia Romana.

VIII. Porro cum antiqua Parlamenti arresta jus regium consuetudine niti docuerint, illudque deinceps Concilium Lugdunense approbaverit cum hac modificatione, nullamque aliam ejus afferendi probabilem causam invenerint Doctores Parisienses, quam vetustam consuetudinem ex æquitate profectam, mirum videri non debet, si Reges, qui primi leges in hac regalium materia condiderunt ad fori usum accommodatas, jus illud coercuerint ad Ecclesias, in quibus receptum erat Regem eo jure uti. Ita enim anno MCCCII. edixit Philippus Pulcher: *Item quantum ad regalias, quas nos & nostri prædecessores percipere assuevimus & habere in aliquibus Ecclesiis regni nostri, quando eas vacare contingit*. Item Philippus Valesius anno MCCCXXXIV. *Ez Eglises de nostre Royaume esquelles nous avons droict de Regale*. Extat autem in camera Computorum vetus regestum, (cujus excerpta referuntur a Pasquierio lib. III. Dispositionum Francicarum c. XXXVII.) in quo enumerantur Ecclesiæ subjectæ huic juri regaliæ, itemque Ecclesiæ, in quibus Reges non utebantur eo jure. Inter subjectas autem ponuntur provincia Senonensis, excepto episcopatu Antissiodorensi, Remensis provincia, excepta Ecclesia Cameracensi, provincia Bituricensis, exceptis episcopatu Lemovicensi, Cadurcensi, Ruthenensi, Albiensi & Mimatensi, provincia Turonensis, exceptis Britonum Ecclesiis, & provincia Rothomagensis. Provinciæ vero, quæ subjectæ non sunt, sunt istæ, Burdegalensis, Auscitana, Narbonensis & Arelatensis.

Huic regulæ, quæ nobis a majoribus tradita est, innititur constitutio Ludovici XII. edita anno MCDXCIX. quæ his verbis concepta est, *Defendons a tous nos Officiers qu'ez Archeveschez, Eveschez, Abbayes, & autres Benefices de nostre royaume esquels n'avons droict de Regale ou de Garde, ils ne se mettent dedans, sur peine d'estre punis commo sacrileges*.

IX. Qui materiam hanc cum aliqua cura tractarunt, veluti Ruzæus & Probus, ex his constitutionibus consequi ajunt, jus regaliæ non esse ubique simile, nec in universo regno vigere, Regem vero eo uti non posse, nisi in Ecclesiis, ubi possessionem habet omni memoria antiquiorem. Attamen dissimulandum non est, tentasse jamdiu quosdam persuasum omnibus facere, jus regalium esse jus mere regium, & ad coronam pertinere, ut ipsi loquuntur, atque adeo ad universas regni Ecclesias porrigendum esse absque discrimine. Ita enim ante hos trecentos ferme annos sensit Joannes Butillerius (*) in sua Summa rurali. At Pasquierius, tametsi regius in Camera Computorum Advocatus esset, opinionem illam erroneam esse, contendit & dignam potius adulatore aulæ quam Jurisconsulto Gallo. Addit vero, Guidonem Fabrum Pibracium generalem Regis in Parlamento Parisiensi Advocatum, qui jus regaliæ generale ubique esse urgebat edicto statui, id obtinere non potuisse, ac de sententia fuisse dejectum. Pasquier. lib. 3. c. 37.

X. Nihilominus hinc factum est, ut verus loquendi modus, in antiquis Regum constitutionibus usurpatus, mutatus dein fuerit. Edictum quippe anni MDCVI. verbis ambiguis & oblique inflexis conceptum est, quæ duplici interpretationi obnoxia sunt, cum in ea contineatur, Regem nolle uti jure regaliæ in detrimentum Ecclesiarum exemptarum. Verba enim hæc occasionem subministrarunt investigandi, an exemptio illa intelligenda esset de exemptione juris & de præscriptione, aut de exemptione a Principe concessa, sive gratuito, sive titulo oneroso. Viam autem controversia hæc aperuit arresto Parlamenti Parisiensis, lato anno MDCXIII. quo edicitur, ne Advocati in dubium revocent, an Rex jure regaliæ uti possit in universis regni Ecclesiis, quod jam præjudicatum fuisset, edictum esse intelligendum de exemptione concessa ob titulum onerosum. Querelam adversus hoc arrestum movit clerus Gallicanus apud regiam majestatem.

XI. Con-

(*) Opinio illa Butillerii destituta non erat auctoritate & exemplo. Etenim extat in libro quarto miscellaneorum nostrorum pag. 495. *quoddam scriptum*, ut fert titulus in veteri codice, *de vacatione Ecclesiæ Suessionensis & de collatione præbendarum tempore regalium*, in quo Canonicis Suessionensibus, qui contendebant, *quod collatio præbendarum sede vacante in prædicta Ecclesia ad Regem nullatenus pertinebat, hanc solam rationem prætendentes, quod Rex nunquam contulerat*, responsum est anno MCCL. *ex parte Reginæ & ex parte illorum, qui tunc erant ad Consilium Regis, videlicet Archiepiscopi Bituricensis, Episcopi Aurelianensis, Episcopi Belvacensis, Episcopi Ebroicensis &c. quod de consuetudine regni Franciæ collatio præbendarum sede vacante in dicta Ecclesia debebat ad Regem pertinere*. Quod obtinuit Tandem Rex Ludovicus XIV. consentiente Ecclesia Gallicana definivit, regaliæ jus valere debere in universis regni Francici Ecclesiis.

Chophin. lib. 2. de Domanio Tit. 9. §. 8. Pasquerius loco supra laudato.

XI. Constat sane, plurimas Ecclesias fuisse exemptas, vel, ut apertius loquar, liberatas a jure regalium literis Philippi Augusti, veluti Antissiodorensem, Lingonensem, Nivernensem, & alias. Verum ea concessio non liberabat Ecclesiarum illarum Episcopos a juramento fidelitatis, ut constat ex literis exemptionis Ecclesiæ Atrebatensis, datis anno MCCIII. *Sed electum suum confirmatum nobis præsentabunt, ut fidelitatem nobis faciat, sicut alii Episcopi nostri nobis facere consueverunt.* Quoad exemptionem vero regaliæ Turonensis, litem accuratius disceptandam esse, pronuntiatum est aresto, lato anno MDL. eo prætextu, quod Regina Blancha gratis restituerat regalia electo Archiepiscopo Turonensi. Verum concessio illa facta fuerat in gratiam personæ, & in eo versabatur, quod bona temporalia restituta fuerint electo ante consecrationem. Hujusmodi concessionis mentio extat in constitutione regia anni MCCCCXXXII.

Vide supra literas Petri Regis Arragonum in additione ad c. X. hujus libri.

Probat. libert. Eccl. Gallic. tit. 16. c. 16. Vide Odor. Raynald. ann. 1337. §. 17.

CAPUT XXV.

De jure regaliæ, quo præter regem dynastæ Galliarum usi sunt circa vacantes Ecclesias.

SYNOPSIS.

I. Inquiritur, an præter Regem aliqui Galliarum dynastæ jure regaliæ fruerentur in regno. Magni momenti est hæc quæstio ad ostendendum, falsam esse eorum opinionem, qui, jus illud ad solum Regem pertinere posse, contendunt.

II. Duces & Comites investituras olim eodem jure concedebant, quo Principes. Probatur ex synodo Romana Gregorii septimi & ex regesto ejusdem Pontificis.

III. Rotrocus Comes Huberto Abbati sancti Dionysii Nogenti tradidit baculum pastoralem, eique curam monasterii commisit.

IV. Comites Sabaudiæ soliti erant concedere investituram regalium episcopatus Sedunensis. Sed eis ablatum est id jus ab Henrico sexto Imperatore.

V. Cum investituræ, mutato nomine, regalia dici cœpissent, Duces & Comites regalia quoque retinuerunt. Probatur ex articulis Clementi Papæ quinto oblatis.

VI. In pactionibus initis inter sanctum Ludovicum Regem & Petrum Ducem Britanniæ jus regalia huic Duci conservatum est in episcopatibus illius provinciæ.

VII. Comes Campaniæ jure regaliæ fruebatur in Ecclesia Trecensi. Et Vicecomes Combornensis in episcopatu Lemovicensi.

ADDITIO) Comes Andegavensis idem jus usurpabat in Ecclesia Lexoviensi, & in monasterio sancti Albini Andegavensis investiturarum pleno jure olim utebatur. Reges nostri abbatias olim concedebant viris a se delectis, inexpectata etiam monachorum electione. Probatur ex precepto Rodulfi Regis pro monasterio Tutelensi in Lemovicibus.

I. INvestigandum est deinceps, an præter Regem aliqui Galliarum dynastæ jure regaliæ fruerentur in regno. Plena est hæc quæstio curiosæ eruditionis; ac præterea magni momenti est ad ostendendum, falsam esse quorumdam persuasionem, qui existimant, eam esse regaliæ dignitatem, ut neque transferri in alium possit, neque cum quoquam communicari. Sed, ut rem ipsam melius intelligamus, repetenda est causa investiturarum, unde quoque regaliæ originem esse, scripsimus. Etenim si Duces & Comites, postquam eorum dignitates factæ sunt hereditariæ, investituras regalium episcopatuum & monasteriorum dabant, probabile videtur, eos hunc investiturarum usum retinuisse cum additione, quæ facta fuerat ususfructus regalium.

II. Nam quoad investituras, patet ex synodo Romana, a Gregorio VII. celebrata anno MLXXX. solitos quoque Duces & Comites eas concedere eodem jure, quo Principes. *Si quis Imperatorum*, inquit synodus, *Regum, Ducum, Marchionum, Comitum investituram episcopatuum vel alicujus ecclesiasticæ dignitatis dare præsumpserit &c.* Idipsum disertius docet idem Gregorius lib. IV. epist. XIV. ex qua constat Comites Britonum, synodi Romanæ decreto obsequentes, investituras episcopatuum abjecisse, tametsi se vetusta possessione tueri possent. *Cum enim audivimus*, inquit Gregorius, *Principes illius terræ contra antiquam & pessimam consuetudinem pro reverentia Dei omnipotentis & apostolicæ auctoritatis ulterius in ordinandis Episcopis nec dominium investituræ tenere nec pecuniæ commodum quærere velle &c.*

III. Idem investiturarum usus probatur etiam ex Chartulario sancti Dionysii Nogenti-Rotroci; ex quo patet, Comitem Rotrocum Abbati Huberto dedisse baculum pastoralem eique curam monasterii commisisse: *Huberto Comes Rotrocus baculum in manu dedit & curam monasterii commisit.* Apud Gallandium in tractatu de Franco-Allodio pag. 328.

IV. In imperio quoque vigebat idem usus. Etenim Comites Sabaudiæ consueverant dare investituram regalium episcopatus Sedunensis in Vallesia; ut patet ex epistola quadam Henrici sexti Imper. data anno MCLXXXIX. quæ extat in Chartulario Tullensi. Illic enim legitur, Comitem Thomam petiisse restitutionem omnium bonorum suorum, quæ adversus patrem ejus publicata fuerant decreto curiæ imperialis, *per justam Principum imperii sententiam & parium suorum.* Impetratum id quidem. Sed tamen denegatus ei fuit episcopatus Sedunensis; adjudicatumque est imperio jus tribuendi investituram regalium ejusdem episcopatus, tametsi ea ad Comites Sabaudiæ pertinuisset: *Sedunensem episcopatum ad manum imperii retinuimus specialiter; cujus Ecclesiæ Episcopi ante tempora illa de manu Comitum Sabaudiæ per aliquod tempus recipiebant regalia. Sub ergo hac forma episcopatum illum imperio specialiter retinuimus, ut Ecclesia Sedunensis & ejusdem Ecclesiæ Episcopi ad coronam imperii jure perpetuo specialiter pertineant, ac de manu imperii regalia recipiant. Ad cujus rei certiorem evidentiam Wilelmum Episcopum, qui tempore illo Sedunensi Ecclesiæ præsidebat, de regalibus investivimus; qui investituram regalium Sedunensis episcopatus de manu nostra recepit, eamque omnes ejus successores de manu imperii sunt recepturi. Ad ampliorem quoque Sedunensis Ecclesiæ dignitatem & exaltationem imperiali simul & regali edicto statuimus, ut nullus de cetero Sedunensis Episcopus investituram regalium nonnisi de manu imperii accipiat.* Apud eundem Gallandium pag. 245.

V. Quoniam vero investituræ, mutato nomine, regalia dici dein cœperunt, hinc factum, ut Duces & Comites, qui investiturarum jure fruebantur, regalia quoque retinuerint; pro quibus tamen homagium & juramentum fidelitatis Regi præstabant, quod ea portio quædam & membrum essent feudorum ab ipsis possessorum. Propositio hæc melius probari non potest, quam auctoritate articulorum a Guillelmo de Nogareto oblatorum Clementi Papæ quinto, quorum hæc sunt verba in articulo XIV. *Item certum, notorium, & indubitatum existit, quod jura regalia aliquarum Ecclesiarum, quæ habet in Ecclesiis prædictis Dominus Rex prædictus, progenitores ipsius Domini Regis & prædecessores ejus in regno dederunt in feudum aliquibus Baronibus suis tam ecclesiasticis quam secularibus. Qui Barones regalibus illis utuntur & fruuntur, sedibus ipsarum Ecclesiarum vacantibus, jure suo feudali & regio, a quo jus suum movet; & ideo jus regale vocatur. Quo jure dicti Barones utuntur nominibus suis & nomine regio,*

regio, & uſi ſunt tanto tempore, de cujus initio memoria non exiſtit.

Ceterum in his articulis enumerantur Barones eccleſiaſtici, qui regalia Eccleſiarum in feudum tenent a Rege. Adducitur exemplum Eccleſiarum Lugdunenſis & Auguſtodunenſis, ad quas viciſſim pertinent uſusfructus regalium, quando ſedes earum vacant, Epiſcopos vero illarum Eccleſiarum in feudum tenere a Rege mutuum hunc regalium uſumfructum.

Chopin. lib. 2. de Dom. Tit. 9. §. 7. VI. Quoad Barones vero ſeculares, legimus in pactionibus initis anno MCCXXXI. inter ſanctum Ludovicum Regem & Petrum Ducem Britanniæ, jus regaliæ ei Duci conſervatum fuiſſe in epiſcopatibus illius provinciæ. *Jus regaliæ, quod in ſuis Eccleſiis cathedralibus habere dicitur.* Jus tamen illud coercitum erat ad uſumfructum redituum temporalium, excluſo prorſus jure conferendi beneficia, ut patet ex conſtitutione Caroli ſexti eam in rem edita.

VII. Nam de Rege Navarræ, qui Comes quoque Campaniæ erat, legimus in arreſto Parlamenti Pariſienſis, lato anno MCCLXIX. eum, vacante ſede epiſcopali Trecenſi, regaliæ jure uſum fuiſſe. Anno dein MCCLXXII. regalia duarum villarum ad Epiſcopum Lemovicenſem pertinentium adjudicata fuit Vicecomiti Combornenſi, ſede epiſcopali vacante; repulſoſque eodem arreſto conſtat miniſtros regios, qui harum villarum fructus occupaverant. Quare fallitur Chopinus, dum ait, regaliæ Lemovicenſis fructus eodem Senatus Pariſienſis decreto depoſitos eſſe ſequeſtro, pendente litigio, penes Vicecomitem Combornenſem; cum conſtet, eos illi adjudicatos fuiſſe, ſed in iis tantum duobus locis. Regi namque conſervatus eſt uſusfructus quorundam aliorum fructuum.

ADDITIO STEPHANI BALUZII.

TOt argumentis probavit illuſtriſſimus Archiepiſcopus, Comites quoque & Duces jure inveſtiturarum, atque adeo regalium, uſos fuiſſe in Gallia, ut inutilis futura videatur omnis opera, quæ in hoc ponetur. Sed tamen prætermitti non debet inſignis locus Arnulfi Epiſcopi Lexovienſis: qui in epiſtola ad Lucium Papam, edita in tomo ſecundo Spicilegii, docet, Comitem Andegavenſem per biennium & amplius occupaſſe bona epiſcopalia Eccleſiæ Lexovienſis, eo prætextu, quod Arnulphus electus ac conſecratus fuiſſet abſque deſignatione Comitis: *Bona omnia epiſcopalia redimere de manu Comitis Andegavenſis angebar, quæ ipſe mihi per duos annos & tres menſes abſtulerat, quia electus canonice ſine ipſius deſignatione fueram conſecratus.* Et divus Bernardus Abbas Claræuallenſis ad Innocentium ſecundum Papam ſcribens pro Arnulpho Lexovienſi Epiſcopo electo, acriter exagitat Comitem Andegavenſem, quem oppreſſorem pacis & libertatis Eccleſiæ vocat, ob hoc, quod Arnulphum in ovile ingredi non pateretur per viam rectam. Extat autem ea Bernardi epiſtola in tomo tertio Spicilegii pag. 167.

Operæ pretium mihi videtur, in hac tertia horum librorum editione addere arreſtum, latum in favorem Vicecomitis Combornenſis, in calce iſtius capitis commemoratum. Sed ante quam illud referamus, alicujus erit curioſitatis oſtendere, Reges noſtros accepiſſe antiquitus regalia in Eccleſia Lemovicenſi, contra quam ſcriptum eſt in veteri libro Cameræ computorum, cujus ſupra facta mentio eſt. Nam cum is Aymericus Epiſcopus Lemovicenſis, poſt cujus mortem Vicecomes Combornenſis litem intendit in ſuprema curia Pariſienſi pro quibuſdam villis, quas Seneſcallus Petragoricenſis, ad cujus ſeneſcalliam tum pertinebat diœceſis Lemovicenſis, ceperat in manu ſua ratione regalium, regalia in initiis ſui Epiſcopatus acceperit a ſancto Ludovico, dubitari non poteſt, quin eo jure tum uterentur Reges noſtri in Eccleſia Lemovicenſi. Accepiſſe autem illum regalia a Rege, ſidem faciunt ejus literæ, quæ ſervantur in archivo regio Pariſienſi; quas, licet editæ jam ſint inter probationes libertatum Eccleſiæ Gallicanæ, iſthic tamen addere viſum eſt:

Univerſis præſentes literas inſpecturis Aymericus permiſſione divina Lemovicenſis electus ſalutem in vero ſalutari. Notum facimus, quod poſt electionem de nobis in Lemovicenſi Eccleſia unanimiter factam, a Domino Bituricenſi confirmatione obtenta, ad Dominum Regem, ſicut moris eſt, acceſſimus epiſcopatus regalia petituri & parati eidem facere, quod prædeceſſores noſtri in prædicta Eccleſia electi ſuis anteceſſoribus facere conſueverant, & eidem, in quo ſe Dominus Rex hac ratione opponebat, quia Capitulum eligendi licentiam ab ipſo non petierat in illa forma, in qua aliæ regni Eccleſiæ cathedrales, quæ propter electionem ſuam Domini Regis præſentiam adeunt, conſuetæ ſunt eligendi gratiam obtinere, tandem vero idem Dominus Rex factum noſtrum impedire non volens, ſed potius liberaliter expedire, benigniori ductus conſilio, regalia ſæpedictæ Eccleſiæ nobis reſtituit liberaliter & benigne, & voluit, & nos id ipſum conceſſimus eidem, quod ex hoc facto nullum fieret præjudicium juri ſuo, ſi quod habet in petenda ab eodem eligendi licentia a Capitulo Eccleſiæ ſupradictæ. Et quia ſigillum electi nondum habemus, præſentes literas ſigillo, quo prius utebamur, duximus ſigillandas. Actum apud Paciacum anno Domini MCCXLV. menſe Martio.

Extant in regeſto XXXI. archivi regii Pariſienſis, in quo deſcriptæ ſunt etiam ſuperiores literæ Aymerici, extant, inquam, in eo regeſto literæ Philippi Archiepiſcopi Bituricenſis ad eundem ſanctum Regem ſcriptæ, quæ ſic habent:

Sereniſſimo Domino Ludovico Dei gratia Regi Franciæ illuſtri Philippus miſeratione Divina Bituricenſis Archiepiſcopus, Aquitaniæ Primas ſalutem in eo, per quem Reges regnant. Cum electionem de viro venerabili & diſcreto Hemerico de Malamorte Capellano Domini Papæ in Lemovicenſi Eccleſia metropolitana nobis auctoritate ſubjecta concorditer & canonice celebratam juris obſervato tramite duxerimus confirmandam, majeſtati veſtræ ſupplicamus, quatenus electo prædicto parato vobis fidelitatem facere, ut tenetur, regalia faciatis liberaliter aſſignari. Datum Bituris die ſabbati poſt Invocavit me *anno Domini MCCXLV.*

His ita conſtitutis, cum idem Aymericus vacuam morte ſua feciſſet cathedram Lemovicenſem, Seneſcallus Petragoricenſis in manu ſua cepit regalia epiſcopatus Lemovicenſis, & cum iis etiam duas villas ad eundem epiſcopatum in inferiori tractu Lemovicenſi pertinentes. Adverſus illum propterea querelam ſuam ad Regem detulit Vicecomes. Inqueſta autem facta de mandato Regis, curia Parlamenti ſecundum Vicecomitem pronuntiavit anno MCCLXXII. in octavis omnium ſanctorum. Ea fuit ſententia:

Sede Lemovicenſi vacante per mortem Aymirici quondam Lemovicenſis Epiſcopi Seneſcallus Petragoricenſis ratione regalium Lemovicenſium cepit in manu ſua pro Domino Rege villas de Raſſac & de Boutezac pertinentes ad Epiſcopum Lemovicenſem. Vicecomes Combornenſis conqueſtus fuit ſuper hoc dicens, quod regalia dictarum villarum non pertinebant ad Dominum Regem, ſed ad ipſum, cum prædeceſſores ſui a longo tempore citra ſint & fuerint in poſſeſſione tenendi dictas villas & percipiendi fructus & reditus eorundem locorum nomine ſuo dicta ſede vacante. Tandem facta ſuper hoc inqueſta de mandato Domini Regis, quia inventa eſt ſuper hoc ſaiſina dicti Vicecomitis ac prædeceſſorum ſuorum a quadraginta annis & amplius, pronuntiatum fuit, quod ſibi reſtituatur ſaiſina prædicta.

Eodem jure in epiſcopatu Dolenſi uſum fuiſſe antiquitus Dominum Comburnii, fidem faciunt literæ Harculfi de Comburnio editæ a R. P. Edmundo Martene in collectione veterum ſcriptorum pag. 82. *Cum de jure Iſeldis uxoris meæ ad me pertineat vacante ſede Dolenſi res regere pontificales & de terris & hominibus Archiepiſcopi tanquam Archiepiſcopus diſponere &c.* Iſta contigere, ut apparet, regnante in Gallia Philippo Auguſto, paulo ante, quam Archiepiſcopus Dolenſis amitteret dignitatem & auctoritatem Metropolitani. Etenim hunc Harculfum & Iſeldim uxorem ejus ea tempeſtate vixiſſe & mortuos eſſe anno MCXCVII. docet Auguſtinus du Paz in hiſtoria genealogica familiarum Britanniæ noſtræ.

Scilicet olim jus regaliæ nitebatur conſuetudine & poſſeſſione, & adverſus Regem ſententia ferebatur, cum non conſtabat de poſſeſſione ejus. Extant plurima arreſta iſtiuſmodi ſupremæ curiæ Pariſienſis, e quibus unum eligo, latum in cauſa Eccleſiæ Bituricenſis anno MCCLXXVII. in Parlamento Epiphaniæ. *Notum facimus, quod, cum dilectus & fidelis noſter Archiepiſcopus Bituricenſis propoſuiſſet coram nobis, quod dignitates, perſonatus, præbendæ, & beneficia ad collationem Archiepiſcopi Bituricenſis in civitate & diœceſi Bituricenſi ſpectantes, qui vacaverant ſede Bituricenſi vacante, & quos de facto contulimus, ex antiqua conſuetudine Bituricenſis Eccleſiæ ipſius collationi debuiſſent reſervari, & ideo peteret, quod dictæ collationes a nobis factæ non valerent, & pro nobis in contrarium dictum fuiſſet, quod prædeceſſores noſtri & nos eramus in poſſeſſione conferendi dictos perſonatus, dignitates, præbendas & beneficia, tandem viſa quadam inqueſta & de mandato ſuper hoc facta ſuper præmiſſis, pronuntiatum fuit per noſtræ curiæ judicium, cum non conſtaret de poſſeſſione noſtra ante collationes prædictas, dictum Archiepiſcopum remanere debere in poſſeſſione conferendi beneficia antedicta, & eſſe reſtituendum ad poſſeſſionem prædictam, & quominus utatur in iis jure ſuo, ipſum per nos nolumus impediri.* Contra, quoniam exempla afferenda ſunt in utramque partem, & pro Rege judicatum eſt anno MCCLXXXVI. in Parlamento omnium ſanctorum adverſus Epiſcopum Carnotenſem, qui jus regium in collatione beneficiorum coercere volebat ad

præ-

præbendas majoris Ecclesiæ. Hæc sunt verba arresti : *Procuratore Episcopi Carnotensis pro ipso Episcopo & no . ipsius petente , quod Dominus Rex revocaret collationem ab ipso factam ratione regalium Carnotensium in ultima vacatione sedis Carnotensis de Decanatu sancti Andreæ Carnotensis & de quadam præbenda in Ecclesia sancti Mauricii, cum alias non consueverit Dominus Rex tempore regalium conferre beneficia ad collationem Episcopi spectantia, nisi solummodo præbendas majoris Ecclesiæ alternatim per quandam compositionem, quia Dominus Rex inventus est in bona & longa possessione conferendi hujusmodi beneficia tempore regalium, pronuntiatum fuit, quod in hujusmodi saisina remanere debeat.*

Quoniam vero illustrissimus Archiepiscopus unicum exemplum attulit quoad investituras monasteriorum, Rorroci nimirum Comitis, haud inconveniens reor, si ostendero, Comites quoque Andegavenses, quorum priscis illis temporibus magna dignitas erat, eodem jure usos esse in monasterio sancti Albini Andegavensis ; cui interdum delegabant Abbates propria auctoritate, interdum vero electis *donum rerum temporalium* tribuebant ante consecrationem . Patet illud ex aliquot veteribus actis; quæ extant in Chartulario ejusdem monasterii, quæ heic edere visum est.

*Novimus , quæ præcepta &c. Quamobrem ergo in Dei nomine Gozfredus Comes **** vel etiam nobilium personarum fidelium nostrorum, pro remedio videlicet animæ nostræ, patrisque, necne simul & matris, seu etiam pro reliquorum parentum nostrorum requie delegamus Abbatem in monasterio sancti Albini nomine Gonterium, salva voluntate monachorum ibidem degentium ; eisque licentiam concedimus, ut post ejus obitum quemcunque voluerint Abbatem eligendi habeant potestatem &c.*

Omnibus in domo , quibus est Christus vivere & mori lucrum &c. Notum esse volumus , quod anno DCCCCLXXXVIII. incarnationis dominicæ recedens a loco sancti Albini Abbas Gumerius; quem pro fidelitate Dei & suæ animæ remedio nobilissimus inter suos Gozfredus Comes eidem loco præfecerat, & Romam, vel, quod majus est, matrem civitatum Hierusalem expetens gratia orationis, successorem sibi præsago spiritu providerit, cui animarum simul & corporum curam committeret, Rainaldum vitæ & morum probitate decorum, quem ipse in Christi nomine nutrierat, cum consensu tamen fratrum præfati loci & elegantissimi juvenis filii prædicti Comitis, qui in loco patris feliciter successit , nomine Fulconis &c.

Certum est omnibus, qui fundamenta catholicæ puritatis noverunt &c. Quare nos fratres pauci in cœnobio sancti Albini Andecavensis Episcopi Deo pro posse famulantes , quia vinculum pacis & signaculum Christianæ disciplinæ dilectionem per unitatem cordis vel animæ possidere cupimus, elegimus fratrem quendam, morum probitate ornatum, nomine Theodericum, quem nobis vice Christi patrem præesse volumus, & in diffinitione ejus sententiarum nostrarum diversitatem uniri ; ne diversa sentientes, a Christi doctrina inveniamur extranei . Facta est autem ista electio consilio atque auctoritate Domni Alberti Abbatis Majoris monasterii , qui hoc in conventu monachorum ritu celebri peracto obtulit etiam fratrem prædictum Gaufrido præclarissimo Comiti, sub cujus ditione locus ipse consistit, a quo etiam donum rerum temporalium ad idem pertinentium cœnobium suscepit. Deinde præsentavit eum venerabili prudentissimoque Patri Eusebio Andecavensis urbis Episcopo ; ut, cui Comes exterius tradiderat auctoritate sua dominium , Episcopus debita benedictione consecrans , ex more ecclesiastico curam committeret animarum &c. Acta hæc circa annum millesimum sexagesimum.

Sed non discedam ab hoc loco, quin addam illustre monumentum antiquitatis, cujus auctoritate probabitur, Reges nostros diu ante Concordatorum pactiones abbatias quoque commendare solitos viris a se delectis , inexpectata etiam monachorum electione . Ademarus Vicecomes Scalarum in Lemovicibus & Abbas laicus monasterii Tutelensis , ad quem cum hereditate majorum ea abbatia pervenerat jam inde a temporibus Caroli Martelli, monasterium illud, quod a Northmannis destructum erat, reædificare cupiebat, eique *veterem abbatiam*, ut ipse vocat, restituere . Tametsi enim iste Abbas esset Tutelensis & vetusta monasterii bona possideret , adhuc tamen alius Abbas in eo monasterio erat secundum regulam , qui parvo contentus , ut ferebat illa ætas , inopem vitam tolerabat , cum monachis sibi subjectis. Hinc orta distinctio abbatiæ veteris & novæ. Ademarus ergo, ut dixi , monasterium Tutelense restaurare cupiebat. Sed fieri istud non poterat absque consensu Regis . Tum Francis & Aquitanis imperitabat Rodulfus, Burgundionum antea Rex . Is ergo omnem restaurandi Tutelensis monasterii curam in se trahens, Aimoni Abbati eam abbatiam commendavit circa annum DCCCCXXI. precibus ejusdem Ademari & Ebali Comitis Pictaviensis. Post Aimonem Odo factus est Abbas Tutelensis, decreto hauddubie Rodulfi Regis. Verum cum is Abbas Cluniacensis evasisset, atque adeo curam monasterii Tutelensis gerere non posset, Adacium sibi successorem dari obtinuit ab eodem Rodulfo *ad vicem suam supplendam ;* ut Odone vivo, vicarius ejus esset seu coadjutor, in ejus vero locum succederet post mortem ipsius . Ea tamen fuit Rodulfi pietas , ut jure illo dandi abbatiam Tutelensem cesserit in gratiam monachorum , qui eo deinceps potiti sunt citra omnem controversiam . Extat autem ejus ea de causa præceptum in Chartulario Ecclesiæ Tutelensis , dignum profecto, quod heic describatur.

Vide Ratpertum in libro de origine monasterii sancti Galli c.8. apud Goldast. T. I. rer. Alamann. Vide etiam Beslyum in historia Episcoporum Pictav. pag. 26.

Præceptum Rodulfi Regis pro Monasterio Tutelensi.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis . Rodulfus gratia Dei Francorum & Aquitanorum atque Burgundionum Rex pius, invictus , ac semper Augustus. Sicut non est potestas nisi a Deo , qui collocat, ut scriptum est, Reges in solio, sic utique consequens est , ut hi , qui in sublimitate sunt, potenti manu ejus se humilient, & ut regni ejus ministri juxta ipsius voluntatem suas actiones administrent. Quapropter notum sit omnibus tam præsenti, quam futuro tempore regni munia disponentibus , quod ego de statu religionis redintegrando sollicitus Tutelense cœnobium in regulari proposito, ut olim fuerat, reparare decrevi . Est autem in Lemovicensi pago super fluvio Correzia situm, in honore videlicet beatissimi Domni Martini constructum. Quo loco prisca reverentia novellis adhuc miraculis Domino largiente servatur. Precibus autem (*) viri Ademari, qui locum ipsum catenus tenuerat, suggerente etiam Ebalo Comite , cuidam religiosissimo Abbati nomine Aimoni locum eundem ad restaurandum regulare propositum commendaverum , atque (*) cœnobium sancti Savini subjectum feceram . Sed quoniam experimento probatum est , quod eadem subjectio religioni obstaret , eidem religioni penitus consulere volentes , saniore consilio decernimus , ut antiquo more solius Regis tuitione, non autem dominatione, teneatur . Hoc autem contra jus regni fieri nemo censeat; quandoquidem excellentissimi Imperatores directa sua, quoties causa exegerit, leguntur immutasse; & Apostolo perhibente, necessario legis translatio fit . Hoc ergo cœnobium, cum omnibus, quæ nunc ad eum pertinent, vel quæ deinceps ibidem obvenerint , ita pro auctoritate istius nostri præcepti manere constituimus , ut nullius dominationi nisi tantum sanctæ regulæ subjaceant . Post discessum vero fidelissimi & amantissimi nostri Domni Odonis , qui prædicto Aimoni venerabili successit, & post Adacium, quem idem venerabilis Odo sibi ad vicem suam supplendam ordinari petiit, licentiam habeant secundum regulam sancti Benedicti, quemcunque saniori consilio maluerint ex se ipsis eligendi. Et neque Rex, nec Comes, aut Episcopus, aut quælibet alia persona res eorum inquietare aut alicui dare præsumat, sed nec oppido quidem dominari audeant . Partem vero abbatiæ, quam prædictus Ademarus Abbate ipso consentiente retinuit, totam post ipsius discessum recipiant: quo decedente, qualem communiter voluerint munburdum & causedicum habeant. Jus quoque immunitatis ac reverentiam, quæ sancto illi loco & nunc divinitus observatur , ita concedimus, ut nemo vel ipsi vel rebus ad eum pertinentibus ullam violentiam inferre moliatur. Ceterum tam Abbas, quam monachi communiter, sicut ante Dei oculos, regulare propositum servent . Ut autem hæc nostra præceptio indelebilis perseveret , hanc in superni nomine auctoris annulo nostro signavimus.

Signum Rodulfi gloriosissimi Regis.

Gotefredus sacerdos ad vicem Ansigisi Episcopi recognovit & subscripsit.

Actum (*) Anatiaco Idibus Decembris, Indictione III. anno XI. regnante R. gloriosissimo Rege.

(*) Deest heic quid.

(*) *Leg.* cœnobio.

Hebr. 12.

(*) *f.* Attiniaco.

CAPUT XXVI.

De jure regaliæ comitibus Tolosanis competente.

SYNOPSIS.

I. Comites Tolosani jure regaliæ temporalis fruebantur in universa ditione sua. Probatur ex literis Raimundi Comitis Tolosani datis anno millesimo ducentesimo nono.

II. Libertatem provinciæ Narbonensis confirmavit Philippus Pulcher. Emendatur insignis locus ex diplomate ejus; in quo scriptum est Nolumus, *cum tamen in omnibus editionibus habeatur* Volumus.

III. Recensentur Ecclesiæ cathedrales, quæ Raimundi Comitis Tolosani imperio tum parebant, quando reddita est illis ab eo libertas.

ADDI-

ADDITIO) *Omissa est provincia Auscitana in literis Raimundi; quæ restituenda est ex regesto Innocentii tertii. Quanam occasione concessa hæc immunitas a Raimundo. Factum id post absolutionem ab excommunicatione, jubente Milone Legato sedis apostolicæ. Datur nova editio auctior & emendatior earum Raimundi literarum.*

I. Comites quoque Tolosatium jure regaliæ temporalis fruebantur in universa ditione sua. Colligitur illud ex literis Raimundi Comitis Tolosani, Ducis Narbonæ, & Marchionis Provinciæ: qui anno MCCIX. personas ecclesiasticas sibi subjectas in provinciis Viennensi, Arelatensi, Narbonensi, Bituricensi, & Burdegalensi exsolvit necessitate contribuendorum tributorum, quæ antea ab iis exigebantur; tum etiam profitetur, se deinceps occupaturum non esse spolia Episcoporum morientium, neque administrationem Ecclesiarum vacantium ad se tracturum, abolita consuetudine contraria, & omnia futuro successori conservari jubet. Literæ illæ extant integræ apud Catellum in historia Comitum Tolosanorum. *Defunctis earum Episcopis vel rectoribus aliis*, inquit Raimundus, *ipsos vel domus eorum per me vel per alium nullo modo spoliabo, nec administratione earum seu custodia, occasione alicujus consuetudinis vel aliqua alia, me nullatenus immiscebo; sed omnia sine aliqua diminutione defunctorum successoribus teneantur. Electioni autem Episcopi vel alterius rectoris Ecclesiæ faciendæ per me vel per quamcunque personam me nullatenus immiscebo.*

II. Libertas illa Ecclesiarum a Rege Philippo Pulcro confirmata est, quoad provinciam Narbonensem, literis datis apud urbem Nemausensem

Vide Bullam Gregorii IX. in additione ad cap. XVIII. hujus libri.

anno MCCCIII. his verbis: *Nolumus quod gentes nostræ occupent regalia Ecclesiarum vacantium provinciæ Narbonensis*. Earum literarum exemplar vidimus in præcepto autentico ejusdem Regis, quod præ manibus habuimus, dato anno millesimo trecentesimo decimo. In eo exemplo diserte scriptum est *Nolumus*. Hoc autem ideo visum est admonere, quod insignis error irrepserit in easdem literas, prout editæ sunt in corpore constitutionum regiarum, ubi editum est *Volumus*. Tanti autem momenti est hæc literarum permutatio, ut ob literulæ unius mutationem prorsus evertantur privilegia provinciæ Narbonensis. Attamen assentiri non possum Syndico illius provinciæ affirmanti, mutationem illam imputandam esse artificio clericorum sanctæ Capellæ Parisiensis, qui eam ab anno MDL. inseri procuraverint in editionibus Molinæi, Fontanonis & Guenoisii. Assentiri, inquam, non possum huic Syndico, quod videam, eundem errorem, gravi hallucinatione irrepsisse in omnes editiones libri, cui titulus est *Stylus Parlamenti*, qui vulgatus est ab Aufrerio præside Tolosano annis 1512. 1530. & 1542. in quibus omnibus editionibus constanter legitur *Volumus*, non autem *Nolumus*.

III. Quoad libertatem vero reliquarum provinciarum in literis Raimundi Comitis Tolosani comprehensarum, non alias Ecclesias sub vocabulo provinciæ Arelatensis intellexit Raimundus præter diœceses Arelatensem, Massiliensem, Avinionensem, & aliquot alias in Marchionatu Provinciæ positas, qui per eas tempestates separatus erat a comitatu Provinciæ ad Comites Arragoniæ stirpis pertinente. In provincia vero Viennensi Ecclesiam & pagum Vivariensem tantum obtinebat. Reliquum provinciæ ad Comites Viennenses pertinebat, qui custodes delegabant administrandis bonis temporalibus episcopatuum Delphinatus. At custodibus illis cura imponebatur conservandi fructus futuro Episcopo; ut testatur Franciscus Marcus in Decisionibus Delphinatus parte II. §. 556. Nam quoad provinciam Bituricensem, magna illius pars subjecta erat Comiti Tolosano, Cadurci nimirum, Albienses, Rutheni & Gabalitani, cum eorum episcopatibus. Unde factum, ut in regesto illo Cameræ Computorum, quod diximus, episcopatus Cadurcensis, Ruthenensis, Albiensis & Mimatensis, qui ad provinciam Bituricensem pertinent, inter eos recenseantur, qui juri regaliæ obnoxii non sunt. Sed prætermittere hoc loco non possum illustre Parlamenti Parisiensis arrestum, latum anno MCCLXXII. in gratiam Ecclesiæ Albiensis, quod extat in veteri regesto ejusdem Parlamenti. *Sabbato post ascensionem Domini restituta fuerunt apud Apamias & reddita per Dominum Regem procuratoribus Capituli Albiensis regalia Ecclesiæ Albiensis, quæ mortuo Episcopo Albiensi Seneschallus Carcassonensis ad manum Domini Regis ceperat & saisinaverat sine causa, cum Dominus Rex super hoc alias nunquam usus fuisset, prout ex aliorum ac ipsius relatione fuit inventum*. Sed in provincia Burdegalensi episcopatum tantum Agennensem possidebat Raimundus. Nam Henricus Rex Angliæ, sororem suam Joannam in matrimonium collocans cum eodem Raimundo, comitatum & pagum Agennensem dotis nomine contulerat.

ADDITIO STEPHANI BALUZII.

Decretum illud Raimundi Comitis Tolosani, cujus meminit illustrissimus Archiepiscopus in initio hujus capitis, editum jamdiu fuit, ut ipse adnotavit, a clarissimo viro Guillelmo Catello in historia Comitum Tolosanorum. Verum tam gravibus mendis laborat hæc editio, ut res isthæc silentio transmitti prorsus non debeat. Certe in eo capite graviter peccatum est, quod inter provincias, quibus immunitas conceditur, omissa est Auscitana, ac præterea clausula illa *secundum statuta canonum & plenissimam libertatem*, quæ tamen extat in regesto Innocentii tertii. Præterea omissa sunt in editione Catelli nomina Episcoporum præsentium, quæ tamen habentur in eodem regesto. Hujus autem immunitatis concedendæ occasio hæc fuit.

Raimundus Comes Tolosanus, nomine hæreseos Albigensium valde suspectus, excommunicatus ob hoc fuerat a summo Pontifice. Unde multa damna ei irrogata sunt. Dein pacem desiderans cum Romana Ecclesia facere, apud fanum sancti Ægidii in prima Narbonensi tractatu habito cum Milone apostolicæ sedis Legato, gratiæ summi Pontificis restitutus est & absolutus ab excommunicatione. Sed inter conditiones pacis hæc quoque præscripta est Comiti, ut libertatem Ecclesiarum restitueret. Extant enim in eodem regesto *Mandata post absolutionem*, in quibus Milo ait inter cetera pag. 347. *Item præcipio, ut Ecclesias & domos religiosas in libertate plenaria conserves; videlicet quod in eis albergarias, procurationes, vel exactiones quascunque nullatenus exigas vel percipias, & defunctis earum Episcopis vel earum rectoribus ipsas nullo modo spolies, nec administrationi earum seu custodiæ occasione alicujus consuetudinis vel aliqua alia te immisceas; sed omnia sine diminutione aliqua eorum successoribus reserventur. Electioni etiam Episcopi vel alterius rectoris Ecclesiæ faciendæ per te vel per quamcunque personam nullatenus te admisceas; nec aliquam violentiam facias, vel impedimentum aliquod præstes, quo minus electio libere & canonice celebretur &c.* Tum post nonnulla sequitur.

Hæc est indulgentia. *Ego Raimundus Dei gratia Dux Narbonæ, Comes Tolosæ, & Marchio Provinciæ, pro animæ meæ remedio & progenitorum meorum, omnibus Ecclesiis & domibus religiosis provinciarum Viennensis, Arelatensis, Narbonensis, Auxitanensis, Burdegalensis & Bituricensis immunitatem secundum statuta canonum & plenissimam libertatem concedo. Ita videlicet, quod albergarias, procurationes, vel exactiones quascunque, seu tallias nullo unquam tempore per me vel per alios requiram in eis, & requirentes sive postulantes pro posse meo fideliter coercebo. Defunctis etiam earum Episcopis vel rectoribus aliis ipsas vel domos earum per me vel per alium nullo modo spoliabo; nec administrationi earum seu custodiæ occasione alicujus consuetudinis vel aliqua alia me ullatenus immiscebo; sed omnia sine diminutione aliqua defunctorum successoribus reserventur. Electioni autem Episcopi vel alterius rectoris Ecclesiæ faciendæ per me vel per quamcunque personam me nullatenus immiscebo; nec aliquam violentiam faciam vel impedimentum præstabo, quo minus electio canonice ac libere celebretur. Præterea possessiones omnes & jura Ecclesiarum, si qua injuste detineo, eis restituo pleno jure. Promitto insuper, quod omnia jura Ecclesiarum & domorum religiosarum, sicut decet catholicum Principem, in præfatis provinciis totis viribus protegam & defendam. Si quis autem contra præfatam immunitatem & libertatem a me indultam Ecclesiis & aliis*

domi-

domibus religiosis venire præsumpserit, ipsum pro posse meo viriliter coercebo. Istam autem concessionem & promissionem feci apud sanctum Ægidium anno pontificatus Domini Innocentii Papæ tertii duodecimo, XIII. Kal. Julii, ad mandatum & exhortationem Magistri Milonis Domini Papæ Notarii apostolicæ sedis Legati, præsentibus Domino M. Archiepiscopo (*), cum Episcopis infrascriptis, videlicet Marsiliensi, Avinionensi, Cavelliensi, Carpentoratensi, Vasionensi, Tricastrinensi, & Nemausensi, & Agathensi, & Magalonensi, Lodovensi, Tolosano, Biterrensi, & Domino Archiepiscopo Aquensi, & Episcopo Aurasicensi, & Vivariensi, & Uticensi.

(*) *Arelatensi.*

CAPUT XXVII.

De provincia Burdegalensi a jure regaliæ libera.

SYNOPSIS.

I. Reges Franciæ nunquam contenderunt, jus regaliæ porrigi debere ad provinciam Burdegalensem. Si jus illud illic in usu fuisset, pertinuisset ad Duces Aquitaniæ. Probatur ex arresto quodam Parlamenti Parisiensis in causa Ecclesiæ Burdegalensis.

II. Privilegia Ecclesiæ Burdegalensi indulta, quorum mentio est in hoc arresto, alia non sunt, quam ea, quæ a Ludovico sexto & septimo Regibus provinciæ Burdegalensi concessa sunt. Ex quibus eruditissimi viri falso collegerunt, exemptionem regaliæ huic provinciæ indultam fuisse ab Regibus illis.

III. Nam ex iis tantum sequitur, usum regaliæ non esse introducendum in futurum in provinciam Burdegalensem. Sed non remittitur id jus, quod nondum bene receptum erat. Præterea irrepere illud non potuit in Aquitania, ob statuta Conciliorum Pictaviensium.

IV. Privilegium itaque Ludovici Regis obstat, ne titulo regaliæ introduci possit in eam provinciam consuetudo occupandi reditus Ecclesiarum vacantium aut collationes præbendarum. Rex Philippus Pulcher Ecclesiæ Pictaviensi restitui jussit reditus ex bonis illius Ecclesiæ collectos sede vacante.

V. Dubitandum non est, quin provincia quoque Auscitana iisdem privilegiis gauderet, quibus Burdegalensis.

ADDITIO.) Libertas provinciæ Burdegalensis confirmata est a Pontificibus Romanis; ut patet ex literis Eugenii tertii & Anastasii quarti, quæ nunc primum eduntur. Libertas canonica reddita est provinciæ Auscitanæ a Raimundo Comite Tolosano. Rex tamen Angliæ Eduardus contendebat, ad se pertinere usumfructum bonorum episcopalium diœceseos Aquensis, sede vacante. Sed Capitulum repugnabat, asserens, id tentari adversus libertatem ecclesiasticam. Ob quod appellavit Regem Francorum.

I. Aquitaniæ nunc tractanda causa est: circa quam duo quædam constituere possumus, quæ verissima sunt citra omnem controversiam. Primum, Reges Franciæ nunquam contendisse, jus regaliæ porrigi ad eam provinciam. Secundum, si jus illud in usu illic fuisset, ad Duces Aquitaniæ pertinere debuisse. Probari illud abunde potest ex arresto Parlamenti Parisiensis, lato anno MCCLXXVII. in quo memorantur literæ quædam Regis Angliæ, qui professus fuerat, non posse se uti jure regaliæ in Ecclesia Burdegalensi, id est, ad se non pertinere usumfructum redituum Ecclesiæ Burdegalensis interim dum sedes vacat. Earum præterea literarum vis firmata est declaratione facta a procuratoribus illius Regis, qui publice professi sunt, nolle Regem venire contra illas literas. Regis Angliæ declaratio eo majoris momenti est ad asserendam immunitatem canonicam provinciæ Burdegalensis, quod jure illo regalium in regno Angliæ uteretur; ut supra probavimus ex rescripto Alexandri III. & patet etiam ex consuetudinibus Clarendonæ apud Matthæum Parisium: *Cum vacaverit vel archiepiscopatus, vel episcopatus, vel abbatia, vel prioratus in dominio Regis, esse debet in manu ipsius; & inde percipiet omnes reditus & exitus, sicut dominicos reditus suos.* Visis itaque literis Eduardi, & audita declaratione procuratorum ejus, visisque privilegiis Ecclesiæ Burdegalensis, pronuntiatum fuit, custodiam bonorum ecclesiasticorum pertinere ad Capitulum, sede Burdegalensi vacante. Hæc sunt verba arresti: *Notum facimus, quod sede Burdegalensi vacante, & bonis archiepiscopalibus captis in manu nostra pro contentione, quæ erat inter dilectum consanguineum & fidelem nostrum Regem Angliæ illustrem ex una parte & Capitulum Burdigalense ex altera, super eo, quod dictus Rex dicebat, se habere regalia in eisdem, procuratore dicti Capituli hoc negante & e contrario pro dicto Capitulo proponente, custodiam dictorum bonorum dicta sede vacante ad dictum Capitulum pertinere, & petente etiam pro dicto Capitulo dicta bona ratione dictæ custodiæ dicto Capitulo restitui, & jus sibi fieri super custodia prædicta, exhibente insuper in judicio dicto procuratore quandam literam dicti Regis Angliæ & patris sui, per quam manifeste apparebat, quod dictus Rex Angliæ regalia non habebat ibidem, tandem hujusmodi negotio in curia nostra pendente, procuratores dicti Regis Angliæ super dicta litera consulere voluerunt ipsum Regem; qui per procuratores suos curiæ nostræ significavit, quod contra literam prædictam venire non volebat. Et de voluntate procuratorum ipsius de bonis archiepiscopalibus pro ipsa contentione in manu nostra detentis Archiepiscopo tunc in Ecclesia Burdigalensi creato restitutio facta fuit. Quibus procurator Capituli non contentus petiit nomine Capituli, jus super dicta custodia sibi reddi, procuratoribus dicti Regis dicentibus, quod, ex quo dictus Rex Angliæ literam suam prædictam tenere volebat, nullum aliud jus debere fieri super dicta custodia, & negantibus, jus fuisse petitum alias pro dicto Capitulo super custodia antedicta. Recordatione igitur facta super hoc per curiam nostram pro dicto Capitulo, auditis huic inde propositis, visis quibusdam privilegis Ecclesiæ Burdigalensis, pronuntiatum fuit per curiæ nostræ judicium, custodiam bonorum archiepiscopalium sede Burdegalensi vacante ad dictum Capitulum pertinere.*

II. Privilegia Ecclesiæ Burdegalensis, quorum in hoc arresto facta mentio est, intelligenda sunt de literis Ludovici Crassi Regis ejusque filii Ludovici junioris, datis in gratiam Episcoporum & Abbatum provinciæ Burdegalensis; ex quibus collegerunt Chopinus & Pasquierius, exemptionem regaliæ indultam esse huic provinciæ ab Regibus illis. Extant autem privilegia illa in regestis Parlamenti Parisiensis, itemque in regestis cameræ Computorum sub titulo *De remissione regaliæ Burdegalensis Ecclesiæ*. At ego contendo, nequaquam heic agi de regalia: quæ nondum introducta erat ævo illorum Regum, neque quoad usumfructum redituum, neque quoad collationem præbendarum. Unde factum, ut in eis literis nulla mentio eorum facta sit, ususfructus nimirum, neque collationis præbendarum. Hæc enim omnino sunt verba privilegii a Ludovico Grosso concessi: *Ea propter petitionibus vestris, communicato prius Episcoporum, Abbatum & procerum nostrorum consilio, assentiente Ludovico filio nostro jam in Regem sublimato, duximus annuendum, & in sede Burdegalensi & in prædictis episcopalibus sedibus & abbatiis ejusdem provinciæ, quæ defuncto illustri Aquitanorum Duce Comite Pictaviensi Guillelmo per filiam ipsius Alienoram jamdudum filio nostro Ludovico sorte matrimonii cedit, in Episcoporum & Abbatum suorum electionibus canonicam omnino concedimus libertatem, absque hominii, juramenti, seu fidei per manum datæ obligatione. Porro decedentis Archiepiscopi & suffraganeorum ipsius Episcopo-*

Chopin. lib. 2. de Dom. Tit. 9. §. 5. Pasquier. lib. 3. cap. 37.

scoporum sive Abbatum decedentium res universas successorum usibus regia auctoritate servari volumus & concedendo præcipimus illæsas. Hoc quoque adjicientes, ut omnes Ecclesiæ infra denominatam provinciam constitutæ prædia, possessiones, & universa ad ipsas jure pertinentia secundum privilegia, justitias, & bonas consuetudines suas habeant & possideant illibata. Quinimo Ecclesiis ipsis universis & earum ministris cum possessionibus suis canonicam in omnibus concedimus libertatem.

III. Fateor equidem, ex eo privilegio sequi, usum regaliæ non esse introducendum in futurum in provinciam Burdegalensem. Veruntamen contendo, eo non remitti eum usum. Neque sane id fieri potuit, cum ea lex nondum bene recepta esset in regno. Multo minus probabile est, in Aquitania valuisse; ubi pietas Guillelmi Ducis ac nupera Conciliorum Pictaviensium edicta obstiterant, ne consuetudo illa irreperet. Nam anno millesimo centesimo synodus Pictaviensis a Paschali secundo Papa cum consensu Guillelmi Aquitaniæ Ducis coacta prohibuerat, ne quis Episcoporum, Abbatum, aliusve e clero donum episcopatus aut abbatiæ a Rege, Comite, aut quovis laico accipiat. Si vero laici per vim retinere tentarent, eos synodus excommunicat, & Ecclesias supponit interdicto. Hæc sunt verba canonis primi: *Decrevit sancta synodus, ut nullus Episcopus, Abbas, Presbyter, vel qualibet persona de clero accipiat de manu Regis vel Comitis vel cujuslibet laicæ personæ donum episcopatus, abbatiæ, vel Ecclesiæ.* Infra: *Si vero laici, canonicis decretis resistentes, Ecclesias violenter retinere præsumpserint, ipsi excommunicentur.* Non solum autem Comes consensit, adimi sibi auctoritate hujus canonis investituram spiritualem, sed etiam retentionem Ecclesiarum. Has enim retineri, receptum erat citra usumfructum redituum, donec investitura temporalis concessa fuisset. Aliud dein Concilium in urbe Pictaviensi habitum est a Legatis ejusdem Papæ anno MCIX. in quo prohibitum est, ne clerici laicis præstarent homagium. Verum ea constitutio non excludit juramentum fidelitatis, ut supra ostensum est in capite XXI. hujus libri. Hæc sunt verba canonis Pictaviensis: *Ut clerici nunquam alicui laico hominium facere præsumant.*

IV. Dubitari ergo non potest, quin eæ prohibitiones in executionem missæ sint in Aquitania; quæ in Conciliis Romanis decretæ, in Conciliis dein Pictaviensibus renovatæ fuerunt præsente & consentiente Duce Aquitaniæ. Itaque privilegium a Ludovico Grosso ejusque filio Francorum Regibus concessum provinciæ Burdegalensi, quo libertas canonica conceditur provinciæ, & nominatim libertas electionum, quo præterea necessitas homagii remittitur personis ecclesiasticis, & bona Episcoporum mortuorum servantur successoribus, ac patrimonia Ecclesiarum cathedralium & aliarum, cujuscunque tandem conditionis illa sint, tota integra conservari jubentur, privilegium, inquam, illud, ut superiores canones confirmat, ita obstat, ne titulo regaliæ introduci possit in eam provinciam consuetudo occupandi reditus Ecclesiarum vacantium, aut collationes præbendarum tentari. Sed tamen nequaquam a lege eximit, quæ nondum reperta erat. Regestum Cameræ Computorum, in quo provincia Burdegalensis inter eas recensetur, quæ Regi non solvunt regalia, interpretationem recipere posset, si ea unquam persoluta fuissent Duci Aquitaniæ. Sed jam docuimus ex arresto anni MCCLXXVII. in causa Ecclesiæ Burdegalensis pronuntiatum fuisse secundum Capitulum adversus Regem Angliæ. Sed quod observatione dignum est in hoc loco, Rex Philippus Pulcher Ecclesiæ Pictaviensi restitui jussit anno MCCCVI. reditus ex bonis illius Ecclesiæ collectos sede vacante; ut constat ex eodem regesto, in quo leguntur hæc verba: *De Pictaviensi computatum fuit anno MCCCVI. Sed Rex per literas totum restitui jussit Episcopo.* Id autem factum est in consequentiam libertatis canonicæ, qua jam inde a temporibus Ducum Aquitaniæ ea Ecclesia fruebatur; tametsi Pictaviensis comitatus Anglis ademptus, regiæ Francorum coronæ additus fuisset sub sancto Ludovico.

V. Dubitandum non est, quin provincia quoque Auscitana, quæ alio nomine Vasconia dicebatur, quæque jam ab anno MXXXII. ad Duces Aquitaniæ pervenerat, iisdem canonibus Pictaviensium Conciliorum teneretur. Unde sequitur, ei quoque provinciæ indultam esse libertatem canonicam a Ducibus Aquitaniæ, & a Ludovico Rege postea confirmatam, non secus ac libertatem provinciæ Burdegalensis. Quapropter nemini mirum videri debet, quod in eodem regesto cameræ computorum provincia Auscitana in eodem immunitatis gradu collocata est cum Burdegalensi. Quo fit, ut verisimile videatur, Reges Angliæ ab ea quoque provincia non exegisse jus regalium. Atque id eo magis probabile est, quod Reges Franciæ, postquam Aquitania ad corpus regni rediit, Ecclesiis illius provinciæ suam immunitatem conservaverunt.

ADDITIO STEPHANI BALUZII.

De libertate provinciæ Burdegalensis, quamquam ea materia diligenter isthoc capite tractata fuerit, nonnulla tamen nobis dicenda incumbunt, quæ scriptioni non officient illustrissimi Archiepiscopi. Ea libertas, si vetera tempora reperemus, petenda videtur a beneficentia Regum Christianissimorum Ludovici Grossi ejusque filii Ludovici junioris, quorum præcepta jam edita sunt. At in archivo Ecclesiæ Sarlatensis in Aquitania secunda extant bullæ Eugenii tertii & Anastasii quarti Pontificum Romanorum, quibus eadem libertas confirmata est ad exemplum Innocentii secundi & Lucii secundi, qui ante Eugenium & Anastasium sederunt, quique ei Regum munificentiæ vim apostolicæ auctoritatis addiderant. Quoniam vero epistolæ illæ Eugenii & Anastasii nondum, quod sciam, evulgatæ sunt, visum est eas heic opportunissimo loco exhibere ex archivo Ecclesiæ Sarlatensis, ut dixi, descriptas & mecum humanissime communicatas ab amicissimo viro Armando Gerardo Canonico Sarlatensi ecclesiasticæ antiquitatis peritissimo.

Nam quoad provinciam Auscitanam, jam adnotatum est in additione ad caput XXVI. hujus libri, libertatem canonicam ei redditam fuisse a Raimundo Comite Tolosano, non quidem universæ provinciæ, quæ ad eum non pertinebat, sed in ea illius parte, quæ Raimundi imperio parebat. Rex tamen Angliæ Eduardus, qui Aquitaniæ quoque Dux erat, contendebat anno MCCLXXV. ad se pertinere usumfructum bonorum episcopalium diœceseos Aquensis, sede vacante. Capitulum vero Aquense jus suum retinere conabatur; vimque ministrorum regiorum repellere tentabat, asserendo, id fieri contra libertatem ecclesiasticam. Verum cum nihil promovere potuisset, jamque per triennium Ecclesia Aquensis ex ea occasione vacaret, Capitulum appellavit Regem Franciæ; quemadmodum supra usurpatum in simili causa vidimus a Capitulo Ecclesiæ Burdegalensis. Extant enim in quodam regesto Cameræ Computorum Parisiensium literæ Capituli Aquensis, quæ id testantur, datæ ad Philippum tertium Regem Francorum, quas heic subjicere placuit.

Bulla Eugenii III.

Eugenius Episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus Gaufrido Burdegalensi Archiepiscopo ejusque suffraganeis, Episcopis videlicet Agennensi, Engolismensi, Xanctonensi, Pictaviensi, Petragoricensi, & universis Abbatibus per eandem provinciam constitutis tam præsentibus, quam futuris in perpetuum. Privilegia, quæ intuitu libertatis sacrosanctis Ecclesiis a Romanis Pontificibus vel catholicis Regibus conferuntur, nulla debent temeritate convelli, nulla temporum varietate turbari. Quemadmodum enim catholica mater Ecclesia in spiritualibus sine macula & ruga, multimoda virtutum fragrantia & nitore clarescit, ita in temporalibus nulli servituti, nulli mundanæ conditioni eam convenit subjacere. Quæ cum ita sint, libertatem ab illustribus viris Ludovico patre egregiæ recordationis & filio ejus Ludovico Francorum Regibus Ecclesiis Burdegalensis provinciæ collatam, eorumque privilegiis roboratam, nos prædecessorum

nostro-

nostrorum bonæ memoriæ Innocentii videlicet & Lucii Romanorum Pontificum vestigiis inhærentes, nostri favoris assertione firmamus, & ratam & inconvulsam futuris temporibus observari præcipimus. Ut videlicet tam in Burdegalensi sede, quam in aliis episcopalibus Ecclesiis vel abbatiis ejusdem provinciæ in Episcoporum electionibus vel Abbatum canonicam habeatis libertatem, absque hominii, juramenti, seu etiam fidei per manus datæ obligatione. Porro, quod a prædecessoribus nostris in generalibus est statutum Conciliis, res & bona & universa Burdegalensis Archiepiscopi & suffraganeorum Episcoporum vel Abbatum decedentium, successorum usibus illibata servari pariter & inconvulsa, apostolica auctoritate decernimus. Adjicientes etiam, ut omnes Ecclesiæ infra supradictam provinciam constitutæ prædia, possessiones, & universa ad ipsas pertinentia, secundum privilegia, justitias, & bonas consuetudines suas integra & inconvulsa possideant, atque, ut dictum est, in omnibus Ecclesiis earumque ministris & possessionibus vestris canonicam habeatis in omnibus libertatem, Salva sedis apostolicæ auctoritate. Nulli ergo hominum fas sit, vos vel Ecclesias vestras super hac nostra constitutione temere perturbare aut aliquam vobis exinde contrarietatem inferre. Si quis autem huic nostræ constitutioni ausu temerario contraire tentaverit, si non reatum suum congrue emendaverit, potestatis honorisque sui careat dignitate, & omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus indignationem incurrat, & excommunicationi subjaceat. Conservantes vero eorundem Apostolorum benedictionem & gratiam consequantur. Amen.

Ego Eugenius catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.
Ego Conradus Sabinensis Episcopus subscripsi.
Ego Albericus Hostiensis Episcopus S.
Ego Imarus Tusculanus Episcopus S.
Ego Guido Presbyter Cardinalis tit. S. Chrysogoni S.
Ego Hubaldus Presb. Card. tit. S. Praxedis S.
Ego Guido Presb. Card. SS. Laurentii & Damasi S.
Ego Jordanus Presb. Card. tit. S. Susannæ S.
Ego Oddo Diaconus Card. S. Georgii ad velum aureum S.
Ego Guido Diac. Card. SS. Cosmæ & Damiani S.
Ego Octavianus Diac. Card. S. Nicolai in carcere Tulliano S.
Ego Gregorius Diac. Card. S. Angeli S.
Datum Sutrii per manum Roberti S. R. E. Presbyteri Cardinalis & Cancellarii VIII. Kal. Maji, Indictione IX. incarnationis dominicæ anno MCXLVI. pontificatus vero Domini Eugenii anno secundo.

Bulla Anastasii IV.

ANastasius Episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus Gaufrido Burdegalensi Archiepiscopo, ejusque suffraganeis Episcopis Agennensi, Engolismensi, Xantonensi, Pictaviensi, Petragoricensi, & universis Abbatibus per eandem provinciam constitutis tam præsentibus, quam futuris in perpetuum. Quoties aliqua Ecclesiarum conditionibus secularium virorum per catholicorum Principum provisionem eximitur & grata ei conceditur libertate potiri, sanctæ Romanæ Ecclesiæ universorum Christi fidelium matri providendum imminet attentius & agendum, quatenus, quod ad honorem Dei & salutem Ecclesiæ suæ factum esse dignoscitur, taliter auctoritate apostolica roboretur, ut non debeat Ecclesia Dei, quæ libertati reddita videbatur, per aliquorum malitiam recidivis denuo conditionibus aggravari. Quemadmodum enim catholica mater Ecclesia &c. nos prædecessorum nostrorum fel. mem. Innocentii videlicet, Lucii & Eugenii Romanorum Pontificum vestigiis inhærentes &c. *Cetera, ut in superiore.*

Ego Anastasius catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.
Ego Imarus Tusculanus Episcopus S.
Ego Cynthius Portuensis & sanctæ Rufinæ Episcopus S.
Ego W. Presbyter Cardinalis tit. Calixti S.
Ego Hubaldus Presb. Card. tit. S. Praxedis S.
Ego Manfredus Presb. Card. tit. S. Sabinæ S.
Ego Aribertus Presb. Card. tit. S. Anastasiæ S.
Ego Julius Presb. Card. tit. S. Marcelli S.
Ego Rodulphus Diaconus Card. S. Luciæ S.
Ego Guido Diac. Card. S. Mariæ in Porticu S.
Ego Oddo Diac. Card. S. Nicolai in carcere Tulliano S.
Datum Laterani per manum Rolandi sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis & Cancellarii VII. Kal. Maji. Indictione secunda, incarnationis dominicæ anno MCLIV. pontificatus vero Domini Anastasii IV. Papæ anno primo.

Epistola Capituli Aquensis ad regem Philippum III.

EXcellentissimo suo Domino & Ecclesiæ brachio singulari Domino Philippo Dei gratia Regi Francorum, Capitulum Aquensis Ecclesiæ cathedralis in Vasconia salutem cum debita reverentia & honore. Non sine gravi cordis amaritudine dominationi vestræ cogimur intimare, quod præfata Ecclesia nostra jam fere per triennium pastoris regimine destituta, Præpositi & Ballivi Seneschalli Regis Angliæ ibi pro tempore existentes, immo, quod est deterius illorum Garciferi servientes, bona episcopalia Capituli ac aliarum Ecclesiarum de diœcesi temporalia pro suæ voluntatis arbitrio diripiunt & consumunt, invadentes Ecclesias & etiam infringentes, capientes clericos, & diversa enormia committentes, quæ non possemus per singula enarrare, contra libertates ecclesiasticas venientes, & sententias Ecclesiæ totaliter contemnentes. Cum igitur Dominus Amanevus de Pomeriis Vicarius ejusdem Ecclesiæ sede vacante & nos ex dictis gravaminibus ad vestram duxerimus audientiam appellandum & bona ipsa vestræ dominationis præsidio submittendum, majestati vestræ regiæ humiliter supplicamus, quatenus eundem Vicarium, quem ad prosequendum prædicta coram vestra regia majestate procuratorem nostrum constituimus, favorabiliter in suis petitionibus audiatis, & eas juste ad exauditionis gratiam admittatis, taliter divino intuitu circa hoc vos habentes, quod honor sanctæ matris Ecclesiæ vestro mediante subsidio non valeat deperire; quia jam in nostris partibus princeps provinciarum quasi facta est sub tributo. Bene & diu valeat vestra regia majestas. In quorum testimonium sigillum nostrum præsentibus duximus apponendum. Datum Aquis die sabbathi post festum sancti Lucæ Evangelistæ anno Domini MCCLXX. quinto.

CAPUT XXVIII.

De retento a regibus Galliæ jure regaliæ in appanagio.

SYNOPSIS.

I. Ergo fuerunt in Gallia nonnulli dynastæ, qui jure regaliæ temporalis potiebantur quoad episcopatus. Reges tamen illud postea non adeo facile communicaverunt; adeo, ut etiam illud negaverint fratribus suis. Probatur exemplo sancti Ludovici.

II. Probatur etiam ex arresto, lato anno 1272. adversus Petrum Comitem Alenconium in causa Episcopi Sagiensis. Unde constat, Reges semper consuevisse retinere regalia episcopatuum, quando comitatus tradebant in appanagium.

I. COnstat igitur ex adductis superius exemplis, fuisse aliquot dynastas in hoc regno, qui jure regaliæ temporalis potiebantur quoad episcopatus. Fatendum tamen est, Reges, postquam illud explicatum fuit, non adeo facile eam auctoritatem communicasse; adeo, ut sanctus Ludovicus, cum appanagii jure comitatus Andegavensem & Cenomanensem daret Carolo fratri suo, regalia episco-

episcopatuum retinuerit anno MCCXLVII. ut testatur Ruzæus in prima parte suæ præfationis §. XII.

II. Ego vero addam historiam eorundem temporum; quæ petitur ex arresto Parlamenti Parisiensis, lato anno MCCLXXII. in controversia, quæ erat inter Petrum Comitem Alenconium Philippi tertii Regis fratrem & Episcopum Sagiensem. Contendebat Comes, ad se pertinere jurisdictionem, quæ vulgo (*) *Placitum spatæ* appellatur, exercendam videlicet in terris ad Episcopum & ad Ecclesiam Sagiensem pertinentibus, atque id quidem eam ob causam, quod illæ sitæ essent in comitatu Alenconio aliisque dominationibus sibi a fratre traditis appanagii jure. Contra Episcopus ajebat, Episcopum & Ecclesiam Sagiensem nulli domino subjectos esse, quam Regi, cui soli Episcopus debebat juramentum fidelitatis. Addidit, Reges semper consuevisse retinere regalia episcopatuum, quando comitatus tradebant in appanagium. Dictum itaque est in eodem arresto, Episcopum & Ecclesiam Sagiensem Regi soli subesse. Tum prohibitum est Comiti, ne ullam jurisdictionem exerceret in eorum possessionibus. Æquum tamen visum, ut damnum illud beneficio Regis resarciretur. Hæc sunt verba arresti: *Episcopo Sagiensi e contrario proponente, quod dictus Comes super hoc non debebat audiri, cum ipse Episcopus & Ecclesia sua Domino Regi solum subessent, & pro regali Ecclesiæ Sagiensis ipse Domino Regi soli unicam fidelitatem faceret, & cum Reges Franciæ in concessionibus terrarum & comitatuum regalia Episcopatuum sibi retinere consueverint, voluit Dominus Rex, dictum Episcopum & Ecclesiam Sagiensem sibi subesse soli.*

(*) *Le Plaid de l'épée.*

ADDITIO STEPHANI BALUZII.

CUm in hoc capite illustrissimus Archiepiscopus adnotaverit, Reges Francorum sic appanagia fratribus suis tradere solitos, ut nunquam eis concederent regalia episcopatuum, quod probavit aliquot exemplis, visum est illud ipsum confirmare alio exemplo. Anno MCCXCII. Rex Philippus istius nominis quartus, cognomento Pulcher, Carolo fratri suo concessit custodiam Ecclesiarum, Cappellarum, & monasteriorum in quibusdam comitatibus illi traditis in appanagium. Sed eodem tempore Rex ab ea concessione excepit cathedrales Ecclesias Andegavensem & Cenomanensem ac præterea illas, quæ ex speciali privilegio erant de speciali gardia Regis. Eisdem literis Carolum removit a regalibus episcopatuum, ne quid in duabus illis Ecclesiis a Carolo præsumeretur sede vacante. Lubet autem literas illas heic edere ex veteri codice manuscripto.

PHILIPPUS Dei gratia Francorum Rex. Notum facimus universis tam præsentibus, quam futuris, quod nos deliberamus carissimo ac dilecto & fideli fratri nostro Carolo Valesiæ, Alenconii, Andegaviæ & Cenomaniæ Comiti gardas omnium Ecclesiarum, Capellarum, & monasteriorum comitatuum Andegaviæ & Cenomaniæ, excepta garda Ecclesiarum cathedralium Andegaviæ & Cenomaniæ & earum, quæ de garda nostra speciali existunt per privilegium speciale, earumque, quas gardare consuevimus a tanto tempore, quod jus nobis acquisitum existat gardiandi easdem, excepto regali nostro, prout sede vacante in Ecclesiis cathedralibus antedictis per nos aut prædecessores nostros ab eo tempore, quo comitatus Andegavensis & Cenomanensis ad bonæ memoriæ quondam Carolum Dei gratiæ Regem Siciliæ & Comitem comitatuum prædictorum devenerunt, gardari consuevit. Salvo tamen in aliis jure nostro & quolibet alieno. Quod ut verum & stabile permaneat in futurum, præsentibus literis nostrum fecimus apponi sigillum. Actum apud Rochas in die resurrectionis Domini anno ejusdem millesimo ducentesimo nonagesimo secundo, mense Aprili.



STE-

STEPHANI BALUZII
DISSERTATIO
DE CONCILIO TELEPTENSI.



Ui primi rempublicam literariam condidere, inter præcipua illius fundamenta posuere libertatem & liberum assentiendi dissentiendique invicem arbitrium, adeo, ut illis quoque, qui in subselliis versantur, licere voluerint ab illorum etiam opinionibus discedere, qui suis quique temporibus prima loca occupavissent & de eorum judicare sententiis, sic tamen, ut semper locus esset retractationi judiciorum. Id ego cum innumeris propemodum exemplis tum antiquis tum recentibus compertum habeam, usurpatum quoque e propinquo video ab hominibus ætatis nostræ, a sapientibus modeste, sed nimis acriter a clarissimo viro Paschasio Quesnello: qui non ob aliud in se videtur suscepisse curam & laborem recensendarum & illustrandarum lucubrationum sancti Leonis Papæ, quam ut exemplo illius, cujus meminit sanctus Ambrosius in epist. XLVII. inveniret, quem reprehenderet, non quem sibi imitandum arbitraretur. Vix enim ullus est eorum, qui eruditionis fama hoc ævo nostro inclaruerunt, quem non bello appetierit, quem non contumelia insecutus sit, ne ipso quidem Sirmondo, cui etiam adversarii nostræ religionis reverentiam servaverunt, excepto; opinor, quia aliquæ ei inimicitiæ intercesserant cum Petro Aurelio. Ob similem, ut arbitror, caussam aggressus illustrissimum virum Petrum de Marca Archiepiscopum Parisiensem, genuinum in illo fregit, ratus, se viro optimo, qui extinctus esset, insultaturum impune & triumphum de eo propterea facile acturum. Sed quamdiu mihi vita suppetet & spiritus hos reget artus, faxo, ut Quesnellus intelligat, illum non omnem esse mortuum & superesse adhuc aliquid ex eo. Non quod me illustrissimo Archiepiscopo æquiparare velim; sed quod existimem, Quesnelli vires non esse tantas, quin a me quoque pro pietate ac veritate pugnante vinci possit, licet eruditio qualiscunque mea multum subsistat infra magnitudinem doctrinæ & eruditionis illustrissimi Archiepiscopi. Et alii quidem viderint, quid alibi erratum sit a Quesnello. Mihi nunc incumbit ostendere, Marcam extra culpam esse & immerito verbis Quesnelli vapulare propter usurpatam auctoritatem epistolæ Siricii ad Afros de continentia sacerdotum & sequentium clericorum, quam censor iste contendit ab impostore quodam Romanæ amplitudinis auctoritatisque præpostere studioso fuisse confictam. In quo Quesnellus sequi maluit opinionem Davidis Blondelli, qui diu ante pronuntiaverat, epistolam illam ab aliquo otioso fuisse suppositam, quam quod in reprehensionem Blondelli scripserat vir istarum literarum peritissimus Franciscus Florens.

Pseudo-Isid. pag. 550.

Florens ad tit. Decretal. de electione.

Sane cum in initiis studiorum meorum viderem, hanc epistolam totidem ferme verbis, quod a Crabbo pridem fuerat observatum, extare in epistola Innocentii Papæ ad Victricium Episcopum Rothomagensem, Innocentium autem constet Romæ sedisse post Siricium, non invitus in eam sententiam concedebam, quæ illam Siricio abjudicabat, quod parum probabile mihi videretur, Innocentium uti voluisse ipsis Siricii verbis absque ulla necessitate & absque ulla ejus mentione. Verum cum eodem tempore animadverterem, hanc epistolam non semel a Ferrando Diacono Carthaginensi laudari, Ferrandum porro non admodum remotum fuisse ab ævo Siricii, peritum præterea fuisse rerum Africanarum, de cujus fide & auctoritate nemo hactenus dubitasset, memetipsum incusabam, quod ob levem fortassis suspicionem in dubium vocarem epistolam, quam scriptor adeo antiquus & doctus gravi luculentoque testimonio confirmaret. Et hactenus eo tantum progressa erat investigatio mea. Postea emersit longa & prolixa Quesnelli dissertatio de Concilio Telensi supposititio, in qua ille, certissimum sibi esse, ait, & synodum illam & epistolam Siricii, quæ ei inserta est, meram esse fabulam merumque commentum, & verbis contumeliosis insultat illustrissimo Archiepiscopo, quod is in libro tertio de concordia sacerdotii & imperii scripserit, primam continentiæ clericalis necessitatem apud Africanas Ecclesias ab illa Siricii constitutione manasse. Itaque mei officii esse putavi, ut in hanc rem diligentius inquirerem, &, si valida essent argumenta Quesnelli, sententiam ejus amplecterer, sin minus, id tum cum bona Quesnelli venia sequerer, quod Marca vere scripsisset. Tandem post rem accurate discussam plane persuasus sum, injuria in hoc loco traduci virum de re publica literaria & ecclesiastica optime meritum & Quesnelli opinationes posse quidem oculorum aciem præstingere, ceterum nihil in illis esse solidi firmique. Quod ea ratione confici facile posse puto, si singula illius argumenta refellam, eaque ostendam nullius esse ponderis, aut certe exiguam omnino vim & auctoritatem habere.

Quoniam vero fundus totius istius disputationis præcipue consistit in testimonio Ferrandi Diaconi, quod Quesnellus elevare conatus est, quia in breviatione canonum, quam is conscripsit, nonnulla loca sunt obscura, ut ipse censet, & quæ cubare videntur, in mendo, constituendum est, menda illa & vocum obscuritates, quamvis certæ essent, non posse ei abrogare omnem auctoritatem, & hinc colligi non posse, delendam illic ubique esse mentionem epistolæ Siricii, quæ lecta est in Concilio Zellensi. Nam si semel licentia ista invalescat, actum est de auctoritate omnium ferme veterum scriptorum, cum nullus aut rarus sit, qui non istiusmodi mendis laboret, & iis quidem mendis, quæ multis viris doctis visa sunt insanabilia.

Primum omnium satis constat, habendam esse antiquitati maximam reverentiam & auctores antiquos esse tractandos religiosissime, id est, nihil in illis mutandum absque certa auctoritate; planeque sentio cum viro doctissimo non ita pridem extincto, qui alicubi, fraudem sceleratissimam esse, ait, ea in veterum libris delere atque invertere, ex quibus vel argui vel asseri queat eorum auctoritas. Docuerat istud ipsum, sed cum majori & illustriori auctoritate multis ante seculis Nicolaus istius nominis primus Pontifex Romanus in epistola ad Bardam Cæsarem. Deinde certum est, eos, qui res literarias tractant, homines esse, atque adeo falli posse & errare. Ex quo consequitur, non debere illos leviter judicare de scriptis veterum, & si quid in illis inveniunt, quod ipsi non intelligant, non statim damnent neque deleant. Possem plurima exempla proferre, quibus manifestæ temeritatis ac malæ fidei convincerem viros eruditissimos; qui cum in vetera quædam monumenta incidissent, in quibus nonnulla eis occurrebant a veritate, ut ipsi putabant, aliena, ea emendarunt seu potius corruperunt per speciem emendationis, quia aliam viam non inveniebant expediendi se ex difficultatibus illic occurrentibus,

Marca de Conc. Sacerd. & Imp.

eamque ob caussam falsa pro veris supposuere, & posteros induxerunt in certos errores.

S. Gregor. lib. 5. ep. 14. Vide etiam lib. 6. ep. 31. sub finem. Illud quoque apud omnes esse debet in confesso, vetustos codices, ut etiam monuit sanctus Papa Gregorius, magnæ esse semperque fuisse auctoritatis, neque cuiquam licere ab eis dissentire absque certissima ratione. Nam etiam menda eorum interdum retinentur cum ratione. Itaque si plurima vetera exemplaria de diversis & nobilibus locis adlata, ut verbis Africanorum Episcoporum, ad Bonifacium Papam scribentium, nos quoque utamur, comparata concordant, dubitari non potest, quin sint verissima. Adde auctoritatem veteris illius Afri, qui scripsit synodicon adversus tragœdiam Irenæi. (Synodic. c. 198.) Hic enim censet, tantam vetustis codicibus inesse vim tantamque eis deberi reverentiam, ut eum, qui vetustati & consonantiæ eorum non credit, nec contra hæreticos posse quicquam, putet, de novi testamenti librorum invenire, quod adstruat, veritate. Quod si ea veterum codicum auctoritas tanti æstimatur, jam liquet, eum inconsideratissimæ temeritatis reum esse, qui non unum tantum locum, qui casu irrepere fortassis ex glossemate potuisset, delet, sed etiam plures alios similes, nullius vetusti codicis auctoritate vel indicina fultus, tantum quia incommodant opinionibus suis.

Breviationis canonum a Ferrando adornatæ duo vetera exemplaria hodie extare compertum habemus, unum in civitate Tricassina, alterum ex monasterio Corbejensi delatum Lutetiam & repositum in bibliotheca monasterii sancti Germani de Pratis. Ex priore hanc Ferrandi lucubrationem edidit exeunte superiore seculo Petrus Pithœus vir doctissimus. Altero ad eam recensendam & emendandam usus est R. P. Petrus Franciscus Chiffletius e societate Jesu. In ea breviatione canonum extant decem loca laudata ex *Concilio Zellensi*, & in quinque eorundem locorum additur *ex epistola Papæ Siricii*. Ex quo certo colligitur, auctorem hujus breviationis respexisse ad epistolam Siricii ad Afros, quæ hodie extat in fragmentis, quæ supersunt Concilii Teleptensis seu Zellensis. Verum quia Quesnellus vult, hanc epistolam esse suppositiam, ut a se amoliatur auctoritatem Ferrandi, contendit hanc illius lucubrationem in aliqua sui parte & adulteratam & interpolatam esse, adeoque hinc illi detrahi plurimum auctoritatis, cum incertum maneat, in quas ejus partes grassata sit impostoris manus. Ex quo rursus sequitur, inquit ille, Concilio Zellensi seu Telensi & Siricii epistolæ eidem annexæ nihil addi roboris ex illa collectione, cum ratio subsit de ejus sinceritate ambigendi, & si quidem subdititiæ sint aliquæ breviationis illius vel partes vel citationes, illas maxime tales esse credendas, quæ sunt de Zellensi vel Telensi Concilio, quandoquidem eæ semper vel solæ sint vel ordine ultimæ.

Quid si ego ex adverso contendero, totam illam argumentationem nullis veris aut probabilibus fundamentis inniti, breviationem Ferrandi puram dixero ab iis maculis, quibus illam aspergere conatus est Quesnellus, ac denique nullum in egregio corpore nævum esse? Ego quippe confidenter affirmo, vix ullam esse veterum scriptorum lucubrationem adeo sanam, adeo integram, & in quam minus grassatæ sint manus, non dicam impostorum, sed imperitorum librariorum, quam est illa Ferrandi breviatio. Ex quo consequitur, nullam bonam subesse rationem ambigendi de ejus sinceritate, cum nullæ illius partes vel citationes subdititiæ sint, adeoque ab homine liberi judicii dici non possit, subdititias in primis esse credendas eas, quæ sunt de Zellensi vel Telensi Concilio, quandoquidem eæ semper vel solæ sint vel ordine ultimæ. Quæ scribendi ratio a Quesnello usurpata adeo levis ac puerilis est, ut bonis rationibus omnino destitutum esse oporteat eum, qui his leviculis utitur ad stabiliendas opiniones suas. Sed ad rem ipsam tandem veniamus.

Et quoniam Quesnellus, ante omnia inquirendum esse ait de nomine Concilii, de quo variæ sunt eruditorum conjecturæ, age, hanc primum partem exequamur. Qui primi illud edidere, Jacobus Merlinus & Petrus Crabbus, Telense vocarunt, sed tamen Crabbus in margine scripsit *Telen*, certo indicio, repertam fuisse quandam discrepantiam in codicibus, quibus ille utebatur.

Sane in vetustissimo codice MS. bibliothecæ regiæ, qui fuit illustrissimi Archiepiscopi Remensis, diserte scriptum est: *Incipit Concilium Telenense*, ac paulo post, *congregato Concilio brevis Telenensis*, ut in veteri quodam libro repererat etiam Crabbus. Et in vetustissimo item codice sancti Petri Pictaviensis, qui nunc censetur in bibliotheca regia, dum enumerantur canones priscorum Conciliorum, inter eos ponuntur Telinenses octo. Quo etiam modo scriptum reperi in duobus antiquissimis codicibus bibliothecæ Colbertinæ. Postea Antonius de Aquino, cum ederet epistolas veterum Pontificum Romanorum, & inter has etiam illam, quam Papa Siricius scripsisse dicitur ad Afros, in margine monuit, eam sumptam esse *ex Concilio Teleptensi, quod Telense appellatur*. Successit deinde Baronius; qui, Concilium istud Telense mendose dici, scripsit, monuitque, Teleptense debere vocari, quam ejus emendationem sive conjecturam adeo probavit Sirmondus in antirrhetico primo adversus Aurelium, ut, nullam unquam certiorem fuisse, asseveraverit, quod alter negare ausus non est. Quare verum non est, quod observat Quesnellus, aliquam inter duos illos Theologos concertationem fuisse de nomine istius Concilii, & irrisam a Chiffletio fuisse hanc socii sui, Sirmondi videlicet, emendationem; quæ tamen Sirmondi non est, sed Baronii. Æque parum, immo minus verum est, quod idem audacter affirmat, omnes codices MSS. & recentiores & antiquissimos Telensem dicere synodum, non Teleptensem, cum ille ipse codex Thuanus, ex quo Quesnellus hanc synodum edidit, qui nunc extat in bibliotheca Colbertina, diserte ac distincte ita scriptum habeat: INCIPIT CONCILIUM TELEPTENSE SUPER TRACTATORIA SANCTI CYRICII PAPÆ URBIS ROMÆ PER AFRICAM. *Post consulatum gloriosissimi Honorii XI. & Constantii II. VI. Kalend. Martias congregato Concilio in Ecclesia Apostolorum plebis Teleptensis*. Nunc vero, quam habere auctoritatem aut quam fidem possunt audaces illæ Quesnelli affeverationes, cum, ut monet Tullius, nec auctoritatem nec fidem rebus commentitiis adjungere debeamus? In illo vetustissimo codice sancti Petri Pictaviensis, de quo mox dicebamus, ita quoque scriptum vidi: INCIPIT CONCILIUM TELEPTENSE SUPER TRACTATORIA SANCTI SYRICII PAPÆ URBIS ROMÆ PER AFRICAM. *Post consulatum gloriosissimi Honorii undecies & Constantii II. VI. Kal. Martias congregato Concilio in Ecclesia Apostolorum plebis Teleptensis*. At in veteri codice Vaticano 1340. dicitur *Concilium Thelescense* pro *Teleptense*, ut apparet. Nam ego, hanc solam lectionem veram esse, contendo, cum certum sit, Teleptem fuisse in provincia Byzacena, Telam autem in proconsulari, in quam Primas Byzacenus nullum unquam jus habuit. Confirmatur istud auctoritate Ferrandi: qui synodum istam in codice Trecensi vocat Zellensem, in Corbejensi Tiellensem, quod idem est. Verissima enim est admonitio Chiffletii scribentis, Afros *dia* pro *za* frequenter usurpasse, & *t* & *d* cum sono non differant apud plerasque gentes, facile commutari. Neque id Quesnello videri debuit nimis coactum & a proposito alienum. Nam cum ex duobus antiquis breviationis Ferrandi exemplaribus, quæ nunc extare diximus, unum constanter habeat *Zellense*, aliud *Tiellense*, manifestum est, commutationem isthic literarum factam esse ex more Afrorum, cujus exemplum extat etiam apud Liberatum

ratum Archidiaconum Carthaginensem, & Zellam ac Tiellam, quod Lucæ quoque Holstenio viro doctissimo visum est, pro uno eodemque haberi debere. Suetos enim fuisse Afros commutare literas *t* & *z*, hinc quoque patet, quod cum Crabbus in codicibus suis legerit apud Liberatum cap. XIII. *Atticus Zellensis*, tres vetustissimi codices, MSS. ad quos ego contuli breviarium Liberati, constanter habent scriptum *Tallensis*. Ubi etiam observandum est, in veteri codice MS. Ecclesiæ Arvernorum & in veteri quoque collectione canonum MS. bibliothecæ meæ, dum enumerantur canones priscorum Conciliorum, *canones Tellenses* vel *Thelenses* vocari eos, quos supra diximus in aliis antiquis codicibus vocari Telinenses, illos ipsos nimirum, qui pertinent ad Concilium vulgo dictum Telense. Inde factum fortassis, ut, qui ad ista non advertebant animum, cum viderent, in libris suis fieri mentionem Concilii Tiellensis sive Tellensis, Tiellam autem vel Tellam non nossent, Telam nossent, Telensem synodum dixerint, quam Tiellensem seu Tellensem dicere debuerant aut Zellensem. Zella enim fuit vetus oppidum Africæ liberum haud procul Acholla, quam constat fuisse in provincia Byzacena; easque urbes inter alias deletas vel semidirutas relictas bello, quod D. Cæsar cum Scipione gessit, in quo Scipionem debellavit, enumerat Strabo lib. XVII. geographiæ. Tum ergo relicta est Zella tanquam prostrata. Et cum postea religio Christiana in illis partibus constituta exegisset, Episcopos locari in locis celebrioribus, Telepte, quæ haud dubie vicina fuit veteri Zellæ, eum honorem adepta est; ut patet ex Concilio Carthaginensi sub Cypriano, ubi nulla mentio cathedræ Zellensis. Postea cum schisma Donatistarum divisisset Africam, & illi Episcopos in villis & in fundis constituissent, ut major appareret eorum numerus, quam catholicorum, isti quoque Episcopos partis suæ posuerunt in villulis aut in locis olim quidem celebribus, sed postea dirutis, ne numerus Donatistarum vinceret. Tum visa cathedra episcopalis apud Zellam. Itaque in gestis collationis Carthaginensis legimus nomina Donatiani Episcopi Zellensis & Donatiani Episcopi Teleptensis catholicorum; nisi si Donatianus utramque cathedram tenuit, adversarios vero habuit apud Zellam Natalicum, apud Teleptem Bellicium & Datianum. Quod magis probabile videtur. Nam cum Ferrandus statuta Concilii Teleptensis referat ex Concilio Zellensi, apparet ita ab eo factum, quia per illas tempestates is, qui Teleptensem cathedram tenebat, cum in plebe sua haberet reliquias veteris Zellæ, Episcopum se Zellensem Teleptensemque dicebat & ita vulgo audiebat. Eam ob causam, qui synodum istam Teleptensem vocarunt, ita, ut ego quidem arbitror, fecerunt, quia videbant, illam habitam apud Zellam in diœcesi Teleptensi, eo modo, quo Loaisa Concilium Tarraconense vocavit illud, quod temporibus Sisebuti Regis habitum fuit apud Egaram in provincia Tarraconensi, Sirmondus vero Magalonense illud, quod convenit apud Juncarias in territorio Magalonensi, & eo denique modo, quo avorum nostrorum memoria Antonius Cardinalis a Prato Concilium Senonense dixit illud, quod anno MDXXIX. celebratum ab eo est Parisiis in provincia Senonensi. Nam quamvis aliqui codices antiqui doceant, synodum istam Africanam fuisse congregatam in Ecclesia Apostolorum plebis Teleptensis, istud nihil sententiæ nostræ officit, cum iis, qui codices illos scripsere, facile fuerit nomen Teleptis substituere nomini Zellæ, quæ tum fortassis sepulta erat in ruinis suis, quum gesta illa describebantur diu post habitam synodum.

At Quesnellus, qui tenebras in ea loca inducit ad obscurandam veritatem, ait, parum constare de vera lectione, & Telensem, Zellensem, Cellensemque synodum in plures dividendam esse, pronuntiat, quia apud Ferrandum, ubicunque de Zellensi sermo est, protinus additur *ex epistola Siricii Papæ*, non ita, quando de Cellensi. Primum probare debuit Quesnellus, Cellense Concilium laudari a Ferrando. Nam si semel ostensum fuerit, nullam illius mentionem factam a veteri illo scriptore, ruit confestim omnis illa argumentatio. Nullam porro factam fuisse, docent & veteres libri & editiones, in quibus semper scriptum est *Zellensi* vel *Tiellensi*. Sane in codice Corbejensi in capite tertio legitur *ellensi* manifesto errore, cum alibi semper exaratum sit *Tiellensi*. In Trecensi vero, ex quo prodiit editio Pithœana, in eodem capite tertio legitur *Cellensi* eodem errore; quem adeo agnovit ipse Pithœus, ut postea in suo exemplari reposuerit *Zellensi*, ut patet ex nova breviationis Ferrandi editione, quæ nuper prodiit e typographia regia. Itaque Cellensis illa Quesnelli synodus evanescit, itemque Telensis; fixumque & constans manere debet, Zellense Concilium non esse diversum a Teleptensi.

Antequam discedam ab hoc loco, inutile non erit admonere, Quesnellum isthic rursum conturbare veri cognitionem. Disputans enim de vero nomine istius Concilii adversus Chiffletium, qui scripserat, illud in perantiquo codice Corbejensi vocari Tiellense, in Trecensi Zellense, primum affirmat, se in codice Corbejensi legisse Telensem synodum, non Tiellensem; deinde flocci facit auctoritatem Trecensis, quippe unici adversus innumeros. Aliquid veri, sed plurima falsa, habet illa Quesnelli scriptio. Nam primo certum est, hanc synodum in Corbejensi vocari Telensem eo loco, ubi gesta ejus describuntur, sed falsum est, eam non vocari Tiellensem in eodem codice. Quippe ubi refertur breviario Ferrandi, Concilium illud semper vocatur Tiellense, nunquam Telense. Quoad Trecense exemplar, illud ipsum est, quo usum esse constat Petrum Pithœum in edenda breviatione illa. Unicum sane quidem est. Sed non ideo minor illius auctoritas, quandoquidem, ei convenire cum Corbejensi, ostensum est supra. Unicum autem esse adversus innumeros, dici non potest. Nam ut ita scribi vere posset, probandum saltem esset, magnam & abundantem esse copiam veterum exemplarium breviationis Ferrandi, eorumque nullum præter Trecense hanc synodum vocare Zellensem. Cum autem duo tantum extare constet, dici nullo modo potest, Trecense esse unicum adversus innumeros.

Iisdem vestigiis insistens Quesnellus in dissertatione XII. earum, quas cum operibus sancti Leonis edidit, ait, titulum CCXIV. breviationis Ferrandi iisdem omnino verbis conceptum esse in editionibus Pithœana, Alteserrana, Chiffletiana, Justelliana, & in omnibus codicibus MSS. quos illi consuluerunt. Putaret haud dubie lector, ista legendo, Quesnellum scisse, multos breviationis Ferrandi codices visos esse ab editoribus illis. Et tamen Pithœus unico exemplari usus est, qui nunc servatur in bibliotheca Oratorii Trecensis. Alteserra nullum vetustum codicem consuluit. Tantum illam Pithœi editionem descripsit & alicubi mutavit ex ingenio. Chiffletius illam contulit cum unico codice Corbejensi. Henricus vero Justellus in præfatione Bibliothecæ juris canonici testatur, se in emendanda breviatione ista secutum esse editiones antiquiores, nulla veterum codicum mentione. Ex quo rursum consequitur, duos tantum istius breviationis codices esse, quos tamen esse innumeros asseverat Quesnellus.

Sed rursum instat Quesnellus & ait, quædam synodi Zellensis statuta commemorari a Ferrando, quorum nulla mentio in epistola Siricii, adeoque magnum istud suppositionis indicium esse. Quasi vero Episcopis in unum congregatis nihil addere liceat epistolis Romanorum Pontificum, quæ leguntur in conventibus episcopalibus. In Concilio primo Bracarensi, ne singula commemorem, lecta est epistola Vigilii Papæ ad Profuturum Epi-

scopum Bracarensem, & nihilominus plurimæ sanctiones constitutæ sunt; quarum nulla mentio in epistola illa. Adde, quod reponi posset, decreta illa Concilii Zellensis sumpta esse ex altera Siricii epistola in illo lecta, quæ nunc non extat. Certum enim est, neque id negatur, Concilium Zellense sive Teleptense, cujusmodi illud hodie habemus, non esse integrum. Quod etiam docent omnes editiones & scripti libri; ubi post hæc verba ex præfatione, *ad Byzacenum Concilium directis*, additur, *& reliqua*. Quæ consilio omissa sunt in editione Quesnelli, tametsi extent in codice Thuano & in Corbejensi, quibus ille utebatur. Immo in eodem codice Thuano, in uno Colbertino, & in regio habetur nota gravissima, quæ ostendit, nonnulla deesse in hoc loco. Nam cum hæc præfatio divisa illic sit in quinque sectiones, in sexta vero ponatur epistola Siricii, post hæc verba, *& reliqua*, prætermisso numero, qui signare debuerat secundam sectionem, ponitur statim hæc nota (III.) quæ significat, hoc esse tertium segmentum istius præfationis. Ex quo facile est intelligere, quam parum sincerus aut diligens fuerit Quesnellus in hac editione. Igitur cum constet, acta Concilii Zellensis non extare hodie integra, manifestum est, cuncta, quæ isthic commentatus est Quesnellus, esse vana & inutilia.

Addit ille, nullam Concilii istius neque epistolæ Siricii mentionem reperiri in Conciliis Carthaginensibus post ea tempora celebratis, cum tamen sæpius in illis actum sit de continentia clericorum, & Legatos apostolicæ sedis Faustinum & ceteros videri deseruisse causam, ob quam missi erant, id est, assertionem auctoritatis sedis apostolicæ in Ecclesias Africanas, si verum est, hanc epistolam esse genuinam & vere relectam fuisse in duobus Conciliis Africanis, in Thusdritano nimirum & in Teleptensi; cum autem ab illis nulla illius mentio facta sit, fictitium credendum esse totum, quod de utraque synodo dicitur. Adversus hæc multa reponi possunt, in primis vero non extare hodie omnia acta Conciliorum Africanorum, & ea ipsa, quæ habemus, esse valde imperfecta & mutila. Reponi præterea potest istius epistolæ Siricii, quæ tum haud dubie missa est in Africam & in quodam Concilio suscepta, cujus acta nunc non extant, mentionem haberi in Concilio Carthaginensi sub Genetlio habito anno CCCXC, ubi Epigonius Episcopus Bullensium regiorum ait: *Cum in præterito Concilio de continentiæ & castitatis moderamine tractaretur, gradus isti tres conscriptione quadam castitatis per consecrationes annexi sunt. Episcopos, inquam, Presbyteros, & Diaconos ita placuit, ut condecet sacrosanctos antistites ac Dei sacerdotes, necnon & Levitas, vel qui sacramentis divinis inserviunt, continentes esse in omnibus, quo possint simpliciter, quod a Deo postulant, impetrare, ut, quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus.* Quæ sane verba adeo consona sunt Sicicianis, ut non putem, ullum esse; qui negare velit, nisi qui contentionis funem ducere voluerit.

Ridicula profecto falsaque omnino est distinctio, quam Quesnellus excogitavit inter synodum Cellensem vel Zellensem a Ferrando citatam absque mentione epistolæ Siricii, & inter eam, quæ Telensis dicitur & in breviatione Ferrandi tribuitur *Zellensi Concilio ex epistola Siricii*. Ridicula, inquam, falsaque distinctio. Nam, exempli gratia, constitutio Concilii Zellensis relata a Ferrando in capite tertio absque ulla mentione epistolæ Siricii, *ut, qui post baptisma seculari militiæ nomen dederit, ab ordinatione arceatur*, extat in epistola hoc modo: *Si quis post remissionem peccatorum cingulum militiæ secularis habuerit, ad clerum admitti non debet.* Rursum in capite CXXX. Ferrandus hunc canonem refert ex Concilio Zellensi & ex epistola Siricii: *Ut mulierem clericus non ducat uxorem. Et, ut is, qui laicus viduam duxerit, non admittatur ad clerum*. Isthic ego quæro a Quesnello, quis eum docuerit, priorem constitutionem pertinere ad Concilium Zellense laudatum a Ferrando, posteriorem ad illud non pertinere. Nam, ut recte monuit illustrissimus Cardinalis Baronius, quod a recentiore auctore de rebus adeo antiquis sine alicujus vetustioris auctoritate profertur, contemnitur. Sed hæc futilia & inania sunt, & abutimur tempore, si in frivola distinctione refutanda amplius immoramur. Ad alia transeamus.

Mendacii indicium esse, ait Quesnellus, quod in præfatione Concilii Telensis duo Legati simul loquentes introducuntur, & quod postea omnes Episcopi simul respondisse feruntur. Necesse omnino est affirmare, in hoc loco aut bonæ fidei non fuisse Quesnellum, quum hæc scriberet, aut certe maximo, ne quid gravius dicam, memoriæ morbo laborasse. Quid enim vulgarius in Conciliis Africanis, quam hæ voces: *Honoratus & Urbanus Episcopi dixerunt. Lucianus & Silvanus Episcopi dixerunt.* Nimirum unus pro pluribus loquebatur, ut patet ex gestis Concilii Chalcedonensis, in quibus non semel scriptum est; *Paschasinus & Lucentius reverendissimi Episcopi & Bonifacius Presbyter vicarii sedis apostolicæ per virum reverendissimum Paschasinum dixerunt.* Formula est usurpari solita in Conciliis omnium seculorum, ut iis notum est, qui vel mediocriter versati sunt in studiis nostris.

Alterum mendacii indicium est, inquit Quesnellus, quod, cum Vincentius & Fortunatianus postulent, ut recitentur binæ epistolæ Siricii, una tamen solummodo legitur. Ea querela esset gravissima, si constaret, acta istius Concilii esse integra. At cum contra certum sit, uti jam adnotatum est, ea esse mutila & imperfecta, mirum non est, deesse nunc unam ex epistolis Siricii in hoc Concilio recitari jussis. Nam si regula a Quesnello allata vera esset, rueret omnis auctoritas multorum Conciliorum, quæ tamen in dubium revocari nullo modo possunt. In Concilio, habito apud Carthaginem Vincentio & Flavito Conss. recitatæ sunt epistolæ Anastasii Papæ adversus Donatistas, quæ tamen hodie non extant. Rursum in Concilio in eadem urbe habito Stilicone iterum & Anthemio Conss. recitatæ sunt literæ Papæ Innocentii, ut Episcopi ad transmarina pergere facile non debeant. Sed hæ quoque nunc non extant. Et tamen non puto, Quesnellum contendere velle de auctoritate istorum duorum Conciliorum.

Palmare insuper argumentum adversus epistolam Siricii sumit ex more, quem tum fuisse scribit apud Ecclesias Africanas. Certum enim esse, ait, per eam ætatem Africanos suarum Ecclesiarum administrationem ex propriarum synodorum canonibus gessisse, nec leges ecclesiasticæ disciplinæ a transmarinis regionibus sibi imponi passos, & vel ex unica Apiarii causa patere, quantopere abhorrerent Africani a transmarinis legibus intra Africam admittendis. At si regula illa certa tum erat, cur illa ipsa ætate Africani Episcopi in synodis habitis P.C. Flavii Stiliconis & Vincentio & Flavito Conss. decernunt, mittendum esse legatum & literas scribendas ad Anastasium Papam & Venerium Episcopum Mediolanensem oratum, ut temperent decretum quoddam synodi cujuspiam occidentalis, quod gravabat Ecclesias Africanas? Cur eadem synodus habita Vincentio & Flavito Conss. cum lectæ fuissent literæ ejusdem Anastasii, quæ nonnulla constituerant adversus Donatistas Afros, gratias Deo agendas censuit, quod illo optimo ac sancto antistiti suo tam piam curam pro membris Christi, quamvis in diversitate terrarum, sed in una compage corporis constitutis, inspirare dignatus esset? Cur Afri Episcopi congregati apud Carthaginem Stilicone II. & Anthemio Conss. suis sententiis confirmaverunt decretum Papæ Innocentii, ut Episcopi ad transmarina pergere

gere facile non debeant? Cur denique in Concilio plenario Africæ, habito Carthagine in secretario basilicæ Fausti Honorio XII. & Theodosio VIII. Conss. cui CCXVII. Episcopi interfuerunt, post constitutum sacrarum scripturarum canonem Episcopi decernunt, ut Ecclesiæ transmarinæ consulantur pro confirmando isto canone? Hæc enim sunt eorum verba: *Hoc etiam fratri & consacerdoti nostro Bonifacio vel aliis earum partium Episcopis pro confirmando isto canone innotescat, quia a patribus ista accepimus in Ecclesia legenda.*

Veniendum nunc est ad singula argumenta, quibus usus est Quesnellus, ut epistolam Siricii ostenderet esse fictitiam & suppositam. Ac primo quidem observat, eam totam fere ita concinere cum epistola Innocentii Papæ ad Victricium Episcopum Rotomagensem, ut alteram ex altera transcriptam esse, necesse sit. Istud sane certissimum est, & observatum pridem fuerat diu ante, quam Quesnellus insultaret synodo Teleptensi. Sed non ideo censendum est, illam esse supposititiam, quia iisdem fere verbis conscripta est, quæ leguntur in epistola Innocentii ad Victricium. Sane si sola Siricii epistola extaret, neque confirmaretur testimonio synodi Teleptensis & Ferrandi Diaconi, magni momenti esset illa Quesnelli argumentatio. Sed cum nobis antiquitas suffragetur, falsitatis nota amovenda est ab epistola illa, omninoque existimandum, ita placuisse Innocentio verba Siricii, ut iis potius, quam suis uti voluerit ad constituendam disciplinam ecclesiasticam. *Hic est enim mos apostolicæ sedis Pontificibus, ut verba decessorum suorum quasi propria in suis ponant epistolis*, quemadmodum diu ante exortum Quesnellum observavit Hincmarus Archiepiscopus Remensis in opusculo LV. capitulorum. Neque id mirum videri debet. Nam etiam ipse Innocentius se ipsum absque ulla, ut palam est, necessitate exscripsit in epistola ad Exuperium Episcopum Tolosanum, in qua verbum e verbo posuit, quæ de continentia sacerdotum & clericorum constituerat in ea, quam anno superiore scripserat ad consulta Victricii.

Hinemar. T. 2. p. 461. 624.

Aliud suppositionis istius epistolæ Siricii ad Afros argumentum repetit Quesnellus ex insulsitate primi decreti, in quo præcipitur, ut extra conscientiam sedis apostolicæ, hoc est, Primatis nemo audeat ordinare. Quo loco variare antiquos codices calamo exaratos monet idem Quesnellus. Quod tamen non est omni ex parte verum. Nam quamvis ei demus, a lectione codicis Thuani, quæ est vulgata, discrepare Oxoniensem, non inde tamen necessario consequitur, discrepantia isthic esse inter vetera exemplaria. Quippe omnia illa, quæ nos vidimus, vidimus autem plurima, habent ita: *Primum, ut extra conscientiam sedis apostolicæ hoc est Primatis nemo audeat ordinare.* Rursum variæ sunt interpretationes horum verborum, cum constet, nonnullos illa intellexisse de sede apostolica seu Romana, alios de unoquoque Primate seu Metropolitano. Posteriorem sententiam confirmant Episcopi vivente etiamnum Siricio congregati apud Carthaginem sub Genetlio Episcopo, qui ita constituerunt de ordinationibus Episcoporum: *Placuit omnibus, ut inconsulto Primate cujuslibet provinciæ tam facile nemo præsumat, licet cum multis Episcopis, in quocunque loco sine ejus, ut dictum est, præcepto Episcopos ordinare. Si autem necessitas fuerit, tres Episcopi, in quocunque loco sint, cum Primatis præcepto ordinare debeant Episcopum.* Ferrandus, qui decretum istud descripsit ex Conciliis Carthaginensi sub Genetlio & ex Zellensi ex epistola Siricii, ita legit: *Ut Episcopus a tribus ordinetur, consentientibus aliis per scripta, cum confirmatione Metropolitani vel Primatis.* Item Innocentius in epistola ad Victricium: *Primum, ut extra conscientiam Metropolitani Episcopi nullus audeat ordinare.* Denique in vetustis glossis canonum, quas reperi in antiquissimo codice sancti Remigii Remensis, ita scriptum est: *Primatus, Archiepiscopus vel sedis ejus.*

Marca de Conc. Sacerd. & Imp.

Itaque certum & indubitatum esse debet, nullam insulsitatem reperiri in hoc decreto, quod vetustæ consuetudini consentaneum est & statutis veterum Conciliorum. Ex quo rursum consequitur, Quesnellum non bene vulgatæ lectioni prætulisse lectionem codicis Oxoniensis.

Addit ille, somnium esse, quod indicatur in præfatione, propter Afros maxime has Siricii literas datas esse e synodo Romana, *quia in præsenti præ valetudine corporis aut fessæ ætatis causa minime adesse potuerunt.* Somnium plane est, sed somnium Quesnelli. Nam verba illa non magis pertinent ad Episcopos Africanos, quam ad Italos aut aliarum provinciarum. Æque parum verum est, hanc synodum Romanam fuisse fortuitam. Siricius enim ait, tantum plurimos Episcopos convenisse ad sancti Apostoli Petri reliquias, eo modo, quo Papa Symmachus in synodo sua sexta scribit: *Cum in unum apud beatum Petrum Apostolum sancta sexta synodus canonice a beato Symmacho Romæ congregata resedisset &c.* In præfatione quoque Concilii Toletani XVII. legitur: *Dum in Ecclesia gloriosæ virginis & confessoris Christi sanctæ Leocadiæ, quæ est in suburbio Toletano, ubi sanctum ejus corpus requiescit, plerique Hispaniarum & Galliarum Pontifices convenissemus.* Et tamen nemo dixerit, has synodos fuisse fortuitas. Sane si ista Quesnelli sententia vera esset, facile ostendi posset, magnam partem Conciliorum veterum, quæ nos putamus consilio congregata fuisse, fortuito convenisse, præsertim vero Africana, cum Episcopi dicant, solummodo se consedisse in secretariis basilicarum vel in ipsis basilicis.

Infelicem postea conjecturam profert idem Quesnellus, ut emendet epistolam Innocentii ad Victricium in loco, qui non indiget emendatione, cum verba illius epistolæ sint clara, aperta, & extra omnem ambiguitatem. Ait enim: *Primus, ut extra conscientiam Metropolitani Episcopi nullus audeat ordinare. Integrum enim est judicium, quod plurimorum sententiis confirmatur. Nec unus Episcopus ordinare præsumat Episcopum, ne furtivum beneficium præstitum videatur. Hoc enim & in synodo Nicæna constitutum est atque definitum.* Itaque verba Innocentii referenda sunt ad sensum canonis quarti synodi Nicænæ. Ait autem synodus, Episcopum ab omnibus Episcopis provinciæ, si id fieri potest, sin minus, a tribus, aliis per scripta consentientibus, ordinandum esse, firmitatem porro eorum, quæ geruntur per unamquamque provinciam, metropolitano Episcopo tribuendam esse. In quibus synodi verbis facile, ut reor, est videre, integrum illud esse judicium, quod plurimorum sententiis confirmatur. Voces autem istæ Siricii, *propter arrogantiam*, non ita sunt accipiendæ, quemadmodum eas accepit Quesnellus, quasi licere voluerit Siricius uni Episcopo Episcopum consecrare, modo citra arrogantiam fieret. Illud tantum dicere voluit Siricius, gravis & intolerabilis arrogantiæ reum fore illum Episcopum, qui solus ordinare præsumeret Episcopum adversus Nicæni canonis auctoritatem & sanctæ Ecclesiæ consuetudinem.

Verum in hoc loco se gravis offert difficultas: quæ tamen Siricii epistolam non attingit, sed breviationem Ferrandi. Hic enim verbis suis exprimens decretum Siricii, *ne unus Episcopus Episcopum ordinare præsumat*, addidit, *excepta Ecclesia Romana*. Adversus hanc postremam partem insurgit Quesnellus, aitque, hanc interpretationem ac suppositionem indubitatam sibi videri. Cum enim certum sit, eam clausulam in nullo epistolæ illius exemplari reperiri, neque probabile sit, additam fuisse a Ferrando viro erudito & rei canonicæ peritissimo, cum præterea existimari non possit, Ecclesiam Africanam, quæ Romanæ erat celsitudinis æmula, hanc prærogativam Episcopo Romano concedere illa tempestate voluisse, manifestum esse putat, totum hoc opus esse impostoris.

 Sane

Sane locus ille magnam difficultatem habere visus est viris eruditissimis, qui censuerunt, ista perturbata olim fuisse, non culpa Ferrandi, sed fraude cujusdam recentioris. Contra vir eruditissimus Joannes Mabillonius suspicatur, eam clausulam de prærogativa Ecclesiæ Romanæ appositam a Ferrando fuisse, habita nimirum ab ea ratione temporum, quibus scribebat. *Nam ab ipso Ferrando adscriptam fuisse*, inquit, *non fraude cujusdam recentioris, nos dubitare non sinit antiquissimus codex Corbejensis ante annos mille scriptus, continens varia Concilia cum Ferrandi breviatione, in qua totidem verbis, ut in editis hic locus reperitur.* Contendit enim vir clarissimus, fuisse olim tempus, quo Romanus Episcopus solus peragebat ordinationes Episcoporum, etiam cum alii Episcopi præsentes erant.

Coteler. in Notis ad constitut. apostolicas pag. 217.

Mabillon. In comm. prævio ad ordinem Rom. cap. 16.

Quid si, seposita illa controversia, Ferrandi verba referamus ad ordinationem ipsius Episcopi Romani, ita, ut ille dicere voluerit, tres quidem Episcopos necessario adhibendos in consecratione reliquorum Episcoporum, ceterum ad eam necessitatem non adstringi Romanum, cujus ea prærogativa est, ut ab uno possit ordinari? In eam illum opinionem adducere potuerunt gesta tertiæ collationis Carthaginensis inter catholicos & Donatistas; in qua, referente sancto Augustino, catholici dixerunt, Romanæ Ecclesiæ Episcopum non ordinari ab aliquo metropolitano Episcopo, sed de proximo ab Ostiensi. Ex quibus verbis facile tum Ferrando fuit colligere, quod diu postea ex illis collegit Carolus Sigonius, nimirum olim Pontifices Romanos ab uno Ostiensi Episcopo consecrari moris fuisse. Nam & in gestis pontificalibus adnotatum est, Marcum Papam, qui inter Silvestrum & Julium medius eam cathedram sedit, constituisse, ut Episcopus Ostiensis, *qui consecrat Episcopum urbis*, pallio uteretur. Sed an solus ordinaverit, an vero cum aliis, adhuc in obscuro est.

Sigon. lib. 3. de occid. imp. p 70. & lib. 2. de regno Italiæ pag. 49.

Manifestam impostoris malitiam vel inscitiam prodi, hinc colligit Quesnellus, quod Siricium, qui in epistola ad Himerium Tarraconensem Episcopum necessitatem vitæ continentis imposuerat sacerdotibus & Levitis, in ista inducit suadentem, hortantem, monentem, rogantem Afros, ut cum uxoribus suis non coeant, id est, orantem potius quam imperantem. Possum ad ista respondere, dissimilem fuisse conditionem Afrorum & Hispanorum, istos Romanorum Pontificum constitutionibus ac decretis obedientiores fuisse, Afrorum ingenia delicatiora atque difficiliora opportuisse deliniri oratione placida ac dulci & colorata quadam urbanitate, ut ad continentiæ leges accipiendas facilius adducerentur. Hunc fuisse Siricii morem, ostendi potest ex epistola ejus ad orthodoxos per diversas provincias: in qua cum multa scripsisset adversus eos, qui præcipitanter & contra regulas ad sacerdotium evehebantur, monet illos, ne id deinceps usurpetur. *Quod ne fiat ultra admoneo*, inquit. Recte. Nam & Innocentius ad Exuperium Episcopum Tolosanum scribens ac mentionem faciens epistolæ Siricii ad Himerium, constitutionem ejus de continentia sacerdotum non vocat legem neque constitutum, sed monita tantum: *beatæ recordationis viri Siricii monita evidentia commearunt*. Cælestinus quoque ad Episcopos per Apuliam & Calabriam constitutos scribens adversus Episcopos e laicis factos ait: *His fraternitatem vestram epistolis commonemus, ne quis laicum ad ordinem clericatus admittat.* Nimirum post suasiones & monita, si contumacia obreperet, auctoritate eam & severitate domabant & coercebant. Testis idem Cælestinus in eadem epistola: *Quæ enim sola admonitionis auctoritate non corrigimus, necesse est, per severitatem congruentem regulis vindicemus.*

Dici præterea fortassis non absurde posset, suasiones & admonitiones illas fuisse potius imperantium, quam hortantium, cum videamus, veteres Pontifices iis vocibus usos in rebus gravissimi momenti, in rebus nimirum traditione & evangelica disciplina canoneque firmatis, ad quarum executionem obtinendam opus erat auctoritate & imperio, adeoque illic eas voces quidvis aliud necessario significare, quam quod sonant in usu vulgari. Nam, exempli causa, Siricius in epistola ad orthodoxos per diversas provincias regulam de laicis non admittendis ad episcopatum scribit ex traditione & evangelica disciplina descendere, & cum id fit, fieri ait ad condemnationem Ecclesiæ. Et illius successor Innocentius in epistola ad Victricium legem de non admittendis ad clericatum laicis ait, apostolica & patrum traditione constitutam esse, testatur autem canones prohibere, ne ordinentur. Et tamen idem Siricius legis illius executionem imperans, ab imperandi verbo abstinet, sola admonitionis auctoritate contentus. Præterea sanctus Gregorius efficere cupiens, ut talis in Ecclesia Mediolanensi Episcopus eligeretur, qui tanto honore dignus esset, nihil pro imperio loquitur, nihil jubet, sed tantum Presbyteris, Diaconibus, & clero Mediolanensis Ecclesiæ scribens suadet, ne in causa, quæ ad publicam utilitatem spectat, de suis commodis cogitent. *Itaque vos, filii carissimi*, inquit, *officii nostri censura commoniti, suademus, ut in hac suscipienda antistitis causa nullus vestrum, neglecta utilitate communi, suo lucro prospiciat.* Et sanctus Leo in epistola ad Episcopos per universas Italiæ provincias constitutos scribens de necessaria observatione canonum his utitur verbis: *Hoc itaque admonitio nostra denuntiat, quod, si quis fratrum contra hæc constituta venerit vel venire tentaverit, a suo se noverit officio submovendum.* Immo sanctus Cyprianus, scribens ad clerum suum adversus quosdam temerarios & tumidos, qui Ecclesiam turbabant, comminatur, se adversum eos, si se non emendaverint, usurum *ea admonitione, qua illum uti Dominus jubet, ut interim prohibeantur offerre*. Sunt etiam multa alia exempla. Sed ista sufficiunt. Reponi quoque posset, admonitiones illas & preces summorum Pontificum, si tamen preces fuerunt, preces fuisse, quibus contradici non posset, ut ait Tacitus, nimirum ab iis profectæ, qui, cum jubere possent, rogabant, quod de Valentiniano August. dixit Ausonius.

S. Gregor. lib. 2. Indict. 11. ep. 29.

Epist. 9. in edit. Rigaltii.

Prætereo quasdam alias objectiones Quesnelli leves & grammaticales, alias vero, in quibus audacia ejus esset merito redarguenda, ut veniam ad observationem ab eo factam adversus postremam partem epistolæ Siricii, quæ dicitur *data Romæ in Concilio Episcoporum octoginta*. Sane fateor, per ea tempora Romanos Pontifices, quum epistolas scriberent e synodis suis, suetos mentionem synodi facere in titulo epistolæ potius, quam in calce. Sed non ideo colligi hinc potest, falsam esse hanc epistolam, cum ita contra suetum ordinem fieri potuerit multis de causis, quæ nobis ignotæ sunt, quemadmodum in inscriptione Rustici Episcopi Narbonensis nonnullæ notæ chronicæ appositæ olim sunt contra vulgarem numerandi modum, uti alias a nobis dictum est etiam adversus Quesnellum. Quoad vero mentionem urbis Romæ, tametsi vulgare non sit legere in fine epistolarum Pontificum Romanorum veterum nomina urbium aut locorum, e quibus scriptæ sunt, non destituimur tamen exemplis & auctoritatibus, ut probemus, mentionem Romæ factam in calce epistolarum ab illis scriptarum, quamvis Quesnellus ingenue fateatur, non meminisse se unquam legere epistolam alicujus Romani Pontificis Romæ datam. Epistola quippe Hormisdæ ad Anastasium Imperatorem missa per Theopompum & Severianum data notatur Romæ. Item epistola Joannis II. ad Justinianum Augustum. Denique epistolam XII. libri quinti & epistolam LI. libri decimi sancti Gregorii datas esse Romæ, adnotatum est in earum calce. Ex quo necessario consequitur, aut Ques-

Notæ ad Capitularia p. 1125.

Queſnellum non legiſſe omnes epiſtolas veterum Pontificum Romanorum, vel certe gravem memoriæ lapſum eum incurriſſe.

Faceſſant ergo conjecturæ ejus & criminationes adverſus epiſtolam Siricii Conciliumque Teleptenſe, quæ teſtimonio Ferrandi fulciuntur, Ferrandi, inquam, vetuſtiſſimi doctiſſimique ſcriptoris, & qui melius ſciebat, quid ipſe legiſſet in Conciliis Africanis, quam Queſnellus ſciat, quid in breviatione Ferrandi ſit emendandum, ſi tamen illic aliquid emendandum eſt. Nam præterea, etiamſi conſtaret, plurima illic menda eſſe, non ideo omnia repudianda eſſent, quia quædam male poſita eſſent per inſcitiam aut incuriam librariorum. Nulliuſne porro momenti apud eruditas mentes erit ille conſenſus decem locorum, in quibus diſerte ſemper ſcriptum eſt *Zellenſis*, nunquam *Telenſis*? An omnis auctoritas adjudicabitur locis quinque, ubi epiſtola Siricii lecta refertur in Concilio Zellenſi ob ſolam rationem, quia Queſnellus contendit, eam eſſe ſuppoſitam? Neceſſe enim eſt, ut fateatur, illam fuiſſe in rerum natura ante tempora Ferrandi, cum ille eam citet quinquies. Nullus quippe verecundæ frontis homo dicet, loca illa falſo aſſuta fuiſſe breviationi Ferrandi, qui ſciverit, ea haberi in antiquiſſimis codicibus ſcriptis ante multa ſecula, quam Quesnellus moveret controverſiam de veritate aut falſitate iſtius epiſtolæ. Trecentis enim codex eſt annorum ſaltem octingentorum, Corbejenſis vero ante mille annos ſcriptus fuiſſe videtur. Uterque autem habet ubique mentionem epiſtolæ Siricii. Adverſus quam auctoritatem ut præſcribere poſſit Queſnellus, neceſſe eſt, ut unum ſaltem vetus breviationis illius exemplar oſtendat, in quo nulla epiſtolæ Siricii mentio reperiatur. Alioqui nos, exploſa novitate, retinebimus antiquitatem.

Qui dicit, quæ vult, audiet, quæ non vult.

STEPHANI BALUZII PRÆFATIO AD LECTOREM de duobus ſequentibus opuſculis.



QUo tempore ſecunda harum diſſertationum editio prodiit, in quibus copioſa & accurata inſtituta diſputatio eſt de Chorepiſcopis, occurrit mihi Hrabani Mauri Abbatis tum Fuldenſis, ſed Moguntinenſis dein Archiepiſcopi, libellus, ut ipſe vocat, ſeu epiſtola ad Drogonem Epiſcopum Metenſem de eodem argumento in vetuſtiſſimo codice MS. bibliothecæ regiæ. Excitata erat ſeculo illo gravis & ingens inter Gallos noſtros controverſia de Chorepiſcopis, utrumne in Epiſcoporum gradu, an vero in Presbyterorum tantum ordine conlocandi eſſent, liceretne porro illis Presbyteros & ſequentium ordinum clericos ordinare, chriſma conficere, pueros conſignare ſeu confirmare, Eccleſias & altaria conſecrare, benedictiones ſanctimonialium peragere, ac benedictionem populo dare in Miſſis publicis. Hæc enim non licere Chorepiſcopis, pleri que contendebant, non ſolum e clero, ſed etiam ex laicis, irritaque eſſe, quæcunque ab illis circa iſta præſumerentur. Diviſis itaque ob iſtam contentionem animis, Carolus Magnus ſapientiſſimus Princeps, ac divini humanique juris callentiſſimus, cum intelligeret, & conſuetudine veteri & ſynodica conſtitutione introductum eſſe, ut ad apoſtolicam ſedem referretur de majoribus cauſis, id eſt, de quæſtionibus arduis & difficilibus, quæ in provinciis definiri non poſſent, ſuo & Eccleſiæ Gallicanæ nomine legatum ſuper ea re miſit ad Leonem Pontificem Romanum iſtius nominis tertium, ut ejus reſponſis edoctus graviſſimæ concertationi finem imponeret. Is legatus fuit Arno Juvavenſis ſive Saltzburgenſis Archiepiſcopus, vir magni per eas tempeſtates nominis, & qui præcipua apud Principem gratia flagrabat. Reſpondit Leo per Arnonem, minime ambiguam eſſe quæſtionem, multis quippe illam canonibus Conciliorum decretiſque Pontificum Romanorum fuiſſe definitam, irrita eſſe, quæcunque de epiſcopali miniſterio Chorepiſcopi præſumpſerant, ipſos vero in exilium pellendos. Hoc Leonis reſponſum promptis animis amplexi ſunt Epiſcopi Gallicani in Concilio Ratisbonenſi, ea tamen moderatione ſervata, ut, remiſſa exilii pœna, Chorepiſcopis liceret agere in ordine Presbyterorum. Verum neque ſic finita eſt illa contentio, quamplurimis videlicet Epiſcopis Chorepiſcoporum cauſæ faventibus *pro ſua quiete & voluptatibus*, ut acriter conqueritur Hincmarus, eamque ob cauſam ea Chorepiſcopos in ſuis diœceſibus agere permittentibus, quæ ſolis Epiſcopis conveniunt; nimirum, ut, dum ipſi venationi, aucupationi, piſcationi, & ceteris ſeculi oblectamentis operam dabant, quod agi ſolitum a pleriſque ſeculi illius Epiſcopis, teſtatur Agobardus, Chorepiſcopi vicem eorum in omni miniſterio epiſcopali ſupplerent, & omnino ipſos faſce levarent epiſcopali, ita, ut de Pontificis tenore ſummi illi inſignia ſumerent, iſti laborem, ut Apollinaris Sidonii verbis utamur. Itaque paſſim poſt Caroli Magni tempora videmus adhuc Chorepiſcopos variis in locis fuiſſe retentos, fato quodam legum ac canonum, ut negligantur etiam ab iis ipſis, quorum ævo & quorum cauſa fuere conditi, ut multis exemplis probari poſſet. Fatendum tamen eſt, plurimos Epiſcopos obſervaſſe conſtitutiones, quæ regnante Carolo latæ fuerant adverſus Chorepiſcopos, quos in ordinem Presbyterorum redigebant. Unde factum eſt, ut hoc quoque obiter dicam, ut, cum Ado Viennenſis in Chronico ſuo loqueretur de Salviano Presbytero Maſſilienſi, deque libro ejus ad Claudianum, quem vulgatæ Gennadii editiones vocant Epiſcopum Viennenſem, cum dicere debuiſſent Chorepiſcopum, de eo, inquam, agens Ado Claudianum illum non Chorepiſcopum, ut antea aſſolebat, ſed Presbyterum juxta modum loquendi, ſeculo illo in pluribus locis uſurpatum, vocarit. *Scripſit*, inquit, *ad Claudianum Presbyterum Viennenſem librum unum expoſitionis extremæ partis in Eccleſiaſtem*. Inde etiam factum, ut in pervetuſto codice MS. bibliothecæ regiæ, qui fuit clariſſimi viri Claudii Puteani, apud Gennadium Claudianus ille hoc loco neque Epiſcopus dicatur, ut in vulgatis editionibus & in reliquis codicibus MSS. quos multos mihi videre contigit, neque item Chorepiſcopus, ſed Presbyter. Quod evincit, neceſſariam eſſe emendationem, quam illuſtriſſimus Archiepiſcopus huic Gennadii loco adhibet in libro tertio de concordia, ubi aſſerit, legendum eſſe *Chorepiſcopum*, non vero *Epiſcopum*.

Hunc Chorepiſcoporum contemptum ægre ferens Hrabanus, illorum cauſam ſuſcepit defendendam in opuſculo ea de re ſcripto, quod nunc damus, redarguens aſperioribus verbis illorum Epiſcoporum ſuperbiam, tanquam inviderent Chorepiſcopis omnemque eccleſiaſticum honorem in ſe trahere ſtuderent, id quod procul eſſe ait ab humilitate, quam Chriſtus docuit diſcipulos ſuos, & quam Apoſtoli exemplo ſuo commendaverunt. Itaque auctoritate Ancyrani Concilii & Antiocheni probat, licere Chorepiſcopis cum conſenſu ſive præcepto propriorum Epiſcoporum ea agere, quæ ſolis Epiſcopis convenire, pronuntiat Hincmarus, nimirum ordinationes Presbyterorum & Diaconorum & cetera, de quibus ſupra diximus; inſuperhabito ſynodi Gallicanæ judicio & reſponſo Leonis, tanquam contrariis

antiquæ disciplinæ ecclesiasticæ, adeoque ne regularum quidem nomine dignis. Unde & audacter ait, eorum sententiam, qui Chorepiscopos ad Presbyterorum officia demittebant, esse contrariam antiquis moribus & novis; antiquis moribus, quoniam antiquitus mos erat, ut illi vicem Episcoporum supplerent in omni ministerio ecclesiastico; novis vero, quia etiam extremis Ludovici Pii temporibus, cum hæc scriberet Hrabanus, Chorepiscopis omnia Episcoporum officia incumbebant in multis regionibus. Neque enim existimandum est Hrabano, qui discipulus Alcuini fuit, ignotam fuisse contentionem, quæ de ea re fuit ævo Caroli; adeoque, cum Episcoporum illorum superbiam taxat, intelligere debemus, ipsum prudenter dissimulasse eam historiam, ut rem integram ad consuetudinem referret, quæ in plerisque locum supplet legum ac canonum, immo persæpe leges & canones abrogat propria auctoritate, quemadmodum in plerisque disciplinæ capitibus contigit sub imperio Ludovici Pii.

In eodem codice regio extat aliud ejusdem Hrabani opusculum de reverentia filiorum erga patres & subditorum erga Reges, scriptum occasione infandi belli, quod a Lothario fratribusque ejus susceptum est anno DCCCXXXIII. adversus Ludovicum Pium; quem eo usque adflixit illa calamitas, ut, cum generalem de peccatis suis confessionem per vim edidisset in prædatoria synodo Compendiensi, Episcoporum judicio pœnitentiæ publicæ addictus & omnibus imperialibus ornamentis exutus, Lotharii deinde jussu in custodiam traditus sit. Adversus hoc facinus merito insurgit Hrabanus, atque illos, qui se peccatores generaliter fatentur, & tamen ab aliis manifeste argui non possunt, neque damnandos esse, neque judicandos, pronuntiat. Tum probat, non decere filios, cum heredes futuri decernuntur, parentes suos de honoribus suis ac possessionibus proturbare, sed expectandum esse patris obitum, ut filii possint succedere. Quod adversus tres Ludovici filios, sed præcipue adversus Lotharium dictum esse, nullus est dubitandi locus. In fine tamen Hrabanus Ludovicum hortatur ad clementiam, & ut filium pœnitentem recipiat, nimirum Ludovicum Regem Germaniæ, quem serio pœnitebat pessimi facinoris, adeo, ut eo tempore, quo pater in custodia attinebatur, legatos in Aquitaniam miserit ad Pipinum fratrem, oratum, ut se adjuvaret ad vindicandum patrem in libertatem, ut scriptum est in vita Ludovici Pii & in annalibus Bertinianis.

Utriusque istorum opusculorum mentionem facit Rudolphus monachus in vita Hrabani his verbis: *Sunt quoque alia opuscula ejus, quæ ad interrogata diversorum ei respondere necessarium fuit: quorum unum est de Chorepiscoporum ordinatione, super quo ad Drugonem Archiepiscopum scripsit librum unum.* Et paulo post: *Cui* (id est, Ludovico Pio Imperatori) *& misit epistolam consolatoriam post calamitatem, quæ ei accidit ex parte filiorum suorum & optimatum; in qua ex divinis testimoniis ostendit, quod falsum judicium non potest recte condemnare innocentem; in qua etiam novissime provocat eum ad indulgentiam in se commissorum.* Post editam epistolam illam consolatoriam scripsit, ejusdem Imperatoris rogatu, aliud opusculum de honore parentibus & summis potestatibus exhibendo & de vita christianorum. Sic enim subjungit idem Rudolphus: *Postea hortatu ejusdem fecit collectarium unum de sententiis divinorum librorum; in quo primum testimoniis divinis probavit observandum esse honorem parentum & subjectionem potestati a Deo ordinatæ, deinde de diversis speciebus virtutum, & e contrario vitiorum, testimonia de auctoritate divina in eodem opere subjunxit, demonstrans, qualiter cuicunque ordini in Ecclesia Deo militandum sit, quod opus XL. capitulis consummavit.* Hoc opusculum, quod miror omissum esse in editione operum Hrabani, editum est Antuerpiæ a Wolfango Lazio cum fragmentis Caroli Magni de veteribus Ecclesiæ ritibus anno MDL.

Hæc igitur Hrabani opuscula placuit rursum edere in hac tertia istarum dissertationum editione, ut ex iis illustrari possint, quæ de Chorepiscopis & de dissidio illo Ludovici Pii ac filiorum ejus edisserit illustrissimus Archiepiscopus. His tu fruere, lector, & vale. Admonendum tamen te, existimavi, librum de Chorepiscopis editum postea fuisse in tomo VIII. Conciliorum editionis Labbeanæ p. 1852. emendatum porro a me esse collatione facta cum editione Labbeana.

BENEVOLO LECTORI S.P.D.
Justus Henningus Bohmerus D.

POstquam vir clarissimus, Stephanus Baluzius, de nova hac editione dissertationum Petri de Marca certior factus est, humanissimis literis ad me die XVII. Kal. Jan. MDCCVII. datis petiit, ut pauca quædam ad *lib. V. cap. XLVI.* §. 5. *p.* 695. adhuc adderentur. Cum vero nimis tarde hæc ipsa supplementa ad me essent transmissa, ut non potuerint amplius loco designato adjungi, huc illa addere placuit. Sunt vero supplementa Baluziana, quæ *cit. l.* §. *V.* post verba: *Partes impense fovit*, addenda sunt, sequentia;

Verum argumentis opus non est, ubi testimonia clara & aperta habentur. Inveni quippe nuper apud Cluniacum vetustissimam membranam, in qua continetur concordia propter ecclesias Morlanenses inita anno MCXVIII. inter Guidonem Episcopum Lascurrensem & Poncium Abbatem Cluniacensem. *Hæc autem concordia*, ut illic scriptum est, *facta est Alesti in territorio Nemausensi in præsentia Domini Gelasii Papæ secundi, Girardi Engolismensis Episcopi, Apostolicæ sedis vicarii, Richardi Narbonensis Archiepiscopi &c.* Hinc ergo liquet, Gerardum continuata dignitate legati ornatum fuisse etiam sub Pontificatu Gelasii. Hactenus Stephanus Baluzius.



HRABANI MAURI
LIBER
DE CHOREPISCOPIS
& dignitate atque officio eorum.

Ad Drogonem Episcopum Metensem.



DRogoni summo Pontifici Hrabanus famulus Christi salutem. Postquam per nos transeuntes abistis, cogitavi mecum de hoc, quod mihi præsentialiter retulistis, qualiter quidam ex (*) occidentalibus Episcopis senserint de Chorepiscoporum ordine, & quod quidam eorum reordinarent illos, qui temporibus antecessorum suorum ab Chorepiscopis ordinati sunt, Presbyteros atque Diaconos nec non & Ecclesias ab eis similiter consecratas, prophanantes omnem sanctificationem pristinam quasi non legitimam, quam tamen cum consensu atque præcepto Episcoporum suorum ipsi Chorepiscopi perpetraverunt. Unde & schismata in Ecclesia Dei oriuntur, cum rectores populi Dei in doctrina sua ab invicem discrepant; alii dicentes licere Chorepiscopis cum consensu atque præcepto majorum suorum, hoc est, præsulum civitatum, sub quibus ipsi degunt, manus baptizatis imponere, ut accipiant Spiritum sanctum, Presbyterosque atque Diaconos nec non & ceteros gradus Ecclesiæ ordinare; alii vero affirmantes, nullo modo eis hoc ministerium competere, sed tantum illis Episcopis, qui urbibus præsunt. Ex quo videlicet excitantur sectæ, invidiæ, iræ, rixæ, æmulationes, dissensiones, contentiones; per quæ multi de populo videntes magistrorum dissensionem, non mediocriter scandalizantur. Non enim hujusmodi litigatores illam concordiam apostolicam sequuntur, de qua Philippenses Paulus obsecrat, dicens: *Si qua ergo consolatio in Christo, si quod solatium caritatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis, implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eandem caritatem habentes, unanimes, id ipsum sentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes, non, quæ sua sunt, singuli considerantes, sed ea, quæ aliorum sunt.* Unde & ipse volens juniores suos auditoribus commendare, & non despectos sed acceptabiles reddere, Corinthios per epistolam suam admonet, dicens: *Rogo ergo vos, fratres, imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Ideo misi ad vos Timotheum, qui est filius meus carissimus & fidelis in Domino, qui vos commonefaciat vias meas, quæ sunt in Christo Jesu, sicut ubique & in omni Ecclesia doceo.* Et rursum: *Si autem*, inquit, *venerit Timotheus, videte, ut sine timore sit apud vos. Opus enim Domini operatur sicut & ego. Ne quis ergo illum spernat, deducite illum in pace, ut veniat ad me. Expecto enim illum cum fratribus.* Philippensibus quoque de eodem Timotheo ita scripsit, dicens: *Neminem enim habeo tam unanimem, qui sincera affectione pro vobis sollicitus sit. Omnes enim quæ sua sunt, quærunt, non, quæ sunt Jesu Christi. Experimentum autem ejus cognoscite, quoniam sicut patri filius mecum servivit in evangelio.* Nam & præceptum humilitatis ut daret, ab ipsa veritate sumpsit, quæ in evangelio discipulos de primatu contendentes instruxit dicens: *Reges gentium dominantur eorum; & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic. Sed qui major est in vobis, fiat sicut junior, & qui præcessor est, sicut ministrator.* Et suo exemplo eos confirmans sequitur dicens: *Ego autem in medio vestri sum, sicut qui ministrat. Filius enim hominis non venit ministrari, sed ministrare & dare animam suam redemptionem pro multis.*

(*) Occidentalium nomine Hrabanus intelligit eos Episcopos, qui inter Rhenum & Alpes, Pyrenæos montes, Oceanum, & mare mediterraneum constituti erant. Hanc enim imperii partem, addita etiam Catalonia, Franciam occidentalem tunc vocabant.

Philipp. 2. — 1. Cor. 4. — 1. Cor. 16. — Philipp. 2. — Luc. 22. — Ibid. — Matth. 20.

Habebant enim ipsi Apostoli adjutores in prædicatione Evangelii Christi, qui etiam ordinationes fecerunt ex præceptis eorum. Unde legitur in codice, quem Damasus Papa de Episcopis Romanæ Ecclesiæ petente Hieronymo Presbytero conscripsit, quod Linus & Cletus ex præcepto beati Petri ordinationes Presbyterorum fecerint; cum tamen post passionem Petri, non illi, sed Clemens in honorem cathedræ successerit, ipso eidem tradente principe Apostolorum, sicut epistola ejusdem Clementis scripta ex mandato Petri ad Jacobum fratrem Domini testatur. Hinc reor, quod usus Chorepiscoporum primam originem sumpserit & hactenus in Ecclesia catholica retineatur, ut ipsi Chorepiscopi a propriis Episcopis suis ordinati, juxta præceptum eorum Diaconos & Presbyteros ac ceteros gradus ordinent, atque reliqua officia sacerdotalis officii peragant. Unde miror, quomodo isti, qui hanc contentionem movent, ordinem Chorepiscoporum tantum despiciant, ut pene eis nihil amplius dignitate Presbyterorum tribuant, cum hoc nec novorum nec antiquorum nec etiam ipsis Apostolorum dogmatibus consuetudinibusque conveniat, sed in sensu simul ac dogmate dissentiat. Claret enim hoc quod in his non ratio & humilitas, sed invidia atque superbia dominentur, ita ut, despectis cooperatoribus suis, ipsi soli potentes ac sanctificatione pollentes videri appetant, & hoc, quod sancti patres propter concordiam & unionem singulis dignitatibus conscripserunt, ipsi magis damnationem noxiam, quam discretam dispositionem esse, putent.

Præcipiunt enim sacri canones, qualiter unusquisque ordo mensuram suam custodiat a minimo usque ad maximum, & minor gradus majori semper subditus fiat; ita ut Diaconi absque Episcopo vel Presbytero baptizare non præsumant, nisi prædictis fortassis officiis longius constitutis, necessitas extrema compellat, & ut gratiam sacræ communionis post Presbyteros accipiant, aut Episcopo aut Presbytero porrigente; sed nec sedere in medio Presbyterorum Diaconis liceat, nec etiam coram Presbytero sedere audeant, sed jussione Presbyteri sedeant. Similiter quoque mandant, ut Diaconis honor exhibeatur ab obsequentibus, id est, Subdiaconis & omnibus clericis. De Presbyteris vero in decretis Gelasii Papæ, ita scriptum est: *Nec minus etiam Presbyteros contra suum modum tendere prohibemus, nec episcopali fastigio debita sibimet audacter assumere, nec conficiendi chrismatis, non consignationis pontificalis adhibendæ sibimet arripere facultatem; non præsente quolibet antistite, nisi fortasse jubeantur, vel orationis, vel actionis sacræ suppetere sibi præsumant esse licentiam; neque sub ejus aspectu, nisi jubeantur, aut sedere præsumant aut venerabilia tractare mysteria; nec sibi meminerint, ulla ratione concedi sine summo Pontifice Subdiaconum vel Acolythum jus habere faciendi; nec prorsus dubitent, si quicquam ad episcopale ministerium specialiter pertinens suo motu putaverint exsequendum, continuo se presbyterii dignitate & sacra communione privari.* Decreta Gelasii cap. 6.

De Chorepiscopis autem in Ancyrano Concilio ita scriptum est: *Chorepiscopis non licere Presbyte-* Concil. Ancyr. cap. 12.

byteros aut Diaconos ordinare, sed nec Presbyteros civitatis, sine præcepto Episcopi vel litteris in unaquaque parochia. Adtende, quod non dicit, Chorepiscopis non licere penitus Diaconos aut Presbyteros ordinare, sed non aliter licere, nisi ex præcepto Episcopi sui vel litteris in unaquaque parochia.

Concil. Antioch. c. 10. Item in Antiocheno Concilio sic legitur: *Qui in vicis vel possessionibus Chorepiscopi nominantur, quamvis manus impositionem Episcoporum perceperint, & ut Episcopi consecrati sint, tamen sanctæ synodo placuit, ut modum proprium recognoscant, & gubernent subjectas sibi Ecclesias, earumque moderamine curaque contenti sint. Ordinent etiam Lectores & Subdiaconos atque Exorcistas. Quibus promotiones istæ sufficiant. Nec Presbyterum vero nec Diaconum audeant ordinare præter civitatis Episcopum, cui ipse cum possessione est subjectus.*

Cum autem Chorepiscopos manus impositionem Episcoporum percipere dicit, & quod sicut Episcopi consecrati sint, cur cum consensu Episcoporum, quibus subjecti sunt, consecrationes sacrorum ordinum eis facere non licet & cum chrismate sacro fideles consignare? Vanum est enim, quemquam consecrationem episcopalem habere, si ministerium Episcopi ei non licet agere. Ad quid ergo invocatur Spiritus sanctus ab Episcopo ordinatore, ut sanctificationem personæ ordinandæ tribuat, si ipse invocator & ordinator post consecrationem, quam rite peregit, mox reprehenderit? Numquid Deum inridet, cujus donum poscit, cum postea ipsud donum spreverit? Numquid hæc calumnia, qua Domini sanctificationem inludit, ad ipsum auctorem sanctificationis pertingit? Planum est ergo, quod in Spiritu sancto per verbum Dei omnis sanctificatio adimpletur. Et quare non

Matth. 12. pertimescit blasphemare & derogare Spiritus sancti potentiæ, cum scriptum sit: *Qui dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei. Qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro.* Unde Petrus Apostolus in actibus Apostolorum, cum Cornelium centurionem & eos, qui secum erant, videret accepisse gratiam Spirtus sancti, Judæos contra se altercantes pro eo, quod ad gentes introiret & manducaret cum illis, tali responso refutat dicens:

Actor. 11. *Si ergo eandem gratiam dedit illis Deus sicut & nobis, qui credidimus in Dominum Jesum Christum, ego quis eram, qui possem prohibere Deum? His auditis tacuerunt, & glorificaverunt Deum, dicentes: Ergo gentibus Deus pœnitentiam ad vitam dedit.*

Quem ergo Deus dono Spiritus sui honorat, non est rectum, ut ab hominibus dehonestetur; nec debet quisquam pro calumnia deputare, quod divina dispositione constat ordinatum esse. Quæ enim sunt, a Deo ordinata sunt. Proinde nec inferioribus Episcopis dignitas proprii gradus tollitur, cum Metropolitano totius provinciæ cura delegatur. Nam sine eo in provincia Episcopum ordinare, nec generale Concilium convocare, nec quicquam aliud ceteris Episcopis licet in provincia agere, nisi quantum constat ad singulorum parochias & episcopatus pertinere. Si enim in Episcoporum ordine Chorepiscopos non liceret habere, nullatenus inter trecentos decem & octo patres, qui in Nicæno Concilio adfuerunt, adnumerarentur, in quorum catalogo amplius, quam duodecim Chorepiscopi inserti sunt; ubi nullus Presbyterorum vel Diaconorum in numero præfinito patrum, sed solummodo Metropolitani & Episcopi atque Chorepiscopi nominatim recensiti inveniuntur.

Ad quid enim Episcopus cujuslibet civitatis Chorepiscopum sibi vult ac decernit ordinare, si ipsam ordinationem suam nullam efficaciam arbi-

Rom. 14. tratur habere? Dicit enim Apostolus: *Beatus, qui non judicat semetipsum in eo, quod probat. Qui autem discernit, si manducaverit, damnatus est; quia non ex fide. Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est.* Hanc quidem sententiam non ad ciborum solummodo qualitatem & differentiam discernendam, sed ad omnem ambiguitatem & duplicitatem tollendam, prolatam esse intelligimus; ut non simus parvuli fluctuantes in omni vento Ephes. 4. doctrinæ, sed sani & stabiles in fide & firmi in apostolica doctrina. Vir enim duplex animo incon- Jacob. 1. stans est in omnibus viis suis. Et qui hæsitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur & circumfertur. Non ergo æstimet homo ille, quod accipiat aliquid a Domino. Ait enim ipsa veritas in evangelio: *Amen dico vobis, quicquid orantes peti-* Marc. 11. *tis, credite, quia accipietis & evenient vobis.* Omnia enim possibilia sunt credenti. Quia fides vera recte credentem salvat, & justus in fide sua vivit, illa videlicet, quæ per dilectionem operatur.

Hoc enim sanctorum patrum prudentia posteris Rom. 1. suis prævidit, & sacra canonum auctoritas instituit, ut dissensio & schismata in Ecclesia Dei non fierent, sed magis unitas & concordia pacis inibi prævaleret; & ideo cuique ordini juxta mensuram suam officium delegavit, ut per studium humilitatis & dilectionis pax Christiana & concordia in populo Dei perseveraret. De quo & ipsa veritas, discipulos suos ad imitationem sui provocans, ait: *Tolli-* Matth. 11. *te jugum meum super vos, & discite a me, quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, & onus meum leve est.* Hoc jugum per caritatem fideles sociat, non per contentionem dissipat; hocque onus non opprimit se portantem per ponderis gravitudinem, sed magis sublevat ac sustentat per solatii conlationem.

Nihil ergo juvat reprehensores hos & vaniloquos magistros, quod ad defensionem erroris sui illud de actibus Apostolorum sumere nituntur, quod Petrus & Johannes missi sint ab Apostolis de Hierosolymis in Samariam, ut imponerent manus illis, qui a Philippo baptizabantur, quatenus acciperent Spiritum sanctum; quoniam aliter hoc fieri non decebat, quam ut Apostoli implerent & perficerent ea, quæ a ministro eorum bene cœpta fuerant. Non enim Philippus hic unus de duodecim, sed unus de septem Diaconibus erat, qui ab Apostolis paulo ante ordinati sunt, & qui in catalogo septem Levitarum primus post Stephanum ante alios adnumeratus est. Unde post Stephani necem statim ad Philippi actus explicandos scriptor historiæ videtur Act. 8. transire, ita dicens: *Facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Hierosolymis; & omnes dispersi sunt per regiones Judææ & Samariæ, præter Apostolos. Curaverunt autem Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnum super illum. Saulus vero devastabat Ecclesiam, per domos intrans; & trahens viros ac mulieres, tradebat in custodiam. Igitur, qui dispersi erant, pertransibant evangelizantes verbum Dei. Philippus autem descendens in civitatem Samariæ, prædicabat illis Christum. Intendebant autem turbæ his, quæ a Philippo dicebantur, unanimiter audientes, & videntes signa, quæ faciebat. Multi enim eorum, qui habebant spiritus immundos clamantes voce magna, exibant. Multi autem paralytici & claudi curati sunt. Factum est autem magnum gaudium in illa civitate.* Et non multo post. *Cum autem*, inquit, *audissent Apostoli, qui erant Hierosolymis, quia recepit Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Johannem. Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum. Nondum enim in quempiam illorum supervenerat; sed baptizati tantum erant in nomine Jesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.* Idem etiam Philippus baptizavit eunuchum Candacis Reginæ Æthiopum, sicut consequenter narratur. Et post discessum ejus pertransiens evangelizabat civitatibus cunctis, donec veniret Cæsaream. De quo Lucas alibi mentionem facit, cum transitum Pauli ad Hierusalem enumerasset, ita dicens: *Alia autem* Act. 21.

die

die profecti venimus Cæſaream; & intrantes domum Philippi Evangeliſtæ, qui erat unus de ſeptem, manſimus apud eum. Huic autem erant filiæ quatuor prophetantes.

Unde apparet, quod iſte Philippus non fuit Epiſcopus, neque Chorepiſcopus, ſed tantum Diaconus & Evangeliſta. Si enim Chorepiſcopus eſſet, nequaquam ſcriptor hiſtoriæ hoc tacuiſſet. Necdum enim Apoſtoli ab invicem diſceſſerant, ut in ſingulis provinciis ſive civitatibus Epiſcopos aut Chorepiſcopos ordinarent; ſed in Hieroſolymis tantum manentes prædicabant verbum Dei, donec Spiritus ſancti diſpoſitione cogente ad prædicandum gentibus per orbem directi ſunt; ſicque omnis ordo eccleſiaſticus in ſingulis locis juxta eorum diſpenſationem diſtributus hactenus in Eccleſia catholica ſervatur. Et ſicut una fides, unum baptiſma, una religio a Chriſtianis in toto orbe tenetur, ita unius ejuſdemque Spiritus ſancti diſtributione pax & concordia in electis Dei ubique firmiter corroboratur, omniſque diſcordia procul pellitur; quoniam, juxta Apoſtolum, quicunque Spiritu Dei aguntur, hi filii ſunt Dei; qui autem Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus. Unde idem doctor gentium nos admo-
Ephes. 4. net dicens: *Obſecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, quo vocati eſtis, cum omni humilitate & manſuetudine, cum patientia, ſupportantes invicem in caritate, ſolliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis, unum corpus, & unus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ.*

Convenit autem quibuſque fidelibus & membris corporis Chriſti, ut honore ſe invicem præveniant, alterutrum ſe ſufferant; ne, contra Apoſtolum, efficiantur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes; ſed magis unanimes omnes ſint in oratione, compatientes, fraternitatis amatores, miſericordes, humiles, & nihil agant per contentionem; quia non eſt diſſen-
Matth. 7. ſionis Deus, ſed pacis. Hæc enim tantummodo nobis contendendi regula ex præcepto dominico conceditur, ut contendamus per anguſtam portam intrare & arctam viam incedere, quæ ducit ad vitam, non latam & ſpatioſam, quæ ducit ad mortem. Si enim bonæ devotionis & manſuetudinis indicia per humilitatis atque obedientiæ præbemus officia, veri imitatores Dei effecti,
1. Pet. 5. Chriſti Domini ſequemur exempla: qui, cum adhuc peccatores eſſemus, pro impiis ſervis mortuus eſt, juſtus pro injuſtis, ut nos offerret Deo, mortificatos quidem carne, vivificatos autem ſpiritu: qui deſtruxit quidem mortem, inluminavit autem vitam & incorruptionem per evangelium. Excelſus inter angelos, humilis inter homines, miniſtrare voluit, non miniſtrari. Unde in cœna myſtica diſcipulorum pedes lavit, & linteo, quo erat præcinctus, terſit, peccatores in convivium recepit, & cum publicanis & peccatoribus manducavit, peccatricem mulierem ad ſe accedere permiſit, & lavare lacrymis ac tergere capillis pedes ſuos conſenſit, nihil veritus Phariſæorum ſuperſtitioſam reprehenſionem. Propter quod injuſtis
Luc. 7. querimoniis eorum ita reſpondit dicens: *Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.*
Matth. 9. Et item: *Non veni vocare juſtos, ſed peccatores.*
Matth. 18. Et alibi: *Filius*, inquit, *hominis venit ſalvare,*
Joan. 3. *quod perierat.* Et rurſum: *Non enim venit filius hominis, ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum.*

At contra, ſi deſpectis ceteris fratribus noſtris atque conſervis in ſublime volumus extolli, ac ſoli potentes & glorioſi cupimus ab hominibus videri, ſine dubio illius imitamur jactantiam, qui deſpectis ceteris ſanctis angelorum turmis, ad ſimilitudinem Dei non per humilitatem, ſed per ja-
Iſa. 14. ctantiam voluit ſublimari, cum dixit: *Aſcendam in cœlum ſuper altitudinem nubium, & ponam thronum meum ad aquilonem, & ero ſimilis altiſſimo.* Unde merito de ſublimitate angelica projectus in inferni tartarum draco perfidus traxit ſecum tertiam partem ſyderum: ubi & nos, ſi ejus ſequimur vecordiam, propter mentis noſtræ ſuperbiam a ſanctorum ſocietate expulſi, pœnas gehennæ cum illo luemus æternas.

Quomodo autem tam prælatis quam etiam ſubditis agendum ſit, Eccleſiæ paſtor Petrus in epiſtola ſua oſtendendo commonet dicens: *Seniores* 1. Pet. 5.
ergo, qui in vobis ſunt, obſecro conſenior & teſtis Chriſti paſſionum, qui & ejus, quæ in futuro revelanda eſt, gloriæ communicator, paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei, providentes non coacte ſed ſpontanee ſecundum Deum; neque turpis lucri gratia, ſed voluntarie; neque, ut dominantes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo; ut, cum apparuerit princeps paſtorum, percipiatis immarceſcibilem gloriæ coronam. Similiter adoleſcentes, ſubditi eſtote ſenioribus. Omnes autem invicem humilitatem inſinuate; quia Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.

Quapropter neceſſarium mihi videtur, ut omnes humiliemus nos ſub potenti manu Dei, quatenus ipſe nos exaltet in tempore viſitationis & quiſquis in majore dignitate ex electione divina ſe poſitum agnoſcit, commilitones ſuos ac comminiſtros omni honore dignos arbitretur, & ex mutua dilectione locum eis præbeat proficiendi ac bene operandi: quia venient dies, quando non honoris dignitates, ſed bonorum operum a nobis requirentur actiones. Filius enim hominis venturus eſt in gloria patris ſuis cum angelis ſuis. Et tunc reddet unicuique ſecundum opera ejus. Omnes ſimul ſtabimus ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum. Qui autem inferioris gradus eſt, non majora & quæ ad ſe non pertinent per elationem appetens tentet; ſed contentus ſit officio, quod ſibi divina ordinatio voluit conferre; & ita rite credendo, ac recte docendo, beneque operando, quotidie in Domino proficiat, ut miniſterii ſui bonum præmium conſequatur. Qui enim bene miniſtraverit, gradum ſibi bonum adquirit. Unde ipſa veritas ait: *Qui mihi mini-* Joan. 12.
ſtrat, me ſequatur; & ubi ſum ego, illic & miniſter meus erit. Si quis mihi miniſtraverit, honorificabit eum pater meus, qui eſt in cœlis. Et alibi: *Volo*, inquit, *Pater, ut, ubi ſum ego, ibi ſit & miniſter meus.*

Grandis honor eſt, Chriſti miniſtrum eſſe. Unde & grande præmium bene miniſtrantem ſequitur, ita, ut cum Chriſto & ſanctis angelis ejus in cœleſti beatitudine ſine fine lætetur. Atque ideo non convenit ſervis Chriſti contendere de ſublimitate honoris, ſed magis certare de utilitate ſanæ prædicationis & aſſiduitate bonæ operationis; ut populus Chriſti audiat ex ore eorum verbum rectæ fidei, & videat in actibus eorum bonum exemplum per humilitatis indicium; quia juxta veritatis ſententiam omnis, qui ſe exaltaverit, humiliabitur, & qui ſe humiliaverit exaltabitur.

Qui enim gradum honoris in Eccleſia Chriſti Matth. 23.
acceperunt, quomodo vivere & quid agere debeant, audiant ipſum Dominum oſtendentem atque præcipientem. *Sint*, inquit, *lumbi veſtri præcincti,* Luc. 12.
& lucernæ ardentes in manibus; & vos ſimiles hominibus expectantibus dominum ſuum, quando revertatus a nuptiis; ut, cum venerit & pulſaverit, confeſtim aperiant ei. Et quale eos præmium taliter facientes in futuro ſequatur, mox ſubjungit dicens: *Beati ſervi illi, quos, cum venerit dominus invenerit vigilantes. Amen dico vobis, quod præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis.* Et paulo poſt: *Quis putas eſt*, inquit, *fidelis diſpenſator & prudens, quem conſtituit dominus ſuper familiam ſuam, ut det illis in tempore tritici menſuram? Beatus ille ſervus, quem, cum venerit dominus ſuus, invenerit ita facientem. Vere dico vobis, quia ſuper omnia, quæ poſſidet, conſtituet illum.* Non enim pigris & hebetibus doctoribus

ribus & de primatu hujus mundi atque divitiis certantibus tale præmium promittitur, sed bene laborantibus & digne Deo servientibus. Non est enim æquum, ut conlatio sacri ordinis servis Christi fiat causa elationis & terrenæ voluptatis; quia nec in ipsius magistri nec in discipulorum ejus dictis sive exemplis aliquid hujusmodi reperiunt.

Quomodo autem de Christi moribus nos instruat
Philipp. 2. Paulus Apostolus, audiamus: *Hoc enim sentite in vobis quod & in Christo Jesu: qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus, ut homo. Humiliavit semetipsum, factus obediens patri usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus illum exaltavit, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus*
Matth. 6. *Jesus Christus in gloria est Dei Patris.* Hic ergo discipulis suis præcepit dicens: *Nolite solliciti esse dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc omnia gentes inquirunt. Scit enim pater vester, quia his omnibus indigetis. Quærite autem primum regnum Dei & justitiam ejus, &*
Luc. 14. *hæc omnia adjicientur vobis. Qui non renuntiaverit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.*
Matth. 16. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam. Qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. Quid enim prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* & cetera.

Hinc & Petrus exhortans fideles in epistola sua ait:
1. Pet. 1. *Succincti lumbos mentis vestræ, sobrii, perfecte sperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam in revelatione Jesu Christi, quasi filii obedientiæ, non configurati prioribus ignorantiæ vestræ desideriis; sed secundum eum, qui vocavit vos sanctum, & ipsi sancti in omni conversatione estote; quoniam scriptum est: Sancti*
1. Joan. 2. *eritis, quoniam ego sanctus sum.* De quo & Johannes ait: *Nolite diligere mundum neque ea, quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est caritas patris in eo; quoniam omne, quod in mundo est, concupiscentia carnis & concupiscentia oculorum est & superbia vitæ, quæ non est ex patre, sed ex mundo est. Et mundus transit, & concupiscentia ejus. Qui autem facit voluntatem Domini, manet in æternum.*
Rom. 6. Hinc & Paulus ait: *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus; sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato; sed exhibete vos Deo tanquam ex mortuis viventes, & membra vestra arma justitiæ Deo.* Et Rom. 13.
iterum: *Carnis*, inquit, *curam ne feceritis in desi-* Rom. 14.
deriis. Et rursum: *Non ergo amplius invicem judicemus; sed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum.* Et item: *Debemus autem* Rom. 15.
nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere & non vobis placere. Unusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum ad ædificationem.

Si autem secundum hujusmodi doctrinam conformemus nos exemplis obedientiæ, humilitatis, & mansuetudinis Christi, considerantes singuli, non quod nobis, sed quod aliis utile est, nec cupiditatibus istius mundi atque inlecebris voluptatum operam damus, nulla erit inter nos contentio de sublimitate honoris & inani jactantia terrenæ potestatis, nec conflictus nequam de quæstu nefando præsentis seculi; sed erit firma pax & concordia inter nos, exercebiturque unanimiter cultus pietatis, & religio sancta & immaculata coram Deo & Salvatore nostro sine reprehensione custodietur. Et ita omnia membra corporis Christi erunt in pace, exspectantes supernam gloriam in revelatione Domini nostri Jesu Christi, quem cum non videmus diligimus, in quem nunc quoque non videntes credimus, & exultando speramus, quod in adventu ejus percipiamus finem fidei nostræ salutem animarum nostrarum.

Igitur quia ordo præteritæ narrationis vestræ & responsionis parvitatis nostræ hoc exigebat, ut contra tam ineptum conflictum sacerdotum atque scandalum plebis aliqua de scripturis sacris atque orthodoxorum patrum sententiis excerperemus, quæ ostenderent ac declarando manifestarent, quod servos Christi non oportet litigare, sed mansuetos esse ad omnes, docibiles, & patientes, fecimus, quod agendum esse censuimus, & in brevi libello hæc omnia comprehendentes, sanctitati vestræ dirigere curavimus, petentes, ut, si dignum ducatis hunc relegere, ea, quæ ibi recte posita sint, vestra auctoritate confirmetis; si qua autem reprehensione ibi digna videantur, ignorantem vestra prudentia instruatis; quatenus labor noster per omnia non inanis fiat, & studium doctrinæ vestræ multiplici mercede ab omnium bonorum datore remuneretur.

Sanctitatem vestram omnipotentis Dei gratia in æternum conservare dignetur, venerande Præsul, memorem nostri.

HRABANI MAURI

LIBER

DE REVERENTIA FILIORUM ERGA PATRES, & subditorum erga Reges.

OPUSCULUM HRABANI MAURI AD HLUDOVICUM Imperatorem in XII. capitulis comprehensum.

I. DE *honore parentum & subjectione filiorum.*

II. De his, qui parentes suos vel majores contemnendo despiciunt.

III. Quod regiæ dignitati honor sit & obedientia ab omnibus deferenda, contumacia autem superborum disciplina coercenda.

IV. Quod non liceat filiis parentes suos de hereditate & possessione propria expellere atque ab eis aliquid per vim seu fraudem auferre.

V. Quod malum avaritiæ & cupiditatis maxime detestandum sit.

VI. De justis judiciis in omnibus rebus & personis observandis.

VII. Quod omnino de temerariis judiciis abstinendum sit.

VIII. De administratoribus secularium judiciorum quid sentiendum sit.

IX. Quod illi, qui se peccatores generaliter fatentur, & tamen ab aliis manifeste argui non possunt, nullo modo sunt judicandi atque damnandi.

X. Quod falsa justificatio nihil prosit, sed maxime obsit abutentibus ea.

XI. Quod pietas divina veraciter conversis & de præteritis peccatis pœnitudinem agentibus perfectam veniam tribuat.

XII. Exhortatio ad indulgentiam delinquentium.

Hos

Hos quoque bissenos fixit tibi, Cæsar amate,
In scripto titulos, quos relegens teneas.
Illic repperies divinæ dogmata legis,
Quæ bona commendant, quæve mala reprobant.
Justitiæ palmam tribuunt, hanc laude coronant,
Spernentes pellunt ac scelus omne procul.
Mentem humilem acceptant, detestanturque superbam.
Fas pie commendant, projiciuntque nefas.
Jura superna docent patribus se subdere proles,
Non vinci a pravo, vincere sedque bono.
Victor Rex Christus faciat te vincere mundum,
Æternæ & pacis dona tibi tribuat.

De honore parentum & subjectione filiorum.

CAP. I. QUam placita fuerit omnipotenti Deo honorificatio parentum & subjectio filiorum, ipse qui primum nasci fecit ex patribus filios, postmodum legis edicto naturæ jus hominibus ostendens, confirmavit, ut hoc cogantur divino facere imperio, quod debuit pietas suggerere affectu. Nam in Exodo, ubi Dominus decalogum legis populo suo tenendum edidit, post tria mandata, quæ de sua cultura primum protulit, mox de humanæ societatis fœdere subjunxit, dicens: *Honora patrem tuum & matrem, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.* In Levitico quoque idem Dominus ita præcepit. *Non facias*, inquit, *calumniam proximo tuo, nec vi opprimas eum. Qui maledixerit patri suo, vel matri, morte moriatur. Patri matrique qui maledixerit, sanguis ejus sit super eum.* Item ipse in Deuteronomio sic ait: *Si genuerit homo filium contumacem & protervum, qui non audiat patris aut matris imperium, & coercitus obedire contempserit, apprehendent eum, & adducent ad seniores civitatis illius & ad portam judicii, dicentque ad eos: Filius noster iste protervus & contumax est, monita nostra audire contemnit, comessationibus vacat & luxuriæ atque conviviis. Lapidibus eum obruet populus civitatis, & morietur. Et auferatis malum de medio vestri, & universus Israel audiens pertimescat.* Item in eodem libro, ubi de maledictionibus contra peccantes pronuntiandis per Levitas præceptum est, ita legitur: *Maledictus, qui non honorat patrem suum & matrem. Et dicet omnis populus: Amen.* In proverbiis quoque Salomon ita ait: *Audi, fili mi, disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ. Stultus irridet patris sui disciplinam. Qui autem custodit increpationes, astutior fiet. Qui affligit patrem & matrem, ignominiosus est & infelix.* Et alibi: *Qui maledicit*, inquit, *patri vel matri, extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris, hereditas, ad quam festinatur in principio, in novissimo benedictione carebit.* Et in alio loco: *Vir fidelis multum laudabitur. Qui autem festinat ditari, non erit innocens.* Et paulo post: *Qui subtrahit aliquid de patre suo vel matre, & dicit: Hoc non est peccatum, particeps homicidæ est. Oculum, qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodient eum corvi de torrentibus, & comedent filii aquilæ.* In libro quoque Jesu filii Sirach ita scriptum est: *Qui honorat patrem, jucundabitur in filiis, & in die orationis suæ exaudietur. Qui honorat patrem suum, vita vivet longiore; & qui obedit patri, refrigerabit matrem. Qui timet Deum, honorat parentes, & quasi dominis serviet his, qui genuerunt. In opere & sermone & omni patientia honora patrem tuum, ut superveniat tibi benedictio a Deo, & benedictio illius in novissimo manet. Benedictio patris firmat domos filiorum. Maledictio autem matris eradicat fundamenta. Ne glorieris in contumelia patris tui. Non est enim tibi gloria, sed confusio. Gloria enim hominis ex honore patris sui, & dedecus filii pater sine honore. Fili, suscipe senectam patris tui, & ne contristes eum in vita illius; & si defecerit sensus, veniam da; & ne spernas eum in tua virtute. Eleemosyna enim patris non erit in oblivione. Nam pro peccato matris restituetur tibi bonum, & in justitia ædificabitur tibi. In die tribulationis commemorabitur; sicut in sereno glacies, solventur tua peccata: quia malæ famæ est, qui relinquit patrem, & est maledictus a Deo, qui exasperat matrem.* Et item: *Honora*, inquit, *patrem tuum, & gemitus matris tuæ ne obliviscaris. Memento quoniam nisi per illos natus non fuisses, & retribue illis, quomodo & illi tibi.* Ad domum vero Rechabitarum loquitur Dominus per Hieremiam ita dicens: *Pro eo, quod obedistis præcepto Jonadab patris vestri, & custodistis omnia mandata ejus, & fecistis universa, quæ præcipit vobis, propterea hæc dicit Dominus Deus Israel: Non deficiet vir de stirpe Jonadab filii Rechab stans in conspectu meo cunctis diebus.* In Malachia quoque sic Dominus ait: *Filius honorat patrem, & servus dominum suum. Si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? Et si ego Dominus sum, ubi est timor meus?* Hinc & in evangelio ipsa veritas ad Pharisæos ait: *Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dixit; Honora patrem & matrem, &: Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Quicunque dixerit patri vel matri: Munus quodcunque est ex me tibi proderit, & non honorificabit patrem suum aut matrem suam, & irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.* Et item alibi ad Judæos ait: *Ego honorifico patrem meum, & vos inhonorastis me*: Item alibi: *Non veni*, inquit, *facere voluntatem meam, sed ejus, qui misit me, patris.* Paulus quoque in epistola sua ad Ephesios ait: *Filii, obedite parentibus vestris in Domino. Hoc enim justum est. Honora patrem tuum, quod est mandatum primum in promissione, ut bene sit tibi, & sis longævus super terram.* Item ad Colossenses: *Filii*, inquit, *obedite parentibus vestris per omnia. Hoc enim placitum est in Domino.* Petrus quoque similiter in epistola sua ammonet dicens: *Adolescentes, subditi estote senioribus. Omnes autem invicem humilitatem insinuate: quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.*

Marginal references: Exod. 20. Levit. 19. Deuter. 21. Deuter. 27. Prov. 1. Prov. 20. Prov. 28. Ibid. Prov. 30. Eccl. 3. Eccl. 7. Hier. 35. Malach. 2. Matth. 15. Joan. 8. Joan. 6. Ephes. 6. Coloss. 3. 1. Pet. 5.

De his, qui parentes suos vel majores contemnendo despiciunt.

CAP. II. QUantum autem displiceat Deo dehonestatio parentum, exempla illa, quæ inveniuntur in divinis libris, declarant. Nam cum post diluvium Noe plantasset vineam, & se vino inebriasset, (Gen. 9.) nudatusque jacuisset in tabernaculo suo, medius trium filiorum ejus, qui patris sui nuditatem conspiciens irriserat, maledictionem debitam in semine suo perceperat; ceteri vero filii ejus, qui velaverunt obscœnitatem parentis, benedictione patris perpetuo sunt remunerati. Sic & ceteris Patriarchis displicuisse reperitur inæqualitas ac feritas morum sobolis suæ & mansuetudo placita fuisse.

fuisse. Denique de Ismael primo filiorum Abraham
Gen. 21. legitur, quod homo ferus esset, manusque
Hier. 41. ejus contra omnes, & manus omnium contra eum, & quod e regione universorum fratrum suorum figeret tabernacula. Sed in Isaac vocatum est parenti semen, cui benedixit Dominus, & pactum suum statuit illi in fœdus sempiternum & semini ejus post eum, quia per omnia patris sui obtemperavit voluntati. Huic nati sunt duo
Gen. 25. filii, Esau videlicet & Jacob: quorum primus erat rufus & in morem pellis hispidus; qui adultus factus est vir gnarus & homo agricola. Sequens autem frater ejus vir erat simplex, habitabat in tabernaculis. Unde & mater eum maxime diligebat; cui & paterna benedictio pleniter perveniebat, fratre ejus seniore propter cupiditatem escæ primogenitorum honorem perdente. Si-
Gen. 37. militer & pater Jacob Joseph filium suum minorem natu super omnes filios suos diligebat, quem scriptura mansuetissimum atque justissimum esse, testatur, qui patrem suum atque fratres pietate
Gen. 42. largissima fovebat ac nutriebat. Moyses igitur, qui constitutus est a Deo dux populi Israel, & cum Deo loquebatur, sicut homo loquitur ad amicum suum, numquid in minoribus ejus præ-
Num. 12. cipue prædicatur, quod homo fuerit mitissimus ultra omnes homines, qui morabantur in terra.
Deuter. 34. Jesus vero minister Moysi, quia per omnia fidelis & devotus atque obediens fuit domino suo, principatum populi Israel divino judicio electus post Moysen accepit & feliciter usque ad finem perduxit. Sic & David, minimus inter fratres suos, ob hoc maxime Deo placuit & ad regni culmen pervenit, quia humilitatem, patientiam ac mansuetudinem maxime in minoribus suis servavit, de quo in psalmo scriptum est: *Memen-*
Psal. 131. *to, Domine, David, & omnis mansuetudinis ejus*. Hinc & in Machabæorum libro legitur: *David in sua misericordia consecutus est sedem*
1. Mach. 2. *regni in secula*. Ananias, Azarias, Misael in fi-
Dan. 3. de persistentes liberati sunt a flamma. Daniel in sua simplicitate ereptus est de ore leonum, & honoribus sublimatus, factus est in regnis inclitus. Sic videlicet omnes, qui speraverunt in Deum, & patienter ejus adjutorium præstolabantur, nequaquam ab eo sunt deserti.

Quod regiæ dignitati honor sit & obedientia ab omnibus deferenda, contumacia autem superborum disciplina coercenda.

CAP. III.

Quod autem regiæ dignitati honor sit a subditis offerendus, & quod Deo displiceat contumacia subditorum, ostendit scriptura divina tam in sententiis, quam etiam in exemplis. Nam
Exod. 22. in Exodo scriptum est: *Diis non detrahes, & principi populi tui non maledices*. Et in Deutero-
Deuter. 17. nomio: *Qui autem*, inquit, *superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo & decreto judicis, morietur homo ille, & auferas malum de Israel; cunctusque populus audiens timebit, & nullus deinceps intumescet superbia.* Hinc & Samuel Propheta in libro Regum obedientiam, ita laudavit dicens:
1. Reg. 15. *Melius est enim obedientia, quam victimæ, & auscultare magis, quam offerre adipem arietum; quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle adquiescere.* Un-
Prov. 24. de in Proverbiis scriptum est: *Time Dominum, fili mi, & Regem, & cum detractoribus ne commiscearis; quoniam repente consurget perditio eo-*
Prov. 16. *rum; & ruinam utriusque quis novit?* Et item: *Abominabiles Regi, qui agunt impie; quoniam justitia firmatur solium. Voluntas Regum, labia justa. Qui recte loquitur, diligetur*. Denique in evangelio non solum parentes Jesu Regi terreno censum solvebant, sed etiam ipse Dominus pro se Imperatori tributum solvit, atque aliis idem
Matth. 22. Marc. 12. Luc. 22. facere præcepit dicens: *Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo*. Sic & apostolica lectio obedientiam majoribus impendere nos docet. Nam Petrus in epistola sua scribit dicens: *Subjecti igitur estote omni humanæ creatu-* *1. Pet. 2.*
ræ propter Deum, sive Regi quasi præcellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malorum, laudem vero bonorum. Et paulo post: *Deum*, inquit, *timete, Regem honorificate*. Hinc & doctor gentium ad Romanos scribens ait: *Rom. 13.*
Omnibus potestatibus sublimioribus subditi estote. Non est enim potestas nisi a Deo. Quæ autem sunt, a Deo ordinata sunt. Itaque, qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem adquirunt. Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bono. Si autem malum feceris, time. Non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in ira ei, qui malum agit. Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ideo enim & tributa præstatis. Ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes. Reddite ergo omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal, cui timorem timorem, cui honorem honorem. Superbia ergo & seditio, contra Principes suos, quantum Deo displiceat, ostenditur in actibus Nembroth, qui primus tyrannidem exercuit, de *Gen. 10.*
quo scriptum est, quod robustus esset venator coram Domino, & in his, qui turrem ædificare conati sunt ad indicium superbiæ suæ, quorum *Gen. 11.*
Deus linguam confudit & destruxit opera, ita, ut dispergerentur ab invicem in universum orbem terrarum, necnon & in factis Chore, Dathan & Abiron, qui se elevaverunt & surrexerunt contra Moysen ducem populi, quos inaudi- *Num. 16.*
to antea judicio Dominus condemnavit, ita ut aperiens terra os suum deglutiret eos & omnia, quæ ad illos pertinebant, descenderuntque viventes in infernum. Horum ergo casum atque ruinam pertimescens David unctus jam Rex non ausus est levare manum suam contra Saul Regem; sed viris illis, qui eum persuaserunt, ut Saul quasi sibi traditum in deserto Engaddi vel in deserto Ziph percuteret atque interimeret, respondit dicens: *Propitius sit mihi Dominus, ne fa-* *1. Reg. 24.*
ciam hanc rem domino meo Christo Domini, ut mittam manum meam in eum, quoniam Christus Domini est. Et item: *Quis*, inquit, *extendit* *1. Reg. 26.*
manum suam in Christum Domini, & innocens erit? Vivit Dominus, quia nisi Dominus percusserit eum, aut dies ejus venerit, ut moriatur, aut in prælium descendens perierit, propitius sit mihi Dominus, ne extendam manum meam in Christum Domini. Unde & illum juvenem, qui se plaudebat quasi occiderit Saul, jussit interficere, dicens ad eum: *Quare non timuisti mittere* *2. Reg. 1.*
manum tuam, ut occideres Christum Domini? Sanguis tuus sit super caput tuum. Os enim tuum locutum est adversum te dicens: Ego interfeci Christum Domini. Idcirco liberavit Dominus David, & protegebat eum ab universis hostibus suis, eosque, qui insidiabantur animæ ejus, tradidit in potestatem ipsius; filium quoque ejus *2. Reg. 18.*
Absalom, qui in superbiam elatus contra patrem seditionem suscitavit, necnon & tumultuantem *2. Reg. 20.*
Seba filium Bochri in ditionem suam redegit; quatenus cognoscerent omnes, qui fraudem contra dominos suos iniqui moliuntur, quod innocentia justi validior est astutia malignorum.

Sed hæc licet antiquitus facta veterum prodat historia, tamen hujuscemodi Christianis temporibus non desunt exempla. Nam tyranni, qui contra dominos legitimos subdita insolentia se erexerant, non impuniti evaserant; sed justo judicio Dei damnati, pœnas condignas luebant. Cujus rei indicia sunt bella famosissima gloriosissimi & fidelissimi Imperatoris Theodosii, quæ gessit contra Maximum tyrannum Gratiani domini

mini sui interfectorem fratrisque ejus Valentiniani de regno expulsorem, quem sola fide major, universa autem apparatus belli comparatione minor, sine dolo & sine controversia Theodosius clausit, cepit, occidit. Similiter & contra Arbogastem atque Eugenium infestissimos tyrannos, qui plurimas tam Romanorum quam etiam barbarorum contraxere copias ad invadendum regnum & subvertendum Principem; quos utique Christianissimus Imperator, potentia Dei non fiducia hominis fretus, magis orationibus quam armis subegit. Cui etiam miracula divinitus conlata palam favebant, ita ut turbo ventorum in ora hostium rueret, & spicula ab ipsis missa in se converteret, scutaque incidens ora eorum pectoraque graviter verberaret. Unde Eugenius captus atque interfectus est. Arbogastus vero sua se manu percussit. Sic & in Arcadii prædicti Theodosii Imperatoris filii temporibus filiique ipsius Theodosii junioris Gildo Comes despiciens parvam ætatem memorati Theodosii, regnum sibi usurpare tentabat; quem contra Mascezel frater suus missus est: qui cum recenti cæde filiorum suorum, quos Gildo frater ejus dolo circumventos interfecit, turbatus esset, tamen magis in divinum auxilium quam in proprias vires confidentes, secum sanctos servos Dei aliquot permotos precibus sumpsit; cum his orationibus jejunus psalmos dies noctesque continuans, sine bello victoriam meruit ac sine cæde vindictam. Hoc modo denique cum contra hostium septuaginta millia militum in castris opponeret, sanctus Ambrosius Episcopus Mediolanensium ei per somnium apparere visus est, certisque indiciis victoriam præsagire. Unde & confortatus in hostem circumfusum procedit; & cum ad eos, qui primi occurrerant, pia pacis verba jactaret, signiferum quendam insolenter obsistentem & jam jamque pugnam excitantem gladio percussit in brachio, eumque manu debilem ipso vulnere coegit pronum inclinare vexillum. Quo viso, reliquæ cohortes deditionem jam fieri priorum æstimantes, certatim sese ad Mascezelem signis tradidere. Unde conversi barbari, quorum magnam multitudinem Gildo ad bellum deduxerat, defectu militum destituti, in diversa fugerunt. Gildo & ipse fugam molitus, arrepta navi in altum profectus, ac deinde revocatus in Africam est. Post aliquot autem dies strangulatus interiit. Inveniuntur etiam & his similia in aliorum Imperatorum vel Regum temporibus contigisse. Sed non necesse est coram scientissimis ac rerum omnium peritissimis plura replicare. Tantum hæc commemorationis causa posita sufficiant.

[Marginal notes: Zosim. lib. 4. — Rufinus lib. 2. cap. 35. — Oros. lib. 7. c. 36.]

Quod non liceat filiis parentes suos de hereditate & possessione propria expellere atque ab iis aliquid per vim seu fraudem auferre.

CAP. IV. Nec illud etiam prætereundum est, quod non decet filios, cum heredes futuri decernuntur, parentes suos de honoribus suis ac possessionibus proturbare; quia nec hoc divina auctoritas neque sanctorum patrum exempla probant atque consentiunt. Legimus ergo, quod David Rex juberet Sadoch sacerdoti & Nathan Prophetæ, ut ordinarent atque ungerent filium suum Salomonem in Regem super Israel, constitueritque eum super solium suum. Sed tamen non antea scriptum invenitur, confortatum esse Salomonem in regno suo, nisi post patris obitum. Tunc enim scriptura ita dicit: *Dormivit David cum patribus suis, & sepultus est in civitate David. Salomon autem sedit super thronum David patris sui, & firmatum est regnum ejus nimis.* Sic & ceteri Reges semper post patris obitum successisse in regno patris suis descripti sunt, licet aliqui eorum filios suos consortes regni præelegerint; sicut Constantinus Imperator tres filios suos, Constantinum videlicet, Constantium & Constantem, in diversis orbis partibus Cæsares constituit; & Theodosius Arcadium & Honorium participes regni sui esse voluit. Omnes tamen illi patribus suis subditi atque subjecti usque ad finem vitæ eorum perseveraverunt: quia nulla lex, sive divina, seu etiam humana, laudat filios per rapinam vel fraudem parentes suos a sedibus suis & possessionibus ejicere; sed magis docet ac præcipit, cum reverentia & humilitate atque condigno obsequio a patribus futuram hereditatem promerendo sperare. Nam & hoc Dominus noster in evangelio docuit discipulos suos dicens; *Quicunque voluerit fieri inter vos major: erit vester minister; & quicunque voluerit inter vos primus esse, erit omnium servus.* Et ut hoc suo exemplo probaret, subjunxit dicens: *Nam & filius hominis non venit, ut ministraretur ei, sed ut ministraret, & daret animam suam redemptionem pro multis.* Et alibi: *Non est*, inquit, *discipulus super magistrum, nec servus super dominum suum. Sufficit discipulo, ut sit sicut magister ejus, & servus sicut dominus ejus.* Apostolus quoque humilitatem Christi nobis præcipue commendavit dicens: *Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Jesu: qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus, ut homo. Humiliavit semetipsum, factus obediens patri usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus illum exaltavit, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei patris.*

[Marginal notes: 3. Reg. 1. — 3. Reg. 2. — Marc. 10. — Matth. 10. — Philipp. 2.]

Quod malum avaritiæ & cupiditatis maxime detestandum sit.

CAP. V. Quod autem abominabilis sit coram Deo, qui per avaritiam & cupiditatem terrenarum rerum jus propinquitatis negligit, ostendit Habacuc Propheta dicens: *Væ, qui potum dat amico suo mittens fel suum, & inebrians, ut aspiciat nuditatem ejus. Repletus est ignominia pro gloria.* Et item: *Væ*, inquit, *qui congregat avaritiam in malum domui suæ, ut sit in excelso nidus ejus, & liberari se putat de manu mali. Cogitasti domui tuæ confusionem, concidisti populos multos, & peccavit anima tua.* Et iterum: *Væ*, ait, *qui ædificat civitatem in sanguinibus, & præparat urbem in iniquitate.* Hinc & per Salomonem dicitur: *Vir, qui festinat ditari, & aliis invidet, ignorat, quod egestas superveniet ei.* Nam & in Ecclesiaste scriptum est: *Avaro nihil est scelestius, & nihil est iniquius, quam amare pecuniam. Hic enim & animam suam venalem habet, quoniam in vita sua projecit intima sua.*

[Marginal notes: Habac. 2. — Ibid. — Ibid. — Prov. 28. — Eccl. 10.]

De justis judiciis in omnibus rebus & personis observandis.

CAP. VI. Quod autem judicia justa in omnibus servanda sint, ostendit Dominus in Deuteronomio ita dicens: *Judices & magistros constitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi per singulas tribus tuas, ut judicent justo judicio, nec in alteram partem declinent. Non accipies personam nec munera; quia munera excæcant oculos sapientium, & mutant verba justorum. Juste, quod justum est, persequaris, ut vivas & possideas terram, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi.* Hinc & per Zachariam Prophetam dicitur: *Nolite timere. Hæc sunt ergo verba, quæ facietis. Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, veritatem & judicium pacis judi-*

[Marginal notes: Deuter. 16. — Zachar. 8.]

judicate in portis vestris, & unusquisque malum contra amicum suum ne cogitetis in cordibus vestris, & juramentum mendax ne diligatis. Omnia enim hæc sunt, quæ odivi, dicit Dominus. Et
Zachar. 7. idem: Judicate, inquit, judicium verum, & misericordiam & miserationes facite unusquisque cum fratre suo, & vir fratri suo non cogitet malum
Hier. 21. in corde suo. Hinc & per Hieremiam dicitur. Judicate, inquit, mane judicium, & eruite vi oppressum de manu calumniantis; ne forte egrediatur ut ignis indignatio mea, & succendat, & non sit, qui extinguat propter malitiam studiorum vestrorum. E contrario autem quam sibi detestabilis sit fraus in judicando, ostendit Dominus per
Isa. 10. Esaiam dicens: Væ, qui condunt leges iniquas, & scribentes injusta scripserunt, ut opprimerent in judicio pauperes, & vim facerent causæ humilium
Isa 5. populi mei. Et idem: Væ, qui dicitis malum bonum & bonum malum, ponentes tenebras lucem & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce & dulce in amarum. Væ, qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes. Et
Isa. 29. alibi: Væ, inquit, qui profundi estis corde, ut a Domino abscondatis consilium, quorum sunt in tenebris opera, & dicunt: Quis videt nos, & quis novit nos? Perversa est enim vestra cogitatio. Et ut ostenderet, sperantibus in Deum cito ab ipso provenire solatium, subjungit dicens: Addent mites in Domino lætitiam, & pauperes homines in sancto Israel exultabunt; quoniam defecit, qui prævalebat, consummatus est inlusor, & succensi sunt omnes, qui vigilabant super iniquitatem, qui peccare faciebant homines in verbo, & arguentem in porta supplantabant, & declinaverunt frustra a justo. Item de iniquitate judicii ac falsis judicibus
Ezech. 13. Dominus loquitur per Ezechiel dicens: Væ, qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas. Cum caperent animas populi mei, vivificabant animas eorum. Et violabant me ad populum meum propter pugillum hordei & fragmen panis, ut interficerent animas, quæ non moriuntur, & vivificarent animas, quæ non vivunt,
Ibid. mentientes populo meo credenti mendaciis. Et iterum: Pro eo, quod mœrere fecistis cor justi mendaciter, quem ego non contristavi, & confortastis manus impii, ut non reverteretur a via sua mala & viveret, propterea vana non videbitis, & divinationes non divinabitis amplius, & eruam populum meum de manu vestra, & scietis, quoniam
Prov. 17. ego Dominus. Hinc & in proverbiis scriptum est: Qui justificat impium, & qui condemnat justum, abominabilis uterque est apud Deum.

Quod omnino de temerariis judiciis abstinendum sit.

CAP. VII. Quod autem temerarium judicium vitandum sit, ostendit ipsa veritas in evangelio dicens:
Luc. 6. Matth. 7. Nolite condemnare, & non condemnabimini. Nolite judicare, & non judicabimini. In quo enim judicio judicaveritis, judicabitur de vobis. Hinc
1. Cor. 4. & Paulus ait: Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui & inluminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Et tunc laus erit unicuique a Deo. Et
Rom. 14. item. Tu autem, inquit, quid judicas fratrem tuum? Omnes enim stabimus ante tribunal Dei. Scriptum est enim: Vivo ego, dicit Dominus Deus; quoniam mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Domino. Itaque unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo. Non ergo amplius invicem judicemus. Sed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum. Un-
Joan. 8. de & Dominus ipse in evangelio, cum adduxissent ante eum Scribæ & Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam, non cito sententiam in eam protulit; sed se prius inclinans, digito scribebat in terra; ut nos doceret discretionis normam in omnibus servare, & non temere aliquid agere. Ergo, cum aliquid in judicio agendum est, debet primum judex pensare causam ac factum, & sic recurrere ad præcepta divinorum librorum; quia non convenit ei aliquid gerere sine documento divinorum testimoniorum & sine exemplo sanctorum patrum, qui spiritu Dei edocti faciebant, quæ Deo placita esse noverant. Qui autem aliter fecerit, damnationem sibi adquirit, cum manifeste Apostolus dicat: In quo Rom. 2. enim alterum judicas, te ipsum condemnas.

De administratoribus secularium judiciorum quid sentiendum sit.

Denique hinc quidam quærendum putant de CAP. VIII. judicibus secularibus, cum reos secundum legem puniunt, aut mortis sententia damnant, utrum homicidii crimine obnoxii sint, an non. De quo quid sancti patres senserint, palam inveniri potest. Nam in decretis Innocentii Papæ ita scriptum est. Quæsitum est etiam super his, Decreta Innoc. I. cap. 23. qui post baptismum administraverunt, & aut tormenta sola exercuerunt, aut etiam capitalem protulere sententiam. De his nihil legimus a majoribus diffinitum. Meminerant enim, a Deo potestates has fuisse concessas, & propter vindictam noxiorum gladium fuisse permissum, & Dei ministrum esse datum in hujusmodi vindicem. Quomodo igitur reprehenderent factum, quod auctore Domino viderent esse concessum? De his ergo ita, ut hactenus servatum est, sic habeamus, ne aut disciplinam evertere, aut contra auctoritatem Domini venire videamur. Ipsis autem in ratione reddenda gesta sua omnia servabuntur. Hinc & sanctus Augustinus: Non autem ipse occidit, qui Augustin. lib. 1. de civit. Dei cap. 21. ministerium debet jubenti, sicut adminiculum gladius utenti. Et ideo nequaquam contra hoc præceptum fecerunt, quo dictum est, Non occides, qui Deo auctore bella gesserunt, aut personam gerentes publicæ potestatis secundum ejus leges, hoc est, justissimæ rationis imperium, sceleratos morte punierunt. Et Abraham non solum non est culpatus crudelitatis crimine, verum etiam laudatus est nomine pietatis; quod voluit filium nequaquam scelerate sed obedienter occidere. Et merito quæritur, utrum pro jussu Dei sit habendum, quod Jephte filiam, quæ patri occurrit, occidit, cum id se vovisset immolaturum Deo, quod ei redeunti de prælio victori primitus occurrisset. Nec Samson aliter excusatur, quod se ipsum cum hostibus ruina domus oppressit, nisi quia hoc spiritus latenter jusserat, qui per illum miracula faciebat. His igitur exceptis, quos vel lex justa generaliter vel ipse fons justitiæ Deus specialiter occidi jubet, quisquis hominem vel se ipsum vel quemlibet occiderit, homicidii crimine innectitur. Beatus quoque Ambrosius exponens sententiam Pauli Apostoli ad Romanos, ubi præcipit potestatibus universis subditos esse, ita dicit: Hic ergo subjectus Ambros. in c. 13. epist. ad Romanos. est potestati, qui se terrore Dei ab his abstinet, quæ prohibet. Itaque, qui resistit potestati, ordinationi Dei resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem adquirunt. Manifestum est, quod unusquisque operibus suis aut justificabitur aut condemnabitur. Qui enim audientes legem peccant, inexcusabiles sunt. Nam, qui principantur, non sunt timori bonis operibus, sed malis Principes hos Reges dicit, qui propter regendam vitam & prohibenda adversa creantur, Dei habentes imaginem, ut sub uno sint ceteri. Vis autem non timere potestatem? Bonum facito, & habebis laudem ex illa. Laus ex potestate tunc surgit, cum quis innocens invenitur. Dei enim minister est tibi in bono. Manifestum est ideo rectores datos, ne malum fiat. Si enim male feceris, time. Non enim sine causa gladium portat. Hoc est: Ideo comminatur, ut, si fuerit contemptus, vindicet. Dei minister vindex est in ira in eum, qui male agit. Quoniam futurum judicium Deus statuit,

statuit, & nullum perire vult, hoc in seculo rectores ordinavit, ut terrore interposito hominibus velut pædagogi sint, ne in pœnam incidant futuri judicii. Ideoque subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Recte dicit, subjectos esse debere, non solum propter iram, id est, ultionem præsentem, (parit enim ira vindictam) sed & propter futurum judicium; quia si hic evaserint, illic eos pœna expectat, ubi accusante ipsa conscientia punientur. Nam idcirco tributa penditis. Ministri enim Dei sunt, in hoc ipso servientes. Ideo dicit tributa præstari, vel quæ dicuntur fiscalia, ut subjectionem præstent, per quam sciant non se esse liberos, sed sub potestate agere, quæ ex Deo est, Principe enim suo, qui vicem Dei agit, sicut dicit Daniel Propheta. Dei est enim, inquit, regnum, & cui vult, dabit illud. Unde & Dominus, Reddite, ait, quæ sunt Cæsaris Cæsari. Huic ergo subjiciendi sunt sicut Deo. Cujus subjectionis probatio hæc est, cum illi pendunt tributa. Propterea quoque sanctos patres non invenimus Imperatores, Reges, atque judices hujus seculi, nec in temporibus legis, nec etiam sub gratia novi testamenti, pro hujuscemodi negotiis, cum seditiosos armis deprimebant, vel sontes capitali sententia plectebant, aut synodali decreto aut Episcoporum judicio esse condemnatos; quia necesse est, ut qui divino non obediunt mandato, acriori coerceantur tormento; quatenus lex Dei vim sui juris obtineat, & improborum causa infestatio subvertere non prævaleat; sicut in Antiocheno Concilio diffinitum est, ut, qui Ecclesiam conturbare vel sollicitare perstiterit, tanquam seditiosus per potestates exteras opprimatur.

Quod illi, qui se peccatores generaliter fatentur, & tamen ab aliis manifeste argui non possunt, nullo modo sunt judicandi atque damnandi.

CAP. IX. At quia de judiciorum qualitate aliqua jam dicta sunt, nunc requirendum est, utrum is, qui generaliter se fatetur peccasse, & tamen in aliquo gravi delicto convinci non potest publice deliquisse, excommunicatione sacerdotali plectendus sit an ne? quia inveniuntur plures, non solum de minoribus personis & plebe vulgi, sed etiam de sanctis viris, se peccatores coram Deo pronuntiasse, & inde magis veniam ac gratiam Domini, quam offensam promereri. Nam Moyses pro populo orans ad Dominum ait: *Dominus patiens & multæ misericordiæ, auferens iniquitatem & scelera, nullumque innoxium derelinquens, qui visitas peccata patrum in filios & tertiam & quartam generationem, dimitte obsecro peccatum populi tui secundum magnitudinem misericordiæ tuæ. Dixitque Dominus: Dimisi juxta verbum tuum.* (Num. 14.) Hinc & Psalmista ad Dominum ait: *Delictum meum cognitum tibi feci, & injustitias meas non operui. Dixi, pronuntiabo adversum me injustitias meas Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei.* (Psal. 31.) Et item: *Iniquitatem*, ait, *meam ego cognosco, & delictum meum contra me est semper. Tibi soli peccavi, & malum coram te feci, ut justificeris in sermonibus tuis & vincas, dum judicaris. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea.* (Psal. 50.) *Ne intres in judicio cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* (Psal. 142.) Hinc & Job dixit: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu, qui solus es?* (Job. 14.) Et item: *Astra*, inquit, *non sunt munda in conspectu Dei. Quanto magis homo putredo, & filius hominis vermis?* (Job. 25.) Hinc & per Esaiam dicitur: *Ecce tu iratus es, & peccavimus. In ipsis fuimus semper; & salvabimur. Facti sumus, ut immundus omnes nos, quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ.* (Isa. 64.) Hinc & per Hieremiam dicitur: *Scio, Domine, quia non est hominis via ejus, nec viri est, ut ambulet & dirigat gressus suos.* (Hier. 10.) Et rursum: *Cognovimus*, inquit, *Domine, impietates nostras &* (Hier. 14.) *iniquitates patrum nostrorum, quia peccavimus tibi. Ne nos des in opprobrium propter nomen tuum, neque facias nobis contumeliam.* Hinc & Daniel in oratione ita dixit: *Peccavimus, iniquitatem fecimus, Domine, in omnem justitiam. Vertatur obsecro ira tua & furor tuus a civitate tua Hierusalem & monte sancto tuo. Propter peccata enim nostra & iniquitates patrum nostrorum Hierusalem & populus tuus in opprobrium sunt omnibus per circuitum nostrum. Neque enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis.* (Dan. 9.) Et paulo post: *Cum adhuc*, inquit, *loquerer & orarem & confiterer peccata mea & peccata populi mei Israel, ecce vir Gabriel, quem videram in visione in principio, cito volans, tetigit me in tempore sacrificii vespertini, & docuit me, & locutus est mihi.* Ecce legislator pro populo peccatore humiles preces offerens, & ad misericordiam justum judicem interpellando provocans, veniam peccantibus meruit. Sic & Rex atque Psalmista in iniquitatibus se conceptum & in delictis natum commemorans profitetur, se agnovisse peccatum suum. Et tamen propter hoc regnum non perdidit. Immo justificationem veraciter promeruit, ac sedem regni tam sibi quam filiis suis perpetualiter confirmavit. Prophetæ quoque se peccasse, iniquitatem fecisse, simul cum populo pronuntiaverunt; & exaudiri a Domino citius meruerunt, angelicumque oraculum impetraverunt. Quis est, qui humilem confessionem causam esse justæ damnationis dicere ausus sit, maxime cum sapientia manifeste dicat: *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur. Qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* (Prov. 28.) Nam & ipsa veritas in parabola evangelica publicanum pro peccatis suis humiliter deprecantem Pharisæo de propria justitia arroganti suo judicio prætulit. (Luc. 18.) Et Apostolus Johannes in epistola sua ita scribit dicens: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus ut remittat nobis peccata nostra, & mundet nos ab omni iniquitate.* (1. Joan. 1.)

Quod falsa justificatio nihil prosit, sed maxime obsit abutentibus ea.

CAP. X. De falsa enim justificatione quid sentiendum sit, mox subjungendo ostendit, dicens: *Si dixerimus, quoniam non peccavimus, mendacem facimus eum, & verbum ejus non est in nobis.* (1. Joan. 1.) Hinc & in Ecclesiaste scriptum est: *Non te justifices ante Dominum, quoniam agnitor cordis ipse est, & penes Regem noli velle videri sapiens.* (Eccl. 7.) Hinc & Dominus arrogantes & duros corde per Hieremiam increpat dicens: *Quid niteris bonam ostendere viam tuam ad quærendam dilectionem, & dixisti, Absque peccato & innocens ego sum, & propterea avertatur furor tuus a me. Ecce ego judicio contendam tecum, eo quod dixeris, Non peccavi, quia vilis es facta nimis iterans vias tuas. Obtrivit Dominus confidentiam tuam, & nihil habebis prosperum.* (Hier. 2.)

Quod pietas divina veraciter conversis & de præteritis peccatis pœnitudinem agentibus perfectam veniam tribuat.

CAP. XI. Quam misericors autem sit Dominus super eos, qui veraciter se per confessionem & pœnitentiam convertunt ad eum, & sperant in misericordia ejus, declarat ipse per Ezechielem Prophetam dicens: *Justitia justi super eum erit, & impietas impii erit super eum. Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit universa præcepta mea, & fecerit judicium & justitiam, vita vivet: & non morietur. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est non recordabor. In justitia sua, quam operatus est, vivet. Numquid voluntas mea est* (Ezech. 18.)

mors impii, dicit Dominus Deus, & non, ut convertatur a viis suis & vivat? Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Projicite a vobis omnes prævaricationes, & facite vobis cor novum & spiritum novum. Et quare moriamini domus Israel? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, revertimini, & vivite. Et alibi:

Ezech. 33. *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua; & justus non poterit vivere in justitia sua, in quacunque die peccaverit. Etiamsi dixero justo, quod vita vivat, confisus in justitia sua fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus oblivioni tradentur, & in iniquitate sua, quam operatus est, in ipsa morietur. Sin autem dixero impio, Morte morieris, & egerit pœnitentiam a peccato suo, feceritque judicium & justitiam, restitueritque ille impius, rapinamque reddiderit, in mandatis vitæ ambulaverit, nec fecerit quicquam injustum, vita vivet, & non morietur. Omnia peccata ejus, quæ peccavit, non imputabuntur ei. Judicium & justitiam fecit, vita vivet.* Ideo Novatiani hæretici frustra januam pietatis supernæ occludere pœnitentibus nituntur, divinæ misericordiæ sinum ignorantes, cum non solum prophetica lectio, sed etiam evangelii majestas idipsum adstruat, quod quicunque pro commissis peccatis digne pœnitentiam gerunt, veniam apud clementissimum judicem peccatorum suorum promerentur. Unde non solum præcursoris Domini vox baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum primum prædicando intonuit; sed etiam ipsa veritas primordium prædicationis suæ, ut Matthæus testatur, de pœnitentia agenda inchoavit dicens:

Matth. 3. *Pœnitentiam agite, adpropinquavit enim regnum cœlorum.* Et alibi:

Matth. 11. *Venite inquit, ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Veraciter enim pœnitentibus adpropinquat regnum cœlorum; quia delentur peccata, & adpropinquat justitia sempiterna; omnesque, qui ad Salvatorem nostrum pia intentione veniunt, de peccatorum onere relevati, æternæ refectionis pabulum in cœlestis regni beatitudine percipient.

Exhortatio ad indulgentiam delinquentium.

CAP. XII. HÆc tu, sacratissime Imperator, & his similia relegens, spernendo judicia falsa, scias, te per fidem rectam & bona facta aditum regni cœlestis promereri posse. Nec te deterreat nocentium improba vanitas, sed magis confortet evangelica veritas, credens in omnibus Regi & judici tuo, qui tibi in terra regnum dedit, & in futura vita bene facienti regnum promisit. Et ideo, si quid te in hoc scommate belli & valle lacrymarum atque laborum plenissima perversorum machinatio nocuit, non illud magni pendas; sed ereptori & defensori tuo Domino Christo in omni-

1. Reg. 2. Hebr. 12. bus gratias agas, qui mortificat & vivificat, flagellat omnem filium, quem vult, & castigat omnem filium, quem recipit. Meminerisque illud di-

Levit. 19. vinæ legis, quo scriptum est: *Ne quæras ultionem, nec memineris injuriæ civium tuorum. Diliges ami-*

1. Reg. 25. *cum tuum sicut te ipsum. Ego Dominus. Leges meas custodite.* Dicatque tibi simul cum David Rege illa mulier sapiens in Regum, quæ compescuit ipsum David a cæde Nadab stultissimi, ita dicens: *Aufer iniquitatem famulæ tuæ. Faciens enim faciet Dominus tibi domino meo domum fidelem, quia prælia Domini, Domine mi, tu prœliaris. Malitia ergo non inveniatur in te omnibus diebus vitæ tuæ. Si enim surrexit aliquando homo persequens te & quærens animam tuam, erit anima mea domini mei custodita quasi in fasciculo viventium apud Dominum Deum tuum. Porro anima inimicorum tuorum rotabitur quasi impetu & circulo fundæ. Cum ergo fecerit tibi Dominus domino meo omnia, quæ locutus est bona de te, & constituerit te ducem super Israel, non erit tibi hoc in singultum & in scrupulum cordis Domino meo, quod effuderis sanguinem innoxium, aut ipse te ultus fueris.* Hinc & Apostolus ad Romanos taliter loquitur dicens: *Nolite esse prudentes apud* Rom. 12.

vosmetipsos, nulli malum pro malo reddentes, providentes bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus, si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes, non vosmetipsos defendentes, carissimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim: Mihi vindictam, ego retribuam, dicit Dominus. Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum. Si sitis, potum da illi. Hos enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus. Noli vinci a malo. Sed vince in bono malum. De quo & in evangelio ipse Domi- Matth. 18.

nus & Salvator noster Petro interroganti, quotiens fratri in se peccanti dimittere debuisset, si usque septies, sed usque septuagies septies. Et alibi ad discipulos suos ait: *Dimittite, & dimittemi-* Luc. 6.

ni. Date, & dabitur vobis. Mensuram bonam & confertam & coagitatam & supereffluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem vero mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis. Et idem: *Cum stabitis*, inquit, *ad orationem, dimittite, si quid* Marc. 11.

habetis adversus aliquem, ut & pater vester, qui in cœlis est, dimittat vobis delicta vestra. Quod si vos non dimiseritis, nec pater vester, qui in cœlis est, remittet vobis peccata vestra. Et ut electos suos pressuram in mundo sustinentes consolaretur, alio loco dicit: *Beati, qui persecutionem* Matth. 5.

patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati estis, cum maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos mentientes, propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Sic enim persecuti sunt Prophetas, qui fuerunt ante vos. In patientia vestra Luc. 21.

possidebitis animas vestras. Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Talia ergo Matth. 10. & 24.

nos facere verbis docuit ipse agnus Dei innocens, qui abstulit peccata mundi, qui tanquam ovis ad occisionem ductus, non aperuit os suum; sed tentatus, irrisus, flagellatus, alapis cæsus, conspputus, spinis coronatus, & ad extremum in cruce confixus, pro persecutoribus suis exoravit dicens: *Pater, ignosce illis. Non enim sciunt, quid* Luc. 23.

faciunt. Non ergo mirum, si homo terrenus & fragilis aliqua adversa patitur, cum tanta homo cœlestis & innoxius passus est, ut nos utique sanguine suo a peccatis redimeret, & exemplo longanimitatis ac patientiæ suæ instrueret atque confortaret.

Recipe igitur, pater mitissime, filium tuum pœnitentem; ut illius patris clementissimi imitator fias, qui filium luxuriosum, in terra aliena totam substantiam suam cum meretricibus dissipantem, novissime ad se pœnitendo reversum occurrens benignissime suscepit, & non solum peccata ei indulsit, verum etiam stolam primam illi Luc. 15.

reddidit, annulum in manu dedit, & calciamenta pedibus impendit, largissimumque convivium novissime instruens, chorum & symphoniam cum eo lætabundus celebravit: quia si imitator ejus fueris, procul dubio regnum æternum perpetualiter cum illo possidebis.

Hæc quoque dignitati vestræ, serenissime Domine, ego vilis vester homuncio, non quasi sciolus replico, sed quasi devotus famulus ad memoriam reduco; ut, quia plurimi vos proximis temporibus injuste læserunt, quidam per malitiam, quidam vero per timorem, & quidam per infirmitatem, vos cogitetis, quid maxime Deo placeat & ejus sacris testimoniis præcipue concordet, illudque devota mente faciatis. Credo enim Deo meo, quod vos neque in adversis neque in prosperis unquam dimittet; sed sua defensione munitum, & ab universorum hostium læsione protectum, ad æternæ vitæ præmia feliciter pervenire concedat.

I N-

INDEX
INSIGNIORUM RERUM ET VERBORUM
SUPER
CONCORDIAM SACERDOTII ET IMPERII.

A

Conci-

Corbe-

D

quo-

Gaba-

G

H

I

L

M

N

Quæ

Tri-

V

W

Z

SOLI DEO GLORIA.





